QVINTVS CVRVS PER
VM DESERASMI ROTERO

Erasmi
Tom. 3

II
393





II. 393. b.

DES▸ ERASMI ROT▸ OPERVM

QVINTVS TOMVS

QVAE AD PIETATEM INSTI-
TVVNT COMPLECTITVR, QVO-
rum elenchum uersa pagi-
na exhibet.

II. 393. b.



BASILEAE
EX OFFICINA FROBENIANA
M D XL.

Inscriptus Catal° lib° Haret° Collegij Posna. Societ. Jesu

II. 393. b.


QVINTVS
DES
RASMI
ROTERO



Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

II. 393. b.

DES▸ ERASMI ROT▸ OPERVM

QVINTVS TOMVS

QVAE AD PIETATEM INSTI-
TVVNT COMPLECTITVR, QVO-
rum elenchum uersa pagi-
na exhibet.

II. 393. b.



BASILEAE
EX OFFICINA FROBENIANA
M D XL.

Inscriptus Catal° lib. Haret. Collegij Posna. Societ. Jesu

II. 393. b.

QVINTVS TOMVS SEQVENTES
libros continet.

	pagina
Enchiridion militis Christiani	3
Oratio de uirtute amplectenda	56
Ratio ueræ theologiæ	63
Paracleſis	116
Modus confitendi	122
Enarratio Pſalmi, Beatus uir	144
Enarratio Pſalmi, Quare fremuerunt	166
Paraphraſis in Pſalm. Domine quid multiplicati	197
Concio in Pſal. Cum inuocarem	205
De puritate Eccleſiæ Chriſti	248
Enarratio in Pſal. Dominus regit me	264
De bello Turcis inferendo conſultatio	292
Enarratio in Pſal. Benedicam domino in omni tempore	310
Enarratio in Pſal. Dixi, cuſtodiam uias meas	351
De amabili Eccleſiæ concordia	394
Concio in Pſal. L X X X V	425
De miſericordia domini concio	466
Virginis & martyris comparatio	493
Concio de puero Ieſu	501
Epiſtola conſolatoria ad uirgines ſacras	508
Chriſtiani matrimonij inſtitutio	513
Vidua Chriſtiana	603
Eccleſiaſtes	643
Modus orandi Deum	917
Symbolum, ſiue Catechiſmus	945
Precationes	998
Pæan uirgini matri dicendus	1025
Oratio ad Mariam in rebus aduerſis	1030
De contemptu mundi	1034
De tædio & pauore Chriſti diſputatio	1057
De præparatione ad mortem	1082
Ode de caſa natalitia Ieſu	1103
Expoſtulatio Ieſu cum homine pereunte	1104
Hymni uarij	1106
Liturgia uirginis Lauretanæ	1110
Carmen uotiuum Genouefæ	1118
Commentarius in duos hymnos Prudentij, de natali & Epiphania pueri Ieſu	1121
Chriſtiani hominis inſtitutum carmine	1141
Epitaphia in Odiliam	1144

VD 16
E 1867

1245173 (N)
N. 4767459

SD 3445 III

1934.1256

ENCHIRIDION MILITIS CHRISTIANI SALVBERRIMIS PRAECEPTIS REFERTVM.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS AMICO CVIDAM AVLICO S. D.



FFLAGITASTI non mediocri studio, frater in domino dilectissime, ut tibi compendiariam quandam uiuendi rationem præscriberem, qua instructus, posses ad mentem Christo dignam peruenire. Ais enim te iampridem aulicæ uitæ pertæsum, hoc tecum agitare, quo pacto queas Aegyptum unà cũ suis & uitijs et delicijs effugere, ac Mose duce ad uirtutum iter feliciter accingi. Quo mihi charior es, hoc impensius gratulor tuo tam salutari proposito, quod spero, uel citra nostram operam fortunabit prouehetq; ipse, qui dignatus est excitare. Ego tamen nimis q; libens parui uel homini tam amico, uel tam pia postulanti. Tu modo annitere, ne uel ipse nostrum officium sine causa uideare flagitasse, uel ego sine fructu tuæ morem gessisse uoluntati. Immo uotis communibus benignum illum Iesu spiritum imploremus, ut & mihi scribenti suggerat salubria, & tibi ea reddat efficacia.

VIGILANDVM ESSE IN VITA

PRincipio etiã atq; etiam memineris oportet, nil aliud esse uitam mortalium, nisi perpetuam quandam militiam, teste Iob, milite longe tum exercitatissimo, tum inuictissimo: nimisq; falli uulgus hominum, quorum animos mundus hic præstigiator blandissimis ludibrijs tenet occupatos, qui perinde ac si iam debellatum sit intempestiuas agunt ferias: neq; prorsus aliter, quàm in certissima pace, mirum quanta uiuant securitate, quamque ocioſi in utranque dormiant aurem, cum sine fine tot ferratis uitiorum copijs oppugnemur, tot captemur artibus, tot appetamur insidijs. Ecce tibi superne in tuum exitium peruigiles excubant nequissimi dæmones, mille dolis, mille nocendi artibus in nos armati, qui mentes nostras telis igniferis, lethalíq; tinctis ueneno, moliuntur è sublimi configere, quibus quidem neque Herculi, neq; Cephalo fuit ullum iaculum certius, nisi impenetrabili fidei scuto excipiãtur. Tum rursus à dextra leuaq;, à fronte pariter atq; à tergo mundus hic nos oppugnat, qui iuxta Ioannis uocem, totus in uitijs est constitutus, eóque Christo tum infestus, tum etiam inuisus. Neque uero simplex oppugnandi ratio: interim enim rebus aduersis, uelut aperto Marte sæuiens, animi mœnia graui quatit ariete: interim ingentibus quidem, sed uanissimis promissis ad proditionem solicitat: interim actis oblique cuniculis, inexpectatus adrepit, ut inter oscitantes ac securos opprimat: Postremo inferne quoque lubricus ille anguis, primus pacis nostræ proditor, nunc in uirenti gramine concolor abditus, nunc in cauernis illis suis delitescens, centenis contortus uoluminibus, non desinit mulieris nostræ semel corruptæ calcaneis insidiari. Mulierem autem carnalem hominis partem intellige: Hæc est enim Eua nostra, per quam uersutissimus serpens, ad mortiferas uoluptates mentem nostram illectat. Porrò autem quasi parum sit, sic undique tantum hostium imminere, intus denique in ipsis animi penetralibus hostem ferimus plusquam familiarem, plusquam domesticum, quo ut nihil interius, ita nihil potest esse periculosius. Hic hic est uetus ille & terrenus Adam, consuetudine plusquam ciuis, studio plusquam hostis, quem neq; arcere uallo licet, neque castris exigere fas est. Hic nobis centenis est obseruandus oculis, ne forte Dei præsidiũ aperiat dęmonibus. Ergo cũ tã formidabili, tamq; difficili bello distringamur omnes, cumq; nobis res sit cum hostibus tam multis, tam in nostram perniciem iuratis atque deuotis, tam uigilantibus, tam armatis, tam perfidis, tam exercitatis: nos male sani, contra non arma capimus? non excubias agimus? non omnia suspecta habemus? Sed perinde ut in rebus bene pacatis, supini stertimus, cessamus, uoluptuamur, atque cuticulam (ut aiunt

Cap. 7
Præstigiæ mundi
Pax pax & non est pax
Hostes uarij è sublimi
Vicini
Varia oppugnandi uia
Hostes inferi
Mulier affectus
Hostis domesticus

iunt) curamus ocioſi. Neque omnino ſecus, quàm ſi iſta uita noſtra Græca ſit compotatio, non bellum, ita pro caſtris & pellibus, in cubilibus uolutamur. Pro duris armis, roſis & Adonidis delicijs redimimur, pro militaribus ſtudijs, luxu & ocio indulgemus, pro Martijs telis, citharam imbellem tractamus, quaſi uero non iſta pax bellum ſit omnium teterrimum. Etenim qui cum uitijs pacem iniit, cum Deo in baptiſmate percuſſum fœdus uiolauit. Et tu ueſane clamas pax pax, cum Deum habeas inimicum, qui ſolus & pax eſt, & pacis autor. Clareq; reclamat ipſe per os prophetæ, non eſt, inquiens, pax impijs. Neque enim prorſus alia eſt cum illo pacis conditio, niſi dum in hoc præſidio corporis militamus, odio capitali ſummaq; ui, cum uitijs belligeremur. Alioqui ſi cum is nobis conueniet, eum qui ſolus poteſt, amicus beare, inimicus perdere, bis hoſtem ſumus habituri, ſimul quod ab illis ſtamus, cum quibus ſolis nihil conuenit deo (quid enim conueniat luci cum tenebris?) ſimul quod ingratiſsimi, pactam illi fidem non præſtamus, & ſanctiſsimis ceremonijs ictum fœdus nepharie ſoluimus. An neſcis ò Chriſtiane miles, iam tum cum uiuifici lauacri myſterijs initiabaris, nomen dediſſe te duci Chriſto, cui bis uitam debebas, pariter & donatam & reſtitutam, cui pluſquam teipſum debebas? Non ſuccurrit te uerbis conceptis, in tam benigni imperatoris iuraſſe ſententiam, eius ſacramentis, ueluti donarijs authoratum, tuúmque ipſius Diris deuouiſſe caput, ſi minus pacto ſtares? Quorſum attinebat crucis characterem imprimi fronti tuæ, niſi ut quoad uiueres, ſub illius ſigno militares? Quorſum pertinebat ſacro illius perungi ceromate, niſi ut cum uitijs æternum luctamen ingredereris? Quantus pudor, quanta penè publica humani generis execratio, cum à duce principe deficit homo? Tu cur ludibrio habes Chriſtum ducem tuum? neque metu illius coercitus, cum ſit Deus, neque amore prohibitus, cum tua cauſa ſit homo? Cuius etiam uocabulum præ te ferens, admoneri debebas, quid illi promiſeris. Cur ad hoſtem, unde te ſemel precio ſanguinis ſui redemit, perfidus deſciſcis? cur bis transfuga in hoſtilibus caſtris meres? Qua fronte audes contra tum regem ſigna infeſta tollere, qui pro te uitam impendit? Nam qui pro illo non ſtat, ut dixit ipſe, contra illum ſtat, & qui cum illo non colligit, diſpergit. Meres autem non ſolum fœdo titulo, ſed etiam infeliciſsimo ſtipendio. Vis audire ſtipendium, tu quiſquis mundo militas? En tibi Paulus Chriſtianæ militiæ ſignifer reſpondet: Stipendium inquiens peccati mors. Quis uel ſpecioſam militiam ſuſcipiat, ſi mors propoſita ſit corporis? Tu uero tam fœdam toleras, animæ mortem mercedis loco reportaturus? In bellis iſtis inſanis, quæ cum hominibus homines, uel ferina rabie, uel certe miſera neceſſitate gerunt, nónne uides ſi quando militum animos, uel prædæ promiſſæ magnitudo, uel formidata uictoris crudelitas, uel opprobratæ pudor ignauiæ, uel laudum denique cupido ſtimulauit, quàm alacribus ſtudijs, quicquid eſt laboris exhauriant, quàm uilem habeant uitam, quanto ardore certatim in hoſtẽ aduerſum rapiantur? Et quantula, quæſo te, merces miſeris tanto diſcrimine, tantoq; ſtudio petitur? Nempe ut ab homunculo imperatore collaudati, militari fremitu, caſtrenſiq; atq; incondita cantiuncula celebrentur, ut corolla gramínea, aut quernis frondibus cingantur, ut peculij pluſculum domum referant. Nos contra, neque pudore, neque præmio accendimur, cum eundem habeamus noſtri certaminis ſpectatorem, quem habituri ſumus & remuneratorem. Quæ uero uictori præmia propoſuit noſter Agonothetes? profecto non tripodas, aut mulos, qualia apud Homerum Achilles, apud Maronem Aeneas, ſed quæ neque oculus uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, & hæc quidem interim ueluti laborum ſolatia impertit adhuc dimicantibus. Quid deinde? felicem immortalitatem. Sed in ludicris illis certaminibus, in quibus potiſsima præmij pars gloria eſt, & uicti ſua munera ſortiuntur: Nobis ſummo atque ancipiti periculo res geritur, neque de laude, ſed de capite certatur. Et ut ſumma merces propoſita gnauiter operam nauanti: ita ſumma decreta pœna deſertori. Cœlum promittitur ſtrenue pugnanti, & non incaleſcit generoſæ mentis uiuida uirtus, tam felicis præmij ſpe? Præſertim promiſsi autore illo, qui tam fallere non poteſt, quàm non eſſe nequit. Geruntur omnia ſub oculis cuncta contuentis dei, habemus uniuerſum cœli cœtum noſtri conflictus ſpectatorem, & non uel pudore accendimur? Collaudabit ille uirtutem noſtram, à quo probari ſuprema felicitas eſt. Quin hanc gloriam, uel uitæ diſpendio petimus? Ignauum pectus eſt, quod nullis præmijs excitatur.

Non eſt pax impijs

Symbola baptiſmi

Chriſtiani titulus

Luc. 11

citatur, at solent & ignauissimi malorum metu expergefieri. Et illic quidem hostis, ut sit uiolentissimus, in fortunas atque in corpus sæuit. Quid autem amplius in Hectorem potuit crudelissimus uictor Achilles? At hic sæuitur in immortalem tui partem. Neque cadauer tuum circum sepulchrum trahitur, sed corpus pariter atq; anima ad inferos demergitur. Illic extrema calamitas, ut animam à corpore uictor gladius auferat, hic ipsi animæ sua uita eripitur Deus. Naturæ est interire corpus, quod etiam si nullus occidat, tamen non emori non potest. At animam mori, infelicitatis extremæ est. Corpusculi uulnera quanta cautela depellimus, quanta solicitudine medemur, & animæ uulnera neglegimus? Corporis interitũ immane quantũ horremus, propterea quod oculis uideatur corporeis: Animã uero morientem quoniã nemo uidet, pauci credunt, paucissimi formidant, cum sit hęc mors illa morte tanto atrocior, quãto corpori pręstat anima, quanto anima deus. Vis tibi cõiecturas quasdam cõmonstrem, quibus animæ deprehẽdas uel morbum, uel interitum? Male concoquit stomachus, cibum non cõtinet: corporis morbum intelligis. Non tam panis cibus est corporis, q̃ animæ cibus uerbum Dei. Id si tibi amarum est, si nauseã sapit, quid adhuc dubitas, quin animę tuæ palatũ, morbo sit infectum? Si non continet, si non concoctum in uiscera trajicit, euidens habes argumentum ualetudinariam esse animam. Cum genua labant, & membra uix ægra trahuntur, corpus male habere cognoscis: & non colligis animi morbum, cum ad omnia pietatis officia languet, nauseatq;, cum ne leui quidem contumeliæ ferendæ robur suppetit, cum paululo pecuniolæ dispendio frangitur? Posteaquam oculos destituit uisus, ubi desierunt audire aures, posteaquam cõstupuit omne corpus, nemo dubitat, quin emigrarit anima. Tu cum habeas cordis oculos obscuratos, & euidentissimum lumen, quod est ueritas, non uideas, cum uocem diuinam internis auribus non percipias, cum omni prorsus sensu careas, uiuere credis animam? Vides fratrem indigna patientem, nihil commouetur animus, modo tua res sit incolumis. Cur nihil hic sentit anima? Nempe quia mortua. Quare mortua? Quia non adest illius uita, Deus. Siquidem ubi Deus, ibi charitas. Deus enim charitas est. Alioqui si uiuum es membrũ, cur ulla pars corporis dolet, te nõ modo non dolente, uerum ne sentiente quidem. Accipe signum, non paulo etiam certius. Defraudasti amicum, commisisti adulterium, capitale uulnus accepit anima, & tamen adeo tibi non dolet, ut etiam quasi de lucro gaudeas, iactesq;, quod turpiter admisisti. Certum habe mortuam iacere animam. Non uiuit corpus, si punctionem aciculæ non sentiat, & uiuet anima, quæ tanti uulneris sensu uacat? Audis quempiam sermones impios, tumidos, maledicos, impudicos, obscœnos proferentem, uerbis rabiosis in proximum debachantem, caue putes isti homini uiuam esse animam, Iacet in sepulchro pectoris putre cadauer, unde eiusmodi fœtores exhalantur, & proximum quenque inficiunt. Christus Pharisæos sepulchra dealbata uocat. Quid ita? Nempe quia mortuam animam secum circumferebant. Et regius ille propheta: Sepulchrum, inquit, patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant. piorum corpora templa sunt spiritussancti. Impiorum, sepulchra cadauerum, ut potissimum in eos quadret illa grammaticorum etymologia σῶμα quasi σῆμα. Sepulchrum pectus, guttur & os, hiatus sepulchri. Neque ullum corpus mortuum tam est destitutum anima, quàm mortua est anima relicta à Deo. Neq; ullum corporeum cadauer sic obolet naribus hominum, ut fœtor animæ sepultæ iam quadriduum offendit nares diuinas omnium cœlitum. Ergo cum uerba mortua proficiscuntur è pectore, cadauer intus cubet necesse est. Nam cum iuxta uocem Euangelicam, ex abundantia cordis os loquatur, nimirum uiua uerba Dei loqueretur, si illic adesset uita Deus. Contrà in Euangelicis literis Christo dicunt discipuli: Domine quò ibimus? uerba uitæ habes. Cur ita tandem uerba uitæ? Nempe quod ab ea manarent anima, à qua nunquam uel momento discesserat diuinitas, quæ & nos uitæ restituit immortali. Sed ægrotanti corpori paulo succurrit medicus. Corpus exanime non raro reuocarunt ad uitam & homines pij. Animam uero mortuam, non nisi singulari gratuitaq; uirtute resuscitat Deus, ac ne resuscitat quidem, si mortua corpus reliquerit. Tum corporeæ mortis aut nullus aut certe breuissimus est sensus, animæ sempiternus. Et cum alioqui plus quàm mortua sit, tamen ad mortis sensum quodammodo est immortalis. Proinde cum tam no-

Languor animæ

Mors quid agat

Cadauer animæ

Remedia

uo periculo nobis sit dimicandum, quis ille stupor, quæ securitas, quæ supinitas animi nostri, quem tanti mali metus non acuit? At è diuerso nihil est quod te uel periculi magnitudo, uel hostium copiæ, uires, artes, consternent animo. Succurrit quàm grauem habeas aduersarium, succurrat è regione, quàm præsentem habeas opitulatorem. Innumerabiles aduersum te, sed qui pro te stat, unus plus potest omnibus. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si ille sustinet, quis deijciet? Tu modo uictoriæ uotum toto pectore concipe. In mentem ueniat, non tibi cum integro hoste rem esse, sed cum eo qui iam olim fractus, fusus, exutus, atque adeo triumphatus sit à nobis, sed in Christo capite nostro, à quo procul dubio uicissim uincetur & in nobis. Tu modo cura ut sis in corpore, & omnia poteris in capite. In teipso quidem nimis es imbecillis, in illo nihil non uales. Proinde ne anceps quidem est nostri Martis exitus, propterea quod neutiquam à fortuna pendeat uictoria, sed ea omnis in manu sita sit Dei, ac per eum nostris quoque in manibus. Nemo hic non uicit, nisi qui uincere noluit. Auxiliatoris benignitas nulli defuit unquam: si caueris ne benignitati illius desis ipse, uicisti. Pro te pugnabit, & liberalitatem suam tibi pro merito imputabit. Victoriam omnem illi feras acceptam oportet, qui primus & solus à peccato immunis, peccati tyrannidem oppressit, uerum ea
Ioan. 16 tibi non sine tua continget industria. Nam qui dixit, confidite, quia ego uici mundum: magno te uult animo esse, non securo. Ita demum per illum uincemus, si illius exemplo pugnabimus. Quare sic inter Scyllam Charibdim que medius quidam cursus est obtinendus, ut neq; diuina gratia fretus, securius agas atq; solutius, neq; belli difficultatibus exanimatus, animum simul cum armis abijcias.

DE ARMIS MILITIAE CHRISTIANAE

ATq; illud in primis arbitror ad huius militiæ disciplinam pertinere, ut quàm maxime cognitum, meditatumq; habeas, quo potissimum armorum genere, quibus cum hostibus oporteat congredi. Tum ut ea semper in expedito habeas, ne quando possit insidiator ille uersutissimus, inermẽ opprimere atq; inopinantem. In uestris bellis non
Nunq̃ cessandũ Christiano raro licet interquiescere, uel cum hybernat hostis, uel cum intercedunt inducíæ. Nobis donec in hoc corpore militamus, ne digitum quidem, ut aiunt, transuersum licet ab armis discedere. Nunquam non standum pro castris, nunquam non excubandum, quia nunquam cessat hostis noster. Imò cum tranquillus est, cum fugam aut inducias simulat, tum uel maxime molitur insidias, neq; unquam cautius excubias oportet agere, quàm cum pacis speciem exhibet, nunquam minus trepidandum, quàm cum aperto Marte nos adoritur. Ergo prima cura sit, ne inermis sit animus. Armamus corpusculum hoc, ne timeamus sicam latronis, non armabimus mentem, ut in tuto sit? Armati sunt hostes ut perdant, nos piget arma capere ne pereamus? Vigilant illi ut perimant, nos non uigilamus, quo simus incolumes? Sed de armatura Christiana speciatim suo loco dicetur. Interim, ut summatim dicam, duo prę cipue paranda sunt arma ei, cui sit cum septem illis gentibus, Chananæo, Cetheo, Amorreo, Pherezeo, Gergezeo, Eueo, Iebuseo, hoc est, cum uniuersa uitiorum cohorte pugnandum, quorum septem capitalia potissimum numerantur, precatio, & scientia. Semper armatos esse uult Paulus, qui sine intermissione iubet orare. Precatio pura in cœlum subducit affectum, arcem uidelicet hostibus inaccessam. Scientia salutaribus opinionibus communit intellectum, ita ut neutram alteri deesse oporteat. Alterius sic altera poscit opem res, & coniurat amicæ. Illa quidem exorat, sed
Horatius hæc suggerit quid sit orandum: ut ardenter ores, &, iuxta Iacobum, nihil hæsitans, fides spesq; præstant: ut in nomine Iesu, id est, salutaria petas, scientia commonstrat. Audierunt & filij Zebedæi à Christo, nescitis quid petatis. Sed precatio quidem potior, ut quę cum deo sermones misceat, at scientia non minus necessaria tamen. Aegypto profugus, nescio an satis tuto te tam longo, tamq; difficili itineri cõmissurus sis, nisi duobus his ducibus, Mose & Aaron. Aaron sacris præfectus, precationis gerit typum. Moyses legis cognitionem significat. Sed ut scientiam oportet nõ esse mancam, ita precationem non conuenit esse ignauam. Precationis armis pugnat cum hostibus Moyses, sed manibus in altum sublatis. Quas simul atque demiserat, fit inferior Israel. Tu fortasse cum oras, hoc modo spectas, quantum psalmorum permurmuraris, & multiloquium orandi uirtutem arbitra-

arbitraris. Quod uitium potissimum est eorum, qui adhuc in litera sunt infantes, neq; ad spiritus maturitatem adoleuerunt. Sed audi quid apud Matthęum nos doceat Christus: Orantes autem, inquiens, nolite multum loqui, sicut Ethnici faciũt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur: nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater uester, quid opus sit uobis, antequam petatis eum. Et Paulus decem milia uerborum in spiritu, hoc est, o- 1.Cor.14
retenus pronuncianda contemnit præ quinq; in sensu proferendis. Moyses nullam edebat uocem, & tamen audiebat, quid clamas ad me? Non strepitus ille labiorum, sed ardens animi uotum, tanquam intentissima quæpiam uox ferit aures diuinas. Tum igitur *Allegoria Mosi*
hoc tibi familiare facias, simul atq; ingruerit hostis, ubi te relicta uitia solicitant, ut statim mentem cum certa fiducia ad cœlum erigas, unde ueniet auxilium tibi, sed eodem tollantur & manus. Tutissimum est pietatis officijs occupari, ut opera tua non ad terrena studia, sed ad Christum referantur. Sed ne scientiæ subsidia contemnas, illud considera. Antea satis erat Israel hostem effugere, at non prius sibi fidit, ut Amalechiten prouocet, ut cominus experiatur, quàm esset manna cœlesti, & aqua de petra scatente refectus. His epulis confirmatus egregius ille bellator Dauid, uniuersam hostium cohortem contemnit. Parasti, inquiens, in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant nos. Crede mihi frater animo meo charissime, nulla tam uehemens hostium impressio, id est, nulla tam ualida tentatio, quam ardens sacrarum literarum studium non facile retundat, nulla tam tristis aduersitas, quam non reddat tolerabilem. Atqui ne uidear audaculus interpres (quanquam possem me magnis autoribus tueri) quid aptius arcanæ legis scientiam adumbrare queat, quàm manna? principio enim quòd non è terra prouenit, sed *Allegoria de manna*
cœlitus depluit, discrimen uides inter humanas & diuinas literas: omnis enim scriptura sancta diuinitus est inspirata, atq; à deo autore profecta. Quod minutum, sermonis est humilitas, sub uerbis penè sordidis, ingentia mysteria claudentis. Quod candidum: Nulla mortalium doctrina est, quæ non sit aliquo nigrore erroris uitiata: Sola Christi doctrina tota niuea, tota candida, tota syncera est. Quod rigidulum est atque subasperum, mysterium litera obtectum exprimit. Superficiem et quasi siliquam si quis attrectet, quid durius atque insuauius? Non nisi tunicam manna gustauerant, qui dicebant: Durus est Ioan.6
hic sermo, & quis potest eum audire? Erue sensum spiritalem, iam nihil suauius, nihil succulentius. Denique manna Hebræis sonat, quid est hoc, quod & ipsum pulchre quadrat in diuinam scripturam, quæ nihil habet ociosum, imò ne apicem quidem non dignum uestigatione, non dignum admiratione, non dignum uoce, quid est hoc. Aquarum uero nomine, scientiam diuinæ legis significare familiare est spirituisancto. Legis aquas refe- *Allegoria de aquis*
ctionis, super quas se gloriatur educatum Dauid, legis aquas, quas sapientia deriuat in capita uiarum omnium, legis flumen illud mysticum, in quod ingressus Ezechiel, uado *Ezech. 47*
transire non poterat: legis puteos quos foderat Abraham, quos terra oppletos à Philistæis, denuo restituit Isaac. Legis fontes duodecim, ad quos peragratis quadraginta man- *Gen.26*
sionibus, iam fatiscentes respirant Israelitæ. Legis & in Euangelio puteum, super quem *Exod.15*
itinere fessus assedit Iesus, Legis aquas Siloe, ad quas idem mittit cæcum, ut uisum recipiat. Legis aquam in peluim missam, abluendis Apostolorum pedibus. Et ne singula recenseam hoc significatu, frequens mentio est in arcanis literis puteorum, fontium, flumi- *Ioan.9.& 4*
num, qua nobis nihil aliud quàm mysticæ scripturæ diligens uestigatio commendatur. Quid enim aqua in terræ uenis abdita, nisi mysterium obductum litera? Quid eadem ad scatebram elicita, nisi mysterium erutum atque explanatum? quod ubi ad auditorum ædificationem, longe latéque propagatur, quid iam prohibet flumen appellare? Ergo si te totum studio scripturarum dedicabis, si in lege domini meditaberis die ac nocte, non timebis à timore nocturno, siue diurno, sed ad omnem hostium insultum munitus atque exercitatus eris. Neque equidem usquequaque improbauerim ad hanc militiam, uelut tyrocinio quodam præludere in literis poetarum, & philosophorum gentilium, modo modice ac per ętatẽ quis eas attingat, & quasi in transcursu arripiat, nõ aũt immoretur, & ueluti ad scopulos Sirenęos cõsenescat. Nã ad hæc quoq; studia uocat diuus Basilius adolescẽtulos, quos ad Christianos mores instituit: & ad Musas reuocat Licentiũ suũ noster Augustinus. Neq; pœnitet adamatę captiuę Hieronymum. Laudatur Cyprianus, quod

Aegyptijs ſpolijs templum Domini locupletarit. Verum nolim te cum gentilium literis, gentilium & mores haurire. Alioqui permulta reperies & illic ad recte uiuẽdum conducibilia: neq; aſpernandum, quod etiam Ethnicus autor bene monet, quandoquidem
Exod. 18 nec Moyſes Iethro ſoceri conſilium eſt aſpernatus. Fingunt illæ literæ uegetantq; puerile ingenium, atq; ad diuinarum ſcripturarum cognitionem mire præparant, ad quas ilico pedibus manibuſq; illotis irrumpere, pene ſacrilegij genus eſt. Hieronymus eorum impudentiam taxat, qui modo à ſecularibus ſtudijs profecti, audent diuinas tractare ſcripturas. At quanto faciunt impudentius, qui ne guſtatis quidem illis, iſtuc ipſum audent. Sed uti diuina ſcriptura non multum habet fructus, ſi in litera perſiſtas hæreaſq; Ita non
Poetæ quomodo legendi. parum utilis eſt Homerica Vergiliana q; poeſis, ſi memineris eam totam eſſe allegoricam: Id quod nemo negabit, qui modo ueterum eruditionem, uel ſummis labijs deguſtarit. Obſcœnos autem poetas, ſuaſerim omnino non attingere, aut certe non introſpicere penitius, niſi forte noueris deſcripta magis horrere uitia, & contentione turpium,
Philoſophia uehementius amare honeſta. E philoſophis autem Platonicos te ſequi malim, propterea, quod cum pleriſq; ſententijs, tum ipſo dicendi charactere, quàm proxime ad propheticam Euangelicamq; figuram accedunt. Breuiter omnem ethnicam literaturam delibare profuerit, ſi quidem id fiat, ut dixi, & annis idoneis, & modice, tum cautim & cum delectu: deinde curſim, & peregrinantis non habitantis more: poſtremo, quod eſt præcipuum, ſi omnia ad Chriſtum referantur. Sic enim mundis omnia munda ſunt, cum immun
Cant. 6 dis contra nihil ſit mundum. Neq; uitio tibi uertetur, ſi Salomonis exemplo, ſexaginta reginas, octoginta concubinas, & innumerabiles ſecularis ſapientiæ puellas domi alas,
Deut. 21 modò diuina ſapientia præter cæteras ſit unica tua, formoſa tua, columba tua. Et Iſraelites amat alienigenam barbaramq;, forma captus, ſed capillis deraſis, unguibus præſectis, ex allophyla facit Iſraelitidem. Et Oſee fornicariam ducit, uerum ex ea liberos tol-
Oſeæ 1 lit non ſibi, ſed domino Sabaoth, ſanctúmque prophetæ ſtuprum dominicam auget familiam. Hebræi poſteaquàm Aegyptum reliquerant, aliquandiu conſperſo uiuebant, ſed hic cibus temporarius erat, neq; ad tantam profectionem poterat ſuppetere. Ergo eo mox faſtidito, ad manna quantum poteſt properandum cœleſtis ſapientiæ, quæ te affatim alet animabitq;, donec propoſiti uictor peruenias ad palmas illas præmij, nunquam deſituri. Sed interim etiam atq; etiam memineris, non oportere niſi lotis manibus, hoc eſt, ſumma animi puritate tractari diuinas literas, ne tibi antidotus tuo uitio uertatur in uenenum, & manna tibi putreſcat, niſi in uiſcera affectus traieceris: eueniat autem quod
1. Par. 13 illi Oziæ, qui non ueritus eſt arcæ nutanti prophanas admoliri manus, & improbum officium ſubita morte luit. Primum eſt ut de eis literis digna ſentias. Oracula mera (ut ſunt) eſſe puta, de diuinæ mentis adyto profecta. Afflari te numine, affici, rapi, transfigurari ineffabili modo ſenties, ſi religioſe, ſi cum ueneratione, ſi humiliter adieris. Videbis ſponſi beati delicias, uidebis opes ditiſſimi Solomonis, uidebis abditos theſauros æternæ ſa-
Fides ſcripturæ diuinæ pientiæ. Sed caue improbe irrumpas in conclaue, humile eſt oſtium, uide ne capite impingas ac reſilias. Sic porrò exiſtima, nihil tam uerum eſſe eorum quæ uides oculis, quæ manibus contrectas, quàm quæ ibi legis. Vt cœlum, ut terra intereant, certe de uerbis diuinis ne unum quidem iota aut apiculus interiturus eſt, quin omnia fiant. Vt mentian-
Theologi interpretes tur, ut errent homines, ueritas Dei neq; fallit, neque fallitur. Ex interpretibus diuinæ ſcripturæ eos potiſſimum delige, qui à litera quàm maxime recedunt. Cuiuſmodi ſunt in primis poſt Paulum Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Video enim neotericos theologos literæ nimium libenter inhærere, & captioſis quibuſdam argutijs, magis
Scotiſtæ quàm eruendis myſterijs operã dare, quaſi uero non uere dixerit Paulus, legem noſtram ſpiritualem eſſe. Audiui ego nonnullos, qui ſibi uſq; adeo humanis illis commentatiunculis placebãt, ut ueterum interpretamenta penè pro ſomnijs contẽnerent, tantumq; illis fiduciæ Scotus faciebat, ut ne lectis quidem unquã ſacris literis, ſe tamen abſolutos theologos putarent. Qui etiã ſi argutiſſima dicãt, an ſpiritu ſancto digna dixerint, aliorum eſto iudicium. Tu ſi mauis ſpiritu eſſe uegetior, q̃ ad contentionem inſtructior, ſi ſaginam animæ quęris, magis q̃ ingenij pruritũ, ueteres potiſſimũ euolue, quorũ & pietas ſpectatior, & eruditio uberior antiquiorq;, & oratio neq; ieiuna neq; ſordida, & interpretatio ſacris

myſterijs

mysterijs accõmodatior. Neq; uero hoc dixerim, quod Neotericos contemnã, sed quod utiliora præferam tuóque proposito conducibiliora. Habet autem spiritus ille diuinus suam quandam linguam, suasq; figuras, quæ tibi sunt in primis diligenti obseruatione cognoscendæ. Balbutit nobis diuina sapientia, & ueluti mater quæpiam officiosa, ad nostram infantiam uoces accommodat. Lac porrigit infantulis in Christo, holus infirmis. Tu uero festina adolescere, & ad solidum propera cibum. Demittit illa sese ad tuam humilitatem, at tu contra ad illius sublimitatem assurge. Monstri simile est, semper infantem esse, nimis ignauum, non desinere esse infirmum. Magis sapiet, magis pascet, unius uersiculi meditatio, si rupta siliqua medullam erueris, quàm uniuersum Psalterium ad literam tantum decantatum. Quod quidem ego hoc diligentius admoneo, quod re ipsa cognitum habeam, errorem hunc non uulgi modo animos passim occupasse, sed & eorum qui uestitu & nomine perfectam religionem profitentur, ut putent summam pietatem hac una in re sitam, si quàm plurimum psalmorum uix etiam ad literam intellectorum, quotidie percenseant: neque aliud in causa esse iudico quod uideamus monasticam pietatem sic ubique frigere, languere, euanescere, quàm quod in litera consenescunt, neque ad spiritalem scripturarum cognitionem elaborant. Neque audiunt Christum in Euangelio clamantem: Caro non prodest quicquam, Spiritus est qui uiuificat: Non Paulum magistro astruentem, litera occidit, spiritus est qui uiuificat. Et scimus quoniam lex spiritualis est, non carnalis. Et spiritalibus spiritualia comparanda. Olim in monte, nunc in spiritu uult adorari pater spirituum. Quanquàm haud aspernor eorum imbecillitatem, qui mentis inopia quod unum possunt faciunt, mysticos psalmos simplici purá/que fide pronunciantes. Immò quemadmodum in precaminibus magicis uoces quædam ne ab ijs quidem qui eas pronunciant intellectæ, efficaces tamen esse creduntur: Ita diuina uerba quanquam parum cognita, tamen prodesse credendum est, ijs, à quibus syncera fide, puróque affectu uel dicuntur, uel audiuntur: Angeló sque qui adsunt, atque intelligunt, ad opem ferendam inuitari. Neque uero Paulus contemnit eos, qui spiritu psallunt, uel qui linguis loquuntur, sed ad sectanda charismata meliora hortatur. Ad quæ si cui non contigit eniti uitio non animi, sed naturæ, certe non obstrepat ijs, qui potiora conantur. Et iuxta Pauli uocem, qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Te uero qui ingenio tam felici prędítus es, omnino nolim in sterili litera lentum esse, sed ad recondítiora mysteria festinare, & improbum conatum industriæ, crebris precibus adiuuare, donec aperiat tibi librum septem signaculis obsignatum is qui habet clauẽ Dauid, qui claudit, & nemo aperit, arcana patris, quæ nemo nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Sed quo nam nostra delabitur oratio? Propositum erat, ut tibi uitæ, non studij formam præscriberemus: uerum huc deflexímus, dum tibi conamur officinam idoneam commonstrare, unde debeas nouæ militiæ tuæ noua arma petere. Ergo ut ad institutum reuertamur, si ex libris gentilium optima quæque decerpseris, atque apiculæ exemplo, per omnes ueterum hortulos circumuolitans præteritis uenenis, succum modo salutarem ac generosum exuxeris, animum tuum ad communem quidem uitam, quam ethicam uocant, reddideris non paulo armatiorem. Sunt enim profecto & illorum Palladi sua quædam arma neutiquam contemnenda. Christi autem esse puta, quicquid usquam ueri offenderis. Verum diuina illa & ut (ut Poëtæ loquuntur) Vulcania panoplia, nullo telo uiolabilis, non nisi ex arcanarum literarum armamentario depromitur: In quo Dauid noster Imperator, uniuersum belli apparatum suis militibus reposuit, quibus cominus, eminúsque pugnent cum præputiatis Philistheis. His armis neque Achilles Homericus tectus erat, & si fingitur, neque Aeneas Vergilianus, quorum alter ira, alter amore, tam turpiter uincebatur. Neque absurde dictum, quod ea non in humanis officinis excuduntur, sed in ea quæ Vulcano est cum Minerua communis. Nam Mineruam artibus atque ingenijs, Vulcanum igni præficiunt, deorum figuli Poetæ. Id quod ego tum demum uere fieri existimo, cum uidelicet honestis artibus excultum ingenium, sic diuini amoris ignis commu/nit, ut etiam si fractus illabatur orbis, impauidum ferianr ruinæ. Sed ante superbi Saulis arma reijcias oportet, quæ magis oneri sunt quàm usui, & cum Goliad congressurum Dauid grauant non iuuant. Deinde de ripa torrentis mysticæ scripturæ, quinq; colligas

Sermo scripturæ sacræ

Ioan. 4

1. Cor. 12

Poetæ figuli deorum

lapillulos

lapillulos (quæ forte quinq; sunt uerba Pauli, qui loquitur in sensu) Postremo fundibula dextram armes. His demum armis prosternitur unicus ille noster hostis, superbiæ pater, Satanas. Quem & caput nostrum Iesus, quomodo tandem deuicit? Nónne cum tentanti diuinæ scripturæ uerbis respondet, quasi petitis de torrente lapillis, frõtem inimici per-
Sapien.5 cussit? Vis autem audire Christianæ Palladis arma? Et accipiet (inquit) armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum, induet pro thorace Iusticiam, & ac-
Esa.59 cipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem diram iram in lãceam. Legis & apud Esaiam, Indutus est iustícia ut lorica, & galea salutis in capite eius. Indutus est uestimentis ultionis, & opertus est, quasi pallio zeli. Iam si libet
1.Cor.10 Pauli non instrenui ducis adire promptuariũ, nimirum inuenies & illic arma nostræ militiæ, non carnalia, sed potentia deo, ad destructionem munitionũ, cogitationes destruentia, et omnem altitudinem extollentem se aduersus sciẽtiam dei. Inuenies armaturam dei, qua possis resistere in die malo. Inuenies arma Iusticię à dextris & à sinistris. Inuenies late rum munimentum, ueritatem, & loricã iusticiæ, scutum fidei, in quo possis uniuersa maligni tela ignea extinguere, Inuenies & galeam salutis, & gladiũ spiritus, quod est uerbum dei. Quibus omnibus si quis erit diligenter tectus, atq; munitus, is deniq; poterit animo-
Roma.8 sam illam Pauli uocem intrepidus emittere. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? uide quantos hostes, quàm omnibus formidatos ipse pro nihilo ducat. Sed audi quiddã etiam fortius. nam sequitur. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instãtia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, po-
1.Cor.4 terit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. O felicem fiduciam, quam præstant Paulo, id est, pusillo homini, arma lucis, qui se etiam proiectamentum huius mundi appellat. Talis igitur armaturæ uim, sacræ literæ tibi suppeditabunt, si toto pectore in eis uersaberis. ita ut nostris monitis nihil sit opus futurum. Sed quoniam tu ita uis, ne tibi nõ
Enchiridion quid morigeri fuisse uideamur: enchiridion, hoc est, pugiunculum modo quẽdam excudimus, quem nunquam de manu deponas, ne in cõuiuio quidem, aut in cubiculo: ut etiã si quando cogeris in huius mundi negocijs peregrinari, iustamq; istam armaturã grauaberis circumferre, non committas tamen, ut ullo momento insidiator ille opprimat te prorsus exarmatum, saltemq; nõ pigeat hunc gladiolũ tecum habere, qui neq; onerosus erit gestatu, neq; inutilis ad tutelam. Est enim perpusillus, quo tamen si adhibita fidei parmula, scite uteris, facile sustinebis tumultuarium hostis assultũ, ne quod letale uulnus accipias. Sed iam tempus est, ut utendi rationem quandam experiamur tradere, quam si tu diligenter ad exercitationem accommodabis, fore confido, ut te uictorẽ imperator noster Christus,
Transitio ex hoc præsidio, in suam ciuitatem Hierusalem transferat ouantẽ, ubi nullus omnino belli tumultus, sed pax immortalis ac perfecta tranquillitas, cum interim omnis spes salutis in ferro sita sit.

CAPVT ESSE SAPIENTIAE, VT TEMETIPSVM NORIS, deq; duplici sapientia, falsa & uera.

PAx igitur summum illud est bonum, ad quam omnia sua studia, mundi quoq; amatores referunt, sed falsam, ut dictum est. Eandem & philosophi suorum dogmatum sectatoribus falso pollicebantur. Christus enim unus eam donat, quam mundus nõ potest
Ioan.14 dare. Ad hanc perueniendi una ratio est, si cum nobis ipsis bellum geramus, si cũ uitijs nostris acriter depugnemus. Cum his enim hostibus implacabili odio dissidet deus pax nostra, cum natura sit uirtus ipsa, uirtutumq; omnium parens & autor. Atq; ex omnium uitiorum genere contracta colluuies, à Stoicis fortissimis assertoribus uirtutis, stultitia uocatur, in nostris literis malicia dicitur. Itidem ut omnibus suis numeris absoluta probitas, utriscq; sapientia nominatur. Maliciam autem nonne (iuxta Sapientis oraculum) uincit sapientia? Malicię pater atq; princeps est, rector ille tenebrarum Belial, cuius ductum quisquis sequitur, in nocte ambulans, ad noctem properat æternam. Contra sapientiæ autor, atq; ipsa adeo sapientia Christus Iesus, qui uerum est lumen, stultitiæ mundanæ noctem solus discutiens, splendor paternæ gloriæ, qui nobis in se renatis, uti factus est redemptio atq; iustificatio, teste Paulo, ita factus est & sapientia. Nos, inquit, prædicamus Christum

crucifixum

crucifixum,Iudæis quidem ſcandalum,gentibus autem ſtultitiam,ipſis autem uocatis Iudæis atq; Græcis,Chriſtum dei uirtutem,ac dei ſapiẽtiam:per quam ipſius exemplo,nos quoq; de hoſte malicia triumphum referre queamus,ſi modo in eo ſapuerimus,in quo & uincemus.Hanc tu contempta ſeculi ſapientia amplectere, quæ mendaciſſimo titulo ſeſe uenditat ſtultis,cum iuxta Paulum,nulla uerior ſit ſtultitia apud deum quàm terrena ſapientia,dediſcenda ei qui uere cupiat ſapere.Si quis uidetur (inquiens) inter uos ſapiẽs eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud deum. Et paulo ſuperius.Scriptum eſt enim,Perdam ſapientiã ſapientium, & prudentiã prudentium reprobabo. Vbi ſapiens?ubi ſcriba?ubi inquiſitor huius ſeculi? Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiã huius mundi? Nec dubito quin iam nunc odioſe tibi obſtrepant ſtulti iſti ſapientes,& cæci cæcorum duces,delirare te,deſipere,inſanire clamitãtes, quod ad Chriſtum pares deſciſcere.Hi ſunt nomine duntaxat Chriſtiani,cæterũ doctrinę Chriſti tum irriſores,tum oppugnatores. Vide ne quid iſtorum blateramenta te permoueant, quorum miſeranda cæcitas,deploranda potius quàm imitanda.Quod eſt enim iſtud præpoſterum ſapientiæ genus,in rebus nugatorijs nihilicq;,imò ad turpitudinem tantum eſſe catum & callidum,in ijs uero quæ ſola ad ſalutem noſtram pertinent, non ita multo plus pecude ſapere? Paulus uult nos eſſe ſapientes,ſed in bono,ſimplices autẽ in malo. Sapiũt iſti ut inique agant,bene autem facere neſciunt.Et cum facũdus ille Poeta Græcus,ad nihil utilem hominem cenſeat, qui neq; ipſe per ſe ſapiat, neq; bene monenti obtemperet, qua tandem in claſſe ponentur iſti,qui cum turpiſsime deſipiant, tamen non deſinũt obturbare,ridere,deterrere eos,qui iam reſipuerunt? Verum irriſor nónne irridebitur? Qui habitat in cœlis,uiciſsim irridebit eos,& dominus ſubſannabit eos. Legis in libro ſapientiæ, Videbũt enim,& contemnẽt eum,illos autẽ deus irridebit. Ab improbis rideri, penè laudari eſt,certe religioſum,capitis noſtri & Apoſtolorũ æmulos fieri. At horrendũ profecto,à deo irrideri.Ego quoq;,inquit Sapientia,in interitu ueſtro ridebo,& ſubſannabo, cum uobis id quod timebatis,aduenerit,uidelicet,cum ſero iam experrecti,dicẽt,Hi ſunt quos aliquãdo habuimus in deriſum,& in ſimilitudinem improperij.Nos inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniã,& finem ſine honore. Animalis iſta,& ut Iacobus ait, diabolica eſt ſapientia,ac deo inimica, cuius finis interitus, quippe quam ſemper aſſectatur pediſſequa peſtilens arrogantia,arrogantiam animi cæcitas,cæcitatem affectuum tyrannis,affectuum tyrannidem uniuerſa uitiorum ſeges,& licentia quiduis peccandi,licẽtiam iſtam ſequitur conſuetudo,conſuetudinẽ infeliciſsimus animi ſtupor, quo fit, ut & mali ſenſu careant:ſtupẽtes mors occupat corporis,quã mors excipit ſecunda. Vides ut ſummi mali mater eſt,mundi ſapientia. De Chriſti uero ſapientia,quam mundus ſtultitiã putat,ita legis. Venerunt autẽ mihi pariter omnia bona cum illa,& innumerabilis honeſtas per manus illius,& lætatus ſum in omnibus,quoniã antecedebat me iſta ſapiẽtia, & ignorabam,quoniam bonorũ omniũ mater eſt.Hæc enim modeſtiam & manſuetudinẽ comitem ducit. Manſuetudo nos diuini ſpiritus reddit capaces. Super humilẽ enim & mãſuetum gaudet requieſcere,qui ſimul atq; ſepteno illo chriſmate mentẽ noſtrã imbuerit, tum demum pullulaſcit felix illa ſeges uirtutum omniũ,cum fructibus illis beatis,quorũ præcipuus,gaudium internum,gaudium arcanũ,gaudium ſolis ijs cognitum,quibus cõtigit, quod denicq; cum mundi gaudijs nec euaneſcit, nec aufertur, ſed cumulatur in gaudium æternum.Eam mi frater,& iuxta Iacobi monita,ardentiſſimis uotis oportet à deo poſtulare,& iuxta Sapientem quẽdam,è diuinæ ſcripturæ uenis,ueluti theſauros effodere. Caput autẽ huius ſapiẽtiæ eſſe puta,ut temetipſum noris,quod uerbi è cœlo profectũ credidit antiquitas,& magnis autorib.uſq;adeo placuit,ut in eo omnẽ ſapiẽtię uim ſummatim cõtineri iudicauerint.Sed leue põdus huius dogmatis apud nos ſit,niſi congruit cũ literis noſtris.Minatur ſpõſæ ſuæ myſticus ille amator in Cãticis,ac foras abire iubet,niſi ſemet cognorit.Si ignoras te ó pulchra inter mulieres,egredere,& abi poſt ueſtigia gregũ tuorum.Proinde ne quiuis ſibi temere rem tantã arroget,ut ipſi ſibi ſatis ſit cognitus. Corpus ſuum haud ſcio an quiſquã ad plenum norit,& mentis habitũ cognoſcet quilibet. Paulus cui contigerat uel tertij cœli myſteria diſcere,ſemetipſum tamen non audet iudicare,auſurus utiq;,ſi ſibi ſat eſſet notus. Si homo tam ſpiritalis, qui omnia dijudicat, iudicandus à nemine,ſibi adhuc parũ perſpicuus erat,nos carnales quid cõfidimus? Porrò miles nimis

Heſiodus

Eſa.11

Dona ſpiritus

Prouerb.2

inutilis

inutilis uideatur, cui neq; ſuæ copiæ, neq; hoſtium cohortes ſatis habeantur cognitæ. At homini non cum homine, uerum ſecum ipſi bellum eſt, atq; adeo ex ipſis uiſceribus hoſtilis acies nobis ultro ſuppullulat, quemadmodum de terrigenis fratribus Poetæ fabulantur. Vſqueadeo autem tenui diſcrimine ab hoſte diſtat amicus, ut ingens periculum ſit, ne parum cauti, uel inimicum pro amico tueamur, uel amicũ pro hoſte lædamus. Hæret etiam in angelo lucis dux ille egregius. Noſter es, inquiẽs, an aduerſariorum? Ergo quoniam tecum ipſe bellum ſuſcepiſti, & in hoc primo uictoriæ ſpes ſita eſt, ſi tute tibi ſis cẽq; maxime cognitus, ſimulachrum quoddam tui, tibi uelut in tabula proponam, ut quid intus, quid in cute ſis, planè pernoſcas.

Gigãtes è terra nati

Ioſue 5

DE HOMINE EXTERIORE ET INTERIORE.

Homo ex diuerſiſsimis cõpactus

EST igitur homo prodigioſum quoddam animal, ex duabus tribuſue partibus multo diuerſiſsimis compactum, ex anima ueluti numine quodam & corpore tanq; muta pecude. Siquidem corpore uſq; adeo reliquo brutorum generi non præſtamus, ut omnibus eius dotibus inueniamur inferiores. Secũdum animam uero, adeo diuinitatis ſumus capaces, ut ipſas etiam angelicas mentes liceat præteruolare, & unum cum deo fieri. Si tibi corpus additum non fuiſſet, numen eras: ſi mens iſta non fuiſſet indita, pecus eras. Has duas naturas tam inter ſe diuerſas ſummus ille opifex felici concordia colligarat, at ſerpens pacis inimicus, infelici rurſus diſcordia diſſecuit, ut iam neq; dirimi queant ſine maximo cruciatu, neq; coniunctim uiuere ſine aſsiduo bello, planeq; (quod dici ſolet) utrunq; in altero auribus lupum tenet, poſſetq; mutuo competere uerſiculus ille lepidiſsimus. Nec tecum poſſum uiuere, nec ſine te. Adeo perplexa ſeditione inter ſeſe tumultuantur, uelut diuerſa, quæ unum ſunt. Corpus enim ut eſt ipſum uiſibile, rebus uiſibilibus delectatur, ut eſt mortale, temporalia ſequitur, ut eſt graue, deorſum ſidit. Contra anima generis ætherei memor, ſumma ui ſurſum nititur, & cum terreſtri mole luctatur, cõtemnit ea quæ uidentur, ſcit enim eſſe caduca, quærit quæ uere, quæ ſemper ſunt. Immortalis amat immortalia, cœleſtis cœleſtia: Similis ſimilib. capitur, niſi penitus fuerit corporis immerſa ſordibus, atq; à natiua generoſitate eius cõtagio degenerarit. Neq; uero hãc diſcordiã, uel fabuloſus ille Prometheus inſeuit, admixta menti noſtræ de quoq; animante particula, neq; primitiua conditio indidit, ſed peccatum quod bene conditum erat, male depraua uit. inter bene concordes diſſenſionis uirus ſerens. Antea enim & mens corporis ſine negocio imperabat, & corpus animo lubens uolensq; parebat, nunc cõtra perturbato rerũ ordine, affectus corporis rationi præire certãt. cogiturq; illa in corporis ſententiam pedibus diſcedere. Quare non abſurde pectus hominis cum ſeditioſa quapiam repub. compo nas licebit, quam quoniam ex uariis hominum generibus conſtat, propter diſſenſionem ſtudiorum oportet crebris motibus & factionibus collidi, ni penes unum ſit imperij ſumma. Itaq; ſit eiuſmodi, ut nihil imperet, niſi reipublicę ſalutaria. Quare neceſſe eſt, ut plus in ea ualeat, qui plus ſapit, pareat, qui minus. Nihil eſt autẽ infima plebe uecordius, eoq; magiſtratibus obtemperare debet, nullum ipſa gerere magiſtratum. Qui uero optimates ſunt, aut natu maiores, audiendi ſunt illi quidem in conſultationibus, at ita ſi ſtatuendi arbitrium penes unum maneat regem, quem admoneri quidẽ oportet nonnunq;, cogi uero aut præire non conuenit. Porrò rex ipſe nulli paret niſi legi, lex reſpõdet honeſtatis ideæ. Quod ſi præpoſteris uicibus uulgus indomitũ, & fex illa ciuitatis tumultuoſa, natu maioribus præire contendit, aut ſi primates regis imperiũ negligunt, cooritur in republica noſtra periculoſa ſeditio, & niſi diuina dictatura ſuccurritur, ad extremã perniciẽ res omnis ſpectat. In homine uero ratio regis uice fungitur. Optimates accipias licet, affectus quoſdã corporeos quidẽ illos. ſed tamẽ nõ perinde brutos: quod genus ſunt genuina pietas erga parẽtes, charitas in fratres, beneuolentia in amicos, miſericordia in afflictos, metus infamiæ, cupido honeſtæ opinionis, & ſi qua ſunt conſimilia. Eos porrò motus animorum, qui à rationis decretis cẽq; maxime diſsident, ſuntq; infime ad pecorum humilitatem abiecti, plebis quaſi ultimã fecem eſſe puta, cuiuſmodi ſunt libido, luxus, inuidentia, hiſq; cõſimiles animi morbi, qui ad unũ omnes, ueluti ſerui ſordidi & improbi, ergaſtulis ſunt coercendi, ut ſi queãt, penſum operamq; dño præſcriptã præſtẽt: ſin minus, nihil certe damnident. Quæ omnia Plato diuinitus intelligens, ſcripſit in Timæo, filios deorũ ad ſui ſimilitudinem duplex animę genus in homine fabricatos fuiſſe, alterũ diuinũ & immortale, alte-

Vnde propenſio ad uitia

Rex uni legi paret

Optimates qui

Plebs quæ

alterum quasi mortale & uarijs perturbationibus obnoxium: quarũ prima sit uoluptas, esca malorum, ut ait: proxima dolor, fuga impedimentumq; bonorum: deinde metus atque audacia, consultores amentes: quibus accedit et implacabilis iracũdia: Præter ea spes blanda, cum irrationabili sensu, amoreq; omnium inuasore. Hæc enim fermè uerba Platonis. Nec ignorauit in huiusmodi perturbationibus coercendis, uitæ beatitudinẽ consistere. Scribit eẽ eodẽ in opere, eos qui ista superassent, iuste uicturos: iniuste aũt, qui ab his uicti fuissent. Et diuinæ quidem animæ, hoc est, rationi, tanquam regi in cerebro, uelut in arce ciuitatis nostræ sedem statuit, corporis uidelicet parte editissima, cœloq; proxima, tum minime bruta, quippe quæ & osse sit pertenui, neq; neruis, neq; carne onerata, sed sensibus intus foriscq; longe munitissima, ut illis quasi renũciantibus, nihil tumultus in repub. cooriretur, quod nõ protinus ille persentisceret. At mortalis animæ partes, hoc est affectus, ut quęq; rationi uel morigera est, uel obstrepera, ita ab ea semouit. Nam inter cer uicem, & diaphragma, partem animæ constituit, fortitudinis atq; iræ participẽ, affectum uidelicet seditiosum quidẽ illum & cohibendum, at non perinde brutum, coq; mediocri interuallo à summis imisq; semouit, ne uel nimia uicinitate regis ocium perturbet, uel infimæ plebis cõtagio corrupta, simul in eum coniuret. Vim porrò cõcupiscibilem quæ escu lenta & poculenta appetit, quaq; in Venerẽ impellimur, porrò infra præcordia procul à regia, in iecur & aluum relegauit, ut quasi ferũ quoddam & indomitũ animal, illic ad præsepe habitaret, propterea quod ea uiolentissimos excitare motus cõsueuit, minimeq; præsidis imperijs audiens esse. Huius infima pars, cẽ pecuina sit, quamq; rebellis, uel illa pudenda corporis portio, in qua potissimum tyrannidẽ obtinet, documento potest esse: quę membris ex omnibus una, frustra reclamante rege, obscœnis motibus subinde rebellionem parat. Vides nimirum ut hac superne diuinum animal homo, planè in pecudem desinat. At consultor ille diuinus sublimi in arce præsidens, memor originis suæ, nihil sordidum, nihil humile cogitat. Sceptro autem insignis eburno, propterea quod nihil non rectum imperet, in cuius fastigio aquilam insidere scripsit Homerus, quod ad cœlestia subuolans, quę humi sint aquilinis oculis despicit. Postremo aurea redimitus corona. Aurũ enim in mysticis literis sapientiam ferè significat, circulus autem perfectam, & omnibus numeris absolutam. Hæ sunt enim propriæ regum dotes. Primum, ut quàm plurimum sapiant, ne quid peccent per errorem: tum uti quæ recta sunt, ea modo uelint, ne quid contra animi iudicium perperam corrupteq; faciant: quarum altera qui careat, eum non regem, sed latronem existimato.

Quatuor affectus animi

Vis irascibilis

Vis cõcupiscibilis

Ratio tanquã rex

Sceptro cur aquila addita

DE VARIETATE AFFECTVVM

NOster autem rex propter æternam legem, sibi diuinitus insculptam, opprimi quidem potest, corrumpi non potest, quin reclamet, quin reuocet. Cui si reliqua plebs parebit, nihil ille unquam neque pœnitendum, neq; pernicioſum committet, sed summa moderatione, summaq; tranquillitate gerentur uniuersa. Ac de affectibus quidem Stoici Peripateticiq; non nihil diuersa sentiunt, quanquam illud conuenit inter omnes, ratione uiuendum, non affectu. Sed illis placet, ubi affectibus, qui à sensibus proxime excitantur, tanquam pędagogis usus ad iudicium, uerumq; discrimen expetendorum & fugiendorum peruenerís, tum eos prorsus esse relinquendos: Iam enim non solum utiles non esse ad sapientiam, uerumetiam pernicioſos. Atq; ob id perfectum illum sapientem suum omnibus eiusmodi motibus, tanquam morbis animi, uacare uolunt, uixq; humaniores quidam primos illos impetus, rationem prędertentes, sapienti concedunt, quas illi phantasias appellant. At peripatetici non extirpandos affectus, sed coercendos docent: esse enim nonnullũ eorum usum, propterea quod hos à natura additos opinentur, uti quædam ad uirtutem incitabula, atque exhortamenta, sicuti fortitudinis iram, industriæ inuidiam, & item de reliquis. Socrates autem in Phedone Platonis, cum nihil aliud putat esse Philoſophiam, quàm mortis meditationem, hoc est, ut animus quantum potest abducat sese à rebus corporeis, & sensibilibus, transferatq; ad ea, quæ ratione, non sensibus percipiantur, cum Stoicis nimirum sentire uidetur. Oportet igitur primum omnes animi cognitos habere motus, deinde scire nullos esse tam uiolentos, quin à ratione uel compesci, uel ad uirtutem deflecti queant. Audio enim uulgo hanc pestiferam opinionem, ut se dicant ad uitia cogi. Alij contra imperiti sui, motus huiusmodi pro rationis di-

Ratio semper reclamans

ctamine ſequuntur, atq; adeo quod ſuaſit ira aut inuidia, id zelum Dei uocant. Atq; ut eſt alia Reſpublica alia factioſior, ita alius alio ad uirtutem propenſior. Quæ differentia, non ex animorum diſcrimine, ſed uel ex influxu cœleſtium corporum, uel progenitoribus, uel ex educatione, uel ex ipſo corporis habitu proficiſcitur. Non anilis eſt illa Socratis fabula, de aurigis & equis bonis ac malis. Videas enim nonnullos ita moderato ingenio natos, ita tractabiles ac faciles, ut ſine ullo negocio ad uirtutem inſtituantur, ac ſine calcaribus ultro præcurrant. Alijs contra corpus rebelle, tanquam equum indomitum & calcitroſum contigiſſe, ut multum ſudans domitor ille, uix tandem aſperrimo freno, uix fuſte, calcaribusq; ſubigat ferocientem. Qualis ſi tibi forte obtigit, ne protinus abijcias animum, immo tanto acrius enitere, ſic exiſtimans, non tibi intercluſam ad uirtutem uiam, ſed uberiorem uirtutis materiam oblatam eſſe. Quod ſi bonam mentem natus es, non hoc protinus alio melior es, ſed felicior. At rurſum ita felicior, ut obligatior. Quanquam quis eſt ingenio uſqueadeo felici, ut non abunde multa ſint, in quibus luctari oporteat? Ergo qua maxime turbari ſentiet, hac quàm maxime aduigilet rex oportet. Sunt uitia quędam penè gentilitia, quemadmodum gentibus nonnullis perfidiam aiunt eſſe familiarem, alijs luxum, alijs libidinem. Quædam corporis habitum comitantur, ſicut ſanguineos mulieroſitas, & uoluptatum amor: Cholericum ira, ferocitas, maledicentia: Phlegmaticum inertia, ſomnolentia: Melancholicum, inuidia, triſtitia, amaritudo. Nonnulla cum ætate, aut remittuntur, aut inualeſcunt, quemadmodum libido in iuuenta, item profuſio, temeritas: In ſenecta tenacitas, moroſitas, auaritia. Sunt & quæ ſexui uideantur adnata, ut in uiro ferocitas, in muliere uanitas, & uindictæ cupido. Fit interim ut natura ueluti paria faciens, morbum animi dote quapiam diuerſa compenſet. Eſt hic quidem propenſior ad uoluptatem, ſed neutiquam iracundus, neutiquam inuidus. Eſt alius incorrupta pudicitia, ſed elatior, ſed iracundior, ſed attentior ad rem. Neq; deſunt qui prodigioſis quibuſdam ac fatalibus uitijs ſolicitentur, furto, ſacrilegio, homicidio, quibus quidem omni conatu obuiam eſt eundum, contraq; eorum inſultum, certi propoſiti murus quidam aheneus obijciendus. E diuerſo ſunt nonnulli affectus, ita uicini uirtutibus, ut periculum ſit, ne ambiguo diſcrimine fallamur. Erunt hi corrigendi, & ad proximam uirtutem commode deflectendi. Eſt exempli gratia quiſpiam excandeſcentior, injjciat animo frenum, & erit alacrior, erit erectus, minimeq; languidus, erit liber ac ſimplex. Eſt alius paulo tenacior, adhibeat rationem, & fuerit frugalis. Qui blandior eſt, fiet comis & cõmodus. Qui præfractus, conſtans. Qui triſtior, ſeuerus. Qui ineptior, morigerus, atq; ad eundem modum de reliquis animi leuioribus morbis. Hoc modo cauendum, ne naturæ uitium uirtutis nomine palliemus, triſtitiã grauitatem, aſperitatẽ ſeueritatem, inuidiã zelum, ſordes frugalitatẽ, aſſentationem comitatem, ſcurrilitatem urbanitatem appellantes. Hęc igitur eſt unica ad beatitudinẽ uia. Primum, ut te noris. Deinde, ut ne quid pro affectibus, ſed omnia pro iudicio rationis agas. Sana ſit aũt & ſapiat ratio, hoc eſt tantũ honeſta ſpeciet. At difficile eſt, inquies quod pręcipis. Quis negat? Atqui uerum eſt illud apud Platonem adagium: quæ pulchra ſunt, eadem eſſe difficilia. Nihil fortius, q̃ ut quis ſeipſum uincat, ſed nullum maius præmium, q̃ beatitudo. Præclare illud Hieronymus, ut cætera omnia. Nihil Chriſtiano felicius, cui promittitur regnum cœlorum. Nihil laborioſius, qui quotidie de uita periclitatur. Nihil fortius, qui uincit diabolum. Nihil imbecillius, qui à carne ſuperatur. Si tuas perpenderis uires, nihil difficilius, quàm carnem ſubigere ſpiritui: ſi deum auxiliatorẽ reſpexeris, nihil facilius. Tu modo ingenti animo, perfectæ uitæ propoſitum concipe, conceptũ urge. Nihil unq̃ uehementer imperauit ſibi humanus animus, quod non effecerit. Magna pars Chriſtianiſmi eſt, toto pectore uelle fieri Chriſtianum. Quod aditu uidebitur inexpugnabile, id fiet ſucceſſu mollius, uſu facile, conſuetudine demum etiam iucundum. Scitum eſt illud Heſiodium: Arduam eſſe initio uirtutis uiam, Verum ubi ad cacumẽ erepſeris, tutiſsimum ocium te manet. Nullum animal tam ferum, quod non manſueſcat humana cura, & animi domitoris omnium nulla erit domandi ratio? Vt corpore ualeas, potes in annos aliquot imperare tibi, ut abſtemius ſis, ut à Venere temperes, quæ pręſcripſit homo medicus: & ut omnem uitam tranquille tranſigas, non potes uel menſes pauculos imperare affectibus, quod conditor præcipit deus? Vt corpus morbo ſubducas omnia facis. Vt corpus & animam

Rebellio naturæ nemini imputanda

Velle fieri Chriſtianum pars eſt Chriſtianiſmi

animam ab æterna morte ſubtrahas, non illa facis, quæ fecerunt & Ethnici.

DE HOMINE INTERIORE ET EXTERIORE ET de duabus partibus hominis ex literis ſacris.

PVdet me profecto Chriſtianorum nomine, quorum maxima pars uelutí muta pecora ſeruit affectibus ſuis, adeoq; in hac dimicatione nō ſunt exercitati, ut ne norint quidem rationis atq; perturbationum diſcrimen, Hoc tantum hominem eſſe putant, quod uident, quod ſentiunt. Imò nihil eſſe putant, niſi quod ſub ſenſum cadat, cum nihil ſit minus, Quicquid impenſe cupiunt, id rectum exiſtimant. Pacem appellant, certam comploratamq; ſeruitutē, dum obruta ratio, quocunq; uocat affectus, nihil renitens, ſequitur. Hæc pax eſt illa miſera quam Chriſtus ueræ pacis autor, qui fecit utraq; unum, uenit diri mere, bellum ſalutare excitaturus inter patrem & filium, inter maritum & uxorem, inter ea quæ turpis concordia male conciliauit, Iam uero philoſophorū leuis ſit autoritas, niſi eadem omnia, tametſi uerbis non ijſdem, ſacris in literis præcipiuntur. Quod Philoſophi rationem, id Paulus modo ſpiritum, modo interiorem hominem, modo legem mentis uocat. Quod illi affectū, hic interim carnem, interim corpus, interim exteriorem hominem, interim legem membrorum appellat. Spiritu, inquit, ambulate, & deſyderia carnis non perficietis. Caro enim cōcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ut non quæcunque uultis, illa faciatis. Et alibi: Quod ſi ſecundum carnem uixeritis, moriemini. Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Noua profecto rerum commutatio, ut in bello pax quæratur, in pace bellum, in morte uita, in uita mors, in ſeruitute libertas, in libertate ſeruitus. Scribit enim alibi Paulus: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Libertatem audi: Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. &: Non iterum cōcepimus ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum dei. Idem alibi: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Legis apud eundem de exteriore homine qui corrumpitur, & interiore qui renouatur de die in diem. Plato duas uno in homine animas conſtituit. Paulus eodem in homine duos homines facit adeo conglutinatos, ut neuter ſine altero, neq; in gloria, neq; in gehenna ſit futurus, adeo rurſum diſiunctos, ut unius mors, uita ſit alterius. Eodem, opinor, pertinent, quæ ſcribit Corinthijs: Factus eſt primus homo in animam uiuentem, nouiſsimus Adam in animam uiuificātem. Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de cœlo cœleſtis. Atq; ut euidentius eſſet, iſta non ſolum ad Chriſtum & Adam, ſed ad nos omnes pertinere, ſubiecit: Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſi portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt, neq; corruptio incorruptelam poſsidebit. Vides liquere, quod alibi carnem, & exteriorem, qui corrumpitur, hominem dixit, hic terrenum Adam nominaſſe. Hoc ipſum nimium eſt, & corpus illud mortis, quo grauatus exclamabat Paulus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Porrò fructum longe diuerſiſsimum carnis & ſpiritus aperiens, alibi ſcribit: Qui ſeminat, inquit, in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitā æternam. Hoc igitur illud eſt uetus diſsidium geminorum Iacob & Eſau, qui & antequam in lucem ederentur, iam intra materni uentris clauſtra luctabantur. At Eſau quidem prœoccupauit ex ortum, ſed Iacob præripuit benedictionem. Prius enim carnale, ſed quod ſpirituale potius eſt. Alter erat rufus & pilis obſitus, alter leuis. Alter inquietus & uenator, alter domeſtico gaudens ocio. Et ille quidem famelicus, ius uendidit primogenitorum, dum uili uoluptatis autoramento illectus, à natiua libertate excidit in ſeruitutem peccatorum: hic quod iure non debebatur, arte gratiæ ſibi uendicat. Inter hos fratres, quanquam uterinos, quanq; gemellos, nunquā perfecta coit cōcordia. Odit enim Eſau Iacob, Iacob contra, etſi non reſpondet odio mutuo, fugit tamen ſuſpectumq; ſemper habet Eſau, neq; ſeſe illi credit. Tibi quoq; quicquid ſuaſerit affectus, ſuſpectum ſit propter dubiam autoris fidem. Iacob ſolus uidit dominum, Eſau ut ſanguinarius, gladio uiuit. Poſtremo dominus à matre conſultus reſpondit, Maior ſeruiet minori. Pater uero adiecit, Fratri tuo ſeruies, tempusq; ueniet, cum excutias & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis. Dominus

Duplex homo

Fructus carnis & ſpiritus differunt. Iacob & Eſau, ſunt figura ſpiritus & carnis

de pijs uaticinatur, pater de reprobis. Ille quid ab omnibus oporteat fieri commonstrat, Hic quid plerique facturi sint, prædicit. Paulus uult mulierem subditam esse uiro suo. Me/
Mulier affectus
lior enim est iniquitas uiri, quàm mulier benefaciens. Eua nostra carnalis est affectus, cuius oculos callidus ille coluber quotidie solicitat, ea corrupta pergit & uirum ad communionem mali solicitare. Sed quid legis de muliere noua, id est, ea quæ uiro suo morigera est? Inimicitias ponam inter te (nempe serpentem) & mulierem, & semen tuum, & semen illius, Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. Deiectus est coluber in pectus, impetum eius fregit mors Christi: tantum calcaneo insidiatur clancularius. Cæterum gratia fidei, tanq̃ in uiraginẽ uersa mulier, uenenatum caput animosa conterit. Aucta est gratia, imminuta carnis tyrannis. Sara imminuta, autore Deo, creuit Abraham, iamq̃ illa non maritum, sed dominum uocat. Neq̃ prius tamen illa partũ meretur, quàm illi desijssent muliebria. Quid uero tandem peperit domino suo Abrahæ, iam anus, iam effœta? Nempe Isaac, hoc est gaudium. Simul atque in homine cõsenuerunt affectus, tum demum exoritur felix illa tranquillitas innocentis animi, & mentis securitas quasi iuge conuiuium. Et ut pater ipse nõ indulsit uxori, ita in liberis suspectam habet collusionem, Isaac cum Hismaele. In ea ætate non uult conuenire filio ancillæ, cum filio liberæ. Dum adhuc feruet adolescentia, procul ab oculis ablegetur Hismael, ne sub blandimenti specie, puerum adhuc Isaac, ad suos mores pelliceat. Iam senuerat Abraham, iam anus erat Sara, iam ediderat Isaac, adhuc diffidit, nisi uxoris consilium diuinum oraculum compro basset. Non est securus de muliere, donec audit à domino, Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi uocem eius. O felicem senectam eorum, in quibus sic præmortuus est ille terrenus homo, ut nullum negocium exhibeat spiritui, qui consensus an per omnia perfectus homini contingat in hac uita, haud equidem affirmauerim: fortasse ne expediat quidem.
Stimulus carnis prodest
Nam & Paulo datus est stimulus carnis, angelus Satanæ, qui illum colaphizaret, ac iam tertium dominum rogans, ut à se tolleretur, hoc tantum audiuit, Paule sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur. Nouum profecto remedij genus. Paulus ne superbiret, tentatur à superbia: ut solidus sit in Christo, in se cogitur esse infirmus. Portabat enim thesaurum reuelationum cœlestium in uase fictili, ut sublimitas esset uirtutis dei & non ex ipso. Quod unum exemplum apostoli, multorum pariter nos admonet: Pri/
Tentatus oret
mum cum à uitijs solicitamur, mox iteratis precibus implorandum esse auxiliũ diuinum. Deinde tentationes uiris perfectis interdum non solum periculosas non esse, uerũetiam ad custodiam uirtutis necessarias. Postremo reliquis omnibus perdomitis, solum inanis gloriæ uitium, in medijs etiam uirtutibus insidiari, & hanc esse uelut Hydram illam Herculanam, monstrum uiuax, & suis uulneribus fœcundum, quod omnibus exantlatis laboribus, supremo fine uix demum queat confici. Verum labor omnia uincit improbus. Interim dum uehementibus perturbationibus æstuat animus, tu modis omnibus preme, urge, immine, ac Proteum istum tuum uinclis stringe tenacibus, dum Omnia transformat sese in miracula rerũ, Ignemq̃, horribilemq̃ feram, fluuiumq̃ liquentẽ, donec in natiuam speciem redeat. Quid autẽ tam Proteus, q̃ affectus & cupiditates stultorum, quæ cum eos nunc in beluinã libidinem, nunc in iram ferinam, nunc in uenenatam inuidiam, nunc in alia atq̃ alia uitiorum portenta trahunt, nónne pulchre quadrat, quod eruditissimus poeta dixit: Tum uariæ illudent species, atq̃ ora ferarum. Fiet enim subito sus horridus, atraq̃ tigris, Squamosusq̃ draco, & fulua ceruice leæna. Aut acrem flammæ sonitum dabit. Hic uero memento quod sequitur. Sed quanto ille magis formas se uertet in omnes, Tanto nate magis contende tenacia uincla. Imò ne rursum ad fabulas reuoluamur poetarum, exemplo sancti patriarchæ Iacob luctamen nocturnum constanter urge, donec illucescat aurora opis diuinæ, dicitoq̃, non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Quod
Præmium uictoriæ
autem uirtutis suæ præmium tulerit fortissimus ille palestrites, operæprecium est audire: Primum benedixit ei in eodem loco. Semper enim post superatam tentationem præcipuum quoddam auctarium diuinæ gratiæ adijcitur homini, qua sit ad futurum hostis assultum, multo quàm fuerat munitior. Deinde tacto femore emarcuit neruus uictoris, & cœpit altero claudicare pede. Execratur per os prophetæ Deus, eos qui utroq̃ claudicant pede, ideſt, qui simul & in carne esse, & Deo uolunt placere, & dum utrunq̃ male conantur, in utroq̃ claudicant. Felices autem illi, in quibus sic affectus carnis emortuus est, con

tingente

tingente deo,ut dextro pedi potiſsimum,hoc eſt,ſpiritui innitantur.Poſtremo nomen illi commutatum:ex Iacob enim fit Iſrael,ex luctatore quietus. Vbi caſtigaris carnem tuam, & eam crucifixeris cum uitijs & cõcupiſcentijs,iam nullo obſtrepente, cõtinget tibi tranquillitas & otium, ut uaces & uideas dominum, ut guſtes & uideas, quoniam ſuauis eſt dominus. Hoc enim ſonat Iſrael. Videtur autem non in igni, non in turbine ac tumultu tentationum:uerum tempeſtatem diaboli,ſi modo perſeueraris,conſequitur ſibilus auræ tenuis conſolationis ſpiritualis.Ea ſimulatq; leniter aſpirauerit,tum intende acriter inter nos oculos,& eris Iſrael,dicesq; cum eodem: Vidi dominũ,et ſalua facta eſt anima mea. Videbis eum qui dixit:Non uidebit me omnis caro. Excute teipſum: Si caro es, non uidebis dominum:ſi non uideris,non ſaluabitur anima tua. Cura igitur ut ſis ſpiritus.

DE TRIBVS HOMINIS PARTIBVS, SPIritu, & anima, & carne.

ERant hęc uel nimio plus ſatis, uerum ut fias tibi paulo etiam perſpecțior atq; excuſſior, libet & Origenicam hominis ſectionem breuiter referre. Is enim Paulum ſecutus tres partes facit,ſpiritum, animam & carnem, quas omnes coniunxit Apoſtolus ſcribens Theſſalonicenſibus, ut integer inquit corpus ueſtrum, anima,& ſpiritus,in die domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Eſaias autem omiſſa parte infima,duarum meminit: Anima,inquit, mea deſiderabit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis, de mane uigilabo ad te. Daniel item: Laudate, inquit,ſpiritus & animæ iuſtorum dominum. Quibus ex locis non abſurde colligit triplicem hominis portionẽ: Corpus ſiue carnem, infimam noſtri partem, cui per genitalem culpam legem inſcripſit peccati ſerpens ille uetera tor,quaq; ad turpia prouocamur,ac uicti diabolo connectimur: Spiritum uero qua diuinæ naturæ ſimilitudinẽ exprimimus, in qua conditor optimus,de ſuæ mentis archetypo, æternã illam honeſti legem inſculpſit digito, hoc eſt ſpiritu ſuo. Hac deo cõglutinamur, unumq; cum eo reddimur.Porrò tertiam,& inter iſtam mediam,animam conſtituit,quæ ſenſuum ac motuum naturalium ſit capax. Ea uelut in factioſa republica non poteſt non alterutri partiũ accedere. Hinc atq; hinc ſolicitatur, liberum habet utrò uelit inclinare. Si carni renuncians ad ſpiritus partes ſeſe traduxerit, fiet & ipſa ſpiritalis. Sin ad carnis cupiditates ſemet abiecerit, degenerabit & ipſa in corpus. Hoc enim eſt quod ſenſit Paulus ſcribens Corinthijs: An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur. Qui autem adhæret domino,unus ſpiritus eſt. Meretricem lubricam hominis partem appellat.Hæc eſt illa illex & blanda mulier,de qua legis Prouerbiorum capite ſecundo: Vt eruaris à muliere aliena,& ab extranea,quæ mollit ſermones ſuos, & relinquit ducem pubertatis ſuæ,& pacta dei ſui oblita eſt.Inclinata eſt enim ad mortem domus eius,& ad inferos ſemitæ ipſius. Omnes qui ingredientur ad eam, non reuertentur, nec apprehendẽt ſemitas uitæ.Et capite ſexto: Vt cuſtodiã te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ, Non concupiſcat pulchritudinẽ eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius. Precium enim ſcorti, uix unius eſt panis, mulier autem uiri precioſam animã rapit. Nónne cum de ſcorto,corde, & anima meminit,nominatim tres hominis partes expreſsit? Rurſum cap. nono: Mulier ſtulta & clamoſa,plenaq; illecebris,& nihil omnino ſciẽs, ſedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam in excelſo urbis loco, ut uocaret tranſeuntes per uiam, & gentes in itinere ſuo. Quis eſt paruulus declinet ad me.Et uecordi locuta eſt: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt,& panis abſconditus ſuauior.& ignorauit quod ibi ſint gigãtes, & in profundis inferni conuiuæ eius. Qui enim applicabitur illi,deſcendet ad inferos. Nam qui abſceſſerit ab ea,ſaluabitur. Quæſo te,quibus coloribus magis graphice depingi, fucariue poterant,uel uenenatæ carnis illecebrę, ad turpitudinem ſolicitantis animam,uel improbitas ſpiritui reclamantis, uel exitus infelix ſuperãtis? Ergo ſpiritus deos nos reddit,caro pecora, anima conſtituit homines: ſpiritus pios,caro impios,anima neutros.Spiritus quærit cœleſtia,caro dulcia,anima neceſſaria. Spiritus euehit in cœlum. Caro deprimit ad inferos. Animæ nihil imputatur. Quicquid carnale, turpe eſt. Quicquid ſpirituale,perfectũ. Quicquid animale,medium & indifferens. Vis ne pinguiore(quod aiunt)minerua,tanq; digito tibi demonſtrari partium iſtarum diſcrimen? Equidem experiar. Vereris parentes,amas fratrem,amas liberos,diligis amicum.Non tam uirtutis eſt iſta facere, quàm ſceleratum non facere. Cur enim non facias Chriſtianus, quod naturæ inſtinctu faciunt &

Origenes lib. primo ſuper epiſt.ad Rom.

Caro

Spiritus

Anima

Caro meretrix eſt animã ſeducens

Amor parentum naturalis

gentes,immo quod faciunt & pecora? Quod naturæ est,non imputatur ad meritum. Sed incidisti in eum locum,ut aut patris cõtemnenda sit pietas, uincenda charitas liberorum, beneuolentia negligenda amici, aut offendẽdus Deus. Quid facis? In biuio stat anima. Solicitat hinc caro,illinc spiritus. Dicit spiritus: Potior est parente Deus: Illi corpus modo debes, huic omnia. Suggerit caro: Nisi pares exhæredat te pater, uulgo diceris impius. Consule rei,consule famę. Deus aut nõ uidet, aut conniuet, aut certe facile placabitur. Iam hæret, iam nutat anima. Vtrocunq; se flexerit, hoc erit, quod est id, cui accesserit. Si cõtempto spiritu, meretricẽ carnẽ audierit, unũ corpus est. Sin spreta carne ad spiritũ erigatur,transfiguratur in spiritum. Ad hunc modum consuesce temetipsum solerter excutere. Ingens enim hominum error, qui non raro absolutã pietatem putant,quod est naturæ. Imponunt incautis affectus quidam,in speciẽ honestiores,& quasi uirtutũ laruis personati. Sæuit iudex in sontẽ,seuerus & incorruptus sibi uidetur. Vis & hunc discuti? Si animo indulget suo, seruitq; rigori cuidã genuino, nullo animi dolore, nonnulla fortasis cum uoluptate,nihil tamen à iudicis officio diuaricans, ne sibi protinus placeat,medium est quod facit. Quod si lege,uel ad odium priuatum,uel ad cupiditatẽ abutitur,iam carnale est quod gerit,& homicidium cõmittit: sin ingentem animo percipit dolorẽ,quod eum cogitur perdere,quem mallet emendatum & incolumẽ,& pœnam commeritam irrogat eo pectoris sensu,quo pater filium charissimum secari uriq; iubet, ita demũ spirituale erit quod agit. Plericq; propensione naturæ, atq; ingenij proprietate, rebus nõnullis uel gaudent,uel abhorrent. Sunt quos nihil titillet Venerea uoluptas. Ne protinus sibi ad uirtutem arrogent,quod est indifferens. Nõ carere libidine,sed uincere libidinẽ,uirtutis est. Alius gaudet ieiunare,gaudet adesse sacris, gaudet frequens esse in templis, gaudet quam plurimum psalmorũ dicere,sed in spiritu. Exige ad hanc regulã quod facit. Si ad famam, si ad emolumentum spectat,carnẽ sapit,non spiritum. Si tantum ingenio indulget suo,facit enim quod animo lubet,non habet quod sibi magnopere placeat,imò quod timeat habet. En tibi periculum. Oras,& non orantem iudicas. Ieiunas,& fratrem manducantem condemnas. Quisquis non facit,quod tu,eo te meliorem iudicas. Vide ne ad carnem pertineat ieiunium tuum. Eget frater ope tua, tu interim preculis tuis Deo obmurmuras,fratris egestatem dissimulans: auersabitur istas preces Deus. Quomodo enim te orantem audiet Deus, cum tu non audias homo hominem? Accipe & illud, Amas uxorem, hoc tantum nomine quod uxor est. Nihil magni facis. Nam istud quidem est tibi cum Ethnicis commune. At amas, non ob aliud,nisi quia tibi uoluptati est. Ad carnem tendit amor tuus. Sed amas ob hoc potissimum, quod in ea perspexeris imaginem Christi,puta pietatem,modestiam,sobrietatem,pudicitiam,iamq; non illam in ipsa,sed in Christo,immo in ea Christum amas, ita deum spiritualiter amas. Verum his de rebus plura,sed suo loco.

Regula ueræ pietatis

Amor uxoris castus

REGVLAE QVAEDAM GENERALES ueri Christianismi.

NVnc quoniam ad id quod propositum est,utcunq; uiam aperuisse,& quasi syluam quandam comparasse uidemur, ad reliqua properandum, ne non enchiridion, sed ingens fiat uolumen. Conabimur autem breuiter regulas quasdam quasi nexus quosdam palestricos tradere,quarum ductu,tanquam fili Dędalei,facile queas è mundi huius erroribus, uelut è labyrintho quodam inextricabili emergere, atq; ad puram lucem uitæ pertingere. Nulli disciplinæ sui canones desunt, & sola beate uiuendi ratio nullis præceptis adiuuabitur? Est autem omnino uirtutis ars quædam & disciplina, in qua qui se gnauiter exercent, iis denique aspirat ille sanctorum conatuum prouectior spiritus. Qui uero dicunt, Recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus, hos reijciet misericordia diuina, propterea quod ipsi reiecerunt scientiam. Sumentur autem hi canones partim à persona Dei, diaboli, & nostra: partim à rebus, id est, uirtutibus ac uitijs, & quæ sunt his coniuncta: partim à materia uirtutum & uitiorum. Conducent potissimum aduersus tria mala, reliquias culpæ genitalis. Nam & si labem abstersit baptismus, tamen hæret adhuc quiddam ueteris morbi, relictum in nobis, tum ad custodiam humilitatis, tum materiam segetem que uirtutis. Ea sunt cæcitas, caro & infirmitas. Cæcitas ignorantiæ nebula,rationis obscurat iudicium, Lumen enim illud purissimum diuini uultus, quod conditor infuderat super nos, cum nõnihil obfuscauit culpa primorum parentum,

Reliquiæ peccati original.

Cæcitas

tum

tum corrupta educatio,improbus conuictus,peruersi affectus,uitiorum tenebræ,consue tudo peccandi,tanta obduxit rubigine,ut diuinitus insculptæ legis uix uestigia quędã ap pareant.Ergo(ut cœperam)cæcitas facit,ut in delectu rerũ ferè cæcutiamus,pro optimis pessima sequentes,potiora minus utilibus posthabentes.Caro solicitat affectum,ut etiam si quid sit optimũ intelligamus, diuersa tamen amemus.Infirmitas facit, ut uirtutẽ semel arreptã,uel tædio,uel tẽtatione uicti deseramus:cęcitas officit iudicio:caro deprauat uo luntatem:infirmitas frangit constantiam.Primum igitur est,ut fugienda dignoscas ab ex petendis,atq; ideo tollenda cæcitas,ne in rerum delectu hallucinemur.Proximum ut ma lum cognitum oderis,bonum ames,& in hoc uincenda caro,ne contra mentis iudicium dulcia pro salutaribus amemus.Tertiũ ut in bene cœptis perseueres,atq; idcirco fulciẽda infirmitas,ne turpius uirtutis uiã deseramus,cũ fueramus nõ ingressuri.Ignorãtię medẽ dum,ut uideas quà sit eundũ. Caro domanda,ne à cognita uia seducat in deuia. Infirmi tas animanda,ne uiam artam ingressus,uel uacilles,uel resistas,uel deflectas,néue semel a ratro manum admolitus,respicias,sed exultes ut gigas ad currendam uiam,semper in ea quæ sunt ante temet extendens,eorum quæ retro sunt oblitus,donec apprehendas brauí um,& coronã promissam perseuerantibus. Ad hæc itaq; tria canones quosdã pro nostra uirili accõmodabimus.

CONTRA MALVM IGNORANTIAE CANON I

QVoniam uero fides unica est ad Christum ianua,primã oportebit esse regulã,ut de ipso atq; illius spiritu traditis scripturis cũ optime sentias. Credasq; non oretenus, non trigide,nõ oscitanter,nõ hæsitanter,quẽadmodum uulgus facit Christianorum,sed toto pectore, penitus infixum immotumq; sedeat,ne unum quidem in eis iota contineri, quod non magnopere ad tuam salutem pertineat. Nihil quicquam te moueat, quod bo nam hominum partem sic uides uiuere,quasi cœlum & inferi,fabulæ quæpiam essent a niles,terricula,aut illectamenta puerorum.Tu uero credẽs,ne festinaueris.Et si ad unum uniuersus insaniat mundus,uertantur elementa,desciscant angeli, non potest mentiri ue ritas,non potest non euenire,quod deus euenturũ esse prædixit.Si deum esse credis,uera cem credas oportet.Sic prorsus habeto,nihil tam uerum esse,nihil tam certum atq; indu bitatum eorum quæ auribus hauris,oculis coram intueris,manibus tenes,cũ quę legis in his literis quas cœleste numen,hoc est ueritas,inspirauit, sancti Prophetæ prodiderunt, tot martyrum sanguis comprobauit,quibus tot iam seculis,piorum hominum consensus subscripsit,quas Christus ipse in carne,& sermone tradidit, & moribus expressit,testan tur miracula,confitentur & dæmones,adeoq; credunt, ut & contremiscant: deniq; quæ sic consentaneæ sunt æquitati naturæ,quæ sic inter se constant,sic rapiunt attẽtos,sic mo uent atq; transformant.Si hæc tanta argumenta in eas solas competunt,quæ malum ue sania est,in fide hæsitare? Vel ex præteritis futurorum coniecturam facito:quanta,quàm incredibilia dictu de Christo prædixerant Prophetæ.Quid horum non euenit? Qui in il lis non fefellit,in alijs fallet? Postremo non mentiti sunt Prophetæ,& mentietur Christus prophetarum dominus? His atq; huiusmodi cogitationibus,si subinde flammam excita ris fidei,tum ardenter rogaueris deum,ut adaugeat tibi fidem, mirabor, si diu malus esse poteris. Quis enim usqadeo sceleſtus est, ut non resiliat à uitijs,si modo penitus credat, momentaneis his uoluptatibus,præter infelicem illum conscientiæ mẽtis cruciatum, æ ternos quoq; emi cruciatus? Pijs contra,pro temporaria,ac leui uexatiuncula, cẽtuplum gaudium puræ conscientiæ,ac uitam deniq; reddi immortalem?

Bene sentiendum de scriptura

CANON II

PRimum igitur esto,nihil hæsitare de promissis diuinis: proximum aũt,ut uiam salu tis,non cunctanter,non timide,sed certo proposito,toto pectore,animo fidenti,atq; (ut ita dixerim)gladiatorio capessas,paratus uel rei,uel uitæ dispẽdiũ pro Christo subire. Piger uult,& nõ uult.Nõ oscitantibus cõtingit regnũ cœlorũ,sed planè uim pati gaudet, & uiolenti rapiunt illud.Huc festinantẽ nõ te charorũ affectus retardet,nõ reuocẽt illece bræ mundi,nõ remorentur curæ domesticæ. Incidenda est secularíũ negotiorũ cathena, quandoquidem explicari nõ potest.Sic deserenda est Aegyptus,ne quãdo redeas animo ad ollas carnium.Raptim ac semel tota deserenda Zodoma,nõ est fas respicere,respexit mulier,& uersa est in simulachrũ saxeũ. Viro non uacat,ulla usquã in regione morari,sed iubetur properare in montem,nisi malit perire.Clamat propheta, ut fugiamus de medio

Nõ respiciendum

Babylonis. Exitus ab Aegypto fuga uocatur. E Babylone fugere iubemur, non ſenſim atq; contanter emigrare. Videas pleroſq; comperendinantes, & conſilijs nimium lentis molientes fugam uitiorum: ubi his me curis, inquiunt, extricauero, ubi illud atq; illud negotij confecero. Stulte, quid ſi hodie à te repetant animam tuam? An neſcis negotiũ è negotio ſeri? uitium uitio inuitari? Quin hodie potius facis, quod quo maturius feceris, hoc factu fuerit facilius? Alibi diligens eſto, hic utiliſſima præcipitatio. Ne reputa, ne penſicu
Fides deo lare, quantum relinquas, certus, Chriſtum unum tibi ſatis futurum pro omnibus. Aude modo te illi toto pectore credere. Aude tibi diffidere, aude omnem tui curam in illũ trans ferre. Deſine inniti tibi, & plena fiducia abijce te in eũ, & excipiet te. Iacta cogitatũ tuum in dominum, & ipſe te enutriet, ut canas illud eiuſdem prophetæ: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocauit. Super aquam refectiõis educauit me, animam meam conuertit. Ne uelis temetipſum partiri duobus, mundo & Chriſto. Non potes duobus dominis ſeruire: nulla ſocietas deo cum Belial: non fert eos qui utroq; genu claudicant: euomit eos, qui neq; frigidi ſunt, neq; calidi, ſed tepidi. Nimis quàm zelo
Duæ uiæ typus animarum amator deus eſt, ſolus ac totum poſſidere uult, quod ſanguine ſuo redemit. Non patitur conſortium diaboli, quem ſemel morte ſua deuicit. Duæ tantũ uiæ ſunt: altera quæ per obſequium affectuum ducit in exitiũ: altera quæ per mortificationẽ carnis ducit ad uitam. Quid tecum hæres? tertia nulla eſt. Harum alteram uelis nolis adeas oportet: quiſquis es, hæc arta tibi ineunda ſemita eſt, per quam pauci mortaliũ ambulant. Sed hanc ipſe calcauit Chriſtus, calcarunt ab orbe condito, quicunq; deo placuerunt. Hæc eſt profecto Adraſtei numinis ineuitabilis neceſſitas: cum Chriſto, mundo crucifigaris neceſſe eſt, ſi uoles cum Chriſto uiuere. Quid inepti nobis ipſi blandimur? Quid tanta in re nobis ipſis imponimus? Hic dicit, non ſum clericus, mundanus ſum, non poſſum non uti mundo. Alius cogitat, & ſi ſacerdos ſum, monachus nõ ſum, uiderit ille. Inuenit & monachus, quo ſibi palpetur: Nõ tã, inquit, monachus ſum, cẽ illi aut illi. Alius dicit: adoleſcẽs ſum, generoſus, diues, aulicus, deniq; princeps, ad me nihil attinẽt, quæ dicta ſunt apoſtolis. Miſer, ergo ad te nihil attinet ut uiuas in Chriſto? Si in mũdo es, in Chriſto nõ es: ſi mũdũ appellas cœlũ, terrã, mare, et hũc cõmunẽ aerẽ, nemo nõ eſt in mũdo: ſin ambitionẽ, delitias, cupiditatẽ, libidinẽ, mundũ dicis, profecto ſi mũdanus es, Chriſtianus nõ es. Omnibus dixit Chriſtus, qui crucẽ ſuã non tolleret, ac ſua ueſtigia ſequeretur, nõ eſſe ſe dignũ. Mori carni cũ Chriſto, nihil ad te, ſi uiuere illius ſpiritu nihil ad te pertinet. Crucifigi mũdo, nihil ad te, ſi uiuere deo, nihil ad te: conſepeliri cum Chriſto, nihil ad te, ſi reſurgere in gloriam, nihil ad te. Chriſti humilitas, paupertas, tribulatio, cõtemptus, labores, agones, dolores, nihil ad te, ſi regnum illius nihil ad te. Quid autem improbius, quàm præmium tibi cum alijs commune ducere, at labores quibus paratur præmium, in paucos quoſdam reijcere? Quid autem delicatius, quàm cum capite conregnare uelle, cum nolis compati?
Mori mundo Noli igitur mi frater circunſpicere quid alij faciant, & eorum collatione tibi blandiri. Ardua quædam & pauciſſimis, etiam monachis cognita res eſt, mori peccato, mori deſiderijs carnalibus, mori mundo. Et hæc eſt communis omnium Chriſtianorum profeſſio. Hoc iam olim in baptiſmo deieraſti. Quo uoto, quod poſſit accedere ſanctius, aut religioſius? Aut pereundum, aut ſine exceptione, hac uia graſſandum ad ſalutem, ſiue reges, ſiue inopes erimus coloni. Quod ſi non omnibus contingit ad perfectam imitationem capitis pertingere, omnibus tamen huc manibus, pedibuſq; eſt enitendum. Bonam Chriſtianiſmi partem habet, qui certo animo decreuit fieri Chriſtianus.

CANON TERTIVS

VErum ne te illud à uirtutis uia deterreat, quòd aſpera uideatur ac triſtis, tum quòd commoditatibus mundi ſit renunciandũ, tũ quòd iugiter confligere oporteat cum tribus improbiſſimis hoſtibus, carne, diabolo & mundo. Hanc tertiã regulã tibi propono, uniuerſa terricula & phantaſmata, quæ tibi ſtatim uelut in ipſis Auerni faucibus occurrunt, pro nihilo ducẽda eſſe, exemplo Aeneæ Vergiliani. Quod ſi ludibrijs inanibus contemptis rem ipſam preſſius fixiuſq; inſpexeris, profecto uidebis, Chriſti uia, præterquam quòd ſola ducit ad felicitatem, etiam omiſſo præmij reſpectu, nullam tamen aliam eſſe commodiorem. Quod enim (quæſo te) uitę genus iuxta mundum tibi deliges, in quo nõ ſint abunde multa triſtia atq; aſpera ſubeunda, tolerandaq;? Aulicã uitã quis neſcit eſſe

erum narum

erumnarum plenam,nisi uel inexpertus,uel certe stultissimus? Deum immortalem, quæ illic,q̃ diutina, q̃ indigna seruitus perferenda, quanta sollicitudine ambienda principis gratia,eblandiẽdus fauor eorum, qui uel nocere possunt,uel prodesse, fingẽdi uultus sub inde noui,mussitanda iniuria potentiorum. Porrò autem,quod tandem malí genus, quo nõ sit referta militia? Vtriusq; rei tu testis esse optimus potes,qui utrunq; tuo periculo dídicisti. Iam uero quid uel non facit uel patitur mercator. Per mare pauperiem fugiẽs, per saxa,per ignes? In coniugio quanta moles curarum familiarium,quam non ibi miseriã uident,qui experiuntur? In publicis obeundis muneribus,quantum solicitudinis,quãtum laboris,quãtum periculi? Quoquo uersum flexeris oculos, ingens turba incõmodorum occurret. Ipsa per se uita mortalium mille erumnis obnoxia est,quę sunt improbis cũ probis communes. Eæ omnes tibi cesserint in cumulum meritorum, si te deprehenderint in uia Christi: sin minus,cum maiore molestia,tum nullo fructu,ferendæ tamẽ. Qui mundo militant,primum q̃ multos annos anhelant,sudant,tumultuantur? Deinde pro quàm ducis,nihilq; rebus? Postremo q̃ ancipiti spe. Adde quod illic adeo nullus est miseriarum finis,ut quo laboratum est diutius,hoc laboretur molestius: Finis denique tam anxiæ, tamq; laboriosæ uitæ,qui tandem? Nempe cruciatus æternus. I nunc, & cũ hac uita compone uiam uirtutis, quæ statim desinit esse aspera, fit progressu mollior, fit iucunda,per quam certissima spe itur ad summum bonum. Nónne extremæ demẽtiæ sit, malle pari labore parare mortem ęternam,quàm uitam immortalem? At isti faciunt,uel hoc insanius, qui præeligunt summis laboribus ire ad labores perennes, quàm mediocribus ad otium immortale. Ad hæc si maxime laboriosior esset pietatis uia quàm mundi,tamen hic laboris asperitas,præmij spe lenitur,nec deest unctio diuina,quæ facit,ut omne fel in mel uertatur. Illic cura curam trahit,dolor ex dolore nascitur: nec mora, nec requies: foris labor & afflictio,intus grauior ægritudo: Ipsa lenimenta exasperant. Hæc ita habere,ne gentiles quidem poetas fugit,qui per Tityi, Ixionis, Tantali, Sisyphi, Pentheiq; supplicium, improborum hominum erumnosam uitam adumbrant. Quorum est & illa fera in libro sapientiæ cõfessio, Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis,ambulauimus uias difficiles,uiam autem domini ignorauimus. Quid Aegyptia seruitute uel fœdius, uel laboriosius? quid Babylonia captiuitate tristius? quid iugo Pharaonis et Nabuchodonosor intolerabilius? Christus autem quid dicit? Tollite iugum meum super uos,& inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est,& onus meũ leue. In summa nulla deest uoluptas,ubi adest tranquilla conscientia. Nulla non adest miseria,ubi cruciat infelix conscientia. Hæc iam plus quàm certa esse oportet. Quod si etiam dubitas, consule eos qui aliquando de medio Babylonis conuersi sunt ad dominum,& uel illorum experimento crede,nihil esse uitijs turbulentius tristiusq;, nihil uirtute expeditius atq; hilarius. Verum age,fingito paria stipendia, pares labores, at quanto tamen optabilius militare sub signis Christi,quàm sub uexillis diaboli? Imò quanto optabilius affligi cum Christo, quàm delicijs affluere cum diabolo? Iam uero non erit uelis & equis fugiendus dominus, non tantum turpissimus,uerumetiam durissimus & fallacissimus? qui tam iniquum pensum exigit? qui tam futilia promittit,quibus ipsis non raro frustratur miseros. Aut si præstat,rursus ubi lubitum est tollit,ut maiore ægritudine amittant parta,quàm labore peperint. Mercator postea quam fasq; nefasq; cumulandę rei studio miscuit,famam,uitã,animam mille periculis obiecit,si quidem bene ceciderit fortunæ alea, quid tandem aliud sibi parauit,quàm miseræ solicitudinis materiam,ut seruet: cruciatum, si perdat. Sin male, quid reliquum est,nisi ut bis fiat miser,& quod re sperata frustratus est,& quod tantũ irriti laboris exhaustum,non sine dolore meminit? Nemo ad bonam mentẽ certo animo contendit,qui non peruenerit. Christus ut non irridetur,ita nec irridet. Cogita & illud, & cũ à mundo fugis ad Christum,non te relinquere,si qua commoda mundus habet, sed leuiora cum potioribus commutare. Quis non oppido lubens argentum auro,silicem gemma commutauerit? Offenduntur amici,quid tum? Inuenies iucundiores. Carebis uoluptatibus? sed frueris internis,quæ sunt uel suauiores,uel synceriores,uel certiores, Minuenda res? At crescunt opes illæ,quas neq; tineæ demoliuntur,neq; tollunt fures. Desinis esse in precio apud mundum? At probaris autore Christo. Places paucioribus, sed melioribus. Macrescit corpus,sed saginatur animus. Marcescit nitor cutis, sed enitescit decus animi.

Mercatorum molestiæ

Coniugij miseriæ

Christianorũ uita

At si

At ſi per cętera eodẽ modo cucurreris, intelliges nihil, uel falſi boni relinquì mũdo, quoꝺ non longe præſtantiore compendio compẽſetur. Quod ſi qua ſunt, quæ quanquam non poſſunt non uitioſe deſyderari, ſine uitio tamen poſſideri poſſunt, quod genus opinio popularis, fauor uulgi, gratia, autoritas, amici, honos uirtuti habitus, ferè fit, ut primum quærentibus regnum dei, ultro hæc omnia adijciãtur, id quod promiſit Chriſtus, & deus prę-
Omnia bonis proſpera ſtitit Solomoni. Fortuna plerunq; ſequitur fugientes, fugit ſequẽtes. Certe quicquid acciderit deũ diligentibus, nihil nõ eſſe proſperũ poteſt, quibus diſpendia in cõpendium, flagella in ſolatium, opprobria in gloriam, cruciatus in uoluptatem, triſtia in dulcia, mala uertuntur in bona. Hanc igitur uiam dubitas capeſſere, & illam relinquere, cum tam iniqua ſit collatio, immò tam nulla, dei ad diabolum, ſpei ad ſpem, præmij ad præmium, laboris ad laborem, ſolatij ad ſolatium.

CANON IIII

SEd ut certiore curſu queas ad felicitatem contendere, hæc tibi quarta ſit regula, ut totius uitæ tuæ Chriſtum, uelut unicũ ſcopum præfigas, ad quẽ unum omnia ſtudia, omnes conatus, omne ociũ ac negociũ cõferas. Chriſtum uero eſſe puta, nõ uocẽ inanem,
Chriſtus quid ſit ſed nihil aliud, cũq; charitatẽ ſimplicitatẽ, patientiã, puritatẽ, breuiter quicquid ille docuit.
Diabolus quid Diabolũ nihil aliud intellige, q̃ quicquid ab illis auocat. Ad Chriſtũ tendit, qui ad ſolã uirtutem fertur. Diabolo ſe mãcipat, qui ſeruit uitijs. Simplex ergo ſit oculus tuus, & totum corpus tuum lucidũ erit: ad ſolum Chriſtum tanq; ad unicũ & ſummũ bonum ſpectet, ut nihil ames, nihil mireris, nihil expetas, niſi aut Chriſtũ, aut propter Chriſtum. Nihil oderis, nihil horreas, nihil fugias, præter unã turpitudinẽ, aut propter turpitudinẽ. Ita fiet, ut quicquid egeris, ſiue dormias, ſiue uigiles, ſiue edas aut bibas, ipſi deniq; luſus tui & otia, dicã audacius, imò & uitia quædã leuiora, in quæ nõ nunq; ad uirtutẽ properantes incidimus, omnia tibi cedant in cumulum præmij. Quod ſi nequã erit oculus tuus, & alio q̃ ad Chriſtum ſpectaris, etiam ſi qua recta feceris, infrugifera fuerint, aut etiam pernitioſa. Vitium eñ eſt, rẽ bonam nõ bene agere. Tum ad ſummi boni metã recta feſtinanti, quęcũq; obiter occurrunt, eatenus ſunt aut reijciẽda, aut aſſumẽda, quatenus curſum tuum aut ad
Triplex ordo rerum iuuant, aut impediunt. Earum rerum fermè triplex eſt ordo. Quædã enim ita ſunt turpia, ut honeſta eſſe non poſſint, uelut ulciſci iniuriã, male uelle homini. Hęc ſemper aſpernanda, quantouis etiam emolumẽto propoſito, aut cruciatu. Nihil enim eſt, quod bonum uirum queat lædere, præter unã turpitudinẽ. Quædam è regione ita ſunt honeſta, ut turpia eſſe non poſſint. Quod genus ſunt, bene uelle omnibus, iuuare honeſtis rationibus amicos, odiſſe uitia, gaudere pijs ſermonibus. Quædã uero media, ueluti ualetudo, forma, uires, facũdia, eruditio, & his ſimilia. Ex hoc igitur poſtremo genere rerum, nihil propter ſe expetendum, neq; magis, minúſue adhibendæ ſunt, niſi quatenus cõducunt ad ſummam metam. Sunt enim & philoſophis quidã fines imperfecti, ac medij, in quibus nõ oporteat conſiſtere, quibuſq; cõueniat uti, nõ frui. Verum quæ media ſunt, nõ eodẽ modo omnia, aut cõferunt aut officiunt ad Chriſtũ euntibus: proinde pro momento quod habent, ſunt aſſumẽda, aut repudiãda. Scientia plus adfert adiumẽti ad pietatẽ cũ forma, aut uires corporis, aut opes. Et quanq; omnis eruditio poteſt ad Chriſtum referri, alia tamen alia propiore uia conducit. Ab hoc fine, mediorum omnium utilitatẽ, aut inutilitatem, metire. Literas amas, recte, ſi propter Chriſtum. Sin ideo tantum amas, ut ſcias, ibi conſiſtis, unde gradum facere oportebat. Quod ſi literas expetis, ut illis adiutus, Chriſtum in arcanis literis latẽtem clarius perſpicias, perſpectum ames, cognitum atq; amatum cõmunices, aut fruaris, accinge te ad ſtudia literarum. Verum non ultra quàm ad bonam mẽtem arbitre-
Quatenus gẽtilium literæ legendæ re profuturas. Si tibi confidis, & ingens in Chriſto lucrum ſperas, perge tanquam audax mercator, longius etiam in gentilium literis peregrinari, atq; Aegyptias opes ad dominici templi honeſtamentum conuertere. Sin metuis plus diſpendij quàm ſperas compendij, ad primam illam regulam redi: Noſce teipſum, & tuo te modulo metire. Satius eſt minus ſapere & amare magis, quàm magis ſapere, & non amare. Ergo ſcientia in medijs principatum obtinet. Deinde ſunt ualetudo, dotes ingenij, facundia, forma, uires, dignitas, gratia, autoritas, proſperitas, fama, genus, amici, res familiaris: horum unumquodque ut proximo curſu ad uirtutem conducet, ita maxime erit adhibendum, ſed ſi quidem currentibus nobis offerantur. Sin minus, non erit tamen horum gratia à propoſito curſu deflectendum. Obuenit pecunia, ſi nihil obſtat ad bonam mentem, adminiſtra, pa-

ra tibi

ra tibi amicos de mammona iniquitatis. Sin bonæ mentis times dispendium, cõtemne da mnosum lucrum, & uel Cratem illum Thebanum imitare, molestam sarcinã in mare potius precipita, q̃ te retardet à Christo. Id erit tibi factu procliuius, si quemadmodum dixi mus, assueris nihil mirari eorum, quæ sunt extra te, id est, quæ nõ pertinent ad hominem interiorẽ. Ita enim fiet, ut neq; insolescas, si hæc contigerint, neq; discrucieris animo, si uel negata fuerint, uel erepta, quippe qui felicitatem tuam uno Christo metiris. Quod si citra tuum studium contingunt, solicitior esto, non securior: id cogitans, datã tibi diuinitus uirtutis exercendæ materiã, sed periculosam. Quod si suspectã habes fortunę benignitatem, Prometheũ imitare. Ne receperis dolosam pyxidem, & expeditus ac nudus ad unicum illud bonum contende. Qui uero pecuniam, ut rem magnã ingenti solicitudine expetunt & in ea statuunt præcipuum uitæ præsidiũ, qui se beatos putant, ea incolumi, qui miseros clamitant, cum perijt, ij nimirum plures deos sibi finxere. Aequasti Christo pecuniã, si ea te potest felicem, aut infelicem reddere. Quod dixi de pecunia, idem de honoribus, uoluptatibus, ualetudine, imo & de ipsa uita corporis accipe. Tanto ardore ad unũ Christum scopum nostrũ oportet eniti, ut horum nihil uacet magnopere curare, siue cũ dantur, siue cum tolluntur, tempus enim breue est, ut ait apostolus. Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint tanq̃ nõ utentes. Hãc mentẽ (scio) mundus ut stultã, ac male sanã ridet, uerũ per hanc unam stultitiam, placuit deo saluos facere credentes. Et quod stultum est dei sapientius est hominibus. Ad hanc itaq; regulam, quicquid & agis, exiges. Exerces artem, recte, si sine fraude. Verũ quo spectas? Vt alas familiã. At quorsum tibi familiã? Vt eam Christo lucrifacias? Bene curris. Ieiunas, piũ quidẽ opus in speciem. Sed quò refers tuum ieiuniũ? Vt parcas penui, aut ut religiosior habearis. Neq; est oculus tuus. At ieiunas, ne in morbũ incurras. Cur morbum metuis? Ne te priuet usu uoluptatum. Vitiosus est oculus tuus. Sed ualere uis, ut studio sufficias. Studiũ uero, quo refers? Vt sacerdotiũ aliquod tibi pares. Sacerdotium quo animo ambis? Nempe ut tibi uiuas, nõ Christo. Aberrasti à signo quod Christianũ oportet ubiq; prefixum habere. Sumis cibũ ut ualeas corpore. Sed ideo ualere uis corpore, ut sanctis studijs, sanctis uigilijs sufficias. Scopum attigisti. Curas aũt ualetudinẽ, ne fias deformior, ne libidini non sufficias, à Christo excidisti, alium deũ tibi faciẽs. Sunt qui certos diuos, certis quibusdã colunt ceremonijs. Alius Christophorũ singulis salutat diebus, sed nõ nisi cõspecta eius imagine, quò tandẽ species? Nempe huc, quod sibi persuaserit, sese eo die à mala morte tutũ fore. Alius Rochũ quendã adorat, sed cur? Quod illũ credat pestem à corpore depellere. Alius Barbarę, aut Georgio certas preculas admurmurat, ne in manus hostium ueniat. Hic ieiunat Apolloniæ, ne doleant dentes. Ille uisit diui Iob simulachra, ut scabie careat. Nõnulli de lucro certam portionem pauperibus nuncupãt, ne merces naufragio intercidãt. Hieroni cereolus accẽditur, ut res quę perijt recipiatur. In summa, ad hunc modum, quot res sunt quas uel timemus uel cupimus, totidem ijs diuos præfecimus: qui & ipsi diuersis nationibus diuersi sunt, ut id apud Gallos ualeat Paulus, quod apud nostrates Hieron, neque passim id ualeat Iacobus aut Ioannes, quod illo atque illo loco. Quę quidem pietas, nisi à respectu commodorum atq; incommodorum corporalium ad Christum referatur, à Deo Christiana non est, ut non ita multum absit à superstitione eorum, qui quondam Herculi decimam bonorum partem uouebant, ut ditescerent, aut Aesculapio gallum, ut à morbo reualescerent, aut qui Neptuno taurum cædebant, ut feliciter nauigarent. Nomina quidem commutata sunt, sed finis utrisque communis. Oras deum, ne tibi mors accidat præmatura, & non oras potius, ut tibi mentẽ meliorem largiatur, ut quocunq; loco te mors oppresserit, non offendat imparatũ. Tu nõ cogitas de mutãda uita, & deũ rogas ne moriaris. Quid igitur oras? nimirũ ut q̃ diutissime pecces. oras diuitias, & nescis uti diuitijs: nõne tuã ipsius perniciẽ oras? oras bonã ualetudinẽ, & abuteris sanitate, nõne pietas tua impia est? Reclamabit hoc loco protinus à quibusdã religiosulis, qui quæstũ existimant pietatẽ, & ut idẽ ait, per dulces quasdã benedictiones seducunt corda innocentiũ, uentri suo seruientes, nõ Iesu Christo. Ergo ne, inquient, tu uetas cultum sanctorũ, in quibus deus honoratur? Ego uero nõ tã damno eos, qui hæc simplici quadam superstitione faciunt, q̃ qui emolumentum suum secuti, ea quæ tolerabilia fortasse sunt pro summa & absoluta pietate efferunt, & suo commodo fouent imperitiam plebis, quam ne ego quidem omnino contemno, uerum non

Pecuniæ quõ amandæ

Labor Ieiunium

Superstitiosi cultus diuorũ

Dij auxiliares & tutelares res

non feram,ut media pro ſummis,minima pro maximis habeãt. Laudabo quod à Rocho ſuo petant incolumem uitam,ſi eam uitam conſecrent Chriſto.Magis autem laudabo,ſi nihil aliud orent quàm ut cum odio uitiorum augeatur amor uirtutum. De moriendo ac uiuendo deo in manum dent,dicãtq; cum Paulo:Siue uiuimus,ſiue morimur,domino ui uimus ac morimur.Perfectum erit,ſi diſſolui cupiant,& eſſe cũ Chriſto, ſi in morbis,damnis,reliquiſq; fortunę incommodis gloriam & gaudium ſuum conſtituant,quod digni habeantur,qui uel hoc modo capiti ſuo conformentur.Ergo non tam reprehendendũ iſti uſmodi facere, quàm pernicioſum in eis conſiſtere atq; inniti. Tolero infirmitatem, ſed cum Paulo uiam demonſtro excellentiorem. Ad hanc regulam ſi ſtudia & actus omnes tuos excuſſeris,neq; uſquam conſtiteris in medijs,donec peruenerís uſq; ad Chriſtũ, nec aberrabis unquam à uia,neq; rem ullam in uita aut facies,aut patieris, quæ tibi non uertatur in materiam pietatis.

CANON QVINTVS

Perfecta pietas

ADdamus & quintam regulam huic quaſi ſubſidiariam,ut in hoc uno cõſtituas perfectam pietatem,ſi coneris ſemper à rebus uiſibilibus,quæ ferè uel imperfectæ,uel mediæ ſunt,ad inuiſibilia proficere, iuxta ſuperiorem hominis diuiſionem. Hoc præceptum adeo ad rẽ pertinet,ut eius ſiue neglectu,ſiue inſcitia,plerique Chriſtiani pro pijs ſint ſuperſtitioſi,& præter cognomen Chriſti,non admodum abſint à ſuperſtitione gentiliũ. Duos igitur quoſdã mundos imaginemur,alterũ intelligibilẽ tantũ,alterũ uiſibilẽ,intelligibilem, quem & angelicũ licebit appellare,in quo deus cum beatis mẽtibus: Viſibilem, cœleſtes ſphæras,& quod in his includitur. Tum hominem ueluti tertium quẽdam mundum utriuſq; participem,uiſibilis ſecundum corpus,inuiſibilis ſecundũ animã. In mundo uiſibili quoniam peregrini ſumus,nuſquam oportet cõquieſcere, ſed quicquid occurrit ſenſibus,id apta quadam collatione,uel ad mundum angelicum,uel (quod eſt utilius) ad mores,& ad illi reſpondentẽ hominis partẽ,referre. Quod ſol hic in mundo uiſibili,id diuina mẽs in mundo intelligibili,& in ei cognata tui parte,puta ſpiritu. Quod illic luna, hoc in illo cœtus angelorũ,& animarũ piarũ,quã uocant eccleſiã triumphantẽ, hoc & in te ſpiritus. Quicquid agit mundus ſuperior in ſibi ſubiectã terrã,hoc agit deus in tuã ani-

Sol mens diuina

mã. Occidit ſol,oritur,æſtuat, tẽperatur, uiuificat, producit, maturat,attrahit,extenuat, purgat,durat,emollit,illuſtrat,ſerenat,exhilarat. Ergo quicqd in eo uides,imò quicquid in hoc craſſiore mũdo, q cõſtat ex elemẽtis,quẽ nõnulli à reliquis diſtinxere:deniq; quicquid in craſſiore tui parte,id aſſueſcas ad deũ,atq; inuiſibilẽ tui portionẽ referre. Ita fiet, ut quicquid uſq; ſeſe ſenſibus obiecerit,id tibi fiat occaſio pietatis. Cum delectat oculos corporeos,quoties ſol hic uiſibilis nouo lumine ſeſe terris infundit, tu protinus cogita, quæ ſit illa uoluptas cœlitum,quibus æternus ille ſol ſemper oritur,nec unquã occidit: quantum illud gaudium puræ mentis,cui diuinum lumen irradiat. Atq; admonente creatura uiſibili,ora uerbis Paulinis,ut qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuceſcat in corde tuo,ad illuminationem ſcientiæ claritatis dei,in facie Chriſti Ieſu. Repete conſimiles locos è ſacris libris, in quibus paſſim gratia ſpiritus diuini, lumini comparatur. Triſtis tibi nox ac tetra uidetur. Animam cogita diuino lumine deſtitutam,ac uitijs caligantem. Et ſi quid noctis intra te deprehenderis ora ut tibi exoriatur ſol iuſtitiæ. Sic autem ex iſtima,adeo non eſſe nullas res inuiſibiles,ut eæ quæ uidentur, præ illis uix umbræ quædam ſint,tenuem modo quandam imaginem illarum oculis repræſentãtes. Proinde quicquid in corporeis rebus ſenſus,aut appetunt,aut horrent,idem conueniet in internis ſpiritũ longe magis amare,aut odiſſe. Arridet oculis decora ſpecies corporis. Cogita q̃ honeſta res ſit ſpecies animæ. Inſuaue quiddam uidetur,deformis uultus. Memento quàm odioſa res ſit,mens uitijs deturpata. Atque idem de reliquis facito:eſt enim animæ,ut ſua quædam uenuſtas,aut deformitas,qua uiciſſim deo placet ac diabolo,ſimilis ſimili:ita eſt illi & ſua quædam iuuenta,ſenecta,morbus,ſanitas,mors,uita,paupertas,opulentia,uoluptas,dolor,bellum,pax,frigus,calor,ſitis,potus,fames, cibus: breuiter quicquid ſentitur in corpore,id intelligendum eſt in anima. Ergo in hoc eſt iter ad uitã ſpiritalem ac perfectam,ſi ſenſim aſſueſcamus abduci ab ijs, quæ uere non ſunt, ſed partim apparent eſſe quod non ſunt,ut uoluptas turpis,honor mundi, partim fluunt,atq; in nihilum redire feſtinant,rapiamurq; ad illa quæ uere ſunt æterna,incommutabilia, ſyncera. Id quod uidit

Lumẽ gratia dei dicitur

Turpis uoluptas

& Socra-

& Socrates, uir non tam lingua, quàm uita philosophus: ait enim ita demum animam feliciter emigrare è corpore, si prius per philosophiam mortem fuerit diligẽter meditata, & multo ante per rerum corporalium contemptum, & spiritalium amorem ac contemplationem assueuerit tanquam à corpore abesse. Neq; aliud est crux illa, ad quam nos uocauit Christus, neq; aliud mors qua nos capiti commori uult Paulus, quemadmodum dicit & propheta: Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis: & quod alijs uerbis scribit Apostolus: Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram, quæ sursum sunt sapite: quàm ut ad res corporeas obstupescamus, & tanquam in sensibiles reddamur, ut tanto magis sapiamus in his quæ sunt spiritus, quanto magis in illis desipuerimus. Tanto uerius intus incipiamus uiuere, quanto minus uixerimus foris. Denique ut dicam planius, eo minus nos moueant res caducæ, quo magis cognitæ fuerint æternæ: hoc minus miremur umbraticas, quo magis suspicere cœperimus ueras. Ergo hæc regula semper ad manum habenda, necubi in rebus temporarijs restitemus, sed inde ueluti gradu facto ad spiritalium amorem, adhibita collatione, assurgamus, aut præ his quæ sunt inuisibilia, id quod est uisibile, contemnere incipiamus. Tolerabilior erit morbus corporis, si cogitaris eum remedium esse animæ. Minus eris solicitus de ualetudine corporis, si totam curam ad tuendam animi ualetudinem conuerteris. Terret te mors corporis, multo magis formidanda mors animæ. Horres uenenum uisibile, quod perniciem adfert corpori, longe magis horrendum uirus, quod interimit animam. Cicuta uenenum corporis, at multo præsentius uenenum animæ uoluptas. Horrescis, exalbescis, metuens, ne te feriat fulmen, quod è nubibus emicat, & quanto magis formidandum, ne ueniat in te fulmen inuisibile iræ diuinæ: Ite maledicti in ignem æternum? Rapit te uenustas corporis, cur non magis ardes eam speciem quæ latet? In eam transfer amorem tuum quæ perpetua est, quæ cœlestis, quæ incorrupta, & moderatius amabis formam caducam & fugacem corporis. Oras ut compluatur ager ne sitiat, magis ora, ut Deus compluat mentem tuam, ne à uirtutum fruge sterilescat. Magna cura resarcis dispendium rei pecuniariæ, maxima cura resarcienda iactura mentis. Prospicis in senectam, ne quid desit corpori, & non consulendum, ne quid desit animo? Atq; hoc quidem faciendum in his rebus, quæ quotidie sunt obuiæ sensibus nostris, atq; eos pro uarietate speciei, uarie afficiunt, spe, metu, amore, odio, dolore, uoluptate. Idem obseruandum in omnibus literis, quæ ex simplici sensu & mysterio, tanquam corpore atq; animo constant, ut contempta litera, ad mysterium potissimum spectes: cuiusmodi sunt literæ poetarum omnium, & ex Philosophis Platonicorum: maxime uero scripturæ diuinæ, quæ ferè Sileni illis Alcibiadeis similes, sub tectorio sordido ac penè ridiculo, merum numen claudunt. Alioqui si sine allegoria legeris, Adæ simulachrum de argilla uda formatum, eiq; inspiratam animam, Euam de costa subductam, interdictum, ne de ligno ederent: serpentem suasorem, deum inambulantem ad auram, conscios latitantes: angelum cum romphæa uersatili foribus paradisi additum, ne eiectis pateret reditus, breuiter totã orbis conditi historiam, si nihil ultra superficiem quæsieris, non uideo quid ita multo magis operæprecium sis facturus, quàm si cantaueris luteum simulachrum Promethei, ignem dolo subiectum, eum simulachro inditum, lutum animasse. Immo fortasse pluisculo fructu legetur fabula poetica cum allegoria, quàm narratio sacrorum librorum, si consistas in cortice. Si te legentem admonet fabula gigantum, non esse pugnandum cum superis, aut abstinendum esse ab ijs studijs, à quibus natura abhorret, adijciendum animum ad ea (modo honesta sint) ad quæ natura propensior es, uti ne coniugio te impedias, si tuis moribus cœlibatus magis conuenit, rursum, ne cœlibatui te addicas, si coniugio uideris utilior: ferè enim infeliciter euenire, quæ tentes inuita Minerua. Si te Circes pocula docent, homines uoluptatibus tanquam ueneficijs dementari, uertiq; prorsus ex hominibus in pecudes. Si Tantalus sitiens, miserrimum esse, opibus congestis inhiantem, uti non audere. Si Sisyphi saxum, laboriosam, & miseram esse ambitionem. Si Herculis labores admonent, honestis studijs, & industria infatigata parari cœlum: nonne hoc discis in fabula, quod præcipiunt Philosophi & Theologi uitæ magistri? At si citra allegoriam legeris, infantes in utero colluctantes, uendita pulmento primogenita, benedictionem patris dolo præreptam, Goliad funda Dauid ictum, Sampsoni derasum capillum, non ita ma-

Mysterium in literis omnibus spectetur.

Citra allegoriã sterilis est scriptura

gni refert, quàm si poeticum legas figmentum. Quid interest, regum aut iudicum libros legas, an Liuianam historiã, modo in neutra species allegoriam? Nã in illa multa insunt, quæ mores communes emendent, in hac nonnulla etiam absurda in speciem, & quę summa cute intellecta, moribus officiant: ueluti latrocinium Dauid: adulteriũ homicidio emptum: Sampson perdite amans, furtiuus filiarum cum Loth concubitus, atq; id genus alia mille. Proinde ubiq; contempta carne scripturæ, maxime ueteris testamenti, spiritus mysticum rimari conueniet. Hoc tibi sapiet Manna, quod palato tecum attuleris. Sed in eruendis mysterijs non oportet animi tui coniecturas sequi, uerum cognoscẽda ratio, & ueluti ars quædam, quam tradit Dionysius quidam in libro de diuinis nominibus, & diuus Augustinus in opere de doctrina Christiana. Paulus autem Apostolus post Christũ fontes quosdam aperuit allegoriarum, quem secutus Origenes, in hac parte theologiæ facile principatum obtinet. Eam uero nostri Theologi, aut aspernantur ferè, aut oppido quàm frigide tractant, in acumine disserendi ueteribus uel pares, uel superiores, in huius muneris tractatione ne conferendi quidem cum istis. Idq; duabus potissimum (ut conijcio) de causis. Altera quod non potest non frigere mysterium, quod non eloquentiæ uiribus, ac dicendi lepore quodam condiatur, qua in re præcelluerũt ueteres, nos ne attingimus quidem. Altera, quod uno Aristotele contenti, Platonicos & Pythagoricos arcent a ludis. At hos posteriores præfert Augustinus, non solum quod pleraſque sententias habent admodum consentaneas nostrę religioni, uerumetiam quod ipsum dictionis genus figuratum, ut diximus, & allegorijs frequens, propius accedit ad sermonem sacræ scripturæ. Non igitur mirum si commodius tractauerunt allegorias theologicas, qui dicendi copia rem quamlibet, etiam ieiunam ac frigidam locupletare & conuestire poterant, tum qui omnis antiquitatis doctissimi, quod in mysterijs diuinis erat faciendum, id fuerant olim in poetis & Platonicis libris meditati. Horum igitur commentationes te malo euoluere, utpote qui non ad scholasticam concertationem, sed ad bonam mentẽ te instituam. Quod si non assequeris mysterium, memineris tamen subesse, quod quidem uel incognitum sperare præstabilius est, quàm in litera occidente conquiescere. Neq; id modo in ueteri testamento, uerum etiam in nouo. Habet Euangelium carnem suam, habet & spiritum. Nam etiamsi detractum est uelum à facie Moysi, tamen adhuc Paulus uidet per speculum & in ænigmate. Et ut apud Ioannem ipse dixit Christus: Caro non prodest quicquam, spiritus est qui uiuificat. Mihi quidem religio fuisset dicere nõ prodest quicquam, satis fuerat futurum, caro non nihil prodest, sel multo amplius spiritus: nunc ipsa dixit ueritas, non prodest quicquam. Adeóque non prodest, ut iuxta Paulum mortifera sit, nisi ad spiritum referatur. Alioqui uel hoc utilis est caro, quod infirmitatem quasi gradibus quibusdam ducit ad spiritum. Corpus sine spiritu non potest subsistere, spiritus corpore nihil eget. Quod si Christo autore tanta res est spiritus, ut sola uiuificet, huc tendendum, ut in omnibus literis, omnibus actibus spiritum respiciamus non carnem. Etsi quis obseruauerit, animaduertet hoc unum esse, quò nos uocant, inter prophetas pręcipuus Esaias, inter apostolos Paulus, qui nulla penè epistola non hoc agit, non inculcat, nihil fidendum esse carni, in spiritu esse uitam, libertatem, lumen, adoptionem, & fructus illos optabiles, quos enumerat, Carnem ubiq; cõtemnit, damnat, dissuadet. Attende, & deprehendes passim hoc idem agere præceptorem nostrum Iesum, dum in tollẽdo de puteo asino, in illuminando cæco, in confricandis aristis, in non lotis manibus, in cõuiuijs peccatorũ, in parabola pharisæi & publicani, in ieiunijs, in fratribus secundum carnem, in gloria Iudæorum, quod essent filij Abrahæ, in muneribus offerendis, in precationibus, in phylacterijs dilatatis, multisq; similibus locis, contemnit carnem legis & superstitionem eorum, qui malebant esse Iudæi in manifesto, quàm in occulto. Et cum dicit mulierculæ Samaritanæ: Mulier, crede mihi, quia uenit hora, quando neque in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrem. Sed uenit hora, & nũc est, cum ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Idem facto significauit, cum in nuptijs aquam frigidæ & insipidæ literæ uertit in uinum spiritus, ad uitæ contemptum animas inebrians spiritales. Et ne magnũ putes, quod ista cõtempsit Christus, quæ modo cõmemorauimus. Imò contempsit & carnis suæ manducationẽ, & sanguinis potum

In literis sacris non nulla etiam absurda in speciem

Veteres ob eloquentiã cõmode tractarũt allegorias

Euangeliũ habet suã carnẽ & spiritum

potum, nisi & spiritaliter edatur atq; bibatur. Quibus enim putas ista locutus est, Caro non prodest quicquam, spiritus est qui uiuificat? Nempe non ijs, qui Euangelio de collo suspenso, aut cruce ærea, se tutos ab omni malo putant, idq; perfectam religionem existimant, sed quibus summum mysterium, de sumendo corpore suo aperuerat. Si res tanta nihil est, immo si perniciosa, quid est cur ullis alijs rebus carnalibus fidamus nisi adsit spiritus. Tu forte quotidie sacrificas, & tibi uiuis, neque ad te pertinent incommoda proximi tui: adhuc in carne es sacramenti. Verum si sacrificans das operam id esse, quod illa sumptio significat, puta idem spiritus cum spiritu Christi, idem corpus cum corpore Christi, uiuum membrum ecclesiæ, Si nihil amas nisi in Christo, si omnia tua bona putas omnibus esse communia, si omnium incommoda tibi perinde ut tua dolent, ita demum magno fructu sacrificas, nempe quia spiritualiter. Si te sentis in Christum quodammodo transfigurari, & iam minus minúsque in te ipso uiuere, spiritui gratias age, qui solus uiuificat. Multi quot quoque die sacris adfuerint numerare solent, atque hac re tanquam maxima freti, quasi iam nihil præterea debeant Christo, ita templis egressi, ad pristinos mores redeunt. Quod carnem pietatis amplectuntur, laudo: quod illic consistunt, non laudo. peragatur in te, quod illic oculis repræsentatur: repræsentatur mors capitis. Excute te intus in sinu, quod aiunt, quàm prope tu mortuus mũdo. Quod si te totum adhuc possident, ira, ambitio, cupiditas, uoluptas, inuidia, etiam si contingas altare, procul tamen abes à sacro. Occisus est pro te Christus. macta & tu pecudes istas. Sacrifica temetipsum illi, qui pro te semet immolauit patri. Hæc si ne cogitas quidem, & in illo confidis, odit Deus pinguem tuam & crassam religionem. Baptizatus es, ne protinus te Christianum putes: mens tota nihil nisi mundum sapit: in manifesto Christianus es, in occulto gentili gentilior. Cur ita? quia corpus sacramenti tenes, spiritu uacas: ablutum est corpus, quid refert, dum animus manet inquinatus? Sale contacta est caro, quid tum, si insulsus manet animus? Vnctum est corpus, at inunctus animus. Sin consepultus es Christo intus, & iam cum eo in nouitate uitæ meditaris ambulare, agnosco Christianum. Aspergeris aquula consecrata, quorsum attinet, modo tu internas sordes nõ abstergas ab animo? Veneraris diuos, gaudes eorum reliquias contingere. Sed cõtemnis, quod illi reliquerunt optimum, puta uitæ puræ exempla. Nullus cultus gratior Mariæ, quàm si Mariæ humilitatẽ imiteris: nulla religio sanctis acceptior, magisq; propria, quàm si uirtutem illorum exprimere labores. Vis tibi demereri Petrum aut Paulum? alterius fidem, alterius imitare charitatem, et plus feceris, quàm si decies Romam cursitaris. Vis summo honore Francisci cum afficere? elatus es, admirator pecuniæ es, contentiosus es: largire hoc diuo: compesce animos, & exemplo Francisci, esto modestior, contemne sordidum lucrum, & inhia bonis animi. Remitte contentionem, & uince in bono malum. Istum honorem pluris faciet diuus ille, quàm si centum illi cereos accenderis. Magnum quiddam putas, si Francisci cucullo obuolutus, sepulchro inferaris. Nihil proderit uestis similis mortuo tibi, si mores fuerunt dissimiles uiuo. Et quanquam uniuersæ pietatis exemplar à Christo cõmodissime petitur, tamen Christi cultus in sanctis eius te impendio delectat, Christum facito in sanctis imiteris, & ad singulorum honorem, singula uitia mutare, aut singulas uirtutes amplecti stude. Hoc si accesserit, iam & illa quæ foris fiunt, non improbabo. Summa ueneratione complecteris cineres Pauli, non damno, si sibi constat tua religio. Si ueneraris cinerem mutũ & mortuum, & uiuã illius imaginem adhuc loquentem, ac tanq; spirãtem, quæ in illius literis supereſt, negligis, nónne præpostera est tua religio? Adoras ossa Pauli in loculis condita, non adoras mentem Pauli, in scriptis latentem? Magni facis fragmentum corporis, per uitrum perspicuum, & non miraris totum animum Pauli per literas pellucentem? Cineres colis, ad quos nonnunquam uitia tollũtur corporum, cur non literas magis, quibus uitia sanantur animarum? Signa ista mirentur infideles, quibus data sunt, tu fidelis libros illius amplectere, ut qui nõ diffidis deũ omnia posse, discas illum super omnia diligere. Honoras imaginem uultus Christi saxo, lignóue deformatam aut fucatam coloribus, multo religiosius honoranda mentis illius imago, quæ spiritus sancti artificio, expressa est literis Euangelicis. Nullus Apelles sic effingit penicillo liniamenta figuramq; corporis, ut in oratione cuiusq; relucet imago mentis, præsertim in Christo, qui cum esset summa simplicitas ueritasq;, nihil omnino poterat esse dissi-

Quid spiritaliter sumere, corpus Christi

mílitudínis inter archetypum diuini pectoris,& inde ductam imaginem ſermonis. Vt ni hil patri ſimílius,quàm filius,patris uerbum,ex intimo illius corde promanans: ita Chri/ſto nihil ſimílius,quàm Chriſti uerbum de pectoris illius ſanctiſſimi adytis redditum. Et hanc imaginem non miraris,non adoras,non oculis pijs colluſtras,non animo amplecte ris? Tam ſanctas,tam efficaces habes domini tui reliquías,& his neglectis, multo quæris alieniora? Attonitus ſpectas tunicam aut ſudarium quod fertur Chriſti,& ſomniculoſus legis oracula Chriſti? Maximo maius eſſe credis,quod crucis portiunculam domi poſſi/des. At illud nihil eſt præ illo,ſi myſterium crucis in pectore conditum geſtes. Alioqui ſi iſta faciunt religioſum,quid religioſius Iudæis,quorum impijſſimi plericꝫ Ieſum tamẽ in carne uiuentem oculis uiderunt,auribus audierunt,manibus cõtrectarunt: quid Iuda fe licius,qui ore os diuinum preſſit? Adeo ſine ſpiritu nõ prodeſt caro quicquam, ut ne uir/gini quidem matri profuturum fuerit,quod eum de ſua carne genuit,niſi & ſpiritu ſpiri/tum illius concepiſſet. Maximum hoc,ſed audi maius. Apoſtoli donec corporeo Chriſti contubernio fruerentur, nõne legis quàm fuerint imbecilles, & pingue quiddam adhuc ſapuerint? Quis aliud ad abſolutã ſalutẽ deſyderaret, & tam diuturnum dei atꝫ hominis conuictum? Et tamen poſt ædita miracula,poſt tot annis exhibitã diuini oris doctrinam, poſt argumenta reſuſcitati,nónne ſuprema hora, iam recipiendus in cœlum, exprobrat eis incredulitatem illorum? Quid igitur in cauſa? Nempe obſtabat caro Chriſti,atꝫ inde eſt,quod ille dicit: Niſi ego abiero,paracletus non ueniet. Expedit uobis, ut ego uadam. Chriſti corporea preſentia inutilis ad ſalutem,& in ulla preterea re corporali audebimus perfectam pietatem ſtatuere? Paulus uiderat Chriſtum in carne. Quid hoc maius eſſe pu tas? At ille contemnit: dicens. Etſi Chriſtum inquit nouimus ſecundum carnem, ſed iam nunc non nouimus. Quare nõ nouerat? Quia profecerat ad meliora chariſmata ſpiritus. Verboſius forte hæc diſputo,quàm cõueniat ei,qui regulas tradit. Verum id eò facio ac curatius,neꝫ ſine graui cauſa,quod re ipſa compertum habeam,hunc errorem commu/nem eſſe peſtem totius chriſtianiſmi,quæ uel hoc grauiorem perniciem adfert,quod ſpe/cie quidem pietati proxima eſt. Nulla enim periculoſiora uitia,quàm quæ uirtutem imi/tantur. Nam præterquàm quod bonis etiam lubricus in ea lapſus eſt,nulla difficilius cor/riguntur, propterea quod uulgus imperitum religionem uiolari credit, dum iſtiuſmodi reprehenduntur. Reclamet ilico mundus, & oblatrent clamoſi quidam concionatores, qui iſta libenter intus canunt,uidelicet non ad Chriſtum,ſed ad ſuum compendium reſpi/cientes: ob quorum uel imperitam ſuperſtitionem,uel fictã pietatem,ſæpius mihi teſtan/dum eſt,me nequaquam taxare corporales ceremonias Chriſtianorum,& ſtudia ſimpli/cium,præſertim ea quæ eccleſiaſtica comprobauit autoritas: ſunt enim nõnunquam tum indicia,tum adminicula pietatis. quæ quoniam ferè neceſſaria ſunt infantibus in Chriſto, donec grandeſcant & occurrant in uirum perfectum,tamen ne à perfectis quidem cõue/nit faſtidiri,ne exemplo lędantur infirmi. Quod facis probo,ſi modo finis uitioſus nõ ſit, tum ſi ibi non figis metam,unde gradum factũ oportebat ad ſaluti propiora. Verũ Chri/ſtum uiſibilibus rebus,ob uiſibilia colere,& in his faſtigiũ religionis ponere,hinc ſibi pla cere,hinc alios damnare,his inſtupeſcere,atꝫ adeo immori, & (ut ſemel dicam) his ipſis à Chriſto auocari,quæ ad hoc tantum adhibentur,ut ad eum conducãt, hoc eſt nimirum à lege Euangelij quæ ſpiritalis eſt,deſciſcere,& in Iudaiſmum quendam recidere,neꝫ mi nus forte periculoſum,quàm ſine hac ſuperſtitione, magnis & apertis animi uitijs labo/rare. Capitalior hic quidem morbus: eſto,ſed ille inſanabilior. Quantũ ubiꝫ ſudauit præ/cipuus ille ſpiritus aſſertor Paulus, ut Iudæos à fiducia operum abductos, ad ea quæ ſunt ſpiritalia promoueat. Atque huc denuo uulgus Chriſtianorum uideo reuolutum. Quid autem dixi uulgus? Ferendum hoc,niſi & ſacerdotum & doctorum bonã partem, deniꝫ greges eorum,qui ſpiritalem uitam uocabulo & cultu profitentur, pene totos hic error occupaſſet. Si ſal infatuatum eſt, unde ſalientur cæteri? Pudet me referre, quanta ſuperſtitione pleríque iſtorum obſeruent ceremoniolas quaſdam ab homunculis, non tamen hoc animo inſtitutas,quanto odio eaſdem ab alijs flagitent, quanta ſecuritate his fidant, quanta temeritate alios iudicent, quanta contentione tueantur. His factis ſuis cœlum deberi putant,in quibus ſi quando occalluerint, iam Pauli atque Antonij ſibi ui/dentur. Incipiunt magno ſupercilio alienæ uitæ cenſuram exercere, ad imperitorum

(ut ait

(ut ait comicus) regulam illam, ut nihil nisi quod faciunt ipsi, rectum putẽt. Cæterum ubi in suo instituto consenuerunt, uidebis eos nihil adhuc Christi sapere, sed animales ac tristibus quibusdam uitijs madentes, in conuictu morosos, ac uix etiam sibi tolerabiles, charitate frigidos, ira feruidos, odio pertinaces, lingua uirulentos, in exercendis simultatibus inuictos, pro re quauis nihili depugnare paratos, adeóque alienos à perfectione Christi, ut ne communibus quidem uirtutibus sint præditi, quas etiam Ethnicis, uel ratio natura insita, uel usus uitæ, uel Philosophorum præcepta parant: indociles, intractabiles, rixosos, uoluptatum auidos, ad uerba diuina nauseabundos, nulli commodos, de alijs male suspicaces, sibi blandientes. Huccine tot annorum laboribus denique peruentum est, ut pessimus sis, & optimus tibi uideare, ut pro Christiano sis Iudæus, mutis tantum elementis seruiens, ut gloriam habeas non in occulto apud Deum, sed in manifesto apud homines? Quod si in spiritu ambulasti, non in carne, ubi fructus spiritus? ubi charitas? ubi gaudium illud animi? ubi pax erga omnes? ubi patientia? longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas? ubi Christi imago in tuis moribus? Non sum, inquis, scortator, non fur, non sacrilegus, & obseruo quæ sum professus. At quid est hoc aliud, quàm non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, & ieiuno bis in sabbato? Malo malo publicanum humilem, & misericordiam implorantem, quàm istud iustorum genus, sua benefacta commemorantium. Quid autem professus es, an ne faceres quod olim in baptismo iurasti, te Christianum hoc, est spiritalem, non Iudæum futurum? Quippe qui propter traditiunculas hominum transgrederis mandata dei. At nõ Christianismus est uita spiritalis? Audi Paulum Romanis loquentem: Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, quæ infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim in carne sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui uero in spiritu sunt, quæ spiritus sunt sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est, prudentia autem spiritus, uita & pax. Quoniam sapientia carnis, inimica est deo: legi enim dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, deo placere nõ possunt. Quid dici poterat plenius? quid apertius? Verum hæc nihil ad se pertinere putant homines ad suis blandiendum uitijs arguti, ad aliena carpenda præcipites, & quod Paulus dixit de secundum carnem ambulãdo, in adulteros modo & scortatores referunt: quod de sapientia carnis, quæ inimica est deo, in eos detorquent, qui literaturam secularem (quam uocant) didicerunt. In utroq; sibi plaudunt, quod neq; adulteri sunt, & omnium literarum egregie indocti. Cæterũ in spiritu uiuere, nihil aliud esse somniant, quàm facere scilicet quod faciunt ipsi: qui si linguam Paulinam tam diligenter obseruassent, quàm fortiter contemnunt Ciceronianam, intelligerent nimirum apostolum uocare carnem, id quod uisibile est, spiritum quod inuisibile. Docet autem ubiq; uisibilia oportere seruire inuisibilibus, non contra inuisibilia uisibilibus. Tu prepostere ad ista Christum accommodas, quæ conueniebat ad Christum applicari. An testimonium flagitas, carnis uocabulum, non tantum ad libidinem aut luxum pertinere? Accipe quod idem Apostolus hoc ipsum quod semper agens, scribit Colossensibus: Nemo uos seducat, uolens in humilitate & religione angelorum, quæ non uidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, id est, Christum, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones sumministratum & constructum, crescit in augmentum dei. Et ne quid dubites eum loqui de ijs, qui ceremonijs quibusdam corporalibus freti, aliorum spiritalibus obstrepunt studijs, attende quod sequitur: Si ergo mortui estis cum Christo, ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam uiuentes mundo decernitis? Ab his igitur nos auocans paulo post: Igitur, inquit, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Deinde spiritalis uitæ præcepta tradens, quid tandem monet? Num ut his aut his ceremonijs utamur? num ut sic aut sic uestiamur? ut his, aut his cibis uictite-

Theologorũ expositio

mus: ut tantum psalmorum exhauriamus: nihil horum. Quid igitur? Mortificate, inquit, membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam & auaritiã, quæ est idolorum seruitus. Ac paulo post: Nunc autem deponite & uos omnia, iram, indignationem, maliciam. Paulocp inferius: Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Quis est autem uetus homo? nempe Adam ille de terra terrenus, cuius conuersatio est in terra, non in cœlis. Terram intellige, quicquid uisibile, eoque temporarium. Quis nouus homo? nempe de cœlo cœlestis. Cœlum accipe, quicquid inuisibile, eocp æternum. Postremo ne Iudaico more certis quibusdam obseruationibus, tanquam magicis ceremonijs deum demereri uelimus, docet eatenus opera nostra grata esse Deo, quatenus ad charitatem referuntur, indidem profecta: Super omnia autem hæc, inquiens, charitatem habete, quod est uinculum perfectionis. Et pax dei Christi exultet in cordibus uestris, in qua & uocati estis in uno corpore. Dabo argumentum euidentius. Ad Galatas scribens, sæpe carnem, sæpe spiritum nominat, quos non tantum à libidine uocat ad castimoniam, sed à Iudaismo & operum fiducia, in quam erant à pseudapostolis inducti, conatur retrahere. Hic igitur opera carnis recensens, uide quæ uitia commemoret. Manifesta sunt autem opera carnis, quę sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Necp multo post: Si spiritu uiuimus, spiritu ambulemus. Deinde quasi pestem spiritui infestam indicans, addit: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. De fructibus arbor cognoscitur. Quod uigilias, quod ieiunia, quod silentia, quod preculas, quod reliquas id genus obseruationes non præteris, nihil moror. In spiritu non credam esse, nisi uidero fructus spiritus. In carne esse cur non affirmem, cum post secularem penè istarum rerum exercitationem adhuc in te deprehendam opera carnis? Inuidentiam plus quàm muliebrem, iracundiam & ferocitatem militarem, rixandi nunquam satiatam libidinem, rabiosam maledicentiam, uipereum linguæ obtrectatricis uenenum, animum tumidum, ceruicem præfractam, lubricam fidem, uanitatem, fictionem, assentationem? Tu fratrem in cibo aut potu, cultúue iudicas. At Paulus te iudicat ex factis tuis. An hoc te à carnalibus mundanis separat, quod tu leuioribus quidem in rebus, sed ijsdem tamen uitijs laboras? Nam turpior est, qui ob hæreditatem interceptam, ob uitiatam filiam, ob læsum parentem, ob magistratum, ob principis gratiam, iras, inimicitias, æmulationes suscipit: cp tu qui, pudet dicere q̃ de nihilo, multo hæc omnia facis acerbius? Causa peccandi leuior non eleuat crimen, sed exaggerat. Necp refert in quanto pecces, modo pari affectu. Immo refert adeo, hoc enim quisqp sceleratior est, quo minore momento ab honesto abducitur. Non ego nunc loquor de ijs monachis quorum mores & mundus detestatur, sed de his quos uulgus miratur, non ut homines, sed ut angelos, quos ipsos tamen offendi non oportet hoc sermone, qui uitia notat, non homines. Quod si boni uiri sunt, gaudeant etiam à quocunqp admoneri in his quæ ad salutem pertinent. Necp clã me est, inter eos esse plurimos, qui literis & ingenio adiuti, spiritus mysteria degustarunt. Sed (quod ait Liuius) ferè fit ut maior pars uincat meliorem. Cæterum si uerum fateri fas est, nónne uidemus arctissimum quodqp monachorum genus fastigium religionis aut in ceremonijs, aut in certa lege psalmorum, aut in corporum labore ponere? Quos si quis excutiat, atqp de spiritualibus percontetur, uix perpaucos inuenerit, qui non in carne ambulent. Et hinc ista tanta animorum infirmitas illic trepidantium, ubi timor non est, illic oscitantium ubi summum est periculum. Hinc illa perpetua in Christo infantia, ut ne quid dicam grauius, quod præposteri rerũ æstimatores, ea facimus plurimi, quæ sola nihili sunt, ijs neglectis, quæ sola sufficiunt, semper sub pędagogis agentes, semper sub iugo, nec unquam ad libertatem spiritus aspirantes, nunquam ad amplitudinem charitatis crescentes: cũ clamet Paulus ad Galatas, State & nolite iterum iugo seruitutis contineri: atque alio loco: Itaqp lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides, iam non sumus sub pędagogo. Omnes enim

filij

filij dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Neque multo inferius: Ita & nos, cum essemus paruuli, sub elemẽtis mũdi eramus seruientes. At ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionẽ filiorum reciperemus. Quoniã autem estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantẽ: Abba, pater. Itaq; iam non est seruus, sed filius. Iterum alibi: Vos enim in libertatẽ uocati estis fratres, tantũ ne libertatẽ in occasionem detis carnis, sed per charitatẽ spiritus seruite inuicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Quod si inuicẽ mordetis, & comeditis, uidete ne ab inuicẽ consumamini. Rursum ad Rom. Nõ enim accepistis spiritum adoptionis filiorũ dei, in quo clamamus: Abba pater. Eodẽ pertinet et illud quod Timotheo scribens: Exerce aũt, inquit, teipsum ad pietatẽ. Nã corporalis exercitatio ad modicũ utilis est, pietas ad omnia est utilis. Et ad Corinthios: Dominus spiritus est, ubi aũt spiritus, ibi libertas. Sed quid nos unũ aut alterum locum referimus? Totus in hoc est Paulus, ut caro quæ contentiosa est contemnatur, & in spiritu, qui charitatis & libertatis est autor nos cõstituat. Indiuiduę enim inter se comites sunt, caro, seruitus, inquietudo, cõtentio: Rursum, spiritus, pax, amor & libertas. Hęc passim inculcat apostolus. Num meliorem religionis magistrum requirimus, præsertim cũ huic omnis diuina scriptura concinat? Hoc erat maximum mandatum in lege Mosaica, hoc iterat ac perficit in euangelio Christus. Ob hoc potissimum natus ac mortuus est, ut nos doceret nõ Iudaizare, sed amare. Post cœnam illam supremam quàm sollicite, quanto affectu mandat apostolis suis nõ de cibo aut potu, sed de charitate mutuo seruãda. Quid aliud docet, immo rogat huius symmystes Ioãnes, nisi ut diligamus inuicẽ? Paulus cum passim, ut dixi, charitatem cõmendans, tum ad Corinthios scribẽs, & miraculis, et prophetiæ, & angelorum linguis anteponit charitatem. Ne tu mihi ilico charitatem esse dicas, in templo frequentẽ esse, signis diuorum procumbere, cereolos accẽdere, numeratas preculas iterare. Nihil istis opus habet deus. Charitatẽ Paulus uocat, ędificare proximum, omnes eiusdem corporis membra ducere, omnes unum in Christo putare, de fraternis commodis, perinde ut de tuis in domino gaudere, incõmodis mederi, ueluti proprijs: mansuete corripere errantem, docere nescientẽ, erigere lapsum, consolari dejectum, adiuuare laborãtem, subuenire egenti: in summa omnes opes tuas, omne studium, omnes curas ad hoc referre, ut quamplurimis prosis in Christo, ut quẽadmodum ille neq; sibi natus est, neq; sibi uixit, neq; sibi mortuus est, sed totũ se donauit usibus nostris, ita & nos fratrum cõmoditatibus inseruiamus, non proprijs. Quod si fieret, nihil esset religiosorũ uita neq; lætius neq; facilius, quã nunc cõtra tristẽ ferè uidemus & laboriosam, ac Iudaicis superstitionibus plenã, nec ab ullis laicorum uitijs immunem, in nonnullis contaminatiorẽ. Quod hominũ genus, si nũc reuiuisceret Augustinus, quo autore uitę plericq; gloriãtur, profecto ne agnosceret quidem, clamaretq;, nihil se minus probaturũ fuisse, cũ hoc uitæ genus, neq; ad superstitionẽ Iudęorũ, sed ad apostolorum regulã, uiuendi rationẽ instituisse. Sed audio iamdudum quid mihi respondeant quidã paulo saniores: in minimis uigilandum, ne paulatim defluatur in maiora uitia. Audio & approbo, uerum nõ paulo magis aduigilandum, ne sic inhæreas minimis, ut à maximis penitus excidas: Ibi periculum euidentius, sed hic grauius: ita Scyllam fugito, ne in Charybdim incidas. Ista facere salutare est, sed eis inniti pernicioſum. Paulus non te uetat elementis uti, sed seruire nõ uult elementis eũ, qui liber est in Christo. Non damnat legem factorum, sed si quis ea legitime utatur. Sine his fortasse pius non eris, sed non ista te pium faciunt: Conducent ad pietatẽ, ita si quidẽ in hoc utare. Sin frui cœperis, pietatem omnẽ semel extingunt. Apostolus contemnit opera Abrahæ, quę summa fuisse nemo nescit, & tu tuis confidis? Deus auersatur uictimas & sabbata, & neomenias populi sui, quorum omniũ ipse fuerat autor. An audebis tuas obseruatiunculas, cum diuinæ legis præceptis conferre? Audi tamen ad ista nauseantem ac stomachantẽ deum: Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum? plenus sum, holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum ueneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus uestris, ut ambula-

Quid charitas Paulo

retis in atrijs meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra incensum, abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum, & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus uestri, Calendas uestras, & solēnitates uestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cum extenderitis manus uestras, auertā oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationes uestras, non exaudiā uos. Nónne cum obseruationes & ritus sacrorum cōmemorat, tum multiplicatas orationes, tanquam digito notat eos, qui religionem numero psalmorum, aut precum metiuntur. Attende & illa, quàm mirè diuinum fastidium propheta facundus exaggerat, ut iam nec auribus, nec oculis ferre potuerit. Quæ tandem obsecro? nimirum quæ ipse tanta religione seruanda tradiderat, quæ tanta ueneratione, tot seculis fuerāt à regibus sanctis & prophetis obseruata. Et hæc detestatur adhuc in lege carnali, & tu tuis domi tibi natis obseruatiuncu lis fidis in lege spirituali? Idem alio loco eundem prophetam clamare indesinenter, & instar tubę uocē iubet intendere, uidelicet in re seria & acri reprehēsione digna, quęq; fere non nisi magna contentione ab istis obtineri queat. Me, inquit, de die in diem quærunt, & scire uias meas uolunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo uolunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij uestri inuenitur uoluntas uestra, & omnes debitores uestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usq; ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor uester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorqueri quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud uocabis ieiunium, & diem acceptabilem domino? Sed quid hoc esse dicemus? damnat deus quod ipse mandarat? minime. quid igitur? sed in carne legis manere, & in re nihili confidere, id uero detestatur: proinde utroque loco quid uelit accedere, demonstrat. Lauamini, inquit, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum de oculis meis. Cum audis mala cogitationum, nónne palam spiritum et internum hominem denotauit. Oculi domini non uident in manifesto, sed in occulto, neque secundum uisionem oculorum iudicat, neq; secundum auditum aurium arguit. Nescit fatuas uirgines, foris expolitas, intus inanes. Non nouit eos qui labijs dicunt, domine, domine. Deinde admonet usum uitæ spiritalis, non tam in ceremonijs, quàm in proximi charitate situm esse. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Similia subtexuit & alteri loco de ieiunijs: nónne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panē tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuā. Cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuā ne despexeris. Quid igitur faciet Christianus? negliget Ecclesiæ mandata? contemnet honestas maiorum traditiones? damnabit pias consuetudines? Immo si infirmus est, seruabit ut necessarias: sin firmus & perfectus, tanto magis obseruabit, ne sua scientia fratrem offendat infirmum, & occidat eum pro quo mortuus est Christus. Hæc oportet nō omittere, sed illa necesse est facere. Non damnantur opera corporalia, sed præferuntur inuisibilia. Non damnatur cultus inuisibilis, sed non placatur Deus, nisi pietate inuisibili: spiritus est deus, & spiritalibus uictimis flectit. Turpe sit Christianis ignorare, quod gentilis quidā poeta non ignorauit: qui de pietate præcipiens: Si Deus, inquit, est animus, nobis ut carmina dicunt, Hic tibi præcipue sit pura mente colendus. Ne cōtemnamus autorē, uel ethnicum, uel minutum: Sententia est magno etiā theologo digna, & ut ego quidem deprehendi, tam intellecta à paucis, q̄ à nemine non lecta. Ea uero est huiusmodi. Similia similibus afficiunt. Tu deum tauro cęso, aut thureo uapore moueri magnopere credis, quasi corpus esset. Mēs est, & quidē purissima, simplicissimaq;, proinde potissimū mente pura colendus est. Tu cereū accensum sacrificium putas. At Dauid sacrificium, inquit, deo spiritus cōtribulatus. Et si despexit sanguinē hircorū, aut uitulorū, at cor cōtritum & humiliatū nō despiciet. Si facis quod tribuitur oculis hominū, multo magis adhibe quod requirūt oculi dei. Religioso cucullo tegitur corpus, quid tum, si munda

Vitæ spiritualis usus

nam

nam ueſtem gerit animus? Si niuea tunica uelatur homo exterior, ſint & interioris homi/nis ueſtimenta candida, ſicut nix. Silẽtium agis foris, multo magis cura, ut uacet mens in tus. In templo uiſibili demittis genu corporis: nihil agitur, ſi in templo pectoris ſtas ere/ctus cõtra deum. Veneraris lignum crucis, magis ſequere myſterium crucis. Ieiunium a/gis, & abſtines ab iis, quæ non coinquinant hominẽ, & non contines ab obſcœnis ſermo nibus, qui polluunt & tuam, & alienã conſcientiam? Corpori ſubducitur cibus, & anima ſiliquis porcorum ſeſe ingurgitat? Exornas ędem ſaxeam, religioni habes loca ſacra: quid refert ſi templum pectoris, cuius parietẽ perfodit Ezechiel, abominationibus Aegyptiis prophanatum eſt? Sabbatum agis foris, & intus omnia uitiorum tumultibus perſtrepunt Non mœchatur corpus, ſed auarus es, iam mœchus eſt animus. Pſallis lingua corporea, ſed intus auſculta, quid dicat animus: Ore benedicis, & corde maledicis. Corpore angu/ſta cellula contineris, & cogitatione per totum orbem uagaris. Audis uerbum dei corpo/reis auribus, magis audias intus. Quid enim dicit Propheta? Niſi audieritis intus, plora/bit anima ueſtra. Quid aũt legis in euangelio? Vt uidentes non uideant, & audientes non audiant. Et rurſum propheta, Aure audietis, & nõ percipietis. Beati igitur qui intus au/diunt uerbum dei. Felices, quibus dominus intus dicit uerbum, & ſaluabuntur animæ illorum. Hanc aurem iubetur à Dauid inclinare filia regis illa, cuius omnis decor ab in/tus in fimbriis aureis. Deniq; quid refert mala non facere, quæ affectu concupiſcis? Quid refert bona foris agere, quibus diuerſa fiunt intus? An magnum eſt, quod corpore Hiero/ſolymam adis, cũ intra temetipſum ſit Sodoma, ſit Aegyptus, ſit Babylon? Non magnum eſt carneis calcaneis ueſtigia calcaſſe Chriſti, at maximum affectu ſequi ueſtigia Chri/ſti. Si maximum eſt contigiſſe ſepulchrum domini, non maximum erit expreſsiſſe myſte rium ſepulturæ? Accuſas apud ſacerdotem hominem tua peccata, uide quomodo accu/ſes apud Deum. Nam apud illum accuſare, intus odiſſe eſt. Tu forte ſigillis cereis, aut pecuniola, aut peregrinatiuncula ſemel elui culpas credis: tota erras uia. Intus acceptum eſt uulnus, intus pharmacum admoueatur neceſſe eſt. Corruptus eſt affectus, amaſti, quod erat odio dignum, odiſti, quod erat amandum. Dulce tibi fuit amarum, & amarum dulce. Nihil moror, quid exhibeas foris: ſed ſi mutatis uicibus, quod modo amabas, odiſ/ſe, fugere, horrere cœperis, ſi dulceſcit affectui quod modo fel ſapiebat, ita demũ ſanita tis argumentum accipio. Amauit multum Magdalena, & dimiſſa ſunt ei peccata mul/ta. Quo magis Chriſtum amabis, hoc magis oderis tua uitia, nam odium peccati conſe/quitur amorem pietatis, uelut umbra corpus. Malo te ſemel mores tuos uitioſos intus ac uere odiſſe, quàm decies uerbo tenus deteſtari apud ſacerdotem. Ergo ut quædam exem pli gratia retulimus, in toto theatro mundi huius uiſibilis, in uetere lege, in noua, in omni mandato Eccleſiæ, denique in teipſo, atq; in omni negocio humano, foris caro quædam eſt, intus ſpiritus. In quibus ſi non ordinem faciemus præpoſterum, ſed in his quæ ui/dentur non ita multum fiduciæ ponentes, niſi quatenus ad meliora momenti quid adfe/runt, ſemper ad ſpiritum & ea quæ charitatis ſunt, reſpiciamus, euademus non triſtes, ut iſti, & imbecilles, ſemper pueri (ut prouerbio dicitur) animales, oſſa arida (ut apud pro/phetam eſt) ſpiritum non habentia, lethargici, ſtupidi, rixoſi, liuidi, ſuſurrones: ſed excel ſi in Chriſto, ampli charitate, robuſti, & ad utranq; fortunam ſtabiles, ad minima conni/uentes,, ad ſumma enitentes, pleni alacritatis, pleni ſcientiæ, quam qui reiiciunt, eos rei/cit & ille ſcientiarũ dominus. Imperitia enim quam fere comitatur indocilitas, & quam Græci pulchre uocant Φλαυτίαν, ſola facit, ut (quod ait Eſaias) confidamus in rebus ni hili, & loquamur uanitates. Concipiamus laborem, & pariamus iniquitatem: ſemper ſeruiamus trepidi atque humiles ceremoniis Iudaicis. De cuiuſmodi loquens Paulus: Teſtimonium, inquit, perhibeo illis, quod zelum quidem Dei habent, ſed non ſecun/dum ſcientiam. Quid autem ignorabant? nempe quod finis legis Chriſtus, Chriſtus au/tem ſpiritus eſt, charitas eſt. Apertius autem Eſaias miſeram & inutilem iſtorum ſeruitu tem in carne deſcribit. Propterea, inquit, captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Et nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Non mi rum quod populus ſeruit elementis huius mundi, uidelicet uulgus indoctum, & non ni/ſi de alieno pectore ſapiens. Magis mirandum quod religionis Chriſtianæ quaſi pri/mates in eadem captiuitate fame intereunt, & ſiti exareſcunt. Quare fame interierunt?

Chriſtus finis legis

quia

quia non didicerunt à Christo frangere panes ordeaceos: siliquam modo asperam circum lingunt, medullam non eruunt. Quare siti exarescunt: quia non didicerunt à Mose aquam de spirituali petra elicere. Neq; hauserunt de fluminibus quæ de uentre Christi fluunt aquæ uiuæ. Hoc autem dictum est de spiritu, non de carne. Tu igitur mi frater, ne tristibus laboribus non multum promoueas, sed mediocri exercitio, cito grandis & uegetus euadas in Christo, hanc regulam diligenter amplexus, ne uelis cum immundis animalibus humi reptare, sed semper alis illis nitens, quas Plato putat in animis amoris calore elicitas, denuo pullulascere, à corpore ad spiritum, à mundo uisibili ad inuisibilem, à littera ad mysterium, à sensibilibus ad intelligibilia, à cõpositis ad simplicia temetipsum quasi gradibus quibusdã scalæ Iacob erige. Ita ad se propinquanti, uicissim appropinquabit dominus: & si tu pro uiribus de tua caligine, sensuũq; strepitu conaberis assurgere, occurret ille commode è luce sua inaccessibili, & silentio illo incogitabili, in quo non sensuum tantum omnis tumultus, sed & intelligibilium omnium imagines conticescunt.

CANON SEXTVS

ET quoniam ex tempore scribenti aliud ex alio in mentẽ uenit, subtexam & sextam regulam, superioribus quodammodo cognatam, tam necessariam ad salutem uniuersis, quàm à paucis curæ habitam, Ea est ut animus ad Christum anhelãtis, à uulgi tum factis, tum opinionibus quàm maxime dissentiat, nec aliunde quàm ab uno Christo, pietatis exemplum petatur. Hoc est enim unicum archetypum, unde quisquis uel unguem discesserit, à recto discedit, atq; extra uiam currit. Proinde Plato grauiter profecto ut pleraq;, in politia sua negat eum uirtutẽ constanter tueri posse, qui de turpi atq; honesto, nullis certis opinionibus mentem imbuerit. At quãto perniciosius est, falsas opiniones de ijs, quæ ad salutem pertinent, animo penitus insidere? Quare hoc uel in primis curãdum putat, ut custodes illi, quos oportet omni turpitudine uacare, & optimas opiniones de fugiendis atq; expetendis, easq; quàm certissimas tanquam leges quasdam sanctissimas animo insculpant suo. Quicquid enim persuasione penitus inhæsit animo, id quisq; moribus exprimit. Eoq; præcipua Christianorum cura huc intẽdi deberet, ut pueri iam inde ab in cunabulis, inter ipsas blanditias nutricum, & parentum oscula, inter literatorum manus, persuasiones imbibãt Christo dignas, propterea quod nihil uel altius insidit animo, uel hæret tenacius, quàm quod rudibus (ut inquit Fabius) annis inditur. Procul procul ab auriculis infantilibus, amatoriæ cantiunculæ, quas domi foriscq; cantillant Christiani, spurciores, quàm unquam ethnicorum uulgus receperit. Non audiant accepta iactura rei materculam eiulantem: non amissa sorore, se miseram ac destitutam clamitantem. Non audiant patrem ignauiam opprobrantem ei, qui iniuriam non cum fœnore retulit: non, admirantem eos qui rem quocunque modo fecerunt amplissimam. Ingenium hominis ad uitia proclíue, pernicioſum exemplum statim arripit, non aliter, quàm ignem uicinum naphtha. Quanquam idem hoc nulla nõ ætate agendum, ut omnes uulgi errores ab ipsis usq; radicibus ex animo reuellantur, atq; in eorum locum salutares opiniões inserantur, adeoq; roborentur, ut nullis rebus queant conuelli. Quod qui fecerit, is nullo negotio uirtutem sua sponte sequetur, & secus agentes miseratione, non imitatione dignos iudicabit. Huc enim pertinet illud à Socrate non absurde dictum, quanquam ab Aristotele reprehensum, uirtutem nihil aliud esse quàm scientiam fugiendorum atq; expetendorum: non quod non uiderit discrimen inter cognitionem honesti atq; amorem: sed quemadmodum Demosthenes pronunciationem primum, secundum ac tertium in eloquentia respondit esse, uidelicet adeo præcipuam partem significans, ut in ea totam esse duceret: itidem Socrates agens cum Protagora, argumentis euincit, tantum in omni uirtute momenti scientiam adferre, ut peccata non aliunde proficiscantur, quàm à falsis opinionibus. Etenim & qui Christum amat, & qui uoluptatem, pecuniam, honorem falsum amat, nimirum utriq; dulce, bonũ ac pulchrum sequuntur. At hi labuntur insciti, pro dulci amplectentes, quod est acerbissimum, pro acerbo fugiẽtes quod est dulcissimum, item pro bono ac lucro sequentes quod merum est detrimentum, pro damno timentes, quod unicum est lucrũ, id pulchrum iudicantes, quod est fœdum, id pudendũ opinantes, quod solũ est glorioſum. Porrò si cui penitus persuasum sit, ac iã ueluti cibus in animi substanti am sit traiectum, solam uirtutẽ optimam esse, dulcissimã, pulcherrimam, honestissimam, utilissi

Pietatis exemplum

Pueri Christiani educatio

Peccatũ à falsis opinionib.

utíliſsimam: contra, turpitudinem unicum eſſe malum, cruciatum, fœdum, erubeſcendum, damnoſum, atq; hæc non opinione populari, ſed ipſa natura rerum metiatur, fieri non poteſt, ut ea conſtante perſuaſione, diu in malis hæreat. Peſsimus enim iam olim tum uiuendi, tum ſentiendi autor uulgus eſt. Neq; unquam ita bene actum eſt cum rebus humanis, ut non peſsima placuerint plurimis: caue ſic cogites: hoc nemo non facit: his ueſtigijs maiores mei ſunt ingreſsi: hac in ſententia eſt ille tantus philoſophus, tantus Theologus: ſic uiuitur à magnatibus: hoc regium eſt inſtitutum: hoc & epiſcopi & pontifices ſummi factitant, hi profecto uulgus nõ ſunt: nihil te moueãt ingentia nomina, ego uulgũ non loco, ſed pectore metior. Vulgus ſunt, quicũq; in ſpecu illo Platonico uincti ſuis affectib. inanes rerum imagines pro ueriſsimis rebus admirãtur. Nónne præpoſtere faciat, ſi quis non lapidẽ regulę, ſed regulam lapidi conetur applicare? Nónne multo abſurdius: ſi quis non hominum mores ad Chriſtum, ſed Chriſtum ad hominum uitam laboret inflectere? Non ideo rectum puta, quia primores, quia maxima pars hominum factitat, ſed ita demum rectum eſt, quod fit, ſi quadrat ad regulam Chriſti. Immo hoc ipſo tibi ſuſpectum quid eſſe oportet, quod plurimis placet. Puſillus grex eſt, & erit ſemper, cui cordi eſt Chriſtiana ſimplicitas, paupertas, ueritas. Puſillus eſt, ſed beatus, quippe cui ſoli debetur regnum cœlorum. Arcta eſt uia uirtutum, & à perpaucis calcata, ſed non alia ducit ad uitam. Prudens ædificator utrum tandem ab uſitatiſsimo, an ab optimo opere petit exemplum? Pictores non niſi optimas tabulas ſibi proponunt. Exemplum noſtrum Chriſtus eſt, in quo uno omnes inſunt beate uiuendi rationes: hunc ſine exceptione licebit imitari. Cæterum in probatis uiris, eatenus unumquodque in exemplum uocare conueniet, quatenus reſpondebit cum archetypo Chriſti. De uulgo autem Chriſtianorum ſic exiſtima, nullum unquam fuiſſe corruptius, ne apud ethnicos quidem quantum ad opiniones de moribus attinet. Cæterum de fide, quid ſentiant, uiderint ipſi. Hoc certe indubitatiſsimum eſt, fidẽ ſine moribus fide dignis, adeo nihil iuuare, ut etiam in cumulum cedat damnationis. Euolue ueterum annales, & confer horum temporum mores. Quando uera probitas deſpectior? quando ſic in precio habitæ diuitiæ undecunq; partæ? Quo unquam ſeculo uerius illud Horatianum: Scilicet uxorem cum dote, fidemq;, & amicos, Et genus & formam regina pecunia donat? Et illud eiuſdem: Nam genus & uirtus, niſi cum re, uilior alga eſt. Quis iam non ſerio legit ironiam illam Satyricam? O ciues, ciues, quærenda pecunia primum: Virtus poſt nummos? Quando luxus ſolutior? Quando ſtupra, adulteria uel latius patuerunt, uel impunitiora fuere, uel minus in probro? dum in alijs, ſuis uitijs indulgent principes, et quiſq; ſpecioſum factu ducit, quicquid in aulicorum mores abijt? Cui nõ extremum malum ac probrum uidetur pauperies? Olim in ſcortatores, in ſordidos, in glorioſos, in admiratores pecuniæ, etiam de plauſtris famoſa ſcommata iaciebantur: in ſpectaculis gentilium, ſcite notatis uitijs, applaudebatur à uulgo, quibus nunc à Chriſtianorum proceribus male laudatis applauditur. Non tulerunt theatra Athenienſium hiſtrionem è tragœdia quapiam Euripidis cantantem uerba cuiuſdam auari, unam pecuniam reliquis humanæ uitæ commodis præferentis: ac planè futurum erat, ut actorem cum tota fabula exploderent, eijcerentq;, ni mox aſſurgens poeta, pauliſper etiã manere iuſsiſſet, ac ſpectare quorſum admirator ille auri eſſet euaſurus. Quàm multa ſunt apud illos exempla eorum, qui è bene adminiſtrata Republica, præter honeſtam opinionem, nihil in tenuem familiam retulerunt, qui fidem pecunia, qui pudicitiam uita potiorem habuerunt: qui neq; proſperis rebus inſoleſcere, neq; aduerſis frangi potuerunt? qui honeſta pericula uoluptatibus antepoſuerunt: qui ſola conſcientia recti contenti, neq; honores, neq; opes, neq; reliqua fortunæ commoda deſyderabant? Et ut ne commemorem Phocionis ſanctitatẽ, Fabritij diuitijs potiorem paupertatem, Camilli magnanimitatem, Bruti ſeueritatem, Pythagorę pudicitiam, Socratis inexpugnabilem cõtinentiam, Catonis integritatem: ac mille pulcherrima omnium uirtutum decora, quæ paſsim in Lacedæmoniorum, in Perſarum, in Athenienſium, in Romanorum annalibus legũtur, magno quidem noſtro pudore, Diuus Aurelius Auguſtinus, ut ipſe de ſe in commentarijs confeſsionum ſuarum teſtatur, iam multo priusq; Chriſtum indueret, contempſerat pecuniam, pro nihilo habebat honores: gloria non commouebatur, uoluptatibus autem uſqueadeo frena negarat, ut homo adoleſcens una muliercula contentus eſſet, cui

Probati uiri imitandi quatenus

Vetus commœdia

Auguſtini cõtinentia

&

& coniugij fidem seruabat. Hos animos, hæc exempla, inter aulicos, inter ecclesiasticos, addam & inter monachos, non temere quis inuenerit. Aut si quis huiusmodi extiterit, ili co uelut asinus inter simias ostentui ac risui erit, delirus, hebes, hypocrita, rerum imperi/tus, melancholicus, amens, omnium una uoce dicetur, ac ne homo quidē iudicabitur. Sic Christiani Christi doctrinam ueneramur, sic exprimimus, ut nihil uecordius, nihil abiecti us, nihil magis pudendum iam uulgo habeatur, q̄ uere ac toto pectore esse Christianum: quasi aut Christus frustra uersatus sit in terra, aut alius sit nunc, quā olim Christianismus, aut non ex æquo pertineat ad omnes. Ab his igitur uolo te toto animo dissentire, & re/

Nobilium uanitas

rum omnium precia unius Christi communione metiri. Quis uulgo non præclarum au/tumat, atq; inter precipua bona ponendum, claris maioribus prognatum esse, id quod no bilitatem nominant? Nihil te moueat, cum audis huius seculi prudentes, uiros graues, summaq; autoritate præditos, admodum serio de stemmatum gradibus, adductis superci lijs, tanquam de re uehementer ardua differentes, & magno conatu magnas nugas effu/tientes, cum uides alios sic auorum, atq; atauorū imaginibus tumentes, ut reliquos præ se uix homines esse iudicent. Sed horum errorem Democritico risu prosequēs, id quod res est reputa, unicam ac summam esse nobilitatē in Christo renatum esse, illius insitum esse corpori, unum corpus & unum spiritum fieri cum deo. Sint alij regū filij, tibi maximum sit, quod & es, & diceris filius dei. Illi sibi placeant, quod in aulis principum uersentur, tu elige cum Dauid, abiectus esse in domo Dei. Attende quos elegerit Christus, infirmos, stultos, ignobiles secundum mundum. In Adam omnes ignobiles nascimur, in Christo omnes unum sumus: Vera nobilitas est, inanem contemnere nobilitatem: uera nobilitas est seruum esse Christi. Hos tibi maiores esse puta, quorum uirtutes æmularis. Audi quid in Euangelio dixerit optimus æstimator nobilitatis aduersus Iudæos, qui se iactabant de generis autore Abraham: quali uero autore? nō tantum illustri, nō solum opulento, non modo uictore regum, sed ob diuinas uirtutes diuinis ornato preconijs. Quis istud non in signe, non gloria dignum existimet? Audi quid audierint: uos ex patre diabolo estis, & o/pera patris uestri facitis. En tibi Paulus & ipse ad magistri regulam generositatem æsti/mans. Non enim, inquit, omnes qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ, neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes sunt filij. Pudenda ignobilitas, seruire turpitudini, cum Chri sto nullam habere cognationem, qui non agnoscit, nisi qui faciunt uoluntatem patris sui qui in cœlis est. Turpiter spurius est, qui patrē habet diabolum. habet autem qui illius o/pera facit, nisi mentitus est Christus: sed non nouit mentiri ueritas. suprema generositas est & filium & hæredem esse dei, fratrem aūt & cohæredem esse Christi. illorum insignia quid sibi uelint ipsi uiderint. Christianorum insignia sunt communia quidem omnibus, sed tamen illustrissima, crux, corona spinea, claui, lancea, stigmata domini, quę Paulus in corpore suo se gestare gloriatur. De nobilitate itaque uides, quanto alia te sentire uelim, quàm uulgus opinatur. Eum uero qui plurimum auri domi congesit, quis non uulgo beatum diuitem ac felicem uocat? Tu sat beatum, immo solum beatum iudica, qui Chri/stum qui summum bonum possidet. Qui preciosam illam margaritam bonæ mentis, uel rerum omnium, uel corporis etiam dispendio mercatus est. Qui thesaurum inuenit sapi/

Quid diuitiæ

entiæ, cunctis opibus preciosioris: qui à Christo ditissimo aurum emit ignitum, proba/tum, ut locuples fiat. Quid igitur sunt ista quæ multitudo miratur, aurum, gemmæ, præ/dia? Falso nomine diuitiæ, uero spinæ, quæ semen diuini uerbi suffocant, iuxta parabo/lam Euangelicam: sarcinæ sunt, quibus onusti, nec possunt per arctam uiam Christum nudum sequi, nec per ostiū humile intrare in regnum cœlorum. Ne pilo quidem temeti/psum meliorem puta, si uel Midas, uel Crœsos opibus uincas, sed illigatiorem, impedi/tiorem, onustiorem: abunde sat habet, qui ista fortior potest contemnere: satis prospe/ctum est ei, cui nihil defuturum promisit Christus: non esuriet, cui sapit manna uerbi di/uini: non erit nudus, qui Christum induit. Hoc solum damnum existima, quoties aliquid de pietate decessit, & uitijs accreuit: ingens lucrum puta, cum mens accessione uirtutis, facta est melior. Nihil tibi deesse puta, si eum possides, in quo sunt omnia. Quid autem hoc est, quod miseri uoluptatem nominant? profecto nihil minus, quàm quod dicitur. Quid igitur? mera insania est, & planè (quod Græci dicere solent) Aiacis risus, dulce ue/nenum, blanda pernicies, Vera & unica uoluptas, gaudium est puræ conscientiæ; lautissi/

mæ

mæ epulæ ſunt, ſtudium ſanctarum ſcripturarum: iucundiſsimæ cantilenæ, pſalmi: ſpiritus ſancti feſtiuiſsima ſocietas, communio ſanctorum omnium: ſummæ delitię, fruitio ueri. Tu modo purga oculos, purga aures, purga palatum, & incipiet tibi dulceſcere Chriſtus: quo uere guſtato, etiam ſi Mileſij, Sybaritæ aſoti, Epicurei, breuiter uniuerſi uoluptatum architecti, omnes ſuas illecebras in unum conferant, præ uno illo nauſea uidebuntur. Non id protinus dulce eſt quod ſapit, ſed quod ſano ſapit. Si febrienti aqua uinum ſapit, nemo iſtud uoluptatem nominat, ſed morbum. Erras ſi non credis pijs hominibus longe iucundiores eſſe ſuas lachrymas, quàm impijs riſus, cachinnos, iocos que ſuos: non his dulcius eſſe ieiunium, quàm illis attagines, phaſides aues, perdices, acipenſeres, aut rhombos ſuos: horum frugales menſulas, oluſculis & leguminibus Pythagoricis inſtructas, non longe lautiores eſſe, quàm iſtorum ſumptuoſa faſtidia. Denique uera uoluptas eſt, amore Chriſti falſis delitijs non ſolicitari. Iam amoris & odij uocabulis uide q̄ mundus abutatur. Cum adoleſcens inſanus puellam deperit, id uulgus amorem appellat, cum nullum uerius ſit odium. Verus amor uel ſuo diſpendio commodis alienis conſulere cupit. Ille quo niſi ad ſuam uoluptatem ſpectat: igitur non illam, ſed ſemetipſum amat, quanquam ne ſe quidem amat: nemo enim alium amare poteſt niſi ſe prius amarit, ſed recte: nemo quenquam odiſſe poteſt, niſi ſe prius oderit: Verum bene amare, nonnunquam bene odiſſe eſt, & recte odiſſe, amaſſe eſt. Ergo qui ob tantillum commodum (ut putat) ſuum puellæ blanditijs & muneribus tendit inſidias, ut illi quod habet optimum eripiat, integritatem, pudorem, ſimplicitatem, bonam mentem, famam, utrum hic odiſſe an amare tibi uidetur? Profecto nullū hoc odio odium atrocius. Cum inepti parentes liberorum uitijs indulgent, uulgo aiunt quàm tenere hi ſuos amant filios? Imò quàm crudeliter oderunt, qui dum ſuis morem gerunt affectibus, liberorum ſalutem habent neglectui. Quid aliud nobis precatur hoſtis inuidentiſsimus diabolus, quàm ut hic impune peccantes, in æternum incurramus ſupplicium? Lenem magiſtratum, & miſericordem principem uocant, qui ſceleribus quibuſdam, uel conniuet, uel etiam fauet, ut hoc pecent licentius, quo impunitius. At quid aliud minatur per prophetam dominus ijs, quos ſua miſericordia putat indignos? Et non uiſitabo, inquit, ſuper filias ueſtras quando fornicantur, & ſuper nurus ueſtras, quando adulterantur. Dauid uero quid promiſit? Viſitabo, inquit, in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Vides ut in Chriſto nouentur omnia, & rerum uocabula permutentur: qui ſeipſum male amat, is capitaliter odit: qui in ſeſe male miſericors eſt, is crudeliſsime ſæuit: bene curare, negligere eſt: bene lædere, prodeſſe eſt: bene perdere, ſeruare eſt. Ipſe tibi curæ eris, ſi carnis deſyderia contempſeris: ſi bene ſæuieris in uitia, hominem beneficio iuueris: ſi peccatorem occideris, hominem ſeruaueris: ſi perdideris quod fecit homo, reſtitueris quod fecit Deus. Age uero iam potentiam & imbecillitatem, fortitudinem & ignauiam quid eſſe putat error popularis? Nónne potentem nominãt eum, qui quem uelit, facile queat lædere? Quanquam odioſa nimium potentia eſt, nocere poſſe, id quod eſt iſtis cũ cantharidibus & ſcorpijs, atq; ipſo adeo diabolo commune, uidelicet dare malum. Solus deus uere potens eſt, qui nocere, nec poteſt ſi uelit, nec uult ſi poſsit: quippe cuius natura eſt benefacere. Sed potens iſte quomodo tandem lędet hominem? Eripiet pecuniam, pulſabit corpus, adimet uitam? Si pio homini id facit, beneficium pro maleficio dedit: ſin improbo, hic occaſionē quidem adminiſtrauit, ſed ille ipſe ſibi nocuit. Nemo enim niſi à ſeipſo lædítur. Nemo alium parat lædere, niſi longe grauius ipſe ſeſe lædat prius. Damnum pecunię mihi dare paras, iam tu charitate amiſſa damnum grauiſsimum tibi ipſi dediſti. Non potes mihi uulnus infligere, quin ipſe prius uulnus multo atrocius acceperis. Non adimes mihi uitã corporis, niſi tute tibi prius animam iugularis. At Paulus ad inferendam iniuriam imbecillis, ad ferendum ualidiſsimus, nónne gloriatur ſeſe in Chriſto poſſe omnia? Fortem & animoſum uulgo nominant eum, qui ferox & impotentis animi, ad quantumuis leuem iniuriam efferueſcit iracundia, & conuitium conuitio maleficium maleficio retaliat. Contra qui acceptam iniuriam muſsitat ac diſsimulat, hunc ignauum, puſillanimem, inſtrenuum appellitant. Immo quid alienius à magnitudine animi, quàm uerbulo dimoueri à ſtatu mentis, & adeo alienam ſtultitiam non poſſe contemnere, ut hominem te non putes eſſe, niſi maleficium maleficio ſu

Indulgentia erga filios

Potẽtia falſa

Fortis quis uulgo

peraris? At quanto fortius, animo excelso & amplo nullam iniuriam non posse negligere, insuper & pro maleficio beneficium reddere? Non ego fortem dixerim, qui in hostem audeat, qui mœnia superet, qui uita cõtempta, omnibus periculis obiiciat caput, id quod est penè gladiatoribus omnibus commune. At animum qui possit uincere, qui ex animo bene uelle maleuolentibus, bene mereri de male merẽtibus, bene precari male precantibus, huic deniq; debetur cognomen fortis atq; magnanimi. Excutiamus & illud quid mundus gloriam, ignominiã ac pudorem nominet. Laudaris: ob quid? & à quibus? Si ob turpia, & à turpibus, ista uero falsa est gloria & uera ignominia. Vituperaris, rideris: qua gratia, & à quibus? ob pietatẽ, ob innocentiã, utiq; à malis: nõ ista est ignominia, sed nulla uerior gloria. Esto sanè, uel uniuersus mundus explodat, exibiletq;, non potest non esse gloriosum, quod approbat Christus. Et si quicquid est mortalium applaudat atq; acclamet, euge euge, non potest non esse pudendum, quod deo displicet. Prudentiam uulgo uocant, rem parare strennue, partam probe constabilire, & porrò in posterum prospicere. Sic enim passim & serio loquentes audimus. Frugi homo est, catus, cordatus, consultus, prouidus, de ijs qui breui rem faciunt lautiorem. Hoc mundus qui & mendax est ipse & pater eius: at quid dicit ueritas? stulte, inquit, hac nocte repetent à te animam tuam. Expleuerat horrea messibus, instruxerat commeatu omnes apothecas, abũde multum pecuniæ domi condiderat, nihil restare putabat, nõ (quod feræ faciunt) ut congestis opibus inops custos incubaret, quemadmodum draconem uellus aureum seruasse poetæ fabulantur, sed uti partis frueretur, & tamen hunc stultum appellat euãgelium. Quid enim stultius, quid uecordius, quàm umbris inhiantem, res ueras amittere, id quod solemus in cane illo Aesopico ridere: & in Christianorum moribus non magis ridendum est, uel flendum potius? Incallidus mercator habeatur, quem comicum illud fugerit: Pecuniam in loco negligere, maximũ interdum est lucrum: qui præsens lucellum admittat, quod non ignoret ingens dispendium consecuturum. Quanto inconsultius, huic umbraticæ uitæ omnibus horis nutanti, tanta solicitudine prospicere, quod tamen fuerat suppeditandum à deo: & in futuram uitam nihil consulere, quam semper calamitosissimã exigamus oportet, nisi fuerit ingenti cura prospectum. Alium errorem accipe: solertem & rerum peritum uocãt, qui rumusculos omnes captans, nouit toto quid fiat in orbe: quæ fortuna mercatuum, quid Britannorũ tyrannus moliatur, quid nouatum Romę, quid ortum in Gallijs, quomodo Dacæ uigilent & Scythæ: quid consultẽt principes: breuiter qui omni de negocio apud omne genus hominum garrire calleat, eum aiunt sapere. Quid autẽ incogitantius, quid insscitius, quàm quæ procul fiant, & ad te nihil attinent, ea uestigare, quæ uero in tuo pectore gerantur, & uel sola ad te pertinent, de ijs ne cogitare quidem. Narras mihi tumultus Britannicos, narra magis quid in tuo pectore tumultuentur ira, inuidia, libido, ambitio, quàm prope iam istæ sub iugũ missæ sint: quæ spes uictoriæ: quanta belli pars profligata: quàm instructa ratio. In his si uigilans, si auritus pariter & oculatus, si sagax, si circumspectus fueris, solertem te pronuntiabo. Atq; illud quod in nos mundus solet iacere, in ipsum retorquebo: nequicquam sapit, qui sibi nihil sapit. Ad hunc modum si omnes mortalium curas, gaudia, spes, metus, studia, sententias excusseris, inuenies plena erroris omnia: dum bonum dicunt malum, & malum bonum, dum dulce faciunt amarum, amarum dulce, lucem faciunt tenebras, & tenebras lucem. Et hæc quidem hominum multo maxima turba est, uerum oportet hos simul & contemnere, ne similis illorum esse uelis, & miserescere, ut eos tui similes fieri cupias. atque (ut Augustini uerbis utar) tum flere conuenit irridendos, tum irridere flendos. Noli in malis conformari huic seculo, sed reformare in nouitate sensus tui, ut probes non quæ mirentur homines, sed quæ sit uoluntas Dei bona & bene placens, & perfecta. Periculo proximus es, planeq; labescis, si circumspectare cœperis, quid agant plerique, si captare, quid sentiant. Tu uitæ ac lucis filius, sepeliant sine mortui mortuos suos, cæci cæcorum duces simul in foueam abeant. Caue quoquam ab exemplari tuo Christo cordis oculos dimoueas: non errabis, ueritatis ductum sequens: non impinges in tenebris, post lumen ambulans. Hoc prælucente, si fucata bona à ueris, si uera mala à falsis secreueris, horrebis non imitaberis cæcitatẽ multitudinis, ad inanissima rerũ ludibria, uicibus quib usdã affectionũ, iræ inuidiæ, amoris, odij, spei, metus gaudij, doloris quouis Euripo inquietius æstuantis. Bragmani, Cynici

Gloria uera

Prudentia mundi

Quæ probanda sint

Cynici, Stoici, mordicus ſua dogmata tueri ſolent, & reclamante mundo, explodentibus exibilantibus omnibus, tamen urgēt pertinaces, quod ſibi ſemel perſuaſerunt. Aude & tu ſectæ tuæ decreta penitus in animo figere, aude ſecurus ac totus in autoris tui ſententiam pedibus diſcedere.

OPINIONES CHRISTIANO DIGNAE

HAec ſemper apud te conſtent ueri Chriſtianiſmi paradoxa, uti ne quis Chriſtianus ſe ſibi natum eſſe putet, neq; ſibi uelit uiuere, ſed quicquid habet, aut eſt, id omne nō ſibi tribuat, ſed deo autori ferat acceptum: omnia ſua bona omnibus exiſtimet eſſe communia. Proprietatem Chriſtiana charitas non nouit. Pios amet in Chriſto, impios propter Chriſtum, qui nos adhuc inimicos ſic dilexit prior, ut ſe totum nobis redimendis impenderit: illos complectatur quod boni ſint, hos nihilominus ut bonos reddat. Neminem prorſus hominem oderit, non utique magis, quàm fidelis medicus odit ægrotum. Vitijs tantum ſit inimicus. Quo grauior eſt morbus, eo maiorem curam adhibebit pura charitas. Adulter eſt, ſacrilegus eſt, Turca eſt: execretur adulterum, non hominem: Sacrilegum aſpernetur, non hominē: Turcam occidat, non hominem. Det operam, ut impius pereat, quem ipſe ſe fecit: ſed ut ſeruetur homo, quem fecit Deus. Omnibus ex animo bene uelit, bene precetur, benefaciat. Neq; noceat commeritis, & proſit immerentibus. Omnium commodis perinde ut ſuis aggratuletur. Omnium incommodis, non ſecus quàm ſuis indoleat. Nimirum hoc eſt quod iubet Apoſtolus, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Immo grauius alienum malum ferat, quàm ſuum. De fraterno bono lætior ſit, quàm de proprio. Non eſt Chriſtiani ſic cogitare: Quid mihi rei cum iſto? albus atérue ſit, neſcio, ignotus eſt, alienus eſt, nihil unquā bene de me meritus eſt: læſit aliquando, nunquam profuit. Nihil horum, tantum memineris, quo merito tibi quæ præſtiterit Chriſtus, qui ſuam in te beneficentiam, non in ſe, ſed in proximo uoluit retaliari. Tantum uide, quibus egeat ille, & quid tu poſsis. Tantum hoc cogita, frater eſt in domino, cohæres in Chriſto, eiuſdem corporis membrum, eodem redemptus ſanguine, fidei communis ſocius, ad eandem gratiam & felicitatem futuræ uitæ uocatus: quemadmodum dixit Apoſtolus, Vnum corpus, & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ, unus dominus, & una fides, unum baptiſma, unus Deus, & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Alienus eſſe qui poteſt, qui cum tibi tam multiplex intercedit unitatis copula? Apud gentiles momenti nonnihil adferant uel ad bene uolentiam, uel ad maleuolentiam illæ rhetorum circunſtantiæ: Conciuis eſt, affinis eſt, cognatus eſt: aut contra, familiaris, amicus paternus, bene meritus, gratus, honeſto loco natus, opulentus, aut ſecus: In Chriſto aut nihil ſunt, aut iuxta Paulum, unum & idem ſunt hæc omnia. Hoc unum tibi obuerſetur ob oculos, & ſatis ſit: caro mea eſt, frater eſt in Chriſto: quod in membrum cōfertur, nónne in uniuerſum corpus redundat, atq; inde in caput? Omnes ſumus inuicem membra: membra cohærentia conſtituunt corpus: corporis caput Ieſus Chriſtus, Chriſti caput Deus: tibi fit, ſingulis fit, Chriſto fit, deo fit, quicquid unicuilibet membro fit, ſeu bene, ſeu male: hæc omnia unum ſunt, Deus, Chriſtus, corpus & membra. Non recte inter Chriſtianos locum habet illud: Pares cum paribus: & illud: Diſsimilitudo mater odij: quorſum enim diſſenſionum uocabula, ubi tanta eſt unitas? Non ſapit Chriſtianiſmum, quod uulgo aulicus oppidano, ruſticus urbano, patricius plebeio, magiſtratus priuato, diues pauperi, clarus obſcuro, potens imbecilli, Italus Germano, Gallus Britanno, Britannus Scoto, grāmaticus theologo, grāmatico dialecticus, iuriſperito medicus, doctus idiotæ, eloquens infacundo, cœlebs marito, iuuenis ſeni, clericus prophano, ſacerdos monacho, minor Coletæ, Carmelita Iacobitæ, & ne omnia diſcrimina referā, nugatoria in re diſsimilis diſsimili eſt iniquior. Vbi charitas quæ & hoſtem diligit, quando cognomen cōmutatum, quando calor ueſtis nonnihil diuerſus, quando cingulus, aut calceus, & ſimilia deliramenta hominum, me tibi faciunt inuiſum? Quin potius pueriles iſtas nugas mittimus, & illud quod ad rem pertinet, præ oculis habere conſueſcimus, quod multis locis inculcat Paulus: omnes nos in Chriſto capite, unius eſſe corporis membra, eodem animata ſpiritu, ſi tamen in illo uiuimus, ut neq; felicioribus membris inuideamus, & imbecillioribus libenter ſubueniamus. Vt intelligamus nos ipſos accepiſſe beneficium, cum beneficium præſtitimus proximo: nos læſos,

cum nocitum est fratri. Neq; quisquam proprie sibi studeat, sed pro sua uirili quisq; quod accepit à deo, in commune conferat, ut illò refluant omnia, unde fluxerunt, puta à capite. Hoc uidelicet est, quod Paulus scribit Corinthijs: Sicut enim, inquiens, corpus unum est & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudęi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Nam & corpus nõ est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unum quodq; eorum in corpore, sicut uoluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij. Sed multo magis, quæ uidentur mẽbra corporis infirmiora esse, necessariora sunt. Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus. Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicẽ solicita sint membra, Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Consimilia scribit Rom. Sicut enim, inquit, in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli aũt alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Rursum ad Ephesios: Veritatem autem, inquit, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & cõnexum, per omnem iuncturam submi-nistrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusq; membri, augmẽtum corporis facit, in ędificationem sui in charitate. Et alibi iubet inuicem alios aliorum onera gestare, quoniam sumus inuicẽ membra. Vide igitur, num ad hoc corpus pertineant, quos passim audis ad hunc modum loquentes: Mea res mihi hęreditate obuenit, iure, nõ fraude possideo: cur ea non meo arbitratu utar, atq; abutar? Cur ijs dem inde quicquam, quibus nihil debeo? Profundo, perdo, meum est quod perit, aliorũ nihil interest. Membrum tuum ringitur inedia, & tu ructas perdicum carnes. Frater nudus horret, tibi tantum uestium tineis & carie uitiatur. Tibi mille aureos unius noctis alea perdidit, dum interim misera quæpiam puella, adigente egestate, pudicitiã suam prostituit, & perit anima, pro qua Christus impendit animam suam. Tu dicis, quid mea? Quod meum est pro meo arbitrio tracto. Et postea isto cum animo tibi uideris Christianus, qui ne homo quidem sis? Audis in cœtu multorum lædi famam huius atque illius, tu taces, aut forte arrides obtrectanti. Confutassem, inquis, si quid ad me pertinuissent quæ dicebantur: at nihil mihi cum illo qui lædebatur. Ergo nihil tibi cum corpore, si nihil cum membro. Ne cum capite quidem aliquid, si nihil cum corpore. Vim ui, inquiunt, ius est repellere. Nihil moror, quid leges imperatoriæ permittant, hoc demiror, unde istæ uoces in mores Christianorum peruenerint. Nocui, sed lacessitus. Malui dare malum, q̃ in me admittere. Esto, non puniunt leges humanæ, quod indulserunt: At quid facturus est Christus imperator tuus, si suæ legi fraudem feceris, quæ extat apud Matthæũ? Ego aũt dico uobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillã tuam, præbe illi alteram, & ei qui uult tecum in iudicio contendere & tunicã tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille passus, uade cum illo & alia duo: diligite inimicos uestros: & benefacite his qui oderũt uos, & orate pro persequentibus & calũniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Respondes, nõ mihi ista dixit: dixit apostolis, dixit perfectis. Nónne audisti, ut filij patris uestri sitis? si filius dei nõ cupis esse, nihil ad te pertinet lex. Quanquam ne bonus quidem est, qui perfectus esse nolit. Accipe & illud, si mercedem non desyderas, nihil ad te mandatum: sequitur enim: si diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habetis? quasi dicat, nullam: neq; enim istud facere uirtus est, sed non facere scelus est: neutri debetur quicquam, ubi par relatum est pari. Audi Paulum magnum Christianarum legum & consul-

tum

tum, & interpretem: Benedicite persequentibus uos: benedicite & nolite maledicere: nulli malum pro malo reddentes: si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non uosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi uindicta, & ego retribuam dicit dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciēs, carbones ignis congeres super caput eius, Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Quid igitur futurum est, inquis, si procacitatem alienam mea lenitate aluero, & ueterem ferendo iniuriam iuuitaro nouam? Si potes malum sine tuo malo uel effugere, uel depellere, nemo te uetat facere: sin minus, caue dixeris, facere satius est quàm pati: si potes, emenda, uel beneficijs obruens, uel mansuetudine uincens: sin aliter, præstat alterum perire quàm utrunq; præstat te patientiæ lucro ditesce re, quàm mutua talione mali, malos ambos fieri. Ergo Christianum decretum sit, cum omnibus amore, mansuetudine, beneficio certare. Contentione, odio, obtrectatione, contumelia, iniuria, uel infimis etiam libenter cedere. Sed indignus est, cui benefiat, cui concedatur. At dignum te ut facias, dignus Christus, ad cuius gratiam fit. Neq; lædere quenquam uolo, aiunt, neq; lædi me patiar. Immo tu læsus, ex animo remitte noxam, caue ne quid sit, quod quisquam tibi remittat. Tam obseruans esto in uitanda culpa tua, quàm facilis ad remittēdam alienā. Quo maior es, hoc te mgis magisq; summittas, ut omnibus in charitate inseruias. Si claro genere es, nō obscura abūt, sed decora abūt nobilitatem generis, mores Christo digni. Si doctus es, hoc modestius imperitorum inscitiam feras & emendes. Hoc fratri plus debes, quo plus tibi creditum est. Dives es, memineris dispensatorem esse te, nō dominum, ac solicitus uide, quomodo rem cōmunem tractes. Tu credebas solis monachis interdictam esse proprietatem? indictam paupertatem? Erasti, utrunq; ad omnes Christianos pertinet. Lex te punit, si quid alieni sustuleris: non punit, si tuum fratre egente subtraxeris: at utrunq; puniet Christus. Si magistratus es, ne te faciat honor ferociorem, sed onus solicitiorem. Non gero, inquis, munus ecclesiasticum, non sum pastor aut episcopus. Demus istud. At num etiam Christianus non es? Ipse uideris cuias sis, si ecclesiasticus nō es. Adeo Christus in contemptum uenit mundo, ut pulcrum existiment, & regium, nihil cum eo habere cōmercij, hoc quenq; contemptiorē esse, quo fuerit illi copulatior. An non audis quotidie ab iratis laicis, atrocis conuicij loco nobis in os iaci, clerici, sacerdotis & monachi uocabula? Idq; prorsus non alio animo ac uoce, quàm si incestum aut sacrilegium exprobrarent. Equidem demiror, cur non etiam baptismum obijciant, cur non etiam cum Saracenis Christi cognomen probriuice impingant. Si malum clericum, aut indignum sacerdotem dicerēt, aut monachum irreligiosum, ferendi erant, quippe qui mores hominis notarent, non uirtutis professionem contemnerent. Sed qui sibi stupra uirginum, res bello raptas, pecuniam alea uel partam uel perditam, & id genus plurima facinora gloriæ dicunt, in alium uero nihil habent cōtemptius, aut probrosius, aut magis pudendum, quod obiectent, quàm monachi aut sacerdotis uocabulum, nimirum obscurum nō est, quid de Christo sentiant isti solo nomine Christiani. Non est alius episcoporum, alius magistratuum ciuilium dominus: eiusdem uices gerunt utriq;: eidem utriq; reddenda erit ratio. Si aliò quàm ad illum respicis, uel suscipiens magistratum, uel gerens, nihil refert si te mundus non uocat simoniacum, ille certe ut simoniacum puniet. Si publicum munus ambis, non ut prosis in cōmune, sed ut priuatim rei tuæ consulas, ut ulciscaris quibus male uis, magistratus tuus latrocinium est apud deum. Inse queris prædones, non uti suum recipiat qui spoliatus est, sed ne nō sit apud te, quod apud prædones est. Quantulum quæso inter te & illos interest? nisi forte, quod illi quidem mercatorum, tu prædonum es prædo. In summa nisi hoc animo geris magistratū, ut paratus sis non dicam rei, sed & capitis iactura, quod iustum est tueri, nō approbabit Christus ad ministrationē tuam. Addam & illud ex Platonis sententia, neminē esse magistratu dignū qui libenter gerit magistratum. Si princeps es, caue ne te incantent maleficæ illæ assentatorum uoces: Dominus es, supra leges liber es, omnia tibi iusta, omnia honesta: tibi licet, quicquid libet: nihil ad te, quæ uulgo dicuntur à sacerdotibus. Immo & tu quod res est existima, unum omnium esse dominum Christum Iesum, cuius te quàm simillimum esse oportet, quippe cuius uices geris, Huius disciplina nulli præstanda exactius, quàm tibi, à quo seuerius rationem exacturus, quàm ab alijs. Non protinus ius esse putato, quod uis,

Magistratu dignus qui

ſed id tantũ uelis quod ius eſt. Quod ulli mortaliũ turpe futurũ erat, id ne tibi quidem putaris honeſtum. Immo ne illa quidem tibi permitte, quæ uulgo ſolent condonari. Quod in alijs delictum, in te flagitium fore puta. Honorem, admirationem, dignitatem, gratiam, autoritatem, non opes tibi concilient plebeis maiores, ſed mores emereantur, populari/bus meliores. Non ea diſcat in te mirari uulgus, quibus illa ipſa facinora inuitantur, in quæ tu quotidie animaduertis. Tolle admirationem diuitiarum, ubi fures, peculatores, ſacrilegi, prædones? Tolle admirationem uoluptatum, ubi raptores, atq; adulteri? Quoties ſplendidior apud tuos uideri uis, ne ſtultorum oculis opes tuas explices: cum felicior, ne luxum & uoluptates oſtentes. In te primum diſcant iſta cõtemnere, diſcant ſuſpicere uirtutem, in precio habere frugalitatem, applaudere temperantiæ, honorem habere modeſtiæ. Ne quid eorum tuis in moribus appareat, quæ tui faſces in populi moribus puniunt. Optime recideris maleficia, ſi materiam maleficiorum, diuitias & uoluptates in te nõ uiderint magni fieri. Ne quem uel media de plebe præ te contempſeris. Commune exæquo precium eſt, quo utriq; eſtis redempti. A cõtemptu te non ſtrepitus ambitionis, non ferocitas, non arma atque ſatellites uendicent, ſed uitæ integritas, ſeueritas ac mores ab omnibus populi uitijs incorrupti. Nihil prohibet, in obeundo principatu ſummum te-
Principatus Chriſtianus nere locum, & in charitate nullum diſcernere locum. Hoc principatum eſſe puta, non opibus præcedere, ſed quàm plurimum omnibus prodeſſe. Non ea quæ publica ſunt, in tuum commodum uerte, ſed quæ tua ſunt, teq; ipſum totum, ad publicam utilitatem effunde. Multa tibi debet populus, at tu illi debes omnia. Ambitioſa nomina, inuicti, ſacroſancti, maieſtatis, & ſi coguntur ferre aures, animus certe nõ agnoſcat, ſed hęc omnia in Chriſtum, cui ſoli competunt, referas. Læſæ maieſtatis crimen, quod alij tragica uoce efferunt, apud te leuiſsimum ſit. Maieſtatem principis is uere lædit, qui principis nomine, contra ius, crudeliter, uiolente, flagitioſe quid facit. Nullius iniuria te minus moueat, quàm quæ priuatim ad te pertinet. Publicam perſonam eſſe te memineris, nec oportere niſi de publico cogitare. Si cordatus es, reputa tecum, non quantus ſis, ſed quantum onus humeris ſuſtineas. Et quo maiore in periculo uerſaris, hoc minus indulge tibi, non à maioribus tuis, aut aſſentatoribus formam adminiſtrandi imperij, ſed à Chriſto petens. Quid enim abſurdius, quàm principem Chriſtianum Hannibalem, Alexandrum magnum, Cæſarem aut Pompeium ſibi proponere? In quibus ipſis cum quaſdam uirtutes nequeat aſſequi, ea potiſsimum imitabitur, quæ ſola erant fugienda. Non protinus in exemplum trahatur, ſi quid approbantibus hiſtoricis fecit Cæſar, ſed ſi quod fecit, non abhorret à doctrina domini noſtri, aut ſi eſt eiuſmodi, ut quanquam imitandum non eſt, ad uirtutis tamen ſtudium poſſit accendere. Ne totum quidem imperium tanti ſit, ut prudens uelis à recto deflectere: exue potius illud, quàm exuas Chriſtum. Ne dubita, habet ille quod tibi referat pro contempto imperio longe melius imperio. Nihil tam decorum, tam magnificum, tam glorioſum regibus, quàm ad ſummi regis Ieſu ſimilitudinem quàm proxime accedere, qui ut erat maximus, ita & optimus erat. Sed quod maximus eſſet, id in terris diſſimulauit: quod optimus, id nos ſentire maluit, quia hoc nos maluit imitari. Negauit regnum ſuum de hoc mundo eſſe, cum eſſet cœli terræq; dominus. Sed principes gentium dominantur eis, Chriſtianus non exercet poteſtatem in ſuos, ſed charitatem, & qui maximus eſt omnium miniſtrum ſe cogitet eſſe, non dominum. Quo magis admiror, poteſtatis & dominij ambitioſa uocabula ad ipſos uſq; pontifices ſummos, & epiſcopos inuecta fuiſſe: nec pudere theologos non minus indocte quàm ambitioſe magiſtros noſtros uulgo appellitari, cum utrunq; Chriſtus interdixerit ſuis, ne uel dominos, uel magiſtros uocari ſe ſinerẽt: unum enim eſſe tum magiſtrũ, tum dominum, qui & caput omnium noſtrum Chriſtus Ieſus. Apoſtolus, paſtor, epiſcopus, officij ſunt uocabula, non dominatus. Papa, abbas, charitatis cognomina ſunt, non poteſtatis. Sed quid ego mare illud uulgarium errorum ingrediar? Ad quodcunq; hominum genus ſe conuerterit, multa ubiq; uidebit homo uere ſpiritualis quæ rideat, plura quæ fleat, plurimas opiniones deprehendet deprauatiſsimas, & à Chriſti doctrina longe lateq; diſſidentes, quarum bona pars inde proficiſcitur, quod etiam in Chriſtianiſmo mundum quendam induximus. Et quod apud ueteres theologos de mundo legitur, hoc parum eruditi ad eos referunt, qui monachi nõ ſunt. Mundus in Euangelio apud apoſtolos, apud Auguſtinũ, Ambroſium,

Hieronymum

Hieronymum dicũtur increduli, à fide alieni, crucis Christi inimici, blaſphemi in deum. Qui huiuſmodi ſunt, ſolliciti ſunt de craſtino, quippe qui diffidũt de Chriſto, pro opibus, pro imperio, pro uoluptatibus digladiãtur, utpote qui ſenſibilium rerũ præſtigijs occæcati, falſa bona pro ueris amplectuntur. Hic enim mundus Chriſtum uerum lumen non cognouit. Hic totus in malo poſitus, ſe amat, ſibi uiuit, ſibi ſtudet: non enim induit Chriſtum, qui uera charitas eſt. Ab hoc ſemouit Chriſtus nõ ſolũ apoſtolos, ſed omnes quos ſe dignos iudicauit. Quo tandem igitur modo, hunc ſemper in literis damnatũ mundum, cum Chriſtianiſmo miſcemus? Et mundi inani uocabulo noſtris uitijs blandimur? Augent hanc peſtem plerique doctores, adulterantes uerbum dei, ut ait Paulus, & ad temporum mores ſcripturã diuinam trahentes, cũ magis conueniat mores ad ſcripturarũ regulam emendari. Nullũ autem exitialius aſſentandi genus, quàm cum uerbis euangelicis, aut propheticis, animi morbis blandimur, non medemur. Audit princeps: Omnis poteſtas à deo, protinus ſurgunt criſtę: cur magis tumidũ te reddit ſcriptura quàm ſollicitum? cogitas quod deus tradidit tibi gerendum imperium, & non cogitas quod idem geſti imperij exigit rationem. Audit auarus, interdictum Chriſtianis, ne binas habeant tunicas, interpretatur theologus, alterã tunicã eſſe quidquid neceſſitati naturæ ſuperſit, & quod ad morbũ cupiditatis pertineat. Bene habet, inquit Craſſus ille, mihi adhuc plurima deſunt. Audit animalis & à charitate frigidus, hunc eſſe charitatis ordinem, ut tuam pecuniam a lienæ, tuam uitam alienæ, tuam famam alienæ anteponas. Nõ dabo, inquit, igitur, ne forte mihi ipſi deſit. Non tuebor illius famã, ne quid maculæ meæ aſpergatur famæ. Fratrem in periculo deſeram, ne ueniam & ipſe in periculum, breuiter mihi uiuam totus, ne quid ullius nomine ad me perueniat incommodi. Didicimus & à ſanctis uiris, ſi quid non imitandum fecerunt, id ſolum in uitæ exemplum trahere. Adulteri & ſanguinarij Dauid exemplo ſibi blandiuntur: qui ſacculis inhiant, diuitem Abraham nobis obijciunt. Principes, quibus pro ludo eſt paſſim uitiare uirgines, Solomonis reginas & concubinas nobis annumerãt. Quorum deus uenter eſt, Noe ebrietatem prætexunt. Inceſti Loth concubitum prætendunt ſuæ turpitudini. Cur in iſtos à Chriſto declinamus oculos? Audeo dicere ne in Prophetis quidem aut Apoſtolis imitandum Chriſtianis, ſi quid à Chriſti doctrina diuaricetur. Quod ſi ſanctos peccatores libet imitari, non reclamo, modo totos imitentur. Secutus es Dauid adulterantem, magis ſequere pœnitentem. Expreſſiſti Magdalenam peccatricem, exprime & amantem multum, exprime lachrymantem, exprime ad pedes Ieſu ſeſe abijcientem. Perſecutus es eccleſiam Dei cum Paulo, peieraſti cum Petro, fac & ceruicem porrigas pro pietate cum Paulo, crucem ne reformides cum Petro. Ideo patitur deus & magnos uiros in quædam uitia labi, ne nos lapſi deſperemus, ſed ita, ſi quemadmodum ſocij fuimus errantium, ita ſimus & emendantium errata. Nunc illud ipſum quod imitandum non erat, exaggeramus, & quædam recte ab illis facta depraua mus: aranearum inſtar, tantum ſi quid ineſt ueneni, exugentes, aut ſalutarem etiam ſuccum nobis uertentes in uenenum. Quid tibi cum diuite Abraham, cui numiſma numen eſt? quòd ille prouentu fœturæ, deo rem illius fortunante, ditatus eſt, idq; in lege carnali: ideo ne tibi Chriſtiano licet per fas nefaſq; undecunq; Crœſi opes cõgerere, quas uel male profundas, uel peius domi defodias? Ille diuitijs ſponte affluentibus quàm non adiecerit animum, uel hoc argumento ſit, quod ſtatim ad iubentis dei uocem, filium unicum macandum produxit. Quàm credis contempſiſſe boum armenta, qui cõtempſit & filium? Tu uero nihil aliud ſomnians quàm quæſtum, nihil admirans niſi pecuniam, paratus ſimul atq; inciderit exigui lucelli ſpes, uel fratrẽ fallere, uel Chriſtũ negligere, ſimile quiddam tibi putas eſſe cum Abraam? Simplices puellæ filiæ Loth, cũ conſpicerent omnem quaquauerſum regionem incendio conflagrare, hoc uniuerſum mundum arbitrantes, quod oculis patebat, neque ullum iam uſquam mortalium ex tam uaſto incendio ſuperſtitem eſſe præter ſeſe, non turpi, ſed pio conſilio, patris concubitum ſuffuratæ ſunt, ne uidelicet nullæ generis humani reliquiæ ſupereſſent, præſertim cum adhuc uigeret diuinum præceptũ: Creſcite & multiplicamini. Et audebis tuas prodigioſas libidines cum harum puellarum facto conferre? Immo & coniugium tuum harum inceſtui non dubitem poſt habere, ſi quidem in matrimonio non proli ſeruis, ſed tuæ libidini. Dauid tot egregijs pietatis exemplis editis, ſemel incidit in adulterium, obiecta opportunitate, non

Ordo charitatis

captata: an ob hoc protinus tibi licebit impune totam ætatem per alienos thalamos uolutari? Petrus semel metu mortis abnegauit Christum, pro quo postea fuerat moriturus, num ideo tibi quauis de causa peierare fas erit? Paulus non affectu peccauit sed errore lapsus est: admonitus, statim resipuit. Tu prudens, sciens, uidens in malis consenescis, & Pauli exemplo, tibi ipsi caput demulces? Matthæus uerbo tantum iussus, nihil contatus, semel totum exuit telonen. Te pecunijs addictum, non tot sanctorum exempla, non to-

Augustini cõcubinatus excusatur

ties audita Euangelia, non tot conciones auellunt. Dicunt mihi episcopi: Diuus Augustinus duas amicas habuisse legitur: uerũ ille Ethnicus, nos in Christianismo educati: ille adolescens, nos cani. Egregia collatio, quoniam ille iuuenis Ethnicus, ne matrimonij pedicis irretiretur, unam mulierculam uxoris loco habuit, & non uxori, fidem tamen coniugij præstitit, ideo nobis Christianis, senibus, sacerdotibus, episcopis, minus fœdum erit, per omnia libidinum uolutabra conspurcari? Actum est de moribus, posteaquã uitia uirtutum nominibus donauimus, & ad tuendum mala nostra argutiores, quàm ad emẽdandum diligentiores esse cœpimus: maxime si prauas opiniones nostras falso patrocinio diuinarum literarum alere ac fulcire condidicerimus. Tu igitur frater suauissime, in totum contempto uulgo cum suis & opinionibus & factis, syncere ac totus Christianã sectam arripe, quicquid in hac uita uel horrendum, uel appetendum obijcitur sensibus, id omne pietatis amore ex æquo negligens: unus Christus tibi satis sit, unicus autor & recte sentiendi, & beate uiuendi. Et hanc quidem meram stultitiam amentiámque mundus existimat, sed per hanc placuit deo saluos facere credentes. Feliciter desipit, qui sapit in Christo: misere desipit, qui Christum non sapit. Verum heus tu, quemadmodum te uolo fortiter à uulgo dissentire, ita nolo Cynicum quiddam referentem, passim aliorum sententijs, aut factis oblatrare, superciliose damnare, odiose obstrepere omnibus, rabiose declamitare in uitam cuiuslibet, ne duo simul mala cõscisças: alterum, ut in omnium odium abeas: alterum, ut inuisus, ne queas quidem ulli prodesse. Esto & tu omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifacias, quoad licet, nõ offensa pietate. Foris omnibus temet accõmoda, ut intus quidem immotum sedeat propositum. Foris autem comitas, affabilitas, facilitas, commoditas alliciat fratrem, quem blande conuenit inuitari ad Christum, nõ asperitate deterreri. Denicq; quod sentis, non tam ẽquis intonandũ uerbis, quàm moribus exprimendum. Neq; rursus sic indulgendum infirmitati uulgi, ut ueritatem in loco fortiter tueri non audeas. Humanitate emendandi sunt homines, non decipiendi.

CANON VII

POrrò si per infantiam & imbecillitatem animi nostri, nõdum adista spiritalia licebit aspirare, nihilo tamen segnius danda erit opera, ut saltem in proximis consistamus. Alioqui uera compendiaria ac ad felicitatem uia est, si semel totam mentem ita ad cœlestium rerum admirationem conuerterimus, ut ueluti corpus umbram, ita amor Christi, amor æternorum & honestorum, natura secum adducat fastidium caducorum, & odium turpium. Vtrunq; enim necessario consequitur alterum, & alterum cum altero uel crescit, uel decrescit. Quantum profeceris in amore Christi, tantum oderis mundũ: quo magis miraberis inuisibilia, hoc magis uilescent res fluxæ ac momentaneæ. Oportet igitur, quod in literis suadet Fabius, idem & in uirtutis facere disciplina, ut statim ad optima nitamur. Quod tamen si nostro uitio non continget, proximum est, ut uel humana quadam prudentia, à magnis uitijs abstineamus, nosq; ipsos (quoad fieri potest) integros diuinæ beneficentiæ seruemus. Nam ut saluti propius est corpus exhaustum quidem illud & inane, uerum noxijs humoribus liberum: ita mens capacior est diuini muneris, nondum grauibus culpis inquinata, tametsi uera uirtute adhuc uacat. Si imbecilliores sumus, cq; ut Apostolos, ut martyres, ut uirgines imitemur, saltem ne committamus, ut ethnici nos in hoc stadio uideantur præcurrere. Quorum pleriq; cum neq; deum nossent quem uererentur, neq; inferos crederent quos formidarent, tamen ipsam per se turpitudinem modis omnibus fugiendam esse homini censuerunt, adeo ut nonnulli maluerint, famæ, rei, uitæ denicq; iacturam facere, quàm ab honesto discedere. Si per se tale quiddam est peccatum, ut nullis commodis, aut incommodis propositis sit admittendum, profecto Christianum hominem, si non dei uel iustitia deterret, uel dehortatur beneficentia, si non uel spes immortalitatis, uel æternæ pœnæ metus reuocat, si ne ipsa quidem natiua peccati

turpitudo

turpitudo retrahit,quæ potuit & gentilium animos retrahere,saltē mille incommoda deterreant,quæ etiam in hac uita peccantem consequuntur,infamia,dispendiū rei, egestas, contemptus & odium bonorum, anxietas animi, inquietudo, & ille multo miserrimus conscię mentis cruciatus,quem etiamsi nonnulli in præsentiarum non sentiunt,siue ætatis hebetudine obscurati,siue peccati uoluptate inebriati, tamen sentient posterius, & omnino tanto sentient infelicius,quāto serius. Quare iuuenes potissimum sunt admonendi,ut hanc esse peccati naturam, malint tot autoribus credere, quàm infelici experientia in semetipsis discere:neq; prius uitam uitijs cōtaminent,quàm planè quid sit uita,cognouerint. Si tibi uilis est Christus, cui tu tāti constas,saltem tua ipsius causa temperato à turpibus. Et quanquā uehementer periculosum est,hoc in statu,uelut in triuio (quod aiunt) diutius commorari,tamen ijs qui nondum queunt ad heroicam assurgere uirtutem, non paulo præstabilius est in politica uirtute consistere,quàm in omne turpitudinis genus ire præcipites. Non hic est felicitatis meta,sed hinc propior ad felicitatem gradus. Interim tamen semper orandus deus,ut nos ad meliora dignetur arripere.

CANON VIII

SI crebrius ac grauius ingruet in te tentationum procella,ne protinus tibi incipias displicere,quasi ob id Deo tuo uel curæ,uel cordi non sis, aut parum pius,aut etiam minus perfectus. Immo potius gratias age,quod ut futurum hæredē erudit, ut charissimum filium flagellat,ut amicum explorat. Maximum est argumentum,hominem à diuina misericordia reiectum esse,cum nullis tentationibus incessitur. In mētem tibi ueniat Paulus Apostolus,qui ad tertij cœli mysteria promeruit admitti, tamen ab angelo Satanæ colaphizatus. Succurrat amicus dei Iob,succurrat Hieronymus,Benedictus, Frāciscus, cūq; his innumerabiles alij patres,maximis de uitijs solicitati. Si cū tātis uiris,si cum tam multis tibi commune est quod pateris, quid est cur animum deijcias? Magis enitere,ut cum illis uincas. Non destituet te deus,& faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possis sustinere.

CANON IX

QVod callidi solent imperatores facere,ut in tranquillis etiam rebus, tamē excubias agant, itidem tu quoq; semper animum uigilantem ac circumspectum ad futurum hostis assultum habeas:nunquam enim ille non circuit,quærens quem deuoret: quo paratior esse queas,ut irruentem statim fortiter retundas exibilesq;, statim pestiferi serpētis caput conteras. Nusquam enim ille uincitur uel facilius,uel perfectius. Proinde consultissimum est,paruulos Babylonis,ilico ut nati sunt,ad petram quæ Christus est,allidere priusquam grandescant.

CANON X

REpellitur autem maxime tentator his modis,si uel uehementer auerseris animo,statimq; in suggerentem uelut expuas,aut ardenter ores, aut ad sanctam aliquam occupationem toto pectore te conferas,aut si uerbis è factis literis petitis,tētatori respondeas, quemadmodum supra admonuimus. Qua quidem in re nō mediocriter profuerit aduersus omne tentationis genus,certas quasdam sententias habere paratas,eas maxime, quibus aliquando senseris animum tum uehementer commoueri. *Remedia contra tentationē*

CANON XI

PIos homines duplex potissimum habet periculum: alterum ne in tentatione succumbant:alterū ne post uictoriā in consolatione & gaudio spiritali insolescant. Vt igitur tutus sis non solum à timore nocturno,uerumetiam à dæmonio meridiano,facito ut cum hostis te ad turpia solicitat,non tuam ipsius respicias imbecillitatem,sed tantum memineris,te in Christo omnia posse,qui non apostolis modo,sed & tibi,sed omnibus suis membris etiam infimis dixit,confidite,quia ego uici mundū. Rursum cū uel post superatum instigatorē,uel in pio quopiam opere senseris mentē tuā intus arcana quadā uoluptate perfundi,tum etiam atq; etiā caueas,ne quid inde tuis meritis arroges,sed totum gratuitæ beneficentiæ dei feras acceptum. Teq; ipsum protinus uerbis Pauli reprimas: Quid habes quod nō accepisti? & si accepisti, qd gloriaris,quasi non acceperis? Itaq; aduersus duplex hoc malū,duplex erit remediū,si & in cōflictu tuę uirtuti diffisus,ad Christū caput tuum confugias,atq; in eius unius beneuolētia spē omnē uincendi ponas, & in cōsolatione spiritali, statim gratias agas illi de suo beneficio, tuam indignitatem humiliter agnoscens.

Canon

CANON XII

CVm pugnas cum hoſte,non ſatis tibi,ſi ictum illius declines aut etiam repellas,niſi fortiter arreptum telum in ipſum autorem retorſeris, ſuomet illum gladio iugulãs. Id ita fiet,ſi ad malum ſolicitatus,nõ ſolum non pecces,ſed hinc tibi arripias occaſionem uirtutis.Et quemadmodum eleganter fingunt Poetæ, Herculem obiectis ab irata Iunone periculis animo creuiſſe atq; induruiſſe: itidem tu quoq; da operam,ut hoſtis inſtigationibus non ſolum peior non fias,ſed etiam euadas melior.Solicitaris ad libidinem,imbecillitatem tuam agnoſce,ac pluſculum etiam tibi de licitis uoluptatibus interdicito,ad caſtas & pias occupationes apponito nonnihil auctariꝝ.Inſtigaris ad cupiditatem,ad tenacitatem,auge eleemoſynas.Incitaris ad inanẽ gloriam,tanto magis demitte te in omnibus. Ita fiet,ut unaquæq; tentatio ſit tibi renouatio quædã ſancti propoſiti tui,& pietatis incrementum.Neq; enim prorſus alia ratio tam efficax conficiendi profligandiq; hoſtem noſtrum:uerebitur enim te denuo prouocare,ne, qui impietatis autor eſſe gaudet, pietatis miniſtret occaſionem.

CANON XIII

SEmper autem hoc animo,atq; hac ſpe dimices,quaſi ea pugna ſit tibi poſtrema futura,ſi uictor diſceſſeris. Fieri enim poteſt, ut & iſtud præmij tuę uirtuti largiatur benignitas diuina,ut hoſtis ſemel turpiter uictus,nunquam poſtea te repetat,id quod legimus piijs aliquot uiris contigiſſe.Nec abſurde credit Origenes,uincentibus Chriſtianis minui copias hoſtium,dum ſemel fortiter repulſus, nunquam ad hominem ſolicitandum reuerti permittitur.Ergo in cõflictu aude perpetuam ſperare pacem.At rurſum ubi uiceris, ſic te geras,quaſi mox in prælium rediturus.Semper enim alia poſt aliam expectanda tentatio,neq; unquam diſcedendum ab armis,nunquam relinquenda ſtatio, nunquam remittendæ excubiæ, donec in hoc corporis præſidio militamus. Semper illud propheticum in pectore cuiq; habendum: Super cuſtodiam meam ſtabo.

CANON XIIII

MAgnopere cauendum,ne quod uitium,ueluti leue cõtemnamus.Nullus enim hoſtis uicit ſæpius,quàm qui fuit contemptui.Qua in re non paucos mortalium miſere falli comperio:fallunt enim ſeipſos,dum ſibi in uno aut altero uitio cõniuentes, quod pro ſuis quiſq; moribus ueniale putat,reliqua grauiter execrantur.Bona pars eorũ,quos uulgus integros & incorruptos appellat,furtum,rapinam,homicidium,adulterium,inceſtum oppido deteſtantur:at ſimplicem fornicationem, & moderatum uoluptatis uſum, ut leue commiſſum,neutiquã refugiunt:alius ad reliqua ſat incorruptus,biboſior eſt, in luxu intemperantior:alius linguæ licentioris: alius inanior & iactantior. Quo tandem uitio carebimus,ſi ad hunc modum ſuo quiſq; blandietur? Argumentum eſt, iſtos ne reliquas quidem uirtutes uere poſſidere, quibus ullum uitium placet,ſed potius ſimulachra quædam uirtutum,quæ uel natura,uel educatio, uel conſuetudo deniq;,& gentilium animis indidit.At qui Chriſtiano odio unum quodlibet uitium execratur, omnia deteſtetur neceſſe eſt. Cuius animũ ſemel uera charitas occupauit,pari deteſtatione uniuerſam malorum cohortem perſequitur,ac ne in uenialibus quidem ſibi blanditur,ne à minimis ſenſim ad maxima dilabatur, & dum in leuibus oſcitat,excidat à ſummis.Et ſi nondum forte queas uniuerſam uitiorum ſtirpem euellere,tamẽ quotidie de malis noſtris aliquid decerpendum,bonis moribus ſemper aliquid adijciẽdum.Ad eum modum decreſcet, aut creſcet ingens ille cumulus Heſiodius.

Quotidie aliquid de malis decerpendum

CANON XV

SI te territabit labor quem oportet in conflictu tẽtationum ſubire, hoc erit remedium, Noli moleſtiam pugnę conferre cum uoluptate peccati.Sed preſentẽ amaritudinem pugnæ compone cum futura amaritudine peccati, quæ uictum conſequitur: tum præſentem dulcedinem culpæ,quæ te illectat,cum futura dulcedine uictoriæ,& tranquillitate mentis,quę conſequitur ſtrenue pugnantem:& mox uidebis,quàm iniqua ſit collatio. Verum in hoc falluntur parũ cauti,quod amaritudinẽ pugnę cõparant cũ delectamento peccati:neq; reſpiciunt, quid hoc atq; illud cõſequatur. Conſequitur autem uictum multo tum grauior tum diuturnior moleſtia,cꝫ uincenti fuerat in congreſſu futura, uictorem item lõge maior ac durabilior uoluptas,q̃ uicto fuerit,quæ traxit in culpã. Id quod facile iudicabit,qui fecerit utriuſq; rei periculũ. Verum neminem Chriſtianũ oportet uſq;adeo ignauum eſſe,ut cum quotidie ſuccũbat tentationi,nõ ſaltẽ aliquando uel curet experiri,

quid

quid sit uincere tentationem. Quod quo fecerit frequentius, hoc fiet uictoria dulcior.

CANON XVI

QVod si quando te contigerit lethale uulnus accipere, caue ne protinus abiecto clypeo, relictis armis, hosti te dedas. Id quod animaduerti nõ paucis accidere, quibus animus natura est imbecillior, & muliebrior, ut semel prostrati desinant reluctari, seseq; totos permittant affectibus, neq; cogitent de recuperanda libertate. Nimisquam periculosa est ista pusillanimitas, quæ cum interdum ingenijs non pessimis adiuncta sit, tamen ad id quod est omnium pessimum solet adducere, nempe desperationem. Aduersus hanc igitur hac regula communienda mens est, ut lapsi in peccatum non solum non desperemus, sed gnauos milites imitemur, quos non raro pudor ignominię, & accepti uulneris dolor non modo non conijcit in fugam, uerum ad fortius, quàm antea pugnandum acuit redintegratq;. Itidem nos quoq;, simulatq; in capitalem noxam fuerimus inducti, ilico properemus redire ad cor, & lapsus ignominiam noua uirtutis alacritate sarcire. Facilius uni uulneri medeberis, quàm multis, facilius recenti quàm inueterato iam putriq;. Anima temetipsum uersiculo illo notissimo, quem usurpasse Demosthenes legitur: Vir fugiens & denuo pugnabit. Cogita Dauid prophetam, regem Solomonem, Petrum ecclesiæ principem, Paulum Apostolum, tanta lumina sanctimoniæ, in quæ scelera tamen inciderint: quos fortasse uel ob hoc cadere permisit Deus, ne tu lapsus desperares. Erige te igitur in pedes, sed statim magnoq; animo, atque in pugnam redito tum ardentior, tum cautior. Fit interim, ut capitalia commissa pijs hominibus cedant in cumulum pietatis, dum ardentius amant qui turpius errarunt. *Non desperes uictus*

CANON XVII

SEd aduersus alios atq; alios tentatoris incursus alia atq; alia remedia sunt accommodatiora. At unicum, multoq; omnium efficacissimum remedium aduersus omne uel aduersitatis, uel tentationis genus est crux Christi, quæ eadem est & errantibus exemplum, & laborantibus refrigerium, & pugnantibus armatura: hæc est una contra omnia tela nequissimi obijcienda. Proinde conuenit in hac diligenter exerceri, non quidem uulgi more, quo quidam dominicæ passionis historiam quotidie relegunt, aut crucis imaginem adorant, aut millenis signis eius totum undiq; corpus communiunt, aut fragmentum aliquod sacrati ligni domi seruant, aut ita certis horis supplicium Christi recolunt, ut ei tanquam homini iusto, & indigna patienti, humano affectu condoleãt atq; illachryment. Non hic est uerus illius arboris fructus, uerum interim sit isthuc lac infantium animarum: tu uero ascende in palmam, ut ueros illius fructus apprehendas: Ii sunt præcipui, si membra capiti, in mortificandis affectibus, quæ sunt membra nostra super terram, conformes esse curemus: Id quod nobis non solum amarum esse non debet, uerumetiam uehementer optabile ac iucundum, si modo spiritus Christi uiuit in nobis. Quis enim uere amat eum, cui quàm dissimillimus esse gaudeat? Verum quo maiore fructu mysterium crucis mediteris, oportebit unumquenq; sibi rationem, ac piam quandam digladiandi artem parare, & in ea diligenter exerceri, ut simul atque res poposcerit, in promptu sit. Ea potest esse huiusmodi, ut singulis affectibus tuis crucifigendis, eam crucis partem applices, quæ potissimum respondeat. Nulla est enim omnino uel tentatio, uel aduersitas, quæ non suum ac proprium habeat remedium in ea. Veluti cum te titillat ambitio huius mundi, cum pudet ludibrio ac contemptui esse, cogita ò membrum infimum, quantus sit Christus caput tuum, & quò sese tua causa deiecerit. Cum inceſſit animum inuidiæ malum, memento quàm benigne, quàm candide se totum ille nostris usibus impenderit, quàm bonus fuerit etiam pessimis. Cum solicitaris à gula, recole illum felle & aceto potatum. Cum tentaris à uoluptate turpi, recordare quàm tota capitis uita ab omni abfuerit uoluptate, quàm omnibus incommodis, cruciatibus, erumnis plena. Cum irritat ira, succurrat statim ille, qui uelut agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os suum. Si te male urit paupertas, aut habendi cupiditas solicitat, protinus in mentem ueniat ille dominus uniuersorum, pro te factus egenus, ita ut non haberet ubi inclinaret caput suum. Atque ad eandem rationem si & in reliquis tentationibus feceris, non solum acerbum non erit uim attulisse tuis affectibus, uerumetiam dulce, propterea quod intelliges isto modo te conformari capiti tuo, eique pro suis immensis *Crux Christi*

doloribus

doloribus, quos tua causa pertulit, quasi gratiam referre.

CANON XVIII

ATque hoc quidem remedij, quanquam unum omnium longe præsentissimum est ijs qui mediocriter in uia uitæ processerunt, tamen infirmioribus nonnihil profuerint & illa, si solicitante ad impietatem affectu, statim ob oculos mẽtis reuocent, quàm fœda, quàm execranda, quàm exitialis res sit peccatum, contra quanta hominis dignitas. Intutilibus etiam negocijs paulisper apud nosipsos consultamus, in hac re omniũ maxima, priusquam nosmet assensu, ueluti chirographo, diabolo astringimus, nõ nostro cũ animo reputabimus, à quãto opifice simus cõditi, in q̃ excellẽti statu constituti, q̃ immẽso precio redempti, ad quantã felicitatem uocati: hominẽ generosum illud esse animal, cuius unius gratia mirabilem hanc mundi machinam fabricatus est deus, conciuem angelorũ, filium dei, hæredem immortalitatis, membrum Christi, membrum ecclesiæ: corpora nostra templa esse spirituſſancti, mentes simulachra simul & adyta diuinitatis: At è regione peccatũ esse pestẽ teterrimam ac tabem tum animi, tum corporis: utrunq; enim in natiuam speciẽ reflorescit innocentia, peccati uero contagio marcescit utrunq;, etiam in hoc seculo. Peccatum est lethale uirus spurcissimi serpentis, autoramentum diaboli, ac seruitutis nõ turpissimæ modo, uerumetiam miserrimæ. Hæc atq; huiusmodi ubi tecum expẽderis, etiam atq; etiam delibera, num satis consultum sit ob fucatam, momentaneam, uenenatã pecca ti delectatiunculam, à tanta dignitate in tãtam excidere indignitatẽ, unde te per teipsum non queas asserere.

Peccatũ quid

CANON XIX

DEinde duos illos autores inter se dissimillimos compara, Deum ac diabolum, quorum alterum peccando tibi facis inimicum, alterum constituis dominum. Per innocentiam & gratiam ascisceris in numerum amicorum dei, adoptaris in ius & hæreditatẽ filiorũ. Per peccatũ uero constitueris & seruus & filius diaboli: alter est æternus ille fons, & Idea summi pulchri, summæ uoluptatis, summi boni, omnibus sese communicãs: alter omnium malorum, extremæ turpitudinis, summæ infelicitatis pater: alterius in te beneficia, alterius maleficia recordare: ille qua bonitate te condidit? qua misericordia redemit? qua libertate locupletauit? qua lenitate quotidie sustinet delinquentem? qua lætitia recipit resipiscentem? Contra hæc omnia diabolus, quanta inuidentia iam olim insidiatur saluti tuę? In quas erumnas te coniecit? atq; adeo quid aliud molitur quotidie, nisi ut uniuersum hominum genus secum in æternum exitium trahat? his omnibus hinc atq; hinc recte pensiculatis, ita tecum cogita: Egóne oblitus originis meæ, oblitus tãtorum beneficiorũ, propter tantillum bolum falsæ uoluptatis, à tam nobili, à tam amante, à sic merito parẽte desciscam ingratus, & me ultro turpissimo, crudelissimo domino mancipabo? Non saltem illi præstabo, quod homuntioni præstarem bene merenti? non illum fugiam, qui hominem fugero malum dare cupientem?

CANON XX

NEque uero minus inæquale præmium, cũ dissimilis autor. Quid enim inæqualius, quàm mors æterna, & uita immortalis: quàm sine fine summo frui bono in contubernio cœlestium ciuium, & sine fine extremis excruciari malis in infeliciſſimo cõsortio damnatorum? Atq; hac de re qui dubitat, ne homo quidem est, nedum Christianus: qui non cogitat, uel ipsa est amentia amentior. Iam uero præter ista habent & in hac interim uita pietas & impietas fructus suos nimium dissimiles. Ex illa enim metitur secura tranquillitas animi, & beatum illud gaudium puræ mentis, quod quisquis semel degustarit, nihil tam pretiosum, nihil tam uoluptarium mundus hic possidet, qui cum uelit permutare. Hanc contra, cum mille alia mala, tum miserrimus ille cruciatus animi sibi male cõscij consequitur. Illud enim est centuplum spiritalis gaudij, quod Christus pollicitus est in euangelio, uelut arram quandam æternæ felicitatis. Hæc sunt illa apud apostolum miranda munera, quę neq; oculus uidit, neq; auris audiuit, neq; ascenderũt in cor hominis, quę præparauit deus diligẽtibus se, nimirum in hac uita: cum interim uermis impiorum non moritur, & inferos suos iam apud superos patiuntur. Nec alia est flamma, in qua cruciatur diues ille comessator euangelicus. Nec alia supplicia inferorum, de quibus multa scripsere Poetæ, quàm perpetua mentis anxietas, quæ peccandi consuetudinem comitatur. Tollat igitur qui uelit futuri seculi tã diuersa præmia, habet annexum sibi uirtus propter quod

Fructus peccati

quod abunde debeat expeti, habet adiunctum peccatum, cuius causa debeat horreri.

CANON XXI

AD hæc cogita, quàm erumnosa, quàm fugax sit uita præsens, & undiq; imminens insidiosa mors, quàm passim opprimit inopinantes. Et cum nemo uel de momento uitæ sit securus, quàm ingens periculum, eam comperẽdinare uitam, in qua si te mors subitanea (ut sæpe accidit) deprehenderit, in æternum periisti. *Vitæ fragilitas*

CANON II & XX

TVm semper erit formidanda impœnitentia, malorum extremum, illud nimirũ perpendenti, ex quàm multis q̃ paucí à peccatis uere ac toto pectore resipiscunt, præsertim ijs qui funiculos iniquitatis in extremum usq; uitę protraxerũt. Lubricus quidem & facilis in turpitudinem lapsus, sed hinc reuocare gradum, superasq; euadere ad auras, hoc opus, hic labor est. Proinde uel hirci Aesopici casu admonitus, priusquam in peccati puteum descendas, cogita non perinde facilem esse reditum.

REMEDIA CONTRA SPECIALIA QVAEDAM VITIA & primum contra libidinem.

ET hactenus quidem communia aduersum omne uitiorum genus remedia utcunq; demonstrauimus. Nunc conabimur & speciatim quædam tradere, quibus modis cuiq; peccato debeas occurrere, ac primum libidini, quo malo nullũ aliud neq; prius nos impetit, neq; acrius urget, neq; latius patet, neq; plures in exitium trahit. Si quando igitur fœda libido stimulabit animum tuum, his armis protinus memento occurrere. In primis cogita quàm immunda, quàm spurca, quàm quouis etiam homine indigna sit ea uoluptas, quæ nos diuinum plasma non pecudibus modo, uerumetiam suibus, hircis, canibus, & brutorum brutissimis animalibus æquet, immo quæ porrò infra pecudum conditionem deijciat, qui sumus ad angelorum consortia, ad diuinitatis communionẽ destinati. Succurrat ad hęc q̃ eadem sit momentanea, & insyncera, & semper plus aloes & mellis habens: e diuerso & generosa sit anima, & sacra res corpus hominis, quemadmodum in superioribus regulis ostendimus. Quæ malum igitur uecordia, ob tantillam, tam fœdam uoluptatis momentaneæ titillationẽ simul & animũ & corpus indignis modis polluere? Prophanare templũ, quod Christus sibi sanguine suo cõsecrauit? Illud item reputa, blanda pestis quantum malorum agmen secum trahat: ante omnia famam, possessionẽ longe pretiosissimam eripit: nullius enim uitij rumor spurcius olet, & libidinis: patrimoniũ exhaurit: corporis simul & uires, & speciem interimit: ualetudinem uehementer lædit: morbos innumerabiles parit eosq; fœdos: iuuentæ florẽ ante diem deuenustat: turpem senectam accelerat: ingenij uigorem tollit, mentis aciem hebetat, & quasi pecuinam mentẽ inserit: ab omnibus honestis studijs semel auocat, hominemq; quantus est, totum cœno immergit, ut iam nihil nisi sordidum, humile, spurcum libeat cogitare: & quod hominis erat proprium, eripit rationis usum: insanam atq; infamẽ adolescentiã, odiosam ac turpem, miseramq; senectam facit. Sapias igitur, & sic nominatim tecũ reputes. Illa & illa uoluptas tam male cessit, tantum damni, tantum dedecoris, tedij, laboris, morborũ attulit, & iterum stultissimus hamum uorabo prudẽs? iterum committam, cuius me denuo pœniteat? Item & aliorum exemplis temet reprime, quos cognoueris turpiter et infeliciter uoluptatem esse secutos: è regione anima teipsum ad continentiam exemplis tot adolescentiũ, tot delicatarum uirginum, & collatis circũstãtijs, tibi ipsi ignauiam opprobrato. Qui minus tandẽ tu possis, quod illi atq; illi, eo sexu, ea ætate, sic nati, sic educati, potuerũt possuntq;? pariter ama, nec minus ualebis. Cogita quàm honesta, quàm amœna, q̃ florida res sit corporis & animi puritas: hęc nos maxime facit familiares angelis, spirituisancti capaces. Et enim à nullo prorsus uitio sic resilit spiritus ille puritatis amator, ut impudicitiæ: nusquã æque conquiescit ac deliciatur, ut in mentibus uirgineis. Propone tibi ante oculos quam indecorum, quàm totum hoc insanum sit amare, pallescere, macerari, lachrymari, blandiri, ac turpiter supplicem esse scorto putidissimo. Occinere ad fores nocturnas, pendere de nutu dominę, pati regnum mulierculę, expostulare, irasci, rursum redire in gratiã, & ultro te ridendum, pulsandũ, mutilandũ, spoliandũ, lupæ præbere. Vbi quæso inter ista uiri nomen? Vbi barba? Vbi generosus ille animus rebus pulcherrimis natus? Consydera & illud tecum, quantũ scelerũ gregẽ uoluptas admissa soleat adducere. Est alijs uitijs fortasse *Arma contra libidinem* *Libidinis incommoda*

nonnulla cum quibuſdam uirtutibus ſocietas, libidini nulla, ſed cum maximis plurimiſq; peccatis ſemper copulata eſt. Sit ſanè leue ſcortari, at graue non audire parẽtes, negligere amicos, prodigere rem patriã, rapere alienam, peierare, perpotare, latrocinari, maleficum fieri, depugnare, homicidium cõmittere, blaſphemare, in quæ omnia, & his grauiora, domina uoluptas te tranſuerſum rapiet, ubi ſemel tuus eſſe deſieris, eiuſq; capiſtro os miſerum porrexeris. Perpẽde præterea quàm ſit hæc uita fumo fugacior, umbra inanior: quot laqueos nobis ſtruat mors, nullo non loco, nullo nõ tempore inſidians. Hic non mediocriter profuerit, & nominatim recolere, ſi quos ex tibi quõdã notis, ex familiaribus, ex æqualibus, aut etiam natu minoribus, maxime uero ex ijs, quos aliquando turpiũ uoluptatum participes habueris, mors inopinata rapuit. Eſtoq; alieno periculo cautior. Cogita, quàm dulciter uixerint, ſed quàm amare uita defuncti ſint, q̃ ſero ſapuerint, q̃ ſero cœperint odiſſe ſua mortifera gaudia. Succurrat extremi iudicij ſeueritas, & non retractandæ illius ſententiæ metuendum fulmẽ, in ignem æternum mittentis impios, & quod hæc horaria, breuiſq; & exigua uoluptas æternis cruciatibus luenda ſit. Hoc loco diligenter lancibus examina, quàm iniqua ſit permutatio pro turpiſſimo breuiſſimoq; pruritu, & in hac uita multo dulcius præſtantiuſq; animi gaudium perdere, & in futura gaudijs fraudari perennibus, inſuper nunquã finiendos dolores, tam umbratili delectatiuncula mercari. Porrò ſi durum tibi uideatur, tantillũ delectamenti pro Chriſto contemnere, recordare, quos cruciatus ille tui charitate ſuſceperit: præter communes humanæ uitæ iniurias, quantum ſacroſancti ſanguinis pro te effuderit, quàm ignominioſam, quàm acerbam mortẽ pro te dependerit, et tu horum omnium immemor, rurſum filium dei crucifigis, iterans inſanas uoluptates, quę caput & dominum tuum ad tam diros adegere cruciatus? Tum iuxta ſuperiorem regulam recole, quantum ille beneficiorum in te, nihil dum promeritum accumularit, pro quibus omnibus cum nulla par gratia rependi queat, tamen nullam repoſcit aliam, quàm ut exemplo ipſius à mortiferis illecebris coerceas animum, & ad ſummi boni ſummiq; pulchri cõuertas amorem. Compone inter ſe duas illas Veneres, & duos Cupidines Platonicos, hoc eſt honeſtum amorem, & fœdum, ſanctam uoluptatem & turpem, confer utriuſq; diſſimilem materiam, confer naturas, confer præmia. Et in omni quidem tentatione, maxime uero cum ad libidinem ſolicitaris, proponito tibi ante oculos tuos angelum tui cuſtodem, omnium quæ uel facis uel cogitas aſſiduum ſpectatorem ac teſtem, deum inſpectorem, cuius oculis omnia patent, qui ſedet ſupra cœlos, & intuetur abyſſos. Et rem adeo fœdam, ut homuntione teſte facere pudeat, non uereberis coram angelo tibi proximo, deo, totoq; cœlitum choro ſpectante & execrante facere? Puta aũt, id quod res eſt, & ſi tibi oculi eſſent pluſq̃ Lyncei, pluſquã aquilini, tamen iſtis non clariſſima luce certius conſpexeris, quod coràm te facit homo, q̃ omnes animi tui latebrę perſpicuę ſunt dei & angelorum conſpectibus. Quin & illud tuo cum animo reputa, cum libidini cedis, alterum è duobus futurum, aut uti ſemel guſtata uoluptas ſic mentem tuam excantet obſcuretq;, ut de turpitudine eas in turpitudinem, donec excæcatus uenias in ſenſum reprobum, & obſtinatus in malo, ne tum quidem queas uoluptatẽ turpem relinquere, cum illa te deſeruit. Id quod pleriſq; uidemus euenire, ut effœto corpore, extincta forma, frigente ſanguine, deficientibus uiribus, caligantibus oculis, tamẽ adhuc pruriant ſine fine, et ſceleratius turpiloqui ſint quàm olim fuerint impudici. Qua re quid eſſe poteſt execrabilius, monſtroſiuſq;? Alterum, ut ſi forte cõtigerit te ſingulari fauore diuino reſipiſcere, maximo animi dolore, ſummis laboribus, plurimis lachrymis, breuis illa & fugitiua uoluptas expianda ſit. Quanto igitur conſultius, omnino nõ admittere uirus uoluptatum carnalium, quàm uel in tam deploratam induci cæcitatem, uel tãtillam eamq; falſam delectatiunculã tanta moleſtia dependere? Iam uero & à perſonę tuæ circunſtãtijs multa licebit ſumere, quę te à uoluptatibus auocare queant. Sacerdos es, cogita te totum diuinis rebus conſecratum eſſe. Quàm indignum tandem flagitiũ ſit, eo ore, quo corpus illud adorandum ſumis, putidam ſcorti carnem contingere: ijſdẽ manibus, quibus miniſtrãtibus angelis, ineffabile illud myſterium peragis, abominandas contrectare ſordes. Quàm non conueniant, idem corpus, eundem ſpiritum cum deo fieri, & unum corpus fieri cum meretrice. Si doctus es, tãto generoſior deoq; ſimilior animus, tãto hac cõtumelia indignior. Si nobilis, ſi princeps, quanto flagitium conſpectius, tanto offendiculum grauius. Si con-

Beneficia dei

Duæ Veneres

iugatus

iugatus,cogita quàm honesta res sit thorus immaculatus,dacq; operã,ut (quoad fieri po/ *Nobilis*
test)tuum coniugium imitetur sanctissimas nuptias Christi & ecclesię,quarũ gerit imagi *Coniugatus*
nem,id est,ut quàm minimum habeat turpitudinis,plurimum fœcũditatis:in nullo enim uitæ statu non turpissimum est seruire libidini. Si iuuenis es,etiam atq; etiam consydera, ne florem æui nunquã rediturũ,temere polluas. Ne re fœdissima perdas annos optimos, *Iuuenis*
uereq; aureos,qui & fugiunt pernicissime & recurrunt nunquam.Ne nunc per insciti am & incogitantiam ætatis committas,quod te in omnem usq; uitã mordeat persequẽte sce/ lerum conscientia,& amarissimis illis aculeis,quos fugiens uoluptas in animis nostris re/ linquit. Si mulier,istum sexum nihil magis decet,quàm pudor:si uir,tanto maioribus re/ bus dignus & istis tam friuolis indignior:si senex,opta tibi oculos alienos, ut uideas q̃ te *Mulier Vir*
dedeceat uoluptas,quę in adolescentibus miseranda quidẽ est & coercenda,in uetulo ue *Senex*
ro portentosa,& ipsis quoq; uoluptatũ sectatoribus deridicula. Inter omnia mõstra nul/ lum monstrosius senili libidine. O delire & nimium oblite tui, saltem ad speculum canos & capitis niues, aratamq; rugis frontem, cadaueriq; simillimam faciem contemplare,ac iam capulo proximus alia annis tuis magis cõsentanea cura. Saltem quod ratione decue/ rat facere,hoc annis admonentibus uel cogentibus potius facito. Ipsa iam te uoluptas re pellit,neq; ego,inquiens,iam tibi decora sum,neq; tu mihi idoneus:lusisti satis,edisti satis atq; bibisti:tempus abire tibi est. Quid adhuc uitæ perpremis delicias, cum ipsa etiã te de ferat uita:iam tempus est,ut aliquando incipiat in sinu tuo cubare mystica illa concubina Abysag,ea sancto feruore calfaciat mentẽ tuã, huius amplexibus frigẽtia mẽbra cõfoue.

EPILOGVS REMEDIORVM CONTRA incentiuum libidinis.

IAm uero ut summatim perstringam,hæc sunt potissimum,quę te à carnis illecebris tu tum reddent,primum occasionum omnium cauta ac diligens fuga. Quod præceptum quanquam in reliquis quoq; conuenit obseruari,propterea quod qui periculum amat,di gnus est qui in illo pereat,tamen hæ potissimum sunt illę Sirenes,quas haud ferè quisquã euasit,nisi qui procul aufugit. Deinde uictus,& somni moderatio:temperantia à uolupta tibus etiã permissis:respectus mortis tuæ,& mortis Christi contẽplatio:iuuabunt & illa, si cum castis & integris conuixeris,si corruptorũ & molliũ colloquia,ueluti pestẽ quan/ dam uitaris. Si solitudinẽ ociosam,& ocium ignauum fugeris,sed animũ cœlestiũ rerum meditatione,honestisq; studijs gnauiter exercueris. Maxime uero si sacrarum literarũ ue stigationi,toto pectore te consecraris:si & frequenter & pure oraueris, maxime irruente tentatione.

ADVERSVM IRRITAMENTA AVARITIAE.

SI senseris te uel natura propensiorem ad philargyrię uitium,uel à diabolo instigari,re cole iuxta superiores regulas dignitatem conditionis tuæ,qui ad hoc tantum creatus es,in hoc redemptus,ut summo illo bono semper fruaris: totam uero hanc mundi machi nam fabricatus est deus,ut omnia tuis seruirent usibus. Quàm sordidum igitur,quàm an/ gusti animi,non uti,sed tantopere demirari res mutas & uilissimas. Tolle hominum erro rem,quid erit aurum & argentum,nisi terra rubra & alba? Quod nemo gentilium philo/ sophorum non contempsit,hoc tu pauperis Christi discipulus,& ad longe meliorẽ pos/ sessionem uocatus,ut magnum quiddam admireberis? Non possidere diuitias sed conte mnere diuitias magnificum est. Sed reclamat mihi uulgus nomine tantũ Christianorum, & seipsum callidissime gaudet fallere. Ipsa,inquiunt,necessitas nos hortatur ut rem facia/ mus,quę si fuerit nulla,ne uiuere quidem liceat:si contractior,nimis incommode uiuitur: sin lautior,uberiorq;,plurimum adfert commoditatis. Consulitur ualetudini,prospicitur liberis,commodatur amicis,excluditur contemptus,deniq; & fama melior, cum res be/ ne habet. Ex aliquot Christianorum milibus uix unum atq; alterum inuenias,qui ista nõ & dicat & sentiat. Verum ut istis ad utrunq; respondeam,primum quod cupiditatem su/ am necessitatis nomine prætexunt obijciam illis uicissim parabolam euangelicã de lilijs, & auibus in diem uiuentibus,ad quorum imitationem nos hortatur Christus. Obijciam quod idem ne peram quidem,aut sacculum suis gestandum permiserit. Obijciam quod nos,reliquis omissis,iubet ante omnia quærere regnum dei,& hæc omnia nobis adijcien da promittit. Quando unquam non suppetierunt uictui necessaria, ijs qui toto pectore

pietati ſtudûerũt? Quantulum uero eſt illud quod à nobis natura flagitat? Atqui tu neceſſitatem non uſibus naturę, ſed cupiditatis terminis metiris. Pĳs autem & illud ſatis eſt, quod naturæ parum eſt. Quanquam equidem non ita ualde miror iſtos, qui rem uniuerſam ſuam ſemel relinquunt, ut impudentius mendicent alienã. Nõ eſt culpa poſſidere pecuniam, ſed mirari pecuniam, cum uitio coniunctum eſt. Si affluit, fungere boni diſpenſatoris officio. Sin eripitur, ne macerare, tanquã re magna ſpoliatus, immo gaude tibi detractam ſarcinam periculoſam. Verum qui præcipuum uitæ ſtudium in coaceruandis opibus conſumit, qui eas uti præclarum quiddam & expetendum ſuſpicit, & porrò in longum, inq; Neſtoris uſq; ſenectam recondit, is fortaſſe bonus mercator recte dicetur, bene Chriſtianum equidem non dixerim, qui totus de ſe pendeat, & de Chriſti promiſſis diffidat: cuius bonitas cum paſſerculos benigne & paſcat & ueſtiat, hominem pium ſibiq; fidentem deſtituet ſcilicet? Sed iam commoditatum quas adferre creduntur, rationem ineamus. Primum etiam gentilium philoſophorum cõſenſu, inter utilia bona diuitiæ poſtremum locum obtinent, & cum iuxta Epicteti partitionem, præter unam animi uirtutem, reliqua omnia extra hominẽ ſint, nihil tamẽ tam extra nos eſt q̃ pecunia, nihil tam exigua am adfert commoditatem. Etenim ſi quicquid uſquam eſt auri, quicquid gemmarum, id omne tu ſolus poſſideas, num ideo tua mens fuerit uel pilo melior, num prudentior, num doctior? num corporis ualetudo proſperior? num ualentiorem, formoſiorẽ, iuniorem reddet? at uoluptates parat: uerum, ſed mortiferas. ſed honorem conciliat: at quem tandem? nempe quem falſum tribuũt ĳ, qui non niſi ſtulta mirantur, & quibus placuiſſe, pene uitu perari eſt. Verus honos eſt laudari à laudatis, ſummus honos eſt placuiſſe Chriſto: uerus honor non opum, ſed uirtutis eſt præmium. Cedit tibi, ſuſpicit te plebecula, ſtulte, ueſtes illi tuas mirantur, non te. Quin tu in te ipſum deſcendis, & animi tui miſeram pauperiem conſyderas? quam uulgus ſi uideret, tam miſerandum iudicaret, quàm nunc beatum prædicat. Verum amicos res cõparat: fateor, ſed falſos, neq; tibi eos comparat, ſed ſibi. Atq; adeo iſto titulo uel infeliciſſimus eſt diues, quod amicos ne dinoſcere quidẽ queat. Alius in ſinu odit, ut tenacem: alius inuidet, ut opulentiori: alius ad ſe ſpectans, aſſentatur & arridet, ut arrodat: quorum qui eſt amantiſſimus, maturam mortem precatur: nemo tam amat, quin mortuum malit quàm uiuum: nemo tam familiaris, à quo uerum audiat. Quod ſi maxime ſit qui diuitem ſyncere diligat, ille tamen non poteſt quenquam non habere ſuſpectum: omnes uultures iudicat, cadaueri inhiantes, omnes muſcas, ad ſuum compendium aduolantes. Quicquid igitur commoditatis uidentur adducere, id ferè fucatũ, umbraticum, præſtigioſumq; eſt: at uerorum malorum plurimum adferunt, uerorum bonorum plurimum adimunt. Proinde ſi bene accepti atq; expenſi rationem ſubduxeris, profecto reperies, nunquam tãtum adferre commoditatis, quin nimio plus incõmodorum ſecum trahant: quàm miſeris laboribus parantur, quantis periculis, quanta ſolicitudine ſeruantur, quanto dolore amittuntur. Quibus de cauſis & ſpinas appellat Chriſtus, quod omnẽ animi tranquillitatem, qua nihil homini dulcius, mille curis dilaniant. Neq; unquã ſitim ſui ſedant, uerum magis ac magis irritant. In omne nefas præcipites agunt. Neq; tibi fruſtra blandiare, dicens, nihil prohibet pariter & diuitẽ eſſe, & pium. Memento quid dixerit ueritas: Facilius eſſe, camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Planeq; uerum eſt illud apud diuum Hieronymum, diuitem hominem, iniqui aut dominum eſſe, aut hæredem. Ingens opulentia nunquam ſine peccato uel paratur, uel ſeruatur. Cogita quãto melioribus opibus te ſpolient. Odit enim uirtutis indolẽ, odit honeſtas artes, quiſquis admirator eſt auri. Præterea unum auariciæ uitium, idololatria nominatur à Paulo, neq; cum ullo prorſus alio minus cõuenit Chriſto. Nec idem potes & deo ſeruire & mammonæ.

Diuitẽ eſſe & pium, difficile

EPILOGVS REMEDIORVM CONTRA VITIVM AVARITIAE.

DEſines igitur mirari pecuniam, ſi uera bona cum falſis, ſi fucata commoda cum ueris incommodis diligenter expenderis. Si ſummum illud bonum contemplari, atq; amare condidiceris, quod unum cum adeſt, etiam ſi reliqua omnia defuerint, abunde explet animum hominis, qui capacior eſt quàm ut uel uniuerſis huius mundi bonis queat ſatiari. Si crebro tibi reuocaris ob oculos, qualem te primum terra naſcentem exceperit, qualem item receptura ſit moriẽtem. Si ſemper cogitationi obuerſetur tuæ ſtultus ille eu-

angelicus

angelicus,cui dictum est:Hac nocte repetunt à te animam tuam,& hæc quę congregasti, cuius erunt? Si mentem à deprauatis uulgi moribus ad Mariæ,apostolorum,martyrum, maxime Christi capitis tui paupertatem flexeris, semperq; uę illud tibi metuendum esse statuas,quod ille diuitibus huius seculi minatus est.

CONTRA AMBITIONEM.

SI quando incantamentis suis tentabit animum tuum ambitio,his remedijs eum præmunies. Statim iuxta ea quæ superius tradidimus,hoc mordicus teneto,solũ eum honorem esse, qui à uera uirtute proficiscitur,quẽ ipsum tamen oportet interdum fugitare, quemadmodum & sermone,& exemplo nos docuit Christus Iesus. Vnicum autem honorem,& homini Christiano expetendum esse,non ab hominibus,sed à Deo collaudari. Etenim quem ille commendat, ut inquit Apostolus,is demum probatus est. Honor autem si ab homine defertur ob rem inhonestam,utiq; à turpibus, nõ honor iste, sed ingens est probrum. Si ob mediam,puta formam,uires,opes,genus, ne tum quidem honor recte dicetur. Nemo enim promeretur honorem ea re,qua non meretur laudari. Si ob honestam, honos quidem erit,at non appetet qui promeretur,ipsa nimirum uirtute & cõscientia recti contentus. Vide igitur quàm ridiculi sint honores isti, quorum cupiditate tantopere uulgus æstuat. Primum enim à quibus tandẽ dantur? nempe ab ijs,quibus nullum discrimen honesti atq; inhonesti: ob quę? plerunq; ob media,nonnunquã ob turpia: cui? indigno. Quisquis igitur honorem exhibet,aut metu facit,& uicissim est metuendus: aut ut prosis,& ridet te: aut quia miratur res nihili,nulloq; honore dignas, & miserandus est: aut quia te iudicat his rebus ornatum,quibus honos debeatur: quod si falso opinatur, cura ut fias id, quod ille te putat esse: sin uere, omnem honorem tuum in eum refer, cui debes & illa quibus honos tribuitur. Tam nõ conuenit tibi arrogare honorem, quàm non debes tibi arrogare uirtutem. Alioqui quid amentius, quàm tui precium de homuncionum opinione metiri? quibus in manu est simul atq; collubuit, hoc ipsum honoris quod largiuntur, rursus auferre, ac te modo honestatum dehonestare. Proinde nihil stultius, quàm talibus honoribus, uel gestire cum contingunt,uel ringi cum auferuntur: quos ueros non esse,uel hoc intelliges argumento,quod sunt cum pessimis & sceleratissimis communes. Immo nullis ferè contingunt copiosius, quàm ijs qui sunt ueris honoribus indignissimi. Cogita quàm beata tranquillitas modestæ priuatæq;,& ab omni superbiæ strepitu semotæ uitæ: contra,quàm spinosa,quàm plena curarum,periculorum,dolorum,uita potentium. Quàm difficile secundis in rebus,non obliuiisci sui. Quàm arduum, in lubrico stantem,non cadere. Quàm capitalis ex alto ruina. Omnem honorem summo cum onere coniunctum esse. Quàm seuerum iudicium supremi iudicis in eos futurum sit, qui hic sese in honoribus usurpandis,cæteris anteposuerunt. Etenim qui sese demiserit, ei ut pusillo succurret misericordia. Qui uero sese uti spectatum erigit, is sibi ipsi gratiæ subsidium intercludit. Christi capitis exemplum semper animo inhæreat tuo. Quid illo secundum seculum ignobilius,despectius,inhonoratius? Quàm fugit honores etiam oblatos, qui quouis honore maior erat. Quàm deriſit asello sedens. Quàm damnauit palla tectus & spinis coronatus. Quàm non glorioſam mortem elegit. Sed quem mundus contempsit,hunc glorificauit pater. Tua gloria sit in cruce Christi, in qua & salus est tua. Quorsum tibi humani honores,si te reijciat,despiciatq; deus,execrentur angeli.

CONTRA ELATIONEM TVMOREMq; ANIMI.

NOn intumesces animo,si iuxta tritissimum illud adagium,cognoris temetipsum,id est, si quicquid in te magnum,quicquid pulchrum,quicquid præclarum,id dei munus,non tuum bonum esse ducas. Cõtra,quicquid humile,quicquid sordidum,quicquid prauum,id totũ ad te solum referas. Si memineris,quantis in sordibus cõceptus sis,quantis natus, quàm nudus, quàm inops,quàm brutus, & miserandus in hanc lucem proreperis. Corpusculum istud quot undiq; morbis,quot casibus, quot erumnis expositũ sit. Immanem istum gigantem,& immenso turgentem spiritu,quantula res possit repẽte conficere. Expende & illud,cuiusmodi sit istud,unde tibi places. Si medium,stultitia est: si turpe,dementia: si honestum, ingratitudo. Memineris nullum aliud esse certius stoliditatis insipientiæq; documentum,& si quis sibi uehementer placeat: præterea, nullum stultitiæ

Cognosce temetipsum

genus esse deploratius. Si turgescit animus, quod se tibi submittit humũcio, cogita, quanto maior, quantoq; potentior tuo immineat capiti deus, qui omnẽ ceruicẽ elatã deprimit, & omnes colles in plana deducit, qui ne angelo quidem superbienti pepercit. Cõducent & illa, licet leuiora, si te semper comparas cum præstantioribus. Places tibi de forma corporis, confer te cum ijs qui te forma præcedunt. Cristas erigit tibi doctrina, ad eos refer oculos, ad quos tu nihil didicisse uidearis. Deinde si reputaris, nõ quãtum adsit bonorum, sed quantum desit, & cum Paulo oblitus eorũ quæ à tergo sunt, enitaris ad ea quæ à fronte restant. Præterea non inscitum fuerit & illud, si afflante superbiæ uento, mox nostra ipsorum mala uertamus in remedium, quasi uenenum ueneno pellentes. Id ita fiet, ubi si quod ingens corporis uitium, si quid insignis incommodi nobis uel fortuna dedit, uel attulit stultitia, quod animum uehementer mordeat, id ante oculos statuamus, & pauonis exemplo, ea nostri parte nosmetipsos potissimum cõtemplemur, qua sumus deformatissimi, ita fiet, ut statim subsidant cristæ. Ad hæc præterq; quod non aliud uitium deo inuisius est, & apud homines in primis ubiq; odiosa atq; irrisa arrogantia, cũ contra modestia & diuinum fauorem conciliet, et hominum beneuolentiã adglutinet. Ergo, ut summatim dicam, duo præcipue prohibebunt à superbia, si consyderes quid ipse sis in te, putredo in exortu, bulla in omni uita, esca uermium in morte, & quid Christus factus sit pro te.

ADVERSVS IRAM, ET VINDICTAE cupiditatem.

Ira res mulie bris

CVm te uehemens animi dolor ad ultionem extimulat, memineris nihil esse minus iram, quàm quod falsò imitatur, puta fortitudinem. Nihil enim æque muliebre, nihil tã imbecillis proiectiq; animi quàm uindicta lætari. Animosus uideri studes, quod inultam iniuriam nõ pateris, at isthoc demum pacto prodis puerilitatẽ tuam, qui (quod est uiri proprium) animo temperare non queas. Quanto fortius, quãto generosius, alienam stultitiam cõtemnere, q; imitari. At nocuit, ferox est, insultat. Quo turpior est, hoc magis caue, ne fias illi similis. Quæ malum uesania est, ut alienã improbitatem ulciscaris, te fieri improbiorem? Si contempseris contumeliam, intelligẽt omnes indigno factam. Sin commoueare, iam inferentis causam feceris meliorem. Deinde illud reputa quod res est, si quod est acceptũ incommodũ, id neutiq; tolli uindicta, sed propagari. Quis enim deniq; finis fuerit mutuarum iniuriarum, si suum quisq; dolorẽ perrexerit uindicta retaliare? Crescunt utrinq; inimici, increscit dolor, qui quo inueteratior est, hoc nimirũ insanabilior. At lenitate, tolerantiaq; sanatur nonnunquam etiam is qui fecit iniuriã, & ad se reuersus, ex inimico fit certissimus amicus. Per ultionem uero malum ipsum quod à te cupis depellere, id in te reciprocatur, non sine malo fœnore. Erit & illud nõ inefficax iræ remedium, si iuxta superiorem rerum partitionem consyderes, hominem homini non posse nocere, si nolit, nisi in his quæ sunt extraria bona, nec ad ipsum hominem magnopere pertinent. Nam uera animi bona solus deus potest eripere, quod non solet, nisi ingratis: solus potest largiri, quod non cõsueuit immitibus & ferocibus. Nemo igitur Christianus lædítur, nisi à semetipso: nulli nocet iniuria, nisi suo autori. Adiuuant & hæc, tametsi leuiora, ne dolori mentis obsequare, si commode collectis rhetorum circunstantijs, pariter & tuũ incommodum extenues, & alienam eleues iniuriam, his fermè modis: Læsit, sed facile resarcietur: tum puer est, rerũ imperitus: adolescens, mulier est, alieno fecit instinctu, imprudens, probe potus, æquum est ignoscere. At contra, grauiter quidem læsit, sed pater est, frater, præceptor, amicus, uxor. Par est, hoc doloris, illius uel charitati uel autoritati condonari. Aut paria faciens iniuriam cum alijs illius in te beneficijs compensabis, uel cum tuis in illum offensis exæquabis. Hic quidem læsit, sed alias quàm sæpe profuit? Illiberalis est animi, benefactorum obliuisci, iniuriolæ meminisse. Nunc me offendit, sed quoties à me offensus. Ignoscam illi, ut mihi, meo exemplo, ignoscat & ipse delinquenti. Porrò multo præsentius remedium fuerit, si in peccato hominis in te cogites, quæ, quanta, quoties tu peccaris in Deum, quàm multis nominibus illi sis obnoxius. Quantum tu remissoris fratri, tantum tibi condonabit Deus. Hanc dissoluendi æris alieni rationem nos docuit creditor ipse. Non recusabit legem, quam ipse statuit. Tu ut à culpis exoluaris Rhomam cursitas, nauigas ad diuum Iacobum, emis condonationes amplissimas. Equidem non damno quod facis, sed ut omnia facias, nulla tamen commodior

Remitte debi tori

ratio

ratio qua post offensam reconcilieris deo, quàm si tu offensus recõciliere fratri. Condona leuem culpam proximo (leue enim est quicquid homo peccat in hominem) ut tibi tot milia culparum condonet Christus. At durum est, inquis, animum excandescentem comprimere. Non tibi succurrit, quanto duriora pro te tulerit Christus? Quid eras, cum pro te impenderet animam preciosam? nónne inimicus? Qua lenitate quotidie te tolerat, ueteres iterantem noxias? Postremo qua mansuetudine ille pertulit probra, uincula, uerbera, denique mortem probrosissimã? Quid te iactas de capite, si nõ curas esse in corpore? Nõ eris membrũ Christi, nisi sequaris uestigia Christi. Sed indignus est cui ignoscatur. Ita ne tu dignus eras, cui ignosceret deus? In teipso uis experiri misericordiã, & in fratrẽ uis exercere seueram iusticiã? Magnũ est si peccator ignoscas peccatori, cum Christus pro crucifixoribus suis orauerit patrem? Arduum est non referire fratrem, quem iuberis & amare? Durum est non remetiri maleficium, pro quo nisi beneficium retuleris, nõ hoc eris in conseruum tuum, quod fuit Christus in seruum suum. Postremo si indignus hic, cui beneficium pro maleficio rependatur, at tu dignus qui facias, dignus Christus pro quo fit. Sed ueterem ferẽdo iniuriam, inuito nouã: repetet iniuriam si hanc abstulerit impune. Si citra culpã potes uitare, uita. si mederi, medere. si resarcire, resarci. si sanare furentẽ, sana: sin minus, pereat ille solus potius quàm tecũ. Istũ qui se damnũ dedisse putat, cõmiseratione nõ pœna dignũ puta. Vis cũ laude irasci? Irascere uitio, nõ homini. Sed quo natura propensior es ad hoc uitij, tanto diligentius temet multo ante præmunito, semelq; hoc decretum penitus animo insculpas tuo, ne quid unquam uel dicas, uel facias iratus. Nihil tibi crediderís commoto. Suspectum habeto, quicquid impetus ille animi dictauerit, etiã si sit honestum Memineris inter phreneticum, & ira bacchantẽ nihilo plus intersse, q; inter breuẽ & perpetuã insaniã. Succurrat q; multa per iram uel dixeris, uel feceris pœnitenda, quæ iam frustra mutata cupias. Proinde cum tibi bilis efferuescit, si te non potes ilico totum ab ira uendicare, saltem eatenus resipisce, ut te memineris sanũ nõ esse. Hoc meminisse, sanitatis pars est nõnulla. Sic tecum cogita: Nunc quidẽ ita sum affectus, at paulo post multo alia mente fuero. Cur ego interim dicam in amicum iratus, quod postea placatus mutare non queam? Cur nũc faciam insanus, quod mihi redditus magnopere doleam? Cur nõ hoc potius à me impetret ratio cur non impetret pietas, deniq; cur nõ impetret Christus, quod tempus ipsum paulo post impetrabit? Nemini (opinor) tantũ atræ bilis addidit natura, quin saltem hactenus sibi possit imperare. Optimũ autem fuerit sic instituto ratione, assuetudine durare animum, ut omnino nõ commoueare. Perfectum erit, si uitio tantum indignatus, pro contumelia reponas officium charitatis. Postremum & humanæ temperantiq;, ne te totum animo permittas. Prorsum non irasci, deo simillimum est, eoq; pulcherrimum. Malum in bono uincere, est perfectam Christi Iesu charitatẽ æmulari. Iram premere, frenoq; coercere, hominis est cordati. Indulgere bili, ne hominis quidẽ est, sed plane ferarum, idq; immitium. Quod si iuuat cognoscere, quàm uehementer sit indecorum homini ab ira superari, fac sanus cum es, uultum irati contemplere, aut ipse iratus speculum adeas. Cum sic flammantes ardent oculi, pallent genæ, distorquetur os, spumant labia, tremunt membra, fremit uox, nõ constant sibi gestus, quis te existimet hominẽ esse? Vides amice suauissime, quàm immensum pateat æquor, de reliquis uitijs consimili modo differendi. Sed nos medio in cursu uela colligemus, id quod reliquum est tuæ solertiæ relicturi. Neque enim propositi nostri erat, & sanè quàm infinitum fuerit, ita ut cœpimus, singula uitiorum genera singulis quasi declamationibus dissuadere, atque ad his oppositas uirtutes adhortari. Tantum uolui, quod tibi satis fore credebam, rationem & artem quandam nouæ militiæ commõstrare, qua te posses aduersus pristinæ uitæ repullulantia mala communire. Itaque quod nos in uno atque altero, exempli causa fecimus, id teipsum oportebit facere, cum in singulis, tum potissimum in his, ad quæ cognoueris te, siue naturæ, siue consuetudinis uitio peculiariter instigari. Aduersus hæc certa quædã decreta in albo mentis nostræ describenda sunt, atq; ea ne desuetudine obsolescant, subinde renouanda. Veluti contra malum obtrectationis, turpiloquij, inuidentiæ, gastrimargiæ, & id genus reliqua. Hi soli sunt hostes militum Christianorum, in quorum assultũ, oratione, sententijs sapientum, dogmatibus diuinæ scripturæ, exemplis piorũ hominũ & maxime Christi, multo ante est præmuniẽdus animus. Hæc omnia tametsi nõ dubitem

Indigno ignõscendum

quin affatim tibi ſuppeditatura ſit ſacra lectio, tamen fraterna charitas nos eſt adhortata, ut ſaltem hac extemporali ſcriptiuncula, pro mea uirili ſanctum tuum propoſitum promouerem adiuuaremq;. Id quod eò feci maturius, quod nonnihil metuerem, ne in ſuperſtitioſum iſtud religioſorũ genus incideres, qui partim quæſtui ſeruientes ſuo, partim ingenti zelo, ſed nõ ſecundum ſcientiã, circumeunt mare & aridã, & ſicubi nacti fuerint hominem à uitijs ad meliorem uitam iam reſipiſcentẽ, eum ilico improbiſsimis hortamẽtis, minis, blandicijs in monachatũ conantur detrudere, perinde quaſi extra cucullum Chriſtianiſmus nõ ſit. Deinde ubi ſcrupulis meris & inextricabilibus ſpinis pectus illius expleuerint, ad humanas quaſdam traditiunculas aſtringunt, planeq; in Iudaiſmum quen-

Monachus qd

dam præcipitant miſerum, ac trepidare docent, nõ amare. Monachatus nõ eſt pietas, ſed uitæ genus pro ſuo cuiq; corporis ingenijq; habitu, uel utile, uel inutile. Ad quod equidẽ ut te non adhortor, ita ne dehortor quidẽ. Hoc modo cõmoneo, ut pietatem neq; in cibo, neq; in cultu, neq; in ulla re uiſibili conſtituas, ſed in ijs quæ tradidimus. In quibuſcunq; uero deprehenderis ueram imaginem Chriſti, cum ijs te copula. Porrò ubi deſunt homines, quorum conuictus te reddat meliorem, abducito te quantum potes ab humano conſortio, & prophetas ſanctos, Chriſtum, apoſtolos, in colloquium aſciſce. In primis autem Paulum tibi facito familiarem: hic tibi ſemper habendus in ſinu, nocturna uerſandus manu, uerſandus diurna, poſtremo & ad uerbum ediſcendus: in quem nos iampridem enarrationem magno ſtudio molimur, audax quidem facinus, ſed tamen diuino auxilio freti ſedulo dabimus operam, ne poſt Origenẽ, Ambroſium, Auguſtinum, ne poſt tot recẽtio res interpretes hunc laborem omnino uel ſine cauſa, uel ſine fructu ſuſcepiſſe uideamur. Atq; ut intelligant calũniatores quidam, qui ſummã exiſtimant religionem, nihil bonarum literarum ſcire, quod politiorem ueterum literaturam per adoleſcentiam ſumus amplexi, quod utriuſq; linguæ, Græcæ pariter ac Latinæ mediocrem cognitionem non ſine multis uigilijs nobis peperimus, non ad famã inanem aut puerilem animi uoluptatẽ ſpectaſſe nos, ſed multo ante fuiſſe præmeditatos, ut dominicum templum, quod nõnulli inſcitia barbarieq; ſua nimis dehoneſtarunt, exoticis opibus pro uiribus exornaremus, quibus & generoſa ingenia poſſent ad diuinarũ ſcripturarum amorem inflammari. Sed hac tanta re pauculos dies intermiſſa, hunc laborẽ tua cauſa ſumpſimus, ut tibi ueluti digito uiam, quæ compendio ducit ad Chriſtum indicaremus. Precor aũt Ieſum iſtius, uti ſpero, propoſiti parentem, ut ſalutaribus tuis cœptis benignus aſpirare dignetur, imò ut ſuum in te mutando munus augeat perficiatq;, quo cito grandeſcas in eo, & occurras in uirum perfectum. In eodem bene uale frater & amice, ſemper quidem animo dilecte meo, at nunc multo quàm antehac tum charior, tum iucundior. Apud diui Audomari, Anno à Chriſto nato ſupra milleſimum quingenteſimo primo.

Literæ bonæ ad pietatem proſunt

DES. ERASMI ROTERODAMI ENCHIRIDII FINIS.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS
ADOLPHO PRINCIPI VERIENSI S. P. D.

PRESSIVS intuenti mihi, non uſq; quaq; aſſentanti palpandiq; uitio receptum uideri ſolet Adolphe ſuauiſsime, ut antiquitus reges & imperatores panegyricis ſolẽniter, & quidẽ in os, laudarent: quin potius ſic exiſtimo, uiros cordatos, rerumq; naturæ atq; humani ingenij egregie prudentes, cum ſpes non eſſet, leoninã illam regij pectoris generoſitatem, & aurium delicias, uel monentis autoritatem, uel increpantis ſeueritatẽ aliquando paſſuras, publicæ utilitatis reſpectu uela uertiſſe, ac uia quidem occultiore, eodem tamen contendiſſe. Itaque ſub laudationis ſpecie ſimula chrum quoddam abſoluti principis eis uelut in tabula depictum repræſentaſſe, ut ipſi ſeſe ad propoſitum exemplar exigentes, taciti ſecum agnoſcerent, quãtum ab illa laudati principis imagine abeſſent, ac citra tum pudorem, tum offenſam diſcerent, quid uitij mutandũ, quas uirtutes præſtare oporteret. Eodemq; titulo non idem ageretur, uidelicet ut boni principes quæ facerent recognoſcerent, mali quæ facere deberent, admonerentur. Nihil igitur erat aliud iſta laudatio, quàm delicatum monendi, blandumq; exprobrandi genus, ac pla-

ac plane pharmacum, neceſſarium quidem illud, ſed amarum, eoq; melle prælitum. Id quod olim regum Barbarorum uiolentię dabatur, non tam turpiter (ut ego opinor) quàm prudenter. Pueritiæ uero ſtudia, moderatis laudibus alere, ac ueluti cruſtulis datis, blandius inuitare, adeo uitio datum non eſt, ut à magnis quoq; autoribus præcipiatur. Sed iſta quorſum inquis? nimirum huiuſmodi præfatiuncula uiſum eſt adulationis notam deprecari atq; præcludere, cum ſtatuiſſem hac epiſtola paulo ineptius tecum agere, & cum puero te paulíſper ueluti repueraſcere. Quanquam ego te generoſe Adolphe, ne laudaturus quidem ſum, quin magis teipſum tibi tanquam in ſpeculo commonſtraturus, ut temetnoris, non autem ut etiam ames ſimulq; pereas, quemadmodum de Narciſſo fabulantur poetæ, ſed ut etiam atq; etiam intelligas, quàm magnum nomen ſis Deo tuæ felicitatis autori, quibuſq; rebus ſis natus, & quo tibi ſit eluctandum, ne cum totum cœlum tibi arriſerit, tute tibi parum proſper fuiſſe uideare. Hoc profecto ſibi uolebat (ni fallor) ſpeculum illud Socraticum, ad quod uir ſapientiſsimus mittere ſolebat adoleſcentulos: ut qui ſe per ſpexiſſent corporis & ingenij dotibus, fortunæq; commodis ampliter cumulatos, uel hoc ipſo ad uirtutis ſtudium ſolicitarentur, cum intelligerent ad tantam naturæ ſortem, haud mediocrẽ induſtriæ uſuram tum deberi, tum expectari. Ii uero quibus hæc malignius contigiſſent, hoc impenſius ad conandum extimularentur, quo quod natura uideretur diminutum, induſtria exæquarent. Quanquam autem tanta in re ceſſatio nullam omnino recipiat deprecationem, tamen non paulo minus reprehendendi uidentur, quorum induſtriæ fortuna quodammodo defuit, quàm qui fortunæ deſunt ipſi. Tibi uero mi Adolphe, quæcunque ad perfectam uirtutem adminicula cœlitus dari poſſunt, adeo ſunt affatim ſuppeditata, ut niſi omnia ſumma præſtiteris, neque ſorti à Deo creditæ, neque tuorum expectationi reſponſurus uidearis. Primum enim quid ego referam fortunæ miram in te raramq; indulgentiã? quæ te uix dum natum, ueluti manibus ſuis, in ſummo rerum faſtigio collocauit. Quæ te ad ſummas res non euexit, ſed genuit, immò quæ principem florentiſsimum, & antequam in lucem æderet, fecit. Quippe quæ tibi genus largita eſt clariſsimis utrinque imaginibus illuſtre: paternum quidem à Philippo Burgundionum duce, heroe cum quouis etiam ueterum componendo: maternum uero à Borbonica ſtirpe, id eſt, Gallorum regibus ductum. Vt omittam interim rem amplam, ac ditionem luculentam: ut ſileam affinitates utriuſque ſororculæ ſponſalibus cum ſummis proceribus adiunctas, ut ne tibi de matre tam pia gratuler, quæ ſolitudine quadam incredibili te ueluti denuo parturit, nihilq; putat in uitam eduxiſſe, niſi & ad uirtutem perfectam prouexerit: ut ne id quidem recenſeam, quod iam nunc te puellum cum plerique primates aulici, tum clariſsimus ipſe princeps Philippus certatim fatali quodam fauore ſtudioq; proſequuntur, nihil non auſi ſibi de tua indole polliceri. Illud enim propius ad te pertinet, de quo non puduit & ſapientiſsimum illum regem gloriari, quod, ut ille ait, animam ſortitus es bonam, quodq; uerus ille Prometheus mentem tibi indidit feliciſsimam, iſtis opibus, iſto rerum apice, iſtis imaginibus dignam, dignam iſto corpuſculo, quod & ipſum architectrix natura, ueluti uirtutum arculam quandam, omnibus Veneris & Gratiarum muneribus copioſiſsime perpoliuit, ne ſcilicet non haberet pulcherrimum domicilium, animus pulcherrimus. Neque uero parui refert, principem uti uirtute, ita & corporis ſpecie uulgus antecellere, cum uideam Vergilianum illud, uel reclamante Seneca, præclaris uiris non temere placuiſſe: Gratior eſt pulchro uenies in corpore uirtus. Quanquam ille ipſe tetricus philoſophus, ac Stoicorum penè dixerim Stoiciſsimus, miraculi loco refert, Claranum quendam ſuum, cum corpore deformi eſſet, ingenio tamen atque uirtute præcelluiſſe, & unius exemplo ratiocinatur egregiam mentem ſub quauis etiam cute latere poſſe, id quod ne Maro quidem negat, uerum ait, animi decus cum corporis ſpecie coniunctum, commendatius & gratius eſſe mortalium oculis. Quis autem uſqueadeo communi ſenſu caret, ut hoc inficiandum putet? Quo magis miror cur homo grauis tam confeſſam poetæ ſententiam ſcripſerit errorem ſibi uideri. Sed omiſſo Seneca ad rem redeamus. Poetæ mirabiles rerum omnium adumbratores diuinis mentibus, quas utiq; feliciſsimas uideri uolunt, corpora tribuunt pulcherrima. Cuius ſententiæ ne Platonem quidem ipſum pœnituit, cum ſapientiæ myſteria poeticis, ut ſolet, inuolucris obueſtiens, diis, id eſt, beatis mentibus, & ab omni terrenæ labis cõtagio porrò ſemotis, et currus

Laudibus alẽda ſtudia

Speculum Socraticum

Notatur Seneca

decoros

decoros, & equos ambrosia nectareq; nitidos attribuit. Homerus autem omnium disciplinarum tanquam oceanus quidam, Achillem, Vlyssem, Menelaum, & si quos pręterea uirtute præstantes heroas facit, decentissima quoque corporis specie fingere consueuit θεοειδεῖς, καὶ θεῷ ἰκέλους, id est, diuina specie, & Deo similes eos identidem appellans. Thersitæ uero ut mentem ignauam ac degenerem, ita corpus ad portentum usque deforme affinxit.

φολκὸς ἔην, χολὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
κυρτὼ ὠθὶ στῆθος συνοχηκότε αὐτὰρ ὕπερθε
φόξος ἔην κεφαλήν, ψέδνη δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Quod Maro noster, ut Homeri pleraq; alia, ita hoc quoq; diligenter est æmulatus, in Aenea, Iulo, Eurialo, multisq; alijs. Quin & Socrates philosophorum non sapientissimus modo, uerumetiam incorruptissimus, in Phædro Platonis subobscure quidem, sed nimis quàm eleganter innuit, bonam corporis figuram, bonæ mentis aut argumentum esse, aut certe adiumentum: illud pulchri equi, hanc equitis sub nomine depingens ac denotans. Postremo & Aristoteles ipse de corporis & uultus indicijs, pectoris habitum conijciendum existimauit: idem carnium mollitudinem, ingenij neutiquam duri iudicauit signum. Postremo fides his desit autoribus, nisi & historiographorum cõsensu testatissimum est, Pythagoram, Scipionẽ Africanum, cumq; his innumerabiles, qui ob diuinas quasdã animi dotes plusq; homines crediti sunt, uenusta decẽtiq; forma fuisse. Adeo uidelicet cognatæ res sunt, corpus atq; anima, ut alterius habitum altera sequatur, ac mentis quidem bonitas in ipsa cutis specie reluceat, rursum corporis habitus diuinæ, ut ait Flaccus, auræ, particulam uicissim afficiat, ut quę corpori penitus sit immersa, eiq; illigata, uelut ostream circumferat. Nam hæc est una ex pinguibus illis Socratis similitudinibus, in quas iocatur Alcibiades. Sed uereor ne de forma nimis multa. Quanquam ego nequaq; aut corporis dotes, aut ingenij felicitatem sic effero, ut uel eos quibus hæc parcius obtigerunt, à uirtutis studio deterream, uel puero tibi pueriliter blandiar, quinimmo utrosq; non ad Narcissi fonticulum, sed ad Socratis speculum adduco: ut & illi hoc acrius excolendo animo studeant, quo minus naturæ dotibus adiuuantur: tuq; cogites quàm indignum flagitium quamq; absurdum futurum sit, si in tam uenusto corpore, mentem inuenustam atq; incultam esse patiare, ac sub cute nitida, carie situq; squaleat animus. Tum si cõmiseris, ut cum tibi natura uilissimam tui partem expoliuerit, tu immortalem tui portionem negligas honestis studijs excolere. Deniq; nihil isto monstro puta esse monstrosius, quàm in delicato scriniolo ἄνθρακας (ut Græci dicunt) θησαυρὸν, & si magis Cynice dicendum, in gemmata pyxidula cœnum, aut si quid cœno spurcius. Proinde mi Adolphe, ne laudari quidem te puta ubi quispiam formosum te, aut generosum, aut bene ingeniatum prædicat. Verissima enim & mordicus tenenda Epicteti sententia (si tamen senem tam Stoicum aulicæ ferent auriculæ) prorsus extra nos esse, nihilq; quicquam ad nos pertinere quæcunq; à fortuna uel dari possunt, uel eripi. Nondum igitur Adolphum ipsum laudauimus, dei modo gratuitam in te benignitatem retulimus, imputandam nisi ad fœnus accommodaris. Porrò reliquæ uirtutes, quæ proprie ad hominis laudem pertinent, ne possint quidem adhuc in ætate tam tenella citra Gnathonismum laudari: Tametsi tempestiuum earum prouentum à tuo expectamus autumno, neq; falles, opinor, expectãtes, quandoquidem isto tam florulento uere nos in spem amplissimam erigis: iamiam enim ceu grauidæ turgent in palmite gemmæ. Iam nunc admodum adhuc puer, quasi gemini decoris specimen ædis, puta, tum animi paterni belli pacisq; artibus iuxta præstantis, tum materni ingenij, in cuius se mores nihil habere iuris ipsa quoq; fortuna miratur. & illum quidem militiæ decora, atq; ardens euexit ad æthera uirtus: hæc autem rarissimo prorsus exemplo cum fœmineo sexu masculum animi robur, cum summis uitæ delitijs (quas illius fortuna non animus postulat) continentiam incredibilem: cum eximia nobilitate superbissimisque stemmatis modestiam & comitatem propè plusquam plebeiam: denique (ut semel complectar) cum aula Christum copulauit. Vtrunq; igitur parentem Adolphe, alterum inuictissimum, alteram integerrimam modestissimamq; iam spe quadam ita refers, ut simul & Mauortijs studijs capiaris, neque à Musarũ literario ocio abhorreas, possisq; ad utrunque iuxta natus ac sculptus uideri, καὶ τὸν βίον πρακτικὸν, quem præfert Dicęarchus, καὶ

Socrates

τὸν

τὴν θεωρητικὴν, qui Theophraſtum magis delectat. Et hunc quidem tum priorem, tum feliciorem in politia ſua putat Plato, ad illum tamen uel ui retrahendum ſapientem, publicæ utilitatis nomine. Sed priuato ſibiq; uiuenti liberũ eſto, utrum malit ſequi. Principi certe, qui patriæ non ſibi naſcitur, neutrum oportet deeſſe, & utrunq; Homerus Vlyſsi, Vergilius Aeneę, tribuit: alterũ dum eos diuturnis erroribus uarijsq; caſibus exercent, dum medijs bellorum miſcent tumultibus, alterum dum ad inferos deducunt. Eodem arbitror pertinere, quod Plato in ijs quos obeundæ Reipub. deſtinauit, moderatum quendam & medium mentis habitum requirit, qui neq; ad ferocitatem uſq; concitatus ſit, neq; ad ignauiam abiectus. Eum uero è duabus inter ſe pugnantibus rebus, muſica gymnaſticaq; conflari cenſet oportere. Hunc nimirum in te uideor mihi cõſpicere, cum mediam quandam indolẽ intueor, è paterna auitaq; animi ſublimitate, atq; è matris pietate, manſuetudineq; temperatam. Etenim quod iam nunc manuſculis iſtis Pegaſi ferocientis habenas, non minus ſcite q̃ animoſe, moderaris, & immanis belua, cuius corpuſculi ſarcinulam uix ſentit, eius tamen & arte & animo citatur, ſiſtitur, in gyrum circumagitur, ad ſaltum extimulatur, ad gradarium inceſſum ſtringitur, ad ſuccuſſarium tripudium admittitur, quod nunc æquore campi præcipiti uolare curſu, nunc ardua ſcandere, nunc per præcipitia decurrere cogitur, ac puerilis ſiniſtellæ nutibus omnibus paret, quod in tenera iſta frõte ſublucet neſcio quid Auguſtum atque heroicæ maieſtatis, quod uix dum puer, nihil tamen habes puerile, quod iam arcu, quod curſu, quod paleſtra nulli cedis æqualium, paternæ auitæq; uirtutis ſimulachrum agnoſco. Rurſum ubi te tanquam alijs oculis contemplor ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, atq; animaduerto, q̃ nihil quidem in te non futuro principe dignum, id eſt, nihil humile, nihil ſtupidum, nihil ingenerоſum, at è regione nihil feroculum, nihil arrogãs, nihil minax, nihil inſolens, ſed oculi, non licentes quidem illi, at neq; rurſum truces, uerum amici; frons, neq; dura, neq; improba, ſed alacris & uiuida, uultus comis, & gratiarum plenus, os uerecundum, malæ decentiſsimo pudore, ſemperq; parato purpuriſſo tinctæ, ſermo modeſtus & rarus, geſtus compoſiti, Tum quàm pius in parentem, in auum reuerens, erga præceptorem obſeruans, quàm inter æquales obſequens, quàm non imperioſus aut moroſus in miniſtros, quàm in neminem procax. In ſumma cum cõſydero, nihil in te deprehendi, quod aulæ, quod fortunæ tuæ mores ſapiat, matris optimæ imaginem (ut Plautine dicam) ipſiſsimam uideor intueri. Et ſunt iſta quidem ad præſentẽ ætatis tuæ laudem magna, ad expectationem uero & quaſi prædiuinationem futurorum, maxima. Illud aũt ſpem de te noſtrã uel maxime confirmat, quod præter iſtam naturæ bonitatem, domi cõtigit habere utriuſq; uirtutis magiſtros egregios, bellicæ quidem auum tuum, in quo uiro nihil eorum deſyderes, quæ ſolent à fortiſsimo duce requiri: philoſophiæ uero, ac ueluti muſices illius Platonicæ Iacobum Battum, deum immortalem, q̃ rara doctrina, q̃ eximia uitæ totius innocẽtia, quàm ſingulari facũdia uirum? Quid iam ſit, quod ſuis de te uotis patria nõ audeat promittere, poſteaquam tam felici indoli formator tam egregius contigit? Contigit autem non iam exoleto, parumq; per ętatẽ tractabili, id quod pleriſq; ſolet accidere, ſed quemadmodũ Phœnix ille Homericus Achilli puello adhuc peneq; infantulo datus eſt, Διδασκέμεναι τάδε πάντα, μύθων ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων, itidem tuam infantiam uix dum à lacte depulſam, ſtatim Battus excepit, nutricandi munus cum nutricibus exæquo partitus, ut illæ corpuſculum tuum curarent, hic animum fingeret: uidelicet hoc iam tum agente matre, ut ipſo prope cum lacte, auriculis tenellis præclara illa ſapientum dogmata inſtillaret, mentis que tuæ recentem teſtulam, cuius odorem & in omnem uſque uitam eſſet redditura, Philoſophiæ balſamo imbueret, neque lingulam iſtam ſineret uulgari ſtribiligine pollui: ſed puriſsimo Muſarum irrigaret ſucco, ac pectuſculum iſtud rude adhuc, & in quemuis habitum ſequax præceptis formaret amicis. Nam ad uirtutis inſtitutionem, ut aliqua ſera ſit ætas, nulla certe non matura eſt. Hæc alius aut præteriret, aut ſummis uix digitis attingenda putaret. Ego uero uel ſola commemoranda duco, ut in quibus ueræ felicitatis puppis & prora, quod aiunt, ſit homini. Siquidem natalium ſplendore, reliquisq; fortunæ muneribus, non pauci te mortales, uel æquant, uel ſuperãt. Hæc tua propria pene felicitas eſt, & haud ſcio an cum ullo noſtratium principum communis, quod rudis adhuc in eum incidiſti uirum, qui mentis tuæ uacuam tabellam caſtis ac ſalutaribus occupare poſſit opinionibus: poſsit autem quia

doctiſsimus

doctiſsimus: uelit, quia optimus: efficiat, quia diligẽtiſsimus: quiq; te uelutí præſens Mercurius, Moly quodã efficaciſsimo, id eſt, optimis rationibus, contra aulicorum illecebras & uoces quorundam moribus peſtilentiores, tanquam contra Circes pocula præmuniat. Rara profecto noſtris in terris auis homo non triuialiter eruditus: Rarior autem, qui moribus ſit uſq; quaq; ſanctis & inculpatis: Rariſsima porrò ac planè Phœnicis inſtar, qui cum exquiſita doctrina ſummam morum innocentiã copularit. Quibus omnibus ſic abſolutus tibi cõtigit, ut non uerear aſſeuerare, neq; Achilli Phœnicẽ, neq; Dionyſio Platonem, neq; Alcibiadi Socratem, neq; Alexãdro Ariſtotelem, neq; Neroni Senecam pari felicitate contigiſſe. Quanq; iſto nomine, non tam fortunæ, quàm parentibus debere te puto, quorum prudenti delectu talis aſcitus eſt. Alioqui uel una hæc felicitas optanda magnatibus, qua ſola ferè carent. Quid autem retulit bene natum fuiſſe, niſi & bene inſtituaris? Princeps autem non temere inſtituitur ad uirtutem, niſi tum cœperis, cum ſe nõdum eſſe principem intelligit. Quod recte reputans Philippus ille Macedonum tyrannus, uir multis modis laudatus, ſibi magnopere gratulabatur, egregieq; uidebatur fortunatus, quod id temporis filiũ ſuſcepiſſet, quo uir ſummus Ariſtoteles philoſophiam doceret, unus ex omnibus dignus, cui tantum alumnũ in gremiũ traderet. Ego uero fortunatiſsime Adolphe, tibi non impendio gratuler? qui quidem domi aſsidue uideas, audias, totumq; ac proprium poſsideas eiuſmodi moderatorem, in quo non uel mores eruditione, uel eruditionem moribus, uel uitia quædam uirtutibus compenſes, ſed quem citra delectum ullum, totum ac tuto poſsis effingere. Cuius doctrinam ſi quis contempletur, quid rarius? ſi uitam, quid incorruptius? ſi facundiã, quid admirabiliùs? ſi feſtiuitatem, quid amabiliùs? Legis identidem in poetarum literis Adolphe, Phœbũ aurata cithara inſignem. Legis Orphea fidibus canoris & feras & quercus, & ſaxa deniq; mouentẽ. Legis Mineruam ingeniorum et artium principẽ. Legis caduceatorem Mercurium efficaci uirga potentẽ. Legis nouem illas ſorores, ſtudiorum atq; elegantioris literaturæ præſides. Tum charites comitatis, atq; humanitatis autores, Heliconia tempe, fontẽ uocalem. Deniq; legis & Pithonẽ deam, quam Latini Suadelam nominant. An tu iſta deliria & nihili uoces exiſtimas eſſe? res ſunt inprimis egregiæ, quas omnes uno in Batto tibi ſpectare licet, neq; ſpectare modo, uerumetiã frui. Etenim quid, quæſo te, omnino aliud uox illa hominis dulcis ac tinnula, citraq; omnem aſperitatẽ eminus etiam aures feriens, niſi Phœbea quędam cithara, aureis fidibus diuinũ quiddam inſonãs? Quis eſt aũt ingenio uſq; adeo ſtupido, fero ſaxeoq; quẽ Battica ſuauiloquẽtia, & uel Neſtorea illa mellitior, nõ excitet, non emolliat, nõ edomet? Age uero quid illa è pectoris candidiſsimi uenis tam facile profluens, ſemper pura, ſemper perſpicua, ſemper exuberãs oratio, niſi Caſtalij fontis perẽnis quædam ſcatebra? Eam dum tu una cum æqualium tuorũ grege, aſsidue auribus imbibis, & ſermone cõſuescis exprimere, nõne quaſi pota, uocales loquaculosq; facit & alios? Porrò aũt cum ſic eruditione docet audientẽ, ſic acumine cogit, ſic uarietate delectat, quis nõ quaſi præſens Mineruæ numen agnoſcat? Quid aũt quoties feſtiuiſsimis illis ſuis ac ſalſiſsimis iocis, omnium animos mire demulcet atq; exhilarat, nónne Veneres omnes, omnes Charites de loquentis ore ſcatere tibi uidentur? Cum inaudita quadam arte, omniũ ſeſe moribus attemperat, in quemuis affectum quoſcunq; libuit, rapit, nónne Mercuriale quiddam refert? In huius profecto unius labijs Pitho illa flexanima ſeſsitare uidet. Cum eo uiuere ac ſermones miſcere, nihil aliud eſt q̃ in Parnaſsi nemoribus inambulare. Deniq; muſarũ chorum non deſiderabit, quiſquis Cyclopędiã illam omnium diſciplinarum anſulis abſolutam, in eo perſpexerit. Quis non uel hominem, iſtiuſmodi propter literas, uel literas propter hominem, mirari, amare, colere incipiat? Erres, mihi crede, uehementer atq; adeo nimium ingrate facias niſi iſtã felicitatis tuæ partem, uel præcipuo calculo numeraris, quæ regibus etiam opulentiſsimis non raro non contigit. Et ò deum immortalem, quid æque, immo quid aliud ad principum felicitatem pertinet, quàm ut ipſi de ſuopte pectore, non de alio rum ſententijs diſcant ſapere, & ea pueri à bonis ac doctis uiris hauriant, quæ grandes non ſint ab aſſentatoribus audituri. At nondum equidem ſtatui, tu ne iſto tali formatore, an te ille tali alumno fortunatior? Quanquam uterque altero beatiſsimi mihi uidemini, proq; meo in utrunq; amore, tum illi de te, tum tibi de illo gratulor: tibi quod feliciſsimo ingenij tui ſolo tantus cultor contigerit, illi quod aliquando nactus eſt materiam dignam

Iacobus Batus

Bonus præceptor

in qua

in qua singularis artifex neruos intendat suos. Iamq; adeo non uobis tantum, uerum & literis ipsis publicitus gratulandum censeo, posteaquam tandē non ab Ennijs, Plautis, Cecilijs, sed ab his cœperunt coli tractariq;, à quibus si quid attulerint splendoris, cum fœnore recipiant. Quæ si in obscurum quempiam inciderint, etiā si præclarę sint, tamen nescio quomodo autorum humilitate, ceu fumo obscurantur. In tui uero similibus, etiam mediocres, mirum quàm eluceāt, dum uicissim & doctrina fortunam, & fortuna doctrinam illustrat. Ipsæ itaq; literæ mihi gaudio gestire uidentur, uidere iam uideor sorores illas Heliconias sibi plaudere, te dulcissimum alumnum certatim sinu rapere, exosculari, complecti, cum tu fortunatis istis articulis, calamum per æquor chartaceum ductitas, dum blæsa ac uix dum firma lingula Græcæ pariter ac latinæ linguæ uerba meditaris, dum formosulo isto & generoso ore, ac uocula amabili, iam nunc orationem & liberam pronuncias, & numerosam modularis. Macte indole puer, deum optimum maximūq; precor, ut istam mentem, istos egregios impetus, seruet fortunetq;, uelitq; quasi iam herbescentem uirtutem tuam, sui syderis afflatu, ad maturam segetem prouehere, ut idem autor simul & ætatis, & honesti propositi, incrementa felicia largiatur, ne uidelicet quod in alijs ferè conspicimus in te abominemur, de istis tuarum uirtutum quasi cunabulis, uelut Adonidis hortorum delicijs, breui & inani uoluptate deliniti uideamur. Caue ne tua felicitas securitatem adducat. Nam etiamsi sic omnibus naturæ fortunæq; dotibus sis locupletatus, ut uel Pandoram ipsam præcurras, nihil tamen actum putem, nisi ad eas commoditates par accesserit industria: quæ quidem ut sine illis penè manca est, ita illæ hac destitutæ, prorsus ociosæ sunt, si negligas: perniciosæ, si insolescas: mortiferæ, si abutaris. Et si quicquid possunt ignes illi cœlestes, cum prosperrimi sunt, id omne in te unum cōtulerint, si Rhamnusia illa uel totum cornu suum in te semel effuderit, maximam bonæ mentis partem ipse tibi præstes necesse est. Quare fac manibus pedibusq; huc annitare, ut te istis dotibus parē reddas, parem uotis tuorum, parem imaginibus maiorum, parem curis optimi præceptoris. Etenim cum omnia tam benigne suppetant, non poteris tibi non summo cum dedecore deesse. Proinde ut in bene cœptis constanter pergas Adolphe, non desinam Homericum illud tibi ad aures occinere. Cur autem non Græce potius, quandoquidem tu etiam nunc Græce meditaris?

καί συ φίλος μαλα γὰρ σ' ὁραω καλόν τε μέγαν τε
Αλκιμός ἐυσ' ἵνα τίς σε και ὀψιγόνων ἐυείπῃ.

Et quoniam (ut sæpius diximus) omnia ad perfectam laudem adsunt adiumenta, φερ' ὧν ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ, facito, ut & illud eiusdem poetæ uerum sit, τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν. Quod si feceris, futurum confido, ut tu generi, patriæ, tuisq; omnibus per literas, & literis inuicem per tuam fortunam, ingens sis tum decus, tum præsidium allaturus. Illud addam in fine, quod uelim animo tuo quàm penitissime insideat, ut persuasissimum tibi habeas, nihil tam generosis ac bene natis dignum, quàm pietatem. Non temere moneo, compertum enim habeo in aulis esse nonnullos, qui nec sentire uerentur, nec dicere pudēt, Christi doctrinam nihil quicquam ad proceres attinere, sed sacrificis ac monachis esse relinquendam. Ad horum exitiales incantationes obturatis auribus, quo te mater, quo Battus uocat, sequere. Et ut iam nunc cum literarijs rudimentis Christū incipias imbibere, mitto tibi pręcationes aliquot, quas matris rogatu, Batto hortatore conscripsi, sed tibi. Eoq; sermonis figuram nonnihil ad tuos annos attemperauimus. Quibus si diligenter uteris, simul & orationem tuam feceris meliorem, & militares illas precatiunculas, quibus aulicum genus plerunq; delectatur, non indoctissimas modo, sed & superstitiosissimas contempseris. Vale. E Lutetia. Anno à Christo nato millesimo quadringentesimo duodecentesimo.

REVERENDISSIMO SACROSANCTAE ROMANAE ECCLESIAE TT. S. CHRYSOGONI CARDINALI. MOguntinensi ac Magdeburgensi archiepiscopo, principi electori, primati &c. administratori Halberstatensi, Marchioni Brandenburgensi,

Des. Erasmus Roterodamus S. D.

LIBERALIS quidam & ingenuus ingenij tui candor in causa fuit opinor, reuerendissime prę̃sul, & idẽ princeps illustrissime, ut ex meis libellis, longe q̃ pro meritis maiorem opinionem de me conceperis. Et tamẽ istum animum tuũ si minus mihi, certe literis ac uirtuti gratulor, gratulor ijs, q̃ uere sunt id, quod me credis esse. Siquidẽ ut hactenus errat tua celsitudo, quod tantũ laudis tribuit Erasmo, non errat tamen in hoc, quod egregiam uirtutem cum eruditione pari copulatam, in quocunq; comperiatur homine, summorum principum studio fouẽdam ornandamq; censet. Quanquam autem non dubitabam, quin ex congressu nonnullam opinionis meę iacturam facturus essem apud te, tamen apprime gestiebam in tam eximij principis amplexus accurrere, ac ne prorsus ἄδωρος uenirem, Pauli ad Romanos epistolę paraphrasin tuo nomini destinaram. Hunc animum meum, literis significaram iuueni, nõ minus eruditione q̃ imaginibus claro, Vdalrico Hutteno, sed hoc unice nobili, quod tua dignitas illum inter prę̃cipuos, ac interiores officiarios complectitur. Sed ea mox mutata est sententia, quod magis conuenire uideretur, ut quod Rhomanis scriptum esset, ijsdem inscriberetur. Interea nec per fortunam tuo conspectu frui datum est, nec per studiorum immodicos labores licuit apparare, quod tua celsitudine dignum haberetur. Etenim cum proxime Basileam repeterem, in diuersam ditionis tuę partem procul te contuleras, rursum ubi me recipere in patriã, iam apud Cæsarem agebas Augustæ. Quod quidẽ iter cum mihi uel eunti, uel redeunti multis nominibus infaustũ fuerit, nullo tamen infelicius, q̃ quod tui nõ cõtigit copia. Porrò dũ posthabitis curis omnibus, pro uiribus adnitor, ut Nouum testamentũ Leone x. cui dicatum erat, dignum efficiam, ac proinde iterum atq; iterum nouo, mihi pene ueternum collegi, dum hoc à senio uindico, mihi seniũ contraxi, dumq; illud, uti scribis, pristino nitori restituo, mihi squalorẽ ac situm cõciliaui. Nam laboris, ut uoluptatis & glorię q̃ minimum habet, ita tedij molestiæq; plurimum. Ac pene duplicabat molestiã, quod cõplures experirer ingratissimos, quorũ utilitati potissimum tantum laboris desudabatur. Tandẽ & à laboribus quibus distringebar, & à morbis qui me propemodum extinxerant, utcunq; mihi restitutus, officij mei meminisse cœpi, atq; hisce literis, quando adhuc secus non licet, amplitudinem tuã saluto, simulq; gratulor tot ornamentis tuis Cardinalitiæ dignitatis fastigium accessisse, unde tibi hoc etiam plus decoris adiunctum est, quod à Pontifice integerrimo, nec emptum, nec ambitum obtigit: & adeo non ambitum, ut nisi Maximiliani Cæsaris autoritate permotus, obstinate fueris recusaturus. Adiunximus epistolæ libellum de ratione studij theologici, non ut hoc tuo nomini dedicato, fidem meam liberem, uerum ut hoc uelut arrabone dato, magis ac magis astringam. Optabat R. T. D. ut diuorum uitas illustrarem meo stilo, at ego conatus sum, ut ipsi diuorum principi mea qualicunq; industria lucis nõnihil adderem. Nam gaudet ille, totius gloriæ fons, etiã pijs suorũ studijs utcunq; nobilitari. Cæterũ sermone uix consequi queam, quantopere deamẽ indolẽ istam tuã, cui iuueni, inter tot ditionis administrãdæ, necessarias magis q̃ sacras sollicitudines, illud uel in primis cordi est, ut diuorum uitæ, quæ partim habentur fabulis anilibus simillimę, partim eo proditę stilo, ut nemo doctus aut grauis absq; nausea possit legere, primum maiore delectu, maioreq; fide: deinde sermone si non facundo, certe mundo, castoq; tradantur. Perspicit nimirum tua prudentia, id quod uerissimum est, non mediocriter ad Christianæ religionis ornamẽtum facere, ne quid omnino canatur aut legatur in tẽplis, quod nõ grauissimo doctissimoq; cuiq; placere queat, hoc est, quod non ex diuinis libris haustũ sit, aut certe à uiris eximijs profectum. Nunc Siculis, quod aiunt, gerris uaniora: nunc cuiuslibet deliri senis, aut etiã aniculæ, somnia huc irrepserunt, & indies magis ac magis irrepũt. Verum hac in re præstare, quod desiderat celsitudo tua, magis opto q̃ possum. Ego prę̃ter conatũ sedulum nihil polliceor. Nõ desunt aũt uel apud Germanos, qui mea sentẽtia cumulate ualeãt tuis sanctissimis uotis satis

tis satisfacere: uel Huttenum habes domi, linguæ Latinæ delicium. Interea mihi magis libet tibi mentem istam episcopo dignam, quàm fortunam quamlibet amplam gratulari. O felicem Christi populum, si passim contingat tales esse præsules, quibus Christi gloria nihil sit antiquius, qui gemmarum lucem, qui auri fulgorem, qui argenti nitorẽ, qui byssi candorem, qui cocci ignem: breuiter, qui totum Aaronis ornatum moribus ac uita referant, quibus etiam si pallium ac pedum detrahas, tamen episcopos agnoscas. In te fortuna, quam antiquitas cæcam faciebat, oculata uidetur. Generis tui longe clarissima stemmata morum tuorum ornamentis illustras: Archiepiscopi dignitatẽ uitæ integritate conduplicas: Cardinalicio galero nescio quid maiestatis additũ uidetur, posteaquam tu non recusasti. Quid superest, nisi ut Christum Opt. Max. comprecemur, ut istam mentẽ tibi, te nobis quã diutissime seruet incolumem. Louanij XI. Calend. Ian. Anno M.D.XVIII.

RATIO SEV METHODVS COMPENDIO PERVENIENDI AD VERAM Theologiam, per Des. Erasmum Roterod.

VM primum Nouum testamentum à nobis recognitum, essem æditurus, flagitantibus id amicis quibusdam, methodum quandã ac rationem theologici studij curaueram adijciendã, breuem quidẽ illam: sed quæ tum mihi uisa est satis copiosa in operis præfatione, ueritus ne non præfatio, sed aliud opus operi additũ uideretur. Quod si hæc ratio me nihil mouisset, tamen operis celeritas, iam ad metam decurrentis, breuitatem flagitabat. Nunc idem agemus aliquãto copiosius, & ita rem temperabimus, ut si libeat præfationis uice possit addi, sin minus, seperatim legi, nimirum conuiuatores frugaliter splendidos, & magnifice sordidos imitati, qui pridianorum obsoniorum frustula recentibus admixta, communi tegunt cõditura. Atq; utinam præstare queam quod flagitor. Magnum quidem est, ad Theologiæ studium animos hominum inflammare, sed absolutioris artificis est, huiusce cœlestis studij uiam ac methodum tradere, non dicam ut dignum est, (quid enim potest humana industria, quod rebus diuinis ulla ex parte respondeat?) sed sic ut labor hic noster mediocrem adferat utilitatem sacrosanctæ Theologiæ candidatis. Non minima negocij pars est, adeundi negocij uiam nosse. Et satis festinat, qui nusquam aberrat à uia. Sæpe & sumptum duplicat, & laborem, qui crebris erroribus, ac longis ambagibus tandem eò peruenit, quò destinarat, si tamen peruenire cõtingat. Porrò qui compendiariam quoque uiam indicat, is gemino beneficio iuuat studiosum. Primum ut matu rius quò tendit pertingat, deinde ut minori labore, sumptuq; quod sequitur assequatur. Sed subuereor, ne cui mea tenuitas nota sit, protinus hic reclamet. Tun uiam indicabis, quam ipse nunquam ingressus es? aut certe infeliciter ingressus es? non minus ridicule facturus, quàm si cęcus cæco dux esse postulet, iuxta prouerbium euãgelicũ. Equidem maiorem in modum optarim, ut isthuc uere queã inficiari, sed tamen quid uetat imitari nautas quosdam, qui cum ipsi, naui ad scopulum elisa, nudi uix enatarint, nihilo secius alijs soluentibus solent recte consulere, cõmonstratis periculis: aut certe Mercuriales illas statuas πολυκεφάλους, quæ quondam in compitis poni solitæ, suo nonnunquam indicio uiatorem eò prouehunt, quò nunquam ipsæ sint peruenturæ? & ut nonnihil ex poetis attingam, fungi uice cotis, acutum

Reddere quæ ferrum ualet, exors ipsa secandi?

Postremo: Cæcus uti si mõstret iter, tamẽ aspice. Tametsi diuus Aurelius Augustinus, accurate simul & copiose, quatuor libris, quibus titulum fecit de doctrina Christiana, super hoc propemodum argumento disserit. Et ante hunc, opinor, Dionysius quidam in opere quod inscripsit de diuinis nominibus. Rursus in libello, cui titulum fecit de mystica Theologia. Et consentaneum est eadem egisse in libris institutionum Theologicarum: ac rursus in opere de significatiua

Theologia, quo magis nos idem agemus, non modo contractius, uerum etiam crassius, & pinguiore, quod aiunt, Minerua: quippe qui nequaquam excellentibus uiris ista paramus, sed rudibus ac plebeis, uenæq; inferioris ingenijs, nostra qualicunq; industria nitimur subuenire. Itaq; quod primo loco præcipiendum erat, id sanè perquàm facile est, & ut isti loquuntur, numero dici potest. Cæterum quod ad usum attinet, omnium est longe primum ac maximum. Et ut in præcipiendo minimum est negocij, ita est in præstando plurimum: nimirum, ut ad hanc philosophiam, non Platonicam, aut Stoicam, aut peripateticam, sed planè cœlestem: animum adferamus, ea dignum, non tantum purum ab omnibus, quantum fieri potest, uitiorum inquinamentis, uerumetiam ab omni cupiditatum tumultu tranquillum ac requietum, quo expressius in nobis, uelut in amne placido, aut speculo leui & exterso, reluceat æternæ illius ueritatis imago. Nam si Hippocrates à suis discipulis exigit mores sanctos & integros: si Iulius Firmicus in arte superstitiosa non admittit ingenium lucri gloriæ ue morbo corruptum: si prisci dæmonum cultores non recipiebant quenquam ad sua prophana mysteria, nisi prius multis obseruationibus repurgatũ: quanto magis æquum est nos ad huius diuinæ sapiẽtiæ scholam, seu templum uerius, purgatissimis animis accedere? In Exodo populus dei uocem procul auditurus, iubetur biduo purgari. Quãtam aũt puritatem arbitramur exigi à Mose & Aaron, qui conscenso montis cacumine, in admirabilem illam caliginem penetrant, ubi conspicitur, quod nulla lux neq; cœlestis, neq; terrestris potest ostendere, ubi cominus cum deo miscentur colloquia? Eodem spectat opinor, quod cum iuxta montem Oreb properaret, accurrens ut propius conspicaretur inusitatum miraculum ardentis rubi, nec tamen exusti: non prius admissus est ad diuinum colloquium, quàm abijceret calciamenta pedum. Quid pedes, nisi affectus? Quid pedes liberi calciamentorum onere, nisi animus nullis terrenis ac fluxarum rerum cupiditatibus oneratus? At uerius & efficacius nobis loquitur deus in arcanis libris, quàm Mosi de rubo locutus sit: si modo puri accesserimus ad colloquium. Paulus enarrationem arcanæ scripturæ non philosophiam, sed prophetiam uocat. Prophetia uero spiritus illius æterni donum est.

Primum præceptum

Animus theologia dignus

Hippocrates Iulius Firmicus

Huic igitur pectus tuum præpares oportet, ut tu quoq; uerbo prophetico θεοδίδακτος uocari merearis. Adsit oculus fidei simplex et columbinus, qui nõ cernit nisi cœlestia. Accedat summus ardor discendi. Non dignatur hoc incomparabile margaritum uel amari uulgariter, uel cum alijs diligi. Sitientem requirit animum, & nihil aliud sitientem. Iam hoc sacrum limen adituris, procul absit omnis fastus, procul absit omne supercilium. Ab huiusmodi protinus resilit ille spiritus, qui mansuetis minimeq; ferocibus gaudet animis. Augustum est huius reginæ palatium, si penetraris in penetralia, sed uehementer humili ostio patet aditus, ceruicem submittas oportet, si uelis admitti. Procul absit illa ueri nocentissima pestis, gloriæ fames, quæ ferocia solet ingenia comitari. Absit rixarum parens, pertinacia, multo magis cæca temeritas. Quod Pythagoræ numeros quosdam magicos docenti præstiterunt auditores, tu multo magis præstes spiritui doctori. Tuo iudicio diffisus, illi te fingendum formandumq; permittas. Cum loca subis religione ueneranda, exoscularis omnia, adoras omnia, & quasi nusquam non adsit numen aliquod, ita nihil non reuereris. Id tibi multo religiosius faciendum memineris, cum hæc diuini spiritus adyta subiturus es. Quod datur uidere, pronus exosculare: quod non datur, tamen opertum, quicquid est, adora simplici fide, proculq; uenerare. Absit impia curiositas. Quædam mysteria uel ob hoc ipsum uidere mereberis, quod temetipsum ab illorum conspectu reuerenter submoueris: fortassis hoc nos docuit Moses, faciem suam obuelans, ne dominum intueretur è rubo sibi loquentem. Cæteras disciplinas cautim ac sobrie uult Augustinus attingi, libros humanos uult cum iudicio delectuq; legi. Hic si quid occurrit, quod parum congruat in naturam diuinam, aut quod cum Christi doctrina pugnare uideatur, caue calumnieris quod scriptum est: sed te potius crede non assequi quod legis, aut subesse tropum in uerbis, aut codicem esse deprauatum. Veluti cum legis deum irasci, aut pœnitentia tangi, cum id habeat certum Christiana fides, deum ab affectibus huiusmodi prorsus immunem esse: aut cum legis à Christo præcipi apostolis, ut diuenditis tunicis emant sibi gladios, cum idem antea uetuisset, ne malo resisterent. Inter humanas disciplinas, aliæ alium habent scopum. Apud rhetorẽ hoc spectas, ut copio-

Quomodo sacri legendi libri

Tropi

copiosè, splendidèq; dicas: apud dialecticũ, ut argute colligas, et aduersariũ illaquees. Hic primus & unicus tibi sit scopus, hoc uotũ, hoc unũ age, ut muteris, ut rapiaris, ut affleris, ut transformeris in ea quæ discis. Animi cibus est, ita demũ utilis, nõ si in memoria ceu stomacho subsidat, sed si in ipsos affectus, & in ipsa mẽtis uiscera trajiciatur. Ita demũ tibi uideare profecisse, nõ si disputes acrius, sed si te senseris paulatim alterũ fieri, minus elatũ, minus iracundum, minus pecuniarum, aut uoluptatũ, aut uitæ cupidum, si cotidie uitijs decedat aliquid, aliquid accrescat pietati. In disputando seruanda sobrietas, summaq; animi moderatio, ut collatio, non conflictatio uideatur. Lectionem subinde interrumpat precatio, aut gratiarum actio, quarum altera sacri spiritus imploret opem, altera beneficium agnoscat, sicubi te senseris profecisse. *Scopus studij theologici*

Quorundam enim mores faciunt, ut hoc sanctissimũ studium apud quosdam male audiat, cum apicem ac fastigium huius professionis assecuti, nonnunquam ferociores sint idiotis, ambitiosiores, magis iritabiles, lingua uirulentiores, ac prorsus ad omnẽ uitæ consuetudinem incommodiores, nõ modo quàm sint imperiti, sed quàm ipsi soleant esse, ut tales ab ipsa Theologia redditi quibusdã uideantur. Sanctus Iacobus admonet, ut qui ueram sapientiã sit assecutus, eam præstet ac declaret, non supercilio, aut disputandi pertinacia, sed probitate morũ ac mansuetudine. Porrò scientiam quæ subamarulentam habet æmulationẽ, quę pertinacẽ contentionẽ, negat è supernis proficisci: sed terrenam, sed animalem ac dæmoniacam uocat. Nam sapiẽtia uere Theologica primũ, inquit, pudica est: deinde, modesta, pacifica, tractabilis, plena misericordia, & fructibus bonis, nescia dijudicationis, nescia simulationis. *Theologiã moribus exprimenda* *Iacob. 3*

Iam quod ad eas attinet literas, quarum adminiculo commodius ad hæc pertingimus, citra controuersiã prima cura debetur perdiscendis tribus liguis, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ: quod constet, omnẽ scripturã mysticam hisce proditã esse: quarum cũ Augustinus Latinam duntaxat calleret, Grecam leuiter attigisset, Hebraicã nec sciret, nec speraret: tamen libro de doctrina Christiana secundo non dubitat, harum cognitionẽ ad sacros codices uel intelligendos, uel restituendos, necessariã pronunciare: quod, quẽadmodum incognitis elementorũ figuris nemo legit quod scriptum est, ita sine cognitione linguarũ nullus intelligit quod legit. Neq; uero mihi protinus hic resilias amice lector, negocij difficultate, ceu claua repulsus. Si non desit animus, si non desit præceptor idoneus, minore penè negocio tres hæ linguæ discẽtur, q̃ hodie discitur unius semilinguæ miseranda balbuties, nimirũ ob pręceptorũ, tum inscitiã, tum inopiã. Atq; hoc sanè nomine par est, ut clarissimi uiri Hieronymi Buslidij, quondã præpositi Ariẽsis, memoria sacrosancta sit, cũ omnibus honestarum disciplinarum studiosis, tum præcipue Theologiæ candidatis, qui fraudatis etiã hæredibus, ingentẽ pecuniarum uim in hunc usum legato reliquit, ut honesto salario pararentur, qui Louanij tres linguas profiterẽtur. Cuius laudis nõ minima portio debetur & huius germano, Aegidio Buslidio, qui sic fauet fratris testamento, imò sic literis ipse literatissimus, ut malit eam pecuniã iuuandijs studijs omnium, q̃ suis scrinijs augendis dicatam. Exemplum hoc pulcherrimum gnauiter æmulatur uir omnium seculorum memoria dignus, Stephanus Poncherius, quondam episcopus Parisiensis, nunc archiepi scopus Senonensis, undiq; præmijs amplissimis euocans qui linguas doceant. Neq; flagitat Aurelius Augustinus, ut in Hebræis Græcisq; literis usq; ad eloquentiæ miraculum proueharis, quod admodum paucis cõtingit & in Rhomano sermone: satis est, si ad mundiciem & elegantiã, hoc est, mediocritatẽ aliquam progrediare, quod sufficiat ad iudicandum. Nã (ut omneis cæteras humanas disciplinas negligamus) nulla ratione fieri potest, ut intelligas quod scriptum est, si sermonis, quo scriptum est, fueris ignarus: nisi forte malumus ocioſi, quicquid hoc est muneris, cũ apostolis è cœlis expectare. Neq; enim audiendos arbitror istos quosdã, qui cũ in sophisticis tricis, & illiteratis literis usq; ad decrepitã ætatem cõputrescant, dicere solent: Mihi satis est Hieronymi translatio. Sic enim potissimum respondent ij, qui ne Latine quidem scire curant, ut his etiam frustra uerterit Hieronymus. Cæterum ut ne dicam interim, plurimis modis referre, è suis haurias fontibus aliquid, an è qualibuscunq; lacunis, quid quod quædã ob sermonũ idomata ne possunt quidem ita transfundi in alienã linguam, ut eandem lucem, ut natiuã gratiam, ut parẽ obtineant emphasin? Quid quod quædam minutiora sunt, q̃ ut omnino reddi possint? id quod *Disciplinæ ad theologiã necessariæ* *Hieronymus Buslidius* *Aegidius Buslidius* *Poncherius* *Quare necessariæ linguæ*

passim queritur, clamitatq; diuus Hieronymus. Quid quod permulta ab Hieronymo re
stituta, temporũ iniuria interciderunt, uelut nouum testamentum ad Græcam ueritatẽ e
mendatum, uelut obelorum & asteriscorum notulæ, ueluti prophetæ cõmatis, colis & pe
riodis distincti? Quid quod scriptorũ uel errore, uel temeritate sacri codices tum olim ui
Deprauatio codicum tiati sunt, tum hodie passim uitiãtur? Quid quod Hieronymus unus omnia nec restituit,
nec potuit restituere? Quid si idem quædam perperã uel emendauit, uel transtulit? Auser
mihi hic illa tragica, ô cœlum, ô terra: liceat uera loqui. Quamlibet uir pius, quãlibet eru
ditus, homo erat, & falli potuit, & fallere. Multa (ut opinor) illum fugerunt, multa fefelle
runt. Postremo, quid quod nec commentaria, quibus Hieronymus ea restituit, satis intelli
guntur, si linguas, quarum testimonijs nititur, prorsus ignores? Quod si semel sufficiebat
Hieronymiana translatio, quorsum tandem attinebat, caueri Pontificum decretis, ut uete
ris instrumenti ueritas ab Hebræis uoluminibus, noui fides è Græcorum fontibus petere
tur? quod ipsum non uno in loco præcipit Augustinus. Deniq; si hæc, qua uulgo utimur,
satis erat, qui postea factũ est, ut tot manifestarijs ac pudẽdis erratis lapsi sint primi nomi
nis Theologi? Id quod apertius est, q̃ ut uel negari, uel dissimulari possit. In quibus est
& Augustinus inter antiquos præcipuus: & ipse neotericorum omnium, mea senten
Thomas Aquinas tia, diligentissimus Thomas Aquinas, quorum utrunq; mihi parum propitium esse ue
lim, si aut mentior, aut contumeliæ causa hæc dico: ne quid interim loquar de cæteris, cum
hoc haud quaquam conferendis, meo quidem iudicio. Quod si cuius ætas iam ad hoc prę
terijt, is, quod est uiri prudentis, suam sortem boni consulat, & quantum potest, aliena ful
ciatur industria: modo ne bonę spei iuuenibus, quibus hæc potissimum scribuntur, obstre
pat. Quanquam ego profecto ne senibus quidẽ fuerim autor desperandi, quandoquidem
quatuor nominatim recensere possim, mihi familiariter notos, uiros iam libris etiam ædi
tis celebres, quorũ unus duo de quinquaginta natus annos, nemo nõ maior quadraginta,
Cato prima Græci sermonis elementa sit aggressus. Porrò quò profecerint, ipsi suis testãtur mo
Augustinus nimentis. Quod si Catonis exemplum leuiter nos mouet: ipse diuus Augustinus, iam epi
scopus, iam senescens, ad Græcas literas puero degustatas quidem sed fastiditas, reuersus
Agricola est. Rodolphus Agricola unicum Germaniæ nostræ lumen & ornamentum, annũ egres
sus quadragesimum, Hebræas literas discere nec erubuit, uir in re literaria tantus, nec de
sperauit homo natu tam grandis. nam Græcas adolescens imbiberat. Ipse iam quinqua
gesimum tertiũ ingressus annum, ad Hebraicas literas olim utcunq; degustatas, cũ licet re
curro. Nihil est enim quod non efficiat humanus animus, modo sibi imperarit, modo im
pense uelit. Et ad hoc, ut dixi, negocium qualiscunq; mediocritas satis est, dum ea sanè ab
sit à temeritate, quæ ferè solet hoc audacius pronunciare, quo minus exacte dijudicat. Fe
licior quidem hac in parte iuuentus, at interim non desperandi sunt senes. Illa plus spei de
se præbet, at huic nõnunquã ardor animi præstat, quod alijs non præstat ætatis uigor. Por
Hilarij et Augustini opinio rò sententiam Hilarij & Augustini, qui putant in ueteris instrumenti libris nihil requiren
dum ultra septuaginta translationẽ, satis in epistolis ac præfationibus ipse refellit Hiero
nymus: & si non refellisset ille, satis refellebat insignis ille lapsus Hilarij in dictione, O san
na: diuo quoq; Ambrosio ad eundem impingente lapidem. Sed more hominũ fit, ut tan
tum quisq; probet, quantum se assequi posse confidat. Ad interpretationem Septuaginta
uetus testamentum contulit Augustinus: multo magis idem facturus ad Hebraicam ueri
tatem, si literas eas tenuisset. Idem alicubi disputans cum Cresconio ni me fallit memo
ria, quum aduersarius adduxisset testimonium ex ecclesiastico, cuius sensus esset absur
dus, iubet uti Græcam translationem cõsulat, uelut illinc peti posset certior ueritas. Porrò
si rara quædam felicitas, & alba, quod dici solet, indoles insignem Theologum pollice
ri uidebitur, haud mihi displicet, quod in libris de doctrina Christiana placuit Augusti
no, ut cautim ac moderate degustatis elegantioribus disciplinis per ætatem instituatur, ac
præparetur, nempe dialectica, rhetorica, arithmetica, musica: cum primis autem rerum
naturalium cognitione, uelut syderum, animãtium, arborũ, gemmarũ, ad hæc locorum,
præsertim eorum, quos diuinæ literæ cõmemorant. Fit enim ut agnitis ex cosmographia
regionibus, cogitatione sequamur narrationẽ obambulantẽ, & omnino non sine uolupta
te, uelut unà circunferamur, ut rem spectare uideamur, non legere. Simulq; non paulo te
nacius hęrent, quæ sic legeris. Neq; uero raro locorum uocabula suis libris, ceu lumina

quæpiam

quępiam interijciunt prophetę, quorum allegoriam si quis tractare conetur, nec tuto nec feliciter id fecerit, si locorum situm ignoret. Iam si gentium, apud quas res gesta narratur, siue ad quas scribunt Apostoli, non situm modo, uerumetiam originem, mores, instituta, cultum, ingenium, ex historicorum literis didicerimus: dictu mirum, quantum lucis, et ut ita dicam, uitæ sit accessurum lectioni, quæ prorsus oscitabunda mortuaq; sit oportet, quoties non hæc tantum, sed & omnium pene rerum ignorantur uocabula: adeo ut nonnunq; uel impudenter addiuinantes, uel sordidissimos consulentes dictionarios, ex arbore faciant quadrupedem, è gemma piscē, è citharœdo fluuium, ex oppido fruticem, è syde re auem, ex brassica braccam. Abunde doctum uidetur istis, si tantum adiecerint, est nomen gēmę, aut, est species arboris, aut, est genus animantis, aut si quid aliud mauis. Atqui non raro ex ipsa rei proprietate pendet intellectus mysterij: Quod euidentius declarat Augustinus libro de doctrina Christiana secundo, capite decimosexto, exemplis aliquot in eam rem arguendam adductis. Idem in opere quod scripsit aduersus Faustum Manicheum, narrat quod iusserit sibi exhiberi pomum mandragoræ, quo uel forma, gustu, odoréue colligeret quod faceret ad explicandam mystici sermonis allegoriam, de Rachel communis mariti concubitum huius pomi mercede uendente Lię sorori. Porrò quidam sola dialectica freti, satis instructos sese putant, ut quauis de re differant: tantūq; tribuunt huic disciplinæ, ut actum existiment de fide Christiana, nisi dialectices prędidijs fulciatur, cum interim grammaticam, ac Rhetoricam, ceu prorsus superuacaneas, aspernentur. Et probat quidem Augustinus, si quis connexionum rationes teneat, modo absit peculiaris huic arti morbus, pertinax contentio, ac libido rixandi. Sed obsecro te, quid diuides, aut finies, aut quid colliges, si rerum, de quibus disseritur, uim ac naturā ignores? Quid profuerit tibi concinnasse syllogismum in Celarent, aut Baroco, de crocodilo disputans, si nescias quod arboris, aut animantis genus sit crocodilus? Neq; uero hæc tam discuntur ex octo libris naturalium Aristotelis, qui soli nunc traduntur in scholis, quàm ex eruditissimis eiusdem commentarijs de animantibus, ex libris meteorologicon, ex libris de mundo, de anima, de sensu & sensili, de memoria & reminiscentia, ex problematis: ex Theophrasti libris de plantis, uentis, ac gemmis: ex Plinio, ex Macrobio & Athenęo, ex Dioscoride, ex Senecæ naturalibus, alijsq; hoc genus scriptoribus: etiamsi nō mediocriter ad hanc eruditionis partem conducunt poetæ, apud quos frequēs huiusmodi rerum descriptio, uelut apud Lucanum, quanta descriptio uenenorum? Oppianus uero etiam ex professo de piscium ac ferarum naturis prodidit: Nicander de noxijs bestijs. Sunt quędam artes, quas Augustinus inter superstitiosas & improbatas recenset, è quarum ritibus quædam narrationes ducuntur in sacris literis. Profuerit igitur & harum superstitiosas obseruationes non ignorare, quam ad rem potissimum confert lectio poetarum, subinde magicas ineptias depingentium. Conferrent & Senecę libri de superstitioso deorū cultu, si modo extarent, quos Augustinus in opere de ciuitate dei se legisse testatur. Et sunt quidam, aut fuere potius, qui sua industria Christianorum ocio cōsuluerunt in hac parte, explicatis uocabulis, ac naturis earum rerum duntaxat, quarum in diuinis libris habetur mētio, quorum de numero fuit Eusebius Cæsariensis episcopus. Et extāt hodie quoq; in hoc genere nonnulla monimenta, partim Hieronymi titulo, sed ut apparet, cōfusa mutilaq;. Tametsi nec ista legimus plerique, sed si qua uox ignotæ seu peregrinæ linguæ inciderit, tripodis uice nobis est Ebrardus Græcista, aut confusissimus ille libellus de nominibus Hebraicis. Quibusdam ad omnia satis est unus Catholicon, aut hoc eruditior Isidorus. Nec illud opinor, inutile fuerit, si theologiæ destinatus adolescens, diligēter exerceatur in schematis ac tropis grammaticorum rhetorumq;, quæ nō magno negocio ediscuntur etiam, præludat in fabulis ad allegoriam explicandis, præsertim ijs, quæ ad mores bonos pertinent, ueluti si Tantali fabulam accommodes ad diuitem, incubantem & inhiantem opibus suis, nec tamen fruentem. si Phaetontis, ad periculosam temeritatem suscipientis magistratum, qui magistratui gerendo non sit idoneus. Idem fiat in apologis, in similibus, de quibus à nobis nonnihil est proditum. Tum in his præcipue partibus rhetorices, quæ tractant de statibus, de propositionibus, de probationibus, de amplificationibus, de quibus accuratissime tractat Fabius: deq; geminis affectibus, alteris quos ἤθη uocant, mitiori bus: alteris acrioribus, quos πάθη dicunt, de quibus nemo diligentius scripsit Aristotele:

γελοῖον

Dialectica sola non sufficit ad disputādū

Oppianus
Nicander

Eusebius

quod harum rerum peritia maiorem in modum faciat ad iudicium, quæ res in omni ſtudiorum genere ualet, plurimum. Et quoniam profeſſio Theologica magis conſtat affectibus quàm argutijs, quas in Ethnicis quoq; philoſophis ipſi ridẽt Ethnici, Paulus in Chriſtiano deteſtatur, idq; non uno in loco: conueniet non ſegniter per ætatẽ in hoc genere exerceri, quo poſtea dexterius in theologicis allegorijs, locisq; communibus tractandis uerſari poſſis: In illis feliciſſimus eſt Origenes, in his creberrimus eſt Chryſoſtomus. Hoc, ni
Licentius Auguſtini fallor, uidebat Auguſtinus, cum libro de ordine, priore, Licentium ſuum ad ſuas muſas à quibus iam parabat deſciſcere, reuerti iubet, quod eiuſmodi ſtudia ad cæteras item literas, ſeriasq; diſciplinas reddant ingenium uegetius ac ſucculentius: interim poetices cognitionem inter diſciplinas liberales numerans: ſed præſtiterit, opinor, ob contentioſos ipſius Auguſtini uerba ſubſcribere: Redeundum, inquit, tibi eſt ad illos uerſus. Nam eruditio diſciplinarum liberalium modeſta ſanè atque ſuccincta, & alacriores & perſeuerantiores & comptiores exhibet amatores amplectendæ ueritati, ut & ardentius appetant, & conſtantius inſequantur, & inhæreant poſtremo dulcius. Hactenus Auguſtinus. Alioqui ſi quis tantum infantibus illis & anxijs ieiunisq; pręceptiunculis imbuatur, puta dialectices, aut uerius, ut nunc ferè traditur, ſophiſtices: quam ipſam tamen cotidie nouis & commenticijs difficultatibus aliam atq; aliam reddunt: fit ut ad contentionẽ qui dem inuictus euadat, cæterum in tractandis diuinis literis, in ſacris cõcionibus, deum immortalem, quàm uidemus iſtos iacere, frigere, immo quàm non uiuere? quorũ præcipue partes erãt, animos inflammare. Cuius rei ſi quis exemplum requirat, legat Origenis ho-
Abrahamtentatus apud Origenem miliam de Abraham, iuſſo filium immolare: in quo typus & exemplar ob oculos ponitur, fidei robur omnibus humanis affectibus eſſe potentius. At operæprecium ſit, ſingulis penſitatis, ſpectare, quibus & quot machinis tentatio, patris animum impetat, ac repetat: Tolle, inquit, filium tuum. Cuius parentis animum non labefactaret auditum filij nomen? Sed ut ualidior eſſet hic aries, addit, chariſſimum. Nec hoc contentus, adiecit: quem diligis. Satis hęc uideri poterant, ad quodlibet humanum pectus expugnandum. Additũ dulciſſimum paternis affectibus filij uocabulũ, Iſaac, in quo refricatur & promiſſi diuini memoria: à quo audierat: In Iſaac uocabitur tibi ſemen: & in Iſaac erunt tibi repromiſſiones. Erat ea natio φιλόσοργον erga liberos, ſic ut non alia æque. Optabat poſteritatẽ uir optimus, nec erat huius ulla ſpes reliqua occiſo eo, per quem unũ uentura erat poſteritas. Et tamen hunc deus non ſimpliciter iubet occidi, ſed imperat immolari, ut inter apparandum identidẽ cruciet ſenis animum affectus pietatis. Multa grauiaq; tentationis ponderа. Super hæc omnia, iubetur montẽ excelſum conſcendere, ad quem tertio demũ die peruentum eſt, ut diu uarijs cogitationibus parentis animus quateretur, hinc ſollicitante affectu humano, hinc urgente iuſſu diuino. Iam cum inter eundũ puer lignis, quibus exurendus putabatur, onuſtus, parentẽ, ignẽ geſtãtem & gladium, appellans dicit: Pater mi, atq; is reſpondet, Quid uis fili? quanto ariete patriæ charitatis arbitramur pulſatum ſenis animum? Cui uero nõ cõmoueat miſerationis affectũ, pueri patri obſequẽtis ſimplicitas, cũ ait: En ignis & ligna, ſed ubi uictima? Tot modis ſollicitata fides Abrahæ, iam mihi uide, quo robore, quaq; cõſtantia iuſſa peragit. Nõ reſpõſat deo, nõ expoſtulat de fide promiſſi, nõ deplorat orbitatẽ ſuã apud amicos & cognatos: quibus rebus utcũq; leniri ſolet dolor, Loco procul cõſpecto, iubet reſidere famulos, ne quis iuſſa peragẽti obſiſteret: filiũ onerat lignis, ipſe ſtruẽ in altari collocat, ipſe filium alligat, & lignis mactandũ atq; adolendum imponit, reducto brachio uibrat enſem, filium unicum omnẽ poſteritatis ădamatæ ſpẽ iugulaturus, ni ſubito uox angelica ſenis dextrã inhibuiſſet. Hæc copioſius & elegantius ab Origene diſſeruntur, haud ſcio maioréne uoluptate lectoris an fructu: cũ tantũ interim in hiſtorico ſenſu uerſetur: nec aliud agat in diuinis libris, cẽ Donatus egit in comœdijs Terentianis, dum poetæ cõſilium aperit. An eadẽ uiſurus erat, qui politiores literas nunq̃ attigiſſet? qui uix deguſtatis grãmaticæ præceptis, idq; ex autoribus male grãmaticis, mox ad ſpinoſas argutias, & ieiunas quæſtionum anxietates raptus, in his conſenuit? Poſſem exemplis innumeris declarare, cẽ frigide, ne dicã ridicule, ineptiant quidam, quoties eſt encomio celebrandus diuus aliquis, aut hymno alióue ſcripti genere utẽdũ, quod ſplendorẽ & affectũ deſiderat. Huiuſmodi Theologis debemus hymnos quoſdã & cãticа, quas uulgus ſequẽtias appellat, quę nemo doctus uel abſq; riſu, uel abſq; nauſea legat.

Verum

Verum in præsentia nō hoc nobis agitur, ut cuiusquam ínſcitiam tradúcamus, ſed ut ad optímam ſtudíj rationem ínuitemus adoleſcentes. Tantum íllud dícam in genere, ſi quis huíus rei promptum alíquod argumentū requírat, ueteres íllos theologos, Origenē, Baſílium, Chryſoſtomum, Hieronymū cum híſce recentioribus componat cōferatq́: uídebit íllíc aureum quoddā ire flumen: híc tenues quoſdam ríuulos, eoſq́ nec puros admodum, nec ſuo fonti reſpondentes. Illíc tonant oracula ueritatis æternæ, hic audís hominū commentula, quæ quo propius ínſpícias, hoc magís ſimilía ínſomnijs euaneſcunt. Illíc ſolídis ſcripturarum fundamētis ínnixum ædificium ſurgit in altum: híc futílibus hominū argutijs, aut etiam adulationibus, non minus ínanis q̄ immanis ſuperſtructa machína tollítur in ímmenſum. Illíc uelut in feliciſſimis hortís affatím tum oblectaberís, tum expleberís, dū hic inter ſpineta ſterília dílaceraris, ac torqueris. Illíc maieſtatis plena omnía: híc adeo níhil ſplendídum, ut pleraq́ ſordída, parumq́ digna dígnitate theologica: ut interím à cō paratione morum abſtíneam. Quod ſi diutius immorandum ſit prophanis líteris, equidē id fieri malím in ijs, quæ propius affines ſunt arcanis líbrís. Neq́ uero me clàm eſt, quanto ſupercílio quídam contemnant poeticen, ceu rem pluſquam puerílem, quanto rhetoricen, quanto bonas, ut uocant, & ſunt, líteras omneís. Attamē hæ quamlíbet íſtis faſtidítæ literæ, ínſignes íllos dedere Theologos, quos nunc procliuius eſt negligere, q̄ uel intelligere, uel ímitarí. Cuius rei ſi quis ſíbí fidē fieri poſtulet, díſpiciat q̄ multís hoc quícquid eſt poeticæ ſeu grāmaticæ, ut aiunt, facultatís, æmulari conatis, non ſucceſſerit. A nomínibus tēpero, ne quē offendam, etiamſi ſemet cotídie líbris æditis produnt. Hi ſi polítiores líteras damnant, cur tā anxíe affectant polítiem orationis? ſin probant, cur ab his deterrent felícius amplexuros? Poeticís figuris ac tropís ſcatent undiq́ prophetarū literæ. Parabolís omnía penè conueſtiuit Chriſtus, id quod poetis eſt peculiare. Neq́ puerílis operæ putauit Auguſtinus in propheticís ac Paulínís líteris, ſchemata rhetorum, & orationis cæſuras ac circuítus índicare, idq́ in his libris quos inſcripſit, non de grammatica aut dialecti/ca, ſed de doctrína Chriſtiana, quæ quid aliud quàm Theologia? Nec puduit epiſcopum ibidem à grammaticis pronunciationis & ſyntaxeos differentiam petere. Non referam hic, quod ímmortalitate digni uiri, Gregorius Nazianzenus, Damaſus, Prudētius, Paulínus, Iuuencus Chriſti myſteria poeticis carmínibus tractarint. Ipſe Paulus Apoſtolus non ſemel abutitur poetarum teſtimonijs. Vbi tandem in hís líteris, quod Ariſtotelem, quamlíbet argutum aut eruditum, quod impium Auerroem referat? Vbi primarum & ſecundarum intentionum, ubi formarum ſyllogiſticarum, ubi formalitatum, aut quíditatum, aut etiam ecceitatum ulla mētio? quíbus apud íſtos differta ſunt omnía. An ídeo parū argute díſſerunt, quod non in concluſiones & corollaría díſſecent omnía: quod non prius dícant, quíd dícturi ſint, quàm dícant: ac rurſum admoneant ſibí dictum eſſe, quod alíquoties dictum non eſt: quod non ſermonem omnē uerbatim penè conciſum contruncent? Hæc pars diuiditur in tres. prima rurſus in quatuor, atq́ harū ſingulæ rurſus in ternas. prima, ibi. ſecunda, ibi. Hæc demum nobis erudíta uídentur, quæ ſunt frigidiſſima: & his à pueris aſſuetí, níhil intelligimus, niſi quod ad eum modum ſit fruſtulatím díſcerptū. In cæteris profeſſionibus pulcherrimum, ut eſt, habetur, ſi ſuos quiſq́ príncipes & autores referat. Virgílius expreſſit Homerum, Theocritum & Heſiodum: Horatius, Pindarum & Anacreontem: Auicenna, Galenum: Galenus, Hippocratem: Cicero, Demoſthenem: Platonem, Xenophon: Ariſtoteles, qui níhil non tractauit, pro diuerſis argumentís, díuerſos: Ariſtotelem Theophraſtus, Themiſtíus, & Auerroes. Cur ſolí nos auſi ſumus à noſtræ philoſophiæ príncipís tota díſſerendí ratiōe deſciſcere? Quid enim tam díſpar ac díſcrepans à ſtilo Prophetarum, Chriſti & apoſtolorum, quàm hic, quo qui Thomam ac Scotum ſequuntur, nunc de rebus diuínis díſputant? Auguſtinus ſibí gratulatur, quod cum uarijs erroribus adhuc circunferretur, in Platonem potiſſimum incídiſſet, quod huius dogmata propius accedant ad Chriſti doctrinam. Et à finitímis cognatísq́ procliuior eſt tranſitus. Neque uero hæc eo díxerim, quod damnem ea ſtudia, quæ nunc ferè uídemus in publicis ſcholis ſolennia, modo ſobríe caſteq́ tractentur: neq́ ſola tamen. Cuiuſmodí uero, citra philoſophiā Ariſtotelicā nō audere Theologū profiteri: ſine grāmatica, ſine rhetorica, ſine omnís antíquæ ac polítioris eruditionis cognitiōe, uel anteſignanū ordinis Theologici profiteri; deq́ his rebus magno ſupercilio pronunciare

Non damnat Eraſmus ſtudia ſcholaſtica

ciare, de quibus Paulus è tertio cœlo reuersus, nõ ausus est hiscere? Proinde complectantur & illa, si uidetur, pauci quos æquus amauit Iupiter, ut uerbis utar Vergilianis, & quibus uacat aliquam ætatis partem perdere. Nos plebeium & properantem instituimus Theologiæ tyronẽ: tametsi, ut ingenue quod sentio dicam, mihi parum tutũ uidetur, ad theologiã destinato, in prophanis studijs, præsertim alienioribus, consenescere: Fit enim ut qui palatum ac linguam multo absinthio habẽt infectam, ijs quicquid deinde biberint aut ederint, absinthium sapiat: & qui diutius in sole uersati sunt, ijs deinde quicquid uiderint, eo sese offerat colore, quem ipsi secum in oculis, glaucomate uitiatis, circũferunt. Ita qui bonam uitæ partem in Bartholis ac Baldis, in Auerroibus, in Holcotis, Bricotis, ac Tartaretis, in sophisticis cauillationibus, in cõfusissimis summulis ac collectaneis posuerũt, ijs diuinæ literæ non sapiunt id quod sunt, sed quod illi secũ adferũt. Etenim ut elegãs est fortassis in tractatione diuinarum literarum, nonnihil uelut ab exoticis illis opibus obiter aspergere: ita uehementer absurdũ uidetur, cum rem tractes ab omni sapientia mundana longe diuersissimam, nihil crepare nisi Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Auerroẽ, & his prophaniores autores: ad horũ opiniones, uelut ad oracula obstupescere. Horum placitis & argumentis serio tueri nostræ religionis dogmata, unde summorum uirorum iudicio pleræq; hæreses extiterunt, & quorum armis potissimũ nos oppugnant hæretici? Aufer, inquit Tertullianus, hæreticis quæcũq; ethnici sapiũt, ut de scripturis quæstiones suas sistant, et stare non poterũt. At hodie non alia in re Theologis maius studiũ. An nõ istud est Christi cœlestẽ philosophiã non condire, sed prorsus aliã reddere? Taxatur Chrysippus, quod totas Tragœdias in eius cõmẽtarijs, quos de logicis conscripsit, reperire licuerit. Quo iustius nos taxauerit aliquis, si uideat plusq; totũ Aristotelẽ in Theologorum cõmentarijs inueniri. Quod si quis clamabit, absq; exacta horũ cognitione non esse Theologũ: equidẽ consolabor meipsum tot insignium uirorum exemplis, Chrysostomi, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Clementis, cũ quibus rhetorculus esse malim, q; cum quibusdã, qui sibi plusq; homines uidẽtur, Theologus. Deniq; cõsolabor meipsum exemplo Petri ac Pauli, qui ista non solum non calluerunt, uerumetiã damnant aliquoties, certe constat nusq; usos esse. Quædã didicisse oportet, nõ discere, ut inquit Seneca. At quale spectaculũ est, octogenarium Theologũ nihil aliud, q; in scholis dialecticã ac philosophicã uel docere, uel decertare palæstram: hic sine fine garrire, ad prædicãdum Christi euangelium elinguem: & ad extremũ usq; uitæ nihil aliud, q; disputare, ne dicam argutari. Qui se rei bellicæ parant, ijs potissimum exercentur, quæ ad uictoriã certissime conducunt. Aliptæ futurum athletam, iam tum à puero delectum, fingunt ac formant in futura certamina, & ad scopum suum omnia destinant, At præcipuus Theologorum scopus est, sapienter enarrare diuinas literas: de fide, non de friuolis quæstionibus rationem reddere: de pietate grauiter atq; efficaciter disserere: lachrymas excutere, ad cœlestia inflãmare animos. Ad hæc iam inde à studiorum initio præludat futurus Theologus, potius quàm in alienis literis consenescat. Illud mea sententia magis ad rem pertinuerit, ut tyrunculo nostro dogmata tradantur, in summam ac compẽdium redacta, idq; potissimum ex euangelicis fontibus, mox apostolorum literis, ut ubiq; certos habeat scopos, ad quos ea quæ legit, conferat: uelut illa, ut exempli causa paucula notem: Christum cœlestem doctorem, nouum quendam populum in terris instituisse, qui totus è cœlo penderet, & omnibus huius mundi præsidijs diffisus, alio quodam modo dives esset, alio sapiens, alio nobilis, alio potens, alio felix: quicq; contemptu rerum omnium, quas uulgus admiratur, felicitatem consequeretur: qui nesciret liuorem aut inuidentiam, nimirum oculo simplici, qui nesciret spurcam libidinem, utpote sponte sua castratus, angelorum uitam in carne meditans: qui nesciret diuortium, quippe nihil non malorum uel ferens, uel emendans: qui nesciret iusiurandũ, ut qui nec diffideret cuiquam, nec falleret quenq;: nesciret pecuniæ studium, ut cuius thesaurus in cœlis esset repositus: nõ titillaretur inani gloria, ut qui ad unius Christi gloriã referret omnia: nesciret ambitionẽ, utpote qui quo maior esset, hoc magis sese propter Christũ submitteret omnibus: qui nesciret, ne lacessitus quidẽ, uel irasci, uel maledicere, nedũ ulcisci, quippe qui & de male merentibus benemereri studeret: qui eamorum esset innocentia, ut uel ab ethnicis comprobarentur: qui ad infantulorum puri

Chrysippus notatus

Sũma doctrinæ Christiãæ

tatem

tatem ac ſimplicitatem, ueluti renatus eſſet: qui uolucrum ac liliorum ritu in diem uiueret: apud quem ſumma eſſet cõcordia, nec alia prorſus quàm membrorũ corporis inter ipſa: in quo mutua charitas omnia faceret cõmunia, ut ſiue quid eſſet boni, ſuccurreretur cui deeſſet ſiue mali quippiam, aut tolleretur, aut certe leniretur officio: qui doctore ſpiritu cœleſti ſic ſaperet, qui ad exemplum Chriſti ſic uiueret, ut ſal, ut lux eſſet orbis, ut ciui- *Exemplum uitæ*
tas eſſet in ædito ſita, omnibusq; undique conſpicua: qui quicquid poſſet, id omnibus iuuandis poſſet: cui uita hæc uilis eſſet, mors optanda immortalitatis deſiderio: qui nec tyrannidem timeret, nec mortem, nec ipſum denique ſatanam, unius Chriſti præſidio *Mortis contemptus*
fretus: qui modis omnibus ſic ageret, ut ad extremum illum diem ſemper eſſet uelut accinctus ac paratus: Hunc eſſe ſcopum à Chriſto propoſitum, quò omnia Chriſtianorum ſint referenda, licet interim tolerandi fouendiq; ſint imbecilles, donec proficiant, ac ſecretis auctibus grandeſcant in menſuram plenitudinis Chriſti. Hæc ſunt autoris noſtri dogmata noua, quę nulla philoſophorum familia tradidit. Hoc erat uinum nouum nõ *Infirmi fouendi, non alicommittendum niſi nouis utribus. Hæc ſunt per quæ renaſcimur è ſupernis. Vnde & nandi*
Paulus nouam creaturam appellat, quiſquis in Chriſto eſt. Peripatetici tenent Ariſtotelis placita: Platonici, Platonis decreta: Epicurei tenent Epicuri ſcita: multo magis conuenit nos tanti autoris tenere dogmata. Sed in his pro rerum & hominum uarietate nonnulla differentia eſt.

Quædam planè uetat: quod genus ſunt illa, ne ſint inter nos diuortia, ne ſit liuor, ne ſit *Aperte uetita à Chriſto*
ambitio, ne ſtudium pecuniæ, ne uindicta, ne ſuſpicio, ne obtrectatio: quos omneis affectus, quanto ſtudio, quantoq; conſilio eximendos curarit ex animis ſuorum diſcipulorum, mox aliquanto copioſius indicabimus.

Quædam planè præcipit omnibus: quod genus eſt, de mutua charitate: de condonandis fratrum erratis: de tollenda ſua cuiq; cruce: quod ſi recuſes, non agnoſcit Chriſtus diſcipulum: de manſuetudine, cum ait Matthæi capite undecimo: Diſcite à me, quod mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris: de fide, quam ubiq; requirit: de beneficentia in omnes, aliiſq; his conſimilibus. *Præcepta*

Quædam ita commendat, ut tamen non exigat, præmio ſollicitans, qui poſſint aſſequi: non pœnam comminans, ſi nequeant. Siquidem Matthæi capite decimo nono, beatos pronunciat eunuchos, qui ſeipſos execuerunt, & euirarunt propter regnum dei. Non dicit infelices, qui legitimum matrimoniũ caſte, pureq; colunt. Fortaſſis huc pertinet, quod iuueni dicit: Si uis perfectus eſſe, uade uende omnia quæ poſſides, & ueni ſequere me. Nam mihi potius uidetur ad uniuerſos Chriſtianos pertinere, quorũ nemo non debet eſſe hoc animo, ut ſi quid eiuſmodi poſtularet Chriſti gloria, cuncta libenter ſit pro derelictis habiturus: ſiquidem perfecti nomine Chriſtianũ deſignat. Erat ille probus Iudæus: ſu pererat, ut Chriſti diſcipulus factus, perfecta iam lequeretur. Nihil in rebus humanis uere perfectum: uerum in ſuo cuiq; ſtatu perfectionis ſtudium adeſſe debet. *Non exacta*

Quædam contemnit Chriſtus, ac uelut indigna ſe reiicit, ueluti cum Lucæ capite duodecimo, inuitatus ad diuidendam hæreditatem: Homo, inquit, quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſuper uos? *Contempta*

Quædam ueluti diſſimulat, tanquam ad ſe non pertineant, aut tanquam ad ea ſit indifferẽs, quod genus cum apud Matthæum capite decimoſeptimo, Petrum interrogat, utri debeant tributũ regibus, filij, an alienigenæ, uelut earum rerum imperitus ac rudis, ut quę ad huius mundi ſordes pertinerent. Ac perinde locutus, quaſi non debeatur: tamen dari iubet didrachmum, haud pro omnibus tamen, ſed pro ſe duntaxat, ac Petro. Huius generis eſt & illud, quod apud Matthæum capite uigeſimo ſecundo, inſidioſe rogatus, num oporteret tributum pendere Cæſari: iubet exhiberi nomiſma uelut ignotum: eo uiſo, rogat, cuius eſſet imago, & cuius inſcriptio, tanquam id quoq; neſciret. Ac de tributo Cæſari reddendo, reſpondet non ſine ambiguitate: Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, quaſi dicat, ſi quid illi debetur, ſoluite. Sed illud ad me magis pertinet admonere, ut detis deo, quæ dei ſunt. *Diſſimulata* *De tributis* *De cenſu*

Ad conſimilem modum adulteram in adulterio deprehenſam, apud Ioannem euangeliſtam, nec damnat, nec tamen palàm abſoluit, ſed admonet, ne iteret commiſſum, nolens hominũ neceſſarijs legibus ſuum ius adimere, & tamen damnationis autor eſſe nolebat, qui uenerat ſeruandis omnibus: quod quidẽ in ipſo fuit. Simulq; exẽplum ædidit, in *Supplicia*

Chriſti

Christi uicem successuris, ut magis studeant mansuetudine seruare peccantes, quàm sæui tia tollere. Rursus apud Lucam, renunciantibus quibusdam de Galilæis horrēdo nouoq; affectis supplicio, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificijs: nec probat, nec improbat legum seueritatem, sed exemplo ad occasionē admonitionis abutitur: Putatis, inquit, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccauerint, quia talia passi sunt? non, dico uobis: sed nisi resipueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo, in quos incidit turris in Siloe, & occidit eos.

Accedet hinc quoq; lucis nonnihil ad intelligendū scripturæ sensum, si perpendamus non modo quid dicatur, uerum etiā à quo dicatur, cui dicatur, quibus uerbis dicatur, quo tempore, qua occasione, quid præcedat, quid consequatur. Siquidē alius sermo decet Ioannem Baptistam, alius Christū. Aliud præcipitur rudi populo, aliud apostolis. Rursus aliud præcipitur apostolis adhuc rudibus, aliud formatis iam & institutis. Aliter respondetur insidiose interrogantibus, aliter simplici animo scisscitantibus. Deniq; series ipsa narrationis altius repetita, sententiam aperit alias obscuram: Sępenumero locorū collatio nodum explicat difficultatis, dum quod alibi dictum est tectius, alibi dilucidius refertur. Et quoniam totus fermè Christi sermo figuris ac tropis obliquus est, diligenter odorabitur Theologiæ candidatus, quam sustineat personam is qui loquitur, capitis an membrorū, pastoris an gregis. Siquidem Christus cum in cruce patrem inclamans, ait: Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me? Longe à salute mea uerba delictorum meorum, nō capitis, sed membrorum suorum uoce loquitur, autore diuo Augustino. Item dum mœret, dum angitur, dum poculum deprecatur: dum rursus quasi corrigens quod dixerat, suæ uoluntati renunciat, patris uoluntati sese submittit, uidetur membrorum affectum in se transtulisse. Rursus dum imminētibus satellitibus ait: Si me quæritis, sinite hos abire, pastoris & episcopi personam agit, apostoli gregis. Nam pastoris officium est, si quando ingruat persecutionis procella, pro gregis incolumitate suum caput obijcere periculis. Porrò discipuli, dum metu territi diffugiunt, Petrus dum abiurat dominum, dum percutit gladio, gregis adhuc infirmi, & in spem meliorum confouendi personam sustinet. At rursum Christus, dum flagellis cōcinnatis negociatorum turbam profligat è templo, summi pastoris agit partes. Nonnunquam ex alieno loquitur affectu, ueluti cū Cananææ improbius interpellanti, respondet: Non est bonum sumere panem filiorum, & obijcere canibus, Iudæorum uoce loquitur, qui se solos hominum sanctos esse ducebant, Cananæos, Samaritanos, ac reliquas prophanas nationes pro impuris et canibus habebant, cum apud Christum non fuerit ullum gentis discrimen, nisi pro temporis dispēsatione. Nouerat eius mulieris animum Iudæorum fidei præferendum esse, uerum id uoluit infigere suæ gentis animis, regni cœlorum fore participes, qui quacunq; origine per fidem in hoc irrupissent. Rursum cum suos interrogat: Vos quem me esse dicitis? capitis personā agit. Petrus totius populi Christiani uoce et uice respondet: Tu es Christus filius dei uiui. Nullus enim est in corpore Christi, à quo non exigatur ista cōfessio: Tu es Christus filius dei uiui. Consimiliter quod Petro dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, iuxta quorundam interpretationē ad uniuersum populi Christiani corpus pertinet. E diuerso cum Petro ter amorem professo, dicit: Pasce agnos meos: Christus summi pastoris, hoc est capitis, uices sustinet, Petrus cuiusuis episcopi typum gerit, cui nō cōmittitur grex, pro quo mortuus est Christus, nisi uehemēter amanti Christum, nec usquam spectanti, nisi ad huius gloriam. Neq; uero dictum est, rege, aut subige oues, sed pasce: neq; dictum est, oues tuas, sed meas. Alieni gregis pastor es, nō dominus, uide ut oues summo pastori bona fide annumeres tibi creditas. Itidem Paulus in epistola ad Romanos capite septimo, cū multa questus de carne sua spiritui rebellante, tādem exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? non sua uoce loquitur, ut opinor, sed alterius cuiuspiā adhuc imbecillis, & qui cupiditatibus suis etiamnum impar esset. Quanquā autem personarum obseruata ratio plurimum habet momenti in ueteris instrumenti literis, uelut in prophetis, in psalmis, in Cantico canticorum, tamen frequenter & in nouo testamento locum habet, præsertim in Paulinis epi-
Gradus stolis. Quædam autem ita proponuntur, ut ad omneis quidem pertineant, at non citra discrimen: quod genus est, quod cum apostolis loquens, dicit: Vos estis sal terræ, uos estis

lux

lux mundi: sic ad omnes Christi religionem profitentes pertinet, ut præcipue tamen ad episcopos ac magistratus. Item cum ait: Estote perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est: omnibus suis ostendit, quò sit enitendum: quanquam id maxime præstandum ijs, qui præsunt ecclesiæ Christi. Vt personarum igitur, sic & temporũ obseruata uarietas obscuritatem discutit in arcanis literis. Neque enim quicquid Iudæis uel imperatum est, uel interdictum, uel permissum, ad Christianorum uitam est accommodandum: non quod in ueteris instrumenti libris quicquam sit, quod ad nos non pertineat, sed quod pleraque pro tempore tradita ad typum & adumbrationem futurorum, pernicioſa sint, nisi trahantur ad allegoriam, ueluti circuncisio, sabbata, delectus ciborum, uictimæ, odium inimici, bella hoc animo suscepta gestaq; , turba uxorum, aliaq; his consimilia, quæ partim desierunt esse licita, partim tanquam umbræ, ad coruscantem Euangelij lucem prorsus euanuerunt. Verum quis in hisce uel simpliciter ad nostros mores accommodandis, uel per allegoriam explicandis, habendus sit delectus: quoniam Augustinus satis copiose differit in libris de doctrina Christiana: non est consilium hic persequi. Primum igitur tempus esto, si uidetur, quod Christi præcessit ætatem: proximum, cum nõdum quidem exorta, sed tamen aduentante iam & imminente euangelij luce, superioris legis tenebræ rarescerent: ueluti cum nondum exorto sole, sed ad exortum properante, cœlum sensim albescit. Tum satis adhuc erat Ioannis baptismo tingi, ad superioris uitæ pœnitentiam inuitari: satis erat admonitos esse publicanos, ne quid exigerent præter id quod illis constitutum esset: satis erat admonitos esse milites, ne cui uim facerent, ne quem deprædarẽtur, sed contenti essent suis stipendijs: non quod ista bonos facerent, aut uere Christianos, sed quod minus malos redderẽt, ac mox successuræ Christi prædicationi prępararent. Neq; enim usq; Ioannes docuit nõ esse iurandũ, nõ esse repudiandã uxorem, tollendã crucem, benemerendum de inimico: Ista quæ proprie Christianos facerent, Christo seruabantur. Fortassis ad hoc tempus pertinet prima discipulorũ prædicatio, cum iubẽtur exemplo Ioannis ad pœnitẽtiam prouocare, regni cœlorum uiciniam denunciare, de Christo silere: & haud scio an baptismus quo tum baptizabãt, huiusmodi fuerit: nam tum quoq; baptizabant apostoli, cum Christus ipse, teste Ioãne, neminẽ baptizaret: nec omnino proditũ est canonicis literis, quemq; à Christo baptizatum fuisse. Tertium esto, si libet, Christo iã late miraculis ac doctrina clarescente terrarum orbi, cum sic euangelica doctrina proferretur, ut tamen legis obseruatio nõ interdiceretur, quod tempus complectitur, & post datum spiritum sanctum, rudis adhuc & nascentis ecclesiæ primordia. Videntur autem ad hoc quædam peculiariter attinere, uelut omnes illæ parabolæ: de colonis uineæ, qui dominj filium occiderant: de nuptijs, & excusantibus inuitatis: item quæ de supplicijs & afflictionibus prædicatorum Christus prædicit: ac fortassis quæ præcipit de tollẽda cruce, de excutiendo pedum puluere, de nemine salutando in uia, de fugiendo à ciuitate in ciuitatem, de relinquendo patre ac matre & uxore, de beatitudine castrantium se propter regnum dei, de uendendis possessionibus, ac renunciando omnibus affectibus, de subinde mutando loco: postremo quæ de signis dicta sunt, eos qui crederent secuturis: alioqui Christiani non essemus hodie, quos hæc signa constat non esse secuta. Quanquam ex superioribus illud ad nos pertinet, quod ubicunq; inciderit necessitas, hoc animo iubeamur habere, quicquid habemus charum, ut parati simus ob Christi gloriam relinquere. Ad idem tempus pertinet & illud, quod in Actis Apostolorum per Iacobum ac Petrũ decernitur, ut qui ex gentibus ad Christum sese contulissent, abstinerent à suffocato & à sanguine, quorum neutrum apud nos habetur nepharium. Siquidem datum est hoc inuincibili Iudæorum pertinaciæ, quibus conuenire non poterat cum incircuncisis, si nihil habuissent omnino Iudaismi: Fortassis idem sentiendum de scãdalo, cui tum religiose cesserunt apostoli, quum adhuc tenerum esset euangelium regnaret Iudaismus et Paganismus. An non ridiculus esset hodie, qui coram Iudæis abstineret à carnibus suillis, ne quid illos offenderet? Atqui hoc aliquãdiu factitatum est ab apostolis. Proinde mihi quidem frigidę uidentur illæ quæstiones, quas diuus Augustinus mouet in quadam epistola, quarum hæc una est. An fas sit Christiano haurire aquam è fonte, siue è puteo, in quem delapsæ sint carnes idolis immolatæ. Paulus præcipit, ut Episcopi suas uxores ac liberos bene gubernent: nunc & hypodiaconis ius habendi uxores interdicitur. Paulus uult uxorem

Temporum ratio

Tẽpus primũ

Secundum

Tẽpus tertiũ

fidelem manere cum infideli marito. Augustinus & Ambrosius diuersum sentit, & hodie secus iudicat ecclesia. Paulus non uult seruum Christianum ab hero Ethnico discedere, nisi manumissum, secus hodie decretum est. Sunt id genus alia permulta, quæ pro temporum illorum usu instituta, post obliterata sunt, aut mutata, uelut i de ceremonijs sacramentorum pleraque. Complura tum nõ obseruata, quæ nunc iubemur obseruare, quod genus sunt dies festi, & fortassis hæc qua nunc utinam tam salubriter uteremur, quàm utimur passim, secreta admissorum confessio. Nam per uniuersum terrarum orbem propagata iam & constabilita Christi religione, quam imperatores armis suis non persequebantur, ut solebant, sed tuebantur: nec deprædabantur opes ecclesiæ, sed accumulabant

Tẽpus quartũ (sit enim hoc, si uidetur, quartum tempus) pro mutato rerum statu, nouæ leges sunt inductæ, quarum aliquot uiderentur cum Christi decretis pugnare, nisi distinctione tẽporum

Quintum scripturas in concordiam redigamus. Iam quintum tempus facere licebit ecclesiæ prolabentis ac degenerantis à pristino uigore Christiani spiritus: ad quod opinor pertinere, quæ dicit dominus in Euangelio, quod abundante iniquitate, refrigescet charitas multorum: ad hæc futuros qui dicerent, ecce hic est Christus, ecce illic. Hoc tempus designasse uidetur Paulus scribens Timotheo: Nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, uoluptatum amatores magis quàm dei, habentes speciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes.

Sed ne tanta temporum, personarum, ac rerum uarietas inuoluat lectorem, nõ abs re

Circuli tres fuerit, uniuersum Christi populum in tres circulos diuidere, quorum omnium tamen unicum sit centrum, Christus Iesus, ad cuius simplicissimam puritatem pro sua cuiq; uiri enitẽdum est omnibus. Neq; enim oportet scopum suo mouere loco, quin potius omnes mortalium actiones ad scopum dirigendæ. Primum autem circulum teneant, qui, quoniam uelut in uices Christi successerunt, Christo proximi sunt, illi semper adhærentes, ac sequentes agnum quocunq; ierit, quales sunt, sacerdotes, abbates, episcopi, cardinales, ac summi pontifices: hos oportet quàm maxime puros esse à rerum mundanarum contagio: cuiusmodi sunt, uoluptatum amor, pecuniæ studium, ambitio, uitæ auiditas: Horum est Christi puritatem ac lucem è proximo haustam, in secundum circulum transfundere, qui principes habet prophanos, quorum tamen arma legesq; suo quodam modo Christo seruiunt, siue dum necessarijs ac iustis bellis profligant hostem, publicamq; tuentur tranquillitatem, siue dum legitimis supplicijs coercent facinorosos. Tertium circulum promiscuo uulgo dare licebit, ceu crassissimæ huius orbis, quem fingimus, parti, sed ita

Gradus in singulis circulis crassissimæ, ut nihilo secius ad Christi corpus pertineat quanquam in singulis circulis ordinem aliquem imaginari licet. Etenim cum sacerdotes sacrificijs litãt deo, cũ pabulo sermonis euangelici pascunt populum, cum puris precibus cum deo colloquuntur, cumq; pro salute gregis interpellant, aut cum domi secretis studijs meditantur, quo populũ reddant meliorem, nimirum in purissima circuli sui parte uersantur. Cęterum dum principũ affectibus obsecundãt, ne prouocati grauiores excitent tragœdias: dum infirmorum imbecillitati multa concedunt inuiti, ne ad deteriora prolabantur, in extrema circuli sui uersantur ora, ad quam tamen non aliter sese demittunt, nisi ut alios ad se rapiant, non ut ipsi fiant deteriores. Inter elementa, quibus infimus hic mundus constat, suus cuiq; locus est, sed ignis qui proximum orbi lunari locum obtinet, cum in summa sui parte purissimus sit, ac liquidissimus, cœliq; naturæ simillimus, tamen in aeris confinio seipso crassior est. Aer item in summa sui circuli margine simillimus igni, in infima parte, qua confinis est aquæ, crassescit. Fortassis idem de aqua terraq; dici potest. Atque interim ignis, cui præcipua uis ad agendum, paulatim omnia rapit ad se, & quoad licet, in suam transformat naturam: terram spiritibus attenuatam, uertit in aquam: aquam eliquatam, uertit in aerem: aerem extenuatum in se transformat. Confinia seruiunt transformationi, non in deterius, sed in melius. Sic & Christus ad discipulorum imbecillitatem sese frequenter accommodabat. Sic Paulus multa indulgebat Corinthijs, distinguens interim quæ domini nomine proponeret perfectis, & quæ suo nomine condonaret infirmis, hac spe tamẽ, ut proficerent. Proinde cũ summi pontifices condonationibus & indulgentijs, ut uocãt,

segnes

segnes, aut fortasse desperationi proximos erigunt ac fouent, donec ad meliora proficiant, non uersantur in summa circuli sui parte. Idem dum legibus cauent, de decimis prædialibus ac personalibus extorquendis, de usu pallij redimẽdo, de annatis, ut appellant, exigendis, de patrimonio Petri, ut uocant, armis uindicãdo, de subigendis bello Turcis, deq; alijs innumeris, ut donemus eos tractare rem ad communem uitam necessariam, aut certe utilem, nemo tamen dixerit eos uersari in eo quod proprium est philosophiæ cœlestis. Atq; haud scio, an pontifices, etiam si maxime uelint, possint ita moderari leges suas, quas ad communem hominum uitam edunt, ut per omnia Christi decretis respondeant. Christus, ut purissimus ille fons omnis lucis & innocentiæ, præcepit ea quæ cœlum sapiant. Pontifices homines, & hominibus infirmis, atque adeo uarie infirmis, pro tempore præscribunt, quod uidetur expedire. Proinde fieri non potest, quin in horum quoque placitis interdum insint quædam, quæ sapiant humanos affectus, & in quibus innocentiam Christi desideres, Porrò quemadmodum ignis infimi pars liquidior est aeris summa parte: ita par est, ut quod in pontificum constitutionibus crassissimum est, propius tamen accedat ad Christi simplicitatem, quàm quod in Cæsarum aut magistratuum legibus est maxime diuinum. Nam hi, quoniam in hisce rebus uersantur, quæ cum infima fece, quæq; cum sordidis mundi negocijs coniunctæ sunt, argumẽto suo respondeant oportet. Neq; enim horum legibus fit statim, ut boni simus, sed ut interim minus mali. Proinde si quid geritur aut constituitur ab his, quod nõnihil degeneret à Christi decretis, etiam atq; etiam caue, ne Christianæ philosophiæ purissimum fontem cum horũ qualibuscunque lacunis commisceas. Debent humanæ leges ab hoc archetypo peti. Ab eodem lumine legum humanarum scintillæ sumuntur, sed aliter relucet æternæ ueritatis fulgor in leui terso q; speculo, aliter in ferro, aliter in lympidissimo fonte, aliter in lacuna turbida. Hęc ideo dicta sunt, ne cœlestem Christi philosophiam, hominum uel legibus, uel disciplinis uitiemus. Maneat intactus ille scopus, sit illibatus unicus ille fons, seruetur illa uere sacra ancora doctrinæ euangelicæ, ad quàm in tanta rerum humanarum caligine confugere liceat. Absit ut nobis obscuretur illa Cynosura, ne non sit certum aliquod signum, ad quod in tantis errorum undis inuoluti, recto cursui restituamur. Ne moueatur hęc columna, ut sit cui innixi, aduersus huius mundi uim, semper in deterius & prolabentis & rapientis, obsistamus. Maneat solidum illud, & nullis opinionum flatibus, aut persecutionum procellis cessurum fundamentum, cui tuto bonus architectus superstruat aurũ, argentum & lapides pretiosos: quod exustis humanarũ commẽtationũ stipulis fœnoq;, nihilo secius perduret structuræ meliori. Homines labi possunt, Christus errare nescit. Neq; protinus reijce, quod ab istis præscribitur, sed circunspice, quis præcipiat, quibus præcipiat quo tempore, qua occasione, deniq; quo animo præcipiatur. Sed in primis, an quod præscribitur, congruat cum Euangelica doctrina, an sapiat referatque uitam Christi: Spiritualis omnia dijudicat, inquit Paulus, ipse à nemine dijudicandus. Quod si ad leges humanas Christi dogmata detorqueantur, quæso te, quæ spes iam reliqua est? multo minus etiam, si ad cupiditates hominum deflectatur diuina philosophia, & iuxta Græcorum prouerbium, Lesbia nobis fiat regula? Quod dictum est de legibus ab hominibus institutis, idem arbitror esse sentiendum de scriptis ueterum ac recentium doctorum, quorum nulli sic addictos esse oportet, ut nefas esse ducamus, alicubi dissentire: quod hodie faciunt complures, quorum hic adeo se addixit Thomæ placitis, aut Scoti decretis, ut malit & falsa tueri, quàm ab horum dogmatis latum, ut aiunt, digitum discedere, cum autores ipsi nolint sibi tantum tribui: immo cum Augustinus uir tam insignis, non aliter legi uelit suos libros, quàm ipse legere solitus est aliorum, quamlibet celebrium, nimirum non cum necessitate credendi, sed cum libertate iudicandi, ut ipsius utar uerbis: & tamẽ hoc par est illis tribuere, præsertim quos præter egregiam eruditionem, & uitæ sanctimonia, & antiquitas ipsa cõmendat, ut benigne interpretemur, quod scripserunt, & sicubi manifestius lapsi sunt q; ut dissimulari possit, reuerenter ab illis dissentiamus, non insectantes conuicijs humanos lapsus, sed quoad licet attenuãtes atq; purgantes. Neq; secus sentiẽdum de dogmatis scholasticis, habeant illa sanè pondus suum in palestris disputationum, adhibeantur, ut humana placita, ut themata argumentaq; conflictationum, non ut articuli fidei, præsertim cũ in his nec ipsæ inter se scholæ consentiant, nec ijsdẽ interim eadẽ perpetuo

Leges Pontificiæ

Leges Cæsareæ

placeant. Intolerabilius autem fit, quod cotidie noua conduntur, atq; his ceu sacris & ἀκι νήτοις Babylonicas turres in cœlum usq; surgẽtes substruimus. Pro his tuendis acrius de pugnamus, quàm pro Christi dogmatibus. At quædam uideri possint eiusmodi, ut citra hæc pulchre constatura sit integritas Christianæ religionis: quædam rursus eius generis, ut fenestrã aperiant ad perniciem ueræ pietatis. Atq; ut liquidius quid uelim intelligatur, primi generis exemplũ esto. Vir pius admissorum confessionẽ, ut à maioribus ortam, & paulatim ad hanc formam redactã obseruet reuerenter, iudicans non esse dissentiendum priuata autoritate ab eo, quod publicus Christianorum usus & procerum autoritas com probauit. Hac obedientia non contenti quidam suum adiungunt dogma, hanc confessio nem, quoniã pars est sacramenti, nõ ab apostolis, sed ab ipso Christo fuisse institutã, neq; enim ius esse ecclesiæ, ut ullum sacramentũ uel addat septem illis, uel adimat, cum tamen uni homini ius tribuant, uel totam ditionẽ purgatorij demoliendi si libeat. Mihi sanè do gma hoc non admodũ uidetur necessarium ad pietatem. Quid enim ad hãc refert, utrum ipse Christus instituerit aliquid, an ecclesia Christi spiritu afflata, nisi forte timemus ne nobis quæstus pereat, quem ex huiusmodi facimus, rebus sanctissimis ad rẽ non sanctam abutentes: quanquam hoc ipsum quod dico, non aliter accipi uelim, quàm exemplũ ad ductum docendi gratia. Eiusdem generis uidentur & illa: Vir bonus credit Christũ è spi ritu sancto conceptum, natum ex uirgine. Quid hic opus erat tot placitis? mox uiuum ho minis corpus, omnibus membris absolutum, ex purissima uirginei sanguinis guttula de formatum, minutissimi araneoli modulo, huic simul animam inditam, omnibus dotibus absolutam, quibus nunc fruitur in cœlis? Mihi sanè magis ad pietatem facturum uideba tur, si hæc aut non scrutaremur, aut certe reuerentius scrutaremur, quæ nunc & apud in doctam plebẽ, ceu compertissima asseueramus. Et hoc interim exempli gratia duntaxat proposuerim: nam prudens & à plurimis & à serijs exemplis abstineo. Secundi generis exemplum hoc est, quod alicubi plus satis tribuimus principibus, siue uenãtes aliquid ab illis, siue sequentes, quod uulgo receptum uidemus. Sunt enim qui corpus uniuersum ec clesiæ, in unum contrahunt Romanum pontificem, quẽ unum negant errare posse, quo ties de moribus aut fide pronunciat, & huius unius sententiæ mundum uniuersum in di uersa opinione consentientem debere credere, ni faciat, scismaticum esse censendũ: & ta men qui tantum potestatis tribuunt Romano pontifici, quãtum nec ipse agnoscit, ijdem minimum illi tribuant, si quid illorum, uel quæstui, uel ambitioni conetur obsistere: tunc exempta est sacrosancta religio, tunc illuminatus theologus præponderat uniuersali con cilio: tunc profertur ad synodum prouocatio. Nónne huiusmodi dogmatis ingens aperi tur fenestra tyrãnidi, si tanta potestas incidat in impium ac pestilẽtem hominem? Ad hæc sunt quædam de uotis, de decimis, de restitutionibus, de remissionibus & cõfessionibus, scholasticorum imò monachorum placita, quibus grauiter illaqueantur animi simplicium, aut certe superstitiosorum, ingenti malo populi, sed luculento commodo quorundã, qui bus ut malis medicis, tum optime est, cũ populo est pessime. Nõ inuidemus maiestati Põ tificis Romani. Vtinam habeat uere quod illi tribuunt, nec labi possit in his quæ sunt pie tatis. Vtinam uere possit animas eximere è purgatorij supplicijs. Nec inficias imus popu lares mores ad omnem licentiam procliues, aliquando cancellis huiusmodi coercendos esse, si modo patitur hoc euangelica syncerítas, ut alios coerceas, aliorum conscientias illa queare, & admittimus Platonicum illud mendacium, quo sapiens plebem fallit ipsius bo no qui fallitur. Hisce de rebus audimus quotidie querimonias piorum hominum, ex ani mo bene cupientium gregi Christiano Non est meum, aut mei similium, cõuellere quod usu publico receptũ est: optare tamẽ fas est, ut diuinus ille spiritus afflet mẽtes pontificũ ac principũ, ut sic ista uelint perpendere, ut plus ueræ pietatis adiungatur populo, minus que sit superstitionis, ac minus etiam tyrãnidis permittatur ijs, quorum felicitas publicis malis alitur. Quanquam hæc quoq; duntaxat exempli uice producta uelim: siquidem in præsentia docere est animus, non irritare.

Christus è spiritu sancto cõceptus

Concentus doctrinæ & uitæ Christi

Super hæc non mediocrem adferet utilitatem, si diligenter euoluentes libros utriusq; testamenti, attente consideremus mirabilem illum orbẽ & cõsensum totius Christi fabu læ, ut ita loquar, quam nostra causa peregit, factus homo. Sic enim futurum est, ut non solum rectius intelligamus quod legimus, uerumetiam, ut certiore cum fide legamus.

Nullum

Nullum est enim sic arte compositum mendacium, ut undiq; sibi constet. Ex ueteris instrumenti uoluminibus confer typos & prophetarum oracula: quorum illi Christum delineant atq; adumbrant: hæc eundem aduentantem, uelut oculis fidei demonstrant. Nihil ferè gestum est à Christo, quod non depinxerint uates illi diuini. Nihil est in illius doctrina, cui non respondeat aliquis ueteris testamenti locus. Quemadmodum eleganter docet Tertullianus in libro aduersus Marcionem quarto. Succedit his angelorum testimonium, Gabrielis uirgini cœlestes nuptias annunciantis: Rursus in natiuitate chori angelici concinentis, Gloria in excelsis deo: Mox accedit pastorum, deinde Magorum testimonium, præterea Simeonis & Annæ: deinde præludit Ioannis Baptistæ prædicatio, digito iam indicantis præsentem, quem prophetæ uenturum prædixerant. Ac ne nesciremus quid nobis esset ab eo sperãdum, addit: Ecce qui tollit peccatum mundi. Hic unus est agnus omnis maculæ nescius: nec agnus est solum, uerum etiam agnos facit. Non promittit suis regnum, non uoluptates, non honores, aut opulentiam: at innocentiã promittit, si modo resipiscant. Nihil autem uerorum bonorum abfuturum est, si adsit innocentia. Post hæc omnem uitæ seriem obserua, quomodo adoleuerit, usq; proficiens in melius, & apud deum, & apud homines. Apud deum laus est bonæ conscientiæ: apud homines decus est honestæ famæ: quæ non affectata, felicius cõsequitur ueram uirtutem. Duodecim natus annos, in templo docens uicissim & audiens, primum sui specimen dedit. Rursum in nuptijs primo miraculo, priuatim ædito, paucis innotuit. Nam prædicãdi munus non nisi baptizatus, & columbæ signo, patrisq; uoce commendatus, postremo non nisi quadragenario ieiunio, & satanę tentatione spectatus & exploratus, aggressus est. Excute natiuitatem, educationem, prædicationem, mortem, nihil aliud reperies, quàm paupertatis & humilitatis, imò innocentiæ totius exemplar. Totus doctrinæ circulus, ut secum consentit, ita cum ipsius uita consentit, etiam ipsius naturæ iudicio consentanea. Præcepit innocẽtiam: ipse sic uixit, ut nec subornati testes, cum id uarijs modis conarẽtur, reperirent quod probabiliter calũniarentur. Docuit mansuetudinem, ipse tanq; ouis ad mactationẽ ductus est. Docuit paupertatẽ, ipse nihil unq; nec possedisse legitur, nec affectasse. Deterruit ab ambitione & fastu, ipse discipulis suis lauit pedes: docuit hanc esse uiam ad ueram gloriam & immortalitatem: ipse per crucis ignominiam assecutus est nomẽ, quod excellit omne nomen: & dum nullum regnum ambit in terris, meruit cœli pariter ac terrę principatum. Vbi resurrexit, non alia docuit quàm ante docuerat. Docuerat pijs non esse metuendam mortem, quæ nos nõ extingueret, sed immortalitati redderet, & ob id exhibuit sese rediuiuum suis. Iisdem uidentibus, ascẽdit in cœlum, ut sciremus, quo nobis esset enitendum, quoq; referẽda omnia. Postremo loco delapsus est spiritus ille cœlestis, qui tales afflatu suo reddidit apostolos, quales Christus esse uoluit. Reperies fortassis in Platonis aut Senecæ libris, quæ non abhorreant à decretis Christi: reperies in uita Socratis, quæ ut cunq; cum Christi uita consentiant: at circulum hunc, & omnium rerum inter se congruentium harmoniam in solo Christo reperies. Multa sunt in prophetis & dicta diuinitus, & gesta pie: multa in Mose, cæterisq; uiris uitæ sanctimonia claris: orbem hũc in nullo reperies homine, qui quidem orbis à prophetis exorsus, per apostolorum martyrumq; uitam ac doctrinã in sese coit: hi, quicquid Christus docuit, expresserunt: quicquid promisit, præstiterunt: eundem hauserant spiritum: eadem sonant ac docent, quæ Christus. Hactenus adoranda sunt omnia: cætera cum delectu iudicioq; legenda, aut etiam imitanda. Nec fortassis absurdum fuerit, in sacris quoq; uoluminibus ordinem autoritatis aliquem constituere: id quod facere non est ueritus Augustinus. Nam primæ debẽtur ijs libris, de quibus nunquam fuit addubitatum à ueteribus Apud me certe plus habet ponderis Esaias, quàm Iudith aut Hester: plus euangelium Matthæi, quàm Apocalypsis inscripta Ioanni: plus epistolæ Pauli ad Rhomanos & Corinthios, quàm epistola scripta ad Hebræos. Proximum his locum tenent quædam nobis ceu per manus tradita, uel ab ipsis apostolis ad nos usque profecta, uel ab ijs certe, qui uicini fuerunt temporibus apostolorum: quo in numero cum primis pono symbolum in concilio Niceno, ni fallor, æditum, quod uulgo dicitur apostolorum, opinor ob id, quod præ se ferat sermonis apostolici tum grauitatem, tum sobrietatem, tum etiam breuitatem: atq; utinam nostra credulitas eo fuisset contẽta. Vbi cœpit esse minus fidei inter Christianos, mox increuit symbolorum & modus &

Prophetiæ & typi

Angeli
Pastores
Magi
Baptista

Christi uita & gesta

BIBLIOT. UNIWERSYT. JAGELLONSKIEJ

dus & numerus. Quanquàm & apostoli sic Christum referunt, ut tamen ad illius maiestatem non assurgant. Neq; uero confundit hanc harmoniam Christi uarietas: imò sicut è diuersis uocibus apte compositis, concentus suauissimus redditur, ita Christi uarietas pleniorem efficit concentum. Sic omnia factus est omnibus, ut nusquam tamen sui dissimilis esset. Nunc diuinæ naturæ profert indicia, cum uentis imperat ac mari, cũ peccata remittit, cum in monte nouam speciem, & humana præstantiorem exhibet suis. Nunc diuinitatem dissimulans, hominem agit, cum esurit, cum sitit, cum fatigatur labore, cũ esuriens ad ficum accurrit, cum mœret, cum afflígitur, cum occiditur. Quosdam ultro ad se uocat, alios à retibus, Matthæum è telonio. Quosdam sequi uolentes, reiicit: cuius exemplum habes apud Matthæum capite octauo, de scriba dicẽte: Magister, sequar te, quocunq; ieris. cui respondet Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Rursus ibidem, alteri poscenti ueniam abeundi: Sequere, inquit, me: & sine mortui sepeliant mortuos suos. huic timuit, ne relaberetur: illum sciebat inutilem, negocio minime delicato. Zachæi delectatus ardore, ultro sese ad illius ędes inuitat: quemadmodum legis Lucæ capite decimonono. Herodem ubiq; contemnit, ut impium Iudæum, & ob id ethnicis deteriorem: eum uulpẽ uocat, Lucæ decimotertio: Ite & dicite uulpi illi: ad quem adductus, nec alloquio dignatur. Nonnunquam ultro ueluti captata occasione, miraculum ædit, sicuti de ficu, quæ ad execrationem illius exaruit: de turba satiata paucis panibus: de Lazaro. aliàs ceu grauatim & coactus facit: quod genus est, cũ apud Ioannem euangelistam, in nuptijs matri de uini defectu submonẽti, respondet: Quid mihi tecum est mulier? nondum uenit hora mea. rursus cum apud Matth. cap. decimoseptimo, rogatus sanare lunaticum, cui discipuli nõ potuerunt opitulari, commotus exclamat: O generatio incredula & peruersa, quousq; ero uobiscum? quousq; patiar uos? afferte huc illum ad me. Cananęam grauatim, nec nisi interpellatus, audit, nec statim obsequitur. Ex aduerso, leproso se facilem prębet: Volo, inquiens, mundus esto. Rursum phariszis, signum ab ipso poscentibus, planè negat: Generatio, inquiẽs, mala & adultera signum quærit, & signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Consimiliter cap. 16 Pharisæis ac Sadducæis tentantibus ipsum, ut è cœlo signum aliquod ęderet, respondet: Faciem cœli dijudicare nostis, signa aũt temporum non potestis? Alicubi fileri iubet miraculum æditum, uelut apud Matthæum capite nono, cæcis sanatis interminatus, edicit: Videte ne quis sciat, haud ignarus futurũ, ut tanto magis diuulgarẽt. Ad consimilem modum apud eundem euangelistã capite duodecimo, curatis multis præcipit, ne se facerent manifestum uulgo. At Marci capite quinto, dæmoniacum sanatum nõ admittit in suum consortium, neq; tamen silere iubet, sed apud suos prædicare, non Iesum Christum, sed quid sibi beneficio dei contigisset. A suis confessionem exigit: Vos autẽ, inquiens, quem me esse dicitis? Dæmoni palàm confitenti ipsum esse Christum, silentium indicit. Rursus aliàs exigit gratiam ab ijs, qui beneficium acceptum cœlant: uelut à muliere, quę cõtactu pallij defierat profluere sanguine: Quis me tetigit, inquiẽs: neq; destitit, donec illa coram omnibus beneficium agnosceret. Similiter nouem leprosis ingratitudinem exprobrat: qui cum essent Iudæi, non redierint tamen, daturi gloriam deo. Est & alia quædam in miraculis ędendis uarietas. Alias sine negocio sanat, ut cum uerbo puellã excitat: Puella, tibi dico surge. Cæco lutum sputo maceratum illinit oculis, nec hoc contentus, præcipit, ut se abluat in piscina Siloe, atq; ita demũ sensit restitutæ sanitatis beneficium. Neq; decẽ illi leprosi protinus mũdati sunt, sed iussi adire sacerdotes, inter eundũ lepra liberati sunt. Porrò Lazarũ excitaturus fundit etiam lachrymas, infremit spiritu, iubet sibi commõstrari se pulchrum, tolli saxum, atq; ita defunctum ualido clamore euocat. Nõnunquam irascitur ac minatur morbo. In huiusmodi uarietatibus conueniet philosophari, & pia curiositate, diuini consilij scrutari mysterium. Est item uarius in responsis: captiose scisscitantibus, obliq; respondet, & cautim: ueluti phariszis, de repudianda uxore scisscitantibus, de censu Cæsari reddendo, de magno præcepto: ex ostenso nomismate capit occasionẽ admonendi, quid illi non facerent, cum id in primis ad rem pertineret: in diuortijs retundit illorum licentiam, non ex iure cõcessam, sed inuincibili maliciæ datam. De præcepto itẽ declarat eos non facere, quod scirent in primis esse faciendum: Pharisæis legis scientiam tribuens, pietatem adimens: Sadducæos ob stolidam interrogationẽ stultitiæ dãnat, qui nõ intelli-

christus & deus & homo

gerent

gerent quod legerent. Est ubi nihil respondeat, sed quæstionẽ quæstione, ceu clauum clauo retũdat: ueluti cum interrogatus, qua nam autoritate faceret ea, quæ faciebat, uicissim rogat, Baptismũ Ioannis utrum è cœlo censerent esse, an ex hominibus. Aliâs respondet quidem, sed interrogationem interrogatione resequitur, ueluti cum apud Matthæum capite uigesimosecũdo, rogat pharisæos, Christus cuius filius est? cumq; respondissent, Dauid: quomodo, inquit, Dauid in spiritu loquens uocat eum dominũ suum, cum sit ipsius filius? Apud Marcum cap. 26. nihil respondet testibus: consimiliter capite 27. apud Herodem prorsus obticet: apud Pilatum perpauca respondet, nec ad omnia tamen: apud Caiaphan tacet: uinctus, cæsus irrisus, nihil respõsat: alapa cęsus, respõdet: ad conuicia Iudæorum in cruce mutus est: at idem non sustinet deplorari à sequentibus mulierculis. Nõnunquam ceu tædio affectus, fugitat turbam: rursus aliâs misericordia motus, ultro petit turbas, ac premi se patitur: aliquando semet abdit in altissimũ secessum, ut oret: aliquando sponte sese in confertissimam templi frequentiam ingerit: aliquando furtim elabitur è manibus insidiantium, uelut in montem ductus ut præcipitaretur: atq; iterũ lapidandus à turba, clanculum euanescit. Quædam mandat apostolis, ut prædicent: quædã credit ad tempus silenda, ueluti uisionem exhibitam in mõte Thabor, & arcanũ cum Mose colloquiũ de morte sua: rursus aliter loquitur discipulis, aliter promiscuæ multitudini: postremo à resurrectione, nunc hac nunc illa, specie semet exhibet suis. Adeo cum nostro Christo nihil sit simplicius, tamen arcano quodam consilio Proteum quendam repræsentat uarietate uitæ atq; doctrinæ: ea fortassis nouo Theologiæ tyroni futura est admirationi, uerũ attento & exercitato non erit difficile singulorum causas inuestigare. Sed magis his offendunt, quæ prima specie pugnare etiam inter se uidentur, quod genus sunt illa, quod in eu angelio Ioannis, negat Ioãnem Baptistam esse lucem, cum de eodem postea testetur: Erat lucerna ardens & lucens: cũq; dicat apostolis adhuc rudibus: Vos estis lux mũdi. itẽ cum ait: Mea doctrina non est mea: si quis uerborum summam modo cutem attendat, uidentur sibi non constare. Rursus apud Ioannem capite 6. cum ait: Qui edit meam carnem, & bibit meũ sanguinẽ, habet uitã æternã, cõtra paulo post: Spiritus est, qui uiuificat, caro nõ prodest quicquã: nõne pugnantia loqui uidetur? Simillimum est huic, quod proximo capite, cũ dixisset: Et me scitis, et unde sim, scitis: mox subijcit, uelut à seipso dissentiẽs: uerus est qui misit me, quẽ uos nescitis. Alicubi negat se iudicare quenq;, alibi testatur, dicẽs: Pater omne iudiciũ dedit filio. Discipulos suos uetat irasci, cũ ipse legatur ira cõmotus fuisse. Quin & in narrationibus quibusdã manifesta in speciẽ uarietas, impiorũ calumniæ patuit: quod genus est, quod Matthęus unũ cęcũ sanatum prodit, cum Lucas testetur duos sanatos: itẽ cum aliquoties nomẽ pro nomine positũ uidetur: cũ paulo aliter narrare uidetur in Actis cap. 7. Stephanus, cũ in Geneseos habeatur historia, nimirum cap. 12. Huiusmodi scrupi si quãdo inciderint, nõ oportebit offendi, aut de fide scripti dubitare, sed pensitatis omnibus circunstantijs, explicandæ difficultatis rationem quęrere: qua quidem in re sudatum est à maioribus nostris, quorum industria iuuabimur, si minus à nobis reperietur, quod animo faciat satis. Iam & illud obseruandum erit, quibus argumentis Christus utranq; naturam Dei & hominis declararit, Siquidem à puro homine quis speraret ueram salutem? Rursum, purum deum quis crederet pati quicquam? Voluit autem, ut ipsum redamaremus, ut uerum hominẽ, uere pro nobis afflictum: neq; dubitaremus, quin præstaturus sit, quicquid promiserat, cũ sit uere deus. Quid quod ne exemplum quidem sat efficax futurum erat, si quod in Christo gestum est, non ueris affectibus gestum sit, sed ficta modo quædam fabula obiecta sit oculis? Humanæ naturæ indicia sunt, quod concipitur in utero fœminæ: diuinæ, quod è spiritu sancto: humanæ, quod statis temporibus è grauida nascitur: diuinæ, quod citra uirilem operam. Hominem uerum arguũt, quod sese subinde uocat filium Adæ, quod adolescit solitis ætatũ auctibus, quod dormit, quod uescitur, quod esurit, quod sitit, quod ex itinere lassescit, quod humanis affectibus tangitur. Sæpenumero legitur misertus turbæ, ueluti Matthæi capite uigesimo: apud Marcum capite tertio, irascitur & indolescit: apud eundem capite octauo, ingemiscit spiritu: rursum Ioannis capite duodecimo, multo ante passionem turbatur animo, in hortulo usq; ad sanguineum sudorem angitur animo: in cruce sitit, quod ex more solet in eo supplicij genere accidere: flet, conspecta ciuitate Hierosolyma: flet & apud Lazari monumentũ, & turba-

Contraria in diuinis literis

Argumenta utriusq; naturæ in Christo

tur animo. E diuerso tot æditis miraculis, diuina natura prodebatur: nam factis quàm uerbis hanc maluit declarari. Quanquam & uerbis testatur se filium dei è cœlo missum, & in cœlo fuisse, & esse, cum uersaretur in terris, cumq; patrem deum subinde inculcat: Quod & à Iudæis intellectum est, cum aiunt: Tu homo cum sis, facis teipsum deum: denique cum resurgit à morte, dum fertur in cœlum, dum mittit paracletum, subito nouantem apostolos. Sed hoc ut paucis admoneri potest, ita nimis prolixum fuerit, singulatim explanare.

Quare reiecti Iudæi

Ad diuini consilij perpensionem & illud pertinere uidetur, annotare quot modis testatum esse uoluit, Iudæos, quibus olim promissus & expectatus fuerat Messias, suapte culpa fuisse reiectos ob incredulitatem, gentes ob fidei simplicitatem in horum locum receptas. Nouerat suæ gentis duritiem Christus, quæ hoc longius aberat à uera iustitia, quod falsa iusticiæ persuasione tumeret: nouerat esse genus calumniosissimum: proinde nihil non ab eo factum est, ne quam ansam haberent expostulandi cum deo, quod præter meritum promissis essent frustrati. Prædictum erat à prophetis, fore ut gẽtes fide ad Euangelij gratiam irrumperent, Iudæi uitio suo à promissis exciderent. Apud ipsos nasci uoluit, quibus erat promissus: decantatus est ab angelis, prędicatus à pastoribus, indicatus à Magis, agnitus à Simeone & Anna, demonstratus ab Ioanne Baptista, patris oraculo commendatus, tot miraculis inclaruit, tot beneficijs illos prouocauit, tam salubria docuit, & tamen his rebus nihil profectum est. Inuidia, superbia, & auaricia excæcati, prophetas occiderunt, Ioanni non credebant, miracula calumniabantur Beelzebub præsidio fieri, Christum ipsum persequebantur: & tamen interim inani legis titulo, & templo per orbem uenerabili superbiebant, dicentes: Templum domini, templum domini, templum domini. Magi primum omnium adorãt: Herodes Iudæus puerum persequitur. Hoc consilio Christus prohibuit suis primum ad euangelij munus emãdatis, ne subirent urbes Samaritanorum, ne quid hinc cauillarentur Iudæi, uelut à Christo neglecti. Telonem uocat, & relictis omnibus sequitur: Pharisæi tot modis prouocati, moliuntur in diuersum. Ingerit eis exempla fidei ab ijs, quos illi pro sceleratis habebant & abominandis: exhibet Cananæam, uix auditam, mox etiam cum conuicio repulsam, inuicta fide peruincentem, & Christum ad beneficium præstandum, ueluti cogentem. Quem enim nõ expugnaret illa mulieris uox: Etiam domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensis dominorum suorum. Audis superbe Iudæe, Cananææ fœminæ plenã fiduciæ modestiam: Illa sic reiecta, tamẽ instat ac urget: tu nullis officijs potes pellici. Proinde illa audit. O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Quid audiunt Iudæi: Relinquetur uobis domus uestra deserta. Et apud Matthæum capite uigesimo primo, palàm exprobrat illis, quod publicani & meretrices ob ardorem fidei præcederent illos in regnum dei. Ingeritur centurionis exẽplum Matthæi cap. 8. in tantum fidentis Christo, ut putaret ad rem nõ pertinere, uisere domum suam, cum posset uerbo nutuq; cõferre sanitatẽ. Quid hic sentis infelix Iudæe: Centurio prophanus, & militiæ minister, qui prophetas nõ legerat, sic fidit Christo: & tu sine fide reclamas seruatori tuo, tot iã seculis expectato: Proinde meretur audire: Amẽ dico uobis, nõ inueni tantã fidẽ in Israel: tibi uero quid dicitur: nempe quod legimus apud Lucã cap. 11. Regina austri surget in iudicio aduersus uiros generatiõis huius, & condemnabit illos, quod illa ab extremis terræ finibus uenerit Hierosolymam, ut audiret sapientiam Solomonis: tibi ultro exhibitus est, ad cuius sapientiam nihil erat Solomõ, & audire grauaris. Idem facient Niniuitæ, qui ad prædicationẽ Ionæ submiserunt sese: tu spernis eum, ad quem Ionas non est conferendus. Ingeritur exemplum Zachęi, qui ardore uidendi Christi, conscenderat arborem. Audis auare Iudæe, prophanum hominem de se testificantem: Dimidium bonorum meorum do pauperibus: ut intellígeres, nõ generi, sed uitæ fideiq; promissum regnũ cœlorum. Audit itaq; te corã: Hodie salus contigit huic domui, eo quod & ipsa filia sit Abrahæ. Gens alioqui zelotypa, tot tamen exemplis non prouocatur ad æmulandum, ne tam multis quidem parabolis flectitur. Apud Lucam capite decimooctauo, ingerit tibi publicanum peccatorem, sed humilẽ, sed misericordiam implorantem, superbo iusto prælatum. Te tibi depingit capite decimoseptimo, cum nouem leprosi Iudæi beneficium dissimulant, solus Samaritanus rediens agit gratias. Idem designat parabola de uulnerato, quem Iudæis prætereuntibus, solus Samaritanus curandum suscipit. Nec aliud agitur apud Matthæum capite uigesimoprimo, duabus parabolis

bolis,altera de duobus filijs:quorum alter pollicitus,se patris iussa facturum,non fecerit: alter primum detrectans,sed mox resipiscens,fecerit,quod se facturum negarat:altera de impijs colonis,qui prius seruis male mulctatis,postremo filium ipsum & hæredem occiderunt.Sic enim subijcit euangelista:Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius,cognouerunt quod de ipsis diceret:& adeò nõ sunt tacti pœnitentia,cum sibi male conscij forent,ut sequatur:Et quærentes eum tenere,timuerunt turbas.Eodem pertinet & inibi sequens parabola de inuitatis ad nuptias.Iudæi partim excusant,partim seruos inuitantis ad conuiuiũ,contumelijs afficiunt. Iure igitur his præteritis promiscua gentium turba implentur triclinia nuptialia. Quid enim facias ijs, qui prouocati ad salutem,obstinate sæuiunt in amice consulentem? Nec alò spectat parabola de cõductis mercenarijs ad operam præstandã in uinea.Murmurant enim Iudęi aduersus nos,qui serius uenerimus,& tamen in euangelij gratia simus illis equati.Arbitror & parabolam de filio prodigo,horsum spectare,in qua filius,qui legis iustitiã obseruarat, indignatur aduersus fratrem,post longas erroris ambages resipiscentem,& ob hoc à clemente patre cum gaudio receptum in familiam.Iudæus sua benefacta commemorat,ethnico resipiscenti nõ exprobrantur admissa uitæ prioris.Consimilis argumẽti sunt,ut arbitror,parabolæ de drachma perdita et inuenta:de oue erratica ad gregem reducta,de ficu post triennium adhuc sterili,in proximum annum succidenda,nisi stercoratione adhibita, desineret esse sterilis: de pueris in foro sedentibus,& alterne inter se concinentibus: Tibijs cecinimus,& non saltastis:lugubria cecinimus uobis,& non plorastis.His tam uarijs rationibus seruator optimus,simul & Iudæorum pertinaciam exitio dignam testatam esse uoluit, & apostolorum animos nonnihil adhuc Iudaismo infectos,instruebat,ne ab ethnicis,in euãgelij consortiũ recipiendis,abhorrerent,quando Petrus postea q̃ audierat à Christo: Ite in orbem uniuersum,& docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris,& filij, & spiritus sancti:post acceptum spiritum cœlestem, nõ audet Cornelium admittere,nisi uisione admonitus.Proinde apud Ioannem capite decimo,præmonet eos,dicẽs: Ego & alias oues habeo,quas oportet me adducere,& fiet unum ouile. Rursus apud Lucã: Regnum cœlorũ uim patitur,& quiuis uim facit in illud. Vi irruperunt ethnici,qui foris erant: obdifidentiam excluſi sunt Iudæi,qui intus erant.Hierosolyma uersa est in Sodomã:& ubi antea dicebatur,non populus,dicti sunt filijdei.Hæc quæ dicta sunt antehac,ita pertinẽt ad illa tempora prisca,ut nihilo secius ad omne tempus queant accommodari.Nulli ętati desunt sui pharisæi,nulli non est periculum,si dei beneficijs abutatur.

Argumẽta innocentiæ Christi

Proximum uidetur his,animaduertere,quot modis Christus suam innocẽtiam omnibus testatam esse uoluerit,ne quid esset,quo posset aliquis huius doctoris autoritatem eleuare.Ex parentibus modicis,sed probis tamen & inculpatis nasci uoluit:non quod apud deum parentũ commissa liberis imputentur,sed quod uulgo soleat atrocius obijci filijs,si quid designarint parentes,q̃ ipsis scelerũ autoribus.Nec omnino ratione uacat,quod popular dicto iactatur, ex malo coruo malũ ouũ. Quin & nutriciũ probũ habere uoluit,de quo legis apud Matthæum: Ioseph autem cum esset uir iustus. Angeli cœlitus testantur de puero.Magi muneribus numen agnoscunt.Pastores quæ uiderant prædicant. Simeon amplectitur tot seculis expectatum infantem.Attestatur Anna castissima uidua.Pater deus semel atq; iterum de cœlo clamat: Hic est filius meus dilectus,ipsum audite. Toties de eo testatus est Ioannes.Agnoscunt confitenturq; dei filium & dęmones,etiamsi grauatur ab his prædicari.Turba toties admiratur in eo diuinam potentiam.Testãtur & ministri apud Ioannem capite septimo, in hoc missi, ut illum comprehensum adducerent: Nunquam sic locutus est homo,ut hic loquitur. Confitetur Martha: Tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum uenturus erat. Confitetur Samaritana: Propheta es tu. Confitentur apostoli: Tu es Christus filius Dei uiui. Nam quisquis deum agnoscit,liberat eum ab omni crimine. Testatur & Pilatus:Purus ego sum à sanguine iusti huius, uos uideritis. Testatur & huius uxor: Ne quid tibi rei sit cum iusto isto. Attestatur afflatus prophetico spiritu Caiaphas:Expedit uobis,ut unus moriatur homo pro populo,& nõ tota gens pereat. Agnoscunt huius innocentiam & inimici iudices, multorum testimonio reiecto;declarãt & ipsi testes,ut mentirẽtur subornati.Nõ habent quod obijciant,nisi de

ſi de templo ſoluendo, ac denuo erigendo: atq; hoc ipſum ſecus obijciunt, quàm ab eo dictum fuerat: & obijciunt, quod non intellexerant. Confitetur & infelix Iudas: Peccaui, tradens ſanguinem innoxium. Confitetur ad crucẽ cẽturio: Vere filius dei erat iſte. Confitentur & ſcelerati Phariſæi, qui crucifixo nihil habebant quod exprobrarent, niſi quod templũ dei demoliturus fuiſſet, & in triduo excitaturus. Adeo fuit immunis ab omni crimine, ut nihil in illum probabiliter uel confingi poſſet.

Chriſtus cur mundum in ſuas leges pertraxerit

Sub hæc obſeruabit pie curioſus lector, quibus modis, quóue conſilio Chriſtus mundum uniuerſum, in tot religiones diſſectum, in ſua decreta pertraxerit. Neq; enim machinis bellicis ſubegit regna mundi, nõ philoſophorum ſyllogiſmis, aut rhetorum enthymematis, non opibus, nõ honoribus, nõ uoluptatum illecebris. Nihil ex humanis præſidijs huic negocio uoluit admiſceri, quod totum cœlo deberi uoluit. Primum, ad fidem faciendam adiuuabat tot uaticiniorum conſenſus, quibus aſtipulatur Ioannis teſtimonium, neq; enim ſubito nouauit orbem. Difficillimum eſt, ex hominũ mentibus reuellere, quod à puericia imbibimus, quod publico conſenſu traditum eſt à maioribus. Diu præluſit Ioannes baptiſmo pœnitentiæ: præluſerunt apoſtoli, nondum Meſſiam annunciantes, ſed tãtum inſtare regnũ cœlorum. Per homines tenues & idiotas rẽ aggreditur, ne quid hinc ſibi uindicaret mundus: quos ipſos diu rudes ac diffidentes tolerat, ne uiderẽtur temere credidiſſe.

Thomas

Thomas pertinaciſſime diffidit, nec niſi contrectatis clauorum & lanceæ ueſtigijs, dicit: Dominus meus, & deus meus. Quin aſcẽſurus in cœlum, omnibus exprobrat duritiã cordis, ac difficultatẽ in credendis ijs, quæ uiderant. Exorſus eſt à gente ſceleratiſſima Iudæorũ, & pertinaciter rebelli. Cœpit non à Nazareth, ne autoritatem eleuaret patria: ſed à Capernaum, ciuitate luxu & opibus perdita. Nihil aperte reprehendit, quod eſſet cum autoritate publica receptum. Vix enim eſt quiſquam, qui hoc æquo patiatur animo. Legis teſtimonium ubiq; comprobat, licet aliter interpretans. Accõmodauit ſeſe his, quos ad ſeſe trahere ſtudebat. Vt homines ſeruaret, homo factus eſt: ut peccatores ſanaret, cum peccatoribus familiariter uerſatus eſt. Vt Iudæos alliceret, circunciſus eſt, purificatus eſt, obſeruauit ſabbata, baptizatus eſt, ieiunauit. Vicit manſuetudine, uicit beneficentia, uicit ipſa ueritate, cuius uis omnibus incantamentis efficacior. Vincuntur hiſce rebus & malæ beſtiæ. Nihil ferè aſſeuerat, quòd non ſcripturæ teſtimonio confirmet. Quin & conuicio laceſſitus, aut rationibus agit, aut ſcripturis. Etenim apud Matthæum capite duodecimo, cum atrociſſimo cõuicio diceretur ope Beelzebub exigere dæmonia: Omne, inquit, regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur. Et in iudicio cæſus: Si male dixi, inquit, teſtimoniũ perhibe de malo: ſin bene, cur me cædis? Addidit miracula, ſed hæc ipſa nihil aliud erant quàm beneficia, hoc nomine præcipue diſcreta à magorum præſtigijs.

Omnia factus ſum omnibus

Fides addita miraculis

Nec ullum ẽdidit miraculum, cui non certam fidem adiunxerit. Turba teſte ferè geſſit omnia. Leproſos mittit ad ſacerdotes, non ut mundarentur, ſed ut magis cõſtaret eſſe uere mundatos. Cæcus uulgo notus ſanatur, accerſuntur parẽtes, reuocatur ipſe: nec aliud his omnibus rebus agitur, niſi ut fides aſtrueretur miraculo. Vbiq; declarat, quicquid patitur, præſcium ac uolentem ſeſe pati: & nobis pati, nõ ſibi. Nec illud mediocrem fidẽ illius doctrinæ cõciliauit, quod ex omnibus ſuis beneficijs nihil unquam præmij captauit, non gloriam, non opes, nõ uoluptatem, nõ regnũ, ut in eum ulla corrupti officij ſuſpicio competere poſſet. Nec ante miſſum ſpiritum cœleſtem euangelica tuba per orbẽ uniuerſum intonuit, ne quid ipſi uiuo quæri uideretur. Porrò nullum eſt efficacius teſtimoniũ inter mortales, quàm ſanguinis. Morte ſua & ſuorũ, fidem aſſeruit ſuæ doctrinæ. Nã de cõcentu totius uitæ iã ante nonnihil attigimus. Cẽterũ de genere doctrinæ, quod ferè cõſtat ex ſimilibus, quæ ex rebus uulgo notiſſimis ducuntur, & ob id nõ ſolũ efficax eſt uerumetiã ad imperitæ quoq; multitudinis captum accommodũ, aliquanto poſt nonnihil dicemus.

Chriſti præſidia

His fermè præſidijs Chriſtus, & poſt hunc apoſtoli, Iudaicę gentis expugnauerũt peruicaciam. His rationibus contemptus in ſpeciem & idiota, Græcię philoſophia tumentis uicit ſupercilium: his tot Barbararum nationum armis inuictã feritatẽ ſubegit: his totius orbis tyrannos ac ſatrapas fidei iugo ſubdidit, & in ſuas leges pertraxit: iuxta uaticinium Eſaiæ, quo manſuetiſſimus gentium expugnator Chriſtus, ita depingitur: Ecce puer meus, quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacitum eſt animæ meę. Ponam ſpiritum meum ſuper eũ, & iudiciũ gentibus nunciabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet

aliquis

aliquis in plateis uocem eius. Harundinem quaſſatam nõ confringet: & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad uictoriam iudicium, & in nomine eius gentes ſperabunt. Hic non audis arte contortos ſyllogiſmos, non audis minas ac fulmina, nõ audis ferro armatas copias, non audis ſtrages & incendia. Sed iudicium audis, manſuetudinem audis, audis lenitatem erga imbecilles, in quibus ulla ſpes eſſet bonæ frugis. Victoriam audis, non machinis extortam, ſed iudicio quæſitam. Victorem audis, nõ formidabilem uictis, non expilatorem & grauem iis, quos ſubegit, Quid igitur? Talẽ audis, ut in eo gentes officijs deuictæ, ſalutis ſuæ ſpem fixerint. Quis aũt non uidet, quibus rebus reſpublica Chriſtiana nata, aucta, conſtabilitaq; eſt, iiſdem eſſe tuendam ac uindicandam, ubi collapſa ſit: præſertim ab iis, qui ſe in Chriſti & apoſtolorum uices ſucceſſiſſe profitentur? Iam paucis, ſi libet, conferamus, quemadmodum ad magiſtri formam apoſtolorum uita doctri- *Paulus*
naq; reſpondeat. Quanta uafricie Paulus ubiq; chamæleonta quempiam, ut ita loquar, agit, & in omnia uertitur, ut undiq; lucri nonnihil addat Chriſto? Vt nunc ſublimis ſemet anteponit omnibus apoſtolis, nunc ſemet abiiciẽs, indignũ ait apoſtolico nomine. Nunc è tertio cœlo reuerſus, gloriatur illic audita ſibi, quæ nefas ſit hominem homini prodere. Nunc ad infirmorum humilitatem ſeſe deiiciens, profitetur ſe nihil ſcire præter Ieſum, & hunc crucifixum. Aliquando ſapiẽtiam habet, quã loquitur inter perfectos, quos ſolido cibo paſcit: rurſus Corinthios utimbecilles, lacte paſcit. Vt alicubi ſupplex ac demiſſus blanditur iis, qui merebantur obiurgari: ac ſuæ dignitatis obliuiſcitur, dum illorum conſulat ſaluti. Rurſus alibi quàm ſeuere minatur: An experimentum quæritis in me habitantis Chriſti? Nuſquam ſibi dominatum arrogat, functionem ſuam ubiq; miniſterium appellat, ſe miniſtrum ac diſpenſatorem. Et epiſtolæ ad Timotheũ prioris, capite tertio, epiſcopatum opus uocat: Qui epiſcopatum, inquit, deſiderat, bonum opus deſiderat. Quicquid cum laude geſſit, Chriſto deoq; tranſcribit. Imò omnium ſeruus eſſe non grauatur, modo iactura dignitatis apoſtolicæ cedat in lucrũ Chriſti. Noſtri tẽporis epiſcopi quidã ſuos habent pro ſeruis empticiis, imò pro pecudibus: Paulus ſuos ubiq; aut filios uocat, aut fratres. Philemoni ſe ſocium facit, Oneſimum huius ſeruum, eumq; fugitiuũ, fratrem appellat. Eſt autem hæc comitas in primis efficax, ad illabendũ animis hominum. Sic quiſ eris cicurandis ſtudent, primum ad illarum ingenium & affectus per omnia ſeſe accommodant: ſic uinũ blande illabitur in corpus hominis, ac mox diffuſum per omnes uænas, uim ſuam explicat, et totum hominẽ in ſuum ius rapit. Proinde laude illectat, quibus uult mederi. Romanis natura ferocibus ſcribens, in ipſo protinus epiſtolę limine fidem illorũ prædicat, uitia priſtinæ uitæ ſub aliena perſona ingerit: Quia cũ cognouiſſent deum &c. ac mox: tradidit illos deus in deſideria cordis eorum. Tandẽ delinitis audet ingerere prioris uitæ memoriam: Quem ergo fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Eodem conſilio dum Athenienſes ſtudet ab inueterata ſuperſtitione reuocare, nõ protinus ſic ingreſſus eſt: Inſanitis Athenienſes, dæmonia ſcelerata pro deo colitis: ſed narrat, quẽadmodum nouus hoſpes cognoſcendi ſtudio obambularit, contemplaturus, quos ritus, quodq; religionis genus ſequerentur: Illorum prophana ſimulacra σεβάσματα uocans, ancipiti uerbo, quod et in ſigna dei ac diuorum quadret. Porrò cum ſciret ſuperſtitionem à proauis ac tritauis traditam, ſubito reuelli non poſſe, & publicis etiam legibus uetari, ne quis peregrinas religiones inueheret: mira commoditate decerptam inſcriptionis partem torſit ad occaſionem prędicationis euangelicæ: Non inuecho nouam religionem, inquit, ignotum quẽdam deum à uobis coli, ueſtræ teſtantur aræ. Colite poſthac notum, quem coluiſtis ignotum. Ac mox ſermonem ſuum confirmat non teſtimonio prophetarum, quorum leuis erat apud Athenienſes autoritas, ſed Arati poetæ Græci, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Deinde quod Athenienſes hactenus & impietati & impuris moribus fuiſſent obnoxij in temporum culpam reiicit. Poſtremo Chriſtum non protinus deum uocat, ſed uirum, per quẽ deus ſtatuiſſet orbẽ reſtituere: huius rei nõ uulgare documentũ eſſe, quod hunc mortuum reuocaſſet in uitam. Galatas relapſos iterum parturit, donec formetur in eis Chriſtus. Et Romanos admonet, ut infirmum in fide non reiiciant, ſed ſuſcipiant, foueantq;, donec grandeſcat. Idem mox inculcat capite decimoquinto: Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Ac paulo poſt: propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit uos in honorem dei. Qua lenitate

Chriſtus

Christus tolerauit,fouitq; uos,eadem uos tolerate eos,qui nunc sunt quod aliquando fuistis.Rursus epistolæ prioris ad Corinthios cap.decimo,iubet eos sui similes esse,qui obse quio modis omnibus sese cunctis accommodaret: Non quærens, inquit, quod mihi utile est,sed quod multis, ut salui fiant. Iam quo affectu Galatas, qui ab Apostolo sic merito, ad pseudapostolos desciuerant,qua mansuetudine reuocat ad mentem meliorem? diceres non Apostolum sæuire in eos,qui pœnam commeruerant,sed materculam filij morbo ægrotare.Et ad huius lenitatis exemplum inuitat eos capite sexto:Fratres,& si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,uos qui spirituales estis,huiusmodi instruite in spiritu lenitatis:considerans teipsum,ne & tu tenteris.Sed aduerte lector,quãtum ipsa etiam Pauli seueritas lenitatis habet admixtum? Nam epistolæ ad Thessalonicenses posterioris, capite tertio,notari iubet eum,atq; etiam uitari,qui pertinaciter recusaret parere salubribus monitis.Quorsum aũt? ut pereat? nequaq;,sed ut pudescat.Paulo satis est,si resipiscat,si se agnoscat,si sui pudeat peccatorem. Quid hoc supplicio mitius? & tamen hoc ipsum mitigat Paulus:Et nolite,inquit,illum pro inimico ducere,sed corripite ut fratrem.Iam epistolę ad Timotheum prioris cap.quinto,uetat ne seniorem lapsum odiosius obiurget episcopus,sed obsecret ut patrem,iuuenes errantes ut fratres admoneat,anus ut matres, puellas ut sorores.Sed dixerit aliquis: Periculũ sit ne multos multa male doceat hæc lenitas.Imò lenitas hęc orbem nouauit,quod nulla unquã seueritas potuisset.Si in regno administran do sæpenumero plus efficit clementia quàm austeritas,siid multis regibus, atq; in his Hie roboã filio Solomonis experimento compertũ est: quanto magis hæc decet eos, qui pro dominis patres appellantur:& quibus datus est gladius, nõ quo perimãt,sed quo sanent? Cæterũ ad Titum capite tertio, iubet his artibus captati etiam ethnicos: Nemini,inquit, maledicere,non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Rursus ut hic eorum personam in se transfert, qui à turpi uita conuersi sunt ad Christi religionem: Eramus enim, inquit, aliquando & nos insipientes & increduli,errantes,seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs,in malicia & inuidia agentes,odibiles,odio habentes inuicem.Nunquã huiusmodi fuerat Paulus, sed talem se facit fuisse,ne quid illos offenderet.Sic & Petrus epistolæ prioris capite quinto,episcopos cęteros ut collegas ac socios admonet,imò obsecrat, ut se gregi credito pastores exhibeant, non dominos,& Christi negocium agant,non suum.Idem Actorum capite secundo, in concione,qua primus ac primum auspicatus est apostolicã functionẽ,qua lenitate reijcit conuicium,quod dicerentur musto oppleti delirare,prophetæ testimoniũ adducens? Mox argumentis docet prophetę uaticinium nõ competere in Dauid, sed in Christum,& tamen ne quid hic offenderet sermo,ceu blandiens mitigat: Viri fratres,inquit,licet audacter dicere apud uos. Mox animo consternatis,nihil aliud indicit, quàm ut resipiscant,ac baptismo renouentur.Deinde uelut ætati imputans illorum malefacta: Seruamini,inquit,à generatione ista praua.Deinde proximo capite,facinus immane Iudæorum, qui Christum occiderant, uide ut extenuet: Et nunc fratres,scio quod per ignorantiam fecistis,sicut & principes uestri.Atq; hos filios prophetarũ appellat,quibus præcipue sit promissus Christus.Lubet audire quantum hæc profecerit ciuilitas? iam accreuerat numerus credentium ad quinq; milia.Nos ad hanc doctrinã,ad hæc exempla surdi cæciq;,nihil aliud quàm territamus,ac minamur: cogimus,non docemus: trahimus,non ducimus,ad nostram gloriam,ad nostrum compendium omnia referentes. Quantamuis Christo iacturam conciliamus citius, quàm uel unciolam de nostris commodis decidi patiamur. Vis scire euentum? Christi religio,quæ olim tam late florebat,uides quàm in arctum contracta est. Verum hæc alias crebro sunt à nobis disserta:nunc quod institutum est,persequamur. Illud item animaduertendũ,quibus rationibus,& quàm diligenter præmunit suos,ad euãgelij negocium ituros:ut intelligant,qui hodie prædicandi Christũ munus suscipiunt, quibus rebus oporteat instructos esse.Regnum cœlorum uocatur,à quo conuenit procul abesse cupiditates terrenas,quæ regnum obtinẽt in ijs,qui mundum diligunt:eas omneis,quanto studio suorum animis exemerit,operæprecium est cõsiderare. Luxum & uoluptatum affectum exemit parabola de diuite comessatore,& Lazaro mẽdico,quorum alter à temporarijs delicijs ad æternos cruciatus detractus in tartara, alter ab huius uitæ malis in æternam quietem translatus, ob oculos ponitur. Diuitiarum studium eximit parabola di-

Ecclesiastes qualis sit

uitis

uitis, horrea sua dilatantis, sibiq; suauem ac mollem uitam in multos annos pollicentis, cum eadem nocte mors immineret misero, semel ereptura, quicquid ille tot annorum su/dore congessisset. rursum, dum prohibet nos esse solicitos de crastino, dum iubet recondi thesauros æternos in cœlis, nec tineis nec furibus obnoxios: dum præcipit, ut cœlestis patris bonitate prouidentiaq; freti, liliorũ ac passerculorũ more in diem uiuamus: dum Marci capite decimo, occasione iuuenis, qui mœrens discesserat, simul atq; iussus est relinque/re diuitias, habebat autem opimas: uersus ad suos, ait, esse facilius, ut camelus eat per foramen acus, quàm diues ingrediatur regnum cœlorum: atq; id ut experimento quoq; per/suaderet, discipulos sollicitos de panibus, commonefacit eius miraculi, quod paulo ante uiderant, paucis panibus ac piscibus, aliquot hominũ milia saturata: & ita saturata, ut corbes multi reliquijs onusti, tollerentur à conuiuio. Ad hæc, cum eos nullo instructos uiatico, legat ad primam prædicationem, & reuersi fassi sunt, sibi nihil defuisse. Parentũ & cognationis affectum (quandoquidẽ hic quoq; non raro solet auocare nos à studio pietatis) multis modis reuellit: iubens, ut toti pendeant à patre cœlesti, neq; quenq; patrem appellent in terris: item negans se agnoscere discipulum, qui nõ patri ac matri, sororibus ac fratribus: deniq; qui nõ uxori quoq; renunciarit, ubi popposcerit negocium regni dei. Ipse licet matrem habuerit unice piã, tamẽ huic nusq; blandus est. De uino interpellanti: Quid tibi, inquit, mecum est mulier: In templo obiurgatus: Quid est, inquit, quod me quærebatis: An nesciebatis, quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse: Rursum apud Matthæum cap. 12. inter docendum multitudinem, imperiosius interpellatus matris & fratrũ nomine, cupientium eum conuenire, cq; non blande respondit: Quę est mater mea, & qui sunt fratres mei: Rursus in cruce, mulierẽ, non matrẽ appellat, sui loco Ioannẽ supponẽs. *Cognatio*

Cæterum honoris studium & ambitionis morbũ, qui generosis & erectis ingenijs maxime solet innasci, quot modis ex animis discipulorum reuellit: haud ignarus, hanc fore præcipuam pestem procerum ecclesiasticorum. Et hoc affectu passus est suos tangi, quo efficacius eximeret. Ambitionis erat, quòd filij Zebedæi per matrem, in hoc suborna/tam, postulant, ut Christo proximi sedeant in regno cœlorum. Ambitionis erat, quod inter se disceptant, quis esset futurus primus in regno cœlorum. Proinde audiunt à domino: Principes gentium dominantur eis: & qui potestatem habent, exercent in suos: non sic erit inter uos, immo quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Nec hoc contentus, obijcit exẽplum sui: Sicut filius hominis non uenit ut sibi ministretur, sed ut ipse ministret alijs, & animam suam det pro multis. Quantum hæc oratio discrepat ab ambitionis affectu: Exhibet puerũ humilem ac pusillum, negans quenquam ingressurum regnum cœlorum, nisi qui sese ad eius modulum submitteret. Rursum Matthæi capite uigesimotertio, scribarum & phariſæorum fastum & ambitionem palàm insectatus, quod dilatatis phylacterijs, ac fimbrijs ampliatis, ostentantes sese, captarent primos accubitus in cœnis, & primos consessus in synagogis, atq; in foro gauderent honoris gratia salutari rabbini: Vos autem, inquit, nolite uocari rabbi: unus est enim magister uester, omnes autem uos fratres estis. Et patrem nolite uobis uocare super terram: unus est enim pater uester, qui in cœlis est. Nec uocemini magistri, quia magister uester unus est, Christus. Qui maior est uestrũ, erit minister uester. Porrò qui semet extulerit, humiliabitur: qui se humiliauerit, exaltabitur. Idem agit, Lucæ capite decimoquarto, parabola de inuitatis: inter quos qui sibi postremũ locũ delegerat, iubetur ascendere. Eodẽ pertinet, quod inuitat, ut submissi blãdum ac molle iugum suum accipiãt: Discite, inquit, à me, quod mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris. Tumultuosa res est superbia, contendit de honore, uindex est, & dum nulli cedit, nunquã à pugna uacat. Quanq; nulla doctrina efficacior, q; ipsius uita. Quem enim homunculum nõ pudeat erigere ceruicẽ, cum ille uere summus, præcinctus linteo, lauat pedes discipulis suis: Capitur, cæditur, cõuicijs afficitur, ac ueluti flagitiosus in crucem tollitur. Deniq; per summam deiectionem sui, promeruit ad summã euehi dignitatẽ. Porrò permulti tument generis nobilitate, qui morbus omnium quidem communis: Iudæis tamen peculiarius adhæsit, qui sine fine iactabant patrem Abraham: Ne cœperitis, inquit, dicere: Filij Abrahæ sumus. dico enim uobis: Potẽs est deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ. Et alias filios Abrahæ uocat, quicunq; Abrahã factis referrent, ipsos *Superbia* *Doctrina ui/tæ*

qui se gloriarentur Abrahæ filios, diaboli filios esse, qui parentem hunc impijs factis æmularentur. Omnis igitur Christianorum nobilitas recte factis æstimanda est, non stemmatis. Is demum pudendæ conditionis est, quisquis seruit uitijs. Centurionem alienigenam præfert Israelitis. Samaritanum leprosum anteponit Iudæis. Rursus Samaritanum uulnerati uiatoris curatorẽ, anteponit sacerdoti & Leuitæ, qui Samaritanos ut extremos homines aspernabantur, seipsos pro semideis gerebant.

Sęuitię malum funditus exigit, tot parabolis ad clementiam & ignoscendi facilitatem prouocans, apud Matthæum capite decimooctauo, de seruo qui noluerit remittere cõseruo, cum ipse domini communis lenitatẽ esset expertus: dum inibi iubet errãtem fratrem clanculum absq; arbitris corrigi, dum septuagiessepties resipiscenti, totidẽ iubet ignoscere. Rursum cum Lucæ capite nono, Samaritanis Christum nõ recipientibus, Iacobus & Ioannes: Vis, inquiunt, ut iubeamus ignẽ è cœlo descẽdere, qui consumat istos? Ab hoc impetu protinus eos reuocat ad affectum mansuetudinis, & acriter increpitis illis: Nescitis, inquit, cuius spiritus estis. Filius hominis non uenit ad perdendas animas, sed ad seruandas. Est & alius affectus, qui inter ipsa benefacta bonis etiam uiris insidiatur, ni cauerint, fiducia nostri: nõ tolerat hunc in suis Christus. Parum pius est, qui sibi pius uidetur. Pharisæum sua merita prædicantem è proximo, fastidit: Publicanum è longinquo sibi displicentem, agnoscit. Item apud Lucam capite decimoseptimo, adhibita similitudine declarat, nihil gratiæ deberi seruis, etiamsi per omnia suo functi fuerint officio: Sic & uos, inquit, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Nec aliud agit proximo capite parabola de talentis ab hero commissis. Sors est aliena, quatulacunq; est: quicquid hinc quæritur industria nostra, domino quęritur, nõ nobis. Dispensatio nobis est credita: male nobis, si cessauerimus: nõ est quod gloriemur nostro nomine, si cũ officio rem gesserimus. Huc spectat, quod legimus apud Matthæum capite decimonono, cum cuidam interroganti, quid boni sibi faciẽdum esset, ut haberet uitam æternam: Quid me, inquit, interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. Sensit morbum hominis, sibi bonitatis laudem arrogantis: cum omnes nostræ iustitiæ corã oculis dei, nihil aliud sint, quàm pannus mulieris menstruo profluuio pollutæ. Adhæc apud eũdem capite uigesimoquinto, solos illos agnoscit, qui ipsi sua benefacta nesciunt. Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus tibi potum? Quãdo autem te uidimus hospitẽ, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te uidimus ægrotum, aut in carcere, & uenimus ad te? Hoc est certissimum ueræ pietatis argumẽtum, si conatus pro uiribus omnia, tibi uidearis expers pietatis. Iniusti mirantur, si quod officium præterissent: adeo sibi non uidebantur impij. Ne eos quidem agnoscit, apud Matthæum capite septimo, qui sese commemorant, & dæmonia per illius nomen eiecisse, futura prædixisse, multaq; stupenda gessisse: Amen, inquit, dico uobis, ne scio uos. Huc alludit, ni fallor, parabola, quam apud Lucam capite duodecimo proponit, admonẽs, ne quis iustitiæ suæ fiducia prouocet ad iudicem, iuris rigorẽ experturus, componat magis cum aduersario litem. Nec aliud agit Ioannis capite decimoquinto, cum ait: Nõ uos me elegistis, sed ego uos elegi, & posui uos ut eatis, & fructum adferatis. Atq; inibi paulo superius, se uitem uocat, discipulos palmites. Si quid à nobis adfertur bonæ frugis, totum stirpi transcribendum est, sine qua nihil sumus nisi ignis alimonia. Ac mox capite proximo, discipulos nonnihil sibi placentes, cum aiunt: Nunc scimus, quod scis omnia, nec opus est ut quisquam te interroget, per hoc credimus quod à deo sis profectus: ut mox repellit, nec sinit in eo manere affectu? Nunc, inquit, creditis. Ecce ueniet hora, & iam uenit, ut me deserto, dispergamini alij aliò. Nec Petrum tulit, humana fiducia magnifice de se pollicentem: Etiamsi omnes offensi fuerint, ego certe non labascã: Amen, inquiens, dico tibi, quod hac nocte priusq; gallus bis cantat, ter me negabis. Aliâs discipulos, iactantius referentes, q̃ in primo prædicationis tyrocinio res successisset, dæmonijs quoq; subiectis. Amen, inquit, dico uobis, uidi Luciferum tanq; fulgur de cœlo cadentẽ. Nolite gloriari super hoc, quod spiritus subijciũtur uobis: de hoc potius gloriemini, quod nomina uestra scripta sunt in cœlis. Nec solus Petrus se fortem fore prædicarat: uox illius, uox erat omnium: nec ille solus diffisus est, diffugerunt cæteri quoq;, metu territi. Est aũt hoc ferè mortalium ingenijs insitum, ut sibi quisq; plurimum tribuat, alijs parcius, atq; id uitij

magis

magis adest rudibus, aut paululũ modo progressis q̃ exercitatis & absolutis. Vnde inter immites bestias prouerbio numerantur ij, qui intra annum septem artiũ liberalium titulum ac professionem susceperunt. Nec inscite dixit quidam, qui Athenas se contulissent, primum reddi sapientes, mox philosophos, hoc est, sapiẽtiæ cupidos: postremo idiotas & indoctos, quod usu ueniret, ut ubi quàm maxime profeciissent, tum demum intelligerent sese nihil scire. Proinde Paulus, qui Christi spiritum affatim hauserat, ubiq; mira sollicitudine deterret ab hoc morbo, qui nos non solũ indoctos reddit, uerumetiã indociles. Quicquid in nobis est uirtutis, ubiq; dei donum & gratiã uocat, spiritui Christi, & Christo tribuit. Sic ad Ephesios cap. 2. Gratia, inquit, saluati estis per fidem, & hoc nõ ex uobis. Dei enim donum est non ex operibus, ut ne quis glorietur. Rursum ad Corinthios secundæ, cap. 10. Qui gloriatur, inquit, in domino glorietur. Quid est, in domino gloriari? nimirum quicquid recte fit à nobis, gratuitæ Christi beneficẽtiæ asscribere. Sed apertius etiam eiusdem epistolæ cap. 3. Fiduciam autem talem habemus per Christũ ad deum, nõ quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Insuper epistolæ ad Rhomanos cap. 9. declarat salutem non aliter nobis contingere, q̃ per iustitiam, quæ ex fide est. Porrò iustitiam ex fide uocat, cum nostris factis nihil omnino tribuimus, sed pro uiribus ad optima conantes, quicquid succedit, agnoscimus muneris esse gratuiti. Hanc alibi iustitiam dei uocat, cui opponit iustitiam hominum: Suam, inquit, uolentes constituere iustitiam, iustitiæ dei non sunt subiecti. Sic enim scribit capite 3. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei: Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostẽsionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione dei, ad ostensionem iustitię eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. His concinunt quæ scribit cap. 5. Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis iustitiæ accipientes in uita regnabunt. Vides ut ubiq; gratiam & donationem uocat nostram iustitiam. Quid autẽ adiecit? Per unum Iesum Christum. Quanq̃ quid aliud agit tota hac epistola, q̃ ut gentibus pariter ac Iudæis sui fiduciam adimat, ac sibi diffisos, totos ad Christi uocet præsidia. Nostræ iustitiæ nihil aliud sunt, q̃ pãnus mẽstruo profluuio contaminatus: nostra sapientia stultitia est: nostra puritas impura est. Ad hæc omnia nobis est Christus, & iustitia, & pax, & sapientia: idq; ex largitate patris, qui prior & gratis dilexit nos, & hoc ipsum gratis præstitit, ut illum redamemus. Huc pertinet, quod Paulus ubiq; se seruum Iesu Christi uocat. Quicquid seruus facit cũ officio, domino tribuitur, cuius iussu id facit: si cessat, pœnam meretur: sin obit mandata, nihil ex pacto debetur prẽmij, cum totus sit domini. Nec aliò spectat, quod functionem suã nunc dispensationem appellat, nunc ministerium. Vt fideliter dispenses tamẽ alienum est, quod dispẽsas: ut gnauiter administres, domini rem administras: Quin hoc quod uocatus esset ad munus apostolicum, Romanis scribens, gratiam uocat: Per quem, inquit, accepimus gratiam, & apostolatum. cum Corinthijs agens, misericordiam appellat: De uirginibus, inquit, præceptum domini non habeo: consilium autem do, tanq̃ misericordiam cõsecutus, ut sim fidelis. Hunc igitur affectum cum primis noxium ac pestilẽtem, penitus studet ex animis nostris reuellere. Itaq; Romanis scribens, magistri parabolam de uite & palmitibus refert, comparatione oleæ & oleastri insitiçj. Nihil Iudæis profuit ramos esse natiuos, qui ob incredulitatem excisi sunt: nihil profuerit nobis, insitos oleæ, & radicis eiusdẽ factos esse participes, si cõmiserimus, ob quæ mereamur excidi: Fracti, inquit, sunt rami, ut ego inserar. Bene, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Ac mox: Nolo enim uos ignorare fratres mysterium, ut nõ sitis uobisipsis sapientes. Quid est, uobisipsis sapientes? nihil aliud q̃ uobisipsis fidentes. Neq; uero periculum est, ne diffisi uiribus nostris, segnius eluctemur ad fastigium uirtutis: imò cum persuasum habeamus, dei præsidio nihil non posse fieri, & illius opem nulli deesse, nisi qui recusat: tanto alacriores ingrediemur hoc stadium, ab eodem & cursus initium, & progressum, & exitum felicẽ expectantes. Nemo uerius fidit deo, quàm qui suis præsidijs omnino diffidit. Nulli plus adest roboris, quàm qui numinis ope totus nititur.

Præter hæc, est mira uis pudoris humani, quem sæpenumero non possunt contemnere, qui possunt opes ac uoluptates contemnere: proinde beatos pronunciat, cum illis exprobrarint homines, confictis calumnijs eos traducentes. Addit exemplum sui: Si patrẽ, inquit, familias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Non est discipulus supra magistrum. Et in actis, gloriæ sibi ducunt apostoli, publicitus flagris cæsi, quos deus dignos habuerit, ut pro Christi nomine contumelijs afficerẽtur. Atq; alibi uices mutuas pollicetur: Quem mei puduerit, inquiens, apud homines, huius me quoq; pudebit apud patrem meum: & qui me professus fuerit apud homines, hunc uicissim agnoscam apud patrem. Paulus non alijs de rebus gloriatur, quàm de cruce domini Iesu Christi, quã mundus summum probrum esse ducit. Idem nouit per infamiam & bonam famam, euangelij negocium agere, sic, ut si quid gloriæ contigisset, Christo transcriberet: si quid ignominiæ, gloriæ loco duceret, ob Christum male audire. Restabat extremus affectus, adeo nobis insitus natura, ut inexpugnabilis uideri posset, nisi nihil nõ posset deus. Quis enim humanis præsidijs contemnat metum iudiciorum capitalium, sæuitiam tyrannorum, crudelissima supplicia, denicq; mortem etiam probrosam apud homines? Hac quoq; in parte suos securos esse iubet, præcipiens, ne meditentur apologiam, qua se tueantur pro tribunalibus: se suggesturum, quod dicto fuerit opus: se suppeditaturum facundiam, cui non queant aduersarij resistere: non formidandos eos, qui corpus ualeant occidere, animam non possint, qua incolumi, nihil totius hominis perit: quãdo pollicitus est, ne pilum quidem capitis nostri periturum. Ab his igitur affectibus liberos, quid est quod uel corrumpere possit, uel terrere? Rursus qui his obnoxius est, non potest constanter Christi negocium gerere. Videt Episcopus, quid expediat gregi, & uult illi consultum, sed protinus reclamant affectus: Si hac pergas, decrescet census, offendes principem, non assequeris galerum cardinalicium, habeberis delirus. Nec tamẽ est irritandus quisquam, sed si Christi res secus obtineri non potest, magno animo ferenda sunt rerũ dispendia, famæ probra, capitis discrimina. Apostoli nusq; prouocant magistratus aut principes, nõ exprobrãt populo pristinæ uitæ dedecora: tãtum ad Christum, ad uitę nouitatem, ad salutem inuitant: & omnibus, quantum licet, sese accommodant, quo plures pelliceant ad Christũ. Quod si fluctibus rerum humanarum sic inuoluemur, ut quò Christus & animi uotum inuitat, pertendere non possimus, tamen huc pro uiribus enitendum erit. Opibus onerauit te fortuna, fortasse non expedit abijcere: possîde contemptim: &, ut Pauli uerbis utar, possîde tanq; non habeas. Minus angeris, si quid decurtatum sit: minus metues, si quid immineat dispendij. Contigerunt tibi parentes clari, contigit uxor insignis: habeto tanquam nõ habeas, & minus auocabit à pietate horum possessio. Contigit principis fauor: ne hinc intumescas, sed abutere potius, quatenus licet, in rem Christi. Inuolutus es aulæ negocijs: explica te pro uirili, nihilo secius interim ex hoc malo decerpens, si qua bonæ rei sese obtulerit occasio. Semper interim Martha murmuret aduersus Mariam, inuidẽs illius ocio. Super omnia adsit innocentia, quam pudeat & malos incessere. Adsit charitas, ad benemerendum de omnibus exposita, & alacris. Adsit animi lenitas, quæ sæuitiã impiorum uel mitiget, uel toleret. Adsit simplex prudentia, & prudens simplicitas, quæ sic declinet iniuriam, ut ipsa nullum afficiat iniuria. Adsit certissima fides, quæ de Christi promissis nihil addubitet. Hos animos si prẽstiterint ij, qui in apostolorum uices succedunt, tum uere merear dici regnum cœlorum, ecclesia Christi. Nunc adeo plerique absunt ab hac imagine, ut sint qui hæc uelut obsoleta rideant: ut sint qui diuersa doceãt. Quoniam autem huc tendit uniuersa Christi doctrina, ut ipsi pie sancteq; uitam traducamus, conueniet ad omnes uitæ actiones exemplum ac formam è diuinis libris uenari: præcipue uero ex euangelijs, è quibus potissimum nostra ducũtur officia. Obseruandũ igitur, ut ipse Christus se gesserit erga uarios uarie: erga parentes, puer & natu grandis (puer obtemperat, docens contemnit) erga discipulos, erga pharisæos elatos, erga percontantes insidiose, erga plebẽ simplicem, erga afflictos: apud suos, apud exteros, apud magistratus: quibus etiã rationibus suos ubiq; prẽmunierit, quomodo se gerere debeant erga cognatos & amicos, quos nesalutari quidẽ uult cũ euangelicæ prædicationis dispendio: erga benemerentes & excipientes euangelij gratiam, erga reijcientes, erga persecutores, erga Iudæos, erga gẽtes, erga fratrem imbecillem aut errantem, erga fratrem incorrigibilem, erga iudices impios, erga gre-

Persecutio

Pro Christi nomine quõ audendum

Exempla uitæ è sacris literis

gem

gem sibi commissum, cæteraq́, quæ nobis in cotidiano uitæ usu solent incidere. Horum, si uidetur, locos aliquot cõmemorabimus ob imperitiores, quo facilius reliqua per se possint annotare. Duo quædam peculiariter & perpetuo inculcat Christus, fidem & charitatem. Fides præstat, ut nobis diffisi, fiduciam omnẽ collocemus in deo. Charitas hortatur, ut de omnibus bene mereamur. Primum apud Matthæum ca. 9. alienam etiam fidem imputat paralytico: Videns autem Iesus fidẽ illorum. Ac paulo post, cæcis opẽ ac misericordiam implorantibus, non prius succurrit, q̃ de fide stipulatus: Creditis, inquit, quod hoc possim facere uobis? cumq́ respondissent se credere, tum deniq́ tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidẽ uestram fiat uobis. Rursus ibidem mulieri, cõtactu uestis sanitatem assecutæ: Confide, inquit, filia, fides tua te saluam fecit. Apud eundem euangelistã ca. 14. discipulis expauefactis, ac uociferantibus præ timore: Habete, inquit, fiduciam, ego sum, nolite timere. Ac mox Petrus fide fultus, ad exemplũ præceptoris ambulat super aquas. Idem hæsitans, pessum it, & audit: O parum fidens, quare dubitabas? Ac proximo capite ueluti coactus per Cananææ fiduciam, ut cui nollet, præstaret hoc beneficij, exclamat: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Apud Lucam capite decimo septimo, leprosum fidei uult acceptam referre sanitatẽ: Surge, inquit, uade, quia fides tua te saluum fecit. Rursum Ioannis capite quarto, reguli fides salutem impetrat filio morienti: Credidit, inquit, homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & filij salutem nunciant. Iterum Matthæi capite decimo sexto, discipulis de panibus sollicitis ὀλιγοπιστίαν exprobrat. Apud eundẽ capite decimo septimo, discipulis admirãtibus quid obstiterit, quo minus potuerint sanare lunaticum: Propter incredulitatẽ, inquit, uestram non potuistis. Ac mox declarans, quanta sit fidei uis: Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, & trãsibit; neq́ quicquam erit uobis impossibile. Apud eundem capite uigesimo primo, discipulis admirantibus, ficum ad execrationem Iesu exaruisse: Amen, inquit, dico uobis: si habueritis fidem, nec hæsitaueritis, non solum quod accidit ficui facietis, sed & si monti huic dixeritis, tollere & proij ce te met in mare, fiet. Et quicquid postulaueritis in precibus uestris, accipietis. Item apud Marcum capite decimo, cæcus sanatus audit: Fides tua te saluum fecit. Apud Lucam ca. octauo, discipulis ob tempestatis uim periclitãtibus: Vbi, inquit, est fides uestra? Ac mox eodem capite, exanimato archisynagogo ad nunciatam filiæ mortẽ, dominus Iesus: Noli, ait, timere, crede tantum, & salua erit. Tanta res est fides, ut ex huius uel inopia, uel imbecillitate ferè nascatur, quicquid uitiorum, Christianorum mores corrumpit. De charitate uero quid attinet indicare? Quid enim aliud docet, quid tota sua uita inculcat Christus, nisi summam Charitatem? unum hoc erat, quod nos docturus uenerat. Siquidem apud Lucam capite duodecimo: Ignem, inquit, ueni ut mittam in terram: & quid uolo, nisi ut accendatur? Magnum aliquid fuerit necesse est, cur Dei filius descenderit in terras. Non uenit ut regnum occuparet orbis, non ut philosophiam nobis traderet. Ideo uenit tantus legatus, ut ingens amoris incendium excitaret, & ob id ignem uocat. Magna est naturæ charitas: at hæc præ Christi charitate glacies est. Iam apud Ioannẽ, totũ hoc quod loquitur, quod agit apud discipulos, imminente mortis tempore, quid aliud sonat, quid aliud spirat, quàm igneam ac flagrantissimam charitatẽ? Quis tam saxeus est, ut illa legat absq́ lachrymis? Hæc est charitas illa, morte fortior, quæ amantem ad mortis usq́ cõtemptum inflammat: quæ efficit, quod nulla possunt humana præsidia. Huius unius symbolo uoluit suos discipulos à cæteris discerni: Per hoc, inquiens, cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si charitatem habueritis inter uos mutuam: Deus, inquit Ioannes, charitas est: ab hoc excidit, quisquis excidit à charitate. Proinde Matthæi cap. uigesimo quinto, declarans & ob oculos ponens, quibus factis debeatur cœlum, uide quid cõmemorat: num uestem sordidam? num ieiunia? num ciborum delectum? num psalmorum uim de murmuratam? num eruditionẽ? num miracula? nihil horũ. Quid igitur? Pauistis, inquit, esurientem, potum dedistis sitienti, excepistis hospitem, nudum texistis, ægrotum inuisistis, carcere inclusum subleuastis alloquio. Nihil autem aliud sunt hæc, quàm officia charitatis. Euolue testamentum omne nouum, nihil usquam reperies præceptum, quod ad ceremonias pertinet. Vbi de cibis aut ueste uerbum ullum? Vbi de inedia, aut similibus, ulla mentio? Solam charitatem suum præceptum uocat. Ex ceremonijs oriuntur dissidia, e

1. Ioan. 14

charitate pax. Apud Matthæũ obmurmurant Christo pharisæi, quod discipuli fame per pulsi, sabbato uellerẽt spicas: quibus Dauid obijcit exẽplũ, qui nõ ueritus sit sacrosanctis uesci panibus: Quod si nossetis, inquit, misericordiã uolo, & non sacrificiũ, nunq̃ condemnassetis innocentes. Dominus est enim filius hominis etiã sabbati. Sabbatum hominis causa cõstitutum est, nõ homo sabbati gratia cõditus est. Atqui hæc erãt à deo præcepta, & tamen nõ uult obseruari, quoties charitatis officium est præstandũ. Quid igitur dicent homunculi obscuri, qui ob interdictũ esum carniũ, aut his frigidiores cõstitutiunculas postulant, ut totus homo ueniat in capitis periculũ? Audet Dauid fame periclitans uesci sacris panibus ipse prophanus, nec religio est sacerdoti tradere, quum id lex uetuisset à deo tradita. Et tu sinis imò cogis fratrẽ innoxium interire, quia sic uisum hominibus, fortasse stultis aut superstitiosis, certe nulla publica autoritate præditis, interdicere carniũ esum. Atq; his in rebus quantum sibi permittit hominum quorundam tyrannis uerius q̃ superstitio. Aliâs permittunt nobis ius carnium, carnes ipsas interdicunt. Quidam indulgentiores concedunt & intestina. Nonnunq̃ indulgent lactaria, sed ab ouis arcent. Aliquãdo nihil permittunt, pręter panem & ceruisiam, atq; obsonij loco fœtus arborum, Equidem nõ damno, si quis hæc pietatis studio suscipiat. Illud admiror, quod ob huiusmodi rerum obseruationem Christianus uult Christianum de uita periclitari, ob hæc scinditur fraterna charitas. Apud Ioannem ca. nono, magnas excitant tragœdias, quod cæco reddidisset oculos die sabbati. Apud eundem capite quinto, paralytico sanato obmurmurant, qui iussu Christi grabbatum suum sabbato sustulisset. Apud Matthæum uero capite nono, taciti secum obganniunt, quod peccata remitteret. Obmurmurant alibi, quod sabbato sanasset mulierem contractam, qui bouem aut asinum in puteum delapsum, nõ uererentur educere sabbato. Christus clamat, non hominem ob sabbatum esse conditum, sed sabbatum ob hominem esse repertum: et tu uis tuas leges tãtum ualere, ut citius pereundum sit homini Christiano, quam ab ijs latum digitum discedat? Rursus obmurmurant apud Matthæum capite decimoquinto, quod discipuli manibus illotis cibum caperẽt. Hic uero non solum pius dominus excusat suos, uerumetiam crimen in ipsos retorquet, qui ob corban, quod auaritia sacerdotum repererat, negligebant dei præceptum. Nã dei uocat, quod ad naturalẽ pietatẽ attinet. Succurrere parentibus, charitatis est: ab hac auocabant, modo nonnihil accresceret gazophylacio. Christus clamat: Nõ quod intrat in os, polluit hominẽ: & tu exigis à Christiano, ut ingenti ualetudinis dispẽdio uescatur piscibus? Imò præ te non ducis pro Christiano, qui corporis habitu compulsus, quocũq; die, quocunq; cibo uescens, gratias agit deo. Adeo placet Christo beneficẽtia, quã eleemosynã appellat: ut, apud Lucam capite decimosexto, collaudet iniquum dispensatorẽ, qui fraudato domino, subuenerit debitoribus. Iam quid aliud nobis commendant apostoli suis epistolis? Et nos ad hæc omnia penè surdi, plusq̃ Iudaicis constitutionibus oneramus Christi sanguine liberos? ob has calumniamur immerentem? Verum hæc insectari, nõ est huius instituti. Reliqua carptim, ut quicquid occurrerit, attingemus, si prius indicauerimus, q̃ ad hãc formam apostolorum doctrina moresq; respondeant: cum primis autem Pauli, quo non alius præceptorẽ Christum expressius retulit. Atq; utinam qui in apostolorũ uicem successerunt, & Christi uicarios se nominari gloriantur, merito sermonẽ Pauli sibi queant usurpare, quo hortatur Corinthios ad ueram pietatẽ: Rogo, inquiens, uos, imitatores mei
1.Cor.4 estote, sicut & ego Christi. Idq; totidem uerbis repetit, eiusdem epistolę ca. undecimo. Est igitur operæpreciũ, animaduertere, q̃ nulla sit apud hunc pagina, quæ nõ scateat crebra mentione fidei & charitatis, quas aliquoties iunctim, aliquoties separatim suis commendat. Iungit, epistolæ prioris ad Corinthios capite decimosexto, hoc uelut epilogo claudẽs prolixam exhortationem: Vigilate, inquit, state in fide, uiriliter agite & confortamini, omnia uestra in charitate fiant. Rursum epistolæ ad Timotheum secundæ, capite primo: Formam, inquit, habe sanorũ uerborũ, quæ à me audisti, in fide & in dilectione, in Christo Iesu. Vides ut duas germanas pietatis uniuersæ uexilliferas copulauit, fidem & charitatem. Atq; his duobus nominibus potissimum collaudat Thessalonicẽses in epistola ad ipsos secunda: Quoniam, inquit, supercrescit fides uestra, & abũdat charitas. Iungit & in priore: Et annunciante nobis fidem, & charitatem uestrã. Item epistola ad Romanos ca. decimoquinto: Deus autẽ spei repleat uos omni gaudio & pace in credẽdo, ut abundetis

in spe

in ſpe. Nónne tres heroínas coniunxit fidem, ſpem, & charitatem? Quíd enim aliud eſt pax, quam mutua charitas? Iam in Rhomanis níhil príus laudat quàm fidem, qua putat illos pulcherríme nobiles fuiſſe: Fides, inquit, ueſtra annunciatur in uniuerſo mundo. Quínetiam ex Abacuc teſtimonio adeo iuſtitiæ ſummam fidei refert acceptam, ut quod Abraham uír tantus Deo placuerit, non alíj rei quàm fidei uelit imputari. Atque hanc ſententiam Geneſeos teſtímonio confirmat: Credídit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtítiam. Idem capíte nono, quod gentes ex ídololatris aſciti ſint ad ueram pietatem, aſſcríbit fidei. Rurſus quod Iudæi, qui ſibí perſuaſerant ſe ſolos Deo proxímos eſſe, repulſi ſunt, non aliud arbítratur eſſe in cauſa, quàm quod díffiderent promíſſis euangelicis. Gentíbus non obſtítit uíta, præter ſímulacrorum cultum, tot facínoribus ac flagítijs inquinata: Iudæis nō profuit anxía legū obſeruatio, nec æterní numínis cultus. Quamobrem? quía non ex fide, ínquit, ſed tanquam ex operíbus. Totam autem díſputationem, in qua fides prímas agit, hac clauſula finít: Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Tanta fidei uís, ut uírtus, hac deſtítuta, uertatur in uítium.

Ad hæc epíſtola ad Corínthios poſteríore, demonſtrat hoc eſſe uehículum, quo totus uítæ curſus feratur ad ętérna: Per fídem, ínquit, ambulamus, & non per ſpéciem. Nec alíū ſcopum ſíbi præfíxerat Paulus in apoſtolica functione, q̄ ut gentes omnes ſub fidei iugū adduceret, quam obedíentiam, ſíue ut Græce ſcríptum, ὑπακοὴν appellat, obíter admonens Chriſtianam fidem nō alíter eſſe fírmam ac ſolidam, q̄ ſi repulſis argutationíbus curíoſis, ſímpliciter & abſq; díſquiſítione fidat pollícitis Chriſti: per quem, ínquit, accepímus gratiam & apoſtolatum, ad obediéndum fídei in ómnibus gentíbus. Porrò ſcríbēs Epheſijs, ſoli fidei uult ſalutem acceptam ferrí: Gratía, ínquit, eſtis ſaluatí per fídem, & hoc non ex uobís. Porrò epíſtola quæ ínſcríbitur ad Hebræos, qua tuba, qua ſermonis ubertate fidei proſequitur encomíum, omnía penè ueterum heroum facínora fídei merito tríbuens.

Iam de charítate quíd attínet locos alíquot adducere, cum totus ubíq; Paulus níhil ſpíret, níhil crepet, níhil tonet, níſi flagrantíſſimam charítatem? Meras flammas loquítur, & tamen ardentíus quíddam tibí ſentíre uídeare, cum legis quod humaní ſermonís balbutíes nō queat effarí. Ignea Pauli lingua, ſed pectoris incēdium ſubíndícat magís, quàm explícat. Porrò quando charítas omnía conglutínat, non eſt locus díſſídío, ubíubí regnum tenet charítas, quæ quātum in ípſa eſt, facít omnium omnía communía. Ab hoc ígitur omine ceu felicíſſimo, ſuas epíſtolas omnes auſpícatur, prę́cipuí cuíuſdam boní uíce gratiā ſuis ímprecans & pacem. Nec alíjs uerbís ſalutat apoſtolící ſenatus prínceps Petrus: Gratía uobís & pax. Atq; exordíjs ſæpenumero reſpondent clauſulæ; nam ceu finíturus epíſtolam ad Romanos: Deus, ínquit, pacís ſit cum omnibus uobís, amen. Cum iubet ut ínuícem ſeſe conſalutent oſculo ſancto, quíd aliud commendat, quàm fraternam concordíam? Nam ego ſíc ínterpretor, Chriſtíanum oſculum pectoris eſſe, non oris. Admotis genís ſalutare, uulgare eſt: coniunctís animis bene uelle omnibus, oſculum eſt homíne Chriſtíano dígnum. Quíd? an non eodem modo finit epíſtolam ad Corínthios poſteríorem? Idípſum, ínquit ſapíte, pacē habete. Quíd eſt aūt, idípſum ſapíte, níſi ſítis eodem animo? Id quo altíus infígat animís, repetens εἰρηνεύετε, ínquit. Nec his contentus, addit præmíū haud quaquam uulgare aut mediocre: Et deus pacís erít uobíſcū. Olím deus exercítuum, deus uírtutum eſt dictus, nobís deus pacís dicítur. Talem uíderat Eſaías, cum príncipem pacís appellat. Ad hæc quaſi nunquā eſſet ſatís commendata cōcordía, adíjcit: Gratía do míní noſtrí Ieſu Chriſti, & charítas dei, & communicátio ſancti ſpíritus ſit cum ómnibus uobís, amen. Tríbuatur hoc caſui, níſi ſímilē ad modum claudit príorē ad eoſdem epíſtolam: Charítas, ínquit, mea cum ómnibus uobís, ín Chriſto Ieſu, amen. Raram quandam charítatem precatur Corínthíjs, cum ſuā precatur. Vís audíre q̄ Paulus amarit Chriſtū? Cupío, ínquit, díſſolui, & eſſe cum Chriſto. Quíd uíta charíus, dulcíúſue erat huíus díſpendío cupít iungí Chriſto. An non ſacro quodam charítatis afflatu lymphatus tíbí uídetur, cum in hunc ſermonem erumpit, Rhomanis ſcríbens capíte octauo? Quís nos ſeparabít à charítate Chriſti? quam nec morte, nec angelorum uíríbus ait poſſe dírimí. Iam quo affectu fuerít in píos, ſatís arguit, optans anathema fierí à Chriſto pro Iudæís, Chriſto pertínaciter reclamantíbus. An alíus eſt fínis epíſtolæ ad Galatas, cum íngens quoddam & admírabile præmíum uult polliceri íjs, quí à præſcrípto euangelicæ doctrínæ non rece-

Eſa. 9

derent, nihil aliud precatur quàm pacem: Quicunq; inquit, hanc regulam secuti fuerint, pax super illos. Similia precatur Colossensibus: Et pax, inquit, dei, quę exuperat omnem sensum, custodiat corda uestra, & intelligentias uestras in Christo Iesu. Ac mox: Hæc agite, & deus pacis erit uobiscum. Quorsum autem pertineat ex mediis huius epistolis excerpere, quæ pacem & concordiam nobis commendent? Epistolæ ad Ephesios cap. 2. Christum ipsum pacem uocat: Ipse, inquit, est pax nostra, qui fecit utraq; unum. quem & alibi μεσίτην appellat, quod ueluti reconciliator medius intercedat inter deum & homines. Ioannes item in epistola sua deum ipsum charitatem uocat, adeo deo coniunctã, ut quisquis alterutrum habeat, aut careat, utriusq; uel copiam uel inopiã sentiat. Rursus ad Ephesios capite quinto, sic deo peculiarem facit charitatem, ut hac indole putet agnosci germanos ac ueros dei filios: Estote, inquit, imitatores dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. At in epistolæ ad Timotheum prioris, capite primo, ui de quantum tribuat charitati, quam totius legis perfectionem appellat: Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, nimirum cum uoce sui præceptoris concordans, qui summam totius legis pronunciat sitam in dilectione dei & proximi. Rursus epistolæ ad Romanos ca. quinto, Christiani pectoris robur, adeo non cedentis malorum procellis, ut afflictionibus pro Christo susceptis, etiam glorietur, charitati asscribit: Quia charitas, inquit, dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Iam, ad eosdem capite octauo, tantum tribuit charitati, ut huius præsidio nihil nõ cedat in bonum. Vbi friget charitas, nullæ quamlibet numerosæ leges sufficiunt: ubi feruet, nulla opus est lege: Diligentibus, inquit, deũ, omnia cooperantur in bonum. Ama, & fac quod uis: non enim peccat syncera charitas, ipsa sibi lex est, & ubiq; dictat, quid sit optimũ factu. Proinde in epistolæ ad Corinthios prioris capite 13. & item decimoquarto, quo ore tonat charitatis laudes? hanc uiam appellans excellentissimam, quæ uere magnos reddat in negocio Christi: hanc dotibus cæteris anteponit, quæ plurimum prosit, quæ ubiq; sit usui, quæ sola non excidat, quæ una nõ peccet, sine qua cæteræ uirtutes mancæ sint & inutiles. Rursus epistolæ ad Corinthios prioris cap. septimo, adeo fauet concordiæ, ut nec imparia matrimonia dirimi uelit: & alibi, nec seruum baptizatũ, à domino impio distrahi: sic arbitrans, summam uocationis nostræ concordiam esse, non dissidium: In pace, inquit, uocauit uos deus. Hanc igitur uirtutem, quot modis inculcat Paulus? Qua solicitudine deterret ab his, quæ cõcordiam scindunt, & gignunt dissidia? Nulla est autem seges tam felix, in qua sese non misceant hæc zizania. Iudæis ipse deus erat dissensionis occasio, quẽ dum recusant cũ alijs habere cõmunem, soli desierunt habere. Siquidem hoc stomachatur, epistolæ ad Rhomanos capite tertio, an Iudæorum deus tantum? nónne & gentium? At quod tum Iudæis usu uenit, cauẽdum ne & nobis usu ueniat. Tot sunt discrimina religionem profitentium, & certatim singuli religionis laudem sibi uindicant, perinde quasi solos istos agnoscat deus, populum ignoret: Pax, ait Ambrosius, est nostra religio. Vbi uideris regnare discordiam, intellige aut abesse, aut certe laborare religionem. Quàm uero conueniat inter istos, ipsi uiderint. Quanquam hoc iam nec uulgus ignorat. Rursus non in uita solum, uerumetiam in sacris studijs uitanda contentio. Fons autem omnis dissidij, superbia est: dum sibi quisq; plurimũ tribuit, alteri minimũ, dũ nemo cõcedit alteri. Hoc est quod toties cũ Corinthijs delitigat Apostolus: Obsecro, inquit, uos fratres, per nomẽ domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint inter uos schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & eadem sententia, cæteraq; quæ sequũtur. Ac mox capite tertio: Cũ enim sit inter uos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominẽ ambulatis? Rursus capite undecimo, obiurgat illos, quod ne dominicam quidem cœnam concorditer agerent, quæ summæ concordiæ symbolũ habebat: Conuenientibus, inquit, uobis in ecclesia, audio dissidia esse inter uos, & ex parte credo. Ac proximo capite corripit eos, quod ex ipsis etiam dotibus sacri spiritus, dissidiorum reperissent occasionem. Proinde mox, exemplo corporis ac membrorũ, ad consensum reuocat, nihilq; nõ trahit ad argumenta pacis: unum deum omnibus communem, unũ Christũ pro omnibus ex æquo mortuũ, unũ spiritũ pro suo arbitratu cuiq; suas dotes impartientem: unum baptisma, per quod Christi corpori inserimur omnes: unum panem, de quo edimus omnes: unũ calicẽ, cuius omnes ex æquo sumus participes.

Sic

Sic enim loquitur capite decimo: Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus. Item capite duodecimo: Hæc aũt omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cũ sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu uocati sumus. Præterea ad Galatas scribens, adeo uult hæc dissidiorum seminaria abolita esse per baptismum, ut quisquis Christo sit initiatus, nouam creaturam appellet. Porrò dissidiorum autores etiam uitari iubet, epistolæ ad Romanos capite decimo sexto: Rogo autem uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinã, quam uos didicistis, faciunt, & declinate ab illis, Moxq; fontem huius mali commonstrans, addit: Huiusce modi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo uentri. Vidimus & nostra ætate tumultum non uulgarem inter Christianos, quem comperi non ab alijs excitatum, quam quorũ quæstui uidebatur offectura purior Christi doctrina. Citius omnia subuersuros dixisses, quàm futurũ, ut ab intestinis semel gustatis temperarent: adeo mordicus tenent lucrum, quod ex remissionibus impudenter prædicatis, quod ex compositionibus, quod ex dispensationibus, quod ex fumo pontificij nominis, quem plericq; uenditant, quod ex applicationibus meritorum, quod ex cõscientijs male illaqueatis, quod ex falsa religionis opinione, quod ex errore mulierc ularum & indoctę plebeculę colligitur. Multis ambitio fuit in consilio, ut hanc excitarent tragœdiam, qui tantum suæ gloriæ tribuunt, ut malint aboleri Christi doctrinam, quàm ipsos uideri quicquã nescisse. Plerosq; duplex habebat morbus, quæstus, & ambitio. Non enim in præsentia disputo, quantum in huiusce modi rebus ualeat Romani pontificis aut ecclesię autoritas, Tantũ indico dissidiorũ fontes, quæ uidelicet nõ aliunde q̃ à nostris cupiditatibus exoriuntur. Paulus itaq; sentiens, quanta pestis sit dissensio, nihil prius, nihil ardentius, nihil crebrius inculcat iteratq;, c̃q; concordiam, c̃q; pacem, q̃ mutuam charitatem, nõ solum cum religionis consortibus, quàm φιλαδελφίαν appellat, uerumetiam cũ ijs, qui à nostris mysterijs essent alieni. Sic enim admonet Thessalonicenses, epistolæ prioris capite quinto: Videte ne quis malum pro malo reddat alicui, sed semper quod bonũ est, sectemini erga uos inuicem, & in omnes. Plusq; concordiam habet cum omnibus, qui de omnibus etiam benemereri studet. Rursum ad Romanos capite duodecimo: Si fieri potest, quod in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non uosmetipsos ulciscentes charissimi, sed date locum iræ. obiter indicans, non posse consistere concordiam inter feroces, ubi mox iniuria reciproca tur iniuria: ubi nemo sit qui quicquã usq; de suo iure cõcedat, nemo qui maleficium uelit beneficio uincere. Etenim si semel aperta sit hæc fenestra nostrę iracundiæ, ut liceat intolerabilem iniuriam iure ulcisci, nemini cõmoto nõ iusta uidebitur sua causa, suus cuiq; blandietur animus. Proinde quo longius nos ab hac fossa arceat Christus, & huius imitator Paulus, hortatur ut iniuriam pensemus officio: Benedicite, inquit, persequentibus uos, benedicite, & nolite maledicere. Ac mox: Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ: & si sitierit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres super caput eius. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Et ubi sunt interim illi, qui cum Christianæ religionis antistites uelint haberi, benemerentem ueneno lætali tinctis linguarum spiculis cõfodiunt? idq; pertinaciter, idq; ex composito, idq; deuotis animis, idq; pietatis prætextu, quæ sceleratissima nocendi ratio. Quod docuit Paulus, ipse præstitit: nam epistolæ ad Corinthios prioris, capite quarto: Maledicimur, inquit, & benedicimur: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, nimirum illum imitans, qui in ipsa cruce pro crucis autoribus deprecatus est patrem. Quãto uero stomacho Corinthios obiurgat, quod ob rem pecuniariam in ius uocarent alius alium: ac non potius fraudem ac detrimentum admitterent rei, quàm tranquillitatis & concordiæ. At quoniam iuxta comicum: Obsequium amicos, ueritas odium parit: fit Paulus omnia omnibus, quendam, ut ita dicam, polypum agens. Gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus, uritur cum offensis, infirmatur cum infirmis. Est enim & pietatis obsequium, quod aliquousque sese accommodat alienæ uel infirmitati, uel opinioni. Ex Ioannis epistola superuacuum arbitror adducere testimonia, cum ille nihil aliud sonet q̃ charitatem & concordiam. Petrũ audiamus,

Rom. 12

1. Cor. 6

professionis

professionis nostræ principem secundum Christum. Is, epistolę prioris capite quarto, adhortans ad præcipua pietatis officia, sobrietatem, uigilantiam, & precationes, omnibus his anteponit charitatem: Sobrij, inquit, estote, & uigilate in precibus. Sed in primis mutuam inter uos charitatem habentes, eamq; continuam, siue ut Græcus sermo magis sonare uidetur, uehementem, eamq; quo nobis reddat commendatiorem: Charitas, inquit, operiet multitudinẽ peccatorum. Quàm pulchre interim magistro suo respondens, à quo peculiariter audierat, tu me sequere: Remittite, inquit ille, & remittetur uobis, &, Dimissa sunt illi peccata multa, quoniam dilexit multum. &: Remittite nobis, sicut & nos remittimus. Cur hodie qui peccatorum sarcina degrauantur, ad uenias, ad compositiones, simoniaq; remedia uocantur potius, quàm ad hoc, quod à Christo, quod à primarijs apostolis ostensum est? Cur dubia certis anteferimus? Cum his si quis exordia nascentis ecclesiæ conferat, nihil aliud reperiet, quàm auspicia charitatis: Considebant pariter omnes unanimes eodem in loco, armantur linguis igneis: multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, conferuntur in commune facultates omnium. De ceremonijs nulla unquam mentio. Iam quemadmodum fidei & charitatis comes est animi fortitudo, ueraq; pietas, ita cum illæ languent, aut absunt, feruet superstitio: & quemadmodum syncera pietas animi puritate nititur, ita superstitio ceremonijs sese uenditat. Illã spiritus uocabulo frequenter notat Paulus, hanc carnis: nam id sensit, opinor, cum scriberet Galatis: Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, carne consummemini? ab euangelica fide charitateq; exorsi, ad Iudaismum relabimini. Aliter quidem, sed idem admonet Romanos, capite duodecimo, ut neglectis Iudaicis ritibus, ad pietatis studium in animo sitæ, sese conuertant: Obsecro itaq; uos fratres, per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, deo placentem: rationale obsequium uestrum. Id à se factum testatur, cum adeosdem capite primo scribit ad hunc modũ: Cui seruio in spiritu meo in euãgelio filij eius. Adhuc Iudaissans colebat deum, sed statis ieiunijs, sed neomenijs, sed sabbatismis, sed lotionibus, sed ciborum delectu: nunc aliud culturę genus amplexus, neq; in monte, neque Hierosolymis adorat patrem, qui gaudet ijs adoratoribus, à quibus adoratur in spiritu. Rursus cap. septimo: Ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & nõ in uetustate literæ. Quod alibi carnem dicit, hic literam uocat. Idem agit epistolæ ad Timotheũ prioris, capite quarto: Corporalis, inquiens, exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia ualet. Quid ait, ad modicum? quod huic expedit, illi non expedit? quod hic decorum est, alibi est indecorum, quod hodie laudatur, mox ueniet in probrum. Animi pietas omnium est communis, & nusquam non habet locum. Ad hęc, quis nescit simulata sanctimonia nihil esse capitalius? At ea nulla persona magis imponit, quàm ceremoniarum. Plebes potissimum ijs rebus ducitur, quas uidet? Vis audire quanta pietatis pestis inuehatur falso pietatis prætextu? audiamus Paulum ita uaticinantem, epistolæ ad Timotheum secundæ capite tertio: Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus nõ obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, uoluptatum amatores magis quàm dei, habentes speciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegãtes. Quid addit Paulus? hos imitare? nequaquam, sed hos deuita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur uarijs desiderijs. Obsecro te lector, an tibi non uidetur digito demonstrare quosdam ex istorum ordinibus, qui ipsis mundi uisceribus immixti, monachos se uocant, & regũ luxum, fastum, ac Tyrannidẽ affectantes, mendicitatẽ prætexũt. Atq; utinã tã essent pauci, ut horũ inuidia leuiter grauaret bonos: nunc adeo multi sunt, ut boni qui sunt, malorũ turba pariter & tyrãnide obruãtur. Audi quid Paulus sentiat de festis diebus Iudæorum, quid de ciborum discrimine, quarum rerum gratia illi nec mortem recusabant, ad alia scelera facile procliues. Qui sapit diem, domino sapit: & qui non manducat, domino non manducat: unusquisq; in suo sensu abundet. Ac mox ibidem: Non est regnum dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto. His concinunt quæ scribit Corinthijs epist. prioris, cap. 10. Omne quod in macello uenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo eius. Rursum capite sexto: Esca uentri, & uenter escis, & hunc & has destruet

Ceremoniæ

Festi dies

ſtruet deus. Iam ad Coloſſenſes capite ſecundo, quãto ſtomacho deridet iſtorum dogmata, qui ſic præſcribunt: ne tetigeris, ne guſtaris, neq; contrectaris, quę omnia ipſo pereunt abuſu, iuxta præcepta ac doctrinas hominum, quæ uerbotenus quidem habent ſpeciem ſapientiæ per ſuperſtitionem ac humilitatem animi, & læſionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis. Ac Paulus quidem ubiq; concordiæ conſulens, monet ut perfectorum firmitas ferat alienam infirmitatem, ſed ad tẽpus, ſed hac lege, ut proficiant, & infirmi eſſe deſinant, ſed in his rebus, quę ex ſuperiori uita penitius infixę ſunt, quàm ut ſubito reuelli poſſint. Indignatur Paulus aduerſus eum, cuius cibo uulneratur animus fratris, ob quem mortuus eſt Chriſtus: ſed idem indignatur aduerſus eum, qui ex huiuſmodi rebus æſtimat alienam conſcientiam: Ad quid libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Eſt aliquoties tempus, ubi docta charitas ſeſe attemperet alienę imbecilli/tati, ſed ut præceptor ſeſe demittit ad diſcipuli captum, ut medicus ſeſe ægroti affectibus accommodat. Quale uero eſt cum ipſi gignimus offendiculorum materiã? cum ab his ſupercilium ducimus? cum hoc ipſo nobis uidemur meliores, quo ſumus imbecilliores? quod ultro inceſſimus eos, à quibus diſcere debuimus? ultro præimus ijs, quos ſequi conueniebat? Quid igitur, inquiet aliquis, dãnas ceremonias? Abſit. Laudo ritus, quibus & olim & hodie chorus eccleſiaſticus peragit ſua myſteria: repræſentant aliquid, & addunt maieſtatem cultui diuino: quanquam in his quoque modus eſſe debet. Non probo uero quod humanis conſtitutionibus tota pene Chriſtianorũ uita ceremonijs oneratur: quod his nimium tribuitur, pietati minimum: quod his freti ſimplices, ſtudium ueræ religionis negligunt: quod ob has magnis tragœdijs ſcinditur tranquillitas Chriſtiani corporis.

Annotandum interim & illud, quod Chriſtus ubique ferè miſeretur turbæ ſimplicis, in ſolos Phariſæos, ſcribas, & diuites uæ formidabile intonat: uidelicet indicans, in epiſcopis, theologis, ac principibus eſſe ſitum, ut populi uigeat, aut frigeat pietas. ab illis omne malum oritur. Miſeret populi, qui dum phariſæi ſuum agunt negocium, deſtitutus oberrat in morem gregis, à paſtore deſerti, diſiectiq;.

Chriſtus more Iudæorum ieiunaſſe creditur, uel hoc argumento, quod eo nomine calumniantur diſcipulos, non ipſum: ut legis apud Matthæum capite nono. ſignificans omnem occaſionem calumniæ uitandam ijs, qui paſtores agunt, aut principes.

Chriſtus bis duntaxat ſæuiſſe legitur: in primores Matthæi capite uigeſimo tertio, & apud eundem capite uigeſimo primo, in negociantes in templo: ſatis teſtans his fontibus uniuerſam eccleſiæ peſtem orituram.

Nullos eſſe magis capaces Euangelicæ doctrinæ, quàm ſimplices, mites ac modeſtos, aperit: ubiq; puſillos amplectens, & horum eſſe regnum cœlorum prædicans.

Non admittendum cuiuſquam hominis cõſilium, quod auocet à pietate: docet exemplo ſuo, cum Petrum paulo ante collaudatum, Satanam appellat, & qui conſultor pręire uolebat, imitatione mortis ſequi iubet, quemadmodum legis apud Matthæum cap. 16.

Quædam & præter ius facienda, ne turbetur ordo publicus, ſubmonet capite decimo ſeptimo, iubens ſoluí didrachmum, cum teſtatus eſſet immunes eſſe regni filios.

Nihil inſanabilius eſſe impietate, pietatis imagine perſonata: docet apud eundem euãgeliſtam ca. 21. Amen, inquiens, dico uobis, quod publicani & meretrices pręcedunt uos in regnum dei. Phariſæi nuſq; non reclamant Chriſti doctrinæ, ſanctimoniæ falſa ſpecie turgidi. Publicani & meretrices morbum agnoſcentes ſuum, ad medicum accurrunt.

Ac mox ibidẽ, in factis, non uerbis: in affectu, non cultu: in obedientia, non ceremonijs ſitam eſſe ueram pietatem, docet propoſita parabola de duobus filijs, è quibus laudatur is, qui quod uerbis detractarat, re præſtitit. Epiſcopis, & ijs, qui legitimis funguntur honoribus, etiam parum probis, tamen obtemperandum eſſe, modo recta doceant, admonet apud eundem capite uigeſimotertio. Super Cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi &c. Audiendus eſt aliquoties, qui docet Euangelium, etiamſi non uiuat euangelice. Cæterum eodem in loco taxat eos, quod humanis conſtitutionibus, quæ adeo nihil conducerent ad ueram pietatem, ut nonnunquam per occaſionem ab hac auerterent, onerarent populum, ſubindicans in huiuſmodi negligendos: quãdoquidem aliâs & apoſtolos defendit aduerſus phariſæos, calumniantes quod illotis manibus cibum caperent.

Non temere neq; ſubito irrumpendũ ad munus euangelicæ prædicationis, docet ipſe,

tot

tot teſtimonijs ante comprobatus, Ioannis, columbę, patris: à baptiſmo ſeceſſit, ieiunauit, tentatus eſt, uicit: atq; ita demum undiq; ſpectatus atq; inſtructus, non ſtatim ſumma docuit, ſed ab Ioannis prædicatione fecit initium, ad reſipiſcentiam & ſuperioris uitæ pœnitudinem prouocans. Nullus enim opem medici deſiderat, cui non diſplicet ſua ualetudo. Quod autem ultro quoſdam accerſit, uelut Iacobum, Andream, Petrum ac Matthæum, quoſdam ſequi uolentes, reijcit, nos admonitos uoluit, non quoslibet eſſe recipiendos ad noſtræ religionis conſortium, ſed eos duntaxat, qui ſyncero ſimpliciq; accedũt animo. Id quidem certo liquebat ei, cui patebant omnia: nobis idem coniecturis perueſtigandũ eſt.

Chriſtus ut omnibus prædicauit, ita neminem unquam blandimentis aut humanis promiſſis ad ſe pellexit, neq; quenquã ui adegit, cum eſſet omnipotens. Benefactis traxit, exemplo uitæ traxit, idem factum ab apoſtolis. Proinde uidendum recte ne ſentiãt ij, qui Turcas bellicis duntaxat machinis ſtudent Chriſtianos facere. Immo potius tonet apud illos Theologorum uox, Apoſtolicæ ſimilis: luceat uitę candor, ſic fiunt uere Chriſtiani. Apud Matthęum capite octauo, Geraſeni, cõſpectis miraculis, rogant Ieſum, ut excederet ſuis finibus, quod ad ipſorum affectus eſſet inutilis. Ita noſtris quoq; temporibus pleriq; ſunt, qui taceri malint doctrinam euangelicam, ut cũ ipſorum uitæ inſtituto pugnantem. Chriſtus adhuc infans fugit in Aegyptum, uir ultro ſeſe offert ſatellitibus, indicans eſſe tempus fugiendi, ac ſubducendi ſeſe cum imminens periculum non uidetur factu rum ad gloriam Chriſti.

Apoſtolos ſuos diu rudes & incredulos, leniſſimo pertulit animo, donec paulatim proficerent: ita ſacerdotes ſumma manſuetudine ferre debẽt populum infirmum, donec ſenſim ad meliora prouehatur.

Idem ſe facilem ac popularem & expoſitum omnibus præbuit, ne publicanorum quidem ac peccatorum fugiens conuiuia: ſed nuſquam non agens Euangelij negocium. Ita conuenit epiſcopum, aut horum uicarios, omnibus ſeſe accommodare, ſed hoc interim agentes, non ut ipſi ditiores euadant, uerum ut ſuos reddãt meliores. Aſciuit te princeps in regiam, ut ſis à confeſſionibus, aut à concionibus: ne id agas, ut epiſcopatum auferas, ſed ut pauciora peccentur inter aulicos.

Carnis neceſſitudines obſtare ijs, qui rem euangelicam gerunt, teſtatur apud Matthæum capite decimotertio, inter ſuos pauciora proferens miracula ob illorum incredulitatem: Nónne, inquiunt, hic eſt fabri filius? nónne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacob, & Ioſeph, & Simõ, & Iudas? & ſorores eius omnes apud nos ſunt? unde ergo huic omnia iſta? Atq; alibi cognati illius parant eum in uincula conijcere, dicẽtes: In furorem uerſus eſt, ut legimus Marci capite tertio. Proinde qui uirtute uelit prodeſſe multis, maiore cum fructu peregre faciet, quàm domi.

Diſcipulos, non habentes quod pro ſe reſponderent, ubiq; defendit aduerſus phariſæorum calumnias, uelut apud Matthęum capite duodecimo, dum ſabbato uellunt ſpicas: rurſum capite decimoquinto, dum illotis manibus cibum capiunt: iterum alibi, dum non ieiunant, quemadmodum Ioannis diſcipuli.

Non adnitendum, ut à quibuſuis lauderis, ſed duntaxat à probatis, & ab ijs, qui nõ laudent niſi honeſta: docet diuerſis locis. Nam Marci capite primo, in templo uociferãti dæmonio reſpondet: Obmuteſce, & exi ab homine. Apud eundem capite tertio, ſpiritibus clamantibus: Tu es filius dei: additis minis interdicit, ne ſe proderent.

Iudam admonuit, non reiecit, nec ab oſculo ſolito ſubmouit, neq; prodidit, à quo erat prodendus: tantum tribuit amicitiæ, ac domeſticæ familiaritati: docens non temere deſerendam ſemel initam amicitiam. Sic & Martinus tulit Brixium ſuum.

Quod Petrus à negatione reſipiſcit, Chriſto in illum oculos defigente: Iudas pœnitudine facti ductus, abijt ac ſuſpendit ſe laqueo: duplicem indicat pœnitentiam, frugiferam & infrugiferam. Felix autem peccator quem lapſum aſpicit Chriſtus. Infelix, qui ſemet ab illo auertit ut uideri non poſſit. Eſt aliquid, ſeruatorem uel eminus ſequi.

Quid nobis agendum ſit, ſi quando ingruerit extrema malorum procella aut mortis neceſſitas, quę neminem non manet: docet ipſe ſub tempus mortis ſecedens, uigilans, inſtanter orans, proſtratus in terram, ueluti ſuis præſidijs deſtitutus, totus à patris auxilio pendeat. Martyr qui ſuas metitur uires, impar erit ſupplicijs.

Chriſtus

Christus raro ædidit miracula, quæ præter admirationem nihil haberent utilitatis, qualia ferè sunt, quæ nunc fingunt de diuis. Sanauit ille, pauit, liberauit à periculis, quæ omnia beneficẽtię sunt. Proinde qui magnus uideri uult in ecclesia, huiusmodi factis magnum sese declaret, quæ iuuent, nõ quæ populi malo uires ipsius testentur. Nunquã cessandum à doctrina sacra, licet non proficiat omnibus, docet parabola seminantis: Nunquam non serendum, satis est si quædam proueniunt. Christus cum suis discipulis, ut ab amicis ultro porrigentibus, quædam accepit: ita nihil exegisse legitur, aut captasse, nec nisi pro uitæ usu præsenti. Ita qui præsunt gregi Christiano, gratis doceant: non deerunt qui ultro suppeditent, si modo frugi sint, & ultra naturæ necessitatem nihil requirant.

Nihil accipiendum ab ijs, qui pertinaciter aspernantur salubrem admonitionem, ne uideamur illorum fauere peccatis, docent apostoli: qui ex doctrina domini, pedum quoque puluerem excutiunt in eos, qui non recipiunt euangelium. Non esse statim prohibendos, qui administrant ecclesiæ sacramenta, aut qui doctrinã Christi prædicant, etiam si uita parum respondeat: subindicat Marci capite nono, uetans prohiberi qui miracula ædiderat sub nomine Christi, cum ipsum non sequeretur. Boni pastoris esse, nonnunquam se in altissimum ocium abdere ac secedere, quo liberius precibus ac sanctæ lectioni uacet, ut ijs rebus redintegratus, uegetior redeat ad episcopi munia: docet Mar. capite 6. suos abducens in locum desertum, ut aliquantisper requiescerent. Quales oporteat esse secessus episcoporum, multis docet locis: nõ ad uoluptates secedens, aut uenationes, sed ad orandum, ad familiarius colloquendum cum suis: tales erant secessus olim præsulum, quos ob infrequentiam monasteria uocabant. Solam ficum execratus est Christus, quæ foliis uelut impositi esurienti: significans nullum hominum genus sibi esse inuisius, quàm hos qui sub pietatis prætextu sunt impij, & religionem titulo cultuq; profitentes, uiuunt irreligiose. Quicquid ad salutẽ nostram pertinet, id crebris precibus à deo flagitandum, docet ipse subinde orans. Quicquid obtigerit boni, id deo ferendum acceptum: docet ipse, frequenter gratias agens patri: idem inculcat parabolis aliquot, uelut illius, qui cogit improbitate sua nocturnum amicum surgere: item uiduæ, iudicem inexorabilem assidua interpellatione defatigantis: idem non uno in loco precipit discipulis suis: Petite, & accipietis. Indolem egregij pastoris etiam in puero submicare, ac scintillulis quibusdam sese prodere: docet ipse puer duodecim annos natus, in tẽplo sapientiæ suæ specimen ac gustũ præbens: item in nuptijs præludens miraculo, & ante baptismum iam ceu meditans euangelicum munus, ac prægestiens ad futuram prædicationem.

Qui uelit prædicationis euangelicæ negociũ suscipere, eum oportet ab omnibus carnis affectibus esse repurgatũ, neq; quicq; nisi cœlestia sapere. Christus in baptismo spiritu impletus est, huius impetu raptus est in desertum: hinc à tẽtatione uictor, spiritus impetu raptus est in Galilæam: quemadmodum legis apud Lucã ca. 4. hinc ingressus Nazarenã synagogã, explicato uolumine Esaiæ, locũ nactus est de spiritu: Spiritus domini super me, eo quod unxit me: ad euangelizandũ pauperibus misit me. Nicodemũ iubet renasci, non ex carne, sed ex spiritu: nõ è terra, sed è cœlo. Apostolis post resurrectionem ad prędicationem ire iussis, afflat spiritum sanctum. Rursum ab ascensione mittit spiritũ igneum.

Quidam ob hoc ipsum sancti uolunt haberi, quod semet abdunt à uulgi conspectibus. At exemplo Christi, qui uere Christianus est, non horret consortium imbecillium, modo spes sit ulla resipiscentiæ. In conuiuio contrectatur à muliere peccatrice: colloquitur priuatim cum muliercula Samaritana, quæ cum sexto uiuebat adultero: conuiuatur cum publicanis. Cur enim horreat fidus, & amicus medicus homines morbidos, modo spes sit sanitatis? Beneficium gratis, & absq; spe redituri fœnoris esse collocandum, docet apud Lucam capite 14. nec ullam benefactorum mercedem expectãdam, nisi in resurrectione iustorum, parabola proposita, monens non esse inuitandos cognatos, aut uicinos, aut diuites, sed pauperes, debiles, cæcos & claudos. Cum uulgus horum, qui sibi pij uidentur, in preculis aut superstitiosis ceremoniolis summam pietatis collocet, Christus apud Lucam capite decimoquinto, præcipuum pietatis officium, deoq; gratissimũ declarat esse, si quis peccatorem ad resipiscentiam adducat: eandem sententiam tribus parabolis inculcans, ouis centenariæ receptæ, drachmæ decimæ repertæ, & filij prodigi resi-

piſcentis. Atq; inibi ſummus ille paſtor, qui ſolus omnium prorſus ab omni uitiorum labe fuit immunis, docet peccatorem ex animo reſipiſcentem, cum gaudio recipiendum: cum uulgo his inſultemus, & cum æterna nota recipiamus, perinde quaſi nos uacemus omni crimine. Vbique facta dictaq; ſua refert ad autorem patrem, exemplo dato, ne quid nos homunculi nobis arrogemus, néue noſtræ innitamur prudentiæ.

Quicquid uita communis obtulit, hoc ferè uertit in occaſionem docendæ pietatis. Oſtenſo Cæſaris nomiſmate & imagine, detorquet huc, ut ex imagine mentis memineri/mus, quid debeamus deo. Turbas frequentius affluentes ob conuiuium exhibitum, hortatur ad cibum, qui non perit. Rurſus apud eundem Ioannem, efflagitantibus ſignum aliquod, quod cum manna cœlitus olim delapſo conferri poſſit, ad ſui corporis epulas uocat, longe quouis manna ſacratiores. De inſigni ſceleratorum quorundam ſupplicio renunciantes, per occaſionem inuitat ad pœnitentiam. Pueros oblatos uertit in exemplum manſuetudinis ac modeſtiæ. Templi ſtructuram oſtentantibus, meminit de morte & reſurrectione ſua. Mulieris elogium, clamantis beatum uterum, qui talem geſtaſſet infantem, beata ubera, quæ tali puero lac porrexiſſent: huc deflectit, ut potius beatos oſtendat, qui concipiunt ſermonem diuinum, & hinc fructum æduntnunquam periturum. Quanquam hæc ratio latius patet, quàm ut ſit omnibus exemplis explananda.

Quod apud Ioannem capite duodecimo, phariſæi deſtinant & Lazarum interficere: typum habet, quod improbi nõ ſolum oderunt Chriſtum ipſum, ſed eos quoq; per quos Chriſti nomen illuſtratur. Annotandus eſt apud eundem circulus, in quo ferè ſe uoluit, ubique & ſocietatem & fœdus Chriſtianum commendans: præſertim capite duodecimo, & decimotertio, ſe declarat idem eſſe cum patre: adeo ut qui filium norit, norit & patrem: qui filium ſpernat, ſpernat & patrem: nec ſeparatur ab hac communione ſpiritus ſanctus. Sic enim legis in epiſtola: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater, ſermo & ſpiritus: atq; hi tres unum ſunt. In idem conſortium trahit ſuos, quos palmites ſuos appellat: obſecrans, ut quemadmodum ipſe idem erat cum patre, ita & illi idẽ eſſent ſecum. Impertit ijſdem communem patris ſuumq; ſpiritum, omnia conciliantem.

Non credit Petro ſuas oues paſcendas, niſi ter amorem Chriſti profeſſo: ſubindicans, epiſcopo nihil ſpectandum præter ſalutem gregis, & Chriſti gloriam. Ac mox oſtendit, quo debeat ſe præparare fidus ac uerus paſtor, ſubijciens: Amen dico uobis, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas quò uolebas: cum autem ſenueris, porriges manus tuas, & alius cinget te, ducetq; quò non uis. Neq; enim paſtor uerus eſſe poteſt, quem gloriæ ſtudium, quem lucrum, quem principum aut etiam mortis metus depellat ab officio.

Ad hunc modum conueniet in ſingulis myſticorum uoluminum locis philoſophari, præſertim in euangelijs: nam hæc exempli gratia duntaxat in medium adduximus, quo uiam indicaremus alijs, forſitan his meliora reperturis. Sed bona difficultatis pars ſita eſt in ipſo ſermonis habitu, quo traditæ ſunt nobis ſacræ literæ. Nam tropis & allegorijs, ac ſimilibus ſeu parabolis ferè opertus eſt, & obliquus, nonnunquam uſq; ad ænigmatis obſcuritatem: ſiue id Chriſto uiſum eſt, quo prophetarum ſermonem, cui Iudæorum aures aſſueuerãt, referret: ſiue hac difficultate ſegnitiem noſtram exercere uoluit, ut poſtea gratior eſſet fructus, non ſine negocio quæſitus: ſiue hoc conſilio ſua myſteria prophanis & impijs operta cœlataq; eſſe uoluit, at ſic, ut interim pijs ſcrutatoribus non intercludere/tur aſſequendi ſpes: ſiue genus hoc dictionis potiſſimum placuit, quod ut ad perſuadendum cum primis efficax eſt, ita doctis pariter & indoctis expoſitum & familiare, maximeq; ſecundum naturam: præſertim ſi ſimilitudines ducantur ab ijs rebus, quæ uulgo notiſſimæ ſunt, quod genus fermè fuiſſe leguntur Socraticæ. Neq; uero tantum ad docendũ ac perſuadẽdum efficax eſt parabola, uerum etiã ad cõmouendos affectus, ad delectandũ, ad perſpicuitatem, ad eandem ſententiam, ne poſſit elabi, penitus infigẽdam animo. Nã uehementius afficit animum adhibita parabola de filio prodigo reſipiſcẽte, in qua narratur adoleſcens à patre poſtulare portionem ſubſtantiæ, quæ ad ipſum rediret: deinde ſibi riſus, committere ſe regioni longinquæ: mox oblitus indulgentiſſimi patris, cum turpiſſimis ſcortis, ac nepotibus prodigere rem, parentis benignitate datam: deinde coactus extrema rerum omnium penuria, tandem amentiã ſuam agnoſcere, & relictæ uitæ tangi deſiderio. Reuertitur filius, agnoſcit erratum. Occurrit pater, in amplexus filij effundit ſeſe.

Parabola Filius prodigus

Profertur

Profertur noua ueſtis, profertur annulus, occiditur uitulus ſaginatus, tota domus lætitia perſtrepit. Nec aliter gaudet ſenex recepto iuuene, q̃ſi reuixiſſet à rogo. Non exprobratur temeritas poſcentis, non luxus ac nequitia profundentis. Non meminit iam horũ paterna pietas, cui ſatis eſt, quod reſipuerit, quod ſibi redditus ſit filius. Hæc inquam acrius feriunt animum, quàm ſi quis citra parabolam dicat, deum libẽter recipere peccatorẽ, modo ex animo pœniteat ſuperioris uitæ: nec exprobrari peccatum ei, qui ipſe uehementer oderit ſua commiſſa. Atq; hæc ſententia, ut efficacius influit in animos auditorũ illecebra ſimilitudinis, ita altius infigitur iterata ſimulacro ouis erraticæ, quę paſtoris humeris multum ueſtigata domum reducitur. Rurſum parabola drachmæ, quę multo ſtudio quæſita tandem inuenitur. Rurſum adhibita ex Geneſi, parabola myſtica, cum Abrahã paſſim fodit puteos. Philiſtæi iniecta terra, obturant foſſos: refodit eoſdem Iſaac, ac plures in ſuper addit, qui uenas habeant uiui laticis: nonne iucundius audieris, q̃ſi ſimpliciter dicas, ex diuinis libris petenda præcepta recte uiuendi, ab his abhorrere, qui terrenis bonis addicti ſunt? Item qui nude declaret, quibus uirtutibus oporteat epiſcopum eſſe prędituũ, frigidius audietur, quàm ſi totum Aaronis apparatum à Moſe diligẽtiſſime deſcriptum, ad allegoriam accommodet. Itidem, ſi narres, cupiditatem hominis obiecta occaſione ſollicitare ad peccandum, cui ni ratio imperet magis obtemperãs uoluntati diuinæ, q̃ſi humano effectui, uoluptatem breuem emi exitio: præterea ſæpe fieri, ut affectus ſub prætextu neceſſitatis, aut alicuius honeſtæ rationis, obrepat atq; imponat: minus delectabit, aut afficiet auditorem, q̃ ſi admoueas Geneſeos hiſtoriã: Deum præcipientẽ, ſerpentem inſidiantem: Euam, maritum ad peccati conſortium ſolicitantem, mox guſtatę uoluptatis comitẽ pœnam. Ad hæc ſi narret aliquis, toto pectore recedẽdum à uitijs, & ab improborum hominum cõmercio, ſemperq; ad meliora proficiendum, donec peruentum ſit ad prędium promiſſum ijs, qui perſeuerauerint uſq; ad finem: uehemẽtius cõmouerit auditores, ſi accõmodet allegoriam Hebræorum, Moſe duce ex Aegypto fugientium, & à turpi duraq; ſeruitute ſeſe in libertatem uindicantium: deinde tranſmiſſo mari, per uarias manſiones ceu gradus uirtutum tendentium ad terram, lacte ac melle manantem. Rurſus qui docet rem arduam eſſe ueram pietatẽ, nec oſcitanti cõtingere, ſed multo negocio, multaq; lucta uix parari, multum addet gratiæ, ſi pugnas ac tumultus, quos Hebræi cum Iebuſæis, cum Philiſtæis, cæteriſq; barbaris hoſtibus habuerunt, ad allegoriam accommodarit.

Ad hæc ſi ſimpliciter pronuncies, nihil eſſe tranquillius, nihil iucundius animo ſibi bene conſcio, cui nõ iam obſtrepant malę cupiditates: magis dormitabit auditor, quàm ſi addas allegoriæ inuolucrum, Ex Abraham & Sara non naſci Iſaac, niſi cum huic corpus eſſet emortuum, & illi deſiſſent muliebria. Sed hæc omnia è ueteris inſtrumenti libris repetere, non fuerit ſcribentis compendium: ſatis eſt exemplis aliquot oſtendiſſe, eſſe quæ gratius per cryſtallum aut ſuccinum pelluceant, quàm ſi nuda conſpiciantur. Et neſcio quo pacto, quæ ſacra ſunt, plus habent maieſtatis, ſi ſub inuolucro proferantur oculis, quàm ſi prorſus retecta uiſantur. Sic gratior eſt ueritas deprehenſa, quæ nos prius torſerit ænigmatis inuolucro: Animal primum quadrupes, mox bipes, poſtremo tripes. Iam qui dicat, quicquid in nobis boni ſit, id à Chriſto nobis autore proficiſci, intelliget quidem: uerum ſi huc accommodet ſimilitudinem de ſtirpe uitis, & palmitibus, de capite & membris, de radice & ramis: mox uelut imagine depicta, res oculis ſubijcitur. Quẽadmodum autem Chriſtus ſermonẽ propheticum expreſſit, ita Paulus cæteriq; apoſtoli Chriſti ſermonem referunt, parabolis rem oculis ſubijcientes, ac ſæpe repetitam infigentes animis. Sic Paulus ſubinde nos templa deo dicata, & templa ſancti ſpiritus appellat, quę prophanare ſit nefas. Sic totum hoc negocium de reiectis Iudæis, de aſcitis gentibus peragit parabola oleæ & oleaſtri, radicis & ramorum. Doctrinam, quæ ſemel tradita multos afficiat, fermentum uocat, multitudinem conſperſionis nomine notans: ſynceros azymos uocat, corruptos fermentatos. Stare dicit, qui firmo & infracto ſunt animo: cadere, qui peccant aut uacillant: dormiſſe, qui mortui ſunt: aut dormire, qui negligentes ſunt ſuæ ſalutis: expergiſci, qui reſipiſcunt: uigilare, qui attente et alacriter agunt ſalutis negocium. Noctem appellat uitam, erroribus ac uitijs obrutam: diem, uitam honeſtam & inculpatam. Nonnunquam diem appellat exactum iudicium, quod & ignis uocabulo deſignat aliquoties: Cuiuſq; opus quale ſit, ignis palàm faciet. Dotes diuini ſpiritus theſauros appellat: noſtra

corpora,immo nos, uasa fictilia.Massam uocat genus humanum,figulum deum:uasa de stinata honestis usibus dicit pios: impios uasa dicit in cõtumeliam parata. Corpusculum hominis nunc domicilium,nunc uestem, nunc tabernaculum appellat. Legem Mosaicã ad certum tempus traditã declarat similitudine pædagogi,& pueri hæredis. Beneficium collocatum,sementem uocat:fructum ex officio redeuntem,messem appellat. Concordiam nunc typo corporis & membrorum commendat, nunc ædificij apta lapidum structura coagmentati, sesecꝫ librãtis usqꝫ ad commune fastigium. Quicquid in quacꝫ re crassius est,carnem, corpus aut literam uocat: quicquid subtilius & propius ad animi uim accedens,spiritum appellat, aut mentem:doctrinam ad imbecillium captum attemperatam, lac dicit:doctrinam perfectiorem,solidum cibum. Non uno uero in loco Mosaicã legem inefficacem esse factam, successione doctrinæ euangelicæ, docet parabola matrimonij & diuortij. Ad Corinthios epistolæ prioris,capite decimoquinto, totam resurrectionis causam,nõ Aristotelicis aut Platonicis enthymematis,sed similibus explicat, corpus humo conditum semini comparans:segetem aut arborem enatam,typum adducẽs corporis glorificati. Iam superuacuum sit referre,quoties ab athletis ac militibus ducit similitudinem, à stadijs, à pugilibus, à bello. Eiusdem epistolæ capite nono,quot similibus eandem inculcat sententiam, pro officio impenso deberi gratiam? Quis militat suis stipẽdijs unquam? quis plantat uineam,& de fructibus eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non uescitur? Item,non alligabis os boui trituranti. Ac rursum: Si nos uobis spiritualia seminauimus,magnũ est,si nos carnalia uestra metamus? Atqꝫ iterum: Nescitis, quod qui in sacrario operantur,de sacrario cibum habent? Et qui altari assistunt,immolatorum participes sunt. Verum hæc fortasse prolixius persequimur,quàm methodi ratio ferat. Proinde ut cursum institutum absoluamus: Christus aliquoties fallit suos ad tempus allegoriarum ænigmatibus, quo post altius inhæreat,quod uolebat intelligi:ueluti cum Matth.ca. decimosexto,monet cauendum à fermento pharisæorum:illis de panibus omissis succurrit,cum ille de uitanda pharisæorum hypocrisi loqueretur.

Rursum cum apud Lucam,diuendita tunica,iubet emi gladium: cumꝫ respondentibus duos adesse gladios, ait,sufficit: per occasionem animum addit Petro, ut gladio rem aggrederetur,cum hoc ageret Christus, ut hunc affectum,ui tuendi sese aduersus persecutiones,penitus ac radicitus ex animis suorum euelleret.

Item cum apud Ioannem,admirantibus ingentem templi structuram,ait: Soluite templum hoc,& in triduo excitabo illud:nec Apostoli senserunt illum de corpore suo loqui, occidendo,& in triduum reuicturo. Ad hæc cum ait apud eundem: Modicum & non uidebitis,& iterum modicum & uidebitis me:ueluti per ænigma significauit,se breui moriturum,sed mox à resurrectione semet illis exhibiturum usqꝫ ad diem ascensionis:sic haud scio,quo consilio uisum est æternæ sapientiæ adumbratis simulachris,& insinuare se pijs mentibus,& prophanis,ut ita dicam,imponere. Quot seculis expectant Hebræi suum illum toties promissum Messiam? quid autem expectabat uulgus? Eximium quempiam regem,qui late proferret ditionis suæ fines, qui Iudæos in libertatẽ assereret, qui opibus bearet genus suum,qui gentes à Mosaica lege alienas,igni ferroꝫ popularetur. Sed ó uanam ac delusam istorum expectationem. Venit Christus, humilitatis ac paupertatis exemplum:uenit tyrannidis mundanæ contemnendę magister:uenit adhortator ac dux ad tollendam crucem. Proinde delusi crassæ mentis imaginatione,quanto studio expectauerant uenturum, tanto odio uenientem auersati sunt. Apud Matthæum uero quot parabolis regnum cœlorum nobis adumbrat:seminantis uarie, rursum seminantis bonum semen,grani sinapis:fermenti exigui,in ingentem farinæ massam abditi:thesauri in agro defossi,insignis margaritæ. Ad hunc ordinem referri poterat, quod Paulus Christũ semper imitans,omnia trahit à communi sensu ad sensum penitiorem,qui semper est ueriſſimus, atqꝫ etiam saluberrimus,ac latissime patens. Iuxta uulgarem opinionẽ Iudęus est,qui præputij pelliculam habet amputatam. Iuxta Pauli interpretationem Iudæus est, qui mẽtem habet à terrenis cupiditatibus repurgatam: contra præputiatus est, quisquis crassis affectibus ducitur. Iuxta popularem sententiam Abrahæ filij sunt, quibus ab Abrahã genus ducitur:iuxta Christum ac Paulum filij Abrahæ sunt,qui pietatem ac fidem Abrahę moribus referunt. Item Israelita dicitur,qui ad Israelis genus pertinet. Christo non est Israelita

lita, nisi qui uitæ innocentia deo cognatus est. Iustitia uulgo dicitur, ubi quis legum præscripta seruauit: apud deum iustitia non est, nisi legis obseruationem animi puritas syncritasq; commendet illi, qui penitus intuetur intimos pectoris recessus. Sacrificium obtulisse dicitur, qui uictimam mactauit, aut ut hodie fit, qui consecrauit eucharistiã: deo uere sacrificat, quisquis iram, quisquis libidinem, quisquis ambitionem, aliasq; consimiles pecuinas cupiditates mactat ac premit. Templum deo sacrum dicitur ædificium, pontificum uerbis & unctione dicatum, intus templum uere sacrum est, animus dei simulachrũ referens, nec ullum turpitudinis idolum admittẽs. Idololatria uulgo dicitur, quoties thus incenditur signo cuipiam prophano: uera idololatria est, quoties ob fœdam uoluptatem, ob turpe lucrum, ob uindictæ cupiditatem, ob tyrannidem contemnitur Christus. Apostatæ dicuntur, qui transfugerunt ad Turcarum partes: ueri apostatæ sunt, quorum tota uita pugnat cum Christo, ac mundo seruit, & à baptismi professione discrepat. Blasphemia uulgo dicitur, ubi quis impia uerba euomit in deum: sed Paulus ex prophetæ sententia blasphemiam appellat, quoties ob impiam uitam eorum, qui dei cultum profitentur, dehonestatur nomen dei. Cur enim uereamur dicere, deum infamari malis Christianorũ moribus, cum in euangelio dicatur pater glorificari bonis operibus discipulorum? Ad hanc rationem dici possit, iuxta popularem existimationem monachos appellari, qui certo genere cultus ac uictus, certisq; ceremonijs esse se profiteãtur, cùm deo monachus nõ sit, nisi cuius animus mũdanis cupiditatibus planè sit mortuus. Verũ & hoc paucis exemplis indicasse satis arbitror, quando suus cuiq; animus abunde multum exemplorũ suppeditabit. His finitima cognataq; sunt prouerbia, quod genus est: Cecinimus uobis tibijs, & non saltastis: cecinimus lugubria, & non ploraſtis: quo significatum est, pharisæos nec Ioannis austeritate, nec Christi ciuilitate fuisse prouocatos ad pœnitentiam.

Sunt autem tropi, qui non pertinent ad grãmaticos aut rhetores, sed pertinent ad idioma sermonis: quod si ignoretur, frequẽter aut fallit, aut moratur lectorem. Ac Græca quidem lingua complures habet cum latina communes, quosdam habet sibi peculiares. Cæterum Hebræa plurimas habet loquendi formas, ab utraq; dissonãtes. Cõmune est nobis cum Græcis, quod dicimus benefacere eum, qui bene meretur de quopiam: at non item commune, quod illi dicunt, εὖ πάσχειν, id est, bene pati, pro eo quod est beneficio affici. Commune est cum illis, quod pro ἔχω χάριν dicimus, habeo gratiam. Non est commune quod illi pro eodem dicunt οἶδα χάριν, id est, noui gratiã: aut μεμνῆσθαι χάριν, id est, meminero gratiam, pro eo quod Latine diceretur, referam gratiam. Emendate dicitur Græcis, ἔλαθόν τινες ἀγγέλους, qui insciens accepit angelos hospitio: at non item Latine, latuit, accipiens angelos. Iam apostoli, tametsi Græce scripserunt, tamen nõ parum referunt ex proprietate sermonis Hebraici. Porrò Septuaginta, qui ueteris instrumenti libros nobis Græce tradiderunt, permulta referunt ex Hebraici sermonis proprietatibus, quę ferè sunt ab Hieronymo mutata, qui ueterem sustulit translationẽ, quam in opere de locutionibus adducit Augustinus (si quis uelit illius gustum capere) adeo ut qui sit eius sermonis rudis, etiamsi probe græce calleat, nõ assequatur aliquoties sententiã loquentis. Cuius generis sunt, ut unum aut alterũ exemplum docẽdi gratia producã: iurat in cœlo, pro eo quod erat, iurat per cœlũ: &, credit in eo, pro eo quod erat, fiduciã habet in illo: &, confitetur in eo, confitetur, siue agnoscit illum: in hoc cognoscent, in gladio percussit, per hoc cognoscent, gladio percussit: ero illi in patrẽ, erit mihi in filiũ, ero illi pater, erit mihi filius: duos & duos, pro binos: magis fortior est nobis, fortior est nobis: mulier si fuerit uiro alienigenæ, pro eo quod erat, si nupserit uiro alienigenæ: homo homo, pro quisquis: uiri uiri, pro cuiuscunq; uiri: quæ fecit uirtutẽ eorum, pro, quæ fecit exercitibus illorum. Nam hoc arbitratus est Augustinus ad Hebraicum idiomata pertinere, cũ mihi uideatur idiomatis Græcanici. Hebraicum est, pronomen ex superuacuo addere: Beatus populus, cuius dominus deus eius: ostendit, pro fecit: bonas bonas, pro ualde bonas: Maria Cleophæ, pro Maria uxor Cleophæ: Iacobus Alphæi, Iacobus Alphæi filius: ecclipsis est familiaris Hebræis. Item, omnis caro, pro omnes homines: centũ animæ, pro centum hominibus: uerbum, pro facto: Quid uerbum hoc feciſti? honor pro subsidio: misericordia pro beneficentia. Porrò quod usu uenit in his, quæ uersa sunt ex sermone Hebraico, idem accidit in his, quæ translata sunt ex sermone Græco, quoties interpres, illius lin-

guæ reddit idioma. Verum huius generis formas aliquot sparsim indicauimus in Annotationibus, quas scripsimus in nouũ testamentũ. Et Aurelius Augustinus libris aliquot idem egit, quibus titulus est, De locutionibus. Quanq; in hoc argumento felicius ille uersari poterat, si quod annotauit, ex Hebræorum potius q; Græcorũ fontibus hausisset. Extant & annotationes Titanij, scriptoris, ut apparet, neoterici in hoc ipso genere.

Iam alijs quoq; tropis frequẽter explicatur difficultas. Nam quod Matthæus & Marcus prodiderunt latrones, qui cum Christo erant crucifixi, conuiciatos ei fuisse: cum Lucas tradat alterum duntaxat id fecisse, sic explicat nodum Augustinus, ut dicat esse ἑτέρωσιν numeri, latrones dictum pro latro. Rursus, Christum triduo fuisse in sepulchro, per synecdochen explicant: quemadmodum & illud, quod apud Marcum post tres dies resurrecturus scribitur, cum diluculo tertij diei resurrexerit.

Quoties autem explicato hyperbati anfractu, sensus obscuritatem discutiunt & Origenes, & Chrysostomus, & Hieronymus, & Augustinus? Hos, opinor, non legerat insignis Scotista quidam, qui nuper in publica concione falsissime, ut ipsi uisum est, derisit mei similes, qui laborarent in commonstrando sermonis ordine: Iam olim, inquiens, ex Alexandro grammatico didici construere. Quin & hyperbole non raro succurrit, uelut illuc: Ascendũt usq; ad cœlos, & descendunt usq; ad abyssos: cum uehementem tempestatem undarum intelligi uellet Psalmista. Neq; continuo mendacium est, quod ultra ueri fidem dicitur: sed in hoc adhibetur tropus, ut acrior & ardẽtior sit oratio. Ac ne quis absurdum putet, in diuinis libris hyperboles meminisse, facit hoc nõ raro Origenes, facit Chrysostomus, facit Augustinus & Hieronymus. Huius generis sunt illa: Facilius est camelũ per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum: cum nihil aliud intelligi uellet, quàm esse difficillimum, ut dives obtemperet euangelicæ doctrinæ. Item apud Lucam: ubi parabola iubet ad conuiuium adhiberi debiles, cæcos & claudos: nihil aliud significatur, quam abiectos & calamitosos esse subleuãdos beneficio gratuito. Rursum ubi prohibet, ne quem inter uiam salutent Apostoli: cum hoc uoluerit intelligi, non committendũ eis, ut ob humanos affectus, ullis dispendijs euangelij negocium remorẽtur. Vbi uetat, ne peram aut baculũ tollant in uiam, sensit eos his præsidijs liberos esse oportere, quibus uulgus se munit, iter initurum. Neq; enim dubium, quin apostoli peras & baculos habuerint: cum Paulus & lacernam & bibliothecã reliquerit Troade. Vbi suos iubet liliorum exemplo uiuere, sentire uoluit, abijciendam anxiam solicitudinem reponendi in posterum commeatus. Vbi iubet præberi maxillam leuam, percutiẽti dexterã: quid aliud uult, quàm non referendam illatam iniuriam? Idem sentiendũ opinor, de relinquenda tunica ei qui pallium abstulerit: & ultro ambulando bis mille passus cum eo, qui ad semel mille compulisset. Vbi negat esse suum discipulum, qui nõ oderit patrem & matrem, plus dixit quàm intelligi uoluit: neq; enim sensit habendos odio parentes, sed omnes affectus posthabẽdos negocio pietatis ac salutis. Vbi iubet ungi faciẽ oleo, ne uideamur ieiunare: nihil aliud sentit, quàm in benefactis non captandam ostentationem. Nam arbitror apostolos non solitos ungere faciem, cum ieiunarent. Origenes indicat hyperbolen esse, quod in Genesi scriptum legimus: Lauit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ pallium suum. Quis enim abluit uestes suas in uino? Verum his uerbis nihil aliud intelligi uoluit, quàm insignem & exuberantem agri fertilitatem. Idem hyperbolen esse putat, quod Paulus scripsit, Romanorũ fidem prædicatam in uniuerso mundo, cum multis esset ignota regionibus. Diuus Augustinus in epistola ad Publicolam, quæ inter cæteras numero censetur, centesima quinquagesimaquarta, putat in illis uerbis Christi, quibus prohibet, in totum ne iuremus, neq; per cœlum, neque per terram, neque per aliud quicquam: hyperbolen esse: plus enim dixit quàm sensit, quo uehementius deterreret à periurio. Augustini uerba, si quis requirat, subscribam: Si tamen illud nos adhuc mouet, quod in nouo testamento dictum est, ne omnino iuremus. Quod quidem mihi propterea dictum uidetur, non, quia uerum iurare, peccatum est, sed quia peierare, immane peccatum est: à quo nos longe esse uoluit, qui omnino ne iuremus, admonuit. hactenus ille. Veluti cum interminamur pueris, ne natent, dicimus: si uel aspexeris lacum, occidam te. Quam interpretationem si recipimus, consimili ratione explicabuntur & illa: ne diuertas ab uxore, ne resistas malo; ne irascaris: uehementer enim uult suos abesse ab iniusto diuortio, quibus diuerten-

diuertendi ius in totum ademit. Procul abesse uult ab inferēda iniuria, quos ne lęsos quidem uult ulcisci sese. Nimium abesse uult ab homicidio, à conuicijs, ab ira iniqua, quos nullo modo uult ira commoueri. Iam quod Ioannes in euangelij sui calce scripsit, totum mundum non fore capacem librorū, qui de Christo scribendi forent: Cyrillus & Chrysostomus ingenue fatentur, hyperbolen esse. Horum posterior homilia in Matthæum 13. putat hyperbolen subesse in his Christi uerbis: Quod in tenebris uobis dico, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Neq; enim Christus quicq̄ locutus est furtim aut in aurem, aut apostoli unquam prædicarunt in tectis: sed quod paucis in Palestina dictum erat, in aurem & in tenebris dictum uocat, præ comparatione lucis & buccinæ euangelicæ, quæ mox per apostolos apud uniuersas orbis nationes, apud summos & infimos eluxit, & insonuit. Opinor, & cum prohibet, ne quem uocemus patrē in terris: pręterea cū ait: Nec iota, nec apiculum unum legis omittendum, qui nō impleatur: intelligens, nihil omnino prætereundum ex promissis diuinis: quæ constare possunt, etiamsi apices aliquot sublati fuerint. Sed huius quoq; generis aliquot exēpla cōmonstrauimus in Annotationibus, quibus nouum testamētum explanauimus. His cognata sunt illa, quæ an tropis constent, nescio, certe ad uulgarem sensum accōmodanda sunt potius, quàm ad uiuum, ut aiunt, exigenda: ueluti cum prohibet omnino iurare, sentit non esse iurandum, ut uulgus deierabat ob quaslibet causas. Cum prohibet sollicitum esse de crastino, sentit iuxta uulgi morem, qui ceu deo diffisus, anxie torquebatur cura futuri temporis. Cum prohibet resistere malo, sentit malum non esse propulsandum malo, ut uulgus hominum solet: alioqui licet reprehendere peccantes, licet & coercere. Cum prohibet, ne uocentur rabbi, sentit, ne Pharisæorum more, qui supercilio turgebant ob hunc titulum. Cum prohibet in precibus multiloquium, sentit, non esse precandum iuxta quorundam exemplum, qui existimabant, deum multitudine uocum capi, magis quàm affectu mentium: alioqui legimus & Christum orasse prolixe: Sic iubet non irasci, sentiens iram uulgarem, quę tendit ad iniuriam. Sic damnat eum, qui fratri suo dixerit, fatue: sentiens, qui, quod uulgo solet, cōtumeliæ gratia id fecerit: alioqui Christus ipse motus ira legitur, atq; alibi suos discipulos, & Paulus Galatas stultos appellat, sed arguens, non incessens. Habet & pietas iram suam, habet & charitas sua conuicia. Huiusmodi fermè sunt cum apud Matthæum ait: Misericordiam uolo, & nō sacrificium: omnino sacrificiū uolebat, quod ipse indixerat. sed prius est præstare misericordiam, q̄ offerre sacrificium. Rursum cum ait: Doctrina mea non est mea, suam negat esse, quam patri ut homo ferebat acceptā. Rursum cum ait: nondum fuisse spiritum, quod Iesus nondum esset glorificatus, non sentit simpliciter, non fuisse spiritū, sed in apostolis nōdū apparuisse spiritū illum euangelicum.

Latini sermonis idiomata.

Quin & ipse sermo Latinus habet sua quædam idiomata, quæ parum attentis, aut minus eruditis imponunt aliquoties: quod genus est illud apud Marcum capite quinto, cum ab archisynagogo uenire dicuntur, qui ab illius ædibus ad illum uenirent: quem locum habemus iam olim deprauatum ab ijs, qui nō agnoscebant Latinæ linguæ proprietatem, qua dicimus, ad me ibimus, pro eo quod erat, ad domum meam. Cæterum addubites forsitan, an in apostolicis & euangelicis literis reperire liceat ironiam: cum dubium esse non possit, quin in ueteri testamento reperiatur, nimirum libri Regum tertij, capite decimooctauo, Helias irridens prophetas Baal: Clamate, inquit, uoce maiore: deus enim est, & forsitan loquitur. aut in diuersorio est, aut in itinere. aut certe dormit, ut excitetur. Potest & in his uerbis Christi accipi ironia. Dormite iam & requiescite: iuxta Theophylacti Bulgariensis episcopi sententiam. Rursum apud Paulum epistolæ prioris ad Corinthios capite sexto: Contemptiores qui sunt, hos ad iudicandum constituite: per ironiam dictum uideri potest, præsertim cum sequatur: Ad pudorem uestrum dico. Fortassis & illa Christi uerba non multum absunt ab ironia: Non est bonum, sumere panem filiorum & proijcere canibus. Nec illa: Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores, neque enim uere sensit esse iustos, sed exprobrat, quòd sibi iusti uiderentur.

Ironia.

Sunt & aliæ figuræ cōplures uerborū ac sententiarum, quæ ad cōpositionem, aut grauitatem, aut iucunditatem orationis faciunt, sine quibus ut constet sensus scripturæ mysticæ, tamen efficiūt, ut iucūdius atq; efficacius influant in animos nostros, ac felicius tractētur, tradanturq;. Eas diuus Augustinus nō grauatus est multis uerbis indicare in libris

ſacris,in opere cuius titulus,De doctrina Chriſtiana.De omnibus diligenter tradiderunt Donatus ac Diomedes, ſed his diligentius Quintilianus libro Rhetoricarum inſtitutionum nono.At ne quis hanc literaturæ partem faſtidiat,ut grammaticã ac triualem,Auguſtinus in opere de doctrina Chriſtiana iubet non indiligenter addiſci, uelut utilem ad intelligẽdos libros canonicos.Iam amphibologia uitium quidem eſt orationis,ſed quod ſæpenumero uitari non poteſt,etiamſi Fabius,quo ad fieri poteſt, uitandum eſſe monet. Auguſtinus adeo uitari uult,ut exiſtimet manifeſtarium ſoloeciſmum citius admittendũ, quàm ambiguam dictionem: & oſſum dici mauult, quàm os, ſi unum aliquod ſignificamus eorum,quæ multa dicuntur oſſa,non ora:qua quidem in re nõ illi prorſus aſſentior, niſi cum apud imperitam plebem uerba fiunt. Nec aliud ſenſit Auguſtinus, cuius ætate uulgus promiſcuũ utcunq; Latine tum intelligebat,tum loquebatur:alioqui, ubi in libris ſuis Auguſtinus unquam dixit oſſum,amphibologiæ uitandæ gratia? Verum hæc incõmoditas frequentius accidit in lingua Græca quàm Latina.Proinde nos compluribus locis & indicauimus,& ubi licuit,ſubmouimus. Tollitur autem ferè uel compoſitione,ſiue ordine ſermonis commutato,ſi ex contextu naſcatur,uel dictione ancipiti,per periphraſin explicata:quod ipſum Auguſtinus exemplis aliquot proſequitur. Verum abuſus uocis nonnunq; ancipitem reddit orationem:ſed qui nõ tam linguæ ſit peculiaris, q̃ ſcriptori,ut ſunt & inter autores ſua cuiq; propria.Nam frequẽter hærebit in Quintiliani ſermone,qui præter Ciceronem nihil legerit.Sic Paulus aliàs carnem uocat cognatos, aut ſanguinis affinitatem:aliàs totum hominem carnem appellat:nonnunquam craſſior hominis,aut alterius cuiuſpiam rei pars,caro dicitur:interdum affectum hominis ad uitia ſollicitantem,carnem appellat:item corpus ſæpe uocat,quod ex membris conſtat: Aliquãdo corpus idem illi ualet, quod caro. Spiritum alicubi uocant ſummum illum ac cœleſtem: alibi mẽtis impetum,ſpiritum dicunt.Rurſus aliàs dona ſpiritus ſancti,dicuntur ſpiritus: nõnunquam aer hic,motus ſpiritus dicitur,ut ibi:Spiritus ubi uult ſpirat.Cui penè idem eſt,quod ait Paulus:Spiritus quidem meus orat,mens uero mea ſine fructu eſt.Huius generis ſunt & illa,cum fidem dicunt pro fiducia:cum Latinis fides ſit uel pollicẽtis, ut dare fidem:uel præſtantis,aut non præſtantis promiſſum,ut ſoluere fidẽ,præſtare fidem:fidentis aut credẽtis nõ eſt, niſi cum ſic loquimur,habeo tibi fidem,abrogat illi fidem.Item cum Paulo dicitur ædificare,qui prodeſt:& deſtruere,qui nocet.Rurſus cum benedictionem uocat beneficium ſponte collatum.Sed de his plura ſparſim dicta ſunt nobis in Annotationibus:& in argumentis, quæ ſcripſimus in epiſtolas apoſtolorum, nonnihil attigimus. Annotanda erit & uerborum emphaſis, quam ad rem plurimum conducit diuerſarum cognitio linguarum.Quod genus eſt,quod Paulus uocat ſe ſeruum Ieſu Chriſti, potius quàm cultorem. Seruus enim totus alieni iuris eſt,ex heri ſui pendet arbitrio, quicquid parat domino ſuo parat,non ſibi.Simile eſt,quod in epiſtola ad Corinthios,appellat apoſtolos ὑπηρέτας, hoc eſt,miniſtros Chriſti,& οἰκονόμους, id eſt,diſpenſatores myſteriorum dei.Miniſter alienæ rei miniſter eſt,non ſuæ, & diſpenſator pro tempore promit ex arbitrio domini,non ſuo,quod & quantum cuiq; eſt opus.Sic epiſcopi nõ quærũt quæ ſua ſunt,non ſua docent,ſed quæ ſunt Chriſti.Non omnibus eadem proponunt,ſed pro cuiuſq; captu ſermonẽ attemperant.Emphaſis nonnunq; eſt & in uocula, quæ uulgari ſermone nihil habere momenti uideretur.Quod genus eſt.Legimus Leuitici capite 26. Cuſtodite ſabbata mea, & pauete ad ſanctuariũ meum. Non temere addidit pronomen. Habet enim & mundus ſua ſabbata,habet & ſanctuarium. Qui ſuperſtitioſe uacat ab operis manuarijs,ut interim nõ temperet à iurgijs,à ſcortis,à temulẽtia, ſuum habet ſabbatum,nõ domini.Qui ſic audit quotidie ſacrum,ſignatur cruce,aſpergitur aqua,ut interim nihilo ſecius male uelit proximo,ut interim fraudet,rapiat,fœneretur, non pauet ad ſanctuarium domini,ſed ſuum.Sic enim deus loquitur apud Eſaiam:Calendas ueſtras & ſolẽnitates ueſtras odiuit anima mea.Quomodo dicit illorũ Calendas,quas ipſe indixerat? Sed illi male ſeruãtes,nec in eũ uſum,in quẽ ille inſtituerat,ſuas fecerant. Quemadmodũ quũ ieiunamus uel ob parſimoniã,uel ob inanem gloriam,uel interim grauius peccantes alijs uitijs tetrioribus,noſtrum ieiunium eſt,nõ dei.His affine eſt & illud, quod annotauit Origenes: Ieſus Petro dicit, ὕπαγε ὀπίσωμου, quem uult imitatorem eſſe ſuæ mortis.Satanæ tantum dicit ὕπαγε ὀπίσω, uidelicet ablegans à ſe,non inuitans ad imitationem,cuius

ius peruersitatem nouerat deploratam. Hæc quoniam passim incidunt, non est ratio persequi. Sufficit indicasse. Verum in allegorijs, ut huc redeamus, quoniam his omnis ferè constat diuina scriptura, per quã æterna sapientia nobiscum ueluti balbutit, præcipua cura ponẽda est, quæ nisi succurrunt, prẽsertim in ueteris testamenti uoluminibus, maxima pars fructus perierit lectori. Aliquoties palam falsus est, nonnunquam etiam ridiculus & absurdus est uerborum sensus, si simpliciter accipiatur. Quale est. Esaias cap. septimo scribit de Christo: Ecce uirgo cõcipiet & pariet filium, & uocabit nomẽ eius Emanuel. Constat enim Christo non fuisse nomen inditum Emanuel, sed Iesu. Qua quidem ex re Iudæi quidam & Hęretici causabantur, Iesum quem colimus, non eum fuisse, quem per Esaiam promiserat deus. Non enim simpliciter de uocabulo indito sensit propheta, sed de re. Nã Iesu nato uere nobiscum deus esse cœpit, per filium mundum restituens. Sed quod sequitur absurdius etiam est: Quoniã priusq; sciat uocare patrẽ & matrem, accipiet uirtutem Damasci, & spolia Samariæ. Sic enim legit Tertullianus, Certe ad Christum accõmodat etiam Hieronymus. Qui conuenit ut puer dicatur bellator? An puer uagitu ad arma conuocaturus est exercitũ, & signum belli nõ tuba, sed crepitaculo daturus, nec ex equo curruue, nec de muro, sed de nutricis aut gerulæ suæ collo, hostem impetiturus, atq; ita Damascum & Samariam pro mamillis subacturus? Hæc sermonis absurditas fecit, ut hęretici negarent hanc prophetiam ad Christum pertinere. Sin adhibes allegoriã, pulchre quadrabit ad euangelicam historiã, quæ narrat tres magos ultro uenisse Bethlehẽ, ut muneribus oblatis agnoscerent regem nouum, qui non copijs nec armis, sed uirtute cœlesti, & gladio sermonis euangelici subigeret uniuersum orbem. Pernicioſus est uerborũ sensus, nisi adhibeas allegoriæ remedium: quod genus illud: Beati qui se castrauerunt propter regnum dei, & illud Pauli: Hoc enim faciens, carbones igneos cõgeres super caput eius. Augustinus & illud huius esse generis opinatur: Nisi quis ederit carnem meã, & biberit sanguinem &c. Hic igitur, ut dictum est, conducet rerũ naturalium cognitio: tum in poeticis allegorijs per ætatem præluſisse, aut etiam ab omni genere rerum ducendis ac tractandis similibus, qua de re & nobis olim libellus æditus est. Sunt qui noui quoq; testamẽti historiam ad allegoriã trahunt: quod ego sanè uehemẽter approbo, cum aliquoties sit necessarium, sæpissime festiuum & elegans, si quis modo scite rẽ tractet. Nam mihi uidetur Ambrosius in hanc partem, ut illius pace dixerim, immodicus esse nonnunquam: ueluti cum Petrum ad prunas calefaciẽtem se, negat corporis frigus sensisse, cum id temporis frigus esse non posset, sed mentis hoc fuisse frigus. eleganter hoc, quod ait in allegoria uersans: Sed frigus erat, ubi Iesus non agnoscebatur: ubi nõ erat, qui lucem uideret: ubi negabatur ignis consumens: cæteraq; in hanc sententiam. Verum nihil uetat, quo minus & narratio nis constet fides. Addit autem: si tempus consideremus, frigus esse non poterat. ac paulo post: frigus ergo mentis, non corporis. Etenim licet in ea regione satis tepeat cœlum illis mensibus, tamẽ nox in æstuantissimis etiam plagis suũ frigus habet. Huic simillimum est, quod subijcit de negatione Petri, magis argute q; uere patrocinãs ei, quẽ Christus ad hoc ipsum labi passus est, ut ipse resipiscens, miserante Christo, confirmaret fratres suos: & tamen adeo nouum uideri uult, potuisse peccare Petrum, ut peccatũ illius nec ab euangelistis comprehẽdi potuerit: perinde quasi satis idoneum sit argumentũ, illos nõ assecutos, de quo uarie narrarint, cum idẽ plurimis accidat locis. Deinde cum apud Matthæum ac Marcũ prodenti puellę, respondet: Nescio quid dicas: huc detorquet, quasi nõ negarit dominũ, sed à muliebri proditione se separarit. Quod si maxime quis urgeat, illũ abnegasse, quod esset de numero eorũ, qui fuerant cũ Iesu Galilęo, aut, ut à Marco scriptũ est, Nazareno: tamen huc uerba deflectit, quasi negasset se nosse Galilæum, aut Nazarenũ, quẽ dei filium nouerat. Rursum quod apud Matthæum habetur: Nõ noui hominẽ: eodẽ torquet quasi discipulus hominis non esset, qui discipulus dei uellet haberi. Nam quod cõfirmandæ rei gratia adducit ex Paulo: Paulus apostolus nõ ab hominibus, neq; per hominẽ, sed per Iesum Christũ & deũ patrẽ, etiãsi nõ nescià secus ab alijs explicari: mihi uidetur, non naturam significasse Paulus, quã Christo nõ ademit: sed infirmius quiddã & humilius intelligi uoluisse hominis uocabulo: ueluti cũ ait: An secũdũ hominẽ hæc loquor? Videtur hoc Ambrosij cõmentum taxare Hieronymus in commentariolis quos scripsit in Matthæum. Scio quosdã, inquit, pij affectus erga apostolũ Petrũ, locũ hunc ita interpretatos, ut dicer

Petri negatio

ut dicerent Petrum non deum negasse,sed hominem,& esse sensum,nescio hominẽ,quia scio deum. Hoc quàm friuolum sit prudens lector intelligit: sic defendunt apostolum, ut deum mendacij reum faciant. Si enim iste non negauit,ergo mentitus est dominus,qui dixerat: Amen dico tibi,quia hac nocte,antequam gallus cãtet,ter me negabis. Cerne quid dicat: me negabis,non hominem: Hactenus ille. Atq; hæc quidem licet plausibiliter & argute dicerentur in schola declamatoria tamen in rebus sacris neq; ludendũ est,neq; decet argutari,neq; expedit torquere quicquam: ne dum falsa defendimus,ueris fidem abrogemus. Simplex est,iuxta Tragici sententiam,ueritatis oratio: nihil aũt Christo neq; simplicius,ueq; uerius. Fortassis huius generis est,quod Augustinus in homilia quadã de muliere in adulterio deprehensa,quinq; uiros,et sextum uirũ non uirũ ad allegoriã accõmodat, meo iudicio coactius. Iam in numeris passim philosophantur,de numero trigesimo, sexagesimo, & centesimo, rem Hebraicam ad Græcos aut Latinos numeros accommodantes. Item de quinq; millibus hominum satiatis,de panibus, de duobus piscibus, de talentis decem,quinq;,& uno,de farinæ satis tribus: nõ quod negem alicubi in numeris latere mysterium,sed quod in quibusdam ascita,detortaq; uideantur adferri: & tamen has commẽtatiunculas aliquoties basim esse uolumus, cui seria dogmata superstruamus. Simplicissimum est,quod idem uerissimũ esse puto,decem,quinq;,& unũ posita esse, pro plurimo,mediocri,& minimo. Est ubi summam parabolæ satis sit attigisse,etiã in ijs,in quibus allegoria uitari non potest: uelut in parabola patrisfamiliâs, aduersus nocturnum furẽ uigilantis,quæ nihil aliud deliniat,quàm eius diei subitum & inopinatum aduentum. Sunt qui fastidiant omnes allegorias,tanquam rem arbitrariam, somnijq; simillimam. A quibus ut uehementer dissentio,cum uideam absq; his plerosq; sensus,aut absurdos esse, aut pernicioso s,aut futiles,leues ac frigidos: cumq; cõstet Christum allegorijs usum,& Paulum aliquot ueteris instrumenti locos per allegoriam interpretari: ita non possum nõ improbare quorundam ineptum allegorismum,qui fingunt ipsi, quod explicent allegoria. Viator fessus insedit tergo ingentis draconis,arboris truncum esse ratus, is excitatus deuorauit miserum. Viator est homo,draco mundus, qui sibi innitentes perdit. Aliaq; his magis friuola,iustis uoluminibus prodita sunt à quibusdam,miroq; studio leguntur à nõ nullis. Satis est ea,quæ reperiuntur in sacris literis,ad allegoriam accommodare, si res ita postulet,ut ipsi nihil affingamus. Audiui quẽdam theologũ Parisiensem,qui de filio prodigo parabolam in quadraginta dies protraxit, ut æquaret quadragesimæ numerum, affingens iter abeuntis ac redeuntis, quasi nunc in diuersorio uesceretur artocrea è linguis confecta,nunc præteriret molam aquatilẽ,nunc luderet alea,nunc cessaret in ganea,nunc aliud atq; aliud ageret,& ad eiusmodi cõficias nænias, prophetarum & euangeliorũ uerba detorquebat. Atq; interim imperitæ multitudini,& crassulis magnatibus deus esse uidebatur. Nec sine causa ridet Hieronymus eos,qui poetarum fabulas ad Christum detorquent: nisi si quid ad mores commode deflectetur: ueluti fabula Protei in inconstantes, Phaetontis in temerarios, Tantali in auaros & parcos, Midæ in diuites stolidos, Danaes in ius pecunia corruptum, Ixionis & Danaidum in frustra laborantes. Quandoquidem dubium non est,quin ueteres in hunc usum pleraq; commenti sint. Nullum autem familiarius docendi genus,nec efficacius,quam per similium collationem: nam Christus parabolas à rebus uulgatissimis sumit,qui suã doctrinã q̃ maxime popularẽ esse uoluit. Quis enim non uidit iaci semen in terrã? quis nõ conspexit piscatores iaciẽtes retia? quis nescit palmites amputatos exarescere? Atq; hæc uulgata mire nouat,ad suã philosophiã accommodans. De Scotidarũ argutissimis subtilitatibus, paucorũ est differere, in his promptũ est quibuslibet philosophari. Vides exorientẽ solẽ,exhilararis: quid uoluptatis sensurus, si cordis oculis exoriatur sol ille iustitiæ? Molesta res est morbus corporis, quanto molestior animi morbus? Horres contagiũ pestis corporalis, multo magis uitanda morũ pestilentiũ contagio. Res elegans tibi uidetur,hortus omni florum & arborũ genere uernans: quale spectaculum animus innocentia uirens,ac uirtutũ omni genere exuberans? Vides serpentem,habes exemplum Christianæ prudentiæ: uides columbã,habes imaginẽ Christianæ simplicitatis. uides ceruũ,habes symbolũ, admonẽs auide sectãdas diuinas literas. uides agnũ,habes typũ innoxię mãsuetudinis. urget hyems,admoneris ut in rebus aduersis,fortunæ melioris expectatiõe te sustineas: blãditur æstas, admoneris ut te præpares ad

uentura

uenturas erũnas: grauis est senectus, aspiras ad immortalitatẽ: grata est iuuẽtus, admoneris, ut uenturæ senectuti uirtutum & eruditionis pares præsidia. Ita quicquid hic uisibilis mundus offert oculis corporeis, eius ideã reperies in rebus animi. Cæterũ quibus ex fontibus petendæ sint allegoriæ, partim explicat Dionysius in opere, cui titulum fecit, De diuinis nominibus: partim Augustinus libro de doctrina Christiana tertio, propositis & explicatis Tychonij septem regulis, aliquanto plus honoris habens, primum infanti, deinde hæretico, quàm nos habeamus scriptoribus quibusdã orthodoxis. Fortassis & à nobis nonnihil conferetur, si quando uacabit absoluere libellum olim cœptũ, de Theologicis allegorijs. Interim unum illud addam, non satis esse circunspicere, quomodo iuxta sensum historicum, qui simplex est: quomodo iuxta tropologicum, qui ad mores & uitã cõmunẽ pertinet: quomodo iuxta allegoricũ, qui capitis ac totius corporis mystici tractat arcana: quomodo iuxta anagogicũ, qui cœlestem attingit hierarchiã, diuersis in rebus uarie reluceat æterna ueritas (nam ad hunc modum uideo quosdam diuidere) uerumetiam considerandum erit in singulis horum, qui gradus sint, quæ differentiæ, quæ tractandi ratio: quot modis tractat Origenes Abraham à deo tẽtatum, & in historia uersans, quos tamen locos inuenit. Vt ne dicã interim, quod typus pro uarietate rerum, ad quas accõmodatur, pro diuersitate temporum uelut aliam accipit figuram: sicut porcorum siliquę, quibus perditus ille filius cupit explere uentrẽ famelicũ: ad opes, ad uoluptates, ad honores, ad mundanã eruditionem possunt accõmodari: & tamen adhuc uersaris in tropologia. Quin tota parabola potest ad Iudæorũ populum, ac gentes illius tẽporis applicari. Gentes resipiscunt, & recipiuntur, obmurmurant Iudæi: placat utroscp pater communis. Iam ex personarum, quibus accommodatur parabola, temporũcp uarietate, noua penè facies sermonis nascitur: qua de re nonnihil attigimus in superioribus. Porrò in tractãdis allegorijs, felicissimus artifex est Origenes, sedulus magis q̃ felix Ambrosius, si quis forsitan requirat exemplũ quod imitetur. Quin & illud in primis admonẽdus est theologiæ candidatus, ut apposite citare cõdiscat sacræ scripturæ testimonia, nõ è summulis, aut elenchis, aut sordidis conciunculis, aut alijs id genus collectaneis, iam sexcenties aliunde aliò confusis ac refusis: sed ex ipsis fontibus. Nec imitetur quosdã, quos nõ pudet oracula diuinæ sapientiæ uiolenter detorquere ad alienos sensus, aliquoties & ad cõtrarios. Id ne fiat, prima sit cura, librorũ omnium ueteris nouicp testamenti sententiam ex priscis illis interpretibus perdiscere. Audiui quosdã in palestris Sorbonicis nõ uulgariter exercitatos, qui in frequẽtissima cõcione multa philosophabãtur, nõ intellecto themate, quod ex more proposuerant, ne ad literã quidem, ut uocant: magnocp pudore doctorũ hominum tumultuabantur, extra oleas, ut est in Græcorũ prouerbio, currentes. Sunt qui secum adferunt sua decreta, & uulgaribus opinionibus infecti, his seruire cogunt arcanã scripturam, cum ex hac potius petenda sint animi decreta. Quod eleganter admonet Hilarius libro de trinitate primo: cui optimus diuinorum uoluminũ lector est, qui dictorũ intelligentiã expectat ex dictis potius cp imponat, & retulerit magis cp attulerit: neq; cogat id uideri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendũ. Sunt qui eam ad publicos affectus ac mores pertrahunt, & cum huic regulæ seruire cõueniat, ubi deliberatur, quid oporteat fieri: huius patrocinio tuentur id, quod uulgo fit. Iam est occultius quidem, sed hoc ipso nocentius deprauandi genus, cum abutentes diuinæ scripturæ uocabulis, ecclesiam, quæ Christi corpus est, interpretamur sacerdotes: mundũ, quo uocabulo mali affectus designãtur, interpretamur laicos Christianos, perinde quasi hi ad ecclesiã nõ pertineant: interim quod de Christianis omnibus est dictum, proprie monachis accommodantes: in mundo ponentes, quos Christus selegit è mundo: & uelut à mundo semotos iudicantes, qui non aliter sunt extra mundum, q̃ renes extra corpus animantis: cum quod de cultu diuino dictũ est, ad solas ceremonias deflectimus: quod de sacerdotis officio, ad solas preculas utcũcp dictas trahimus. Interim tota dissertione uis fit sacris literis, & putribus fundamẽtis inanis ædificij moles imponitur. Proinde qui recte uolet uti scripturis, nõ sat habeat, quatuor aut quincp decerpsisse uerbula: quin potius circũspiciat, unde natũ sit quod dicitur. Frequenter enim huius aut illius loci sensus ex superioribus pendet. Perpendat, à quo dicatur, cui dicatur, quo tẽpore, qua occasione, quibus uerbis, quo animo, quid præcesserit, quid consequatur. Quandoquidẽ ex hisce rebus expensis collectiscp deprehẽditur, quid sibi

Differentiæ in singulis sensibus

Ecclesia

Mundus

ſibi uelit,quod dictum eſt. In his hæc quoq; ſeruanda regula, ut ſenſus, quem ex obſcuris uerbis elicimus,reſpondeat ad orbem illum doctrinæ Chriſtianæ, reſpondeat ad illius ui tam,denicq; reſpondeat ad æquitatẽ naturalem.Hoc loco ſubindicandus eſt error eorum, qui è ſacris uoluminibus,in quibus pro temporum rerum,ac perſonarũ uarietate diuerſa narrantur,tantum eas particulas decerpunt,quæ ad ipſorum faciunt affectus: cum huma nam legem nullus intelligat,niſi qui ſingula illius capita perpenderit. Audi ſermonem di uinum,ſed totum audi. Epiſcopus es,delectat te quod Petro dixit Chriſtus: Et tibi dabo claues regni cœlorum:ſed attendito,quod eidem à cruce reuocanti dictum eſt: Vade re/ tro ſatana,non ſapis quæ dei ſunt,ſed quæ hominum.Memento quod eidem dictum eſt: Tu me ſequere.Summus es pontifex,iuuat dici uicarium Chriſti,ſed interim in mentem ueniat exemplum Chriſti,mors Chriſti,in cuius affectum ſuccedat oportet, qui ſuccedit in uices ac titulum. Sacerdos es,placet tibi quod dictum eſt apoſtolis: Quorum remiſeri/ tis peccata,remittuntur eis:ſed aduerte quod præceſſit:Accipite ſpiritum ſanctum:atten de quod ijſdem eſt dictum:Ite & docete omnes gentes.Delectat quod ait Paulus,preſby/ teros duplici honore dignos,ſed adde quod addit ille:qui bene præſunt. Applicas in tuũ commodũ,quod in ueteris teſtamenti libris iubẽtur decimæ dari Leuitis,ſed adde quod dari iubentur ijs,qui à ſortibus diuiſæ terræ fuerant excluſi:dari iubentur ijs, qui ſemper aſſiſtebant ſacris,& huic uni rei uacabant: dari iubentur ijs, quorum pars erat dominus deus. Ab his rebus quantum abſunt,qui nunc plus quàm decimas exigunt à plebe? Cri/ ſtas erigimus, quod ſacerdotes regale genus dixerit Petrus: at multis non uenit in men/ tem,ijſdem præſtandum eſſe, quod dixit Chriſtus: Vos eſtis ſal terræ:uos eſtis lux mun/ di.Places tibi,quia tibi quoq; dictum imaginaris, quod Chriſtus dixit Petro: Paſce oues meas:ſed interim memento,qui hoc dixit,ter eſſe ſtipulatum amorem ſui,& amorem ex/ imium. Ait enim:Diligis me plus his.Præſides alijs epiſcopis, uerũ iuberis & amore præ cellere,iuberis exemplo ſummi paſtoris,omnium incolumitatẽ uitæ tuæ diſpendio tueri. Gaudes tibi locum in terris eſſe Chriſto proximum,at memẽto tuum eſſe officium, ut ſis illi & uitæ ſanctimonia proximus.Ad eum modum ſi ſacris literis utemur, tum demum erunt nobis ſalutiferæ. Quidam impudenter ſcripturam diuinam trahunt ad ſenſum alie niſſimum, uelut is, qui quod dictum eſt de tentorijs hoſtium apud Abacuc:Turbabũtur pelles terræ Madian, detorſit ad Barptolemæum excoriatum, quod habet hiſtoria, licet ea fide careat:aut is,qui quod habetur in libro Iudith:Gyrantes uallem,uenerunt ad por tam:ſtultiſſime deflexit ad argumenta quatuor librorum Petri Lombardi,qui ſcripſit ſen tẽtias theologicas.Quodq; in hoc etiam eſt ſubtilius,uult in ijſdem uerbis alluſum eſſe ad ipſius nomen & agnomen.Hæc non referrem,niſi ipſi ſuas nænias euulgaſſent,neq; deeſ/ ſent,qui talia ſerio lectitent. Sunt qui ludant uerbis ſcripturæ diuinæ, ac ueluti fit in cen/ tonibus poetarum,ad alienum ſenſum ceu per iocum abutũtur.Quod aliquoties facit di/ uus Bernardus, uenuſte magis quàm grauiter,meo quidem iudicio. Sic enim imbiberat uir ille præclarus ſacras literas,ut nuſquàm non occurſarent.Nam quod hodie quidam,ſi quando feſtiui ſtudent uideri, uerba myſtica deprauant ad iocos ſcurriles, non ſolum in/ doctum eſt,uerum etiam impium,& ſupplicio dignum.Impingit hoc Hieronymus Ori/ geni,quod aliquoties uim faciat ſcripturis,opinor,ut nos prorſus abducat à litera,plerũq; ſterili. Quin potius nemo fermè ueterum non alicubi torquet, quoties cum aduerſario dimicant: atq; ipſe etiam Hieronymus,quod uno in loco propemodum fatetur.In his igi tur cautius obſeruandum,num qua uis facta ſit uerbis ſacris:niſi ſi quis fas eſſe putat id fa cere,quoties capiendus eſt hoſtis,aut à uitijs deterrendus infirmorum animus. Mihi ui/ detur rectiſſimum,ut caſte,ut opportune ſacris uerbis utamur. Si primum curaris, ut id facias quàm optime,poſtea fiet,ut & facile facias. Id cum ubiq; præſtari uelim, maxime tamen præſtare conuenit, ubi res eſt cum aduerſarijs noſtræ religionis: aut ubi refellitur falſitas,& aſſeritur ueritas:aut ubi myſticę ſcripturæ ſenſus enarratur.Fit enim alioqui,ut non ſolum nõ euincamus,quod aſtruimus,uerumetiam riſui ſimus aduerſario,& tamen mea ſententia nuſq; magis peccatum eſt à ueteribus. Huius generis arbitror,quod Am/ broſius libro de ſpiritu ſancto ſecundo, capite ſexto, ex loco qui eſt apud Paulum in epi/ ſtola ad Philippenſes capite tertio:Qui ſpiritu ſeruimus deo:ratiocinatur aduerſus Arria nos,ſpiritum ſanctum aperte deum dici, connectens has duas uoces πνεύματι & θεῷ, cũ

Græco

Græco ſermone magis exprimatur ſenſus diuerſus, uidelicet nos colere deum non corporeis uictimis ac ceremonijs, ſed ſpiritu: præſertim cum ſpiritui non addatur ſuus articulus, qui in tẽpore uidebatur addẽdus, ſi ſenſiſſet de ſpiritu illo diuino. Rurſus quod idem enarrans locum qui eſt in epiſtola Pauli ad Timotheum ſecunda, capite ſecundo: In domo autem magna non ſolum ſunt uaſa &c. magno ſtomacho reijcit & exibilat interpretationem Nouatiani, qui magnàm diuitis domum interpretatus ſit mundum, qui conſtat ex bonis ac malis, & ad hoc euincendum, adducit illud euangelicum: Vos de mundo nõ eſtis, ſed ego elegi uos de mundo. cum hoc oraculum nihil faciat aduerſus Nouatianum, qui de mundo ſenſit hoc uiſibili, qui omne rerum genus complectitur: contra Chriſtus figurate mundum appellet cupiditates, quibus obnoxium eſt hominum uulgus, res fluxas ac temporarias pro æternis ſectantium. Nec erat cur odio Nouatiani deſtomacharetur in bonam interpretationem, quam ſequitur & diuus Chryſoſtomus, licet alienus ab hæreſi Nouatiani. Prẽterea quod Beda ex mulierculę Cananęæ uerbis, Miſerere mei domine fili Dauid, colligit & aſſeuerat illam perfecta fide & deum credidiſſe Chriſtum & hominem, quod id temporis, opinor, nec ipſos apoſtolos credidiſſe, præſertim quum mox ſcribatur procidiſſe & adoraſſe Ieſum, quaſi deum agnoſcat, quiſquis domini nomine compellet. Aut quaſi ſubſidium huiuſmodi non ſoleat & à ſanctis uiris peti: Aut quaſi Miphiboſeth libro regum ſecundo, non pronus corruat in faciẽ, & adoret regem Dauid: Aut quaſi non ſit ſcriptum in Actis apoſtolorum, de Cornelio quod procidens ad pedes adorauerit Petrum. Vt ne recenſeam hic alia loca complura. Mihi parum uerecundum uidetur aſſeuerare quippiam ex argumento, cuius refutatio mox occurrat uel tenuiter erudito. Ac ne quis calumnietur me parum bona fide narrare rẽ, ipſius Bedæ uerba ſubſcribã. Scribit enim hunc in modum de Chananæa. Habet namq; magnam fidei perfectionẽ, quæ pietatem ſaluatoris implorans, ait, miſerere mei domine fili Dauid. Quum enim eundem dominum quem filium Dauid appellat, patet profecto, quia uerũ hunc hominem, uerum credidit & deum. ac mox: Sed in hoc quod eum poſt multas lachrymas, tandem proſtrata adorat dicens: Domine adiuua me, nequaq; ſe de eius diuina maieſtate ambiguam docet, cuius adorandam ut dei, didicit eſſe potentiam. Hactenus Bedæ uerba retulimus. Rurſum quod Auguſtinus uerba Baptiſtæ, quæ leguntur apud Ioannem capite primo: Et ego neſciebã eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua, ille dixit mihi: Super quẽ uideris ſpiritũ deſcendentẽ, & manentẽ ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto: abunde efficax telum arbitratur ad fundendas uniuerſas Donatiſtarum phalanges, interpretans, unum hoc eatenus latuiſſe Ioannem, quod Chriſtus authoritatem baptiſmi ſibi proprie ſeruaſſet, cum cætera noſſet omnia. Nouerat eſſe filium dei, nouerat eſſe deum & hominem, nouerat eſſe Chriſtum, nouerat ueniſſe redimẽdo ſeruandoq; generi humano: nouerat eſſe eum, qui ueniſſet baptizaturus aqua & ſpiritu ſancto. Quid igitur eum docuit pater indicio columbæ: nimirum illud, quod baptiſmum ſuum ſibi ſeruaturus eſſet, nec ulli ſuorum ceſſurus. Atq; in hanc ſententiam prolixe diſſerit, ſatis quidem plauſibiliter apud eos, quibus perſuaſum erat inſanire Donatiſtas, ſicut inſaniebãt. Nam ipſa etiam ſermonis ſpecies arguit illum eam diſputationem ad præſentium animos & aures, eiuſqúe temporis ſtatum accommodaſſe. Verum ſi res ſerio foret agenda, ſi comminus collatis armis congrediendum eſſet cum aduerſario, non uideo quid hæc tela poſſint, quibus apud ſuos fretus, quaſi triumphum agit. Siquidem ut interim non excutiam altius, quare baptiſmus ſit permiſſus omnibus, cum cæterorum ſacramentorum functio tam paucis mandata ſit, præſertim cum ijſdem ab eodem utrunq; dictum ſit: Ite baptizate omnes gentes, &: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ad hæc, an ſicut admittur ius abſoluendi, ita poſsit adimi ius baptizandi: deinde, an quem eccleſia reſecat, hoc animo reſecet, ne poſt ullo munere eccleſiaſtico fungatur: præterea an Donatiſtæ ſenſerint eos, qui olim uere baptiſmũ acceperint, & ad impietatem relapſi ſint, rurſus eſſe baptizandos: an eos, qui in hæreſi, & ab hæreticis aqua tincti non uere baptiſmum acceperint: ut non exquiram, an quæ de ſacramento & charactere tradidit Auguſtinus, nitantur argumentis ſat efficacibus: nec enim in re quicq; ab illo diſſentio, & Donatiſtas non pro hæreticis ſolũ, uerumetiã pro ſchiſmaticis, & inſaniſsimis latronibus habeo, Et facile mihi perſuadet qualibus qualibus argumentis, quod uel circa probationẽ ullã perſuadet

autoritas ecclesiæ,& schismatis odiū: tantum illud expendimus interim, an hic locus eu/angelicus satis efficax sit ad coarguendum Donatistarum errorem. Primū enim nihil cō/mouerit aduersarium, quod Augustinus toties asseuerat & inculcat, Ioannē hoc solum ignorasse, quod Christus sibi proprie seruaret baptismū. Neq; enim id satis arguit, quod ait: Hic est qui baptizat, cum addat: in spiritu & igni, non distinguens autorem baptismi, sed genus baptismi. Nam quod Ioānes baptizabat, autore deo baptizabat: alioqui si quis ex his uerbis: ipse est qui baptizat, contendat neminē baptizare præter Christum, quo/modo Paulus dicit baptizatam à se Stephanæ domū? Quomodo Christus mandat apo/stolis: ite et baptizate, si solus ipse baptizat? Neq; protinus consequens est, si Christus est omnium sacramentorum autor, ideo per quemuis illa conferri. Donatistæ assumebant hæreticos extra ecclesiæ consortium esse, extra quam non sit baptismus. Ad quam rem comprobandam, multis scripturarum testimonijs utitur Cyprianus & argumentis item plurimis: cumq; hoc complures episcopi, quorum suffragia recensentur in actis synodi Carthaginensis. Mihi quidem modis omnibus probatur, quod diffiniuit ecclesia: tantū in hoc hæc adduximus, ut ostenderemus exempli gratia locum ad uictoriam detortum.

Loci theologici parandi

Quod nunc dicturus sum haud scio an uel præcipuam allaturum sit utilitatem, si quis dextre præstiterit: id est huiusmodi, ut locos aliquot theologicos aut tibi pares ipse, aut ab alio quopiam traditos accipias: ad quos omnia quæ legeris, uelut in nidulos quosdam di geras, quo promptius sit, ubi uidebitur, quod uoles uel promere, uel recondere, uelut (ut exempli causa rem notem) de fide, de ieiunio, de ferendis malis, de subleuandis infirmis, de ferendis impijs magistratibus, de uitando simplicium offendiculo, de studio sacrarum literarum, de pietate erga parentes, aut liberos, de Christiana charitate, de honorandis primatibus, de liuore, de obtrectatione, de castimonia, atq; alijs id genus! nam innume/rabiles fingi possunt His in ordinem compositis, iuxta rerum pugnantiam, aut affinita/tem (ut in Copia quoq; nostra quōdam indicauimus) quicquid usq; insigne est, in omni/bus ueteris instrumenti libris, in euangelijs, in Actis, in literis apostolorum, quod conue/niat, uel dissonet, ad hos erit redigendum. Quod si cui usum erit, poterit ex antiquis in/terpretibus: postremo uel ex ethnicorum libris huc cōferre, quod usui futurum existima/rit. Hac usum fuisse ratione diuum Hieronymum, ex ipsius scriptis mihi propemodum uideor animaduertere. Siue quid erit differendum, aderit ad manum parata supellex: siue quid explicandum, facilis erit locorum collatio.

Collatio locorum

Quandoquidem hæc non Origeni tantum, sed & Augustino optima ratio est inter/pretandi diuinas literas, si locum obscurum ex aliorum locorum collatione reddamus illustrem: & mysticam scripturam mystica, sacra sacram exponat. Qua quidem ex re non solum illud commodi capietur, ut sensus alibi non intellectus percipiatur, ue/rum adiungetur autoritas. Nam quamuis ubique diuinæ scripturæ autoritas uel unico uerbo nobis satisfacit, tamen aliquando fit, ut de interpretatione possit ambigi, præser/tim cum ueteres etiam non raro dissentiant. Proinde si plura consentient, ad fidem faci/ent: sin dissentient, aut etiam pugnabunt, excitabunt nos ad exactius scrutinium: quod genus sit cum dominus dicat: Non uidebit me omnis caro & uiuet, tamen Lucas ex auto ritate Esaiæ dicit, & uidebit omnis caro salutare dei. Rursum quum Paulus dicat, caro & sanguis regnum dei non possidebit, tamen Iob loquitur, & in carne mea uidebo deum meum. Item cum in euangelio Christus uetet irasci, tamen in psalmis legimus: Ira/scimini & nolite peccare: quare sequitur aut Christum non sensisse de quauis ira, aut psalmographi sermonem sic accipiendum, non ut præcipiat irasci, sed si inciderit ira, ne procedat usque ad iniuriam. Item quod alicubi Christus permittit suis, ut ad iter tollant peram ac baculum, alibi rursus etiam his interdicit. Hæc pugna nonnun/quàm est in uerbis tantum, nonnunquàm in factis, nonnunquam mixtim ex utris/que. De uerbis exemplum modo dedimus: de factis illud esse potest, quod cum Petrus plagas & carcerem à Iudæis patienter tolerarit, erga Ananiam, & huius uxorem Sa/phiram, non est usus eadem lenitate, sed acriter increpitis, præsens exitium denunciauit. Rursus plebem incredulam leniter ac mansuete reuocat ad resipiscentiam: hos nō admo/net ut resipiscant, sed ilico plectit: & tamen Simonē empturientē donum spiritus sancti, quanquàm esset iam baptizatus, non plectit, sed admonet ut resipiscat, nonnullam ueniæ

spem

ſpem oſtendēs mutato. Mixti generis exemplū hoc eſto. Chriſtus in euāgelio uetat omnino iurare, & tamen in epiſtolis ſuis toties iurat Paulus. Chriſtus iubet dextram maxillam percutienti, exhibere leuam: ipſe percuſſus in iudicio, cum percuſſore etiam expoſtulat. Paulus adeo non exhibet alteram, ut pro alapa conuicium impingat pontifici iudici, non ita multo mitius alapa. Item cum legamus: Perdes omnes qui loquuntur mendacium, tamen quoſdam probatos uiros mendacio uſos legimus, uelut Abraham et Iudith. In his igitur facta ſanctorum pugnantia, ut uidetur, cum doctrina ſacrorum uoluminum, admonent nos in uerbis alium ſubeſſe ſenſum, quàm ſermo prima ſpecie præ ſe ferat. Quin & hunc uſum adferet hæc locorum collatio, ut idioma ac tropos arcani ſermonis certius agnoſcamus. Atq; hiſce iam rebus inſtructus Theologiæ tyro, iugi meditatione uerſetur in diuinis literis: has nocturna curet uerſare manu, uerſare diurna: has ſemper in manibus, ſemper habeat in ſinu: ex his ſemper aliquid aut auribus inſtrepat, aut oculis occurrat, aut animo obuerſetur. In naturam ibit, quod uſu perpetuo fuerit infixum.

Nec, mea ſententia, fuerit inconſultum, diuinos libros ad uerbum ediſcere, uel non intellectos, autore Auguſtino: quod equidem ſic interpretor, etiam ſi ſenſum myſticū non dum percipias. Nam facere, quod apud monachos aliquot fieri uidemus, nec aliter ediſcere pſalmos, quàm pſitacus ediſcit uoces humanas, plus habet tædij quàm fructus. Neque enim faciliùs tantum ac tenacius inhæreſcunt memoriæ, quæ intelligimus, uerumetiam maiore cum utilitate. Id primum fieri uelim in noui teſtamēti uoluminibus, quæ tanto præſentius faciunt ad noſtram profeſsionem, ut hodie propemodum uel ſola ſuffice re poſsint, nimirum uulgata iam, & animis omnium infixa Chriſti doctrina. Nam olim Iudæis ad fidem adducēdis, neceſſario erat adhibenda ueteris autoritas inſtrumenti: nūc nobis cum Iudæis minimum eſt negocij, & apud alios non eſt eadem autoritas libris Hebræorum: etiamſi nō negem plurimam ex illis utilitatem capi, ſi quis adhibitis allegorijs, uel ad Chriſtum, in illis adumbratum, uel ad mores accommodet; atq; ſi id non immodice, ſed carptim fiat. Sunt enim quæ uerbatim ad allegoriā trahere frigidū ſit, quod admixta ſint multa, nō ut ſignificent aliquid, ſed ut tenor ac ſeries hiſtoriæ conſtet, quemadmodum docet Auguſtinus, cumq; hoc Ioannes Chryſoſtomus homilia in Matthæū 65. parabolā enarrans de cōductis in uineā. Sit igitur apud nos primus honos nouo teſtamēto, per quod Chriſtiani ſumus, et ubi Chriſtus nobis multo expreſsius q̄ in uetere depingitur: proximus ueteri, & in hoc his libris, qui cum nouo maxime conſentiunt, quales ſunt Eſaiæ libri. Quanq̄ ſi diſpoſitis, ut dixi, locis, frequēter Paulinas epiſtolas cū euangelijs, et cum utriſq; conferas Eſaiā, reliquaq́ue ueteris teſtamenti loca, futurū eſt ut hæc ſuapte ſponte inhæreſcant & inſideant memoriæ. Quod ſi quos deterret hic labor, illud quæſo ſecū cogitet: qui conueniat, ut theologus futurus ſophiſticas præceptiunculas ediſcat: ediſcat qualeſcunq; in Ariſtotelem commētarios, aut etiam paraphraſim, ediſcat Scoti concluſiones, quas uocant, et argumenta: & idem operæ grauetur dare libris diuinis, ex quorum fontibus uniuerſa ſcatet theologia, quæ modo uere ſit thelogia. At quanto ſatius eſt, ſemel hoc laboris (nec enim dixerim tædij) deuorare, quàm ſemper recurrentibus in orbem laboribus, quoties tractandum aut citandum erit aliquid, ad dictionarios, ſummulas, & indices confugere: ueluti faciunt mei ſimiles quidam, qui cum domi nihil habeant ſupellectilis, quoties opus eſt cantaro aut patella, à uicino petunt utendam. At recte monet ſapiens ille, ut aquam de tua bibas ciſterna: & adeo non ſit neceſſe aliunde rogare, ut tu potius de tuo fonte deriues in alios. Quin igitur omiſsis confuſis iſtis formularijs, & impuris ſummulariorum lacunis, tuum ipſius pectus bibliothecam facito Chriſti, ex eo uelut è penuario depromito prouidus paterfamilias ſeu noua, ſeu uetera, utcunq; poſtulabit res. Longe uiuidius penetrant in animos auditorum, quæ è tuo pectore ceu uiua prodeunt, quàm quæ ex aliorum farragine ſubleguntur.

De ediſcendo.

Nouum teſtamentum

Atqui inter hæc roget aliquis, quid tu, num adeo facilem & expoſitam iudicas ſcripturam diuinam, ut abſq; commentarijs poſsit intelligi? Quid ni poſsit aliquouſq;, nimirum quantū ſatis eſt, nō ad Theatricam oſtentationem, ſed ad ſanam doctrinā, prius cognitis dogmatibus, & hac, qua dixi collatione locorū adhibita? Alioqui quid aliud ſecuti ſunt, qui principes in hanc commentarios ædiderunt? Inter quos præcipuus eſt Origenes, ſic hāc Venerem exorſus, ut nemo poſt illum auſit manus apponere. Tum Origene ue-

De commentarijs

Tertullianus tuſtior Tertullianus uir in diuinis literis ad prodigium uſq; doctus, ut non ſine cauſa Cy
Origenes. prianus hunc ſuum magiſtrum ſolitus ſit appellare. Quid autem uetet alios eôdem per/
Baſilius. uenire, quò peruenerunt illi, ſi eadem ingrediantur uia? Non hæc dico, quod cuiquam
Nazianzenus author eſſe uelim, ut præteritis ueterum commentarijs, diuinæ ſcripturæ ſcientiam ſibi
Athanaſius. uindicet, aut etiam uenetur. Imò partem laboris adimat nobis ueterum labor, adiuue/
Cyrillus. mur illorum commentarijs, dummodo primum ex his deligamus optimos, uelut Orige/
Chryſoſto/ mus. nem, qui ſic eſt primus, ut nemo cum illo conferri poſsit: poſt hunc Baſilium, Nazian/
Hieronymus. zenum, Athanaſium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Ambroſium, Hilarium,
Ambroſius. Auguſtinum: deinde ut hos ipſos cum iudicio delectuq; legamus: etiamſi reuerenter legi
Hilarius. uolo. Homines erant, quædam ignorabant, in nonnullis hallucinati ſunt: dormitarunt
Auguſtinus. alicubi, nonnulla dederunt utcunque uincendis hæreticis, quorum contentionibus tunc
feruebant omnia. Præterea uix quiſquam eſt horum, cuius falſo titulo non permulta cir
cunferantur: atq; adeo, quod eſt impudentius, cuius libris non multa admixta ſint aliena,
id quod in Hieronymo certe, moxq; in Cypriano palàm arguimus, & in Auguſtino for/
ſitan arguemus. Nec ita multum negocij fuerit idem facere in cęteris, hoc eſt in Origene,
in Ambroſio, in Chryſoſtomo. Quod ni hic quoq; fuerit oculatus lector, periculum eſt,
ne impoſtoris aut nebulonis ſomnium, pro Hieronymi aut Ambroſij oracculo amplecta/
tur. Sic enim hodie quidam τὸν ἥλιον ὑπερφρονοῦντες, περαίνονται: Sic ait Hieronymus in
quodam ſermone, ſic Auguſtinus in quadam homilia ad fratres eremitas: perinde quaſi
de tripode pronunciarent oracculum. Sit igitur delectus non ſolum authorum, uerumet/
Delectus au/ torum & ope rum. iam operum. Et in authoribus non hoc modo diſcrimen eſt, quod Græci præcellunt La/
tinos, quod ueteres recentiores: uerumetiam quod in ſingulis etiam generibus alius ſit
alio præſtantior. In operibus cauendum, ne nothum & ſuppoſititium pro germano ue/
roq; amplectaris. Proinde quandoquidem in tanta librorum multitudine, & in tanta æta
tis fugacitate, non uacat euoluere omnia, ſupereſt, ut primum legamus optima. Quor/
ſum attinet in hiſce neotericis coaceruatoribus uerius, quàm interpretibus, bonas horas
haud bene collocare? In quibus primum quàm multa ſunt, quæ tibi poſtea ſint maiore
negocio dediſcenda? Deinde ſi quid ineſt recti, id ex ueteribus hauſtum comperies, ſed
mutilum ferè ac decurtatum: quod ob linguarũ & rerum inſcitiam multa, & haud ſcio an
optima, quoniam non aſſequebantur, coacti ſunt prætermittere. Quid quod bona pars
iſtorum ne decerpit quidem ab illis, ſed è ſæpius confuſis ac transfuſis collectaneis, uelut
è decima lacuna ſuffuratur, ut penè nihil reſipiant ſui fontis. Deinde ne nihil de ſuo addi/
diſſe uideatur, aſpergit aliquid ſuorum ſomniorum, aut è ſordido quopiam, & pridie na/
to authore admiſcet, quaſi cum multa iura confundit cocus, ut inquit Plautus. Poſtremo
ut eadem doceant cum priſcis, quàm frigent apud hos ſordentq; omnia, ob ſermonis in/
fantiſsimã balbutiem? At Hieronynus ita delicijs omnia condit ac locupletat, ut cũ aber/
rat à uero aut à re digreditur, tamẽ plus bonæ rei doceat, quàm iſti, cũ uere rẽ tradunt. Vt
ne dicam interim, quod omnino tales ipſi reddimur, cuiuſmodi ſunt authores, in quibus
aſsidue uerſamur. Neq; enim perinde ciborum qualitas tranſit in corporis habitum, ut
lectio in animum ac mores legentis. Si in ieiunis, in frigidis, in fucatis, in ſpinoſis ac rixo/
ſis ſcriptoribus aſsidui ſimus, tales euadamus oportet: ſin in his, qui uere ſapiunt Chri/
ſtum, qui ardent, qui uiuunt aguntq;, qui ueram pietatem & docent & præſtant: hos ſal/
tem aliqua ex parte referemus. At dices, ſi nihil acceſſerit, parum inſtructus fuero ad pa/
læſtram ſcholaſticam. Neque uero nos pugilem inſtituimus, ſed theologum, & eum theo
logum, qui quod profitetur, malit exprimere uita quàm ſyllogiſmis. Nec eſt quod tibi
tantopere diſpliceas, ſi inter iſtos parum theologus habearis: cum inter eoſdem ne Hie/
ronymus quidem ipſe ſit habiturus quod reſpondeat, ac fortaſſe nec ipſe Paulus. In culpa
eſt non ipſa theologia, quæ non ſic nata eſt: ſed quorundam tractatio qui totam illam ad
dialecticorum argutias, & Ariſtotelicam philoſophiam detraxerunt: ut illic non pau/
lo plus ſit philoſophiæ quàm theologiæ. Atqui fieri poteſt, ut rhetor aliquis, aut arithme
ticus, aut muſicus ſic eandem tractet, ut nemo iam ſit intellecturus, niſi qui prius ar/
tium illarum uim omnem cognitam habeat. Quid autem neceſſe eſt ad omnes omni/
um quæſtiunculas certa reſpondere theologum? quarum neque numerus eſt ullus,
neque finis: dum hydræ in morem, pro una reciſa ſexcentæ repullulant? Sunt quæ.

parum

parum pium sit inuestigare, sunt quæ citra salutis dispendium possint nesciri: sunt de quibus eruditius sit ambigere, & cũ Academicis ἐπέχειν, quàm pronunciari. Quis enim fructus si me torqueam, an deus creare possit hominem ἀναμάρτητον? an deus aliquo ab ipso distincto sit unus? an possit respectum producere sine fundamento & termino? an anima Christi potuerit falli aut mentiri? an hęc propositio, deus est scarabæus, æque possibilis sit atq; hæc, deus est homo? Vtrum potentia generandi in patre, sit aliquid in illo absolutum, an proprietas patris. An personæ constituantur in esse personali, per relationes originis. An omnium æuiternorum sit unum æuum. An gratia et charitas distinguantur. An gratia sit in essentia animæ, an in potẽtia? an uerbi incarnationem præcesserit corporis organizatio & animatio. An animæ Christi fuerit collata summa gratia, quæ conferri potest creaturæ. An anima Christi omnia cognoscat in uerbo, quæ cognoscit ipsum uerbum. An anima Christi meruerit in instanti suæ conceptionis. An ignis apud inferos sit eiusdem speciei cum nostro. Sunt quæ quadantenus uestigasse sufficiat, altius rimari sit nefas. Diuus Ioannes Chrysostomus in Ioannis euangelium homilia decima, satis existimat didicisse nos in Christi persona diuinam naturam cum anima corporeq́ humano sic ineffabili quodam nexu conglutinatam fuisse, ut naturas inter se distinctas, eadem complecteretur hypostasis: Porrò quibus rationibus id fiat, non arbitratur ulterius scrutandum. Quomodo autem hoc sit, inquit, noli disquirere, factum est ut ipse uoluit. At inter nos quot quæstiones extiterunt, quot opiniones, quot sectæ disputantium, utrum Christus individuum hominis assumpserit, an speciem, an tertio quodam modo dicatur deus & homo. Atque hac de re cum inter ueteres parum conuenerit, nuper etiam exortus est quidam qui reprobatis superiorum opinionibus, nouam uiam indicet. Idem Chysostomus homilia in Matthæũ quarta, docet Euangelistam de natiuitate Christi, iuxta carnem nihil ausum temere definire, qui tantum ostendit huius admirandi conceptus opificem spiritum sanctum, & hac ratione sese compendio liberauit ab omnibus quæstionibus. Incredibile, inquit, non est, quod fecit omnipotens dei spiritus. Nobis inscrutabile est, quod ille arcano suo peregit consilio. Nobis satis est credere, tenere & adorare quod scriptũ est. Eodem in loco Chrysostomus magnopere demiratur temeritatem eorum, imò dementiam, ut ipse uocat, qui rimantur æternam illam natiuitatem, qua sine tẽpore nascitur, quam nec ullæ uoces humanæ possunt exprimere, nec ulla mens humana concipere. Quod si nobis placeret hęc sanctissimi uiri sententia, nimirum bona scholasticæ Theologiæ pars haberetur superuacanea, & qui ad sacræ doctrinæ cognitionem eniterentur, maxima parte laborum subleuarentur. Hæc si per lusum agerentur in confabulationibus aut in conuiuijs, ferri poterant: nunc serio et docentur et discuntur in scholis: his nænijs ceu rebus maxime Theologo dignis, ætas iuuenũ atq; etiam senũ absumitur. Hęc præferuntur Hieronymi, Ambrosij, Cypriani & Hilarij scriptis: atq; adeo libris diuinis. In his nænijs si specimẽ aliquod sui dederint, fiunt Baccalaurij, nondum lecto euangelio aut Paulinis epistolis: & tamen in hoc potissimum sudasse uidentur theologi recẽtiores, ne nihil uiderentur addidisse ueteribus. Mihi non modo superuacaneum, uerumetiã periculosum uidetur, de ijs, quæ ad fidei negocium pertinent, humanis argumentationibus tam anxie disquirere. Videtur enim subhæsitare, qui tam sollicite, tamq; curiose rationes contrahit, quibus uel impugnet uel tueatur, quod nobis traditum est ut credamus, non ut discutiamus. Ac sæpenumero fit, ut omnia curiose magis quàm pie uestiganti quædam rationes occurrant, quæ nonnihil conuellãt ac labefacient fidei robur. Ipse aliquot noui, qui se fatebantur ex argutijs Scoti, quibus tractat argumẽtum eucharistiæ, eò perductos esse, ut prorsus animo uacillarent, uixq; eam hæsitationẽ potuisse excutere. Non postularim ut mihi quisquam habeat fidem, ni diuus Chrysostomus mecũ per omnia sentit. Siquidem is homilia in Matthæum prima, hoc nomine deterret à libris philosophorũ, qui de uirtute quidẽ disserunt, sed perplexe ac molestẽ, ueluti quũ Stoici, Epicurei, Academici & Peripatetici rixis inexplicabilibus inter sese contendunt, quid sit honestũ, & quibus in rebus situ illud τὸ ἀγαθόν. Porrò quum præstanda sit uirtus, isti totam ætatẽ consumũt in uestigando, quid sit uirtus. Quædam igitur hoc ipso noxia sunt, quod uerbose, quod inuolute tradantur, cum Christus suam doctrinam simplicissimam, atq; ipsis etiam agricolis facilem & obuiam esse uoluerit, quam paucis ac dilucidis uerbis explicat: Diliges

dominum deum tuum ex toto corde, & proximum tuum ſicut teipſum, Proinde qui tot ſubtilitatibus argutatur de natura dei, tot ſcyrpos nectit de charitate, quid ſit, quot modis accipitur, ubi & quatenus eam præſtare cõueniat, nónne hoc ipſo noxius eſt, quod remoratur ad ipſam rem properantem. Atque hanc citius reperias inter idiotas, quàm inter hos, qui ſine fine diſputant. Incidit mihi olim diſputatio cum Theologo quodam, aliàs homine docto & integro, ſed in Scoticis argutijs nimiũ diu uerſato. Sermo erat de ſacramentis, & parum inter nos conueniebat. Hic uerſus ad aſsidentem: Si quem, inquit, Eraſmus Græce docere ſtudeat, non id poſsit efficere diebus paucis. Et qui fieri poteſt, ut ipſe ſtatim intelligat quid ſit ſacramentum? Egregium uero, ſi totos decem annos diſputandum eſt, ut intelligamus, quid ſit ſacramentum, quum horum uſus ſit omnibus neceſsarius ad ſalutẽ. Idem Chryſoſtomus quum alijs locis cõpluribus improbat philoſophicam & argutam uerius quàm piam inter Chriſtianos diſputationem, tum enarrans locum Pauli, quo Timotheum à fabulis & interminatis genealogijs deterret: eius uerba præſtabit, opinor, ſubſcribere. Vides, inquit, quẽadmodum huiuſmodi quæſtiones damnat, ac reſecare conatur? Nam ubi fides eſt, nulla eſt quæſtionis neceſsitas. Vbi nihil oportet curioſe perquirere, quid opus eſt quæſtione? ſiquidem quæſtio fidẽ tollit. Etenim qui quærit nondum inuenit: qui quęrit difficile credere poteſt: et ideo monet, ne uacemus huiuſmodi quæſtionibus. Nam ſi quærimus, iam non credimus. Fides enim animum cogitationemq; facit conquieſcere. Ac mox tergiuerſationẽ eorum, qui nobis obijciũt, quod ipſe Chriſtus iuſſerit nos quęrere, ut inueniamus: pulſare, ut aperiatur: ſcrutari ſcripturas in quibus uitam inueniamus: ita reijcit, ut dicat eos quærere, qui magno animi ardore uerſantur in ſacris libris, potius q; in humanis quæſtiunculis: ac puris precibus à deo poſtulant, ut impartiat ſuum ſpiritum, qui in nobis ſcrutatur etiam profunda: ideo ſcrutari iuſſos, non ut ſemper quæramus, ſed ut illorum authoritate confirmati, quęrere deſinamus. hactenus Chryſoſtomus. Quibus illud adijciendum, non dictum eſſe, ſcrutamini philoſophiam Ariſtotelicam: an eius præſidio doceri poſsit reſurrectio mortuorum, ſed ſcrutamini ſcripturas. Atq; inibi Paulus oſtendens, quouſq; ſit adhibendum arcanæ ſcripturæ ſcrutinium, & ad quem ſcopum dirigenda theologiæ cognitio: Finis, inquit, præcepti eſt charitas de corde puro & cõſcientia bona, & fide nõ ficta. Hactenus igitur Philoſophandum in ſacris literis, quatenus induſtria noſtra conducit ad ea, quæ Paulus commemorauit. Verum qui ſibi ſcopum hunc non propoſuerunt, ſed hoc agunt, ut paradoxa quæpiam, ac noua proferant: quo ſint admirationi populo, ſemper inanium rerum admiratori, pro theologis fiunt matæologi. Hos depingit his uerbis: A quibus quidã aberrantes, conuerſi ſunt in uaniloquium, uolentes eſſe legis doctores, non intelligentes neq; ea quæ dicũt, neq; de quibus affirmant. Ferri tamen poterant hæc quoq;, ſi hæc fabula intra gymnaſiorũ parietes ageretur. Nunc in ipſas conciones ſacras (cur enim non dicam ſacras, cum olim fuerint pars ſacrificij?) penetrauit hæc oſtẽtatio. Quoties me huius rei puduit, quoties uicem populi indolui. Video ſimplicem multitudinem hiantem, & auidam pendere ab ore concionantis, expectare pabulum animi ſui, cupidã diſcendi quo melior domum redeat, & ibi mihi theologaſter quiſpiam, ferè ἱεροπρεπεῖ σχήματι uenerandus, è Scoto, aut Occam quæſtionem aliquam frigidam ac perplexam uentilat, oſtentans quantũ in Sorbona profecerit, & plebis benignitatem hac oſtentatione uenans: Interim magna concionis pars domum abit, plane iuxta Græcorum prouerbium, λύκος χανών. Alij dictitant inter ſeſe, quàm multa legit hic iuuenis, quàm ualet ingenio. Quid non poſsit ille uel ſtruere uel deſtruere? Nemo delectatur, præter paucos, eodẽ affectos morbo: hi habent quod rixentur ſuper cœnam. Hæc eſt doctrina, quam Iacobus animalem ac dæmoniacam appellat, diuerſa illi, quam Paulus Timotheo ſcribens ſanam nominat, fideli ſermone potius quàm ſophiſtico tradendam, efficacem ſimul & ad exhortandos, qui ceſſant: & conſolandos, qui animo ſunt deiecto: & redarguendos, qui aduerſantur. Ac mox matæologos depingit hiſce uerbis: Sunt enim multi, & non ſubditi, uaniloqui, & mẽtium deceptores, quibus oportet ſilentiũ indici, qui uniuerſas ſubuertunt domos, docentes quę non oportet, turpis lucri gratia. Atq; utinam tales haberemus concionatores, ut hæc fruſtra uidear admonuiſſe: ſed quoties audimus iſtos ſic cõmendantes remiſsiones pontificias, ut oratio tota nihil oleat, niſi ſordidum quæſtum: nihil præ ſe ferat, niſi proxenetam mercede conductum

conducłum,quoties palam aduſantes plus poteſtatis tribuunt Romano pontifici, quàm ipſe uel agnoſcat,uel poſtulet:quoties iactãt ſua benefacta, quibus debeatur incolumitas populi:quoties perſuadere conãtur: quoties ſuos quiq; diuos immodicis laudibus attollunt,ſuum interim ordinẽ ambitioſe prædicantes,non eſſe cacodæmonius in eos, qui in huius aut illius diui cuculla ſepeliantur,domum fortunatã fore, quæ talis diui pallium habeat,reualiturum à morbo qui illi ſacrum cultũ annis aliquot circunferat,nõ male peritum,qui cotidie pictum aut ſculptum Chriſtophorũ contempletur: quoties hæc atq; his impudentiores nænias ex eo loco deblaterãt, qui prædicandæ doctrinæ euangelicæ dicatus eſt: quis non ingemiſcat, quem nõ miſereſcat imperitæ ac ſuperſtitioſæ multitudinis? Sed ut ad cõtentioſas quæſtiones redeamus,uide q̃ ſolicite Paulus Timotheum ſuum ab his deterret:Noli,inquit,uerbis contendere. Ad nihil enim conducit,niſi ad ſubuerſionẽ audientium. Ac mox,ubi iuſſiſſet eum recte ſecare ſermonem ueritatis,adiecit: Inanes autem uocum nouitates deuita.Rurſum ad Titũ, ubi multa monuiſſet, quæ ad pios mores faciunt,etiam atq; etiam admonet,ut ſtultas quæſtiones,& genealogias, & pugnas,quæ ueniunt ex lege, reiiciat.Has contentiones Timotheo ſcribens, λογομαχίας appellat,in quas ait quoſdam inſanire,cum tamen ex his nihil oriatur, præter inuidias, cõtentiones, conuitia,ſuſpiciones malas,conflictationes hominum mente corruptorum, ueritatis expertium, qui quæſtum ſuum anteponant pietati. Nemo uero ſic interpretetur hæc, quæ diximus,nos huc tendere,ut in totum damnemus eos,qui præter quæſtiones nihil nobis reliquerunt, aut improbemus ſcholaſticas cõflictationes,ex quibus ſæpenumero nõ aliter elicitur ueritas,q̃ excolliſione ſilicum ignis excutitur:ſed modum in his, ac delectũ requirimus. Modus dabit,ne quæratur de omnibus: delectus, ne de quibuslibet. Alioqui multa ſunt & in neotericorum libris digna cognitu,ſed ea per ætatẽ modice deguſtentur, ſobrie caſteq; tractentur.Nam hoc ſtudiorũ genus olim apud theologos prorſus incognitum fuit:deinde poſtea q̃ irrepſit,ut ferè fit in rebus humanis, paulatim in immenſum increuit. Vnde cœpit in aliquot iam Academijs parcius ac moderatius haberi, uelut apud Anglos in Cantabrigienſi, apud Brabantos in Louanienſi. Nec ideo minus florent hæc ſtudia, ſed uerius florent.Quale uero ſpectaculũ eſt, Theologũ octogenarium nihil aliud ſapere,q̃ mera ſophiſmata,& ad extremũ uſq; uitæ nihil aliud q̃ argutari? Nã huiuſmodi non paucos uidimus olim Lutetiæ, quibus ſi quid depromendum fuiſſet ex Paulo,uidebantur ſibi prorſus in alium mundum translati. Proinde ſi cui contigit tanta ingenij uis, ut utrunq; ſtudiorũ genus complecti poſſit,eat ſanè per nos,eat quò illũ ſua uirtus uocat, eat pede fauſto.Sed ab ijs tamẽ quæ nos prætulimus incipiendũ:in his maiorẽ ac meliorẽ uitæ partẽ impartiendã cenſeo. Quod ſi alterutrũ ſit deſerendum, non poſſum nõ fateri quod ueriſſimũ eſt:malim in hoc latus declectere. Præſtat paulo minus eſſe ſophiſtã,q̃ minus ſapere in euangelicis & apoſtolicis literis. Satius eſt ignorare quędam Ariſtotelis dogmata, q̃ neſcire Chriſti decreta. Deniq; malim cum Chryſoſtomo pius eſſe theologus, quàm cum Scoto eſſe inuictus.Illud certe negari non poteſt,per ueteres illos illuſtratã ac defenſam Chriſti doctrinam,quos ita demum patiar antiquari,ſi conſtet,horum argutiſſimis argutijs & ſubtiliſſimis ſubtilitatibus uel unum ethnicum conuerſum ad Chriſti fidem,uel unum reuictum ac mutatũ hæreticum.Nam quod hodie pauciores ſunt,aut certe extãt,hæreſes,id ſi uerum fateri uolumus,faſciculis debemus uerius,quam ſyllogiſmis. Quis enim omnino nodus dialectica ſubtilitate necti poteſt,qui nõ eadẽ ſubtilitate diſſoluatur, ſi liberum ſit utriſq;, quod uoluerint,aſſumere? Quis uero fructus, ſi nectas,quod explicare nõ poteſt,qui tamen nõ aſſentitur,imò aliquoties ne is quidem qui nectit? Sed ſimplices illæ literæ ueritate,nõ argutia efficaces,totius orbis populos pauculis annis innouare potuerunt. Verum miſſam faciamus ſtudiorum collationem:ſit in his ſuum cuiq; pulchrum,& ut Paulinis uerbis utar,in ſuo quiſq; ſenſu acquieſcat. Cui placent Scholaſticæ cõflictationes,ſequatur ſuo quidẽ arbitratu,quod in ſcholis receptum eſt:modo ne nimium tribuat ſcholę dogmatis,modo ne nimium diu. Nam uidi complures,qui iam ſemicani,cum priſca illa theologia conati ſunt redire in gratiam,ſed parum feliciter ſucceſſit conatus,nimium ſerus. At ſi quis magis cupit inſtructus eſſe ad pietatem,q̃ ad diſputationem,ſtatim ac potiſſimum uerſetur in fontibus,uerſetur in his ſcriptoribus,qui proxime biberunt de fontibus. Si quid extiterit dubitationis,in his,quę pertinent ad pietatẽ,

non deerit integro prudentiq; uiro, quod è diuinis oraculis salubriter respondeat. Habet Paulus fidele consilium, ubi domini præceptum non habet, quod diminutum erit in syllogismis, id pensabit sancta ad deum deprecatio. Deniq; satis inuictus fueris Theologus, si nulli succumbas uitio, nullis cedas cupiditatibus, etiamsi à contentiosa disputatione discesseris inferior. Abunde magnus doctor est, qui pure docet Christum. Si turpe ducunt, nescire quid definiat Scotus, turpius est nescire quid decernat Christus. Si parum theologicum est, non assequi quæ scripsit Durandus, minus theologicũ est, non assequi quæ scripsit Paulus. A diuinis oraculis nomen habet theologus, non ab humanis opinionibus. Et bona theologiæ pars afflatus est, qui non contingit, nisi moribus purgatissimis: & tamen hanc facultatem nulli sibi maiore supercilio uindicant, quam quorum tota uita seruit ambitioni, seruit auariciæ, frequenter & libidini gulæq;, undiq; sycophantijs, fucis & hypocrisi corrupta. Hi se iactant euangelicæ doctrinæ præcones, hi se faciunt Christianæ religionis columnas, ab horum ore pendet imperita multitudo. Nimirum horum facta cernebat Christus, cum deploraret sortem populi, dissipatarum ac pastore destitutarũ ouium in morem errantis. Habent enim & nostra tempora suos pharisæos ac rabbinos, habent suos hypocritas, habent sua phylacteria quibus se commendent stultæ plebeculæ. Orandus igitur Christus, ut hoc pharisaicũ genus aut mutet in melius, aut abigat à grege suo. Atq; hæc dicta sunt, non ut lædamus bonos, sed ut malos admoneamus officij.

RATIONIS VERAE THEOLOGIAE PER DES. Erasmum Roterodamum, finis.

DES. ERASMI ROTEROD. PARACLESIS, ID EST ADHORTATIO, AD CHRIstianæ philosophiæ studium.

LActantius ille Firmianus, optime lector, cuius linguam unice miratur Hieronymus, Christianæ religioni patrocinaturus aduersus ethnicos, cum primis optat sibi dari eloquentiam Tullianæ proximam: improbum ratus, opinor, optasse parem. At ego sanè, si quid huiusmodi uotis proficitur, tantisper dum mortales omneis ad sanctissimum ac saluberrimum Christianæ Philosophiæ studium adhortor, ac ueluti classicum canens euoco, uehementer optarim eloquentiam mihi dari, lõge aliam quàm fuerit Ciceroni: si minus picturatam quàm fuit illius, certe multo magis efficacem. Imò si cui unquam talis contigit dicendi uis, qualem non omnino sine causa, ueterum poetarum fabulæ subnotarunt in Mercurio, qui ceu magica uirga diuinaq; cithara somnum immittit cum libet, & idem adimit, quos uult ad inferos impellens, ac rursus ab inferis euocans: aut qualẽ signarunt in Amphione Orpheoq;, quorum alter rigida mouisse saxa, alter quercus & ornos traxisse cithara fingitur: Aut qualem Ogmio suo tribuebãt Galli, mortales omneis catenulis à lingua in aures infixis, quò uellet circunducenti. Aut qualem Marsyæ fabulosa tribuit antiquitas. Aut certe, ne nimium diu fabulis immoremur, qualem Socrati tribuit Alcibiades, Pericli uetus comœdia, quæ non aures tantum mox peritura uoluptate deliniat, sed quæ tenaces aculeos relinquat in animis auditorum, quæ rapiat, quæ transformet, quæ multo alium dimittat auditorẽ quàm acceperit. Timotheus musicus ille nobilis Dorios occinens modos, Alexandrum magnum ad belli studium inflammare solitus legitur. Neq; defuerunt olim, qui precaminibus, quas Græci uocant ἐπῳδὰς, nihil ducerent efficacius. Quod si quod usq; esset huiusmodi genus incantamenti, si qua uis harmoniæ, quæ uerum habeat ἐνθουσιασμὸν, si qua Pytho uere flexanima, eam mihi cupiam in præsentia suppetere, quo rem omnium saluberrimam omnibus persuadeam. Quanquã illud potius optandum, ut Christus ipse, cuius negocium agitur, ita citharę nostræ chordas temperet, ut hæc cantilena penitus afficiat ac moueat animos omnium. Ad quod quidem efficiendum, nihil opus rhetorum epicherematis, aut epiphonematis. Hoc quod aptamus, non alia res certius præstet, quàm ipsa ueritas, cuius quo simplicior, hoc efficacior est oratio. Ac primum quidẽ

Mercurius

Amphion
Orpheus
Hercules Celticus
Socrates
Alcibiades
Pericles
Timotheus

Veritatis oratio

non

non libet in præsentia refricare querelam illam, non omnino nouam sed heu nimium iu-
stam: & haud scio an unquam iustiorem, quàm hisce temporibus, cum tam ardentibus
animis in sua quisq; studia mortales incumbant, hanc unam Christi philosophiam à non *Philosophia*
nullis etiam Christianis rideri, à plerisq; negligi, à paucis tractari, sed frigide: non enim di *Christi negle*
cam insyncere. At in cæteris disciplinis omnibus, quas humana prodidit industria: nihil *cta*
est tam abditum ac retrusum, quod non peruestigarit ingenij sagacitas: nihil tam difficile,
quod non expugnarit labor improbus. Qui fit autem, ut hanc unam philosophiam, non
his quibus par est animis amplectamur, quotquot ipso etiam cognomine Christi no-
mẽ profitemur? Platonici, Pythagorici, Academici, Stoici, Cynici, Peripatetici, Epicurei,
suæ quisq; sectæ dogmata, tum penitus habent cognita, tum memoriter tenent, pro his di
gladiantur illi, uel emorituri citius, q̃ autoris sui patrocinium deserant. At cur non mul-
to magis tales animos præstamus autori nostro & principi Christo? Quis non uehemen
ter fœdum censeat Aristotelicam profitenti philosophiam, nescire quid uir ille senserit
de causis fulminum, de prima materia, de infinito? quæ nec cognita felicem, nec ignorata
reddunt infelicem. Et nos tot modis initiati, tot sacramentis adacti Christo, non fœdum
ac turpe putamus illius nescire dogmata, quæ certissimam omnibus prẽstent felicitatem?
Nam quorsum attinet hic contentione rem exaggerare, cum hoc ipsum impiæ cuiusdam
dementiæ sit, Christum cum Zenone aut Aristotele, & huius doctrinam cum illorum, ut
modestissime dicam præceptiunculis conferre uelle? Affingant illi suę sectæ principibus,
quantum possunt, aut quantũ libet: Certe solus hic è cœlo profectus est doctor, solus cer- *Christus*
ta docere potuit, cum sit æterna sapientia: solus salutaria docuit unicus humanæ salutis
autor: solus absolute præstitit, quicquid unquam docuit: solus exhibere potest, quicquid
promisit. Si quid à Chaldæis aut Aegyptijs adfertur, id ob hoc ipsum acrius auemus co-
gnoscere, quod è peregrino sit orbe deportatum, & precij pars est è longinquo uenisse,
& sæpenumero insomnijs homunculi, ne dicam impostoris, tam anxie distorquemur,
non solum nullo fructu, sed magno temporis dispendio, ut ne quid addam grauius: ta-
metsi iam hoc ipsum ut nihil accedat grauissimum est. At qui fit ut huiusmodi cupiditas
non item Christianos titillet animos, quibus persuasum est, id quod res est, hanc doctrinã
non ex Aegypto Syriáue, sed ex ipso uenisse cœlo? Cur non ita nobiscum cogitamus o- *Præstantia*
mnes? nouũ & admirabile philosophiæ genus sit, oportet, quod ut traderet mortalibus: is *philosophiæ*
quideus erat, factus est homo: q̃ immortalis, factus est mortalis: qui in corde patris erat, se *Christianæ*
se demisit in terras. Magnum quiddã & haud quaquã triuiale sit oportet, quicquid illud
est, quod ille tam admirandus autor, post tot excellentium philosophorum familias, post
tot insignes prophetas, docturus aduenerit. Cur non hic pia curiositate singula cogno-
scimus, disquirimus, excutimus? Præsertim cum hoc sapientiæ genus, tã eximium, ut se-
mel stultam reddiderit uniuersam huius mundi sapientiam, ex paucis hisce libris, uelut è
limpidissimis fontibus, haurire liceat, longe minore negocio, q̃ ex tot uoluminibus spino
sis, ex tam immensis, ijsq; inter se pugnantibus interpretum cõmentarijs, Aristotelicã do-
ctrinam, ut ne addam, quanto maiore cũ fructu. Nihil enim hic necesse est, ut tot anxijs di
sciplinis instructus accedas. Simplex & cuiuis paratũ est uiaticum, tantum fac adferas pi-
um ac promptum animũ, & inprimis simplici puraq; præditum fide. Tãtum esto docilis,
& multũ in hac philosophia promouisti. Ipsa suppeditat doctorẽ spiritũ, qui nulli sese lu-
bentius impartit, q̃ simplicibus animis. Illorum disciplinæ, præterq̃ quod falsam promit
tunt felicitatem, multorum ingenia submouent, ipsa uidelicet præceptorum difficultate.
Hæc omnibus ex æquo sese accommodat, submittit se paruulis, ad illorum modulum se-
se attemperat, lacte illos alens, ferens, confouens, sustinens, omnia faciens, donec grande
scamus in Christo. At rursum ita non deest infimis, ut summis etiam sit admirabilis. Imò
quo lõgius in huius opes progressus fueris, hoc longius illius maiestate submoueris. Par-
uis pusilla est, magnis plusquã maxima. Nullam hæc ætatem, nullũ sexum, nullam fortu-
nam, nullam reijcit conditionem. Sol hic non perinde cõmunis et expositus est omnibus
atq; Christi doctrina. Non arcet omnino quenq̃, nisi quis se met arceat, ipse sibi inuidẽs.
Vehementer enim ab istis dissentio, qui nolint ab idiotis legi diuinas literas, in uulgi lin-
guam transfusas, siue quasi Christus tam inuoluta docuerit, ut uix à pauculis Theologis
possint intelligi, siue quasi religionis Christianæ præsidium in hoc situm sit, si nesciatur.

Regum

Regum myſteria cœlare fortaſſe ſatius eſt: At Chriſtus ſua myſteria quàm maxime cupit euulgari. Optarem ut omnes mulierculæ legant euangelium, legant Paulinas epiſtolas. Atq; utinam hæc in omnes omnium linguas eſſent transfuſa, ut nõ ſolum à Scotis & Hybernis, ſed à Turcis quoq; & Sarracenis legi cognoſciq; poſſint. Primus certe gradus eſt, utcunq; cognoſcere. Eſto riderent multi, at caperentur aliquot. Vtinã hinc ad ſtiuam aliquid decantet agricola, hinc nonnihil ad radios ſuos moduletur textor, huiuſmodi fabulis itineris tædium leuet uiator. Ex his ſint omnia Chriſtianorum omnium colloquia. Tales enim fermè ſumus, quales ſunt quotidianæ noſtræ cõfabulationes. Aſſequatur quiſq; quod poteſt, exprimat quiſq; quod poteſt. Qui poſterior eſt non inuideat præcedenti, qui prior eſt, inuitet ſequentem, non deſperet. Cur profeſſionem omnium cõmunem ad paucos contrahimus? Neq; enim conſentaneum eſt, cum baptiſmus ex æquo communis ſit Chriſtianorum omnium, in quo prima Chriſtianæ philoſophiæ profeſſio eſt, cum ſacramẽta cætera, deniq; cum præmium illud immortalitatis ad omnes ex æquo pertineat, ſola dogmata in pauculos iſtos eſſe releganda, quos hodie uulgus Theologos aut Monachos uocat, quos ipſos tamen, tametſi minima quæpiam portio ſunt ad populum Chriſtiani nominis, tamen hos, inquam, ipſos optarim maiorem in modum eſſe quod audiunt. Vereor enim ne inter Theologos reperire liceat, qui multum abſint à ſuo titulo, hoc eſt, qui terrena loquantur, non diuina: & inter monachos, qui Chriſti paupertatem & mundi contemptum profitentur, pluſq; mundum reperies. Is mihi uere theologus eſt, qui nõ ſyllogiſmis arte contortis, ſed affectu, ſed ipſo uultu atq; oculis, ſed ipſa uita doceat aſpernandas opes: Chriſtiano non eſſe fidendum huius mundi præſidijs, ſed totum oportere pendere de cœlo, non eſſe retaliandam iniuriam, bene precandum male precãtibus, bene merendum de male merentibus: bonos omnes uelut eiuſdem corporis membra diligendos ac fouendos ex æquo: malos tolerãdos, ſi corrigi nequeant: qui ſuis exuuntur bonis, qui depelluntur poſſeſſionibus, qui lugent, hos beatos eſſe, non deplorandos: mortem optandam etiam pijs, ut quę nihil ſit aliud quàm traiectus ad immortalitatem: hęc inquam & huiuſmodi, ſi quis afflatus ſpiritu Chriſti prædicet, inculcet, ad hæc hortetur, inuitet, animet, is demum uere theologus eſt, etiã ſi faber fuerit aut textor. Hæc ſi quis & ipſis præſtet moribus, is deniq; magnus eſt doctor. Qua ratione intelligãt angeli, fortaſſe ſubtilius differat alius uel non Chriſtianus, at illud perſuadere, ut hic puri ab omnibus inquinamentis uitam exigamus angelicam, id demum Chriſtiani Theologi munus eſt. Quod ſi quis obſtrepet, hæc eſſe craſſula & idiotica, nihil aliud huic reſponderim, niſi quod hæc craſſa Chriſtus præcipue docuit, hæc inculcant apoſtoli, hæc quãtumuis idiotica, tot germane Chriſtianos, tot inſignium martyrum examina nobis prodiderũt. Hæc inquam illiterata ut ipſis uidetur philoſophia, ſummos orbis principes, tot regna, tot gentes, in ſuas pertraxit leges, id quod nulla tyrannorũ uis, nulla philoſophorum poterat eruditio. Neq; uero repugno, quo minus ſapientiam iſtam, ſi uidetur, loquantur inter perfectos. At hoc certe nomine conſoletur ſeſe humile Chriſtianorum uulgus, quod iſtas ſubtilitates, an ſciuerunt apoſtoli, uiderint alij, certe nõ docuerunt. Hac, inquam, plebeia, ſi præſtarent pro ſua ſorte principes, ſi in concionibus inculcarent ſacerdotes, ſi pueris inſtillarent ludimagiſtri, potius cꝫ erudita illa, ex Ariſtotelis & Auerrois deprompta fontibus: non ſic perpetuis penè bellis tumultuaretur undiq; res Chriſtiana, non tam inſano ſtudio, per phas nephasq; cõgerendi diuitias feruerẽt omnia, nõ tot litibus ubiq; perſtreperent ſacra pariter ac prophana. Deniq; non titulo tantum & ceremonijs differremus ab his, qui Chriſti philoſophiam non profitentur. Siquidem in his tribus hominum ordinibus præcipue ſitum eſt Chriſtianæ religionis uel inſtaurandæ, uel augendæ negocium, in principibus, & qui horum gerũt uices, magiſtratibus: in epiſcopis, & horum uicarijs, ſacerdotibus: & in ijs, qui primam illam ętatem ad omnia ſequacem, inſtituunt. Quos ſi omiſſo ſuo negocio contingat ex animo conſpirare in Chriſtum, nimirum uideremus haud ita multis annis uerum quoddam, &, ut Paulus inquit, γνήσιον Chriſtianorum genus paſſim emergere, quod Chriſti philoſophiam non ceremonijs tantum, et propoſitionibus, ſed ipſo pectore totaq; uita referret. His armis longe citius pellicerentur ad Chriſti fidem, Chriſtiani nominis hoſtes, quàm minis aut armis. Vt omnia iungamus præſidia, nihil ipſa ueritate potentius. Platonicus nõ eſt, qui Platonis libros nõ legerit, & theologus eſt, nõ modo Chriſtianus

Vere Theologus

Apoſtoli ſubtilitates non docuerunt

γνήσιον, id eſt, germanũ, hoc eſt uerum

Veritas

ſtianus, qui Chriſti literas nõ legerit? Qui diligit, inquit, me, ſermones meos ſeruat, hanc ipſe notam preſcripſit. Proinde ſi uere ex animo ſumus Chriſtiani, ſi uere credimus illum è cœlo miſſum, ut ea nos doceret, quæ philoſophorum ſapientia nõ poterat, ſi uere expectamus ab eo, quod nulli principes quantumuis opulenti, donare queunt: cur eſt nobis quicquam huius literis antiquius? Cur omnino quicquam uidetur eruditum, quod ab huius decretis diſſidet? Cur in his adorãdis literis idem, ac penè dixerim, plus nobis permittimus, quàm in Cæſareis legibus, aut medicorũ libris ſibi permittunt interpretes prophani? ut perinde quaſi in re ludicra uerſemur: ita quicquid in buccam uenerit, cõmentemur, detorqueamus, inuoluamus. Cœleſtia dogmata, ceu Lydiam regulam, ad noſtram pertrahimus uitã: & dum omnibus modis fugimus, ne parum multa ſciſſe uideamur, quicquid uſquam eſt prophanarum literarum huc prouehentes, id quod eſt in Chriſtiana philoſophia præcipuum, non dicam, corrumpimus: ſed quod negari nõ poteſt, ad paucos homines cõtrahimus rem, qua Chriſtus nihil uoluit eſſe communius. Hoc philoſophiæ genus in affectibus ſitum uerius, quàm in ſyllogiſmis, uita eſt magis q̃ diſputatio, afflatus potius quàm eruditio, transformatio magis quàm ratio. Doctos eſſe uix paucis cõtigit: at nulli non licet eſſe Chriſtianum, nulli non licet eſſe pium, addam audacter illud, nulli non licet eſſe Theologum. Iam facile deſcendit in animos omnium, quod maxime ſecundum naturam eſt. Quid autem aliud eſt Chriſti philoſophia, quam ipſe renaſcentiam uocat, quàm inſtauratio bene conditæ naturæ? Proinde quanquam nemo tradidit hæc abſolutius, nemo efficacius, quàm Chriſtus, tamẽ permulta reperire licet in ethnicorum libris, quæ cum huius doctrina conſentiant. Nulla fuit unquam tam craſſa factio philoſophiæ, quæ docuerit pecuniam hominem reddere felicem, nulla tam impudens, quæ in uulgaribus iſtis honoribus aut uoluptatibus finem boni conſtituerit. Viderunt Stoici neminem eſſe ſapiẽtem, niſi bonum uirum, uiderunt nihil eſſe uere bonũ aut honeſtũ, præter ueram uirtutem, nihil horrendum aut malum, præter unam turpitudinem. Iniuriam non eſſe penſandam iniuria, multis modis apud Platonem docet Socrates: item cum immortalis ſit anima, non eſſe deplorandos, qui cum fiducia bene actæ uitæ hinc demigrant in uitam feliciorem: præterea animam omnibus modis abducendam ab affectibus corporis, & ad ea traducendam, quæ uere ſunt, cum nõ uideamur. Nullam rem nobis ſuauem eſſe poſſe, quę non aliquo modo contemnatur, in Politicis ſcripſit Ariſtoteles, una uirtute excepta. Nihil in uita homini ſuaue eſſe poſſe, niſi adſit animus nullius mali ſibi conſcius, unde ceu è fonte ſcatet uera uoluptas, fatetur & Epicurus. Quid non magnam huius doctrinæ partem præſtitere non pauci, præcipue Socrates, Diogenes, & Epictetus? At eadem cum tanto plenius & docuerit & præſtiterit Chriſtus, an non prodigij ſimile, hæc à Chriſtianis uel ignorari, uel negligi, uel etiam rideri? Si ſunt quæ propius pertinent ad Chriſtianiſmum, his antiquatis, illa ſequamur: ſin hæc ſola ſunt quæ uere Chriſtianum poſſunt efficere cur hæc propemodum magis pro obſoletis & abrogatis habemus, quàm libros Moſaicos? Primum autem eſt ſcire quid docuerit, proximum eſt præſtare. Neque enim ob id, opinor, quiſquam ſibi Chriſtianus eſſe uideatur, ſi ſpinoſa, moleſtáque uerborum perplexitate, de inſtantibus, de relationibus, de quidditatibus ac formalitatibus diſputet, ſed ſi quod Chriſtus docuit & exhibuit, id teneat, exprimatque. Non quod horum ſtudium damnem, qui in argutijs huiuſmodi non ſine laude exercuerunt ingenij ſui uires: nolim enim offendi quenquam, ſed quod exiſtimem, & uere, ni fallor, exiſtimo, puram ac germanam illam Chriſti Philoſophiam non aliunde felicius hauriri quàm ex Euangelicis literis, quàm ex Apoſtolicis literis, in quibus ſi quis pie philoſophetur, orans magis quàm argumentans, & transformari ſtudens potius quàm armari, is nimirum comperiet nihil eſſe, quod ad hominis felicitatem, nihil quod ad ullam huius uitæ functionem pertineat, quod in his non ſit traditum, diſcuſſum, & abſolutum. Siue quid diſcere cupimus, cur alius autor magis placet, quàm ipſe Chriſtus? Siue uiuendi formam requirimus, cur aliud nobis prius eſt exemplum, quàm archetypus ipſe Chriſtus? Siue pharmacum aliquod aduerſus moleſtas animi cupiditates deſideramus, cur alibi putamus remedium eſſe præſentius? Siue cupimus reſidem ac langueſcentem animum expergefacere lectione, quæſo ubi reperias igniculos æque uiuos & efficaces? Siue uiſum eſt animum ab huius uitæ moleſtijs auocare, cur aliæ magis placent

Philoſophia Chriſtiana

Stoici

Socrates

Ariſtoteles

Epicurus

Chriſtus

Decreat

deliciæ?

Literæ hominum

delicíæ? Cur ſtatim malumus ex hominum literis Chriſti ſapientiam diſcere, quàm ex ipſo Chriſto? qui quod pollicitus ſeſe ſemper nobiſcum fore uſque ad conſummationem ſeculi, in his literis præcipue præſtat, in quibus nobis etiamnum uiuit, ſpirat, loquitur, penè dixerim, efficacius quàm cum inter homines uerſaretur. Minus uidebant, minus audiebant Iudæi, quàm tu uides & audis in euangelicis literis, tantum ut oculos & aures adferas, quibus ille cerni & audiri poſſit. Quid tandem hoc rei eſt? Literas ab amiculo ſcriptas, ſeruamus, exoſculamur, circumferimus, iterum atq; iterũ relegimus: & tot ſunt milia Chriſtianorum, qui cum alioqui docti ſint, euangelicos & apoſtolicos libros ne legerint quidem unquam in omni uita. Mahumetæi ſua tenent dogmata, Iudæi

Homines

& hodie ab ipſis cunabulis ſuum ediſcunt Moſen. Cur nos nõ idem præſtamus Chriſto? Qui Benedicti profitẽtur inſtitutum, regulam ab homine, eoq; penè idiota, & idiotis ſcriptam, tenent, ediſcunt, imbibunt. Qui Auguſtiniani ſunt ordinis, autoris ſui regulam callent. Franciſcani Franciſci ſui traditiunculas adorãt, amplectuntur, & quoquò terrarum ſe contulerint, ſecum circumferunt, tutos ſe non credunt, niſi libellus adſit in ſinu. Cur illi plus tribuũt regulæ ab homine ſcriptæ quàm uniuerſi Chriſtiani ſuæ regulæ, quam omni

Deus

bus tradidit Chriſtus, quã omnes ex æquo profeſſi ſunt in baptiſmo? Deniq; qua (ut ſexcentas etiam addas) nulla poſſit eſſe ſanctior? Atq; utinam fiat, ut quemadmodum Paulus ſcripſit, Moſi legem non fuiſſe glorioſam præ gloria ſuccedentis euangelij, ita Chri-

Theologia recens

ſtianis omnibus euangelia & apoſtolorum literæ ita ſanctæ habeantur, ut hæc præ illis nõ uideantur eſſe ſancta. Quid Alberto magno, quid Alexandro, quid Thomæ, quid Aegidio, quid Ricardo, quid Occam alij uelint tribuere, per me ſanè cuiq; liberum erit: nolim enim cuiuſq; imminuere gloriã, aut cum inueteratis iam hominum ſtudijs dimicare. Sint illa quantumuis erudita, quantumuis ſubtilia, quantumuis, ſi uelint, Seraphica, hæc tamen certiſſima fateantur oportet. Paulus dijudicare uult ſpiritus prophetarum, num ex deo ſint. Auguſtinus omnes omnium libros cum iudicio legẽs, nihilo plus iuris poſtulat & ſuis. In his ſolis literis, & quod non aſſequor, tamen adoro. Hunc autorem nobis non ſchola theologorum, ſed ipſe pater cœleſtis, diuinæ uocis teſtimonio comprobauit, idq; bis, primum ad Iordanem in baptiſmo, deinde in monte Thabor in trãsfiguratione: Hic, inquit, eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. O ſolidam autoritatem, uereq; (ut iſti uocant) irrefragabilem. Quid eſt ipſum audite? Nimirum, hic unicus eſt doctor, huius unius diſcipuli ſitis. Attollat ſtudijs ſuum quiſq; quantum uolet autorem, hoc de uno citra exceptionem dictum eſt Chriſto. In hunc primum deſcendit columba, paterni teſtimonij comprobatrix. Huius ſpiritum proxime refert Petrus, cui ſummus ille paſtor oues ſuas ſemel, iterum, ac tertio paſcendas commiſit, paſcendas autem haud dubium quin Chriſtianæ doctrinæ pabulo. Hic in Paulo ueluti renatus eſt, quẽ ipſe uocauit organum electum, & inſignem ſui nominis præconem. Ioannes quod è ſacro ſancto illo pectoris fonte hauſerat, id ſuis expreſſit literis. Quid quęſo ſimile in Scoto (nolim id contumeliæ cauſa dictum uideri) quid ſimile in Thoma? Quanquam illius ingeniũ admiror, huius etiam ueneror ſanctimoniam. Cur non in tantis autoribus philoſophamur omnes? Quin hos ſinu circumferimus, hos ſemper habemus in manibus, quin in his uenamur, ſcrutamur, diſquirimus aſſidue? Cur maior uitæ portio datur Auerroi, quàm euangelijs? Cur tota penè ætas in hominũ decretis, & inter ſe pugnantibus opinionibus cõteritur? Iam uero ſint illa ſanè, ſi libet, ſublimium theologorum: At in his certe ſit futuri quondam magni theologi tyrocinium. Quotquot in baptiſmo iurauimus in uerba Chriſti: ſi tamen ex animo iurauimus, mox inter ipſos parentum complexus, & nutricũ blanditias, Chriſti dogmatis imbuamur. Nam & altiſſime inſidet, & tenaciſſime hæret, quod primum rudis illa animi teſtula combiberit. Chriſtum prima ſonet balbuties, ex huius euangelijs prima formetur infantia: quem ita cum primis tradi cupiam, ut & à pueris ametur. In his deinde uerſentur ſtudijs, donec tacitis auctibus adoleſcant in uirum robuſtum in Chriſto. Aliorum literæ ſunt eiuſmodi, ut non parum multos pœnituerit inſumptæ in illis operæ, ac ſæpenumero fit, ut qui per omnem uitam pro tuendis illarum decretis ad mortẽ uſq; depugnarunt, in ipſa morte ab autoris ſui factione deſciſcat. At felix ille quẽ in hiſce literis meditantẽ mors occupat. Has igitur toto pectore ſitiamus omnes, has amplectamur, in his iugiter uerſemur, has exoſculemur, his demũ immoriamur, in has transformemur

formemur, quandoquidem abeunt studia in mores. Qui consequi non potest (quis autem id non potest, si modo uelit) is saltem adoret hasce literas, ceu thecam illius diuini pectoris. Si quis ostēdat Christi pedibus impressum uestigium, quàm procumbimus Christiani, quàm adoramus? At cur non potius uiuam illius & spirantem imaginem in hisce ueneramur libris? Si quis Christi tunicam exhibeat, quò nō terrarum prouolaturi simus, ut eam osculari liceat? Atqui ut totam illius supellectilem proferas, nihil erit, quod Christum expressius ac uerius repræsentet, quàm euangelicæ literæ. Ligneam aut saxeam statuam, amore Christi, gemmis auroq; decoramus. Quin hæc potius auro gemmisq;, & si quid his pretiosius, insigniuntur, quæ tanto præsentius Christum nobis referunt, quàm ulla imaguncula? Siquidem illa, quid aliud, quàm corporis figuram exprimit? si tamen illius quicquam exprimit. at hæ tibi sacrosanctæ mentis illius uiuam referunt imaginem, ipsumq; Christum loquentem, sanantem, morientem, resurgentem, denique totum ita præsentem reddunt, ut minus uisurus sis, si coram oculis conspicias.

PARACLESEOS, ID EST ADHORTATIONIS,
ad Christianæ Philosophiæ studium autore
Des. Erasmo Roterodamo, finis.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS
R. P. FRANCISCO MOLINIO EPISCOPO CONDOmiensi designato S. D.

HIlarius noster tuas perferens literas, ornatissime præsul, rari cuiusdam candoris & beneuolentiæ singularis erga nos plenas, profecto plurimam attulit hilaritatem. Itaq; quando tu dignatus es nobis significare, quid istic rerum geras, mihi uicissim usus est curare, ne nescias quid rerum nos hic agebamus, quum tua redderetur epistola. Horatius, quum ea meditaretur, quæ pertinerent ad bene uiuendum, ita scribit: Condo & compono, quæ mox depromere possim. Hoc carmen mihi iustius usurparo, qui tum in his eram, quæ faciunt ad bene moriendū, Nam hæc est præcipua philosophiæ pars, maximeq; seria. Id tametsi per omnem uitam agendum est omnibus, tamē nescio quo pacto Phryges sumus pleriq;, nec ferè nisi plagis reddimur emēdatiores. Renum dolor, quum aliàs sæpe, tum mense Iulio proxime acto, me sic afflixit, ut serio fuerit de migrando cogitandum: uerum idem ad Iesu natalem me sic inuasit, ut desperata uita, mors fuerit etiam in uotis. Acerbus quidem & agrestis monitor est calculus, et ipsa quoq; morte crudelior: sed tamen hoc illi debeo, uel per illum potius domino Iesu, quod nunc sedulo damus operam, ne mors nos opprimat imparatos, etiam si non dederit spatium exomologesi supremæ, quam nunc mittimus, uelut appendicem mearum ad te literarum. Qua si tuam epistolam bene pensatam iudicabis, erit quur uehementer gaudeam. Nam animum istum scio me nullo unquam officio pensare posse. Eia præsul integerrime, sic interim nobis fruamur in domino, donec reddita temporum tranquillitas patiatur nos propius iungi. Bene uale.
Basileæ sexto Calend. Mart.
Anno à Christo nato
M. D. XXIIII.

EXOMOLOGESIS

SIVE MODVS CONFITENDI, PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.



PRAETER innumerabiles quæstionum labyrinthos, in quibus & olim sudarunt eruditi, de potestate clauium, de restitutione, de satisfactione, de indulgentijs: uideo nunc à multis in disquisitionem uocari, utrum hæc confessio peccatorũ, qua nunc singuli quotannis aperimus conscientiæ uulnera sacerdoti, quam plerique sacramentalem uocant, nonnulli & sacramenti partem, sit à diuinis literis inducta, aut ab ipso Christo instituta, sic ut per homines nullo pacto possit tolli: an à maioribus inducta, paulatim robur collegerit, ut tãta sit huius autoritas, quasi fuerit instituta à Christo, præsertim quum accesserit autoritas Romani pontificis, & populi Christiani cõsensus. Tum si quis largiatur ab hominibus institutam, utrum conducibilius sit eã relinqui, propter innumeras utilitates, quas ex ea uidemus proficisci: an tolli, ob innumera mala, quæ confitentium & audientiũ culpa per huius occasionẽ comperimus existere. Nihil horũ in hoc libello lector expectabis, uel quia iam olim hæc diligenter tractata sunt à uiris doctissimis, uel quia non libet nunc rebus exulceratis eiusmodi uomicas mouere: neq; studio nunc est τὰ ἀκίνητα κινεῖν, sed potius iuxta Platonis consilium, τὸ πρόσω εὖ θέσθαι. Quantumuis enim multis ac magnis argumentis pars altera contendat, hanc confessionem non fuisse institutam ab ipso domino Iesu, nec potuisse tantum onus & actionem, ut uocant, heroicam, à puro homine imponi hominibus: illud certe negari non potest, tutiorem esse, qui bene confessus fuerit idoneo sacerdoti. Hi quoque qui Lutheri tuentur dogmata, fatentur eam esse salutiferam, minimeq; contemnendam. Ego ut efficacibus scripturarum testimonijs & argumentis irrefutabilibus non possim à pertinacibus euincere, hanc confessionem, hanc inquam, qualis nunc in usu est, à Christo aut etiam ab Apostolis fuisse institutam: ita pijs omnibus religiose seruandam censeo, ueluti saltem ab ecclesiæ proceribus, non sine afflatu diuini spiritus inductam, ad hanc usque conditionem. Quàm bene sibi consulant alij, qui docent eam non esse necessitatis, ipsi uiderint: ego si quod animum meum capitale crimẽ urgeat, non ausim neque dominicam adire mensam, neque supremum expectare diem, nisi iuxta receptissimam ecclesiæ consuetudinem per sacerdotem Deo reconciliatus. Proinde quoniam extra controuersiam est, confessionem hanc multis nominibus esse saluberrimam, si modo uterque suo fungatur officio: uidelicet is, qui per confessionem quærit medelam animæ: & is, qui tanquam spiritualis medicus consulitur: uisum est paucis disserere, quibus rationibus fieri possit, ut quàm plurimum fructus capiatur ex confessione, & quàm minimum malorum admittatur, quæ quidem mala non tam ex re, quàm ex hominum uitio nasci uidemus: quemadmodum ferè nihil est in rebus humanis tam sanctum, tam pium, tam, ut ita dicam, cœleste, quod hominum corruptissimi mores sibi non uertant in perniciem. Mihi uero uehementer displicent isti quidam, qui rem per se bonam tollere moliuntur, ob hominum uitia, quum his medicina magis fuerit adhibenda. Hactenus qui hoc tractarunt argumentum, eos in eo potissimum uideo sudasse, ut uulgatas peccatorum species ac genera commonstrarent, & confitentem modo docuerunt, non etiam audientem, quum id in primis fuerit agendum, præsertim hisce temporibus, quibus uidemus ac deploramus, Monachos ac Sacerdotes maxima ex parte eò prolapsos, ut & imperitia & morum corruptela propemodum superent imperitam plebem. Nos itaque studuimus utranque partem admonere, ut dum & qui audit & qui confitetur suo fungitur officio, ex optima re ambobus copiosa ueniat utilitas. Iam quoniam sunt qui credant hanc confessionem institutam fuisse à Christo, sunt qui hæreant, sunt qui licet ab

hominibus

hominibus institutam,tamen nihilo minus religiose seruant,& si suo ore Christus institu isset,sunt qui putent quidem arbitrariam,sed tamen suadent,ut dixi,non esse contemnen dam,eò quod salutaris sit,omnibus his hunc parauí libellum. Ab his qui docent illã arbi trariam planè dissentio.His qui contendunt ab hominibus meris institutã, in hoc libello nec cõsentio nec repugno, propensior tamen in eam partem quæ credit à Christo institu tam,libenterq; sententiam hanc propugnaturus,ubi fuero iusta scripturarũ & argumen torum armatura instructus,ne causam faciam deteriorem,si conanti non successerit. Ne que enim magni negotij est asseuerare, sed catholici doctoris est scripturarum euidenti bus testimonijs reuincere.Sedit, qui timuit ne non succederet.Præstat enim alijs causam integram relinquere, quàm male tractando in maius discrimen adducere. Quod igitur egregium bellatorem requirit alijs cedentes, quod gregarij militis est nobis sumpsimus, indicaturi nonnulla,quę perficient,ut plus frugis adferat confessio.Id quo fiat dilucidius, primum ostendemus paucis,quantas commoditates habeat hæc confessio,Deinde quan ta pestis ueræ pietatis hinc per occasionem nascatur inter homines. Mox, quibus ratio nibus liceat assequi commoditates, quibusq; modis incommoda uitari possint. Deinde reliqua persequemur, quæ ad audientis & confitentis officium pertinent. Quod laboris quoniam minus ad audientium quàm confitentium utilitatem conferat, ut arbitror, par est ut utriq; boni consulant,si quædam parum blanda humano sensui argumenti ratio in uexerit. Medicorum enim non perinde est amœna loqui quàm salutaria.

Primam igitur ac præcipuam utilitatem quam affert confessio peccatorum, arbitror quod non alia ratione melius, aut efficacius frangitur superbia mentis humanæ, ac cer uix erecta aduersus Deum,quæ nisi magno studio deprimatur,erigit sese tandem aduer sus omne quod colitur aut dicitur Deus.Nam hic fuit & est fons omnis impietatis,quod nobis uidemur aliquid,quum nihil simus.Hoc deiecit Luciferum cum infelici grege suo, quoniam sibi arrogabat, quod acceperat ex gratuita Dei beneficentia, & erectus aduer sus maiestatem conditoris, præceps datus est ad infima, dum molitur occupare summa: & omnium abiectissimus esse cœpit,posteaquam sibi nimium placuit. Atq; huius instin ctu simul & exemplo principes humani generis autores, dum gustato arboris interdictæ fœtu,affectant æquari deo,depulsi sunt à paradiso.Lucifer mens erat quædam nobilis,im mortalis, incorporea, nobis uix æstimandis dotibus prædita: tamen quoniam se non submisit ei,à quo acceperat, quicquid habebat felicitatis, & ad quem collatus nihil erat, corruit irreparabiliter:quanto minus conuenit hominem tanto conditionis inferioris eri gere ceruicem aduersus Deum à quo conditus est, & sine quo nihil habet aut potest: Et tamen hæc pestis insita est animis mortalium, nec cessat callidus ille serpens, quoscunq; potest eò pertrahere per hanc luem,quò decidit ipse.Quemadmodum primus ad impie tatem gradus fuit animus excelsus ac sibi fidens:ita primus ad recuperandam pietatem e rit animus sibi prorsus displicẽs,ac deo sese submittens.Porrò nulla potest maior esse sub missio,quàm ut homo sponte sese submittat ad pedes hominis,eiq; prodat non solum fa cta,uerumetiam arcanas animi cogitationes,præsertim quum quædam sint eiusmodi,ut sine summo pudore narrari non possint:quædam eius generis, ut nec sine grauissimo ui tæ discrimine proferantur ei,qui uel stultitia, uel temulentia, uel malicia,uel morbo pos sit aliquãdo prodere quod audiuit.Iam illud perpende, quàm quibusdam sit arrogans & insolens ingenium à natura.Rursum quantam animi superbiam conciliat alijs rerum suc cessus, ueluti diuitibus, formosis, principibus, eruditis, hypocritis, aut alioqui magna a pud homines dignitate præminentibus. Hi nimirum magnam uim animo suo faciant oportet,quum timore dei & amore salutis deponunt cristas omnes,ac semet abijciunt ad pedes sacerdotis,plerunq; iuxta mundum humilis & contempti,eiq; ueluti diuino medi co,totam sui pectoris purulentiam, cunctaq; conscientiæ hulcera retegunt. Dum autem sic semet abijcit homo apud hominem dei causa,erigitur & fit magnus apud deũ. Quod nisi frangatur in nobis ille spiritus ferox, non infundet se spiritus ille mitis Iesu Christi, qui non requiescit nisi super humilem & mãsuetum,ac trementẽ uerba ipsius. Audiui ui ros doctos ac pios hoc profitentes in familiaribus colloquijs, quod nulla ex re plus lucis & gratiæ cœlestis capere soliti sint,quàm ex syncera cõfessione,quum tamen confiteren tur sacerdoti humili,parumq; literato:adeo res est ad placandã irã numinis efficax sui sub

Prima utilitas confessionis

missio. Imminebat Niniuitis præsens exitium, submiserunt se prophetæ minitanti, cõfu/gerunt ad saccum & cinerem, moxq; rigida domini sententia flexa est in misericordiã. Idẽ fecit illorũ barbarus rex, à superbo solio descendit in cinerem, pro purpura induit saccũ, pro regalibus minis emisit supplices ad deum preces: Quis scit inquiens, si cõuertatur & ignoscat: Deus superbis resistit, sed idẽ cor contritũ ac submissum nunq; despexit. Quod contritum est, nõ erigitur, non intumescit, sed si lachrymarũ admisceas humorẽ, uelut uda argilla, seu pastilli, in omnem speciem sequetur ducẽtis manũ. Quod si cor deieceris deo, non erit molestum te submittere sacerdoti. Peccando ceruicẽ erexisti aduersus deum, teq; diaboli iugo subdidisti, & nunc piget submitti ministro uicarioq; dei: Quũ uitiorum au/toramentis inescatus ceruicẽ præberes Satanæ laqueis, ibi decuit superbiæ meminisse, nõ hic, ubi ad tempus demittis teipsum, ut ab inferis erigaris in cœlũ. Si qua corporis pars ha bet uomicã, submittis te homini medico, nudas illi quãlibet pudẽda: ubi mens est tot uul/neribus saucia, graue est tantisper submitti medico animę: Quemadmodũ enim qui mini strat pauperi, nõ sic cogitat, q; humilis est cui nunc inseruio: sed ita potius secũ cogitat, q; sublimis est ille cui hoc præsto officiũ: ita qui adit sacerdotẽ nõ circumspiciat illius condi/tionẽ iuxta mundũ, sed cogitet quãtus sit ille cuius uicẽ gerit, quantaq; sit illi tradita pote/stas, nimirũ regia Cæsareaq; longe sublimior. Si mẽdicus quispiã te possit leuare febri, nõ/ne quantũuis splẽdidus, lubẽs illi supplex esses, ut te sanitati restituat: Si captus esses à pi/ratis, quis est tã humili sorte, cui nõ libenter accideres ad genua, si scias illi in manu esse, te tuis restituere: Si Cæsar abs te capitaliter offensus, cuipiã è coquis suis delegasset hoc ne/gociũ, ut te uel puniret uel in principis gratiã reponeret, nõne coquo lubens ad genua pro cideres, genã cõiungeres, & quicquid solent abiectissime supplices, faceres, nõ perinde re putans qualis esset ille, sed quantũ posset, & in illo humili Cęsaris maiestatẽ adorares: Lu bens ac gaudens submitteres te uindictę prætoris, quæ tibi uertat conditionẽ, & ex seruo hominis faciat libertũ hominis: hic refugis manũ sacerdotis, qui te ex seruo diaboli faciat filiũ dei: Vt perderes animã tuã, nõ piguit te Satanæ conculcandũ præbere: ut salutẽ reci pias, fastidis te cõmittere sacerdoti: Quænã hæc est præpostera superbia, peruersaq; deie/ctio: Dũ te subleuas, elisus es: ut attollaris, dejcias te necesse est. Deo nihil sublimius, sed ab hoc recedis, dũ ceruicẽ erigis: accedis, dũ te cum publicano subducis ac dejcis. In mõ/tes nubibus altiores deus iaculatur fulmẽ, in cõualles hymbrẽ ac riuos emittit ut læto uer nent gramine, multaq; fruge exuberent. Nimirũ hoc est quod dicit scriptura: Humilibus dat gratiã. Sunt mõtes Gelboæ execrabiles, in quos nec ros nec pluuia descendit. Sunt & mõtes quibus delectatur dominus. Mons erat in quo Abrahã parabat immolare filiũ uni cum. In mõte lata est lex. Celebratur mons Sion qui cõfidit in domino. Et sunt mõtes ad quos pij leuãt oculos suos, unde expectãt auxiliũ. In mõtibus frequẽter orauit dominus. In monte trãsfiguratus est. In mõte ascẽdit in cœlũ, ut igitur fias mõs domino gratus, dejce uerticẽ cordis & fias conuallis, ut accipias domini benedictionẽ, purgatisq; tribolis & spinis, quę gignit terra execrationi obnoxia, multa uirtutũ fruge exuberes. Crede mihi cu ius animus uehementer refugit sacerdoti se submittere, nondũ cor satis deiecit apud deũ, nondũ ex animo pœnitet. Cogita quẽ offenderis, q; atrocia cõmeruerís supplicia, ad quã indignitatẽ & ignominiã temetipsum peccãdo deiecerís, q; inhonoratũ, q; turpẽ teipsum feceris corã oculis dei, sanctorũ & angelorũ omniũ, dum abiecta stola & anulo, excussus è cõsortio filiorũ dei, factus es mancipium diaboli, hæres gehennę, & quicq; pudendũ du cis, quod te ex tanta indignitate restituat in tantã felicitatẽ: An te pudet uideri peccatorẽ: Quin eadẽ opera pudet uideri hominẽ: Et si pudoris habetur ratio, turpius est nolle mu/tare seruitutẽ q; incidisse. Postremo saltẽ pudor pudorẽ, sicuti clauus clauũ pellat. Cogita utrũ tolerabilius sit hic apud unũ hominẽ semel pudescere, an post erubescere in cõspectu dei, angelorũ & sanctorũ omniũ qui fuerunt ab initio mundi, quicq; usq; ad consummatio nem futuri sunt. Cogita quod ibi theatrũ futurũ sit, qua fronte illic obtueberis conditorẽ, patrẽ, redẽptorẽ, & assertorẽ tuũ, quẽ tot beneficijs prouocantẽ, tã magnifica pollicentẽ, tanta lenitate tolerantẽ contempsisti: quõ oculos attolles in illã felicissimã sodalitatẽ ciui/um cœlestiũ, unde te tuapte spõte subtraxisti, & in tã miserabile consortiũ cõiecisti: Hoc dedecus, hoc probrum, hanc ignominiã, hunc pudorẽ si cogites, facile contemnes tempo rariũ pudorẽ, qui æternã abolet ignominiam. Beati quorũ tecta sunt peccata. Tegit enim

confessio

confessio crimina,ut iam nec deus meminerit,nec diabolus agnoscat. Porrò quoniam totus homo peccatis seruiens sese erexit aduersus deũ, par est ut corpore quoq; sese submittat:& quẽadmodũ corpus sæpenumero præbet occasionẽ peccandi,ita frequenter & animi uirtutẽ uel gignit uel adiuuat.Hanc ob causam prisci gubernatores ecclesię, nõ solum in sacramentis administrãdis,& in cultu diuino,uerumetiã in ejciendis in crimẽ relapsis, & in recipiẽdis pœnitẽtia purgatis,ritus quosdã uisibiles ac ceremonias adhibuerunt, ut & populus deterreretur à peccãdo, & quos nondũ pigebat suorũ scelerũ ad resipiscentiã prouocarentur,et quorũ erat infirma pœnitentia magis ad peccatorũ horrorẽ accẽderentur.Multis enim iritamentis eget humanæ mentis imbecillitas,ut ignẽ charitatis cõcipiat, ut seruet, ut ab inualescente occupata transformetur. Olim reprehendebantur ab episcopo,semouebantur à consortio gregis Christiani,nudo capite,nudis pedibus,sacco uestiti, cinere conspersi,stabant ante tẽpli uestibulũ,supplíciter à prætereuntibus & ingredientibus flagitantes precationis suffragia: indicebantur illis ieiunia,hydroposiæ, chameuniæ, aliaq;, dura quidẽ humanis affectibus,sed salubria,tum ijs qui spectabant ad seruandã innocentiã,tum ijs qui patiebantur ad eluendam culpã. Atq; huius consuetudinis extant etiamnũ nõnulla uestigia,præsertim in ecclesia Romana.Nudãtur enim quibusdã scapulæ, & extra tẽplum uirga cæduntur interdũ usq; ad sanguinẽ,idq; numerosissima populi multitudine spectante,solus tamẽ pœnitẽtiarius nouit quid admissum sit,nisi quod omnes atrox facinus admissum suspicãtur. Verum ubi refrixit hominũ pietas,et inundauit iniquitas,ecclesiæ proceres rationẽ habentes humanæ imbecillitatis maximã partẽ pudoris & cruciatus remiserunt,ne plurimos alienarent suo iure erga omneis utentes.Sed nostrũ est quod corporalibus ceremonijs detractũ est,id animi dejectione cordisq; contritione pensare.Quo remissior est erga nos ueteris ecclesiæ disciplina,hoc oportet nos minus indulgere nobis ipsis.Cõcessum est nobis ut exceptis paucis generibus, citra pudoris ac famæ detrimẽtum secreta cõfessione purgemur ab omnibus cõmissis quã libet enormibus.Cæterum illud cauẽdũ,ne hæc ecclesiæ lenitas doceat nos leuiter odisse peccata nostra: neq; enim leuia uideri possunt,quorũ unicuilibet debetur æternum gehẽnę supplicium.Abijcienda est igitur hęc inutilis imò pernicíosa uerecundia,excutienda stulta & impia superbia.Quale est enim reuereri unius hominis cõscientiam,nec reuereri dei oculos nihil non intuentis?Demens superbia est. Secunda utilitas est,quod pleriq; sunt,qui uel per ætatem,uel per imperitiam non intelligunt morbum suum,per errorẽ iudicantes nullum esse delictum,quod crimen est capitale:contrà putantes hoc esse crimen, quod crimen nõ est. Aut si morbum intelligunt,sic inuoluti sunt,ut nesciãt semetipsos explicare. Id quod usu uenit in multis casibus matrimonij,uotorum,restitutionis,alijsq; similibus, in quibus nõ nunquam hærent etiam eruditi theologi cum iurisperitis. Hic non solum absolutione est opus,sed res desiderat hominem integrum,prudentem,sacrarum literarum scientia,tum iuris utriusq; peritia instructum. Ad hæc quemadmodum sunt in corporibus hominum febres quædam fallentes,sed hoc ipso periculosiores: ita sunt frequenter & in animis hominum occulta uitia,uel non animaduersa, uel pietatis imagine fallentia.Succurrit hic sacerdos, ueluti peritus medicus, ac morbum ignoratum ex indicijs colligens, reuocat ab errore. Rursus frustra trepidantem, ubi nihil erat periculi, confirmat. Deinde qui perplexis malis irretiti sunt,doctis fidisq; consilijs expedit,uiam ostendens, qua possit malũ excuti, siue tenacius ob naturæ procliuitatem,siue subinde recurrens ob diutinam consuetudinem ac familiaritatem In nullis enim malis magis sudat ars medicorum,quàm in his, quæ longo temporis progressu sibi collegerunt familiaritatem, adeo ut in totum de quibusdam desperent, magisq; polliceantur mitigationem morbi quàm sanitatem: uelut in morbo comitiali iam inueterato, in podagra aut calculo senili. Cæterum in animi morbis non oportet usquam de salute diffidere, posteaquam Christus & leprosos, & mulierem tot annos profluuio sanguinis obnoxiam mundauit, ac paralyticum tot annos decumbentem ad piscinam erexit, postremo Lazarum quatriduo iam mortuum reuocauit ad uitam.Quin & illud præstat doctus ac fidus medicus,ut ex indicijs corporis morbum imminentem præsagiat, ac non magno negocio excludat aduentantem, quum semel uictorem summo labore uix possit propellere.Idem facit prudens ac fidus animę medicus, ubi sentit euidens imminentis mali periculum, admonet indicatq;, quibus rationibus ui-

Secunda

tari possit. Id nusquam fit tempestiuius, quàm in confessione sacramentali.

Tertia Liberum erit & hanc utilitatem quam dicturus sum, uel tertiam facere, uel ordini proximo adiungere, quod duobus maximis malis medetur sacerdos in cõfessione. Quorum alterum est pestilens securitas, aut hac etiam pestilentior gloria de peccatis: alterum multo etiam utroque periculosius, desperatio clementiæ diuinæ, cuius primus autor fuit Cain, æmulator Iudas Iscariotes. Quædam enim peccata tacitam habent gloriam: quod genus sunt, constupratio formosarum puellarum, aut nobilium ac diuitum matronarum expugnatio, aut ingens pecuniæ uis alea perdita, aut inimicus malis acceptus modis, aut conuiuium immodico sumptu apparatum. Hæc quidam sic confitentur, ut non solum non pudeat admissorum, uerum iactent magis ut glorioſa facinora. Hoc ubi senserit sacerdos, conabitur omnibus modis excutere ex animo confitentis stultam gloriam, & ostensa peccati turpitudine, pro gloria pestilente, salutiferum pudorem ac dolorem inducere. Contrà, quædam peccata sunt eius generis, ut ab his ipse naturæ sensus abhorreat, seséque damnet atque oderit, qui perpetrauit. Veluti parricidium, infanticidium, prodigiosæ nec nominandæ libidinum species, furta uulgaria, quæ nulla constant arte, ueneficia, colluſio cum impuris spiritibus, blasphemia aduersus Deum, aliáque his similia. Horum enormitas frequenter pertrahit hominem in desperationem, quod malum est omnibus malis atrocius. Minus enim uidetur offendere Deum, quem illius bonitas reddit negligentem, q̃ qui desperans de uenia, negat deum esse bonum & clementem, quum deus sit ipsa clemẽtia: negat esse ueracẽ, quum citra ullã exceptionẽ promiserit peccatori ueniam resipiscenti, facturus utiq; quod promisit, si uerax est: negat omnipotentem, quasi ullum sit malum hominis cui ille mederi nõ possit. Hic igitur sacerdos nihil non proferet, quo iacentem ac sui desperantẽ erigat ad spem ueniæ, & erectum confirmet, ne relabatur.

Quarta Sunt autẽ quorũ animi tam infirmi sunt & imbecilles, ut nec in leuioribus admissis ausint sibi polliceri ueniã, nec habeant requietã conscientiã, nisi per sacerdotẽ accesserint solẽnes ceremoniæ, quibus datur absolutio. Humanitatis aũt Christianæ puto, & huiusmodi mortaliũ infirmitati morẽ gerere, donec proficiant ad robur animi firmioris, ad quod conueniet illos identidẽ exhortari, Noui qui sibi persuadere non poterant absolutos esse sese, nisi sacerdos id suo chirographo testaretur. Iã cõplures anxie confitentur etiã illa quę inter uenialia sunt leuissima, nonnunq; etiã friuola, ueluti de pollutiõibus nocturnis, quæ nulla uitiosa occasione, sed tantũ naturali corporis accidunt affectione, nec ullus succesſit assensus. Qua de re Ioannes Gersonus tam anxie scripsit, ut multorum conscientijs scrupum iniecerit. Ita sunt qui in dicendis precibus nunquam animo suo satisfaciunt, ac minutissimis etiam ualde perturbantur: Neq; raro fit ut huic imbecillitati non absit peruersitas. Tantum anxij sunt an explanate pronuncient literas ac syllabas, an intellígãt quod legunt, an uenerentur afficianturq; uerbis diuinis quæ sonant, nimium securi. Similiter subitas ac uolatiles cogitationes, quæ summam modo cutem animi perstringunt, non insident, perinde confitentur, quasi quod uenit in mentem certò decreuissent, aut etiam opere peregissent, quum interdum sint de rebus etiam dictu abominabilibus. ueluti quum incidit dubitatio de ueritate scripturarum, de articulis fidei, de incestu, deq; libidinum monstrosarum formis. Hæc anxie ac singulatim confiteri, & audientem onerat superuacuis, & confitentem inutili metu perturbat. Bonæ mentis, aiunt, indiciũ est, ibi timere culpam ubi culpa non est. Vt bonæ sit, certe perfectæ non est. Et ea res in pueris aut puellis arguit indolem pietati discendæ idoneam, sed eadem in uiris inepta est & inutilis, perniciosa etiam, si superflua uitij fuga pertrahat in uitium grauius, quod in multis artificio Satanæ fieri uidemus. Redarguenda est hæc peruersitas, & erudiẽda simplex infirmitas. Pietatis est de huiusmodi naturæ humanæ infirmitatibus dolere, hisq; pro uirili obsistere, & niti ad perfectiora. Optat homo uere pius perfectam integritatẽ sui corporis, quam sperat in resurrectione, eoq; dolet impudicis insomnijs contaminari uasculũ suũ, at non statim quod molestum est, crimen est: ita uir pius dolet, fame, siti, somnolentia, aut lassitudine corporis interrumpi precandi instantiam: Dolet membrorum rebelles animo motus: Dolet carnẽ concupiscere aduersus spiritum. Atqui tantum abest ut ista sint crimina, ut potius sit materia uirtutis, si quis pro uirili repugnet. Quod idem faciendum censeo erga eos, qui ex simili infirmitate crebro repetunt eorundem criminum confessionẽ, & se discruciantes, &

sacerdotis

ſacerdotis otiũ perdentes. His nonnunq̃ morem gerere Chriſtianæ charitatis eſt, ſed ſic, ut admonitione prouehantur ad perfectiora, diſcantq; plus amare, trepidare minus.

Quinta utilitas eſt, quod quoniam nulla ſit remiſsio peccati, niſi adſit idonea deteſtatio commiſſorum ex amore dei proficiſcens, ac ſerium certumq; propoſitum in poſterum abſtinendi ab omnibus quæ deum offendunt, ad hæc paranda non mediocriter adiuuat meditatio confeſsionis apud hominem. Quemadmodum enim qui dicturus de re quapiam apud iudicem cogitat uigilantius, & attentius omnes negotij circũſtantias perpendit, & ſi ſemota dicẽdi ſolicitudine cogitaret: ita qui meditatur quid dicturus ſit apud ſacerdotem, altius cõſiderat magnitudinem ac turpitudinem criminum ſuorum, repetẽs quoties in ea relapſus ſit, & quamdiu in ſuis tenebris ac ſordibus uerſatus, quantisq; bonis interea ſeipſum priuauerit, alienatus à deo, ſegregatus à cõmunione totius corporis Chriſti, obnoxius æterno gehennæ ſupplicio. Ex harum rerum attenta cõſideratione naſcitur horror peccatorum, qui nonnunq̃ ducit originem ex metu ſupplicij, gignitq; deſperationem, niſi proficiat uſq; ad ſpem ueniæ per cõtemplationem miſericordiæ diuinę, perq; fiduciã erga dominum Ieſum, qui ſemel dependit pro peccatis omniũ: donec timori ſeruili ſucceſſerit amor filio dignus, cui commiſſa diſplicent, nõ iam quod pertrahant in gehennam, ſed quod patrẽ optimum ac ſic de nobis meritum offendunt. Etenim ſi filius ex animo diligens parentes ſuos, etiã ſi nullus ſit metus pœnæ, tamẽ nolit ſciẽs admittere, quod offendat animos illorũ: quanto magis qui deum amat amandũ ſuper omnia, et præterita cõmiſſa deteſtatur, quibus offendit deũ, & cauet ne quid in poſterum ſimile cõmittat? Hæc igitur utilitas hortaretur hominẽ ad confitendum ſacerdoti, etiam ſi nõ eſſet neceſſaria confeſsio, quanto magis amplectenda, ſi neceſsitas pertrahat ad utilitatem. *Quinta*

Sexta utilitas eſt, quod quemadmodũ magnitudo doloris ex peccatorum conſideratione concepta, impetrat dei miſericordiam ad relaxanda commiſſa, ac propoſitũ in poſterum abſtinendi à commiſsis reddit firmius: ita pudor ille retegendi pectus ſuum homini, bonam pœnæ partẽ adimit, hominemq; cohibet, ne facile relabatur in eadem. Quemadmodum pueri uerberibus ac pudore docentur cauere, ne quod ſemel deliquerunt, repetant. Porrò maxima pars hominum infirma eſt & imbecillis, & ad peccandum prona. Pudor autem hic generoſis animis adeo moleſtus eſt, ut multi ſint qui mori malint, quàm pudeſcere, niſi uel amarent deum, uel metuerent gehennam. *Sexta*

Septima utilitas eſt, quod quia iuxta uetus prouerbium, præcipua ſapientiæ pars eſt, ut homo norit ſeipſum, hoc nulla res magis præſtat quàm confeſsio, quæ totum hominem ſibiipſi ſubinde ponit ob oculos, excuſsis omnibus animi latebris, dum penitus cõſiderat, quò uocẽt præcepta dei, & ad quæ ipſe propenſus ſit & quibus occaſionibus labatur. Hæc eſt enim uera meditatio in lege domini, ut homo componat ſe ad eum uitæ ſtatum, in quo ſe cuperet eſſe, ſi iam ſupremus uitæ dies urgeret. *Septima*

Octaua utilitas eſt, quod qui confitetur ſacerdoti, non ſolum illius conſilio, cõſolatione, exhortationeq; iuuatur, uerumetiã precatione. Imprecatur enim cõfeſſo gratiã ſancti ſpiritus, ac robur ad fortiter reſiſtendum Satanę. Quod ſi cuiuslibet hominis pij deprecatio non eſt inutilis ad dei gratiã impetrandam, quanto minus ſacerdotis? Nimirũ hoc eſt quod docet Iacobus, hic quoq; plurimũ ualere iuſti deprecationẽ aſsiduã. Ne quid interim dicã, de poteſtate clauiũ, de qua copioſe traditũ eſt à theologis, ut neceſſe nõ ſit hic repetere. Nam quid ſit attritio, & an ex attritione per confeſsionẽ fiat cõtritio: et an cõfeſsio efficiat, ut in primo ſtatim inſtanti remittatur peccatum, Scotiſtis diſputandum relinquo. *Octaua*

Nona utilitas eſt, quod ſicut per baptiſmum eximimur à tyrannide Satanæ, & facti filij dei, inſerimur corpori Chriſti, quod eſt eccleſia, & in tam felix contubernium coopta-mur angelorum, & omnium ad cœleſtem hæreditatem prædeſtinatorum, ubicunq; terrarum uiuunt, uixerunt aut uicturi ſunt: ita per pœnitentiam in eandem ſocietatem rite reſtituimur: & quanquàm qui criminum ſuorum odium iam accepit à deo, liberatus eſt à reatu, ut demus confeſsionem quæ fit homini non eſſe ſimpliciter neceſſariam, quod & olim docuerunt & hodie docent quidam, à quibus tamen ego libenter diſſentio: tamen contemptus publicæ ac iam olim receptæ conſuetudinis, & aduerſus eccleſiaſticam traditionem contumacia offendit deum, ac lædit Chriſtianæ reipublicæ tranquillitatẽ. Eam certe offenſam uitat, qui cõfitetur ſacerdoti. Deinde ut antea fuerit liber à peccatis, tamen *Nona*

per confessionem rite factam multum accedit & lucis & gratiæ, quod lucrum nemo uere pius contempserit. Ad hæc sunt, qui dum ualent, habent, aut potius habere sibi uidentur securam conscientiam: atqui dum in extremis agunt secus affecti sunt, uel quia tum propius urget periculum, uel quia tum artes omnes admouet tentator ille. Aduersus hanc perturbationem certissimũ remedium est, suo tempore bona fide cõfiteri sacerdoti. Postremo libentius agnoscet ecclesia confitentẽ, cẽ non confitentẽ, quemadmodũ Iudæi libentius agnoscebant circũcisum cẽ incircumcisum. Est autẽ & hæc pietatis pars, implere omnem iustitiam, uitare offendiculum, & iuxta beatum Paulum, omnibus placere per omnia. Hæc dixerim non meo nomine, sed propter illos qui nondum sibi certo persuaserunt hanc confessionem uelut ab hominibus institutã, esse simpliciter necessariã ad salutem. Spiritualis homo omnia dijudicat, et à nemine dijudicatur, sed ut est hominũ uulgus procliue ad excutiendũ iugũ domini, uideo cõfessionis contemptũ esse præcipuũ gradũ ad paganismũ, quò uidemus iam multos relabi sub falso libertatis Euangelicæ titulo. Hactenus præcipuas cõfitendi utilitates recensuimus, quas alioqui innumerabiles esse scio.

Nunc locus admonet, ut de malis quæ uidentur ex occasione confessionis accidere, sed hominum uitio potius quàm rei, paucis dicamus.

Primum malum cõfessionis

Primum autem uidetur hæc admissorum inter homines communicatio nonnihil inficere simplicitatem illam & innocentiam naturalem, qualem uidemus in pueris ac puellis nondum infectis huius uitæ corruptelis. Huius innocẽtiæ magna pars est nescire peccatum, ac ne suspicari quidem esse qui talia aut talia patrent. Quod sæpe fateri solent sacerdotes etiam eruditi, & qui ex lectione librorum pleraq; nosse poterant, se nunquam suspicaturos fuisse talia scelera committi inter homines, qualia audiunt à cõfitentibus. Maxime uero inficiunt ea, quæ pertinent ad libidinem aut curiosas artes. Sunt enim quædam libidinum species, quas nemo prudens uellet narrari apud filios aut filias suas, quod natura per occasionem procliuis sit ad malarum rerum experientiam. Vnde tutius est hæc ignorari quoad licet. Rursus sunt artes maleficæ, quæ curiosos pelliciunt ad harum experientiam. Et insita est fere ingenijs hominum uitiosa curiositas, titillans animum cognoscendi libidine. At sacerdotes homines sunt, sæpe iuuenes, nõnunquam & mali, aut certe imbecilles. Horum animus corrumpitur audiendis aliorum prodigiosis admissis, ac sæpe propelluntur ad eadem patranda, quæ ab alijs patrata didicerunt. Atq; hæc pestis latius etiam serpit, quoties ut fit, sacerdotes quod à confitentibus audierunt, apud alios referunt, tacitis quidem nominibus, interdum ne tacitis quidem, sed ut maxime tempere tur à nominibus res ipsa frequenter auditorem inficit. Quanquam grauius etiam peccant, qui nusquam referenda referunt in publicis concionibus. Proinde magistratus profani qui sapiunt, & ciuitatem cupiunt incorruptam, quum nocentem afficiunt supplicio capitis, non semper pronunciant omnia commissa, quod nõ expedit cuiuis scire, esse qui talia cõmittant. Olim quum admodum puer agerem Dauentriæ, audiebam mulierculas parum integræ pudicitiæ, quarum illic magna tum erat copia, sibi uicissim applaudentes & gratulantes, quod suis amatoribus indulgerent, propterea quod parochus in concione dixisset, pastores quosdam fuisse confessos, quod parum caste sese gessissent erga gregem suum, Erat autem iubilæum. Quid illo parocho stultius, qui nulla coactus necessitate, imò ne utilitate quidem ulla inuitatus, hoc effutiret apud populum, unde scortatores & adulteri suis uitijs blandirentur? Nuper etiam quidam Franciscanus in publica concione dixit in oppido celebri, si uetus duraret lex, ut adulteræ lapidarentur, totum montem è saxis congestum, non suffecturum lapidationibus.

Secundum

Secundum malum est huic affine, quod hinc multi blandiuntur suis uitijs, nimirum ex collatione peiorum: uidelicet quum is qui scortationibus & adulterijs totus contaminatus est, sibi purus uidetur, quum ex confessione discit cum incubonibus aut cum brutis fœdos congressus: aut cum alioqui discit magnis criminibus oneratos, quos credebat esse doctos, graues ac sanctos uiros. Sic enim est ingenium humanum, ut aliena quisque mala libenter exaggeret, sua attenuet. Audiui Theologum quendam non abhorrentem à mulierculis impudicis, narrantem se audisse quendam sacris uirginibus præfectum, qui confiteretur sese stupasse ducentas uirgines. Ex hoc adeo sibi blandiebatur is qui hoc referebat, ut nunquam cogitaturus uideretur de meditanda castitate.

Tertium

Tertium incommodum est, quod hæc confessio supercilium addit plerisq; sacerdoti- *Tertium*
bus, quos patres esse uoluit deus, non dominos. Dominus autē est alterius, qui nouit illi-
us arcana. Nec potest non metuere, qui ea credidit homini: ac fere despicit, qui talium al
teri conscius est. Itaq; per confessionē uidetur adimi libertas Christianis, inter quos non
uult Christus esse dominium, & extingui charitas: odit enim, quisquis metuit: & uix ama
re potest, qui turpium conscius est alteri. Certe minoris facit, nimirum habens telum,
quo confessum perdat ac terreat. Quod si sacerdos integrior est, quàm ut abutatur con-
scientia, tamen sæpe casu incidunt, quæ rapiuntur in suspicionem. Ita fit, ut insyncera
sit amicitia inter confessum & auditorem.

Quartum est, quod confitens non raro incidit in sacerdotes malos, qui sub prætextu *Quartum*
confessionis patrant non referenda, procq; medicis fiunt aut socij, aut magistri, aut disci-
puli turpitudinis. Vtinam uidear hoc frustra monuisse, ac non tam multa passim exem-
pla occurrerent, quæ nec sine dolore recordor, nec sine pudore possim referre.

Quintum est, quod hæc confessio multos in famæ uitæq; discrimen adducit ob sacer- *Quintum*
dotes parum tenaces silentij. Quod autem hominis membrum magis lubricum lingua?
Quem inuenias, qui non per occasionem effutiat aliquid in sinum amici, cui tantum au-
sit credere, quantum ipsi creditum est? Vt ne loquar de multis tali ingenio præditis, ut
rumpēdi sint, nisi quod creditū est effutierint. Vtinam hoc uitij in fœmineum sexum dun
taxat hæreat. Hic non dubito, quin unicuiq; nimium multa exempla succurrant, à qui-
bus libenter abstineo. Iam ut demus sacerdotem linguæ temperantis, frequenter odium
ac simultas oborta rumpit silentij repagula: nonnunquam & ebrietas, quæ quod est ab-
ditum in corde, facit ut natet in lingua. Postremo morbus aut phrenesis oborta rumpit
hoc silentium, quod ego iuuenis in parocho quodam euenisse cognoui: qui quum inca-
luisset in concione, nominatim prodidit multarum scelera. Neq; uero rara sunt exempla
eorum, quibus uoces sacerdoti creditæ per iugulum rediere. Iam sunt casus quidam ex-
cepti, in quibus fas est prodere confitentem. Sed his casibus quidam imputant, quic-
quid ipsos hortatur ad effutiendum arcanum. Alij non putant se peccare, si tacitis nomi-
nibus domum aut collegium infament. Quis autem ferat æquo animo, suam etiam ciui-
tatem aut patriam infamia aspergi? Quàm uero multos audiui, qui in conuiuijs apud
quoslibet referrent, quod ex defunctorum confessione didicissent: existimantes id sibi li
cere, quum nemo uiuus uelit apud posteros infamari suam memoriam. Deniq; principes
aliquoties iureiurando exigunt, ut sacerdotes prodant autorē criminis. Ego ut uehemen-
ter probarim, si sacerdos non prodito homine, consulat reipublicæ, ita non habuerim pro
periuro, si iuret se nescire, quum interrogatur de his, de quibus interrogari non debet.
Videtur autem inhumanum, quenquam huic tanto periculo exponere, præsertim quum
tot sint exempla periclitantium. Iam hoc onus non solum grauare uidetur confitentem,
uerum etiam audientem. Nam ut omittam, quàm graue sit sacerdoti docto bonoque tan-
tum temporis conterere audiendis humanæ uitæ sordibus, interdum, ut diximus, & cum
suæ integritatis periculo, ferre graues halitus olentium allia, aut morbo uitiatorum, præ-
sertim, quum multi laborent lepra, qui semoti non sunt, aut scabie Gallica, quæ species
est lepræ: nec ulla uia contagium certius, quàm hausta ægroti anima, ut molestiæ sit ad-
iunctum non mediocre periculum: quàm durum est parochum uirum florenti ætate,
literis ac moribus utilem reipublicæ, huc adigi necessitatis, ut media nocte sese demittat
in cubiculum, ubi purgauit aluum, ubi uomuit qui laborat pestilentia, ubi sudat, laua-
tur, ungitur, aduritur qui laborat scabie, quam uocant Gallicam, atque in hoc periculo
desidere, donec ille peregerit suam confessionem. Nec satis est iuisse semel, reuocatur
iterum atque iterum, quoties moriturus iam delirans, clamat sese nescio quid oblitum.
Has ob causas theologi ducunt argumentum, confessionem hanc non ab hominibus,
sed ab ipso Christo fuisse institutam. Quum enim Petrus apostolorum princeps censue-
rit iniquum gentibus imponere iugum legis Mosaicæ, quod nec ipsi portare potuissent,
neq; patres ipsorum: inhumanissimum uideri poterat, si homines hominibus hoc cōfes-
sionis onus imposuissent, quod solum plus habet sarcinæ, cq; uniuersa lex Mosaica, cuius
ceremonijs beatus Petrus non putauit onerandas gentes, ac Iudæos etiam exonerauit,
quum hoc potius hortari uideatur fraterna charitas, ut quantum licet, alij aliorum onera

ſubleuemus. Chriſtus non exegit à quoquam cœlibatum, et rem tam grauem homo exi/geret ab homine? Paulus indulgens hominum infirmitati, remittit aliquid de præcepto domini: & qua, inquiunt, fronte qui cum Paulo conferendi non ſunt, imponerent talem ſarcinam ultra præceptum domini? Præſertim ut nunc eſt exomologeſis, hominũ ſpinis & ſcrupis ſic impedita, ut uix quiſquam à ſacerdote diſcedat tranquilla conſcientia?

Sextum Sextum incommodum eſt, quod hæc ſecretorum admiſſorum atq; etiam cogitatio/num patefactio, docere uidetur impudentiam. Poſteaq; enim ſemel atque iterum perfri/cuerint faciem, ut audeant hęc fateri ſacerdoti, tanto fiunt audaciores ad patrãdum quod libet. Eſt autem pudor unicus cuſtos innocentiæ. Porrò ſunt quædam eius generis uitia, ut penè plus inficiat commemoratio, quàm geſtio.

Septimum Septimum, quod hęc commemoratio ſecretorum criminum, multos imbecilles addu cit in deſperationem, quoſdam etiam in phreneſim, quum id potiſsimum ſit agendum, ut peccator ſumat fiduciam de Chriſti promiſsis, et amet potius q̃ metuat. Etenim quiſquis hunc affectum in deum non conceperit, is fruſtra confiteatur. Verum nimis anxia recen ſio generum, ſpecierum, circunſtantiarum aggrauantium, & in aliud genus trahentium, auocat animum à charitate in deum, ac gignit odium ac deſperationem, præſertim quum quidam tot laqueis inuoluerint hoc cõfitendi negotium, ut non temere inuenias, qui pla/nè tranquilla conſcientia diſcedat à ſacerdote. Hoc malum potiſsimum accidit in pueris, mulierculis, ſenibus, & qui natura ſunt animo meticuloſo, quos ego non paucos noui. Tum uero plus eſt periculi, quum tales incidunt in ſæuum ac iurgatorem ſacerdotem.

Octauum Octauum. Sunt alij nimium confidentes, qui quum aut nihil aut leuiter cogitarint de mutanda uita, nec animo conceperint ſeriam deteſtationem uitæ ſuperioris: hoc ſibi ſa/tis eſſe ducunt, ſi ſacerdoti recenſuerint quid egerint, & ſi ille pronunciet abſolutionem. Atqui nil eſt hac fiducia peſtilentius. Nec deſunt ſacerdotes, qui talibus blandiuntur, aut certe conniuent, eò quod illis charior ſit quæſtus quem adfert recenſio, quàm ſalus ani/marum quam adfert in deum charitas, quę propellit ſuperſtitionem. Hinc eſt quod audi/mus multos à ſacerdote uenientes ita iocari, Sum liber ab illa ſarcina, totam conieci in cu cullam monachi. Tales ab eiuſmodi fiducia reuocandi ſunt.

Nonum Nonum, quod exactio confeſsionis uidetur multis occaſionem prębere hypocriſeos. Quum enim ſit lõge difficillimũ huc applicare animum, ut recte quis ac quẽadmodum oportet confiteatur, tamen metu infamiæ aut excommunicationis, multi ficte confiten/tur, & illudunt ſacramento pœnitentiæ, leuius mali futuri, ſi ab euchariſtia ſimul & con/feſsione abſtinerent, donec concepto odio uitæ prioris, ultro expeterent confeſsionis re/medium. Nunc hypocriſim iungunt ſacrilegio. Hæc aliaq; permulta faciunt, ut ſi quis at/tentius expendat rem, dubitare poſsit utrũ hominũ uitio plus officiat pietati cõfeſsio an cõducat. Supereſt igitur, ut quod quemadmodũ docent quidam mutari nõ poteſt, ita tra ctetur à nobis, ut inde q̃ plurimũ fructus ad nos redeat, incommodi q̃ minimum. Id fiet, ſi uterq;, hoc eſt & confitens & auditor ſuo fungatur officio. Non enim debet ſacerdos tam arduũ audiendi munus ſuſcipere, niſi doctrina, animi rectitudine, prudentia, ſed ante omnia pietate ad hoc idoneus. Et ſi quid alioqui haberet affectus humani, tamẽ auditu/rus debet ſacerdotis perſonam ſumere, neque quicquam habere præ oculis niſi deum, cuius illic quodammodo uicem gerit. Etenim ſi quorum uita parum eſt ſyncera, tamen quum ad ſynaxim accedunt, præparant ſeſe ne accedant indigni: itidẽ auditurus deberet animum ſuum ad rem tam ſeriam, tamq; ſacram præparare, ne malum medicũ præſtans, & proximi morbum augeat, & iram dei in ſe prouocet, & uterq; ab altero diſcedat dete/rior. Nunc ferè ſordidi ſacerdotes, indocti, leues, futiles, quidam etiam cerebri parum ſa/ni, nonnunquam & bene poti, ob lucellum ingerunt ſeſe huic negocio. Atque huius cul/pæ bona pars eſt penes epiſcopos, quorum partes erant aduigilare, ne paſsim indigni recipiantur ad ſacerdotium. Præſtat enim habere paucos idoneos, quàm gregem inutili/um, ne dicam nocentium. Sed multo diligentiſsime prouidendum erat, ne cura gregis cre datur parum idoneo. Idem admonendi ſunt patriarchæ Franciſcanorũ ac Dominicaliũ, qui potiſsimũ capeſſere ſolent hoc muneris, nonnunq̃ & ingerunt ſeſe, quibus locum fecit paſtorũ inſignis oſcitantia. Nec enim hoc muneris cuilibet eſt delegandũ. Nunc ui/demus nullos auidius audire cõfeſsiones q̃ iuuenes, aut indoctos, aut improbæ uitæ ſa/cerdotes

cerdotes. Nam prudentes & integri quoties ad hoc munus pertrahuntur, satis declarant se non facturos, nisi aut charitas adhortaretur, aut urgeret autoritas, aut muneris suscepti necessitas. Circũspice quales sint isti, qui cœlũ terræ miscent, si quis quid admoneat de uitanda superstitione cõfitendi, uidebis homines famelicos, et ad rem attentos, uentri dedi/tos, nonnullos etiam turpes, quorum luxum, auaritiam, ac libidinem nisi aleret cõfessio, non ita uociferarẽtur. Respublica non admittit quemuis medicũ ad curanda corpora, & ad curandas animas satis est habere cucullã aut rasum uerticem? Iudicia de rebus uilibus prophana non peraguntur nisi à ieiunis, & ad hanc functionem accedunt à temulentis cõuiuijs dormitabundi? Ergo præsulum, aut etiam magistratuum partes erant huic pro/uinciæ deligere quàm maxime idoneos ætate, uita, doctrina, fide prudentia & mansuetudine, contra inutiles submouere, aut si commeruerint punire acriter. Porrò qui confiteri parat, debet hic quoq; ipse sibi consulere, ut sacerdotem idoneum deligat, nec facile mutet, quem semel bonum expertus est. In corporis morbo circunspicitur medicus idoneus, & in animi morbo quemlibet accersimus, præsertim quum aliquoties compertum sit, laicos curiosos se pro sacerdotibus gerere. Porrò quibus nondum est hac in re iudicium, uel propter ætatem, uel propter imperitiam, his oportebit parentum & præceptorum prudentiam succurrere, & indicare cui potissimum expediat confiteri. Nunc multos uideas, qui data opera sibi pessimum quemq; deligant, ut ab inuiso negocio quàm mínimo explicẽtur negocio. Talis confessio nihil minus est, quàm quod dicitur. Neq; multo plus fructus referunt ij, qui leuiter, ac uelut ex consuetudine sacerdotem adeunt. Qui confiteri parat, cogitet sese rem magnam & omnium maxime seriam agere, atq; ita studeat confiteri, quasi nunquam iterum confessurus. Est enim pœnitentia, uelut alter baptismus. Nemo uero baptismum suscipit, nisi hoc uoto, ut nunquam admittat cur iterũ baptizetur. Ita quanquam ob imbecillitatem humanæ naturæ non reijciuntur, qui sæpius relapsi redeunt ad pœnitentiæ remediũ: tamẽ qui pœnitentiã suscipit, hoc animo uotoq; debet esse, ut decies mortem obire malit, cẽ iterum admittere quæ deflet. Olim ad publicã pœnitentiam in plerisq; ecclesijs non recipiebantur, qui post semel actam pœnitentiam recidissent. Adeo cuperet ecclesia non esse reditum ad peccatũ, si fieri posset. Atq; hic, ut in plerisq; rebus, præpostera est cura mortalium. Anxie se torquent, ut annumerent bona fide peccata, ne quam speciem omittant, ne quam circunstantiam prætereant: atq; hęc quidem oportebat nõ omittere, uerum dum in his sunt toti, negligitur id quod est totius negotij caput. Primum itaq; deo confitendum est. At huic confiteri difficilimum est, qui non audit nisi uocem cordis. Quod si contigerit, iam facile est confiteri homini. Proinde prior illa pars huius negocij tanto studio tractanda est, quasi sola sufficiat. Huius illud est caput, ut homo penitus cõcipiat odiũ peccatorum, non huius aut illius, sed omnium quę deum offendunt, idq; iam non tantum ex formidine uindictæ diuinæ aut humanę, sed ex amore libero quo rapitur in deum. Etenim qui hactenus detestatur peccata, ut ea repeti/turus sit, si liceret impune, is non effugiet gehennã. Et qui sic detestatur ebrietatem ut tamen illicitis amoribus indulgeat, nõ odit peccatum ex amore dei: alioqui pariter odisset, quicquid illum offendit. Iam uotũ illud mutandæ uitæ, nec firmũ est, nec frugiferum, nisi proficiscatur ex amore dei. Porrò non est in potestate peccatoris, ut ipse sibi largiatur hũc affectũ. Dei donũ est gratuitũ, ab illo tamen lachrymis, precibus, eleemosynis, alijsq; pijs studijs ambiendũ. Implorare nonnunq; expedit piorũ hominũ apud deum interuẽtum. Quod si non statim cõtingit quod ambitur, nõ est tamen desistendũ à bene cœptis. Sæpe deus differt sua dona, ut uberius donet. Est ille benignus, & gratis largitur suas dotes, sed nõ largitur oscitãtibus. Proinde qui ex cõsideratione uitę turpiter actę, & ex metu gehẽnę cõcipit aliquã detestationẽ criminũ suorũ, nõ statim accurrat ad sacerdotẽ, sed perseueret in lachrimis, ac precibus quęrat, petat, pulset donec senserit aliud timoris genus cũ uoto certo mutãdę uitę, cumq; amore bene sperãte coniunctũ. Vbi spiritũ hũc senserit, quẽ Paulus uocat filiorũ, caueat ne quid hinc sibi tribuat, agnoscat gratuitũ dei donũ, & abiectus ad pedes illius, gratias agat eius benignitati, rogans ut quod gratis largitus est pro sua bonitate, perpetuũ esse uelit, ac semper in maius augere: nec suo uoto sic fidat, ut existimet se suis uiribus posse à peccatis abstinere, sed cũ magno tremore imploret opẽ cœlestẽ, ut idẽ confirmet & adiuuet uotũ qui dedit. Cæterũ uotũ illud non solũ complectitur

fugam

fugam peccatorum, uerumetiam omnium per quæ ſolitus eſt ad peccandum ſolicitari. Huc ubi profecit homo, iam redditus eſt eccleſiæ, iam ex ſeruo diaboli factus eſt filius dei, iam liber eſt à peccato, atq; etiam ut ſperandum eſt à pœna, ſi dolor & amor fuerit uehemens, Quantulum igitur eſt hoc quod ſupereſt, ſi conferas ad id quod præceſſit? Quem uere ſui pudet apud deum, leuius erubeſcet apud hominem, ſed pudor pudorem, ac dolor dolorem uelut clauus clauum propellet. Nec grauabitur bona fide patefacere ſacerdoti, quæ non niſi ſemel dicturus ſit, præſertim ſi cogitet ſe per ſacerdotem deo loqui. Conſultum autem fuerit, ut ſingulis diebus ſuam quiſq; cõſcientiam examinet, deóque confiteatur ex animo, renouans propoſitum ſuum, aut ſi id per occupationes non uacat, certe ſemel in hebdomade, cum propoſito adeundi ſacerdotis, ſimul atq; tempus & occaſio ſeſe dederit, niſi tanta fuerit imbecillitas animi, ut non conquieſcat, niſi mox ſacerdoti confeſſus. Hic non excutiam quantum ſit tribuendum iſtis laqueis, quibus homines confeſsionem aſtrinxerunt: loquor de poteſtate ſacerdotis cui confiteris, de caſibus reſeruatis, de cenſuris. Optarim tamen ob tranquillitatem conſcientiarum, ut epiſcopi ac pontifices, cuicunq; crederent autoritatem audiendi confitentem, eidem impartirent autoritatẽ abſoluendi ab omnibus peccatis cuiuſcunq; generis aut magnitudinis: item relaxandi cenſuras quaſcunq;, duntaxat in foro conſcientię: deniq; diſpenſandi in caſibus, in quibus perplexitas ex hominum conſtitutionibus naſcitur: uelut in matrimonio quod coijt inter cognatos his gradibus, quos diuina ſcriptura non excluſit à iure contrahendi matrimonij, aut ſpirituali propinquitate coniunctos: item de uotis, præſertim ſi quod commiſſum eſt, per errorem commiſſum eſt, non per malicíam. In aliis item ob graues cauſas relaxandi ius commune. Quis enim melius perſpiciet an hoc expediat fieri, quàm is, cui tota hominis uita patefacta eſt? Sed expeditius id fiat, ſi pontifices quaſdam conſtitutiones quas ob pias cauſas induxerunt olim, nunc ob neceſſarias abrogent: ſimulq; declarent, quibus conſtitutionibus uelint homines obſtringi ad crimen, quibus non. Si tamen ad ullum crimen obligat homo. Nam quibus eſt poteſtas in totum abrogandi cõſtitutionem, iiſdem poteſtas eſt efficere, ut non aſtringat ad reatum criminis, niſi interuenerit malicia contumax. Sed quamdiu res hoc loco ſtant, ſuaſerim deligere ſacerdotem, cui prẽter eruditionem & integritatem etiam adſit poteſtas legitima, ne quid in animo ſcrupuli reſideat, ut poſt iteranda ſit confeſsio. Cæterum anxietatem in circunſtantijs omnibus explicandis non admodum probo, quando quod hac de re refertur in ſententijs Theologicis, ferè ſumptum eſt ex opere cui titulus, De uera & falſa pœnitentia, quod conſtat Auguſtino falſo inſcribi. Quemadmodum nec illorum immodicam trepidationem approbo, qui ueluti ſub omni lapide dormiat ſcorpius, quemadmodũ habet prouerbium, ita culpam omnem faciunt capitalem. Qualem & ipſe noui quendam olim, qui pridie ieiunans tempore cœnæ ſumpſerat aliquid ſaccaraceum. Quum autem ſtaret accinctus ad canendum ſolenne ſacrum coram populo & eius loci principe, qui tum aderat, atq; ex prolutione oris ſenſiſſet nonnihil ſaporis ex micula ſaccari, quæ denti ut ſuſpicor cauo inhæſerat, accurrit anxius ac ſemianimis ad me, conſulens an deberet ſacrificare, Riſi hominis imbecillitatem, iuſsíq; ut bono animo faceret rem diuinam. Atq; huiuſmodi ſcrupuli ferè naſcuntur ex conſtitutionibus humanis. Nam prorſus ab hominibus conſtitutum eſt, neq; tamẽ nõ recte, ut ſacerdos ieiunus ſacrificet. Hinc exanimãtur quidã, ſi dum os proluunt, aquæ guttula ſe demiſerit in gulam, & aut abſtinent à ſacro, aut trepidi & irrequieti ſacrificant. Atqui non hæc erat mens eorum, qui id conſtituerunt, ut ſi quis forte miniſtrans ægroto, præguſtaſſet cibum, & dum expuit, aliquid forte decidiſſet in ſtomachum, uelut ſoluto ieiunio abſtineret à ſacro. Hic occinunt, piarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa non eſt. Audio & fateor, ſed per omnem uitam nihil aliud quàm trepidare, non minus prodigioſum uideatur, quàm ſemper manere puerum aut infantem. Malo ſuperſtitioſe pium, quàm improbe licenterq; ſceleratũ. Sed ferè fit, ut qui in huiuſmodi maxime ſuperſtitioſi ſunt, in grauioribus ſint mire ſecuri. Quàm multos ipſe noui, qui non auſi fuiſſent ſacrificare, ſi per imprudentiam guſtaſſent aliquid gingiberis ad pellendam ſtomachi nauſeam: nec dubitabant iidem accedere, magnũ erga proximum odium & ulciſcendi propoſitum habentes in pectore, Sed uera charitas, quæ dilatat animũ, ac fiducia certa concepta in Chriſtum, facile diſcutit eiuſmodi ſcrupos. Simili modo quídam tor-

dam torquent ſeſe de modo ſtudioq; præparationis, quam dicunt oportere eſſe exactiſsimam, qui gloriari uolunt, non in carne tantum, ſed etiam in conſcientijs hominum. Moderatam ego pro uiribus hominum præparationem facile recipiam, ſi modo adſit perfectum odium admiſſorũ, ac certum deſtinatumq; uotũ uitę in melius cõmutandę. Sed tamen de præparatione minus torquebitur, qui iuxta meũ conſiliũ aſſueuerit ſingulis diebus, aut certe ſingulis hebdomadibus excuſſa uita ſua confiteri deo. Debet autem hoc eſſe ſtudio confitenti, ut confeſsionem ſuam quantum poteſt in compendium conferat, ne ſuperuacaneis oneret aures ſacerdotis. Id fiet, ſi ea duntaxat referat, quæ merito grauant conſcientiam, quod genus ſunt crimina certò capitalia, aut uehemẽter ſuſpecta. Neque tamen negligendæ ueniales culpæ, dũtaxat in examinanda corrigendaq; uita. Siquidem neglectæ pertrahunt ad grauiora, & ſi credimus Auguſtino, paulatim hinc atq; hinc admiſſa tandem demergunt nauim conſcientiæ, non minus quàm unda decumana, ſubito nauim obruens. Quidam autem ex confeſsione faciunt cõfabulationem, quibuslibet de rebus interim garrientes, cui uitio potiſsimum obnoxię ſunt mulierculæ, quibus iucundum eſt, uel ſic cum uiris cõfabulari, & in ſinum illorum effundere, ſi quid ſtomachantur in maritos aut uicinos. Comperi quoſdã, qui ex formula confitentur, eaq; prolixa, quam edidicerant. Ex ea recenſent non quid admiſerint, ſed quicquid admitti potuit. Qua re nihil ego arbitror ineptius. Nec ſacerdotem decet illic quicquam ſciſcitari aut admiſcere, niſi quod ad pœnitentiam attinet, nec cõfitentem aliud loqui. Iam quas fabulas apud multos tegat confeſsio, uulgo notius eſt quàm expedit. Quidam uehementer approbant ſubinde repetitam confeſsionem, eamq; generalem: & quamuis leui de cauſa ſuadent repetendam, à quibus ego uehementer diſſentio. Magnum ego duco, ſi quis ſemel bona fide ſua commiſſa patefaciat ſacerdoti, eaq; lachrymarum hymbre diluat: neq; conſeneſcat in perpetuo luctu, ſed ſumpta fiducia, lætus & alacer accingatur ad ſtudiũ uitæ melioris. Quod ſi relabi contigerit, tantum ea ſacerdoti recenſeat, quæ à proxima confeſsione commiſit. Alioqui fit conſuetudinis res confeſsio, potius quàm remedij: & incipit quibuſdam etiam allubeſcere, quod per ſe eſt inamœnum, ſubinde mouere cœnum: ac pudor interim, qui, ut dixi, certiſsimus eſt innocentiæ cuſtos, paulatim dediſcitur. Sic eſt quorundam mortalium ingenium, ut in eo quod ſemel approbare cœperint, nunquam ipſis fiat ſatis. Quemadmodum olim non impium eſt uiſum, ut ſingulis diebus fieret aliqua commemoratio, nunquam ſatis laudatæ uirginis matris. Dicta eſt cantiuncula ueſpertina, ſed breuis: ea nũc apud quoſdam prolixior eſt, maioreq; peragitur tum apparatu, tum hominum frequentia, quàm Liturgia ueſpertina à priſcis tradita. Nec hoc erat ſatis, acceſſit nolæ ſignum mane, hoc lemmate, quod dicant eſſe incertum, diluculó ne an ueſpere Gabriel ſalutauerit uirginem, Viſa eſt cauſa grauis. Additæ ſunt preces horarię peculiares uirgini, quaſi parum laudis haberet ex quotidie laudato filio. Atq; hę apud pleroſq; dicuntur ante ſolẽnes preces, ne filius uideatur non cedere matri. Ne id quidem ſatis. Non placent hymni, quibus abſoluto conuiuio aguntur gratiæ deo, niſi multa proprie tribuantur beatæ uirgini. Quis non diceret hæc eſſe ſatis? Adiectũ eſt ſacrum diluculariũ, quod canitur modulata uarijs harmonijs muſica, præſertim apud Britannos, nec ſi ne muſicis organis. Ne quid interim dicã de ſacellis in templo peculiariter illi dicatis, de pompis imaginum. Quorſum hæc? inquies. Vt oſtendam multa ex bonis initijs nata, affectibus hominũ in immenſum prouehi. Idem accidiſſe uidetur in confeſſione. Primũ erat plauſibile, ſemel illam fieri. Iuſſa eſt repeti quotannis. Viſum eſt hoc ſat moderatũ. Exigi cœpit bis in quadrageſima, præter eccleſiæ præceptum. Nec deſunt qui diſputent toties repetendã, quoties homo relabitur in crimẽ. Sunt qui torã Iliadem malorũ ab integro recenſeri poſtulant, ſi quod crimen per obliuionem fueris oblitus, niſi redeas ad eundẽ cui fueras confeſſus. Inuentæ ſunt uariæ repetendi cauſæ. Nec eſt confitendi finis. Sacerdos acceſſurus ad menſam dominicam, ſemel atq; iterum cõfitetur ſacerdoti. Rurſus ab altari deſcendens confeſsionem facit ſacri proœmium. Hoc populo datum uidetur. Rurſus poſt lectum Euangelium apud Italos, & fortaſsis apud alias quoq; nationes, uertit ſe parochus, & pro expoſitione ſermonis euangelici, pronunciat ſolennem formam confeſſionis & abſolutionis. Atq; ex ueteri quoq; more templum ingreſſuri, aſperguntur aqua ſacra. Idem fit iam dimiſsis. Et hæc quoque confeſsio quædam eſt. Ad hæc laicis non

datur eucharistia nisi confessis. Rursum à iam ad aram procumbentibus exigitur confessio, quo tempore præstabat aliquid à sacerdote dici, quod animos sumentium accenderet ad amorem eius, cuius sumunt corpus & sanguinem. Denique quum mortis urget discrimẽ, quoties ingeritur confessio? Quumq; iam est in summis labris anima, adest sacerdos aut monachus, qui rogat nunquid oblitus sit, ac iam mortuo pronunciantur absolutio. Nemo putet hæc dici in odium confessionis, sed illi tempori congruebat alia cantio, de charitate Iesu Christi erga genus humanum, de fiducia erga bonitatem illius, de promissis Euangelicis, de huius uitæ calamitatibus, de cœlestis uitæ gaudijs.

Ratio confitendi

Sed iamdudum expectas lector aliquam confitendi rationem, quã sequutus, possis, ut oportet, omnia recensere apud sacerdotem. In hunc usum complures libellos ædiderunt, quidam etiã uulgari lingua, cõmemorantes quicquid inter homines cõmittitur, aut committi potest sceleris. Hos libellos ut non nego recte legi à confirmatis ætate usuq; rerum uiris, ita meo iudicio periculose sparguntur in uulgus. Nec dissimili uitio peccant sacerdotes, qui ab omnibus scisciantur de omnibus, non habita ratione sexus, ætatis, aut ingenij. Scripsit autem copiosissime beatus Thomas de uirtutum ac uitiorum genealogijs. Sed nos nunc laicis potissimũ hæc scribimus. Simplicior itaq; ratio quærẽda est. Cognitio symboli ac præceptorũ dei ad bene uiuendũ necessaria est, etiã si nulla esset necessitas confitendi cuiq; homini. Hæc quotannis pastores cõpendio ac dilucide deberent tradere populo, ac libellis etiam uulgari sermone descriptis infigere. Quanq; in totũ frequenter audire conciones sacras magnopere præparat hominem ad recte confitendum uel deo uel homini. Ad idem conducit sacrorum uoluminũ lectio. Præceptorum autẽ omnium caput est fides, quæ per dilectionẽ operatur. Dilectio duplex est, dei, & proximi. His cognitis, facile perspiciet quiuis ubi deflexerit ab his, quæ sunt fidei & charitatis. Oportet autem fidem non esse leuem, aut in labijs tantum natantem, sed penitus infixam cordi, ut ore fiat confessio ad salutem. Ea potissimum in hoc sita est, ut credamus quicquid diuinæ literæ Christianorum omnium cõsensu receptæ, uel factum narrant, uel futurum promittunt, uel faciendum præcipiunt, totaq; fiducia præsentis ac futuræ uitæ constituatur in deo. Quot autẽ myriades sunt inter Christiani nominis professores, qui diffidunt aut certe dubitant de resurrectione corporum, quidam etiam de immortalitate animarũ? Maximam autẽ partem hominũ, præsertim eorum, qui præminent honoribus ac dignitatibus, uidemus ita uiuere, ut aut non uideantur credere scripturæ sacræ, aut de ea non cogitare. Qui si se subinde ac serio examinarent, deprehenderent sese procul abesse ab officio Christiani. Atqui hic est fons omnium criminũ. Et hac in parte fuisse negligentẽ, hoc ipsum graue crimen est. Qua de re uulgus ferè nihil attingit, satis esse credẽs, si recenseat ebrietates, adulteria & furta. Orandum est assidue, ut deus nobis adaugeat fidem, multo magis q; ut det sanitatẽ corporis, ut largiatur felicem annonam: alijsq; studijs subinde extimulanda est scintilla fidei, meditatione scripturarum, colloquijs piorum hominum, sanctis cogitationibus. Quidam confitentur se non credere symbolo fidei. Ea non est confessio sacramentalis, nisi hoc animo fiat, ut uel à sacerdote doceantur & ad fidem conuertantur, uel ut ecclesiæ quoquo pacto satisfaciant. Dubitasse de fide aut frigidius credere, confessionis est argumentum, non incredulum esse. Hi sunt ergo duo præcipui gnomones ad quos oportet omnem uitæ nostræ rationem exigere, fides & charitas, & ijdem sunt fontes unde omnis actio deo grata manat: qui si uitiati sunt, aut omnino non adsint, etiam illa quæ uidentur uirtutes, uitia sunt: nec crimen esse potest, quicquid ex syncera fide ueraq; charitate proficiscitur, etiamsi speciem habet criminis. Contrà, qui prorsus alieni ab his, horum tota uita nihil aliud est quàm unicum peccatum, ut ita loquar. At hominum uulgus circa ramos ac frondes occupatum, radices negligit, quum circa has uersari debuerit & prima & exactissima disquisitio. Sunt qui sibi scopum proposuere, uel diuitias, uel gloriam mundanam, uel dignitatem apud homines, & ad suum quisque scopum respicientes multa in speciem pia faciunt, largiuntur eleemosynas, extruunt monasteria, pugnant pro patria. Verũ huiusmodi benefactis, an offendant deũ alij uiderint, certe nullã ineunt apud deum gratiã. Contrà, qui per fidem illustrati, & charitate flagrantes, ad hos scopos omnes actiones uitæ dirigunt, etiã quum cibo potuq; reficiũt corpora, quum lusu relaxant animos, denique quum dormiunt, Christum sibi demerentur. Porrò

Fides

compe-

comperiuntur homines eo nati ingenio, ut neminem iuuent ex animo, sed omnia suis commodis metiantur, & tamen ab enormibus criminibus uidentur alieni, hoc est, non indulgent ebrietati scortisue, orant uacantq; sacris. Quid multis? tum sibi pij uidentur, tum alijs. Hoc morbi genere non aliud est insanabilius, quo magis oportet prudentem auditorem huiusmodi curandis adhibere uigilantem animum. Frustra uero sibi blandiuntur, quasi deum ament propter ipsum, quum proximum aut non ament, aut si amant, non ament propter deũ, sed sui cõmodi gratia. De his duobus fontibus potissimum eruendi sunt principes ac præsules, qui nihil recte faciunt, nisi deo & reipublicæ gerant magistratum. Fides itaq; depellit omnes illas excusatiunculas, quas comminisci solet hominũ malitia. Si quid largiar pauperibus, mihi deerit. Si sine fraude exercuero negociationem aut opificiũ, pro lucro reportauero damnũ. Huiusmodi planè diffidunt promissis diuinis, Iacta curã tuam in dominũ, & ipse te enutriet. &, Non uidi iustum derelictum. &, Primũ quærite regnum dei, & hęc omnia adijcientur uobis. An credunt deum esse uanũ, ut quæ pollicitus est non præstet? An existimant illum impotentẽ, ut præstare non queat? An putant illum dormitantem, ut suorum curam negligat? Hæc eadem fides consolabitur pios, si illorum benefactis mortalium ingratitudo nõ respondeat. Fidelis est cui crediderunt, is reddet sortem cum usura inæstimabili. Verum fere fit, ut qui talia causantur, non parum multa perdant luxu, libidine & alea, quibus & illud lucri perit, quod capere poterant, nisi charius haberent otium quàm lucrum. Tales nimirum impudenter dicũt, nisi fraudarem, nõ liceret uiuere. Iam charitas, ut dictum est, ad duo se porrigit, ad deum, & proximum. Hic occurrunt tres personæ, pater, filius & spiritus sanctus, unus deus, qui est super omnia uisibilia & inuisibilia diligendus. Minus autem hunc diligit, qui diffidit promissis, qui præcepta negligit, qui quicq; illi uel æquat, uel pręponit: hoc est, qui uitam suam chariorem habeat q̃ illum, quicq; minus metuat illum offendere, q̃ mori uel milies. Persona proximi late patet. Hic considerandum erit, an præstiterimus quod debemus uxoribus, parentibus, liberis, præceptoribus, discipulis, pastoribus, principi, magistratui, cognatis, amicis, ac benemeritis, breuiter omnibus Christianis. Quin & sibi quisque proximus est, & nemo grauius lædit quàm à seipso. Læsisti famam proximi, confitere. Sed effutisti tuum ipsius probrum, uel temulentia, uel leuitate linguæ, deplora, bifariam læsisti proximum, & teipsum, & eum apud quem effutisti. Per hæc omnia circumferenti cogitationem, facile succurret, si quid admissum erit pœnitentia dignum. Porrò memoriam adiuuabit, si recolat secum, ubi interea locorum uixerit, quibus in negotijs uersatus sit, & apud quos uixerit. Sic enim aliud ex alio ueniet in mentem. Sunt qui ex sese petant confitendi locos. Nam omne peccatum aut animo aut aliquo quinq; sensuum committitur. Ad animum pertinet fides et charitas in deum ac proximum atq; his cõtraria uitia, præsertim illa spiritualia, liuor, odium, ulciscendi libido, superbia, hypocrisis, maleuolentia. Quanquam autem omne crimen ex fonte cordis proficiscitur, tamen quæ ad luxum, libidinem, uiolentiam, contumeliam pertinent, ad sensus & membra corporis referuntur. Multa peccant oculi, multa aures, multa uenter & gula, multa manus, sed omnium plurima lingua. Quicquid enim ab omnibus membris uarie geritur, hoc illa sola peccat. Hæc blasphemias effundit in deum, hæc maledicit proximo, hæc dirimit amabilem pacem, & excitat funebria bella, hæc conciliat turpes amores, & distrahit sanctas amicitias, hæc adulatione, obtrectatione, libidinosis fabulis inficit puros animos, hæc sine gladijs & uenenis iugulat fratrem & amicum. Quid multis? Hæc hæreses docet, & ex Christianis facit antichristos. Hæc arbitror sufficere laicis ad examinationem conscientiæ, si modo cognoscant symbolum apostolicum, & summam euangelicæ doctrinæ. Iam ut his quæ copiosissime tradita sunt à theologis de circũstantijs, omissione & restitutione, nõnihil adijciam admonendi potius quàm docendi gratia: Peccant, qui quo cognoscant socios confitentis, de his circunstantijs percõtantur, unde personæ quoq; possint agnosci. Nullus autem debet aliorum commissa prodere sacerdoti, si quo pacto uitari possit: nam aliquoties uitari non potest, quin prodas personam: ueluti si qua cognita fuit à patre, aut si quis principem suum instigauit ad bellum iniustum. Hic suadent quærendum sacerdotem, cui persona utraq; sit ignota, aut certe ea quam prodi nolis. Rursus in peccatis quæ libidine committuntur, quidam libidinosa quadam curiositate percuntantur quæ non

Charitas

Memoriæ ratio.

oportet. Nam ut qui rem habuit cum muliere, recte addit, an cum uxore aliena commiserit adulterium, an cum sacra uirgine incestum, an cum prostibula scortationem, an cum cœlibe stuprum, an cum uirgine raptum, ita non est necesse referre omnes coeundi formas, quæ peccati speciem non mutant. Verum hic frequenter omittunt circunstantias magis ad rem pertinentes, quàm uulgares istæ pertinent.

Distinguunt adulterium à stupro simplici, sed frequenter ex circunstantijs stuprum est multo capitalius adulterio.

Leuius enim peccat, qui casu per occasionem incidit in adulterium, quàm qui probam ac simplicem uirginem, ex probis prognatam, destinatam honesto matrimonio, malitiosis artibus diu solicitatam tandem uitiat, ac deinde iactato etiam facinore reddit infamem, atq; alijs quoq; prostituit, quod aulicis quibusdam etiam facetũ uidetur. Item leuius peccat, qui rem casu repertam in loco sacro, clàm tollit quum egeat, cẽq; qui citra necessitatem inopiæ noctu cum ferro ingressus domũ alienam, compilat scrinia profani. aut qui pauperem spoliat, cui uxor cum multis liberis ægre alebatur. Neq; enim spectandum est tantum tempus, locus & persona, uerumetiã animi malicia, tentationis magnitudo: deinde ad cẽq; multos unius peccati noxa perueniat, ueluti si quis occidat uirum, à cuius consilijs pendebat tota respublica, eodem facinore læsit multos, aut si quis principẽ ad tyrannidẽ instiget. Porrò peccatũ omissionis atq; etiã transgressionis, magna pars hominũ æstimat ex constitutionibus hominũ: uelut si quis die dominico non audierit sacrũ, aut in die Veneris uesceretur carnibus. At grauiores sunt omissiones, quæ aduersantur præceptis diuinis. Velut si quis nactus occasionẽ iuuandi proximi, neglexit. Item grauius peccat qui inuidet proximo, quàm qui non temperat ab esu carnium die Veneris. Grauior est autem omissio, si prætermissum officium coniunctum est cum magno proximi malo. Occidit enim qui proximum de uita periclitãtem, quum liceat, non seruat. Rursus quum in locum omissi officij succedit malitia. Dies autem dominicus, ut exempli causa dicam, in hoc datus est, ut homo per otium examinet conscientiam suam, secq; deo conciliet, ut pijs contẽplationibus, ut precationibus aut audiendis concionibus, ut sanctis colloquijs aut lectionibus excitet charitatem in deum & proximum. Hic bis peccant, qui totã diem ineptis lusibus, scortis, temulentijs, obscœnis fabulis, aut rixis etiam ac pugnis transmittunt. Hoc peccato potissimũ peccant, qui præminent autoritate aut dignitate, ueluti principes, episcopi, parochi, abbates, magistratus, patres familiàs. Nam hi quemadmodũ multorum malo peccant, ita multorum malo cessant in officio. Non enim est satis pontificì, si ipse non excitet bella inter principes, uerũ crimínis loco deputabitur, nisi pro uiríli studuit orta bella componere. Ita principi imputabitur, non solũ si ipse spoliet aut opprimat rempublicam, uerumetiam si magistratus iniquos, aut alioquin oppressores publicæ libertatis non excluserit, quum illi sit in manu. Iam duplex peccatum erit si sciens ac prudens, uel pecunia, uel alio quopiam affectu corruptus, magistratum commiserit improbo, Ita bis peccat episcopus, si non solum ipse non uigilat, ut gregem reddat meliorem, uerumetiam male docendo, aut peruerse uiuendo reddit corruptiorem, aut aliqua cupiditate corruptus gregis curam sciens committit indigno. Hæc quum ita sint, non oportet principem aut episcopum otiosum aut dormitabundum esse, sed ad omnem occasionem uigilare, ut prosit. Quanquam idem singulis etiam priuatim curandum est, ut si possint, obiecta occasione prosint, diues opibus, doctus autoritate, eloquens facundia, senex reuerentia, gratiosus fauore, iuuenis industria. Iuuenes confitentur pugnam, aut scortationem admissam, & silent quod tantum optimæ ætatis sine fructu passi sunt elabi, quum esset occasio discendi, quæ in omnem uitam erant usui futura. In his itaque sæpe deprehendas præpostera iudicia, tum confitentium, tum audientium. Princeps si confiteatur sua manu occisum hominem, graue quidem crimen confitetur. Decet enim principis uitam undequaq; inculpatam esse. At idem fortasse non confitetur ex bello per ambitionem aut iram excitato, tot innoxios iugulari, tot immerentes exui bonis, denique tot non referenda facinora committi. Confitetur si forte præter ius facultates alicuius usurpauit, at non confitetur quod sciens ac prudens uendit præfecturam fisci, homini palàm rapaci & iniquo, per quem scit innumeros esse spoliandos. Hic considerandum est, quod sit cuique proprium officium, atque hinc æstimandum peccatum omissionis. Peculiare

culiare munus episcopi est, doctrina sacra pascere gregem. Atqui fortasse nec pascit, nec aduigilat ut pastores habeat idoneos, sed ob quæstum aut fauorem committit indignis curandas animas. Id quum non confiteatur, confitetur fortasse de scorto, aut de prætermissis precibus uespertinis. Itidem principis proprium officium est, curare ne cui fiat iniuria, tueri libertatem ac tranquillitatem publicam. At hic silens de tam multis tamque atrocibus, quæ uel ipsius iussu, uel certe negligentia committuntur, confitetur aliquo die non auditum sacrum, aut omissas preces horarias. Atqui ista non erant peculiaria principum peccata. Iam enim hoc irrepsit in aulas quorundam principum, ut singulis diebus perorent preces sacerdotum, atque interim tuti sunt ab interpellatoribus. Quis enim ausit interpellare principem precantem? Non damno religionem in principe, si modo in his sita est religio: sed damno, si his rebus freti, negligunt ea quæ peculiariter ad ipsorum munus pertinebant. Sunt tot uiduæ ac pupilli, qui opprimuntur præter ius: sunt tot tenues, qui indigna patiuntur. Non indignatur deus principi, si ob huiusmodi causas patietur interpellari preces aut etiam sacra sua: oportet enim ubiq; constitutionem humanam cedere perfectiori charitatis officio. Itaq; prima cura debet esse sacerdotis, ut sciat in quo statu uitæ sit, qui confitetur. Quoniam autem confitens per sacerdotem deo loquitur, ut à quibusdam non inepte dictum est, oportet esse recta iudicia, nimirum apud deum, qui ex affectibus animorum æstimat omnia. Nunc plerisq; quæ carnis sunt ac ceremoniarum, plurimi faciunt: quæ spiritus, minimi. Rursus quæ ab hominibus sunt instituta, magni faciunt: quæ à deo præcepta sunt, negligunt. Quis enim non execratur, si sacerdos incedat non raso uertice? At nullus execratur si ebrium ac pugnantem deprehendat in lupanari. Quis non abominatur monachum, si laicam uestem sumat? At pro ludo habetur, si monachus in cuculla manens, scortatur, inebriatur, subuertit domos alienas, magicas artes exercet. Horribile facinus, si sacerdos non ieiunus sacrificet, aut dixerit preces matutinas: at leue ducitur, si sacerdos non reconciliato fratre quem lęsit, accedat ad sacram mensam. Reddatur sane causa, quur homines ea quę leuiora sunt grauius puniant, certe in confessione debent esse recta iudicia.

Iam ipse sermonis cursus perduxit nos ad mentionem restitutionis. De qua non profiteor me quicquam doctrũ noui, quum à Theologis immẽsis uoluminibus ea materia sit agitata. Tantum admonebo, in quo plerisq; peccãt imperitiores. De restituenda pecunia aut ueste, anxietas est inexplicabilis. Cæterũ qui pestilẽtibus alloquijs corrupit mentes simplicium, qui uirulẽta lingua ademit tranquillitatem animi proximo, qui obtrectationibus læsit famam alienam, qui peruersis consilijs incitarunt principes aut populum ad bella, leuiter cogitant de sarciendo, quod dedere damni. At multis sua fama charior est quàm uita, nec usquam magis habebat locum restitutio. Sed in his, inquiunt, uix unquam potest fieri restitutio. Verũ hoc magis conandum est, ut fiat quatenus licet: ac semper dolendum, quod ad plenum fieri non possit. Nunc aulici quidam nugones existimãt pulchre sartum pudorem uirginis, quam corruperunt, & non raro corruptam etiam alijs prostituerunt, si tandem elocent marito cum dotula, ac sibi propemodum deberi præmium putant, quod puella maritum qualem qualem inuenerit. Nupsit, sed qualicunq;, quæ integra nuptura erat honesto. Neq; enim nuptiæ famæ dedecus abolent. O bellam sarturam. Et tamen hac freti alias super alias corrumpere pergunt. Quanquam & in his, quæ nos faciunt tantum pauperiores, quædam adeo passim ac uulgo fiunt, ut ob assuetudinẽ non uideantur esse furta, quo nomine male audiunt ferè opifices, qui materiam tractant alienam, sed præcipue molitores & uestiarij, adeo ut prouerbio quoque dicatur unumquenque in suo opificio furem esse. Sed inter hos grauissime peccant, qui poculenta & esculenta uitiant, ueluti qui uinum uel aqua infusa, uel alumine, calce, sulphure, sale, alijsque medicamentis corrumpunt: siquidem isti non solum suffurantur rem hominis, uerumetiã lædunt ualetudinẽ, nec multũ absunt à ueneficio. Quot enim morbos, quot mortes experimur ex uitiatis uinis inter homines nasci? Et hic tamen ludus habetur. Nec ulli libentius imponunt, quàm his, qui minime fraudandi erant. Postulat enim hoc fraterna charitas, ut his qui per inscitiam nõ possunt certo de mercede iudicare, succurrat æquitas uendentis. Nunc autem quotum quenq; reperias, qui non ad omnem occasionem fraude uenetur lucellum? Itaque quum mutuo laniatu uiuamus omnes, tamen nobis Christi-

ani uidemur. Et hæc quoniam in assuetudinem abiere, ne confitemur quidem: aut si confitemur, satis esse ducimus sacerdoti denarrasse quod gerimus. Iam qui magis sunt obnoxij restitutionibus quàm præpotentes? Et tamen ad hos non uidetur pertinere restitutio. Confugitur ad compositiones. Non damno qualecunq; remedium. At uereor ne multas compositiones inter homines factas, deus non sit habiturus ratas. Negant sibi futurum unde coniugem ac liberos alant, si restituant præter ius ablata. Atqui rapinis facti sunt magnates & euexere suos, uiuunt cum strepitu luxuq;. Si uere pœnitet malefici, orum, abijciãt damnosam aleam, pro luxu meditentur frugalitatem, exerceant agricolationem, aut aliud munus honestum, ita futurum est ut sit quod restituant. Ad eadem instituant liberos suos: hæc quum sedulo fecerint, tum quod illorum facultatibus deest, fortasse supplebit compositio. Quidam sic excusant se, quod mortui sunt quos fraudarunt, atqui uiuunt illorum hæredes. Alij negant se nosse quos spoliarunt, sed interim non dant operam ut norint, ac se probe tutos credunt, si paucis nummis redemerint iustificationem bonorum. Qui iustificant bona male parta, quin eadem opera iustificant adulteriũ & homicidium? Decidunt paucis nummis & hi qui templa spoliarunt aut monasteria. An illos latere potest, quibus restituant? Sed metuunt famæ suæ. Hoc metuendũ erat quũ facinus aggrederẽtur. Quanquam est hic quoq; remedium aliquod, restituant per subornatam personam, cuius fidem habent perspectã. Postremo si recipimus excusationes huiusmodi, tutius arbitror eam pecuniam dari pauperibus quàm commissarijs. Iam sunt rapinarum ac furtorum species, quas pauci confitentur, tantum abest ut de restituendo cogitent, huiusmodi potissimum committuntur in pactis & contractibus. Adfui conuiuio, in quo quidam iactabat se uendidisse equum sex angelatis, quem fatebatur non ualere sex denarijs. An non hodie passim œnopolæ uendũt imperitis uinum Altissiodorense, aut Hispanense, pro Belnensi: Louanense, pro Rhenensi? Immodice dilutum, pro mero? Quis istorum cogitat de restituendo, quum uera rapina sit quod agunt? Nonne ludus est hodie uendere pellem canis, pro pelle Rhomanensi? aut pannum absq; cocco tinctum, pro cocco infecta? Quis est, qui ab imperito emptore non extorqueat quadruplũ precium, si possit? Scio quid dicant iureconsulti, non teneri uenditorem, ut semper præstet uitium rei uenditæ. Sed istos non absoluit lex Euangelica: quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. Quis aduocatus unquam confessus est, quod ipsius uel negligentia uel arte petitor iacturam fecerit possessionis? Quid nunc dicam de militibus, qui nullum scelus non excusant iure belli? At istud ius diaboli est, non belli. Itidem aurigæ nautæq; qui uina perferenda susceperunt, ueluti suo iure quantum libet exhauriunt, & quidem de optimo: procq; insigni uino infundunt malam aquam, quum interdum quod accipiũt ad egrotum deferatur. Quis illorũ hoc ut furtum cõfitetur? quis cogitat de restituendo? Hoc genus hominum, quoniam duræ ceruicis est, in confessione non solum admonere oportet, uerum etiam acriter increpare, ac friuolas excusationes penitus de corde reuellere, quas adferre solent. Ius, inquiunt, est aurigarum ac nautarum in esculentis & poculentis, idem faciunt omnes. Atqui ius hoc in Satanæ tabulis est, non in legibus Christi. Reppererunt & uestiarij colorem, Locatur, inquiunt, nobis materia, ut inde faciamus honestam uestem. Id bonus artifex faciet ex paucioribus ulnis quàm imperitior ex pluribus. Artis igitur præmium est quod supersit, & locatori satisfactum est. Ita nemo furum pendebit, si liceat reo pronunciare sententiam. Rogetur is qui materiam locauit, an existimet sibi satisfactum. Prætereo nunc aurifices & gemmarios quosdam qui materiam mixtura uitiant, qui decidunt ab eo quod acceperũt, qui gemmas adulterinas pro natiuis uendunt. Atq; hic mirum est etiam ciuiles dormire leges, quæ miserum furũculum qui quinq; drachmas sustulit è loculis parum attẽte custoditis, agunt in crucẽ. In his ubi plus est damni reipublicæ, conueniebat interdum aliquod exemplum ædere quo cæteri deterreãtur. De his quæ accidunt in uitiandis æstimandisq; monetis, quoniam ad principes ac magistratus pertinẽt, in præsentia nihil dicã. In principe Christiano hac de re nonnihil attigimus. Ad eos uenio, qui iuxta temporis modum locant operam suam. Hi sibi non uidentur cõmittere furtum, si perficiant susceptum opus intra quatriduũ, quod uno die poterant absoluere, interim aluntur alieno cibo, & precium in singulos dies pactum accipiunt. Nec sibi mentiri uidentur dum se præstaturos recipiunt quod non præstant. Quomodo autem

autem excusant mẽdacium? Hoc est, inquiunt, opificij nostri. Imò opificij est præstare bona fide quod ars promittit, non furari aut mentiri. Verum his quoq; grauius peccãt pharmacopolæ & medici, quorum est illud prouerbium, quid pro quo. Vendunt interdum aliud pro alio, ministrant putrẽ, inefficacem ac iam noxiam materiã pro remedio. Petitur rebarbarum, sed quod fuit rebarbarũ ante annos quadraginta. Nullũ est aroma, nullum succinum, nedum radix aut herba tam durabili uigore, quin lõgo tempore euanescat. At, inquiunt, nisi uetera nouis miscuerimus, ad famem nobis rediret res. Vel ad mortem redire satius est, quàm ægrotanti fratri, cui uel gratis succurrẽdum erat, ministrare quod morbum augeat, aut mortem fortassis afferat. Horum peccatum & in medicos recidit. Et hic æquum erat aduigilare publicam curam eorum qui præsunt ciuitatibus. Charitas iubet, ut in necessitate, fratris inopiæ subueniamus. Et sibi quidam Christiani uidentur, qui mercium precium intendunt ex fraternæ necessitatis magnitudine, Habet aliquis malum punicum emptum obolo, periclitatur ægrotus, nec aliunde potest haberi, hic malum estimatur aureo. Ita quidam recondunt frumentum, ut si fortè inciderit penuria rei frumẽtariæ, uendant quadruplo, aut decuplo, nec intelligunt hanc esse ueram rapinam. Pauca propo suimus exempli gratia, cætera ex se colliget prudens lector. Finem faciam, si tria uerba adiecero de satisfactione. Ea duplex est, publica, & priuata. In publica uelim hoc autoritatis committi sacerdoti, cuicunq; creditur autoritas audiendi confitentes, ut pro circunstantijs eam moderentur, aut etiam si res ita poscat, uertant in priuatã. Etenim si patres qui publicas satisfactiones instituerunt, hoc iuris faciunt episcopis ordinarijs, ut pro qualitate personæ pœnam iniunctam uel augeant uel minuant, quur non credatur eadem potestas his, qui in re longe molestissima episcoporum uices gerunt? Quod si parum idonei sunt commissæ prouinciæ, iam in episcopos culpa recidit. In pœnis uero quæ clanculũ iniunguntur, sacerdos imitari debet peritos medicos, qui non quoduis pharmacũ prescribunt cuiuis, sed quod pro morbi ratione, proq; personæ qualitate cognouerint esse conducibilius, adeo ut in eodem etiam morbo aliud præscribant robusto, aliud imbecilli, aliud sic educato, aliud secus: imò nõnunquam eidem homini in eodem morbi genere aliud ministrant iuueni, aliud seni. Nunc bona pars sacerdotum nihil aliud præscribit, q; preculas aliquot. Lege, inquiũt, psalmum: Miserere mei deus, cum collecta. Deus cui propriũ est. Præterea, Salue regina, cum collecta: Concede nos famulos tuos. Preterea psalmum: De profundis, pro defunctis, cum collecta: Fideliũ deus. Nec tamen hæc damno, scio magnũ esse meritum obedientiæ, rectius tamen faciunt, qui prescribunt preces peculiare remediũ habentes aduersus malum, quo præcipue periclitari sentiunt confitentem. Quo in genere sunt certi psalmi commõstrati à maioribus, ueluti peculiariter apti ad hoc aut illud impetrandum. Nec inutile fuerit nonnullis uice precum præscribere lectionem, quæ gignat odium peccati, quo laborat confitens: ueluti si quis laborat paganismo, aut Iudaismo, parumq; recte sentit de fide Christiana, uel imperitia, uel poetarum aut philosophorum lectione corruptus: iubeatur singulis diebus unam aut alteram horam ponere in Lactãtio, in his libellis, quos Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, alijue reliquerũt aduersus Ethnicos, Iudæos, aut hæreticos. Vix enim fieri potest, quin qui semel attente legerit libros Origenis aduersus Celsum, melius sentiat de Christi sanctissima doctrina. Sunt uarij libri sanctorum patrum de laude pudicitiæ, de uituperio obtrectationis, de institutione Monachorum & clericorum, de seruanda uiduitate, de officio Episcoporum, de officio principis, de sanctitate matrimonij, de cõcordia, deq; cæteris innumeris uel uirtutibus uel uitijs, ex quibus unicuiq; præscribenda est lectio, quæ maxime mederi possit uitio quo tenetur confessus. Is interim admonendus est, ut legat attente, cum syncero uoto corrigendæ uitæ. Quin in totum adolescentibus, qui ferè ob otium periclitantur, expediet studij labores certos præscribere. Nec admodum probo, qui teneræ adhuc ætati, quæ suam habet lasciuiam, præscribũt ieiunia, aut uigilias, aliosue labores, quæ ualetudinem tradunt imbecillem ætati grandiori. Prima ætas rectius reuerentia maiorum & honestis occupationibus emendatur. Diuitibus recte præscribitur liberalitas in pauperes, sed hos admonendos censeo, ne benignitatẽ suam male collocent. Non est improbandũ, si quis instituat sacellum, altare, monasterium, scholam, collegium, aut aliud simile: sanctissimæ tamen eleemosynæ sunt, quæ præsenti necessitati proximorum succurrunt,

atq; inter digitos dantis & accipientis uelut euaneſcunt, & quarum gloria perit apud homines, ſed tanto magis ſalua eſt apud deum. Porrò quorum ætas & corporis habitus hoc poſcere uidebitur, ut eis ſint præſcribenda ieiunia, monendi ſunt & illud, ut ſi res ſuppetat, quod comparcunt abſtinentia cibi, largiantur egentibus. Sunt qui præſcribant longin quas peregrinationes, nimirum ut aliquis tectus lorica ferrea, emendicato uiatico petat Romam, inuiſurus Petri limina, aut Hieroſolymam, aut Iacobum Compoſtellanũ, quod pœnę genus nolim equidem in totum improbare. Cæterum iſta non recte pręſcribuntur his, qui coniuges ac liberos habent domi, quibus ipſorum abſentia uel grauis erit uel periculoſa. Nec tuto indicitur adoleſcentibus aut mulierculis eius ætatis, ut ad tuendam integritatem ac pudicitiam magis expediat manere domi. Hoc genus pœnarum magis cõuenit prophanis magiſtratibus. Simillimum eſt illis, quum cædunt uirgis, quum amputant manum, aut præcidunt auriculam, aut exoculant, aut perterebrant linguam, aut inurunt fronti manuiũe notam. Nec ab his multũ abhorrebant ſolennes illæ pœnæ, quas publice quondam indicere ſolet eccleſia, quibus nõ tam deo ſatisfaciebant q̃ hominibus, tametſi deo quoq;. Quanquam prophanus etiam magiſtratus cõſultius faceret, ſi operis in uſum reipublicæ indictis caſtigaret quædam furtorum genera, aut alia facinora grauia quidem illa, ſed leuiora q̃ ut capite plecti debeant, præſertim apud Chriſtianos, q̃ ſi reos inurant aut mutilent. Velut olim nexi præſtabant operam creditoribus, & alij uincti fodiebant in agris, cædebant materiam, & ſunt ex his qui norunt artem ſedentariam, his ergaſtula conueniebant. Hoc pœnæ genus duplicem habet utilitatem, & emendat nocentes, non extinguit, & conducit reipublicæ, uel ei qui maleficio læſus eſt. Quibuſdam indicet ſacerdos, ut à quo læſi ſunt ei condonent ex animo, conenturq; bono malum uincere, comitate uerborum & officijs illum prouocantes ad amicitiam. Id ſi non poterit impetrare, certe uindictæ libidinem omnẽ reijciant è pectore, nec iniuriæ uelint meminiſſe. Hoc ſatisfactionis genus nobis indicauit ipſe dominus Ieſus, quemadmodum diuina ſcriptura nobis commendauit eleemoſynam. Hoc igitur ſpectabit ſacerdos, ut ſi quid cruciatus, aut laboris iungit, labor ſit cum officio charitatis coniunctus, & talis ſit labor, nõ qui ualetudinẽ corporis uehementer offendat, ut iam minus idoneum ſit ad obeunda animi miniſteria, ſed qui laſciuiam coerceat. Hic non libet pugnare cum illis, qui negant ſatisfactionem ad pœnitentiam pertinere. Solus, inquiunt, deus remittit peccata, & cuicunq; remiſit reatum, eidem remiſit & pœnam: per charitatem enim & ſpiritum ſanctum ſoluitur ille reatus, quo ſoluto, nihil ſupereſt, niſi ut magis ac magis proficiat in charitate. Hãc aiũt unicam eſſe ſatisfactionem apud deum. Ex his colligunt nec pontificum indulgẽtias poſſe relaxare pœnas, niſi quas indixit homo, aut quas indicere poſſet, ac ne id quidem niſi grauibus de cauſis. Ego ut nolim in totum damnare põtificias relaxationes, ita tutius arbitror plenam delictorum remiſſionem à charitate & à Chriſti miſericordia ſperare, quàm à diplomatibus humanis. Si charitas abſit, quid prodeſt bulla? ſi adſit ſufficiens, ſuperuacuũ eſt diploma: ſi aliqua ex parte diminuta, negant à Pontifice condonari poſſe, quod ſolius eſt dei. De indulgentijs nihil docent ſacræ literæ, ac ne priſci quidẽ eccleſiæ doctores. Theologi recentiores ſemper ſuper hac materia, & uariarunt ſententijs, & ſuſpenſe perplexeq; loquuti ſunt. Verum iſti quid aſſeuerent, ipſi uiderint, illud indubitatum eſt, quod habemus euangelicum diploma, dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quod ſi quis hæc quoq; non eſſe negligenda putat, cum hoc non dimicabo, modo ne his fretus negligat ea quæ citra controuerſiam præcipua ſunt. Ex his quæ diſſeruimus ſatis arbitror liquere, quibus rationibus liceat effugere incommoda, quę per occaſionẽ huius confeſſionis, partim audientiũ, partim confitentiũ uitio ſolent accidere, haud tamen grauabor ob ſimpliciores, craſſius ſingulis ſua accommodare remedia. Ita ſunt res humanæ ut nihil ſit, quod non aliquo modo uitietur. Primum igitur incommodum minus lædet, ſi hic uigilet præſulum ſolicitudo, & aliorum ad quos ea cura pertinet, ne cui temere committatur audiendi poteſtas, ſed tantum uiris ætate prouectis, atq; exploratæ integritatis, tum ſobrijs & ſilentij tenacibus, & arguendi ſunt ſacerdotes, qui inter pocula garriunt animi gratia, quicquid in arcanis confeſſionibus audierunt. Si qua res conſilium requiret, cum doctis & grauibus uiris clam oportet fieri collationem. Itidem redarguendi ſunt qui in ſacris concionibus eblaterant ex confeſſionum myſterijs quod ſatius erat reticuiſſe. Tutior aũ

erit auditor si sobrius, si precatiũcula munitus, si cũ tremore ad hoc munus accedat. Item si percontationes suas non ultra proferat quàm necesse sit ad criminis cognitionem. Iam quod ad confitentem pertinet, ut sit interdum discrimẽ ex commemoratione sceleris, certe maius crebriusq; discrimen est ex ignoratione. Prudens itaq; ac fidelis dei minister ita moderabitur omnia, ut nõ inficiat animos simplicium & infirmorum, nec sinat ignorari, quod ignoratum uitari curariúe non poterat. Eadem opera contra secundum indicatum est remedium, nimirũ sacerdotis silentiũ & integritas. Nam pius ac uerus pastor nõ hinc prouocatur ad blandiendum uitijs suis, sed ad timorem potius & amorẽ dei, & ad instantius orandum, ac uigilandum pro grege domin[illegible]o, dum perspicit in quæ portenta uitiorũ prolabantur homines, qui per ignorantiam aut maliciam semel excusserunt iugum domini, nõ facturi, si pastor doctrina, monitis, increpatiõibus, & obsecrationibus aduigilasset. Alioqui nec eorum crimina pronunciare publicitus deberent, qui ob nefarias mixturas, aut curiosas artes, aliáue facinora legibus dant pœnas. Tertium quoniam nõ accidit nisi uitio sacerdotum, curandum est ut tales adhibeantur, qui potius illachrymẽt malis hominum, q̃ qui inde tollant cristas, quemadmodũ beatus Paulus testatur se humiliari & ad luctum prouocari, quod apud Corinthios essent, qui seueram correptionem merebantur. Et interdum populi scelera recidunt in caput sacerdotum, quod nõ ea qua decuit uigilantia doceant illos uias domini rectas. Tales quũ secum reputant quod dominus oues suas de manu pastoris requisiturus sit, magis conuenit ad pœnitudinem q̃ ad superbiam commoueri. Quicquid ab omnibus hominibus unc̃p admissum est, id potest abs quouis homine committi, & si quid cõmissum non est, id numinis bonitati debemus, non nostris uiribus. Proinde natura cõmunis ad commiserationẽ inflectere debet, non erigere ad superbiam. Non est idoneus sacerdos, qui nõ gerit paterna uiscera erga gregem suum. Quis est aũt pater qui hoc superbior fit in filiũ, quod atroci quopiam morbo correptus sit, ac non potius indolescẽs animo, properat ad remedium? Quod si libertas cordi est, cordi sit & innocẽtia. Qui sanitatem tuetur, in hunc nihil iuris habet medicus. Quod si tuo uitio prolapsus es in morbum, in primis curandũ est, ut sis liber apud deum. Postremo quemadmodum in morbo medicũ eligis, qui malũ tuũ non exprobret tibi, sed medeatur, idem fac in deligendo sacerdote. Qui quartũ allegãt incommodũ, quid aliud agũt nisi quod indicant quosdã malos esse sacerdotes? Hoc utinã liceret inficiari. Sed nõ ideo tollitur ars medẽdi, quod quidã comperiantur mali medici. Tanto magis aduigilandum, ut sint boni medici. Tanto circunspectius eligendus est, cui te curandũ credas. Denic̃p præsulũ officiũ est, huiusmodi sacerdotes, qui sacramentis ad turpitudinẽ abutuntur sic tractare, ut cæteris sint in exemplo. De quinto quid aliud dicam, c̃p raros casus nõ esse trahendos in exemplum generalis sententiæ. Quotum enim quemq; nouimus, qui per febrim aut phrenesim effutierit arcana? Et quis est tã insanus ut phrenetico fidẽ habeat? Iam & hic succurrit delectus sacerdotis idonei, de quo iam toties dictum est. Postremo si crimẽ spectat ad capitis discrimẽ, ac parocho tuisq; diffidis, licet aliquò proficisci, ubi ignotus ignoto mutata ueste aut in tenebris confiteare. Postremo charior debet esse salus animæ c̃p corporis. Vt corpore ualeas, interdũ ostẽdis medico malũ à scelere capitali profectũ: ubi curandus est animus, trepidas? Hoc confitenti responsum esto. Iã quod ad sacerdotẽ attinet, fateor esse magnũ & arduum manifesto uitæ discrimine inuisere pestilentia simili úe morbo laborantes, sed meminisse debent quod munus arduũ susceperunt, & si boni pastores esse uolunt, debent pro salute gregis, quoties res postulat, uitã quoq; suã exponere, præsertim quũ periclitantur animę. Præclarũ opus est quod præstãt, sed præclarũ expectant præmiũ, licet interim ut remedijs sese prę munian t aduersus contagiũ. Neq; enim coguntur tentare deũ: Quod si sacerdos populo necessarius est, sęq; plena fide deo cõmittit, non morietur ante diẽ suũ, sed præstabit dominus id quod pollicitus est: Etsi mortiferum quid biberint non eis nocebit. Audent cõplures ob legatum ad pestilẽtia laborantẽ accedere, & ubi periclitatur anima proximi trepidant? Illud aũt popularis fuerit ciuilitatis, locum in quẽ recipiendus est sacerdos, purũ igniq; ac suffitu c̃p maxime tutũ reddere. Est & alia remedij̃ species, si quoties sæuit pestilentia, unusquisq; dũ sanus est semel in hebdomade confiteatur & accipiat Eucharistiam, quod olim plerique faciebant etiam salubri tempore, ac post confessionem summo studio cauere, ne relabatur in crimina capitalia, quod non ita difficile est

opitulante

opitulante Christi gratia. Ita fiet ut nec periclitetur sacerdos, & in tuto sit alter si subita mors aut morbus ob contagium uitandus oppresserit. Huc confert & illud, si precipuam salutis fiduciam magis in charitate deique misericordia reponamus quàm in enumerandis criminibus, præsertim imminente morte. De sexto ut aliquid dicam, qui commemorandis peccatis dediscunt pudorem, eos nondum uere pœnitet admissorum. His oportet ingerere, quem offenderint, quanta sit peccati turpitudo, ut quo sæpius relabuntur in peccatum, hoc magis ac magis erubescant. Et admonendi sunt confessionem absque contritione cordis nihil prodesse, quæ si semel occuparit animum, simul & adducet pudorẽ & excutiet pudorem: adducet, de turpitudine commissorum in conspectu dei: excutiet, ne pudor cœlet, quod aperiendo curatur. Ad septimum ita respondẽdum est, quod multo plures ob negligentiam admissorum periclitantur confidentia, quàm ob examinationem de speratione: plusque negocij sacerdos habet, ut homines abducat à confidentia ad timorem dei, q̃ ut reuocet à desperatione. Est igitur inter utrunque mediũ, ut iusta sit examinatio commissorum, non præter modum anxia, & si qua est anxietas, hanc sequitur & pensat summa conscientiæ tranquillitas, postquam charitas expellere cœpit timorem. Timor enim absque charitate & spe parit desperationem. Octaui incommodi remedium iam abunde commonstrauimus. Quod ad nonum attinet, fateor è duobus malis leuius esse abstinere ab eucharistia, si mens sit in certo affectu peccandi criminaliter, si modo luctetur homo pro uiribus aduersus eum affectum, nec possit eijcere: Alioqui desuescere in totum à mysterijs gradus est ad paganismum. De confessione non eadem est ratio. Nec omnino uidetur impœnitens qui hoc animo adit sacerdotem, nõ ut decipiat derideatúe, sed partim ut obtemperet ecclesiæ, partim ut hac uia concipiat perfectius odium peccatorum, quæ ex se nondum potest ut debet, odisse. Nam est & hæc nonnulla pœnitentiæ species, ob hoc ipsum sibi displicere, quod minus pœniteat scelerũ. Nec id raro accidit, ut qui frigidè pœnitens accedit ad sacerdotem, inter confitendum accipiat legitimum criminum odium. Hæc igitur incommodorum commemoratio non huc pertinet, ut à confitendo abhorreamus, sed ut maiore bono nostro confiteamur.

Hæc habui, præsul optime, quæ præter ueterum traditiones de confessione usum est admonere, quo nobis ea sit quàm maxime frugifera. Quæ si cui uidetur cũ periculo coniuncta, cogitet quanto periculosius sit conscientiam impuram circunferre. Si molesta, cogitet ex amaro pharmaco quanta sequatur animi tranquillitas. Et hoc attentius caueat ne iterum committat, ne tale catapotium sit sæpius deuorandum. Sed ita confiteatur semel, ut nunquam in posterum opus sit confessione, satisque sit semel apud hominem pudescere. Non facile relabetur in crimen, qui semel omnium criminum odium penitus animo conceperit. Sanctum propositum adiuuabit deus, si modo illi acceptũ retulerimus quod contigit: & illius præsidio potius quàm nostris uiribus freti, conemur indies nobis ipsis fieri meliores, donec occurramus in uirum perfectum, in mẽsuram plenitudinis Iesu Christi.

EXOMOLOGESEOS SEV DE RATIONE CONFITENDI,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM,
FINIS.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS

BEATO RHENANO SELATSTADIENSI S. P. D.

QVum uideamus Beate optime, illiteratum etiam hominum uulgus, xeniolis ultrò citroq; missitatis, necessitudines suas uicissim alere, non putaui conuenire, ut in optimarum literarum cultoribus, hęc ciuilitatis & officij pars cessare uideatur, præsertim in nobis, quos communis studiorum ardor tam arcta necessitudine copulauit, ut arctiore nō possit. Nuper igitur cum itineris labore delassatis equis, dieculas aliquot apud diuum Audomarum cogerer subsidere, ne tempus hoc omnino periret studijs, de parādo tibi xeniolo cœpi cogitare, & commodum ueniebat in mentem, quod grauiter admonet Seneca noster, cum primis esse dispiciendum, nō solum uti munus dignum sit eo qui mittit, uerumetiam aptum ei cui mittitur. Sic enim fieri, ut quæ per se uilissima sunt, hoc ipso reddātur preciosissima, quod commode fuerint delecta. Quid autem magis mitti decuit ab homine theologo, quàm eximium aliquem flosculum ex uernantissimis diuinarum literarum areolis decerptum? Quid autem magis cōueniebat mitti Beato, quàm ipsam uere Beati formulam, diuini spiritus penicillo depictam? Diuinū planè cognomen, ut quod hominis naturam superet. Vnde Gręci poetę numinibus hoc ceu peculiare tribuere consueuerunt, μάκαρας eos appellantes. Neq; prorsus in ullum mortalem tam eximij cognominis honor competit, nisi qui sic insitus sit Christo, ut iam ueluti trāsfiguratus, & unum cum illo factus, quemadmodum in ipsius immortalitatis, ita & in tam egregij cognominis consortium ascisci mereatur. Nihil enim magis abest à ueræ beatitudinis appellatione, quàm isti, quos stultissimum uulgus beatos appellat. Sic enim illis tribuit beatitudinem, ut tribuit & diuinitatem, uel turpiter errans, uel turpius assentans. Toties in mysticis literis iteratur hoc beati cognomen. Nec tamen usquam tributū offendimus opulēto, nusquam monarchis, nusquam Sardanapalis. Lego beatos qui timent dominū, qui ambulant in uijs eius. Lego beatum, cui non imputauit dominus peccatum. Lego beatū, qui intelligit super egenum & pauperem. Lego beatos immaculatos in uia, qui ambulant in lege domini. Tot sunt beatitudinis ordines, & tamen istorum ὥσπερ τῶν μεγαρέων ὁδὸς λόγος, quemadmodum habet Græcorum prouerbium. Primus beatus ille, quem dei timor à peccando cohibet. Rursum beatus & is, qui prolapsus quidem est in uitia, sed ita lachrymis commissa diluit, ut ei clemens dominus nō imputet, quod admisit. Neq; non beatus ille, qui pietatis & charitatis officijs, uitæ superioris errata pensat. Nam hunc in die iudicij à malo liberabit dominus. Sed beatior est, quem diuinæ legis intuitus, ab omni uitiorū inquinamēto custodierit immunem. Beatissimus autem, quem hoc psalmo describit, cui non solum contigit nullis inquinari uitijs, sed ita iugiter uersatus est in præceptis diuinis, ut cum ipse perpetua uitæ floreat innocentia, tum alijs exemplo morum, salutariq; doctrina fructum pulcherrimum afferat. Mitto igitur te tibi, hoc est Beatum Beato. Quid enim aliud magis quadrabat? præsertim cum tu ut ingenium nactus es nullis obnoxium uitijs, ita uitam pariter & famam ab omni uitiorum labe intactam tueri studeas, tamq; infatigabili studio uerseris in optimis literis, ut Christo tuos pulcherrimos conatus bene fortunante, & ciuitatulæ tuæ, iam tot egregijs ingenijs æditis nobili, non mediocre lumen ac decus addas, & spes sit fore, ut toti Germaniæ eum aliquando uirum exhibeas, ut intelligant homines, Beati uocabulum tibi non fortuito, sed diuini numinis consilio contigisse. Proinde xeniolum hoc non solum te commonefaciet Erasmi tui, uerum etiam teipsum tibi proponet. Faxit Deus optimus maximus, ut sicut hactenus studiorum societate dulcissime coniuncti fuimus, ita posthac æternæ ueræq; beatitudinis cōsortio simul frui promereamur. Vale amicorum optime, Apud Diuum Audomarum. Anno M. D. XV. Idibus Aprilibus.

Enarratio

ENARRATIO PRIMI

PSALMI, BEATVS VIR, IVXTA TROPOLOGIAM POtissimum, autore Des. Eraſmo Roterodamo, ſacræ Theologiæ profeſſore.



Vemadmodum diuina ſapientia plurimum diſſidet ab humana ſapiẽtia, ita longe alius eſt ſermo diuini ſpiritus, alius humani pectoris. Nihil cœleſti illa facundia fœcundius, ſed opes ſuas non aperit, niſi ſcrutanti, niſi ueſtigãti, niſi auido, ſed ita curioſo, ut adoret, ut ueneretur omnia. Proinde qui ſacros Pſalmos prophetarum uolet euoluere, meminerit ſe ſe, non in Orphei aut Homeri uerſari Hymnis, qui propha/nam habent religionem, ſed in diuini ſpiritus oraculis, in quibus arcanas ſapientiæ ſuæ diuitias, pijs ueſtigatoribus uoluit eſſe reconditas. Ad hæc igitur myſteria, non niſi purgatus accedat oportet, neq; purus ſolum, uerumetiã oratio/nis, ceu uictima, commẽdatus. Purgatiſſimis ſit auribus oportet, qui hac cœleſti Muſica uelit delectari. Vehemẽter cõmendatus ſit neceſſe eſt, qui ad has tam abſtruſas æterni numinis delicias ſit admittendus. Pſalmus hic apud Hebræos ἀνεπιγραφος habetur, hoc eſt, inſcriptione carens, nec computatur in catalogo cæterorum, iuxta quorundam opinio/nem, ſed uelut extra ordinem adijcitur, ut unus ſit magis quàm primus, & tãquam proœmij uice cæteris anteponitur. Exiſtimat enim diuus Auguſtinus (ſi modo eius operis initium illi tribuendum eſt. Nam mihi quidem ex alio quopiam, mutilo & acephalo uolumini uidetur aſſutum) hunc pſalmum ſic eſſe legendum, ut ipſius dei uoce pronuncietur. Proinde prophetam non auſum ullius prænotare titulum, ne quid diuino eloquio præponi uideatur. Nec primũ auſus eſt facere, qui fortaſſe primus non eſt, ſed eximius. Sunt qui
Primus &.2. Pſal. idem putent ſuperuacaneum eſſe, primum uocare eum, ante quem nullus ſit alius. At diuus Hieronymus indicat hunc pſalmum & proximum, apud Hebræos eundem eſſe, quandoquidem ex eo cuius initium eſt: Quare fremuerunt gentes, in Actis Apoſtolicis quædam citantur titulo primi pſalmi. Præterea quemadmodum hic cœpit à beatitudine, ita illic deſinit in beatitudinem. Beati omnes qui confidunt in eo. Quanq; huius ætatis Iudæi hunc, quem & ſecundum numerant, ſeparant à ſuperiore, utrunq; tamen ἀνεπιγραφον habent. De numero quidem nihil eſt quod laboremus. Cæterum quod ad titulum attinet, quid
De perſona huius pſalmi de cæteris dicemus pſalmis, quorum alij patris, alij filij loquentis perſonam habent, & tamen his non eſt ueritus propheta ſuos addere titulos: Nec hic quicquam uideo, quod cogat nos pſalmum hunc diuinæ uoci tribuere. Nec ita magni refert, dei ipſius uoce pronun
Hilarius cietur, an prophetę, cuius organo deus ſit uſus. Diuus Hilarius putat nec ad patris nec ad filij perſonam poſſe referri, idq; palàm eſſe putat hoc argumento, quod additum eſt: Et in lege domini uoluntas eius, & in lege eius &c. Quæ uerba nec patri congruunt de ſe loquenti, nec filio. Ac uere quidẽ hæc Hilarius. Cæterum nihil prohibet, quo minus omnia dicantur ſub perſona patris de filio, quemadmodum interpretatur diuus Auguſtinus, uirum accipiens Chriſtum, qui nec aſſenſus ſit Satanæ ad peccatum ſollicitãti, quemadmodum terrenus ille Adam, nec ſteterit in uia peccatorum, etiam ſi natus homo in eam deſcenderit. Nec in cathedra peſtilentiæ ſederit, cõtempto huius mundi regno, ſed innocentia uiridis, prædicatione ſua peccatores ad pietatem traxerit, tandem morte & reſurrectione, & aſcenſione fructum dederit in tempore ſuo, nihil non præſtaturus eorum quę promiſerat: ita ut nec folium ullum defluat uerborum illius, cuius beneficio cuncta feliciter ceſſura ſint pijs. Contra impij quoniam nõ ſint innixi ſolidæ petræ, quæ eſt Chriſtus, diſſipabuntur. Qui Chriſti exemplo fugerint peccatum, unà cum illo fruentur immortalitate. Qui diabolum & ueterem Adam ſecuti, mundum amplexi fuerint, pœnis æternis addicentur. Nam hæc fermè ſumma Auguſtinianæ interpretationis. Quanquam Hilarius nec ad Chriſti perſonã accommodari poſſe putat, nimirum offenſus ijs, quę mox ſequun

tur

ur: Et in lege eius meditabitur die ac nocte, cũ ipse legis sit autor. Nec illa putat in Christum quadrare: Et erit tanquam lignum quod plantatum est. Primum quod absurdum uidetur, si arbor ulla sit Christo felicior. Siquidem excellere uidetur id, à quo sumitur comparatio, ueluti si dicas de puella: Est instar niuis cãdida, nimirum summum niuis candorẽ uis intelligi. Ad hæc incongrue dici, erit, de eo qui fuerit ante æterna tempora, primogenitus omnis creturæ, in quo & per quem creata sint omnia. Atqui cũ Christus in euangelio sese uitem uocat, num periculũ est ne uitis hæc uulgata magis frugifera sit Christo: aut cũ sub persona sapientiæ terebintho, aut palmæ sese comparat, num metuendũ est, ne res hæ Christo uideantur anteponi? Non opinor, non profecto magis q̃ ubi lapis, aut agnus dicitur, aut leo. Siquidem in arcanis literis cõtemptissimarum etiam rerum similitudines adhibentur, ad explicãdam diuinæ naturæ rationẽ. Cur aũt non cõpetat in eum legis diuinæ iugis meditatio, qui solus hominum in nullo deflexit à mandatis dei, & ut homo seruauit legem, quam ipse ut deus condiderat. An non ipse sic loquitur in euãgelio: Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio? Eiusdem obedientiã usq; ad mortẽ, & mortẽ crucis, attestatur Paulus. Cur illi ueremur ascribere legis meditationẽ, cui tribuimus obedientiã? Iam illud, erit, nõ ad Christi personam aut naturã est referendũ, quæ nunc q̃ esse cœpit, sicut nec unq̃ est desitura, uerũ ad resurrectionis & fideliũ adoptionẽ, quæ utiq; cœperunt in tẽpore. Postremo cũ fideles, ueluti mẽbra sint, & idem cũ Christo, fit ut aliquoties quod membrorum est ad ipsum transferatur. Quod genus est illud, longe à salute mea uerba delictorum meorũ. Rursum quod capitis est proprium, membris cõmunicetur, uelut illud: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Proinde nõ ita magni refert, hæc ad Christũ, in quo cõtinentur omnes pij, an ad illius mẽbra referantur. Atq; hæc dixerim, nõ quo sententiã Hilarij refellã, sed ut diuersam secutos interpretationẽ excusem. Nobis tamẽ tropologicam enarrationẽ in hoc psalmo potissimũ uisũ est sequi, uel quod ea melius quadret, uel quod magis conducat ad uitæ correctionẽ, quã præcipue spectamus. Nã frigidũ est quod ludẽi psalmũ hunc ad Iosiæ regis personã torquent, qui solus prophanorũ regũ nõ abierit in cõsiliũ impiorũ, sed secutus sit legẽ dei. Frigidius etiã quod Tertullianus ad Ioseph referendum putat, qui corpus Iesu sepeliuit, aut ad eos qui ad spectacula gentiũ nõ concurrunt. Iam operæprecium est uidere, breuissimus licet psalmus, q̃ absolutum, q̃ ingẽs argumentum cõplectatur. Magno statim præmio, nempe beatitudinis prouocat mortales uniuersos, ut à uitijs desciscant, ad innocentiæ studium se cõferant, & obseruatione legis diuinæ renouentur ac refloreſcant in Christo, cui iam insiti sint per baptismum. Deinde quo piorum sors fiat illustrior, impiorum longè diuersam cõditionem apponit, etiam in hac uita mortali. Deniq; in supremo illo iudicio, quæ felicitas maneat pios, quæ pœna impios, aperit. Nunc ad ipsa prophetæ uerba pro uiribus exponẽda accingimur. [Beatus uir.] Haud potuit feliciore auspicari omine quam beatitudinis, quam nemo non expetit mortalium, ad quam omnes exæquo & cõditi sumus & aspiramus. Siquidem huc omniũ hominum studia tendunt, ut aliquid sibi parent, in quo animus acquiescat. Et conatus quidem cõmunis omnium. Verum in deligendo uarius illudit error, dum maxima pars falsas bonorum umbras, & inania simulachra, pro ueris ac summis bonis amplectitur. Quid enim aliud quæsitum est olim à tot philosophorum populis, qui tot æditis libris agebant, nisi ut perueſtigarẽt, in quo esset hominis sita beatitudo? Comprobo studium, laudo conatũ, quod anniſi sunt, quod scrutati sunt: & pudet quorundã Christianorũ, qui opibus, qui uoluptatibus immersi, qui dominandi libidine ebrij, ne quẽrunt quidẽ de re tanta: uerũ ut horum admiror socordiã, ita illorum miseret, qui quod tanto studio quæsierunt, nõ inuenerũt. Et ideo nõ inuenerunt, quia defuit unicus ille ueræ sapientiæ doctor, Christi spiritus: Ingens em̃ olim inter philosophorũ familias ardebat digladiatio, quibus in rebus posita esset hominis felicitas, atq; alij quidẽ in ipsa uirtute, alij in usu uirtutis, alij in tribus bonorũ generibus, alij in scientia, alij in indolẽtia, alij in uoluptate constituerũt felicitatẽ: Alij alijs in rebus. Nã omnes omniũ opiniones hoc loco recẽsere perlongũ fuerit, refellere lõgius. Cunctos tamẽ à uero aberrasse, uel illud sat argumento est, quod nihil inter ipsos cõuenit. Sed multo crassius erat uulgus, cui ne per somniũ quidẽ licuit felicitatis rationẽ perspicere: dũ hic sordidissimis opibus, ille fœdissima uoluptate, alius ridendo uitę splẽdore, alius anxio miseroq; imperio, in summa alius alijs magis felicitatẽ metitur. Cõmiserãdũ hoc in ethni

Erit quò referendum

Tropologiã sectatur

Argumentũ psalmi

Philosophi

cis, quibus hanc sapientiam nõ impertierat Christus, & nõ assequebatur ratio, non merebatur uita, at multo magis deplorãdum in horũ temporũ Christianis, imò in principibus qui dei uicẽ in terris referunt, in sacerdotibus, quos Christus in sortẽ suã semouit peculiarius, in episcopis, qui Christũ ipsum nobis repræsentant, quod ij quoq; nõ in alijs ferè rebus beatitudinẽ constituunt, q̃ in quibus olim idiotæ gentiles. Quid enim aliud nunc destinamus, quid tumultuamur, quid digladiamur in toto terrarũ orbe, nisi ut suæ quisq; tyrannidis proferat pomœria, ut cẽsus augeat, ut alios suo splendore premat, ut suauiter uiuat, & quod libet idẽ liceat? Audiant igitur omnes, audiamus saltẽ Christiani, expergiscãtur principes, attendãt episcopi, quid nobis de uera beatitudine per os sanctissimi prophetæ pronunciet ille spiritus, qui nihil nescit, qui nihil mẽtitur. Dimicãt inter se philosophi, delirat uulgus, cęcutiunt & Christiani, & tamẽ omnes beatitudinẽ quandã somniãt. Proinde in ipsa statim frõte, doctor ille cœlestis ostẽso ueræ beatitudinis scopo, præscriptaq; formula, omneis omniũ errores cõpendio resecat, ita pronunciãs, in una pietate uitæq; innocentia, felicitatẽ hominis esse positã. Quid enim est illud, quod uere tranquillat animũ, nisi summũ bonũ? Quid aũt est aliud summũ bonũ, imò quid aliud omnino bonũ est, nisi deus ipse? Ad cuius imaginẽ quoniã sculptus est hominis animus, nõ alia re potest explẽri q̃ ipso. Congere quantũ uis opũ, uince Crœsos, supera Crassos, aliquid desiderabit animus tuus. Immerge te uoluptatibus, obũge delicijs, uince Sardanapalos, supera Epicurũ, aliud quiddã adhuc flagitabit animus. Quãtũuis profer imperij metas, ut uel uniuersum orbẽ subegeris, alius quæretur orbis, quẽ superes. In cæteris omnibus, aut nõ assequimur quantũ uolumus, quod immensæ sint cupiditates, aut pœnitet assecutos, adamasse quod erat fugiendũ. Vnicũ est margaritũ, unũ bonũ, in quo humanus acquiescit animus, cuius dulcedinẽ qui semel degustarit, degustatur enim & in hac uita, etiãsi nõ ad plenũ, is protinus omnia ista fastidit, quæ miserũ uulgus tãtopere miratur. Verũ ut huc perueniatur, id sola pietas præstat, quæ nos mire deo copulat, & ita copulat, ut unũ efficiamur cũ illo. Cõtra, malos impietas segregat, & ita segregat, ut à summo bono alienati, diaboli mẽbris aggregentur. Quid enim boni desideret is, q̃ Christũ habet, qui fons est bonorũ omniũ? Aut quo bono frui queat is, qui sic cõiunctus est ei, qui pater est malorũ omniũ? Quid te macerás frustra? Quid inani labore cõficeris? Alius suspirat ac dicit: O me beatũ, si prędiũ illud lite euicero. Alius, si regionẽ illã armis mihi subegero. Alius, si sacerdotiũ illud assecutus fuero. Audis, quid tibi tuus dicat affectus, magis audi, quid tibi dicat Christi spiritus. Beatum dixerunt populũ cui hæc sunt. Quæ nã hæc? Nẽpe prædia, famulitia, regnũ, cæteraq; quę mundus ut ingentia bona suspicit. Sed qui nã hoc dixerunt? Primũ ethnici, qui deum nesciebant, nec hi omnes, sed inter hos crassiores, & hominis indigni uocabulo. Sed unde uox eadẽ auditur inter Christianos? unde rerũ earundẽ studium acrius propẽ q̃ unq̃ fuit ethnicis etiã inter clericos? etiã inter monachos? etiã inter episcopos? Etenim dũ pro hisce rebus sic armis omnibus digladiamur, sic omnẽ mouemus lapidẽ, satis declaramus, quantum tribuamus uulgaribus cõmodis. Vnde paganismus iste in Christianitate? Aut unde nobis mũdanus iste Christus, nõ de cœlo loquẽs, sed de terra? Absit hæc uox ab ore Christiano, sed lõgius absit hęc opinio à corde Christiano, ut huiusmodi rebus cõstet hominis beatitudo. Si uere Christiani sumus, hoc est si Christi ducimur spiritu, cũ illius spiritu sentiamus, beatũ esse populũ, cuius dominus deus eius. Hoc cuiq; deus est, in quo pręcipuam beatitudinis spẽ reponit. Qui diuitiarũ gratia, nihil non & facit, & patitur, huic dominus nõ est deus, sed mãmona. Qui uoluptati seruit, huic uenter est deus. Qui imperij causa miscet oia, huic dominus nõ est deus. Sacrificat suo deo, nẽpe ambitiõi. Proinde hic quoq; beati pronunciãtur, nõ hi quibus ista suppetãt, quæ uulgus hominũ miratur, sed quibus adest innocentia uitæ, nec abierunt in cõcilio impiorũ, ad ista per fas nefasq; grassantiũ. [Beatus uir &c.] Sed cũ uirũ nominat, nũ mulierẽ à felicitatis cõsortio seclusit? Minime uero. Nec enim in regno cœlorũ sexus conditióue expẽditur. Et in Christo neq; dominus, neq; seruus est, neq; uir, neq; mulier, neq; paup, neq; dives, sed noua creatura. Verũ in arcanis literis uiri symbolo, potior animi pars significari solet: quã philosophi rationẽ, Paulus spiritum appellat. Rursum mulieris uocabulo, infirmiorẽ mentis nostræ portionẽ indicant: quã affectũ illi, nostri carnẽ uocant. Nã huc pertinet, quod initio conditi orbis, mulier uiro parere iubetur & eum sequi ad pietatis officia, cui præierat ad exemplum peccandi.

Christiani

Deus summũ bonum

Christus mundanus

Huc

Huc pertinet auctus Abraham ex Abram, ac diminuta Sara ex Sarai. Item illud euangelicum: Vade uoca uirum tuum. Planè masculũ ac uirile facinus est, spretis, repudiatis, cal catis omnibus quæcunq; uel irritant, uel blandiuntur in hoc mundo, per arctam illam uir tutis uiam ad Christũ grassari. Non est hoc mihi crede mollium, nec imbellium. Si te nec opum fulgor, nec uoluptatum illecebræ, nec amicorũ affectus, neq; pudor humanus, po stremo neq; gladius, neq; fames, neq; mors, neq; uita, nec angelus potest separare à charitate Christi, planè uir es, etiam si mulier es. [Beatus igitur uir, qui non abijt.] Dissimilitudine discedimus à deo, similitudine accedimus: affectibus, ceu pedibus, uel admouemur illi, uel semouemur ab illo. Hoc nimirum pacto filius ille prodigus digressus à patre, abijt in regionem longinquã. Sic Adam subduxit se à facie dei. Tum abibat à deo, cũ illius præceptũ oblitus, adhæsit serpenti. Quanq; iuxta Græcã æditionem, non tam abijt habetur, q; ambulauit, siue ingressus est. Est enim οὐκ ἐπορεύθη. [In consilio impiorũ.] Tria sunt hoc loco annotanda. Impius, peccator, & pestilẽs: quorum primus ambulat, alter stat, tertius sedet in cathedra, quum iuxta communem morem, in cõsilio sedeamus potius q; ambulemus, & in uia ambulemus magis q̃ stemus. Porrò cathedra quietẽ habere solet, non pestilentiã. Impietas in deum cõmittitur: peccatur in quoscũq;. Quisquis igitur impius est, idẽ peccator sit oportet. At non cõtra. Nã fieri potest, ut qui parentẽ obseruet, ebriosus sit aut prodigus, et crimine nõ careat, qui tamẽ careat impietate, ut Hilarij uerbis utar. Is impios uocari putat, qui perperã de deo sentiunt, ueluti qui negant esse deũ, qui hunc mundũ negant ab illo conditũ, qui beneficũ negant ac iustũ. Atq; hoc qui sentiunt, à naturali quoq; iudicio abierunt in cõsilio impiorũ, cum cõmunis naturæ sensus doceat numẽ esse, quod ista tam mirifice condiderit, quod tã sapienter gubernet. Hi quoniã nõ habent in quo cõsistant, sed uarijs opinionũ erroribus huc, illucq; circunferuntur, apte dicuntur non stare, sed ambulare. Ac prima quidẽ pietatis pars est, de deo sentire quæ deo sunt digna. Id aũt fidei donum nobis præstat, quæ ianua uocatur ad Christum. Hac iuxta Paulũ stamus, & stamus in solida illa petra quę est Christus, cum impij diuersis erroribus, ut animi somnijs circumagantur, aliquoties & inter se pugnantia dicentes. Et concilium quidẽ habent, sed ambulatur in eo, non sedetur. Neq; uero minus quadrat impij uocabulum in istos, qui in hæresim prolapsi, nullis diuinæ scripturæ decretis continentur, sed uarijs animi somnijs nunc huc feruntur, nunc illuc, ac deum nõ ex ipsius natura, nec ex arcanarum testimonio literarum, sed ex arbitrio suo metiuntur. In hoc nimirum concilio oberrarũt gnostici, qui deum fecerunt eiusdem substantiæ, cuius sunt animæ nostræ. In hoc obambularunt Ariani, qui patrem & filium, & spiritum sanctum negant ὁμουσίους, hoc est eiusdem essentiæ, sed solum patrem uolunt esse creatorem, filium à patre creatum, non genitum: Spiritum uero sanctum creaturam esse creaturæ, hoc est ab ipso creatam filio. In hoc Valentiniani, qui negant Christo fuisse corpus humanum, sed cœleste, quod è supernis secum attulerit, non de uirgine sumpserit. In hoc, qui animam humanam illi detrahunt, qui patre minorẽ faciunt, qui spiritu sancto superiorem. Et quis percenseat omnes sectarum flexus & anfractus, in quibus infelices uarijs erroribus uagãtur dum semel à solida ueritate deflexerũt? Quos si urgeas disputatione, mussant, dissimulant, tergiuersantur, tentant elabendi aditũ, & Protei in morem semet in omnia uertunt. Felix igitur, qui semper constitit in Christo, semper adhæsit diuinæ scripturæ testimonijs, semper ecclesiæ decretis assensus est, nec unquam ambulauit in hoc impiorum concilio, à quo Paulus monet esse fugiendum, ne corrumpant mores bonos colloquia praua. Nam de deo quod impius sit, uel audire molestũ est pio, uel cogitare piaculum, tantum abest ut sit assentiendum. Neq; uero sine causa ueteribus illis tantopere fuit inuisum hæretici cognomen. Hinc enim uelut è fontibus omnis uitæ pestis nascitur. Ex opinionibus omnes uitę scatent actiones. Quod si semel eò uentũ fuerit, ut ad meam uitã arcanas accommodem literas, easq; meis uitijs cogam patrocinari, per quas oportuit emendari, quæ iam spes supereſt, ad meliorẽ mẽtem redeundi? Aut quod supereſt pharmacum, si, quo solo morbus pelli poterat, id mihi uerto in uenenum? Verum haud satis est non dissentire ab ecclesiæ decretis, hoc est nõ sufficit recta fides, nisi uita fide digna accesserit. Alioqui dæmones quoq; credunt, & contremiscunt. Proinde quod proximum erat, subijcit: [Et in uia peccatorum non stetit.] Quàm multi sunt hodie Christiani qui malint & ceruicem porrigere, q; ad hæreticorum dogmata descíscere? At

Impius peccator

ijdem Mammonæ seruiunt, fraudant, fallunt, peierãt, rapiunt, cœnõ uoluptatum immer guntur, ambitione præcipites in omnia facinora rapiuntur. Laudãdi sunt hi, quod ab im piorum declinarunt concilio: at ijdem deplorandi, quod in uia peccatorũ non steterint so lum, uerumetiam iacuerint. Stat qui cõmoratur, iacet qui sic uitijs illigatus est, ut Christo sit opus, qui soluat paralyticum. Annota lector sermonis proprietatem: In concilio impi orum nec ambulandum, quod impij de deo sermones nec audiendi sunt. Statim expuen dum, statim abominandum, quod impietatem sapit. At in uia peccatorum satis est ad bea titudinẽ, non stetisse. Quandoquidẽ in hanc uelimus, nolimus, aliquando ueniendũ est. In hanc nos penè detrudit instinctus naturæ, ex Adæ peccato relictus in nobis. Sentit & Paulus legem peccati in membris suis, repugnantem legi mẽtis, sic ut exclamare cogatur: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis? Quid de nobis homuntionibus fieri credendum est? Sed quos in hanc uiam impellit naturæ infirmitas, eos cito referat re ligio. Solicitat animum tuum morbus auaritiæ, cogita pauperem Christũ. Solicitant car nis illecebræ, cogita Christum crucifixũ. Solicitat ambitio, cogita Christum abiectum & contemptum ac uermem potius quàm hominem. Ita fiet ut non solum non corrumparis peccatorum contagio, uerumetiam naturæ malum tibi uertas in lucrũ bonę mentis. Tan tum ne teipsum in hanc uiam præcipites, tantum ne commoreris. In uia mandatorum dei currendum est, in uia peccatorum adeo non progrediendum, ut nec standum quidẽ. Ma ture recurrendum, statim referẽdus pes, & illidendi ad petram Babylonis filij, dũ adhuc pusilli sunt. Annotandum & illud, quod stare dicitur, qui conscius sibi, non se tamen sub mittit deo quem offendit, sed erectus & elatus resistit diuinæ clementiæ. Et uos quidem, inquit Paulus, elati estis, ac non magis luxistis. Ergo orthodoxus es, nõ abijsti in concilio impiorum: integre uiuis, & præstas innocentem, hoc est non stetisti in uia peccatorũ. Iam & professione Christianus es, & moribus. Quid igitur adhuc superest? Nempe tertium illud ne sedeas in cathedra pestilentiæ. Videtur admonere propheta Christianos deo mi litantes, ne se implicent negotijs secularibus. Atq; hinc integris etiam uiris periculum. Videas pie sentientes de deo, uideas abhorrentes à turpitudine, quos tamen pudet esse priuatos, pudet humiles haberi, cum hic tutissima sit innocentia. Affectant aut certe susci piunt magistratus, amplectuntur præfecturas, ambiunt quoq; nõnunquam episcopi mu nus. Quid igitur, inquiet aliquis? Tu munerum huiusmodi publicam functionẽ damnas? An non omnis potestas à deo est? Nonne bonum est, quicquid à bono proficiscitur? Cur autem cathedra pestilentiæ dicitur, in qua sedit Moses, in qua Petrus, in qua hodie quoq; sedent episcopi? Non dãnatur cathedra, sed sessio. Pestilentia morbus est, qui secreto con tagio facile serpit in omnes. Habet omnis publica functio, præsertim cum dignitate con iuncta, suam pestem, ni caueris. Ad quam si malis artibus fuerit penetratum, ut uulgo ferè fit, iam bis pestilẽs incipit esse. Quisquis enim affectat magistratum, is & indignus est ma gistratu, & inutilis reip. Inuitus trahatur ad cathedram oportet, quẽ illa suo contagio non inficiat. Corrumpit integros etiam animos ambitio, & loci strepitus, ac bonas quoq; men tes secularium negociorum procellæ transuersum rapiunt, & ab honesto deducũt. Vnde Socrates inter ethnicos optimus, censuit non esse sapientis in publicis reipub. muneribus uersari. Accepimus & priscos illos ac uere Christianos uiros mirũ in modũ ab ecclesiasti cis etiã functionibus abhorruisse. Insidijs erant illaqueandi, qui ad diaconi gradum per traherentur. Iniectis manibus, obtorto collo, compellendi erant ad episcopalis honorem muneris, qui uidebantur eo digni munere. Audimus & hodie pios homines, si quando ad huiusmodi cathedras pertracti fuerint, deplorare sortem suam, odisse quod coguntur esse, desiderare tranquillum illud ac felix otium, in quo sibi Christoq; uiuebant. Quod si ipsa cathedra suum habet contagium, etiam si quis integer accesserit, quid mirũ idem ac cidere, cum ad eam ui, pecunia, cæteriscq; malis artibus penetratur, & penetratur à stultis, ab improbis, à male educatis, à uacuis omni uirtute, infectis omni uitiorum genere? Et tamen uidemus hodie passim episcopos non solum ambire cathedras ecclesiasticas, ue rum etiam regum & Satraparum uicem in se recipere: pro ditione tyrannica, pro ue ctigalibus, pro prædijs omnia cæde ac sanguine miscere, & reuerendos in Christo patres nihil aliud per omnem uitam agere. Non istis pestilens est cathedra, qui pestilentiam ad cathedram secum attulerunt. Nisi quod conduplicatur pestis, quoties stulti hominis im

probitas

probitas,autoritate muneris ornatur. Sedit in hac cathedra Pilatus,iudex alioquin incorruptus,& tamen quia metuit Cæsarẽ,infectus est cathedra pestilentię. Sederunt scribę & pharisæi, legis præcepta tenentes,uerum ob auaritiam & ambitionem sibi gerentes magistratum,non populo. Sederat in hac cathedra Samuel complures annos, & tamen alienus fuit à contagio. Sed unus,sed educatus à puero in templo dei. Quod si quem hæc offendit interpretatio, diuo Hilario,non mihi succenseat. Quanquam ut fateor illius interpretamentum esse uerissimum, ita haud reticendum,illud magis ad illorum,quàm ad nostrorum temporum rationem pertinere. Nam tum quidem uti homines ipsi,ita & negotia gentilium & Christianorum erant confusa, ut difficillimum fuerit, simul & Christiana tueri innocentiam, & publico satisfacere muneri. Quanquam hodię quoq; sic corrupti sunt mores Christianorum, & maxime principum, ut prope difficilius sit hac tempestate integrum prefectum, aut pium episcopum agere,quàm olim fuerit. Sed dixerit aliquis: Quorsum ista tendunt? an ut uacẽt omnes episcoporum sedes? Quandoquidem bono periculum est, ne pestilentia affletur, malus pestilentiam pestilentia duplicaturus est. Quasi uero metuendum sit,ne cuiquam cathedræ suus desit sessor, cum uideamus passim tam multos inter se de singulis digladiari. Volo sessorem, non occupatorem,uolo qui coactus accedat: uolo qui probatus & exploratus adeat. Volo sobrium & uigilantem,ac cęteris insignem dotibus,quas Paulus commemorat. Nolo malum qui pestem adfert secũ. Nolo mediocrem,ne per occasionem inficiatur. Atq; hi fortasse, quos non infecit cathedra,ne sedent quidem in cathedra. Sedent ij, qui sibi gerunt honorem, qui in his bonis animo conquiescunt. Non sedet autem qui sic existimat,oneratum esse sese, nõ honoratum: & loci solicitudinem sentit, dignitatem non sentit,aut odit etiam. Quæ etiam si consequatur,tamen habet eam tanquam non habens,& suspectum habet,quod amplectuntur alij. Quod si quibus non probatur hæc subtilis uocum distinctio, is sic accipiat: treis gradus à propheta notatos,per quos ad extremam impietatem deueniatur. Primum abitur in concilio impiorum,idq; fit,quoties impijs dęmonũ instinctibus paulatim assentitur animus, ut cum improborum hominum conuictu & consuetudine,sensim ab innocentis uitæ studio labascit. Nec enim perinde inficit corpora uicina,pestis ægrotãtium,ut oratio flagitiosorum corrumpit familiares. Sed longius à salute seiungitur, quisquis in uia peccatorum stare iam assueuerit,& diutius immoratus uitijs callum duxerit. Porrò longissime absunt à spe beatitudinis,qui sederint etiam in cathedra pestilẽtiæ, iamq; uicta prorsus & obruta conscientia,ex turpibus factis laudem etiam sibi quærunt, inq; summis malis,perinde ut summis bonis acquiescunt, atq; undiq; cõtaminata uita, pestilentibus exemplis,pestilẽti oratione, proximum quenq;, ueluti contagio morbi,inficiunt. Hi nimirũ sunt, quos adeo non pudet impiæ uitæ,ut glorientur in malicia potentes iniquitate. Deniq; eò dementiæ rediguntur infelices,ut nõ uereantur irridere diuinas literas,ut à quibus intelligant omnẽ uiam suam δὶς δικὰ πασῶν abesse: non uereantur piorum hominum simplicitatẽ ludibrijs incessere,nec à conuicijs interim in Christum,nec ab impijs & hæreticis sermonibus temperantes. Atq; ad hunc quidem sensum probe quadrat, quod indicãte Hieronymo habet Hebraica ueritas וּבְמוֹשַׁב לֵצִים ubmosab lezim, hoc est, in cathedra derisorum. Iuxta quod & beatus Hieremias gloriatur se non sedisse in consilio ludentium. Horum illa uox est: Ascende calue,ascende calue. Et: Si filius dei est, descendat nunc de cruce. Item illa in libris sapientiæ, Quos aliquando habuimus in derisum,& uitam illorum existimauimus insaniam. Auertat deus à suis cultoribus,ut quisq; in hoc barathrum deueniat,ut pro cõfessione criminum iactet sese: pro lachrymis,quibus erant abluenda cõmissa,insanissimo risu fruatur. Etiamsi id quoq; non raro uidere cogimur. Abire igitur in concilio impiorũ, humanæ est infirmitatis. Stare in uia peccatorum,corruptæ uolũtatis: sedere in cathedra derisorum,deploratæ malitiæ,& immedicabilis cuiusdam prauitatis. Nec abhorret admodum ab hoc sensu,quod attigit Augustinus, aut quisquis is alius fuit, in cathedra pestilentiæ sedere,qui loci abutentes autoritate,pernicioſa doctrina corrumpunt animos simplicium. Nam quæ maior pestis accidere potest Christianæ religiõi,quàm si doctrina sua à Christo auocent, qui Christianæ religionis magisterium profitentur? Quid enim spei de populo,si sal ipse fuerit insipidus? An non hoc faciunt sacerdotes quidam,quid superstitiosam plebeculam cæremonijs inuoluunt,ut his freti,ueluti nare ducantur, nec unquã

ad ueram Christi doctrinã adolescant, semper infantes, semper imbecilles in Christo? An non id faciunt, qui suo studentes emolumento, suã tuentes tyrannidẽ, diuinas literas suis affectibus seruire cogunt? Qui cõstitutionibus irretiunt & onerant populũ, nõ quę Christũ sapiant, non quæ publicã spectent utilitatem, sed merã φιλαυτίαν: an nõ uidemus quotidie ad huiusmodi constitutiones, pios & uerecundos ingemiscere, infirmos offendi, simplices decipi? Nam est & illud obiter admonendũ, pestilentiam non solũ referri ad corruptum sessorem, qui per occasionẽ negotiorum fit deterior, uerum multo magis ad eos, ad quos pestilentis episcopi, seu principis serpit contagium. Omne uitium suã habet contagionẽ, uerum impietas nõ alia uia neq; pernicioſius, neq; celerius, neq; latius serpit in multitudinem, q̃ per stultos & malos principes atq; episcopos. Ille demum pessimus sit oportet, qui cum plurimũ prodesse possit, si bonus sit, summo omniũ malo malus est. Tantum aũt est in his (de malis loquor) ambitionis, tantum auaritiæ, tantũ stultitiæ, tantũ impietatis, ut qui magistri pietatis esse debuerant, apud hos penè sit hæreticus, qui pure studeat esse Christianus. Abit igitur in concilio impiorũ, qui mala cogitat: stat in uia peccatorũ, qui mala facit: sedet in cathedra pestilentię, qui mala docet. Neq; desunt qui sic distinguãt, ut primum gradũ referant ad Iudæos, secundũ ad gentes, tertiũ ad hæreticos: quæ quidẽ postrema interpretatio mihi uidetur affectatior q̃ uerior. Sed illud interim mouere poterit quempiam, cum, iuxta Paulum, cõcluserit deus omnia peccato, nec quis q̃ mundus sit à crimine, nec infans modo natus, in quẽ alium competet hæc laus, nisi in unũ Christum: aut certe pauculos alios, quos à cõmuni mortalium sorte recentior eximit theologia? Proinde quosdã arbitror adductos, ut hunc sermonẽ ad Christi personã accõmodare maluerint. Verum ut ipse Christus à uitijs omnibus fuit immunis, ita præstat in se renatis, ne peccẽt. Quatenus ex Adam sumus propagati, peccamus omnes: quatenus in Christo renati per baptismũ, non peccamus. Et ideo nõ peccat Christus, quia patrẽ refert non peccantẽ. Ideo peccabant olim omnes, quia parentẽ reddebãt peccatorẽ Adam. Per naturam nascimur ad uitia propensi, per fidem renascimur ex deo, & noua creatura facti, nouum parentem referimus. Nam quemadmodũ scripsit Ioannes: qui ex deo est, nõ peccat, de peccato loquor, quod mortẽ adducit. Alioqui qui capitale committit flagitium, is iam excidit ab adoptionis honore: & exectus à Christi corpore, insitus est corpori Satanæ. Ergo nõ peccat ille beatus, sed ex quo renatus est in Christo, ab hoc tempore illum perpendit censura prophetica. [Sed in lege domini uoluntas eius.] Ostendit quid sit fugiendum, indicauit periculum, demonstrauit præcipitium, nisi statim à primo lapsu pedem referre studueri/mus. Siquidem ut prima, ita & magna pietatis pars est, uitasse impietatem: atq; haud scio an hic homini multo acerrima conflictatio. Primus gradus est uitasse malum, secũdus accingi ad bene agendum. Quandoquidem hoc præstat innocẽtia, ne quid peccemus, hoc iubet charitas, ut omnibus bene faciamus. Hoc docet longanimitas, ut malos toleremus. Atq; in his tribus rebus absoluitur Christianæ professionis circulus. Nihil aliud est Christiana sapientia, q̃ uera pietas. Initium aũt sapiẽtiæ est timor domini. Porrò timor coercet quidem à peccando, uerum non in hoc sita est absoluta pietas. Multũ profecit, quẽ pœnæ metus docuit innocentiam. Verũ ut perfectus sis ac beatus, charitas accedat oportet, quę foras pellat timorem. Parum est odisse Satanam cum suis uitijs, nisi Christum amare cœperis cum suis uirtutibus. At amoris certissimũ est argumentũ, legis obseruatio. Sic enim ipse loquitur in euangelio: Si diligitis me, mandata mea seruate. In lege igitur domini uoluntas eius. Non in opibus, nõ in imperijs, nõ in uoluptatibus, non in cæteris quæ miserũ uulgus sine fine sectatur, sed in lege domini uoluntas eius beati: legem autẽ uocat uniuersam scripturam diuinam, cuius ardens studium potissimũ præstat, ut à peccãdo temperemus. Vis non amare carnis uitia? ama literarum studia, sacrarũ inq̃ literarum. Nam literas alienas à Christo, quis appellet literas? Hoc est unicum, ac tutissimũ aduersus omnes dæmonũ assultus munimentum, si quis in his totus & syncero uersetur animo. In hac uoluntas iusti, quoties spretis ac reiectis cęteris omnibus, unicum hoc margaritũ miratur, ac deamat, iuxta illud euãgelicum: Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. Et quod alibi legimus de eodem: In mandatis eius uolet nimis. Sic natura conditus est hominis animus, aliquid amet necesse est: uacare nõ potest. Cæterũ cuiusmodi sunt quę amat, eiusmodi & ipse efficitur. Si diuinas amat literas, rapitur, afficitur, transfiguratur in deum. Porrò cum ait, uo-

luntas

luntas,excluſit metum & indicat adeſſe charitatem,quæ facit ut nihil iam ſit difficile,nihil moleſtum. In primis illis gradibus timor erat,periculum erat, certamen erat. Hic audis uolentem,audis alacrem ad currẽdam uiam mandatorum. Non enim iſtorum uoluntas in lege eſt,qui quod ait Flaccus,Oderũt peccare formidine fuſtis. Qui iam odit uitia, non quod horum comes ſit infelicitas,ſed quod diſſideant ab illo pulcherrimo honeſti archetypo,cuius amore qui iam rapitur,eius uoluntas eſt in lege domini. Lex dei ſpiritualis eſt. Porrò ubi ſpiritus domini,ibi libertas. Hæc eſt unica lex Chriſti,nempe charitatis: Hoc eſt,inquit,mandatum meum,ut diligatis inuicem ſicut dilexi uos. Infinitæ ſunt Moſi leges de ritu ſacrificiorum, de cibis mundis & immundis,de lepra, de ueſtitu, de feſtis diebus ac prophanis,de ieiunijs,de uotis. Innumeræ ſunt philoſophorum, & aliorũ principum leges. Ego,inquit, non niſi unam fero legem, ut diligatis inuicem. Hanc unam ſi ſeruetis,nihil opus fuerit alijs legibus: hæc una ſi negligatur,fruſtra leges legibus cumulabitis. Nec ſimpliciter dixit: in lege,ſed in lege domini,nõ in legibus principum, in quibus multum eſt falſitatis admixtum, plurimum adulationis, quæ mundanam duntaxat habent prudentiam,quæ diuitem aut ſplendidum fortaſſe facere poſſunt, beatum non poſſunt. Deniq; quæ ueluti remedia, uel pro temporum habitu, uel pro principum arbitrio ſubinde mutantur. Non in his uoluntas eius,qui quęrit æterna,qui ſitit cœleſtia. Vna lex domini immaculata,ſapientiam præſtans paruulis. Hominum leges etiam ſi iuſtæ ſunt, tamen quoniam craſſi uulgi moribus cohibendis adhibentur, non poſſunt non aliquid habere craſſum ac ſordidum,ſi ad dominicam legem conferantur. Qui de terra ſunt,terrena loquuntur: qui de cœlo uenit,huius cœleſtis eſt lex. Vt illæ pro tempore ſint neceſſariæ,certe hæc ſola beatum reddit. Auſim & illud addere, huius beati uoluntatem non eſſe in quodlibetis,& argutijs ſophiſticorum theologorũ,nõ in quęſtionum labirynthis, quæ pariunt contentionem,nihil inutiles ad pietatem: non in decretis, aut conſtitutionibus pontificum hominum. Non quod eas contemnat pius, maxime ſi Chriſtianum,& apoſtolicum reſipiant ſpiritum,ſi ab una illa charitatis lege profectas appareat, quæ non alio ſpectat,quàm ad publicam utilitatem. Atq; hanc utilitatem non harum rerum acceſſione,quas uulgus miratur,metitur,ſed ueræ pietatis incremento. Cæterum ubi conſtitutiones huiuſmodi præter titulos, nihil habent apoſtolicum, ſed totæ pertinent ad priuatum commodum,uel parandum,uel tuendum,uel augendum: ubi nihil reſipiunt præter mundanam quandam prudentiam,quàm in ethnicis etiam tyrannis cernimus,ubi meris minis ac terriculis, non ſpiritu lenitatis & manſuetudinis res agitur: quid aliud efficitur his ſine fine multiplicandis,quàm ut pluribus laqueis irretiatur libertas Chriſtiana? Poſtremo ad id periculi tenditur,ne iuxta Græcam parœmiam, plus æquo tenſus funiculus rumpatur. Huc igitur potiſsimum adnitantur boni pontifices, ut illa uera charitas ſuſcitetur in mentibus hominum,ut uigeat illa lex non hominum,ſed domini. Si flagrarit diuina charitas, quorſum opus tot minis,tot uinculis, tot conſtitutionibus? Sin ea friget,nec ſyncerum eſt nec diuturnum, quod metus extorquet. Quid non factum eſt à priſcis illis tyrannis? Quæ non leges in hoc excogitatæ,ut oppreſſo populo ſuam communirent potentiam? Nulli horum imperium diuturnũ fuit. Si tractabiles ſunt quibus imperas,paucisſimę leges ſat erunt: reliqua ad charitatis regulam exigẽtur. Sin immorigeri,nihil inutilius quàm plures induci leges,quas utcunq; inſtitutas, malorum peruerſitas fere ſemper in magnũ reip. malum conſueuit uertere, ut eſt ad male agendum ingenioſa mortalitas. Si quid noui conſtituendũ,eiuſmodi leges ferãt principes Chriſtiani,nõ ad quas ſuſpirẽt piæ mẽtes,muſſent timidi,male dicãt improbi, ſed in quibus Chriſtũ illũ manſuetiſsimũ, et quouis potius cẽ ad ſuam ſpectantẽ cõmoditatem,poſsimus agnoſcere. Non eſt plebis de principum decretis temere iudicare,fateor: ſed uiciſsim principum eſt in condendis legibus meminiſſe,cæteris quoq; mortalibus ſenſum eſſe cõmunem,& homines eſſe qui lecturi ſunt,non pecudes: Poſtremo liberos eſſe,non ſeruos. Vt nihil horum contingat,tamen optandum eſt, ut unica lex ſit quẽadmodum unus eſt dominus,& una fides. Ea diciabit quid in omni re ſit agendũ,nuſcẽ enim ceſſat charitas. Alias non aſpernabitur, ſed in hac una uoluntas beati. Mouet quoſdã,cur hoc de beato dictum ſit: Et in lege domini, cum iuſto non ſit lex poſita. Et iuxta Paulũ: qui per Chriſtũ adepti ſunt adoptionem filiorũ dei,iam ſub lege nõ ſint,ſed ſub gratia. Verũ aliud eſt ſub lege eſſe, aliud in lege. Iudæi

ſub lege erant, qui legis præceptis ueluti cancellis quibuſdã coercebãtur, & ceu pædagogo ſeruiebant, non ſponte, ſed metu. Chriſtiani in lege uerſantur, qui ſponte ſecundũ legẽ uiuunt, non cogente ſupplicio, ſed inuitãte charitate. Sub lege ſunt ſerui, in lege liberi. Iudæi qui triticeos portãt panes, nihil habẽtes præter inſipidam literã, legis onere grauantur. Nos qui ſpiritũ tenemus legis, exonerati et alacres, nõ ducimur ſed currimus, quemadmodũ alibi dicit propheta: Viam mãdatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meũ. Superſtitio literæ cõtrahit animũ, ſpiritus & charitas dilatat. Qui literæ ſeruit, ad omnia trepidat, non audet ueſci cibis cõmunibus. At ſpiritualis: Omnia, inquit, mũda mũdis. Et rurſum: Omnia mihi licent, ſed nõ omnia expediũt. Item Omnia factus ſũm omnibus, ut omneis lucrifacerẽ. Vide quæſo quãta ſit amplitudo ſpiritus. Bona igitur profectus pars eſt, uehementer uelle id, quod cupis aſſequi. Atqui nõ ſatis eſt uelle, ſed accedat oportet meditatio, ut ad diuinæ legis regulã mores ac uitam coneris accõmodare. Nam id demũ ſignificat Latinis meditari, non animo uoluere, ſed exercere, req; ipſa præparari. Qui quicquid dicturus eſt, quicquid acturus, ad charitatis præſcriptum dicit ac facit, is uere legem domini meditatur, idq; die ac nocte, hoc eſt, in proſperis pariter, atque aduerſis. In proſperis ne inſoleſcas, ſed magis gratias agas, in aduerſis ne deſpiciaris animo. Ad utramuis enim fortunam una lex abunde præſidio eſt. Niſi mauis accipere die ac nocte, pro eo quod eſt aſsidue, citraq; intermiſsionem. Etenim ſi omnis uitæ ratio ad diuinæ legis ſcopum dirigatur, quicquid agemus, ſiue edemus, ſiue bibemus, ſiue dormiemus, legis erit meditatio. Quemadmodum & iuxta Pauli præceptum, indefinẽter orat, cuius omnis uita tendit in Chriſtum. Non eſt igitur beatus, qui uarius, & ſui diſsimilis, aliquando ſpectat mundum, aliquando nonnihil tribuit Chriſto. Nec otioſam arbitror legis repetitionem, cum ſit una eademq; In lege domini, & in lege eius. Vt intellĩgas ab una hac petenda eſſe omnia, quæcunq; ad beate uiuendum pertinent. Si quid hæſitabis, ab ea quærendum conſiliũ. Si fortuna fæuiet, ab ea petendũ auxiliũ: ſi quid uoles diſcere, nõ alibi confugiendũ. Deniq; quicquid cõmoditatum reliqui ex rebus tam multis aucupantur, id ſola ſacrarum meditatio literarum affatim ac uere præſtat. Iam & illud mihi perpende lector, num ſit otioſe dictum: In lege uoluntas eius. Siquidem eius uoluntas nõ eſt in lege, qui cogit legẽ uelle, quod ipſe uolebat, ſed qui non aliud uult, quàm ipſa dictat lex. Proinde obiter ferit iſtos quoſdam illotis pedibus ac manibus theologos, qui ſcripturam diuinam reluctantem & inuitam uiolentis interpretationibus ad ſuam applicant uoluntatẽ, eamq; pro Lesbia, quod aiũt, habẽt regula. Nam huiuſcemodi doctoribus mos, primũ apud ſe ſtatuere quid uelint, idq; ex affectu ſuo metiẽtibus, quid expediat. Deinde poſtquam decreuerint, uenantur aliquem ſcripturæ locum, quem uel obtorto, quod dici ſolet, collo ad ſuũ pertrahant decretum. At æquũ erat, ut noſtri affectus diuinæ legi obſeruirent, nõ lex affectibus. Et ab illa decretum erat petendum, non ea ſubornanda ad humanæ cupiditatis patrocinium. Nam hoc eſt omnem diuinæ ſcripturæ fidem & autoritatẽ eleuare, ſi in alium torqueatur ſenſum, cẽ oportet. Poſtremo quod ait, in lege eius meditabitur, admonet nos, nõ leuiter attingendã diuinam legem. Nam à cura dicuntur græcis μελέται, hoc eſt meditationes, ſiue exercitamenta: quin potius attentiſsimo ſtudio penitus incumbendum. Qui quotidie Pſalmos non intellectos remurmurant, non meditãtur in lege domini, ſed aerem uerberant. Qui hoc animo accedunt ad arcanas literas, quo ſe muniant aduerſus friuolas diſputationes, non meditantur in lege domini. Qui curioſis & anxijs, nec unq; finiendis quæſtionibus inſeneſcunt, non meditantur in lege domini. Sed qui omiſſis omnibus, uacuus ad ipſos ſacrarũ ſcripturarum fontes accedit, tantum illud captans, ut ſeipſo reddatur melior, ut transformetur in Chriſtum, ut illius imbibat ſpiritum, hoc undiq; circũſpectans, hoc unum ubiq; ſitiens, is demũ meditatur in lege domini. Item qui ſummo legis cortici inſiſtit, non meditatur in lege domini. Cortex inſipidus eſt plerunq; tum adeo non frugifer, ut peſtilens etiam ac lætalis, teſte Paulo. Proinde multa ruminationi ad medullam penetrandum eſt, atq; ibi demum inueniés uerum animi cibum, cuius eſus te in Chriſti transfiguret imaginem. Hinc eſt quod alio quodam in pſalmo beatos legimus, qui ſcrutantur teſtimonia dei. Nec enim hoc cognominis tribuit ijs, qui legem dei legunt, qui memoria tenent. Nam & phariſæus ille probe tenebat, cum incontanter reſponderet: Diliges dominũ deũ tuum etc. Quin hodie quoq; Iudæi legem ſuã prope meli

us tenent

us tenent ipſis theologis Chriſtianis,& quinq; panes illos ordeaceos famelici circumferũt. Verum is demũ beatus, qui pio ſcrutinio ad arcanum illud ſacri ſpiritus myſterium promeruit admitti. Atq; ut magis intelligamus myſticæ ſcripturæ fœcunditatẽ,uidemur et illud ex hoc loco admoneri,iugi meditatione ſic à pueris imbibẽdas eſſe diuinas literas, ſic multo uſu,multaq; iteratione inculcandas,ut eas memoriter, non ſecus ac digitos noſtros teneamus. Ita collatis hinc &hinc locis,facile ſenſum uerũ aſſequemur. At nunc bonam uitæ partem in ſophiſticis inuentiunculis,in Ariſtotelis uoluminibus, immo in noſtris ſomnijs conſumimus, ita ut uix unquàm ſit otium magnis etiam theologis, ex ipſis hauriendi fontibus. Deinde ſi quid citandum,ad indices & canones currítur. Citra trium linguarum peritiã, diuinę literæ nullo modo percipi poſſunt: citra Phyſicen,ac metaphyſicen Ariſtotelicam poſſunt. At nos id quod eſt neceſſariũ omittimus,id quod officit etiã ſolũ amplectimur. In fontibus uerſetur oportet,qui uelit eſſe uere theologus. Neq; uero theologiam profitentium duntaxat eſt meditari in lege domini, niſi his ſolis beati nomen tribuendũ eſſe putamus. Omnibus qui beati uelint eſſe meditandũ eſt in lege domini. Legant & idiotæ legem domini,quacunq; lingua, legãt & Scythæ,meditentur in ea pro ſua uirili. Scrutentur pro ſuo quiſq; captu, de hac inter ſe confabulẽtur, de hac colloquantur. Qualis uir,talis oratio: immo tales reddimur,qualis eſt noſtra quotidiana cõfabulatio. Si Chriſtiani ſumus,de Chriſto ſit noſtra cõfabulatio. Si nihil niſi de mũdo loquimur,mundani ſimus oportet. At nũc ſunt qui ſummopere cauendũ putant,ne quid uulgus attingat de literis ſacris,in popularem uerſis linguam, clamant eos nihil intelligere,prolabi in hæreſes. Quaſi uero ea ſit doctrina Chriſti,ut non niſi à paucis theologis poſsit intelligi. Imo ut ipſo Chriſto nihil fuit communius, ita doctrina illius nihil popularius. Legat arator, erit quo paſcatur: legat eruditiſsimus,erit quod diſcat. Poſtremo non tam ingenio quàm pietate percipiuntur. Spiritus eas docet,non Ariſtoteles: gratia, non ratio: afflatus, non ſyllogiſmus. Si myſtici ſenſus cognitio, diuini ſpiritus munere contingit, quod Paulus prophetiæ donum appellat,cur plebem Chriſtianã uniuerſam ab huius muneris cõſortio ſecludimus? An non poteſt Chriſti ſpiritus impertire ſemetipſum cui uelit? Imo in quem potius ſolet deſcendere, quàm in humilem & manſuetum? Non in falſa ſcientiæ perſuaſione turgidum ac ferocem: non in fidentem ſophiſticis captiunculis, non in Ariſtotelicis ratiunculis inflatum. Chriſtus ipſe gratias agit patri,quod cœleſtis ſapientiæ myſteriũ abſconderit à ſapientibus, & reuelarit paruulis. Habet,mihi crede, diuinus ille ſpiritus ſuum faſtidium,habet ſuas delicias. Nec adduci poſſum, ut credam eum dignari quenquam cõmunione ſui,qui tot prophanis diſciplinis,qui tot Ariſtotelicis ſyllogiſmis, qui tot gentilium philoſophorum decretis,immo qui harum rerum nõ cognitione ſed falſiſſima ſcientiæ perſuaſione fretus,irreuerenter ac cõfidenter ad arcanarum literarum adita acceſſerit. Verum enimuero uereor, ne iſti qui uelint populum nihil attingere, non tam periculo commoueantur illorum, quàm ſui reſpectu, uidelicet ut ab iſtis ſolis, uelut ab oraculis petantur omnia. Quid hac de re ſcriptum eſt? hoc ſcriptum eſt. Quem habet ſenſum, quod ſcriptum eſt? Sic intellige, ſic ſenti, ſic loquere. Atqui iſtuc eſt bubalum eſſe, non hominem. Fortaſsis mouet & hoc nonnullos, quoniam animaduertunt diuinam ſcripturam parum quadrare ad uitam ſuam, malunt eam antiquari, aut certe neſciri, ne quid hinc iaciatur in os. Et ad humanas traditiunculas populum auocant, quas ipſi ad ſuam commoditatem probe commenti ſunt. Quid igitur fiet? Audiat populus pios doctores, hoc eſt epiſcopos, quoties dabitur. Vbi non dabitur, legendo,confabulando, quâ poſſunt meditentur in lege domini. Rurſum epiſcopi tales ſeſe ipſos reddant iugi diuinæ legis meditatione, ut ex diuinis literis habeant quod reſpondeant interroganti. [Et erit tanquam lignum.] Huc uſque recenſuit meritum beati uiri, nunc oſtendit præmium. Prius oſtendit apparatum, nunc oſtendit fructum. Vitauit concilium impiorum, non ſtetit in uia peccatorum, etiamſi in ſpeciem amœniſsima, ſpreuit cathedram peſtilentiæ, infatigabili cura exercuit ſeſe in lege diuina,nec eam uerbo tenus modo tenuit, uerum ipſa uitæ innocentia expreſsit. Quod itaque præmium? Et erit, inquit, ueluti lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Lignum arborem appellat ex ſchemate,quod Synecdochen uocant rhetores, quomodo & ferrum pro gladio dicunt: id ſi ad Chriſti perſonam referatur,hunc habebit ſenſum:

Filius

Filius dei assumet corpus humanũ, & è cœlo translatus plantabitur in terra iuxta decursus aquarum, non in sitientibus harenis, sed iuxta plenitudinẽ diuini spiritus et æternæ sapientiæ. Nam aquas accipi pro spiritu, testatur et euangelicus sermo: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autẽ dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Et iuxta alium psalmum: Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei. Non potest esse arbor frugifera, neq; perpetuo uirore læta, nisi cuius radicem huiusmodi aquarum decursus irriget, ac fœcundet. Sunt qui decursus aquarum ad populum referãt, quod legimus alibi: Aquæ multæ, populi multi: uel quod semper prolabantur in pronum, hoc est in uitia, uel quod assidue deuoluantur in mortem. Hos igitur populos ad peccata procliues, in suam radicem traxit Christus, ac traiecit in se, ut erumperẽt in fructus ecclesiarum fidelium, idq; suo tempore: nempe cum morte sua deuictis potestatibus & principatibus, tradiderat regnum patri, ac per resurrectionem & ascensionem iam illustrata gloria Christi, iam misso cœlesti spiritu, qui illos nouis dotibus armaret aduersus mundanam tum sapiẽtiam, tum potentiam. Hic erat fructus illius admirandæ arboris, ut tot hominum milia reuocata ab hoc mundo, per Christum efficerentur filij dei. Nec ullum huius foliũ defluxit, propterea quod cœlum & terra transibunt, uerba autem eius non transibunt, donec omnia fiant: & secundum Esaiam: Verbum domini manet in æternum. Verba regum sæpe defluunt, & omnis homo mendax, siue quod non perstent in sententia, siue quod aliquoties præstare non queant quod promiserunt. At diuina mens nunquam mutatur, & cum sit solus omnipotens, nihil tam arduum, quod non facile præstet, ubi uoluerit. Nec id solum, uerumetiam omnia quæcunque dixerit, aut fecerit prosperabuntur: siue quemadmodum legit Hilarius, bene dirigentur, Nam græce est κατευοδωθήσεται, quasi dicas prospero itinere succedent. Nihil non efficit Christus eorum, quæ promiserat. Mortuus est, resurrexit, ascendit, misit paracletum. Hæc feliciter successerunt, neq; dubitandum, quin cætera quoq; sit præstaturus quæ pollicitus est de supremo iudicio, de præmijs piorum, de pœnis impiorum. Ac iuxta cõmunem quidem sensum fortasse humilius uideri possit Christum arbori comparari, cum uulgo stupidos homines, ac uix homines, truncos & caudices appellemus. Verum in mysticis literis magna huius Symboli dignitas. In paradiso collocatur omne lignum specie pulchrum, & usui accommodum. Stat in medio paradisi lignum uitæ, arbor scientiæ boni & mali. Huius radix irrigatur felici illo flumine, quod in quatuor amnes dissectum irrigat faciem uniuersæ terræ. Multæ sunt arbores aspectu iucundæ, fœtu salutares & utiles, sed una est uitæ, sita non post decursus aquarum ueluti cæteræ, sed secus decursus, hoc est iuxta fontem, & caput omnium fluminum cœlestis sapientiæ. Et quodnam hoc lignum paradisi? Solomon interpretatur æternam sapientiam, quæ est ipse Christus: lignũ, inquit, est uitę omnibus amplectentibus eam. Ab hac arbore uirorem ac fructum habent cæteræ quoq; omnes. Vidit hanc arborem mysteriorũ conscius Ioannes in Apocalypsi. Et ostendit, inquiens, mihi flumen aquæ uiuæ splendidũ, tanq; crystallum, egrediens de throno dei & agni, & in medio plateæ eius, & ex utraq; parte fluminis arborem uitæ, quæ fecit fructus duodecies, singulis mensibus reddens fructum suum, & folia arboris illius sunt ad sanitatem gentium. Iuxta literam, qui potest una arbor in utraq; parte fluminis stare, nisi forte tanta, ut radice utranq; marginẽ complectatur? Verum arbor una unũ significat Christũ. Vnicus est filius, unica est sapientia, Multiplex est huius mũdi sapientia, diuina simplicissima est. Arbor autẽ uocatus est Christus iuxta mysterium assumpti corporis humani, cui plantari fuit ex uirgine nasci: irrigari, impleri diuina gratia: fructum ferre, gloria resurrectionis ad immortalitatis spem colligere fidelium multitudinem. Quin & aliàs diuina sapientia comparatur arbori, nunc cedro in Libano, nunc terebintho porrigenti ramos suos, nunc palmæ exaltatæ in Cades. E terra nascitur omnis arbos, è minimo semine ad maximã molẽ assurgit, amat irriguũ, & quod accepit in radice, reddit in fructu: multã ex se præbet cõmoditatem mortalibus: trunco licet innititi: aspectus amœnitas pascit oculos: frondes & rami late passi temperant æstum, & umbram ministrant fessis: fructus alit & saginat. Horum singula pulchre quadrant in Christum. Quin & in euangelio ipse se uitem uocat, & patrem agricolam, discipulos palmites. Rursum ubi Iudæi calumniarentur eum in nomine Beelzebub eijcere dæmonia, semetipsum arborẽ uocat: Aut facite inquiens, arborẽ bonam, & fructus eius bonos: aut fa-

aut facite arborem malam,& fructus eius malos. De fructu enim arbor cognoscitur. Fatebantur optimum esse fructum eijcere dæmonia,& tamen illud Beelzebub tribuebant, cuius fructus pessimi sint oportet, cum ipse sit pessimus. Iterum crucem baiulans, innocentiam suam sub arboris typo demonstrat: Si in uiridi, inquit, ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Lignum aridum, quoniam iam uitijs computruit, à diuinæ gratiæ succo destitutum, nec umbra gratum, nec aspectu iucundum, nec fructu commodum est, incendio destinatur. At Christus lignum fuit non syluestre, nec quouis loco temere natum, sed plantatum à patre, à quo iuxta uocem euangelicam, quicquid plantatum non fuerit eradicabitur,& in ignem mittetur,& plantatum in paradiso iuxta fontem, unde deriuantur omnia dona cœlestia. Nec otiose dictum est: dedit fructum, cum alias arbores legamus fructum facere, non dare. Non potest arbor bona fructus malos facere. Item Esaias: Expectaui ut faceret uuas, & fecit labruscas. Hæc autem dedit, non solum produxit. Alijs sui fœtus decidunt. Alijs decutiuntur, aut decerpuntur. In Christo spontaneũ & dispensationis fuit, non casus neque necessitatis, quicquid actum est. Rationalis arbor est, dedit quibus uoluit, quomodo uoluit,& in tempore suo, id est in tempore quod ipse sibi præscripserat. In tempore suo docuit regnum cœlorum. Suo tempore,& sua sponte teneri, iudicari, occidi uoluit. Suo arbitratu resurrexit, descendit ad inferos, ascendit in cœlum, misit spiritum sanctum, in quo coaluerunt per uniuersum terrarum orbem tot fidelium ecclesiæ. Verũ excutiendũ est, quo pacto quadret illud in personã Christi, quod dicitur, meditatus in lege domini die ac nocte: deinde ueluti præmiũ honestorum laborũ accepisse, iuxta similitudinem arboris frugiferæ. Nisi forte sic accipimus Christum meditatum in lege domini, quemadmodum legimus eundem apud Lucam profecisse ętate, gratia & sapientia, coram deo,& coram hominibus. Et si meditatur in lege, qui diligenter obseruat legem, nemini potius tribuendum est hoc laudis, quàm Christo, qui solus hominum nusquàm deflexit à lege domini. Ergo cum talis sit arbor, non solum fructus non gignit acerbos, aut noxios, sed ipse qui genuit, porrexit omnibus fructus suos salutiferos, è quibus adeo nihil perijt, ut nec folium ullum defluat, id est, ne uerbum quidem irritum fuerit, aut futurum sit, quod ab illo sit profectum. Horum foliorum semper uirentium umbra spem nostram alit, his animum iam æstu seculi laborantem refocillamus, certi futurum, ut omnia cætera quoq; quæ fecerit, feliciter eueniant ijs qui in illo permãserint. Illud adijciendum iuxta sensum allegoricum. Decursus aquarum non absurde posse intelligi sacrum illum amnem, quo renascimur in Christo: per hunc enim in illum transferimur, ut simus & ipsi lignum frugiferum, perpetuoque uirens. Nunc ad tropologiam redeamus. Poterat crassis aliquibus in mentem uenire, qui sibi omnibus huius uitæ uoluptatibus interdixerit, qui honores aspernatus sit, qui renunciarit omnibus affectibus, qui naturam ipsam religione uicerit, qui cum paucis sentiens, uni diuinæ legis meditationi dediderit sese, eum & insuauem quandam agere uitam,& ueluti superuacaneum hominis idolum, potius quàm hominem, nec sibi, ne alijs esse usui. Sic enim audimus & hodie loquentes quosdam in eos, qui Christianam uitam meditantur: Somnium hominis, quid agit? quid sapit? quid potest? cui prodest. Sed audi felicitatem huius contempti, audi præmiũ, quod mundus suis non potest largiri. Cum cæteri qui terrenis, fluxisq; rebus addixerunt animum,& in uitijs suis computrescunt, et miseris illis suis curis extabescunt, iamq; non solum inutiles, sed etiam pestilentes, æterno parantur incendio: interim beatus hic meus, uelut arbor iuxta profluentem in irriguo posita loco, læto quodam bene sibi conscię mẽtis famęq; illibatæ uirore, perpetuo florebit, ac felicibus gratię cœlestis incrementis indies in maius ac melius augescet, donec occurrerit in uirũ perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. Neq; uero crediderim temere dictũ lignũ, potius q̃ arborẽ ut intelligas hic laudari, non temporarias instabilium animorum herbas, quæ simul atq; tentationum ingruerit rigor, confestim emoriuntur, non arundinem uento agitatam, non fruticẽ quouis flexilem,& humi repentem, sed solidum ac firmum piæ uitæ propositum, quod tam alte actis nitatur radicibus, ut ne mortis quidem pauor hominem possit à mentis erectæ statu dimouere. Qua de causa & in Hebraicis mansionibus palmeta martyribus tribuuntur, quod hæc arbor & perpetuo uireat,& omnium sola impositio onere, sursum nitatur,& fructum ferat longe suauissimum. Lignum autem, ut dictum est, non quodlibet neq;

bet neque fortuito natum, sed plantatum. Et unde plantatum? nisi à patre agricola, qui nisi traxerit nemini licet ad Christum peruenire. Ab eo inquam plantatũ, qui Christum ipsum plantauerat, in quo nos iuxta Paulũ sumus cõplantati. Quanꝯ ut indicauit diuus Hieronymus pro שתול sathul, quod septuaginta uerterunt πεφυτευμένον. i. plantatum, Aquila uertit transplantatum. Quod ipsum belle quadrat, uel in Christum à cœlo in terram demissum, uel in nos in nouitatem uitæ per Christum perductos. Transplantatum à gentilitate ad fidem, à iudaismo ad euangelium, à litera ad spiritum, à seruitute legis ad libertatem gratiæ, à mundo ad regnum cœlorum, à uitijs ad innocentiam, ab Aegypto in terram lacte & melle manantem, à tumultu ad pacem, à seculi negotijs ad studiũ pietatis traductũ. Quod male plantatũ erat in Adam, feliciter transplantatũ est in Christo: quod erat infrugiferum natura, cœpit esse frugiferum per gratiam. Redduntur enim meliores arbores in aliud translatę solũ, cultuꝯ discunt mitescere, & syluestre exuunt ingeniũ. An nõ Paulus lignũ fuit feliciter transplantatũ, è persecutore factus Apostolus? An nõ lignũ bene transplantatum Cyprianus, ex mago martyr? An non Matthæus lignum trasplantatum, ex telona Apostolus? An non Ambrosius ex gentili iudice, sanctissimus episcopus? An non Augustinus ex inflato rhetore, doctor ecclesiæ? An non Franciscus, ex auaro negotiatore, paupertatis professor? cunqúe his innumerabiles alij an non felicissime transplantati sunt in Christum? [Secus decursus aquarum.] Transplantatum inquam, nõ in ambitionis & arrogantiæ scopulis, non in fluidis ac sine fine sitiẽtibus harenis auaritiæ, non in libidinis cœno, non in desidiæ paludibus, sed iuxta aquas, atꝯ eas quidẽ non pigras, sed decurrentes ac uiuas, quæ in cõuallibus, ac locis humilioribus manere solitæ, omnia læta quadam ubertate reddunt luxuriantia. Nihil gignit hæc humus, quod non arcano quodam alatur, ac uegetetur succo. Cæterum arboribus pomiferis plurimo opus est humore. Vnde grammaticis quoque uisum est, poma à potu dicta, quod magnam uim humoris combibant. Atꝯ hunc quidem humorem attractum undiqꝯ radix per occultissimos meatus in uniuersam transfundit arborem, donec erumpant frondes, deinde fructuũ spes flores, postremo fœtus illi gratissimi, pariter ac saluberrimi. Quod uides trũcum solidũ, et nullis etiã uentorũ turbinibus expugnabilem, quod ramos late porrectos, quod amabili frondium uirore comantem arborem, quod fragrãtissimis picturatã floribus, quod suauissimo prouentu fructuum onustam, tantã pompam, tot opes, sola radix occulto irrigata succo subministrat. Nihil est hominis mente occultius: & tamen ex hoc ceu fonte, scatent omnes illę dotes, quas in pijs uidemus hominibus. Verum ea radix diu plurimo diuinę gratię succo irrigetur oportet. Proinde qui literas profitentur Hebraicas negant esse decursus, sed פלגי palge, quod pelagus interpretantur, quæ uox propemodum ualeat, quasi dicas gurgitem, & immensam aquarum profunditatem. Nam nostræ quidem arbores non raro fit ut immodica humoris copia suffocẽtur. At rationalis arbor, quã hic describit propheta, quo copiosius expletur ac proluitur à cœlesti illo fluuio, qui lætificat ciuitatem dei, hoc lætior ac magis frugifera redditur. In Christum totus hic fluuius inundauit, ideoꝯ & floruit felicissime, & copiosissimum attulit fructũ. Largiter hinc hauserat Paulus Apostolus, & idcirco plus fructus produxit unus, qꝯ aliquot Apostoli cæteri. Sunt mensuræ donorum spiritus. Est & modus fructuum. Omnes hinc hauriant oportet, qui cupiant uiuæ arbores esse in Christo, qui uirentes, qui floridæ, qui frugiferę. Non ex Platonicis, aut Aristotelicis literis, non è rhetorum aut poetarum libris hauritur hic succus, Ex illo fonte trahatur oportet, quem uidit Ioannes scatentem de throno dei & agni. Iam uideo quosdam esse, qui lignum interpretentur crucem Christi, flumen baptismum, quod per sacrosanctã illius mortem, & mystici lauacri munus uiuat ac uegetetur, totꝯ cœlestibus dotibus floreat ecclesia. Quapropter & eleganter in crucis laudem mysticam, hymnum canit chorus ecclesiasticus: Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis: Nulla talem sylua profert, fronde, flore, germine. Tot in uniuerso terrarum orbe Christianas ecclesias, tot martyrum agmina, tot monachorum examina, tot uirginum choros, tot confessorum turmas, tot sacramenta, tot charismata nobis hæc arbor peperit. Verum si Christum in cruce mortuum arborem accipis, & aquas decurrentes, baptismum: nimirum non aquæ fœcunditatem largiuntur arbori, sed arbor aquis. [Quod fructum suum dabit in tẽpore suo. Neꝯ enim fieri poterat ut in frugifera foret arbor, ab eo plãtata agricola, sic

cola,sic posita,sic irrigata. Vera pietas nunquàm est otiosa. Erumpit aliquando, & bonũ suum alijs quoq; cõmunicat,uel dum sancta prędicatione Christum inserit animis fideliũ & infideliũ,uel dum bono odore uitæ illectat ad studiũ pietatis. Hunc fructum parturiebat Paulus scribens ad Rom. Vt aliquẽ fructũ habeam & in uobis, quẽadmodum in cæteris gẽtibus. Et de uitæ exẽplo meminit idem: Bonus, inquiens, odor sumus deo in omni loco. Hunc fructum esuriebat Iesus, cũ ait Apostolis: Ego alium cibũ habeo manducare, quẽ uos nescitis. Hunc ardebat amatrix illa mystica, in epithalamio cũ inquit. Ascendã in palmã, & apprehendã fructus eius. Dat igitur hæc arbor fructũ, nõ solum gignit. Siquidẽ uera charitas totã sese effundit in usus alienos, aliorũ inseruit cõmodis nõ suis. Auarus sibi fructificat, sibi parit ambitiosus, sibi quærit libidinosus, sibi malus omnis fructũ adfert, si quid tamẽ adfert. Huic arbori gignere, dare est. Neq; uero quẽlibet dabit fructum. Sunt enim & arbores malæ, quarũ fructus gustatus mortẽ adfert: cuiusmodi sorborum genera quædã. Sunt rursus qui per inanẽ gloriã aliena sibi uendicant. Verũ hæc arbor suũ dabit fructum, id est uerũ ac genuinũ, qui succũ illũ radicis altorẽ odore, saporeq; referat. Si carnalis est arbor, carnales adducit fructus: sin spiritualis, spirituales fœtus ædit. Vis audire diuersarũ arborũ diuersos item fructus? Fructus, inquit, spiritus sunt, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, lõganimitas, mãsuetudo, fides, modestia, cõtinentia, castitas. Nũc cõtra malæ arboris fructus accipe. Manifesta autẽ sunt opera carnis, quę sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorũ cultus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Audis nimium fœcundam arborem, sed fructu mortifero. De fructu cognoscitur arbor, bona sit, an mala. Vt radix est mentis, ita sunt fructus operum. Si peruersis opinionibus, si malis cupiditatibus fuerit corrupta mens, huiusmodi loquitur, huiusmodi facit, cuiusmodi modo cõmemorauit Paulus. Cor tuum radix est arboris huius. E corde prodeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, blasphemiæ. Quicquid loquitur, quicquid agit impius, pestilens est, contagiosum est, uenenum est. Difficillimum est cum malis habere commercium, ut non fias deterior. Contrà piorum incessus, uultus, oratio, facta fructum habent salutarem, ut quisquis cum his egerit consuetudinem, melior indies euadat, nisi planè sit deploratus. Dabit ergo fructum, sed hoc habet cum malis arboribus commune. At suum dabit, hoc est peculiarem, & dabit in tempore suo, non quod sibi quisque præscripsit, sed quod deo uisum fuerit. Quidam maturius, quidam serius dederunt fructum suum. Sunt quorum religio iam in ipsis infantiæ crepundijs eluxit. Sunt quorum pietatem non nisi mors illustrauit. Quorum de numero est Paulus ille eremita. Prius est ardere, deinde lucere uel inflammare. Prius est succulentum esse, deinde germinare. Tu modo cura ut irrigua, ut plurimo succo uegeta sit arbor tua. Noli de fructu solicitus esse. Ipse erumpet suo tempore, cum deo uidebitur. Idem fructum eliciet suo calore, qui radicem aluit suo succo. Atque hactenus quæ dicta sunt, tametsi belle quadrant, & in omnes pios, qui ad Christi exemplum abstinent ab omnibus inquinamentis huius mundi, qui toto pectore meditantur in lege domini, ut cognoscant illius uoluntatẽ, ut faciant, non ea quæ dictat animi cupiditas, sed quæ iubet diuina lex: ac deinde secretis diuinæ gratiæ muneribus irrigati, uirent innocentia, germinant affectu charitatis, florent expectatione bonorum operum, fructum adferũt in gloriam dei, in proximorum salutem, ipsi iam quoq; deuicto Satana, iam diuites & exuberantes in Christo bonorum operum fructibus perfruuntur, bonæ conscientiæ gaudio iugiter felices: tamen aptius in ecclesiastico doctorem, hoc est episcopum, competere, mihi uidentur. Nam iuxta Paulum, præcipuum ac peculiare munus episcoporum est, docere plebem Christianam, nec docere Platonem, aut Aristotelem, aut scholasticas quęstionum argutias, sed Christi doctrinam, simplicissimi simplicissimam. Quo magis admirandum est, nonnullos huius tempestatis episcopos, hanc pulcherrimam omnium functionẽ in quosdam reijcere, quos ipsi quoq; despectui ac ludibrio habẽt, & contumelię causa fratres appellant. Nec hoc cõtenti, quod huic erat proximum, sacramentorum administrationem cõductitijs quibusdam, ac penè dixerim factitijs episcopis delegant, causarum cognitionem, & pecuniarum rationes, rem omnium sordidissimam, et uel infimis cõmittendam, sibi seruant, perinde quasi nihil aliud sit magno episcopo dignum. Videamus igitur, quibus coloribus Christi doctorem

depingat hic propheta: Beatus, inquit, ille meus & perfectus, quem erudiendo populo destinauit deus, primum nullis pestiferis opinionibus sit infectus oportet. Nam id est nō abire in cōcilio impiorum. Qui bene docebit, qui male senserit? Deinde procul esse oportet ab omni uitiorum contagio, & usqueadeo uacare culpa, ut ab omni specie quoq; mali sit alienus, hoc est adeo integrum esse, ut & famam pudeat in hunc quicq̄ mali criminis confingere. Etenim quo tandem ore insectabitur aliorum uitia, ipse uitijs obnoxius? Aut qui persuadebit alijs pietatem esse sectandam si conspexerint illius uitam cum pietate pugnare? Ad hęc, sit à mundi huius magistratibus, & secularium negotiorum functionibus liber, & expeditus. Siquidem ut in malitiosam animam non introit diuina sapientia, ita nec in occupatam. Nec purum modo requirit domicilium spiritus ille cœlestis, uerū etiā omnibus sordidis curis uacuū. Quid deinde supereſt? ut purus ab opinionibus uulgi stultis, purus à dogmatis hæreticis, purus ab omni labe mentis ac morum, purus ab omni ambitione secularium bonorū, solutus omni solicitudine negotiorū carnaliū, noctes ac dies totus uersetur in lege domini, hoc est in literis diuinis. Hanc penitus imbibat, hāc ediscat: nec ediscat solum, sed meditetur, hoc est in habitum animi, in affectus, in mores, ac uitā trańciat. Ab hac diu discat, quod postea doceat. Quid deinde futurum est? Id si fecerit meus doctor, inquit: Erit tanquam lignum plantatum iuxta decursus aquarum, quod fructum doctrinæ salutaris dabit in tempore suo. Lignum erit nullis fortunæ ludibrijs cessurum. Lignum uiuum, lignum multo gratiæ cœlestis succo irriguum, semper adhęrens sacro illi diuinarum literarum flumini, quod olim ingressus Ezechiel, miratur nō posse transuadari. Immensæ profunditatis est, cuius fundum nullum attingere potest hominis ingenium. Satis est tibi, quod inde tantum hauris, quantum licet. Et quorsum tandem euadet hoc admirabile lignum? Primū ipso innocentis uitæ uirore testabitur sese arborem esse uiuam. Deinde paulatim tacitis in Christo adolescens incrementis, explicat ramos charitatis, erumpit in gemmas, & iam nunc præ se fert, qualem fructum sit ęditurus. Mox æditis floribus, certiorem de se spem præbet. Sub hæc totus cœlestium uerborum frondibus conuestitur. Postremo fructum ædit. Nec enim foliorum uirore inanem modo fructus spem præbet intuentibus: quemadmodum ficus illa, cui in euangelio maledixit Iesus, allexerat esurientem frondibus suis, at fructum non dedit. Huiusmodi ficus, sunt doctores quidam, qui uerba pietatis habent, qui titulum, qui cultum pietatis habent, à fructu ueræ pietatis alieni. Super cathedram Mosi sederunt, quæ dicunt, facite: quæ faciunt, ea nolite facere. Oratione docent pietatem, moribus dedocent pietatem. Si professionis titulum audias, si uestitum inspicias, si loquentem auscultes, nouum quendam pietatis fructū expectes. Sin uitam ipsam excutias, deprehendis tibi uerba data, & iuxta Græcorum prouerbium, expectato thesauro, carbones offendis. His arboribus potissimum indignatur Christus, qui speciem pietatis ostentant, à pietatis operibus alieni, qui docent non furandum, & tamen furantur: qui docent non adulterandū, & tamen adulterātur: qui execrantur idolum, & tamen ipsi sacrilegium committunt. Ficus illa, de qua modo diximus, fructum suauissimum, Christoq; longè gratissimum procul intuenti pollicebatur, propius intuentē frustrata est. Non maledixit rubo, unde nemo fructū expectat: non male dixit salici, quæ nullum promittit fructum, ut ipso genere sterilis. Ficui male dixit, quę et ipso nomine, & foliorum luxuria, fructus spem facit, & fructus omnium gratissimi. Episcopi nomen audio, ficum audio. Ornatum episcopalem uideo, nimirū folia cōspicor: ad fructum accurro. Quid reperio? longè aliud cū quod titulus & insignia promiserant. Aleatorem reperio, scortatorem reperio, potorem reperio, populi prædonem reperio, bellatorem & satrapā reperio. Quàm credis excandescere Christum, ubi sic deluditur? Hos Paulus appellat parietes dealbatos, & Christus sepulchra dealbata, foris nitidos, intus uitijs corruptos. Folia sunt igitur, quæcunq; ad cæremonias, & speciem pietatis attinēt. Quod si maluis folia doctrinam pietatis interpretari, fortasse nonnullos reperies episcopos, quibus nec frondes sint ullæ, sed uelut arbores aridæ, ueterum tantum episcoporum titulos, tanquam anathemata quæpiam sustinent. Si de uenatu, si de re equestri, si de militia, si de cēsu sermo, mira facundia: si de Christo, uidentur subito in alium translati mundum. Sed ad nostram arborem redeamus, quæ fructum dat, hoc est, non sibi discit diuinas literas, sed alijs quoq; libenter communicat: & dat, non effundit. Dispensat uerbum diuinum.

Nouit

Nouit quando, quibus, & quomodo loquendum. Alius eget cõsolatione, alius exhortatione, alius obiurgatione, alius admonitione, alius doctrina: ut cuiq; uiderit expedire, ita dispensat uerbi diuini munus. Nam id demũ est dare. Dat autẽ & suum fructum, & in suo tẽpore. Quid est suum fructũ? Quid habemus, quod nõ acceperimus? Et quomodo nostrũ est, quod alterius beneficio cõtigit? Verũ hic nostrũ uocat, non quod nobis sit asscribendum, sed quod alienũ non sit. Nam uirtutes ita deo ferimus acceptas, ut nihilominus nostræ sint. Non dat fructũ suum, qui uerba recitat populo, quę ipse nec amat, nec sequitur. Aliena sunt quæ docẽt huiusmodi, quæ ritu canalis in ortum transfundunt frugiferũ ipsi steriles. Non è radice tua prodijt iste fructus. Ficus mihi porrigis, non in tua natas arbore, sed aliunde decerptas. Qui penitus hoc amat, quod docet, qui uultu, qui moribus exprimit, quod præcipit, is deniq; suũ dat fructum. Qui flammam quam animo cõcepit, in alios oratione transfundit, suum dat fructũ. Fortasis hic locus nõ nihil pertinet ad sacerdotes quosdam, uel parum attentos, uel parũ eruditos, qui sacros psalmos sedulo recitant non intellectos. Hi nimirũ folia duntaxat ostentant, fructu uacant. An nõ idem hoc palam testatus est Paulus, scribens Corinthijs? Nam si orem, inquit, spiritus quidẽ meus orat, mens autẽ mea sine fructu est. Qui recitat uerba sacra, eaq; fidelibus, aut etiam infidelibus interpretatur, uel ad doctrinam, uel ad exhortationẽ, uel ad consolationem, is fructum suum dat. Non dedit fructum suum uitis illa, de qua per prophetam questus est deus: Expectaui ut faceret uuas, & fecit labruscas. Proprius hominis fructus est, bene mereri de omnibus, quippe qui nõ sibi natus sit, sed patriæ, sed amicis. Cum hominem audio, hoc est animal placidum, cum Christianum audio, ex uitis folijs expecto beneficentiam, expecto pietatis officium. At cum uideo quadruplatorem, bellatorem, calumniatorem, fraudatorẽ, labruscas offendi pro uuis. Nec otiosa sunt huius arboris folia, quæ Ioannes in Apocalypsi scripsit deputata ad sanitatẽ gentibus. Prębent umbram gratissimã ei, quę dixit: Sub umbra illius quem desyderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Fructus ipsos conuestiunt atq; cõmuniunt, & ab æstus simul atq; hymbriũ iniuria defendũt. Vnde stultissime crassuli quidam loquendi curam in totũ negligunt: Quid mihi cum uerbis, inquiunt, si de re constat? Primum qui percipies sententiã, nisi cognita sermonis proprietate? Deinde si lingua discenda est, nõ paulo procliuius est unam aut duas linguas eleganter perdiscere, cũ tot species solœcissandi? Vnica est lingua emendata, paucis annis perdisci potest. At corrupti sermonis mille sunt discrimina. Postremo permultum refert, quibus uerbis bonam efferas sententiã. Aliud uerbum alio splendidius, aliud alio significantius, aliud alio ardentius, aliud alio iucundius. Neq; minus est momenti in schematis uerborum & sententiarũ. Hinc fieri uidemus, ut eædem res, quas ueteres cũ summa uerborum maiestate, ac decore explicarunt, sic ut mire afficiant auditorum animos, recẽtiorum explicatæ uerbis frigeant, iaceant, sordeant, ut prorsus neges easdem esse. Cuius rei si quis forte requirit exemplum, cõmodum occurrit illud: Petrus sedit in Antiochia & Romæ, Paulus conuertit Græciam. Nonne plurimum gratiæ simul et dignitatis addidit huic sententiæ, qui schematibus ad hũc modum picturauit? Antiochus & Remus concedunt tibi Petre regni solium, Tyrannidem tu Paule Alexandrinam inuasisti Græciã. At quanto iam putidiora reddũtur ista, quoties barbaris, sordidis, factitijs, immo prodigiosis uerbis non explicantur, sed inuoluuntur? Neque uero hæc dixerim, quod rhetoricis flosculis uelim lasciuire doctorem ecclesiasticum. Non postulo ut adsunt deliciæ. At rursum non fero sordes. Nolim Christi doctrinam eloquentiæ lenocinio corrumpi. At contrà nolim eandem uerborum & figurarum sordibus pollui. Dabit igitur unà cũ optimis folijs fructum optimum, ut dicere possit cum propheta: Dedit mihi dominus linguã eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est uerbo. Et iuxta Hieremiam dicet: Dedit dominus uerba sua in ore meo, ut euellam & destruam & dissipem, et ædificẽ & plantem. Dabit autẽ in tempore suo. Sunt qui ante legitimum tempus suscipiant docendi munus, & docere conantur alios, quod ipsi nondum didicerunt. Atqui solet arborem breui emorituram arguere fœtus præproperus. Proinde nostra arbor, ubi diu combiberit diuinæ gratiæ liquorem, ubi secretis tandem auctibus adoleuerit, ac diutinis incrementis cõfirmata constiterit: ubi uocatus fuerit tanq; Aaron, ubi modis omnibus ad pulcherrimũ munus fuerit instructus, tum demũ alios docendi, monendi, castigandiq; partes suscipiet.

Nec ingeret ſeſe,ueluti faciũt quidam,qui doctores præſtare conantur,cũ nondũ fuerint diſcipuli:& in alios arrogant imperium,priuſq; ipſi parere nouerint:lucere uolũt,anteq; ferueant,inflammare alios,cum ipſi frigeant. [Et folium eius non defluet.] Arborum pleriſq; folia decidunt ſub brumam,cũ tamẽ ipſæ non prorſus emoriantur. Aliis folia nunq; decidunt,ueluti palmæ & ſpino arbori,item & lauro. Nonnullis perpetuæ ſunt frondes, perpetui item fructus,ueluti arbori medicę. Hæc autem arbor iuxta prophetiam Ioannis duodecies,hoc eſt ſingulis menſibus,fructum ſuum reddit: neq; ſolum non nudatur frondibus,uerum ne folium quidem defluit. Aut enim per hypallagen folium poſitũ eſt pro foliis,aut ἐμφατικῶς dictum eſt,perinde quaſi dicas ne folium quidem, ut reſpõdeat ad illud euangelicum: Veſtri autem ne pilus quidem capitis peribit. Non conuenit,ut Chriſtianus doctor ullum uerbum effutiat uel ſtultũ,uel falſum,uel inutile. Nunq; taceat,ſemper tinniat cum Aaron,ſed omnis oratio doceat pietatem, & Chriſtum ſonet,non mundum. At qui tandẽ ſunt iſti,quibus folia ſubinde decidunt? Qui nonnunq; libere loquuntur, & Chriſtum audent profiteri, mox metuentes ne principem offendant, ne loco moueantur,uerba Chriſti uel ſupprimunt, uel in gratiam hominum adulterant. Niſi mauis ad uniuerſos referre,qui Chriſtum non toto ſequũtur pectore,ſed ſeipſos deo,mundoq;, uelut ex æquo partiuntur,ac nunc uelut aſpirante diuini numinis Fauonio,frondeſcunt: nunc ediuerſo diſtrahentibus huius mundi curis aut ſæuiente fortunæ procella,laugueſcunt,ac uelut emoriuntur. Verum qui fortiter repudiatis omnibus,totum animũ Chriſto conſecrarit,is palmæ in morem nullis iniurijs offendi poterit. Sæuiant calumniatorũ Aquilones,ingruat hyems malorum,nunquàm tamẽ bonæ mentis uirorem intermittit. Et adeo nõ emoritur,ut nec folium amittat. Sunt qui fructum arboris hoc loco pręmium, q; opera malint interpretari. Nam utroq; in ſenſu fructus uocabulum uſurpant diuinæ literæ. Chriſtus ipſa facta fructus uocat,cum ait: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. At Paulus,cum ſcribit: Quem igitur fructum tunc habebatis in ijs, in quibus nunc erubeſcitis:utiq; fructum præmium appellat. Quanquàm aliquoties eadem facta, ſimul & opera ſunt,& præmia. Sic enim Paulus ad Romanos ſcribens de his,qui ſpreto deo, traditi eſſent in reprobum ſenſum,ut fœdiſsimis libidinibus maſculus exardeſceret in maſculum, fœmina in fœminam. Et mercedem,inquit,quam oportuit in ſemetipſis recipiẽtes: mercedem appellat turpia facta, ſed quibus rurſum ſua debeatur merces. Hæc cogniti,ſed contempti dei præmia ſunt,& eorundem præmium erit ignis æternus. Quemadmodum eleganter annotauit Origenes. Neq; ſecus euenit in pijs factis, atq; in turpibus. Quædam opera tam cœleſtia ſunt, ut aliorum operum præmiũ iure dici poſsint. Quanquam haud ſum neſcius, hoc à quibuſdam non ad huius uitæ felicitatem, ſed ad futura præmia referri,ut hic meditemur in lege,à uitijs temperãtes,in reſurrectione perpetuo uirore ueſtiamur,cum profligatis omnibus huius uitę malis,iugi felicitate fruemur cum eo,in quẽ inſiti ſumus per baptiſmum, & per piæ uitæ ſtudium. Verum quemadmodum illa prophetæ uerba:quæ oculus nõ uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt,quæ præparaſti deus diligentibus te:non ſolũ ad immortalitatis gloriam referuntur,uerũ etiã ad huius uitæ felicitatẽ,quam homines pij,uelut arram interim, ac pignus accipiunt immortalitatis ſecuturę,Ita hic quoq; locus ad ſanctorum floridam ac tranquillam uitã pertinere poteſt. Habet hic quoq; ſuum uirorem innocentia,habet florem, habet fructũ. Sanctorum enim,uelut aquilæ,iuuentus renouabitur,& florent ut lilium in conſpectu domini. Et iuſtus ut palma florebit. Præſtat hoc integritas,& innocentis animi puritas, tranquillitasq;,&(quemadmodum ait ille)iuge cõuiuium,ut corpus etiam ipſum,propemodum expers ſenij,continuo nitore uernet,quaſi iam nunc meditans eſſe,quod mox futurum eſt,nempe ſpirituale,cœleſte,& ab omni carie,corruptione,ſenioq; alienũ. Quemadmodum enim diuinus ſpiritus,noſtrum inhabitans ſpiritũ,in eum redundat,& ut eſt potentior,eũ in ſeſe ueluti trãsformat:ita noſter ſpiritus immutatus redundat in corpus,domicilium utiq; ſuum,idq; quoad licet in ſeſe transformat. Hinc illa uirginum ſenecta uirens,quam in nõnullis uidemus,& quã diuus Hieronymus admiratur in Paulo Concordienſi iuuenili quadam florulentia ſemper uernans. Hinc illa in uultu quoq; relucens innoxiæ mentis alacritas. Maximam & morborum,et ſenij partem uitijs debemus potius, quàm naturæ. Et ne quis admiretur hæc,uidemus in defunctis etiam ſanctis huiuſmodi

corporis

corporis habitum durare. Magnam audisti beati felicitatem, sed audi etiam, quem cumulum adijciat. [Et omnia quæcunq; faciet prosperabuntur.] Hæc certe uerba palàm est ad huius uitæ statum pertinere, uel reclamante Hieronymo, qui putat ad neminem sanctorum accommodari posse in hac uita. Quid enim illic faciemus, in quo prosperitate sit opus? Atque ut obiter de allegoria nonnihil attingam, quàm infeliciter cessit nobis Euæ primæ parentis uoluptas? Quàm infeliciter Adæ parentis obsequium? Quàm non prospere cecidit, quicquid promisit serpẽs ille? At è regione, omnia Christi nobis felicissime cesserunt. Felix natiuitas, felices labores, felix doctrina, felix mors, felix resurrectio, felix ascensio, felix diuini spiritus missio. Felix ecclesiarũ coniunctio, felices martyrũ uictimæ. Felix erit pijs & iudicium illud extremum mũdi. Iam ad eundem modum qui in Christo sunt, quid his siniſtri potest accidere? Quicquid agunt, ducem habent deum, & eundem fortunatorẽ, Fui, inquit, tecum in omnibus ubicũq; ambulasti. Et cum ipso sum, inquit, in tribulatione. Quid ni prospere cedat, quod dei geritur auspicijs? Atq; ut magis etiam intelligas, quanta sit huius beati securitas, mala quoq; ipsa, prosperãte deo, uertuntur huic in cumulum felicitatis. Quicquid agit impius, impium est, etiam si rem alioqui piam egerit. Siniſtris enim auspicijs geritur. Quicquid acciderit impio, seu lætum, seu triste, id omne cedit in alimoniam impietatis. Contrà quicquid pijs obtigerit, uertitur in occasionem pietatis. Ausim dicere, etiam si quando cõtigerit prolabi in culpam. Quando quidẽ hoc quoq; deus nonnunq; occulto consilio sinit euenire suis, uidelicet ut correcti amentferuidius, caueant circunspectius, alijs ignoscant facilius, succurrant officiosius. Quid multis? Adeo non peccat charitas, iuxta Paulum, ut etiam peccans non peccet. Quid igitur mirum si cætera prosperentur omnia, cum id quoq; prospere cedat, quod unum infelicem reddere potuit Christianum? Si quid prosperũ acciderit uiro bono, agit gratias, exercet benignitatem. Si quid aduersum, exercet patientiam, erigitur ad futuræ uitæ cõtemplationem. Cum impius interim & secunda fortuna fiat insolentior, fiat ad fœdas uoluptates propensior, & aduersa fractus ad desperationẽ abijciat sese: usq; adeo diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Quid autem non felix homini pie uiuẽti, cum ipsa quoq; mors, qua nihil accidere potest tristius, huic sit & prosperrima, & præ cæteris exoptata? Prosperabuntur autem, siue ut legit Hilarius, bene dirigentur. A quo? A quo, nisi ab eo, qui cum sit ipse summe bonus, maxima quoq; mala in summum bonum uertit suis. Nec usq; adest præsentior, magisq; dexter, q̃ in afflictionibus, & huius mundi procellis. Cum atrocissime sæuit persecutor, tum ille copiosissime cœlestem indulget unctionem [Non sic impij non sic.] Hactenus proposuit absolutam beati uiri formã, ad quam enitamur. Nunc quo plenius nos doceat, depingit lõge diuersum impij simulachrum. Probi doctoris est, non solum docere quæ recta sunt, uerum etiam dedocere quæ praua: nec tantum ostendere quid sit imitandum, uerum etiã à quo sit fugiendũ: uelut si quis boni principis exemplar ubi depinxerit, huic tyranni opponat imaginem, quo geminũ animo calcar subijciat, dum hinc inflammatur honesti specie, hinc à diuersa figura resilit. Fit interim sæpius, ut acrius etiam inflammemur, apte proposita turpitudinis imagine, q̃ ipso honesto: ut quosdam uehementius exstimulat ignominiæ metus, quàm gloriæ cupiditas. [Non sic impij non sic.] Ea conduplicatio nec apud Septuaginta nec apud Hebræos habetur, sed duntaxat. Non sic impij. Hieronymus in uno duntaxat uolumine sic testatur reperisse se, idq; in Cæsariensi bibliotheca, in hexaplois Origenis. Verum non absurde uidetur additum à nescio quo, dum ἐμφατικώτερον longe diuersissimam pij, & impij conditionem conatur exprimere. Quid enim simile tali arbori, qualem modo depinxit, ad pulusculum uento iactatum? Vbi nunc sunt isti qui regum suspiciunt felicitatem, & aliquid homine maius imaginantur? Vbi sunt, qui diuites huius seculi rebus ac uoluptatibus affluentes, admirantur? Vbi sunt qui magistratibus, & cum strepitu uiuentibus inuident? Ipsi sese semideos esse putant, uulgus ut numina quædã ueneratur. Alius applaudit, adgratulatur ut felicibus, alius inuidet. Valeat popularis existimatio. Audi quid de istis sentiat qui uere iudicat: uniuersam istorum felicitatem pulueri uilissimo comparat. Qui exciderunt à Christo, & uitæ præsidium non in solidis, & æternis rebus collocarunt, sed cõfidunt in rebus nihili, iuxta scripturæ testimonium, & in commoditatibus falsis, fluxis, caducis, ac momentaneis felicitatem posuerunt, ij nimirũ longissime absunt ab huius ar-

boris imagine, sed aridi pulueris in morem. Quippe nullo diuini spiritus imbuti succo, & non tantum ipsi steriles & infœcundi, uerum etiam alijs molesti ac pestilentes, negotium facessunt ijs, qui pietatis ambulant uiam. Illis uelut in oculos obuij, obstrepũt, obturbant, occlamãt. Quid puluere uilius? quid conculcatius? quid uicinius nihilo? Et tamẽ quasi parum fuerit dixisse puluerem, addit. [Quem proijcit uentus.] Fimi quoque quo nihil est proiectius, tamen nonnullus inuenitur usus. Conducit stercorandis agris. At pulueris per aerem uolitantis, quod pretium, aut quæ utilitas? Et hoc quoq; loco uidentur interpretes nonnihil addidisse uerborum de suo. Quod aliquoties & alibi faciunt, uelut in eo psalmo: Deus deus meus respice in me. Vt quid me dereliquisti? Hęc uerba, respice in me, quæ apud Hebræos non habentur, de suo adiecerunt. Quanq; hoc ad sententiam non ita multum habet momenti. Illud propius ad rem pertinet, quod hebraicã dictionem כְּמוֹץ Kamoz, quam Septuaginta χνοῦν, hoc est puluerem interpretati sunt, quidam autumãt apud illos magis sonare quisquilias, seu siliquas, & puluerem, hoc est, nescio quid cõtemptissimũ quod dissilit ex paleis aut siliquis excussis, & raptatur per aerem. Etiamsi utraque lectio probe quadrat. Etenim si puluerem legis, respondet ad illud dei comminantis impijs: Comminuam eos ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum delebo eos. Sin mauis siliquas, aut simile quippiam, magis quadrat ad arboris frugiferæ similitudinẽ. Quid enim inanius siliqua? aut quid sterilius? aut quid proiectius? Et hæc quanquam, ut dixi, ad futuram impiorum pœnam pertinere possunt, tamen nos ad hanc uitam referre malumus. Vbi deest studium uitæ immortalis, ubi rerum fluxarum cupiditatibus ἄγεται καὶ φέρεται animus, nec est fixus in solida petra Christo, is non modo frigidissimis huius uitæ curis contabescit, uerum etiam à diuersis affectibus modo huc, modo illuc distrahitur. Siquidem uenti & in horas mutantur, & ipsi inter sese non raro pugnantes. Quod autem hisce uentis est siliqua, hoc est affectibus mũdani hominis animus impius, cũ nunc hoc appetit, nunc illud, nunc amat, nunc odit, nunc fauet, nunc inuidet, nunc timet, nunc sperat, nunc exultat, nũc discruciatur: immo cum ipse secum totus fluctuat atq; æstuat, cũ aliud suadet libido, aliud auaritia, aliò uocat odium, aliò pertrahit ambitio, aliud imperat amor, aliud dictat pudor: postremo cum utcunq; rerum humanarum est æstus, ita subito fit alius, nullo tempore sibi constans, neq; tranquillus, quæso quid aliud est, & siliqua uentorum arbitrio iactata? An non uidentur ad hanc imaginem pertinere stulti quidam principes, qui tantis rerum commutationibus orbem concutiunt? Nunc armis conflictantur, nunc affinitatibus conglutinantur. Aliquando bellum, mox fœdera, nec ea diu duratura. Nunc paciscuntur, quod mox rescindant, nullis certis consilijs, quæ nulli possunt esse, nisi qui scopum sibi proposuerit Christum, sed aliunde aliò se uoluunt, & nusq; consistunt, nec fugiunt malum, sed mutant. Pius animus ad unum illud attentus est, uno hoc metitur omnia, in hoc fixus est. Quod si rerum humanarum necessitas nonnihil perturbat animos piorum, habent cauernas suas, quò sese receptent, habent illius petræ foramina, in quibus conquiescant. Impijs nihil est in quo consistant, sed toti hærent, quod aiunt, in aqua. Perspeximus uitæ statum longe diuersum piorum & impiorum, nunc exitum item admodum disparem contemplemur. Ideo inquit: [Non resurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in concilio iustorum.] Non me præterit alios hunc locum ad extremum illud mundi iudicium referre. Verum ea sententia paulisper dilata, quid nobis iuxta sensum humiliorem uideatur, indicabimus, mox ad illa sublimiora uẽturi. Hunc paulò ante bonæ arboris fructum appellarat, ut diu meditatus in lege domini, uir pius postea uersaretur in publica functione, & quod priuatim apud se collegisset, id in publicã expromeret utilitatem. Atqui hoc ipsum cum maxime ambiant, non contingit impijs. Quis enim locus impijs in publici muneris functione, qui & uitijs omnibus sint obnoxij: nec sapientem didicerint ex lege domini? Atque hæc duo potissimum requiruntur in magistratu, ut ipse uacet crimine, qui aliorum punit crimina, ut sapiat, quo possit dispicere, quid expediat in commune. Non surgunt igitur, nam sic hebraica ueritas potius habet & resurgunt, est enim יָקוּמוּ ia Kumu in iudicio, assurgebant enim olim in consilijs dicturi. Proinde perinde dictum est, non surgunt in iudicio, quasi dicas: non est illis locus in iudicio. [Neq; peccatores in consilio iustorum,] ut intelligas eandem sententiam commutatis tantum uerbis repetitam. Nam si quis obseruarit, comperiet in diuinæ scripturæ

sententijs

ſententijs hanc uarietatem,ut aliquando nouatis uerbis idem ſenſus accinatur,aliquoties affinis,nonnunquam contrarius. Quas ſchematum formas uidemus adhuc & in ethnicorum poetarum bucolicis carminibus extare. Eiuſdem repetitę ſententiæ,hoc ſit exemplũ: Os iuſti meditabitur ſapiẽtiam,& lingua eius loquetur iudicium. Item: Pedes eius deſcendunt in mortem,& ad inferos greſſus eius penetrant. Affinis redditæ, hoc: Conſerua fili mi præcepta patris tui,& ne dimittas legem matris tuæ. Contrariæ, cuius generis meminit & Quintilianus,ſit hoc: Aſtutus omnia agit cum conſilio,qui autem fatuus eſt,aperit ſtultitiã. Si parabolas Salomonis,ſi Eccleſiaſtici & Eccleſiaſtæ ſentẽtias euolueris,ſi pſalmos,ſi Cantica,& omnem ueteris ac noui teſtamẽti ſcripturam,in qua ſuo more ſpiritus ſanctus poeticis numeris modulatur, reperies his tribus formis uariari fermè omnia. Sed nullum genus frequentius,quàm illud quo ſenſus idem alijs uerbis accinitur. Vnde fortaſſis non magnopere refert in his quæ ad eundem pertinent ſenſum,anxia diligentia uocum diſcrimina quærere. Quos uocauit impios,mox uocat peccatores. Quod modo dixit in iudicio,nunc appellat in conſilio iuſtorum. Nam & grauiſſima iudicia cõcilium habebant,uelut apud Græcos Amphictyonum, & Areopagitarum. In his igitur publicis functionibus,quæ uirum deſiderant integrum & incorruptum,nec integrum modo, uerumetiam ſapientem,& diu meditatum in lege domini, quæ ſola ueram ſapientiam præſtat paruulis,non ſurgunt impij,nec in cõcilio iuſtorum. Vis planius diſcere,quod hic negat impijs,alibi tributum eſſe iuſtis? In medio,inquit,eccleſiæ aperuit os eius. Et rurſum: In medio populi exaltabitur. Et iterum de Moſe: Glorificauit illum in conſpectu regum, & iuſſit illi corã populo ſuo: aliaq; huius generis innumera. Ex quibus palàm eſt, hoc honoris integris & cordatis uiris deberi,ut publicis & honoratis conſeſſibus intersint,à quibus impij & ſtulti procul arcendi ſunt,qui nec conſulere poſſint ob ſtultitiam, nec uelint ob animum affectibus corruptum. Quod ſi quando ingrediatur impius in cõſilium iuſtorum,non tamen ſurgit,quippe non audiendus. Legimus enim in humanis hiſtorijs, cum uir quiſpiam improbus ſententiam in concione dixiſſet grauem & reip. ſalutarem,magiſtratum iuſſiſſe,ut eadem ſentẽtia ab alio quodam uiro probo pronunciaretur. Vſq; adeo putabant illi in conſilijs non audiendum uirum malum,ut etiamſi quid optime dixerit,ſit ob autoris turpitudinem reijciendum. An non idem ſtomachatur diuinus ille ſpiritus in alio quodam pſalmo? Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras iuſtitias meas,& aſſumis teſtamentum meum per os tuũ? Pura tractanda ſunt à puris,ſacra à ſacris. Quàm indecorum,ut uitiorum oblitus cœno, doctrinam euangelicam populo prædicet? Chriſtus in euangelio,ne laudes quidem ſuas,easq; ueras à dæmone uult audire: Obmutesce, inquit,ſpiritus. Illud paucis annotandum, hanc uocem ideo utrolibet poſſe referri, uel ad ea quæ præceſſerunt,uel ad ea quę conſequuntur: Quare non ſurgunt impij in iudicio,in quo ſedent pij? Quoniam hi ſunt arbores frugiferæ,illi puluis inutilis,ſiue quiſquiliæ. Iam enim pendent à ſuperioribus. Aut quare non ſurgunt in iudicio,cum illi ſurgant? [Quoniam iuſtorum uiam nouit dominus,& impiorum uiam diſperdet.] Deo noſſe eſt approbare piorum conſilia: quoniam ex lege dei ſumpta ſunt,deus agnoſcit & approbat, & ob id non pereunt,quia ueritate nixa ſunt,& feliciter cedunt,nimirum auſpice deo. At impiorum cõſilia, quoniam uel à ſtultitia,uel à prauis affectibus proficiſcuntur,nec approbantur à deo,nec feliciter cedunt,immo diſperduntur,nimirũ improbante deo. Habent enim & impij ſua conſilia,in quæ beatus noſter non dignatur ingredi. Habent pij ſua cõſilia, in quibus non audiuntur impij,nihil enim inter hos conuenit. Pij ſpectãt Chriſtum,hi mundum,pij cœlum, impij terrã. Pij perpẽdunt,quid Chriſti lex dictet,impij quid dictet ambitio,quid auaritia,quid gula. Iã uero quibus omnes uitæ rationes ſic ἐκ διαμέτρου, quod dici ſolet,inter ſe pugnant,qui conuenire poterit in dicendis ſententijs,aut ferendis ſuffragijs? Simplex eſt quod rectum eſt,in quo facile conſentiunt boni. At multiplex eſt,à recto deflectentium error. Hinc eſt illa in malorum conſilijs tam inſana digladiatio,tanta ſuffragiorum pugna. Ac ſæpe fit,ut quod ingenti molimine,tãquam perpetuo duraturum conſtituerint,prius diſſipetur quàm fuerit incœptum. Hominum conſilia lubrica ſunt,ſolum autem conſilium domini manet inæternum. Vt habent impij ſuum conſilium,ita habent & ſuam ſapientiam, ſed animalem, quam Iacobus diabolicã appellat. At quid de hac cõminatur deus per prophetã? Perdam, inquit, ſapientiam ſapientum, & prudentium prudentiam

dentiam reprobabo. Quanto tumultu hoc agebatur olim à Romanis, ut illud imperium esset æternum: Quantum curarum, quantum laborum, quantũ sanguinis in eam rem impenderunt? Atqui uidemus hodie sic esse sublatum, ut uix quisquã possit Romanum hominem ostendere. Derisit deus consilium impiorum. An non idem conspicimus in conciliis principum accidere? Quàm magnifico apparatu res aliquoties peragitur? Considunt tot eximij proceres, tot legum professores, miris cęremonijs negotium agitur. Sexcentis tabulis confirmantur acta. Dicas fœdus iam æternum fore. At non raro fit, ut ex ipso fœdere mox ingens bellum exoriatur. Quid in causa? Nempe quia in consilio stultorum & impiorum transacta res. Subscripsit episcopus, subscripsit imperator, subscripsere proceres, at non subscripsit deus. Illud abominandum, ne unquam in pontificum quoque concilijs constituatur aliquid, quod mundum sapiat, & à Christi consilio sit alienum. Spirituale consilium est, in quo non conuenit duci carnis affectibus. Pessimus consiliarius est affectus carnalis, & ad impiorum consilium pertinet. Quæ spiritus suasit, ea demum æterna sunt. Intellexit hoc sapiens ille Pauli præceptor Gamaliel: Sinite, inquit, illos. Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur. Si uero ex deo est, non poteritis dissoluere. Dissolutum fuit consilium Theodæ, dissolutum consiliũ Iudæ. At Apostolorum consilium, quot pontifices, quot reges, quot prefecti conati sunt opprimere carceribus, supplicijs, morte, imò exquisitissimis mortis generibus? Adeo nihil profecerunt, ut auxerit etiam euangelij gloriam illorum immanitas. Nihil æternũ esse potest, nisi quod approbauerit is qui finem nõ habet. Qui turrim Babel extruxerant, rem æternam moliebantur. Verum confusis linguis dissipauit deus consiliũ impiorum. Quot reges, admirandis pyramidibus erectis, idem conati sunt? & horum cõsilium irrisit deus. Soli pij quod uolunt assequuntur. Quippe qui ea uia ad id contendunt, quam nouit dominus. In hac præcedit suos, autor & idem fortunator eorum quæ geruntur. Impij quoniam ea uia nituntur ad id quod destinarint, quam ignorat dominus, frustrantur optatis, irritante & improbante deo quod agitur. Durum est enim aduersus stimulum calcitrare, quemadmodum audiuit Paulus, cum adhuc in consilio peccatorum sæuiret in Christianos. Huic interpretationi proximus est ille sensus. Imaginemur, ut sunt, duo concilia, quasiq; duos populos multum inter se dissidentes, piorum & impiorum: quorum alter ab Iacob oriundus, alter ab Esau, quem deus odit, cuius etiam posteritas nihil à parente degenerat. Nam odio plusquam hostili persequitur probos, hoc est uere Christianos, sed prosternit ac retundit illos deus, pusilli gregis sui certissimus defensor, & ita conterit, ut nunquam resurgant, neq; præualeant aduersus electos, quantumuis oppugnẽt, quantumuis iugulent, quantumuis lanient. Quod dixi, non tantũ ad ethnicos pertinet & Christianos, uerum multo magis ad istos nomine duntaxat Christianos, cum re sint ethnici, & hos qui uere sunt Christiani. Alioqui si nos Christiani non minus sitimus aurum quàm Turcæ, si pro hoc uno sudamus, peieramus, fraudamus, calumniamur, belligeramur, occidimus, si non minore insania mundanam ditionem nobis uel paramus, uel tuemur quàm illi, si nõ minus immo magis addicti sumus fœdis uoluptatibus quàm illi, si quicquid est carnaliũ affectuũ magis regnat inter illos, quid quæso supereſt, quod Christianos distinguat à Turcis, præter solum titulum, & pauculas quasdam cęremoniolas? Et mitius odium est Turcis in nomen Christianorum, quàm malis Christianis in uere Christianos. Huiusmodi si quem senserint, contrariũ operibus suis, in hunc conspirant, hunc opprimunt, hunc amoliuntur, ac si queant, funditus perdunt. Sed caro non potest extinguere spiritum dei. Sicut impij sunt quisquilię, uelut in nihilum redacti, ut qui desciuerint ab eo, qui dicit: Ego sum qui sum: ita cõsilium illorũ perit. Arbor succisa felicius etiam repullulascit ac fruticatur. Virtus oppressa, clarius emicat. At impius ceu puluis uento dissipatus, totus ac citra restituendi spem perit, qui & hoc quod tãtis sudoribus congessit, uel morte cogitur relinquere, & in futuro seculo à felicium animarum cœtu secluditur. Resurgunt enim & illi, cum scriptum sit: Omnes quidem resurgemus: at nõ resurgunt ad uitam, nec inter agnos, hoc est in iudicio iustorum, sed inter hædos. Quandoquidẽ opinor hunc genitiuũ ad utranq; partem esse referendum iusti. Tunc stabunt in magna constantia. Contra impij suã agnoscent insaniam, nec hiscere poterunt aduersus manifestam dei iustitiam, & irrita sua consilia seris lachrymis deplorabunt. Neq; tamen cognoscentur à domino, qui hic noluerũt cognoscere

gnoſcere. Felices illi quos deus dignatur agnoſcere. Abraham fidelem agnoſcit: Nunc cognoui quod timeas dominum. Adam peccatorem non nouit, ſed uelut de ignoto quærit: Adam ubi es? Et in euangelio Lucæ, peccatores dicẽtes: Domine domine aperi nobis, audiunt: Neſcio uos unde ſitis. Ac rurſum inſtantes: Manducauimus corã te & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti, audiẽt: Neſcio uos unde ſitis: Diſcedite à me operarij omnes iniquitatis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium, cum uideritis Abraham, Iſaac & Iacob, & omnes prophetas in regno dei, uos autem expelli foras. Sic audiunt & fatuę uirgines apud Matthæum: Neſcio uos. Ad eundem modum Paulus: Qui autem ignorat ignorabitur. Et uias quæ à dextris ſunt, nouit dominus: quæ à ſiniſtris ſunt, non nouit. Quare non nouit? quia non nouit peruerſa, qui ſuapte natura rectus eſt. Idem eſt deo uidere & noſſe. Adam non uidebat præſentem, & Nathanaelem uiderat antequam eſſet ſub ficu. Quod ſi cui libebit iuxta ſuperiorem piorum & peccatorum diſtinctionem ſcrupuloſius excutere, impij non ſurgunt in iudicio. Nam iuxta Chriſti uocem: Qui non crediderit, iam iudicatus eſt, ut cuius peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quemadmodum ſcripſit Paulus. Summã ac deploratam malitiam uocat impietatẽ. Quid opus iudicare eos, de quibus ipſa iam uita palàm flagitioſa pronunciauit? At peccatores ſurgunt quidem in conſilio, ſed non in conſilio iuſtorũ: & iudicabuntur quidem, ſed inter impios. Ergo nec pij iudicabuntur, quorum certiſſima ſalus: nec impij, quorum certa dãnatio. At de rebus ambiguis ſolet in conſilijs ac iudicijs agitari. In impios iam præceſſit iudicium, in pijs ſuperuacaneum eſt iudicium. Proinde de ſolis peccatoribus fiet cognitio. Et quos appellat peccatores? Nempe iſtos, qui ex bono, maloq; commixti ſunt. Qui fidẽ & profeſſionem habent piorum, uitam impiorum, quemadmodum facit hodie Chriſtianorum uulgus. Confitetur Chriſtum, decantat, laudat, celebrat. At omnis uitæ ratio longè à Chriſti præceptis diſſidet. Si roges num credant euãgelio: Bona uerba, inquiunt, credo maxime. Cur igitur non uiuis iuxta euangelium? iam muſſant. Si roges, an credant nos reſurrecturos: affirmant ſe toto animo credere, & tamen ita uiuunt, quaſi poſt hanc uitam nullam expectent aliam. Vident quid ſit optimum: at affectibus corrupti, ad peſſima deflectunt. Hos quoniam ancipites ſunt, & uelut ex ethnico & Chriſtiano cõflati, in conſilium uenturos ſcribit, non ut ſalui fiant cum pijs, ſed ut impijs aggregentur, & de quibus ante dubitari poterat, ad utram factionem pertinerent, conſilio palàm fiat, illos non ex titulo, neq; ceremonijs, ſed ex pietatis officijs æſtimandos. Audio cognomen Chriſtiani, uideo baptizatum, audio confitentem, uideo orantem, uideo ſacrificantem. At facta uideo parum cum his congruentia. Non audeo paganum pronunciare, nec poſſum tamen Chriſtianum. Et forte de his non uult à nobis pronunciari dominus. Seruẽtur ſuo iudicio, ſeruentur ſuo iudici. Quis enim ſi uideat prophetantem, ſi euangelizantem, ſi miracula edẽtem, ſi dæmonia eijcientem, auſit impium iudicare? At iſtos quoq; reijcit iudex in euangelio, & in ignẽ æternum abire iubet. Hoc eſt igitur iudicium, quemadmodum ait ipſe Chriſtus apud Ioannem: Quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Viderũt lucem Chriſti per fidem, at tenebras magis amplexi ſunt, & Chriſtum utcunq; diligunt peccatores, ſed illa magis diligunt, ob quorum cupiditatem à Chriſti præceptis deſciſcunt. Cupio neminẽ lædere, ſed dulcis eſt honor. Nolim fraudare, ſed uincit lucrũ. Cupio compati cum Chriſto ut conregnem, ſed auocant uoluptates. Nolim bello confligari, ſed non patet alia ad dilatandũ imperium uia. Huiuſmodi mortales omnes ſurgunt quidem in conſilio, ſed non in conſilio ſanctorum. Annotandum & illud: Non dixit perituros impios, ſed uiam impiorum: ipſi ſupererunt ad pœnam, ſed fruſtrabuntur optatis: non aſſequentur quod tanto tumultu moliebantur, imò omnia in diuerſum cedent. Ergo ſi beatiſſimum illud beati cognomen uelimus aſſequi, demus operam, ut non ſolum profeſſione, nõ ceremonijs tantum, ſed uita factisq; Chriſtum unicum beatitudinis autorem exprimamus, cui laus & gloria ſine fine. Amen.

COMMENTARII IN PSALMVM
Beatus uir &c. Finis.

Peroratio

PERORATIO.

HAbes mi Beate Rhenane xeniolum pluſquam extemporarium, nec quale tu promerebaris, ſed quale mihi tum pro temporis ratione parare licuit. Sed heus tu. Caue putes me paſſurum, ut gratis hoc auferas. In alijs ſanè pulchrũ ſit non meminiſſe beneficij quod dederis. Hic ius eſt quod dederis, uel cum fœnore repoſcere, & pulchrum eſt quod acceperis, multa cumulatum uſura reponere. Præſertim, cũ plus habeat qui accipit, nec minus tamen relinquatur ei qui dat. Prorſus igitur expecto, ut quod apud Homerum Glaucus fuit Diomedi, id Eraſmo ſit Beatus. Quo beatior es, hoc tibi procliuius eſt ingentia deprom ere. Nos tenues qualiacunq; largimur, non tam ut donemus, quàm ut ad donandum prouocemus. Bene uale, & enitere ut indies magis ac magis eſſe pergas quod diceris.

DES. ERASMI ROT.

COMMENTARIVS IN PSALMVM II.

Quare fremuerunt gentes.



PRius quàm aggrediar enarrationem huius pſalmi, quemadmodum non arbitror abs re fore, ita non debet eſſe moleſtum ſtudioſo lectori, ſi pauca præfabimur: Primum de ordine eius, mox de titulo, deinde de argumento. Apud Hebræos pſalmi ordinem quidem ſuum habent, quem Eſdras illis tribuiſſe traditur, qui eandem operam præſtiterit in hymnis Hebræorum myſticis, quam Ariſtarchus præſtitit in rhapſodijs Homericarum cantionum. Cæterum quum ordo conſtet apud Hebreos & Septuaginta, quid in digerendo ſequutus ſit Eſdras non ſatis liquet, quum illud res ipſa loquatur, illum nec autorum dignitatem ætatisue rationem, nec hiſtoriæ aut argumentorum tempora ſequutum fuiſſe: nec in certos numeros, nec in uolumina digeſſiſſe pſalmos, quum ex apoſtolorum citatione conſtet, unicum eſſe uolumen pſalmorum, ſiue ut Hebræi uocant, hymnorum. Ferunt autem id, quod nec improbabile eſt, ne rurſus ordo ſemel ab Eſdra traditus confunderetur ab interpretibus Septuaginta, ſingulis pſalmis ſuum eſſe præfixum numerum. Dices mihi amice lector, ſi iſthæc ita ſe habent, quid igitur ſcrupuli eſt? aut quur iſta moues? Iam accipe. Quum extra controuerſiam ſit, pſalmum: Beatus uir, apud Hebræos, Græcos, & Latinos, ordine primum tenere locum, tamen huic, quem nunc exponendũ ſuſcepimus, tituli principatum tribuunt. Sic enim à beato Paulo citatur in Actis apoſtolicis capite decimotertio: Et nos uobis annunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc deus adimpleuit filijs ueſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in pſalmo primo ſcriptum eſt. Quanquam hic in noſtris codicibus mutata erat ſcriptura, & primus mutatus erat in ſecundum, ſed reclamantibus uno ore cunctis, qui commentarios ediderunt in pſalmos. Impiæ cuiuſdam temeritatis eſt, hac ratione mederi uelle, ſi quid aut non intelligitur nobis, aut offendit in diuinis literis. Itaq; ueteres orthodoxi, qui ſibi non permittebant tantundem iuris in eos libros, quorum oportet autoritatem omnibus inuiolabilem eſſe, uarijs modis conantur tueri ſcripturam, ut Apoſtoli citatio non pugnet cum ipſa re. Ac diuus Hilarius multa præfatus de Septuaginta ſenioribus, quibus Moſes uiua uoce tradiderit myſteria quædam legis, huc uidetur rem deducere, ut accipiamus à Septuaginta, qui myſteriorum illorum non ignari fuerint, huic pſalmo primi titulum eſſe tributum, qui pſalmos omnes apud Hebræos, etiam tum temporis indigeſtos, cõfuſoſq; redegerint in ordinem, certisq; numeris digeſſerint. Paulus autem quoniã Hebræus ex Hebræis illic agebat cum Hebræis in ipſorum ſynagoga, quo maior eſſet citantis autoritas, maluit Hebræorum ordinem ſequi, quàm Septuaginta. Quod tametſi Paulo pro re præſenti tum licuit, nobis tamen nõ arbitratur eſſe fas ab autoritate Septuaginta recedere, qui pſalmum hunc ſecundum eſſe uoluerunt, nõ primum. Non eſt conſilium anxie diſputare in re non magni

magni momẽti, sanè quod ad religionem nostram ac pietatem attinet, sed ut paucis agam cum tanti prę̃sulis pace, largiamur tantum esse tribuendum autoritati Septuaginta, quantum censet Hilarius, quam non ueritus est alicubi neglígere diuus Hieronymus, & à qua multis in locis hodie dissentit publicus usus ecclesiæ catholicæ, qui probabile est etiã Hilarij tempore psalmos apud Hebræos, nullo neq; numero, neq; ordine digestos fuisse, quũ huius rei nusquam meminerit Hieronymus, ne tum quidem, quum translationẽ Septuaginta ad Hebraicam ueritatem emendaret: Quod si fuisset, nimirum aut restituisset ordinem iuxta ueritatem Hebraicam, aut quæstus fuisset, apud Hebræos nullum esse ordinẽ. At demus interim, apud Hebræos aut nullum, aut uagum & incertum fuisse ordinẽ, quomodo Paulo dicitur primus, qui numerum non habet: id fiat non minus absurde, quàm si quis ex aceruo leguminũ primi uocabulo designaret, quod esset unũ inter ea quæ neq; numero, neq; ordine distinguerentur. Quod si Septuaginta interpretes ex recondita cognitione legis ordinem ac numerum addiderunt psalmis, qui consentaneum est, hoc latuisse Paulum in lege doctissimũ? Et si non latuit, quur non hoc potius sequitur, quod ex abstrusa legis scientia profectum esset, præsertim quum illic autoribus ac testibus synagogæ primoribus loquèretur Hebræorum populo? Proinde citius illorum sententiæ subscripserim, qui suspicantur hunc psalmum ei qui præcessit non proximum esse, sed continuum, hoc est, non alterũ ordine, sed eundem. In hac ratiocinatione colligunt, si primus dici non potest, quem præcedit alius, aut falsus est titulus, aut idem sit oportet cũ eo qui præcedit. Sed titulus, quem apud Lucã illi tribuit autoritas apostoli Pauli, mendax esse non potest: reliquum est igitur, ut hic idem sit cum superiore. Atq; huic coniecturæ non admodũ reclamat argumentum utriusq; psalmi. Si quidem in priore describitur beatus ille, qui semotus à consilijs impiorum, sola iustitia fretus, domino bene fortunante quicquid egerit, ad solidã ac perennem felicitatẽ perducitur, quum ex aduerso consilia impiorũ dissipentur, nõ ob aliud, nisi quod dominus nouit uiã iustorũ, improborum consilia nõ nouit: & ideo pereunt, quia nixa præsidijs humanis, numinis fauore destituuntur. Porrò quũ nihil ualeant humana molimina aduersus decretũ dei, tamen impij suis opibus, ingenijs, uiribus, consilijs, sceleratacq; concordia coniurati, non uerentur pertinaciter pugnare cũ deo. Hoc admirans propheta, exclamat: Quare fremuerunt gentes? Nonnullis & illud coniecturã probabilem præbuit, quod prioris psalmi principium concordat cũ alterius fine: Beatus uir, auspicatus est à beatitudine. Rursum proximũ hac clausula finit: Beati omnes qui cõfidunt in eum. Est hoc poematis genus, etiam hodie non ignotum ijs, qui uulgo rhetoricã profitentur, quo recinitur in fine sentẽtia, unde sumpseras exordiũ. Sed argutius est quod adfert Aurelius Augustinus, seu quisquis fuit, quod prior psalmus extraordinarius est, atq; extra numerum aliorum, id illius autoritati, dignitatiq; tributum esse. Quum enim in hoc sermo tribuatur deo patri, non decuit ullius hominis nomen præponi, si quid uideretur anteponi diuinæ autoritati: ac ne numero quidem conueniebat insigniri, ne si primus dictus fuisset, ordine duntaxat numeroq;, non personæ, & argumenti autoritate cæteris potior uideretur. Veluti quod uehementer eximium est, ac procul eminet, ita præfertur, ut ne numeretur quidem cum cæteris. Atqui hæc ratio probabilior esset, si constaret primum psalmum sub persona patris dici, non prophetæ: tum si hoc esset huic psalmo proprium ac peculiare, neq; commune cum alijs aliquot. Similis argutiæ est, quod adfert Hieronymus, aut si quis fuit alius, superuacaneum esse, ac uitio pleonasmi psalmum eum dici primum, quem alius nullus præcedit. Res enim ipsa loquitur eum esse primum. Sed mirum est hoc pleonasmo nos nunquam offendi in cæteris uoluminibus, ac uoluminum capitulis. Nam & primum librũ primũ inscribimus, & primo capiti suũ numerũ addimus. Deinde ut superfluum sit dicere primum eum, quem alius non præcessit: certe multo durius est eum uocare primũ, quẽ alius præcessit. Proinde ne cuiusq; opinioni præiudicem meo iudicio, mihi uidetur illorũ sententia proxime ad ueri imaginem accedere, qui dicũt primum psalmum nõ tam esse psalmum unum, quàm præfationẽ in totum uolumen psalmorum. Quemadmodũ eruditi solent in frontispicio libri carmẽ aliquod præfigere, quo lectori cõmendent opus sequuturũ, quo libentius & attentius hauriat, quod in uolumine continetur. Nec admodũ abhorret à uero, si quis hoc proœmij tribuat Esdræ, qui non solũ collegit psalmos diuersorum, sed ipse etiam aliquot condidisse creditur, ac titulos addidit.

aliquot

aliquot, nondum satis intellecto consilio. Atqui hactenus quidem de numero, nunc de titulo paucis agamus. Psalmi plerique uariis titulorum formis insigniuntur, qui ceu stellulæ additæ, prælucent ingressuris adytum sensus mystici, ac ueluti clauis officio funguntur, & primũ limen ac atrium nobis aperiunt, quo deinde perganus ire ad ipsa penetralia. Non nunquam autem harmoniæ genus indicat inscriptio, uelut quũ inscribitur psalmus, aut canticum, siue canticum psalmi, aut contrà psalmus cantici: siue denique diapsalma, qui titulus in medio psalmi additus, admonet mutatum carminis ac modulationis genus: quibus de rebus tempestiuius alio dicetur loco. Nonnunquam argumenti dignitatẽ indicat titulus, ueluti quoties præfigitur, εἰς τέλος, id est in finem, pro quo Hieronymus iuxta ueritatem Hebraicã uertit, uictori. Quoniam enim finis gratia cætera sunt omnia, & ultra finem progredi non licet, excitatur inscriptione lector, ut animum purum ac purgatum, ad insignem quãdam, perfectamque rerum sublimium cognitionẽ præparet. Interdũ tempus indicat, ut sunt qui titulum habent pro octonariis, aut quarta sabbati. Aliquoties historiam, basim allegoriæ, ut pro uictoria Idithum. Nonnunquam addita personarũ uocabula, non autorem indicant, sed rei gestæ commonefaciunt, ueluti quũ inscribitur Absoloni aut Saulí, aut Solomoni. Nonnunquam titulus multa simul indicat, qualis est titulus psalmi quinquagesimiprimi: In finem intellectus Dauid, quum uenit ad eum Doeg Idumæus & nunciauit Saul, & dixit ei: Venit Dauid in domũ Abimelech. Ad hæc sunt psalmi complures ἀνεπίγραφοι, hoc est, nullo titulo prænotati, qui uel autorem indicet, uel tempus, uel argumentum, siue historiam, uel prophetiæ carminisue genus, de quibus hanc regulam tradit Hilarius, ut quotquot occurrerint psalmi, non præferentes titulo nomen autoris, ad eum conferamus, cuius nomẽ erat in titulo, qui proxime præcessit, usque ad eum, qui sequens nouum autorem habebit præfixum. Hoc an uerum ac perpetuum sit nescio, præsertim cum additum nomen aliquoties non autorem indicet, sed argumentum, ut paulo ante docuimus. Certe in hoc psalmo locum non habebit, quum nullus præcedat psalmus, cui sit additus titulus, quemadmodũ docent ueteres interpretes, & astipulatur Hebraica ueritas. Tametsi hodie in uulgatis codicibus hæc habetur inscriptio: Δαβὶδ προφήτου καὶ βασιλέως μέλος, id est, Dauid prophetæ & regis melos: quũ Augustinus affirmet hunc solũ nõ habere titulum. Quæ quidem oratio multũ abest à uero, si habet: & si caret, nõ caret solus. Cæterum huic, qui nunc in manibus est tametsi nullus præfixus est titulus, tamen autor illi suus uindicabitur ex autoritate Lucæ, qui in Actis apostolorum scribit hunc in modum: Domine tu es qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in illis sunt. Qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes? Neque enim arbitror conuenire, ut hic conemur elabi, quemadmodũ Nicolaus Lyranus excusat Hieronymum, qui primum psalmum asserit Dauid in epistola quadam ad Paulinum, quum credatur Esdræ, quasi primum psalmum posuerit pro uolumine psalmorum, cuius autor est ex parte Dauid, sed mea sententia firmior est autoritas Lucæ, quàm ut hæc tergiuersatio sit admittẽda. Quin illud magis admiror, quur Lyranus scripserit, Augustinum in hoc errore fuisse, ut diceret omnes psalmos conscriptos ab ipso Dauid. Certe in commentariis, qui feruntur Augustini titulo, referuntur hæc uerba, quæ palàm refellunt, quod affirmat Lyranus: Nõ omnes, inquit, psalmi à Dauid æditi sunt. Ipse enim Dauid ex omni populo quatuor principes spiritu sancto mũdatos elegit, quorũ nomina sunt Asaph, Eman, Ethan, & Idithum, ut in quencunque diuinus spiritus intrasset, hymnum deo caneret. Dauid ergo solos nouem psalmos ore cecinit. Reliqui autem ab illis quatuor principibus, iuxta titulorum inscriptionem sunt dicti. Hactenus Augustini uerba recensuimus. Quod si quis responderit, hic Augustino psalmos æditos dici, non compositos, sed palàm decantatos, rursum in dubium uocamur, an hic titulus, ipsi Dauid, indicet autorem, an recitatorem, præsertim quum autoris nomen fuerit adscribendum casu paterno, τοῦ Δαβίδ. Si recitatorem arguit titulus, plures inscribuntur Dauid, etiam apud Hebræos, quàm nouem. Sin interdum autorem, interdum recitatorem, uestigandum est huius rei discrimen. Hilarius subindicat, & Augustinus libro de ciuitate dei decimoseptimo, capite decimoquarto, declarat quibusdã hanc fuisse opinionẽ, ut quoties præfigeretur nomen paterno casu, uelut τοῦ Δαβίδ, id est, ipsius Dauid, intelligeretur autor: quoties τῷ Δαβίδ, id est, ipsi Dauid, non designari autorem, sed psalmum aliquid habere, quod ad Dauid pertineat.

Hanc

Hanc opinionem refellit psalmus centesimus nonus, cui cum titulus sit, ipsi Dauid, tamẽ ipse Christus in euangelio prophetiam huius psalmi tribuit Dauid, Matthæi ca. 22. Quomodo ergo, inquit, Dauid in spiritu loquens, uocat eum dominũ, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Quanq̃ hoc loco nõ asseuerat Augustinus, quod interpretatur Lyranus. Denicq; inquit, Omnis ferè eius prophetia in psalmis est. Quũ enim ante dixisset, Dauid musicæ rei peritissimum, mystica spiritualicq; melodia delectatum, subiicit omnem eius prophetiam fere in psalmis esse, hoc est, in hymnis musicis, quum cæteri prophetæ oratione prosa uaticinia sua prodiderint. Ac paulo post: Mihi, inquit, credibilius uidentur existimare, qui omnes illos centum & quinquaginta psalmos eius operi tribuunt. Primum Augustinus recitat alienam opinionẽ, & non continuo conuincitur esse autor singularum operis partium, qui autor est operis. Sed hæc quoq; tẽpestiuius alio loco discutientur. Siquidem in præsentia tantũ in hoc attigimus hæc omnia, ut doceremus hunc psalmũ apud ueteres prorsus caruisse titulo, cuius tamẽ autor certus profertur ex actis Apostolorum. In libris Gallicanis titulus habetur: In finem psalmus Dauid. Qui addiderunt, in finem, ex ipsa re sumpserunt, ut argumenti dignitatem explicarent. De quo nunc pauca dicemus. In pleriscq; psalmis duplex est argumentũ: historicum, quod ceu basis quædam substernitur: & allegoricum, siue anagogicum, quod sub inuolucris illis rerũ gestarum recõdit, uel aperit potius historiam euangelicã, aut doctrinam ueræ pietatis, aut imaginem felicitatis æternæ. Nam nullus est ferè scripturæ locus, qui nõ possit ad tropologiam accommodari. Atq; quo dilucidius fiat quod loquimur, unicum exẽplum docendi gratia proferam in medium. Titulus psalmi cẽtesimi quadragesimitertij est, ipsi Dauid aduersus Goliath. Dubitandũ non est, quin is psalmus decantatus sit in laudẽ dei, cuius præsidio Dauid adolescens, pastor, inermis, & contemptus, funda percussit immanem ac superbũ Goliath, cuius & caput ipsius gladio pręcidit. Sed hic sensus historicus nihil officit allegoriæ, quin potius efficit ut lumen mysticæ cognitionis, ueluti speculo quodã exceptũ, iucundius & euidentius sese exhibeat oculis animi nostri. Quisquis enim meminit historiæ, quõ Dauid non alia re fretus, q̃ auxilio cœlesti, confecerit allophylum hostẽ, uiribus & armis suis iactantem sese, & insperata uictoria depulerit probrum à populo suo, nõne clarius, atq; etiam maiore cum animi uoluptate contemplabitur Christum Dauid nostrum, nõ huius mundi præsidijs, sed noua ratione deijcientem superbum illum huius mundi principem, unà cum populo suo incircunciso, atq; hoc nouo facinore animos adentẽ genti suæ, cui dicit in euangelio: Confidite, ego uici mundũ. Hoc sanctissimum spectaculum ubi curiosis oculis satis erimus cõtemplati, tum ad nos ipsos reuersi discimus, ad eam imaginem nobis esse pugnandum cum huius mundi cupiditatibus, quæ rebellãt in membris nostris aduersus legem dei. Videndum est igitur, an hic quoq; substratus sit aliquis sensus historicus, cui innitatur allegoria. Nam totum psalmum uaticinari de Christo, Pauli apostoli, Lucæq; autoritate confirmatũ est ex Actis apostolorũ. Sic enim loquitur illic Paulus cap. 13. Et nos uobis annũciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniã hanc deus adimpleuit filijs uestris resuscitans Iesum. Sicut in psalmo primo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Rursum eiusdem operis cap. 4. sic orat ecclesia Christianorum: Domine qui fecisti cœlum & terrã, & omnia quę in eis sunt, qui spiritusancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gẽtes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim uere in ciuitate ista aduersus sanctũ puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, & Põtius Pilatus, cum gentibus & populis Israel facere, quæ manus tua, & cõsilium tuũ decreuerunt fieri. Declarat idem Paulus in epistola, quæ inscribitur ad Hebræos, ex hoc psalmo sumens testimoniũ, quo cõuincat Christũ angelis esse maiorẽ: Cui enim, inquit, angelorum dixit unq̃: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Constat igitur hunc psalmũ uaticinari de Christo, quẽadmodum & alios complures, qui uarijs locis citantur ab apostolis ceu uaticinium euangelicæ historiæ. Sed euidentius hoc ipsum declarat Christus in euãgelio Lucæ de psalmis omnibus: Hæc, inquit, sunt, quę locutus sum ad uos, quũ adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est adimpleri omnia, quæ scripta sũt in lege Mosi, & prophetis, & psalmis de me. Cæterum an hic psalmus iuxta sensum historicum quadret etiam in alium præter q̃ in

Christum, id ex titulo psalmi non potest liquere. Rabbi Solomon, quũ fateatur à uetustis Hebræorum magistris exponi solitum de rege Messia, tamen accommodat ad historiam, quæ refertur libro Reg. 2. capite 5. Quum enim Dauid rex suscepisset regnum totius gentis Israeliticæ, ultro deferẽtibus uniuersis tribubus, & rursum unctus esset, iamq; destinasset regiam suam ex Ebron transferre in montem Sion, qui tum à Iebusæis habitabatur: cõspiratum est undiq; ab allophylis finitimis, ut eum regno depellerent, ueriti, ne si potestas eius nimium creuisset, aliquãdo sese uerteret in ipsorum exitium. Ego ut non in totum damno uidere, quid adferant Hebræorũ interpretes, præsertim antiqui, ita non arbitror illis esse multum tribuendum, quum animaduertam horum commẽtarios ferè fumis ac fabulis anilibus refertos, ne quid interim dicam de studio falsandi nostra, odioq; Christi. Proinde non sumam in hoc operam, quomodo singulæ partes huius psalmi congruant historiæ, sed quemadmodum quadret in nostrum Dauid, hoc est, Iesum Christũ, excutiemus, de quo sine controuersia scriptus est. Complectitur autem unicus hic psalmus non unam quampiam euangelicæ historię partem, sed uniuersum redempti mortalium generis argumẽtum: Quomodo filius dei corpus humanum assumpserit, ac cœlesti gratia plenissime delibutus euangelicæ doctrinæ fulgore, simul & umbras Mosaicæ legis discusserit, & seruitutem cæremoniarum sustulerit, & gentium impias religiones subuerterit, & arrogans philosophorũ supercilium deiecerit, atq; hæc omnia peregerit, non ullis huius mundi prę sidijs, sed noua quadã & inaudita ratione diuini cõsilij, cui frustra rebellant hominũ ingenia. Quum enim totus mundus, totis uiribus aduersus euangelium cõiuratus insurgeret, ille cuncta pharisæorum, pontificum, regũ ac principum molimina uertit in ornamẽtum ac fidem suæ uictoriæ, cœlesti consilio deludens humanam astutiã, inuicta mansuetudine superans impiorum ferociam, moriendo mortis tyrannidẽ abolens: dum se demittit ad inferos, aperuit regna cœlorum: ac per summam humilitatem emergens, ad summam euectus est gloriam, simulq; nobis omnibus uitã monstrauit, qua possimus huius mundi principem uincere, si nostris diffisi uiribus, toti pendeamus à Christo, quemadmodum ille totus pependit à patre: & si principes ac pontifices qui cæteris autoritate præminent, metuant offendere regem omnium Iesum Christum, nec huius leges ausint negligere, semper memores æterni iudicij, cuius sententiam nemo nec humilis, nec præpotens poterit effugere. Atq; hęc quidem in summa de argumento. Nunc aspirante Christo, singulos uersus excutiamus, si prius tria uerba fecerimus de psalmi claue. Frequenter usu uenit, quum in alijs mysticæ scripturæ locis, tũ præcipue in psalmis, ut de persona loquentis ambigatur. Et tamen nõ raro fit, ut ex persona cognita pendeat sensus mysticus. Diuus Hieronymus putat quatuor primos uersus: nã ille singulos quod gemini sint, ob antiphoniã partitur in binos: pronunciari sub persona uel angeli uel prophetæ, qui miretur quam ob rem humana temeritas consurrexerit aduersus filium dei: quintũ demum tribuendũ personę patris: Disrumpamus uincula &c. Diuersum sentit Hilarius, primos etiam tribuens deo patri. Atq; in hanc sententiam adductus est autoritate Lucæ, qui quum descripserit ecclesiã, his uerbis alloquẽtem deum: qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti, uidetur sermonem hunc accommodare patri. Addit & aliud argumẽtum, quod quintus uersus diapsalmate distinguatur à quatuor primis, quæ res uidetur indicium mutatæ personæ. Sed huic rationi diffidere uidetur ipse. Subijcit enim, in Hebræorũ libris nõ annotari diapsalma, quod si maxime asscriberetur, non protinus indicaret mutatam personã, quũ aliquoties significet harmoniæ genus nouatum. Cæterum in actis non agebatur de persona loquentis in uaticinio, quum quicquid quacunq; sub persona dixerunt uates, hoc per eorũ os deus loqui dicatur. Deinde si personæ patris hic sermo tribuatur, dure congruet quod sequitur: Aduersus dominum, & aduersus Christũ eius: perinde quasi de alio quopiã, nõ de se loquatur. Hac igitur in parte sic ab Hilario dissentio, ut tamẽ nõ in totũ assentiar Hieronymo. Quorsum enim attinet hic comminisci personam angeli, quum totus sermo ad amussim quadret in personam prophetæ Dauid, qui spiritu cœlesti afflatus, hoc iam tum cernebat internis oculis, quod tot seculis post gestũ est in Christo. Porrò sermonis abruptum initiũ, cõgruẽs afflato numine, & tropus ipse facit ad emphasim indignitatis. Quid enim insanius, q̃ principes, reges ac populos cõiuratos illi moliri exitiũ, qui uenerat seruãdis oĩbus? Et uenerat missus à deo patre, cuius cõsilijs frustra reluctaẽ humana temeritas.

Venerat

Venerat tot ante prophetarum oraculis promissus utriq; populo, Iudæorũ ac gentiũ, sed præcipue Iudæorum, tot figuris adumbratus, tot seculis exoptatus. Quid enim aliud sibi uolunt illę piorum hominum uoces: Veni domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel? Promissus erat lenis ac mansuetus, beneficus in omnes seruator omnium, qui gratis tolleret in se peccata totius mundi: qui sublato duro legis Mosaicæ iugo, per fidem & gratiam euangelicã inuitaret omnium nationum homines, siue reges, siue humiles, siue doctos, siue indoctos, siue seruos, siue liberos, ad dignitatem filiorum dei, ad felicitatẽ immortalis uitæ. Denicq; promissus est non iudex, nõ uindex, sed redemptor, sed assertor, sed seruator. Quid tetrius peccato? hoc gratis sustulit. Quid pulchrius, quid amabilius innocentia? Et hanc de suo largitus est. Quid honorificentius, quàm adoptari in cõsortium filiorũ dei? Ab hoc honore nullus excluditur. Quid grauius importabili iugo legis Mosaicæ? Et hoc nobis detraxit. Quid dulcius libertate? Hanc contulit. Quid magis expetendum, cq; cœlestis immortalitas? Huius ille certissimus spõsor est. Talis erat ille promissus, qualem merito totius mundi nationes debuerant amplecti. Nec alius uenit quàm fuerat promissus. Opulentia parere solet inuidiam. Ille nullas opes, nec habuit, nec ambijt. Multis odium conciliat potentia. Ille se professus est alienum à regnis huius mundi. Mediocribus etiam beneficijs paratur hominum beneuolentia. Ille gratis ac prompte semet effudit iuuandis omnibus, pauit esurientes, sanauit ægrotos, restituit mãcos ac debiles: cæcis oculos, surdis aures, mutis linguam reddidit, salutifera doctrina blande ac placide mõstrabat omnibus æternæ felicitatis uiam. Optimo proinde iure propheta demiratur aduersus talem, tantum, tam beneficum, tam amabilẽ, cooriri gẽtes, moliri populos, insurgere reges, armari principes. In unius perniciem coniurant omnes, qui unus ad omnium salutem uenerat. In eum omnes omnia sua consilia cõferunt, qui se totum impendit omnibus. Vnde tumultus iste? Vnde cõspiratio tam insana? nimirum quia nihil habeat Christus cõmune cum mundo. Et idcirco mundus illum auersatus est, uelut auocantem ab his, quæ filij huius seculi pertinaciter adamabant. An non statim ad Christũ natum impius hic ac superbus mundus inhorruit? Simul atq; cognitum est Magorum indicio, natum esse Messiã: tenuis adhuc rumor erat, tamen quid audis narrantẽ Matthæum? Turbatus est rex Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. Cõuocantur scribæ, exquiritur locus natalis dictus Messiæ: exquiritur à Magis tẽpus quo illis uisa fuisset stella, cuius indicio fuerant excitι: fraudulento consilio rex agit cum Magis, ut prodant infantem. Mox sæuitur in ætatẽ innoxiã. Postea uero cq; cœpit æditis miraculis inclarescere, cœlestiq; doctrina Pharisaicæ doctrinæ tenebras offundere, ac diuinæ naturæ ueluti scintillulas aliquot proferre: quoties in illum fremuit populus, nunc ad lapides accurrens, nunc in montis abrupta ducens, ut illinc præcipitem daret? Quoties illum adorti sunt Pharisæi, Sadducæi, Herodiani, captiosis quæstiunculis conantes illum illaqueare? Quoties inierant scribę & pharisæi clandestinarium concilium, ut Iesu manus inijcerent? & iniecissent, ni metuissent turbã. Mittuntur à pharisæis satellites, qui illum in templo docentẽ uiolarent. Subinde uarijs studijs inter se fremit populus, alijs dicentibus, bonus est, alijs contrà negantibus: his affirmãtibus eum esse unumquempiam è prophetis qui reuixisset: illis suspicantibus eum esse Messiã. Tandem & Herodes tetrarcha, eius filius qui pueros occiderat Bethlehemiticos, ex his quæ rumore cognouerat infensus Iesu, captabat occasionem occidẽdi eum. Ast ubi liuor & odium Pharisæorum semper in maius glisscens, certum propositũ conceperat occidendi Iesum, quoties concurritur in conciliũ à Scribis, à Pharisæis, & senioribus populi? Adhibetur pontificum autoritas, Annæ & Caiaphæ, in cuius sacris ædibus impium hoc negocium peragebatur. Præsidis autoritas cogitur seruire Iudæorũ uesaniæ. Ad huius prætorium non solum Scribæ & Pharisæi, sed uniuersus etiam populus cõuenit. Hos tumultus omnium ordinũ, has cõspirationes, hæc cõcilia, quũ nobis luculẽtissime describat euangelica narratio, nõne merito demiratur propheticus animus, ista præuidẽs futura, quę nos facta legimus, & credimus, hoc est, fidei cernimus oculis, dicens: Quare fremuerunt gentes? quam particulam quidam proprie referunt ad cohortem Pilati præsidis, quam legimus conuenisse in atrium præsidis, ut illuderent damnato Iesu. Proximam particulam: & populi meditati sunt inania: referunt ad populum Iudaicum, ex uarijs nationibus conflatum, quæ tum religionis causa Hierosolymam confluxerant. Præsidis milites, ut alieni

ab omni religione,& ipſo uitę genere uiolenti craſſiq́,fremunt incondito motu, nullo nō ludibrij genere debacchantes in dominum,omnis gloriæ fontem. Iudæi meditantur inania,dum peruerſo ſtudio legis,fruſtra perſequũtur eum, quem lex ipſa promiſerat,ac deſignarat:Expedit,inquit,ut unus moriatur pro populo. Vitant diem feſtũ,& incidunt in diem feſtum. Sic & Paulus,dum ſtudio legis ſæuit in diſcipulos domini, meditabatur inania.Et hodie meditantur inania Iudæi,qui circunciſiones,ſabbatiſmos,lotiones, delectũ ciborum mordicus tenentes,contẽnunt euangelicã doctrinã,per quã ſalutẽ aſſequi poterant.Et ne populi furor parũ ualeret aduerſus innocentẽ,affuerunt uelut autores huic tumultui,reges terræ,nimirũ Herodes,ac Pilatus. Sic enim interpretatur eccleſia apud Lucam in Actis apoſtolicis.Nam hic Herodes erat tetrarcha Galileę,quemadmodũ teſtatur Matthęus ca.14. Atq; eundem in cõmentarijs diuus Hieronymus regem appellat. Quin & Marcus ca.6.tribuit illi regis cognomẽ.Pilatus aũt rex non erat,ſed præſes Iudeæ,ſed in hoc erat Cæſar,cuius uices gerebat in ea prouincia. Cæſarem aũt populus Iudæorũ impijs illis conuitijs apud præſidis prætorium ſibi regẽ aſciuerat,uociferans:Non habemus regem,niſi Cæſarem.Quidam uolunt eſſe hypallagen numeri,ut reges dicti ſint,quorum alter duntaxat erat rex. Sed mollior erat tropus, ut omnes qui publica poteſtate fungantur,reges appellentur,præſertim cum addatur,reges terræ. Imò ſermoni prophetico maxime conueniebat numerus multitudinis,qui ſemper ſeſe latius porrigit. Non enim ſolũ ſpectat ad illos,per quos tum Chriſtus fuit damnatus,uerumetiã ad eos,qui ante aduentũ Chriſti perſequuti ſunt illum in ſuis prophetis,quiq́ poſt perſequuti ſunt eundẽ in ipſius apoſtolis,& hodie nonnunq́ perſequuntur in his, qui pure docuerint euangelicam ueritatem. Et principes cõuenerunt in unum,uidelicet ſcribæ & phariſæi cum ſenioribus populi.Hi ſectis inter ſe diſcordes, quin & odijs priuatis diſſidentes (nunq́ enim inter auaros,ſuperbos & inuidos concordia eſt) aduerſus Ieſum concordes,congregantur in domum Caiaphæ. Quin & ipſi reges Herodes & Pilatus ante diſcordes, in domini necem cõſentiunt,& ex eo tempore coit inter eos amicitia.Hæc ſunt impiorum fœdera, qui nũq̃ concordes ſunt,niſi ad lædendum innoxios. Subnotat & illud Hilarius, quod Herodes ac Pilatus reges terræ dicti ſunt,qui iure terrenæ poteſtatis inſurrexerint in eum,qui prædicabat regnum cœlorum. Cæterum pontifices,ſcribæ,phariſæi & ſeniores tantum principes appellantur,non autem principes terræ,aut principes ſacerdotum,quod & ius terrene ditionis perdidiſſent,regno translato in Herodem ac Cæſarem, nec iam mererentur dici principes ſacerdotum aut populi,qui conſilijs impijs coniuraſſent in autorem omnis ſacerdotij dominum Ieſum. Atq; hæc quidem,ut fateor argute dici,ita mihi non diſplicet ſimplicior interpretatio,ut utraq; pars uerſuum ad idem pertineat: Quare fremuerũt gentes,ad populum Iſraeliticum,& huic accinatur clauſula ueluti Echo, referens & inculcãs quod dictum eſt: & populi meditati ſunt inania. Rurſus aſtiterunt reges terræ:pertineat ad Herodem ac Pilatũ,atq; huic rurſus accinatur illa particula:& principes conuenerunt in unum.Hoc ne cui plane uidear adferre ex ſomnio capitis mei, Primum id factũ docet Auguſtinus in uerſibus qui ſequũtur:Qui habitat in cœlis,irridebit eos,& dominus ſubſannabit illos:Repetita,inquit,ſententia eſt.Nam pro eo quod eſt,qui habitat in cœlis,ſubſequenter poſitum eſt,dominus:& pro eo,quod eſt irridebit,ſubſequẽter poſitum eſt ſubſannabit.Deinde conſtat hoc ſermonis genus in propheticis literis eſſe frequentiſſimum, ut ſenſum quem prior uerſiculi pars expreſſit,poſterior aut recinat alijs uerbis eundẽ,aut conſimili ſententia referat,aut contraria reſpondeat.Primi generis exemplum erit:Os iuſti meditabitur ſapientiam.Huic accinitur:Et lingua eius loquetur iudicium. Secundi:Iuſtus ut palma florebit. Cui ſimile eſt,quod ſuccinitur: Et ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Tertij:Eſurientes impleuit bonis.Id infigitur contraria ſentẽtia:Et diuites dimiſit inanes.Neq; hic ſermonis color in myſticis hymnis frequẽtiſſimus ſolum pro nobis facit,uerumetiam autoritas ipſius Lucæ,apud quem eccleſia ſic interpretatur hunc locum: Conuenerunt enim uere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum tuũ filium Ieſum,quẽ unxiſti,Herodes & Pontius Pilatus,& populus Iſrael. Pro eo quod bis erat dictũ:Reges terræ & principes:ſimplicẽ ſenſum reddunt de Herode & Pilato. Itẽ quod repetitum erat: Quare fremuerunt gẽtes,& populi meditati ſunt inania:nihil aliud interpretãtur, q̃ populũ Iſraeliticũ,in quo continentur & põtifices,Phariſæi,ſcribæ,& ſeniores. Atrox uero coniuratio

ſit

ſit oportet,quæ tanto tumultu, tantoq; conſenſu principum ac populorum peragitur, omnia ſua conſilia,totas opes & uires,& quicquid autoritate,quicquid potentia,quicquid ingenio, fraudéue poſſunt in unum conferentium. Id ſi fieret aduerſus potentem hoſtem reip.nihil ſit mirum aut indignum.Nunc audi dementiam & indignitatẽ huius conſpirationis.Concurrunt gentes, machinantur populi, inſtant reges,congregantur principes. Aduerſus quem? O rem impiam:aduerſus dominum,& aduerſus Chriſtũ domini.Cuncti reges quamlibet potentes,aut opulenti,cuncti principes,quantumuis pollent uiribus, uniuerſum mortalium genus,quãlibet numeroſum,quid aliud ſunt q; ephemera animalcula,ſi conferantur ad deum,qui ſemper eſt,& initio carens & fine,qui nutu ſuo condidit ac moderatur omnia quę in cœlis,& quę in terris,qui poteſt & nutu perdere,ſi libeat,uniuerſa. Tam imbecilles igitur conſpirare aduerſus omnipotentem dementia eſt.Sed ingratum etiam & impium eſt conſpirare aduerſus eum, cuius bonitati debẽt hoc ipſum,quod ſunt,quod uiuunt,quod ſapiunt,quod uiribus,aut ingenio pollent.An non erat iſtud ingratitudinis extremæ,etiamſi nihil nouæ beneficentiæ addidiſſet? Nũc ubi uideret genus humanum uniuerſum teneri miſerrima ſimul ac turpiſſima tyrãnide diaboli,uerſari in altiſſimis ignorantiæ tenebris,ſeruire idolis,ſeruire turpitudini, ruere præceps in æternum exitium,miſertus noſtri,miſit unicum filium ſuum,non armatum,non formidabilem,ſed unctum gratia,ſed manſuetudine bonitateq; amabilẽ, cuius morte nos reconciliaret ſibi, cuius doctrina diſcuteret tenebras noſtras,cuius ductu nobis aperiret uiam ad uitam immortalem.Et aduerſus talem conſpirat principũ ac populorum cæcitas,uel potius impietas. Vides lector & hic obſeruatũ quod admonuimus.Aduerſus dominũ: ad patris refertur perſonã.aduerſus Chriſtum eius: pertinet ad filium. Pater erat in filio, quemadmodũ ſcribit apoſtolus Paulus,mundum reconcilians ſibi.Quiſquis igitur repugnat filio,repugnat & patri.Quiſquis agnoſcit patrẽ,& filiũ debet agnoſcere. Sed diabolus erat in mundi principibus,ac populis,fruſtra belligerans aduerſus cõſilium dei. Non illi nouum eſt, rebellare deo ſuo,contra quem ſtatim ut conditus eſt, mouit ſeditionẽ. Quod tum per ſe gerebat in cœlis, hoc poſt per ſua membra gerebat in terris. Reges terræ ſunt, nec aliud quàm terrena ſapiunt.Oderunt cœleſtia.Quod Græci dicunt Chriſtũ, Latini unctũ,Hebræi Meſſiam uocant, quo nomine Iudæi peculiariter deſignabant eximium illũ prophetam,prophetarum oraculis promiſſum ad ſalutem omnium gentiũ. Vnctio uero non ſolum erat regum apud Hebræos,uerumetiam ſacerdotũ,quemadmodũ nunc eſt omnium Chriſtianorum, quos Petrus ſacerdotium & regale genus appellat, propterea quod per Meſſiam noſtrum adoptati ſumus in ius & cõſortium filiorum dei. In Chriſtum uero & trifariam competit uncti uocabulum. Primum ſacerdotij nomine. Siquidem is erat unicus ille ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech,qui ſacroſancti corporis ſui uictima deum patrem ex offenſo propiciũ nobis reddidit,qui ſanctiſſimi ſanguinis ſui lauacro purgauit omnia peccata credentium in ipſum. Deinde regni nomine. Data eſt mihi, inquit, omnis poteſtas in cœlo & in terra. Nimirum hic erat ille promiſſus ſanctus ſanctorũ,qui antiquauit omnẽ Iudæorũ unctionem,quibus iam nec ſacerdotium eſt ullum,nec regnũ. Tertio congruit in eum uncti uocabulũ ob plenitudinẽ gratiæ diuinæ, quæ in illo habitauit corporaliter,ut inqt Paulus apoſtolus.De quo teſtificatur & Ioãnes euãgeliſta:cuius gloriã uidimus,plenũ gratia & ueritate. De cuius plenitudine accepimus omnes. Hic eſt enim unctus ille, de quo ſpiritus loquitur in pſalmo: Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea quod unxit te deus, deus tuus,oleo læticiæ præ participibus tuis. Olim uẽturus eſt iudex uiuorũ & mortuorũ in maieſtate patris cum agminibus angelorum formidabilis, non impijs modo,uerumetiam iuſtis,nimirũ in illo die tremendo, quãdo cœli mouebuntur,& uix iuſtus ſeruabitur,quemadmodũ ſcribit Petrus apoſtolus:tantũ aberit ut peccator poſſit ſubſiſtere.Sed interim uenit unctus,blandus,affabilis,placabilis, beneficus,comis,mãſuetus,ſeruator nõ ultor,recõciliator,nõ iudex, expoſitus omnibus ad benemerẽdum citra perſonarũ exceptionẽ, niſi quod humiles magis amplecti uidebatur. Hoc olim de illo uaticinatus fuerat Eſaias,ex quo Chriſtus apud Lucã pronũciat,de ſe proditũ oracũlũ:Spiritus,inquit, domini ſuper me,eo quod unxit me.Euãgelizare pauperibus miſit me,ſanare cõtritos corde,prædicare captiuis remiſſionẽ,& cæcis uiſum,dimittere confractos in remiſſionẽ, prædicare annũ domini acceptũ,& diẽ retributionis.Qui huiuſmodi

Christum nõ amet? quis aduenientem non excipiat, non amplectatur, non exoſculetur? Et tamen hunc talem auerſatus eſt mundus, cæci fugere lucem, ſerui redemptorẽ, ægroti medicũ, mortui uitã. Quin & illud annotandũ, quod propheta patrẽ deſignans, abſolute dixit dominũ, ut omnium dominũ declararet, quũ regibus addidiſſet terrã, filium aũt nõ ſimpliciter appellauit Chriſtũ, ſed Chriſtũ eius, nimirũ dignitatẽ illius notãs, qui ſolus peculiariter eſſet unctus à deo. Habet & hic mũdus Chriſtos ſuos, reges ac ſacerdotes, quorũ nõnulli cutẽ habẽt unctã, ſed mentẽ inunctã. Vngunt hoies caput: ungũt ſcapulas, ungunt thoracẽ ac pectus uel ad umbilicũ uſq; fruſtra homo ungit hominis corpus, niſi ſpiritus cœleſtis unxerit animũ. Et ideo ſępe uidemus principes ſemel atq; iterum unctos, nihilo ſecius ob crudelitatẽ, ambitionem, auaritiã intolerabiles eſſe populo. Habet deus unctos ſuos, quos nõ uult lædi ab ijs, quos unxit mundus. Sic em̃ loquitur in cãtico Aſaph: Non dimiſit quenq̃ calumniari eos, ſed increpauit pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis nolite malignari. Quiſquis habet animũ illuſtratũ lumine fidei, ea credens, quæ nõ uidet, ea ſperans, quæ nõ apparẽt, propheta eſt, & unctus eſt. Docet hoc Ioannes apoſtolus in epiſtola ſua: Vos, inquit, unctionẽ habetis à ſancto, & noſtis omnia. Verum hæc unctio ſicut nobis gratuito datur ex benignitate dei, ita frequenter noſtro uitio perit. Ideo ſubdit: Et uos unctionẽ quam accepiſtis ab eo, maneat in uobis. Et Paulus Corinthijs ſcribens, docet hanc unctionẽ, neq; ſimili genere, neq; pari menſura cõtingere omnibus, ſed alijs alias docet diſtribui, iuxta menſurã fidei. Cæterum Ieſus peculiari quadam ratione dicitur unctus domini, & apud nos Chriſti nomen ſolus obtinet, quod hunc non guttis aliquot gratię deus imbuerit, ſed affatim in hunc effuderit, quicquid in uniuerſos unq̃ collatum fuit, aut conferri potuit. Chriſtus enim humanæ naturæ uocabulũ eſt. Non enim unctus dicitur, niſi quatenus homo. Simili diſcrimine nos quoq; dicimur filij dei, ſed quoniam ille ſingulari ratione fuit filius dei, idcirco paterna uox proprie de hoc teſtata eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Aderat eodẽ tempore columbæ ſpecies inſidens illius ſacro uertici, declarans omnibus, hunc eſſe uerũ illum Meſſiã, quem deus omni plenitudine gratiarũ unxiſſet, de cuius plenitudine nos omnes accipere mus. Exhauriri nõ poteſt, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. An non igitur optimo iure demiratur oculus ille propheticus, tanto molimine coniuratiſq; conſilijs reges & populos tendere aduerſus deum omnipotentẽ, aduerſus quẽ nec uis eſt ulla, nec cõſilium, & aduerſus Chriſtũ eius, cui quiſquis aduerſatur, aduerſatur & deo patri? Sed hunc mundi tumultum cooriturũ aduerſus Chriſtum, ueteris teſtamẽti literæ nõ uno in locò prædicunt oraculis, & adumbrant figuris. Audiamus ipſum Chriſtũ ſub perſona Hieremiæ, & per os eiuſdem loquentem patri: Tu autẽ domine demonſtraſti mihi, & non cognoui. Tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad uictimam, & non cognoui, quia ſuper me cogitauerunt conſilia. Mittamus lignũ in panem eius, & ne memoretur nomen eius amplius. Audis ſtudia, audis cõſilia, concordãtium ſuffragiorum uocabulum, audis mortis genus. Mittamus lignum in panem eius, corpus illius ſuffigamus in crucem. Quin & Apoſtolis cæſis denunciatũ eſt, ne prædicarent nomen illius. Ad hoc pertinet illud: Et ne memoretur nomen eius amplius. Porrò cũ illa legimus quæ ſunt in lib. ſapien. ca. 2. nõne uidemur audire phariſæos, ſcribas, Annam, Caiapham, Philoſophos, breuiter omnes, qui diligunt hunc mundum, conſpirantes aduerſus Chriſtum? Circumueniamus, inquiunt, iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam dei habere, filium dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad uidendum, quoniam diſſimilis eſt uita illius, & mutatæ ſunt uiæ eius, tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à uijs noſtris, tanquam ab immunditijs, & prę fert nouiſſima iuſtorũ, etiam gloriatur patrem ſe habere deum. Ac mox: Morte turpiſſima condemnemus eum. Hanc mundi conſpirationem in dominum Ieſum, iam olim præludebat ænigmate fatidico, coniuratio fratrum aduerſus Ioſeph, quemadmodum refertur Geneſis capite trigeſimo ſexto. Qui cum uidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur: Ecce ſomniator uenit, uenite occidamus eum, & mittamus in ciſternam ueterem, dicemusq; fera peſſima deuorauit eum. Accuſant eum fratres

de crimine

de crimine peſsimo:& phariſæi Chriſto impingunt blaſphemiam, quodq; fœdus haberet cum Beelzebub principe dæmoniorum. Diſsident in conſilijs fratres Ioſeph, ſed in malitia conueniunt.Et ex phariſæis quidam dicebant,non in die feſto,ne forte fiat tumultus in populo.Et tradamus hunc Pilato,ne uideatur à nobis interfectus. Quin & ipſe dominus Ieſus hanc in ſe conſpirationem pulchre depinxit parabola Euangelica,in qua colони quum ſeruos alios poſt alios miſſos tractaſſent inclementer, quoſdam etiam occidiſſent,tandem & aduerſus filium conſpirant,dicentes:Hic eſt hæres,uenite occidamus eũ, & noſtra erit hæreditas.Rurſus in alia parabola, coniurati mittunt illi legationem obuiam,dicẽtes:Nolumus hunc regnare ſuper nos. Sed horum omnium conatus nihil aliud, quàm illuſtrauit ſapientiam ac bonitatem conſilij diuini, & ipſos declarauit dignos exitio,qui pertinacibus animis coniurati fuerint aduerſus totius ſalutis autorem. Nos autẽ fratres chariſsimi,ſi uere Chriſti membra ſumus, ne miſceamur impio conſilio, ſed pijs ſtudijs amplectamur Chriſtum domini.Iudæorũ autem obſtinatam cæcitatẽ execrantes uel miſerantes potius,dicamus cũ propheta Dauid:Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ,& principes cõuenerunt in unũ aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius. Sed cum Chriſti diſcipulis fortiter dicamus: Diſrumpamus uincula eorum, proijciamus à nobis iugum ipſorum. Hic poſtremus uerſiculus, ſub cuius perſona dicatur, non ſatis conuenit inter autores. Tertullianus, ſacrarum ſcripturarum ſine controuerſia peritiſsimus,ſic ſubinde citat hunc uerſiculum,ut eis accommodet,qui crediderunt ex Iudæis ac gentibus,qui gaudentes Euangelica libertate, legis onus conabantur excutere.Subſcribit huit Arnobius: Gentes,inquit, fremunt aduerſus Chriſtum,quia idolis finem impoſuit.Populi,id eſt,Iudæi meditantur inania, diſtinctiones ciborum,& ſabbatorum ferias attendentes. Vtrorunq; uincula diſrumpenda. Et ab horum ſentẽtia minimum abeſt Hilarius,hæc uerba tribuens apoſtolorum perſonæ, qui uincula gentium diſruperunt, quæ peccatorum ſuorum faſcijs conſtringebantur, dum eos qui per fidem in Chriſtum & euangelij gratiam,aqua tinctos liberant ſemel ab omnibus uitæ ſuperioris delictis:Iudęorum iugum abijciunt, dum Moſaicę legis cęremonias, circunciſionem,ſabbata,neomenias,baptiſmata,ciborum delectus,uictimas:cæteraqúe, quæ,ut in actis ait Petrus,nec ipſi portare potuerunt, nec patres eorum, docent iam eſſe ſpernenda,quippe quæ uelut umbras oportebat ad corruſcantem Euangelij lucem euaneſcere.Nec ab his in re multum diſſentit Hieronymus, qui putat hunc ſermonem eſſe domini Ieſu,cohortantis populos gentium,ut omnes qui ſibi ex Iudæis crediturí eſſent, legalia uincula diſſoluant,& graue onus legis abijciant, ac ſequantur eum, cuius iugum ſuaue eſt,& onus leue. Solus Auguſtinus meminit diuerſæ ſentẽtiæ,ſed ſic,ut ipſe uideatur eius autor.Nam exiſtimat hunc uerſiculum aptius referri ad perſonam eorum, quos paulo ante propheta dixit tumultuantes ac meditantes inania. Quorum animis hæc impia uox digna ſit:Diſrumpamus uincula eorum,& proijciamus à nobis iugum ipſorum, ut intelligamus hos eſſe,qui dicunt deo:Recede à nobis,ſcientiam uiarum tuarum nolumus:in quorum typum Geraſeni rogant Chriſtum,ut excedat finibus ipſorum, quicq; dicunt in parabola:Nolumus hunc regnare ſuper nos.Detrectat mundus iugum Euangelicum,malens ferre duriſsimum iugum diaboli, quàm ſubmitti ſuaui iugo dei & Chriſti eius.Hanc interpretationem ſolam ſequitur Caſsiodorus, quam tamen Auguſtinus ſic anteponit alijs,ut diuerſas non improbet.Mihi magis arridet,quod ſolum uideo placuiſſe uetuſtis interpretibus. Quoniam autem ex hiſtoria ueteris Teſtamenti ſatis liquet, Hebręos gentem fuiſſe rebellem ac duræ ceruicis, data eſt illis lex grauis ac rigida, ut quatanquam filij non poterant obtemperare præceptis dei, tanquam mala mancipia, legis duritie, ueluti compedibus ac iugo coercerentur à maleficio,& ad officium pertraherentur.Inde circunciſio,delectus ciborum,obſeruatio interluniorum,baptiſmatum,ieiuniorum,uotorum,uictimarũ, ne quò ſe poſſent uertere,quin occurreret legis pręſcriptũ,ceu cancelli non ſinẽtes illos ſuo uiuere arbitratu. Proinde Paulus hanc legẽ,legem ſeruitutis appellat.Et huc nonnulli ſcriptores orthodoxi referunt illud, quod legimus apud Ezechielem cap. uigeſimo: Et ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent.Seruile iugum ac durum appellat, non bonum. Dixerit aliquis, quum deus ſciret populum non obſeruaturũ legem, quur illum tot præſcriptionibus,tot obſeruationibus

onerauit? Nimirum ut quemadmodum Paulus docet, per legem agnoscerent morbum suum, & incíperent desiderare medicum, posteaq́ agnoscerent suum peccatum. Porrò qui legerit Acta apostolorum, & Paulinas epistolas, facile cognoscet quato studio Iudęi, qui fuerant amplexi professionem Euangelicam, conati sint hoc onere grauare, non eos solum, quos in Iudaismo deprehenderat Christus, uerum etiam gentes ab obligatione Mosaicæ legis immunes. Hoc agebant passim pseudapostoli, qui Christum miscebant cum lege, quasi solus ille parum sufficeret ad dandam omnibus salutẽ. Hi Romanos primum in Iudaismum pertraxerant. Hi Galatas eodem retraxerant. Hi cæteris, qui crediderant in Christum libertatis autorem, hoc seruile iugum studebant imponere, iubentes eos circuncidi, ut in carne illorum gloriarentur, ac dicentes: Ne gustaueris, ne tetigeris, ne contrectaueris. Aduersus hos totis uiribus ubiq́ pugnat acerrimus Euangelicæ libertatis assertor Paulus, qui nec Petro ueritus sit in faciem resistere, quod uideret illius exemplo periclitari quosdam ex gentibus ad Christum cõuersos. Quid multis? Tam pertinax erat studium quorundam Iudæorum, conantium gentibus imponere iugum legis Mosaicæ, ut eam ob rem coierit consilium frequẽs utriusq́ populi, cui præter cæteros præfuit Petrus & Iacobus. Erant autem pharisaicæ sectæ, qui hoc potissimum pertendebant, quod hæc factio superstitiosius etiam legis tenax fuisse legatur. Sic enim legis in apostolorum actis cap. 15. Surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum qui crediderunt dicentes: Quia oportet circuncidi eos, præcipue quoq́ seruare legem Mosi. Hi nimirum sunt, de quibus paulo ante dixerat: Et quidã descendẽtes de Iudæa, docebant fratres, quia nisi circuncidamini secundum morẽ Mosi, non potestis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam ex alijs ad apostolos & presbyteros in Hierusalẽ super hac quæstione. Ibi Petrus in hunc modum concionatus est: Viri, fratres, uos scitis, quod ab antiquis diebus deus in nobis elegit per os meum audire gentes uerbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda deus, testimoniũ perhibuit, dans illis spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc autẽ quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq́ nos, neq́ patres nostri portare potuimus: sed per gratiã domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Quum audis Petri uocem: Nunc quid tentatis deum imponere iugum &c. nónne satis expressisse uidetur tædium Mosaicæ seruitutis, quo laborare uidentur et illi, qui dicunt in psalmo: Disrumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum? Nec dissimili sermone succinit Iacobus: Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad deum. Cæterum quemadmodum prædictum erat, uti docet Paulus apostolus, fore ut reiectis ob incredulitatem Iudæis, gentes reciperentur ad Euangelij gratiam: ita prædictum erat, futurum ut carnales cęremoniæ legis uerterentur in cultum pietatis spiritualem, ut circuncisio corporis uerteretur in circunciſionem cordis. Sic enim loquitur apud Hieremiam dominus: Nouate uobis nouale, & nolite serere super spinas, circuncidamini domino, & auferte præputia cordium uestrorum, uiri Iuda & habitatores Hierusalem. Quod hic per prophetam nouale uocat, in Euangelio dixit, uinum nouum non committendum utribus ueteribus.. Vtriq; concinit Paulus, negans esse Iudæum, qui pelliculam corporis habeat amputatam, sed qui mentem habeat repurgatam à crassis cupiditatibus, quæ militant aduersus spiritum. Quin apud Esaiam deus iam tum fastidit uetera ieiunia, ueteres uictimas, uetera sabbata, uetes solennitates. Quare fastidiebat? Quia erant carnalia, & pater tales amat adoratores, qui in spiritu adorant ipsum. Spiritus est deus, & spirituali cultu delectatur. Poscebat hũc ordinem imbecillitas humana, ut prius esset quod carnale est, sed ita, ut per carnem proficeremus ad spiritum. Alioqui quid dicit dominus in Genesi? Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternũ. Quamobrẽ nõ manebit? Quia caro sunt, inquit. Non auersatur deus carnis substantiã quã condidit, qui nihil cõdidit quod bonũ nõ sit, sed odit crassos & carnales affectus. Habuerunt ætates seculi publicam quandam, ut ita dicam, infantiam suam. Huius pædagogus erat lex Mosaica. Habet & nostrum quisq́ suam quandam infantiam in Christo. Habet & ecclesia suas quasdam cęremonias, quibus fouet ætatem imbecillẽ, donec robur colligat augescẽs in fide & charitate Euãgelica. Tolerat deus

ad tempus

ad tempus carnales, si paulatim extenuentur in spiritum, at non tolerat in æternum. Portentum est infantia perpetua. Tempestiuam pueritiam exosculamur, blandeq; fouemus in liberis nostris, uelut ostentum abominaturi puerum annorum triginta. Quàm diu ratio non exerit uim suam in nobis, haud ita multum differimus à brutis. Et quam diu tales sumus, meremur ut bruta animantia tractari. Fune ducuntur boues, iugo premuntur tauri, freno reguntur equi mulicq;, capistro ducũtur asini, nare trahuntur bubali. Sed quoniam hæc non mutant naturam suam, & seruituti nata sunt, perpetuo iugo premũtur. At hominibus tantisper adhibetur iugum, donec explicet se uis rationis, donec emicet ignis charitatis Euangelicæ. Christus tametsi per prophetas suos prædixerat ad Euangelij lucem euanituras umbras legis Mosaicæ, ad Euangelij libertatem & gratiam relaxandum esse iugum carnalium obseruatiuncularum, tamen ut omnes ad se pelliceret, obseruauit quidem ipse quod lex præscripserat, sed tamen interim præludit nonnunquam abrogandæ legi, dum semel atq; iterum sanat hominem in sabbato, dum discipulis patrocinatur aduersus pharisæos calumniantes, quod spicas uellerent in sabbato, dum palam testificatur filium hominis dominum esse etiam sabbati, dum iubet eos ire ac discere quid sit, misericordiam uolo, & non sacrificium, dum hactenus damnat superstitiosam obseruationem earum rerum, quæ ad tempus erant institutæ, ut figuram haberent rerum spiritualium, quod harum prætextu negligerent ea, quę suapte natura, semperq; pia sunt. Ad hanc libertatem gestiebant & apostoli, dum freti suo præceptore in uellendis spicis negligunt sabbatum, dum nõ ieiunant, in quo ipso Christi patrocinio defensi sunt, dum audent peccatorum & publicanorum interesse conuiuijs, dum negligũt pharisaicas, & Christo quoque damnatas constitutiunculas, de lauandis urceis & æramentis, de lotione manuum ante cibum, ac lotione corporis totius si quando redissent à foro. Nimirum tametsi rudes adhuc, ac planè Iudaismum sapientes, unde & Christus eos paruulos uocat, hoc est, ἀτελεῖς, tamen ut sodales sponsi ueluti gestiebant ad utcunq; gustatam Euangelij libertatem. Et hinc totus ille fremitus pharisæorum, inde concursus in scelerata consilia Annæ & Caiphæ. Sed discipuli Iesu nondum audent palam exerere uocem euangelicam: Disrumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Nondum enim uenerat spiritus ille igneus, qui discuteret frigidas ac superstitiosas obseruatiunculas sabbatorum, neomeniarum, baptismatum, ieiuniorum, ciborum & contactuum. Plus audent ebrij musto cœlesti. Iam Petrus doctus, nihil esse commune, quod deus sanctificasset, nec esse respectum personarum apud deum, sed omnes ex æquo ęstimari fide Euangelica, nõ ueretur congredi cum Cornelio, non ueretur totum onus legis depellere ab ceruicibus gentium, non ueretur denicq; uesci quibuslibet cibis, Paulum monitorem patienter audit & obtemperat. Quid aliud uociferatur eximius ille Iesu Christi præco Paulus in omnibus concionibus suis, in omnibus epistolis suis, quàm disrumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum? Et tamen non desinunt tumultuari synagogæ proceres. Quoties hinc seditio mota est Paulo? Quoties in periculo fuit ne discerperetur à Iudæis, nisi iudices Ethnici Iudæis æquiores subduxissent hominem? Adeo nulla pestis nocentior religioni, quàm cæremoniarum superstitio, quum hæc se potissimum religionis specie commendet. Quid multis? tam pertinax erat cõspiratio synagogæ aduersus Christum domini, ut nisi pertinacissime clamasset Paulus: Disrumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum: in uinculis, in medijs uitæ discriminibus, immò nisi mortuus etiam clamaret, adhuc circuncideremur, adhuc insuaui iugo legis Mosaicę premeremur. Græcia quoniam mordicus adhæsit doctrinæ Pauli sui, semper purior fuit à Iudaismo. Cæterum Augustinus tot annis post ætatem Pauli queritur conditionem Iudæorum in quibusdam fuisse potiorem conditione Christianorum, & tantum in Africa fuisse Iudaicæ superstitionis, ut temulentia, ut adulterium, cæteraq́ue uitia pro ludo ducerentur ab his qui crimen inexpiabile putabant intra sabbatum nudo pede contigisse terram, propterea quod Africa, ut linguæ commercio, sic etiam gentis cognatione iuncta fuerit Hebræis. Roget aliquis, quæ res commouebat pharisæos, ut tanto opere pro frigidis & inamœnis obseruatiunculis digladiarentur aduersus Euangelicam libertatem? Hoc abunde docet historia Euangelica. Ambitio, auaritia, liuor instigabat illos. Populus rudis miratur ea quæ uidet, nec ulla re facilius ducitur, imò deluditur, quàm

falsa

falsa specie religionis. Regnum quoddam obtinebant pharisæi, præscribebant populo, addebant onus oneri, quo magis illum haberent obnoxium, erant in precio, habebantur semidei, atq; interim seruiebant uentri suo, consulebant rei familiari. Quemadmodum autem tyrannis expedit, ut quàm minimum sapiat, quàm minimum generosi spiritus habeat populus: ita illis expediebat, ut populus iugiter in hac infantia perseueraret, ne quando iugum excuteret. Eximium est, Euangelicum est, sed difficile est imperare liberis. Tyrannicum est ac facile imperare asinis ac stupidis. Itaque pro suo regno dimicabant pontifices ac pharisæi: suis commodis priuatis populi malo seruiebant. Et utinam aliquando finis esset huius tumultus aduersus Christum. Nulli seculo defuerunt, nec ulli defuturi sunt sui pharisæi, suus Caiphas, suus Herodes, suus Pilatus, suus populus pharisæorum ac principum furori subseruientes. Quisquis fremit aduersus sermonem Euangelicum, tumultuatur aduersus Christum. Quisquis conspirat aduersus præcones Euangelicæ doctrinæ, conspirat aduersus apostolos Christi. Nec alia res sic instigat mundum aduersus sermonem Euangelicum, nisi quæ res incitauit pharisæos aduersus Christũ. Qui de mundo sunt, amant ea quæ sunt huius mundi. Amant primos accubitus in conuiuijs, amant ambulare in stolis & phylacterijs conspicui, amant salutari rabbi in foro, amant otium, amant ex alieno uiuere: diligunt opes, diligunt uoluptates carnis, diligunt tyrannidem. Et ideo non ferunt sermonem Euangelicum, quia contrarius est cupiditatibus ac factis ipsorum. Hinc illi insani tumultus, primum exorientes a fucatissimis pharisæis, mox adiunctis & alijs sectis, adiunctis pontificibus & senioribus, inualescentes. Tandem & è populo pleriscq; pertractis in rabiem, & prophana præsidis potestate, alieno furori seruire coacta, uelut omnibus copijs ad certam uictoriã, & exitium Christi deuotis animis properant. Non enim adeo cæcus est mundus, quin intelligat ad opprimẽdam ueritatem magnis opus esse uiribus. Quid interim humilis ille Christus? Defertur, capitur, ligatur, cæditur, damnatur, crucifigitur, moritur, sepelitur, insultant pharisæi: Desciẽdat nunc de cruce, Vah, qui destruit templum dei, alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Hæc nimirum est uox mundi uictoriam suam iactantis aduersus sermonem Euangelicũ. Quid interea pusillus ille grex? Fugitat, latitat, musitat. Et tamen apud se non desinit uel gemitu dicere: Disrumpamus uincula eorum, proijciamus à nobis iugum ipsorum. Iugũ Ethnicorum, ut dicere cœperam, sunt fasciæ peccatorum, quibus asi rictus erat ille paralyticus, cui dixit Iesus: Remittuntur tibi peccata tua. Iugum pharisæorum sunt fasciculi cõstitutionum humanarum, quas illi iuxta testimonium Euangelicum colligunt, & imponunt humeris alienis onus importabile, quũ ipsi digito nolint tangere. Hos tantos laqueos, hæc uincula, hoc iugum quomodo poterunt effugere simplices & imbecilles Christi discipuli, aduersus mundum tanto consensu frementem? An despondebunt animum? an excusso suaui Christi iugo ceruicem præbebunt inamœno iugo mundi? Nequaquam. Sed unde solatium? unde præsidium? Audiat dominum suum: Nolite, inquit, timere pusillus grex. Ac rursus: Confidite quia ego uici mundum. Habes solatium, nunc audi præsidium: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & dominus subsannabit illos. Tantum abest ut terrę principes uictoriam auferant aduersus Christum, ut pro sperato triumpho risum & sannas sint reportaturi ex insano tumultu. Sed quid interim faciet pusillus ille grex? Num tumultu pugnabit cum tumultuante mundo? Num fraudem fraude, dolum dolo, uim ui propellet? Non arbitror. Quid igitur? Pijs precibus implorabit opem sui principis, qui est in cœlis, dicetq; cum ecclesia apostolica, sublatis in altum & oculis & manibus & animis: Et nunc domine, respice in minas illorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum. Paulus alligatus uinculis magistratuum non desinit tamen gloriari, sed uerbum, inquiens, domini non est alligatum. Non sunt exacerbandi mundi proceres, quantum fieri potest, sed non est omnino tacendum dei uerbum. Erunt in quos sit extergendus puluis pedum, sed rursus erunt qui cum gaudio excipiant sermonem Euangelicum, & ferent fructum, alius trigecuplum, alius sexagecuplum, alius centuplum. Sed priusquam altius ingrediar huius enarrationis pelagus, præstiterit aliquot scrupulos prius discutere. Primum de personis loquentis, mox de figura formaq; sermonis. Nam si quæ præcedunt: Disrumpamus uincula etc. dicuntur sub persona discipulorum Christi, quæret aliquis, cuius persona dicuntur hæc: Qui habitat in cœlis irridebit eos. Et Hilarius uidetur

uidetur tribuere sermonem hunc personæ prophetæ, qui consoletur Christi discipulos, addens animum aduersus inania mũdi machinamenta. Sed rursus existit altera dubitatio an totus hic uersus, qui constat duobus membris, pertineat ad unam personam, an altera pars pertineat ad patrem, altera ad filium. Hilarius subindicat hic quoq; seruatam personarum discretionem, quemadmodum in eo, qui præcesit: Aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Quemadmodum enim contumelia communis est patri ac filio, ita uindicta communis est utriq;, quo quidem ex argumento colligunt, eandem patris ac filij naturam. Vis & operatio cõmunis est utriq;, sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Ita cõmunis est honor. Nec enim pater iudicat quenq;, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificauit patrem. Communis & contumelia, qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum: & ideo qui conueniunt aduersus dominum, cõueniunt & aduersus Christũ eius. Similiter & hic quos irridet alter, alter subsannat. At interim existit dubitatio, utra pars utri personæ sit accommodanda. Hilarij quidem sermo subobscurus est, quo locum hunc exponit. Tamẽ is uidetur priorẽ partem tribuere deo patri, posteriorem filio. Visum est enim patrẽ hac metonymia signare, Qui habitat in cœlis: nõ quod filius nõ esset in cœlis, qui tum etiam dicitur in cœlis fuisse, quum mortali corpore uestitus uersaretur in terris: sed quod eo tempore, ad quod refertur hæc prophetia, filius dei descenderat in terras, assumpta natura humana, quum hæc dispensatio corporis assumpti, non competat in personam patris. Ac proinde nec missus unq; dicitur, sed mittens, quum filius ac spiritus sanctus mitti legantur. Ad hæc studiosi rerum Hebraicarum docent hanc particulam, qui habitat in cœlis, esse unum è sacris cognominibus dei. Irridet igitur pater, subsannat filius, sed eadẽ est irrisio, eadem subsannatio. Diuus Augustinus, ut ante diximus, non arbitratur esse notatam discretionem personarum, sed eandem sententiam esse repetitam, uerbis duntaxat immutatis, quod ante docuimus esse solenne in mysticis literis. Porrò quum utraque sententia sit probabilis, ego tamen, si quid habet momenti calculus meus, malim hac in parte Augustini iudicio subscribere. Atque hactenus de personis. Nunc de schemate sermonis, quod polliciti sumus, præstabimus. Frequenter in diuinis literis affectus humani tribuuntur deo, furor, ira, pœnitentia, gaudium, dolor, misericordia, quum nihil horum cadat in naturam diuinam, quæ prorsus est immutabilis, sed ex rerum mutatione quæ nobis accidit, iuxta consuetudinem mysticæ scripturæ affectuum uocabula deo tribuuntur, ut irasci dicatur, quoties afflicti malis scelerum nostrorũ pœnas damus: furere, quoties durius affligimur: misereri, quoties præter meritum nostrum rebus lætioribus fruimur, aut quoties mitioribus malis admonemur, ut resipiscamus: pœnitere, quum ita uiuimus, ut illius beneficio prorsus uideamur indigni, quotiesq; sua munera, quibus abutimur, aufert à nobis. In nobis igitur sunt affectionum huiusmodi uel causæ, uel effectus, quum deus semper sit tranquillus & immotus. Ergo quum ille sit immunis ab omnibus animorum affectionibus, multo minus in illum competunt affectiones corporis. Mens est deus, sed simplicissima, corpus nullo modo dici potest, nisi corpus dixeris rem, quæ suapte natura subsistat. Cæterum nobis ridet, qui rictum oris diducit: id physici putant accidere motis spiritibus circa reticulum diaphragmatis, quod dirimit cor ab inferioribus, nasci dicunt è splene. Proficiscitur autem ferè è gaudio, nonnunq; ex amarulentia, qui risus dicitur Sardonius. Subsannat autem qui corrugato naso deridet. Nam nasum irrisioni dicauit antiquitas. Hæc adeo non conueniunt in deũ, ut probis etiam uiris habeantur indecora. Verũ quo magis intelligatur scriptura sacra, suũ sermonẽ ad nostros affectus attemperat. Irridere dicitur impios deus, quoties illorũ conatus in diuersum recidũt, & molientes perniciem alijs, suis ipsorum consilijs illaqueantur. Est autẽ hæc peculiaris ars, ut ita dicam, diuinæ sapientiæ, ita temperare conatus malorum, ut illorum impietatẽ uertat in suam gloriam: & exitium, quod alijs intentant, uertat in autorum perniciem, & in bonorum felicitatem. Sic passus est Pharaonem aliquandiu sæuire in populum suum, quo liberantis illustrior esset gloria, & omnibus palàm fieret impium regem cum impio satellitio iusta dei uindicta periisse. Eludit igitur quodammodo, qui sciens ac uidens patitur impietatem eousque ferocire, donec semetipsam inuoluat exitio digno. Nimirum hoc est, quod legimus in cantico uirginis matris: Dispersit superbos mente cordis

cordis ipſorum. Rurſus in alio pſalmo: Ecce parturit iniuſtitiã, concepit dolorem, & peperit iniquitatẽ. Audis molitiones conſpirantiũ. Nũc audi quomodo illos irrideat is, qui habitat in cœlis: Lacum aperuit & effodit eum, et incidit in laqueum quem fecit. Conuertetur dolor eius in caput ipſius, & in uerticem eius iniquitas ipſius deſcẽdet. Similem uocem ſubſannantis audis pſalmo quinquageſimo ſexto: Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Audis fremitus ac minas coniuratorum. Sed ut intelligas, eum qui habitat in cœlis, ſuperiorẽ eſſe conſilijs ac uiribus humanis: Exaltare, inquit, ſuper cœlos deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Nunc uide quemadmodum irrideat illorum impios conatus diuina ſapientia: Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foueã, & inciderunt in eam. Item pſalmo triceſimoſexto: Obſeruabit peccator iuſtũ, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. Dominus autem deridebit eum, quoniam proſpicit quod uenient dies eius. In eandem ſententiam concionatur æterna ſapientia in prouerbijs Hebræorum. Coniurant & illic impij: dicentes: Inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra, deglutiamus eum ſicut infernus uiuentem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum. Sed quid illis reſpondet ſpreta ſapientia? Ego quoq; in interitu ueſtro ridebo & ſubſannabo, quum uobis id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando uenerit ſuper uos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane cõſurgent, & non inuenient me. Simile quiddam inuenire licet, & in prophanorum poetarum literis. Apud Homerũ Iupiter exitiabili ſomnio miſſo, ſpem facit Agamemnoni capiẽdæ Troiæ, quum Græcis omnibus cladem & exitium pararet. Vnde & ἀγκυλομήτιν eũ appellat poeta, hoc eſt, obliqui conſilij. Sic & apud prophetam mittitur ſpiritus domini mendax, qui fallat eos, qui nolebant audire ſpiritum ueracem. Deridetur & in euangelio diues ille, qui dilatatis horreis decreuerat ſuauiter ac ſibi uiuere. Quid enim audit, uelut à deo ſubſannante? Stulte, hac nocte repoſcunt abs te animam tuam, & hæc quæ congregaſti cuius erũt? Paulus item ſcribens Timotheo, meminit ſpirituũ impoſtorũ, per quos in exitium pertrahuntur qui pertinaciter cõſpirant aduerſus ſpiritũ ueracem Euangelij. Sic enim idem docet Paulus: Deus ſtultam facit ſapientiã huius mundi & ſapientes cõprehendit in aſtutia ſua, tradens illos in reprobum ſenſum, ut ea faciant, quæ non conueniunt, quoniam excæcati ſuperbia, maluerunt ſeruire creaturæ, quàm agnoſcere creatorem, ut ipſi ſibi dignam erroris mercedem accerſant. Iam ſi quis ad hoc uaticinium conferat hiſtoriam Euangelicam, is facile perſpiciet quoties, quot modis dominus è cœlis deriſerit ac ſubſannarit impiorũ hominũ conſilia. Primus omnium exitium puero machinatur Herodes, conſulit ſcribas, expiſcatur à magis tempus ſtellæ, hortatur ut ueſtigent puerum, uelut ipſe quoq; adoraturus ſi repertus eſſet. Quid hiſce rebus profecit uulpina prudentia? Conſulendo ſcribas, cõfirmat uaticinij ueritatẽ. Sciebant ex prophetia naſciturũ in Bethlehem, atq; illic natus eſt. Confirmatur et Magorũ narratio, qui ſtellæ ductu peruenerãt Hieroſolymã. Rumor latius ſpargitur ſolicitudine principis. Magorũ pietas accenditur regis ſimulatione, adorant pij quẽ quærebant, impius rex eluditur, Magis angelo monitore per aliã uiam reuerſis in regionem ſuam. Iam impotens ira uulpinam pellem exuit, & arripit leoninã, palàm furens ſæuit in ætatem etiam hoſti miſerabilem. Crudeli edicto iubet occidi quicquid natum eſſet maſculorũ intra fines Bethlehemiticos, uſq; ad bimatũ. Dilatat locum, ne poſſit falli uerbis prophetiæ, quæ fortè Bethlehẽ dixerãt, non uiculũ ipſum, ſed quicquid circumiacentis territorij ad uiculũ pertineret. Dilatat ætatem, nec ulli parcitur, ne qua poſſet unus elabi. Atq; his quoq; rebus declarat ſe credere prophetię, declarat ſe credere Magis iam Chriſtũ eſſe natũ. Atq; hic rurſus eluditur impia prudentia. Primitiæ martyrũ Chriſto conſecrãtur. Chriſtus qui ſolus petebatur, ſolus elabitur, Herodis immanitas exitio digna cunctis mortalibus declaratur, Aegyptus tum ſuperſtitioſo dęmonum cultui dedita, ſeruatoris ſui cunabulis cõſecratur. Deluditur & ille ſalutis humanæ ſempiternus hoſtis, qui per Herodẽ exitium Chriſto moliebatur. Adoritur enim uarijs tentationum inſidijs, ut ſi rationem diuini conſilij certo potuiſſet elicere, ſalutem orbis impediret: ſed reuincitur à Chriſto, & reuincitur ſuo gladio. Tentabat ille fallere diuinæ ſcripturæ uerbis, eiuſdem ſcripturæ uerbis retunditur. Denique ita diſcedit, ut prorſus inuincibilem uideret,

quem

quem tentabat, nec tamen liquido cognoſceret eſſe deum, quem ut hominem uidebat eſurientem. Huius ſatellites quoties clamant per hominum miſerorũ ora: Scimus quod ſis filius dei, ueniſti ante tempus perdere nos. Sed non accipit teſtimonium ab impuris ſpiritibus, qui cæcorum & mulierc̃ularum teſtimonium non aſpernabatur. Hic erat ille ſerpẽs callidiſsimum animal totius terræ, qui ſemel impoſuerat ueteri Adam per ſeducĩã mulierem: ſed idem per nouum Adam ſuis artibus deluditur, nec prius ſentit ſe uictum, ꝙ quum ipſe ſibi certam uictoriã polliceretur. Quis enim expectaret per ignominioſum lignũ crucis iter eſſe ad immortalẽ gloriam? Quis crederet ſupplicio parari regnũ, morte uitam redimi? Hic erat aſtutus ille ueterator, qui per organa ſua phariſęos et ſcribas toties inſidias ſtruxit Ieſu, captioſis interrogatiunculis uenantes, unde illũ caperent. Nec aliud interim efficiunt, niſi quod et ſuam amentiam ac liuorem traducerent etiã apud imperitã multitudinem, & Chriſti gloriam illuſtrarent, & autoritatem confirmarent. Calũniantur illius miracula, uelut ea patraret præſidio Beelzebub. Ea calumnia uertitur in gloriã dei, dum argumentis irrefutabilibus Chriſtus docet illa non poſſe fieri, niſi uirtute dei. Quo magis ſtudent illi detrahere apud populum, hoc magis excitant illius admirationẽ, humanam ac fraudulentam ſapientiã ubiꝙ ſuperante diuina ſapientia. Nonnunꝙ & clàm illi obmurmurant. Et hic deluduntur, dum Ieſus reſpondet ad tacitas illorũ cogitationes, & aliâs ita reſpõſum tẽperans, ut tecte percutiat illorũ conſcientiã. Iam dum è lapidantiũ manibus elabitur: dum pręcipitandus per medios cuneos euadit, nónne bis deluditur hominũ cõſpiratio? Nam nec datur illis ſęuiendi poteſtas in quẽ uolunt: & nobis declaratur illũ ſponte mortẽ pro nobis oppetiſſe, qui ſuo, nõ illorũ, tẽpore mori uoluerit. Ac ne ſingula perſequens, tædio ſim lectori, ꝙ male ceſſit Iudæis, ꝙ bene nobis illud conſiliũ, quod illis uiſum eſt uehementer callidũ, ut Ieſus ſpecie legitimi iudicij periret, quo ſic ab omnibus ſceleroſus ac maleficus haberetur. Hic nihil agitur niſi frequenti conſilio phariſęorũ, ſcribarũ, ſeniorũ & Pontificũ. Attrahitur & populus ne quẽ latere poſſet illa ſacroſancta uictima, quæ pro totius mũdi ſalute erat immolãda. Aſtutia ſua debat illis ne occideretur in die feſto, ſed impotẽs illorũ furor ſubſeruit diuino conſilio, cui decretũ erat ab æterno, ut uerũ illud phaſe die paſchæ maciaretur. Pecunia redimitur opera diſcipuli ad prodendũ dominũ ſuũ, atꝙ hic dum nũmos ad pedes abiicit, dũ de ſeipſo ſupplicĩũ ſumit, nónne graue teſtimoniũ etiã apud ipſos reddit innocentiæ Chriſti? Imò dum ipſi prępoſtera religione decernũt, et in hoc cõuocato cõſilio, nũmos eos nõ eſſe deferẽdos in corbonã, ſed his agrũ redemerunt in ſepulturã pauperũ & peregrinorũ, ut nomẽ etiã ipſum teſtaretur, innoxiũ caput precio uenditũ, nónne ipſi & ſuæ malicĩæ, & Chriſti innocẽtiæ teſtes eſſe uoluerũt? Dũ per ſubornatos falſos teſtes accuſatur apud impiũ ſacerdotẽ Caiphã: dũ in tali quoꝙ iudicio reiiciũtur illorũ teſtimonia, nõne illorum malicia ſeruatoris eximiã illuſtrat innocentiã, in quẽ nec fingi quicq̃ potuit probabiliter? Dũ ex officio ſuo uaticinatur Caiphas: dũ ex adiurato confeſsionẽ extorquet: dũ ſcindit ueſtimenta ſua corã omnibus, nõne ſuo teſtimonio cõfirmat cõſilium redẽptionis? Nonne noſtræ fidei cõſuluit, qui certius iam nouimus eũ eſſe filiũ dei, uenturũ aliquãdo cũ angelis ſuis ad iudicandũ uiuos et mortuos? Nónne didicimus ſciſsis ueſtib. abolendũ ſacerdotiũ Moſaicũ? Nec aliter illis cecidit illud conſiliũ, quod ut à ſe depellerẽt inuidiã mortis, quẽ ſciebãt innocentẽ, deducũt ad prętoriũ Pilati. Siquidẽ dũ ethnicus ille qui neq; legẽ nouerat, neq; uiderat Chriſtũ ædentẽ miracula, neq; docentẽ audierat, tot modis obnititur illorũ ueſaniæ, ut innoxium eriperet, dũ negat ſe inuenire in homine ullũ crimẽ morte dignũ, dũ religione diei feſti, & Barrabæ ſeditioſi homicidæ collatione ſtudet opitulari Chriſto tot beneficijs noto: dum flagellatũ producit, quo uel hac pœna ſatiatus illorũ liuor miteſceret, dũ ab uxore quoꝙ ſubmonetur, ne ſe cõtaminet ſanguine innoxij: dũ omnibus tẽtatis, tandẽ manus abluẽs, teſtatur ſe immunem à ſanguine Chriſti: nónne hæc omnia Iudæorũ cõſilio procurata, miris argumentis cõfirmant innocentiam Chriſti, etiam apud gentes? Ac dum Iudæi tot rebus implacabiles uelut in rabiem actũ, non cœlant amplius amentiam ſuam, ſed clamant: Crucifige, crucifige: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et: Non habemus regem niſi Cæſarem: nónne palàm faciunt omnib. ſeſe eſſe dignos exitio, quod poſtea legimus in gentem eam ingruiſſe? Pilatus dãnando Ieſum abſoluit immunitatem præfatus, anteꝙ dãnationis ſententiã pronunciaret nõ ex animo ſuo, ſed ex illorũ ueſania. Qui de-

precatur iudicij uindictam,nimirum innocentem pronunciat eum qui damnatur: & qui se pronunciat immunem, grauat eos, quorum inuidia opprimitur innoxius. Quod nec Euangelista tacuit: Sciebat enim, inquit, quod per inuidiam tradidissent eum. Iudæi sese damnant apud tribunal, & in suum caput accersunt uindictam diuinam. Quid multis? Ducitur & ad Herodem,ut illinc quoq; referret innocentiæ suæ testimoniũ. Contemptum eũ remisit Herodes,non damnatum: & cõtemptum ob silentiũ,non ob crimẽ, quum tamẽ multis nominibus accusaretur. Legimus enim à discipulis admonitũ Iesum, cauere, quod Herodes captaret occasionẽ occidendi illũ. Intellexit & impius rex,& inimicus,hominis innocentiã. Fama duntaxat cognitum quærebat occidere,cõspectum dimittit,ex quo colligimus integritatem animi in ipso domini uultu reluxisse. Iam chlamys coccinea,corona spinea,arundo sceptri uice data,colaphi,alapæ,sputa,uerbera,conuicia, scommata,ludibria,& si quid aliud Pilati cohors ante supplicium legitimum ex suo ingenio debacchata est in Iesum,dubium non est quin instigatoribus Iudæis sit peractum. An non hic quoq; peruersitas illorum subseruijt uaticinijs prophetarum, quæ hæc ita futura prædixerant, & insignem Christi nostri mansuetudinem orbi commendauit? Similiter quod genus mortis probrosissimum illis potissimum placuit, quod inter facinorosos crucifixus est extra ciuitatem, quod in monte, quod perfossi pedes ac manus, quod aceto potatus,quod in cruce pendens,amarulentissimis conuicijs impetitus est,hæc præterquam quod ita procurata sunt à Iudæis, quasi solicitis, ne qua pars uaticiniorum de Christo uideretur prætermissa,quo magis declarant insanum & immedicabile odium Iudæorum in Christum,hoc magis illum commẽdant & amabilem reddunt affectibus nostris. Quis magis potuit resurrectionis fidem astruere q̃ isti, dum tanta solicitudine publicam custodiam petunt à præside: dum hoc non contenti,sepulchrum obsignant, ne clam uideri posset sublatus à discipulis. Postremo ubi uident tot consilijs nihil actum: ubi uidẽt omnia in diuersum cedere,qui mentem discipuli pecunia corruperant, nunc mendacem linguam custodum mercantur magna,ut ait Euangelista,summa, quo dicerent ipsis dormientibus uenisse discipulos, ac furtim sustulisse corpus Iesu. Quid stolidius? Iam custodes passim narrauerant,quomodo expauissent ad fulgorem angeli: quid audissent illum loquentem cum mulieribus: quomodo uidissent sublatum saxum, quod hactenus fuerat obsignatum, & maius erat, q̃ ut à paucis tolli posset: nunc dormientes uident adrepẽtes discipulos,& suffurantes corpus Iesu. Quis hæc orbi fuerat persuasurus, ni pharisæorum impia diligentia tot argumentis procurasset fidei nostræ certitudinem? Nónne in his omnibus machinamentis,qui habitat in cœlis irrisit impios tumultuantes in terris, & dominus subsannauit illos? Ille quẽ tot ignominijs onerarunt, in gloria est dei patris: quem funditus extinctum putabant,salutem attulit omnibus gentibus: quem mortuum existimabant,reuixit,uicturus in æternum: quem infra omnes homines deiecerant, quem uermem reddiderant,ac proiectamentum plebis,in toto orbe deus & homo colitur, & adoratur. Crux illa prius ignominiosa, gloria est principum,ac fideliũ omniũ. Ad nomen Iesu quod illi moliebantur funditus abolere,flectitur omne genu,secq; submittit omnis celsitudo cœli ac terræ. Quid ais infelix Iudæe,uides ut omnia tua consilia deus uerterit in diuersum? Vides ut in tuum caput iniquitas tua descenderit? Vides te in foueam incidisse quam foderas? Vides templum funditus dirutum, sic ut nec reliquiarum quicquàm appareat,religionem penitus extinctam, sacerdotium, legem,principatum, urbes,gentem, locum,breuiter nihil supereſſe, præter paucos uagos & exules,ueteris insaniæ calamitatisq; testes,& hos ipsos non alia re incolumes,quàm Pauli commendatione, quem crudelissime persequebantur, & Christianorum, quos insanissime oderunt, clementia? Habes Iudæe infelix sanguinem innoxium accersitum in caput tuum, ac filiorum tuorum, fruere. Habes regem Cæsarem, Christo prælatum,fruere. Ac ne sic quidem resipiscis,& agnoscis cæcitatem tuam. Adhuc spiras odium in regem Iudæorum, quem nos adoramus? Quid tu satana,horum malorum autor & instigator? Nónne uides omnia tua consilia delusa cœlitus? Deuoraueras prædam,sed coactus es remouere. Parabas exitium humano generi, & maturasti salutem. Conabaris stabilire tyrannidem tuam, & perdidisti regnum. Agnoscis ne lignum illud,quod per tuos misisti in panem illius? Agnoscis ne triumphale signum, ad quod pauitant tuæ cateruæ? Agnoscis ne nomen illud Iesu,ad quod

exiliunt

exiliũt,fugiuntq; dæmones tuæ malitiæ ſatellites? An non merito uerſis in diuerſum rerũ uicib.uictor ille tibi uicto inſultat. Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Vbi eſt mors uictoria tua? Acdũ uictus etiã ac proſtratus in uictorẽ recalcitras,dũ iam olim Phariſæos,ac reges gentium inſtinctu tuo furere compellis in martyres, quid uinculis,carceribus,lapidibus,flagris,eculeis,ungulis,ignibus,quid tot horrẽdis tormẽtorũ generibus,quid tot mortibus, profeciſti? Confirmaſti fidem Chriſti. Conſtabiliſti ſimul,ac dilataſti regnũ Chriſti,tibi tuiſq; membris gehennæ cruciatus cõduplicaſti. Partim debemus tuæ pertinaci ueſaniæ quod in toto terrarũ orbe glorioſum eſt nomẽ domini Ieſu Chriſti. Et quotidie tuos inuidos conatus irridet qui in cœlis eſt. Quotidie machinationes tuas ſubſannat dominus, qui nouit omnes inſidias,ac tumultus tuos ſuis uertere in bonum, & in cumulũ felicitatis æternæ. Sed prophetiæ tenorẽ perſequamur. Sequitur enim: Tunc loquetur ad eos in ira ſua & in furore ſuo cõturbabit eos. Hic primũ oportet meminiſſe,quod ſuperius dictũ eſt nobis,diuinã naturã nullis perturbationibus eſſe mutabilẽ, ſed per Synecdochen huiuſmodi uocabulis ſignificari nõ ipſum animi motũ, ſed quod ex animi cõmotione naſci ſolet in nobis,aut contrà. Nobis enim quoties efferueſcit ſanguis circa præcordia, cõmouemur ad uindictã: proinde ſolenne eſt diuinis eloquijs,iuſtam dei ultionẽ,qua punit incorrigibiles, iram appellare: ſeueriorẽ aut extremam uindictam,furorẽ. Rurſum,quũ noſtra bonitate quis abutitur,tangimur dolore,quia pœnitet beneficij male collocati. Deus igitur pœnitere dicitur,nõ quod aliquid præter ſpẽ eueniat,aut imprudenti,qui præſcius eſt omnium anteq; fiant: ſed præceſſit aliquid,quod nobis adferret pœnitudinẽ. Non in ueteris tantũ teſtamenti libris ultio peccatoribus inflicta,dicitur ira dei,uerumetiã in nouo. Sic enim loquitur Ioannes Baptiſta in Euangelio: Progenies uiperarũ,quis uobis demonſtrauit fugere à uẽtura ira? Et Paulus ad Romanos: Reuelatur enim ira dei de cœlo. Idem diem iræ uocat extremum illud tempus,quo quiſq; præmiũ feret pro ſuis factis,quũ interim ſit miſericordiæ tempus. Porrò quod Latinus interpres uertit furorẽ, non eſt Græcis μανία, qua correpti,mente capti dicuntur, etiam ſi iuxta philoſophorum placita, ira nihil aliud eſt,& breuis inſania,ſed θυμὸς, quæ uox Græcis aliquando ſimpliciter ſignificat animum,aliquando impetũ animi uehementer cõcitati. Latini malunt animos dicere,& animum,quoties hunc impetũ intelligi uolunt. Vnde Satyricus: Animos à crimine ſumunt. In Hebræis uocibus aiunt eſſe minimum diſcriminis, ut appareat, & hic eſſe repetitã eandem ſententiã,in ira,& in furore,quemadmodũ ſuperius in irridebit,& ſubſannabit. Nec interim eſt oſcitanter prætereunda huius uocis emphaſis,tunc: ſignificat enim diuerſarũ rerũ conſequentiam ad ea quæ præceſſerunt,indicat & tarditatem, & certi noticq; tẽporis habet ſignificationem. Poſtea q̃ igitur fremuerunt gentes,& populi meditati ſunt inania: poſteaquã reges terræ conglomerati,et principes conuenientes in unum,nihil nõ machinati ſunt aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius: poſteaq̃ omnis illorum conatus in diuerſum ceſſit,ut eorum aſtutia merito uideri poſsit eluſa conſilio diuino,diuq; et illi per cæcitatem animi ſui debacchati ſunt aduerſus redemptorẽ, & deus omnium rerũ præſcius è cœlis ſubſannauit illorũ impia molimina, tandẽ loquetur etiã illis. Quomodo loquetur, & quando loquetur? Loquetur illis in ira ſua,& in furore ſuo. Loquetur in illo die tremendo, quando iuxta Chriſti uaticinium, uirtutes cœlorum mouebuntur. Tunc horribili uoce loquetur in ira ſua: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo,& angelis eius. Interim loquitur nobis in miſericordia ſua,tolerat,inuitat ad reſipiſcentiam,nihil nõ facit,ut alliciat nos ad ſe. Auguſtinus admonet hoc loco iram dei intelligi poſſe cæcitatem mentis,quæ conſequitur eos,qui diu multisq; modis ad pœnitẽtiam prouocati,bonitate dei ſunt abuſi,& inde facti ſunt ſceleratiores,unde debebãt emendari: Hãc iram uidemus ac dolemus adhuc in Iudaicæ gentis reliquijs,quũ uideant in Chriſto cõpletum,quicquid de Meſsia prædixerant ipſorum prophetæ, quum ex euangelica hiſtoria diſcere liceat,non alium eſſe Chriſtum,& quem nunc totus mũdus colit. Quum ſentiant ſeſe irriſos non ſolum à deo,ſed etiam ab omnibus mundi nationibus,tamen adhuc male dicunt Chriſto in ſynagogis ſuis, & Meſſiam neſcio quem alium expectant, quem non uidebunt, niſi in die iræ: nec audient, niſi quum ille in furore ſuo cõturbabit omnes impios. Et quum interim ex ipſis malis ſentiant manifeſtam iram dei in ſe,tanta tamen eſt animi cæcitas,ut nec tam inſignis uexatio det intellectum auditui. Nimirum hæc

est ira de qua loquitur Paulus scribẽs Romanis: Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intrarit. Hæc est ira quæ tandẽ uenit super illos in finẽ, ut idem ait: Nec in Iudæos solũ, sed in gentes etiã, quæ pertinaciter restiterunt euangelio dei, quẽadmodum scribit Paulus ad Ephesios: Alienati, inquit, à uita dei per ignorãtiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, & in operationem immunditiæ omnis, in auariciã. Et aliquanto post: Propter hæc enim uenit ira dei in filios diffidentiæ. Hæc interpretatio nihil quidẽ habet, quod abhorreat ab orthodoxo sensu, mihi tamen magis probatur, ut iram hanc, ac furorẽ domini accipiamus afflictionem, & obiurgationem, qua deus pertrahit nos ad resipiscentiam. Sic enim ille subinde mutat uocem suam, nobis loquens olim per prophetas, nunc per filium suũ Iesum. Aliquando rerum successu prouocat ad amorem eius, qui gratis tam multa cõfert immerentibus, nonnunq; immissis calamitatibus compellere conatur ad pœnitentiam. Interim promissis blande inuitat, interim pœnam minitans terrorem incutit, ut emẽdemur, quemadmodum pater nunc blanditur filio, ac donat aliquid adhortans ad officiũ, nunc minatur abdicationem, nonnunq; & flagris castigat, ut sese recipiat ad frugem meliorem: & quemadmodum medicus nunc secat uritq;, nunc lenibus unctionibus, ac malagmatis mitigat uulneris dolorem. Vis audire dominum, ueluti filio promissa mercedula blandientem? Honora, inquit, patrem tuum, & matrem, sicut præcepit tibi dominus deus tuus, ut longo uiuas tempore, & bene sit tibi in terra, quã dominus deus tuus daturus est tibi. Libet audire seueram illam obiurgatricem ac minacem domini uocem? Sic loquitur apud Esaiam: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt dominum, blasphemauerũt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam uos, ultra addentes præuaricationem? Cæteraq; permulta, quæ sequuntur in hanc sententiam. Quorsum autem pertinet hæc tam acris tamq; prolixa obiurgatio? Non aliò quàm amarum pharmacum datum ægrotanti. Sed audi rursus apud eundem hanc iræ furorisq; uocem commutatam in uocem clementiæ: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruersa, discite benefacere. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata uestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut uermiculus, uelut lilia alba erunt. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Sed uæ illis, qui ad utranq; domini uocem pertinaciter surdi sunt. Nam istos manet quod sequitur eodem in loco: Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos, quia os domini loquutũ est. Quid hoc sibi uult, si me ad iracundiã prouocaueritis? An non & ea quæ præcesserunt tam multa, uidentur hominis uehementer irati? Sed quoniam ostendimus iram domini uindictam intelligi, duplicem uindictam accipimus: alteram misericordem, qua corrigit: alteram ultricem, qua perdit. Qui priorem uindictam obstinate contemnunt, hos tandem manet posterior. Quod ne nobis eueniat, clamat spiritus sanctus in psalmo: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Hodie est, quàm diu sumus in hac uita. Audiemus igitur hodie uocem eius, ut emendemur, ne post uolentes nolentes audiamus uocem eius, & pereamus in æternum. Verum huiusmodi uel sexcenta loca suppeditant nobis ueteris testamenti uolumina, in quibus subinde dominus commutat genus orationis suæ, si cui uacabit perquirere, nos sat habemus unum aut alterum indicasse. Quin & in noui testamenti libris, tametsi prædicatur lex gratiæ, & annunciatur tempus misericordiæ, tamen animaduertes utranq; dei uocem in filio loquentem nobis. An non terrifica uox est: Ligatis manibus & pedibus mittite eũ in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ? Item: Diuidet eum, et ponet partem eius cũ hypocritis. Rursus: Væ uobis pharisæi, uæ uobis scribæ, uæ uobis diuites, an non iracunda uox est? Sed hæc ira surdastros expergefacit ad pœnitentiam. Audi nunc uocem diuersam: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meũ suaue est, & onus meum leue. Austera uox est: Vos ex diabolo patre estis, & opera patris uestri facitis. Sed huic diuersa est: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sic loquutus est & Paulo spiranti cædes ac minas aduersus discipulos domini: Saule Saule, quid me persequeris? Durum est tibi aduersus

uersus stimulum calcitrare. Deiectus est in terram, exoculatus est, subito fulgore conturbatus est. Nimirũ hoc est quod ait: Et in furore suo cõturbabit eos. Hæc salutaris erat iracundia, quo pharmaco statim sanatus Paulus, respõdet: Domine, quid me uis facere? Sic corpus ægroti conturbat medicus pharmaco uiolento, ut abeat morbus, & succedat sanitas. Quod egit deus per prophetas, quod per filiũ suum, hoc egit et per discipulos suos, & quotidie agit per bonos doctores & episcopos. Quoties Paulus mutat uocẽ suam in epistolis: nũc materna charitate blandiens, obsecrans, & cõsolans: nũc autoritate apostolica minitans inobedientibus. Sed siue blandiuntur, siue obiurgant ac minitantur ecclesię proceres, non oportet aliò spectare, & ad ædificationẽ. Sermo mutatur, sed idem est animus: mutatur remedij genus, sed eodem tenditur. Mauult Paulus semper uti lætis ac blandis, sed tamen aliquando coactus contristat animos suorum. Nec huius rei pœnitet mitissimum apostolũ tametsi pœnituerat: Dolebat huc adigi, ut filios suos charissimos mœrore afficeret. Sed gaudet ubi uidet illis bene uertisse pharmacum. Sic enim scribit Corinthijs in epistola posteriore: Quod & si contristaui uos in epistola, non me pœnitet. Et si pœniteret, uidens quod epistola illa, & si ad horam uos contristauit, nunc gaudeo, non quia cõtristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secũdum deum, ut in nullo detrimẽtum patiamini ex nobis. Quæ enim secundũ deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilẽ operatur. Sæculi aũt tristitia mortẽ operatur. Loquitur autẽ deus bifariã nobis, per scripturas suas, et rebus ipsis. Frequẽter itaq; uersandũ est nobis in euoluendis sacris uoluminibus, ut audiamus quid ibi nobis loquatur dominus: dandaq; est opera, ne surdis loquatur. Porrò literarum imperitis, tamen rebus ipsis frequenter loquitur, & hic oportet cordis auris habere patefactas, ne spernamus uocẽ domini. Si quid lætæ rei acciderit, ne imitemur illum, de quo scribit psalmographus alio loco: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, impinguatus, dilatatus, dereliquit deum factorem suum, & recessit à deo salutari suo: & si senserimus nos obnoxios peccatis, gratias agemus clementiæ dei, quæ nos malis dignos, beneficijs etiam inuitat ad resipiscendum: sin nullius mali erimus nobis conscij, studebimus aliquid accessionis adiungere pristinæ erga deum pietati. Si morbus aut alia calamitas inciderit, gratias agemus diuinæ bonitati, quæ nos oblitos nostri reuocat ad emendationem uitæ, hic flagellans filios suos, ne pereant in æternũ. Quemadmodum scribit Paulus ad Corinthios: Dum iudicamur à domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Quod si quid afflictionis nobis immerentibus accidit, tamen agemus gratias deo, cuius bonitas suppeditat nobis materiam augendæ cõfirmandæq; pietatis. Quemadmodum docet Iacobus apostolus: Omne gaudiũ existimate fratres mei, quum in tentationes uarias inciderítis, sciẽtes quod probatio fidei uestræ, patientiã operatur, patientia autem perfectum opus habeat, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Rogemus dominum, ut hac ira paterna semper flagellet nos, ut hoc furore cõturbet nos, ut toti inhorrescamus ad agnitionem peccatorũ nostrorũ, & contristemur secundum deum in salutẽ, concutiamur terrore supremi iudicij ac gehennæ, ne nobis sic loquatur dominus in ira sua, quemadmodum locutus est Herodi, quem horrenda morte percussit angelus domini: quemadmodũ locutus est Hierosolymis, totiq; nationi gentis Israeliticæ, in quam sic sæuitum est à uictoribus Romanis, ut nec ętati, nec sexui parcitum sit, nec lapis relictus sit super lapidẽ, quia pertinaciter noluerunt cognoscere tempus uisitationis suæ: nec satis habuerunt semel crucifixisse dominũ gloriæ, nisi post resurrectionẽ quoq; pertinacissimis odijs eundem in discipulis suis fuissent persequuti. Itaq; relicta est eis sua domus deserta, nec ciuitatem habent, nec templum, nec regnum, nec sacerdotium, nec populum: imò quod est omnium infelicissimum, nec oculos habent ut uideant uoluntatem domini, nec aures habent, ut audiant quid loquatur dominus: nec cor habent, ut resipiscant & intelligant, & conuertantur ad regem suum, quem Cæsari quondã posthabuerunt. Quin & alijs multis gentium principibus locutus est in ira sua dominus, Neroni, Diocletiano, Maximino, Iuliano, qui manifesta dei uindicta perierunt in cæcitate cordis sui, subitoque dum sese erigunt in cœlum, ac deo bellum inferunt, præcipites dati sunt in tartara. Posteaquam igitur propheta cœlesti afflatus spiritu, docuit uniuersos illos regum ac populorum tumultus fuisse inanes, illusos & irrisos, nec ullam esse tantam potentiam, neq; cœlestium, neq; terrestrium, nec infernorum, quæ dei uindictam possit

effugere,si loquatur in ira sua,& si in furore suo cõturbet hostes suos,nunc ostendit quod fuerit illud æternæ sapientiæ decretum, quod homines frustra conati sunt oppugnare. Iudæi mordicus tuebantur legem suam, pharisæi defendebant regnum suum,põtifices depugnabãt pro autoritate sacerdotij sui, philosophi supercilium suum nolebant deponere, reges omni ui depugnabãt pro ditionis aut legum suarum autoritate: populus à superstitione,cui iam assueuerat,à uitijs iam in naturam uersis,non poterat auelli. Alius aliud spectabat,sed tamen aduersus Christum domini idem erat animus. Iudæus in religione dissidebat ab ethnico,sed cõcordabat in odio Christianorũ. Reges inter se bellis dissidebãt, sed in extinguendis Christi discipulis unanimes erant. Populus oderat principes suos ut tyrannos, & publicę libertatis oppressores,sed sæuientibus in Christianos fauebat. Philosophorum sectis nihil inter ipsos conueniebat, sed omnes aduersus euangelicam philosophiam coniurauerant. Cæterum inter hos tantos tumultus manet immobile decretum æterni regis: Ego,inquit, ordinaui siue unxi regem meum super Sion montem sanctum meum, Sic enim habet Hebraica ueritas,si quidem Hieronymo credimus,iuxta quam lectionem hæc uerba tribuuntur patri: qui quum prius irrisisset & subsannasset eos, nunc incipit loqui & proferre potestatem, atq; autoritatem suam, cui par est omnem humanã autoritatem cedere. Tumultuaria militum manus creabat Cæsarem, Cæsar instituit reges ac præfectos. Et frequenter stultus populus asciscit sibi stultos & impios reges: quẽadmodum olim populus Israeliticus à deo flagitauit Saulem, fastidito Samuele: quemadmodum in apologis ranæ deposcunt à Ioue regẽ ciconiam, contẽpta trabe. Sed qui habitat in cœlis,unum regem constituit immortalem,æternum,inuincibilem, immutabilem, summe sapientẽ,summe potentẽ,cui uni necesse est ut sese submittat omnis creatura quæ in cœlis,& quæ in terris. Is est dominus Iesus, quem frustra oppugnat mundus, cui à patre data est omnis potestas in cœlo & in terra. Iuxta translationẽ Septuaginta,uersus hic accommodatur filio: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Porrò quum in Hebræis uerbis nihil sit ambiguum,non uideo quid uitarint Septuaginta,præter duram ac subitam personæ mutationem. Quum enim præcessisset: Tunc loquetur ad eos in ira sua,& in furore suo conturbabit eos: Subdure cohæret. Ego autẽ ordinaui regẽ meum &c. quũ prior uersiculus dicatur à propheta de patre, proximus ab ipso patre pronuncietur. Rursus qui sequitur, Annunciabo dei præceptum: attribuitur filio. Proinde quo mollior esset sermonis contextus, incolumi sententia prophetię,mutauerũt personam patris in personam filij. Neq; raro tale quippiã sibi permittunt Septuaginta,uelut in huius psalmi uersiculo: Ne forte iratscatur dominus,et pereatis de uia iusta: duas uoces adiecerũt de suo,dominus,& iusta. Iuxta sensum humiliorẽ hæc satis quadrant in Dauid,qui depulsis Iebusęis,regiam suam constituit in Sion,quę est arx Hierosolymorũ,sed nobis iam ualeat insipidus ille,& aqueus sensus occidentis literæ: magis libet bibere de ui no nouo regis nostri. Quid enim nobis rei est cũ Dauid,qui temporarium,ac breui perituram regnum tenuit in Palæstina orbis angulo? Aut quid magni habebat secundum historicum sensum monticulus ille Sion,qui olim ab idololatris incolebatur, ac tum etiam, quum esset regnum Dauid,occidebat prophetas,atq; ipsum denicq; prophetarum dominum occiderunt: sed dum occidunt, illius illustrant gloriam, & in hoc incurrunt, quod maxime uitant. Hoc enim exprobrat eis rex noster in prophetia: Quid frustra molimini populi tumultuãtes inanibus cõsilijs? Quid frustra conamini reges terræ? Ego solus constitutus sum rex,non ab hominibus, sed à deo,cuius uoluntati nemo potest resistere,ut teneam imperium,cuius nullus erit finis,super Sion montem sanctum ipsius. Sion Hebręis speculam sonat. Hic nimirum est ille mons toties decãtatus in mysticis literis,mons euangelicæ doctrinæ,unde despicimus quicquid hic mũdus habet sublime, & unde uicini cœlo spiritum cœlestem meremur accipere. In eo ferunt extructum fuisse templum Mosi, in eo regiam Dauid,in eo domum ecclesiæ typum, in qua concorditer congregati discipuli, pro terrenis facti sunt ignei. In hoc condita est ciuitas illa euangelica, quæ non potest abscondi,& aduersus cuius fundamenta nihil ualent inferorum portæ. Est enim munita non excubijs humanis,aut præsidijs huius mundi, sed murum habet bonorum operum ante murale fidei: regem habet Christum, & protectorem deum. Quemadmodum scripsit Esaias: Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & ante-

murale. Vis autem audire cuiusmodi populus inhabitat hanc ciuitatem? Nouus est populus, pacis & ueritatis euangelicę cultor: Aperite, inquit, portas, & ingredietur gens iusta, custodiens ueritatem. Vetus error abijt. Seruabis pacem, quia in te sperabimus. Hanc & in alio psalmo demiratur spiritus propheticus: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas dei. Et: Diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Et rursum: Fundamenta eius in montibus sanctis. Rursus alibi: Qui cōfidunt in domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalē. Quin & alijs plerisq; mysticæ scripturæ locis mentio fit honorifica montis huius, & huius ciuitatis Hierusalem: quod quoties fit, nos aut ecclesiam catholicam intelligere debemus, aut ciuitatē cœlestē, cuius ecclesia ueluti pars est ac rudimentum. Quisquis erectus ad amorē rerū cœlestium uelut è sublimi despicit, quicquid hic mundus ostentat tāquam magnificum ac sublime, is habitat montem Sion, ac uere ciuis est ecclesiæ. Hierusalem Hebræis sonat uisionem pacis. Huius ciuitatis ciues, & si nondum assequi possunt pacem perfectam, tamen iam sublatis oculis in illam cœlestem patriam, procul uident pacem illam æternam, & ad eam ardentibus uotis suspirant, expectantes illud tempus, quādo deus absterget omnem lachrymam ab oculis piorum, & iam non erit amplius neq; luctus, neq; clamor, sed nec ullus dolor. Moses procul à cacumine montis salutabat terram promissionis. Isti subinde salutant matrem suam Hierusalem, dicentes: Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum. Cōcupiscit & deficit anima mea in atria domini. Sed ut uideas hanc patriam, in specula sis oportet. Non cernitur ab ijs, qui colunt humilia, uersantes in sordidis huius mundi curis, habentes oculos grauatos crapula mundanæ felicitatis, ac stultæ prudentiæ. Habet mundus suos montes, sed execrabiles domino. Est mons superbiæ, in quo primus posuerat sedem suam, qui dixit in corde suo: Similis ero altissimo. Sunt montes Gelboe, quos deuouet Dauid, imprecans eis, ut nec rore, nec pluuia cœlesti reddantur fœcundi. Sunt montes quos tangit dominus, & fumigant. Et apud Hieremiam deus minatur monti pestifero, qui corrumpit uniuersam terram. Sed hic est mons, cui benedixit dominus, de quo cecinit Esaias: Erit in nouissimis præparatus mons domini in uertice montiū, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem domini, & ad domū dei Iacob. Angusta erat ciuitas Hierosolyma, non capiebat nisi Iudęos, nec eos omnes. At hæc domus domini tā est capax, ut uniuersas totius orbis nationes una complectatur. Sunt uarij montes in circuitu, sed unus est mons. Sunt uariæ domus, sed una domus domini. Multæ sunt ecclesiæ, sed sicut unus est rex, ita una ecclesia catholica, gremio suo complectens uniuersas. Totius ecclesiæ caput Christus est, qui est super omnia deus benedictus in secula. Regē habet inuisibilem, quia mons est inuisibilis, non potest ostēdi digitis, hic est mons Sion; sicut nec Christus ostendi digito potest, hic est Christus. Vbicunq; fides est euangelica, ibi mons est Sion. Sed operæprecium est audire, quomodo filius regnet in mōte sancto patris. Præcipua regis autoritas in edictis est ac legibus. Nostri regis gladius est doctrina patris, prædicans, inquit, præceptum eius: siue iuxta Hebraicam ueritatem: Annunciabo dei præceptum. Terræ principes, leges iniquas & impias ferunt nonnunquam. Pharisæi docent traditiunculas hominum, suo compendio seruientes. Philosophi docent humanas inuētiunculas, in quibus ipsis magnopere dissentiunt inter sese. Rex Sion nihil humile, nihil uafrum, nihil falsum docet, sed è sublimi prædicat præceptum domini dei. Sunt præcepta Philosophorū, sunt præcepta Mosi, sunt præcepta pharisæorum, sunt regum permulta, sed unicum est præceptum domini, quod peculiariter annunciat rex noster Sion. Quod nam est illud? Mutuæ charitatis. Hoc est præceptum, ut diligatis inuicem. Iam ne satisfactum est præcepto, si diligamus inuicem? Nondum, sed adijcitur: Sicut dilexi uos. Ille pure, ille gratis, ille usque ad mortem dilexit nos. Quicquid docet lex ac Prophetæ, charitas Euangelica summatim complectitur. Quisquis toto pectore diligit deum, is eidem & fidit, & de promissis illius bene sperat, & obseruat ne quid committat, quod illum offendat. Merito igitur Paulus è tribus heroicis uirtutibus primas tribuit charitati, quod hæc fidem etiam & spem complectatur. Charitas omnia credit, omnia sperat. Sed nihil, inquies, audio de operibus. Non est ociosa charitas: immo nihil agit perperam, sed nunquam cessat in officio. Hoc est igitur unicum illud, & peculiare præceptum dei patris, quod filius ita

ſuum appellat: ut tamen autoritas deferatur patri, cum quo habet omnia communia. Teſtatur hoc & in euangelio: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me, uidelicet patris. Poterat Chriſtus orbem ſibi ſubigere uiribus & armis. Impetraſſet à patre multas legiones angelorum, niſi maluiſſet ſeruare quàm ulciſci, ſed ita uiſum eſt, doctrina cœleſti ſubijcere patri mũdi celſitudines omnes. Notauit & hoc Eſaias in loco, quem paulo ante retuli: Venite aſcendamus ad mõtem domini, & ad domum dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: Quia de Sion exibit lex, & uerbũ domini de Hieruſalem. Audis gladium pertingentem uſq; ad compages medullarum, & uſq; ad diuiſionem ſpiritus. Et hoc indicat ſequens prophetæ ſermo: Et iudicabit gentes, & arguet populos multos. Quomodo iudicabit? Prodita ueritate. Quomodo arguet? Reuicta falſitate. Luce euangelica proditæ ſunt tenebræ mundi. Nunc audi quid ſequatur ueritate cognita. Pro contentione, quæ ſuperſtitionis & arrogantiæ comes eſſe ſolet, ſuccedet ſtudium pacis, quæ peculiaris eſt nota Chriſtianorum: Et cõflabunt, inquit, gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, neq; exercebuntur ultra ad præliũ. Quam ob rem? quia cognita maieſtate noui regis, omne mundi ſupercilium ſeſe ſubmittet, fietq; quod paulo poſt ſcribit idem propheta: Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, et incuruabitur altitudo uirorum. Exaltabitur autem dominus ſolus in die illa. Et rurſus aliquãto poſt: Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo uirorũ, & eleuabitur dominus ſolus in die illa, & idola penitus cõterentur. Aequũ eſt ut euaneſcant idola, hoc eſt ſimulacra, uanæq; rerum umbræ, poſteaq; illuxit ueritas. Aequum eſt ut conſileſcat omnis tumor humanæ philoſophiæ, poſteaq; cœleſtẽ doctrinam annunciare cœpit ille, de quo ſolus teſtificatus eſt pater: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. Par eſt ut criſtam ponat arrogantia mortaliũ, poſteaquàm auſcultare cœpit illi, qui dicit in euãgelio: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris. Sunt qui interpretentur hoc ipſum eſſe præceptum patris, ut filius mundo declaret ſe uere eſſe filium dei, ut per filium glorificetur pater. Quorum ſententiam equidem non reijcio. Vide autem ut oraculum euangelicę narrationi concinit. Illic legis: Hic eſt filius meus dilectus. Hic: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Si tanta fuit autoritas Moſi, Heliæ, Heliſei, Eſaiæ, aliorumq; ueterum prophetarum, qui nihil aliud erant q̃ ſerui & præcones: quantam oportet eſſe autoritatem filij, præſertim eius, qui non uulgari more ſit filius per adoptionem, quemadmodum alij complures, ſed ſingulari & incommunicabili ratione. Qui natura filius dei dicitur, ſolus eſt & unicus. Quod autem dixit, hodie, non ad temporis ſtatum refertur, ſed ad æternitatem, quæ nec initium nouit, nec fluxum, nec finem. Nobis quæ fuerunt, iam eſſe deſierunt: quemadmodum quę futura ſunt nondũ ſunt. Et hoc ipſum quod præſens eſt, ſemper eſt in fluxu. Naturæ diuinæ ſemper eſt hodie, ſemper eſt præſens, neq; quicquã eſt in fluxu. Ita dei filius ſemper hodie naſcitur à patre, quemadmodum ſemper eſt à patre. Et in hanc quidem ſententiam interpretatur locum hunc diuus Auguſtinus: quanquam nõ negans interim hoc intelligi poſſe de natiuitate, qua factus homo natus eſt ex uirgine, quo die ſic eſſe cœpit quod non erat, ut non deſineret eſſe quod ſemper fuerat. Hilario diuerſa placet ſentẽtia, quæ docet Chriſtum myſtica quadam ratione ſæpius à patre naſci, ut nihil interim accedat diuinæ naturæ, ſed tantum humanæ: aut in hoc dicatur naſci, quod eſſe declaratur. Nobis enim quodammodo gignitur, cum hoc illum intelligimus eſſe, quod prius ignorabamus. Et pater quodammodo gignit, cum palàm agnoſcit filium. Porrò quod hic in prophetia pater dicit filio, bis in euangelio legimus. Semel cum baptizatum in Iordane, primum indicio columbæ, mox propria uoce commendauit eum omnibus dicens: Hic eſt filius meus dilectus. Marcus & Lucas ſic referũt: Tu es filius meus dilectus. Cæterum quod hic additur, ego hodie genui te, Euangeliſta habet, in te mihi complacui. Et uidetur euangelicus ſermo mire concinere prophetiæ. Nã mea quidem ſententia in pſalmo recinitur eadem ſententia: Filius meus es tu. Hoc infigitur repetitione, ego hodie genui te. Itidem pater: Tu es filius meus chariſſimus. Hoc inculcat iterans: In te mihi complacui. Deinde quod additur in euangelio, ipſum audite, reſpõdet illi quod eſt in pſalmo, prædicãs præceptum eius. Filius meus es, & chariſſimus atq; unicus eſt, nõ eſt quod alium expectetis. Ex me eſt, & ex me loquetur, ipſum igitur audite, & me audieritis

audieritis. Eadem uoce glorificauit filium in monte, cum se transfiguraſſet Ieſus coram tribus diſcipulis. Cuius & Petrus meminit in epiſtola poſteriore: Speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à deo patre honorem & gloriam uoce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc uocem nos audiuimus de cœlo allatam, quum eſſemus cum ipſo in monte ſancto. Rurſus cum Ieſus oraret patrem, ut nomen ſuum glorificaret per filium, uenit uox patris de cœlo dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Et hęc uox erat maieſtatis plena. Nam qui audierant, partim dicebant, tonitruum factum eſt: alij, angelus domini locutus eſt ei. Quemadmodum filius morte ſua glorificauit patrem, ita pater uiciſſim reſurrectione glorificauit filium, non quod illi quicquam acceſſerit nouæ gloriæ, ſed quod gloriam, quam ſemper habuit apud patrem, habere cœpit & apud homines. Ad eum igitur diem quem fecit dominus, in quo reſuſcitauit filium ſuum ex mortuis, referuntur hæc prophetę uerba: Ego hodie genui te. Non legitur hæc uox iterũ audita: Tu es filius meus chariſſimus, ſed ipſa re loquutus eſt hic pater. Glorificauit enim iterum, ſicut promiſerat, filium ſuum, poſtea quam lapidem quem reprobauerunt ædificantes, collocauit in capite anguli, uirtute diuina reſuſcitãs eũ, ut eſſet primogenitus ex mortuis. Subindicat enim apoſtolus Paulus, illum quodammodo renatum, quum appellat primogenitum ex mortuis. Primogenitus erat omnis creaturæ, quum per illum conderet uniuerſa, ſed declaratus princeps & autor reſurrectionis, factus eſt primogenitus ex mortuis, et rurſus audit à patre: Ego hodie genui te. Genuit enim illum immortalitati, qui mortalis erat natus ex uirgine. Et ne cui uideatur hęc interpretatio coactior, magiſq; niti commentis hominum, quam ſcripturæ canonicæ, Paulus in actis apoſtolicis, Iudæis prædicans Chriſtum, hunc pſalmi præſentis uerſiculum ad reſurrectionis diem accommodat: Cumq;, inquit, conſummaſſet omnia quæ de ipſo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento. Deus uero ſuſcitauit eum à mortuis tertia die, qui uiſus eſt per dies multos iis, qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Hieruſalem, qui uſq; nunc ſunt teſtes eius ad plebem: Et nos uobis annunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio data eſt, quoniam hanc deus adimpleuit filijs ueſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut in pſalmo primo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem ſuſcitauit eum à mortuis, nõ amplius reuerſurum in corruptionẽ, ita dixit: Dabo uobis ſancta Dauid fidelia. Quid eſt igitur, filius meus es tu: Declaraui mundo te eſſe filium meum. Quid eſt, hodie genui te? Hodie te cõſecraui immortalitati. Hodie te feci primogenitum ex mortuis. Hodie tibi dedi omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Hodie feci ut mundus intelligat te ſedere mihi à dextris, participem monarchiæ totius mundi. Hodie te clarificaui claritate, quam ſemper apud me poſſediſti. Atq; ut omnes intelligant te eſſe uerum & unicum filium meum, hæredem te feci, & conſortem regni mei, principem regni Euangelici. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ. Tradidit pater omne ius eccleſiaſtici regni filio. Supereſt ut ille pergat euangelicæ doctrinæ præſidio totius orbis nationes ſubigere ditioni paternæ. Subigit autem non in hoc ut perdantur, ſed ut ſalui fiant. Subiguntur non in tyrannicam ſeruitutem, ſed in libertatem filiorum dei. Non ambit Chriſtus regnum huius mundi, qui iuxta naturam etiam humanam factus eſt rex regum, & dominus dominantium. Sed euangelicum regnum ambijt à patre, ut totum mundum aſſereret à tyrannide peccati, & dicto audientem redderet patri cœleſti, qui non uult mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Si quæris, ubi filius popoſcerit hoc à patre? audi ipſum patri loquentem in euangelio Ioannis: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Sicut dediſti illi poteſtatẽ omnis carnis, ut omni quod dediſti ei, det uitam æternam. Et ne quis putaret illum nihil à patre petere præter gẽtem Hebræorum, unde tum diſcipulos collegerat, adiecit: Non pro his rogo tantũ, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per uerbum illorum in me, ut omnes unum ſint ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quia tu me miſiſti. Quos autem terminos præſcripſit prædicationi ſuorum diſcipulorum? Ite, inquit, in orbẽ uniuerſum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Quid exigent, aut quales leges præſcribent pacis? Quiſquis crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Sic uindicatur regnum euangelicum, ut omnes unum ſint in nobis, ſicut tu in me, & ego in te. Prædicaui tuum præceptũ,

nec

nec uſquam deflexi à uoluntate tua. Qui in me credent, obtemperabunt doctrinæ meæ, ac per me meoſq; prouocati, ſubmittent ſe uoluntati tuæ. Itaq; tãdem tradam tibi regnum tranquillum, & omnis expers rebellionis, quemadmodum in cœlis nemo repugnat uoluntati tuæ. Cæterum quod dixit: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, Auguſtinus in eo quod ſequitur, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, putat eandem ſentẽtiam repetitam, licet euidẽtius expreſſam. Sed Hilarius diſſentit, argutãs pluribus uerbis, aliud eſſe quod terminat, aliud quod terminatur. Extremas autem terrę partes ambiri diuerſis elementis, quæ terram terminent ſuperne aere, inferne profundiſsimis aquis, quas appellat abyſſos, & his eſſe ſuos incolas, non mortuos, ſed uiuos. Atq; huc deflectit illud Pauli: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt dei patris, præſertim quum ſimili forma ſcripſerit autor Apocalypſis, quod nullus neq; in cœlo, neq; ſuper terram, neq; infra terram repertus ſit, qui dignus eſſet aperire librum obſignatum. In hanc fermè ſentẽtiam Hilarius. Mihi magis arridet, ut intelligamus iuxta ſententiam Auguſtini, regnum euangelicũ porrigi quaquà uerſum, uſq; ad extremas orbis nationes. Iuxta illud: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Suſpicor tamen Hilariũ hoc ſuxiſſe ex cõmentarijs Origenis, qui nonnihil attingit alicubi, de liberandis ijs, qui damnati ſunt apud inferos, deq; dæmonibus redimendis. Cæterum pręterquam quod coactum eſt terminos interpretari, quod foris ambit rem, quanq; ita loquimur nonnunquam, ut quum dicimus terræ terminum eſſe Oceanum, aut aeris terminum eſſe globum lunæ, nec uerũ eſt, ſuperne terram tegi aere, inferne abyſſo, quum undiq; terrę inhęreant aquæ, & undiq; terram ambiat aer. Et ſi dãda ſit certa ſedes inferis, probabilius ſit eos in intimis terræ uerſari, quod cẽtrum uocant, quàm in abyſſis aquaũr. Porrò regium nomen, quod apud homines ampliſſimæ poteſtatis habet ſignificationem, & terminos terræ, quibus ditionem latiſſime porrectam ſignificat, ut latius porrigi non poſſit, opponit imbecillitati corporis humani, quæ ſcandalo fuit Iudæis, & anguſtiæ gentis Iudaicæ, ultra cuius fines illi nolebant regnum euangelicum proferri. Vtrunq; nomẽ congruit in Chriſtum, & regis, & ſacerdotis. Siquidem Melchiſedech, qui typum geſſit Chriſti, rex iuſticiæ interpretatur, & rex Salem, hoc eſt, rex pacis fuiſſe deſcribitur. Negat quidem Chriſtus regnum ſuum eſſe de hoc mundo, non quod non eſſet dominus omnium, ſed quod tum pro tempore ſtuduerit exhibere ſuis diſcipulis imaginem euangelici principatus. Satellitium inerme ſecum circumferebat, adeo nullas habebat arces, ut ne diuerſorium quidem haberet proprium, ubi caput ſuum reclinaret, beneficijs ſubigebat populum, gladio ſermonis euangelici iugulabat impias cupiditates, ut interfecto homine improbo renaſceretur homo nouus, ac deo dignus. Vicit tolerantia, uicit moriendo. Cęterum poſt reſurrectionem regalia loquitur: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Nec tamen in euangelio regis nomẽ abnuit, tametſi apud Pilatum regni genus diſtinxit. Nam interrogatus an rex eſſet, reſpõdit: Tu dixiſti, fugitans reſponſionis arrogantiam, non inficians tamen ueritatem. Quin & ipſe in cruce pendens, regia tum audit, tum loquitur. Ait latro: Memento mei dum ueneris in regnum tuum. Cui reſpondet Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Talis deſcribitur & uatum ænigmatis: Ecce, inquit Zacharias, rex tuus ueniet tibi iuſtus, & ſaluator. Sed ne tyrãnicum ac ſuperbum regnum imagineris, adiecit: Iuſtus & ſaluator, ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Mox oſtendit manſuetudine, non uiolentia regnum euangelicum latiſſime propagandum. Loquetur, inquit, pacem gentibus, & poteſtas eius à mari uſq; ad mare, & à fluminibus uſq; ad fines terræ. Itidem Eſaias: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, cõſiliarius, deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Habes regnum & regni genus longe diuerſum à regno mundano. Nunc audi ditionis amplitudinem: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Terræ principes ſanguine propagant imperium ſuum, & dum uiciſſim alius alium protrudit ac repellit, bellorum nullus eſt finis. Nũc accipe magis regalia: Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſticia. Vbi iudicium audis & iuſticiam, excluditur tyrannis. Nũc audi regnum æternum: Amodo & uſq; in ſempiternum. Ille ſacerdos erat in æternum ſecundum ordi-

nem

nem Melchisedech,semel immolata uictima, post quam non esset opus alia. Rex item est in æternum,quia immortalis est,ut successorem non admittat: Sedet in throno deus in seculum seculi,moderans uniuersa nutu suo. Sed nondum undiq; pacatũ est illius regnum in terris. Tolerat & trahit adhuc ecclesiæ sagena permixtos bonos ac malos pisces, tolerat seges euangelica zizaniam admixtam tritico. Et Paulus clamat multos esse antichristos. Tolerat membra imbecillia. Adhuc in nobis cupiditates carnis rebellionem mouẽt aduersus spiritum. Verum ubi subiecerit sibi omnia,et tradiderit regnũ deo & patri,tunc perfecta pax habebit omnia. Atq; hactenus prophetiæ sermo satis quadrat in Christum nostrum,qui quum esset summus ac dominus omnium,tamen demisit sese,quo suis apostolis,& apostolorum successoribus ostenderet mãsuetudinis ac lenitatis uiã: quod oporteat ecclesiastici regni proceres ab omni specie mundanæ tyrannidis procul abesse. Verum in his quę sequuntur,quoniam sæuitiam & austeritatem quandam sonare uidentur, magnopere sese torquent interpretes,quomodo competant in Christum illum nostrum, pacis,mãsuetudinis, & humilitatis magistrum,simul & exemplar. Postquam enim illi tradiderat gentes hæreditatem, & possessionem terminos terræ,subiicit: Reges eos in uirga ferrea. Tanquam uas figuli confringes eos. Multis hoc ipsum uerbum, reges, prima specie uidetur durius ac uiolentius. Nam à regis nomine olim liberarum ciuitatum aures abhorrebãt. Sed formidabilius etiam sonat quod sequitur,in uirga ferrea. Virga,minax uocabulum est,quod exasperat etiam additum epitheton,ferrea. Iam his quoq; uidetur immitius,quod sequitur: Tanquam uas figuli confringes eos. Quid enim crudelius, quàm in hoc accipere postulatam gẽtium possessionem,ut eas funditus & irrecuperabiliter perdas? Nam fictile uas semel contritũ restitui non potest. Hęc species crudelitatis,quoniam multũ abhorret à mansuetissimis moribus,& mitissima doctrina Christi, breuiter ab eius regno,qui dicit: Tollite iugum meum super uos,& inuenietis requiem animabus uestris: iugum enim meum suaue est,& onus meum leue: uariis rationibus ueteres conati sunt sese ex hac difficultate extricare. Quod si locum hunc iuxta sensum historicum accipias,recte uerbis asperis significatur impietas Iudaicæ gentis, qua pertinacissime rebellarunt Christo,miserabili excidio punita. Quia non cognouerunt tempus blandæ uisitationis, irruit tandem in eos seuera uindicta dei,quæ gentem rebellem non solum flagellauit acerbissime,uerum propemodum usq; ad internicionem deleuit. Alij referunt ad extremi iudicij diem,cuius terrore nunc interim reuocat illos à pertinacia peccandi. Quod si perstiterint tumultuari,& conspirare aduersus dominum,qui nunc blãde inuitat ad resipiscentiam,futurum est,ut æternæ uindictæ uirgam ferream sentiant,& æterno cõterantur exitio. Quod illis apud Esaiam comminatur: Quoniam subito dum nõ speratur ueniet contritio eius,& comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione prẽualida,& non inuenietur de fragmentis eius testa,in qua portetur igniculus de incendio. Sed euidentius apud Esaiam decimonono Sic conteram populum istum & ciuitatem istam,sicut conteritur uas figuli,quod non potest ultra instaurari. Hunc utrunq; sensum attingit Hieronymus,& tertium insuper duobus indicans uerbis, quem solum sequitur Augustinus. Nec abhorret Hilarius,qui multis modis mitigare nititur sermonis acerbitatẽ. Primum quod regere non sit tyrannicum, sed recta ratione, & ad legum regulam moderantis, quod & alias tribuitur Christo: Exiet dux,qui regat populum meum Israel. Sed mitius etiam sonat Græca uox,qua sunt usi septuaginta interpretes Est enim ποιμανεῖς, hoc est pasces,siue pastorum more reges. Idem pollere dicunt uocem Hebraicam sermonis eius non imperiti. Christus enim pastor est bonus,qui tanto affectu curat pascitq; gregẽ suum,ut animam etiam suam impenderit nobis ouibus pascuæ suæ. Iam uirga nõ semper instrumentum est supplicij,sed insigne regni, quod regis sit officium populi mores ad legũ disciplinam dirigere, ne deflectat ab honesto, sicut alibi legis in psalmo: Virga æquitatis uirga regni tui. Hoc igitur uirgam dicit,quod Græci dicunt sceptrum. Porrò quod addidit ferrea,non sonat tyrannicum imperium & austerum,sed solidam,perpetuam,incorruptam, & nulli cessuram autoritatem. Qui ad regulam humanarum legum uitam instituunt, sæpenumero deflectunt à recto Cæterum quisquis temperat uitam suam ad regulam euangelicæ doctrinæ,nunquã aberrabit à pietate. Hæc uirga leuis est obedientibus,rigida contumacibus: ferream sentiet,qui impegerit,nõ qui obsequitur: Quemadmodum Christus

est solidus

est solidus ille lapis, tutum refugium ijs, qui institerint: cæterum conteritur, quisquis in illum impegerit, aut in quem ille deciderit. Nō mirum igitur, si Christus solus rex omnium habet uirgam, quum Paulus huius seruus ac dispensator uirgam habeat, qua commina/tur Corinthijs, ni resipiscant: Quid uultis, inquit, in uirga ueniam ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Quid est quod comminatur Apostolus? Num se satellitio cinctum uenturum in ecclesiā cum uirga prætoria? Nequaquam, sed ut pater amantissimus lenitate conabatur suos filios emendare. Cæterum erga contumaces minatur sese exertu rum autoritatem apostolicam, hoc est, acriorem ac publicam obiurgationem, aut si res ita postulet, excommunicationem. Virgam expediuit, quum satanę traderet eum, qui patris uxorē habuerat pro sua, & hanc minatur Corinthijs, quū ait: An experimētum quæritis habitātis in me Christi? Vsus est hac uirga Paulus in actis apostolicis aduersus Elimā ma gum, qui resistebat euāgelico sermoni, quum ait: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iusticię, nō desinis subuertere uias domini rectas? Et nunc ecce ma nus domini super te, & eris cæcus, non uidens solem usq; ad tempus. Prompsit & Petrus uirgam suam, quum dicit Ananiæ: Anania, quur tentauit satanas cor tuum, mētiri te spi/ritui sancto, & fraudare de precio agri? Ad quam uocem Ananias cecidit & expirauit. Atq; idem accidit uxori, conscię fraudis huius: quanquam huius supplicij Petrus alioqui mitissimus denunciator erat, non autor. Habent igitur & apostolorū successores uirgam, non qua ulciscantur priuatas iniurias, sed qua corrigunt & obiurgāt rebelles, & obsisten tes euangelico profectui. Sed hanc raro proferunt, nec aliās, quàm quum tentatis omni/bus cogit necessitas ad extrema remedia descendere. Quatuor aut quinq; Paulus tradi/dit satanæ: unū qui rem habuerat cum uxore patris, magno cum probro totius ecclesiæ, quod eam palàm haberet domi uxoris loco: hunc ad tempus tradidit satanæ, hoc est, uita/ri iussit, ut pudore correctus resipisceret. Sed mox uirgæ seueritatem temperat spiritu le/nitatis, commendans eundem, ut correctum reciperent in uisceribus charitatis, & conso larentur eum, ne grauiore mœrore pudefactus absorberetur. Tradidit Hermogenem & Phygellum, sed pertinaciter aduersatos Euangelio, ut discerent non blasphemare. Atq; hi uere dicere poterant: An experimentum quæritis habitantis in me Christi? Sanabant ægrotos, excitabant mortuos, nihil non tolerabant pro euangelio Christi, tot hominum milia lenitate sua pertraxerant ad euangelicam professionem, & tamen uirgā non habent nisi correptiōis, & si pertinacia peccātis coegerit experiri extrema, excommunicationis, quæ nihil aliud, quàm uitari iubebat inemendabilem, ut si pudore non corrigeretur, certe ne plures inficeret suo contagio. Quàm nō referunt horum exemplum quidam, qui non uirgam tantum apostolicam, sed carceres habent, cathenas habent, confiscationes bono/rum, habent & brachium seculare, denicq; bombardas habent, & armatum satellitium, immo & uenena habēt, alijsq; mille terroribus armati sunt, quibus priuatam iniuriam ul/ciscantur uerius, quàm euangelij. Nec interim docent quēquam, nec blande monent, nec omnino quenquam ad Christum pertrahunt, quum tam multos perdant sæuitia malisq; moribus suis. Orandus est igitur Christus pastorū princeps, ut hos quoq; regat in uirga ferrea, ut autoritatem suam, ad exemplum apostolorum potius q̄ tyrannorū temperent. Sequitur: Tanquam uas figuli conteret eos. Nihil uilius luteo uasculo, nihil fragilius. Et tamen qui pij sunt, domini thesaurum possident in uasis fictilibus, & hæc licet lutea do/mus, si caste uiuimus, templū est spiritus sancti. Sed nihil intolerabilius, si luteū uasculum erigat sese contra deū figulū. Nec enim tā lutū est in potestate figuli, fingentis, refingētis, & comminuentis arbitratu suo, quàm homo est in manu dei. Ac luteum uas, dum uuida est argilla, si frangi contigerit, est reparabile. At si posteaquam semel sole aut igni obdu/ruit, conteratur, perijt irreparabiliter. Quàm diu sumus in hac uita, argilla sumus humi/da, frangimur, sed refingi possumus, si dignetur figulus admouere manum. Aegre tamen restituuntur, qui longa peccandi consuetudine obduruerunt, & tamen nulli desperandū. Quod apud homines est impossibile, possibile est apud deum. Si semel conijciat in gehen nam, nulla reparandi spes: sin hic conterat uas inutile, per pœnitētiam, si hic defecerit, per humilitatem animi, tunc fiet illud, quod legimus in alio psalmo: Cor contritum & humi/liatū deus nō despicies. Quod si uasi cōtrito ac dissipato accesserit humor lachrymarum, remollescet lutum nostrum, & deus pro sua clemētia dignabitur refingere pœnitentem,

ac pro

ac pro uaſe putri reſtituere uas honorificum,& aptũ in uſus domini.Felices qui conterun tur ab hoc figulo,felices qui occidũtur ab hoc rege,felices qui percutiuntur huius gladio, felices qui caſtigantur huius uirga.Occidit in nobis ueterem hominẽ,ut uiuat nouus:per cutit gladio ſpiritus, qui eſt ſermo dei,ut omnes impias cupiditates amputet ab animo cõ ſecrato ſpiritui cœleſti. Percutit uirga ac proſternit, ut erigat. Sic percuſſus eſt Saulus. Concidit perſecutor eccleſiæ,& ſurrexit præco ſalutis æternę.Conteritur in nobis quic quid de peccatore limo primi parentis contractum aut inolitum eſt. Conterit ueteris ho minis lutulenta negocia, conterit terrenas cupiditates,ut poſthac excocti charitatis igni, ducamur,agamurq; ſpiritu dei. Atq; hactenus quidẽ magnitudine poteſtatis & ſupplicij imminentis acerbitate terruit illos,qui conſilijs impijs conſpirant ac tumultuãtur aduer ſus dominũ & Chriſtũ eius.Nunc clemens rex uiã indicat,qua poſſint effugere pœnã, & conſequi felicitatem:Et nunc,inquit,reges intelligite,erudimini qui iudicatis terrã.Quod hactenus tumultuatum eſt aduerſus dominũ & Chriſtum eius, tametſi crimen atrox eſt, tamen habet aliquem excuſationis prætextum.Moſes erat obſcurus,nec omnibus prædi catus:philoſophi euanuerunt in cogitationibus ſuis:principes terræ,terrena ſapiebant:in uoluerat deus omnia peccatis & erroribus,ut omnium miſereretur. Sed nũc prodita per Chriſtum & huius apoſtolos euangelica ueritate,nolite rebellare ſpiritui ſancto,poſthac error erit inexcuſabilis.Credite & intelligite,niſi enim crediderit is,non intelligetis. Sola fides præſtabit ſalutem,& ſemel abolebit,quicquid hactenus peccatum eſt. Primũ occur ret dubitatio,qui ſint iſti reges,quos alloquitur rex Siõ,ſiue deus pater.Si ſpecies ſenten tiã hiſtoriæ propiorem, reges illos ac principes alloquitur,qui paulo ante per ignorantiã excæcati fremebant & coniurabant aduerſus dominum & Chriſtum eius, qui uarijs ſup pliciorum generibus excarnificabant prædicatores euangelicæ pacis. Hos reuocat ad ſa nam mentem,ut tandem ex prædicatione euangelij cognoſcant & intelligant Chriſtũ ſo lum eſſe datũ à deo patre,in cuius nomine ſalutẽ aſſequi poſſint uniuerſæ nationes, cuiq; oporteat flecti omne genu. Hactenus erant tẽpora caliginis,at nunc prodita ueritatis eu angelicę luce,intelligite,& à ſimulacrorum cultu ad ueræ pietatis ſtudiũ uoſmetipſos con uertite.Adorandus eſt,quem uos perſequimini:ſalutem offert, cuius doctrinam abolere conamini:deus eſt,quem ut hominem inceſſitis. Rurſus iuxta tropologiam dubitari po teſt,utrum ad prophanos principes pertineat,an ad apoſtolorum ſucceſſores,hoc eſt,epi ſcopos.Ad utroſq; pertinere ſubnotat diuus Hieronymus. Auguſtinus magis accommo dat ad eccleſiaſticos,ſed ita tamen,ut quod dicit, poſſit ad utrunq; genus hominũ accom modari.Nos itaq; de utriſq; interpretabimur, ſi prius illũ ſcrupulum diſcuſſerimus, quũ ante fremuerint gentes, & populi meditati ſint inania: aſtiterint reges terræ,& principes conuenerint in unum, nunc gentium ac populorum nulla fit mentio. Equidem opinor, ideo regum tantum ac iudicum fieri mentionẽ,quod illis emendatis facile populus ſequa tur quæ ſunt optima,& tamen cæterorum quoq; meminit generali clauſula,quũ ſubiun git:Beati omnes qui confidunt in eo.Regum igitur eſt intelligere. Solet enim ferè magnæ fortunæ comes eſſe ſtultitia.Et tamen operæpreciũ eſt,ut multũ ſapiãt,qui tot hominum milibus ſapiunt:ut plurimum animo cernant, qui tot urbibus proſpiciunt. Et magno or bis periculo deſipiunt monarchę,quemadmodum magno orbis bono cordati ſunt.Neq; uero ſatis eſt naſci,ut principem præſtes. Magno ſtudio diſcenda eſt ars gubernandi po pulum,neq; ſegnius interim poſtulanda à domino.Proinde deus offenſus uitijs hominũ, ceu grauem quandam peſtem minitatur principẽ ſtultum.Sic enim loquitur per Eſaiam: Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Et corruet populus, uir ad uirum,& unuſquiſq; ad proximum ſuum.Rurſum apud eũdem.Iam propitius fa ctus,ut ingens quoddam bonum promittit:Ecce in iuſtitia regnabit rex,& principes in iu dicio præerunt.Ac mox.Non uocabitur ultra is, qui inſipiens eſt princeps,neq; fraudu lentus appellabitur maior.Intellexit hoc cordatiſſimus ille puer Solomon,qui quum pa tri Dauid ſucceſſiſſet in regnũ,iuſſus à domino petere quicquid uellet,nec opes petijt,nec gloriam,nec mortem inimicorũ,ſed cor docile, ut tantam multitudinem ſapienter poſſet moderari. Et tamen Iudææ regnum, quod tenebat Solomon,anguſtum erat præ his re gnis,quæ nunc obtinentur à nonnullis monarchis.Nec aliud orat in libro,cui titulus ſapi entia:Da mihi,inquit,domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.Mitte illam de cœ lis

lis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Prior huius uersiculi pars pertinet ad iudicium, hoc est, ad eam prudentiæ partem, qua dijudicamus quid sit optimũ factu, altera pars ad sedatos affectus. Reges intelligite, ut dispiciatis quid expediat Reipub. erudimini iudices: nam Græcis est παιδεύθητε, quod frequenter non ad eruditionem, sed ad castigationem morum pertinet. Ductum est enim Græcis à pueris quos seueritate disciplinę coercemus. Qui stultus est & iudicio carens, pessima pro optimis eligit. Itidem qui perturbatur ira, odio, amore, ambitione, libidine, superbia, liuore, quoniam mentis oculum habet perturbatum, non potest dispicere quid expediat. His igitur perturbationibus uacare, est philosophum esse. Nam hoc sensit Plato, qui pronunciauit reip. felicitatẽ in hoc esse sitã, si qui reges essent, ijdem essent philosophi. Nam quomodo recte imperabit alijs, qui ip se seruit cæcis affectibus? Quomodo recte cõsulet populo, qui stultas cupiditates habet in cõsilio? Augustinus putat in hoc quoq; uersu repetitam sententiam uerbis licet diuersis, ut quos prius dixerat reges, mox appellet iudices, & quos prius iusserat intelligere, nunc iubeat erudiri. Atq; utinam hoc toties infixisset psalmographus, ut aliquando inhęreret mentibus nostri tẽporis principum, qui perpetuis tumultibus subinde miscent res mortaliũ. Quod si quemadmodum Phaethon magno orbis exitio tractauit currũ Solis, ita stultis et indomitis affectibus monarcha summam calamitatẽ inuehit rebus mortalium: quanto magis oportet eos qui dispensatores sunt mysteriorũ dei, abundare intellectu legis diuinæ, & animũ habere purgatũ ab omnibus malis cupiditatibus? Quomodo possunt dici reges terræ, si terrenis cupiditatibus seruiunt? Infra nos sit oportet, cuius reges dici merebimur. Ergo spirituales, qui quæ sursum sunt sapiunt, quæ sursum sunt quærunt, quorum animus & conuersatio est in cœlis, qui terrena calcant amore cœlestium, merito iudices terræ dicuntur. Ita Paulus scribens Corinthijs: An nescitis, inquit, quod sancti de hoc mũdo iudicabunt? Et si in uobis iudicatur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Habes quomodo, quos Christus selegit è mundo, iudices fiant mundi, quoniam ipsa uita docent esse spernẽdum, quicquid magnifica specie blanditur in hoc mundo. Ac ne uertãt in superbiam, quod appellauit eos reges & iudices terræ, subiecit: Seruite domino in timore, & exultate cum tremore. Præstat hoc ingens autoritas regibus, ut neminem metuant, sed metuãtur ab omnibus, & hinc sæpenumero putant sibi licere, quod libet. Id ne fiat, ostendit quem debeãt & ipsi timere. Sunt reges populi, sed communem habent regem in cœlis. Nõ uocãtur in ius ab hominibus, sed tamen sistendi sunt cum alijs ad tribunal æterni iudicis. Dominantur plebi, sed communem habent dominum in excelsis, cuius autoritatem ac uindictam nunquam effugient. Reges ergo nolite, freti potestate uestra, spernere cœlestem dominũ, sed seruite ei in timore. In sacris literis, seruire plerũq; colere est. Coluistis idola, coluistis mundum, nunc colite dominum. Colitur autem obseruandis ipsius præceptis, & hoc in timore, ut circunspecti semper caueant, ne qua in re offendãt dominum omnium. Sunt principes, qui colunt dominum audiendis sacris, aut dicendis statis precibus, quas dicunt horarias: non dico quod hac in parte laudandi nõ sint, sed si interim expilant pauperes iniquis exactionibus, si ob pecuniam committũt magistratus improbis & indignis, si quæ debentur usibus egentium, conuerunt in fiscum suum: si opprimunt insontes, & fauent uiolentis: si oblíti iurisiurandi, sua tyrannide premunt libertatem reipublicæ, si ob ambitionem, iram, aut alias cupiditates suas bellorum tumultibus inuoluũt mundum, nõ seruiunt domino in timore. Etenim si uere illum timerent, si sibi persuasum haberent, se de singulis horum rationem reddituros apud tribunal æterni & ineuitabilis iudicis: si hoc grauiores daturos pœnas, quo maiorem potestatem gesserint in terris, si cũ impijs audituros & illã uocem: Ite maledicti in ignem æternũ: non tanta securitate facerent, quod animo collibitum est. Iam ne quod dictum est: Seruite domino in timore: uideretur ad miseriam pertinere, subditum est: Et exultate. Nõ est infelix seruitus seruire domino, nec ea res dehonestat dignitatem uestram, sed ornat. Olim seruiebaris ligno & lapidi, metuebatis Iouẽ & Neptunum, aut homines uita defunctos, aut noxios dæmones: nunc seruitis regi seculorũ deo, & eum metuitis offendere, qui offensus solus potest & animam & corpus in gehennam mittere. De tali seruitute, de tali domino exultate, ad cuius præceptum si moderati fueritis potestatem uestram, ille pro fideliter administrato regno terreno, referet uobis

immortalitatem

immortalitatem in regno cœlesti. Sed rursum ne hoc ipsum uergeret in effusionem temeritatis, opportune adiecit: Cum tremore. Ingens est præmium, sed difficilis est regia functio, quod multa sint quæ illos ad licentiam impellant: Ipsa magnitudo potestatis. Nam ferè fit, ut cui licet quod uult, plus uelit quàm licet. Ad hæc familiarium assentatio, cui pesti potissimum obnoxia est magnatum conditio. Postremo in tam uarijs negociorum agminibus uel ignorantia, uel oscitantia. Plurimum itaq; metuant dominũ oportet, qui neminem timent hominum, & ubiq; cauti circunspectiq; uigilent, qui non dormitant, nisi magno reip. malo. Proinde repetit & inculcat, quod iam semel atq; iterum dixit: Apprehendite disciplinam. Quo quidem loco Græcis est non καταλαμβάνετε, sed ἀρράξασθε, quod est proprie ueluti cursu fugiẽtem assequi. Hoc celeriter, hoc rebus omnibus omissis agendum, ut accipiant disciplinam, nisi malunt deponere regnum. Imò hoc diu meditandum ijs, qui regno destinati sunt. Non uacat illis bonam ætatis partem perdere alea, poculis, scortis, uenationibus, peregrinationibus, pompis, alijsq; nugis. Quicquid tẽporis datur, hoc totum breue est regibus ac magnatibus apprehendẽdæ disciplinæ. Sera autẽ & nimio constans est sapientia principum, quæ rerum usu colligitur. Male agetur cum genere mortalium, si principes gerendis diu bellis, tandem senes intelligent bellum esse rem omnibus modis pestiferam etiam uictori. Si tum demiq; discent, nõ esse quibuslibet credendos magistratus, ubi uiderint rempublicam labefactatam illorum culpa: si tãdem discent facere edicta, ubi senserint edicta temere prodita, cessisse in perniciem reip. si crebro deceptí discent non esse fidendum adulatoribus. Atq; item de cæteris regum aut pręsulum officijs. Vnde igitur mature licebit apprehendere disciplinam? Celerius è libris hauriũtur decreta disciplinæ regiæ, quàm experimentis: citius è spectatis & integris cõsiliarijs discitur, quàm periclitandis rebus. Diuus Thomas episcopus Cantuariensis, quum esset ad eum honorem autoritate regis admotus, ipse uero hactenus magis in aulicis negocijs, q̃ in sacris literis fuisset detritus, intelligens quantum oneris suscepisset in humeros, tanta celeritate properauit apprehendere disciplinam, ut quum in ea gente solenne sit, ut archiepiscopus ille totius regni primas, proceres aulicos accipiat conuiuio, magnatibus suas mensas affatim instrueret ijs rebus, quibus animo obsequerentur suo, ne parcus aut sordidus uideretur, cæterum ipse ad suam mensam neminem admisit præter eruditos aliquot. Toto conuiuio lector sonabat ad aurem, aut si quid incidisset, de sensu scripturæ disputabatur. Adeo nullum tempus patiebatur sibi intercidere, quod non daretur apprehendendæ disciplinæ. Vtinam hos uersiculos episcopi nostrorum temporum omnes frequenter psallant: psallant autem non solum spiritu, uerum etiam mente. Id sanè referret populi, cuius curam gerũt, sed peculiariter etiam ipsorum. Quod enim sequitur: Ne forte iratscatur dominus, & pereatis de uia iusta. Periclitatur plebeius, qui inciderit in iram regis, sed grauius periclitatur rex, qui inciderit in iram domini. Rursus iram iustã, ultionem appellat. Incidit autem quisquis aberrat ab illius disciplina: Est uia domini recta, & sunt uię peruersorum à sinistris, quas ignorat dominus. Apud nos non semper perit, quisquis deflexit à recta uia, sæpe nihil aliud q̃ dispendium facit, nõnunq̃ error saluti fuit. Cæterũ quicunq; deflexit à uia domini recta, perijt, etiam si non perijt. Qui manet in Christo, nõ aberrabit, ipse est enim uia, quæ ducit ad uitam: in hoc manet, quisquis ad illius doctrinam & exemplum instituit uitam. Diuus Hieronymus in cõmentarijs admonet apud Hebræos sermonem esse ancipitem, quod quum Septuaginta uerterint ἀρράξασθε παιδείας, dicat uerti potuisse, adorate, uel osculamini filium: siue, ut ipse uertit iuxta ueritatem Hebraicam, adorate pure, quoniam ueteres osculo adorabant, Septuaginta locis aliquot pro adorate uerterunt καταφιλήσατε. Bar autem præsertim apud Syros filium sonat, apud Hebræos pure, & ut nonnulli sentiunt triticum. Verum in his barbari sermonis Labirynthis non est animus magnopere distorqueri. Iudæi qui promissum filium tot seculis expectarunt, maluerunt occidere quàm adorare, & ideo uolentes suam constituere iusticiam per opera legalia, perierunt à uia iusta, quæ est Christus Iesus. Et adorabant quidem deum, sed non pure, immolabant uictimas, lauabant corpus & calices, sed animus intus scatebat omni spurcicie malarum cupiditatum, iræ, liuoris, auariciæ, superbiæ. Hinc est quod apud Esaiam magno stomacho auersatur illorum dies festos, uictimas & sabbata. Vult enim adorari pure, hoc est, puritate spiritus. Spiritus purissimus est, & puro spiritu uult coli, potius

quàm uictimis. Non enim pure adorant filium, qui ſuis operibus aſcribũt ſalutem, quum per euangelium, fidem & gratiam ſalus æterna detur omnibus. Deniq; non adorat pure qui patrem honorat, cuius filium afficit contumelia: Qui filium non habet, is nec patrem habet. At ne lentitudo uindictæ diuinæ pariat illis ſecuritatem, addit: Quum exarſerit in breui ira eius. Dum differt ultionem, quodammodo diſſimulat iram ſuam dominus, lenitate ſua nos inuitans ad pœnitentiam, patienter expectans, ſi forte reſipiſcat peccator, & uiuat. Sed illud nobis incertum an ſubito exardeſcet illius ira. Quod enim dixit in breui, ſeptuaginta uerterunt ἐν τάχει. Id repentinum quiddam atq; inexpectatũ ſignificat. Nam ſiue intelligas de die illo ſupremo, ueniet & ille ueluti nocturnus fur, & obrepet inexpectatus: ſiue de die mortis cuiuſq;, frequenter & ille opprimit inopinantes atq; interoſcitantes. Nemo tam iuuenis eſt aut ualidus, nemo tam potens, ut poſſit ſibi craſtinum pollicẽri. Summos etiam orbis monarchas mors inopinata tollit è medio. Sic pridem in medio rerum ſucceſſu perijt Philippus Maximiliani Cæſaris filius. Sic Leonẽ decimum, quum omnia Romæ perſtreperent triumphis & gratulationibus, ſubito mors exemit rebus humanis, quò tranſtulerit incertum: & in terris quidem à nemine poterat reprehendi, ſed ipſe nouit quàm bonam cauſam habuerit apud tribunal Chriſti. Iugiter itaq; uigilãdum, nequando excidamus à uia iuſta. Semper habeamus bonam conſcientiam apud deum, ut quandocunq; uenerit dies mortis, poſſimus de illius bonitate confidere. Tunc enim infelices erunt, qui hic fidunt opibus ſuis, potẽtiæ ſuæ, fortunæ, diuitijs, benefactis ſuis. Sed beati omnes, qui confidunt in domino. Cæterum in morte, qui poterunt confidere in domino, qui tota uita confiſi ſunt mũdo? Hæc fiducia tametſi potiſſimum naſcitur ex agnita clementia dei, tamen non cohæret cũ animo peruerſo, ſibiq; male conſcio. Maledictus eſt, qui confidit in homine. Sultus eſt, qui confidit in diuitijs. Sic enim audit diues ille in Euangelio: Stulte, hac nocte repetũt abs te animam tuam, & hęc quę paraſti cuius erunt? Iudaicum eſt fidere ſuis operibus. Tametſi duplicia ſunt opera, Iudaiſmi & charitatis. Illis periculoſe fiditur, niſi hæc acceſſerint. Rurſus & horum inanis eſt fiducia, niſi diffiſi meritis noſtris, ſacram, quod aiunt, ancoram iecerimus in immenſa bonitate dei. Notauit emphaſim ſermonis diuus Auguſtinus. Quum enim terrorẽ incuſſiſſet malis dicens: Cum exarſerit in breui ira eius, non adiecit, ſecuros fore bonos, ſed beatos. Non enim hi ſolum liberabuntur à periculo, uerumetiam æternam beatitudinem conſequentur, ſi deſierint rebellare Chriſto domini, ſi conturbati metu ęterni ſupplicij agnouerint hunc eſſe regem cœli & terræ & inferorum, caput & paſtorem totius eccleſiæ, extra quam nulla eſt ſperanda ſalus: ad huius præceptum eſſe uiuendum, hunc eſſe dei filium deum & hominem, cuius poteſtati nemo poſſit reſiſtere, cuius uindictam nemo quamlibet potens poſſit effugere, ſi contempſerit illius præcepta. Si coluerint hunc reuerenter & circunſpecte, ſi in hoc glorientur, ſed interim cum tremore, ſi totis ſtudijs huius doctrinam arripuerint, & in ea perſeuerauerint, ſimul atq; repente uenerit ille dies domini magnus & terribilis, tum apparebit illorum infelicitas, quos hic mũdus felicíſſimos iudicauit: & beati declarabuntur omnes, qui non poſuerunt fiduciam ſuam in huius mundi præſidijs, non in operibus ſuis, ſed in bonitate domini Ieſu Chriſti. Iam tempus eſt, ut ad proximum pſalmum tranſeamus, idq; faciemus aſpirante ſpiritu Ieſu Chriſti, ſi prius oſtenderimus myſticum huius pſalmi ſenſum latius & ad uarias perſonas, uariaq; tempora proferri poſſe, ſic ut hodie quoq; ad unumquenq; noſtrum pertineat. Primũ ſenſus hiſtoricus, tametſi friget quoties ad allegoriam acceditur, tamen frequenter & plurimum adfert lucis, & gratię nõ parum addit ſenſui myſtico. Huius rei ſi quis uolet experimentũ capere, legat Arnobij commentarium in pſalmum Dauid, deplorãtis peccatum ſuum, cuius initium: Miſerere mei deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Nec tamen eſt neceſſe, ut omnes uaticinij partes adamuſſim quadrent, uel hiſtorico ſenſui, uel allegorico, quod ſæpe quædam admiſceantur in hoc, ut cohæreat narrationis ſeries, rurſus alia, quæ quoniam iuxta ſenſum hiſtoricum abſurda ſunt, cogunt nos ad allegoriam confugere. Proximus gradus eſt, ut uaticinium proprie accommodetur Chriſto, demonſtreturque iam olim de illo fuiſſe prædictum prophetarum oraculis, quod aperte & ſine inuolucris Euangelica narrat hiſtoria. Atque hic ſenſus præſertim in Pſalmis ferè perpetuus eſt, in hoc ſanè etiam irrefragabilis ſcripturæ autoritate commonſtratus, quemadmodum oſtendimus. Huius

tractatio

tractatio, mea quidem ſententia, difficillima eſt. Nam hoc recte perueſtigato, non magni negocij eſt, ſenſum eundem à capite ad membra, & ab ætate qua Chriſtus uerſatus eſt in terris, ad præcedentia aut ſequentia tempora deriuare. Quod enim à phariſeis, regibus & populo ſuo paſſus eſt Chriſtus, hoc & ab impijs ante paſſi fuerant pij, & poſt Chriſtum paſſi ſunt apoſtoli. Immo quemadmodum ab orbe condito ſemper mundus perſequutus eſt ueros dei cultores, ita uſq; ad finem ſeculorum futurum eſt. Cæteraq; quodammodo & facta ſunt ſemper & fuerunt, quæ de irriſione diuina, de ira & furore, de reuocatione ad cultum filij dei, de terrore ſupremi iudicij ſcribuntur in hoc pſalmo. Veritas Euangelica Chriſtus eſt, autor rerum fluxarum mũdus eſt. Deniq; in ſuis membris patitur aut refocillatur Chriſtus. Supereſt extremus gradus, quũ ſcripturę ſenſus priuatim ad unum quenq; noſtrum refertur, totumq; quod in reliquis ſenſibus per uarias perſonas geſtũ eſt, in uno geritur homine: ueluti quoties ira, libido, ambitio, auaritia mentem noſtram ſollicitant ad ea, quæ aduerſantur euangelicæ doctrinæ, tum quodammodo fremunt gẽtes, populi meditantur inania. Quod ſi ratio quoq; ceſſerit cupiditatũ tumultibus, tunc aſſiſtunt reges terræ, & principes cõueniunt in unum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Sed interim animus reſipiſcens, memorq; priſtinæ libertatis, ac pertæſus duræ ſeruitutis, qua ſeruit peccatis, clamat: Diſrumpamus uincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Et hunc conatum noſtrum adiuuat è cœlis dominus, ſic irridens ac ſubſannans nos, ut tantiſper ſinat nos obſequi cupiditatibus noſtris, donec ipſi docti malis intelligamus, ex quibus rebus nobis pollicebamur mirificam felicitatem, ex his ſummam calamitatem eueniſſe. Mox loquitur nobis in ira, ob oculos ingerens terrorem æterni ſupplicij, & conturbat nos horrore uitæ, in qua uerſati ſumus. Deinde ſic afflictis & conturbatis oſtẽdit unde ſalutem ſperare oporteat, proponit nobis filiũ ſuum, qui dicit omnibus: Venite ad me omnes qui laboratis. Monet ut huius legibus obtemperent animi cupiditates, ad huius præceptum ſeſe componat humana ratio, atq; huic uni regi cunctorum ita ſeruiamus, ut ſimul exultemus de illius immenſa erga nos bonitate, & ſemper in metu ſimus, nimirum diffidentes factis ac uiribus noſtris, non iudicãtes noſmetipſos, ſed omnẽ ſpem ac fiduciam habentes in illius inæſtimabili benignitate, per quam ſalutem æternam aſſequuntur, qui toto pectore ad illum confugiunt, cui laus & gratiarum actio, cum patre & ſpiritu ſancto in omne æuum, Amen.

COMMENTARII DES. ERASMI ROTERODAMI
in pſalmum Quare fremuerunt gentes, Finis.

IN TERTIVM PSALMVM, DOMINE QVID MVLTIPLICATI, PARAPHRASIS Des. Eraſmi Roterodami.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS MELCHIORI Viandalo Theologo S. D.

COmmodum abſolueram paraphraſim in acta Apoſtolorum, Viandale chariſſime, nec poſt id temporis ſuſpicabar quenquam exoriturum, qui me de paraphraſi foret interpellaturus. Et ecce redditur uelut ex inſidijs tua epiſtola, quæ mihi ſecuritatem hanc excuteret, nullum non mouens lapidem, quo mihi perſuadeat, ut quod in Nouum teſtamentum feciſſem, idem facerem in pſalmos myſticos. Quàm hic inſtructam argumentorũ aciem adducis, quo me, ſi perſuadere nequeas, uel cogas in tuam ſententiam. Dum dextrum admoues cornu, quas non laudes in me congeris? Eſt autem imprimis uiolenta res, quamuis blanda, laudatio. Tu tamen ita laudas, ut contendas mihi perſuadere, omnia eſſe ueriſſima, ut inficias ire non liceat. In ſiniſtro cornu quanto pugnacius mecum agis? Obruis me telis argumentorum, à me coniecta, uel deflectis excepta clypeo, uel, quod eſt uiolẽtius, etiam in me retorques, præcludis omnes uias, ne qua pateat ſuffugium: deniq; ne quid omitteres, urges, ob

teſtaris,precibuſq; minas,ut ait ille,regaliter addis. Oſtendis periculum,ne ſi,quod petis, recuſaro,percat mihi omnis ſuperioris induſtriæ gratia,immo ne pro captata gloria refe/ram ignominiam. Nimirum huc tẽdebat illa laudis ex paraphraſibus, apud omne genus hominum partę mirabilis amplificatio,quo magis terreret periculũ amittendæ tam egre giæ poſſeſſionis,perinde quaſi tyrãnus dicat patri: Reſpice liberos tuos quàm habeas ele/gantes,quàm pios,quàm ingenuis artibus expolitos,quàm magnificæ ſpei natos. Hos in terimam ni mihi parueris. Ac ne mihi ſit integrum negare quod flagitor, niſi uelim impie difficilis uideri,facis totam ciuitatem Chriſtianam pedibus meis aduolutam, hoc magno conſenſu poſtulare. Itaq; futurum denuncias,ut ni paruero, iure uidear omnibus ineptus deprecator,ſuperbus excuſator,callidus tergiuerſator. Vbi nunc eſt illa Δεινωσις Demo/ſthenica? Vbi Periclis fulgura ac tonitrua? Frigere iacereq; uidẽtur omnia,ſi cum huius dictionis uehementia cõferas. Atqui iſthuc mi Melchior nõ eſt ſuadere ſed cogere. Quis autem crediturus erat Melchiorem in dialecticis ac philoſophicis argutijs penè detritũ, tantum tenere rhetorices? Ego uero mi Viandale,ſi hoc ætatis,ſi hac ualetudine,ſi his ex/ulceratiſſimis temporibus,quibus nihil poſſis tutò ſcribere,rudem ac miſſionem flagita/rem,non dicam à paraphraſibus,ſed in totum ab omni ſcribendi munere,nullis æquis ui deri poſſim id, uel impudenter poſcere,uel imprudenter ſumere. Cæterum tametſi planè uideam hoc argumentum prorſus eſſe intractabile paraphraſtæ, tamen ne poſt hanc tam uehementem, tamq; minacem epiſtolam ſuccedat altera uiolentior, in tertio pſalmo ſpe/cimen dedi, quàm fruſtra ſit hic ſudaturus quiſquis tentauerit. Etenim quum in hoc pſal/mo tam breui,tot ſtatim occurrant ſcrupuli de inuerſo hiſtoriæ ordine, nam multi argu/mentum habent iuxta temporum rationem,prius hiſtoria Abſalonis Dauid patrem im/petentis bello: De interfecto Sela,Deinde an totus hic pſalmus accommodari poſſit per/ſonæ Dauid,quod Hieronymus non negat,docens cõpetere perſonæ Dauid Chriſti, & per hunc omnium ſanctorum, Auguſtinus reclamat, quid paraphraſtes dicet de titulo, quid de uarietate ſenſus,qui ſæpe triplex eſt,quum non liceat perſonam ſemel ſuſceptam deponere? Et tamẽ in uno pſalmo conatus guſtum exhibebo, ut intelligas mihi morem gerẽdi uobis uoluntatem non defuiſſe. Quod abs te poſtulabam,ut aliquid opellæ ſume/res in demonſtrandis corruptelis iſtius dialectices ac philoſophię, quæ nũc in ſcholis mo leſtæ ſimul ac diſpendioſe traditur pueris,& aliquam docendi rationem indicares hac cõ modiorem, ideo feci quod uideam multa bene nata ingenia ab utiliſſimis diſciplinis ab/horrere,ob traditionis ſordes,& ineptiã. Quin in pleriſq; gymnaſijs iam deſierũt eiuſmo di diſciplinæ prælegi,unà cum ipſa Theologia. Atq; interim frigent etiam linguæ ac bo næ literę. Tantum rixoſis altercationibus,& amarulentis libellis ætas teritur. Huic tanto malo nemo te melius poterat ſuccurrere,qui tot annos in iſta palęſtra uerſatus ſis,nec me/diocri cum laude. Inibis gratiam utrinq;. Nam hi qui pręter illas diſciplinas utcunq; tra/ditas nihil didicerunt,mallent aliter prælegi in ſcholis, quàm prorſus intermori. Et iuuen tus auida melioris literaturæ,fatebitur ſe tibi debere,qui uiam commonſtraris cõmodio/rem. Optimo Mecœnati tuo,cũ candidiſſimo ſodalitio, plurimam ex me ſalutem renun ciabis. Quo nomine tibi non mediocriter gratulor. Quoniã autem Colloquiorum memi niſti,ſubit animo mirari, quàm omnibus in rebus dominetur fortuna. Quid hoc argumẽ to nugacius? Et tamen uix credas in quot exemplariorum milia propagatum, nondũ ex/pleat empturientium auiditatem. Hoc anno rurſus prodit aliqua coronide dilatatum. Sic in amicorum gratiam ineptio. Quanquam ſunt graues Theologi, qui prædicent in illis nugis res agi ſerias. Spongiam meam nunquàm ita mihi prædicabis, quin oſurus ſim, in/dignans his,qui miſerum huc perpulerunt. Adeo læua ſunt quorũdam iudicia. Perijt ille nondum, ut opinor,perlecta Spongia mea. Nunc ad pſalmum accingar.

[Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me.] Domine deus,qui nutu po/tes quicquid uis, & cuius uoluntati nemo poteſt reſiſtere, cuius conſilium inſcrutabile eſt, etiam angelis, qui nos ex omnibus gentibus delegiſti, ut eſſemus populus peculiari/ter tuus, quum dominus ſis omnium, per quem condita ſunt omnia,qui populum hunc iuxta mundum humilem ac puſillum, unigeniti filij tui ſanguine tibi uindicaſti, quem à mundo ſeiunctum è tuis præſidijs pendere uoluiſti, audi quæſo querimonias tuorum. Vna uox, idem clamor eſt omnium, quia communis eſt omnium calamitas, propte/

rea

rea quod cum affligitur unum membrum, simul affligantur omnia membra. Non enim habemus in cuius sinum effundamus animi nostri curas, nisi te deum unicum, in quo salutis nostræ præsidia collocata sunt omnia: non habemus alium cuius auribus opploremus: non habemus alium ad cuius opem confugiamus. Quur ita tibi uisum est, ut hunc populum tibi charum tot hostes conglomerati affligant unum, tot potentes imbecillem, tot armati inermem? Sic nimirum & olim Cain, in quo tum erant agmina gentium impiarum: coortus est in fratrem suum Abel, in quo tum erat omnis ecclesia tuo fidentium præsidio. Statim inualuit deterior, & oppressit innocentem, non reluctantem. Sic impij reges afflixerunt seruos tuos prophetas. Sic tota manus sacerdotum, pharisęorum, scribarum, seniorum, Herodis, Pilati deniq; & promiscuæ multitudinis, uelut coniurata aduersus unicum filium tuum Iesum, oppressit illum. Et quod in hoc exhibitum est, prius fuerat adumbratum in Dauid famulo tuo tibi charo, in quem atrocissimam seditionem mouit Absalon. Dauid rex erat Israeliticæ gentis, Christus rex Iudæorum, hoc est omniũ profitentium nomen tuum. Absalon formę gloria ferox, et cæsariei luxuria superbus, sceleratis consilijs molitus est exitium Dauid, quo sibi regnum eius uindicaret. Ita populus Iudaicus, cuius typum gerebat Absalon, sibi placens ob gloriam legis à deo traditæ, ob progenitorem Abraham, ob prophetas, ob magnifica dei promissa, ob templum domini & uictimas, ob sacerdotum, ob scribarum & pharisæorum autoritatem, ob cæremonias mirificam religionis speciem præ se ferentes, totis uiribus coortus est aduersus regem Iudæorum. Nec defuit huic suus Achitophel, qui quum prius fuisset ab intimis cõsilijs Dauid, mox defecit ad Absolonẽ, ostendẽs illi uiam, qua solo Dauid extincto, populum uniuersum pelliceret ad sese. Iudas enim è discipulo factus est proditor domini sui. Non habet decorem hunc corporis Dauid, non habet cęsariem, non habet blandiloquentiam insidiosam. Mulierum sunt ista uel ornamẽta, uel præsidia. Vigorem spiritus habet Dauid noster, qui delectat animos masculos, qui salutaria quærunt potius q̃ in speciem blanda, ac fortia magis q̃ speciosa. Dauid consulens incolumitati populi potius quàm suæ, pedes egreditur ciuitatem: Absalon instructus curribus & equitum copijs, admouet minacem exercitum. Christus uero non semel subduxit sese furori Iudæorum, nunc lapidationem, nunc pręcipitationem machinantium. Gestiunt ac ferociunt qui sequuntur Absalonem: lugent ac flent qui comitantur Dauid fugitiuum. Sic pugnat & hodie mundus aduersus Christum & huic adhærentes, Sic ferocit aduersus euangelij professores. Regnat Absalon in Hierusalem, atq; in regia aliena tyrannidem exercet. Dauid cum suis fugitat ac latitat. Agnoscimus in his pater cœlestis imaginem eorum, quæ tua uoluntate gesta sunt in filio tuo Iesu, atque huius discipulis. In mundo erat filius tuus, & mundus per eum factus est, quemadmodum Hierosolymam condiderat Dauid, & mundus eum non cognouit, sed electus est, ut demigraret ad deserta gentium. Quin & in hoc respondet figura rei gestæ, quod Dauid fugiens transijt torrentem Cedron, quem ante mortem transijt & Dauid noster Iesus. Atq; interim imminente supremo periculo, Dauid consulit periclitantibus, ne ueniant in commune periculum: sic filius tuus: Si me quæritis, sinite hos abire. Dauid iubet reportari arcam in ciuitatem Hierosolymam, & ex oraculo domini rem uult geri, non humanis præsidijs, dicens: Si dixerit dominus, mihi non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram ipso. Ego uadam quò uado. Filius tuus uerus rex noster: Fiat, inquit, uoluntas tua, non mea. Et filius hominis uadit sicut scriptum est de eo. Dauid nudis pedibus, & operto capite ascendit montem oliuarum, ut illic oraret: Christus nudis pedibus ascendit in locum Golgatha, conscendit cacumen crucis, atq; illic deprecatus est patrem pro salute totius populi. Semei reliquiæ Saul, is spirans adhuc uetus odium in Dauid, acerba conuicia iaculatur in eum, quæ quidem in magnis malis acerbissima calamitatis pars. Audit Dauid electus, fugitiuus, latitans ac destitutus: Egredere egredere uir sanguinum, & uir Belial. Reddidit tibi dominus uniuersum sanguinẽ domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & ecce premunt te mala tua. Nec contentus maledictis, lapides quoque conijciebat in Dauid, & in famulos eius. Audiuit et Dauid noster, uerus ac sempiternus populi tui rex: Samaritanus es, & dæmonium habes, & in nomine Beelzebub ejcis dæmonia. Audierunt illius amici: In peccatis natus es totus, & tu doces nos. Item: Tu ex illis es: Nam et Galilęus es. Hęc uerba magis formidanda, quàm ulli lapides,

tum conijciebantur in discipulos Iesu. Quin idem in cruce pendens audiebat à militibus, scribis, & pharisæis conuicia, uel ipsa cruce acerbiora. Vah qui destruis templum: Si filius dei est, descendat nunc. Probra Semei toleranter tulit Dauid, nec passus est Abisai filiũ Seruiæ parare ultionem. Rex noster cohibuit Petrum molientem uindictam, & tanq̃ surdus non audiẽs obmutuit ad opprobria exprobrantium, atq; interim deprecatus est patrem ut illis ignosceret, quemadmodum & Dauid defleuit interitum Absalonis, dicens: Fili mi Absalon, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Quod optauit Dauid pro salute unius, hoc Christus præstitit pro toto populo Iudaico. Ac Paulus imitator Christi, cupit anathema fieri pro Iudæis, qui ipsum pertinacibus odijs persequebantur. Postremo respondent rerum exitus. Dauid dei præsidio restitutus in regnum, hymnum canit liberatori suo, dicens: Propterea confitebor tibi domine in gentibus, & nomini tuo cantabo. Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum. Noster item Dauid, per mortem suam deuictis hostibus omnibus, & in uniuersum orbem terrarũ parato regno, dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Achitophel reuersus in ę deis suas laqueo suspẽdit seipsum. Iudas Iscariotes reuersus in domũ infelicis cõscientiæ, simili fato perijt. Porrò quũ uidemus populum Iudaicũ pertinaciter affixum cæremonijs legis Mosaicę, sic ut nec cœlo potiatur, alienus à Christo: nec terra, profligatus undiq; & oppressus, nónne uidemus Absalonem suis capillis inuolutum, pendentem ab arbore? Exitio fuit, in quo gloriabatur. Agnoscimus domine nihil hic geri casu fortuitóue, sed omnia tuo sempiterno cõsilio temperari: quod designatum erat in rege Dauid, uidimus expressum in rege nostræ Hierosolymę, quæ est ecclesia: & quod in capite gestũ est agnoscimus & in corpore fieri. Sunt, & semper erunt Absalones, titulis, autoritate, dignitate, specie religionis sibi placentes ac feroces: nõ desunt Achitopheles, & Semei Saulis posteritas: non desunt Annæ & Caiphæ, non scribæ & pharisæi, non primores populi, non ingratum uulgus & multitudo ad principum auram mobilis: non Herodes ac Pilati, non cohors impia, quæ Christum tuum persequatur & affligat in membris ipsius. Sic tuæ sapientiæ uisum est explorare tuorum erga te fiduciam, sic nos docere, ne cuius opem nitamur præterq̃ tua. Sed interim undiq; uallati malis quamdiu uersamur in hoc corpusculo, non possumus non ingemiscere, nõ suspirare, non deplorare præsentem sortem, sed apud te duntaxat, in quo uno spem omnem nostram fiximus. Alijs aliæ res in aduersis adferunt, uel auxilium, uel solatium, opes, forma, uires, genus, claritudo, dignitas, potentia, uersutia, copiæ militares, equi, currus, classes, bombardæ, fœdera regum, conspiratio principum, sapientia huius mundi, spes uindictæ, delitiæ, uoluptates, quę molestiam utcunq; leniunt. Quidam etiam ad magicos ac sortilegos confugiunt. Nos autem ex filio tuo domino nostro didicimus, in nihilo horũ collocare spem nostram, ne tuo destituamur auxilio, qui totam uictoriæ gloriam tibi uis acceptam ferri. Tibi uni gratias agere didicimus, si quid acciderit boni: apud te nostras depromere querimonias, si quid inciderit triste. Vnius ferocis hostis impetum sustinere difficile est. Nunc uides q̃ multi circumuallent unum ac pusillum gregem tuum. Quot exercitibus, quot machinis hunc oppugnat hic uiolentus mũdus, nec cessant unq̃ impij spiritus igneis iaculis è sublimi impetentes animas nostras, & præter hæc omnia circumferimus hostem domesticum, carnem nostram assidue rebellantem spiritui. Hi nimirum hostes tam multi semper in procinctu stantes, non sinunt tuum populum esse securum: obambulant enim caulas tuas multi lupi graues, multiq; leones rugientes, quærentes quod deuorent. Sed tum insurgunt maxime formidabiles, quoties totis uiribus cooriuntur in nos: illi sublimes & excelsi, nos humiles: illi armati, nos inermes, illi uictores, nos abiecti. Eijcimur in exilium, rapimur in carceres, exuimur bonis, affligimur, cędimur, infamamur, damnamur, occidimur. Et si desunt homines, qui sæuiant in populum tuum, non desunt hostes hoc periculosiores, quod inuisibiles. Hinc adoritur nos spiritus libidinis, hinc iracundiæ, hinc ambitionis, hinc luxus, hinc auaritię. Neq; raro quo citius fallat nos hostis callidus, uertit sese in angelum lucis. Quis autem enumerare possit q̃ multi quot arietibus impetant nos, quot artibus insidientur nobis, quanta ferocia sublimes in nos irruant conglomerati, uelut obruturi populum tuum domine. In malis autem quàmlibet grauibus præcipuum leuamen est spes finiendæ calamitatis & afflictionis in lætitiam cõmutandæ, quemadmodum

dum qui graui tempestate iactantur, spe successuræ serenitatis sustinent animum. Et hoc extremum solatium nobis hostes conantur eripere. Multi enim insultant animæ nostræ dicentes, quod non sit illi spes in deo. Vnde autem populo tuo speranda salus, si tu seruare uel nolis, uel non possis? Tolerabile conuicium est, quod ingeritur auribus corporis. Hoc acerbissimum conuicium ingerunt animæ nostræ. Interitus corporis ferri poterat, animæ iacturam quis ferat? Sed ante nos audiuit simile filius tuus unigenitus, aduersum quem constituerunt uerbum iniquum, dicētes: nunquid qui dormit, adijciat ut resurgat? Audiuit & in cruce pendens: Sperauit in deo, liberet eū nunc si uult eum. Leue probrum erat: Samaritanus es, & dæmonium habes. Nihil autem crudelius quàm ad extremam redacto calamitatem insultare, ac desperationē salutis ingerere? Obtura domine aures animæ nostræ, ne talem uocem admittat, non est tibi salus in deo. Et tamen hanc amarissimam uocem multi nobis ingerunt. Dicunt enim nobis huius mundi cultores, perierunt quicunq; dormierunt in Christo. Clamant irrisores sacramentorum ecclesiæ: Non abluit aquula sordes animi, nec uerbis purgantur, quæ facto cōmissa sunt. Clamant hæretici, non est spes relapsis post baptismum. Aliunde clamant philosophi, nullū esse deū. Rursus aliunde, deo nullam esse curam rerum humanarum, & nunc comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Aliunde clamant Sadducæi, non supereſſe animas ab obitu corporis, sed totum hominem perire morte. Hi quid aliud nobis obganniunt, quàm nos frustra salutis spem posuisse in te deo nostro? quum enim hic mortificemur propter te tota die, facti uelut oues mactationi destinatæ, si ultra uitam hanc nō porrigitur spes nostra, nónne uere miserabiliores sumus omnibus hominibus? Nónne uere perimus irreparabiliter, quū ab inimicis occidimur? Tales uoces audiuit pius ille Thobias ab amicis & uxore sua. Audiuit & sanctus Iob ab uxore sua: Benedic deo, & morere. Neq; uero desunt intus in nobis, qui comínus animæ nostræ tales uoces ingerant, spem adimentes ac desperationem incutientes, & has amarissimas uoces pro nobis audiuit filius tuus Iesus, quum erat in cruce dicens: Deus meus, deus meus, quur me deseruisti: Longe à salute mea uerba delictorum meorum. Habent peccata sermones suos, sed diuersos. Quum pelliciunt animam nostram, blandissime loquuntur illi. Quàm erat blanda uox ambitionis, quæ dicebat: non moriemini, sed eritis similes dijs scientes bonum & malum. Sic loquitur impudicitia. Quid dulcius? Sic luxus. Quid suauius? Sic regnandi insania. Quid splendidius? Sic auaritia. Quid felicius? Verum postquàm hausi dulce uenenum, mutata lingua, quàm amara uerba loquuntur animæ: Maior est iniquitas tua, quàm ut ueniam merearis. Deus iustus est. Nihil expecta præter supplicium. Hæc uerba quum sint acerbissima, si proferantur ab uno crimine, quis ferat, quoties tot adulteria, tot rapinæ, tot homicidia, tot furta, simul reclamant animæ nostræ, Non est tibi salus in deo tuo? O duras uoces & amaras. Quod si hic nihil aliud contemplemur, quàm magnitudinem criminum, quæ commisimus, quàm uires nostras, quàm merita nostra, quàm diuinam iustitiam, quid superest nisi desperatio? Sed aliud loquitur animæ nostræ tua misericordia, quæ uincit ac superat iudicium. Iustitia tua sinit ad extremum desperationis uenire, sed immensa tua misericordia facit simul cum tentatione prouentum, ut possimus sustinere. In omnibus enim tribulationes patimur, sed angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, humiliamur, sed non confundimur, deijcimur, sed non perimus. Quasi morientes & ecce uiuimus, ut castigati & non mortificati. Quantumuis nobis desperationem suadet multitudo affligentium nos paucos, ferocia insurgentium in nos humiles, amarulentia nobis ceu uictis ac deploratæ spei insultantium, tamen tu domine solus manum auxiliatricem porrigis aduersus turbam affligentium. Porrò perire non potest, quem tu tuendum susceperis. Tu solus gloria nostra es aduersus superbiam conculcantium nos. Tu es qui erigis caput nostrum in spem uictoriæ aduersus illos, qui nobis sublimes ueluti uictores uictis insultabant. Si tu deus pro nobis, quis contra nos? Quis nos separabit à charitate filij tui Iesu? Num tribulatio, num angustia, num fames, num nuditas, num periculum, num persequutio, num gladius? Certi sumus, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit uos separare à charitate tua deus, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Quicunq; enim syncero corde profitentur

2. Cor. 4

Tu autem domine

de profitentur filium tuum, per illum liberantur ab omni tentatione procella. Quod in illo præstitisti, idem præstas in membris illius. Quum aduersus illum fremerent gentes & populi meditarentur inania, quum adstitissent reges terræ, & principes conuenissent in unum, quum uniuersi sæuirent in unum ab omnibus destitutum, tu clypeo uirtutis tuæ protegebas illum, Quum omnes superbi ludibriis incesserent illum, cædentes arundine, impingentes colaphos & alapas, conspuentes faciem eius, ludibrij causa coronantes eũ spinis & sceptri uice tradentes arundinem, induentes chlamydem coccineam, & amaru/lenta scommata iaculantes in eum, denicq; inter maleficos pendentem conuicijs incessen/tes. Quum modis omnibus factus esset uermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, tu solus aduersus omnem ignominiam mundi, fuisti illius gloria, etiam in ipsa morte, multis modis glorificans filium tuum. Denicq; quum iam sepulti quoq; no/men studerent abolere, tu exaltasti caput illius, & dedisti illi nomen, quod excellit omne nomẽ, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum. Affli/ctio capitis, institutio nostra est Euectio capitis, spes & gloria membrorũ est. Ex nobis im/becilles, per te sumus inuicti: ex nobis nihil habentes, de quo gloriemur, gloriamur in te, et in domino nostro Iesu Christo: ex nobis humiles & abiecti, per illum sublimes sumus, de/spicientes omnem satanæ potentiam. Scimus enim quod tu sic percutis, ut sanes, sic deij/cis ut erigas, sic occidis ut uiuifices, sic obscuras ut glorifices. Libenter igitur & nos glo/riabimur in afflictionibus, in deiectionibus, in ignominijs nostris, ut in te sit nostra conso/latio, sit nostra sublimitas, sit nostra gloria. Posthac igitur populus tuus non audiet uoces insultantium ac dicentium, non est tibi salus in deo tuo, sed quoties ingruerit tempestas malorum, magna cum fiducia uoce nostra clamabimus ad te, & tu exaudies nos de mon/te sancto tuo. Habet synagoga uoces suas, quibus obstrepit auribus tuis. Ieiuno bis in sabbato, & decimas omnium bonorum do pauperibus, & non sum sicut cæteri homines. Alia uox est ecclesiæ, qua confitetur domino quoniam bonus, quoniam in sæculum mi/sericordia eius. Valida uox est fidei, quæ nihil non impetrat à clementia tua domine. Pro/misit filius tuus, capillus capitis uestri non peribit. Promisit idem: Quicquid petieritis pa/trẽ in nomine meo, dabit uobis. Promisisti & tu deus: clamabit ad me & exaudiam eum. Credimus promissis tuis, & fidei uoce clamamus: Tu qui fallere nõ potes, exaudias nos de monte sancto tuo. Synagoga clamat in tẽplo manufacto, ac postulat exaudiri de pro/piciatorio. Nos uero, qui scimus tuã maiestatẽ non circunscribi loco, ex omnibus mundi regionibus clamamus ad te, certi quod è tua sublimitate, à qua nuncq; recedis, exaudias nos pro bona tua uoluntate, etiam si uidearis non exaudire nos. Scis enim quid expediat nobis. Non tibi præscribimus auxilij modum, non tempus aut locum, tantum hoc confi/dimus tuam opem non defuturam populo in te confidenti. Clamauit ad te uoce sua pen/dens in cruce filius tuus, & exauditus est pro sua reuerentia. Commendauit exclamans magna uoce, in manus tuas spiritum suum, et resuscitasti eum tertio die, quoniam ille tuo præsidio fretus ac securus, uolens obdormijt in morte, ac somnum cœpit in sepulchro, ac mox experrectus est reuiuiscendo, frustra Iudæis sepulchrum obsidentibus, propterea, quod tu nunquàm illum destitueris, nec deserueris animam illius apud inferos, ut mors illi dominaretur. Impij triumphum agebant, quod innocentem adegissent ad certam mor tẽ, dicẽtes: nõ adijciet ut resurgat, sed tibi dormiebat, tibi quiescebat, excitaturo quando/cunq; uolebas. Adoramus & exosculamur in capite nostro mystica rerum imaginem, spe rantes idem effectura tuã bonitatẽ in membris, quod præstitit in capite. Qui morimur in fide Iesu Christi, quoniam cum certa spe uitæ melioris morimur, obdormiscimus poti/us quàm morimur, et interim corpus ad cãtum angeli reuicturum quiescit potius, cũ mor tuum est in sepulchro, iam liberum ab omni molestia dolorum ac laborum, quibus affli/gebatur, suo uero tempore reuiuiscet: quin & animæ placida quiete fruuntur, donec rece/perint corporis quæq; sui contubernium. Hac fiducia securi tum uiuimus, tum morimur, scientes quod siue uiuimus siue morimur, tibi uiuimus ac morimur, quoniam & uiuentes & morientes tui sumus. Non perit autem, quicquid tuum est. Porrò tui sunt, quicunq; per fidem Euãgelicam insiti sunt in corpus unigeniti tui. Non est enim damnatio his, qui sunt in Christo Iesu. Etenim qui hic illius similitudinem exprimunt per pœnitentiã mor tui peccatis, per baptismum & abstinentiam malorum operum sepulti cum illo, qui felix

Exaltans ca put eius.

Voce mea ad dominum cla/maui.

Ego dormiui.

sabbatum

ſabbatum egit in monumento, reſurgentes cũ illo in uitæ nouitatẽ, ſic ut iam non uiuant concupiſcentię, ſed iuſtitiæ, quemadmodum Ieſus Chriſtus ſemel mortuus eſt pro peccatis noſtris, ac uiuit immortalẽ uitam, tibi largitori iuſtitiæ, olim reuiuiſcent & ipſi in beatã immortalitatẽ. In his omnibus tua miſericordia recipit ac protegit nos, Affligimur in hoc mundo ac uelut occidimur, ſed te liberante reſpiramus, per pœnitentiã mortificamur carne, ſed tuo ſpiritu uiuificamur, obdormiſcit hoc corpuſculũ in morte, ſed per te reſuſcitatur in reſurrectione. Perfecta uictoria præceſsit in capite noſtro. Vicit mundũ, uicit principẽ huius mundi, uicit mortem, uicit peccatũ, uicit perſequentiũ rabiem: quoniam autẽ nobis hæc omnia uicit, nos quoq; magnanimos, & intrepidos aduerſus hęc omnia reddit noſtra erga Ieſum filiũ tuũ fiducia, gaudentesq; cũ illo canimus Epinicion: Non timebo milia populi circundantis me. Vidimus unigenitũ tuũ deſtitutum ac deſperatũ ab omnibus, etiam intimis amicis, te protegente triumphantẽ de omnibus hoſtibus ſuis. Vidimus omnes tuos ſanctos extrema paſſos in hoc mundo, neq; quẽquam tamen deſtitutũ opetum adeſſe maxime, quum in nobis minimum eſt præſidij. Quare poſthac tua freti bonitate, tua uirtute animoſi, non timemus multa milia populorum circunuallantiũ nos. Fortior eſt tua uirtus ad protegendũ, q̃ omnium inimicorum copia ad opprimendum. Plus nobis cauet tua ſapiẽtia ad ſalutẽ, q̃ hoſtium fraudulentia molitur ad pernicię. Plus ualet tua bonitas tot modis nobis perſpecta & explorata ad præſtandã animo noſtro fiduciã, q̃ inimicorum omnium ſęuitia ad terrendum. Semper itaq; gratias agimus tibi benigniſsime deus, ſiue quum affligimur aduerſitate, quo fiduciã erga te noſtram reddas ſpectatiorem, ſiue quum eripimur ac ſuperamus ad conſolationem aliorum et gloriam tui nominis. Cęterum quoniam quamdiu uerſamur in hoc mortali corpore, ſubinde expectandus eſt hoſtium inſultus, donec prorſus abſorpta morte, tuto poſsimus dicere: Vbi eſt mors uictoria tua, ubi eſt mors ſtimulus tuus: ne relinquito nos uiribus noſtris, ſed quoties undiq; cingent nos agmina malorum, preſens exitium intentantium, tu domine deus noſter exurge in auxilium puſilli gregis tui ut ſerues illum, & intelligant inimici nobis eſſe deũ, cui curæ ſumus, & cuius poteſtati nullus poteſt reſiſtere. Agnoſcimus multitudinem, potentiam ac fæuitiam hoſtium noſtrorum, ſed tamen aduerſus hos tu nobis fiduciam præbuiſti incolumitatis, quia deus noſter es, in quo ſalutis ſpem collocauimus. Iam enim per filium tuum unicum Ieſum, reddidiſti nobis omnes aduerſantes, uincibiles. Siquidem ille tolerantia uicit Iudæorum malitiam. Ille tentatus à ſatana ſuperauit illum. Ille uicit mũdum à quo ſemper habitus eſt odio. Ille abſorptus à morte ac redditus, fregit uires mortis. Ille deſcendens ad inferos contriuit tyrannidem principum huius mundi. Quoniam autem nobis uicit, iuſsit nos, quantumlibet imbecilles, in ſua uictoria confidere. Confidite, inquiens, quia ego uici mũdum. Per filium itaq; tu deus percuſsiſti maxillam aduerſantiũ populo tuo, ac dentes peccatorum contriuiſti, ut impetere poſsint, deuorare ac deglutire non poſsint. Quoties Iudæorum peruerſitas, principum crudelitas, philoſophorum ſupercilium, rhetorum eloquentia, hæreticorũ pertinacia late diducto rictu parabat abſorbere puſillum gregem tuũ, dicens: Deglutiamus eum ſicut infernus uiuentem, & integrũ quaſi deſcendentem in lacum, ſed tua ſapientia ſic pro nobis percuſsit maxillas illorũ, ut quo magis illi ſæuirent, hoc magis inualeſceret ſermo Euangelicus. Circumit & hodie noſter ille aduerſarius tanquã leo rugiẽs, quærens quẽ deuoret, ſed tu domine cõtriuiſti dentes illius. Acuũt & hodie dẽtes ſuos in nos Iudæi, ſed contritos, ſic, ut maledicere poſsint, mordere nõ poſsint. Acuunt & hæretici, ſed in uanũ, te cuncta uertente in profectũ eccleſiæ tuæ. Aperit tartarus os ſuum, ut abſorbeat inuocantes nomen Ieſu, ſed fruſtra, quoniam ille dixit, nec portas inferorum præualituras aduerſus fiduciam Euangelicam. Solida petra eſt Chriſtus, & petra eſt quiſquis in Chriſto eſt: hanc cõtriti dentes commolere non poſſunt. Quemadmodum autem malæ beſtiæ dentibus potiſsimum occidũt, ueluti leones & urſi, nonnullæ & lætale uenenum ferunt in dentibus: ita reperiũtur & homines, quorum dentes ſunt illis arma & ſagittæ, & quorum lingua gladius acutus, & ſub quorum labijs latet uenenum aſpidis inſanabile. Hæc nimirum eſt illa generatio, non ex deo profecta, ſed ex diabolo, quæ iuxta teſtimoniũ Solomonis, pro dentibus habet gladios, et cõmandit molarib, ſuis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus. Sed

Non timebõ milia populi

Saluũ me fac deus meus

Quõniam tu percuſsiſti omnes

tu domine

tu domine per Christũ pręstitisti quod olim tuo nomine promiserat prophetia: Deus cõteret dentes eorum in ore ipsorum, malas leonũ confringet dominus. Rursus alibi: Super aspidẽ & basiliscũ ambulabis & conculcabis leonẽ et draconẽ. Quondam impiũ conciliũ frendebat dentibus in Stephanũ famulum tuũ, sed cõtritis. Non enim poterat resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Iidem cęsis apostolis denunciauerũt, ne prædicarent nomen Iesu. Nimirũ hoc erat stringere dentes in apostolos, sed audiũt: An magis obediendũ sit hominibus q̃ deo, uos iudicate. Qui falsis criminibus impetunt innoxios, qui cõuicijs incessunt pios, qui ad impietatẽ solicitant simplices, dentes suos acuunt in illos. Sic & olim satanas, dicens Christo: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: dentes uenenatos acuit in illum, sed ille cõminuit dentes illius, dicens: Scriptũ est, dominũ deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Accusantes illũ apud Annã & Caipham, similiter et apud Pilatũ uarijs criminibus, strinxerũt dentes suos in eum. Quum aduersus illũ uociferarentur: Tolle tolle, crucifige crucifige: dẽtes habebant pro iaculis, quibus illum occidere potuerunt, uincere non potuerũt. Quum aduersus pendentẽ, clamarent: Dixit se filium dei, descendat nunc de cruce: ueneno tinctis dentibus cõmordebant illũ, sed domini patientia cõtriti sunt dentes illorum. Quur igitur metuamus illos, qui simili modo dentes suos contritos stringunt in ecclesiam tuam dicentes: Non est salus ipsi in deo eius? Imò domini est salus, extra quem pereunt etiã qui salui uidentur, & in quo salui sunt, etiã qui uidẽtur interire. Si dicerent, non est ulla spes salutis ex uobis, non ex naturæ uiribus, non ex lege Mosaica, non ex humana philosophia, non ex meritis hominũ, fateremur ac desponderemus animũ. Nunc autẽ quoniã dicunt: non est salus in deo, magna fiducia respondemus illis: Domini est salus. Quur uos minitamini exitiũ, qui nec perdere potestis quenquã nec seruare? Solus deus potest occiso corpore mittere animã in gehennam. Solus potest etiã ab ipsis inferis reuocare animã. Quur alijs minatur exitiũ, qui sibi nõ possunt esse saluti? Hãc potestatẽ sibi uindicabat Pilatus: An nescis inquit, quod habeo potestatẽ occidendi te, et rursum potestatẽ seruandi te? Quid aliud poterat Pilatus, q̃ occidere corpus, nec hoc poterat, nisi tuo permissu, citra cuius uoluntatẽ ne passerculus quidẽ cadit in terrã. Non est spes salutis in homine. Maledictus enim qui cõfidit in homine. Non est spes salutis in dijs gentiũ, nõ in principibus terræ, nõ in angelis, nõ in sanctis. Tu domine solus potes, quod per os prophetæ tui prædicas. Videte quod ego sum solus, et nõ est alius deus præter me. Ego occidam, & ego uiuere faciã: percutiã & ego sanabo, & nõ est qui de manu mea possit eruere. Qui sibi seruatores esse uolunt, pereunt in æternũ: qui in alio spem salutis collocant q̃ in te, aliũ deũ sibi fingunt, quũ nõ sit nisi unus deus, & idem ueræ salutis autor. Est enim falsa salus, quę pertrahit in extremũ exitiũ. Abnegata ueritate, quã nos docuit filius tuus, seruasse uitã corporis, nihilo secius paulo post interituri, uera pernicies est. Cęterum quos tu seruandos susceperis, hos nulla creatura potest perdere. Iam hoc tui muneris est domine deus, quod tibi fidimus, quod non aliunde pendemus, q̃ ex tua uoluntate, quod ex animo dicimus, domini est salus. Tu quemadmodũ cœpisti, benedic populo tuo. Maledicant nobis hostes, modo tu benedicas. Nihil moramur humanas benedictiones, quæ seducũt corda simpliciũ, quũ laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Talibus benedictionibus tu maledicis. Semper erũt qui cõducant Balaam, ut maledicat populo tuo, sed filius tuus pronunciauit eos fore beatos, quibus maledixerint homines propter ipsum. Dauid patiẽter tulit maledicta Semei, nos etiã maledicentib. benedicimus, male precantib. beneprecamur, pro deuouẽtib. nos, oramus, filij tui et exemplũ & doctrinã sequẽtes, ut tua benedictio semper foueat populũ tuũ. Da ut semper simus populus tuus, & cõfidimus nõ defuturã benedictionẽ tuam. Nos interim uicissim benedicimus nomini sancto tuo, quod est benedictũ in omnia secula, donec audierimus illã extremã tuã benedictionẽ, ex ore benedicti filij tui Iesu: Venite benedicti patris mei, possidete regnũ, quod uobis paratũ est ab origine mũdi. Habes specimẽ mi Viandale, sed extẽporale. Si displicebit, nihil me fefellerit. Hoc expectabã. Sed tamẽ interim uelis nolis, probabis obsequium meum. Bene uale, cum his qui synceriter amant dominum Iesum. Basileæ quinto Calend. Mart. Anno à Christo nato. M D XXIIII

Domini est salus.

IN PSALMVM TERTIVM PARAPHRASEOS
Des. Erasmi Rot. finis.

R. P. IOANNI EPISCOPO LINCOLNIENSI
in Anglia Erasmus Rot. S. D.

ANte complures annos primus omnium Caletij me cohortatus es, integerrime præsul, ut in Psalmorum opus æderem commentarios, nec uero desinis frequentibus epistolis eandem occinere cantilenam. Exorti sunt deinde, quum eruditi quidam, tum etiã principes qui idem flagitarent. Quibus dum uideo excusationem meam, licet mea sententia iustissimam, nõ probari, subinde conatus sum introspicere sacratissimum hoc diuini spiritus adytum: uerum id tentantem, aut alio auocarunt occupationes, aut religio quædam ac ueneratio maiestatis ab ingressu deterruit. In primum psalmum olim ceu præludi, in secundũ iustum addidi commentarium, in tertium tentaui paraphrasim: nunc in quartum mitto concionem, nullum non mouens lapidem, si quà forte succedat. Nec adhuc usq; mihi satisfacio. Paraphrasim uix recipit huius operis natura, & tamẽ in tanta commentariorum turba lector esset alia qua tractationis nouitate retinendus. Pergam, si tu gustum huius conatus probaris, & si conantem tuis apud deum precibus iuueris. Bene uale. Basileæ nonis Ianuarijs An.

M D XXV.

IN QVARTVM PSALMVM, CVM INVOCAREM, CONCIO DES. ERAS. ROT.

QVo plus habet difficultatis psalmi præsentis explanatio fratres in domino charissimi, hoc intentius oportet animum aduertere, ne simul & uobis pereat fructus tam desiderabilis, & mihi sumatur inanis in docendo opera. Contemnitis paululum laboris in amouendo nucis amaro cortice, duróque putamine, quo fruamini nucleo. Multo magis hic contemnetis paululum in attendendo studij, quo saluberrimo simul & iucundissimo cibo reficiantur animi uestri, quem uobis præbebit hic psalmus. Adesse dignabitur utriq; nostrum spiritus ille, quo fuit afflatus qui psalmum hunc ædidit, si modo nos promptam animi uoluntatem præstiterimus. In titulo uos non diu torquebimus, nam & hic uarius fertur. A septuaginta uidetur additus hic titulus: In finem in hymnis psalmus Dauid. Diuus Hieronymus hebræorum autoritatem sequutus, hunc præfixit: uictori, siue ad uictoriam in canticis psalmus Dauid. Sunt codices qui incerto autore, habẽt hunc titulum: In finem psalmus cantici Dauid. Quum auditis in finẽ, expectate sensum aliquem sanctiorẽ & abstrusum qui nobis Christi mysterium aperiat. Nam is est legis totius finis, hoc est perfectio. Quum auditis uictoris aut uictoriæ nomen, expectate mysterium mortis Christi, qua deuicit & oppressit satanæ tyrannidem, & cuius præsidio nos quoq; uictores euadimus, quoties oppugnamur a Satana. Quum auditis, psalmum cantici, cogitate spiritualis musicæ genus, quo uehementer delectatur rex noster Dauid uidelicet dominus Iesus, dum quod ore profitemur, factis & uita præstamus. Psalmus enim organo canitur, ut tradunt, canticum uocis modulatio est. Deus autem magis glorificatur pia uita Christianorum q̃ laudibus aut hymnis illorum. Perfecta erit melodia, si utrunq; iungatur alteri. Si bona uita præcedit canticum laudis, rectissimus ordo est, & domini referens exemplum, qui cœpit facere & docere. Si contra, canticum erit psalmi, proxime laudis musica. Cæterum ubi canticũ auditur, nec auditur psalterium, non delectatur hac musica deus, sed obturans aures dicit. Quare tu enarras iustitias meas? Apud Hebræos religiosa erat musica, sacrisq; peragendis adhibebatur, atq; huius præcipuum studium apparet fuisse regi Dauid, qui non solum cantores instituit, qui uarijs organorum generibus canerent domino, uerum etiam ipse non putauit indignum regia maiestate saltare, simul & canere ante arcam domini. Atq; hęc quidem apud illos per figuram agebantur. Nobis danda est opera ut in ea musica certemus, quæ delectat aures dei. Socrates comperit summam esse musicam philosophiam. Nos intelligamus deo gratissimam esse musicam, quũ nulla in parte uita nostra dissonat à præceptis ipsius, quũ oratio nostra cũ uita concordat, cũ suauissimum

Exordium ab attentione.

Docilitas

Tituli mysterium.

mum fraternæ concordiæ concentũ, nulla diſsidiorum aut opinionum turbat diſſonan/
tia, quum lyra querula deplorat admiſſum, quum cymbalis beneſonantibus gratias agí/
mus, quum tuba libere perſonat ſermonẽ Euangelicum. Hęc eſt muſica qua pellitur ſpíri
tus malus, quo Saul agitabatur, hac cõciliatur ſpíritus dei bonus, quemadmodũ in libris
Tranſitio. regum de Heliſeo legímus. Hactenuś de titulo, nunc ad pſalmũ. De cuius hiſtorico ſenſu
nihil attingã, uel quia ne de hoc quidem conuenit inter ſcriptores, uel quia nõ magnope/
re facit ad fructum pietatis, quẽ in præſentia quærimus. Hieronymus arbitratur iuxta ſen
ſum hiſtoricum, non poſſe applicari ad Dauid. Alíj diuerſum ſentiunt. Et inter quos con/
uenit ad Dauid iuxta literam pertinere, inter hos non conuenit de argumento hiſtoriæ,
Nos omiſsis his quæ plus habent contentionis quàm fructus, tantum bifariam pſalmum
hunc uobis exponemus. Primum quomodo competat in Chriſtum huius pſalmi pro/
phetia. Deinde quomodo pertineat ad omnia Chriſti membra, hoc eſt Chriſti corpus,
quod eſt eccleſia. D. Auguſtinus putat hunc ſermonem eſſe Chriſti poſt reſurrectionem.
Arnobius mauult eiuſdem eſſe, ſed pendentis in cruce, quæ ſententia mihi uidetur uero
propior. Illic enim ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſeipſum holocauſtũ offe/
rens deo patri, pro nobis interceſsit, & exauditus eſt pro ſui reuerentia. In hoc igitur ſen/
ſu, quadruplex perſonarum diſcrímen oportet intueri, Chriſti, et huic adhærentiũ, patris
& impiorũ, qui nondum agnouerunt Chriſtum. Auſcultemus igitur diligenter qui Chri
ſti morte ſumus redempti, quid Pontifex noſter pro nobis orauit, quo magis adnitamur,
ne fruſtra pro nobis orauerit. Suſceperat in ſe pontifex noſter grauiſsimam ſarcinam, uí/
delicet totius humani generis mala, quo nos ab omnibus malis liberaret. Verſus itaq; ad
amícos ſuos qui crediderant quidem, ſed eorum animos mors ipſius deiecerat, gratula/
tur ſibi, quod à patre ſit exauditus, qui filíj ſui mortem acceptam habere dignaretur, pro
totius humani generis ſalute. Hoc erat quod ſemper ſitiuerat, pro hoc crebro patrem in/
Cum inuoca/ terpellarat. Cum inuocarem, inquit, exaudiuit mẽ deus, & autor & iudex iuſticiæ meæ,
rem. qui nouit me ſolum eſſe ímmunem ab omnibus peccatis, & ideo ſic uiſum eſt illius boní/
tati, per unius innocentis mortem, mihi credentibus conferre iuſtíciam. A Iudæis quidẽ
ac Pilato condemnatus ſum, inter maleficos pendeo, probris ímpetor undiq;, ſed homí/
nes iudícant ſecundum faciem. Deus qui intuetur corda, ſolus nouit iuſticiam meam, &
ideo non reſtiti qui me perſequuntur, ſed deo commiſi cauſam animæ meæ. Hæc ad amí
cos ſuos. Hinc uerſus ad patrem addit. In tribulatione dilataſti mihi. Gratías agit patri
cœleſti quod in tantís afflictionibus undiq; prementibus, & corpus & animam, ſolus ín/
dulſerit ſolatium. Nulla erat in domino pars corporis, non plena cruciatus, manus & pe/
des claui pertuderant, perfoſſum erat latus ferro, Caput afflixerant ſpinæ & arundo, faci/
em alapæ ſputaqúe contaminarant, carnẽ uniuerſam flagra uulnerarant, omnes artus dí/
ſtentis neruis, grauiſsimo dolore tenebantur, oculi uidebant ſubſannantes phariſæos, &
mouentes capita ſua, aures audiebant: Vah qui deſtruis templum dei. Alíos ſaluos fecit,
ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Hæc erãt ipſa cruce triſtiora. Torquebat cor ſanguine
deſtitutum ſitis morte durior, & porrectum eſt acetum acuínum myrrhatum, ne palatũ
& lingua carerẽt ſuo cruciatu. Sanctiſsimam illius animam multa diſcruciabant peccata
totius mundi, pro quibus unus dabat pœnas. Quid autem grauius impiæ conſcientiæ
carnificina? Hanc totam in ſe tranſtulerat. Exulcerabat multorum incredulitas, pro quí/
bus hæc fruſtra patiebatur, Suſceperat enim infirmitates noſtras, & dolores noſtros ipſe
portauit iuxta Eſaiæ uaticínium. Hic erat hircus emiſſarius, in cuius caput pater impoſue
rat peccata non ſolum populi Iſraelitici, ſed omnium regionum ac ſeculorum. Itaq; uere
circũdederunt illum totum dolores mortis, & undiq; graui premebatur anxietate, ſed in
tanta afflictione qua maior nulla eſſe potuit, pater cœleſtis non deſtituit filiũ ſuum, ſed im
In tribulatio/ ploranti ſubſidium, impartijt ſolatium bonæ ſpei. Mala conſtringebant undiquaque, un/
ne dilataſti díque pungebant, undique uulnerabant, & urgebat extremum malorum deſperatio. Sed
mihi. in hac, inquit, tanta anxietate tu domine dilataſti mihi. Dediſti tolerantiam, confirmaſti
ſpem bonã, ut animus eſſet capax afflictionum, quamlibet multarum, quamlibet grauí/
um. Lata ſpes præbita eſt, uidelicet non ſolum ipſum reuicturum ad immortalitatem, non
ſolum Iſraelitas qui credidiſſent in ipſum fore ſaluos, uerum etiam per omnes mundi pla
gas, quicunque profiterentur nomen crucifixi, ſalutem æternam aſſequuturos. Hanc

fiduciam

fiduciam illi præbet pater, quum loquitur in psalmo secundo. Postula à me & dabo tibi gentes hęreditatem, & possessionem tuã terminos terræ. Inuocauit, postulauit, quod erat promissum, & confirmata est latissima spes, quæ solatium attulit in tantis malis undique circũuallantibus agnum immaculatum. Erat tum abiectissimus omnium uirorum, nõ habens speciem neq; decorem, uermis erat & nõ homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, & tamen hunc nullus exaudisset inuocantem præter patrem, nec ille quenq; inuocauit nisi solum patrem, & ille exaudiuit inuocantem, qui solus potest omnibus præsidijs humanis destitutos, primum confirmare bona spe in afflictionibus, deinde temporarias afflictiones uertere in gaudium sempiternũ. Nimirum hoc est quod dicit psalmus 21. Timeat eum omne semen Israel, quoniam non spreuit, neq; despexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem suam à me, & cum clamarem ad eum exaudiuit me. Hic erat ille pro nobis factus pauper anxius qui coram domino pro omnibus effudit precem suam psal. 102. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Vultis uidere nostra causa constrictum angustijs dominum? Ego, inquit, sum uermis & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis. Vultis uidere dilatatum? Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Constrictus erat in forma serui flagris cæsus, & cruci affixus, dilatatus gloria resurrectionis. Contrahamur & nos cum ipso per afflictionem carnis, ut dilatemur per illum uiuificatione spiritus. Sequitur: Miserere mei deus, & exaudi orationem meam. Moueri poterat hoc loco quæstio, quomodo hæc precatio miserere mei, cõperat in personam Christi, qui nihil habebat miserãdum: deinde qui cõsistat, ut qui modo egisset gratias, sibiq; gratulatus esset, quod exauditus esset, quod dilatata spe exhilaratus esset rursus miserabiliter ploret, miserere mei, & exaudi orationem meam. Sed mirũ uideri non debet, si clamat miserere mei, qui pro tot miseris orabat, qui miserias omniũ nostrum in se receperat. Ille exauditus gratias agit, ac mox iterum clamat, ut nos doceat, nunquàm esse cessandum ab orando. Semper agendæ gratiæ deo, pro his quæ dedit, semper imploranda est illius misericordia, ut quod dedit tueatur, quod largitus est augeat, ut quod promisit in hac uita præstet ac perficiat in futuro seculo. Hæc quum orasset, nõ expectato responso, sermonem suum uertit ad impios, nondum illustratos luce fidei, quod genus erãt Iudæi, qui condemnarunt, ignorantes dei iustitiam, Iesum, dum suam iustitiam tuentur. Cuiusmodi erãt gentes, quæ muta saxa pro dijs colebant, atq; his immolabant uictimas, in quibus nihil erat præsidij. Hos omnes misericors dominus cupit resipiscere, & amplecti paratam dei misericordiam, quam ipsis exorarat, clamans, miserere mei. Qui crediderint, iam facti sunt filij dei, per fidem & baptismum insiti Christo, proinde qui nondum crediderant, eos appellat filios hominum, qui referentes terrenum Adam, nihil sapiunt nisi terrena, cor habentes defixum in rebus humilibus ac sordidis, nec erigentes animos in cœlum ubi uera felicitas est, fiduciam ponentes non in deo, sed in simulacris, sed in umbris rerum. Charitas immensa domini cupiebat omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, & ideo magno affectu clamat ad hos. O filij Adæ, quur non properatis ut efficiamini filij dei, quamdiu cor habebitis depressum ac degrauatum amore rerum humilium, quum gratis offerantur bona cœlestia? Quur ostensa ueritate, tamen ultro diligitis uanitatem? Exhibetur uobis lux illa cœlestis, & uos Iudæi adhuc mordicus tenetis umbras ac figuras legis? patefacta est cognitio ueri dei, ueræq; religionis, & uos gentes adhuc quæritis inania deorum simulacra? Tot seculis deus tolerauit ignorantiam uestram, nunc posteaquàm lux uenit in mundum, quur ultro diligitis noctem ignorantiæ, & non potius amplectimini solem exorientem, qui discutiet uana rerum simulacra? Quis usque adeo demens est, ut quum profert se dies, omnia gratissima luce perfundens, fugiat in speluncam atram, ueluti noctem in die quæritans? Quis lumen si detur uidere requirit pristinæ cæcitatis tenebras? Quàm profunda cæcitas erat, hominem colere pro deo. Sed crassioris est cæcitatis, boues, simias, crocodilos, serpentes, dracones, pro numinibus uenerari. Proximæ cæcitatis est, lunam, solem, ac stellas, corpora in usum hominum à deo condita, pro dijs adorare. Verum omnium crassissimus morbus est, cepas, lignũ, lapides, æs, imagines hominum arte confictas adorare in quibus nec sensus est ullus, nec uita. Atq; hæc nox tot annorũ milibus totum orbem occuparat. Quid hoc est aliud q̃ quærere mendacium? Vanitatis erat, credere soli aut lunæ inesse numen aliquod

quum ex illis potius agnoscendus esset uerus deus, eorum corporum conditor. Erroris erat hæc adorare, priusq; Euangelica tuba per uniuersum orbem personuerat, non esse adorandum nisi unum deum patrem, filium, & spiritum sanctum. Sed deploratę cuiusdã infelicitatis est animi morti deuoti, post auditam Euangelĩ tubam, adhuc incendere thura ligno & lapidi dicere, serua me. Mendaciũ erat miserabile, credere mortuos homines uerti in deos, uerũ miserabilior est cæcitas, mendaciũ, ubi non est, quærere, hoc est mentiri sibĩpsi, & fingere præstigium quo uolens fallatur. Est huius uitæ uanitas iuxta ecclesiasten, quam homo non potest effugere. Est uanitas iuxta Paulum, cui omnis creatura subiecta est non uolens, cæterum eam adeo non diligit, ut ingemiscat ac parturiat, expectãs reuelationem filiorũ dei. Pernicioſa uanitas est, quam quis diligit. Item mendaciũ est quoddam humanæ naturæ concretum, de quo legitur, Omnis homo mẽdax. Sed pernicioſum mendacium est quod quæritur, quod accersitur, quod adamatur. Equidem arbitror totum hunc uersiculum, qui tribus articulis constat, quorum primus notat graues corde, secundus diligentes uanitatẽ, tertius quærentes mendacium, ad utrunq; populum, Iudæorum uidelicet & gentiũ pertinere. Quum Christus uenisset, qui erat ueritas, tamen erant in utroq; qui diligerent uanitatem, & quęrerent mendacium, quemadmodum sunt hodie quoq;. Corpus habere graue, commune est omnium mortalium. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, ac terrenum domicilium deprimit sensum multa cogitantem. Hoc onere grauatus Paulus etiã ipse clamat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Idem Corinthijs scribens, ingemiscit grauatus terrestri domicilio, superindui cupiens domicilio cœlesti. Quanq; & hãc sarcinam nobis detrahet resurrectio, quum pro terreno ac animali corpore, quod ueluti semen terræ creditum est, nascetur spirituale. Sed interim miserum est habere cor graue. Habebant autem Iudæi, qui literæ affixi, non poterant erigere cor ad sensum spiritualem, qui in Christo nihil perspicere poterant nisi quod carnalibus cernebãt oculis. Tale cor ex parte habebant & discipuli domini, priusq; spiritus ille cœlestis eximeret illis hoc terrenum, & insereret cor subuolans ad cœlestia. Graue cor habebant & græci philosophi, qui totam aciem dirigebant in res conditas, de substantijs à materia separatis, uix ceu per nebulam aliquid perspicere ualuerũt. Multo minus de simplicissima dei natura, & si quid de hac somniarunt aliqui, nimirum ex rebus mirabiliter conditis coniectantes opificem, tamen ab hac luce degrauati deum utcunq; cognitum, non coluerunt ut deum, qui quum sit mens æterna, pura mẽte colitur, sed turpiter uiuentes gloriam dei uerterunt in simulacrum hominis, nimirũ hoc est quod scribit Paulus Romanis. Euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum. Qui ebrij sunt, inquit alibi, nocte ebrij sunt: posteaq; per Christũ emicuit lux Euãgelij, iam nox processerat, dies appropinquabat, itaq; decebat abijcere facta tenebrarum, & induere arma lucis. Nec tamen desunt qui ex uespertina crapula iamdudum exorto sole tamen oculos habent grauatos, in clara luce cęcutientes. At leuior est corporis crapula, quæ somno decoquitur. Infelix est cordis crapula, quæ non perinde facile discuti potest. Ab hac igitur deterret discipulos suos dominus apud Lucam euangelistam. Videte ne grauentur corda uestra crapula, & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. Hæc crapula multis annorum milibus degrauarat corda mortalium, non gentiũ tantum sed & Iudæorum, qui subinde relapsi sunt ad cultum simulacrorum. Porrò quod hic dicitur uanitas, græcis est *ματαιότης*, quæ uox magis significat superuacaneum quodqúe frustra fit, alioqui Latinis uanum dicitur, quod est inane, ueriqúe uacuum. Et uanus dicitur qui falsa iactat. Simulacra uero uanitates appellari, multis scripturæ locis declarari potest. Quod enim est in libro Regum 3. prouocantes dominum deum Israel in uanitatibus suis, græce est *ἐν ματαίοις αὐτῶν*. Rursus apud Hieremiam, me ad iracundiam concitauerunt in sculptilibus suis, & in uanitatibus alienis, græce est, *ἐν ματαίοις*. Rursus in Actis apostolicis cap. 14. Barnabas & Paulus cultum falsorum deorum, uanitatis nomine signant, annunciantes, inquit, uobis ab his uanis conuerti, græcis est, *ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων*. Non solum igitur impium erat quod faciebant gentes, uerum etiam superuacaneum. Quid enim tam frustraneum esse potest, quàm si quis oclamet statuæ, quæ non audit, si quis incendat thymiama saxo, quod olfactu caret quam offerre donaria simulacro quod non uidet, inferre cibos æri, quod non sapit,

uitam

uitam ſuam ac ſuorum cõmittere ſimulacro quod non uiuit, præſidium poſcere à lapide, qui ſibi nõ poteſt eſſe præſidio, nec erigere ſe ſi quis deijciat loco, nec tueri ſe ſi quis cõminuat. Iam mihi cogita q̃ profunda ſit animi crapula, quum uideas cædi materiem, effigiari truncum in imaginem quamcunq; uoluerit artifex, quum uideas ex eiuſdem ligni reliquijs, coqui cibos, quod reliquum eſt, ubi manibus humanis fuerit affixum in templo, habere pro deo. Videlicet hæc eſt illa crapula, quam deſcribit Eſaias cap. 29. Obſtupeſcite & admiramini, fluctuate & uacillate, inebriamini & non à uino, mouemini, & non ab ebrietate. Apud eundem prophetam cap. 44. eleganter depingitur hæc temulentia uanitatis. Has tenebras adeo dilexerunt gentes, ut earũ amore multis annis Chriſti præcones, omni malorum genere perſequuti ſint, & adeo ueterem errorẽ non reliquerunt, ut nouas etiam ſuperſtitiones ultro ſibi commenti ſint, an non hoc eſt quærere mendacium? Parũ erat colere patrios deos, quicquid erat apud peregrinas nationes falſorum numinum inuexerunt in ſuam ciuitatem. Aderat deus uerus, & ab hoc auerſi, quęſiere ſibi falſos deos. Similiter & Iudæi dilexerunt uanitatem, & quæſierunt mendacium. Superuacanea res eſt litera, ſi deſit ſpiritus. Inanis res eſt umbra, ſi non teneas corpus. Inutilis eſt imago, ſi deſit ueritas, & tamen Iudæi adhuc mordicus tenent ſabbatiſmos, circunciſionem, delectum ciborum, uictimas, & alias hoc genus legis figuras, quas Chriſtus per illas deſignatas, poſteaquam aduenit, fecit ſuperuacaneas. Adhuc pendent à prophetarum promiſsis, quum is exhibitus ſit, quem illi promiſerant, uerum Meſsiam abnegant, & alium quendam imaginarium expectant, quum non ſit alius. An non hoc eſt quærere mendacium? Ac nos quidem hoc debemus euangelio quod ab inſanis maiorum noſtrorum religionibus liberati ſumus, quod deum uerum agnoſcimus, ac profitemur, utinam liberi ſimus & ab animorum ſimulacris, & à dijs ſpiritualibus. Etenim quod quiſq; deo præfert, hoc ſibi deum facit. Adhuc ſimulachris immolant, qui uentri, qui libidini, qui auaritiæ ſeruiunt, quam Paulus appellat cultum ſimulacrorum. Ad Iudæorum gentem adhuc cogitur clamare Chriſtus, quod clamabat in cruce. Filij hominũ uſq; quo graui corde, ut quid diligitis uanitatem umbrarum legis, quum per Euangelium exhibita ſit ueritas, quur quæritis mendacẽ Meſsiam, quum uerus Meſsias, iuxta prophetarum oracula, uobis tam euidenter ſit exhibitus? Illud offendiculum fuit Iudæis, quod uenit humilis, quod damnatus eſt, quod ſubactus in crucem, quod mortuus, quod ſepultus. At illi magnificum quẽdam regem expectabant. Verum ita deiectum, ita iuxta mundum redactũ in nihilũ, dominus exaltauit ac dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen. Hoc quoniam incredibile uidebatur, adiecit. Et ſcitote. Si creditis intelligitis, ſi non creditis, tamen non poteſtis ignorare, quod deus mirificauit ſanctum ſuum. Vidiſtis obſcurari ſolem, uidiſtis contremiſcere terram, uidiſtis aperiri monumẽta, uidiſtis diſsilire ſaxa, uidiſtis ſcindi uelũ tẽpli. Adeo potens fuit illius infirmitas, adeo glorioſa fuit illius ignominia. Vos quidẽ reieciſtis hũc lapidẽ, ſed deus hunc extulit, & iuſsit eſſe lapidẽ angularem. Hoc eſt quod dicit pſalmus. Et ſcitote quoniam mirificauit dominus ſanctum ſuum. Siquidem & alibi dicit. A domino factum eſt hoc, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quis crederet per mortem unius, uitam parari omnibus? Quis crederet per crucis ignominiam, opprimi tyrãnidem Satanæ, Quis crederet omnium phariſæorũ, ſcribarum, pontificum, populi, principum conatus in diuerſum uertendos eſſe? Quem illi coniurati, ſumma ui contendebant exitio tradere, per hunc deus ſalutẽ contulit uniuerſo mortalium generi. Cuius nomen illi putabant prorſus abolitum ex hominum memoria, huius gloriam deus illuſtrauit ſuper gloriã angelorum & hominũ. Ad huius nomen aperiunt caput, inclinant ceruices, flectũt genua, ſummi orbis monarchæ. Hoc nomen adorant angelicæ turmę. Ad huius nominis inuocationẽ reuiuiſcunt mortui, cõtremiſcunt dęmones, torquẽtur ac fugiunt noxij ſpiritus. Quod latinus interpres dixit mirificauit, græce eſt ἐθαυμάσωσεν, hoc eſt, admirandum ac ſuſpiciendum reddidit. Hic mũdus ſi quem uult alijs ſuſpiciendũ reddere, ueſtit illum auro, gemmis ornat ac torquibus, imponit equo magnifico, addit titulos, ſtatuas ſatellitium, tubas, conſeſſus. Si quem uelit referre in numerum diuorũ, præſtigijs, ac fictis fabulis imponit rudi populo. At longe diuerſa ratione deus rex cœli ac terræ ſuſpiciẽdum reddidit ſanctũ ſuũ. Habet & hic mundus ſanctos ſuos, habet & phariſaicus ordo ſanctos ſuos, ſed deus habet unicum ſanctum ſuũ unigenitũ ſuum, quẽ nulla peccati labes affecit, quem ſancti-

Et ſcitote q.m.d.

ficauit ac misit in mundum, ut per illum sanctificarẽtur omnes, qui profiterentur glorio/ sum nomen eius. Quod autem dicit scitote, potest uel confirmantis esse uel exprobran/ tis. Sic apostoli excutientes puluerẽ de pedibus in eos, qui nõ receperant Euangeliũ. Ve/ runtamen, inquiunt, scitote peruenisse ad uos regnũ dei. Ita dominus ad Iudæos incredu los, uos quidẽ me omni genere probrorũ affecistis, uerũ illud scitote, quod uobis omnia in diuersum molientibus, pater glorificat filiũ suum. Si gloriæ meę splendorẽ agnoscitis, est unde seruemini: si non agnoscitis, est unde uramini. Vestrã malicią deus uertet in glo/ riam filij sui, & uelitis nolitis, intelligetis, non esse consiliũ hominũ, quod ualeat aduersus consilium dei: non esse potentiam hominum, quæ quicq; possit aduersus potentiam dei. Quod uult efficit, & nouo cõsilio uobis inscrutabili perficit quod decreuit. Habetis pro/ phetas, quibus noluistis credere, nunc ipsa res discruciat oculos uestros, & lapis in quo seruari poteratis, uersus est uobis in lapidẽ offensionis, & in petram scandali. Vos reiecí/ stis sanctum domini, sed interim non solũ quinq; ciuitates Aegypti, uerum etiam uniuer/ sæ per orbem nationes adorant nomen crucifixi. Crux illa quæ gentibus ridicula quædã res ac stulta uidebatur, quæ Iudæis erat scandalo, nũc superat omniũ regum insignia. Se/ quitur: Dominus exaudiet me dum clamauero ad eum. Et hoc Christo peculiare, gloriã omnem ad patrem autorem referre, quo magis nos, si quid est laudis in factis nostris, nõ uindicemus nobis gloriam, sed deo laudem omnem transcribamus. Vos quidem, inquit, obsignabitis, & obsidebitis monumentũ ne resurgam, sed quemadmodum Ionas clama/ uit de uentre Ceti, & redditus est præter omnium expectationem uiuus, ita me quoque clamãtem ab inferis exaudiet dominus, ac tertio die suscitabit ad uitam. Semper enim pa/ ter audit filium, & quicquid uult filius, idem uult pater. Non implorabo Mosi, aut aliud humanũ auxiliũ, solus deus suscitat mortuos. Et si fuerit anima mea in profundo tartari, tamen illinc intendet clamorem suum, ut perueniat ad aures patris. Prophetas autẽ Baal, qui clamant, ne reuiuiscat impostor ille, ne fiant posteriora peiora prioribus, serua nobis templũ hoc, serua uictimas, serua sacerdotium, ac dignitatem hanc, deus non exaudiet: sa tis est quod audit uos Pilatus clamantes, tolle hunc, tolle hunc, crucifige, crucifige, & ue/ niat sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et non habemus regem nisi Cæsarem. Hæ uoces ideo sunt exauditæ, quo uel sic sciretis, quod dominus glorificauit sanctũ suũ, quem uos studuistis afficere ignominia. Solus enim ille uere glorioſus est, quem glorificat deus. Ac gentes quidem ad quas prophetarum ac legis promissa non peruenerunt, Euan gelio credentes amplectuntur dominum, à patre sanctificatum ac glorificatum, & in cru/ ce illius gloriantes absque legis onere, iusticiam ac sanctimoniam consequuntur. Soli Iu/ dæi quibus erat promissus Christus indignantur, nec ferunt hanc salutem gentibus o/ mnibus esse communicatam, maluntq; carere salute, quàm eam habere cum circuncisis communem, non intelligentes deum non delectari circuncisione corporis, sed cordis, & omnes habere pro filijs Abrahæ, qui fidem imitantur Abrahæ. Huiusmodi Iudæorum inuidiam dominus increpat dicens. Irascimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus uestris, in cubilibus compungimini. Quid, inquit, irasceris inuide Iudæe? an tibi aliquid decedit de promissis, quod dei benignitas totum orbem complectitur? isthæc ira penè grauius peccatum est, quàm quod me suffixisti cruci, et te ipsum perdis, dum inuides pro/ ximo, abnegas patrem, dum non credis illius filio. Si placet irasci, sic irascere, ut non pec/ ces. Irascere peccatis tuis, & amplectere misericordiam. Quid tibi frustra blandiris uelu/ ti iusto, & incircuncisos abominaris, uelut immundos? Nullum repperi à peccatis immu nem. Quid mihi iactas opera tua? quid exprobras gentibus uitam impiam & impuram? ex fide salus est, non ex operibus. Si uis salubriter irasci, imitare gentium iram, his deus cœpit esse propicius posteaq; ipsi sibi cœperunt irasci per uitæ prioris pœnitẽtiam. Præ/ ter alia uitia quibus mades Iudæe etiam iusticiæ tuæ sunt inquinatissimæ. Impura sunt ieiunia tua, prophanę uictimæ, impij sabbatismi. Non ista iam quærit dominus, animi pu ritatem requirit, quæ nascitur ex fide syncera & charitate non ficta. Age pœnitentiam, irascere peccatis tuis, ac desine peccatis tuis addere peccatum omnium grauissimum incredulitatem obstinatam. Quæ dicitis ore, etiam dicite in cordibus uestris, ne sem/ per de uobis queri cogatur deus: populus hic me labijs honorat, cor autem eorum lon/ ge est à me. Item in psalmis de uobis querela texitur. Et dilexerunt eum in ore suo, &

Dominus exaudiet me etc.

Irascimini & nolite pecc.

lingua

lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum nõ erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Ore canitis prophetas, & eum quẽ prophetę denunciant auerſamini. Mordicus tenetis legem Moſi, & me quem unum tota lex annunciant contẽnitis. Adoratis patrem deum, & blaſphemias iacitis in eius filium: ore gloriamini de circunciſione carnis, & mẽtem habetis incircunciſam. Dicitis uos ſeruare ſabbatũ domini, dum quieſcitis corpore. Iſta ſunt hominum ſabbata, ſabbatum domini eſt animũ habere tranquillum ab omni tumultu uitiorum, hoc ſabbatũ aſſidue uiolatis. Crebris lotionibus utentes, iactatis mundiciam ueſtram, quum intus corda ueſtra plena ſint omni ſpurcicie. Ore tenetis literam legis, & ſpiritum legis abnegatis. Clamatis templũ domini, templum domini, & eccleſiam quæ uerum domini templum eſt, execramini. Quouſq; mihi ſic mẽtieminí: Iudæi uocamini, hoc eſt confitentes, & nulli pertinacius obſtrepunt euangelicę ueritati. Quam diu diſcrepabit os à corde? Tandem aliquando ſit ſyncera & integra ueſtra profeſſio. Intelligite legem ſpiritualiter, iam incipietis in cordibus dicere, quod ore loquimini: iam incipietis uobis ipſis iraſci, agnoſcentes cęcitatem ueſtram. Nolite deſperare ſalutem, quod crucifixiſtis filium dei, fuit error admixtus ueſtro ſceleri. Deus non uult mortem peccatorum, ſed ut conuertantur & uiuant. Quanquam hæc non incongruenter, & ad gẽtes poſſunt accommodari. Apud hos philoſophi multa prædicabant de deo optimo maximoq;, quem deſcribebant ſacrum, immenſum, omnipotentem, omnia moderantem, omnia ſcientem, infuſum per omnia, & tamen à nullo comprehenſum, nec tamen hunc ut deum glorificauerunt, ſed res conditas maluerunt colere, quàm omnium conditorem. Multa diſſerebant de ſummo bono, de habitu uſuq; uirtutis, de honeſto per ſe expetendo, & tamen uita non reſpondebat orationi. Quin & Poetæ multa tradiderunt de præmijs eorum, qui hic innocenter piéque uixiſſent, de cruciatibus æternis impiorum, de pijs euectis ad immortalitatem, & tamen ſic uixerunt, quaſi nihil horum crederent quæ loquebãtur. Et his igitur recte dicitur: Quę dicitis, dicite in cordibus ueſtris, dicite ex animo, & agnita ueritate, pudeat impietatis: agnita uera iuſtitia, pœniteat iniuſtitiæ. Apud deum nullum eſt diſcrimen, inter Græcum & Scytham: nec ſubmouet à ſalute quàmlibet enormis criminum magnitudo. Agnoſcite ueſtrum malum, fidite promiſſis Euangelij, & accipietis gratis oblatam ſalutem. Grauis eſt in deum cõtumelia, dæmones & ſaxa ipſi prætuliſſe. Grandis eſt impietas, ſeruatorem adegiſſe in crucem. Verum omnium malorum obliuionem pollicetur, ſi modo reſipiſcatis. Nec requirit ut hanc culpam multis holocauſtis expietis. Imolata eſt uictima pro peccatis omnium, tantum agnoſcite ueſtrum peccatum: deſinite iactare ueſtram iuſtitiã, & accipite dei gratiã, hoc fiet ſi in cubilibus ueſtris compungimini. *In cubilibus* Quid adhuc obambulas in plateis ac foribus phariſæe? lurida facie, prolixis precibus, magnificis ſtolis, latis phylacterijs, ſanctimoniam uenditans populo? Relinq; publicum, ubi captatur aura popularis, intra cubile tuum, inſpice legis interiorẽ ſenſum, uidebis nihil à Prophetis de Chriſto prædictum, quod à me non ſit expletum. Mox excute conſcientiam tuam, & agnita malicia tua commoueare pœnitentia. Iſta breuis animi perturbatio, pariet tibi perennem animi tranquillitatem. Male nunc acquieſcis in lege non intellecta, ac tibi falſo iuſtus uideris earum rerum obſeruatione, quæ non præſtant ueram iuſtitiam. Neq; enim ſanguis hircorum aut uitulorum emundat conſcientiam à peccatis. Iſtæ uictimæ tantum umbram habebant ueræ purificationis. Sequitur itaque. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in domino. Tempus eſt ut ceſſent umbræ, poſteaquam uenit corpus, poſthac alijs uictimis placandus eſt Deus. Nec alias hoſtias iam deus requirit à uobis, quàm à gentibus. Arbitror autem & hunc ſermonem ad utrunque populum pertinere, tam gentium quàm Iudæorum. Neuter enim immolabat ſacrificia iuſtitiæ. Porrò ſacrificium iuſtitiæ poteſt bifariam accipi, uel quod iuſte fiat ac legitime, uel quod iuſtum reddat ſacrificantem. Ac gentium quidem ſacrificia adeo non iuſtificabant, ut impios potius ac impuros redderent, nimirum plena non modo ſuperſtitionis, uerumetiam impietatis. Quid enim magis impium, quàm mactare propríos liberos, quod feciſſe legitur Agamemnon, quodq; ex publica conſuetudine fiebat apud Afros, ac Scythas. Iam quid iniuſtius, quàm honorem ſoli deo debitum, tribuere dæmonibus, hominibus, beſtijs, cepis, ac mutis ſtatuis? At Iudæi quidem deo uictimas immolabant, & tamen nec illa iuſtitiæ ſacrificia dici poterant, primum quod per illa non

Sacrificate ſacrificiũ iuſticiæ

conferretur iuſtitia, ſed tantum umbram habebant eius hoſtiæ, per quam gratis dare/
tur omnibus credentibus, & ſecundum fidem ſuam uiuentibus uera iuſtitia, quod a/
pertiſſime docet Paulus ſcribens Hebræis. Item ad Rhomanos nono. Nam quoniam
impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium ſuum mittens, & cæ/
tera. Et tamen Iudæorum uulgus, ſibi iuſtitiæ laudem uindicabat, iniuſtum interim fa/
ciens deum, qui filium ſuum pro omnibus immolari uoluit, haud quaquam facturus
niſi uerum eſſet, quod ait Paulus. Omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Deinde
multis modis impurum & illegitimum erat Iudæorum ſacrificium. Lex enim reiicit ho/
ſtiam, quę uitium aut maculam habeat, aut quæ clauda ſit, aut mutila, aut morbo ſcabieue
infecta, aut furto raptoue parta. Ad hæc damnatur ſacrificium, quod fermẽtum haberet,
aut ſalem non haberet. At Iudæorum ſacrificia, odio liuoreq; proximi erant fermentata.
erant mutila, & inſulſa, quod carnem haberent abſq; ſpiritu. Vt enim nihil ſapit abſq; ſa/
le, ita caro legis inſipida eſt abſq; ſpiritu, & iam imperfectum ſit oportet, cui deeſt melior
pars ſui. Erant auari, fraudantes ac ſpoliantes proximum, deuorantes domos uiduarum,
itaq; ex rapto ſacrificabãt abominabile ſacrificium, quemadmodum clamat Salomon 21.
Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere. Rurſum Eccleſiaſticus 24.
Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui uictimat filium in conſpectu pa
tris ſui. Hoc ſacrificiorum genus apud Malachiam deteſtatur deus, offertis, inquiens, ſu/
per altare meum panem pollutum. Si offeratis cæcum ad immolandum, nõne malũ eſt?
Si offeratis claudum & languidum, nónne malum eſt? Non eſt mihi uoluntas in uobis di
cit dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu ueſtra dicit dominus exerci/
tuum. Cõſimiliter huiuſmodi polluta ſacrificia apud Eſaiam dominus auerſans, indigna
tur ac dicit: Quo mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum? plenus ſum. Ne offeratis ul
tra ſacrificium fruſtra. Manus enim ueſtræ ſanguine plenæ ſunt. Hortatur itaq; dominus
è cruce utrunq; populum, ut nouent ſacrificiorum genus, ac pro impuris offerant pura,
pro carnalibus ſpiritualia. Nouum autẽ hoc ſacrificij genus quale ſit deſcribit idem Eſai/
as: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum ueſtrarum ab oculis meis, qui/
eſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſis, iudicate
pupillo, defendite uiduam. Quid eſt lauamini? agnoſcite uictimam unicam agni immacu
lati, cuius ſanguis precioſus per fidem uere emundat conſcientias hominum. Nimirũ hoc
eſt quod docet Petrus: Deponentes omnem maliciam, & omnem dolũ, & ſimulationes,
& inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo,
lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem. Itidem & Paulus Corinth. prima, capite 5.
Expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua cõſperſio, ſicut eſtis azymi: & enim paſcha no
ſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur non in fermento ueteri, neq; in fermẽto ma
liciæ & nequiciæ, ſed in azymis ſyncerităţis & ueritatis. Tale ſacrificium erat Abelis, ad
quod reſpexit dominus, quum ſacrificium Cain eſſet ingratum deo, uidelicet acidum fer
mento liuoris, & odij. Tale erat ſacrificium Iudæorum, qui uerebantur ingredi præto/
rium præſidis, ne parum pure celebrarent ſuum phaſe, & tamen non uerebantur effunde
re ſanguinem innocentis: nec erat illis religio in crucem agere proximum, à quo tantum
acceperant beneficiorum, etiam ſecundum carnẽ, ut illis condonemus, quod myſterium
conſilij diuini nondum intelligebant. Itaque dominus olim per prophetas, nunc per ſe/
ipſum expoſcit aliud ſacrificij genus, quod deo nos commendet. Id non peragitur in tem
plo Hieroſolymis, aut in phanis gentium prophanis, aut in locis execrabilibus, ſed in ani
mis per fidem purificatis, uniuerſo terrarum orbe, quemadmodum gloriatur apud Ma/
lachiam: Ab ortu ſolis uſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gẽtibus, & in omni
loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Videlicet hi ſunt uituli labiorũ,
quibus apud Oſee delectatur dominus. Hos offerimus quũ agnoſcimus iniuſtitiã noſtrã,
ac diuinæ clementiæ gratias agimus, qui per filij ſui mortem cõdonauit nobis omnia pec
cata. Nam hæc eſt hominis iuſtitia, ut cõfiteatur iniuſtitiam ſuam, & glorificet iuſtitiã dei,
qui quod pollicitus eſt præſtitit. Contra phariſæus qui ſuam iactat iuſtitiam, non offert ſa
crificium iuſtitię, ſibi uindicans, quod non habet, & deum fraudans ſua gloria. Hoc ſenſit
propheta Dauid quum ait: Libera me de ſanguinibus deus, deus ſalutis meæ, & exulta/
bit lingua mea iuſtitiam tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit lau/
dem

dem tuã. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, nec poteſt quiſq; uere canere laudes dei, niſi ipſe prius aperiat os quo homo deteſtetur peccatum ſuum, & imploret dei miſericordiam. Aperit autem per fidem euangelicam, nõ per holocauſta, quibus fidebãt Iudæi. Sic enim ſequitur. Quoniam ſi uoluiſſes ſacrificium dediſſem utiq;, holocauſtis non delectaberis. Mox explicat, quodnam ſacrificij genus requirat deus. Sacrificiũ deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpicies. Vt autem non eſt remiſſio peccatorum extra eccleſiã, ita non eſt ſacrificium deo gratum niſi intra templum hoc quod è uiuis lapidibus conſtruxit dominus, ipſe fundamentum eius, & lapis angularis. Eoq; ſubtexit, Benigne fac domine in bona uoluntate tua Sion, ut ædificentur muri tui Hieruſalem. Abſq; tua bonitate non ſurget hoc ædificium, nec templum hoc abſq; tua clementia conſeruabitur, quum apud homines omnia repereris contaminata, collapſa, diſſipataq;. Tunc acceptũ habebis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum uitulos. Hæc in noſtra ſion, quæ per uniuerſum orbẽ diffuſa eſt, quotidie immolantur, peccatorum confeſſio, gratiarum actio, piorum uotorũ ſuffitus deo gratiſſimus. Nec enim deus oblectatur laniena pecudum, aut nidore carnium incenſarum, aut fumo thuris. Nullum animal magis brutum eſt, aut nocẽtius, q; homo impius. Mactetur hæc pecus ut naſcatur digna deo uictima. Nimirũ ad hanc uictimã cohortatur Coloſſenſes Paulus apoſtolus. Mortificate membra ueſtra, quę ſunt ſuper terram. Habes aures ſurdas ad uerba dei, patulas ad ſcurriles fabulas, amputa: habes oculos impudicos, erue: habes ſupercilium arrogans, abijce: habes linguam mẽdacem ac petulantem, mutam aũt ad confidendum tuam iniuſtitiam ac dei iuſtitiam, præcide: habes ceruicem erectã aduerſus dei uoluntatem, reſeca: habes gulam ſemper prurientem, excute: habes uentrem intemperantem, reijce: habes cor plenum ſpurcicijs, execa: habes epar inuidum, euelle: habes pudenda incaſtigata, interfice rebelle membrum: habes manus rapaces, pedes inſtabiles, abſcide: deniq; totum ueterem hominẽ undiq; contaminatum, occide, ut naſcatur homo nouus, qui renouatur in agnitionem dei, ſecundum imaginem eius qui creauit eum. Non eſt lædendum corpus, quod deus iuſſit honorari, ſed amputandi ſunt carnis affectus, qui militant aduerſus deum. Hæc membra ſunt animi terreſtris, quæ non tacuit Paulus. Fornicationem, inquiens, immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malã, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, indignationẽ, maliciam, blaſphemiam, turpiloquiũ, mendacium. Quæ ſunt autem noui hominis membra, oſtẽdit idem apoſtolus, uiſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatẽ, modeſtiam, patientiam, lenitatem, ignoſcentiam, clementiã. Quis autem iugulabit hanc brutam pecudem, ut ſurgat uictima rationalis? Quis alius, q̃ qui ſolus, iuxta prophetam, occidit & uiuificat: percutit & ſanat. Occidit impium, ut uiuat pius, percutit rebellem, ut ſurgat obediens. Iugulat autem gladio ſpiritus, quod eſt uerbum dei. Agite fratres chariſſimi, præbeamus nos iſti gladio iugulandos, ſemper enim eſt in uobis quod iuguletur, ſemper quod uiuificetur. Præbebimus autem, ſi toto pectore credamus euangelio, ſi uere fidem habeamus illius promiſſis, & ſic agnum purum & immaculatum offeremus domino. Talibus agnis delectatur, qui recõciliari uoluit, per filiũ ſuum agnum immaculatum. Occidatur in nobis noxia beſtia, quo ſimus & ipſi agni, agno immolandi. Quid eſt eſſe agnum? Nocere nemini, prodeſſe omnibus. Tales agnos, nos nemo poteſt facere, niſi agnus ipſe unicus pro nobis immolatus. Id quum erit factũ, ſupereſt ut totum hoc quod ab illo accepimus, ipſi cõſecremus, ac iuxta Pauli doctrinam, exhibeamus nos totos, hoſtiam uiuentem, ſanctam placentem deo, rationale obſequium noſtrum, ac iuxta Petri monita, offeramus ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Quid poſt hæc faciendum? Et ſperate, inquit, in domino, ſiue ut habet Hebraica ueritas, fidite in domino. Minimum enim diſcriminis eſt, inter ſpem, & fiduciam. Qui diffidunt operibus ac meritis, & uiribus ſuis, ſed toti pendent à gratia dei, ſperant in domino. Philoſophi ſpem habent in humana ſapientia, diuites in opulentia, principes in curribus, & equis: at ouicula Chriſti tota pendet à cura paſtoris. Atque hic quoque ſermo pertinet ad utrunq; populum, quem hortatur, ut abiectis his in quibus hactenus collocarant inanem ſpem, fiduciam omnem transferant in dominum, qui non deſtituit ſperantes in ſe, qui non fallit in promiſſis, de cuius manu nemo poteſt eripere, quod ſemel tuendũ recepit. Ille quod cœpit in electis ſuis, haud dubie perficiet. Ergo qui uere agnus eſt, deo de- Rom. 12.

ditus

ditus, quicquid habet boni, non sibi uindicat, sed autori dominoq; suo transscribit omnia, gratias agens etiam in afflictionibus: nec uitam expetit, nec mortem horret, confidens se protectore deo, cui se consecrauit, non posse perire: siue uiuat, siue moriatur, semper illud Pauli uersans in animo: Siue uiuimus, siue morimur, domini sumus. Porrò sobrie, pie iuste q; uiuere, in Christo Iesu, est sacrificare sacrificium iustitiæ, quẽadmodum ante docuimus ex Esaia. Nemo potest id facere, nisi speret in domino. Sumamus exemplum è rebus infimis. Oenopola lucri causa, uitiat uinum mille modis, & uenenum magno uendit proximo suo pro uino. Ac redarguenti conscientię dicit, cogor hoc facere, alioqui nõ possim alere familiam, non erit unde placem creditores. Quid huic respondendum est? O bone tantum sacrifica sacrificium iustitiæ, & spera in domino, quod deest censui, supple frugalitate: magnũ enim uectigal parsimonia est. Ne quo modo fraudes proximum tuum, imò potius subleua, quum res exigit, quod reliquum est permitte domino. Non deseret te, nisi tu desieris ipsi fidere. Quod de Oenopola dictum est, potest ad omne genus opificum ac negociatorum accommodari, in quorum singulis dictu mirum, quantum sit fraudis & in iustitiæ, quantum non esset, si uere sperarent in domino. Est aliquis in consilio principis, uidet & dolet multos innocentes opprimi, multa statui contra fas piumq;, cuperet obsistere, sed deterret alia cogitatio. Si quid liberius tentes aduersus animum principis, submoueberis ab officio. An non ista est cogitatio diffidentis deo? Tu tantũ sacrifica sacrificium iustitiæ, & spera in domino. Illi sacrifica unde speras præmium, quod si non repẽditur in hac uita, tanto copiosius rependetur in futura. Itidem in omni uitæ genere, multa undiq; cooriuntur, quæ depellant à iustitia, sed qui confidit in domino, sicut mons Sion, nõ commouebitur, & qui constiterit in solida petra, quæ est Christus Iesus, nulla tempestate deiici poterit. Quum Esaias damnasset uictimas impuras, & ingratas domino, & ostendisset sacrificia iustitiæ subijcit. Et uenite & arguite me dicit dominus. Nõ recusat argui perfidiæ, nisi præstiterit quod promisit. Quid uero promisit? Si quis quid hic ipsius causa neglexerit, uel commodi uel incommodi, promisit centuplum in hoc seculo, & uitam æternam in futuro. His promissis qui certo credit, nulla occasione depelletur à sacrificio iusti-

Multi dicunt tiæ. Quoniam autem perpauci sunt, qui uere credunt, ideo sequitur: Multi dicunt quis ostendit nobis bona? perpusillus est grex confidentium domino, si conferatur ad multitudinem diffidentium, & tamen huic pusillo gregi speranti in domino, dictũ est, nolite timere, uestrum est enim regnũ cœlorum. Timere, diffidere est. Timuit Petrus, & cœpit mergi. Iudæi non credebant promissis dei, nisi signo uisibili exhibito oculis. Græci qui sapientiæ humanæ studio tenebantur, non credebant, nisi quod humanis rationibus probaretur. Eoq; mundum esse conditum non credidit Aristoteles, & an anima supereſſet corpori, imò quid omnino esset anima dubitauit. Gedeon non fisus est angeli promissis, nisi po-

Iud.6 steaquam ignis emicans è petra consumeret carnes, & azymos panes, subitoq; ex oculis euanuisset, qui ignem elicuerat. Ac ne sic quidem ausus est cum Madianitis committere, nisi gemino uelleris signo confirmatus. Iudæi postulabant à domino signũ aliquod ostendi cœlitus. Thomas non credidit apostolis nisi suis oculis uidisset, suis digitis contrectasset, quæ illi referebant. Atqui uera fides nihil moratur rationes humanas, quę fidei robur labefactant magis. Confidit futurum, quicquid promittit scriptura diuina: non argutans ac disputans, an implicet, ut aiunt, contradictionem, quod promissum est, tantum dicit omnipotens est qui promisit, & uerax est, nec se ipsum potest abnegare. Multi dicunt, etiã inter eos qui Christianæ fidei titulo gloriantur, quis ostendit nobis bona? uidere uolunt, sentire uolunt, quod audiunt, nec quicquam credunt, nisi quod cernunt oculis, quod tenent manibus. An nõ audimus has uoces inter Christianos? Quid hic habeam scio, quid post habiturus sim nescio. Agricola iacto in terram semine, expectat sperãs prouentum, & credit terræ, & nos diffidimus promittẽti deo, nisi protinus exhibeat, quod promittit?

Esa.28 Apud Esaiam clamat dominus, qui crediderit, ne festinet. Et iuxta Paulum: Spes quæ ui-

Rom.8 detur, non est spes. Nam fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Dominus in Euangelio beatos pronunciat, qui non uiderunt, & crediderunt. Et psalmus secundus dicit beatos omnes, qui cõfidunt in domino. Atq; his congruens apostolus, spe, inquit, salui facti sumus, sed quoniam quod non uidemus, speramus, per patientiam expectamus. Similiter Ioannes Apostolus in epistola prima: Charissimi, inquit,

nunc

nunc filij dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus, ſcimus quod quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum, ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſeipſum, ſāctificat ſe ſicut & ille ſanctus eſt. Quid eſt ſanctificare ſeipſum? quid aliud, q̄ ſacrificare ſacrificium iuſtitię, ita interim ſimiles reddimur illi, qui ſe pro nobis ſacrificauit. Qui per fidem facti ſunt filij dei, ſic referunt parentis imaginem, uidelicet innocentia uitæ, nec ante tempus exigunt plenitudinem promiſſorum, contenti arrabone. Vident interim oculis fidei, licet per ſpeculum et in ęnigmate, donec ueniat quod perfectum eſt. Carnis oculi non uident, niſi quod propius admotum eſt. Fides etiam illa uidet, quæ procul abſunt, quæ repoſita ſunt, & nondū apparēt. Proinde Ioannes apoſtolus. Omnis, inquit, qui peccat, non uidet deum, nec cognouit eum. Quare non uidet? quia caret luce fidei, uerſans in tenebris peccatorum. Abſq; fide, nulla eſt ſalus. Siquidē hæc eſt uita æterna, ut cognoſcamus patrem eſſe ſolum uerum deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum. At quomodo cognoſcemus illū, ni uiderimus oculis fidei? Nobis ſit interim ſatis, ſic uidere, ſic contrectare promiſſa. Habet enim fides non ſolum oculos ſuos, ſed habet & manus. Contemplatione cernimus, ſenſu mentis arcano quodammodo contrectamus. Hic eſt arrabo, ſpiritus qui diffuſus eſt in corda filiorum. Cætera ſigna nō faciunt certam ſpem. Vidit Pharao horrenda prodigia, nec credidit. Viderunt Iudæi Chriſtum quotidie tot ędem tem miracula, ac nihilo ſecius diffidebant. Verū ubi qui propter iuſtitiam expilatur, conijcitur in uincula, cæditur, affligitur, occiditur, tamen in medijs malis ſentit animum futuræ felicitatis ſpe exultantem, certiſſimum habet ſignum, quod ipſa ſibi ſuppeditat fides. Fides autem eſt donum dei, quæ profligatis peccatorū tenebris, illuſtrat mentē noſtram. De hoc dono Chriſtus gratias agens patri, & ſuo & eccleſiæ ſuæ nomine dicit: Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui domine. Qui diffidunt Euangelij promiſſis, quorum maxima turba eſt, dicunt: Quis oſtendit nobis bona, pro malis quæ patimur? Multę ſunt afflictiones iuſtorum, eas uidemus, ſentimus, palpamus. Sed ubi bona quæ promittuntur? Vidimus interire corpus, redigi in cinerem. Reſurrectionem promiſſam audimus, nō uidemus. Itaq; comici lenonis ſententiam, ſi non uerbis, certe factis efferunt: Nos ſpē precio non emimus. Si homo diffidat homini, mirū non eſt. Omnis enim homo mendax, qui ſi quid etiam optima fide promiſit, ſæpenumero non poteſt præſtare, quod recepit. Et tamen homo fidit homini, ſi in contractu interceſſerit ſtipulatio, ſi fideiuſſio, ſi arrabo, ſi teſtes, ſi ſyngrapha, ſi pignus, ſi fœdus. Hæc omnia quum multo copioſius præſtiterit deus, nobiſq; multo certius cauerit, tamē tam certo promiſſori diffidimus. Credimus homini, qui iam ſemel atq; iterum bona fide fecit, quod pollicitus eſt: & non credimus deo, qui nihil non præſtitit, quod ante tot annorū milia pollicitus eſt per prophetas? Solū hoc quod ſupereſt de iudicio, deq; reſurrectione, non credimus. Habemus ſyngraphā ſcripturam diuinam. In ea ſunt ſexcenta capita, in quibus pollicitatoris fides ad unguem exhibita eſt, quur de cæteris dubitamus? Habemus tot milia teſtium, cum ex ueteri, tum ex nouo teſtamento, & in alijs pactis credimus quatuor aut ad ſummum ſeptem teſtibus, hic non credimus tot milibus? Dicit tibi Chriſtus: Quicquid dederis huic egeno, mihi imputa, et reddā hic centuplum, mox uitā ętернā. Reſpondes, ſi dedero, quis mihi reddet? unde uiuet uxor & liberi? Aditur fœnerator, poſtulatur pecunia reddenda in annum tertium, accipis ſyngrapham, & non dicis quis mihi reddet unde alam familiam? Qui cautiſſimus eſt, accipit pignus, anteq̄ numerat. Verū q̄ multos nos nouimus quibus impoſuerunt pignora. Soli deo, qui filium unicum dedit nobis pignus, qui addidit arrabonem ſpiritus, qui præſtitit omnia, quę per prophetas promiſerat, alioqui incredibilia: qui pręſens tot miraculis aſtruxit fidem promiſſis, qui tot milia teſtium produxit, qui tam diris cruciatibus, tanta perpetiendæ mortis alacritate præbuere teſtimonium Chriſto, non poſſumus credere, ſemper clamantes, quis oſtendit nobis bona? Faceſſant à nobis fratres hæc uerba diffidentium, ſed cum capite noſtro potius agamus gratias deo dicētes: Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui domine. Multi ſunt uocati, ſed pauci electi. In eos quos eligere dignatus eſt, effudit lumen uultus ſui. Felices quibus hoc lumen affulſerit. Admirāda res eſt ſol, at hunc deus iubet oriri malis pariter ac bonis: cæterum lumen uultus ſui non oſtendit, niſi quos peculiariter elegit. Sol huius mūdi uultum habet, quem ubi protulit uidetur ab omnibus promiſcue. At Deus uultum habet non omnibus æqualem, uidebunt hunc qui in eum

1. Cor. 13

Ioan. 3

Signatum eſt ſuper nos

compunxe,

compunxerunt, & exanimabuntur, Videbunt hunc iusti, & stabunt in magna constantia. Talis erit olim iudex uiuorum & mortuorum, & nunc per fidē illucescit cordibus electorum, auertens uultū ab his, qui diligunt hunc mundū. Videte autē quot modis illuxerit animis nostris, ne quid liceat prætexere nostris peccatis. Addidit homini cōdito lumē ingenij, quo perspiceret quid esset fugiendū, quid expetendū. Id quū esset per inobedientiam obscuratum, reliquit tamen scintillam, ueluti seminarium quoddā reuocandæ lucis. Illuxit nobis in hac mundi fabrica mirifice cōdita. Illuxit per legem & prophetas: illuxit per filium in terras missum, qui lux erat mundi: illuxit per sacros libros, illuxit per miracula, illuxit per apostolos & martyres, illucescit etiam hodie per donū fidei, & afflatum spiritus sui. Vultus dei fauor est dei, quem Paulus gratiam uocat. Hoc lumen non solum aperuit nobis, uerum etiam signauit, Quod autem latinus uertit signauit, non est ἐσφραγίσθη, quod suspicari uidetur diuus Augustinus, qui hic annotat, tanq; denarius signatur regis imagine, sed ἐσημειώθη, quemadmodum nauigātibus in uasto pelago, cynosura signum est cursus: aut quemadmodum lumē procul ostensum è turri, designat quem portū debeant petere, qui nocte obscura nauigant. Idq; opponitur incredulorum murmuri, quis ostendit nobis bona? Fides ostendit immortalitatis portum, resurrectio præstat. Nautæ non raro falluntur suo signo. Hoc signum lucis, quod per fidem & sacras literas nobis extulit deus, neminem potest fallere. Annotauit enim hoc Hieronymus, alijq; literarum Hebraicarum periti, uocem eius linguæ sonare quasi dicas, leua signum, siue uexillum. Nam & in bellis extollitur signū, quod in tumultu sequantur milites. Atq; his signis non raro falluntur, & in exitium pelliciuntur & milites & nautæ. Signum autem quod suis extulit deus, citra ullum errorē omnes perducit ad salutē. Huius signi typum habebat columna ignea, quæ Israelitis per deserta tendentibus, ad terram promissam dux erat nocturnę profectionis, quum interdiu precederet columna nubis. Habet & nostrum signū lucem in tenebris opinionum, & aduersitatum, habet nubem refrigerantē ab amore rerū, iuxta mundū prosperarū. Iisdem datū est signum serpentis ænei, quod procero stipite sublatum est, quo fieret omnibus conspicuū. Qui uertebant oculos ad signū erectum, sanabantur à morsu serpentum, qui nō uertebant, peribant. Præstat hoc donū dei, ut eò uertamus oculos, quem admodū docet pręceptor noster Iesus: Nemo uenit ad me, nisi pater meus attraxerit eum. Datum est & tribus magis signū, quo perducerentur ad cunabula Iesu. Hoc signū nō apparuit scribis, nec Herodi. Quare nō apparuit? quia nō habebant oculos illuminatos per lucem fidei. Quare nō apparuit? quia signum erat sublatū in altū, & illi oculos habebant defixos in terrā. Metuebat Herodes ne depelleretur à regno terreno: metuebant pontifices & pharisæi, ne periret ipsorū quęstus, & regnum. O deiectos oculos. Quomodo tales uiderent signū, è cœlis ostensum? Ideo Simeon ille senex, cui iā caligabant oculi corporis, sed uigebat acies fidei, de signo hoc uaticinatus est: Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorū in Israel, & in signum, cui contradicetur. Qui nam erant illi multi? maxi-
Luc. 2 ma pars Iudæorum, qui dicebant, quis ostendit nobis bona? quoq; offendebāt miracula Christi. Lux uenit in mundū & homines dilexerunt magis tenebras q̄ lucem. Quoniam aūt Iudæi noluerunt uidere signū erectum, factum est lumē ad reuelationē gentium, ac iuxta Zachariæ uaticinium: Visitauit nos, qui procul eramus, oriens ex alto. Deus lux est, huius filius dominus Iesus, lumen est à lumine profectū: ueritas lumen est æternū, nunq; occidens in sese. Verum ut hoc lumen uideamus, opus est alio lumine, quod auferat tenebras animi nostri peccatis occæcati, ne nobis usu ueniat, quod usu uenit Iudęis, qui uidentes nō uidebant, quia quod uidebant nō credebant, quemadmodū habet Psal. 35. Quoniā apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumē. Nisi prius aspexerit nos deus, fieri nō potest, ut ipsum uideamus. Quū ille pro sua misericordia, uultum flectit ad nos, tum illuminātur & excitantur oculi nostræ mentis, ut uicissim intendantur in illum. Vnde frequenter in mysticis literis orant sancti deum, ut faciem suam deflectat ad ipsos. Ita psal. 83 Protector noster aspice deus, & respice in faciem Christi tui. Rursum psal. 88. Domine in lumine uultus ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt. Item psal. 31. Intellectum tibi dabo, & instruā in uia hac qua ambulabis, firmabo super te oculos meos. Rursum psal. 43. Non enim in gladio suo possiderunt terrā, et brachium eorū non saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio uultus tui. Nox adfert trepidationem, lux discutit

nocturnos

nocturnos metus, & addit fiduciam, unde psal. uigesimo sexto. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo. Gratulatur & psal. 117. Deus dominus & illuxit nobis. Orat psal. 66. Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet uultum suum super nos & misereatur nostri. Quemadmodum autem sol nubilus & obductus, contristat omnia, serenus exhilarat uniuersa, ita deus duas habet facies, nubilam ac serenam, quarum alteram orant sancti ut auertat, alteram deprecantur ne auertat. Sic enim clamat propheta psalm. duodecimo. Vsquequo domine obliuiscéris me in finem, usquequo auertis faciē tuam à me. Item psal. uigesimonono: Auertisti faciē tuā à me, & factus sum cōturbatus. Item psal. 43. Quare faciem tuam auertisti, obliuiscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ. Iterum psalm. 118. sic orat propheta: Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas. Clamat & psal. 79. Ostende faciem tuam & salui erimus. Idem orat aliis locis pluribus, quàm ut hic sint referendi. Quin & ipse dominus hoc pollicetur Paralip. 2. cap. 3. Pius enim & clemens est dominus deus uester, & non auertet faciem suam à uobis, si reuersi fueritis ad eum. Habet etiam alterā ut dixi faciem, quā infirmitas humana ferre non possit: hæc est facies iustitiæ & uindictę, de qua meminit psal. 67. Sic pereant peccatores à facie dei, & iusti epulentur, & exultent in cōspectu dei. Nimirum hic est aspectus misericordiæ, qui nobis facit spem ueniæ, ac mox sequitur de impijs. Et turbabuntur à facie eius. Hanc faciem Hieremias appellat faciem iræ ac furoris, & conticuerunt, inquit, arua pacis, à facie iræ furoris domini. Horret hanc dei faciem & psalmographus: Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Rursum alibi: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Nec populus Israeliticus poterat intendere in hanc faciem, ac ne uocem quidem eius ferre. Itaq; quum uenisset tempus euangelicæ gratię, deus sumpsit aliam faciem, quam & ferre possimus & amare. Sumpsit humanam speciem, ut seruaret omnes, ne periret quisquam. Gratis condonauit omnium omnia peccata, per fiduciam in filium suum Iesum. Sed ut ad rē. Deus iuxta naturam incorpoream nullam habet faciem, quam huc aut illuc deflectat, quæq; nunc hilaris sit ac placida, nūc torua, ac turbida, sed ex æquo perspicit omnia, tum bona tum mala, non solum præsentia, uerumetiam præterita ac futura: tamen iuxta tropum scripturę diuinæ, respicere dicitur quum fauet, auertere faciem quum subducit suam misericordiam, quod ubi fit, nos grauis, ac terrificus inuadit horror. Facit hoc nonnunq; offensus peccatis nostris, nonnunq; etiam à pijs ad tempus auertit faciem suam, ut agnoscant, quam nihil possint ex sese, nisi perpetuo dei fauore fulciantur. Auerterat faciē suam à Petro, quum abiuraret dominū suum, sed iterum flexit ad illum faciē suam Iesus, quum cœpit amare flere. Ergo quum esset inter mortales omnes summa desperatio salutis, gentes teneret adeo crassa dei ignorantia, ut saxa muta pro dijs colerent: item apud Iudæos literæ legis affixos corrupta essent omnia, pariterq; nox erroris ac uitiorum occupasset uniuersos, deus misertus nostri, extulit signum clementiæ suæ, ostendit omnibus uexillū euangelij, suspēdit filium suum, qui est imago dei inuisibilis, in sublimi cruce, in quem quisquis per fidem intenderet oculos pectoris, liberaretur ab omni uirulentia peccatorum. Per hoc signum discussit gentium ignorātiam, dispulit Mosaicæ legis umbras, & euangelicæ lucis gratiam effudit in orbem uniuersum. Dominus in monte crucifixus est, pependit in sublimi, quo signum esset omnibus conspicuum. Hoc est quod ipse dicit in euangelio: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Hoc erat quod ardēter sitiebat, clamās, uenite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Iudæi gratiæ lucem studebant abscondere, & in angulum protrudere, iactantes nō esse salutem nisi circuncisis. At deus signum suum uoluit esse illustre, & cōspicuum uniuerso terrarum orbi, quemadmodum ad Titum scribit Paulus: Apparuit gratia dei, & seruatoris nostri omnibus hominibus, erudiēs nos. Quod latinus interpres uertit, apparuit, apostolus græce dixit ἐπιφάνη, hoc est illuxit, siue illustris facta est. Ac mox commemoratis tenebris, quæ totum mundum occuparant, ostendit exortum lucis. Eramus, inquit, aliquando & nos insipientes, & increduli, errantes, seruiētes desideriis, & uoluptatibus uarijs, in malicia, & in uidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Auditis noctem & desperationē salutis. Nunc attendite sublatum signum bonæ spei. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit seruatoris nostri dei, nō ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem

Hier. 25

Psal. 147

effudit in nos abunde per Iesum Christum seruatorẽ nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ. Et hic rursus, apparuit, græce est ἐπεφάνη, quemadmodum modo subnotabamus, cæterum quod interpres uertit, benignitas, Paulus dixit χρηστότης, quæ opponitur austeritati, & quod Latinus dixit humanitas, græce est φιλανθρωπία, quæ uox sonat fauorem ac beneuolẽtiam erga genus humanum. Quid hoc signo amabilius? Quid hac facie dei desiderabilius? At ne quisquam diffidat huic signo, subiicit apostolus: Fidelis sermo. Quoniam autem, ut dixi, dominus Iesus, pro sua in nos charitate, incredibili ardore sitiebat humani generis salutem, iuxta quod ipse loquitur in euangelio: Ignem ueni ut mitterem in terram, & quam uolo ut accendatur, gratias agit patri, quod morte sua multis esset paraturus uitam æternam. Dedisti, inquit, lætitiam in cor de meo. Videbat dominus etiam quæ uentura essent, & iam datum putat, quod impetratum est, dedisti lætitiam in corde meo. Pater tradidit in mortẽ filium suũ, & pro omnibus tradidit illum. Idem dedit lętitiam in cor filij, quoniã autor & fons est totius salutis. Quid ni lętitiam in corde senserit optimus ille pastor, pro salute generis humani, quum unicam ouem pastor homo, repertam cum gaudio imponat humeris, ac reportet ad caulas, quum mulier de reperta drachma sic gaudeat, quum super uno peccatore recepto, tãtum sit gaudium angelis dei? Quo maior est charitas, hoc uberior est lætitia: quo charius redimitur quod perierat, hoc tenerius amamus quod receptum est. Si Paulus apostolus tãtum gaudium persensit in corde, ob pauculos conuersos ad euangelium, ut uelut ebrius lætitia, sæpe gestiat ac glorietur, sicut ad Philippẽses. Fratres, inquit, mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in domino charissimi. Similiter ad Thessalonicenses: Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne uos, ante dominum Iesum Christũ estis in aduentu eius? uos enim estis gloria nostra, & gaudium. Per hanc gloriam, ceu per rem sacram, iurat alicubi. Hanc gloriam, hoc gaudium, omnes illius spirant epistolæ, quum interim ob euãgelium tot malis affligeretur, uinculis, carceribus, flagris, bestijs, lapidationibus, naufragijs, fame, siti, nuditate, periculis undequaq; intentatis, insidijs fratrum, opprobrijs, laboribus, curis. Ergo si Pauli cor sensit ex paucorum hominum salute tantam lætitiam, quantum existimamus illud fuisse gaudium, quod in corde persensit dominus, quod habebat totum igni charitatis accensum? Sic apud Lucã priusquam uenisset tempus peragendi sacrificij, legitur exultasse in spiritu, gratulans de salute credentium. In ipsa, inquit, hora exultauit in spiritu sancto & dixit: Confiteor tibi domine pater cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapiẽtibus, & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te, omnia mihi tradita sunt à patre meo. Quod euangelista uocat spiritum, psalmographus appellat cor, nec ut arbitror caret emphasi quod dictũ est, dedisti in corde meo, corpus enim totum deditum erat cruciatibus. Et tamen hanc cordis lætitiam, nec ipsa mors potuit auferre. Huius gaudij communicationem pollicitus est apud Ioannem. Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrũ, & gaudium uestrũ nemo tollet à uobis. Hoc igitur est uerum, solidũ & perpetuũ gaudium, quod in medijs etiam huius mundi tumultibus, dat pater cœlestis. Subijcit propheta tãti gaudij causam. A fructu frumẽti uini, & olei sui multiplicati sunt. Pater domini nostri fuit agricola, quemadmodum ipse testatur in euangelio. Ipse erat granum frumẽti, quod mortuum ac terræ cõditum, copiosum fructum attulit. Ipse erat granum sinapis, quod quum sit minimũ inter olera, tamẽ excreuit in arborem, late porrectis ramis, ut uolucres sub his nidularentur. Erat uitis uera, quæ per uniuersum orbem porrexit palmitum suorum propagines. Agricola magno desiderio expectat prouentum suæ segetis uineęq;, cupit quod plantatum, ac seminatum est, quàm copiosissimo cum fœnore prouenire, supputans dies messis. Huius messis auidissimus dominus, uidelicet nunquam à patre dissentiens, loquitur apud Lucam: Messis quidem multa, operarij uero pauci: rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Et apud Ioannem iubet oculos deflecti ad regiones, quod iam albescunt segetes, & falcem quodammodo flagitant. Ante mortem domini Iesu, parcus ac malignus erat Euangelij prouentus, quandoquidem nec fratres ipsius credebant illi. Cæterum ab eo tempore, quo prouenit semen iactum in terram bonam, quo uitis cœpit dilatare palmites suos, in omnes mundi plagas, multiplicati sunt credentes. Nam ad primam Petri concionem, accesserunt horreis ecclesiæ, tria fermè hominũ milia.

Dedisti lætitiam

Philip. 4

Thessal. 2

Luc. 10

Ioan. 16

Et in

Et in Actis apostolicis, subinde repetitur, creuisse multitudinem credentium. Atq; intra paucos annos, per homines humiles, & idiotas, eosq; non multos, religio Christi per omnes mũdi regiones propagata est, quæ post, nescio quibus de causis, rursum in angustũ contrahi cœpit. Quod nos legimus, à fructu frumenti, alij legunt, à tempore frumẽti, nec ad sensum magni refert, siue fructum dicas suo tempore prouenientem, siue tempus legitimum suos fructus adferens. Habebat hoc mysterium sua tempora. Multis seculis adumbratũ est, multis seculis promissum est oraculis prophetarũ. At ubi uenit plenitudo temporis, ac deus per filium & apostolos misit semen suum, surgere cœpit ubiq; gentiũ copiosissima messis euangelici frumenti, uberrima copia uini, quod nobis fundit uitis euangelica. De oleo quod addiderunt septuaginta, & retinet usus ecclesiasticus, apud Hebræos nulla mentio est. Vnde acciderit nescio, certe nõ arbitror contemnendũ, quod autoritas septuaginta nobis tradidit, quod tam multis seculis usus ecclesiæ comprobauit. Nec mihi displicet ueterum interpretatio, quorum est Arnobius, qui frumentũ & uinum referunt ad communionem corporis & sanguinis domini, oleum ad sacrum chrisma, quo cõsecramur in baptismo, unde & Christi dicimur. Nolite tangere Christos meos. Quamdiu res agebatur circũcisionibus, lotionibus frigidis, delectu ciborum, lanienis pecudum, pauci proselyti sese iungebant Iudæorum religioni, quorum pleriq; deteriores reddebantur, q̃ accesserant. Verum ubi uenit ille, qui nos tinxit igni spiritus sancti, ac iuxta Ioannem, unctio docere cœpit nos de omnibus, ubi seges euangelicæ doctrinæ late succreuit, ubi mustum euangelicæ charitatis efferbuit in animis hominum, multiplicati sunt Christi cultores. Quoq; magis obsistebat Iudæorum ac principum sęuicia, hoc latius sese fundebat euangelij prouentus. Multiplicati sunt igitur non armis, non bellis, non opibus, sed in medijs persequutionibus replebantur gaudio, & spiritusancto. Hoc oleum nesciebant hypocritæ tristes, qui offuscabant facies suas: hoc mustum biberant apostoli, quum populo uiderentur temulenti, loquentes uarijs linguis in publico. Hoc frumento saginabantur, qui crediderant apostolis, per singulas domos frangẽtibus panem in memoriam domini. Sic enim legis actorum cap. 2. Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorũ, & communicatione fractionis panis & orationibus. Ac mox, quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis. Hoc erat symbolum militum Christi, hic erat commeatus, hæc erant præsidia surgentis ecclesiæ. Fractione panis fœderabantur, doctrina euangelica pascebantur, oratione pugnabãt. Sic inter mundi tumultus, increuit ille populus cœlestis. Porrò quod annotauit Augustinus de pronomine, sui, quasi per hoc discretum sit frumentum dei, à frumento hominum, uinum dei, à uino hominum, oleum dei, ab oleo hominum, nõ huc pertinet ut excludatur interpretatio ueterum, de pane, & calice consecrato, sed ut aperiatur locus ipsius interpretationi, quam solus ipse cõmentus est, argute magis, q̃ solide, de quo mox non nihil attingemus. Quur enim uereamur nostrum dicere, quod nobis donauit deus, qui totum filium nobis largitus est, simul cum illo donaturus omnia, si filij membra sumus. Hic est panis filiorum, unde nihil datur canibus. Et hunc panem quotidie petimus à patre, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Neq; uero sit impium, aut absurdum, sermonem Euangelicum interpretari panem & uinum, unde multiplicantur discipuli, quum apud Ioannem sexto, ipse dominus sese prædicet esse panem uitæ: ac post rixam carnalium, subijcit: Amen dico uobis, nisi manducauerítis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea, uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hunc locum uetustissimi doctorũ interpretati sunt, de sermone ueritatis. Christus est autem ipsa ueritas, & sermo patris. Sequitur enim in eadem disputatione, spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Ex his colligitur hunc panem, & hunc potum, non conferre uitam, nisi ijs, qui sumunt spiritualiter, hoc est qui credũt scripturæ sactæ. Decreuit autem numerus carnalium Iudæorum, creuit numerus spiritualium, qui comedunt uerum panem, qui de cœlo descendit: qui bibunt Christi sanguinẽ, qui confert uitã animę: qui unguntur oleo spirituali, quod in

afflictionibus huius uitæ dat gaudium ineffabile, nec unquam auferendum. Habebant Iudæi suum manna, quo gloriabantur, habebant panes propositionis, quibus nō licebat uesci, nisi sacerdotibus: habebant oleum, certis ritibus confectum, quo non licebat abuti in usus prophanos, & capitale erat imitari præscriptam confectionem. Christiani habēt oleum multo sacratius, & omnibus commune: habent panem, & uinum, quæ conferunt uitam æternā, nec ulli negantur, modo non desit quo sumat, hoc est fides, aut spes fidei. Qui comedit corpus domini indigne, iudicium sibi comedit, qui audit sermonē domini, neq; credit, accersit sibi grauiorem damnationem. Comedit Iudas, & post buccellam panis, introiuit in eum satanas. Audierūt pharisæi, & offensi sunt, usq; ad molitionem crucis. Apostoli uero qui prius apud Iudæos erant pauci, apud gentes multiplicati, posteaquā etiam super illos descendit spiritus sanctus, quia sermonem euangelicum promptis animis receperunt, hoc est panem cœlestem comedērunt, & domini sanguinem biberunt, iam repleti spiritu sancto, cum iugi gaudio uiuere cœperunt, magna cordis alacritate perpetientes, quicquid inflígebatur pro nomine domini Iesu Christi.

In pace in idipsum dormiā

Hanc ecclesiæ suæ frequentiam, opulētiam, & hilaritatem quoniam dominus uidebat per mortem suam impetrandam à patre, consummatis omnibus, quæ ad hoc sacrificium pertinebant, uolens ac sponte deposuit animam, certus de resurrectione, non tantum sua, uerum etiam omnium, qui crediturí essent euangelicæ doctrinæ.

In pace, inquit, in idipsum dormiam & requiescam. Quoniam tu domine singulariter in spe, constituisti me. In pace, & in idipsum perinde sonat, quasi dicas: in pace & concordia, ut intelligas summam conscientiæ tranquillitatem, ac fiduciam. Non est pax impijs. Christus autem morte sua pacificauit omnia quæ in cœlis, & quæ in terris: neq; solum hominem reconciliauit deo, uerum etiam omnes totius orbis nationes Christiana cōcordia confœderauit, Iudæos, Græcos, Latinos, Scythas, & Indos, antea tot legibus, tot ritibus, tot morum & ingeniorum uarietatibus dissidentes. Omnes enim reddidit unum in sese. Dormiam, inquit, quia mox reuicturus: & requiescam uidelicet in sepulchro agam sabbatum, dominicum diem mea resurrectione cōsecraturus. Legitur deus egisse sabbatum die septimo, posteaquam mundum hunc absoluerat, per filium autem condiderat mundum. Itidem per eundem instaurauit quod condiderat. Peractis omnibus, quæ pertinebant ad redimendum genus humanum, egit & ipse sabbatum suum, requiescens in sepulchro. Multis somnus etiam irrequietus est, ob insomniorum phantasmata. At dominus non tantum dormiuit, sed requieuit etiam, quum animam haberet nullius mali sibi conscíam, nihil hæsitantem de promissis diuinis. Etenim qui dubia spe metuq; torquētur, aut non capiunt somnum, aut somnum habēt parum requietum. Et ideo subijcit:

Quoniā tu domine singula.

Quoniam tu domine singulariter in spe, constituisti me. Pater tradiderat filium suū in manus impiorum, & fecerunt in eum quæcunq; uoluerunt, usq; ad crucis ignominiam, neq; quicquam ab illis omissum est, quo prorsus abolerent illius memoriam: sed immolata uictima, per quam reconciliare uolebat genus humanū, semouit illum ab oculis ac manibus illorum, hoc est enim quod dicit singulariter κατα μόνας. i. seorsum. Conditus est enim dominus in monumēto nouo, in quo nemo fuerat positus, & solus erat inter mortuos liber, quē mors quidē absorbuit, sed quoniā in eum nullum habebat ius, coacta est prędā reuomere, & capta est dum captat escam quæ sub cibo corporis humani tegebat chalybē diuinæ naturæ. Dominus qui priusq; pateretur ad omnes humanas iniurias se prębuit, nō legitur à resurrectione cuiquā apparuisse aut contrectatus esse præterq; ab his quos selegerat è mundo. Itaq; semotus ac separatus est à mundo, & nunc quoq; requiescit liber ab omnibus malorum afflictionibus: requiescit autem in spe quam illi pater certissimam fecit, uidelicet futurum, ut quemadmodum ipse sublatus ab huius mūdi malis fruitur immortalitatis gloria, ita membra quoq; sua subducta à colluuione mundi colligat olim ad eiusdem immortalitatis consortium. Nec est oscitāter prætereunda sermonis Emphasis. Quod enim latinus uertit constituisti, septuaginta ex Hebræi sermonis proprietate uerterūt κατῴκησας, id est habitare fecisti siue domicilium dedisti. Dicat aliquis, quid congruentiæ est spei cū domicilio? Si quid oritur periculi, domus cuiq; tutissimum est refugium: & si quis cupit cōmode tranquilleq; uiuere, domi se oblectat tutus ab hymbribus ac uentis, reliquisq; cœli iniurijs, tutus à bestijs ac populi tumultu. A tot malis quibus hic mundus affligit Ecclesiam

domini

domini,ſola ſpes reſurrectionis tutiſſimum eſt ſuffugium. In hac ſpe,quam ſolus pater da re poteſt,requieſcit caput noſtrum,expectans tempus ut omnes ſuos ad eãdem quietem ſemoueat. Habetis optimi fratres alterum ſenſum,iuxta quem pſalmum hunc accommo dauimus ad Chriſtum caput & huius corpus eccleſiã,tametſi nonnulla ſunt inſperſa,quę ad ſenſum moralem pertinent,quem nunc uobis quanta poterimus breuitate reddemus. Nihil hactenus arbitror eſſe dictum quod non magnopere pertineat ad omniũ noſtrũ ſalutem,uerum quæ nunc dicturi ſumus hoc attentius ſunt à uobis accipiẽda, quo propius ad unumquemq; noſtrum,& ad quotidianæ uitæ pertinebũt inſtitutionem. Quapropter oro uos ut ſi qui ſunt inter uos qui dormitarunt hactenus nunc expergiſcantur, qui uigilarunt nunc alacrius aduigilent. Rurſus igitur ab initio perſonæ ſubiiciendæ ſunt oculis. Ac primum in ſublimi collocandus eſt deus ſpectator ac moderator omnium,quę gerun tur in terris,nec refert an hic illius filium colloces,cui pater dedit omnẽ poteſtatem in cœlo iuxta atq; in terra. Deinde non refert an in ædita ſpecula colloces Dauid prophetã,aut quamuis aliam mentem per fidem ſubductam à rebus humilibus ac terrenis: iamq; ſpe & deſiderio uerſantem in cœlis,ſed interim in medio penſilem, ut nunc oculos attollat ſurſum deſiderio uitæ cœleſtis,nunc rurſus impellente charitate fraterna oculos demittat in terras. Atq; in terris pone caliginem denſiſſimam,uarioſq; tumultus: in ſummo ubi ſedet deus lucem ineffabilem,quæ nihil habeat admixtum caliginis: in medio,ſubluſtre quiddã ac temperatum,quod ſi cõferas ad ima,ſerenus dies uideri poſſit,ſi ad ſumma,nocti em dicas,ſed talem qualis eſſe ſolet,iam ſub exortum aurorę rareſcentibus tenebris & albeſcente cœlo. Habet unuſquiſq; noſtrum crucem ſuam,ea eſt carnis mortificatio, hoc eſt omnium humanorum affectuum. In hanc qui ſublatus eſt minus patitur terrenæ caliginis, ſed cœlo uicinus cupit altius euolare. Addantur huic crucifixo ſodales, hoc eſt qui canentem auſcultent,& ſibi gratulanti uiciſſim adgratulẽtur. His ita digeſtis in animis ueſtris ad ſenſum Ethicum accingemur. Titulus,ut diximus,meminit Dauid. Is Chriſti typum geſſit. Dauid autem ſonat fortem manu. Talem oportet eſſe qui uelit pſalmum deo gratum canere,qui uelit in his canticis reportare uictoriam,qui uictor in finem,hoc eſt ad ſperatum immortalitatis brabeum cupiat peruenire. Vbi uictoriæ mẽtio fit,ibi intelligitur eſſe certamen. Habebant Ethnici muſicorum certamina,in quibus qui uiciſſet inanẽ applauſum multitudinis ac brabeum uile ferebat. At non eſt huius muſices certamen parum ſerium inter Chriſtianos, neq; leuia aut ludicra petuntur præmia. Propoſita eſt immortalitas ſi quis cantico uicerit. Corpus hoc cum ſuis affectibus organũ eſt,hoc ſi per afflictiones rite pulſatum fuerit,ſi per ſpiritum carnis mortificatorem bene temperatum, melodiã reddet auribus Chriſti gratiſſimam. In hoc certamine quiſquis perſeuerarit uſq; in finem, hic ſaluus erit,poteritq; cum Paulo dicere: Bonũ certamẽ certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquum repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illo die,iuſtus iudex,non ſolum autem mihi,ſed & his qui diligunt aduentũ eius. Auditis ago nothetam huius muſici certaminis. Iudex eſt ſed iuſtus,non fraudat quenq; promeritum ſuo præmio. Nec ducitur ſtudio perſonarum,quod frequenter uſu uenit in certaminibus quibus canitur hominibus: ubi iudex uel fallitur uel corrumpitur. Ethnici canebãt hominibus,& humanum ferebant præmiũ,Iudęi canebant deo. Multis in locis hortantur nos pſalmi myſtici ad cantandum,ad pſallendum,ad iubilãdum,ſed deo. Simus igitur & nos Iudæi,quo pſalmum cantemus domino. Iudæus dicitur confitens. Qui non confitetur ſe peccatorẽ,qui nõ confitetur quicquid habet boni, ſe totum debere miſericordiæ diuinæ, nõ eſt uerus Iudæus,nec pſalmum canit domino. Multi philoſophi duriſſime tractarunt corpus ſuum,quidã etiam uolentes ſe tradiderunt exitio,ſed quoniã per hęc uenabantur humanam gloriam,nec ſpectabant unicum illum ſcopum,qui eſt dominus Ieſus,nõ cantabant domino. Item phariſæi ieiunijs macerabant corpus ſuum, decidebant de facultatibus ſuis decimas in ſubſidium pauperum,orabant prolixe, tamen quoniam hinc ſibi laudem uendicabant,non canebant domino,ſed hominibus, & ideo petituri præmium audient ab Agonotheta: Amẽ dico uobis recepiſtis mercedem ueſtram. Nos qui didicimus ex euangelicis & Apoſtolicis literis,quod palmites nihil poſſint ſine uite, quod nõ ſimus idonei qui uel cogitemus aliquid ex nobis, quod non ex operibus noſtris, ſed ex fide gratiaq; ſalutem aſſequamur,confiteamur domino,quoniam bonus, & illius miſericordiam

Sensus moralis

2. *Tim.* 4

cantemus in æternum, dicamusq; illi in benefactis cũ psalmista: Vt cantet tibi gloria mea & non compungar. Nemo sibi intus canat Aspendium illum Citharœdum è prophanis adagijs referens, in negocio pietatis. Nemo canat hominibus, deo canamus psalmum nostrum, ut ab illo feramus præmium æternæ uitæ. Non solum apud Iudæos, uerum etiam apud gẽtes musica sacris adhibebatur. Quale est sacrificiũ nostrum, talis esse debet & musica. Sacrificium est rationale, huic congruit similis musica, confessio criminũ, preces, gratiarum actio, tam in aduersis q̃ in prosperis. Hactenus de titulo, nunc ad psalmum. Etiam si me non fugit inter recentiores quosdam hebraissantes esse rixam de scrupis tituli & argumẽto psalmi. Quæ si cui cordi est excutere, est unde petat. Nos malumus persequi quæ propius faciunt ad studium piæ uitæ. Admonuimus alias primum psalmum uideri prę fationem totius operis. Victor aut uictoriæ nomẽ additũ est in cõplurium psalmorum titulis, in quibus canuntur domino gratiæ, quod aduersus insultus affligentium suis tulerit auxilium. Sunt & alij qui tametsi dissimili sunt titulo, tamen nõ dissimili sunt argumẽto, quibus omnibus erudimur, aduersus omnia mala tutissimum esse præsidium cum fiducia implorare auxilium dei. Etenim psalmus secundus à querimonia incipit. Quare fremuerunt gentes, hanc habens clausulã: Beati omnes qui confidunt in domino. Querulum est exordium tertij: Domine quid multiplicati sunt? &c. Finis ostendit in domino esse prę sidium. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Quintus exorditur ab implora tione. Verba mea auribus percipe domine, clausula declarat auxiliũ unde sit: Domine ut scuto bonæ uoluntatis tuæ coronasti nos. Et huius psalmi titulus meminit uictoris quẽadmodum & sextus, cuius initium habet imploratione auxilij, finis declarat à deo cõtigisse uictoriã aduersus inimicos. Conuertãtur, inquit, & erubescant ualde uelociter. Idẽ deprehendet in pleriscq; psalmis, si cui uacabit obseruare. Hæc eo pertinent ut penitus infigatur animis nostris, in omnibus afflictionibus non alio cõfugiendum q̃ ad opem diuinam, in quo quisquis fiduciam suam collocarit, certam uictoriã reportabit ex hostibus suis. Hæc est enim uictoria quæ uincit mũdum, fides nostra. Proinde quum ingressus huius psalmi habeat implorationem auxilij, finis ostendit uictoriam ex fide contingere. Quoniã tu domine singulariter in spe, constituisti me. Multæ quidẽ afflictiones iustorum, & quicunq; uolunt pie uiuere in Christo Iesu, nõ possunt effugere quin in hoc mundo persequutionẽ patiantur, at non est quod quisquam despondeat animum, fortior est unus protector noster deus, quàm omnes aduersarij. Tantum in illo collocemus fiducię præsidium, & illius opem assidue imploremus. Quid respectas humana præsidia, qui semel te deo consecrasti? Quur desperans tui confugis ad laqueum? Quur ab improbatis artibus, aut dæmonibus flagitas opem in rebus dubijs? quemadmodum Saul per Phytonissam exciuit Samuelem. Quid expendis tua merita? Quur metiris uires tuas? Istud tantum specta, quàm bonus, quàm potens sit qui te tuendum suscepit. Atque ut intelligas paratum auxilium, non dixit: Postquam inuocassem exaudiuit, sed inuocantem exaudiuit, quemadmodum ex Hebraica ueritate transtulit Diuus Hieronymus, septuaginta uerterunt ἐν τῷ ἐπικαλέσαι, quasi nondum peracto sermone implorantis, præsto fuerit auxilium dei. Nõ enim exigit ab orante multiloquium gentium, aut Pharisæorum, sed fiduciam. Quisquis autem implorat opem, agnoscit simul & imbecillitatem suam, & dei bonitatem. Nihil implorat Euangelicus ille Pharisæus domini iudicio posthabitus publicano, tantum commemorat sua benefacta. Publicanus procul stans clamat miserere mei peccatoris, & exauditus est. Nec ita magni refert ad sententiam utrum hæc dicantur Deo, quemadmodum ex Hebraica ueritate transtulit Diuus Hieronymus: Exaudisti me Deus iustitiæ meæ, an sodalibus pijs, an simul & pijs & impijs. Nec satis liquet quamobrem septuaginta personam mutandam esse duxerint. Si placet persona secunda, erit gratiarum actio pro subsidio celeriter impartito: si tertia, erit gratulatio, quæ gaudium animi communicet amicis. Decet enim inter sanctos & gaudium & mœrorem esse commune, ut uerum sit quod scribit Paulus: Quum dolet unum membrum, simul dolent omnia membra: quum gloriatur unum membrum, pariter gloriantur & cætera membra. Quod si hæc ad impios etiã referantur, erit exhortatio ad inuocãdum dominũ: Inuocaui & exauditus sum: Concipite & uos bonam fiduciam exemplo meo. inuocate & exaudiemini. Habet aũt hæc gratiarum actio triplicem utilitatẽ. Primũ tuetur id quod acceptũ est,

dum

dum agnoſcit cui debeat quod accepit. Indignus enim eſt ut diu fruatur dono dei, qui ſibi uindicat eius boni laudẽ, quæ tota debetur autori deo: deinde qui deo gratias agit, iam beneficium retulit. Nec enim homo poteſt alia ratione rependere uices deo, niſi prædicãdis illius erga ſe beneficijs: nec deus aliud premium à nobis poſtulat q̃ ſacrificium laudis quo gaudet honorificari. Poſtremo petax eſt iſta gratiarum actio. Egenus quũ diuiti pro beneficio ueteri gratias agit, nouum flagitat. Homines hac gratiarum actione nonnunq̃ grauantur, at deus qui diues eſt in omnes, & cuius benignitas largiendo nõ poteſt exhauriri: gaudet prædicatione ſuorum beneficiorum ad largiorem beneficentiam prouocari. Hoc enim uere eſt quod Græcorum prouerbio dicitur τὸν ἵππον εἰς πεδίον. Eſt autem illud Chriſtianæ charitatis, apud omnes deprædicare diuinam erga ſe bonitatem, quo & inter pios ex mutua conſolatione creſcat ſpirituale gaudium, qua gratia Paulus deſiderio tenebatur uidendi Romanos, ut ex communicatione fidei quam illis donarat deus, mutua conſolatione confirmarentur utrorumq; animi. Præterea fiat, ut à pluribus agantur gratiæ deo, & impij ſegnesq̃, qui abiecta ſpe contabeſcunt in malis ſuis, admoneãtur unde debeant petere malorum remedium. Ita Paulus ad Titum: Eramus enim & nos aliquando inſipientes & increduli, errantes, ſeruientes deſideriis. Et mox oſtendit unde ueniſſet beneficium: cum autem benignitas & humanitas &c. Itidem ad Timotheum: Qui prius blaſphemus fui & perſequutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam dei conſequutus ſum. Quærunt philoſophi rationem qua quis ſeipſum citra iactãtiam poſsit laudare. Hæc eſt certiſsima uia, ut ſi quid mali ſit aſſcribamus nobis, ſi quid obtingat boni, attribuamus largitati numinis, ſemper illud Paulinum adnectentes: Gratia dei ſum id quod ſum. Imò ne laudat quidem ſeipſum, qui ſic laudat cuius dona commemorat, modo ne fucus hypocriſeos uitiet hanc prædicationem. Qui præſidio dei uicit temulentiæ uicium, utiliter apud intemperantes compotores prædicabit. Antehac mihi non uidebar uiuere, niſi cõuiuijs ac uino indulſiſſem, nunc inuocato domino mentem hanc cõſequutus ſum, ut nihil mihi dulcius ſobrietate, nec ab ulla re magis abhorreat animus q̃ à temulẽtia. Antehac credebam eſſe difficillimum abſtinere à iurando, nunc adiutus gratia dei ſentio nihil eſſe facilius quàm non iurare. Quondam nihil æque faſtidiebam quàm ſacrorum uoluminum lectionem, totus addictus Poetarum fabulis, nunc huc auxilio dei profeci, ut nihil habeam dulcius quàm in literis ſacris uerſari. Olim gaudebam & obtrectare quibuslibet & alios obtrectantes audire, nunc aſsiduis precibus hoc impetraui, ut nullum uitium magis deteſter, quàm obtrectationem. Quondam arbitrabar non poſſe fieri ut ab adulterijs ac ſcortationibus mihi temperarẽ, inuocaui dominum, & quod uidebatur impoſsibile, ille reddidit facillimum: quod uidebatur amarum reddidit ſuaue, adeo ut nunc exhorreat animus ea quæ dudum uidebantur eſſe iucunda, mihiq̃ gratuler hanc libertatem, qui à tam furioſis dominis effugerim. Cum uitio auaritiæ & ambitionis mihi diu grauis ac periculoſa lucta fuit. Collocaui ſpem omnem in domino, deſijq̃ torqueri talibus curis. Qui meruit tolli in crucem domini, & cui contigit per ſpiritum mortificatio membrorum terrenorum, huiuſmodi ſermonibus celebrata beneficentia dei liberatoris, debet & alios ad ſpem eiuſdem libertatis accendere. Leuius quidem eſt momentum in rebus corporũ aut extraneis, ſed tamen hic quoq; non oportet ſilere beneficium inuocati dei. Qui ſeruati ſunt ex morbo, prædicant artes magicas. Qui feliciter pugnarunt in acie, prædicant gladios fortunatos & induſia. Tu qui ſeruatus es implorato Chriſti præſidio, quur taces gloriam ſeruatoris tui? Dic paſsim apud omnes: Cum inuocarẽ dominũ, exaudiuit me, ut qui ante cõfugiebãt ad ſacrilegos, magos, incãtatores, diſcãt ad dei preſidiũ cõfugere: qui ſiue liberat à periculo, ſiue non liberat, tamẽ inuocatus ſeruat, quum illi plerunq; fallãt, ac tum maxime perdant quum ſeruare uidentur. Non arbitror ſimplices admodũ reprehendendos, qui in periculis inuocant Chriſtophorum, Georgium, Antonium, aut Nicolaũ, modo ſerio canant hunc pſalmum, cum inuocarem, exaudiuit me dominus. Nullus enim ſanctus præter unicum illum, autor eſt huiuſmodi beneficiorum, ſed ipſi ſeruati dei præſidio, gratulantur & nobis eodem præſidio ſeruandis, nec pudet eos hunc pſalmum nobiſcum canere, quem Chriſtus nobis præcinuit. Inuocauerunt, dilatati ſunt, optant omniũ ſalutem, requieſcunt in ſpe filiorũ dei, expectantes in reſurrectione promiſſum immortalitatis præmium. Didicimus in nobis nihil eſſe præſidij, didicimus aliunde præſidium in-

Deus iuſtitia meæ

uocandum, didicimus esse paratum uel ex promisso dei, qui sic pactus est alio psalmo Clamabit ad me, & exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, honorabo eum & glorificabo eum, sed certius est ex Euangelio chirographum, quicquid, inquit, petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Superest ut iustum sit quod petimus, ideo subijcit: Exaudiuit me deus iusticiæ meæ. Nam, ut omnino falso nec ineleganter scripsit poeta quidam Ethnicus, iniusta à iustis impetrare non decet. Iusta autem ab iniustis petere insipientia est. Porrò quum deus sit ipsa iustitia, non solum cauendum est ne quid ab illo petamus iniustum, uerumetiam ne quid iniuste. Iniusta petunt, qui petunt uitam longam ac prosperam quo possint diutius uacare suis uoluptatibus: qui petunt opes ac successum, quo possint ulcisci quos oderunt. Iniuste petunt, qui petunt uitam æternam quasi suis meritis debitam, hoc est, non dicũt: Miserere mei deus, sed clamant redde prẽmiũ pro ieiunijs meis, pro decãtatis psalmis, pro esu pisciũ, pro multis annis gestata cuculla. Non dico hæc esse mala si quis recte utatur: sed iniuste præmiũ petit, qui pro talib. petit à deo tanq̃ obligato. Ausim addere etiam si quis pro eleemosynis, pro toleratis amore dei carceribus petit, nõ iuste petit. Hæc qui præstiterant in Euangelio, nesciebant se præstitisse. Vnde igitur spes impetrandi à deo iusticiæ nostræ? Iusticia nostra est, agnoscere peccatũ nostrum, & agnoscere dei gratuitam bonitatẽ: iusticia dei est, prẽstare quod pollicitus est. Pollicitus est hoc cum alijs in locis sacræ scripturæ plurimis, tum Iohelis 2. Effundam spiritum meũ super omnem carnem. Et erit, omnis qui inuocauerit nomẽ domini, saluus erit. Quæret aliquis quur appellat deum iusticiæ? Quur nemo iustus nisi quem ille iustificat per fidem. Quur igitur dicit iusticiæ meæ? Quia nihil uerius nostrum est, quàm quod nobis donauit deus, qui nec exprobrat, nec reposcit nisi ab ingratis, & cuius unius munera sunt ἀμεταμόητα. Iustitia hominis est ut dixi, agnoscere sibi nihil deberi, præter damnationem, ac fidere promissis dei. Iusticia dei est, præstare quod promisit, non quod hoc promereatur homo, sed quod ipse promiserit. Atqui hoc ipsum ut homo agnoscat suũ malũ, & sibi diffidens cõfidat promissis dei, donũ est dei. Hanc itaq; iusticiã Dauid suã uocat, sed deũ indicat huius autorem iusticiæ. Propter hanc qui persequutionibus impiorum affliguntur, eos beatos
1. Pet. 3 pronunciat in Euangelio dominus. Nec aliud nos docet Apostolorum princeps. Et quis est qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed etsi quid patimini propter iusticiã, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini. Atq; ibidem paulo superius, quum docuisset, ne quem omnino lacesserent iniuria, sed omnes tum bonos tum malos officio prouocarent ad amorem mutuum, subijcit: Hæc est enim gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste. Proinde qui propter Euangelium affligitur, iustam habet causam apud deum quantumuis apud homines causam habeat iniustam. Damnatus igitur ab hominibus, non parat ultionem, sed appellat iudicem deũ, qui dixit: mihi uindicta, & ego rependam. Si quid boni fit per nos, ne flagitemus à deo præmium ueluti nostris uiribus debitum. Si quid mali patimur ob dei iusticiã, imitemur caput nostrum dominum Iesum, qui iuxta Petri doctrinam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum maledictis afficeretur, non remaledicebat: qui cum pateretur, non comminabatur, sed tradebat se iudicanti iuste. Solus autem deus iuste iudicat, qui solus intuetur occulta cordis humani. Et is demum inuocat deũ iusticiæ suæ, qui non ob maleficium, sed innocens affligitur ab iniustis, quemadmodum docet idem Pe-
1. Pet. 4 trus: Nemo autẽ uestrũ patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor, uerũ si ut Christianus, non erubescat. Glorificet autẽ deum in isto nomine. Quisquis innocens affligitur, malens perpeti malũ q̃ regerere, propter iusticiam patitur. Sic enim
1. Cor. 6 docuit Paulus scribens Corinthijs: Iam quidem omnino delictum est inter uos, quod iudicia habetis inter uos. Quare non potius iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Hic nõ discutiam scrupulosam quæstionem scholasticorum, quatenus et à quibus accipienda sit iniuria: ubi & quibus modis fas sit retundere insanabilem improborũ malitiam. Vtinam non adeo competeret in mores nostros quod inibi sequitur apud Paulum, sed uos iniuriã facitis, ac fraudẽ facitis, idq; fratribus. Quid uero dicturus erat Paulus si uideret nunc apud Christianos omnia flagrare iudicijs, litibus, iurgijs, latrocinijs, ac bellis, in quibus sæpenumero maxime uincitur, qui uicit. At illi germani Christi discipuli, quum atrocia paterentur ob nomen Iesu, num se muniebant copijs, gladijs, dolis, aut

uenenis

uenenis ad uindictam? Nequaq̃. Quid igitur? Inuocabant dominum, perseuerantes in innocentia sua, totamq; causam tradebant deo iusticiæ suæ. Nonnulli admonent pro deus iusticiæ meæ, iuxta Hebraicum sermonem legi posse deus iusticia mea, quod ut uerum sit, ad sensum non ita multum habet discriminis, nisi quod nominandi casus maiorem habet Emphasim. Plus enim dicit, qui Christum dicit ueritatem, q̃ qui ueritatis doctorem: plus qui uitam nostram, quàm qui uitæ autorẽ: plus qui uiam, quàm qui uiæ ducem: plus qui lucem, quàm qui lucis inuectorem, plus qui iusticiam nostram, quàm qui iusticiæ reparatorem. Nec hic tropus infrequens est in sacris libris. Ita psalmus. 26. Dominus illuminatio mea & salus mea. Item 34. Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Itidem Esaias: ut sis, inquit, salus mea usq; ad extremum terræ. Consimiliter Paulus scribens Corinthijs de Christo sic loquitur: Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Ergo cui deus est iusticia, si non uult perdere causam suam, ne perdat deum. Et quam diu deum habet, ne diffidat de uictoria. Quamquam est in sacris literis aliqua meritorum fiducia, sed quæ deum non fraudet sua gloria. Sequitur etiam, in tribulatione dilatasti mihi. Quur dixit dilatasti mihi, ac non potius eripuisti me? Quia non semper eripit deus à malis prementibus, propterea quod non semper expedit: sed tamen ne humanæ naturæ imbecillitas tot malis oppressa succumbat, facit cum tentatione prouentum ut possimus sustinere. Libet audire Paulum in angustijs constitutum, in quibus oportet uersari quicunq; uolunt pie uiuere in Christo Iesu: In multa, inquit, patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs. Audistis angustiam undiq; prementem, nunc audite causæ iusticiã: In castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute dei. Iam audite dilatationem datam in medijs angustijs: Per arma iusticiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & ueraces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes & ecce uiuimus, ut castigati & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Quantam auditis apostolici pectoris amplitudinem, in tantis curarum & malorum angustijs? Quur autem modestissimus Apostolorum hanc animi dilatationem tam gloriose prædicat? Vt Corinthios adhuc imbecilles, qui alienis etiam malis affligebantur, ad similem latitudinem animaret. Os, inquit, nostrũ patet ad uos, ó Corinthij, qui pressus tot malis tam magnifice loquar. Nec mirum tamen si sic loquar, quum cor nostrum gaudio dilatatum sit. Non angustiamini in nobis, sed angustiamini in uisceribus uestris. Eandem autem habentes remunerationẽ, tanquam filijs dico, dilatemini & uos. Rursus in secunda ad eosdem epistola, quantum solicitudinum, periculorum, afflictionum agmen commemorat, quibus assidue uallabatur? Et tamen in his adeo dilatauit illius animum dominus, ut subiecerit: libẽter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustijs pro Christo. Rursus audite Paulum in arctum contractum in epistola ad Corinthios priore. Tanquàm purgamenta, inquit, huius mũdi facti sumus omnium peripsema, hoc est reiectamentum usq; adhuc. Quid dici potuit contractius? Audite nunc dilatatũ: Quid uultis in uirga ueniam ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? An non hæc uox est non coriarij, sed regia? Rursus alibi: Ego enim, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus uocari apostolus, quoniam persequutus sum ecclesiã dei. Quid astrictius? Audite nunc dilatatum. Scribit ad Philippenses, omnia possum in eo qui me confortat. Quid amplius, quid regalius quàm dicere omnia possum? sed hanc gloriam moderatur scribens Corinthijs: Gratia autem dei sum id quod sum. Rursus ad eosdem: Non enim uolumus ignorare uos fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra uirtutem, ita ut tæderet nos etiam uiuere. Sed & ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus. Audistis angustiam, nunc audite dilatationem. Ex nobis angustia est, ex deo dilatatio. Vt non simus, inquit, fidentes in nobis, sed in deo qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus, quod adhuc etiam eripiet. Paulus anxietatem patiebatur constrictus uinculis, sed dilatatus est animus, quum ait: Verbum domini non est alligatum. Petrus seruabatur in car-

Cor. 2

2. Cor. 6

Cap. 11

Cap. 4

1. Cor. 15

in carcere. Ecce anxietas. Sed inuocato domino, liberatur per angelum. Apostoli cædun/tur uirgis, magna anxietas, sed ibant gaudentes à conspectu consilij. Stephanus undique premebatur à lapidantibus, sed uidet cœlos apertos. In quanta angustia quãta dilatatio? Iam si repetamus exempla ueteris instrumenti, comperiemus omnes pios multis afflicti/onibus exercitos fuisse, sed horum nulli defuisse cõsolationem, quoniam non aliunde pe/tebant auxilium quàm à deo. Ioseph afflictus est, coniectus in lacum, sed hũc deus euexit ad summam gloriam. In summis angustijs uersabatur Ionas quum deuoratus esset à ceto. Sed è beluę uentre clamauit ad dominum, & dilatauit angustias dominus. In quantas an/gustias erant coniecti pueri tres, in fornacem ardentem immissi, uerum è media fornace clamant ad dominum, & dilatauit sese flamma sic ut innocuis spacium esset inambulan/di. Daniel in lacum leonum demissus in summa uitę desperatione uersabatur, uerum hinc etiam inuocauit dominum & angustia uersa est in latitudinem. Non uereor ne uobis sim futurus tædio si pergam recensere piorum hominum exempla, qui uere cecinerunt hunc psalmum: Cum inuocarem, exaudisti me deus iusticiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi, sed non arbitror terendum esse tempus his commemorandis, quæ uel tenetis ipsi, uel fa/cile potestis è sacrorum uoluminum lectione perdiscere. Illud admonebo charitatem ue/stram, non semper iuxta carnem dilatari piorum hominum angustias. Liberatus est à car cere Petrus, sed Ioannes Baptista in carcere decollatus est. Philippis Paulus uirgis cęsus, detrusus est in angustum carcerem, adhibitus est custos sollicitus qui pedes etiam strin/xerat ligno. Quid his angustijs esse potest angustius? Sed præsto erat inuocantibus qui dilataret has angustias. Sic enim legimus Actorũ decimosexto: Media autem nocte Pau lus & Silas adorantes laudabant deum. Et statim aperta sunt omnia ostia, & uniuersorũ uincula soluta sunt. Quàm multi reges non habent tantum amplitudinis in suo regno, q̃s isti in carcere. Sed ut hic soluta sunt illi uincula, ita non sunt soluta quibus illum alligaue/rat tribunus Hierosolymæ, nec retusus est gladius, qui secuit ceruicem Pauli: nec solu/ta est crux, quæ Petrum astrinxerat. Huiusmodi solatia perpetua non sunt, sed adhi/bentur pro tempore, quoties expedit hominum saluti. Certe spiritualis illa dilatatio nun/quàm deest, si quis plena fiducia pectoris inuocet deum iustitiæ suæ. Hinc est quod cum huius mundi diuites uideamus in medijs opibus ac uoluptatibus anxios nõnunquam ac trepidos, qui spem suam uere collocarunt in deo, persistunt alacres in ipsis tormentis ac mortibus. Imò nunquàm adest uberior consolatio spiritus, quàm cum homo destitutus omnibus humanis præsidijs, totũ se tradit deo. Non torquebo charitatem uestram omni/bus scrupis quibus se torquent qui sermonis Hebraici sectantur apices. Nulla enim est lingua, quæ plus habet ambiguitatum, aut in qua facilior sit lapsus, aut in qua magis uari/ent interpretes. Illud tantum admonebo quod Hieronymus ex Hebraica ueritate uerte/rit dilatasti mihi, atq; ita constanter citant Latini scriptores, itaq; canit usus eccleslasticus, quũ apud Græcos legatur ἐπλάτυνάσμε. Hanc lectionis uarietatẽ dubiũ non est ex scriba/rũ incuria profectã, nõ agnoscentiũ sermonis Hebraici tropũ, quo dicitur: Dilatauit mihi, pro eo quod erat latitudinẽ fecit mihi. Quanq̃ haud magno sensus discrimine fit siue lega mus dilatasti mihi, siue legamus dilatasti me. Dilatat nobis deus, quũ ereptis ab angustia rerũ, solatio reficitur animus. Dilatat nos, quũ urgente rerũ aduersitate, impartit amplitu dinem spiritus, ut omnes afflictiones cum gaudio susciplamus, scientes quod solidum ac perpetuum gaudium nobis paretur, huiusmodi leuibus ac momentaneis afflictionibus. Angustum uas etiam modicis rebus impositis disrumpitur. Amplum uas etiã si magnas imponas sarcinas, tamen multarum rerum capax est. Ita angustus animus quem non dila tauit gratia dei, quamlibet leui rerum aduersitate deijcitur, quem si dilataret fides spes & charitas, clamaret in medijs afflictionibus cũ Paulo: Quis nos separabit à charitate Chri/sti? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persequutio, an gladius? Nec illud mihi uidetur indignum pia curiositate, quum constet per dilatationem signifi/cari refocillationẽ et exhilarationẽ afflictæ mẽtis, quur hic tropus magis placuerit spiritui sancto, q̃ uulgaris loquẽdi forma, exhilarasti me aut refocillasti me. Frequẽter ipsa sermo/nis nouitas excutit nobis socordiã, & excitat dormitantes ut simus attẽti. Nonnunq̃ idẽ facit sermonis absurditas, quod ad speciem attinet. Si dixisset in tribulatione lætificasti me, nullus hæsisset in sentẽtia, nũc gemina metaphora cogit inquirere quid lateat arcanæ

Roma. 8

significatio/

significationis. θλίψις quam alias tribulationem uertunt, alias pressuram, nec minus recte uerteretur afflictio siue anxietas, sic pertinet ad corpus, ut cõmunis etiam usus non raro transferat ad animum. At animum dilatare qui recreatur, uix quisquam dicit, quum corpus hominis usitate dilatari dicatur. Proinde in hoc adhibita est uerbi nouitas, ut ex re nota perspiciamus, quibus modis hilarescat animus in nobis contractus. Frigus & mœror contrahit corpus nostrũ. Calor & hilaritas dilatat, eoq; qui ringuntur contrahunt frontem, adducunt supercilium, & qui dolore discruciantur, macerantur & contabescũt. Cõtra qui gaudent, dicuntur exporrigere frontem, & corpore fiunt habitiore. Eandẽ ob causam in adulescentibus quum explicat se calor natiuus, corpus grandescit ac distenditur. rursum in senibus deficiente calore, omnia membra cõtrahuntur, ipsa etiam uox fit exilior. Similiter hyemis rigor omnia contrahit, ueris tepor exhilarat ac dilatat uniuersa. Nec aliã ob causam hilarior est iuuentus, senecta tristis. Animus enim illigatus corpori iuxta naturã, uelit nolit corporis affectionibus cõmouetur, quemadmodũ uicissim affectiones animi redundant in corpus, quod notauit & Solomon: Animus gaudens ætatem floridã facit: spiritus tristis exiccat ossa. Cæterum ad corporis uigorem aut exitium plurimũ habent momenti spiritus, si medicis credimus, qui coarctati & inclusi tabefaciunt corpus, moderate sparsi agitatiq; uegetant, subito effusi mortem præsentem adferũt. Neq; desunt apud historicos exempla, quæ docent quosdam subito & inspirato gaudio fuisse exanimatos, quum nouum non sit homines animi mœrore sensim extabescere. Causam reddunt quod gaudium aperiat spirituum meatus, mœror occludat. Itaq; fieri, ut gaudio immodico plus satis dilatatis meatibus, semel euolent spiritus, subitamq; mortem adferant: contra coarctati spiritus & inclusi, paulatim enecent hominem. Quod in corporibus hominũ facit lethargus, hoc in animis eorũ in quibus refrixit charitas, facit auaritia. Quanquam est calor intemperans qui phrenesim adducat. Talis est animus accensus igne gehennæ qui fratri molitur exitium. Talis est lingua iuxta Iacobũ eodem inflammata igni, quæ maledicit immerenti proximo. Noster ignis charitas est, quæ iuxta Paulum nõ peccat. Huius calor dilatat animos angustos & contractos, inuidia, odio, metu paupertatis, persequutionis, & mortis, quemadmodũ scribit Paulus Romanis. Gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patiẽtia uero probationẽ, probatio uero spem, spes autem nõ confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctũ qui datus est nobis. Vbi tribulatio est, ibi angustia sit necesse est. Cæterum diffusio, latitudinis uox est. Quicquid terrenum ac corporale est, angustum est, quicquid spirituale, cœleste, latius patet. Inter omnia mundi elemẽta terrę corpus est angustissimum, aqua huic circunfusa latius se spargit, & hac etiam latius aer, quẽ & ipsum amplitudine sua uincit ignis, mox inter orbes cœlestes ut quisq; longissime semotus est à terra, hoc latissimo spatio diffusus est. Itidẽ si res animi cũ rebus corporis conferas, quãto latiora sunt ea quæ pertinent ad animã? Quàm immensum est quod oculis animi contuemur præ his quæ corporeis cernimus oculis? Quàm angustũ est huius uitæ spatiũ si species immortalitatẽ animæ? Sed rursum q̃ angustũ est quod habet homo maxime corporeũ, si cõferatur ad amplitudinẽ diuini spiritus, qui dilatat angustias nostras. Proinde qui cupit hanc amplitudinẽ, subducat se quantũ potest à rebus terrenis, submoueat sese à corpore, conscendat in excelsam crucẽ, quo cœlo fiat uicinior. Iam præter corporales angustias quas pijs hic mundus infligit, nulla grauior est, cq̃ mentis sibi male conscię. Neq; uero locus hic solum eos consolatur, qui propter iusticiam affligũtur, uerum etiam animos pœnitentia grauatos, ac metu diuinæ uindictæ contractos in spem erigit, qui si non habẽt iusticiam suam, habent tamen deum iusticiæ suæ. Timore pœnæ contrahimur, & hoc initium sapientiæ, charitate diffundimur. Sic expedit contrahi per pœnitentiã, ut post q̃ charitas foris pepulit timorem, feliciter dilatemur libertate spiritus. Tristitia seculi mortem operatur, at tristicia quæ secundũ deum est, salutem stabilem operatur. Contraxerat Paulus mœrore Corinthios, dum incestum iubet tradi Satanę. At non pœnitet huius inflictę anxietatis, quam mox dilatauit charitas. Ita, inquit, ut è contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundãtiore tristicia absorbeatur qui eiusmodi est? Vnde dilatatio? unde nisi à charitate? Cõfirmetis (inquit) in illũ charitatẽ. In peccatis afflictio est & angustia, quemadmodum testatur & Paulus scribens Romanis. His autem qui ex cõtentione, & qui non

Cap. 17

Cap. 5

qui non acquiescunt ueritati, credũt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animum hominis operantis malum. At si excusserit peccatorum laqueos & ad charitatis officia sese uertat, iam audi latitudinẽ: Gloria & honor & pax omni operanti bonum. Similiter & in psalmo. 118. dicit peccatis obnoxius: tribulatio & angustia inuenerunt me. Sed mox sequitur amplitudo: Mandata tua, meditatio mea est. Non seruat mandata dei, nisi qui deum diligit. Vultis autem audire, quanta sit amplitudo mentis quã ampliauit charitas? Attendite quid apud Ioannem dicit dominus noster Iesus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus. Et Paulus cum alijs locis aliquot, tum ad Romanos 8. docet & spiritum dei inhabitare mentem piorum. Cogitate ꝙ amplum sit illius pectoris domicilium, quod sufficiat excipiendo patri & filio & spiritui sancto. Rursus Iudæorum angustiam indicat alias: Sermo, inquit, meus nõ capit in uobis. Magnam angustiam faciunt in animis hominum, studium pecuniæ, amor uoluptatum, cupiditas honorum, odium & liuor erga proximum, ut hic nullus sit locus excipiendo sermonis Euangelici semini. Quisquis in carne est, angustijs coarctatur, uerum ubi spiritus est, ibi spatiosa libertas. Corpus uacuum spiritu frigore contrahitur & exarescit, ita mens quæ non habet spiritum dei, coarctatur in angustum. Harum rerum uices sunt. Mortificata carne, uiuit spiritus: uiuente
Roma. 8 carne, moritur spiritus. Ita Paulus: Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Palmes qui non alitur succo uitis, amputatur, & arescit, at qui manserit in uite semper latius se profert, fructum plurimũ adferens. Palmes aridus ac uehemẽter contractus est, qui nec amico laborãti fame manũ porrigit. Cæterum quos ampliauit succus gratiæ diuinæ, quos dilatauit fraterna charitas, benefici sunt erga omnes, maxime tamen erga domesticos fidei. Quin et illud animaduertendum in literis sacris, inueniri laudatam, ac rursus damnatam amplitudinem, item contractionem laudatam ac rursus damnatam, quemadmodum attigimus. Multa corpora turgent uitiosis humoribus, contra, quædam læto succo uegeta sunt & torosa. Audite uitiosam obesitatem. Sic habet canticum Mosi: Incrassatus est dilectus meus, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Male dilatatus est, quem rerum mundanarum successus reddidit arrogantia tumidum. E diuerso bene contractus est, qui per pœnitentiam admissorum exaruit à timore domini. Sic contractus erat anxius ille pauper qui loquitur psal. 101. Ossa mea sicut cremium aruerunt, percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum co
Cap. 37 medere panem meum. Et apud Ezechielem feliciter aruerant ossa sibi displicentium, quę spiritu dei reuiuiscũt. Sic bonus medicus inanit & exhaurit corpus, atq; adeo propemodum occidit, subductis humoribus noxijs, ut post feliciore succo distendatur. Sunt gigantes quos odit dominus, de quibus testificatur psalmus 32. Et gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ, & Goliath ingentem suisq; uiribus fidẽtem interfecit Dauid. Ex aduerso laudatur in psal. 18. mirabilis ille gigas modestia minimus in regno cœlorũ, uirtute diuina maximus, qui exultauit ad currẽdum uiam, & à summo cœlo egressus eius. Tales gigantes amat Dominus qui pedibus contingant terram, quum oculos & cor habeant in cœlo, iuxta illud Euangelicum, ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Magna est horum gigantum proceritas, sed eorundem summa est humilitas. Est cor altum execrabile deo, de quo psalmus: Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei. Rursus est cor altum, ad quod accedit deus ut exaltetur. At cor habebat feliciter dilatatũ qui dicebat 118. Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sunt paruuli quos dilexit & complexus est Iesus, ad quorum modulum iubet contrahi huius mundi gigantes, si uelint ingredi regnũ cœlorũ, ac nasci denuo. Angusta est porta, qua intratur in hoc regnum. Non recipit camelos opibus & honoribus onustos. Angusta est uia quæ ducit ad uitam.
1. Pet. 2 Per hanc enim non incedunt nisi uehementer contracti. At rursum sunt paruuli quos Petrus uult in Christo grandescere: Sicut modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo lac
Ephes. 4 concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Nec Paulus fert istos qui semper paruuli sunt, scribens in hunc modum Ephesijs: donec occurramus omnes in unitatẽ fidei & agnitionem filij dei, in uirũ perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuãtes, & circunferamur omni uento doctrinę. Tales erant paruuli Corinthij
1. Cor. 3 quibus ita scribit. Tanq; paruulis in Christo lac uobis potum dedi non escam, nondum

enim

enim poteratis,sed ne nunc quidē potestis. Tales erāt paruuli Galatæ quib. ita blanditur. Cap.4
Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. Hoc genus paruu-
los obiurgat epistola scripta ad Hebræos. Qui nunquam recedunt ab elementis exordij
sermonum dei,nec unquam proficiunt ad solidum cibum perfectioris iusticiæ. Et tamen
idē apostolus iubet eos esse paruulos malicia, quos animo uult esse uiros ac robustos,at-
que ipse factus est paruulus modestia & fraterna charitate contrahens semet ad paruulo-
rum imbecillitatem,quemadmodum scribit Thessalonicensibus. Facti sumus paruuli in 1.Thess.2
medio uestrum,tanquam si mulier foueat filios suos. Sed ut redeamus ad paruulos, qua-
les uereor ne nimium multi sint in uobis dilectissimi, uidendum est unde sit in multis tan-
ta angustia. Non tacuit hoc apostolus deplorans Corinthios tam diu manere in infantia:
Adhuc enim carnales estis. Caro igitur reddit angustos, spiritus ampliat. Vbi spiritus,
ibi charitas,ubi charitas,ibi foras pellitur timor, ubi non est timor, ibi libertas est, ubi li-
bertas est,ibi nihil est quod angat. Qui nihil mirantur nisi quæ uident in hoc mundo,car
nales sunt & magna animi laborant angustia:qui in rebus corporalibus ponit pietatem,
in carne est & miserabili distringitur anxietate,ne gustaueris,ne tetigeris, ne contrectaue
ris. Si qui sunt inter uos,qui ab his angustijs in quibus puerorum more misere trepidare
solent,ubi nihil erat periculi, profecerunt ad libertatem spiritus, intelligunt quid dicam.
Qui fruuntur hac spiritus amplitudine ferant interim imbecillitatem paruulorum, do-
nec & illi proficiant ad eam libertatem,usq; ad mensuram Christi, eisq; precemur quod
Paulus precatur Ephesijs,ut pater cœlestis secundum diuitias gloriæ suæ det eis uirtutē, Ephes.3
ut corroborētur per spiritum sanctum in interiori homine,utq; per fidem inhabitet in eis
Christus,sintq; in charitate radicati & fundati, ut cum omnibus sanctis comprehendere
possint quę sit longitudo & latitudo,sublimitas & profunditas. Scire etiam supereminen
tem scientiæ charitatem Christi,ut impleantur in omnem plenitudinem dei. Necessarię
sunt humanæ constitutiones,sed infirmis,utiles sunt cæremoniæ, sed paruulis. Grande-
scamus omnes in Christo. Maledictus enim puer centum annorum, qui semper requirit
lac,ac præmansum cibum, qui semper constringēdus est fascijs,gestandus ulnis,qui sem-
per exanimatur ad inania terriculamenta. Benedictus autem in latitudine Gad iuxta Mo
si uaticinium. Tunc Abraham præbuit splendidum conuiuiū,quum ablactatus est Isaac.
At infelices Iudæi,qui in hunc usq; diem sugunt lac literæ,nunq; exuunt infantiam. Nos
autem qui pueri sumus Isaac,qui spiritualium pater est,non desinimus fodere puteos,do
nec contemptis ac depulsis Philisteis, reperiamus uenam spiritus salientem in uitā æter-
nam. Quam ubi repperisset Isaac imposuit nomen ei loco,latitudo: Nunc enim,inquit,di
latauit nos dominus,& fecit crescere super terram. Amplissima est diuina sapientia, quæ
non est animalis, sed spiritualis, eoq; cor requirit amplum & capax. Nec enim intrat in
animam maleuolam,nec habitat in corpore subdito peccatis. Vbi maleuolentia est, ibi
charitas non est,ubi charitas nō est,ibi angustia est. Idcirco deus qui Solomoni dedit suā
sapientiā,eidem dedit & cordis latitudinē. Sic enim legimus 3.Reg.ca.4. Dedit quoq; de-
us sapientiam Solomoni,& prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis. Quibus
de nugis quàm atroces rixas uidemus inter istos,qui terrena turgent sapientia, quam Ia-
cobus diabolicam appellat? Vnde id? Nimirum ab angustia cordis, quod non ampliauit
spiritus dei. Animalis sapientia tam angusta est,ut amicis etiam inuideat, quum sapientia
quæ uenit è supernis,cor hominis ampliet, usq; ad dilectionem inimicorum, ad benedi-
cendum maledicentibus,ad benefaciendum malefacientibus. Videlicet hoc est quod ait
Iacobus,plena misericordia & fructibus bonis,his enim rebus ad omnes se dilatat Chri-
stiana charitas. Charitas ignis est,sapientia lux est. Nihil autem latius aut celerius uim su-
am propagat quàm ignis,nec ulla res benignius se communicat omnibus quàm lux. De-
us charitas est,idem & pater luminum. Et spiritus domini impleuit orbem terrarum. Et
hic elementaris spiritus, qui terræ circunfunditur,per ipsas aquas,perq́ue terræ uenas o-
mnes infusus est. Hæc obiter commemoro, ut intelligatis scripturæ tropis significari spi-
ritualem amplitudinem, ac damnari angustiam. Illud habent peculiare res spirituales,
quod ex contrarijs gignantur contraria, quodq; eadem res gignat contraria, quanquam
& huius generis exempla nonnulla reperiuntur in rebus corporum, uelut quum ex ama-
ro pharmaco nascitur iucunda salus: quum idem sol ceram liquefacit & lutum indurat,

quum idem ignis ſoluit plumbum,et indurat teſtam,idem fulmen liquefacit ęs intacta ſe/
ra,quum aqua infuſa cæteris feruentibus extinguit incendium,infuſa calci ſuſcitat incen/
dium,quum magnes uno latere attrahit chalybem, altero depellit. Sic Chriſti ſpiritus ac
diuina charitas,eundem hominem,& laxat & contrahit,mollit ac durat, erigit ac deiicit,
laxat ad benefaciendum omnibus,contrahit ad cautionem, ne quem offendat, mollit ad
uindictam, durat ad patientiam, erigit ad contemptum eorum qui obſiſtunt Euangelio,
deiicit ad obſequendum omnibus amore Chriſti. Accipite Paulum ampliatum & con/
1.Cor.9 tractum hac charitate:Et factus ſum Iudæis, tanquàm Iudæus,ut Iudæos lucrarer:his qui
ſub lege ſunt,quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, ut eos qui ſub lege erant
lucrifacerem.His qui ſine lege erant,tanquàm qui ſine lege eſſem, cum ſine lege dei non
eſſem,ſed in lege eſſem Chriſti, ut lucrifacerem eos qui ſine lege erant. Factus ſum infir/
mis infirmus,ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem
ſaluos,omnia autem facio propter Euangelium,ut particeps eius efficiar. Quid amplius
dici poteſt,quàm omnibus omnia factus ſum? Quid contractius quàm omnium me ſer/
uum feci? Rurſum quid laxius? Omnia ueſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus autem
1. Cor.1 dei. Et,regnum dei non eſt eſca & potus. E contrario quid contractius quàm illud? Bonũ
eſt non comedere carnem, & non bibere uinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut
Roman.8 ſcandalizatur,aut infirmatur. Quid Paulo durius,quũ ait? Certus ſum enim,quod neq;
mors,neq; uita,neq; angeli, neq; principatus,neque uirtutes,neq; inſtantia,neque futura,
neq; fortitudo,neq; altitudo,neq; profundum, neq; creatura aliqua poterit nos ſeparare
à charitate dei,quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Quid eodem mollius? quum ſcri/
Galat.4 bit Galatis,qui defecerant:Fratres,obſecro uos,nihil me læſiſtis. Rurſum ad Romanos
de Iudæis,quos habebant infenſiſsimos:Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro
fratribus meis,qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ. Quid eodem
erectius? quum in Actis alloquitur Elymam magum,intentis in eum oculis,ac plenus ſpi
ritu ſancto:O plene omni dolo,& omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſticiæ, non
deſinis inuertere uias domini rectas, & ecce nunc manus domini ſuper te, & eris cæcus,
non uidens ſolem,uſq; ad tempus. Item ad Corinthios:An experimentum quæritis inha
bitantis in me Chriſti? Rurſus ad Timotheum, cꝫ contractus eſt quum ait, ſe primum o/
mnium peccatorum. At mox cꝫ erectus,quum addit:de Alexandro & Hymenæo, quos
tradidi Satanæ ut diſcant non blaſphemare. Iam quid demiſsius? quàm quod Paulus ita
Roman.12 ſcribit Romanis:Obſecro uos fratres per miſericordiam dei,ut exhibeatis corpora ue/
2.Cor.2 ſtra hoſtiam uiuentem &c. Item ad Corinthios: Obſecramus pro Chriſto reconcilia/
mini deo. Vererer autem auditores optimi,ne iamdudum uidear latius euagatus de lati/
tudine diſſerens,ni confiderem ueſtros animos ſic amplos eſſe per charitatem dei,ut hoc
diſpendiũ boni conſulatis. Verũ ut ad reliqua pſalmi redeamus,poſteaq̃ didicimus, cer/
tum,ac uelox à deo præſidium eſſe paratum omnibus, qui inuocant ipſum: ſi quis noſtrũ
conſcientiã habet peccatorum laqueis intricatam,ſi quis rebus aduerſis, hoc eſt egeſtate,
morbo,aut perſequutione malorum premitur,ſi quis adhuc carnalis eſt, ac rerum uiſibi/
lium anguſtijs ſtringitur, inuocet cum fiducia dominum, ut ampliatus ſpiritu charitatis
gratias agat illius bonitati,canens illud pſal.17. Et eduxit me in latitudinem,ſaluum me fe
cit,quoniam uoluit me. Sequitur,miſerere mei, & exaudi orationem meam. Diuus Au/
guſtinus mouet hic quęſtionem,quomodo hoc & quod ante dixit,dilataſti mihi,cõgruat
in perſonã Ieſu Chriſti,quaſi aliquando fuerit à deo deſertus, ut accipi poſsit tempora rio
præſidio ſubleuatus:aut aliquid in illo fuerit miſerabile,ut clamare debuerit,miſerere mei.
Nec mihi diſplicet huius nodi ſolutio, quam adducit Auguſtinus,ut hic ſermo referatur
ad membra Chriſti,in quibus eſurit & reficitur, affligitur & ſubleuatur. Nec tamen ab/
ſurdum eſt,ſi preſſus tantis malis corporis,oret,ut morte liberetur,ac reſurrectione lætifi
cetur,non quod diffideret,niſi inuocaſſet,ſed ut nos doceret in afflictionibus deum ſollici
tare precibus. Ne illud quidem arbitror impium,ſi quis dicat anxietates in anima Chriſti
fuiſſe,quas ad tẽpus ſentiret,& quibus poſt liberaretur. Quemadmodum tædiũ ac mœ/
rorem quem ſenſit imminente mortis tempore,non ſenſerat antea,& ab eo mox ſubleua/
tus eſt. Nam apud Lucã legitur adfuiſſe angelus domini qui confortaret illum. Nihil au/
tẽ obſtat quo minus miſer uocetur,qui dira patitur,licet immeritus; certe miſeria dicitur

omnis

omnis afflictio,q̃libet immerentẽ premens. Quoniam autẽ hæc uita perpetuis triſtitiũ ac lætorũ uicibus obnoxia,nec unq̃ uacat à periculis,nec omnino ſine peccato peragitur:ut ſemper agẽdæ ſunt gratię deo,pro his quę nobis immittit,ita ſemper clamandũ,miſerere mei. Omne dei beneficiũ erga nos miſericordia dei dicitur, quoniam gratis nobis ſubleuandis impenditur. Ac nonnunq̃ tum maxime miſeretur,quũ immittit aſpera. In his imploranda miſericordia,quo ſimus tolerantes. In lætis itidem imploranda miſericordia, ne corrũpamur. Et aduerſitas rerum, & proſperitas nobis æque periculoſa eſt,niſi adſit dei miſericordia. At uulgus hominũ non clamat,miſerere mei, niſi cũ triſtibus premitur:nec phariſaicus homo qui ſibi uidetur iuſtus,clamat miſerere mei,ſed tantum gratias agit. At qui uere Chriſtianus eſt,ut ſemper agit gratias pro omnibus,ita ſemper adiungit nouam imprecationem,intelligens,primum eſſe tuendum quod datum eſt,ne auferatur à ſocordibus,deinde proficiendum uſq; ad ampliora, at neutrum abſq; præſidio diuinæ miſericordiæ poſſumus. Itaq; quod hic uidemus factũ,ut gratiarũ actioni protinus ſuccedat clamor, deprehendimus & in alijs pſalmis,uelut in cantico graduum: Ad dominũ quũ tribularer clamaui,& exaudiuit me. Liberatus & exauditus,mox denuo clamat: Domine libera animã meã,à labijs iniquis,& à lingua doloſa. Ille longe miſerrimus eſt,qui credit ſibi non opus eſſe dei miſericordia. Qua ſi ſemper egemus,ſemper opplorandũ auríb. dei, miſerere mei,exaudi:ueluti qui multis ſimul malis affligitur,ſenio,morbo,ſcabie,paupe-rie,nunq̃ non ſuſpirat,& ſi mitiges unum malũ,urget aliud. Sed taliũ importunis implorationibus nonnunquam fatigantur homines,deus gaudet à ſuis audire cantionem hanc lamentabilem,miſerere mei,donec ueniat tempus illud,de quo Ioannes meminit in Apocalypſi:Et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum,& mors ultra non erit,neque luctus,neq; clamor,neq; dolor erit ultra,quoniam prima abierunt. Arbitror & illud animaduertendum,quod dum clamat miſerere mei,nihil explicat,quod uelit ſibi præſtari. Eſt enim hoc ſimpliciſsimæ erga dei miſericordiam fiduciæ, nihil illi præſcribere, ſed totos nos illius uolũtati cõmittere. Nouit enim ille melius nobis,quid expediat ad ſalutẽ.

Eſt illud Chriſtianæ pietatis, ubi miſericordia dei prouectus ſis ad aliquem felicitatis gradũ,non auerſari,nec faſtidire miſeros,qui carnis cupiditatibus immerſi,neſciunt aſpirare ad cœleſtia bona, ſed fraterno affectu ad meliora prouocare. Decet enim ut qui dei miſericordiã in ſeſe expertus eſt,miſericordiam conferat & in conſeruos ſuos. Obſecra, mone,doce,hortare,argue,increpa,oportune,importune. Si corrigitur, lucrifeciſti fratrẽ tuum:ſin minus liberaſti animam tuam,quod in te eſt præſtitiſti. Itaq; ſequitur: Filij hominum uſquequo graui corde? quare diligitis uanitatem & quæritis mendacium? Quod ſeptuaginta uerterunt, filij hominum, Hieronymus ex Hebraico fonte, uertit filij uiri: & quod illi uſquequo graui corde,hic uertit,uſquequo inclyti mei,ignominioſe diligitis uanitatem. Sunt qui uertunt,uſquequo gloria ſiue honor meus opprobrio, diligetis uanitatem,& quæretis mendacium? Ac rurſus hic alia diſſenſio. Quidam uirum interpretantur Abraham tanquam excellentem quendam Heroa,cuius nomine gloriabantur Iſraelitæ. Semen Abrahæ ſumus,neq; cuiquam ſeruiuimus unquam. Alij uirum accipiunt Adam. Cæterum ad ſenſum quem adferunt Hebræi,magis congruit,ut in nomine uiri intelligamus Abraham,cuius nomen apud Hebræos erat celeberrimum, quemadmodum apud Græcos Cecropis,apud Latinos,Scipionis,ut qui hinc genus ducerent,pro heroibus haberentur. Itaq; qui tumebant animo quod genus ducerent ab Abraham, hos uocant ſeptuaginta Βαρυκαρδίους,hoc eſt grauicordes, quemadmodum dicimus miſericordes. Βάρος enim Græce nonnunquam faſtum ſignificat,et Latine graues uiros dicimus,eximios, magnæq; autoritatis,unde ſuſpicor & uulgo nunc dici Barones, qui generis ac uirtutum autoritate cæteris præminent. Itaq; dominus in Euangelijs exprobrat Iudæis,quod quũ ſeſe iactarent nomine patris Abrahę,tamen ab eius factis longe degenerarent,ſed potius referrent patrem diabolum,& mendacem,& homicidam,quum illi reſiſterent ueritati,et innocenti molirentur exitium. Huius igitur lectionis ſenſus erit. Quamdiu perſeuerabitis in ueſtra incredulitate Iſraelitæ? quamdiu quum iactetis uos nominibus patriarcharum, degenerabitis ab illorum fide & pietate,dedecorantes maiorum ueſtrorum gloriam, pro rebus ad ſalutem æternam pertinentibus,diligentes uanitatem,proq; ueritate quærentes mendacium? Alterius lectionis,filij uiri, uſquequo gloria mea opprobrio &c. ſenſus hic

Filij hominũ uſquequo g.

erit: Filij Abrahæ, & diu dehoneſtabitis nomen meũ inter gentes gloriã meã uertentes in ignominiam? Dicimini populus electus, uocamini filij dei, atqui ex ueſtra impia uita, conuicijs afficior inter gentes, qui talem putant eſſe deum, qualis eſt populus. Vana eſt tituli gloria, niſi adſit uitæ pietas: mendacium eſt dici filios dei, quum factis ipſi declaretis uos eſſe filios diaboli. Cęterũ quod olim dominus noſter exprobrauit Iudæis incredulis, hoc iure nunc quoq; poteſt exprobrari Chriſtianis, Euangelij, apoſtolorum & Chriſti nomine gloriantibus, quum tota uita diſſideat à titulo. Magnificus titulus eſt dici filios dei, fratres & cohæredes Ieſu Chriſti, ſed huius tituli gloriã nobis uertimus in ignominiã, ſi tota uita pugnat cum profeſsione. Ac per nos quodãmodo infamatur glorioſum dei patris ac filij nomẽ. Quid enim dicũt impij, cõſpicientes huius nominis proceres, ſceleratiores pro pemodum idololatris? tales habet filios deus? tales habet diſcipulos et fratres Ieſus Chriſtus? Quin & ipſum Euangelium uocatur in odium, & in contemptum ob impuram uitam eorum, qui ſe iactant Euangelij titulo. Audimus etiam nunc paſsim iactari Chriſtũ, ſpiritum, Euangelium, fidem, uerbum dei, ſi mores, ſi uitam inſpicias multorum, heu q̃ omnia pugnant cum ſplendidis illis titulis. Quum inter eos qui his titulis ſe maxime uenditant, comperimus attentos ad rem, fraudatores, luxu ac libidine perditos, calumniatores, detractores, uirulentos, mendaces, amantes ſui, uacuos omni bono affectu, impatientes omnis iniuriæ, uindices, elatos, nónne multos audimus dicere, ualeat hoc Euangelium, quod tale genus hominum nobis inuehit in mundum? Quin potius Euangelium habentes in ore, uita factisq; commendamus Euangelium, quemadmodum Paulus glorificauit Euangelium ſuum? At blaſphemia quidem eſt, ex hominum moribus æſtimare Euangelium, ſed tamen huic blaſphemiæ dant occaſionem, qui dictis profitentur Euangelium, factis pugnant cum Euangelio. Tales merito obiurgarit uir pius, ac uere Euangelicus. O filij excelſi, quamdiu male uiuendo dehoneſtabitis ueſtram profeſſionem? uanitas eſt dici, quod nõ ſitis: mendacium eſt quærere gloriam nominis, & tota uita pugnare cũ nomine: hypocriſis eſt, uenari laudem ex titulis, quum facta diſcrepent à titulis: habere ſemper in ore, quod procul abſit ab animo. Nec quenquam ueſtrum mouere debet tanta lectionis uarietas, Dubitari non poteſt, quin ſimplex & unum ſit, quod dictante ſpiritu ſancto ſcripſit pſalmographus, & tamen hanc uarietatem, quæ per ſcribas & interpretes accidit, permiſit deus in ſacris uoluminibus, ut hac quoq; difficultate excitetur noſtra ſocordia. Nullo ſalutis periculo aberratur à germano ſenſu ſcripturæ, modo quod accipitur, congruat cum pietate & ueritate: nec eſt leuis utilitas ſtudij noſtri, ſi quod interpretamur non faciat ad præſentem locũ, modo faciat ad bonam uitam, & cum alijs ſcripturæ locis conſentiat. Neq; uero ſumam hic anxiã operã excutiendi, quę lectio ſit maxime probãda. Grauis eſt apud me Hieronymi autoritas, neq; leuis eſt autoritas Septuaginta, præſertim quũ hãc tot ſeculis publicus uſus eccleſiæ, tũ apud Græcos, tũ apud Latinos cõprobarit. Siue legimus, filij uiri, ſentientes filios Adæ, ſiue filij hominum, utrunq; uocabulũ eſt extenuãs dignitatẽ. Etenim modeſtiæ cauſa, ſe dominus in Euangelijs appellat filium hominis, quum Iudæi iactarent Abraham, Iacob, Dauid, aliosq́ue patriarchas, quorum tum apud ipſos uenerabilis erat memoria. Et Paulus quum ait, nunquid ſecundum hominẽ hæc dico, &, ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem, rurſum: Nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis, ac mox: Nónne homines eſtis? humile quiddam indicat, & quod procul abſit à uiro perfecto. Cuiuſmodi cum multi ſint inter nos, exiſtimet unuſquiſq; noſtrum hunc uerſiculum ad ſepertinere. Baptizati eſtis, fidem Euangelicam profeſsi eſtis, per quam efficiuntur filij dei, qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, ſed denuo cœlitus nati ſunt, per ſpiritum regenerantem ac nouantem hominem, induiſtis dominum Ieſum Chriſtum, in huius corpus inſiti eſtis, & uos poſt hæc nihil aliud adhuc eſtis, quàm filij hominum. Quando proficietis ad ſublimiora? Quamdiu nihil aliud ſapietis, quàm carnem, quàm terram? Eſt leuitas cordis damnata in ſacris literis. Qui cito credit, leuis eſt corde ut docet eccle-
Eccle.19 ſiaſticus. Tale cor habent qui fluctuant ac circunferuntur quolibet uento doctrinæ, de quibus loquitur alius pſalmus: Cor eorum uanum eſt. Sic eſt quædam probata cordis grauitas, quæ ſaburra ueritatis Euangelicæ conſtabilit animum, ne uarijs humanarum opinionum auris huc illuc fluctuet. Tale cor habebat Paulus, qui negat habendam fidem

etiam

etiam angelo, si diuersum adferret Euangelium. Itidem est probata quædam cordis leuitas. Tale cor habebant, de quibus legimus apud Esaiam: Qui sunt isti qui ut nubes uolãt, & quasi columbæ ad fenestras suas? Tale cor habent aquilæ, cum congregantur ubicunque fuerit corpus, atq; illuc quotidie subuolant affectu, ubi Christus est in dextra dei sedens. Tale cor exigit à populo sacerdos aggressurus mysteria, dicens: Sursum corda, & respondetur, ad dominum. Vtinam hoc uere responderi possit ab omnibus charissimi. Plumbea corda, quæ conscientiæ sarcina grauantur, nõ possunt subuolare ad dominum. Terrena corda, quoniam grauantur curis huius uitæ, nec alas habent, non possunt in altum tolli. Sola corda ignea, sola aerea, hoc est spiritualia, subuolãt in altum. His lõge dissimiles sunt isti grauicordes, quos hoc uersu exhortatur propheta, ut abiectis sordidis & humilibus curis sumant alas, eoq; subuolẽt ubi uera quies est animorũ. Qui peccatis onusti sunt, nullum faciunt peccandi finẽ, uitæ correctionẽ usq; proferentes, donec ueniat supremus uitæ dies. Qui iactant huius mundi falsa bona, honores, opes, uoluptates, non solũ his immorantur, uerum etiam immoriuntur, semper solliciti, semper tristes: quum interim qui his rebus contemptis ad æterna sustulerunt animos, uiuant alacres spe, semper in domino gaudentes, iugiter psallentes domino in cordibus suis hymnis, & canticis spiritualibus. Quisquis uestrum cor habet dilatatum dono dei, ne desinat clamare ad istos, qui cor adhuc habent graue. Quousq; corde graui, spretis cœlestibus, hærebitis terrenis? Quousq; pro necessarijs, diligitis uanitatẽ, pro ueris bonis, quæritis mendaciũ? Quid interfit inter uanitatem ac mendacium, superius paucis attigimus. Vanis frustramur, mendacio fallimur. Quæret aliquis quid interfit inter diligere & quærere. Diligimus oblata, quærimus quæ quum nõ adsint experimus. Diligimus, quibus oblectatur animus. Quærimus, quæ nobis studio aliunde accersimus. Ac mundus quidem uarijs rerum illecebris blanditur, oculis nostris ostentat, ceu rem egregiam formam, uires, iuuentutem, opulentiam, nobilitatem, autoritatem, prosperam ualetudinem, uoluptatem, longæuitatem, erudition em, sapientiam, gloriam. Rursum è diuerso obijcit oculis nostris uaria terricula mentorum genera, senectutem, imbecillitatem, paupertatem, aduersam ualetudinẽ, ignobilitatem, contemptum, imperitiam, cruciatus, mortem, ignominiam. Hæc omnia uana sunt rerum ludibria, quæ si quis non recte iudicans, putat esse uere amplectenda ut bona, aut uere horrenda ut mala, is in blandis amplectendis diligit uanitatem, in alteris expauescendis conturbatur uanitate, Qui male diligit, idem male oderit necesse est. Atq; ex hoc fonte nascitur omnis humanæ uitæ pernicies, quum corrupto iudicio, aut pro bonis ducimus, quæ bona non sunt, pro malis quæ mala non sunt, aut præposteró iudicio, pluris illa facimus quàm oportet. Ex iudicio corrupto, nascuntur affectus insani, quemadmodum corrupto palato pro salubribus expetimus mortifera, fitq; ut qui prius diligebamus uanitatem, iam quæramus mendacium. Non iam loquor tantum de his quæ uulgus etiã fatetur esse uana, quod genus sunt, saltationes, choreæ, gesticulationes, ioci, facetiæ: quicquid agitur in hac uita uanitas est, imò totus homo quantus est uanitas est, si conferatur ad deum, ac res diuinas, quæ uere sunt. In uanis tumultuabatur & Martha, quum unum esset necessarium: eam partem, unice bonam, delegerat Maria, sedens ad pedes Iesu, & audiens sermonem illius. Maria sedẽs, mens est ab omnibus carnis affectibus requieta. Alij sedent ad pedes Aristotelis, Auerrois, Bartholi, & Baldi, sed felix discipulus, qui sedet ad pedes Iesu, auscultans quid loquatur æterna ueritas. Nec enim iam diligere poterit homi num uanitates, quem semel occuparit amor ueri summiq; boni. Hoc solũ nobis diligendũ est, solum quærendum & expetendum: cætera omnia, quę huc nihil conducũt, uana sunt: quæ promittunt felicitatem aliunde, quàm ex hoc uno, mendacia sunt. Vidit hoc sapiens Ecclesiastes, clamans omnia quæ geruntur in uita mortalium, meram esse uanitatem, hoc uno excepto, ut timeamus deum ac mandata illius obseruemus. At unde tantum uanitatis in uita Christianorum, qui ueritatem profitentur Euangelicam? Quantis tumultibus undiq; plena sunt omnia? Negociamur, nauigamus, belligeramur, facimus fœdera, & icta rumpimus, iungimus matrimonia, gignimus liberos, scribimus hæredes, emimus agros ac uendimus, cõciliamus amicitias, ædificamus ac demolimur, radimur, ungimur, induimus cucullam, exercemur uarijs artibus, magnis impẽdijs ac sudoribus ambimus titulum utriusq; iuris, aut Theologi. Sunt qui mitram ac pedũ malint. His curis discrucia-

mus animũ nostrũ.in his cõsenescimus,in his tot annos rem omnium preciosissimam nec reparabilem perdimus.Posteaq̃ iam adest dies mortis, postq̃ adeundum est tribunal illud,ubi uanis locus non est,sed ueris agitur,ibi sero uelut experrecti deprehendimus omnia fuisse uana rerum simulachra, quæ nobis per somnium illuserant.Dicet aliquis,an ista non sunt curanda Christianis,quæ pro uanis commemoras? Sunt in his quæ curanda quidem sunt,sed ex necessitate,sed leuiter, sed ita, ut scias esse negligenda, quoties iacturam adferunt illius boni, quod solum est expetendũ. Id cuiusmodi sit, rectius nos do-
1.Cor.7 cebit ipse Paulus: Tempus,inquit,breue est,reliquum est,ut qui habent uxores,sint tanq̃ non habentes,& qui flent,tanq̃ non flentes,& qui gaudent, tanquàm non gaudentes,& qui emunt,tanquàm non possidentes,et qui utuntur hoc mundo,tanq̃ non utantur,præterit enim figura huius mundi.Hoc est perpeti uanitatem huius uitæ,nõ diligere, hoc est, uti hoc mundo,non etiam frui. Vanitatem indicat Paulus, quum ait figura. Iudæi tenebant figuras, quas adhuc mordicus tenent pro ueris. Vt gemina lex est, carnalis,& spiritualis,ita geminus est mundus. Hic mundus in quo uersamur,uanitatibus undiq̃ scatet. Sequetur alius mundus,in quo sublatis ludibrijs,omnia patebunt,ibi quũ de uerbo otioso sit reddenda ratio,quid dicent,qui sic adamarunt philosophiam Aristotelis,mathematicas argutias,sophistarum tricas,mitras & coronas,ut de eo quod solum per omnem uitam erat agendum uix unq̃ uacauerit cogitare? In hoc iudicio quid referet, rex fueris an agricola,monachus an auriga,philosophus an idiota? Hoc unum spectabitur,an totam felicitatis tuæ spem collocaris in domino,an illius præceptis toto pectore inhæseris. Ex aspectu nascitur amor,iuxta Græcorum prouerbium.Proinde periculum est etiam uidere uanitates huius mundi,quam ob causam orat psaltes: Auerte oculos meos,ne uideant uanitates,in uia tua uiuifica me.Ingerunt se nobis undiq̃ uanitates, nec est in potestate hominis ab his auertere oculos, ni deus auertat, & ad suam auocet uiam. Vidit Eua quod bonum esset lignum ad uescendum,& pulchrum oculis,aspectuq̃ delectabile,tulit de fructu illius & comedit deditq̃ uiro suo,qui comedit,& aperti sunt oculi amborum. Vidit & dilexit uanitatem, simulq̃ quæsiuit mendacium,quod prompserat serpens.Non moriemini,sed eritis sicut dij.Hæc est omnium malorum origo,uidisse uanitatẽ & amasse. Quomodo autẽ dicũtur aperti oculi, quum antea legantur uidisse? Viderant sed per somniũ, experrecti certumq̃ uigilantes deprehendunt se delusos inanibus rerũ phantasmatibus. Itaq̃ pro thesauro,reperiunt carbones,pro ueris bonis,uanas rerum imagines. Vidit Dauid Bersabeæ,uidit uanitatem,& amauit.Mox quæsiuit mendacium,& per dolum occiso marito,sperabat fore clàm & impune quod moliebatur. Comperit postea sibi mentitam esse uoluptatem quam dilexerat.Si Eua auertisset oculos à uanitate, & deflexisset in uiam domini,non fuisset nobis autor mortis. Pulchrum erat pomum, sed occurrere debebat præceptum domini: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo,morte morieris.Itidem si Dauid conspecta muliere, diuertisset oculos ad uiam dei,quę monet ne quis concupiscat uxorem proximi,non audisset sententiam mortis,nec breuem uoluptatem tot lachrymis,tot malis, tanta ignominia redemisset.Nam illecebræ mundi non solum mentiuntur nobis in seculo futuro, uerum etiam in hac interim uita: In futuro seculo dicent omnes, qui hic spreta ueritate quæsiere menda-
Sap.5 cium. Quid nobis profuit superbia,aut diuitiarum iactantia,quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquàm umbra, & tanquàm nuncius præcurrens, & tanq̃ nauis quæ pertransit fluctuantem aquam,cuius cum præterierit,non est uestigium inuenire,neq̃ semitam carinæ illius in fluctibus &c. Sic nobis etiam hic mentitur ambitio,sic auaritia, sic libido,quemadmodum esca mentitur pisci. O te felicem, si tantum prædiorum possederis, si tale munus apud principem obtinueris, si tali puella fueris potitus. Vbi contigit quod blandiebatur,in quantam malorum et curarum nassam sentimus nos irretitos? Homini qui semel atq̃ iterũ dedit uerba,postea nõ habemus fidem,quantũuis blandiatur,& ab his rerũ ludibrijs toties decepti,tamen aspicimus,amamus,quærimus,nosq̃ deludendos ultro præbemus.Præterit pueritia,huic ignoscitur socordia,effluit adolescẽtia,tũ magis etiam amplectimur uanitatẽ.Accedit inuentus,nec desinimus quærere mendaciũ, obrepit senectus,nec resipiscimus,pulsat mors,nec relinquimus somnia mendacissima.An non his optimo iure uersus hic occinitur: Filij hominum usquequo graui corde, quare

diligitis

diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Hoc loco interponitur διάψαλμα, de qua uoce mirum quur Augustinus dubitet, Græca ne sit an Hebraica, quum constet quod Hebræis est Sela, à septuaginta Symmacho & Theodotione uersum esse διάψαλμα, ab uno Aquila ἀεὶ, id est, semper. Quoniam autẽ inter scriptores mira uarietas est opinionũ, quid sit Sela, alijs suspicantibus esse silentium, psalmi concentum dirimens, cui contrarium sit σύμψαλμα, alijs contra notam esse psalmi continuandi, alijs Sela, signaculũ esse musici cuiusdam toni, alijs hoc addito signo designari perpetuam & immobilẽ sententiæ ueritatem, alijs item alias coniecturas in medium adferentibus, quarum unaquæq; quomodo uel refelli possit, uel probari non discutiam in præsentia, ne charitatem uestram onerem sermone, primum per se inamœno, deinde nimium prolixo: Mihi uero proximum uidetur, tale quiddam fuisse in Hebræorum canticis, quale deprehendimus fuisse in ueterũ comœdijs, in quibus recitatis diuerbijs accinebatur tibijs certum modulationis genus, sic ut ex ipsis modis populus agnosceret genus sententiæ, grauis ne esset an iocosa, quo quod dictum esset, animis auditorũ infigeretur, simulq; excitaretur applausus & acclamatio. Itaq; quoties Sela dirimit nobis psalmum, infigamus animo quod dictum est, atq; eandem sententiam iterumq; atq; iterum nobis modulemur donec penitus insederit affectibus. Dicat sibi quisq; quem adhuc tenet uanitas & mendacium, usquequo graui corde, quare diligis uanitatem, & quæris mẽdacium? Quando temet explicabis à curarum inanium laqueis? Inuoca dominum, & dilatabitur cor tuum, dic illi miserere mei, donec exaudiat clamorem tuum. Verum dum animus afflatus mystico cantico meditatur abijcere uanitates, ac repudiare mendacium, longe diuersam cantionem occinit illi caro. Si opes, si dignitatem, si delicias abieceris, quid futurum est te abiectius, aut miserius? Talis futurus es, qualis ille, aut ille, quo quid esse potest despectius aut afflictius? Hæc enim est sors uolentium pie uiuere in Christo Iesu, ignominia, egestas, exilium, carcer, mors denicq. Itaq; caro dicit Episcopo aut Abbati, qui multa milia numerat annui prouẽtus, qui multo satellitio stipatur, qui superat regum luxum, ac delicias, si meditetur animum à uanis ad uera bona conuertere. Quid facis? An tibi placet uita Apostolorum, an uis esse Bernardus, Hilario aut Antonius? Huic pestiferæ cantioni respondet animus in se deiectissimus, in Christo sublimis ac splendidus: Et scitote, quod mirabilem reddidit dominus sanctum suum. Non eget dominus anulis, stemmatis, palatijs, camelis, aut equis, aut aulico famulitio, ut admirabilem reddat sanctum suum, pro ridiculis delicijs, multa aloe tinctis, impertit perenne gaudium puræ conscientiæ, armat illum fide aduersus omnes mũdi satanæq; insultus, exhilarat spe, ornat dotibus spiritualibus, procq; fallaci gloria, sempiterna gloria & honore nunq; auferendo coronat eum. Nimirum hoc est quod mirantur filij hominũ, in his qui uere renati sunt in Christo. Vnde illi in tã tenui re, tanta in pauperes liberalitas? unde tam fortis opum contemptus? unde in tam crebris uigilijs ac ieiunijs, in tantis laboribus tanta alacritas? Vnde nullis præsidijs instructo, tam imperterritus animus? Sic nimirum etiam in hac uita, mirabiles reddit dominus sanctos suos, quos ipse sanctificauit. Potentibus huius mundi ut multa possideant, plura tamen desunt. Qui uere sanctus est, in procinctu habet omnia. Dicit mundus, unde habes omnia, destitutus ab omnibus? Magna fiducia respõdet sanctus, dominus exaudiet me, quum clamauero ad eum. Habeo dominum omnipotentem, qui nusq; non audit, & quicquid opus est, imploratus suppeditat. Ex me nihil habeo, tanto magis confido, quod meum præsidium sit in tuto collocatum. Huius mundi principes, in multos annos parant sua præsidia, proceres qui pendẽt ab his, ni sibi prospexerint, sæpe frustra implorant opem sui principis. At qui totius salutis præsidium collocauit in deo, paratum habet auxilium ad omnia, tãtum clamat affectu, & exauditur. Clamorem animi nemo potest impedire. Priusquam succurrat Cæsar, multis ueredarijs, multis diplomatis est opus, & interim sæpe perit qui postulat suppetias, quæ ut ueniant, non semper seruant flagitatorem. Sanctus hic fidum ac paratum habet præsidium à domino, qui fecit cœlum & terram. Plus habet, qui dominum habet unde quicquid opus est accipit, quàm qui multorum Cœsorum opes possidet. Innumera sunt pharmaca medicorum, infinitæ mixturæ, uerum quis non eum medicum existimet feliciorem, cui sit unica panacæa, aut quinta quam uocant essentia? Veterũ fabulis proditũ est de cornu copiæ, unde petebãtur omnia. At sanctus hic uerũ habet copiæ cornu, unde nihil frustra pe-

Et scitote quoniam mirificauit dominus sanctum suum

tit, quãdoquidẽ ſanctus petit, & petit ab eo qui poteſt omnia. Sanctũ latinis dicitur, quod uiolari fas non eſt, quod genus ſunt mœnia ciuitatũ, & leges publicę. Et tamen hæc quàm libet ſancta, tamen non raro uiolantur. Cæterum ſanctum, quem dominus in ſuam tutelam recepit, nec homines, nec dæmones, nec inferi, nec ſuperi, nec mors, nec uita, poteſt uiolare. Quod enim filio dedit pater, nemo poteſt de manibus illius eripere. Deus peccatores non audit, ſanctus ſit oportet, qui uelit audiri preces ſuas. Quem pœnitet ſui, iam peccator eſſe deſijt. Habent huius mundi principes ſanctos ſuos, quos eximie charos habent, nec patiuntur à quoquam lædi, uerum hoc qui præſtent ſanctis ſuis, quod ipſi ſibi præſtare nõ queunt? Habent arces munitas, habent tormẽta bellica, habent copias, habent præguſtatores aduerſus uenenum, habent anulos magicos, habent induſia, & gladios fortunatos, ac ne his quidem præſidijs ſat tuti ſunt. Soli tuti ſunt ab omnibus malis, quos deus recepit ac ſemouit in ſuum præſidium, quos ſemouit ab hoc mundo. Quid illi faciet mundus, qui nõ eſt in mundo? Qui uere ſanctus eſt, quoniam nihil miratur huius mundi, non poteſt à mundo lędi. Corpore contingit terram, affectus in cœlis eſt. Si manſeritis, inquit, in me, & uerba mea in uobis manſerint, quodcunq; uolueritis, petetis & fiet uobis. Quis eſt tam potẽs monarcha, qui hoc uere poſſit ſuis amicis polliceri? At hoc ſuis ſanctis pollicetur is, qui poteſt quicquid uult, nec fallere quenquam poteſt. Audite ſanctum dei ſui præſidio nihil metuentem: Si deus, inquit, pro nobis, quis cõtra nos? Ex arce tutiſſima talè dictum audet iaculari aduerſus mundum. Audite alterum æque fidentem. Dominus, inquit, regit me, & nihil mihi deerit. Qui tractant Hebraicæ linguę proprietatẽ, indicant, quod interpres latinus uertit mirificauit, Hebræis ſonare ſegregauit. Deus enim qui nouit omnium corda, ſegregat frumentum à paleis, & cõdit in horreum: ſegregat piſces bonos à malis, ac reponit in uaſa. Olim ſegregabit ſuos ab omni malorum commercio. Interim ſegregat affectu, quos ſelegit ab hoc mundo, per ſpiritũ ſuũ eximens eis amorẽ rerum
Ioan. 17 fluxarum, ac rapiens in amorem cœleſtium, atq; ita ſegregando ſanctificat. Docet hoc Ioannes: De mundo non ſunt, ſicut & ego nõ ſum de mundo. Sanctifica eos in ueritate. Sermo tuus ueritas eſt. Itaq; nemo uere ſanctus eſt, niſi quẽ pater ſanctificat: neq; quiſquam uere ſegregatus eſt, niſi quem pater attraxerit ad ſe. Qui fidit ſermoni dei, iam ſanctificatus eſt, etiam ſi non omnino uacet culpa. Iam ſegregatus eſt à mundo, totus in alium mutatus hominem. Atq; ita redditur admirabilis ob ſubitam metamorphoſim, quam uident
1. Pet. 5 in eo factam, qui nõdum ſelecti ſunt è mundo, quemadmodum oſtendit Petrus in epiſtola priore. In quo admirantur, non concurrentibus uobis in eandem luxuriæ cõfuſionem. Itaq; dicunt, quid iſti accidit? unde ſic mirifice mutatus eſt? unde factus eſt ex tam feroci, tam mitis, ex tam rapaci, tam liberalis, ex tanto lurcone, tam ſobrius, ex tanto ſcortatore, tam caſtus? His admirantibus reſpondet ſanctus: Quid admiramini me factum alium? dominus qui nouat omnia me fecit aliũ. Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi. Non ſum is quem antea habebatis turpitudinis ſodalem, occidit in me dominus ueterem hominem, nec ego iam uiuo, ſed uiuit in me Chriſtus. Rogate dominum ut & uos trãsformet, & ilico ueſtra admiratio uertetur in gratulationem. Sic & diſcipuli quondam admirabãtur Paulum ex lupo ſubito factum ouem, imò paſtorem ouium. Sic deus olim admirabilem reddidit ſanctum ſuum & ſanctorum principem, quum Iudæi ſic dicerent, unde huic hæc uirtus &
Act. 4 pientia? Similiter admirati ſunt de Petro & Ioanne, quod homines idiotæ & illiterati, tanta conſtantia docerent populum. Sic admirabilem reddidit Stephanum, qui dicturus cauſam in concilio, non expalluit, non concidit uultus, non uox faucibus hæſit, ſed intuebantur uultum illius, tãquam uultum angeli ſtantis inter ipſos. Iam ne quid dicam de miraculis, quibus deus nonnunquam decorat ſanctos ſuos, non ſolum in hac uita, ſed multo magis à morte corporis: certe in illo die, quum patefiet quicquid nũc occulitur, dominus ad
Sap. 5 mirabiles reddet ſanctos ſuos, quum impij dicent: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati uitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finẽ illorum ſine honore. Ecce computati ſunt inter filios dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Itaq; rogemus dominum fratres, ut dignetur nos ſanctificare in ueritate, non ueſte, non cibo, non cæremonijs, quibus ſi nihil accedat, hypocriſim adferunt, nõ ſanctimoniam: neq; mirificemus nos ipſos, uenantes laudem & admirationem apud homines, ſed mirificet nos ille, qui ſanctificauit. Soli uere ſancti ſunt, quos ille ſanctos reddidit, cætera uanitas ac mendacium. Homines addunt mitram, pedum, cucullam, pallium, tor-

quem

quem,coronam,galerum.Hæc ſuſpiciendum reddunt apud ſtultos,& ad tempus.Domi
nus addit dotes animi,quas nemo poteſt eripere,addit operum inſignia,quæ nullus mor
talis poteſt ædere, niſi deus operetur in illo.Atq; ideo uult operari per idiotas imbecilles
& abiectos,quo maior ſit admiratio uirtutis diuinæ. Sanctus quem hic mundus ſanctifi/
cauit attingitur uerbo,& exitium molitur à quo læſus eſt,afficitur damno rei pecuniariæ,
& parat homicidium. Sanctus domini pro uirulentis conuitijs rependit fraternam admo
nitionem,exutus bonis agit gratias domino,addictus in mortẽ probroſam, orat pro mor
tis autoribus.Hæc ſunt inſignia,quæ uere mirabilem reddunt ſanctum domini. Nunc ad
cætera feſtinabimus,uos attentione ſequemini.Inter homines ſimilitudo gignit amorem,
diſſimilitudo parit odium.Itaq; fit, ut ſanctus quem dominus nouitate morum admiran/
dum reddidit,fiat inuiſus his,quibus antea ſimilitudine uitiorum fuit gratiſſimus.Hi pri/
uſquam intelligant energiam ſpiritus,iraſcuntur & indignantur deſertori & apoſtatæ ſo/
dalitatis,conantes illum conuicijs ad uetus ſodalitium reuocare, Et in his ſunt nonnunq;
parentes,qui dicunt,ni reliqueris iſtud inutile uitæ genus,abdico te. Horum iras ille tra/
ctus à domino,placide ac fraterne conatur ad pœnitentiam uertere, dicens: Iraſcimini &
nolite peccare,quæ dicitis in cordibus ueſtris,in cubilibus ueſtris compungimini.Sic ira/ *Iraſcimini & nolite peccare*
ſcitur Chriſtianus animus,ut bene uelit ijs quibus iraſcitur. Qui ſic iraſcitur non peccat.
Nec enim peccat charitas,etiam quum litigat.At mundus quum iraſcitur occidit, quum
amat corrumpit.Charitas quum amat,beneficio iuuat,quũ iraſcitur,ſanat. Reddidit do/
minus admirabilem filium ſuum, irata eſt ſynagoga,& occidit eum. Reddidit mirabiles
huius apoſtolos,& inclementer eos tractarunt Iudæi. Sic & gẽtes offenſæ nouitate rerũ,
quibus deus reddidit mirabiles quos ad ſe traxerat, indignatæ ſunt ſibi eripi deos, leges,
luxum,libidinem,& in reliquis item peccandi licentiam,ac nullum non ſęuiciæ genus ex
ercuerunt in illos. Quin & hodie carnales homines indignantur ei,quẽ dei ſpiritus tranſ/
figurauit in nouam creaturam,obiurgant,rident, perſequuntur ut hoſtem, non ob aliud
niſi quia diſſimilis eſt.Dehoneſtat,inquiunt,nos dum ſtudet uideri melior nobis,perinde
quaſi lippi indignẽtur ſano,dicantq; traducis noſtram lippitudinem tuis oculis,aut clau/
di recto,infamas nos recte ambulans, aut balbi explanate loquenti, exprobras nobis lin/
guæ uitium aliter loquens quàm nos. At re uera ſic mundus iudicatur & arguitur uita pio
rum,quemadmodum ſcribit Paulus,dum horum integritas,ueluti lux admota, prodit il/ 1.Cor.6
lorum tenebras.Idq; fit non ſolum in aulis principum,in concilijs prophanis, uerũ etiam
in collegijs eccleſiaſticis,atq; adeo in monaſterijs.Indignantur ijs,quos oportebat imita/
ri. At inter hæc quid facit ſanctus domini? Non regerit conuicia, nõ exprobrat illis ſuam
dementiam ac cæcitatem, non inuidioſe iactat ſuam felicitatem,ſed amanter inuitat ad fe/
licitatis conſortium. Quur,inquit,mihi iraſcimini,qui lædo neminem? Quod in me noua
tum uidetis,non eſt hypocriſis,dei donum eſt,unde laudem non appeto,iram nõ mereor.
Iſthæc ira peccatum habet,omnis enim qui iraſcitur fratri ſuo,homicida eſt. Si libet iraſci
ſine peccato,iraſcimini uitijs ueſtris,iraſcimini tenebris ueſtris,& amplectamini uos quo
q; donum dei,nulli non patens.Atq; huius uerſiculi duplex poteſt accipi ſenſus.Alter hic
erit:Si quid iraſcimini, ſic iraſcimini,ut ne prorumpat in maleficiũ ira ueſtra, atq; hoc mo
do non iubentur iraſci,ſed iram obortã moderari.Alter hic:iraſcimini quidẽ,at non mihi,
ſed uobiſipſis. Sic iraſcentes nihil peccabitis. Sic eſt uulgus hominum,blanditur ſuis ui/
tijs,& aliorum etiam benefacta calumniatur.Sed feliciter iracundi ſunt,qui cõſpecta alte/
rius integritate,ſibi diſplicent,ſibi iraſcuntur,ſecum rixantur ac pugnant, ſibi conuician/
tur dicentes:Infelix, ille iuuenis floret omni genere uirtutum, & tu ſenex contabeſcis in
ſordibus tuis.Miſer, ſurgunt indocti & afflati ſpiritus Chriſti rapiunt cœlum, & tu cum
tua doctrina uolutaris in carne & ſanguine. Ignaue, uirgunculæ contempta uoluptate
carnis,amplectuntur ea quæ ſunt ſpiritus,& tu barbatus ſeruis omni turpitudini.Hæc ni
mirum eſt rixa ſpiritus aduerſus carnem, quam oportet homini Chriſtiano perpetuam
eſſe.Scio quoſdam hic multa diſſerere,de motibus animi coercẽdis,quorũ primos impe/
tus negãt in poteſtate noſtra eſſe,proinde nec imputari ad peccatum,ſi modo mens & ra/
tio non aſſentiatur.Sic Auguſtinus,& alij quidam Auguſtinum ſequuti, quorum ſenten
tiam equidẽ non reprobo,tametſi quod mihi uidetur huic loco congruentius tractare ma
lui.Nec uero ad ſenſum magnopere refert, utrum legamus iraſcimini, an contremiſcite,
quod

quod admonent quidam ſonare uocem Hebræam, niſi quòd contremiſcit, qui uehementer ira commouetur. Nam impotẽs ira duo gignit in homine, pallorem ac tremorem: pallorem ob ſanguinem confluentem circa cor, tremorem ob cõcitatos ſpiritus, quod idem in nobis efficit uehemens metus. Nulla autem ira uehementior, quàm qua peccator agnoſcẽs turpitudinem ſuam, totus efferueſcit in ſemetipſum, adeo ut quidam ad laqueum aut præcipitium currant. Nullus item metus grauior, quàm quum peccator conſiderata magnitudine criminum, horret dei iuſtitiam, ac commeritam uindictam. Dicit itaq; iuſtus: Quid in me fremitis? contremiſcite in uobis, agnoſcentes infelicitatem ueſtram, & cõuerſi, deſinite peccare. Quæ dicitis in cordibus ueſtris, in cubilibus ueſtris cõpungimini. Admonet Auguſtinus, ſubaudito uerbo ſupplendam orationem. Quæ dicitis, dicite in cordibus ueſtris. Et ſane reperitur hic ſermonis tropus in ſacris literis. Tale eſt illud Pauli ad Romanos: Nõ enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neq; quę in manifeſto in carne eſt circũciſio. Subaudiendũ enim, neq; enim is Iudæus eſt, qui in manifeſto Iudæus eſt. Et tamen hic poteſt accipi ſenſus, ut nihil ſubaudiatur. Quæ irati dicitis in cordibus ueſtris, de his in cubilibus ueſtris compungimini. Ne ſequamini quod ſuggerit primus impetus iræ, ſed quod ſuadet ratio, poſteaquam rem apud uos ſeorſum expenderitis, quod in cubilibus fieri conſueuit. Cæterum quod S. Auguſtinus admonet pro compungimini legi poſſe aperimini, quod Græcus codex habeat, κατανύγητε, aut exemplar habuit mendoſum, aut deceptus eſt ſimilitudine uocis κατανοίγητε. Nam hoc ab ἀνοίγω uenit, illud à νύττω. Diuus Hieronymus uerſum hunc ſic uertit, ex Hebræorum fontibus. Iraſcimini & nolite peccare, loquimini in cordibus ueſtris, ſuper cubilia ueſtra & tacete. Dubium non eſt, quin hic loqui, poſitum ſit pro cogitare. Qui rei ueritatem ſecum expendit, cũ corde ſuo loquitur. Et qui hoc agunt, abdunt ſeſe in ſecretum cubiculi, ubi ſilent animorũ tumultus, per quos non licet quod uerum eſt diſpicere. Nam Hebræi frequenter ſilentium appellãt quietem. His atq; alijs hoc genus ſcrupis, quando non ita multũ ad ſenſum habent momenti, non torquebo ueſtros animos, ſed potius quod inſtituerã abſoluam. Quàm multos audimus ita loquentes, ubi laudatur piorum integritas, utinã deus faceret me illis ſimilẽ. Dixit tale quiddam & Balaam. In initijs ſacrorum, quàm multi tundunt pectus ſuum, ſubinde clamantes, miſerere mihi miſero peccatori. Quàm multi dicunt ſacerdoti, confiteor, peccaui, ſed dicunt ore tantum, dicunt ex frigida conſuetudine. Dicant in cordibus, compungantur in cubilibus, dicant ſibi, dicant deo, qui uidet, audit, in abſcondito. In publico raro uerum dicunt homines. Qui uere precari uult patrem cœleſtem, abdit ſeſe in cubiculum: ita quem uere pœnitet anteactæ uitæ, compungitur in cubiculo. Opinor autẽ uos hic agnoſcere tropum prophetici ſermonis. Non enim locus ſignificatur, ſed intimus cordis affectus. Eſt quidem cor abditiſſima pars hominis, quaſiq; conclaue corporis, ubi ſecretiora reponũtur, uerum eſt aliquid & corde ſecretius, quod hic cubile uocat, alioqui cor ipſum uarios habet receſſus ac ſpecus, & inueniuntur qui duplex habent cor, loquẽtes in corde & corde. Verum is demum uere compungitur, qui compungitur in cubili cordis ſui, ubi deo loquitur nõ hominibus. Dixit Dauid, peccaui domino, & miſericordiam conſequutus eſt. Dixit Saul, peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonẽ domini, nec auditus eſt, quoniã nõ dixit in corde ſuo, non cõpunctus eſt in cubili ſuo, quemadmodũ Dauid. Iraſcuntur igitur & peccant, qui uidentes proximum à turpi uita cõuerſum ad pietatis ſtudium, non ſolum ipſi non corrigunt uitam ſuam exemplo commoti, quemadmodum oportuit, ſed cui gratulari debebant, indignantur, & quem æmulari debebant, eum conantur ad relictam turpitudinem retrahere, & inde fiunt ſceleratiores, unde poterãt ſanari. Porrò qui commouentur quidem ac ſibi diſplicent exemplo proximi nonnihil compuncti, ſed mox relabuntur in priſtinum affectum, hi quod dicunt, non dicunt ex corde, nec in cubilibus ſuis compunguntur. Rurſus huic uerſui ſubijcitur ſignũ Sela, de quo diximus, admonens nos, hanc ſententiam non eſſe leuiter prætereundam. Vtinam ſpiritus cœleſtis motis animi noſtri fidibus eiuſmodi concitet harmoniam, ut penitus omnium noſtrum mentibus inhæreat, nec unquam excidat ſemel infixa: quãdoquidem in hoc ſita eſt felicitas noſtra, ut ſalubriter iraſcamur uitijs noſtris, & fraternæ correctioni gratulemur: ut confiteamur noſtram iniuſtitiam, ac dei miſericordiam imploremus, ſed confiteamur in cordibus noſtris, & compungamur, ſed in cubilibus noſtris. Nihil moratur dominus mutatã ueſtem,

aut

aut attenuatum uultum, cor intus contritum & afflictum intuetur. Nemo noſtrum eſt, quin habeat quur ſibi iraſcatur, quur ſecum in corde rixetur, quur in cubili ſuo cõpungatur, ne putemus hæc ad eos tantum pertinere, quorum uita magnis ac manifeſtis criminibus infamis eſt. In q̃ multis quotidie labimur, c̃p multa prætermittimus oſcitantes, quæ li cuiſſet operari, quot modis imperfectum eſt hoc ipſum, quod recte gerimus. Quod ſi qui ſunt inter uos ob grauium criminum cõſcientiam graui corde, qui hactenus dilexerũt uanitatem & quæſierunt mendacium, ſi commoti huius pſalmi harmonia, cœperunt iraſci ſibi, ſi loqui in cordibus ſuis, ſi compungi in cubilibus ſuis, attẽti audiant quod ſequitur, ut ſciãt quibus rebus perfici ualeat quod cœptum eſt. Sacrificate ſacrificiũ iuſtitiæ. Olim holocauſtomatibus placabatur deus. De his ſacrificijs intelligi poterat hic uerſiculus, niſi addidiſſet ſacrificiũ iuſtitiæ. Quid autem ſit ſacrificium iuſtitiæ beatus Auguſtinus biſariam interpretatur, uno modo de pœnitentia, per quam homo ſibi totus diſplicens, immolat ſe ipſum in holocauſtum domino, de quo ſacrificio loquitur pſal. 50. Sacrificium deo ſpiritus contribulatus. Quur autem hoc ſacrificium iuſtitiæ dicatur, reddit hanc cauſam, quod nihil eſſe poſſit iuſtius, quàm ut ſuis quiſq; peccatis iraſcatur, potius quàm alienis, ac de ſe uindictam ſumat potius quàm de alijs. Recte quidẽ hæc Auguſtinus, mea quidẽ ſententia, niſi quod iuſtius eſt, ut qui uidet fratrem ad nouitatem uitæ conuerſum, laudet in illo donum dei, & ſic agnoſcat malitiam ſuam, ita enim deo tribuerit quod illi debetur, & ſibi ſumet quod debetur peccatori, hoc eſt tribulatio & anguſtia. Nihil autem iniuſtius, quàm ſi quis peccatis undiq; madens, efferat ſeſe quaſi iuſtus ſit, ac dei miſericordia non egeat, & proximo indignetur, qui ſe retulerit ad frugem meliorem. Altero modo ſic interpretatur, ut ſacrificium iuſtitiæ ſentiamus eſſe opera iuſta, quæ fiunt poſt pœnitentiam, quemadmodum in Euangelio Ioannes baptiſta Iudæos ad baptiſmũ cõfluentes hortatur, ut faciant fructus dignos pœnitentiæ. Poſteaquã enim exciſa eſt arbor mala, & conſita eſt arbor bona, par eſt ut pro malis fructibus, proferat fructus bonos. Fructus mali ſunt opera carnis, opera bona ſunt fructus ſpiritus. Iraſci primus eſt gradus ad homicidium, dicere conuicium, gradus eſt propior, iam ira certa concepta deſtinare in animo quibus modis occidendus ſit quem odiſti, proximum eſt homicidio. Iudæorum ſacrificium erat mactatio pecudis. Chriſtianorum ſacrificium eſt, mactare ueterem hominem, cum actibus ſuis. Primum igitur peccator accenſus mutati fratris exemplo iraſcitur ſibi. Iram ſequitur iurgium, quum ſibi diſplicens loquitur in corde, mox concipit certum propoſitum occidẽdi ueterem hominem, eum iugulatum pœnitentia, ſepelit in baptiſmo, iamq; nouum hominem pro uetere renatũ imponit in altare fidei, diuino igni hoc eſt ſpiritu ſancto comprehendendum. Per baptiſmum enim ac fidei profeſſionem abluebãtur peccata, per ſpiritum ſanctum unicuiq; iuxta menſuram fidei diſtribuebantur dona bene operandi, quemadmodum Paulus eleganter docet, prioris ad Cor. epiſt. cap. 12. In mutanda uita duo ſunt, relinquere quod eras, & incipere hoc eſſe quod nõ eras. Itaq; ſuſpicatur ſanctus Auguſtinus hoc loco additũ diapſalma non aliud ſignificare quàm quod phyſicis eſt priuatio, hoc eſt tranſitum quendam ab eo, quod eſſe deſinit, ad id quod incipit. Hoc tamen uir ille modeſtiſſimus ut coniecturam, non ut ſententiam proponit his utens uerbis. Nam & interpoſitum diapſalma non abſurde fortaſſis inſinuat, etiam tranſitum de uita ueteri ad uitam nouam. Atq; utinam hanc modeſtiam imitentur omnes qui ſacras literas interpretantur. Audite aliud modeſtiæ argumentum, ut extincto, inquit, uel infirmato per pœnitentiam ueteri homine. Non auſus eſt dicere, quod dixit Paulus: Mortificate membra ueſtra quæ ſunt ſuper terram, quod in hac uita nullus inueniatur planè mortuus peccato. Hæc Auguſtinus hauſerat ex afflatu philoſophiæ mundanæ, quæ conatus eſt ad ſcripturæ diuinæ ſenſum accommodare. Contra Stoicos ubiq; fortiter pugnat, qui defendebant in ſapiente ἀπάθειαν. Eiuſdẽ afflatus ſunt, quæ mox ſubnectit, gradum ſtruens ad ea quæ ſequuntur: Multi dicunt quis oſtendit nobis bona, de bonis internis, quæ ſola diligenda ſunt, quum cæteris ſit ad neceſſitatem utendum, non ad gaudium perfruendum. Quanquam fateor ea quæ à Peripateticis ac Stoicis diſſeruntur de gradibus ac diſcrimine bonorum, non abſurde diſſeri, tamen congruẽtius arbitror ſacras literas exponi per ſacras literas, ne degeneremus à ſpiritu diuino, ad humanũ ingeniũ. Paulus apoſtolus ubiq; clamat hominẽ non ex operibus iuſtificari, ſed ex fide. Quanq; uera fides ocioſa non eſt,

ſed

ſed per dilectionem operatur. Quod ſi noſtra opera mala ſunt, arguũt fidem inſynceram eſſe. Proinde ſacrificant ſacrificium iuſtitiæ, qui diffiſi ſuis uiribus, ſuæ ſapientiæ, ſuis factis, toto pectore fidunt promiſſis diuinis, nihil hæſitantes, aut diſputantes de præmió: quemadmodum Abraham quum accepiſſet promiſſionem à deo, quod eſſet futurus pater multarum gentium, quodq; per ipſius poſteritatem, gentes omnes conſequerentur benedictionẽ, poſtea iuſſus mactare filium unicum Iſaac, in quo ſolo ſpes erat poſteritatis, non hæſitauit, apud ſeſe murmurans, ubi promiſſum ſi hunc iugularo? ſciens & ueracem & omnipotentem eſſe qui promiſerat. Ita qui fidem hauſerunt euangelicam, primum credunt ſibi redditam innocentiam per mortẽ Ieſu Chriſti, hæc eſt una iuſtitiæ pars. Verum quoniam non ſatis eſt uacare culpa, niſi ſuccedant fructus bonorum operũ, quæ fides per dilectionem operatur, poſt gratis datam innocentiam, quæ fit abolitis peccatis, rurſus iubemur ſacrificare ſacrificium iuſtitiæ, proferẽtes in proximum ex fide fructus bonorum operum, quæ tum ſacrificamus deo, quum inde nobis nihil arrogamus, quod ex dei largitate proficiſcantur omnia. Id quale ſit quo planius explicem, arborem frugiferam conſiderate. Radix fides eſt, ea ſe ualida rectaq; ſtirpe ſubrigit in deũ. Mox charitas dilatat ramos in utilitatem proximi, uelut inuitans omnes ut decerpant quod natum eſt. Et adeo ſe demittit arbor in uſum hominum, ut nõnunquam ramis pomorũ pondere grauatis contingat terram. Itaq; radici debetur, quicquid producit arbor, etiam ſi fructuum ſuauitas arguit radicem bono ſucco plenam. Porrò quoniam noſtra radix, donum eſt dei, & donum gratuitum, quicquid hinc naſcitur diuinæ benignitati debet acceptũ ferri, atq; hoc ipſum eſt ſacrificare ſacrificium iuſtitiæ, non uindicare nobis, quod noſtrum non eſt, nec fraudare deum laude gloriaq; debita. Itaq; nec philoſophi qui ſibi pollicentur ſummum bonum ex naturæ uiribus, ſacrificãt ſacrificium iuſtitiæ, nec Phariſæi qui ſuis meritis attribuunt laudem iuſtitię. Quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt autore Paulo. Iam uidere eſt quoſdam, ubi correpti fuerint pœnitentia uitæ prioris, proficiſci Hieroſolymam, aut nauigare Compoſtellam, quaſi hoc ſit ſacrificare ſacrificium iuſtitiæ. Non interim in totum dãno tales profectiones, ſed tamẽ uereor ne fallantur, qui ex his ſibi pollicẽtur iuſtitiam. Si deus cuiq; ex talibus promiſit iuſtitiã, fidendũ eſt: ſi nõ promiſit, nõ eſt ex fide quod agitur. Idẽ ſentiendũ arbitror de his, qui perteſi uitã priſtinã addicunt ſeſe collegijs Benedicti norũ, Frãciſcanorũ, aut Cartuſienſiũ. Nõ dãno uitę genus, ſed illos damno, qui ueſte, qui cibo, qui pſalmis, cæteriſq; cæremonijs freti nõ ſacrificãt ſacrificiũ iuſtitię, ſed phariſaicis potius ſacrificijs gloriantur. Qui turpiter uiuũt, impudenter ſperant in domino, hoc ſibi pollicẽtes, quod deus promiſit alijs. Rurſus male ſperant, etiã ſi bene uiuãt, qui ſpẽ ponũt in meritis ſuis. Tu præſta quicquid potes, ſed interim ſpẽ ponẽs in domino, nõ in quouis homine, multo minus in te ipſo. Non ſperat in domino, niſi qui omnibus rebus diffidens, omnem ſalutis fiduciam collocauit in domini promiſſis & miſericordia. Sed non omnium eſt fides, imò paucorum eſt uera fides, ideo multi dicunt, quis oſtẽdit nobis bona? Ita Petrus adhuc carnalis: Domine ecce reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo dabis nobis? Non ſacrificant ſacrificium iuſtitiæ, qui penſitatis meritis ac præmio uelut ex pari agunt cũ deo. Non colitur gratis deus, & tamen non ideo colendus eſt ut auferamus mercedem, ſed quoniam ipſe ſuapte natura dignus eſt qui colatur ab omnibus. Quiſquis recte colit deum, habet deum, quid autem non habet qui deum habet? An is exiguum habet prẽmium? Sic loquitur in Geneſi ad Abraham patrem omnium deo fidentium: Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Sed qui dicunt, quis oſtendit nobis bona? non ſat habent audire promiſſa, uidere uolunt quod audiunt. Hanc fidem oculatam uocant, quum id creditur, quod mox exhibetur. Itaq; iuxta ſenſum hunc, hic ſermo pertinebit ad eos qui diffidunt promiſſis dei. Nam poteſt & ad eos referri, qui deſperant uitę correctionem, uel ob peccatorum multitudinem ac magnitudinem, uel ob inueteratam peccandi conſuetudinem. Hi dicunt cum Cain, maius eſt peccatũ noſtrum, quàm ut ueniam mereamur. Item illud Hieremiæ: Receſſimus non ueniemus ultra ad te. Qui diffidunt promiſſis dicunt, non ueniet dominus, nec erit ullũ diſcrimen inter iuſtum, & iniuſtum à morte corporis. Et hi qui colunt dominũ, qua re potiores ſunt nobis? Non eximuntur à publicis malis, fulmina, naufragia, terræmotus, peſtilentias, famẽ, bella, morbos, ſenium æque patiuntur atq; nos. Imò nulli uiuunt afflictiores his, qui ſe tradiderunt

Et ſperate in domino

deo

deo. Aduersus has impias uoces magna fiducia respondet iustus, certam esse spem omnibus, si modo cordis oculos erigant ad signum diuinæ clementię, quod omnibus sublatum est. Qua de re quoniam ante satis copiose dictum est, non onerabo uestras aures ijsdem repetendis, tantum admonendi estis, ut quæ dicta sunt, infigatis animis uestris, conceptaq; spe ueniæ de misericordia dei, ne dubitetis tollere crucem domini, quæ licet habeat amaritudinem suam ob pœnitentiam malorum, tamẽ habet eadem dulcedinem suam ob dolori succedentem lætitiam, quemadmodum ex amaro pharmaco nascitur perpetuum gaudium restitutæ sanitatis. Accipite cum fiducia iugum domini, quoniam lõge suauius est, quàm iugum huius mũdi. Gustate quod suauis est dominus, & fatebimini beatum quisquis sperat in eo. Paulus in medijs afflictionibus clamat: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Hoc gaudium infundit animis piorũ spiritus Iesu Christi, qui nobis datur uelut arrabo promissæ felicitatis in resurrectione iustorum. Mouebit fortasse uos subito mutatus numerus. Signatum est super nos, & dedisti lætitiam in corde meo. Omnibus erectum est signum, sed non omnibus datur lætitia. Ergo solus qui oculos fidei intenderat in hoc signum, dicit: Dedisti lætitiam in corde meo. Dat & hic mundus suã lætitiam, sed temporariam: dat enim in auribus, dat in palato, dat in gula, dat in uentre, & in his quæ uentri subnecțuntur, dat in uestibus, & ædificijs: at solus dominus dat in corde. Arcanũ est gaudiũ, & ideo non potest ab hominibus eripi. Qui nunc male gaudent cum hoc mundo, amplectantur salutarem pœnitentię dolorem, ut cũ hanc lætitiam senserint in corde suo, aũdeant sperare lętitiam uitæ cœlestis, quæ quũ sit inæstimabilis etiam finem nescit. Huius lætitiæ qui gustum ceperit, non inuidebit mundo sua gaudia, sed clamabit cũ Petro, domine quo ibimus, uerba uitæ habes. Ac rursum: Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Hic enim requiescit animus piorum, quum interim qui mundum sectantur, longe alijs in rebus quærãt solatium. A fructu, inquit, frumenti, uini & olei sui multiplicati sunt. Sequar enim interim S. Augustini commentum, ut hic uersus pertineat, non ad pios, sed ad impios, qui diligunt uanitatem & quærũt mendacium. Cæterorum animantium unumquodq; quum id contigit, quod appetit natura, conquiescit nec aliud desiderat. Solius hominis animus in hac uita nunquam acquiescit, quia nondum contigit illud summum bonum, quo solo potest animus hominis expleri. Cæterum qui quietem petunt à bonis huius mundi, quo maiore studio id faciunt, hoc longius absunt à uera quiete, sed grauioribus curis inuoluuntur. Etenim, quum scopus honesti sit simplex, uarius tamen error est ab hoc deflectentium. Itaq; fit ut tentatis omnibus, quæ specie magni boni blandiuntur, dum animũ sentiunt his omnibus fieri irrequietiorem, semper cogantur dicere, quis ostendit nobis bona? Dum enim quęrunt multa bona quę uere bona non sunt, aberrant ab uno illo, quod uere bonum est, ac solum tranquillare potest hominis animũ. Nam hæc bona, quæ sensibus corporis percipiuntur, præterquam quod nec explent animum, quamuis auide fruentis, sed usq; sitim sui ipso usu prouocant, multis amaritudinibus infecta sunt, ut si subducas rationem, longe plus aloes ibi comperias q̃ mellis. Ergo posteaq; animus per omnia uagatus, nihil aliud deprehendit in humanarum rerum prælidijs, quàm uanitatem & afflictionem spiritus, tandem fessus colligit sese ad simplicitatem, ac diffisus omnibus huius mundi bonis simulq; cõemptis omnibus malis, per fidem Euangelicam totum se tradit deo, iamq; in uno quietem inuenit, quam in multis inuenire non poterat. Itaq; quod hic dicit multiplicati sunt, non significatur ubertas bonorum, sed distractio curarum. Nam & Græca uox ἐπληθύνθησαν declarat nõ ampliatas res, sed ipsos homines creuisse numero. Quemadmodũ autem miserum est unum corpus in multa mẽbra dissecari, ita miserum est animum sic in uarias curas distrahi, ut non unus animus sibi constans, sed plures animi uideri possint. Et ideo Paulus mulierem quæ nupsit uiro, diuisam appellat, quod nõ liceat totam uacare domino, sed in obsequium mariti, liberorumq; curã distrahatur, quum uirgo tota semper adhęreat domino, nec ab eo uarijs curis abstrahatur. Nec dissimile est quod Martham legimus in multa distractam, quum unũ esset necessarium. Vnum illud pro multis elegerat Maria, & ideo sedet nõ ambulat, & quiescit ad pedes domini. Augustinus huc etiã illud adfert ex libro sapientiæ: Corpus quod corrumpitur aggrauat animã, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Frumentum autem uinum & oleum intelligi uult, nõ solum hæc

A fructu frumenti uini & olei.

quæ nominantur, sed omnium rerum temporalium copiam, quibus hoc est peculiare, ut animum possidentis & amantis miseris curis discerpant, itaq; obstant, quo minus impleri possit, quod eodem in libro præcipitur: Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Declarat hoc ipsum Euangelica parabola de semine, quod à spinis suffocatum est. Spinas autem ipse dominus interpretatur diuitias uarijs ac molestis curis obnoxias. Fides autem resecat huiusmodi multiplices curas, & hominẽ simplicitati redditum colligit in deum. Quoniam autem maxima pars hominum distrahitur his rebus, quæ pertinent ad splendorem aut commoditatem uitæ, in quibus primas tenent diuitiæ, quæ largiri putantur omnia, ideo sub harum nomine potissimum significãtur omnia, quę curis inanibus mentem amouent ab eo, quod solum amandum est, ueluti psalmo centesimo quadragesimotertio. Promptuaria eorum plena, oues eorum fœtosæ &c. psalmus ita claudit, beatum dixerunt populum cui hæc sunt, beatus populus cuius dominus deus eius. Multa itaq; nõ beant hominem, sed distrahunt, at deus qui unus est, solus beat. Item psal. 72. Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Rursum Paulus scribens Timotheo, copiose declarat hanc erumnosam multiplicationem, in quam incidunt homines, quum diffisi diuino præsidio, confugiunt ad præsidia mundi, existimantes quęstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possimus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contẽti sumus. Nã qui uolunt diuites fieri incidunt in tentationẽ, & in laqueum diaboli, & desideria multa & nociua, quæ mergũt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ò homo dei hæc fuge. Qui terrena appetit, multitudinem appetit, & ideo distrahitur in multa, & inuoluitur doloribus multis, quoniam aberrat à fide, quæ nos à multis in unum colligit, sed hæc fugit homo dei, qui fidens uni, negligit illa multa. Simplex est ueritas, ab hac quisquis aberrarit, in multa distrahitur. Hoc erat quod Paulus metuebat Corinthijs: Despondi, inquiens, uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo, timeo autem, ne sicut serpens decepit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus uestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Christus ueritas est, unde qui excidit, iam simplex esse desijt. Quemadmodum autẽ sponsa tota pendet à sponso potenti, ita quid opus est ut anima Christiana, quæ sponsum habet omnipotentem, ab uno discedat, & in uarias sollicitudines distrahatur? Itaq; qui spiritualis est, & in se ipso sentit esse boni gustum quod quæsiuit, dicit, dedisti lætitiam in corde meo. At isti multi, qui multis distrahuntur, nec unquam satiantur, semper dicunt, quis ostẽdit nobis bona? Cũq; iam contigit affatim quod amauerunt in hoc mundo, dicunt cũ Euangelico diuite, qui cogitans de dilatandis horreis, loquitur sibi: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Quoniam autem stultus ille maluit sperare in incerto diuitiarum, q̃ in promissis euãgelicis, non inuenit requiẽ, quã sibi promittebat. Hęc nimirũ erat illa multiplicitas à fructu frumẽti uini & olei, sic ut horrea essent angusta rerum copiæ. Habebat multa bona, sed uno carebat, quod solum adfert quietem animi, non in hac quidem uita perfectam, sed in futuro perficiendam. Hoc bonum qui gustauerit, fidens domino, in pace in id ipsum dormit ac requiescit, uidelicet alienatus a sensu rerum temporalium, & oblitus omnium quæ sunt huius mundi, conquiescit in terra spe rerum æternarum. Est enim somnus imago quædam mortis. Pro hac animi quiete, quam mundus dare non poterat, propheta gratias agit deo, cuius gratia semouerit ipsum à multitudine ac turba nascentium rerum ac morientium, ac singulariter, hoc est simplicitati redditum seposuerit, tribuens illi tutam ac tranquillam sedem, non alibi quàm in spe quietis æternæ. Iuxta sensum hunc diuus Augustinus totum hunc Psalmum interpretatur confessionum suarum libro nono. Psalmos enim legit catechumenus, cum Alypio catechumeno, hoc uero psalmo singulariter se commotum fuisse scribit. Et alias libenter philosophatur, de homine qui rerum temporalium amore diffluit in multa, per fidem in unum redigitur. Atq; hæc quidem omnia pie sane dicuntur ab optimo uiro, uerum an hic sit germanus huius psalmi sensus incertum est. Optandum quidem esset necubi dilaberetur intellectus noster ab eo sensu quem diuinus ille spiritus recondidit in arcanis literis, uerum quoniam hoc huic uitæ datum nõ est,

1. Tim. 6

2. Cor. 11

certe

certe proximũ est, ut si quid erremus, feliciter erremus. Mihi non constat an hic errauerit Augustinus, sed si errauit, errauit catechumenus, & feliciter errauit, hoc somnio transformatus ad meliora. Vtinam similiter erremus omnes, ut sic interpretãtes hunc psalmum, auersemur huius mundi uanitatem, & colligamur in idipsum, hoc est in simplicitatem fidei. Nos his omissis persequemur sensum à ueteribus nobis traditum, sed interim deprecantes, ut si quid ab illis etiã aberratũ est, dignetur Iesu spiritus aperire mysterium, quod hactenus distulit. Potest enim ille spiritus amator humilium, aperire paruulis quod magnis celatum esse uoluit. Est enim ea sacrarum scripturarum, uelut inexhaustæ uenæ fœcunditas, ut semper eruatur aliquid, nec unquam desit, quod scruteris. Igitur quod diuus Augustinus retulit ad carnales, nos referamus, ut cœpimus, ad spirituales. A fructu frumenti uini & olei sui multiplicati sunt, quæ uerba si accommodentur ad Euangelij prouentum, qui sacrificijs Iudæorum abolitis per uniuersum terrarum orbem dilatatus est, communione sacri panis & calicis domini, & unctione spiritus, nihil est difficultatis. Verum hoc nunc agimus, quomodo sensus horum uerborum ad perpetuum omnium Christianorum profectum queat accommodari. Id quanquam ante tentauimus obiter, tamen nunc fusius & crassius conabimur explicare. In huius mundi bonis communio quam hic multiplicationem uocat, parit inuidiam. Auidus negociator optaret quæstum esse apud paucos, & ideo redimit monopolia. Qui ambiunt sponsam oderunt procorum multitudinem. Qui se uenditant professione philosophiæ, dolent esse plures, qui laudantur eodem titulo. At rerum spiritualium longe diuersa natura est. Quisquis harum aliquam portionem consequutus est, dolet non omnibus esse commune quod habet, pro se quidem agit gratias, sed interim gaudet uinci à pluribus. Agit itaq; gratias uir pius, quod in desperatis rebus humanis erectum sit omnibus signum bonæ spei dicens: Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Mox uidens hoc signum multis fuisse saluti, gratatur ac dicit, dedisti lætitiam in corde meo. Nam uera charitas magis gaudet de cõuersione peccatorum, quàm de sua salute. Perinde igitur ac si quis interrogasset, unde ista cordis tui lætitia? Respondet: A fructu frumẽti, uini, & olei sui multiplicati sunt. Nec arbitror prætereundum, quur Hebræus dixerit in tempore siue à tempore, quorum illud uertit Hieronymus, alterum legit Augustinus, pro quo septuaginta transtulerunt, à fructu. Equidẽ existimo significari fructum suo tempore redditum, quo sensu psalmo primo beatus uir cõfertur ligno plantato iuxta decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo. Habet spiritualis in Christo generatio suos uelut ætatum gradus, ac profectus, habet infantiam, quæ lacte confouetur, nondum patiens solidi cibi. Interim paruuli sumus in Christo, donec ueniet tempus quo pane doctrinæ perfectioris iam corroboratur animus noster, quo uino charitatis hilarescit cor. Nihil enim amanti difficile, sed amor cõdulcat omnia. Ex fide robur, ac firmitas est animi. Nam panis ille uiuus & efficax fide sumitur. Fidei iũcta est charitas quæ sobriam adfert ebrietatem, usq; ad uitæ quoq; cõtemptum: uinum autem exhilarat cor iuxta psalmum alium, & oleum exhilarat faciẽ. Huius uini uis facit, ut in medijs afflictionibus spirituali gaudio gestiat animus. Oleum facit, ut quamuis multis degrauati curis, tamen erga proximum comes simus, & affabiles. Non mirum si Iudæorum animi macilenti sunt & exucci, exiles & imbecilles, quum hordeum adhuc arrodãt, si mœrent, quum adhuc bibant aquam, quam Agar accepit in solatium peregrinationis, si parum comes sunt erga proximum, quum exterminent facies suas hypocrisi, nec habeant oleum quo faciem exhilarent. Nos qui uescimur pane filiorum, qui bibimus mustum efficax, in quos effusum est oleum gaudij spiritualis, debemus esse fortes aduersus huius mundi mala, ac tales quales in epistola describit Ioãnes: Scribo uobis iuuenes, quia sermo dei in uobis manet & fortes estis, & uicistis malignum: simus in nobis spe gaudentes, erga proximum cum hilaritate benefici, talem enim datorem diligit deus. Ieiunent Iudæi, qui frumentum euangelicæ doctrinæ respuunt, qui bibunt aquam insipidæ literæ, nos habemus panem longe præstantiorem manna, qui de cœlo descendit, ac præstat immortalitatem. Nos inebriamur ab ubertate domus dei, quibus per Iesum aqua uersa est in uinum optimum, & habemus uitem ueram, hoc est frumentum & uinum de quo loquitur Zacharias: Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & uinum germinans uirgines? Electi sunt iuuenes in Christo, grandes & robusti, qui tenent

ſanam doctrinam & utilem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum ad erudien-
2. Tim. 3 dum in iuſtitia, ut perfectus ſit homo dei, ad omne opus bonum inſtructus. Virgines au-
tem quas gignit hoc uinum, ſunt incorruptæ mentes quæ ſemper canentes canticum no-
uum, ſequuntur agnum quocunq; ierit, de quibus meminit pſalmus quadrageſimusquar
tus: Adducentur regi uirgines poſt eã, proximæ eius afferentur tibi, adferentur in lætitia,
& exultatione. Qui fieri poteſt ut non gaudeant filij ſponſi, qui nũquam à ſuis diuellitur?
iuxta ſenſum communem uinum non conuenit uirginibus, nec gignit uirgines, ſed magis
corrumpit uirgines. At uinum quod reconditum eſt in cellis ſponſi noſtri, quo largius bi-
bitur hoc reddit caſtiores. Guſtarat hoc uinum, quæ loquitur in canticis: Introduxit me
rex in cellam uinariam, ordinauit in me charitatem. Sunt autem & inter Chriſtiani no-
minis profeſſores, qui quoniam ſemper paſcuntur paleis & ſiliquis cæremoniarum, & a-
quam bibunt literæ, ſemper manent imbecilles ac triſtes. Ac uereor ne quod Paulus obij-
cit Corinthijs, nobis quoque dici poſſit: Ideo multi in uobis inualidi & ægroti, & dormi-
unt multi, quod dum indigne ſumunt de pane dominici corporis, & indigne bibunt de
poculo dominici ſanguinis, pro robore imbecillitatem, pro uita mortem accerſunt ſibi.
Probet igitur unuſquiſque ſe ipſum, & ſic de pane illo edat, de calice bibat, quo uegetus
& alacer euadat in Chriſto. Eadem de cauſa fit, ut multi quum quotidie legant, audiant,
cantent ſacras literas, tamen nec corroborantur ſpiritu, nec incaleſcunt uino charitatis,
ſed perpetuo ieiuni manent ac triſtes, quia quod labijs deguſtant, non auide deuorant,
non trajciunt in animi uiſcera. Edamus omnes hoc frumentum, bibamus hoc uinum
ſicut oportet, ut & ipſi cum propheta poſſimus dicere: A fructu frumenti uini & olei ſui
multiplicati ſunt. Nec obſtat huic ſenſui, quod nunc tanta ſit paucitas uere Chriſtiano-
rum, quæ iam pridem decreuit, & hodie magis ac magis indies uidetur decreſcere. Si ſpe-
ctes puſillum gregem unde cœpit religio Chriſtiana, mox ſupputes per orbem terra-
rum tot examina martyrum, uirginum, & confeſſorum, intelliges unumquemq; pium
hominem non abſurde dicere: A fructu frumenti & olei ſui multiplicati ſunt. Pauci ſunt
ſi conferantur ad turbam eorum qui dicunt, quis oſtendit nobis bona? ſed tamen latius
increuerunt, quàm quiſquam potuiſſet credere. Nec dubito, quin ſit in orbe quibus me-
rito gratulemur plures q̃ nouit uulgus. Latitant enim in medijs paleis grana Ieſu Chri-
ſti. Hæc multitudo, quæ ex paruis initijs nata, inter tumultus perſequentium tot iam ſe-
culis quotidie propagatur, declarat certam eſſe fidem Euangelicorum promiſſorum, quę
pijs interim guſtantur, cæterum apparebunt in aduentu domini. Tanta igitur ſanctorum
multitudine confirmatus unuſquiſque noſtrum dicere poteſt: In pace in idipſum dormi-
am & requieſcam. Porrò quod beatus Auguſtinus annotauit de addito pronomine, ſui,
quaſi diſtinguatur panis qui de cœlo deſcendit, à pane humano, & uinum dei, de quo ſcri
ptũ eſt pſalmo trigeſimoquinto. Inebriabuntur ab ubertate domus tuę, à uino hominum
in quo eſt luxuria, & oleum dei de quo ſcriptum eſt: Vnxiſti eum oleo lætitiæ, prę conſor
tibus ipſius, ab oleo de quo loquitur alius pſalmus: Oleum peccatoris non impinguet ca
put meum, ut fateor erudite pieq; dici, ita non congruunt ad hunc ſenſum, quem perſequi
mur. Omnes petimus quotidie panẽ à patre cœleſti, qui nos uegetos reddat in Chriſto,
quotidie petimus muſta diuini ſpiritus. Pronomen autẽ ſui diſtinguit annonam ſpiritua-
lem, ab annona huius mundi. Habet hic mundus ſuum prouentum, primum fallacem, de
inde non exhilarantem animũ. Qui ſe deo totos dediderunt, habent aliud annonæ genus
unde quotidie multiplicantur, & multiplicabuntur uſq; ad conſummatio nẽ mundi. To-
ta autem hæc multitudo unum corpus in Chriſto Ieſu, ex multis conflatur in unum com
munione corporis & ſanguinis dominici, quemadmodum ad Corinthios ſcribens docet
1. Cor. 10 Paulus: Calix benedictionis quem benedicimus nõne communicatio ſanguinis domini
eſt? panis quem frangimus nónne communicatio corporis domini eſt? quia unus panis,
unũ corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. Nec ab-
ſurdũ eſt quod eadẽ res nos plures reddit & unum. In corpore naturali mẽbra grandeſce
re poſſunt, numero nihil poteſt accedere. In corpore myſtico ſecus eſt, quod hoc magis fit
unum quo pluribus mẽbris fit numeroſius. Significant hoc ipſa ſacramẽta, quibus fœde
ramur. Granũ à grano ſeparare potes, uerum ubi ex multis granis cõmolitis ac maceratis
coijt panis, non potes aliud ab alio diſcernere. Sic uuã ab uua licet ſeparare, ubi ex multis

uuis

uuis confluxit uinū, non est quod separes. Hoc & de oleo dici potest, quod ex multis bacis in idem cōfluit. Omnes eodem oleo sumus uncti, siue reges, siue plebei, siue serui, siue liberi, siue docti, siue indocti, siue Græci, siue Barbari, siue uiri, siue fœminæ, omnes ex eodem pane uescimur, de eodem poculo bibimus. Respondeat charissimi, respondeat uita nostra, sacramentis nostris. Qui eodem unguntur oleo, eodem uescuntur frumento, idem bibunt uinum, idem sentiant, idem credant, idem agant, sicut decet eiusdē corporis membra. Quid prosunt sacramenta fœderis, si non adsit animorum coniunctio? Quorsum autem attinet hic deplorare, quod sæpe deploratum est à nobis, sic tot seculis Christianos inter se bellis, odijs, iurgijs, opinionibus conflictari, ut nec Turcæ crudelius, nec feræ immitius? Atq; horum dissidiorum, nec modus est nec finis. Et tamen interim uidemur nobis Christiani, ac Turcis dira minitamur. Sed facessant querimoniæ quo psalmum absoluamus. Is qui uere pascitur frumento doctrinæ sacræ, qui uere bibit de uino, quod nobis miscuit diuina sapientia, qui uere unctus est oleo spiritualis lætitiæ, is perseuerans in ecclesię concordia, nulli molitur malum, sed de bonorum profectu gratulās, ac malorum iniurias negligens, dicit: In pace in id ipsum dormiam & requiescam. Quod latinus interpres reddidit in id ipsum, Græce est ἐπὶ τὸ αὐτό, quod alias reddere solet in unum. Idq; nonnunquam refertur ad locum, in quem eundem plures conueniunt, quemadmodū primi Corinthiorum undecimo. Conuenientibus uobis in unum. Item Actorum secundo. Erant omnes pariter in eodem loco, quod est, ἐπὶ τὸ αὐτό, uertit in eodem loco. Nonnunq; pertinet ad consensum animorum, uelut Roma. duodecimo. Id ipsum in inuicem sentientes τὸ αὐτό. Rursum psalmo centesimotrigesimosecundo: Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in unum, ἐπὶ τὸ αὐτό. Quanquam ille ipse multorum communis locus, concordiæ symbolum est. Nunc illud tantum restat, quod attigimus ante, repetendo uestris animis infigere, non sine causa bis idem dictum: In pace, & in concordia. Quicūq; Christianus uelit feliciter obdormiscere, necesse est ut habeat geminā pacē, alteram cum deo, alteram cum ecclesia siue cum proximis. Peccata serunt inimicitiam inter deū, & homines. Hanc abolens Christus, sarcit pacem. Hæc est pax quam mundus dare non potest, sed potius dirimit, eadem est quam Paulus toties precatur suis, gratia & pax à Deo patre & Iesu Christo domino nostro. Hæc pax non est impijs, quantumuis clament pax, pax. Quisquis enim est impius, bellum habet cum deo, pacem cum Belial. Nullum autem fœdus intercedere potest inter Deum & Belial. Quoniam autem summus & æternus consensus est inter Christum & patrem, quoniam unum sunt, non potest idem esse cum patre, qui non sit idem cum filio. Orat hoc Christus apud Ioannem decimoseptimo: Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Pacem habet cum deo, qui totam uoluntatem suam submittit uoluntati diuinæ. Quid autem uelit ille declarauit præceptis suis, & si quid in his aut alijs in rebus extiterit, quod noster intellectus non assequatur, uelut quum affligimur aduersis, non apparente causa quur affligamur, semper dicamus, fiat uoluntas domini, hoc est in pace, cui adhæret in id ipsum. Pax ad nos uenit, ut autem accedat in id ipsum, necesse est ut inter nos congregemur in unam ecclesiam, uelut in domum omnium qui Christi sunt communem, deinde singularem frater cum fratre pacem habeat: Et hæc inter se natura cohærent. Nam qui potest habere simultatem cum filio, qui pacem habet cum patre? aut qui potest habere pacem cum capite, qui bellum ciuile habet cum membro capitis? Neq; cum deo neq; cum filio & spiritu sancto pacem habet, cui conuenit cum peccato, neq; cum ecclesia, quod est Christi corpus pacem habent schismatum & hæresium autores, neq; cum proximo, qui uindices & amantes sui, non queunt ferre proximorum infirmitatem. Christus plus exigit à nobis, ut diligamus & inimicos. Diligere plus est quàm habere pacem. Itaq; soli obdormiscunt in pace & in idipsum, qui bellum habēt cum peccato, et qui nulli mortalium male uolunt, sed omnibus bene cupiunt, quod in ipsis est. Nec ullam in hac uita quietem inueniunt animo suo, nisi qui sic obdormierint. Sic emortuum erat corpus Abrahæ, & Saræ iam desierant uiuere muliebria, quum pareret Isaac, hoc est gaudiū requietę conscientiæ. Mors hęc affectuum est, nō corporis. Hic sensus quum locum habeat in omni uita Christianorum, tamen in morte præcipuū huius quietis specimen ædítur, illic enim extrema lucta est carnis & spiritus. Mortem autem somnum uocari in sacris literis, clarius est, quàm ut doceri

debeat. Et hominis somnus, imago quædã est mortis, ut sæpe iam dictum est, & ideo pax animi & quies rerũ dicitur ab ingeniosissimo poeta. Et spiritus in Apocalypsi beatos appellat mortuos, qui in domino moriuntur, ut requiescant à laboribus suis. Mortem hac gratia Paulus optauit, ut requiem haberet cum Christo. Ob hanc mortis ac somni similitudinem, psalmus hic ex ecclesiæ consuetudine, canitur ante somnum, ut tanto melius cani possit sub mortem, quam gentes ęternum somnum uocant, nobis reuicturis longus fortasse recte dicitur, æternus dici nõ potest. In hoc articulo potissimum apparet quis sit sanctus quem mirificarit dominus. Vulgus hominum, quum nihil non adhibuerit, crebras confessiones, totidem absolutiones, aspersiones, unctiones, cereos consecratos, assessores sacros, occlamatores, testamenta, parentalia, protestationes, uota, bullas, tamen animis irrequietis moriuntur, non quod hæc damnem, sed quod ea sola nihil faciant ad uinum frumentum & oleum hominis Christiani. Cõtra qui totam fiduciam collocauit in domino, qui nihil dubitat de promissis euangelicis, qui contempsit mundana omnia, qui pacem habet cum deo, suam agnoscens infirmitatem, & illius fidens misericordiæ, qui nulli mortalium male uult, is demum in pace in idipsum obdormiscit ac requiescit. Videas hos alacres, summáque cum fiducia exhalare animam, qui hæc uere meditati sunt in uita. Dicas illos non mori, sed ad felicius habitaculum demigrare. Quid ni æquissimis animis deponant hanc uitam, qui freti promissis dei, certo sperant immortalitatem? Quid ni libens ac uolens deponat huius corpusculi sarcinam, qui certus est, quod pro inglorio ac mortali, recepturus sit glorioſum & immortale? Quid ni gaudeat obdormiscere in domino, qui quum sit membrum Iesu Christi, persuasum habet se non posse diuelli à capite, uidelicet hoc est quod sequitur: Quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me. Hanc animi securitatem solus deus homini præstare potest, qui solus suscitat mortuos, quique sibi fidentibus pollicitus est uitam æternam. Nõ hoc præstant hominum protestationes, hominum bullæ, stultæque pollicitationes quorundam occlamantium moriturís: Bono animo morere, ego hanc animam oppignero pro anima tua. Neque uero pugnãt hæc inter se, in idipsum, & κατα μόνας, hoc est singulariter siue seorsum. Nam hoc ipsum est seponi à procella, quæ uentura est impijs, obdormiscere in communione sanctorum. Neque hæc solitudo excludit societatem felicium, sed semouet à contagio periculisque malorum. Quam diu uersamur in hoc mundo, sæpe periclitatur quies nostra quã habemus in domino. Cæterum ubi semouerit ille nos ab hoc mũdo, iam ab omnibus malis tuti securique dormimus & requiescimus in spe filiorum dei. Huius spei certitudinem tribus uerbis expressit spiritus sanctus, primum quum attente designat spei autorem, dicens: tu domine, deinde adiungens singulariter, significans procul abfuturum omne periculum, postremo quum ait κατώκησας id est habitare fecisti, siue domicilium dedisti. Nam hoc uerbo frequenter arcanæ literæ significant stabilem ac nullo casu labefactandam securitatẽ, uelut illud: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Sic & Moses Deuter. 33. Israel habitabit confidenter & solus. Similiter & apud Hieremiam stabilem quietem promittit Israelitis: Et habitare eos faciam cõfidenter, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in deum. Qui sedem habet quiescit, qui sedem habet semotam ab incursu hostium, is habitat confidenter. Non est hic securitas perfecta animæ, quàm diu uersamur in huius corpusculi tabernaculo, quod ubi reliquerint piorum animæ, tum demum incipiunt habitare confidenter, in tutissimo domicilio, quod illis parauit Deus. Ibi quietem beatam agunt, ereptæ uitæ malis, quemadmodum legimus: uisi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, & spes illorum immortalitate plena est. Nondum quidem est absoluta piarum animarum felicitas, desiderant enim superuestiri corpusculo quod deposuerunt, sed hoc desiderio nõ torquentur conquiescẽtes in spe, quam habent à deo certissimam. Talis est mors eorum, qui uere confidunt in domino, uere beata, uere preciosa in conspectu domini, quum longe diuersa mors sit eorum, qui spem suam posuerunt in hoc mundo. Sed iam tempus est, ut sermonem prolixum epilogo breui claudamus. Vnicus hic Psalmus quamlibet breuis, sufficeret nobis ad salutem obtinendã, si quod legimus intelligamus, & quod intelligimus factis præstemus. Exemplar habemus Christum in Cruce pendentem, inuocantem, exauditum, dilatatum, rursus interpellantem pro nobis, exhortantem omnes ad amorem rerum cœlestium, ad pœnitentiam male

Quoniam tu domine singulariter in

male adamati mundi, ad spem ueniæ, ad ambienda dona spiritus, ad quietem conscientiæ ex mortificata carne, ad præmium immortalitatis. Hæc singuli nostrum sequentes afflictionibus pressi, peccatis grauati, cum summa fiducia clamemus ad dominum charissimi, totam animæ nostræ causam illi tradentes, & ab illo dilatabitur cor nostrum. Experti gustum bonitatis illius, agnoscamus gratuitam illius erga nos beneficentiam, nec desinemus clamare, miserere mei, donec senserimus in nobis confirmari & crescere donum dei. Quumq; nobis ille dilatauerit cor, ut par sit ferendis afflictionibus, quum erexerit animũ, ut contemptis terrenis aspiret ad cœlestia, prædicemus apud alios diuinam erga nos beneficentiam, quo possimus & alios ad spem uitæ melioris accendere. Sic autem prædicemus dei dona, ut nobis inde nihil arrogemus, sed tamen ostendamus eandem dei bonitatem omnibus patere, si cum fiducia petant ab eo auxilium. Quicq; iam cœperunt per pœnitentiam immutari, hos hortatu nostro cõfirmemus, ut post certum odium peccatorum animo conceptum caueant ne reuoluantur in uolutabrum carnis, unde semel per dei misericordiam sunt exempti, sed ambulantes iam in nouitate uitæ, exerceant opera iusticiæ, præmium benefactorum sperantes, non ab hominibus, sed à domino, nihil commoti uocibus carnalium, qui dicunt, quis ostendit nobis bona? Sed potius confirmati luce promissionis Euangelicæ, & arrabone spiritus, semper gaudeant gaudio spirituali, semperq; proficiant in melius, donec confirmati pane doctrinæ cœlestis, exhilarati uino charitatis æternæ, fortiter resistant satanæ, iugiq; gaudio puræ conscientiæ perfruantur, subleuantes interim cum omni mansuetudine & alacritate proximorum imbecillitatẽ, ut dum uenerit supremus huius uitæ dies, cum certissima spe resurrectionis, hinc migremus ad dominũ, qui nobis hoc per prophetas promisit, qui quod promisit in sese exhibuit, qui promissorum quæ supersunt pignus tantum suis impertit spiritum sanctum, omnia copiosius præstaturus quàm uel intelligere possimus, per quem nobis hic quies & gaudium, ipsi cum patre & spiritu sancto gloria sine fine. Amen.

CONCIONIS IN PSALMVM QVARTVM PER Des. Erasmum Roterodamum, Finis.

DE PVRITATE ECCLESIAE CHRISTIANAE PER DES. ERASMVM ROT. AD Christophorum Eschenueldium Telonen Poppardiensem.

CHristus Matthæum à telonio seuocauit ad Euangelium, tu Christophore Christum & Euangelium in ipsum telonium induxisti, qui sic terreni principis negocium geris, ut inter prophanas syngraphas semper sit aliquid libelorum, qui mentem tuam ad cœlestem philosophiam instruant, quo uere sis pheronymus, hoc est, factis nomini tuo respondens, nec iam sis Chrysophoros, ut sunt istius ordinis plerique, sed Christophorus. Plurimum enim abes à quorundam opinione, qui putant nusquam esse Christum nisi in monasteriis, quum ille sit magis omnium communis, quam sol iste, pariter lucens uniuerso mundo. Et in aulis principum, & in castris militũ, & in triremibus nautarum Christo locus est, si adsit pius animus. Me uero quum in Christo, nõ tantum supra meritum, sed prope etiam supra modum diligas, tamen charitati tuæ nõ est satis, quod amore mutuo tecum paria facio, uis apud te extare proprium ac perpetuum aliquod nostræ amicitiæ pignus, quo Erasmum tibi præsentem fingas, et absentis desiderium leues: Id fieri posse significas, si psalmũ aliquem cum nostra enarratione ad te mittam, Non libuit excusare, primũ homini tam amico, deinde rem piam iuxta ac facilẽ postulãti. Tu puta tibi nõ chartaceũ munus ex Erasmi paupere supellectile, sed preciosam gemmam è mundo sancti spiritus esse missam, quã non gestes digito, sed in corde recondas. An tu psalmum designaris nõ satis memini. Nam epistola tua latet in aceruo, itaq; quem sors obtulit arripui. Vale. Basileæ VI. Calend. Febr. Anno à natali

M D XXXVI.

ENARRATIO PSALMI XIIII. DOMINE QVIS HABITABIT, qui est de puritate tabernaculi, siue ecclesiæ Christianæ, per Des. Erasmum Rot.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo. Quum unica sit uia ad salutem ac uitam æternam, nosse deum, & illius parere iussis, Propheta superiore psalmo deplorauit hominum plusquam cęcam amentiam, inter quos tam pauci reperirentur, qui conditoris ac redemptoris obuiam, & omnibus expositam misericordiam amplecterentur, sed plerique corrupti suis cupiditatibus, adeo deducti essent in reprobum sensum, ut in corde suo dicerent, nõ est deus: atq; ex fonte impiæ de deo persuasionis scatebat omne maleficiorum genus erga proximum. Neq; enim proximum amare potest ex animo, qui deum non diligit. Nullus autem uere diligit proximum, nisi qui eum propter deum diligit. Ex fide uelut è radice nascũtur opera charitatis. Proinde quisquis in corde sibi loquẽs dicit, non est deus, quoniam cor habet pessimè corruptum, unde procedit oratio cũ actionibus, nihil exhalat in proximũ, nisi spurcicies sepulchrorum, nisi fraudes ac uenenum aspidum, quod alius psalmus appellat insanabile: procedit conuiciorum improbitas, procedit obtrectationis amarulentia, & ab his exordijs peruenitur ad libidinem effundendi sanguinis, quæ suprema est odij meta, quemadmodum dixit beatus Ioannes: Qui odit fratrem suum homicida est. Quanq; autem non semper occidit qui odit, tamen dum obsequens iræ suæ studet lædere proximum ad homicidium properat, & quod in ipso est, homicida est. Quemadmodum autem iuxta Ioannis testimonium, pijs hominibus nullum est gaudium uehementius, quàm quum conspicantur quàm plurimos homines ad agnitionem ueritatis uenire, ac per uiam euangelicę ueritatis incedere: ita nullus est dolor acerbior, q; dum considerant in plerisq; mortalibus tam crassam ignorantiam, tantum beneficentissimi dei contemptum, tam nullam in proximos charitatem, contrà in tam paucis relucere ueræ fidei ueræq; charitatis uestigia. Neq; enim Epicurei tantum in corde suo dicunt, non est deus, sed quod sine graui suspirio dici non potest, innumeros reperias inter Christianos, qui in corde suo dicunt, non est deus: atq; utinam non sint qui uoces tam impias Christiani inter Christianos euomant. Verum ut eiusmodi portenta mittamus, uulgatiora tangamus. Quibus nulla cura est rerum spiritualium, sed toti terrenis commodis inhiant, diuitijs, honoribus, luxui, cæterisq; uoluptatibus, atq; hęc per fas nefasq; uel per iurio uel rapinis, ac latrocinijs, uel maleficis artibus consectantur: his comparatis sibi uidentur felices: his amissis, & deum & diuos conuicijs incessunt, an non hi quoq; uidentur in corde suo dicere, non est deus: ore deum profitentur, factis autem negant: taliũ autem tanta est turba, contra uere timentium deum tanta raritas, ut Propheta deum faciat de cœlo prospicientem, an omnino sit ullus intelligens aut requirens deũ. Cumq; è sublimi lustraret oculis uniuersum hominum genus, nullũ reperit præter unum, qui est Christus Iesus, cui tamen computãtur, quicunq; per fidem & charitatem unum cum illo facti sunt. Nullus enim ab orbe condito placuit deo, nisi qui fiduciam collocauit in dei gratuita misericordia per Christũ omnibus oblata. Quanq; enim sub lege naturæ nonnulli seruati sunt, multi sub lege Moysi, plurimi sub lege euangelica, tamen nulli legi proprie debetur salus, sed tantum dei misericordiæ per Christum. Ab ipsis mundi primordijs erat ecclesia iustorum Christi corpus, erat euangelium, hoc est diuinitus reuelata remissio peccatorum, ex gratuita dei misericordia propter Christum, erat & gratia quæ per fidem purificabat corda, licet & per Christum incarnatum, & per apostolorum prædicationem tũ latius diffusa sit tũ clarius effulserit: ac iam tum erat uerũ, quod toties inculcat beatus Paulus, ueram iustitiã nulli contingere per legem aut opera legis, sed per fiduciã erga Christũ. Sed non omnium erat fides, qua gratiam oblatam amplectimur: quemadmodum & hodie tametsi plurimi sunt, qui fidem ore profitentur, perpauci tamen sunt qui ueram gerũt in corde: perpauci sunt inquam, si cõferantur cum ijs, qui uel ab euangelio sunt alieni, uel animo pharisaico complectuntur euangelium. Hanc paucitatem uidit ac deplorauit Esaias, citante Paulo, Domine quis credidit sermonibus nostris: Et quod Christus adhuc in terris uersans, dixit suis: Nolite timere pusillus grex, uestrum est enim regnum cœlorum:

potest &

poteſt & hodie dici de his,qui fiduciam omnẽ uere fixerunt in Chriſtum, quanq̃ in his ipſis etiam paucis,infirma,inchoata, & imperfecta ſunt omnia,ne dicam impura.

Propheta igitur ubi deplorauit tantam innocentium paucitatem, tantam impiorum & iniuſtorum turbam:ſimulq̃ perſpexit non eſſe ſpem ſalutis, niſi in tabernaculo dei & in monte ſancto,quæ eſt eccleſia:in qua nemini datur requies,niſi per fidẽ inſeratur corpori Chriſti,qui clamat in Euangelio: Veníte ad me omnes qui laboratis,et onerati eſtis, & ego reficiam uos: reputans hominum impuritatem, quum eximia puritas requiratur ad hoc,ut idem fias cum Chriſto, & cum illo uerſeris in domo dei, trepidus ac ſolicitus clamat ad patrem. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,aut quis requieſcet in monte ſancto tuo. Iuxta ſenſum infimum,tabernaculum quod iuſſu dei fecerat Moſes,erat Hieroſolymis in monte Sion,donec Solomon rurſus ex oraculo dei eodem in loco conſtrueret illud prædiues,auguſtum,ac celebre templum & prophanis quoq̃ gentibus uenerabile.Ibidem erat regia Dauidis.Sicut autem Iudæi de Abrahã & Dauide gloriabantur,quorum ſe poſteros eſſe iactabant, ita ſibi placebant de urbe Hieroſolyma.per quam ut rem ſacram iurabant,quemadmodum ex Euangelio colligitur,tumebãt de templo & altari,unde illa prophetica exprobratio. Templum domini,templum domini,templum domini &c.Illic credebant habitare deum, illic putabant adorandum, illic deprecandum, illic placandum hoſtijs, illinc petendam legem, ibi propitiatorium,unde deus promebat oracula.Ibi tabulæ ſculptæ digito dei,illic Aaronis uirga,& arca teſtamenti,ſacra menſa,urna mannæ,cherubim.Illic ſanctum ſanctorũ, in quod nulli patebat ingreſſus,præterquam uni pontifici,nec id niſi ſemel in anno,Hinc tumor & ſupercilium genti Iudaicæ,omniumq̃ reliquarum nationum deſpectus. Denicq̃ tanta erat apud illos templi religio, ut pro atrociſsimo blaſphemiæ crimine Chriſto ſit obiectũ quod dixiſſet, Soluite templum hoc,& in triduo excitabo illud:recte ſignificans, ſeſe à Iudæis occidendum, & intra triduum reuicturum. Proinde mea quidẽ ſententia,pſalmus hic,iuxta ſenſum grammaticum,peculiarius ad Leuitas ac ſacerdotes pertinet,quorum erat habitare in tabernaculo cui miniſtrabant, & in templo requieſcere. Ab his autem requirebatur ſumma puritas,& eximia quædam ſanctimonia,ſed quam Iudæorum uulgus externis cæremonijs conſtare putabat.Huc ſpectabat illa religioſa capitis,manuum, atq̃ etiam ueſtium conſecratio,crebræ lotiones. Sacerdotibus enim non licebat intereſſe funeri, non tangere mortuum,non ueſci prophanis panibus,non uiſere uxores ac liberos,non efferre pedem è templo,dũtaxat his diebus,per quos ſacris operabãtur,ne quid impuritatis alicunde contraherent. Cæterum hæc omnia nihil aliud erant quàm umbræ ac typi rerum longe præſtantiorum. Verus etiam Dauid noſter, cui promiſſum eſt regnum ad extremos orbis terminos proferendum,ſimulq̃ cum ſole & luna duraturum, cuiq̃ data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, Chriſtus eſt,non unctus ſacerdotum oleo, ſed cœleſti gratia delibutus,præ cunctis filijs hominum. Eius regia eſt eccleſia, quam ipſe dominus interdum appellat regnum cœlorum:Imperium eſt, libertas ſpiritus: Tabernaculum eſt, credentiũ ex omni natione congregatio:Hieroſolyma eſt,illa ciuitas myſtica, quam uidit Ioannes, Apoc.21.è uiuis lapidibus conſtructam,lapide angulari Chriſto: Mons ſanctus,eſt euangelicæ doctrinæ ſublimitas, atq̃ inuiolabilis ueritas, cui templi innititur ſtructura, de quo meminit & alius pſalmus, Qui confidit in domino,ſicut mons Sion:non commouebitur in æternum,qui habitat in Hieruſalem.Propheta igitur ſpiritualibus oculis contemplans ſtupendam maieſtatem, & ſanctimoniam eccleſiæ, quam illi typi deſignabant, & cuius gloria illa omnia,quæ Iudæis uidebantur admodum glorioſa,obſcurabantur,ac,iuxta Pauli interpretationẽ, reddebantur ingloria:Simulq̃ perſpiciens nullum eſſe mortalium,qui purus in domo Dei poſſet uerſari, & hoſtiã Deo gratã offerre,ad patrem cœleſtẽ cõuerſus clamat.Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo. Veri dei notitia in anguſtum orbis angulum contracta eſt, cæteræ nationes pro deo colunt ligna ac lapides,ſacrificant dæmonijs,ad quorum libidinem ceu bubali naribus pertrahuntur in omne flagitiorũ genus:& in hac ipſa gente, quã tibi ſelegiſti,quam tot prodigijs ad agnitionem tuæ maieſtatis excitaſti,tot beneficijs ad amorem tui prouocaſti,tot præceptis ac mandatis circumuallaſti,tot Prophetis erudiſti, nullus eſt qui te digne colat.Deum unum habent in ore,in corde multos habent deos, dum alius ſeruit iræ,

inuidiæ

inuidiæ, ac uindictæ, alius auaritiæ, alius ambitioni ac superbiæ. Et qui sibi uidentur egregie iusti ob legis obseruationem, id quod est caput legis non obseruant. Quis enim diligit te ex toto corde suo, et ex tota anima sua, & ex totis uirib. suis, & proximũ tanq̃ seipsum: itaq; lex tua quum sit per se bona, cedit eis in malũ, nec te placatũ reddit, sed magis iritat, nec reos absoluit, sed traducit. Bona pars colit te mandatis hominum, aut certe cæremonijs, obambulant in templo tuo, maciant hostias, excitant suffitum, offerunt donaria: at tu, quem totus mundus non capit, nequaquam includeris ædificijs humana manu factis, nec moraris istos adoratores, qui te intra parietes fabrorum arte structos adorãt: sed quũ ipse sis spiritus ac summa ueritas, requiris ueros adoratores, qui te adorent in spiritu & ueritate. Sabbata nostra ac Neomenias odit anima tua, sacrificium & propeccato nõ postulas, Nec tu bonorum nostrorum eges, de tuo tibi sacrificamus, sed detestaris eorum uictimas, quorum manus sanguine plenæ sunt. Sanguis hircorum aut uitulorum non potest quenquam purgare à peccatis. Tu perfectus es, & perfecta requiris. Lex autem nihil ad perfectum adducit. Iam ut homo sacerdos immolatis pecudibus, aut auibus, aut simila oleo conspersa, expiet peccatum synagogæ, aut principis, aut plebei cuiuspiam, quis erit ille Põtifex tam purus ab omni crimine: ut ipse non habeat necesse ullo expiari sacrificio, & hostiã afferat tam efficacẽ, ut expiet omnia totius humani generis peccata. Tota enim natura mortalium, ab ipsa usq; radice, penitus infecta est uicio primorum parentum. Video te fastidire uetera, requiris noua omnia, nouas templum, nouas legem, nouas ritus ac sacerdotium: sed quis erit ille sacerdos tam immaculatus, tam acceptus, ut te iratũ omnibus propitiet? Quis habitabit in hoc nouo tabernaculo tuo, quod è cœlis uenit? Quis habitabit in monte sancto tuo, ad quem nullus inquinatus potest accedere? Quis offeret holocaustum tam efficax, ut uere purificet corda mortalium? Huic prophetę solicitudini dominus respondet, Nihil eorum quæ dixisti refello, uera prædicas, nouum instituo tabernaculum, nouam requiro uictimam, nam ueterum iamdudum satur sum, nouum dabo sacerdotem, non de terra terrenum, sed de cœlo cœlestem, qui innouet omnem creaturam, non qui per uices immolet, sed qui unico sacrificio maneat sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech: Eum tibi depingam. Ambulabit in terris inter homines, sed solus absq; omni macula, uersabitur cum peccatoribus, sed ut eos iustificet: operabitur iustitiam omni ex parte perfectam, ita ut solus possit dicere, quis ex uobis arguet me de peccato? Veniet ad illum ille calumniator princeps huius mũdi, nec in eo inueniet quicquam. Veritatem loquetur in corde suo, erit enim ipsa ueritas: nec dolum committet lingua sua, nihil enim loquetur, nisi quod à me iussus erit loqui: nec impijs adulabitur, nec pios uanis promissis lactabit, pollicebitur remissionem peccatorum per fiduciam in ipsum, & præstabit ueram, pollicebitur resurrectionem ac uitam æternam, & præstabit: & adeo non faciet proximo suo malum, ut animam suam et pro inimicis impendat, & pro his mei interpellet, à quibus occidetur: ueniet enim non perditurus sed seruaturus, non iudicaturus sed reconciliaturus: nec opprobrium accipiet aduersus proximos suos, qui moriens pro crudelissimis interfectoribus clamabit: pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: ac diabolum fratrum accusatorem prosternet, mutumq; reddet deleto chirographo per quod uniuersis hominibus intentabat criminationem. Et quanq̃ ille pro sua malitia, per quam inuidet hominum saluti, aduersus sacerdotem meum omnes suas armabit copias, omneis expediet artes, omneis intentabit machinas: tamen nihil proficiet, sed conteretur, & ad nihilum redigetur, nec aliud efficiet impiorum sæuitia, nisi ut quem magnis sed irritis conatibus extinctum, ac penitus è memoria hominũ abolitum cupiebant, eius uictoriam & gloriam magis illustrent, sibi uero nihil aliud acquirent, quàm æternam ignominiam & exitium grauius. Siquidẽ meus ille sacerdos, quem nouo templo, nouoq; regno præficiam, per mortem deuincet mortis autorẽ, & per crucis ignominiam speciosissimũ aget triumphum de spiritibus aduersarijs. Atque huius gloriæ participes faciet omneis, qui timentes offendere patrem, auscultabunt filio meo dilecto, in quo uno sic mihi complacitum erit, ut nihil omnino sit quod offendat. Tanta insuper futurus est apud me tum gratia tum autoritate, ut nihil illi sim negaturus. Vera interim gloria est, uicisse mundum, uicisse carnem, uicisse satanam. Sed quemadmodum filij mei gloria apud homines quodammodo latebit, dum serui, pauperis humilis ac peccatoris speciem geret, dum probris afficietur

Qui ingreditur s. m.

Et operatur iustitiam tot.

Qui loquitur ueritatẽ in c. s.

Et dolum non agit i. l. s.

Nec fecit proximo s. m.

Et opprobriũ n. a. a. p. s.

Ad nihilum deductus c. i.

Timentes autem dom. glo.

afficietur,accuſabitur,damnabitur,& in crucem agetur: ita & timentium deũ gloria per infirmitatem carnis ac uarias afflictiones,aut prorſus latebit apud homines,aut certe obſcurabitur. Cæterum quum ille damnatus & inter latrones crucifixus, denuo ueniet in maieſtate ſua cum angelorum innumeris milibus,unà cum omnibus pijs in uitam reſuſcitatis:& qui ſocij fuerant afflictionum,gloriæ pariter conſortes erunt, tum impij uidebũt in quem compunxerant,uidebunt eos quos conculcauerunt,& pro ludibrio habuerunt, ſolis obſcurare fulgorem, ipſi ſero deplorabunt amentiam ſuam.Hęc attingere uiſum eſt, quod uideam & ex ueteribus quoſdam totum hunc pſalmum ad Chriſti perſonam accõmodaſſe,in quam ſatis quadrant quæ hactenus dicta ſunt:ſed minus congruere uidentur ea quæ ſequuntur. Qui iurat proximo ſuo & non decipit, Qui pecuniam ſuam nõ dedit ad uſuram,& munera ſuper innocentes non accepit. Neq; enim magna laus eſt,nõ feciſſe quæ ſine graui crimine committi nõ poſſunt, quod genus ſunt,periurio fallere, uſuris augere rem, corrumpi muneribus ad damnandum, aut falſo teſtimonio grauandum innocentem:hæc qui faciebant,etiã apud gentes habebantur ſceleroſi, & legibus puniebantur:qui non faciebant,nihil ferebant præmij,quo de repub.bene merentes ſolẽt honorari.In Chriſtũ uero nihil cõpetit,niſi quod eſt ſummæ perfectionis,& quod omnia legis præcepta ſuperat.Obſtrepit & altera quæſtio,quur in deſcribendo Chriſto magis hæc uitia commemorat,q̃ cætera quæ pariter damnat lex:uerbi gratia,Qui non furatur, qui nõ occidit,nõ mœchatur. Vterq; ſcrupulus urget, etiam ſi præſentem locum non ad Chriſti perſonã, ſed uel ad eccleſiæ miniſtros,uel ad unum quodlibet eccleſiæ membrũ attemperemus. Harum difficultatum explicatio fortaſſe requirit ſublimius ingenium,& in myſticis literis exercitatius:pro mea tamen exiguitate, quod mihi uidetur in mediũ proferam: hac quidẽ lege,ne cuiq̃ ſit præcluſa uia ſi quid habeat melius adferendi. Scriptura uarijs modis nos inſtruit ad pietatẽ, interdũ ſeruat naturæ ordinem,primum à uitijs reuocans, mox ad uirtutes exhortans. Siquidem natura prius eſt dediſcere mala,proximum ad bona proficere:quemadmodum natura prius eſt imperfectum &,ut Apoſtolus uocat, animale,deinde perfectum & ſpirituale.Hunc ordinem ſeruat ſpiritus,quũ ait. Declina à malo,& fac bonũ:inquire pacem & perſequere eam. Conſimilem in modum Eſaias, Auferte malum cogitationum ueſtrarũ ab oculis meis. Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere,Mox ſubnectit pręcepta charitatis,ſubuenite inopi,iudicate pupillo,defendite uiduam:Sic et in euangelica parabola,prius emũdatur domus,poſt ornari iubetur.Mũdicies, hoc eſt,innocentia contingit per fidẽ & baptiſmũ,ornamenta per opera bona. Tale eſt illud Pauli, Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.Item Coloſſ.3. Nunc igitur deponite & uos omnia,iram, &c. Hic ordo nonnunq̃ inuertitur, uidelicet quum prius præcipiuntur quæ perfecta ſunt, poſt uetantur cum illis pugnantia, quod genus eſt illud Pauli. Sicut in die honeſte ambulemus, nõ in comeſſationibus & ebrietatibus, nõ in cubilib.& impudicitijs,nõ in cõtentione & æmulatione. Neq; raro miſcẽtur hæc,uelut in uerbis domini,Benedicite perſequentibus uos, benedicite & nolite maledicere. Interdũ ſola bona præcipiuntur:exempli cauſa,Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, &c.Et proximum tuum ſicut teipſum. Malorũ prohibitio magis cõuenit duris ac rebellibus:bonorũ præceptio congruit obedientibus,& ſponte ad pietatem accenſis. His rationibus ſcriptura conſulit omnium ſaluti,ut perfecti habeant quo proficiant,infirmi & obliuioſi quo reuocẽtur & admoneantur. Mira eſt humanæ mentis ruditas ac tarditas:eoq̃ decalogus qui craſſo ac rebelli populo dabatur,tria tantum habet præcepta iubentia quæ ſunt honeſta,cætera prohibent ſcelera. Non occides,non furaberis,nõ mœchaberis, &c. Quoties autẽ utraq; miſcentur,poſſet aliquid uideri ſuperuacaneũ, niſi noſtra infirmitas & obliuio poſtularet tales inculcationes: Alioqui quũ dominus dixiſſet,benedicite perſequentibus uos,quid opus erat addere,benedicite & nolite maledicere, niſi ut mandatum hoc altius infigeret animis diſcipulorum. Vtraque itaq; in utriſque intelliguntur, Veluti quum ſcriptura iubet,Deum amari ſuper omnia,et proximũ ſicut nos ipſos,nimirũ uetat omnia quæ pugnant cum dilectione dei & proximi,ea uero ſunt innumera. Rurſum quũ lex dicit,Non occides,recte præcepit omnia charitatis officia quibus iuuare proximum poſſumus. Item quum dicit,Non mœchaberis,præcipit omnia quæ ſeruant pudicitiã, ſobrietatem,labores,ieiunia,deprecationes,&c,Cæterum quæ latent,populus rudior non

intelligit

intelligit, idcirco quę cõpendio tectiusq; dicta sunt prophetæ, Christus & apostoli nobis aperuerunt. In hoc igitur psalmo, ordine præpostero primũ summa perfectę pietatis proponitur, mox ob rudiores nominatim explicantur, quæ præpositę imagini aduersantur. Etenim quum dicit, Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: uniuersam perfectamqúe iustitiam complexus est, Qui ingreditur sine macula nihil admittit uitij, qui operatur iustitiam, nihil prætermittit officij. Ad hanc intelligentiam non est frigida laus, quũ negatur Christus non egisse dolum in lingua sua: intelligimus enim hunc esse unũ, in cuius omnibus uerbis, hoc est in tota scriptura canonica citra illum erroris neuũ uiget ęterna & irrefutabilis ueritas. Quum negatur proximo fecisse malum, accipimus totam illius uitam ac mortem ad omnium salutẽ fuisse paratam. Quum negatur opprobriũ accepisse aduersus proximos, discimus illum pro impijs quoq; ac sceleribus apud patrem intercessisse. Quum negatur periurio fefellisse proximum, admonemur quicquid unq; Christus per Prophetas pollicitus est, per eos enim loquebatur, summa fide præstitisse. Pollicitus est ingẽtia, & uix ullo humano ingenio credibilia. Deũ uenturũ in carne, morte sua redempturũ genus humanum, se intra triduũ reuicturum, ascensurũ in cœlũ, cum maiestate rediturum ad iudicandum uiuos & mortuos, suos ad uitam reuocatos, ad beatam immortalitatem assumpturum. Horum pleraq; iam exhibuit, nec dubium est, quin quod superest, eadem fide sit exhibiturus. Quum prædicatur quod pecuniam suam non dederit ad usuram, accipimus illum fuisse purissimum ab omnibus terrenis cupiditatibus, qui gratis benefecit omnibus, nihil inde captans uel emolumenti, uel imperij, uel gloriæ: donabat gratis, sanabat gratis, redemit gratis, ac totum se suaq; nobis impendit gratis: ipse in hoc mundo non habebat ubi caput suum reclinaret, professus est regnum suũ non esse de hoc mundo, non quærebat gloriam suam, sed patris. Munera uero in tantum nõ recepit aduersus innocentes, ut ipse pro redimendis nocẽtibus sese dederit precium, sua morte pro eis dependens, ut reconciliatos ad uitam adduceret æternam. Hæc ut maxima sunt, ita solus ille perfectissime præstitit, & ideo non commouendus est in æternum. Iesus enim Christus, ut ait Apostolus heri & hodie, ipse est in secula. Tantum ad priorem quæstionẽ, quæ scrupulum lectori poterat inijcere, quasi hæc elogia parum digna uiderentur Christo. Dissoluenda est paucis & altera, quur Propheta his tãtum criminibus Christum liberat, quum fuerit pariter ab omnibus criminibus immunis. Mihi Propheta uidetur his notis apte discreuisse Christi personam à cæteris omnibus, sed in una Christi persona plures inerant personæ, regis, sacerdotis, Prophetæ, Iudicis, doctoris. In rege, qui posset allígare fortem, & ingressus domum diripere uasa illius, potẽtia requirebatur humana, atque etiam angelica, maior. Hinc illud, Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. In sacerdote, qui solus expiaret omnium maculas, requirebatur admiranda quædam mundicies, quæ nescio an in ullo hominum sit reperta: omnes enim nascimur filij iræ, & iuxta Dauidis professionem in peccatis concipimur: solus dei filius, in uterum uirginis absque carnali commercio uenit, ac matris integritatem suo ingressu non uiolauit, sed consecrauit.

Qualis autem erat illius conceptio ac natiuitas, talis fuit omnis uita: id notat propheta quum ait, Et operatur iustitiam. Nullus autem unquam fuit sacerdos, cuius conceptio & natiuitas caruerit omni macula, aut cuius uita fuerit undiquaq; incontaminata. Aaron summus ac primus omnium sacerdos, sic prodijt à matre, ut egeret circũcisione, neq; leuiter offendit deum populi obsequẽs furori in uitulo aureo. Heli peccauit indulgentia erga filios suos. Zachariæ patri Baptistæ imputata est incredulitas, pro qua adempto ad tempus linguæ usu pœnas dedit: Sed quid hos commemoro, ipsa lex arguit neminẽ caruisse delicto, quæ præscribit hostiam, quam sacerdos pro suo delicto offerat, Omittam hic mentionem pseudoprophetarum: inter laudatos Prophetas nullus unquã fuit ab omni neuo purus, quãdoquidem Esaias opus habuit uiuo carbone qui purificaret ipsius labia, Nullus quem nihil lateret, nec semper aderat spiritus propheticus, & si aderat, nõ suggerebat omnia. Queritur enim propheta quidam: Dominus cœlauit me uerbum hoc. Omnibus datum est prophetiæ donum ad mensuram fidei, in uno Christo habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: nec admonitus est somnio aut uisione, sed à patre secum detulit perfectissimam omnium præteritorum, præsentium ac futurorum scientiam. Huc pertinet illud: loquutus est ueritatem in corde suo, nec egit dolũ in lingua sua. In iudice ípectatur

ctatur causarum plena cognitio, integritas, ac mens incorrupta. Dominus in euangelio de se pronunciat: Pater non iudicat quenq̃, sed omne iudicium dedit filio: & in Symbolo prædicatur uenturus ut iudicet uiuos ac mortuos. Solus ille uere iudicat, qui non iudicat secundum faciem, sed penitus intuetur corda, neque nouit personarum discrimen, sed retribuit unicuiq; prout gessit in corpore: & iuxta sermonem euangelicum, qui in illa suprema cognitione pristinæ familiaritatis, & externorum operum cõmemoratione conabuntur iudicis fauorem inflectere, audituri sunt, Amen dico uobis, non noui uos. Eadem fere requiruntur in doctore, quæ in Propheta: nam & propheta doctor est, quemadmodũ qui rex est, idem iudex est. In doctore requiritur sapientia, fides, autoritas, & uita cum doctrina consentiens: In uno Christo fuit omnis plenitudo diuinæ sapientiæ, idem erat fidelis, ille & prudens dispensator mysteriorum cœlestium, qui de thesauro suo proferebat noua, & uetera. Quod autem ad autoritatem attinet, de nullo unquam dictũ est absolute, ipsum audite, nisi de Christo, cuius omnia uerba spiritus erãt et uita, Itaq; Propheta potissimum ea crimina commemorat, quibus obnoxiæ solent esse personæ, quas omnes diximus in uno Christo contineri: ut mundus uniuersus intelligeret, tandem unum hominem uenturum, qui præstaret Regem innoxium, sacerdotem omni ex parte purum, Prophetam in omnibus ueracem, doctorem nihil alios docentem, quod ipse factis non præstaret, iudicem incorruptum, ut nihil iam sit quod extra Christum oporteat in hac uita quærere. Nõ est necesse referre quod omnibus notum est, quantum malorum reges quidam ob potentiam ac ferociam inferant mortalibus, dum exactionibus iniustis expilant populum, leges æquas uiolant, iniquas præscribunt, bella iniusta excitant, delatoribus ac sycophantis dum præbent aures, sæuiunt in innoxios, accepta pecunia magistratus committunt indignis. Sileamus illaudatos principes & sacerdotes, quorum ingens est numerus, Quàm magnificis scripturæ testimonijs ornatus est Moses, huic tamen obiectum est impietatis crimen, quod sitiente populo non glorificasset deum, eoq; non illi datum ingredi terram repromissam, utcunq; iam excusetur quod Aegyptium occiderit. Nec leuis macula fuit in Aaron, quod populo deos gentium flagitanti obsecundarit. Nónne Dauid, de quo extat præclarum oraculi testimonium, inueni uirum secundum cor meum, flagitium cum crudelitate, adulterium cum homicidio coniunxit? Idem dictus est uir sanguinarius, & indignus iudicatus est qui extrueret templum domino. Egregium scripturæ testimonium tulit Salomon etiamnũ adolescens, sed quot criminibus eam gloriam obfuscauit. Duos eximios dixi, reliquos, ne fiam prolixior, non commemoro, At noster ille Dauid, ac uerus rex Sion, quum imperium haberet sempiternum & illabefactabile, tamẽ iuxta Zachariæ uaticinium uenit non contra nos, sed nobis, non uiolentus sed iustus, nec oppressor populi sed seruator, nec ob ferociam metuendus, sed mitis ac placidus sedens in asina. Iam ut proferantur alij quamlibet laudati, & iusticiæ ornati elogijs, tamen ad Christũ collati peccatores fiunt omnes, Nemo non conceptus est in iniquitatibus (de uirgine matre nihil pronuncio) nemo non natus est filius iræ, nemo non circunfert cõcupiscentiam humanæ naturæ penitus infixam, ut iam nulla macula uitã contaminarit: uerum hæc non prosequar lõgius, satis est in præsentia admonuisse, ea uitia nominata, quib. apud Iudæos eæ personæ complures fuerunt obnoxiæ, quas omnes in uno Christo ueneramur. Illud annotandum, huius psalmi argumentum non abhorrere à superioris argumento. Siquidem quum illic commemorasset, quàm undiq; corruptum esset humanum genus, quam quæ deus omnia concluisset sub peccatum, ut omnium misereretur: simulq; reputans ad tantam dei iram placandam, nec legem sufficere, quæ magis exasperabat iram, nec ullas hostias à Mose præscriptas: sed opus esse nouo rege diuinitus potente, qui satanæ tyrannidem discuteret, nouo sacerdote, qui expers omnis maculæ, utcũmam longe efficaciorem offerret, quàm erat sanguis pecudum: nec talem uideret in uniuerso hominum genere, addeum conuersus exclamat, quis dabit ex Sion salutare Israel? & audit, Cum auerterit dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel. In monte Sion ut diximus, & tabernaculum erat, & regia: utroque nomine designatur ecclesia, quæ & regnum cœlorum dicitur: in quam quicunq; cooptati sunt, Beati Petri testimonio, gens sancta dicuntur, & regale sacerdotium. Sed quæ fuit illa captiuitas, quæ non sinit Israelitas exultare & lætari? Nam id quidem temporis populus Hebræorum nulli seruiebat;

Zach. 9

sed grauis erat captiuitas sub maledicto legis, quæ durum præstabat pædagogum populo carenti spiritu. Vbicunq; uero spiritus non est, ibi nec est libertas: ubi terror legis minitatur uindictam, ibi non est uera cordis lætitia. Quoniam igitur in hominibus nulla erat spes salutis, pater misit unigenitũ suũ tyranno diabolo potentiorem, qui plebis suæ captiuitatem auerteret, per gratiã liberans nos à maledicto legis: Sacerdotem efficacẽ qui pro electis intercedens exaudiretur pro sua reuerentia, ac tũ demũ exultauit Iacob & lætatus est Israel. Iacob & Israel eiusdem hominis uocabula sunt, quanq; hic iuxta scripturarum consuetudinem, pro ipso populo usurpantur. Porrò utraq; uox luctatorem sonat. Iacob Hebræis supplantator est. Israel uir fortis erga Deum. Iacob autẽ, ut habet sacra historia, cum Esau luctatus est in utero matris, Idem rursus luctatus est cum angelo, ex qua colluctatione promeruit nomen Israelis. Non dimittam, inquit, te nisi benedixeris mihi. Supplantato fratre meruit paternã benedictionem: urgens angelum, impetrauit benedictionem Dei. Nec absurdum uideri debet, si dicatur homo luctari cum Deo, quum audiamus ipsum dominum in euangelio loquentem, Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiũt illud. Ante tempus irruebant Samaritani et Ethnici, uelut effractis foribus. Primum enim missus erat dominus ad oues perditas domus Israel. Quæ uero uis est, qua expugnatur regnum Dei? Fides est, res efficax & importuna, quæ quodammodo extorquet à Deo, quod nulla impetrant merita. Nónne mulier illa Cananæa uidetur quodammodo colluctata cum domino Iesu improbo clamore solicitans audire nolentem: iuxta speciem loquor. Rursus quum canis conuicio repulsa, catellæ nomine micas flagitat. An non & illa uidetur cum Iacob dicere, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi? Mox quum dominus ait, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis: nónne sermo uidetur in luctatione uicisse? Vis audire quàm potens, quamq́ue pugnax res sit fides, tantummodo, inquit, crede, omnia possibilia credenti. Cæterum ut à diuerticulo ad compendiũ redeam, Quemadmodũ illic propheta de salute generis humani quærit, quis tandẽ sit exoriturus, qui rebus tam deploratis ferat opem: itidem hic clamat, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Dum tabernaculũ nominat, requirit eximiũ sacerdotẽ: dum mõtẽ sanctũ, regem desiderat Satanę opibus potentiorẽ: & audit à spiritu sancto, Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiã, Quo elogio Christi persona designatur, qui solus fuit citra omnẽ exceptionẽ purus ab omni neuo, cuius doctrina nihil humile, nihil cãpestre sapit, sed ut de cœlo uenit ita cœlestia loquitur. Sion enim mons, à speculando dictus est, in quo qui requiescit, is superior omnibus terrenis, nõ nisi cœlestia speculatur ac desiderat. Nec solũ operatus est iusticiã, qui in omnib. peregit opera patris, sed nobis quoq; iusticiã operatus est, Nobis enim, ut ait Apostolus, iusticia factus est, qui propriã nec habebamus, nec habere poteramus, quemadmodũ ne nunc quidẽ possumus. Hactenus psalmũ ad Christi personã accõmodauimus. Nec absurde faciũt, qui de cœlesti uita interpretãtur, nam et ibi templũ est ac tabernaculũ, in quo sine intermissione offertur sacrificiũ laudis et gratiarũ actionis, quemadmodũ dicit alius psalmus: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorũ laudabũt te. Tabernaculorũ meminit & euangeliũ, admonens ut nobis hic paremus amicos de Mammona iniquitatis, qui nos destitutos recipiant in æterna tabernacula. Illic igitur templũ dei undequaq; purũ ac sanctum est, illic mons Sion, in quo sublato uelamine cominus gloriã domini speculabimur, ibi Hierosolyma ciuitas sancta, ibi demũ uera requies est. Verũ ad hoc templũ, ad hanc regiã, nõ est aditus per cæremonias aut pontificũ bullas, sed per mentẽ fide purificatã, sibiq; nullius mali cõsciam, & officijs charitatis, quæ in proximũ collata Christus sibi uult imputari. Nos tamẽ in præsentia maluimus tractare sensum moralẽ, qui licet uideatur humilior, est tamen meo iudicio utilior, Itaq; propheta cõsiderãs, quãta sit maiestas domus dei, quãta puritas ecclesiæ, quã ipse dominus lauit sanguine suo, ut exhiberet sibi spõsam nõ habentẽ maculã neq; rugã: è diuerso contẽplans, quãta sit impuritas humana, Domine, inquit, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in mõte sancto tuo? Quanq̃ hic locus peculiarius ad eos pertinet, qui in ecclesia dei principẽ tenent locũ, in hoc dedicati ut populo ministrent uerbũ dei, eiq; uitæ synceritate præluceãt, omnes tamen per baptismũ ac fidẽ cooptati in corpus Christi mysticum habitant in hoc tabernaculo, ac seipsos quodammodo immolant, hostiam uiuam, acceptabilem, ac placẽtem deo, & cum Christo regnantes

uincunt

uincunt diabolũ, contẽptuq; bonorũ paluſtriũ, in ſpe cœleſtiũ inueniũt requiẽ. Illud obiter annotandũ, tametſi leuiculũ uideatur: ingredi non hic uſurpatũ ut pugnet cũ eo quod eſt egredi: quod tamẽ quoſdã fefellit, qui interpretãtur, nos ipſo ingreſſu reddi immaculatos, per baptiſmũ aũt introitus eſt in eccleſiã, neq; enim eſt εἰσέλθω, ſed πορεύεται, quod eſt uerſantis incedẽtis, atq; iter facientis, ſiue ambulantis, quẽadmodum alibi redditũ eſt. Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. Ex quo enim Aegyptũ reliquimus, ac in mari rubro maculas omnes depoſuimus, ſupereſt ut ambulemus immaculati, donec perueniamus ad beatã illã terrã, quã deus promiſit in ipſius dilectione perſeuerãtib. Stare uero in uia domini, retrogredi eſt. Paulus ambulat qui à tergo relictorũ oblitus, ad ea quę à fronte reſtabãt enitebatur. Eſt tamẽ ſtare quoddã laudatũ. Ita Paulus, Fide qua uocati eſtis ſtate: hoc eſt perſeuerate, nõ ita ut nõ proficiatis ad perfectiora, ſed ne relabamini ad deteriora. Eſt et curſus in uia pietatis: uelut in pſalmis, Viã mandatorũ tuorũ cucurri, quũ dilataſti cor meũ: & in Cantico Salomonis. Curremus in odore unguentorum tuorũ. Et Apoſtolus. Sic currite ut cõprehendatis. Ambulat qui proficit, Stat qui perſeuerat in bono, paratus aduerſus inſidias diaboli, Currit, qui magna alacritate magnoq; ſpiritus feruore rapitur ad ea quę ſunt pietatis. Similes gradus ſunt in uia impiorũ. Beatus pronũciatur qui nõ ambulat in uia impiorũ: hic eſt primus ad pietatẽ gradus: et in uia peccatorũ nõ cõſiſtit, hic eſt ſecũdus, in malo perſeuerantiũ: nec in cathedra peſtilẽtiæ cõſedit, hic eſt tertius, gloriantiũ in reb. peſsimis. Habet & curſum ſuũ uia impiorum, Pedes, inquit, eorũ ad malũ currũt. Iam eſt quędã inanis ac uertiginoſa ambulatio, de qua meminit ſcriptura: impij in circuitu ambulãt: dũ enim cupiditatib. rerũ fluxarũ circumacti, quo plus cõſequuti ſunt, hoc plus appetũt, et ab una cupiditate pertrahũtur in aliã uelut, à diuitiarũ amore ad ambitionẽ aut uoluptates, nec uſq; inueniũt quod expleat animũ, nõne uidẽt in gyrũ uolui, ac reuolui: Ergo qui uult ambulare immaculatus intra tabernaculũ ambulet, quãdoquidẽ extra eccleſiã etiã illa maculoſa ſunt, quæ uidẽtur ſplẽdida. Ieiunãt hæretici quoq; & ſchiſmatici, orãt, pſallũt, largiũtur eleemoſynas, caſte uiuunt, prædicãt uerbũ dei, aliaq; exercẽt opera quæ ſpeciẽ habẽt pietatis: ſed hæc omnia quoniã extra tabernaculũ fiunt, nihil aliud ſunt q̃ maculæ. Et qui uerã quęrũt requiẽ, ne diſcedãt à mõte ſancto dei, in quo cõſtructa eſt eccleſia. Propheta uero, ut ante diximus, hoc uno uerſiculo uniuerſam uirtutẽ cõplexus eſt, Qui ingreditur ſine macula et operatur iuſticiã. Primũ eſt, omni carere crimine: proximũ eſt, bonis operib. ornare uitam. Illud præſtat fides in dominũ Ieſum, hoc charitas ſynceræ fidei comes. Neq; enim tutũ eſt, iuxta parabolã euangelicã, domũ ſcopis mundatã relinquere uacuã: ſed uaria bonorum operũ ſupellectile exornanda eſt ne fiant poſteriora peiora prioribus. Sunt qui fidei uim mirũ in modũ extollũt, nec in hoc falluntur, quod exiſtimãt plurimũ fidei tribuendũ: at nõ ſine cauſa diuinæ literæ tot locis tãtopere nobis cõmendãt bona opera. Scriptura culpã omnẽ, maculã appellat: ea potiſſimũ in corde reſidet, atq; ex hac ueluti radice pullulãt opera, Ibi fons eſt omniũ actionũ noſtrarũ, cuius ſi ſyncera eſt uæna, ſcatet primũ in linguã, mox in facta, qualẽ uenã habebat ille qui dixit, Eructauit cor meũ uerbũ bonũ, Sin infecta eſt, ebullit in orationẽ & facta peſtifera, & cordis maculæ nõ aliter erũpunt, q̃ ijs qui corporis interiora prauis humoribus habẽt infecta, in cutẽ effloreſcit uera ſcabies. Exẽpli cauſa, turpis eſt macula hęreſis, turpis diffidẽtia, turpis odiũ proximi, turpis amor pecuniæ & uoluptatũ. Hæ q̃ diu latẽt in corde, ſolũ illũ qui habet cõtaminant, alios minus inficiunt, uerũ diu latere nõ poſſunt. Vbi latẽs malum radices fixerit, exhalat peſtilentẽ orationẽ, erumpit in facta dedecoroſa. Eſt etiã macula quã omnes ex ueteris Adæ cõtagio cõtraximus. Denicq; cõcupiſcẽtia, quã ſentimus carni noſtræ penitus infixã, nõ iniuria macula dicetur. Huius euidẽs ueſtigiũ cõſpicimus & in quibuſdã paruulis, uelut inuidię, iræ, uindictę: quos affectus quum uerbis exprimere nequeãt, ploratu, gãnitu, & uultus habitu prodũt: ut beatus Auguſtinus nõ abs re dubitet, an ętas illa nõ tantũ peccato, quod originale uocãt, uerumetiã peccato, quod perſonale ſiue actionis dicitur, ſit inquinata. Hæc quũ ſic habeãt, obiecerit aliquis, quo pacto cõpetat in nos ingredi ſine macula, preſertim quũ Ioãnes Euãgeliſta, de renatis in Chriſto loquiẽs exerte pronũciet, Si dixerimus, nõ habere peccatũ, nos ipſos ſeducimus, & ueritas dei in nobis nõ eſt. Quin & ipſe Paulus clamat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Si peccatũ in nobis eſt, quomodo dicemur immaculati? Habent & iuſti ma-

culas,alioqui nõ quotidie clamarent ad patrem, remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitorib.noſtris. Quis eſt qui nõ frequenter offendit deum? aut quis eſt qui non aliquando cõtriſtet proximum? uerũ huiuſmodi maculas in illis cõtegit niueum uellus agni uere immaculati,Ieſu Chriſti:nihil enim dãnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu.Non in cubilib. inquit Apoſtolus,& impudicitijs,nõ in commeſſationib.& ebrietatibus,audis maculas:ſed induimini dominũ Ieſum Chriſtũ,audis operimẽtum macularũ humanæ naturæ.Ex nobis ipſis maculoſi ſumus at in Chriſto immaculati,ſi tamen in illo permaneamus.Et pſalmiſta beatos pronũciat,quorũ tecta ſunt peccata, & quib.nõ imputauit dominus peccatũ.Prædicatur & charitas operiens multitudinẽ peccatorũ. Loquor nũc de culpis,quæ per humanã infirmitatẽ uitari nõ poſſunt.Nam impudicitia, ebrietas & cõmeſſatio,ſimiliaq; crimina,ſemel quidẽ operiũtur in baptiſmo,cæterũ cũ agni immaculati uellere nõ cõgruũt.Quiſquis letale facinus admiſit,candidã ueſtẽ quã in baptiſmo accepit,abiecit,et atrã diaboli ueſtẽ induit. Quanq; in quib.fidei uigor manet,facilius redeũt ad priſtinã innocentiã,nõ per baptiſmũ,ſed per pœnitentiã:quod ni reſipiſcãt, tametſi uerſari uidẽtur in tabernaculo,ob catholicæ fidei profeſsionẽ, et ſacramentorũ cõmunionem,tamẽ reuera nõ habitãt in tabernaculo domini.Iuſtus igitur qui habitat in tabernaculo dei,et cõquieſcit in mõte ſancto eius,poſteaq; reliquit Aegyptũ,nõ ceſſat,ſed prælucẽte igni diuino,ſemper immaculatus ad perfectiora ambulat,donec perueniat ad illam ſtabilẽ et incõcuſſam felicitatẽ,quæ terræ promiſſæ typo deſignata eſt.Innocẽtię eſt neminẽ lędere,charitatis eſt omnib.prodeſſe.Eoq; ſubijcitur.Et operatur iuſticiã.Frequẽter in ſcripturis iuſticia ſic uſurpatur,nõ ut ſit una uirtutũ moraliũ pars,diſtincta à prudẽtia, fortitudine et tẽperantia,ſed ut accipiatur pro quibuslibet benefactis.Omniũ,inquit,iuſticiarũ eius nõ recordabor:et apud Eſaiã.Et anteibit faciẽ tuã iuſticia tua:quũ paulo ante recẽſuiſſet officia charitatis in proximũ, Frange eſurienti panẽ tuũ,&c. Tota Chriſti uita quid aliud fuit,q; ſemper expoſita in omnes homines beneficẽtia,Decet aũt eũ qui Chriſtũ induit quẽadmodũ illius ſummã innocentiã,ita et ſummã illius beneficentiã pro uirib. imitari:ſicut admonet beatus Paulus, Qui dicit ſe in Chriſto manere,debet ſicut ille ambulauit,& ipſe ambulare.Summã totius pietatis uno uerſu cõplexus, deſcẽdit ad uirtutũ ſpecies ac uitiorũ nomina.Qui loquitur ueritatẽ in corde ſuo.Qui nõ egit dolũ in lingua ſua. Maxima uel bonorũ uel malorũ operũ pars lingua peragitur.Habet aũt & ipſa mens linguam ſuã,qua ſibi deoq; loquitur. Ex corde procedit uita et mors,plurimum igitur refert quid quiſq; loquat ſecũ in corde ſuo.Neq; enim poteſt uera loqui proximo qui ſibi mẽtitur in corde,uera dico nõ illa tantũ,quæ pugnãt cũ falſis, ſed quę ſimpliciter,ſyncere et ex animo dicũtur.Phariſæi quũ Chriſto dicũt,Magiſter,ſcimus q; in ueritate doces,et perſonã nõ accipis,nõ dicebãt falſa,uera tamẽ nõ loquebãtur, quoniã doloſa mente loquebantur.Et Dauus in prophana comœdia,uera dicẽdo fallit,quod eſt mentiẽdi genus ſceleratiſsimũ.hoc pacto multi ſibi loquũtur in corde blandientes uicijs ſuis, ſed reclamãte interim cõſcientia: mendaciũ aũt prodit mors imminẽs,tũ enim diſcruciãtur, fatẽturq; quod antea nõ ſint ueritatẽ loquuti in corde, ſed ſibi blãdiloquijs fuerint aſſentati.Id frequenter uſu uenit ijs, qui diplomatib.impetrauerũt omniũ cõmiſſorũ remiſsionẽ,aut bonorũ fraude,furtis,rapinisq; partorũ,iuſtificationẽ uti uocant. At qui ſine fuco ueritatẽ loquitur in corde,etiã quũ mortis periculũ urget,priſtinã obtinet fiduciã. Inſipiẽs qui dixit in corde ſuo,nõ eſt deus,pernicioſum mendaciũ ſibi loquebatur:Itidẽ hæretici qui ſibi perſuadent falſa dogmata,& ex his ſibi mentis tranquillitatẽ pollicentur, mendaciũ ſibi loquuntur: breuiter omnes qui ſibi promittũt felicitatẽ quandam in hac uita, nõ loquuntur ueritatẽ in corde ſuo.Sibi mentiebatur diues ille euãgelicus:anima habes multa bona,fruere in dies multos:quũ eadẽ nocte coactus ſit animã reddere. Quiſquis recte ſentit de dogmatib. fidei,in corde ſuo loquitur ueritatẽ,quiſquis agnoſcit ſe ſuis uiribus nihil poſſe,ſed totum præſidium eſſe à gratuita dei miſericordia:quiſquis agnoſcit peccatũ ſuũ, & ſyncero affectu implorat domini miſericordiã,ueritatẽ loquitur in corde ſuo.Qui falſa loquitur in corde ſuo,ſeipſum fallit:qui dolũ gerit in lingua,fallit proximũ.Rurſus qui ueritatẽ loquitur in corde ſuo,ſibi ipſi prodeſt,qui linguã habet omnis doli expertẽ,proximũ ædificat,alterũ ex altero cõſequitur.Qui ſibi mẽtitur in corde,quomodo uera loquet proximo.Quẽadmodũ aũt hoc hemiſtichio,qui ueritatẽ loquitur in corde ſuo excluditur omnis error,

omnis

omnis peruersa opinio,omnis improba cogitatio,atq; etiã ociosa,uanũ enim est quicquid ociosum est,atq; è diuerso intelligitur omnis opinio pia,omnis affectus purus & incorruptus:ita hac particula excluditur omnis sermo,qui proximũ lędit. Fraus est quicquid animę damnũ adfert:excluditur aũt,ut dixi,et otiosus,quicquid enim nõ prodest nocet. Dominus præcipit ut sermo noster sit,est est,& nõ non:hoc est,ut nõ affirmemus quicq̃,nisi uerũ,nec negemus quicq̃ nisi falsum. Et Paulus admonet ut sermo noster sit cũ gratia sale conditus:idem præcipit ne quẽ mendacio fallamus,sed ueritatem loquamur inter nos inuicẽ,& erga omnes. Si Christianæ synceritatis est nec ethnicos fallere doloso sermone, an non pudendum est nobis Christianis,inter quos tam rari sunt, qui uere ex animo loquũtur proximo. An nõ omnia cõmercia uulgi fraudibus,dolis ac mẽdacijs plena sunt? Quotusquisq; est, qui non uel exigui lucelli gratia imponit proximo. Nec fecit proximo suo malũ. Plurima pernicies lingua peragitur, à lingua uenitur ad male facta,quorum lingua ueluti lena est & cõciliatrix,Est tamẽ aliquid intra linguę fraudẽ cõsistere. Obtrectasti proximo,lingua eũ uulnerasti,ne addas maleficiũ,quod manib. reliquisue mẽbris peragitur. Diluta laus uideretur,nõ fecisse proximo malũ sed ut prius admonui, è cõtrarijs cõtraria sunt intelligẽda. Iustus qui dicitur non fecisse proximo suo malũ:intelligitur omni officiorum genere iuuisse proximũ. Nam proximo malefecit,quisquis cũ opus fuit,& licuit,nõ fecit bene,Quemadmodũ et lingua dolus cõmittitur,quoties quũ charitas exigit officiũ, ea nõ fungitur suo officio: uerbi gratia, audis proximũ calũnia traduci & obtices,dolũ cõmisisti lingua. Vides amicũ errantẽ,nec admones, dolus lingua cõmissus est, & nõ loquẽdo fraudẽ loqueris. Consimiliter uides proximum iniuria lædi,nec opitularis quũ possis,iniuriã facis proximo. Item uides fratrẽ egestate discruciari, nec eũ subleuas quũ tibi unde id facias suppetat,nõ subueniẽdo spoliasti proximũ: quod tibi super est,illi debebatur,quem urget inopia. Furtũ & rapina est,quod nõ faciendo facis. Vide an non congruat huic sensui quod sequitur,Et opprobriũ nõ accepit aduersus proximos suos,tu tibi uideris innocẽs quod alijs probrũ ac labẽ aspergentib. proximo cõquiescis: at iustus nõ solum ipse non afficit quenq̃ probro, sed non admittit aut dissimulat, si quis innoxiũ probro afficiat. Qui fratrem probro affectũ tacitus dissimulat,ipse probro afficit. Probro autem afficitur nõ is modo, qui conuicio incessitur, aut ignominia aspergitur, uerũetiam quisquis ad peccandum solicitatur. Qui inuitant ad temulentiam,ingens probrũ mollitur amico:& qui inuitantẽ non arguit,si sit oportunũ, & inuocatũ non reuocat,probrum accepit aduersus proximũ. Qui uirginẽ solicitat ad impudicitiã magnã parat ignominiã, Hic qui solicitantẽ nõ admonet,& puellæ periclitãti non cõsulit,probrũ accipit aduersus proximũ,secq; alieni criminis consortẽ facit. Interea forsitan alicui ueniet in mentẽ,quũ uita hominũ plena sit ad uitia solicitantiũ, si iustus tentet omnes admonere,nihil aliud actutus est,sibiq; capitalẽ cõflabit inuidiã. Interdũ personæ qualitas excusat silentiũ. Nõ peccat filius adolescẽs,si parentẽ nõ arguat,aut puer seni obticescat,aut si plebeius et humilis principẽ nõ arguat, Interdũ & locus excusat silentiũ. Veluti concionantẽ in tẽplis nemo reprehendit:& apud multos admonere,citius irritet peccantẽ,q̃ corrigat,præsertim si in eo numero adsint personæ,apud quas nõ expedit delinquẽtis autoritatẽ diminui, ueluti si adsint liberi, aut subditi. Hanc admonẽdi moderationẽ docet et euãgelica philosophia, ut prima admonitio careat testib. secunda duos tantũ aut tres admittat, tertia demũ defertur ad ecclesiã. In genere, quãdocunq; nulla affulget spes correctionis,silere phas est. Nõnunq̃ preces idẽ efficiunt quod obiurgatio aut admonitio. Illud arguendi genus concessum est omnib. si quis uultus tristicia significet,sibi nõ probari quæ fiũt aut quæ dicũtur. Contra faciunt qui fronte hilari audiũt obtrectantẽ, qui applaudũt obscœnis fabulis, qui arrident abiecte blandientib. aut scurriliter mordentibus. Ab his morib. plurimũ abhorret iustus. Sepit aures suas spinis,ne audiat uerba obtrectantiũ proximo. Multi delectantur obtrectationib. & aliorũ uituperationem suã laudẽ esse ducunt. Apud hos delatores sunt in precio,quos auersatur ac detestatur iustus. Ad nihilum,inquit, deductus est in cõspectu eius malignus. Extremi contẽptus est aliquem pro nihilo ducere. Malignus aũt est & inuidus, qui non fert honestam proximi famã,sed illi quacunq; potest labẽ aspergit. Is uarijs modis ad nihilũ deducitur,uel quũ aperte contẽnitur,uel quũ à maledicentia cõpescitur,uel quũ salutari admonitione ab eo morbo reuocat. Feliciter deducitur ad nihilum

qui ex maledico fit benedicus, ex uituperone laudator, ex inuido cãdidus. Iustus aũt quo niam nouit quãta uitæ pestis sit obtrectator, nullo eũ dignatur honore, sed fugit horretq; Venenũ, inquit, aspidũ sub labijs eorũ, dẽtes eorũ arma et sagittę lingua eorũ gladius acutus. Os eorũ maledictione & amaritudine plenũ est, Vinũ eorũ fel draconũ. Quid tali bestia formidabilius? Si quãdo blãditur, fel draconũ pro uino porrigit. Si tantũ afflat, uirus afflat. Si mordet, dentes sagittę sunt ueneno tinctę. Si lingua impetit, gladio perimit, Si diducit labia, uenenũ aspidũ effundit, imo uirus aspidum ueneno nocẽtius. Aspidis morsus corpus tantũ interimit, hoc uenenũ necat animã eoq; territus propheta clamat, Domine libera animã meã à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Animę timet, non corpori. Aspis aũt & si necat morsu, mortẽ tamẽ adfert lenem, minimeq; cruciabilem. Consopitur enim qui morsus est, & adeo nullo cruciatu, ut etiã cũ nõnullo sensu uoluptatis emoriatur. At crudelissima mors est quã adfert Sycophanta. Huius uenenum fit præsentius, si beneuolentiæ specie dissimuletur. Sunt enim qui corã blandi sunt, apud alios clam effundunt in te letale uirus, pacti silentiũ: quod imprudẽter ab alijs exigũt, quũ ipsi silere non queant. Narrant uni, rursus uni, ac toties uni ut iam nemo nesciat, ac susurrus clancularius erumpat in rumorem populi. Vix ullo seculo uitium hoc sæuijt impotentius q̃ nostro. Obtrectationũ plena sunt omnia, nec ulli libelli leguntur auidius, q̃ qui maledicentia scatent. Iamq; facundiæ laudẽ auferunt, qui quælibet in quemlibet opprobria iaculari non uerẽtur. At tales iustus pro abiectissimis ducit, sed eos habet in precio qui timent dominum. Quisquis enim timet dominum, non afficit probro eum pro quo dominus est mortuus, uerum quæ dubia sunt, in meliorem interpretatur partẽ, quæ recte candide laudat, quæ manifestiora sunt q̃ ut excusari possint, eleuat tamen, si non alio colore, certe tentationis magnitudine: si similis, inquit, tentatio nobis incidisset, grauiora cõmisissemus. Sequitur qui iurat proximo suo, & non decipit. Detestabile scelus est periurio fallere, quo uicio carere non admodum magnifica laus uideatur: uerum hoc sermone cõmendatur fides in promissis omnibus, sine qua dissoluitur omnis humanæ uitæ societas. Et hodie quidem infames habẽtur qui de periurio conuicti fuerint. At si quis discusso consuetudinis uelamine, rem propius intueatur, reperiet Christianorum uitam undiq; periurijs refertã. Iurat Abbas monachis, Monachi iurant abbati: Iurat episcopus clericis, Clerici uicissim episcopo: Iurat princeps populo, populus uicissim principi: Iurat qui magistratũ suscipit: & olim qui consulatum suscipiebat, iureiurando addebat horrendã execrationẽ, me meosq; deuoueo si quid sciẽs fefellero: iurat iudex ac testis, iurat theologus doctoris autoritatẽ suscipiens, iurat denique notarius, ac lignorum mensor, ne persequar omnia. I nunc & excute mihi, quæ singuli iureiurando profiteantur, simulq; examina an præstent omnia quæ polliciti sunt, uereor ne cõperias multa periuriorum examina. Sed assuetudo facit, ut hæc pro periurijs nõ habeantur, tantũ qui abiurat depositũ, aut debitã pecuniã, periclitatur de periurio. Iam ut non intercedat iusiurandũ, quisquis functionẽ aliquam suscipit, tacite iurat proximo, quã nisi bona fide gesserit, nõ est omnino purus à periurio: ueluti qui suscepit legationẽ aut causæ defensionẽ, aut iuuentutẽ literis ac morib. instituendã, tacito iureiurando semet obligat, uidelicet ipsa negocij susceptiõe, quod bona cõmittitur fide. Qui pactus mercedẽ domũ recipit extruendã, & si nõ exprimatur iusiurandum, tacita tamẽ religione obstrictus est. Qui uestẽ suscipit faciendã, aurifex qui poculũ suscipit fabricandum, auriga nautaúe qui merces suscipit deportãdas, si fraudẽ cõmittit, periuriũ furto copulat, tametsi nõ intercessit hęc uerborũ formula, iuras te bona fide usurũ, iuro. Nec refert an addat, me meosq; deuoueo. Iam seipsum deuouit, qui sciẽs fraudauit proximũ. Scio molitorũ furacitatẽ et aurigarũ aliena uina exhaurientiũ, iam olim in iocũ abijsse, sed eos iocos nõ agnoscet iudex. In Christianis aũt tantã oportet esse synceritatẽ, ut simplex promissio iusiurãdi põdus habeat. Nec proximo tantũ prẽstandũ est si quid iures, uerumetiã hostib. et à nostra religione alienis, modo ne scelus sit quod promisisti. Sequitur, Qui pecuniã suam nõ dedit ad usurã. Sub uetere lege detestabile crimẽ erat, si Iudęus Iudęo mutuũ dedisset, ultra sortẽ aliquid recepturus. Nam cũ alienigenis concessum erat usura uti. Inter Christianos uero, quos oportet arctioríb. amicitiæ uinculis inter se cõnexos esse q̃ olim erãt Iudęi, execrabile quidẽ uocabulũ est usura, sed utinã res ipsa perinde sit abominãda. Ethnicis etiã philosophis usura res uisa est detestãda, quod prẽter naturã sit, ut pecunia pecuniã pariat. At prẽter

ter illud usuræ genus, quę aperta facie est quod dicitur, quot sunt hodie contractus, quæstus, et artes tã affines usurę, ut nõnunq; sint sceleratiores. Has potissimũ adhibemus, quũ proximum urget necessitas, in quo casu uel gratis erat subleuandus. Eget colonus, redimitur exigua summa, ut quotannis tantũ frumẽti admetiatur, qualiscunq; fuerit agrorũ prouentus aut quantumcunq; frumenti precio. Quũ timetur malignus annonæ prouentus, aut quum urget rerum necessariarũ inopia, qui frumentũ habẽt reconditũ, intẽdunt precium, Qui mutuo dat mille florenos in moneta argentea, ut ex pacto recipiat aureos, qui ut fere fit, pluris æstimantur, an non manifeste committit usuram? A qua non multum absunt, qui procurant, uel minui, uel intendi nummorũ æstimationẽ, ut hinc pariant emolumentũ. Ne illi quidẽ qui creditores adigunt, ut accepta truncata summa dent syngraphã sibi plene satisfactũ, ab usuræ crimine sunt immunes. Verũ has usurarias technas in præsentia nõ persequar. Sunt enim innumeræ, à quibus omnibus purum esse oportet eũ, qui uelit habitare in tabernaculo dei. Iam si libet, possumus hunc locũ iuxta sensum moralem latius interpretari. Omne dei donum, quo licet iuuare proximũ, pecunia est. Exempli gratia: Huic data est gratia linguæ, illi data est eruditio, & recte iudicandi facultas, alij data est dexteritas quædam gubernandi, alius ualet cõsilio, alius autoritate apud plebẽ aut principes: Qui dote à deo concessa gratis iuuat proximum, laudandus est hoc elogio, qui pecuniam suã non dedit ad usurã. Sed hic occurrit scrupulus, quum in euãgelio damnetur seruus qui pecuniã sibi creditam non dederat ad usurã, qui conuenit ut hic laudetur, qui non dederit ad usurã. Nihil ista pugnãt: Dominus amat usurã, quæ ipsi lucrum adfert: odit usuram, quam seruus sibi uẽdicat. Qui ex dono linguæ sibi gloriam & emolumentũ colligit, iure damnatur: ad eũ enim lucrũ pertinet, qui sortem dedit. At qui sic dispensat uerbũ dei, ut ad illius amorẽ multi inflammentur, & in his glorificetur deus, laudabilem exercet usuram. Similiter de cæteris dicẽdum est, iustus aũt qui omnia dei dona cõuertit in utilitatem proximi, quoniã agnoscit eam ipsam facultatẽ qua prodest alijs, esse diuinę munificentię, conatur quidem pro uirili domini pecuniã bene collocare, sed ut nihil inde sibi laudis aut humani cõmodi uenetur, uerũ omne lucrũ illi deferat qui sortẽ credidit. Dices, gratis igitur laborandum, &, non dignus est operarius mercede sua? Imò neminem manet copiosior merces, q̃ qui dei dona gratis impertit alijs. Benignũ habet debitorẽ quisquis deo fœnerat. Porrò quod apostolus ait, dignus est operarius mercede sua, nõ his dictum est, qui dona dei dispensant, sed qui dispensatione iuuantur: horũ est impertire sua carnalia, à quibus accipiunt bona spiritualia. Fidelis autem dispensator accipiet quidẽ ab ijs de quibus bene meritus est, nõ omnia tamen, nec passim, nec ab omnibus: non exiget ceu debitũ, sed à domino, cuius negocium gerit, mercedẽ expectabit. Quemadmodũ beatus Paulus ab alijs ultro oblata nonnunquam accepisse credendus est, à Corinthijs non accepit: à nemine prorsus legitur aliquid postulasse. Nemo minus gratis bene meretur de proximo, q̃ qui gratis illi benefacit. Iam & illud quod sequitur, uidetur exiguæ laudis esse. Qui munera super innocentes nõ accepit. Etiam apud ethnicos detestabilis erat, qui mercede corruptus condemnasset insontem, aut qui accepta pecunia falso testimonio grauasset innocentem, aut si patronus emolumenti causa aduersus eum quem sciebat innocentem defendisset nocentem. Iurabat enim actor de calumnia, patronus de fide. Quod tamen utinam non tam frequenter deprehenderetur inter Christianos. Verum hæc sententia latius patet. Munus accipit aduersus innocentem, quisquis alicuius commodi gratia non subleuat innocentem quum possit, Verbi gratia: Si uides iniuria affici proximum, & in gratiam huius aut illius dissimulas, munus accipis aduersus innocentem. Qui sic cogitat, si huic patrocinor, is qui hunc urget quum hactenus fuerit in me beneficus, contrahet manus, iam hoc emolumenti quod solitus est accipere, fit munus aduersus innocentem acceptum. Qui facit hæc, non commouebitur in æternum. Qui facit, inquit, non qui loquitur. Auersatur deus eos à quibus labijs tantum honoratur. Pharisæus qui probe tenebat quod esset maximum mandatum in lege, audit à domino, hoc fac & uiues. Qui facit hæc, quæ hæc? Ingredi sine macula, operari iusticiam, loqui ueritatẽ in corde, cæteraq; omnia quæ recensuit. Cohærent enim omnia, & si quid desit, uitiata sunt uniuersa. Qui tandem fructus ista præstanti? non commouebitur in æternum. Quorum uerborum duplex potest esse sensus: Nũquam commouebitur, aut si ad tempus cõmoueatur, nõ cõmouebitur

in æternũ, sed à lapsu resurget, et cum deo redibit in gratiam. Sicut qui in domino cõfidit, non pudefiet in æternum, licet ad tempus pudescat apud homines: ita qui digne uersatur in tabernaculo, & requiescit in monte sancto domini, non cõmouebitur in æternũ, quem admodũ & alius psalmus testatur, Qui confidit in domino, sicut mons Sion, nõ cõmouebitur, qui habitat in Hierusalem. Vrbs, inquit Esaias, fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Hæc una ciuitas est de qua pronũciauit dominus. Et portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam. Damnatur autem hoc psalmo omnis dei cultus externus, qui cum uera mentis pietate coniunctus non est, omnisq; cognitio aut eruditio quæ cum moribus inquinatis coniuncta est. Tractat hanc sententiam Hieremias capite septimo. Sta, inquit, in porta domus domini, & prædica ibi uerbum istud. Dic, Audite uerbum domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis dominum, hæc dicit dominus exercituum deus Israel. Bonas facite uias uestras, & studia uestra, & habitabo uobiscum in loco isto. Nolite confidere in uerbis mendacij dicentes, templũ domini, templum domini, templum domini. Quoniam si benedixeritis uias uestras, & studia uestra, si feceritis iudicium inter uirum & proximũ eius, aduenæ & pupillo & uiduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post deos alienos non abieritis in malum uobismetipsis, habitabo uobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus uestris à seculo & usq; in seculum. Et paulo post: Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis uestris? Vides ut in his, quemadmodum & in consequentibus, dominus magno stomacho indignatur ijs, qui in templo templiq; cultibus fiduciam habebant, quum mẽtem ac uitam haberent sceleribus inquinatam: tales enim nõ purificat templum, sed ipsi potius templum polluunt. Apertius & acrius tractat hunc eundem locum Esaias capite 1. apud quem deus hunc in modum destomachatur aduersus eos, qui tẽpli ritibus ipsum colebant, quum alioqui pollute uiuerent: Quò mihi multitudinem uictimarum uestrarũ? plenus sum, Holocausta arietum & adipem pinguium & sanguinem uitulorum et agnorum & hircorũ nolui, quum ueniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus uestris, ut ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus uestri. Calẽdas uestras & solennitates uestras odit anima mea, facta sunt mihi molestia: &c. Nónne poterat ad ista respondere populus crassus ac deo rebellis. Quid tibi accidit domine? nunc dicis: Quis quæsiuit hæc de manibus uestris? quum lex quam nobis per Mosen dedisti, hæc omnia tã accurate præscribat, & obseruantibus promittat ingentia bona, uiolantibus comminatur mortem. Nunc incensum abominatio est tibi, quod prius dixisti odorem suauitatis: Nunc festos dies odit anima tua, quibus antea gaudebas interesse: unde ista tanta mutatio in eo qui solus manet incõmutabilis? Quid deus responsurus est obmurmuranti populo? ego quidẽ sum immutabilis, sed uos non obseruatis ea quæ præcepi, neq; enim istos cultus ita præscripsi, ut in eis collocaretis summam spem aut iustitiæ fiduciam, sed ut partim essent signa quibus admoneremini, partim adminicula quibus proueheremini ad ueram pietatem: quæ si desit, reliqua sunt inania, mihiq; adeo non placẽt, ut magis ad iracundiam prouocent. Lex spiritualis est, & cum animi puritate opera charitatis exigit: quę nisi adiungantur, quantumuis seruetur cultus externus, uiolata est lex, & hypocrisis est quicquid agitis. Quid igitur est, inquient, quod in primis à nobis requiris? Lauamini, inquit, mundi estote. Hoc nimirum est quod psalmus dicit: Qui ingreditur sine macula, Auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis, Idem ait psalmus hic: Qui loquitur ueritatem in corde suo. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam: Hoc psalmus, qui operatur iustitiam. Apud eundem prophetam capite 58. idem populus obmurmurat deo dicẽs. Quare ieiunauimus, & nõ aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? Sed quid audit à domino: Nunquid est tale ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, Nunquid cõtorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud uocatis ieiunium, & diem acceptabilem domino? Quid tandem erit gratum deo in externis operibus, si displicet ieiunium in sacco & cinere celebratum? An non tali ieiunio Niniuitæ, Achab, alijq; permulti iram domini uerterunt in misericordiam? Non displicet deo ieiunium, sed ita demum placet, si accedat

cedat animi puritas cum officijs charitatis, Eoq; sequitur: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Quum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te, tunc inuocabis, & dominus exaudiet, clamabis, & dicet tibi: Ecce adsum, quia misericors sum dominus deus tuus. Eam sententiã propheta pluribus uerbis prosequitur. Dominus misericors est, & ideo misericordię sacrificio potissimũ delectatur. Huc hortatur Christus in euãgelio: Estote perfecti, sicut & pater uester perfectus est. Quõ perfectus? de omnibus citra discrimen benemerendo. Qui solẽ, inquit, suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Idẽ cũ propheta consentiens: Ite, inquit, & discite, quid sit, misericordiã uolo & non sacrificiũ. Misericordiæ uox omnia charitatis officia cõplectitur. Vnde, & quò iubentur ire, ut hoc discant? à superstitione ad uerã pietatem, à litera legis ad spiritum. Num igitur deo ingratũ est offerre sacrificia? Nequaquam. Sed despicit uictimas seiunctas à misericordia, & approbrat cultus à lege præscriptos negligi, si proximi egestas postulet opem præsentem. Sabbatum, inquit, propter hominem institutum est, non homo propter sabbatum conditus est. Quanquã nec illa charitatis in proximum officia deo grata sunt, nisi proficiscantur à mente syncera, hoc est, cum fide syncera q; dilectione Dei & proximi propter deum. Fides præstat ut credas te deo impendere, quicquid proximo impenderis, & ab illo uno expectes benefactorum tuorum mercedem. Charitas præstat, ut libenter & alacriter subuenias proximo. Quod si gloriam humanam species, aut temporarium emolumentum ad te rediturum, iam non est misericordia sed negociatio. Atq; hæc quidem potissimum ad Iudæos pertinent, qui ferè in rebus externis iustitiam collocabant, & apud homines magis quàm apud deum pietatis opinionem captabant, quorum superstitionem frequenter in euangelio redarguit dominus. Sed etiam atq; etiam uidendum est, num & ad nos pertineant, qui tametsi nõ immolamus pecudes, habemus tamen cultus ac ritus miram pietatis speciẽ præ se ferentes, quibus nonnulli fortasse confidunt, neglecta mentis puritate. Quidam magno sumptu exornant templa, instituunt altaria, extruunt monasteria, nec interim reddunt egenti proximo quod debent, nec restituunt male parta, nec mutant inquinatam uitam, & tamen interim sibi placent, quasi deum magno demeruerint beneficio, curantq; sese in templis pingẽdos ac sculpendos, additis nominũ titulis: uereor ne his quoq; dicat deus, Quis quæsiuit hæc de manibus uestris, ut ambularetis in atrijs meis, ut templum arasq; meas uestris titulis & imaginibus occuparetis? Alius se pietatis colophonem assequutum credit, si cẽsum suppeditet missis certo loco, statisq; diebus celebrãdis: alius ut matutinũ sacrũ fistulis & musicorum uocibus decantetur Virgini matri, atq; ut eidem sub uesperam decantẽtur laudes modulatissimis harmonijs cantorum & organorum, atq; etiã tubarum, quum aliàs psalmodiæ canticis ac precationibus frequentes in tẽplis resonent. Hæc si fiant non purificatis mentibus, ac adiuncta misericordia, nónne periculum est ne audiant: Et cum clamaueritis ad me non exaudiam uos? Quid igitur? Negligemus cultum externum? Nequaquam: sed cum à superstitione ad pietatem, ab immodicis ac superfluis impendijs ad Christianã modestiam redigemus. Tum in primis curandum erit, ut hoc sacrificiorum genus, quo deus præcipue delectatur, adhibeatur. Quæ sunt illa? Mens per fidem & innocentiam immaculata, per charitatem exposita ad benemerendum de omnibus. Hæc, inquit dominus, oportet facere, & illa non omittere. Quæ sunt quæ oportet facere iuxta psalmi uocẽ, Qui facit hæc. quæ per se nos commendant deo, etiam si citra culpã nostram cætera non accedant. Exempli causa: Ieiunium indixit ecclesia, Seruas, sed interim non tẽperas à uoluptatibus, ab iracundia, sed solito pronior es ad uindictam: ingratũ est ieiunium tuum deo, qui tibi occlamat: Nũquid istud est ieiunium quod elegi? prætermisisti quod oportuit facere, & fecisti quod oportuit nõ omittere. Missam celebras, sed simultatẽ geris cũ proximo, scito ingratum esse deo tuum sacrificium. Clamas ad deum, misericordiam, misericordiam, misericordiam, ipse nullam fratri tuo misericordiam præstas. Oras ut te liberet à periculo, quum tu proximo periclitãti neges opẽ. Proinde quotquot Christi nomẽ profitemur, & huius mẽbra cẽseri uolumus, ut digne in tabernaculo illius cõmoremur, ut in mõte sancto

eius

eius requiem inueniamus, abiiciamus omnem maliciam, & ut in illius cõspectu ingrediamur sine macula, concordes in ueritate atq; unanimes. Non enim abest macula, ubi adest discordia: nec est in corde ueritas, ubi est opinionum uarietas: nec est in lingua syncerítas, ubi est doctrinæ diuersitas. Tum ei qui seipsum pro nobis obtulit, quotidie uictimas ipsi gratas offeramus, ut uere simus uerum sacerdotium: simulq; cum diabolo fortiter pugnemus, ut uere simus regale genus. Seruemus nos puros ob omnibus carnis inquinamẽtis, ut simus gens sancta. Agnosce Christiane dignitatem tuam, ac sume superbiã, non quæsitam meritis, ut ait ille, sed donatam cœlitus, ac tua sublimitate indigna proculca. Tibi loquor uir mulier, puer senex, pauper diues, nobilis ignobilis, rex colone, tibi denicq; textor ac fullo quisquis in Christo renatus es rex es, sacerdos es, sanctus es. Vincere diabolum, uere regium est, mortificare mẽbra quæ sunt super terram uere sacerdotale est: Nullo crímine uiolari uere sanctũ est. Sancta iureconsultis dicuntur, quæ uiolare capital est, ut mœnia, portę urbium, senatus & similia. Sacra quæ numini cuipiam consecrata sunt. Religiosa, à quibus uiolandis metu quodam abstinemus, quod genus sunt defunctorum monumenta. At hæc simul omnia in te competũt ò Christiane. Simul cum Christo sepultus es in baptismo, ac mundo mortuus es: Religionem uiolas, si mundo tradas dissipandũ sepulchrum tuum. Sanctæ trinitati consecratus es, templum spiritus sancti factus es. Qui templum, ait Paulus, dei uiolat, hunc disperdet deus. Violatur autem omnibus inquinamentis quæ detestatur spiritus amator puritatis. Calcearius es aut fullo, non uiolatur pellium sordibus, aut sapone, sed superbia, impudicitia, ira, auaritia similibusq; mentis immundicijs prophanatur. Quibus debetur religio, ijs debetur solitudo & quies. Quæ consecrata sunt, ea nefas est in alios usus accommodare: Quæ sancta sunt, ea uiolare crimen est, proinde irreligiose facit, qui Christo consepultus ac mundo mortuus, totus in mundanas curas distrahitur, nec sinit animũ sua quiete frui: Omnia membra nostra, imò totus homo semel Christo cõsecratus est. Itaq; sacrilegium committit, quicunq; uel corporis organis, uel animi uiribus in aliud abutitur, quàm ad domini gloriam, ac proximi utilitatẽ. Empti, inquit Apostolus, estis precio, & non estis uestri. Et rursus. Tollam igitur membra Christi, & faciam membra meretricis? Inter sacra uero & sancta nõ multum discriminis ponit scriptura. Quicquid olim in templo Solomonis gerebatur, aut hodie quoq; geritur externis ritibus, in unoquoq; nostrũ spiritualiter agitur, & hoc præstantius atq; efficacius, quia spiritualiter, quia intus in præstantissima hominis parte, quia diuinitus. Nobis omnibus dicitur quod dictum est sacerdotibus, sancti estote quoniã ego sanctus sum dominus deus uester. Consecrabatur non tantum Aaron ipse, sed & uestes, & omnia templi uasa. Ex his nemo existebat tã temerarius, qui auderet aliquid ad domesticos usus applicare: quanto religiosius cauendum nobis, ne quid ex his quæ diuino cultui consecrata sunt in usum non dico prophanum sed in turpem rapiamus. Vasa templi nostri sunt omnia mẽbra nostra, omnes animi uires: Vestes suncactiones nostrę quibus ornamur ad dei gloriam. Miraris templum candido extructum marmore, gemmis & auro refulgens: Tu templum es precioſius. Religiose uersaris in templo quod episcopus unctione consecrauit: Tu sacratior es. Non es unctus oleo sacerdotali. Quid tum? Ne Christus quidem unquã Mosaico unguento fuit unctus, quum sit rex Regum, & sacerdos in æternũ. Non tibi uertex ac manus unctæ sunt oleo quod à pharmacopolis conficitur, sed totus delibutus es sanguine agni immaculati Iesu Christi. Feliciter unctus est, qui cor habet unctum unctione spíritus. Tametsi nec externa unctio tibi deest. Vnctus es in baptismo, unctus in sacramento confirmationis, illic ad sacerdotium, hic ad prelium. Olim simplici aqua tingebãtur. Chrisma addidit patrum autoritas. Clamat per prophetam dominus: Nolite tangere Christos meos, hoc est unctos meos. Et Ioannes dicit: unctio eius docebit uos de omnibus, non sacerdotibus tantũ loquens, sed omnibus Christo initiatis. Videat igitur unusquisq; nostrum ut in templo suo purus pura, castus casta peragat sacrificia. Quæ inquis? Qui libidinis æstum in se restinxit, egregium hircum deo mactauit, simulq; hosti satanæ letale uulnus infixit. Qui inuidiæ motus excussit ab animo, gratam hostiam obtulit. Qui irã efferuescentem compressit, leonem immolauit. Qui stultitiam & ignorantiam abiecit, ouem mactauit. Qui in afflictionibus se totum submittit uoluntati diuinæ, gratissimum obtulit holocaustum. Qui petulantiam cohibet, uitulum immolat. Qui fraudulentiam abiicit, simplicitatem

citatem assumit,uulpem immolat. Qui luxum sobrietate corrigit,porcum maclauit. Qui ineptam garrulitatem dediscit,picam sacrificauit: quãdoquidem in hoc sacrificiorum genere nullum non animalium offertur,siue quæ uicij cuiuspiã typum gerunt,siue quæ uirtutis tenent imaginem. Veluti qui caste uiuit cum legitima coniuge,par turturũ immolat domino: qui gemit desiderio uitæ cœlestis,& simplicitatem amplectitur in omnibus,par columbarum obtulit: Oportet enim & uitia deuicta,& uirtutes partas offerre domino, sine cuius præsidio nec hoc nec illud possumus. Qui sic agit uitam,ut homines uidentes illius opera bona,glorificẽt patrem qui in cœlis est,suauissimum illi thymiama incendit. Quẽadmodum scribit beatus Paulus,bonus odor sumus deo in omni loco. Quin & puræ deprecationes & gratiarumactiones suffitum reddunt,deo quouis thure,& myrrha & galbano gratiorẽ. Est sacrificium laudis,quo deus amat honorificari. Et sacrificium iustitiæ,quod à nobis requirit. Est sacrificium misericordiæ, quo domini misericordiam prouocamus. Qui ob Christum subleuat egentes, ignoscit delinquenti, haudquaquam uile donarium obtulit domino. Quod si iuxta apostolicam admonitionẽ, assidue hymnis & canticis spiritualibus psallamus in cordibus nostris domino, melodia hæc uincet omnia musicorũ organa. His igitur hostijs,huiusmodi suffitibus,huiusmodi donarijs,talibus canticis,assidue sacrificemus domino, pariter illius præsidio cum satana belligerantes, ut ab hoc tabernaculo trãsferamur in cœleste tabernaculum,simul regnaturi cum Christo, cui gloria & gratiarum actio in omne æuum, Amen.

Peroratio.

En Habes Christophore,uir in Christo Charissime,quod petisti,pignus amicitiæ nostræ,perquam exile, sanè quod ad meam opellam attinet, Sed dedi sapienti occasionem, ut fiat sapientior: Tu enim pro tui ingenij felicitate, nostro commentariolo excitatus, ex prophetæ uerbis sublimiora cogitabis. Dominus te seruet incolumem,cum optima coniuge dulcissimisq; liberis: Datum Basileæ postridie Calendas Ian. Anno à natali Christi. M. D. XXXVI.

CLARISSIMO ANGLIAE BARONI D. THOMAE ROCHEfordo Des. Erasmus Roterodamus S. D.

Eximiæ cuiusdam mentis euidens specimen iam olim dedisti uir clarissime, quod non satis ornatus tibi uidebaris maiorum imaginibus, stemmatis,torquibus aureis & anulis,quæ tu quum pro uetusta gentis tuæ nobilitate,tum pro moribus genere dignis merito gestas, nisi & animum precioſiore quadam catena ex honestissimis philosophiæ disciplinis uelut ansis contexta, decorasses. Nunc impensius etiam gratulor tuæ felicitati,quod homini potenti, laico,& aulico,perspiciam etiam sacras literas esse cordi, teq; nobilis illius margaritæ desiderio teneri,quo lubentius morem gessi sanctissimæ uoluntati tuæ,psalmumq; quem designaras,tri fariam enarraui,cẽq; feliciter,tuum facio iudicium. Ipse certe non mediocrem huius opellæ fructum cepi,quod inter tractandum haud uulgarem animo uoluptatem solatiumq; persensi. Si tuo quoq; animo perinde placuerit,mihi gratulor,qui paruerim. Sin quæ displicent non grauaberis indicare,tibi gratias agam, qui me doctiorem reddideris. Scripsit in hunc psalmum Diuus Hieronymus,sed suo more breuiter, breuius etiam Arnobius: beatus Augustinus non enarrauit,sed notulas tãtum breuissimas addidit, quod in memoriæ subsidium,opinor,solet dicturus apud populum,ac demiror quo casu commentarius interciderit. Cassiodorum non habebam, nec solet ille multum adferre momenti.

Itaq; magna ex parte res erat meo,quod aiunt,Marte gerenda,quanquam si quid bene cessit,uni Christo debetur in solidum. Nunc psalmum accipe.

In Psalmum

IN PSALMVM XXII, DOMINVS REGIT ME, ENARRATIO TRIPLEX PER DES. Erasmum Roterodamum.



ADFERO psalmum charissimi, uerbis quidem astrictum, sed ingenti spiritualium gaudiorũ fruge exuberantem. Si uersus numeretis, per breuis est: si gaudia quæ pollicetur æstimetis, æterna sunt, nec modũ habentia, nec finem. Colligat dominus corda uestra in unum, ut attente audiatis, dilatet spiritum uestrum, ut mysteriorum capaces esse possitis. Inscribitur ipsi Dauid. De pascuis loquitur psalmus, & agnoscitis clarissimum uaticinium Ezechielis trigesimoquarto, de pastore illo unico ac singulari Dauid, qui domini gregẽ ab omnibus hostium contumelijs ereptum, pasceret in lætissimis omnicq; genere frugum exuberantibus pascuis. Habet in rege Dauid loci nonnihil historiæ ueritas: à grege uenit ad regnum, ex pastore ouium factus est pastor hominum: fuit uir dictus secundum cor dei, sed mysterij plenitudo quadrat in nostrum Dauid, manu fortem, & Goliath in populum dei ferocientis interfectorem, qui solus oues suas potẽter eripuit, & ereptas fideliter tuetur à tyrannide satanæ, neq; quisquam potest rapere de manibus illius. Hic est dominus Iesus Christus uiuum ac uerum ecclesiæ caput, redemptor misericors, gubernator sapiẽs, protector inuictus, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, cuius regni non erit finis, cui gloria, honos, & imperium in omne æuum, Amen. Alioqui rex Dauid licet in multis Christi figuram gesserit, tamen unam modo Iudaicæ gentis portionẽ tenuit, nec perpetuo fuit uir iuxta cor dei, quum occiso Vria, & stuprata Betsabea, adulterium homicidio iunxerit. Rursus indicto populi censu dominũ grauiter offenderit, nec semper potuerit populum suum ab hostibus protegere. At in Christo perpetuum fuit ac uerissimum patris testimonium: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est. Historiam itaq; si uidetur missam facientes, præsertim quum titulus nullum indicet certum argumentum, ad quod hic psalmus iuxta literalem sensum pertineat, allegoriam exponere tẽtabimus, si pariter & uestræ preces nobis diuini spiritus opẽ impetrauerint, & alacris ac uigilans attentio mihi differendi studium excitauerit. Habet hoc rhetorum ars, ut qui dicit, auditorẽ beneuolum reddat, docilem & attentum. Verum hic oportet hoc officium esse mutuũ. Nulla enim res magis adiuuat docentem, quàm auditor alacris, intentus, ac discendi auidus.

Psalmus ad Christũ ut ecclesiæ caput proprie accommodatus

Per uos igitur dominus me disertum reddere dignabitur. Primum illud forte requiret aliquis, quo pacto congruat, ut quum in priore psalmo, quẽ ipse dominus in ligno pendens recitauit, & recitando prophetiam exhibens exposuit, commemoretur tristitia mortis & crucis, hic repente sit tanta gaudiorum exultatio. Mihi sanè uidetur ordo pulchre congruens, eò quod Christi mors fons sit omnis lætitiæ nostræ, illi acceptũ ferimus quicquid bonorum in hoc psalmo commemoratur. Per mortem iter est ad uitam, per crucis afflictionem iter est ad nunquam finienda gaudia. Nouit optime charitas uestra, quoties ab historico seu grammatico sensu recessum est, quadrifariã exponi scripturã mysticã, uel uti proprie quadret in Christũ tanq; ecclesiæ caput, uel in mysticũ illius corpus, quod est ecclesia, uel de utroq; mixtim, uel de utroq; disiunctim. De utroq; disiunctim quũ totus prophetiæ sermo proprie accõmodatur capiti, & itẽ proprie accõmodatur corpori: de utroq; mixtim quoties aliqua scripturę pars ita quadratĩ Christũ, ut ad corpus nõ queat adaptari, aliqua sic cõgruit corpori, ut de capite nõ possit uere prędicari. Quanq; & ecclesię uocabulũ accipit distinctionẽ: nũc enim ecclesiæ uox nobis declarat promiscuã Christi nomẽ profitentium multitudinem, quæ hic interim in terris, iuxta Euangelicæ sagenæ parabolam, indiscrete trahit bonos ac malos, donec in fine seculi, illius angeli qui solus intuetur corda mortalium separẽt pios ab impijs. Interdum ecclesia declarat illam unice dilectam sponsam, quæ non habet maculam neq; rugam, quam nos fide credimus, non oculis cernimus, sed solus ille nouit eam, qui purificat eam. Atq; hæc uox rursus eam interdum congregationẽ declarat, quæ iam triumphat in cœlis, interdum hanc quæ diuisa est, corpore uersans in terris, animo uersans in cœlis, ubi est Hierosolyma mater piorum omnium, ueræ perfectæq; pacis contemplatrix. Nonnunquam scripturæ sermo ad utramq; mixtim

pertinet

pertinet. Hæc est charissimi beatæ scripturæ fœcunditas, quæ simul & lacte alit paruulos, & ualidiore cibo uegetat adultos, & sublimiore doctrina nutrit perfectos. Vænam enim habet inexhaustam, quo penetres altius, hoc admirabiliores opes ostentat. Non tales sunt Philosophorum literæ, non Poetarum libri, non humanæ leges, quanquam & hæ pro sua portione qualicunq; conferunt utilitatem: hæc quacunq; ex parte eam contempleris, copiosa fruge exuberat. Allegorias in diuinis literis ridere impietas est: eas religiose perscrutari, fructus est: errare si absit temeritas ac sensus impius, periculosum non est. Durius esse fateor, sic scripturam præsentem ad Christum accommodare, ut interpretationem à corpore semoueas, sed tamen hoc fauente domino conabimur. Superior psalmus crucis acerbitatem depingit, ac certaminis difficultatem ponit ob oculos: eoq; uerba quædam insunt, quæ propemodum desperantis ac magnitudine malorum fatiscentis uideri queant, uelut illa: Deus meus deus meus, quur me deseruisti: Longe à salute mea uerba delictorum meorum. Et: Ego sum uermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Et: Sicut aqua effusus sum. Et: Aruit tanquam testa uirtus mea. Quanquam is quoq; psalmus ita desinit, ut ostendat Christi uictoriam. Et anima, inquit, mea illi uiuet, & semen meum seruiet ipsi. Ad hunc itaque finem pulchre congruit hic psalmus, ostendens peracta cum satana conflictatione, tuta tranquillaq; nobis esse omnia. Nec enim sibi, sed nobis uicit pastor noster. Ergo Christus iuxta naturam hominis assumptam, uictoriam omnem patri tribuens ita loquitur: [Dominus regit siue pascit me,] cuius autoritate functionem hanc obeo, cuiusq; protectu sum inuictus, & eiusdem uirtute nihil omittetur eorum quæ prophetarum oraculis de me promissa sunt. In loco pascuæ ibi me collocauit: locus pascuæ est ecclesia, ad hanc missus est Christus, ut expleret humani generis redemptionem. Quum anima, inquit, mea esset tristis usq; ad mortẽ, ille missis angelis refecit eam consolatione cœlesti: quum esurirem & sitirem hominum salutem, ille propitius refocillauit animam meam, nimirum hoc per meam doctrinam ac mortẽ tribuens omnibus meis, quod uehementer esuriebam ac sitiebã. Nam hęc me sitis torquebat, quum ad fontem fessus dicerem Samaritanæ: Da mihi bibere: hæc erat quæ me in cruce coegit exclamare, sitio. Sola hæc aqua ad quam me pater enutrijt, refrigerare poterat sitis ardorem. Reconciliatus est pater, diruit maceriam, patefecit cœlum in me credentibus, & conuertit animam meam, aut ut Hebræi legunt, refecit animam meam, conuertit à dolore crucis, ad gaudium de redemptis per crucem. Deduxit hac spe refectum super semitas iustitiæ, dum angustam Euangelicæ iustitiæ uiam solus citra lapsum perambulo, nihil omittens eorum quæ mihi mandarat pater, neq; quicquam omnino loquens extra delegatum munus. Opera patris faciebam, & sermo quẽ loquebar non erat meus, sed patris cuius nomine legatum agebam, eius in omnibus quęrens gloriam à quo fuerã missus. Illius igitur ductu cõsummaui legẽ, implens omnẽ iustitiã, nec mihi quicq; metuẽdũ putaui uel ab impijs hominibus, uel à dæmonibus. Vixi inter mortuos, mors aũt peccatũ est, uolens adij mortẽ crucis, anima mea descẽdit ad inferos, tamen nulla malorũ species terruit eam, quoniam tu semper mecum eras, nec unquam illam diuino præsidio destituisti. Circunderunt me dolores mortis, sed moriendo mortem deuici. Descendi ad inferorũ regnum, aperuit tartarus os suum, sed meæ luci cesserunt æternæ tenebræ. Disieci portas adamantinas, uectes ferreos confregi, tyrannum in uincula conieci, & abducta præda triumphabundus ad superos redij. Hæc nulla uis humana poterat, sed tu Deus eras in filio mundum reconcilians tibi, tua uirtute, tuo ductu, tuis auspicijs gestum est quicquid gestum est. Tibi regnum asserui, tuo præsidio fretus hostem deieci, tua erat uirga, Nam uirga directionis uirga regni tui: tuus erat baculus quo contudi caput draconis. Hæc mihi non solum tribuere fiduciam, sed in medijs etiam afflictionibus fuere solatio, ut non solum fortiter, uerum etiam alacriter omnia perpeterer. Insultabant ueluti uicto pharisæi: Vah qui destruis templum Dei, si filius Dei est descendat nunc de cruce: Satanas adornabat triumphum, sed tu mihi parabas triumphale conuiuium, dum animam meam reducis ab inferis, dum corpus excitas è sepulchro, dum emisso spiritu tuo mundum subtuas leges mittis, dum subuertis idola, & omnem dæmonum impium cultum uertis in religiosum tui nominis honorem, deniq; crucis ignominiam mutas in summam gloriam. Hanc uictorialem mensam mihi parasti aduersus eos, qui me meosq; affligunt, ut uide-

Deduxit me super semitas

Propter nomen suum

Nam & si ambulauero in medio umb.

Quoniam tu mecum es

Virga tua & baculus tu. ipsa me cõsolata sunt.

Posuisti in cõspectu meo

ant eum quem extinctum optabant, cuius nomen abolitum putabant, exaltatum supra omnem mundi sublimitatem, gloria immortalitatis & honore sempiterno coronatum. Abstersisti pater crucis tristitiam, mœrorem mortis uertisti in gaudium resurrectionis. Caput meum antea purulentijs consputum, colaphis turgidum, spinis coronatum, non habens speciem neq; decorem, oleo lætitiæ impinguasti, & calicem quem mihi tradideras ebibendum, ebibi: nec is fuit inefficax, sed præclarus, illustris, ac potens: multos enim inebriauit, usq; ad facultatum, cognatorum, uerberum, ignium, ungularum, postremo uitæ contemptum. Non enim habebat aquam literæ, quam ante mortem meam bibebant Iudæi, sed uinum nouum ac mustum spiritus. Habet & Babylon calicem suum, habent Philosophi suum calicem, sed hanc ebrietatem solus præstat calix tuus. Nec intra me constitit hæc tua benignitas ò pater, sed eam ecclesiæ sponsæ meæ, cui calicem tuum ebibi, uoluisti esse perpetuam. Præuenit me tua benignitas, eadem comitata est redemptionis munus ex tua delegatione peragentem, eadem subsequetur in membris meis usq; ad consummationem seculi: ut habitem non in templo Hierosolymis extructo manibus, sed in domo domini, in domo uiuis constructa lapidibus, nullis cessura tempestatibus, in qua una exaudis preces undecunque terrarum ad te clamantium: Hæc est illa domus, quam sibi ædificauit sapientia tua, hæc est quam unam petij, quam unam requisiui, ut in ea inhabitem omnibus diebus uitæ meæ, & in longitudine dierum, hoc est in æternum. Nihil enim longum quod aliquando finem habet. Moses habitauit in tabernaculo tuo, sed quoniam seruus erat non habitauit in æternum, quoniam synagoga cessit ecclesiæ: solus enim filius in domo manet in æternum. Delitiæ meæ sunt esse cum filijs hominum, de siderat caput corpus suum collectis in unum mẽbris omnibus integrum, ut posteaquam tibi subiecero omnia, regnumq; tranquillum ac pacatum tradidero, tum totus ac perfectus epuler in domo cœlesti, laudans nomen tuum in secula infinita, Amen. Habetis totam psalmi seriem ad Christi personam accommodatam, nec arbitror hic quicquam impie dici, si modo memineritis, quicquid in Christo ut homine fuit, diuinæ fuisse benignitatis, quam scriptura nonnunquam appellat misericordiam. Rursus quicquid in illo fuit iuxta diuinam essentiam, à patre profectum esse non dono sed natura, ut summa patri tribuatur autoritas, qui solus sic fons est omnium ut ipse sit à nemine. In mysticis enim scripturis pater mandat, filius operatur, iuxta illud: Fiat lux, & facta est: per filium enim fecit & secula, teste Paulo. Ergo fiat, uox est patris ad filium: & facta est lux, uox est prophetæ de filio. Quanquam hæc autoritas nec æqualitatem personarum imminuit, nec operationem separat. Nunc si postulat hoc charitas uestra, simili breuitate psalmum eundem ad Christi corpus ecclesiam applicemus. Ea quanquam longe lateq; per orbem terrarum diffusa est, tamen quoniam per eundem spiritũ, charitate conglutinatur in unum, perinde quasi sit unus homo loquitur. Nam plus est unum esse quàm unus. Quemadmodum si mille corpora eadem uegetet anima, non mille futuri sunt homines, sed unus homo, quoniam eodem spiritu animantur omnia domicilia: ita quicunq; eodem Christi spiritu uiuunt agunturq;, unam quodammodo personam constituunt. Sicuti fuere philosophi non ignobiles qui dicerent, mundum hunc uniuersum, tam uarijs atq; etiam pugnantibus rerum generibus conflatum, cum omnibus quæ complectitur non esse nisi unicum animal, non ob aliam causam nisi quod existimarent unica anima animari, licet ea quemadmodum & nostra in corporis mẽbris, pro uarietate materiæ, diuersis modis operetur, uelut in stomacho non intelligit, in manu non uidet, in lingua non olfacit, in unguibus & capillis non sentit, & in alijs atq; alijs partibus sensum habet acriorem ac obtusiorẽ. Hoc exemplum adduxi, non approbans sententiam, sed similitudine demonstrans, quo pacto possimus uniuersam ecclesiam uelut unum hominem contemplari. Hic igitur ex tot milibus unus, sibi de misericordia domini, deq; capitis sui beneficijs gratulans ita loquitur. [Dominus regit me, et nihil mihi deerit.] Quod nos uulgo legimus, regit, d. Hieronymus ex Hebraica ueritate transtulit pascit, quæ uox reperitur & apud Augustinum, neutra tamen proprie exprimit Græci uerbi sensum, ποιμάνει. Nam pascit etiam qui quomodocunq; alit, & regit nauim qui clauo assidet, sed ποιμάνειν proprie congruit pastori, qui gregẽ curat. Variũ est aũt pastoris officiũ, colligere gregẽ dissipatũ, prouidere de lætis salutiferisq; pascuis, reuocare aberrãtes, mederi morbidis, excubias agere aduersus fures, armatum

Impinguasti in oleo

Et calix tuus inebrians q̃

Et misericordia tua super

Et ut inhabitẽ in domo dom.

1. Cor. 15

Heb. 3

Psalmus ad Christi corpus ecclesiam accõmodatus

tum esse aduersus luporum insultus, ducere ac reducere: hæc omnia, & si quod aliud est si di nec ignaui pastoris officium, significat Græcis ποιμάνειν. Quis est igitur iste grex tam unanimis, ut quum sint innumerabiles, & quidem per omnes mundi plagas disiecti, ta/men uno ore loquantur omnes? Nimirum ille qui dicit in alio psalmo: Nos autem popu/lus tuus, & oues pascuæ tuæ. Quod est ouile? Quod aliud quàm ecclesia, quæ est domus dei? Quis pastor ille & idem dominus, neq; enim mercenarius est? Iesus Christus, caput, redemptor, & gubernator sponsæ suæ charissimæ. Caput est sponsæ, quoniam huius spi/ritu uiuit illa. Dominus, quoniam illam è satanæ tyrannide sanguinis sui precio redemit. Gubernator, quoniam ipse dixit: Ego uobiscum sum usq; ad cõsummationem seculi. Hic grex olim dissipatus erat, partim seruiens prædoni diabolo, & illius arbitrio ad omne ge/nus impietatis abducebatur, usq; ad hominum mortalium, serpentum, boum, simiarum, aliorumq; brutorum animantium, deniq; lignorum ac saxorum cultum: partim sub phari sæis ac fallacibus prophetis, litera legis, & humanis cõstitutionibus premebatur, male cu ratus interim ac morbidus. Habebat lupos pro pastoribus, philosophos supercilios os, re ges idololatras, legũ conditores prophanos, scribas, pharisæos, & pseudoprophetas, ma gistros errorum, stultæ sapientiæ doctores, & irreligiosæ religionis antistites, de quibus dominus longam apud Ezechielem texit querimoniam, quod non gregem, sed seipsos Ezech. 34. pascerent, lac comedentes, lana sese uestientes, quod crassum erat mactantes, cęterum do minici gregis nullam habentes curam, quum nec quod infirmum erat confirmarent, nec quod ægrotum curarent, nec quod fractum alligarent, nec quod aberrarat reducerẽt, nec quod perierat requirerent, sed cum austeritate imperarent, tyrannidem exercentes in eos quos paterno affectu fouere debuerant. Horum negligentia factum est ut acciderent ea quæ sequuntur inibi: Dispersæ sunt oues, expositæ sunt laniandæ cunctis bestijs agri. Er/rauerunt in cunctis mõtibus, in omni colle excelso, & super omnem faciem terræ, quum dominos haberent multos, pastorem neminem. Hæc indigne ferens clementissimus do/minus, pollicetur seipsum uenturum, ac erepturum oues suas tyrannide prædonum op/pressas, opinionum sectis dissipatas, erraticas reducturum in terram suam, in montes Isra el, iuxta riuos ut illic pascantur, & acquiescant in pascuis uberrimis, in herbis uirentibus spiritualis ac cœlestis philosophiæ. Deniq; promittit se missurum seruum suum Dauid, insignem illum pastorem, qui ab ouibus uocatus est ad regnum, illum manu fortem, qui occiso Goliath populum dei liberauit ab ignominia, qui pro sua sapientia solus uere cer/toq; iudicat inter arietes & hircos, inter pecus uegetum & macilentum, sanum & langui/dum, inter oues ueras, & ouillo uellere tegentes lupum. Præstitit promissa deus, uenit pa/ter in filio suo Dauid, hoc est domino Iesu Christo, reuocauit perditas oues domus Israe/liticæ, liberauit eas à tyrannide pharisæorum, à seruitute legis, abduxit à sterili & insipida litera, spiritus uiuos fontes aperuit. Sed & per uniuersum orbẽ dissipatas, tot sectis, errori bus, constitutionibus, ac religionibus disiectas reduxit in unum ouile, & in eandem euan gelij ueritatem, tot linguas, tot nationes consociauit. In omnem enim terram exiuit sonus illius. Ante erat tantum notus in Iudæa, sed audita uoce ueri pastoris concurrere cœpe/runt, à Scythis, à Gaditanis, à Gottis, Hybernis, & Britãnis, ab Indis & Aethiopibus, de/niq; nullus fuit orbis angulus, unde nõ congregaret gregem suum optimus ille pastor, qui uitam suam impendit liberandis ouibus suis. Ante illum quotquot uenerant non per il/lum, & quotquot uenturi sunt, fuerunt futuriq; sunt fures ac latrones. Dominus non ue/nit nisi ut seruaret, unde & σωτὴρ, hoc est seruator dictus est. Quid fur? Nõ uenit nisi ut fu retur, mactet, ac perdat. Auditis quod est in prouerbio, lupum ouium custodẽ. Dura qui/dem uox est charissimi, nemo patienter audit, fur & latro, sed non potest ut uanum reijci quod dixit ueritas. Quisquis horret cõuicium uitet meritum, & quatenus abhorret à uer/bis, eatenus abhorreat à factis. Quisquis episcopi munus gerit, honoris & emolumẽti sui gratia, nihil sollicitus de grege domini, nec salubri doctrina pascens illum, sed uita magis impia solicitans ad peccandum, non refert quibus titulis decoretur ab hominibus, dica/tur ter quaterq; reuerendissimus, clarissimus, & sanctissimus dominus, qui nec fallit, nec fallitur, exerte pronunciat, ille fur est & latro. Tales sunt qui cum austeritate imperant, ni hil habentes præter fulmen anathematis, carceres, bombardas, & fasciculos, doctrinæ pa bula non habent. At nõ item uerus ille pastor, sed quid? Fouet infirmas oues, humeris re/

Esa. 42 ducit errantes, & iuxta uaticinium Esaiæ, non clamat, nec auditur uox eius foris, calamum quassatū non conterit, nec linum fumigans extinguit, nec est tristis neq; turbulentus, sed uelut gallina sub alas congregat pullos ac fouet, ita ille colligit ac fouet oueis suas. Videtis quàm horrenda minetur dominus per Ezechielem malis pastoribus, quàm atrocia denunciet scribis & pharisæis. Timeant qui pastores professi, lupos agunt, & ex lupis fiant arietes, & anteeant gregem dominicum, quo rationem possint ei reddere, qui oues suas requiret de manibus illorum. Nam sermo domini non potest esse irritus. Quod de malis Episcopis dictum est, idem de principibus sentiendum, qui sunt & ipsi pastores, quandoquidem ante tot annorum milia Agamemnonem Homerus pastorem populorum appellat. De regibus itaque qui sibi gerunt imperium, non Reipublicæ commodis, nullus hominum auderet dicere, fures sunt & latrones, sed hoc ausus est dicere dominus, qui nec mentiri nouit, nec metuit quēquam. Quid autem lucri sit, apud homines sup primi nomen, si res maneat apud deum? Sed ad bonum illum pastorem nostra recurrat oratio. Si placet contemplari misere dispersas dominicas oues, reputate cum animis uestris, quot in Iudaismo fuerint sectę, Pharisæorum, Sadducæorum, Herodianorum, Essenorum, Samaritanorum: quot apud Gentes fuerint philosophorum hæreses, beatitudinem quandam pariter pollicentium, & tamen in quærendo summi boni fonte adeo sententijs uariantium, quum nulla uerum assequuta sit. Reputate religionum uel superstitionum potius tam innumera, tam prodigiosa discrimina, uarios deos, uarios cultus, uarias leges, uarias de dijs fabulas. Reputate turbam humanarum constitutionum, tam apud Iudæos quàm apud Gentes. Nec minus dissentiebant Rabini, quàm philosophi. Addite nunc regionum, linguarum, institutorum, ingeniorum, rituum & formarum immensam uarietatē. Sarracenus aut Maurus Germano uix homo uidetur. Tartarum ferarum ritu fremere dicas, non humana uoce loqui. Quis tam immensam diuersitatem collegit in unum? Quis oues tam deploratas restituit? Bonus pastor sua uoce congregauit omnes. Protinus agnouerunt uocem ueri pastoris, qui ad illius ouile pertinebant. Pastores audierunt canentes angelos, & accurrerūt ad commonstratū puerū. Magi audierunt pastorē per stellam aliquid significantē, & è longinquo properarunt ad ouile. Herodes quoniam lupus erat non ouis, parabat lanienam. Sacerdotes, scribæ, & pharisæi, audientes non audiebant, uidentes non uidebant, uidentes dum interrogati à rege, probe respondent è uaticinijs ubi nasciturus esset Christus, non uidentes dum docenti, miracula ædenti reclamant: audientes dum Mosen approbant, non audientes, dum eum de quo Moses lo-
Matth. 4 quutus erat, reijciunt, & crucifigunt. Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ, uelut obiter uocauit Simonem & Andream. Illi quoniam oues erant, protinus audierunt uocem pastoris. Quæ fuit illa uox tam efficax? Venite post me. Quid præmij? Faciam ut sitis pisca-tores hominum. Non promisit præfecturas, non opes, non regnum, non honores. Nihil aliud promisit, quàm onus Euangelij prædicandi. Et tamen ad hanc uocem, nihil contantes reliquerunt retia, sequutiq; sunt dominum, reliquerunt mare, subducentes sese à mundo, reliquerunt retia, renunciantes omnibus carnis cupiditatibus. Et in his erat Simon cui domi erat uxor & socrus, ad harum uoces surdus, solius pastoris uocem audiuit. Non oberrat hic pastor per terras ac maria, ut in pharisaicum rete pelliciat hospitem, sed aliquantulum progressus, dicit Ioanni & Iacobo: Venite post me. Oues erant, agnouerunt uocem pastoris, & non tantum relictis retibus unde familiam alebant, uerum etiam patre cui debebant honorem, sequuti sunt cunctis affectibus potiorem. Quis autem crederet Matthæum esse ouem sedentem in teloneo? Pastoris uocem protinus audiuit. Quam uocem? Sequere me. Quid promisit? Non est opus oui promissis. Satis est audisse: Sequere me. Nam in hoc est ouium felicitas, ut pastorem sequantur, cui adhærentibus nihil deesse potest. Oues uocabat, ut fierent pastores ouium, quia boni pastores esse non possunt, nisi sint oues, & sequantur pastorem Iesum. Petrus enim adhuc carnem ex parte sapiens, quum inciperet præire pastori suo, propitius esto tibi, nō erit istud, audijt: Vade post me satana, non sapis ea quæ dei sunt. Ouis erat Zachęus, quāquam publicanorum princeps, quoniam mox ad uocem pastoris alacriter descendit à sterili ac superba sycomoro, & properauit ad fidem euāgelicam. Sacerdotes autem pharisæi & scribæ tot modis inuitati ad ouile, nō audierunt uocē pastoris. Quare nō agnouerunt? Quia nō erant ex ouibus illius,

sed

sed agnouerunt uocem pastoris sui satanæ. Quid ille clamat? Venite post me, faciam uos diuites, honoratos, ac potentes. Nemo uenit ad Christum, nisi uocatus ab eo. Multos tamen ad se traxit, nulla uoce corporis, sed tantum appellatione tacita. Sic uocarat latronem in cruce. Multi uocem domini corporeis auribus audierunt, sed audientes non audierunt, quoniam non crediderunt. Nos audiamus intus, & relictis affectibus mundi, toto pectore sequamur uocantem. Audiamus amici uocem illam congregatricem dispersarum ouium, & ad illum recurrat, si quis forte aberrauit. Clamat in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Simus & nos oues charissimi, & audiamus benignissimi pastoris uocem, nec obturemus aureis nostras. Nam & hodie clamat omnibus, uenite ad me. Sinamus pharisæos, qui uentri suo seruiunt, nō Iesu Christo, duces enim sunt cæci cæcorum, ne simul cum illis incidamus in foueam: nec denuo simus oues errantes, sed adhæreamus, ad quem semel conuersi sumus, pastori & episcopo animarum nostrarum domino Iesu Christo, qui est benedictus in secula. Amen. 1. Pet. 2

Verum interim mihi contemplanti gregem dominicum, subit alia quædam admiratio. Christus appellat gregem pusillum, quod dictum non solum ad illud tempus pertinet, quo dominus agebat in terris. Semper fuit, semper futura est ouium dominicarum magna paucitas, si ad reliquam turbam comparetur. Et beatus Paulus apostolus scribens Corinthijs, 1. Cor. 1 ait: Videte fratres uocationem uestram, non multi inter uos sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Ouis est animal innocuum & imbelle, nec cornibus armatum, nec dentibus, nec calcibus, nec unguibus, nec ueneno munitum ad sui defensionem. Primus ille grex & gregis duces ex piscatoribus, idiotis, tenuibus, & ignotis selecti sunt, egestate, periculis, insidijs, afflictionibus, ludibrijs, tormentis & mortibus semper exerciti sunt, nec unquam ista desunt uolentibus pie uiuere in Christo Iesu. Vnde igitur illa magnifica uox pusilli afflictiq; gregis, Nihil mihi deerit? Quis imperator, quis rex quamlibet opulentus ac potens auderet dicere, nihil mihi deest? sed animosius etiam est dicere, nihil mihi deerit. Vnde tam animosa uox in tam raro tam humili ouium grege? Mirentur hoc, qui nihil nisi mundum sapiunt, nobis qui Christi mysterijs initiati sumus mirum uideri non debet. Animosa quædam res & inuicta est fides, aduersus quam ne portæ quidem inferorum præualent. Nec hæc est humana fiducia, quæ plerunque fallit, sed est fiducia erga deum, quam ipse donat electis suis, ne dæmonum quidem malitiæ potentiæue cedentem, tantum abest ut hominum minas expauescat. Hinc nimirum animosus ille grex quamuis pusillus, quamuis contemptus & humilis, in medijs rerum tumultibus, in mortibus dicit, nihil mihi deerit. Quo fretus? Num numero? Nequaquam. Num astutia? Minime. Num opibus? Absit. Num armis & potentia? Nihil minus. Quo tandem igitur? Alij alijs, & singuli pluribus nituntur præsidijs, ego, inquit, simplex unica nitor ancora. Qua? Dominus pastor meus curam in se mei recepit, & ego me semel illi toto pectore tradidi. Is quoniam omnipotens est, & fons bonorum omnium, nihil metuo ne quid desit, quamdiu ille adest, ad futurum autem promisit usq; ad consummationem seculi. Hæc est illa fides adamantina, cui Christus promisit claues regni cœlorum, & cui superstruxit ecclesiam suam, nullis uentorū turbinibus, nullis undarum insultibus cessuram. Quot persecutionibus, quot schismatibus, quot hæreticorum agminibus ab ipsis statim primordijs quatiebatur ecclesia, & hodie quatitur? illa tamen confisa pastori suo nō desinit læta dicere: Dominus regit me, et nihil mihi deerit. A tali capite mihi fluunt omnia quæ uere bona sunt, & ad salutē necessaria. In loco pascuæ ibi me collocauit, aut iuxta ueritatem Hebraicam, in pascuis herbarum ibi me acclinauit. Aduerbium, ibi, redūdat ex proprietate sermonis Hebraici. Nam & Septuaginta uerterunt, in loco herbæ. Significat autem locum herbidum & pascuis aptum. Quod autem Hieronymus uertit, acclinauit, Septuaginta transtulerunt κατεσκήνωσεν, hoc est obumbrauit, siue in tabernaculo posuit. Quādiu per spineta philosophorum, per harenas steriles pharisæorum oberrabant oues, non habebant ubi à carnis cupiditatibus acquiescerēt. Solent autem et hoc prouidere pastores, ut in pascuis sit saltus, aut specus, aut tabernaculum, aut alioqui locus opacus quò se recipiant oues, ne solis æstu maciem ac morbum cōtrahant.

Cant.1 Ac de tabernaculis quidem pastorum meminit Canticum canticorum, meminit & Esa/
Esa.4 ias. Aestus autem bifariam temperatur, umbraculis, & aquæ uæna uicina. Ergo quum in promptu sint herbida pascua, quid desiderare potest grex, aut quid obstat, quo minus dul
Super aquas refectionis c. citer accubet? Aquas autem refectionis, iuxta sermonis Hebraici proprietatem dixit, pro refectricibus, siue amœnis, quod & frigore reficiant lassum, & aspectu recreent oculos, & haustæ sedent sitis molestiam. In pascuis igitur multa graminum ubertate uirentibus, sub umbra, iuxta placidas & amœnas aquas uerus ille pastor acclinauit oues suas, ubi iã liberæ ab omni cupiditate rerum mundanarum tuto acquiescant, nec aliunde quærant solatium. Talia pascua non poterant ex sese inuenire, sed pastor oues suas prius errantes eò direxit, ibi collocauit in umbra, ibi deduxit ad aquas animarum laborantium refectrices. Scio quosdam esse qui pascuæ locum interpretentur uitam beatam, ubi Christus oues suas aqua baptismi purificatas acclinauit, non quidem re, sed tamen expectatione certissima. Quæ spes illos inter huius mortalitatis molestias sic pascit, ut hinc multum spiritualis roboris colligant: sic obumbrat, ut nulla carnis æstuent concupiscentia: sic recreat reficitq; ut ea quoq; dulcia sint, quæ uidentur amara nil nili mundum sapientibus. Mundus habet uarios æstus, ambitionis, auaritiæ, libidinis, inuidiæ: habet sua quoq; pascua, sed sterilia, sed sordida, sed toxico pabulo letalia. Ab huiusmodi pascuis dominus abduxit gregem suum, quem electum semouit à mũdo, ut iam mortificatis membris quæ sunt super terram, conuersationem suam habeant in cœlis, ibi cor habeant ubi thesaurus est, ibi solatium, ibi refrigerium experiuntur, quemadmodum prædixit pastor: In mundo tristitiam habebitis, in me pacem. Quicunque Christi spiritum hauserunt, licet carne reptent in terris, tamen animus eorum ignea charitate defecatus à terrenis contagijs non aliò fertur quàm in cœlum. Spiritus enim igneus est, à deo profectus, is quemcunq; transformauerit, eum à terris rapit ad cœlestia, nimirum ad fontem suum. Hunc spiritum deus in ecclesiam suam effudit abunde, siue ut Paulus Græce melius expressit πλουσίως, id est opulente. Qui Christi spiritum non habent, ait Paulus: non sunt eius, sed Christi grex
Can.3 agitur spiritu Christi. Hanc Christi sponsam sursum tendentem mirantur in Canticis ætherei spiritus: Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut uirgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarijs? Contrà animus illorum qui nõ agun tur spiritu dei, sed spiritu huius mundi, non habitat in cœlis, ubi nullum reposuere thesaurum. Sed ubi tandem? In uænis auarijs, inq; metallis reliquis, in cauernis ubi defossę sunt opes, hoc est ἀχλῷ, ut est in prouerbio, πλᾶτος, in granarijs, in cellis uinarijs: breuiter aut infra terram habitant, aut certe ultra terram non subuolant. Tales ad ecclesiam non pertinent, sed ad synagogam satanę. Habet enim & hic corpus suum mysticum, habet spiritum suum. Quicquid igitur puritatis, quietis, gaudiorum ac bonorum est in illa cœlesti Hierosolyma, hoc hic per fidem, spem, & charitatem quatenus licet fruuntur in terris, qui destinati sunt ad illius hæreditatem. Nec absurdum cuiquam uideri debet, quod in illa cœlesti beatitudine ponimus pastorẽ, pascua, tabernacula, & aquas refrigerantes. Concessa quidem est aliqua libertas in allegorijs explicandis, sed oportet id quod adfertur à diuinis scripturis non abhorrere. Pastorem, tabernaculum, & aquas illic esse declarat in A/
Apoc.7 pocalypsi beatus Ioannes: Hi sunt qui uenerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in throno habitabit super illos. Non esurient neq; sitient amplius, neq; cadet super illos sol, neq; ullus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est reget siue pascet illos. Nam & illic Græce est ποιμανεῖ, & deducet illos ad uitæ fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Illic itaq; pascet illos sua præsentia, quos hic pascit fide & gratia. Illic refrigerabit illos perenni gloria, quos hic reficit arrabone spiritus. Hi bibunt de spirituali petra, quæ pios per hoc seculi desertum comitatur ac reficit, bibunt de fluminibus quæ profluunt de uentre pastoris a/
Ioan. 4 quæ uiuæ, de qua meminit & Samaritanæ dominus, fiet in eo fons aquæ uiuæ, salientis in uitam æternam. Concinit his psalmus 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Quod fontes aquarum sunt ceruo uenenato serpentium pabulo æstuanti, hoc deus est animæ in hoc terreno corporis domicilio curis, afflictionibus, ac tentationibus lassescenti. Cõcordat psalmus 35. Quoniam apud te deus

est fons

est fons uitæ. De tabernaculis meminit psalmus 83. Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum, concupiscit anima mea in atria domini. Rursus 45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem, sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Auditis fluminis & tabernaculi mẽtionẽ. Porrò quod æternæ uitæ quieta felicitas paradisi nomine denotatur, in promptu est ostẽdere. Ezechiel 28. prophetico spiritu afflatus alloquitur luciferũ: In delicijs paradisi dei fuisti. Et dominus de cruce latroni loquens, hodie, inquit, mecum eris in paradiso, nimirum illam significans perennem beatitudinem, quæ nulla molestia motúue malorum contaminatur, cuius gustus quidam Paulo datus est, quum raptus esset in paradisum dei. Cæterum ubi paradisus est, ibi nec desunt amœna pascua, nec aquæ uiuæ, ut iam nec esuriant nec sitiant, nimirum saturatis omnibus desiderijs eius præsentia, qui fons est inexhaustus omnium quæ uel homines, uel angeli possunt desiderare. Quemadmodum habet psalmus 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Sunt in diuinis literis & alia loca non pauca quibus doceri poterat in illa uita perenni nõ deesse pastorem, non pascua, non umbraculum, nõ aquas, quæ uoces possunt & ad hanc ecclesiam accõmodari, quod accidit in alijs pleriscp. Nec id mirum uideri debet. Eadem enim est ecclesia, tantum hoc interest, quod illa iam peregit certamen suum, nec aliud expectat, cp corporum in terra dormientium resurrectionem, ac fratrum qui in terris adhuc militant accessionem: hæc adhuc luctatur cum mundo, carne & satana, gnauiter festinans ad cœleste brabium. Illa contemplatur pastorem suum facie ad faciem sicuti est, hæc cernit ueluti per speculum & in ænigmate. Illa perfecte possidet, quod huic aliquo modo præstat pastor, pascua, tabernaculum, & aquas. Verum hic pastor regit oues, dum uel dirigit ne aberrent, uel ab errore reuocat, saginat pascuis, sed esurientes ac defecturas ni detur pabulũ, protegit umbra, sed æstuantes ac fathiscentes: recreat aquis sed sitientes iustitiam, alioqui macie conficiendas. Agedum fratres oremus benignissimũ pastorem nostrum, ut nos in huius quocp sensus enarratione dirigere dignetur, ut ex mysticæ ueritatis intelligentia pascantur ac reficiantur animi nostri. Multiplex ac uaria res est error, & falsitas sæpe pugnat cum falsitate: at simplex est ueritas, nec unq̃ ueritas cum ueritate pugnat. Ab errorum igitur innumeris ambagibus nos abduxit princeps ille pastorum, ac deduxit ad cognitionem ueritatis per Euangelium suum: abduxit nos à sterili litera legis Mosaicæ, abduxit nos à siti fameq̃ rerum temporalium, quæ nuncp̃ satiant homines spiritum, sed magis excruciant, & inseruit nos corpori suo, ut illius spiritu uiuentibus nihil nobis deesset opum ac delitiarum spiritualium. Omnia uestra sunt, inquit Paulus, uos aũt Christi: acclinauit nos in herbidis ecclesię pratis, aggregauit gregi suo niueo. Ibi primum cœpit animus noster à tumultu uitiorum & errorum conquiescere, Nam extra septum ecclesiæ non est pax: & acclinauit, in herbis salubribus doctrinæ spiritualis, quæ pabulum est animæ, quemadmodum panis cibus est corporis, iuxta illud à domino relatum: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei: dedit nobis pignus spiritus, ut mundo mortui, nullo rerum mundialium amore torqueremur; hoc erat tabernaculum defendens æstum concupiscentiæ: deduxit ad aquas refectionis, hoc est ad fontem regenerationis, quo exuimus ueterem hominẽ cum actibus suis, & renascimur in nouum, qui secundum deum creatus est, in agnitionem dei secundum imaginem eius qui creauit illũ. Si perpenderitis cp molesta sarcina prematur criminibus onustus, ac per hoc satanæ mancipium ac gehennæ hæres, si consideraſtis seram impiorum confessionem: lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles, & uiam domini ignorauimus: facile intelligetis quantum solatij, quantum recreationis præstiterit nobis, per catechismũ & baptismi sacramentum inductos esse in unitatem ecclesiæ, innocentia uirentis, quã gratis accepit à pastore suo. In ea sunt tot munera sacramentorũ, spirituali gratia saginantiũ animas: in ea sunt uaria dona spiritus, iuxta modũ fidei cuiuscp: in ea est simplicioris doctrinæ lac, quo fouentur paruuli, in ea est cibus sublimioris doctrinę, quo grandescũt adulti: in ea deniq̃ paratũ est pœnitẽtiæ remediũ, quo restituãtur, si quos forte diabolus semper obambulãs ut leo rugiẽs, quęrenscp quẽ deuoret, abripuit à gregis consortio. In primis inspirauit donum fidei, qua certò cognoscimus ea quæ non uidentur: addidit donum spei, qua summa cum fiducia expectamus omnia nobis à deo promissa: infudit donum charitatis, quæ cõdulcat omnia quamlibet tristia. Hæc

1. Cor. 3

Matth. 4
Luc. 4

Col. 3

Sap. 5

quum ad hunc habeant modum dilectissimi, uidete an sine causa sibi gratuletur, non unus homo, sed unum tamẽ corpus uelut unus homo loquens, agatq; gratias pastori suo: [Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquas refectionis educauit me] siue ut Hieronymus, enutriuit me: quod quanq; uidetur ad catechumenos peculiarius pertinere, tamẽ ad omnes Christianos pertinet. Nullus enim eò progressus est, ut nõ habeat quò proficiat in hac uita. Nam sunt qui per aquas refectionis intelligant doctrinã scripturarum, quæ uere paradisus est, enutriens, uegetans, recreans pi-
2.Pet.8 orum animas in hac miseriarum ualle laborantium. Illa nobis prælucet in huius mundi tenebris tanq; lucerna lucis in caliginoso loco, donec dies eluceſcat in cordibus nostris, il-
Roman.15 la nos spe cœlestium præmiorum consolatur in afflictionibus, teste Paulo: Quęcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Hæc castigat errantes, refellit pertinaces, erudit & ad perfectio-
Tim.3 nem euehit proficientes, quemadmodum scribit Paulus Timotheo: Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus. Postremo hæc habet gladium ancipitem, penetrantem usq; ad dissectionem animæ & spiritus: hæc habet carnem & sanguinem domini, quo cibo si quis uescatur, quo potu si quis reficiatur, uiuet in æternum. Nam hoc iuxta priscorum enarrationem de sua doctrina potissimum dixit
Ioan.6 dominus: Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Sermo enim hic uiuus est & efficax, etiam sepultos in uitam reuocans, ut legimus Ioannis 5: Mortui audient uocem filij dei: & qui audierint uiuent. Senserunt hanc refectionem Apostoli, nam à domino rogati, num & ipsi uellent abire: Domine, inquiunt, quó ibimus? Verba uitæ habes. Nec absurdum sit, si per herbida pascua & aquas refectionis res eadem intelligatur. Neq; enim id alienum est à consuetudine scripturarum, eandem sententiam uarijs rerum imaginib. quo penitius infigatur animo, denotare. Simus oues fratres charissimi, sequamur pastorem Iesum, qui deducet in agrum ecclesiæ compascuum, pascet herbis salubribus, deducet ad aquas purgatrices omnium macularum, largitrices sapientiæ cœlestis, consolatrices afflictorum, recreatrices lassorum, aquas limpidas, aquas uiuas, aquas salientes in uitam æternam. Ad tales aquas nemo peruenit, nisi duce pastore nostro, nemo haurit nisi per illius spiritum, nemo refocillatur nisi biberit. Hauriuntur fide, bibuntur affectu. Frustra quæritur hæc aqua extra ecclesiæ unitatem. Tingi quis potest extra domum ecclesiæ, baptismi fructus non contingit, nisi intra ecclesiam. Nec scripturę Christi spiritu proditæ, possunt recte intelligi nisi per eundem spiritum. At hic, ut olim in eodem cœnaculo congregatis cœlitus uenit, ita fugit ab illis qui se subducunt ab huius domus contu-
Gen.21 bernio. Extra hanc, aquam suam habent Iudæi, habent utrem aquæ quæ defecit in deserto, habent puteum unde Agar utcunque sustentauit Ismaelem filium, hæc est litera le-
Exod.15 gis inefficax, in qua continebantur Iudæi usq; ad tempus præfinitum: habent aquas Marath, ob amaritudinem inutiles potui, quas nobis Christi crux uertit in dulcedinem: ha-
Hiere.2 bent ueteres sex hydrias aquæ plenas, quam nobis Christus per spiritum suum uertit in uinum optimum. Illi bibunt mortem, litera enim occidit, nos uitam æternam. Habent & hæretici cisternas suas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Eas non fodit Abraham, ac restituit Isaac noster, sed ipsi sibi foderunt. Habent hostes ecclesiæ torrentem superbiæ, unde dominus non patitur obrui suas oueis, quemadmodum docet psalmus 123. Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos, torrens transisset super animam nostram, forsitan transissent super animam nostram aquæ superbiæ. Sic enim iuxta ueritatem Hebraicam legit Hieronymus, quod torrentum instar intumescant ac ferociant superbi. Habent & philosophi uænas aquæ, sed partim mortiferæ, partim insalubres, certe lutulentæ, multisq; erroribus turbidæ. Habent Poetæ fontes suos, sed in quibus interdum mares uertuntur in fœminas, quemadmodum de fonte Salmaci narrant priscorum fabulæ. Delinit quidem aures blandus sirenum cantus, & uocũ amœnitas, sed sententiarum mollicies emasculat animos: de his loquor Poetis, quorum
Gene.26 poemata lasciuiam habent. Iam sunt & Philistæi, qui iniecta terra obruere conantur puteos quos foderat Isaac. Qui sunt isti Philistæi? Qui cœlestem scripturam interpretatione uiolenta trahunt ad affectus humanos, sic eam interpretantes ut ueluti lesbia regula ad

mores

mores noſtros afflectatur, quum ad illam corrigi debeat uita noſtra. Fortaſsis & hi Philiſtæi ſunt, qui immodico admixtu prophanæ philoſophiæ, & rationum humanarum aggeribus non ſinunt illam in ſua puritate fluere. Sed ſubinde citatur philoſophus, nec licet abunde argutus quibuſdam ſuffecit. Plurimus in ore eſt Auerrois. Nec hic ſufficit ambitioni noſtræ. Addidimus tenebroſam quandam ac ſpinoſam philoſophiam. Sunt & lacunæ doctorum, quorum libros ſecundum Canonicam ſcripturã recepit eccleſia, unde nemo uetatur bibere, ſi modo id faciat cum delectu. Nullus enim inter hos eſt, qui uitarit omnem errorem, licet hoc humanæ imbecillitati cõdonetur. Sola ſcriptura Canonica fontes habet, unde tuto poſsis haurire, modo tibi adſit ille, qui habet clauẽ Dauid, qui ſic claudit ut nemo aperiat, ſic aperit ut nemo claudat. Proinde ſi uere purgari, ſi uere refici uolumus amici, ne quæramus aquas extra eccleſiæ paſcua, ſed in hac manentes hauriamus aquas in gaudio de puteis Iſaac, de fontibus ſeruatoris Ieſu. Iſaac gaudium interpretatur, Ieſus ſalutis nomen eſt. Ex his fontib. fidelis haurit eccleſia Chriſti, in gaudio ſpiritus haurit gaudium ſalutis. Habet hic paradiſus fontem uberrimum, unde promanant flumina quatuor irrigantia uniuerſam terrã. Habet aquas Iordanis, in quibus Naaman Syrus ſeptima merſione depoſuit leprã, & exijt tam purus q̃ eſt paruulus: has eaſdem poſtea ſuo baptiſmo nobis conſecrauit dominus. Habet aquas Siloe, quæ uadunt cũ ſilentio, nimirum ſpiritualis ſapiẽtiæ, quæ iuxta beati Iacobi teſtimonium, pacifica eſt & modeſta. Hãc aſpernantur hæretici pertinaces, hanc auerſantur humanę ſapientiæ perſuaſione turgidi, hanc de calice Babylonis ebrij deridẽt. Habet piſcinam Siloe, è qua cæcus natus ablutis oculis protinus uiſum recepit. Habet mare Chriſti ſanguine rubens, in quo demergitur nigrorum criminum turba, et in libertatem euadit populus domini. Habet piſcinam prophaticam, quæ per angelum mota, ſanat omne malorum genus. Habet torrentem à dextro templi latere proſilientem, quem tranſit infans in Chriſto tinctis modo talis, hæc eſt aqua remiſſionis. Idem alibi profundior trãſitur tinctis genibus, rurſus alibi tam profundus eſt, ut uadum homini non habeat, Iudicia enim dei abyſſus multa: Vt non inſcite quidam dixerit, ſcripturam eſſe fluuium, in quo ambulat ouis, natat elephantus. Omne animal ad quod uenerit huius torrentis aqua, iuxta eiuſdem uaticinium, ſaluum eſt & uiuit, moriturum ſi exierit ripam. In huius torrentis ripis utrinque ſunt arbores frugiferæ, uidelicet utriuſq; Teſtamenti doctores ac ſancti, de quibus loquitur primus pſalmus hunc Prophetæ locum æmulatus: & erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur. Harum arborum fructus utiles ſunt in cibum, & frondes efficaces ad medicinam, quoniam non aluntur aquis qualibuſcunq;, ſed ea duntaxat quæ profluit e ſanctuario templi cœleſtis. Hunc fluuium Iudæi non habent, ſed aquas Mara iuxta quas naſcuntur ficus, uerborũ & figurarum foliis ſeſe iactantes, ſed nullum adferẽtes fructũ, & ob id execrabiles domino, Qualis fuit & illa apud Lucã, cui dominus minitatur ſucciſionẽ. Talis ficus adhuc perſeuerat eſſe gens infelix Iudæorũ, nec tot iam ſeculis ſtercorata, tam diu lenitate domini tolerata, ſi forte tandem aliquando reſipiſcat, quicquam adhuc profert præter frondes & folia legis. Ieſus uero non eſurit folia, ſed diciſsimũ fidei fructum requirit in hominibus. Non poteſt autem arbor eſſe frugifera, niſi radix illius irrigetur aqua profluente de ſanctuario ſpiritus. Sed pergamus contemplari fœcundas aquas quas habet eccleſiæ paradiſus. Habet fluuium pacis, habet torrentẽ gloriæ inundantem. De quo & alibi teſtatur Eſaias: apparebit in Sion fluuius decurrẽs, glorioſus in terra ſitienti. Habet torrentem uoluptatis ac delitiarũ, quo piæ mentes inebriantur ad omnium rerum contemptum, quas admiratur mundus. Poſtremo ne quid deſit ouibus, habet aquam nitro conditam, ſubamaram quidem illam, ſed abſtergendis criminum maculis efficacem, quam nobis commendat pſalmus 6. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrimis meis ſtratum meum rigabo. Duplex enim aqua pœnitentiæ: altera baptiſmi, quæ gratis abluit omnia: altera reconciliationis, quæ uelut alter baptiſmus eſt, quæ purgat & ipſa quidem, ſed non abſq; nitri acrimonia. Siue igitur accipiamus aquas refectionis, lauacrum regenerationis, ſiue doctrinam ſpiritualem, ſiue donum ſpiritus, quid his aquis effectum eſt? [Animam, inquit, meam cõuertit,] ſiue ut diuus Hieronymus, refecit, aut quod alijs magis arridet, reſtituit. Ne quid aures ueſtras offendat uocum

Ezech. 47

Pſal. 35

Matth. 21
Luc. 13

Eſa. 66 & 44
Pſal. 35

uocum diuersitas, quum ea magis illustret sententiam quàm obscuret. Gustatis ecclesiæ spiritualibus delicijs, iam ad ea quæ prius dilexerat animus incipit nauseare, pro amaris ducens dulcia, pro stercoribus habens quæ uidebantur preciosa, pro abiectissimis æstimans quæ uidebantur sublimia, & ab his auersus totus rapitur in amorem & admiratio-
Psal. 25 nem cœlestium, dicens illud è psalmis: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Discipuli quum adhuc carnem saperent, admirabantur structuram templi Hierosolymitani, uerum illud manibus factum, sordidum quoddam stabulũ erat, si ad spiritualem domus dei structuram respicias, sed ea nõ uidetur nisi mundi cordis oculis, eò quod omnis Christi sponsæ gloria intrinsecus sit. Nec est Græce simpliciter conuer-
Psal. 44 tit, sed ἐπιστρέφει, hoc est ad se uertit. Auertit ab inanibus rerũ umbris, ad ipsam pulcherrimam ueritatem, hoc est ad summum bonum, quod est ipse pastor noster. Quod ubi contigit, protinus incipiunt omnia cætera uilescere. Nactus enim animus illud inæstimabile margaritum, non solum libenter abijcit omnia sua, sed uitam etiam uilem habet, modo illo potiatur. Quod dico fratres, intelligunt hi quibus hoc donatum est, ut uiderint & gustarint q̃ suauis est dominus. Iam enim sentiunt quàm miseri sint, qui ambitioni, libidini, luxui, auaritiæ, cæterisq; uitijs seruiũt, quàm contra beati omnes qui confidũt in domino, & quibus dominus uere deus est. Ergo quisquis conuersus est ad deum, abunde refectus est, atq; adeo restitutus. Vnde quó restitutus? A tenebris ad lucem. A morte in quã prolapsus fuerat & suis & Adæ peccatis, ad primam originem, & innocentiam in qua constitutus fuerat Adam ante lapsum, & felicius restitutus per gratiam quàm illic conditus fuerat per naturam. Effecit enim hoc dei misericordia, ut illius ruina pijs cesserit in lucrum, ad dei gloriam. Nec arbitror otiosum, quod non dictum est, conuertit me, sed conuertit animam meam. Corpus homo potest conuertere, animam solus deus conuertit. Nec quicquam prodest baptismus, nihil eruditio, nihil Christianismi professio, nihil sacramẽtorum communio, nisi deus inuisibili gratia conuerterit animam. Interdum anima pro humano affectu sumitur, qui nõnunquam ad carnem nõnunquam ad spiritum conuertitur, sed de hoc postea. Quid adhuc restat? Audi quod sequitur: [Deduxit me super semitas iustitiæ.] Duplex est iustitia, prior est innocentia cui per fidem ac baptismum restituimur, altera est fidei per dilectionem operantis, In hoc enim renati sumus sacro lauacro, ut quemadmodum iuxta ueterem hominẽ & iuxta carnem uiuentes exhibuimus membra nostra, hoc est affectus nostros seruire iniustitiæ super iniustitiam, ita postea q̃ induimus nouum hominem progrediamur in semitis domini de uirtute ad uirtutem donec oc-
Roman. 6 curramus in uirum perfectum, & in plenitudinem Christi Iesu. Semitas autem dixit duplicem ob causam, uel ob uiæ compendium, uel angustiam, Qui curribus, equis & sellis uehuntur, per latam incedunt uiam, quæ ducit ad mortem, sed angusta est uia quæ ducit ad uitam, & ideo angusta, quoniam à paucis teritur. Dominus autem legaliũ præcepto-
Esaiæ 1 rum ambages contraxit in cõpendium, iuxta illud: Dominus uerbum abbreuiatum con-
Roman. 9 summabit super terram, declarans in una charitate legem uniuersam contineri. Fortasis ob id quoq; maluit dicere semitas quàm uias, quod strictior sit Euangelij quàm legis disciplina. Plus enim à nobis exigitur quàm ab illis, quia plus accepimus, eoq; plus debemus. Vultis audire semitas Euangelicæ iustitiæ? Qui iratscitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo rhaca, reus erit consilio. Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, adulterauit illam in corde suo. Ne quis repudiet uxorem, nisi ob stupri culpam. Nolite omnino iurare, neq; per cœlum, neq; per terram. Qui plagam impegerit in maxillam dextram, præbe illi & alteram. Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Aliaq́ue permulta quæ apud Matthæum 5. & 6. capite tradidit dominus. Nec est quod uos terreat semitarum angustia considerantes uirium humanarum imbecillitatem. Dominus est qui per has semitas uos deducet, facilis erit uia quamlibet angusta dilatato corde. Nec enim trepidauit ille qui dixit: Viam mandatorum tuorum cucurri, dum dilatasti cor meum. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Dilatata est nobis uia diminutis cæremonijs per quas trepidi incedebant Iudæi, & arctata est ad perfectionem pietatis. Iam ut currat psalmus, conferamus in epilogum pastoris nostri munificẽtias, abduxit à mundo, acclinauit in pascuis uberrimis, sanguine suo lauit nos à peccatis, refecit aqua

spiritus

ſpiritus, rapuit animam noſtram ad deſiderium æternæ uitæ, deduxit nos per ſemitas bonorum operum. Quo tandem merito tantum in nos contulit beneficiorũ? Quid boni nos geſſeramus, quo officio demerueramus deum? Eramus natura filij iræ, ſeruiebamus idolis, & concupiſcentijs noſtris, ſine lege, ſine deo uiuebamus. Vnde igitur tam effuſa paſtoris in nos benignitas? Compendio reſponſum eſt, [propter nomen ſuum.] Quid eſt hoc, propter nomen ſuum? Hæc omnia nobis præſtitit gratuito, nihil merẽtibus, ut per nos illuſtraretur apud omnes nominis ipſius gloria, & promiſſorum fides. Notam eſſe uoluit dominus miſericordiam ſuam, ut confiteremur illi, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Aufer mihi Iudææ iuſtitias operum tuorũ, omnes peccauerant & egebant gloria dei. Hanc gloriam ſuam non dat alteri, ne quam inde portionem tibi uindices. Quicquid eccleſiæ ſuæ præſtitit Chriſtus amici, totum eſt miſericordiæ: hactenus iuſtitia dici poteſt, quia quod largitus eſt promiſerat. Nam & hæc iuſtitiæ ſpecies eſt, exhibere quod pollicitus ſis. Hæc autem particula, propter nomen ſuum, ad ſingula quæ præceſſerunt referenda eſt: Dominus regit me propter nomen ſuũ, nihil mihi deeſſe patietur propter nomen ſuum. In loco paſcuæ me acclinauit propter nomen ſuum. Super aquas refect. ed. m. propter nomen ſuum. Animam meam conuertit, propter nomen ſuum. Deduxit me per ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum, Quicquid igitur & nos agimus boni, propter nomen illius non propter nomen noſtrũ agamus fratres. Agnoſcamus quidem domini gratiam, ſed ita ut illi noſtra ancilletur induſtria. Porrò qui ſunt ingreſſi ſemitas domini rectas, eos manet afflictio, tẽtatio, & perſecutio malorũ, in quibus ſatanas exerit uires ſuas, Hoc ut clarius perſpiciatis, recolite quid paſſus ſit Abel, quid prophetæ, quid Ioannes Baptiſta, quid ipſe Chriſtus, quid apoſtoli, quid martyres, deniq; quid hodie patiatur ille puſillus et humilis grex ab hoſtibus tum externis, tũ internis, et tamen adhuc depelli non potuit à ſemitis iuſtitiæ, nimirum fretus deductoris ſui potentia, ad quem nũc uerſo ſermone dicit: [Nam ſi ambulauero in medio umbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es.] Chriſtus eccleſiæ ſuæ lux eſt, ignorantia & peccatum umbra mortis eſt, hoc eſt caligo denſiſsima, in qua regnat ille princeps tenebrarũ. Chriſti ſponſa per hæc horrenda graditur in ſemitis iuſtitiæ, properans ad æternam felicitatem, nec tamen terretur. Vnde hæc illi tam inſignis animi fiducia? Non ab ipſius uiribus. Circunſpicit enim, & dum in ſe nulla reperit præſidia, in ſponſum ſuum ſe conijcit, hunc amplexa dicit: [Quoniam tu mecum es.] Vbi ille adeſt, ibi lumen, ibi iuſtitia eſt, ibi nihil poteſt princeps tenebrarum. Quoniã qui pro nobis eſt, plus poteſt q̃ omnes aduerſarij. Per has tenebras, per hæc terriculamenta media interim incedit eccleſia, tuta paſtoris ſui ductu, iuxta promiſſum euangelicum, & portę inferorum non præualebũt aduerſus eam. Sed interim omni machinarum genere quatitur uſq; ad cõſummationẽ ſeculi, protectore tamen ſponſo ſuperat omnem munitionem callidaq; conſilia, & uniuerſam celſitudinem attolentem ſeſe aduerſus ſcientiam dei. 2. Cor. 10. In his tenebris olim uerſabatur eccleſia, dum in Aegypto ſeruiret Pharaoni, ſed quemadmodum Moſes eduxit Iſraeliticum populum in deſertum, ita Chriſtus oues ſuas ab ignorantia dei, è denſiſsima uitiorum caligine uocauit in admirabile lumen ſuum, & à diaboli tyrannide aſſertas, atq; à mundo ſemotas recepit in ſuam tutelam, ut iam nõ timeant umbram mortis, quum paſtor ille ueram illam mortem ſua morte deuicerit: non timet mundũ, ei credens qui dixit: Confidite ego uici mundum. 1. Pet. 2. Non timet carnem rebellantem ſpiritui, quoniã iam in carne quidem, ſed nõ ſecundũ carnem ambulat. Non timet rapinam facultatũ, quæ theſaurũ ſuum recondidit in cœlo: non timet mortem corporis, certam ſpem habens reſurrectionis. Interea tamen ſine fine tyrannus ille molitur recipere prędam abactam, explicat omnes artes, admouet omnes machinas, uertit ſeſe in omnes formas, interim transfigurans ſeſe in angelum lucis, ut ouem aliquam intercipiat, imò ut totum ſubuertat ouile. Vnde ueriſsime dictum eſt, uitã piorum militiam eſſe ſuper terram. Iob 7. Proinde neceſſe eſt, ut eccleſia ſemper progrediens per ſemitas iuſtitiæ, militari more incedat, armis inſtructa, ordine compoſita, ſobrietate uigilans, & ad excipiendum omnem hoſtium inſultum parata. Sic incedentẽ hortatur Paulus apoſtolus ſcribens Epheſijs. Epheſ. 6. De cætero fratres confortamini in domino, & in potentia uirtutis eius, induite uos armaturam dei, ut poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniã non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates,

aduerſus

aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam dei, etc. Habent igitur & oues arma, potentia aduersus hostes tam multos, tam improbos? habent, sed potentia deo, ut cum Paulo dicere possint: Philip. 4 Omnia possumus in eo qui nos corroborat. Propheta fortem uocē ædidit, quum ait: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, sed auxit pastor ouibus suis fiduciam, ut dicant: Dominus mecū est, non timebo quid mihi faciant principes tenebrarum. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Homines quibus cum hominibus bellum est, uarijs nituntur præsidijs, & uulpium in morem multiplicibus fidūt artibus, ecclesia uelut Echinus unico tantum, sed certissimo præsidio nititur, Quoniam tu mecum es. Qui Christum habet, etiam apud inferos tutus est: qui Christum perdidit, etiam si in cœlum ascēdat, nihilo tutior futurus sit. Dixerit hic aliquis, quid opus erat tam laboriosa militia, quum pastor posset à quietis ouibus omne malum depellere? O homo tu quis es qui respondes deo? Certa est uictoria, sed sic Christus uoluit uincere, sic triumphare in suis, & ijsdem uestigijs uoluit suos euehi ad regni cœlestis consortium, quibus ipse præcessit, Nostra est ex parte opera, sed illius est tota uictoriæ laus, à quo uenit omne quod possumus. Transibo ad ea quæ sequuntur, si syllabæ unius emphasim paucis excussero, Nam: Ea connectit huic uersiculum cum superioribus, pro qua tamen Hieronymus uertit, sed. Alius omittendum putat. Neque tamen arbitror ociose additum à Septuaginta, nec uestræ pietati molestum esse debet has minutias obiter excuti, non ignaræ in diuinis literis, nec unum apicem irritū esse. Apud differendi magistros mutua reciprocaq; ratiocinatio est, dum nunc colligūt efficiens ab effectis, nunc effecta ab efficiēte. Siue enim dicas, sol est supra terrā, dies enim est: siue dicas, dies est, sol enim est supra terrā, æque recta collectio est. Hoc in necessarijs, in probabilibus item: Hæc tabula præclara sit oportet, Apelles enim eam pinxit. Apelles pinxit hanc tabulam, egregia enim est. Vsitatius tamen est, ut ex efficiente colligamus effectum. Hic uero uidetur ex effectis probare causam efficientem. Multa dixerat antea, dominus regit me, acclinauit me, refecit me, deduxit per semitas iustitiæ, & perinde quasi quispiam rogasset, quo tandem argumento doces te uera loqui? Respondit: Nam & si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam meus pastor mecū est. Huius enim unius beneuolentia præstat hanc securitatem. Nec hoc ecclesia dicit percontanti, sed ipsi pastori, ueluti illum adhibens testem, quod nihil falsi loquuta sit. Nullus enim potest intrepidus ire per huius mundi discrimina, nisi gubernatus, refectus, ac deductus ab omnipotente pastore domino Iesu Christo. Nam ille nō potest abnegare semetipsum, ut fallat in promissis, nec ulla potestas superat omnipotentē. Iam nō minus argutā habet sententiā quod legit beatus Hieronymus. Sed et si ambulauero in ualle umbrę mortis, etc. Sed & si, habet augendi emphasim, parū dixi quod pascat me, quod refecerit me, quod in semitā iustitiæ deduxerit me, amplius quiddā præstitit, uidelicet ut per uias tutas incedā: nec solum eripuit me à potestate tenebrarum, sed tantū addidit robur, ut aduersus omnes tyranni assultus possim esse intrepida, pastoris mei prę sentia, qui deiecit huius mūdi principem, qui deuicit mundum, & nobis deuicit, & in nobis deuincit. Addam aliud æque minutum, sed non inutile, Hic uersiculus referri potest ad totum hoc quod præcessit, quemadmodum enarrauimus, potest & ad posteriorem superioris uersiculi particulam pertinere, propter nomen suū. Hinc enim nascitur illa summa ecclesiæ fiducia, quod quicquid ipsi præstat, aut pollicitus est sponsus, non tributum est illius meritis, quæ aut nulla habebat, aut si qua habet non agnoscit, aut si agnoscit, non agnoscit ut uel ex ipsa profecta, uel digna tantis beneficijs: sed quoniam benignus ille pastor propter nominis sui gloriam, hoc est ad illustrādam admirabilem illam suam erga genus hominum misericordiam, electis suis largitur omnia, non est periculum ne mutet sententiam, quandoquidem ipsius Exod. 5 quodammodo negocium agitur. Nomen illius manet in æternum. Quod est illud? Ego sum qui sum. Nec decreta sua, nec promissa sua mutare ualet, Verax est, & ubiq; iustificari uult in sermonibus suis quum iudicatur. Oues autem suas elegit anteq; faceret fundamenta mundi, ut essent sanctæ & immaculatæ in conspectu ipsius in charitate. Et ut alibi dicit idem Paulus: Quos præscíuit, eos & prædestinauit, quos prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autē iustificauit, hos & magnificauit. Hęc

Ephe. 8
Roman. 8

quum

quum per ſponſi ſpiritũ ſponſæ reſerata ſint, fidenter dicit: Si deus pro nobis quis contra nos? Deus eſt qui iuſtificat, quis cõdemnet? Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certa ſum quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neque inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Hoc eſt, non timebo mala, quoniã tu mecũ es. Vnicũ uere metuendũ malũ eſt, à Chriſto diuortium. Matrimonium eſt, ſponſum ſe profeſſus eſt, me in ſponſam aſciuit, conuenit in manum, non poteſt dirimi coniugium, quia non poteſt mutari qui cõnexuit copulam. Vt autem ſponſæ pudicæ eſt, torã pendere à ſponſo, ita pecoris ouilli eſt, totum à paſtoris cura pẽdere. Dicit itaq; grex fidelis paſtoris ſuo: [Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt]. Prima ſpecie ſermo uidetur ſubabſurdus: prata uirentia recreant fatigatum, & aquæ limpidæ reficiũt laſſum, at quid adferunt ſolatij uirga & baculus? Adferunt, & quidem plurimũ aduerſus latrocinia dæmonũ hoc molientiũ, ut abducant gregem à ſemitis iuſtitiæ, in quibus quamdiu manent tutę ſunt à prædonũ inſidijs. Non me fugit quoſdã ueterũ uirgã interpretari, correptionẽ domini, qui nonnunq; per afflictiones emendat ac reuocat eccleſiam ſuã, per baculum ſeueriorem caſtigationem, iuxta illud Solomonis: Qui parcit uirgæ, odit filium ſuum: qui uero diligit illum, inſtanter erudit. Quam ſententiã Paulus ad Hebrẽos referẽs: Quem diligit, inquit, dominus, caſtigat. Corripit autem omnem filium quẽ recipit. Item Sirach: Curua ceruicem filij in iuuẽtute, & tunde latera eius dum infans eſt. Deniq; habet & Paulus uirgam qua minatur Corinthijs. Sunt qui ſic ediſſerant, eccleſiæ uirgã eſſe qua minetur delinquenti, baculum eſſe quo ſubueniat pœnitenti. Vtranq; ſententiam ut fateor eſſe piam, ita non arbitror admodum huic quadrare loco. Non enim dixit, uirga mea & baculus meus: ſed, uirga tua & baculus tuus. Cõcinnius erit, ſi maneamus in metapho ra paſtoris, & uirgam ac baculum pro eodem accipiamus, quod in ſcripturis rarum non eſt: aut ſi quid intereſt, uirgam accipiamus gratiam dirigentem pios per præcepta, ne aberrẽt à ſemitis iuſtitiæ, baculum quo depellat lupos & fures. Ipſe grex ouillus nec uirgam habet ex ſeſe, nec baculum, quemadmodum nec olim apoſtoli, ſed omnis fiducia eſt in directione protectioneq; paſtoris, qui dicit: Nolite eſſe ſolliciti quid edatis, aut quo ueſtiamini, tantum quærite regnum dei, & hæc omnia adijciẽtur uobis. Et: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam nõ poſſunt occidere. Et: Nolite præmeditari quid aut quomodo loquamini. Et: Mihi uindicta eſt, ego retribuam. Qui uos ſpernit, me ſpernit. Hæc uirga paſtoris Ieſu, hic baculus ſolatio ſunt gregi imbecilli aduerſus terrores omnium malorum. Eſt enim uirga quæ depellit à recto tramite, & eſt baculus qui fractus innitẽtes perforat. At non talis eſt uirga ſponſi qua dirigit ſponſam, nec talis baculus quo tuetur illam. Habet aduerſarius ignea tela iuxta Paulum, hæc ſolus Chriſtus poteſt ſuo baculo depellere. Hoc an non magnum interim militaris itineris ſolatium? Quam tenere chariſsimi dominus Ieſus amauit ſponſam ſuam, ut nihil omiſit, quæ ad illius tutelam, quæ ad refectionem, quæ ad ſolatium pertinent. Eximia ſunt hæc quæ diximus, ſed non his beneficijs cõtenta fuit illius immenſa charitas & inexhauſta benignitas. Quid poterat addi? Addidit etiam in hac uita uelut ouationem, ęterni triumphi quaſi prędudium ſiue proœmiũ. Quid hoc eſt inquietis? Audiamus ipſam ſponſam ſua commemorantẽ gaudia [Paraſti, inquit, in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui affligunt me.] En alterum admirabile ſolatium. Parum erat per fidem & ſpiritum ſuum ſemper adeſſe ſponſæ, quemadmodum promiſerat, ſed parauit illi menſam uictorialẽ, in qua ſuũ ipſius corpus miniſtrat illi in cibum uiuificum, appoſuit poculum ſanguinis unde biberet quoties uellet, ut hac quoq; inaudita ratione corporaliter etiam, in ſacramentis uiſibilibus adeſſet ouibus ſuis. Eant nunc Iudæi, & de ſuo manna glorientur, hic eſt uere panis qui de cœlo deſcẽdit, uitam & immortalitatem dans omnibus digne ſumentibus eum. Hic eſt calix inebriãs gaudijs ſpiritualibus, Huius conuiuij delitias ignorant, quos non regit cœleſtis ille paſtor, tantum oues ſaginantur carne, & inebriantur ſanguine agni immaculati, qui ſemetipſum obtulit, pro ſalute earum, & illius ſacroſanctũ hauriunt ſanguinem. Et tamen hæc menſa filiorũ honorifica, hoc epulum regale paratũ eſt aduerſus eos qui non deſinũt affligere Chriſti gregem. Quare contra illos hæc menſa inſtructa eſt ad quam non admittuntur? Quia canes ſunt, nec datur ſanctũ canibus. Oſtenditur tamen illis, ut ſpectent & intabeſcant uidentes delicias

Ibidem

Prou. 13

1. Cor. 4

Eſa. 36

cias,opes,triumphũ,lætitiam,& concordiam Christo domino fideliter hærẽtium. Quid enim honorificentius,q̃ ut homo cõmunione carnis & sanguinis dominici fiat unũ cum Christo,quemadmodum cibus ac potus corporalis transformatur in substantiã uescentis ac bibentis,quanq̃ hic potius qui uescuntur & bibunt transformantur in id quod sumunt.Nec solum fiunt unum cũ Christo capite,sed eodem spiritu,eiusdem mensæ participes,unum fiunt inter sese:ut quemadmodum omnia membra constituunt unũ corpus, ita caput & corpus unam quodammodo personã cõstituant.Quoniam autẽ pater,filius, & spiritus unum sunt,fit ineffabilis quædam unitas ut sit deus omnia in omnibus.Hoc triumphale conuiuiũ spectant hostes ecclesiæ,& alij derident,alij inuident, alij nõ credunt, sed interim cœlestibus epulis saturantur,exhilarantur, roborantur, & inebriantur oues. Hoc spectaculum ut est angelis reuerendum, ouibus salutiferum ac lætum,ita spiritus impijs formidabile est ac tremendum.Nihil enim magis horrent,q̃ exultationẽ spiritualem concordi uoce canentiũ laudem agni,qui fregit illorum tyrannidem, & oues suas eripuit de manibus luporum.Eat nunc mundus falsis honoribus tumidus, insanis uoluptatibus ebrius,et eos qui spretis inanibus,ac mox perituris bonis toto pectore cœlestibus inhiãt, habeat pro miseris, afflictis & abiectis.Tali honore dignatur dominus quos mundus habet pro uermiculis,talibus delicijs exhilarat eos qui mundo ne uiuere quidem uidentur, iuxta illud:Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Hæc sunt spiritualia gaudia, quæ nec auris hominis audiuit, nec oculus hominis uidit,nec in cor hominis ascenderunt.Sunt enim angelorum delitiæ,nõ hominum, hæc tamen etiam in hac uita præparauit deus diligentibus ipsum,quiq̃ naturã hominum transgressi in angelorum ac diuinitatis cõsortium uenire meruerunt. Hoc est centuplum quod deus promisit suis in hoc seculo,pignus æternæ uitæ,quæ continget in futuro. Eant nunc famelici, siticulosi,tristes,macilenti,atq̃ aridi Iudæi,& mensam suam iactent, quã ideo sanctam putant,si non habeat carnem suillam aut anguillam,adorent panes suos propositionis quos attingere fas nõ erat,nisi solis sacerdotibus,quanq̃ amisso sacerdotio simul & panes amiserunt. Iactent hostias suas mutarum pecudum, quas & ipsas amiserunt sublato templo, in quo solo iussi sunt immolare. Glorientur quod mensa fermentum nesciat, quum malitiæ fermentum habeant in pectore. Quid comedunt miseri? Quid bibunt? Arrodunt hordei tectorium insipidum & amarũ, medullam non attingunt, quumqúe à suillis carnibus abhorreant iuxta carnem,tamen iuxta spiritum porcorum cibo pascuntur,furfure & siliquis.Eant gentes & suas mensas cum hac ecclesiæ mensa conferant. Quid illic edebatur? Caro brutorum animantium immolata dæmonijs. Quid bibebatur? Vinũ, unde libabatur dæmonibus, qui uice cõuiuarũ aderant,ac non nidore,quod Poetæ fingunt,sed illorum insania fruebantur,exitio pascebãtur.Quæ cantica? Canitur Iupiter omnipotẽs, adulter,incestus,,pæderastes,ab ebrijs dicũtur hymni boui Aegyptio,aut serpenti Aesculapio, aut morioni Baccho. Tam impijs,tam funestis mensis adhuc accũberemus charissimi nisi pastor noster dominus Iesus per suam misericordiã submouisset nos à mensa calicẽq̃ dæmoniorum,ad has epulas tam splendidas,ad hoc cœleste conuiuiũ,cui præsidet pater cœlestis cum filio suo nobis donans omnia, Cui accumbũt membra Christi, quam circũstant cũ gaudio multo ac tremore spiritus angelici,ad quam ineffabili cœlestium ac terrestriũ cõcentu celebratur agnus ille purissimus,qui conuiuas suos morte sua redemit, & eosdem corpore & sanguine suo uiuo pascit & exhilarat.Hanc ineffabilem ecclesiæ lætitiã sermo propheticus olei nomine designauit. [Impinguasti oleo caput meũ.] Nam in,
Psal.44 præpositio,ex idiomate sermonis Hebræi nobis est superuacanea. Hoc uidelicet est illud oleum arcanæ lætitiæ,quo deus ultra sodales omnes unxerat speciosum forma præ filijs hominũ.Habẽt & Epicurei sua unguenta,quibus delibuti potant usq̃ ad craterã insaniæ. Hoc autem est oleum spiritus, quod solum uere lætificat mentes hominum, hoc est unguẽtum quo uncti,bonus odor sunt deo in omni loco, odor uitã adferens his qui Christo pastori parent,mortẽ his qui pereunt,hoc est suibus. Nam suillo pecori unguentũ letale uenenũ esse tradunt rerum naturalium scrutatores.Et in porcos cupiunt migrare dæmones,uelut in animal ipsis cognatũ.Nec sues tam enecat amaracinũ, q̃ impios spiritus cruciat fidelium in Christo concordia & spiritualis hilaritas. Cernebat hoc conuiuiũ oculis
Psal.132 propheticis, qui præ admiratione clamat: Ecce quàm bonum & q̃ iucundum, habitare fratres

fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram uestimenti eius. Quemadmodum præcipua pars externi hominis caput est, ita præcipua pars interni hominis est spiritus. Spirituale cõuiuium est, spirituale oleum est, spiritum hominis exhilarat. Iam ecclesiæ caput Christus est, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. De cuius plenitudine accipiũt omnia membra ecclesiæ gratiam pro gratia. In eos igitur qui uere fratres sunt eodem conglutinati spiritu, & in eodem sensu eademqúe sententia simul habitant in ecclesiæ cœnaculo, descendit unguentum à capite Christo, primum demanãs in barbam, in cuius barbam: Barbam Aaron summi sacerdotis. Olim reges & sacerdotes ungebãtur oleo sacro, Christus utrunq; fuit, Rex dum asserit regnũ deo patri, sacerdos dum seipsum immolat pro salute mũdi. Hinc nimirũ defluit in barbam, in apostolos ac martyres, qui uirtute spiritus robusti, & ut ita loquar, barbati, pro grege dominico mori nõ timuerũt. Inde sparsus est odor Christi per uniuersum orbem, posteaq; in extremas usq; nationes peruenit odor Euangelij bonus, sues necans, credentes uiuificans. Hoc nimirum erat unguentum pretiosum, quod alabastro fracta mulier Euangelica effudit in caput Iesu, quod secundum Ioannem effusum est & in pedes: & impleuit totam domum. Domus autem est ecclesia. A fortissimis illis masculis defluxit usq; ad oras uestimẽti Iesu, hoc est usq; ad infimũ ecclesiæ membrum, & usq; ad adolescentulas, quæ currunt attractæ odore unguentorum spiritualium, quemadmodum ipsa sponsa prædicauit in Cantico: Oleum effusum, nomen tuum, adolescentulæ diligunt te. Quæ sunt istæ adolescentulæ: Illę nimirum, quarũ innumerabilem turbam alit rex ecclesiæ Solomõ, spiritu suo fouens alensq;, donec grandescãt & iustũ animi robur colligãt. Nullus em̃ quantũuis infans ac paruulus arcetur ab hac mensa, modo sit insitus corpori Christi, quod est ecclesia. Nec absurdũ est idem dici uestem & corpus: quod enim corpus est animo, hoc uestis est corpori. In corpore habitat animus in ueste corpus. Extrema corporis pars est cutis, extrema uestimẽti pars est fimbria. Olim corpus & sanguis domini dabatur infantibus baptismo renatis, & recte fiebat, quod tam multis annis fecit ecclesia. Dabatur & neophytis, & hodie nulli negatur petenti, sit quantumlibet humilis, obscurus, pauper, idiota, si modo defluxit ad illum unguentum à capite Aaron nostri, recipitur in hoc conuiuiũ. Hoc oleo qui uncti non sunt, ne contingant mensam domini, ne iudicium sibi edant & bibant, non dijudicantes corpus & sanguinem domini. Quo pacto conficiatur sacrum oleum magna religione docet Moses, & is quidem typum gessit rerum spiritualium. Hoc autem oleum nemo conficit nisi deus, qui solus largitur spiritum sanctum, & capitale est, si quis hominum uelit hoc oleum conficere. Tentauit hoc Simõ ille pecunia licitans donum spiritus, sed audiuit: Pecunia tua sit tecũ in perditionem. Vtinam Simonis exemplum non superetur à tam multis. Quod in illo crimen fuit, nunc est consuetudo. Sed rite confectum oleum quid facit? Creat reges, consecrat sacerdotes, sanctificat omnia uasa templi. Et horũ cognominum dignitas à Christo capite defluit in membra Christi. Quotquot unum cum illo facti sunt, fiunt reges, dum hic imperant concupiscentijs deqúe satana triumphant per Christum, & in futuro seculo, iuxta beati Pauli promissum, cum eo regnaturi sunt qui hic cum illo & pro illo patiũtur: fiunt sacerdotes, dum ad hanc mensam accedentes immolant sacrificium, seq; ipsos immolant quotidie deo, hostiam uiuam, acceptam, & rationalem. Quanq̃ enim solus sacerdos cõsecrat corpus & sanguinem domini, communis tamen est omnium fidelium oblatio. De regno & sacerdotio testimonium habes ex Apocalypsi, ubi gratias agit ecclesia pastori suo: Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Astipulatur his beatus Petrus hoc sermone compellans oues Christi. Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. De uase multiplex habetur testimonium apud apostolum Paulum, qui & ipse dictus est uas electionis. Nam & Romanis scribens loquitur de uasis misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, ut in illis ostenderet diuitias gloriæ suæ. Rursus ad Timotheum distinguit uasa parata in honorem, à uasis in contumeliam paratis. Nam utraq; nunc interim reperiuntur in magna domo, quæ est ecclesia uisibilis, latius porrecto uocabulo, ut omnes lauacro renatos complectatur. Habuit hæc domus Paulum uas aureum, seu gemmeum potius, habuit Cyprianum uas argenteum,

Ioan. 1
1. Cor. 1
Matth. 26
Ioan. 12
Can. 1
1. Reg. 10
Exod. 29 & 40
Apoc. 5
1. Pet. 2
2. Tim. 2

sed eadem habuit Iudam Ischarioten uas ligneum, habuit Sabellium & Arium uasa fictilia. Nam talibus etiam uasis dominus ad suam gloriam nouit abuti. Verum quod natura aureum est, non potest fieri ligneum: quod fictile est, non potest fieri argenteum, nec contra. Verum in ecclesiæ domo, uas quod à puritate sua degenerauit, potest se ab illis emundare, ut fiat uas in honore sanctificatum, & utile domino ad omne opus bonum
2. Tim. 2 paratũ. Ad hanc ergo mensam cœlestem non admittuntur nisi reges, sacerdotes & uasa domino per oleum spiritus cõsecrata. In cuius mortali corpore regnat peccatum, seruitq; uicijs & concupiscentijs, ne contingat hanc mensam. Quid periculi? Ne sublatus projcia
tur in tenebras extremas. Qui nondum mactauit domino membra carnis, quæ militant aduersus spiritum, ne accumbat ad hanc mensam. Quid discriminis? Ne eueniat quod ac
2. Par. 26 cidit Oziæ. Nam hunc percussit manus domini, quod quum rex quidem esset, sacerdos
1. Thes. 4 autem non esset, tamen ausus est ad altare uenire sacrificaturus. Ita qui nondum didicit possidere uas suum in sanctificatione & honore, sed adhuc inquinatus est affectibus concupiscentiæ, quemadmodum & gentes, subducat sese ab hac mẽsa, ne uel ardeat ligneus, uel confringatur luteus. Quod si nefas erat olim in templo domini uasis uti non sanctificatis, quibus uel aqua, uel sanguis, uel thus, uel aliud simile excipiebatur, quàm oportet esse pura corda, & corpora eorum qui Christum ipsum excipiunt. Quisquis igitur nondum est unctus oleo sacro, oleo lætitiæ & exultationis, ne sese misceat huic conuiuio, sed interim aliud quærat oleum, ut purgatus hoc oleo mereatur oblini. Est oleũ uino mixtum quo sanantur uulnera, est oleum remissionis quo inungũtur infirmi. Hanc mensam plusquàm regalem cœlestibus exuberautẽ delitijs spectant gentes, & fame pereunt, spectant
Luc. 14 Iudæi, & rumpuntur inuidia, quod priores uocati & excusantes, locum fecerint alienigenis. Quos illi pro canibus ducebant iam cooptati in filios in mensa regali uescuntur pane cœlesti, & qui sibi filij uidebantur in canum reiecti sunt ordinem. Synagoga quot annis epulatur in memoriam phase, uerum in litera hærẽs non habet oleũ, sed comedit agnum cum lactucis agrestibus. Ecclesia uerũ phase quotidie celebrat epulo spirituali & gaudio
Deut. 34 rum plena, uncta oleo gratiæ spiritualis, commemorãs mortẽ domini donec ueniat. Nec eam celebrat funebribus nænijs, quẽadmodum Iudæi suum Mosen lugẽt, sed inuicẽ suos
Colos. 3 cõmonefacit mortis dominicæ, in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, uncta oleo
1. Cor. 5 gratiæ cœlestis cantans in cordibus suis deo. Ad hoc epulum inuitat nos beatus Paulus: Pascha, inquit, nostrũ immolatũ est Christus, itaq; epulemur non in fermento ueteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & ueritatis. Non est enim hoc silicernium, sed triumphale conuiuium, hymnis & canticis celebrandum, quemadmodum indicat psalmus 41. In uoce exultationis & confessionis sonus epulantis. Vnde
Exod. 15 & eucharistia dicitur, quod nobis sonat gratiarum actio. Ibi resonat canticum Mosi: Can
Apoca. 15 temus domino, gloriose enim magnificatus est. Cuius meminit etiam Apocalypsis: Ma-
& 5 gna & mirabilia opera tua domine deus &c. Ac rursus alibi: Canunt agno triumphanti, occisus es, & redemisti nos deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Hunc ecclesiæ concentum, has exultantium uoces audit, ut dixi, synagoga, & liuore rumpitur, audit mundus & intabescit, audiunt Allophyli, & clamant: Væ nobis: audiunt dæmones & contremiscunt, interim sponsa Christi regnat, omnium persequutionum uictrix, gaudet uero sacerdotio, non desinens immolare agnum uiuum & immortalem. Videtis amici quantus sese campus aperiat de hoc mysterio disserendi, & libẽret in huius epuli contemplatione diutius immorari, sed finiendus est psalmus, & his aliâs dabitur locus oportunior, si dominus uoluerit. Vt igitur quod supereest absoluamus, mos est scripturę diuinæ, ut gratuitam munificentiam interdum appellet misericordiam. Agit itaque pastori suo gratias ecclesia, quod talibus epulis ipsam reficere dignetur usq; ad consummationem seculi, hoc est usque ad secundum aduentum. Hoc facite, inquit, in mei memoriam, donec ueniã. [Et misericordia, inquit, tua subsequetur me, omnibus diebus uitæ meę. Euidentius est, quod uertit diuus Hieronymus, sed & benignitas tua subsequetur me, omnibus diebus uitæ meæ: quanquam Gręce est κατα διώξει, persequetur, id est non deseret usq; ad finem. Vitam enim suam appellat hanc uitam in terris, ad quem sensum facit articulus Græcus τ῀ ζωῆς. Vnde frequenter interpretes eum uertunt in pronomen demonstratiuũ

ſtratſuum, hunc mundum dicentes pro mundo: ita non abſurde uerti poterat hic omnibus diebus huius uitæ. Fruſtra expectant infelices Iudæi Meſsiam ſuum, ille iam uenit iuxta prophetarum uaticinia, nec relinquet ſponſam ſuam, donec iterum ueniat, non iam redempturus, ſed iudicaturus uiuos & mortuos. Qui metuit iudicium, nunc det operam, ut in uiuis deprehẽdatur. Reſtat ſupremus huius tantę beatitudinis colophon. Quis nam hic eſt? Et ut inhabitem in domo domini in longitudinem dierũ. Chriſti ſponſa non habet hic domũ manentẽ, ſed interim in tabernaculis habitat, ſuſpirans ad illam domum cœleſtem non manufactã quæ eſt in cœlis. Nam & illic omnes paſcuntur corpore & ſanguine Chriſti, ſed non ſub ænigmate ſacramẽtorum, uerum clara perſpicuaq; præſentia, nec hymni quos in eo conuiuio canunt ullis moleſtijs interrumpuntur, ſed angelorum & piorum hominum uoces ſummo concentu ſine intermiſsione laudabunt uiuentẽ in ſecula. Breues enim ſunt dies hominis, & uniuerſum hoc tempus quo uerſatur in terris eccleſia, licet ad annorum triginta milia proferatur, tamen momentum eſt ad æternitatem & ad illum diem, qui neſcit occaſum, hoc eſt ad ſempiternitatem. Ibi erit perfecta requies, perfecta lætitia, & iuge cõuiuium, cuius guſtu quodam inflammata Chriſti ſponſa, nihil aliud hic optat à ſponſo, quàm ut illi propius iuncta ſemper habitet in domo domini. Iuxta duplicem ſenſum pro noſtro modulo pſalmum expoſuimus charitati ueſtræ. Nunc quoniam uideo uos nondum hoc conuiuio ſaturatos, breuiter abſoluemus ſenſum moralem. Hunc quanquam obiter magna ex parte tractauimus, tamen iterum in tranſcurſu, ſi quid præter miſſum eſt, non inutile cognitu, ueluti racemationem facientes diſſeremus. Proinde hortor uos amici chariſsimi, ut ad nouam enarrandi rationem nouetur & ueſtrę attẽtionis alacritas, unuſquiſq; ueſtrum exiſtimet hunc pſalmum ad ſe tantum pertinere, unuſquiſq; ſeipſum examinet, an uere ſit ouis Chriſti, poſitq; non uoce tantum linguæ, ſed cordis quoq; carmen hoc canere. Tum enim demum erit melodia deo grata, ſi affectus cũ uocibus cõcinat, nec aliud ſit in uotis animi, q̃ in carmine. Sin erit aliquis ſic affectus, ut uita & uota diſſonent à pſalmo, precetur dominum, ut per illius gratiã fiat et ipſe ouis, ut plena muſica dicere poſsit: [Dominus paſtor meus eſt, & nihil mihi deerit.] Nullus enim uere dicere poteſt, nihil mihi deerit, niſi ſe Chriſto regendum paſcendumq; integra fiducia cõmiſerit. Quod ſi quis lingua foris cantet: Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, cor autem intus aliam canat cantionem: Diuitiæ meæ aut nobilitas mea, aut dignitas mea, aut calliditas mea, aut eruditio mea paſcet me, diſſona muſica fuerit. Miles dicit: Equus me portat alit rex, alius confidit uiribus ſuis, alius iuuentuti, alius in fauore principum collocat fiduciã: in quocunq; quis fixerit fiduciam, ei canit hunc pſalmũ: Paſces me, & nihil mihi deerit. Sed ſibi mentitur iniquitas. Nam hic mundus in nullũ tantũ unq̃ contulit felicitatis, ut quiſq; uere dicere poſſit, nihil mihi deerit, ſed uere dictũ eſt, nihil deeſt timentibus deum. Vere dictum eſt: Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autẽ dominum non minuentur omni bono. Hic aliquis forſitan ita cogitabit ſuo cum animo, qui ueriſimile eſt quod audio? Nónne beato Iob multa defuerũt? Nónne multis eguit? liberis orbatus, domo facultatibus exutus, deniq; ſanitate corporis priuatus, & ulceribus obſitus? Nónne multa defuerũt Lazaro, qui iacens in ueſtibulo diuitis, morbo fameq; periit? An nihil illis defuit, qui iuxta Paulum errabãt in melotis ac pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti? An nihil defuit ipſi Paulo, qui ſe teſtatur uerſatum in labore & erumna, in uigilijs multis, in fama & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate? Nihil illi defuit, quum quemadmodũ ipſe ſcribit Timotheo in prima defenſione nullus illi adeſſet, ſed ab omnibus eſſet deſertus? Quum inopia coactus nocturnis horis conſuerit coria nihil illi deerat? Citra controuerſiam oues erant quos commemorauimus, & Chriſtum habebant paſtorem. Pſalmus mentiri non poteſt, & quod obijcitur euidentius eſt, quàm ut negari poſsit. Reſtat ut recta pſalmi intelligẽtia nodum explicemus. Primum aliud eſt abeſſe, aliud deeſſe, ſicut aliud carere, aliud egere, rurſus aliud egere, aliud opus habere. Abſunt ea quibus caremus, deſunt quibus egemus. Caremus autem & his quæ nolumus adeſſe, ueluti qui non ſunt androgyni carent utroque ſexu, & omnes caremus ceruinis cornibus, quæ nollemus adeſſe, tantum abeſt ut egeamus. Item uir bonus multis opus habet, quibus tamen non eget. His enim opus habemus quæ nobis uſui forent, ſi adeſſent: quæ ſi non contingant, nõ tamen inopia diſcruciamur, Veluti multis non cõtingit robur corporis, celeritas

Pſalmus idem iuxta moralẽ ſenſum enarratus.

Pſal. 33

Hebr. 11

2. Tim. 4

ritas ingenij, aliaq; similia, quæ uere pius in bonos usus accõmodaret si suppeterent: hoc autẽ deesse dicitur quod minuit felicitatem hominis, eoq; psalmus quẽmodo citauimus dicit: Non minuetur omni bono. Ibi minus est, ubi non satis est ad summã beatitudinis. Votis mundanorũ multa uel omnia potius desunt. Etenim quum infinita petant, tamen quo plura cõsequuti fuerint, hoc longius absunt ab eo quod petunt. Omnes enim natura felicitatẽ appetunt. Votum autẽ bonarũ ouium simplex & unicum est, ut assequantur uitam æternã, idq; per Christum. Porrò quanq; naturæ sensus desiderat uictũ & uestitum, tamen spiritus nihil optat, quod illò non conducat, & in cunctis precibus hęc est admixta cõditio, si deus nouit hoc utile ad salutem. Ouis autẽ hoc habet sibi persuasum, quicquid tristium acciderit, à deo immitti, quod is sciat crebro quod naturæ molestũ est ad salutem spiritus expedire. Lazarũ fortasse diuitiæ corrupissent, quem paupertas euexit in sinum Abrahæ. Ad hanc itaq; rationem nihil deest ouibus Christi, quibus omnia cooperantur in bonum. Græce est ὑστερώσει, quod magis sonat, non assequetur expetitum. Itaq; martyr in medijs tormentis, in ipsa morte uere dicit: Dominus pastor meus est, nihil mihi deerit.

Horatius

An illi uidetur aliquid deesse qui de hoc exilio transfertur ad perenne gaudium? Multa petentibus desunt multa. Et ut idem ait: Crescentem sequitur cura pecuniam, at defectus non est in rebus, sed in affectibus. Quanq; & hoc in genere uerum est, nec his quidẽ præsidijs quibus corporum necessitas eget eos destituit, qui tota fiducia in pastorẽ Christum coniecta, non discedunt ab illius semitis, præsertim quũ natura paucis cõtenta sit, sobrietas paucioribus. Nam cupiditas nunq; expletur. Quid defuit prophetis olim ac prophetarum filijs? Exulabant, oberrabant in desertis, nullus tamen illorum fame sitiue perijt. Quid defuit Ioanni in desertis agenti? Vestem prębebat camelus, cibum mel syluestre, & locustæ, siue fuerint summa uirentium, siue animantium genus, quod sole siccatũ quibusdam gentibus pro cibo fuisse legitur. Quid defuit apostolis, & apostolorũ discipulis, qui relictis omnibus, aut si quas habebant facultates in cõmune collatis, gratuito prædicabãt Euangelium? Postremo quid hodie deest his, qui pluscq; summam paupertatem profitentur, ne contingentes quidem ullam pecuniam? Nónne uidemus uerum esse promissum Euangelicum? Nónne pro una matre relicta centum habent, pro una sorore, pro una domo centenas? Nónne & hi uere dicunt: Diuites eguerunt & esurierunt, nos autem inquirentes dominum, non minuimur, siue ut alij legunt, non deficimus siue destituimur omni bono? Hic audio uoces ab obliquo reclamantes. At istorũ multi nõ inquirunt dominum, sed uentri suo seruiunt. Næ istæ, si uera prædicant, pro me faciunt. Si tam multos alit fucata species, quanto minus defuturum esset aliquid uere & ex animo dominum quærentibus? Et tamen si quando ista desunt pijs, ita pastoris dispensatione desunt ut non desint, sed superẽt uerius. Quid enim damni est, si nõ dat quod petit affectus noster, quũ det centuplo meliora? Qui non appetit nisi quod domino placet, semper habet quod appetit. Et hic est fons omnis opulẽtię Christianæ. Tres pueros dominus liberauit ab incẽdio, at gladio cæsus Paulus mortuus est. Beato Iob dominus omnia restituit duplicata, sed Lazarus egens defunctus est: nec illi superfuit aliquid, qui nõ accõmodabat cor ad diuitias: nec huic quicq; defuit, qui per egestatem temporariã, æternã quietẽ assequutus est. Ergo quanquam angustia rei domesticæ premeris, & ægre alis uxorem ac liberos, ne uerearis dicere: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Tentat tuam patientiã dominus, & aut prospiciet tibi benigniter probato, aut inopiam tuam commodis longe melioribus repensabit. Iterum quibus deest fides, spes, charitas, quibus deest modestia, pudicitia, innocentia, hi uere sunt egeni, etiamsi mille Crœsos opibus superent. Quibus illa suppetunt, abunde diuites sunt etiã in profunda degentes paupertate. Talis ouis erat beatus Paulus, qui cõmemoratis angustijs, egestatibus, & afflictionibus suis, declarat quanta sub illa miseriæ specie latuerit opulentia, sicut inquiens, ignoti & noti, quasi morientes, & ecce uiuimus, quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanq; nihil habentes & omnia possidentes. Quid illis deesse poterat quibus antea scripserat:

2. Cor. 6

Omnia uestra sunt, uos aũt Christi: Et ideo nihil illis deerat, quia Christi erãt. Et qui Christi sunt, illorũ uicissim est Christus. Quisquis autem illum habet, habet bonorũ omnium fontem. Illis uere deest, quibus non suppetunt ea quæ conducunt ad ueram felicitatẽ. At Christus quos semel in suam curã recepit, his nihil patitur deesse, sed abunde suppeditat

1. Cor. 3

omnia

omnia quæ conferunt ad uitam æternam. Solus autẽ ille nouit quid nobis conferat. Hoc deest, quod ni adsit, desiderio sui cruciat. At Paulus dixit: Cupio dissolui & esse cum Christo. Itaq; quum Neronis gladius illi uitam adimeret, non destituit illum uita, sed id quod optabat, assequutus est. Contrà, qui sub pastore diabolo degunt, his desunt omnia, etiam illa quæ possidẽt. Tam deest auaro, quod habet q̃ quod non habet. Minus dixit prouerbium, imò magis illa desunt quæ habet quàm quæ non habet. Etenim quæ non habet concupiscit quidem si spes sit assequendi, at quæ habet, hoc appetit impotentius, quo possidet abundantius, ac miserius discruciatur cura seruãdi quod possidet, quàm parandi, quę nondum possidet. Nec habet qui nõ potest uti quod tenet, nisi forte credimus draconem illum seruatorẽ uelleris aurei, possedisse quod seruabat. Appetere uero egeni est non diuitis, Sed eo quod tenes egere, extremæ cuiusdam egestatis est. Qui assecutus est prœturam, sibi miser uidetur, nisi impetret consulatum, qui consulatum adeptus est, ambit dictaturam: cui contigit dictatura, regnum ambit: qui regnum impetrauit, sectatur alterum, deinc tertium, quartum, quintum, donec obtineat mũdi monarchiam. Hanc adeptus non satiatur, sed quærit alios mundos quibus imperet. Sic sacerdotiorũ coaceruandorũ nulla est satietas, episcopatus episcopatui, abbatia abbatiæ cõnectitur: nec hæc cõgesta satiant, sed contenditur ad galerum cardinalicũ, hinc ad summum pontificium. An hic saltem audis ullum dicentem, nihil mihi deest? Nequaquam. Appetitur dominatus terrenus, porrigitur potestas usq; ad angelos & animas à corpore semotas. Atq; hæc dixerim charissimi, non ut ciuilem aut ecclesiasticum magistratum taxem, sed ut in hominibus ambitionem ostendam insatiabilem. Sic cor auari, nunq; dicit sufficit, sic cor uindicis, nũquam dicit sufficit, sic cor delicijs addicti nunq; dicit sufficit. Sola Christi ouicula dicit: Nihil mihi deerit. Ergo cum uel cognatorum aliquis, uel affectus carnis istiusmodi uoces ethnicas animo suggerit, nisi ambias dignitatem, nihil eris nisi Ioannes, contemnêris, conculcaberis, cõspueris à quibuslibet. Quomodo ambiam? Largitionibus ac simonia? Quomodolibet. Nunc uix alia patet uia. Simonia nomẽ est iam olim obsoletũ. Item quũ dicit affectus auaritiæ: Auge rem, ne desit senectuti, ne desit liberis. Quomodo augebo? Si possis recte, si non quocunq; modo rem, ad has & consimiles uoces ouis Christi fidenter respondeat. Dominus pascit me, nihil mihi deerit. Quum caro suggerit, largior es in pauperes quàm pro modo facultatum tuarum: habes uxorem fœcundam, crescit indies familia, quæstus minuitur, precia rerum augentur, respondeat illi spiritus, Dominus mihi pastor est, nihil mihi defuturum est. Atqui quod dolendum est, his etiam magis ethnica frequenter audimus inter Christianos. Dicit magistratus, aut iudex, immensa summa munus hoc emi, si uelim esse tenax iusti, res mihi breui redierit ad perã & baculum. Negociator dicit: Ni fi fraudem, nisi fallam ac peierem, uix sortem recepero. Opifex dicit: Nisi suffurer aliquid de locata materia, ars non sufficit alendo mihi. Breuiter, dicit caro, nihil eris, si mordicus tuearis innocentiam, Aude aliquid breuibus gyaris & carcere dignum, si uis esse aliquid. Huiusmodi uoces nunquã deflectãt ouem Christi à recto, nec à præceptis diuinis, sed eam fiduciæ uocem semper habeat in ore cordis: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Mi retur mũdus suos beatos liberis cinctos, filiabus egregia forma felices, agris & pecuarijs locupletes, scrinijs auro differtis opulẽtos, honoribus sublimes, mihi sat beatus est cui dominus est pro deo, hoc est, qui in illo confidit. Beati enim omnes, qui confidunt in domino, quisquis illi copulatus est, iam cum illo habet omnia. Ille suis ouibus est honor, gloria, iustitia, sapientia, opulentia, uita, & felicitas certissima. Ergò si à bono pastore regi uolumus, simus bonæ oues, nec aliò spectemus quàm ad pastorem Iesum. Oues simus innocentia, simplicitate, & bonitate, non stultitia. Siquidem hoc pecudis genus, nec minitatur cornibus ut boues, nec dentibus laniat ut lupi, nec calcibus ferit ut equi, nec uoce territat ut leones, nec unguibus rapit ut feles, nec uenenum habet ut uiperæ, tam innocuum denicq; ut nec lacessitum paret ultionem. Sub manibus uellentis aut tondentis obmutescit, ac ne mactanti quidem reclamat ut sues. Vocem habet unicã qua pastoris implorat auxiliũ aut gregem congregat. Quumcq; sit animal tam innoxiũ, tamen non aliud maiorem de se præbet utilitatem, lana sua uestit nos, pellibus munit, lac habet & ad esum salubre, & ad remedia utile. Nihil habet in reliquo corpore, quod nõ cibis humanis sit accommodũ. Quin & excremẽta alui, præter usum stercorationis, in cõdendis caseis, et gratiam

Ephe. 1

Prou. 30

& precium habere dicuntur. Huiusmodi sunt qui uere sunt oues Christi, utilitatem adferunt & amicis & inimicis, nec quenquam norunt lædere. Non sunt carniuori, nec rapto uiuunt, sed quod pabuli ministrat pastor, eo contenti sunt. Illius uocẽ sequuntur, educentis ac reducentis. Prima generis humani mater audiuit uocem non pastoris, sed prædonis: Adam audiuit uocem uxoris, & letifero pabulo quum sibi, tum uniuersæ posteritati mortem conciliarunt. Dulce blandumq; fuit quod porrigebat serpens animal uersutum, & ouillo pecori dissimillimum. Vanum erat quod pollicebatur: Nõ moriemini, & eritis sicut dij. Hæc itaq; non erat uox boni pastoris, sed impostoris & furis: nec pabulum erat quod porrigebat, sed præsentissimum uenenum. Itaq; seducta est Eua, corruptaq; est ab ouilla simplicitate, & à beatissimis pascuis excussa est, quoniam non adhæsit optimo pastori deo, sed auscultauit uoci prędonis. Quod tunc agebat diabolus per serpentẽ, hoc hodie uarijs modis agere non desijt. Obijcit blandas rerum species, pollicetur inania. Cæterum illius uocem non audit ouis Christi, sed tota fiducia coniecta in dominũ Iesum dicit: [Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Ab eo nec mors, nec uita me distrahet, sed illi cõstanter adhærebo in loco pascuæ ubi me collocauit, siue acclinauit.] Errabam sicut ouis quæ perijt, ille me suis humeris reduxit in ouile, contaminatam lauit suo sanguine, morbidam sanauit, debilem integrauit, donauit mihi fidem et spem bonorum cœlestium, afflauit per spiritum suum charitatem, quam multæ aquæ nõ poterunt extinguere, ac per hæc me collocauit in unitate ecclesiæ, in contubernio sanctorum omnium. Antea seruiebam duram seruitutem, esuriebam siliquas porcorum, nec dabatur uel bis saturari, deniq; seipsum mihi donauit, in hac tam felici societate, in his pascuis acquiescam. Extra ecclesiã fratres mei non est uera pax, nõ est uera quies, non est animi tranquillitas. Rogabit hic me quispiam, qui scire possum an sim in ecclesiæ unitate? Dabo signum euidens. Quãdiu manes in charitate dei & proximi, tam diu manes in ecclesiæ contubernio. Quamdiu sentis in pectore tuo pignus spiritus, in quo clamas: Abba pater, tam diu certus es tibi non deesse uerã charitatem. Ab hoc felici consortio nulla creatura te poterit depellere, nec principes huius mũdi, nec summus pontifex, nec mors, nec uita, nec satanas, nisi uelis ipse. Nam deus qui solus hoc potest, nõ uult quod potest, imò ne potest quidem aduersari suis promissis. Promisit autem se nunquam deserturum spem habentes in ipso fixam. Nec tamen hæc externa societas ecclesiæ catholicæ pijs spernẽda est, etiam si ministri palàm abutantur potestate sua. Personam ecclesiæ gerunt, quæ contẽnenda non est ob publicam tranquillitatem. Tales eijciet dominus, quum ipsi uisum fuerit. Christiani est pacem habere cũ omnibus, quod quidem in ipso est. Rursus hic percontabitur aliquis: Si dominus pascit, si dominus collocat in ecclesiæ pascuis, quid facit Episcopus, per baptismum in ecclesiam inducens? Si nõ pascit quur habet pedum? Cur pastor appellatur? Vnus est princeps pastorum dominus Iesus, qui uere regit ecclesiam suam quam solus certo nouit, qui nutrit eam pabulo uiuifico uerbi sui, sed quædam agit per ministros ecclesiæ, qui quadantenus ipsius uicẽ gerunt. Sacerdos prælegit & interpretatur tibi scripturam, sed dominus aperit cor. Sacerdos te perfundit aqua, ungit oleo, sale cõdit, dat uestẽ candidã, deducit intra tẽpli penetralia, sed dominus est qui remittit peccata, dominus est qui infundit spiritũ. Honorãdus est, qui suo fungẽs officio ministrat sacramentũ, sed adorãdus est, qui sacramentũ reddit efficax, illi uere debetur omnis gloria. Vt sacramentorũ minister mercenarius sit, fur et latro, pastor tamẽ ille nõ deest ouibus suis, qui per malos etiã mysteriorũ dispẽsatores largitur suã gratiam. Hoc ad solatium ouiũ pertinet, ne si uideãt Episcopos, aut sacerdotes palàm impios, existiment per illos intercluſam sibi uiam ad salutẽ. Illis alienorum munerum credita est dispensatio, qua si recte fungantur, mercedẽ amplam accipient ab illo summo pastore. Sin minus, Christus & uiuit, nec curam abiecit sponsæ suæ. Si bene docent, sed male uiuunt, quæ dicunt facite, quæ faciunt nolite facere. Si uita suspecta est, doctrina syncera, in bonum potius uergat suspicio. Sin palàm, & improbe uiuunt, & impia docent, non aliter fugiendi sunt quàm lupi. Sed ita fugiendi, ut tolerentur, non occidãtur, & hactenus ab illis recedendum est, ut ob hominum uitia non recedatur ab ecclesiæ consortio. Si qui gubernaculis assident, lupos agunt, ouium est ad uerum balare pastorem, ille uindictã sumet de furibus & latronibus, nec deseret gregem suum. Olim sub Annis & Caiphis, sub

principibus

principibus idololatris degebat grex dominicus, & tamen nihilominus oues esse perseuerabant. Quanquam hic psalmus non tantum ad oues, uerumetiam ad pastores pertinet, qui quemadmodum Christi uices gerunt, ita debent summi pastoris exēplum pro uiribus humanis imitari, allicientes ad ecclesiæ pascua quoscunq; possunt, aberrantes paterna solicitudine reducere, saginare salubribus Euangelicæ doctrinæ pabulis, languētes per amicas exhortationes deducere ad aquas refectionis, pię conuersationis exemplis, & assiduis monitis educare proficientes, donec collecto robore, toto pectore conuertantur ad dominum. Nec in his aliud spectent quàm summi pastoris gloriam, ac dominici gregis salutem, quemadmodum hortatur ille cui primum dominus ter amorem ipsius professo commisit oues suas, pascendas non imperio premendas. Pascite, inquit, qui in uobis est gregem dei, prouidētes illi non coacte, sed sponte secundum deum, neq; turpis lucri gratia, sed uoluntarie, neq; dominantes in clerum, sed forma facti gregis ex animo. Dixerit hic quispiam: Gratis igitur tam operosum munus obibo? Nequaquam. Quid igitur præmij? Quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilē gloriæ coronam. Præcedant igitur oues suas, & deducant illas per semitas iustitię, assiduis obtestationibus monitis, & adhortationibus reddant illas cautas et animosas aduersus insidias insultusq; diaboli, dirigentes eas uirga doctrinæ, fulcientes baculo consolationis, donec proficiant ad libertatem hilaritatemq; spiritus, dignæq; iam haberi ualeant quæ à spiritualibus gaudijs bonæ cōscientiæ subuehantur ad æterna cœlitū conuiuia. Porrò quo quisq; sublimio rem inter pastores locum obtinet, hoc par est propius ad summi pastoris imaginem accedere. Princeps ille pastorum lauit discipulis suis pedes, admonens interim quod faciebat exemplum esse ad imitationem propositum. Quādo autem porrexit pedes suos cuiquam osculandos? Quod Magdalena fecit, mysterium erat non exemplum. Nec mirum si Christus præbuisset suis osculandos pedes, qui se passus est à suis adorari. Deus enim erat, At Petrus non est passus Cornelium sibi ad pedes accidere. Sed sit hæc in ultro faciente uel religio, uel charitas, quid est in exigente? Charitas uel fimbriam uestis exoscu latur, & Christi fimbria contacta dedit salutem, quemadmodum apostolorum attactu consecrata semicinthia. At his temporibus quibus exigere miracula incredulitas est, si quid talium honorum defert simplicium pietas, recusare debet Christiana modestia. Iulio Cæsari magnæ fuit inuidiæ, quod uiro senatorio ad osculum uenienti pedem obtulerit, quia non Cæsaris, sed Procrustæ cuiuspiā exemplum uideretur. At ille uere maximus, & rex, & pontifex, ne Iudæ quidem ad osculū uenienti pedē obtrusit, sed faciem præbuit. Satius aūt esse puto missam facere collationē, ne non monere, sed exprobare uideamur. Porrigatur pes oui iuxta speciē externam, si ita uel res, uel mos postulat, modo intus gestetur in sinu: obequitet pastor eximijs caballis, gestetur sublimis, cingatur regio satellitio, ducat armatas acies iuxta speciem externam, modo in animo sit paterna solicitudo, summa modestia, & Christi uicario digna charitas. Ad oues redeo, deductas in pascua. Sic igitur uersetur Christianus quisq; in Christi pascuis, ut indies crescat ac roboretur. Tot sunt ecclesiæ sacramenta, quæ partim inchoant hominem, partim prouehunt, partim absoluunt. Est item doctrina multiplex incipientium, proficientium, & perfectorum. Rudimenta traduntur catechumenis, reconditiora quædam iam renatis. Hanc geminam doctrinam indicauit dominus in Euangelio Matthæi: Euntes docete omnes gentes, tradentes catechismum, baptizantes eos in in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis, deducentes eos ad semitas iustitiæ. Perfectam promittit apud Ioannem Euangelistam: Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autē uenerit ille spiritus ueritatis, ille docebit uos omnem ueritatem. Quin & beatus Paulus habebat lac doctrinæ, quo fouebat paruulos, habebat & sapientiam quam loquebatur inter perfectos. Porrò quum non omnibus omnia pariter congruant aut conducant, tamen in scripturarum uberrimis pascuis abundat, quod alat infantes in Christo, quod uegetet adolescentes, quod adultos prouehat in mensuram plenitudinis Iesu Christi, est item quod medeatur ægrotis, quod confirmet languidos. Vnde igitur est, quod inter Christianos tam multos conspicimus, qui cum sumant omnia ecclesiæ sacramenta, quum subinde accedant ad mensam domini, quotidie pascantur uerbo dei, quotidie uersent, recitent, decantent sacram scripturam, præsertim

1. Pet. 5

Matth. 28

Iohan. 6

apud

apud ſacerdotes & monachos, nihilo tamen fiant habitiores, ſed macie graciles manent, languore torpent: quum obeſum, lętum, & alacre pecus amet dominus? Interdum in culpa ſunt paſtores mercenarij, qui neglecto grege paſcunt ſemetipſos, nec aliud quàm canticant gregi, doctrinæ pabulum non adminiſtrant, aut ſi quid docent, humana potius docent quàm diuina, aut auribus blanda potius quàm animis ſalubria, denique ſua miniſtrant pabula nõ Ieſu Chriſti. Partim in culpa ſunt auditores ipſi, qui frequenter non ſunt uere oues, quia ubi carpſerunt pabula non ruminãt. Qui ſic? Quia audiunt legem domini, ſed non meditantur legem domini. Nullum enim animal ruminat niſi mundum. At quiſquis tenetur amore pecuniæ, alijſque rerum externarum curis, immundũ eſt animal, & uerbum dei quod eſt unicum animæ pabulum, quoniam incidit in malam terram in his non fructificat. Nam paſtores ubi uiderint ouem non ruminantem, morbum intelligunt, & remedium adhibent. Iam ſi quis perpendat quantus ſit animi morbus ambitio, quantus auaritia, quantus uoluptatũ amor, non mirabitur illis obnoxios non poſſe ruminare pabulum Euangelicum. Quid autem eſt ruminare? Animantia quæ ruminant, mordere neſciunt, quod inferiore tantum mandibula dentes habeant, quibus acceptum ore pabulum ad ſuperioris mandibulæ gingiuã atterunt, & attritũ in ſuperiorẽ uentriculũ mittunt, hinc quũ eſt ociũ reuocant in os lenteque remandunt priuſque demittãt in ſtomachũ. Idque fere faciunt à potu, & procumbentia. Nõ erant igitur oues phariſæi, qui quicquid à domino dabatur pabuli, ſtatim mordebant uertentes in calumniam. Sed oues Chriſti palatum habent intellectus, quo ſimpliciter excipiunt ſalutarem doctrinã, eamque ſobria conſideratione non nihil atterunt in animo uerſantes, mox demittunt in ſuperiorem uentriculũ, hoc eſt in memoriam. Deinde recreatæ hauſtu ſpiritus ſecedunt à tumultibus curarum temporalium, & in domini paſcuis acquieſcentes quod in memoria repoſuerant, ad intellectum reuocant, ac diligentiore conſideratione remandunt. Ita demum demittunt in ſtomachum, ut à ſtomacho per uniuerſum corpus digeratur & tranſeat in animi ſubſtãtiam. Stomachus noſter affectus eſt, qui amat quod didicit & credit, in ſtomachum demiſit pabulum. Cæterum qui iam per officia charitatis exercet quod accepit, quaſi uegetus & agilis declarat cibum in ſpiritus ſubſtantiam abiiſſe. Agilitas enim corporis arguit bonam concoctionem, quã comitatur bona habitudo. Et unũquodque animal ſuos habet motus naturales, quos ſi uidemus expeditos ac rectos, agnoſcimus ſanitatem. Proprius autem motus charitatis eſt lædere neminem, bene mereri de omnibus. Vis igitur tibi commonſtrem, unde poſſis dignoſcere, num in paſcuis domini ſis factus uegetior? Si factus es ad officia pietatis alacrior, ſi ad ferendas iniurias fortior, ſi fide robuſtior, ſi charitate flagrantior, ſi minus in te ualet caro, magis uiget ac regnat ſpiritus, age gratias paſtori, orãs ut quod cœpit in te, perficiat. Fructus ſpiritus declarant animam bene paſtam. Quod hic digeſtionem diximus, pſalmus primus appellat meditationem. Lex dei pabulum eſt animæ. Beatus autẽ eſt, qui in hac meditatur & exercetur: non quomodolibet, ſed die ac nocte, nimirum iuxta Pauli monita: Bonum autẽ facientes non deficiamus. Quid efficit meditatio? Producit fructus deo gratos, nec unquam interituros. Sequitur enim protinus: Et erit tanque lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet. Hic locus etiam ad illos pertinet, qui legem ore tenẽtes, nec eam concoxerunt, docentque populum quod ipſi nec faciunt, nec amant. Porrò diu diſcendum eſt quod doceat, & uix accendit alios, qui friget ipſe. Ita fit ut nemo bene paſcat gregem domini, niſi ipſe paſtus à domino. In adminiſtrandis eccleſiæ ſacramentis, nõ nocet recte ſumentibus adminiſtrantium improbitas, ſed perquam rarum eſt, ut per hominis improbi doctrinam aliquis conuertatur ad bonam mentem. Tametſi nõ inficior & hoc quoque fieri poſſe. Nullum autem efficacius animarũ pabulum, quàm doctrina ſpiritualis, quæ nunquam non eſt adhibenda. Siquidem hic eſt panis quotidianus, quo niſi aſſidue reficiatur animus, primum gracileſcit, mox lãguore torpeſcit, demum emoritur. Hic igitur cum primis uigilat ueri paſtoris cura, ne quid deſit ouibus. Nec ex ore frigido porrigat illis cibum, ſed ex charitate flagranti corde. Ignis ignem accẽdit. Rurſus oues accepturæ ſermonem ſalutiferum, præparent animi ſtomachum, ut quod datur tum uacuæ, tum auidæ capiant. Non enim ſatiantur his paſcuis, niſi qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quemadmodum cibus inutilis eſt corpori, qui ſtomacho faſtidiẽte capitur. Huic faſtidio paſtores ita

mederi ſolent,ut petram ſalis ponant in paſcuis, quam lambentes oues ſtomachi nauſeæ medentur. Hoc itaq; tędium qui ſentiunt,lambant petram Chriſtum, & ab illo precibus exugant Euangelicæ ſapientiæ orexim. Sunt qui ſacramentis non ex animo,ſed uelut ex conſuetudine utuntur, de ſpiritu non admodum ſolliciti. At caro ſacramenti non prodeſt quicquam,ſed ſpiritus eſt qui uiuificat. Sunt qui more Iudęorum hærēt in cortice ſcripturæ,nec ruminant quid intus lateat myſticæ ſapientiæ. Sunt qui quotidie magnam pſalmorum uim recitant,ſed lingua tantum non ſpiritu. Hinc in pleriſq; tantus animorū languor, tantum frigus charitatis,tanta uirium imbecillitas,ut ad quamuis leuem tentationē concidant,& uel uerbulo efferētur ad omne uindictæ genus. Nec ullam rem magis arbitror deeſſe his qui concluſi uitam agunt, potiſſime deo dicatis uirginibus. Probo ſacras cantiones laudo ſcripturarū recitationes,in quibus bona diei pars & noctis nonnulla conſumitur,præſertim ſi ſimul & ſpiritu pſallatur & mēte. Continetur enim his occupationibus animus à multis malis quæ ſolet in hominibus gignere ocium, ſed uiua uox paſtoris melius afficit,erudiens,increpans,obſecrans,extimulans,conſolās,territās. Olim ſacræ uirgines aſſidue uerſantes in tēplis, audiebant docentem epiſcopum, inde prodierūt nobis tam multæ uiris etiam admirabiles,& ad martyrium uſq; fortes. Nunc proh dolor ferè tales habemus,ut cancellis debeant qualemcunq; in propoſito conſtantiam. Nam quæ recederet ſi liberum eſſet,iam receſſit. Huius imbecillitatis pręcipua cauſa eſt, quod raro datur illis audire uerbum domini,eo quod plerunq; mutos habent præfectos, multos etiam uoluptatum q̄ literarum ſtudioſiores, aut ſi quid docent frigidū eſt & ineptum. Ad uirginum enim curam ferè extruduntur,qui ob ignauiam mentis ingenijq; ſtuporē mundo ſunt inutiles, aut cœnobijs ſuis graues. Hic itaq; non oporteret dormitare uel parentum ſolicitudinem, qui filias ſuas in hoc uitæ genus conjciunt, uel præſulum uigilantiam. Oues autem quæ ſe ſtudent probare paſtori quàm bene paſtæ ſint, non illi oſtendunt cibum in ore,ſed nitore lanarum,habitudine corporis & alacritate motus declarāt ſe bene paſtas. Ita qui ediſcūt ſacra uolumina,qui recitant, qui decantāt, non protinus ideo bene paſti ſunt,ſed quum ad iniurias tolerādas ſunt fortes, quū ad officia pietatis alacres, quū ſpiritus hilaritate comes,tum demum intelligas licet illas probe ſaginatas. Iam ſunt,ut dixi,qui non ferunt niſi blanda, pruriētes auribus,& aſciſcētes magiſtros, qui titillent uoluptate,non ſanent amara licet ueritate. At oues quæ ſanæ ſunt cum primis delectantur ſalicum frondibus,quod amaræ ſunt,maluntq; ſalſis uti paſcuis q̄ dulcibus. Ergo qui nondum defatigati à carnalibus deſiderijs,nauſeant ad ea quę ſunt cœleſtia, rogent paſtorem ut dignetur ipſos ad aquas refectionis deducere, ubi copioſius hauriant de ſpiritu,qui ui ſua ignea exoquit ſtomachi pituitā,totosq; cōuertat ad deum,qui prius tepidi mūdo & Chriſto ſemet partiebātur, uelut utroq; genu claudicātes,quum nemo poſſit ſeruire duobus dominis. Et in Apocalypſi Chriſtus minatur tepidis, euomiturus illos niſi incalescant. Nihil autem hoc hominum genere infelicius,ac fortaſſis etiam inſanabilius. Teporquidem ille naſcitur ex ſupputri pituita affectuum, quæ febriculā gignit in animo,ut nō delectemur neq; uegetemur doctrina ſpirituali. Ad aquas igitur refectionis properemus, ut incaleſcamus charitate. Quod dico forſitan alicui uidebitur abſurdum,eo quod aqua frigida ſoleat reficere æſtuantem,non inflammare tepentem. Non eſt abſurda metapho-
ra dilectiſſimi,ſi commode interpretemur. Hæc aqua refrigerando calfacit. Quonam pacto? Refrigerat æſtū concupiſcentiarum,quæ tumultuātur aduerſus ſpiritū,his refrigeratis incaleſcit mens hominis ad ea quæ ſunt ſpiritus. Id explanat propheta, dicens: [Animam meam conuertit.] Nam Paulus animam hominis partitur in tres partes, in carnem quæ uergit ad terrena, ſpiritū qui nititur ad cœleſtia,& animam mediam, quæ nunc huc, nunc illuc uoluitur. Hoc genus ſunt affectus naturæ, cura propriæ incolumitatis, charitas erga uxorem, pietas erga parētes ac liberos, affectus erga propinquos & amicos. Nā hæc nobis cum ethnicis, partim etiam cum brutis communia ſunt. Hi affectus ſi ſe applicēt ad ſpiritum ut illos non amemus niſi in Chriſto,& ſi incidat neceſſitas, malimus illos deſerere,quàm à Chriſti charitate recedere, animam uertunt in ſpiritum. Sin in horum gratiam diuaricamur à mandatis dei, iam anima uertitur in carnem. Vt ergo totus homo ferueat ſpiritu, neceſſe eſt ut paſtor noſter animam ad ſe conuertat. Hoc facto ſequitur alacritas & dulceſcunt omnia, quæ prius erant faſtidio. Mox ubi talibus aquis refecta fuerit

Super aquas refect. e.

1. Theſ. 5

Deduxit me super semitas iustitiæ.

fuerit anima nostra, iam concepto feruore spiritus, & auersa à uoluptatibus & cõmodis huius mundi, tum pastor deducit illam per semitas iustitiæ, ut per quadraginta mysticas mansiones alacriter pergat ad terram fluentem lacte et melle. Mansiones sunt gradus uirtutum, quos etiam psalmus commemorat quindecim, quibus ascenditur in cœleste templum, quæ est domus domini. Vię nomen in sacris literis frequentissimũ est, & interdum accipitur pro certa ratione utuendi, uelut Actuum nono & decimonono: Viros uiæ huius. Et: De uia domini. Semitæ uocabulum infrequentius est. Attamen quum utraq; uox in bonum simul atq; in malum accipiatur, maxime quum scriptura in metris, aut metris similibus, eandem alijs uerbis recinit sententiam, semitæ, rarius in malam partem usurpatur. Exemplis supersedeo, ne sim prolixior. quod nos dicimus uiam, Septuaginta dicitur ὁδός, quod nos semitam, illis τρίβος. Est & iureconsultis discrimẽ inter uiam iter & actum. Ex quibus nominibus latissime patet uia, cuius tanta iubetur esse latitudo, ut spatium sit flectendis uehiculis, cui proximus est actus. Nam & peditum iter dicitur, agere uero qui mulos aut equos ducit. Via plaustra quoque continet, quæ sæpenumero strata est & publica, quales sunt in urbe quæ uicos dirimũt, & ab ædificijs mœnia, & extra urbẽ uia Appia, uia sacra. Publicam porrò uiam Græci λεωφόρον appellant. Nam prædia nonnunq; debent uiæ seruitutum huic aut illi, sed non populo. Semita uero quasi semi iter dicta uidetur, quod & angustior sit, nec publica. Quid hic uobis commemorẽ notissimum Pythagoræ symbolum, Per uiam popularem ne eas. Qui sunt isti qui incedunt per uiam λεωφόρον? Contemplare quomodo uiuat hominũ uulgus, & intelliges quod quæris. Amant, oderunt, litigant, belligerantur, indulgent genio, ambiunt, scortantur, mœchantur, dolo, fraude, furtis, fœnore, peculatu, periurijs rem augent. Et alij quidem repunt, alij pedibus ambulant, alij pilentis, petoritis, sellisq; curulibus uehuntur, alij camelis, elephantis, mulis, caballis, ac mannis insident, omnes tamen quoniam suis quisq; cupiditatibus agũtur, per populi uiam gradiuntur. Atq; hæc illa uia lata per quam maxima pars hominum tendit ad interitum. Ab hac uia nos abducit pastor noster charissimi, clamitãs: Ego sum uia, ueritas, & uita. Et: Intrate per angustam portam, quia lata porta & spacioſa uia est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta uia est quæ ducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Hanc ergo uiam angustam pauciſq; notam frequenter sacræ literæ semitam appellant. Cæterum quoniam habent & impij semitas suas, de quibus admonet nos Solomonis sapiẽtia: Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Nam semitæ omnis auari animas possidentium rapiunt. Itidem habent & ambitioni, libidini, luxuiq; seruientes semitas atq; etiam cuniculos suos, præsertim hypocritæ, quibus & ipsi fallunt, & alios pelliciunt in exitium. Hos denotauit dominus, dicens: Attendite à falsis prophetis. At pastor noster non deducit nos per quaslibet semitas, sed per semitas iustitiæ. Multæ sunt semitæ, una tamen est iustitia Christianorum, quum Iudæorum tot sint iustitiæ quot sunt opera. Iustitia nostra Christus est, qui iustificat per fidem omnem hominem ad ipsum uenientem. Non absurdum opinor, si quis hunc locum de uitæ uarijs institutis interpretetur. Veluti laici, coniugati, milites, aulici per uiam ambulant iustitiæ, si modo in suo genere probe degant, at qui perpetuam castitatem, qui rerum mundanarum contemptum profitentur, ambulant per semitas iustitiæ, modo præstent quod profitentur. Sed quoniam uitæ genus non commendat hominem deo, sed animi pietas, & in his qui uitæ arctissimum institutum profitentur, sunt heu nimium multi, qui per popularem incedunt uiam, congruentius accipiemus omnes illos per iustitiæ semitas ingredi, qui secundum præcepta dei uitam dirigunt in suo quisq; genere. Quisquis oberrat, quocunq; cupiditas inuitat, ibi latissimum errãdi spatium præbet uia. Cæterum ubi non receditur à præceptis primum diuinis, deinde humanis etiam quæ conducunt ad pios mores, ibi semita angusta est, quæ non dat spatium delinquendi. Sic & coniugati seruantes honorabile matrimonium, & thorum immaculatum, ambulãt per semitas iustitiæ, sic & negociatores neminem fraudantes, sic nautæ, sic aurigæ, sic milites, sic aulici, nihil admittẽtes aduersus præcepta dei, ambulant per semitas iustitiæ. Porrò quoniam in medijs etiam uirtutum progressibus insidiari solet exitiale malũ arrogantia, propheta adiecit. [Propter nomen suum,] uidelicet hominis excludens meritum, & Christi benignitatem illustrans. Scio quosdam offendi, si quis dicat excludi meritum, sed

Matth. 7

Prouer. 1

his

his uocibus plusq; sexcenties utitur diuus Augustinus, cæteriq; complures orthodoxi. Quod si quod hominis meritũ dici possit, tam exiguũ est, ut expediat pro nihilo duci, aut certe nobis arrogare non possimus, eo quod hoc ipsum ex dei munificentia profectum est. Concordat autem hic locus cum uersiculo psalmi trigesimi: Quoniam fortitudo mea & refugiũ meum es tu, & propter nomẽ tuum deduces me & enutries. Itaq; charissimi, si quis uestrũ senserit sese spiritus robur collegisse, minus grauari carne, alacrius rapi ad ea quæ sursum sunt, uideat ne dum sibi uindicat quod gratis accepit, non solum non augeatur dono, uerum & quod habet amittat, dicatq; pastori suo: Non mihi domine non mihi, sed nomini tuo da gloriam. Item illud: In deo faciam uirtutẽ. Ita fiet, ut & tu uites arrogantiam, & domini benignitas sic augeat suã in te munificentiã, ut intrepide possis & illud dicere: [Nam etsi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.] Nec hic est ociosa personæ mutatio. Antehac sibi sponsa gratulabatur, sed imminente periculo circumspiciens quàm nihil haberet ex sese dignum tanta fiducia, ad pastorem uersa dicit: [Quoniam tu mecum]. Itidem & Paulus commemorans quæ Christus per ipsum gesserat, addit: Non autem ego, sed gratia dei, quæ mecum erat. Discamus & nos dilectissimi, ad hunc loqui modum, si quid à nobis recte pieue gestum fuerit. Ne dicamus, Eam tentationem ego deuici: sed, Domini misericordia me liberauit ab ea tentatione. Nec ego illum conuerti ad meliorem mentem, sed gratia dei per me famulum indignum dignata est illum ad mentem meliorem conuertere. Absint illæ glorioſæ uoces ab ouibus Christi, quas nunc audimus, ab his qui se postulant haberi germanas oues Christi. Si qui sunt in hac urbe seruati ab hæreticorum lue, uox illius nostri effecit: &, meis concionibus hic populus multo quàm antea factus est melior. Seminaui uobis spiritualia, date uestra carnalia: &, nos sumus ecclesiæ columnæ, collapsuri nisi fulciamus eam nostris humeris. O uoces pharisaicas, & Christi pastoris gloriam obscurantes. Et hæc audiuntur ex eorum ore, qui simplicium ouium uellere tegũtur. Nos autem simus ueræ oues Iesu Christi. In benefactis nihil agnoscamus, nisi simplex ministerium, gloriam omnem domino tribuentes, qui omnia facit propter nominis sui gloriam. Sinamus illum triumphare in nobis, ut aliquando triumphemus cum illo. Illius fiducia fortes simus & animosi, illi petræ insistamus si uolumus esse stabiles. Nam si nostris præsidijs niti cœperimus, ilico corruemus. Neq; hoc modo dicamus homini, gratia dei mihi adfuit, & gratia dei sum id quod sum, dicamus ipsi Christo: Non timebo mala quoniam tu mecum es. Quod hominibus loquimur lingua sonat, non raro dissonans à corde, at quod deo loquimur & uere & ex animo loquimur. Tum enim loquimur scrutatori renum et cordis. Cum illis autem iuxta scripturarum proprietatem dicitur esse dominus, quibus est propitius. Non recte igitur dicit fur aut latro, si quando feliciter cessit prædatio, aut adulter si quam amat potitus est, aut iratus si quem odit ultus est, hodie dominus mihi adfuit. Quod Septuaginta uerterunt in medio umbræ mortis, Hieronymus uertit, in ualle umbræ mortis. Vmbram mortis appellat caliginem densissimam, qualis est apud inferos, aut iuxta allegoriã in animis impiorum qui nõ nouerunt aut certe non timent deũ. Eo uerbo complectitur omnia quæ solent hominibus terrorem incutere, quod genus orbitas, exiliũ, egestas, infamia, cruciatus corporis, mors, inferi, diabolus. Quid enim timebit, qui non timet inferos? Multa uero terrent naturam humanam, quæ uere mala non sunt. Contrà multæ res alliciunt, quæ iure metuendæ sunt. Ea uere mala sunt, quæ reddunt hominem malum, hoc nec egestas, nec exilium, nec morbus, nec mors potest per sese. Vniuersitatem autem malorum Hebræus aptius dixit malum, quemadmodum in Euangelio agnus dicitur tollere peccatum mundi, hoc est ipsum peccati corpus. Nec tamen refragatur huic sensui quod Græce Septuaginta uerterunt κακὰ. Siquidem non apponentes articulum demõstrant non illa uel illa mala, sed omne malorum genus intelligendum, Quæ res præbet tantã fiduciam ouiculæ, ut nec mortem, nec inferos metuat? Quoniam uirga tua & baculus tuus ipsa me consolabuntur. Sic enim legit Hebræus, & hunc uersiculum superiori annectit. Non me clam est, quosdam interpretari uirgam fraternæ correptionis, iuxta illud: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, & baculum pœnitentiæ remedium, Virga percutitur delinquens non occiditur, iamq; sibi displicens ne desponeat animum, baculo pœnitentiæ sustentatur, quæ lapso promittit pacem. Et hæc fateor esse in ecclesia, pioq;

ſenſu dici, ſed mihi placet in ſcripturis interpretatio ſimplex minimeque coacta, & ſibi cohærens. Hic pſalmus totus eſt conſolatorius, nec quicquam habet admixtum triſte. Nam his uerbis exponit quod paulo ante dixerat: Quoniã tu mecũ es, id eſt quoniã mihi fuiſti auxilio. Quomodo auxiliatus es? Virga & baculo, hoc eſt ut ſimpliciſsime dicã, tua gubernatione, quæ præſtat, ut mala quoq; mihi uertantur in bonum. Aut uirga directionis tuæ, quæ nõ ſinit aberrare à ſemitis iuſtitiæ, & baculo qui fulcit in uia laſſeſcentes. Virga ſint præcepta, baculus conſolatio ſuſtentans animum ſpe cœleſtium præmiorum. Nihil porrò uetat quo minus uirgam accipiamus ſcripturam diuinam, quæ prælucens nobis in omnibus actionibus, ac præſcribens quid fugiendum, quid expetẽdum, dirigit nos per ſemitas iuſtitiæ, iuxta illud: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſemitis meis: baculum uero, ſpem futurorum præmiorum quæ fulcit piorum animos, ne cedant afflictionibus, quæ plurimæ obijciuntur ambulantibus per ſemitas iuſtitiæ. Spes enim præmij minuit uim flagelli, & expectatio iuſtorum lætitia, quemadmodum docet Solomon. Nec dicit ſe uerſari in tenebris & umbra mortis, ſed fictione locum facit hyperbolæ. Quale eſt illud: Si aſcendero in cœlũ, tu illic es: ita hic, etiam ſi contingat ambulare per inferos, te comite, nihil expaueſcam. Quur enim expaueſcat tenebras, qui lucẽ mundi ſecum habet? Quur metuat mortem, qui uitæ fonti iunctus eſt? Spes bona dat uires, animum quoq; ſpes bona firmat. Hanc magna ex parte cõferunt aquæ refectionis. Multum profecto ſolatij adferunt ſacræ literæ, pollicentes immortalitatem his qui Chriſti ueſtigia ſequentes ingrediuntur per ſemitas iuſtitiæ, ſed ecce benignus ac dapſilis paſtor, aliud ſolatium adornat. Præparabis, inquit, ſiue præparaſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me, ſiue in conſpectu affligentium me. Nec enim magni refert in prophetícis ſermonibus utrum uerbis futuri temporis res explicetur, ac præteriti.

Quemadmodum imperatores militibus ſuis quo pugnent alacrius ſolent donatiuum, aut epulum aliquod exhibere præter ſtipendij ſpem, ita paſtor hic ouibus ſuis pollicitus uitam æternam, interim uelut arrabonem ſubinde dat, quaſiq; guſtum illius æterni conuiuij. Habet nonnihil laboris ire per ſemitas iuſtitiæ, ſed parata eſt menſa quietæ & hilaris conſcientiæ, iuxta illud Solomonis: Secura mens quaſi iuge conuiuium. Habet exercitatio pietatis, quæ pars eſt Marthæ, moleſtiam corporalem, ſed eam diſcutit benefactorum comes lætitia ſpiritualis animi. Nam inter fructus ſpiritus commemoratur & gaudium, quod gaudiũ nemo tollet à nobis, ſed in futuro ſeculo cõſummabitur. Huius gaudij quoties meminit beatus Paulus? Non eſt enim, inquit, regnum dei eſca & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Idem tot periculis tot malis exercitus, quid ſcribit Corinthijs? Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio, in omni afflictione noſtra. Vnde hæc hilaritas in tanto malorum agmine quæ illic commemorat? Nimirum accumbebat ad hanc menſam, quam dominus præparauit ſuis militibus, oleo lætitiæ ſpiritualis delibutus, & præclaro domini calice ebrius. Errant itaq; qui pietatem rem triſtem ac tetricam exiſtimant. Talis quidem eſt phariſæorum religio, at uera pietas longe plus habet ſolatij quàm tædij. His delicijs ſpiritualibus refecta pia mens, non inuidet Epicureis & Apicijs menſas ſuas. non deſiderat menſas Siculas, habet epulas illis centuplo lautiores, habet unguentum non mox peritura uoluptatula delectans nares, ſed intus iugi gaudio exhilarans animum, habet calicem uini uere exhilarantis cor hominis, quod ſanctam ac ſobriam adfert temulentiam. Habet enim muſtum, quo hauſto quondam apoſtoli uidebantur ebrij, ſed his qui menſæ huius delicias non guſtarant. Hæc menſa parata eſt è regione affligentium oues Chriſti, ut unde pij reficiuntur, impij diſcrucientur. Arcana quidem eſt hæc hilaritas piorum, ſed tamen plerunque ſe profert dictis, relucet in uultu. Itaque fit, ut quum impij conuicijs laceſſunt pios, atque illi adeo non commouentur, ut pro maledictis referant benedicta, magis exaſperentur, quàm ſi in ipſos dicta fuiſſent conuicia, præſertim hi qui deploratæ mentis ſunt. Rurſus alij perſpicientes in tantis contumelijs & cruciatibus perpetuam tranquillitatem & hilaritatem uultus, intelligunt in illis operari ſpiritum Dei, & conuertuntur ad pietatem: & hanc ob cauſam hæc menſa parata eſt, Chriſto paſtori plena fiducia hærentibus, in conſpectu impiorum, ut quemadmodum oues hic incipiunt frui gaudijs cœleſtibus, ita perditi hic incipiant ſentire cruciatum gehennæ, cui deſtinati ſunt. Tyranni totas ingenij uires

Ioan. 17

Roman. 14
2. Cor. 2

uires in hoc explicuerunt, ut immanibus supplicijs auocarent à Christo. Verum quum cernerent uniuersam ipsorum potentiam, strepitum, minas constantissime contemni, & martyres in eculeo, in igni, in laniena crudelissima, uultu sereno persistere, grauius ipsi cruciabantur animo, quam illi corpore. His exemplis conuerti poterant ad pœnitentiam, sed quoniam tum excæcati malitia, quod uidebant uidere noluerunt, seræ pœnitentię reseruantur, ut canant frustra lugubrem cantionem illam: Nónne hi sunt quos aliquando habuimus in derisum etc. Iam fingamus nec esse resurrectionem, nec animas à corporum interitu superstites esse, quis non malit sub tali pastore talibus enutriri pascuis, talibus reficiaquis, tali frui securitate, ad tam opiparam mensam accumbere, quàm sub tyranno diabolo per fas nefasq; falsa mundi bona sectari, quæ & uenantem excruciant desiderio, & habentem tum seruandi solicitudine, tum augẽdi studio, tum amittendi metu excarnificant, nec ueram animo quietem præstare ualent? Quid si iam ad æternitatem illam flectamus oculos, piorum & impiorum sortem inter se conferentes? Et benignitas, inquit, tua, non hic tantum me reficit, uerum etiam quod cœpit absoluet, & qui dedit arram, dabit solidum promissum, ut hoc conuiuium plenis iam gaudijs agam omnibus diebus uitę meę: et qui nunc habito in hoc tabernaculo corporis peregrinus & hospes paucorum dierum, tunc in cœlestem Hierosolymam, quę est patria nostra, receptus habitem in domo domini in longitudine dierum, ubi perpetuum securum & plenum erit gaudium sublatis è medio malis omnibus. Dimittam uos, si paucis ordinem Psalmi contexuero, Salutis principium est ut simus oues, hoc est simplices ac dociles, & agnoscamus pastorem nostrum Iesum, & ab illo nos pasci sinamus: deinde per illum deducamur in pascua ecclesiæ, ubi remissio peccatorum dat pacem & quietem animo, mox per scripturarum cognitionem uberiorem, & spiritus largiora munera ducimur ad aquas spiritus reficientes, & robur addentes fidei charitatiq;. Hinc ad præcepta uitæ Euangelicæ perfectioris, in qua confirmatus colligit robur spiritus, ut paratus sit etiam ad martyrium, fretus sui pastoris custodia. His succedit optima pars Mariæ, quæ nunq̃ aufertur, hoc est alacritas spiritus, quum usu iam dulcescunt ea quæ primum erant amara. Hic est gustus ęternę felicitatis. Eundem ordinem seruat ecclesia. Episcopus catechumenum doctrina symboli abducit ab hædorum grege, dirigitur ad uestibulum ecclesiæ, per baptismum collocatur in paucis, receptus ad ouium sacramentorum communionem, mox proficiens pietate, enutritur super aquas refectionis, donec totus spiritualis, nihil amet præter deum, aut certe propter deũ. Talem ubi se probauerit ecclesiæ, deducitur in ea munia, quæ uirum perfectum & exploratum desiderant, sponte profitetur uirginitatẽ, dilargitur sua pauperibus, suscipit diaconi functionem, subit onus episcopi, & ingrediens per angustam uiam, non inflatur honore, non corrumpitur dignitate, sed domino Iesu cuius uices gerit tribuit omnem gloriam. Itaq; nec prosperitate rerum attollitur, nec aduersitate dejcitur, sed fretus domini præsidio, quem in omnibus sequitur ducem, fit aduersum omnẽ malorũ incursum intrepidus, sibiq; tentationes uertit in solatium, & futurorum spe ueluti scipione sustinet animam: ab externis ministerijs, quæ molestiam habent adiunctam, secedit in cubiculum bonę conscientiæ: ibi refectus epulis spiritus, & huius oleo exhilaratus, & gustu quodam cœlestium gaudiorum ebrius, facile contẽnit quicquid auocat à Christo. Iamq; pertesus omnia quæ uidentur, suspirat optãs propius iungi domino, & coram sine fine illius præsentia frui: ad quam nos perducere dignetur optimus ille pastor dominus Iesus Christus, cui cum patre & spiritu sancto gloria perhennis,

AMEN.

SVTILISSIMA CONSVLTATIO
DE BELLO TVRCIS INFERENDO, ET OBITER enarratus Psalmus XXVIII. Afferte domino filij dei, per Des. Erasmum Roterodamum.

Des. Erasmus Roterodamus Ornatissimo uiro D. Ioanni Rincko iuris prudentia celebri S. D.

QVoniam cum tuis literis Ornatiss. uir, nec eruditione, nec elegantia, nec humanitate mihi uidebar unq̃ paria facturus, huc induxi animum, ut quanto cæteris omnibus eram inferior, tanto uerborum copia uel turba potius superarem. Cuiusmodi telam ordiantur monarchæ uidemus omnes. De colligendis belli neruis solliciti sunt permulti, de ducibus & machinis nõnulli, de mutanda in melius uita, quod est totius negotij caput, & ad uniuersos ex æquo pertinet, uix quenq̃ uideo cogitare. Nec satis admirari possum unde tantus stupor Christianorũ animos occuparit. Quũ tot plagis diuinitus admoneamur, ut & paucioribus sint afflicti Aegyptij, & mitiores sint quæ referuntur in Apocalypsi Ioannis, tamen plus q̃ Phryges, domini toties ad meliorem frugem prouocantis seueritate nihilo reddimur meliores, imò potius tanquã deplorata mancipia collecto aduersus uerbera callo, benignitate numinis abutimur ad peccandi peruicaciam, & aduersus misericordiam temporarijs malis nos inuitantis ad uitæ correctionem præfractiores euadimus. Bellis, latrocinijs, ciuilibus tumultibus, factionibus, expilationibus, pestilẽtijs, penuriæ, fami, in tantum assueuimus, ut iam pro malis non habeantur. Fecit deus quod solent medici fideles, nouauit remedia, immisit inauditum & immedicabile lepræ genus, quam nescio quare uulgus appellet scabiẽ Gallicã, quum sit omnium gentium cõmunis, percussit hominum genus ulcere uere pessimo. Tam horribile malum adeo non docuit nos castimoniam ac sobrietatem, ut plane uerterimus in iocum. Nam eò res deuenisse uidetur, ut inter aulicos bellos ac festiuos quemadmodum sibi uidentur homines, ignobilis ac rusticanus habeatur, qui sit ab hoc immunis malo. Quid hoc aliud est, q̃ domino nos castiganti oppedere, mediumq̃ quod dici solet, digitum ostendere? Successit dogmatum irreconciliabile dissidiũ, nec id sanè simplex, cui citra controuersiam ansam ex parte non minima præbuerunt corrupti mores eorũ, quorum sale cõdiri debuerat populi stultitia. Nec qui traducuntur de corrigenda uita cogitant, nec qui traducunt melioris uitæ specimen exhibent. Ac minimũ abest, quin hoc quoq̃ tam atrox rei Christianæ malum in fabulam ludumq̃ uerterimus. Quid est minarum quas Leuitici 26. & Deutero. 28. ob uiolata ipsius præcepta dominus intentat, quod in nos nõ inciderit. Tot iam annis quid non bellorum uidimus? Quæ caret ora cruore nostro? Quoties sensimus Turcicum gladium, ultorẽ uiolati fœderis quod cum deo pepigimus? Quod pestilentiarum genus nõ sumus experti, non minus in agris q̃ in urbibus, ut fugere nihil aliud esset, q̃ mutare periculo periculum? Baculum panis quoties sensimus cõfractum? Quàm multi sunt ubiq̃ qui comedunt panes ad pondus nec saturantur? Nuper in Italia regionum feracissima, q̃ multi fame perierunt? Fortasse nulla adhuc comedit carnes filiorum ac filiarũ suarum, sed tamen quid aliud q̃ mutuo laniatu uiuimus omnes? Magnates expilant, rusticus quadruplo uendit sua, negotiatores in immensum intendunt precia, opifices quanti uolunt locant operas. Vnusquisq̃ dolis & artibus circumuenit proximũ suũ. Vidimus desolata templa magnifica, cõfracta simulacra, sacerdotes exactos. Nónne pridem immisit in nos bestias agri uastantes omnia, quũ rusticorum manus tanta licentia grassarentur? Nec illa maledictio deest nobis quam cõmemorat Deuteronomiũ. Ducũtur uxores & alius dormit cum illis. Iam illa noua non sunt, nos facere sementem unde colligat alius, nos plantare uineam unde nõ bibamus, recipere alienigenas qui nobis imperẽt. Nónne igitur deus ueluti frustra consumptis remedijs omnibus, loqui nobis uidetur per prophetã. Super quo percutiã uos ultra addentes præuaricationem? Non hæc crudelitatis uox est, sed summæ misericordiæ, Quemadmodum medicus paternum affectũ gerens erga ægrotũ discruciatur animo

Esa. 1

animo cũ uidet artes suas morbi uiolentia superari: Charitas tamen quæ iuxta Paulũ spe rat omnia, non sinit ut laborantem pro deplorato conclamatoq; deserat, Dum anima, inquit est, spes est, excutit omnem ingenij uim, si quod insolitum, si quod efficax pharmacum possit excogitare: Ita clementissimus dominus & humanæ salutis auidissimus inauditis remedijs nos solicitat ad uitæ castigationem. Immisit morbum medicis omnibus ut incognitum ita immedicabilem, qui prodigioso rotatu capitis ac brachiorum miserandis modis discruciabat uiros, fœminas, puellas etiã forma & ætate florentes, adempta interim & mentis sanitate. Nec paucos arripuit diuersis in regionibus noua uel phrenesis, uel delirationis species. Nihil hactenus profectum est. Nuper nouum pestilentiæ genus immisit, letiferum sudorem, quod à Britannis exortũ incredibili celeritate per orbem longe lateq; diuagatũ est, plurimorum exitio, summo terrore omnium, uel quia nouũ, ut à medicis minimum esset opis, uel quia paucis horis tollit quem arripuit, uel quia subinde repetit quem reliquit, uel quia pernici cõtagio latissime grassari solet. Agnoscas malum à clemẽti patre immissum, quod terrore sanaret potius, q̃ internecione perderet. Quid hoc aliud est q̃ uox domini clamantis, agite pœnitentiam, instat regnũ cœlorũ? In psalmis dominus uelut affectus tędio loquitur: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi, semper hi errant corde. Nos & annorum numero, & plagarũ atrocitate superamus Hebræos, utinam non & duricia cordis semper ad deteriora uergentis, et cũ arte studioq; medici pugnantis. Nec interim desinit clamare uox prophetica, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Huiusmodi calamitates quibus subinde tangimur, nihil aliud sunt, q̃ uoces domini ad se reuocantis. Quẽadmodũ enim dominus pollicetur lęta seruantibus legẽ, ita nõ minitatur mala, nisi legẽ aspernantibus. Quur aũt has calamitates immittat, sequitur eodẽ in loco: ipsi uero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abiecerint iudicia mea & leges meas despexerint. Nec enim penitus abieci eos: neq; sic despexi ut consumerentur & irritũ facerẽ pactũ meũ cum eis. Agnoscamus igitur hæc flagella uoces esse domini, cupiẽtis sanare nos nõ perdere, quemadmodũ docet Psal. 28. Vox domini super aquas, hoc est populos, uarijs affectibus uarijsq; doctrinis huc illucq; fluctuãtes. Deus maiestatis intonuit, dominus super aquas multas, uox domini in uirtute, uox domini in magnificentia, uox domini confringentis cedros, uox domini intercidentis flammã igneam, uox domini concutientis desertum, uox domini pręparantis ceruos. Felices sunt in quibus hæc omnia agit uox omnipotens domini, & agit nimirum in omnibus qui non obturant aures suas. Vtinam uox domini intonet in uirtute, quo terrore salubri commoueat animos nostros ad pœnitentiam. Vtinam sit in maiestate, ut omnis humana sublimitas semet illi submittat ad perfectam obedientiam. Vtinã sit super aqueos animos nostros in quibus refrixit charitas, qui dũ ab unico illo bono decessimus, defluximus sicut aqua, fluctuantes humanis affectibus, circumacti quolibet uento doctrinæ. Vtinam uox domini colligat aquas in unũ, & appareat nobis solida tellus fidei, quæ calfacta sole charitatis pariat omne genus uirtutũ. Vtinã uox domini confringat in nobis cedros, nõ quaslibet modo, sed & libani. Habet mũdus cedros suas, sed purpureas, habet Ecclesia cedros suas, sed dealbatas: Libanus enim Hebræis cãdorem sonat. Has interdum erigit in altum ambitio, ferocia, ac mundanis quidem excelsæ uidentur, spargentes gratum hominibus clari nominis odorẽ, & immortalitatem quandã meditantur, sed apud deum humi iacent odoris ingrati. Has cedros utinam confringat uox domini, proq; his erigat oliuas frugiferas, quæ lumen alant in domo dei. Eas nemo potest confringere, nisi uitulus ille saginatus, quem patri pro nobis immolauit, solus omnium sine exceptione candidus, & filius rhinocerotis, id est, Iudaicæ gentis, quæ spiritu uacua literam legis uelut unicũ cornu torserat in Christum. Qui si per fidẽ gignatur in nobis, filius erit bicornium, insignis ac dilectus, quandoquidem utrunq; cornu obuertemus non in ipsum, sed in affectus carnis. Vtinam domini uox in nobis intercidat flammam ignis, qua tot iam annis undiq; cõflagrat orbis Christianus, simultatũ, odiorum, ambitionis & auaritiæ, quibus cupiditatibus toti rapimur in ea quæ sunt huius mundi. Incendiũ inualuit, occupauit uniuersum mortalium genus, regnat flãma uictrix. Sola domini uox potest eam diuidere, sic ut præcipua pars ardoris feratur in deum, quod superest in proximum, iræ, libidini, ambitioni nihil tribuatur. Ita fiet, ut dominus concutiat desertum nostrum incultum, horridum, noxijsq; ani-

Psal. 21
Ephes. 4.

mantibus refertum. Nam id purgari non potest, nisi domini uoce concussum. Habent ue
natores cornua quibus feras è lustris excitent. Mala bestia est aper, sed peior est auaritia.
Mala bestia est ursus, sed peior est luxuria. Mala bestia est leo, sed peior est crudelitas. Ma
la bestia est uipera, sed peior est inuidia. Quod si dominus sua uoce dignetur concutere o/
mnes deserti nostri latebras per ueram pœnitentiam & confessionem, fiet ex sterili frugi/
ferum, ex obscuro lucidum, ex inuio peruiũ, procq; noxijs bestijs pariet nobis ceruos ala/
tis pedibus, qui sitiant, non ea quæ sunt huius mundi, cumque mundo præterfluunt, sed
fontes aquarum salientium in uitam æternã. Tunc reuelabuntur nobis obscura saltuum,
ac discussis prauis cupiditatibus quæ militant aduersus spiritum, resectis dogmatum dis/
sidijs, ex deserto fiet templum domino dicatum, in quo concordibus animis, eadem uoce,
omnes instauratori suo dicent gloriam. Hæc omnia quo minus fiant in culpa est non do/
minus, sed nos qui uelut aspides surdæ ad uocẽ domini sapienter incantantis obturamus
aures, alteram admouentes terræ, alteram cauda obturantes. Quia terram amamus, non
audimus cœlestia, quia scripturã ad carnis affectus detorquemus, etiamsi quid audimus,
nobisipsis inutile reddimus. At, qui fieri poterit, ut nobis aperiantur aures? Nam & hoc
dei munus est. Sacrificio placandus est, ut aures audiendi nobis adaptet, eoq; clamat. Ad/
ferte domino filij dei, adferte domino filios arietum, adferte domino gloriam & honorẽ,
adferte domino gloriã nomini eius. Adorate dominum in atrio sancto eius. Filij dei pro/
fessione quidem sunt omnes per mysticum renati lauacrum, tametsi uox hæc peculiariter
appellat eos qui in apostolorum uicem successerunt, hos alloquitur propheta. Si uere filij
dei estis, adferte quod sitit, quod amat, ob quod assidue clamat dominus. Quid adfere/
mus? filios arietum. Sitis ipsi arietes et idonei gregis dominici duces, imitantes principem
pastorem Iesum, uidelicet insignem illum arietem, quem Abraham uidit hærentem in ue
pribus: ille semet immolauit patri, immolate & uos domino membra uestra, quæ sunt su/
per terram, ut uestra doctrina pijsq; moribus offeratis agnos spiritu masculos, & arietum
filios: afferatis autem non uobis, sed domino, cuius est grex. Pharisæi obambulabant per
mare & aridam, ut adducerent proselytos. Verum eos non offerebant domino sed sibi.
Ita dilatanda est ditio Christiana, ut offeramus, non carnes aut sues, sed filios arietum,
eosq; non in nostram gloriam & aut emolumentum uertamus, sed ut ministri fideles of/
Esaiæ 9 feramus domino. Alioqui clamabit: Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam.
Huic igitur tercq; quatercq; adferte filij dei, filios arietum, non quærentes quæ uestra sunt,
sed quæ Iesu Christi. Nondum attigit psalmus, unde propémodum omnis populi perni/
cies oritur. Nec ea uox tantum pertinet ad primarios ecclesiæ ministros, uerum etiam ad
principes mundanos. Talis enim ferè populus est, quales sunt principes: quanq; interdũ
Iob 34 & ob populi merita, dominus patitur regnare hypocritam. Quando quidem nullus hy/
pocrita perniciosior ecclesiæ, cq; qui pastorem professus agit lupum, aut regem professus
agit tyrannum. Omnis quidem hypocrisis inuisa est Christo ueritati, sed hac ut nulla no/
centior, ita nulla deo inuisior. Ergo uos filij dei, fauete gloriæ dei, ac uestrum esse ducite,
quicquid illius est. Si quid per uos agit dominus, ne uertatis in uestrã superbiam aut que/
stum, sed adferte domino gloriã & honorẽ. Non hoc satis est, adferte gloriã nomini eius.
Amat hostias, sed in illis uult honorari suum nomen, quod impijs Christianorũ moribus
dehonestatur, & conuicijs afficitur inter gentes. Adorate dominum, non opes, non impe
rium, non huius mundi pompas, sed dominum. Quicquid nobis deo charius est, hoc
adoramus pro deo. Vbi? Non solum in templis manu factis, quæ patent & pijs & im/
pijs, sed in atrio sancto ipsius, hoc est in pura sanctaque conscientia. Nam hi demum ueri
sunt adoratores, qui in spiritu adorant dominum. Multi sunt ubique, qui lignum cru/
cis adorant osculo, qui ad Christi imaginem procidunt, qui ad eucharistiam prouoluun/
tur, qui ad nomen Iesu flectunt genua, sed non ita multi sunt, qui adorant illum in atrio
ipsius per spiritum sanctum ædificato. Id si fecerint monarchæ, si pontifices, si cæteri
primates Reipublicæ, dominus abunde effundet in populum gratiam suam: hoc est enim
quod dicit sermo propheticus: Dominus diluuium inhabitare facit, & ipse semper no/
biscum manens, sedebit rex in æternum. Beati quibus imperat ille rex, nec enim suos de/
serit in æternum. Hoc protectore non est quod metuat populus, licet imbecillis ac pusil/
lus. Dominus ipse, uirtutem dabit populo suo; & si maledicat illi totus mundus, cædes,

ac bella

ac bella minitans, dominus tamen benedicet populo suo in pace, quam mundus nec dare potest, nec auferre, nisi sibi quis auferat? Ne igitur obsurdescamus ad toties uocantem dominum, qui nunc denuo uocat nos per Turcarum licet non insolitam truculentiam, & hoc inexcusabilior est nostra surditas, quod toties inclamati non expergiscimur. Gens barbara, obscuræ originis, quot cladibus afflixit populũ Christianũ, quid immanitatis in nos nõ exercuit? Quot ciuitates, quot insulas, quot prouincias ademit Christianæ ditioni? à quanta latitudine in quantas angustias detrusit nostræ religionis imperium? Iamq; procœmia rerũ eò spectare uidentur, ut ni dextera dei protegat nos, breui quod reliquum est orbis Christiani uideatur occupatura. Hęc si fortuito gererentur, tamen Christiani pectoris esset unicuilibet membro dolenti totum rei Christianæ corpus condolescere: nunc uero quum indubitatum sit, tam late patens imperium non illis uirtute partum, sed nobis nostrum ob merita nostra diminutum, non solum ingemiscendum est omnibus qui fauẽt Christiano nomini, uerumetiam opitulandum est fraternarum nationum calamitatibus, quæ præterquam quod ob religionis contubernium omnibus nobis communes haberi debent, periculum est ne re uera fiant communes omnium. Tunc tua res agitur paries quum proximus ardet, imò tunc totius ciuitatis res agitur, quum quamcunq; domum attingit incendium. Opitulandum igitur, sed bifariam, si uere itudeamus malum depellere. Parandum est quicquid ad tam difficile bellum pertinet, sed prius illud parandũ, sine quo nihil proficit apparatus ille. Frequenter arma mota sunt in Turcas, sed hactenus parum successit nobis, siue quoniã non abiecimus ea, quibus offensus deus sic immittit Turcas in nos, quẽadmodum olim Aegyptijs immisit ranas, cyniphes, & locustas. Siue quia uictoriæ spem in nostris uiribus collocauimus, siue quia non Christi negotium egimus, sed aduersus Turcas animo Turcico pugnauimus. Hortatur itaq; res ipsa, ut de utroq; apparatu nonnihil disseramus, si prius nobis persuasum fuerit Turcas non sua pietate, nõ sua uirtute, sed nostra socordia potissimum hucusq; creuisse. Primum enim Turcarum nomen adeo fuit ignobile, ut uix apud ullum ueterum reperiatur, nisi quod Plinius Libro 6 capite 7. inter Thussagetas & Arimphæos, qui ad Rhiphæos pertinẽt montes, commemorat Turcas, qui tum incoluerint, usq; ad solitudines saxosis uallibus affines. Nec Pomponius Mela illos aliud quàm nominat. Tanta erat illius nationis obscuritas, à qua profectos probabile est, qui nunc per tot opulentas ac spacioſas regiones ambitiosæ crudelitatis pomeria protulerunt. Nominat illos & Cyprianus in libro de duplici martyrio, ue luti iam tum Cæsariani nominis deuotos hostes. Sunt eruditi quidam, qui pro Tuscis, quos Ptolemæus in Asiatica Sarmatia recenset, existimant legendum Turcos siue Turcas. Quis enim scriptorum alius Tuscos posuit in Asia? Sed de nomine non erit interim controuersia: hoc genus hominum, cuius immanitate tot seculis affligitur & atteritur res Christiana, sicuti complures autumant à maris Caspij littoribus, in Persidem, Asiamq; minorem eruperũt, idq; ante annũ ab hac ætate nostra septingentesimum, nullo certo duce, sed uagi palantesq; latrocinijs uerius quàm bello prouincias depopulabantur. His artibus exercitati, repperere conductorem Machumetum Sarracenorum principem, dignum, ut aiunt, patella operculum. Sub huius auspicijs re semel atq; iterum feliciter gesta à stipendiaria seruitute ad imperiũ adijciunt animum, adortiq; Saracenos Machumetum acie profligatũ obtruncant. Hinc Turcici regni primordia. Summa rerum delata est ad Trangolipicẽ Mucaletum, prius Turcarũ ducem: is accersita Turcarũ alioru m manu, per nepotẽ Cucumetiũ inuadit Arabiã, per alterum nepotẽ Asanũ Mediæ regiones impetit, aduersus Romanos cõflicturum. Quum per neutrũ nepotem res succesſisset, per Aleimum fratrẽ denuo Romanos inuasit, quæ res quũ illi non prorsus infeliciter euenisset, paulo post quæsita aduersus Romanos occasione, Trangolipix Asiam omnẽ ad Euxinũ usq; mare partim redegit in suam ditionẽ, partim depopulatur. Sed rursum uirtute Galiorũ res Turcicæ uehemẽter accisæ fuerũt, donec existeret Othomãnus ab hoc Solymanno, qui nunc rerũ potitur decimus iuxta quorundã supputationẽ, uir obscuro loco natus, ac parentibus rusticis, sed ad latrocinia factus. Is per occasionem seditionum arripuit arma Turcica, nihilo mitior in suos q̃ in alienos. Hinc circiter milleſimum trecẽtesimũ nostræ salutis annum exortus, intra annos 28 non mediocriter auxit Turcicam tyrannidẽ, subacta maxima ex parte Bithynia, nec paucis ad Euxinũ oppidis ui captis. Huic

Psalmi finis

ſucceſſit filius Orchanes, qui diſſidio Græcorum adiutus, Pruſiam Græcis ademit, ac primus in Europam traiecit, accitus à Cantacuzeno, cui certamẽ erat cum Palæologis: ubi parricidio quoq; ditionẽ auxit. Duxerat enim uxorem Caramani filiam, ſoceri filio interempto magnam principatus eius partem occupauit. Et hic annos xxij. rerum potitus Ammuratæ filio tradidit principatum, qui ſollicitante Palæologo, duodecim Turcarũ milibus in Europam tranſportatis aduerſus Bulgaros, & Peloponeſi principem re ſat feliciter geſta, ad Europeas opes animum cœpit adijcere: dumq; ſimulat ſe Imperatoris hoſtes ulciſci quemadmodum cœperat, Genuenſium nauibus ad id ſuppeditatis, tranſmiſſo Helleſponto, Abydum adoritur, Calipolimq; præter alias ciuitates occupat: mox Seruiam, Bulgariamq; ingreſſus occupata Hadrianopoli, occurrentes hoſtium copias ingenti clade profligat, Lazaro Seruiæ principe cęſo, à cuius ſeruo mox ipſe occiditur Ammurates, relictis duobus filijs: quorum Pazaites Solymum fratrem dolo necat, mox interfecto Bulgarorũ principe maximam eius ditionis partem ſibi uindicat: hoc ſucceſſu rerum inflammatior, Boſſinam, Croatiam, & ulteriores Illyrici partes uaſtat, Cõſtantinopolim obſedit annis octo, facile expugnaturus, niſi Gallorum & Vngarorum exercitus ab inſtituto reuocaſſet: quibus ad Nicopolim occurrens, profligatis hoſtibus ad intermiſſam obſidionem rediit, preſſitq; biennium, nec uidebatur relicturus, niſi nuntiatũ eſſet Tamberlanem Scytharum principem ingenti multitudine in Turcarum terras irrupiſſe. Cum hoc conflixit ad Stellam montem in Galatiæ Bithyniæq; confinio, ſed infelicibus auſpicijs, quandoquidem in eo prælio cæſa feruntur ducent Turcarum milia. Pazaites captus, aureis catenis in cauea uinctus, a Tamberlane circũlatus fuiſſe dicitur ad extremũ uſq; uitæ diem. Hæc acta ſunt circiter annum milleſimum trecenteſimum nonageſimũ ſeptimũ. Exliberis quos reliquerat Pazaites, Machometes Orchane fratre per inſidias ſublato, Turcicã rem occupat ſolus, qui receptis quæ Tãberlanes abſtulerat, Bulgaros & Valachos populatus, Hadrianopoli regiã conſtituit. Machometæ ſucceſſit Ammurates filius, Is adortus Myſiæ principẽ, duos illius filios exoculat, ac mox horum ſororem ducit uxorem, his auſpicijs fretus in Valachos, Vngaros, & Germanos incurſiones facit, mox in Epirum uerſus, Croiam armis capit, Venetis Theſſalonicam adimit. Interim ab Vngaris ingenti pugna uictus, decennales ab his inducias petit & impetrat, quibus hortatu pontificis Eugenij uiolatis, Vngari repetũt Ammuratem, uerum ingenti noſtrorum clade. Nam in uno prælio, quod ad Varnã commiſſum eſt, periere Ladislaus rex Poloniæ & Iulianus Card. in altero quod ab Baſila fuit, cæſi non pauci principes Vngariæ, milite gregario ad internitionem extincto. Noſtrorum ducum tum ambitio, tum diſſidia, uictoriam tradidere Turcæ. Mox fratrum diſcordia Peloponneſum illi tradidit, tandem dum Epirum quæ defecerat uindicat, dum Croiam fruſtra oppugnat, animi dolore periſſe dicitur, rerum potitus annis triginta quatuor: cui ſucceſsit filius Machometes, qui inexplebili rapacitate maiorum ſuorum tyrannidem obſcurauit. Duo Chriſtianorum imperia, Conſtantinopolitanum & Trapezuntium ſubuertit, regna duodecim Chriſtianis ademit, ciuitates ducentas cepit. In his erat Chalcis inſula & Scodra, quondam Venetorum ditio. Capham Ponticam urbem expugnauit, Rodon inſulam tentauit, licet irrito conatu. Hydrunte expugnato, arma mouit in Italiam, eamq; triennio miſere uexauit, tanta omniũ conſternatione, ut Sixtus pontifex deploratis rebus relicta urbe apoſtolica, fugã in Gallias adornaret. Mox in filiũ natu maiorem bellũ atrox moliẽs perijt anno milleſimo quadringẽteſimo octuageſimo primo. Hinc inter fratres parricidiale certamẽ de principatu, ſed uicto maiore Zizimo, Pazaites rerũ ſummam tenuit. Hic Sultanum Aegyptium bello frequenter adortus, rẽ infeliciter geſſit, ut Turcę fœdus cũ hoſtibus inire coacti ſint. Dehinc anno 1492. Cerauniorum montium accolas inuadit, easq; gentes ad eum uſque diem ſemper liberas in Turcicam pertraxit ſeruitutem. Septimo ab hinc anno, claſſe inuectus, Methonẽ, Naupactum, ac Dyrachium Venetorum adimit ditioni. Quin et Foroiulienſium agros Turcæ crudeliſſime uaſtarunt. Pazaite regnum occupauit filius Selimus, patre depulſo. Selimo, ſiue ut alij malunt Zelimo ſucceſſit Solymannus, nihil à maioribus degenerans. Vide uero quàm illis fuerit felix impietas, dum nos ueræ pietatis ſtudium abijcimus. Nos inter nos ſine fine de qualibet ditiuncula bellis pluſquam ciuilibus digladiamur, & interim Turcarum latrocinium uerius quàm imperium, quàm late porre-

porrectum est. Ad septentrionem pontum Euxinum attingit, ad orientem Euphrate flu uio terminatur. Ad meridiem Aethiopia. Nam intra paucos hosce annos, totam Aegyptum ac Syriam unà cum Phœnice & Iudæa Palestina subegit. Ab occasu ad Ionicũ mare pertinet. Hinc si ad Septentrionem redeas, Danubium attingit, imò limitem hunc longe transilijt, ad Borysthenem usque fluuium. Nunc mihi specta quàm uariam, quàm spacioſam & opulentam ditionem hic ambitus complectitur. Tota Asia minor, duodecim non minus nationes continens. Tota Thracia, in qua est Constantinopolis priscis dicta Byzantium, olim Christianorum Imperatorum, nunc Turcarum regia. Duæ in Europa Mysiæ ad flumen Danubium, magna Daciæ portio, tota Macedonia, totáque Græcia, cum omnibus Aegei maris insulis, quæ partim Sporades, partim Cyclades appellantur, sub Turcarum imperio duram seruitutem seruiunt. Cretam nunc uulgo Candiam, Cyprumq; duas nobilissimas mediterranei maris insulas Veneti hactenus utcunq; tenent, sed, ut accipio, tributarias. Hæc utcunque per transennam ostensa, si quis explicet, quot olim opulenta regna, quot celebres ciuitates, non tam pressas quàm extinctas comperiet? Quid nunc est illa quondam beata Peloponesus? Quid nobile totius orbis emporium Corinthus? Quid Attica quondam ob morum elegantiam Græciæ Græcia dicta? ubi nunc ingeniorum parens & optimarum disciplinarum altrices Athenæ? obscurus uicus ostenditur, sic tamen ut de nomine prorsus ambigatur. Vbi Lacedæmon quæ sola gignebat masculos? Quid hic pergam ea commemorare quorum adeo recens est memoria, ut ipsæ res etiamnum oculis atq; auribus cunctisq; sensibus omnium inhæreant, Rhodum captam: quid toties cruentas incursationes factas in Vngariam, quid extinctum Lodouicum Vngariæ regem, quid hoc anno totam Vngariam crudelissime occupatam, depulsum regem Ferdinandum, plusquam hostiliter oppugnatam Viennam, incredibili immanitate uastatam Austriam ulteriorem totam. Summam rerum obiter indicaui, quid si quis euoluat singula? quam truculentas clades nostras, quot Turcarum uictorias, nostra damna luctusq; reperiemus? Ac fortasse iam omnes Turcæ seruiremus, nisi terræ filius extitisset Sophis, qui Turcarum inexplebilem rapacitatem aliqua ex parte cohibuisset. Nisi parum feliciter illis cecidisset Martis alea cum Sultano Aegyptio, nisi domesticæ inter ipsos seditiones crudelitatis in nos impetum aliquantulum fuissent remoratæ. Vnde igitur illis tantus rerum successus? Si gentis originem requiras, summam reperies obscuritatem cum summa barbarie coniunctam. Si imperij primordia, occurrit mercenarius miles, occurrit nefaria perfidia trucidatus princeps in cuius uerba iurarant. Si progressum quæras, comperies rem crudelitate partam, latrocinijs auctam, comperies funesta coniugia, comperies impia fratrum parricidia, patres à liberis regno depulsos, cum perfidia coniuncta crudelitatis exempla, ut nihil interim dicam de religione & moribus. Regnant irato deo, pugnant aduersum nos sine deo, illi Mahometem habent propugnatorem, nos Christum. Et tamen quàm late propagarint tyrannidem res ipsa loquitur: tot ditionibus excussi, magnaq; Europæ parte amissa, de tota periclitamur. Quis enim nescit quàm facilis genti Turcarum terra pateat ad nos aditus? Quum enim utranq; teneat Mesiam, superiorem & inferiorem, ad flumen Danubium, regiones Thraciæ uicinas, non difficilis per hoc flumen ad nos patet aditus. Dalmatas & Illyricos eadem uicinitate habet obnoxios, ne quid dicam de Pannonia quam toties impetijt. Mari uero toti imminet Italiæ, præcipue uero ab Epiro, Siciliæ ac Neapolitano regno. Hydruntũ extremum Italiæ oppidum adhuc tenet, Brundusium aliquando tenuisse dicitur. Nunc præsidet in Austriam, quorsum euasura deus nouit. Et ubi interim dormierunt illa bello nata Germanorum pectora? An pietati Turcarum hic successus tribuetur? Nequaquam. An uirtuti? Gens est effœminata luxu, nec alia re quàm latrocinijs formidanda. Quid igitur causæ? Nostris uitijs illi debent suas uictorias, pugnauimus aduersus illos, sed ut res ipsa clamitat, irato deo nostro, Iisdem enim studijs arma mouemus in Turcas, quibus illi ditiones alienas occupant. Trahimur regnandi libidine, inhiamus opibus, & ut dicam in summa, Turcæ pugnamus cum Turcis. Quin ipsa rerum gestarum historia satis indicat, nostris insidijs, nostra ambitione, nostratium perfidia grauissimis cladibus semper fuisse datum locum. Palæologi cum Cãtacuzano implacabile dissidium Turcis aditum aperuit in Europam. Iusiurandum autore Eugenio uiolatum nos in funesta prælia coniecit.

Siquidem

Siquidem & hosti seruanda fides. Nec mediocrium malorum nobis causa fuit Zizimus Pazaitę frater ueneno peremptus, qui bello captus à Rhodiensibus, quum in Alexãdri sexti pontificis manus ueniſſet, Carolo Gallorum regi postulanti datus est, sed prius dato ueneno, quo mox periit priusquam Mediolanũ peruenisset, si modo non fallit publica suspicio. Si ipsi concordes, si purgatis animis sub uexillis Christi, illius unius auxilio freti, legitime bellũ gessissemus cum Turcis, haud quaquam in tam angustum esset cõtracta ditio Christiana. Sed hisce de rebus suo loco copiosius. Interim mihi paucis rixandum est cum duplici hominum genere, quorum alteri perperam ad bellum Turcarum inflammati sunt, alteri perperam dehortantur ab armis in Turcam mouendis. Nam utriq; mihi uidentur diuersa quidem ratione, sed pariter tamen peccare. Vt enim non omne cum Turcis bellum legitimum ac pium est, ita incidit, ubi non obsistere Turcæ, nihil sit aliud quàm prodere rem Christianam immanissimis hostibus, ac fratres nostros illorum indigna seruitute pressos deserere. Quum imperita multitudo Turcarum nomen audit, protinus concipit animo graues iras, ad cædem inflammatur, canes & Christiani nominis hostes illos uociferans: non reputans illos primum esse homines, deinde semichristianos, nec expendens an legitima sit belli causa, postremo an expediat arma capere, & hostem lacessere truculentius sæuiturum: nec cogitãs nullos esse perniciosiores ecclesiæ hostes, quàm impios principes, præcipue sacros, postremo non animaduertens interdum deum nostris sceleribus offensum ad emendandos nos abuti barbarorum immanitate. Atq; interim pinguntur nobis exẽpla Turcicæ crudelitatis. Atqui ea res nos admonere deberet quàm ægre sit omne bellum cum quoq; suscipiendum. Nam hic est omnium bellorum communis ludus, quibus Christiani cum Christianis tot iam annis impie conflictamur. Execramur in tabulis immanitatem, sed asperiora patrata sunt in Aspera, non à Turcis, sed à nostratibus, pleriscq; etiam amicis. Nimium recens est eius calamitatis memoria, nihil est necesse ut hoc ulcus refricem. Ergo si talia picturarum argumenta nobis uere displicent, abijcienda est nostra temeritas, qua tam facile procurrimus ad arma. Crudelius enim est, quod Christiani faciunt Christianis, etiam si sint quæ fiunt paria. Quale uero spectaculum esset, si in tabulis expressa subijcerentur oculis hominum, quæ annis quadraginta Christiani patrarunt in Christianos? Tantum aduersus eos, qui nihil aliud clamant quàm bellum in Turcas, bellum in Turcas. Nunc cum illis agam qui in diuersam peccant partem, errore fortassis speciosiore, sed nihilominus pernicioso. Sũt enim qui in totum existimant Christianis interdictum bellandi ius, quam opinionem arbitror absurdiorem quàm ut sit refellenda: tametsi non defuerunt qui hinc mihi calumniam struerent, quod in lucubrationibus meis plurimus sim in laude pacis, ac bellorum detestatione: sed qui mea legunt integri, uel tacente me perspiciunt manifestam sycophantiæ impudentiam. Doceo bellum nunquam suscipiendum, nisi cum tentatis omnibus uitari non potest, propterea quod bellum suapte natura sit adeo pestilẽs, ut etiam si à iustissimo principe, iustissimis de causis suscipiatur, tamen ob militum ac ducum improbitatẽ ferè malí plus adferat quàm boni. Plus ausus est diuus Bernardus, qui mundanam militiam appellat malitiam: mundanam autem appellat, quoties ambitio, ira, aut prædę spes ad arma prouocat: ibi qui cadit, inquit, perit in æternum, qui occidit & uincit, uiuit homicida. Nunc cum his ago quibus placet Lutheri dogma quo censet eos qui belligerantur cum Turcis, rebellare deo, per illos nostra scelera castiganti. Eam sententiam huiusmodi elogio notarunt theologi Parisienses. Hęc propositio uniuersaliter intellecta est falsa, nec sacris eloquijs conformis. Falsitatem impingunt non hæresim, nec simpliciter damnant, sed in uniuersum negant esse ueram. Sentiẽtes ni fallor, pro causæ circumstantijs bellum interim recte cum Turcis suscipi, interim secus. Quod autem ad scripturas attinet, extra controuersiam est, olim Hebræos autore deo cruenta bella gessisse cum Allophylis, quin

Exod. 32 ipsum etiam Mosen auxiliantibus Leuitis xxiij. milia suę gentis trucidasse, ob uitulũ conflatilem. Sed hic dubitabit aliquis an hoc ius trãsierit ad Christianos, præsertim cum Hebræi ferè non nisi peculiari iussu numinis bella susceperint. Cæterum si quis in totũ Christianis adimat ius belli, idẽ magistratibus oporteret adimat ius puniendi nocentes. Nihil enim est aliud bellum, quàm punitio multorũ per multos, si maleficium alia ratione corrigi non possit. Sed Euangelium licet adulteram dimiserit, nusquam tamen legitimum

ius

ius adimit magistratui, tametsi nusquam aperte comprobat. Cæterum Paulus gladium qui portatur ad uindictam malorum, laudem bonorum, uidetur approbare. Quod si quis tergiuersetur Paulum illic loqui de magistratu ethnico, cui uoluerat à Christianis obtemperari, ne scandalum præberent Euangelio, si uiderentur Reipublicę statum & ordinem perturbare: responderi potest, quoniam nec inter Christianos aliter potest sanari Reipublicæ tranquillitas, opus esse prophanis magistratibus, qui metu mali cohibeant sceleros os, qui legibus ac monitis non obtemperant. Quam potestatem si concedimus magistratui, belli quoq; ius Monarchis concedamus oportet. Quanquam illud certissimum arbitror, omnia tentanda potiusquam inter Christianos bellum oriatur, nec prorsus suscipiendum, nisi frustra consumptis omnibus remedijs uitari non possit, etiam si causa sit, tum grauissima, tum iustissima. Nam si libido dominandi, si ambitio, si priuatus dolor, si uindictæ cupiditas bellum persuasit, latrocinium esse constat non bellum. Et quāquam Christianorum principum præcipuæ partes sunt bella gerere, tamen non oportet rem omnium periculosissimam suscipere, sine ciuitatum & patriæ cōsensu. Quod si necessitas ineuitabilis huc hortatur, ut omnino bellandum sit, Christianę mansuetudinis est, uiribus totis adniti, ut bellū cp minime multos corripiat, & cp potest minima sanguinis iactura cp ocyssime finiatur. Laudatur enim hoc nomine Theodosius imperator, & laudatur à uiro laudatissimo Ambrosio, quod à communione sacramētorum abstinuerit, eo quod hostibus in bello cæsis uictoria cruenta cōtigisset. Atqui Romani pro numero cęsorum hostium, statuas ac triumphos splendidiores decernebant. Nec Ambrosius qui factū hoc prædicauit in Theodosio, bellum cp libet necessarium iustúmue probat, nisi adsit animus religiosus, totā uictorię fiduciam in deo collocās, nec aliud spectans q̄ Reip. tranquillitatem. Quidam nobis percontantibus, qui consistere possit respublica Christianorum, si nulli sint qui legibus & armis protegant, mutua percontatione respondere solent, quomodo subsitit & creuit Respublica Christiana, quū nec magistratus haberet prophanos, nec arma nec tormēta: uerū ut talibus initijs expediebat exoriri ecclesiam, ita nihil necesse est ut perpetuo sit idem rerū status. Creuit miraculis, quæ nunc requirēda non sunt. Quanq; ecclesię trāquillitatem tum temporis utcunq; tuebantur ethnici magistratus, neq; enim cuiquis tum licebat Christianum occidere. Porrò quod attinet ad Lutheri rationem, Si ideo non est phas Turcis obsistere, quod per illos deus castigat suorum malefacta, nec in morbis licebit accersere medicos, quod deus & morbos immittat ad purgationem suorum. Quin ad idem abutitur satanæ malicia, cui tamen iubemur resistere. Fas est igitur & Turcas depellere, nisi deus euidenti signo id fieri prohibeat. Quanquam si nos ad bellum extimulet, non Reip. Christianæ tranquillitas, sed latius regnandi libido, aut opum cupiditas, aut similis aliqua causa, aut si nostris freti uiribus magis cp dei præsidio cum illis cōgredimur, aut si pręter cōuenta, liquet bellū irato deo suscipi. Addam & illud: Si deus tonties in nos immittit Turcas, ut ad uitā emēdatiorem prouocet, nosq; paramus arma, nec ea corrigimus quibus offensus deus nobis immittit barbarorū immanitatē, infelicibus auspicijs bellum geremus: quod hactenus euenisse perspicimus, uereorq; ne in posterū atrociora uideamus, nisi toto pectore cōuertamur ad dominū, eiq; sacrificiū offeramus quod nobis psalmus ostēdit. Sed obijciūt aliqui, ut fas sit Christianis aduersus Christianos bellum gerere, aduersus Turcas nō licet, quod Paulus neget esse suū de his qui foris sunt iudicare, satis habere si de his qui intus sunt iudicet. Sed Turcæ foris sunt, nec ad ecclesiam pertinent. Quod si nobis fas est occidere Turcas, quur olim ecclesia nō armauit se aduersus gentes tam immaniter sæuientes in professores Christiani nominis? Atqui Augustinus ne tum quidē id fieri uolebat, quū nostri numero & opibus essent illis superiores, intercedens etiā pro quibusdam qui Christianos occiderant, ne per imperatorē afficerētur supplicio: nec aliā adfert causam, nisi quod ea ratione martyrū esset obscuranda gloria. Legimus imperatores idololatras crudelissime sæuisse in fortunas et corpora Christianorū, sed Christianos armis se tutatos, aut uindictā molitos nunq; legimus. Vnico fugæ præsidio sunt usi, quod illis dominus indulserat. Quanq; non desunt autores, quorū est Tertullianus, qui censeant fugā non simpliciter cōcessam, sed ad tempus diuino quodā consilio permissam, ut quoniam pauci adhuc erant Euangelicæ doctrinæ præcones, illorum fuga latius spargeretur Euangelium. Quo per urbem dissemināto, fugere negādi genus erat.

Quod

Quod si fugere non licet, minus licet ad arma procurrere. At Christianorum uulgus peruperam existimat, cuiuis licere Turcam non aliter occidere quàm canem rabidum, nõ ob aliud nisi quia Turca est. Quod si uerum esset, liceret cuiuis occidere Iudæũ, quod tamẽ si audeat, non effugeret pœnam legum ciuilium. At magistratus Christianus Iudæos punit si quid delinquant aduersus leges publicas, quibus sese submiserunt, ob diuersam religionem non occidũtur, eò quod religio Christiana suadetur non cogitur, & inseritur nõ obtruditur. Hoc autem ius quo puniuntur Iudæi quemadmodum & Christiani, habebant olim ethnici principes in Christianos, & nunc haberent Turcæ, si quod deus auertat, sub illorũ ditione legitime uiueremus. Proinde misere se fallunt qui se credunt recta subuolaturos in cœlum, si contingat in prælio aduersum Turcos cadere: nisi pura sit conscientia, nec si pro Christo ceruicem porrigas ad idololatriam uocanti tyranno, in cœlum peruenies. Porrò tanta fuit priscorum ecclesiæ præsulum mansuetudo, ut ne relapsos quidem Iudæos uellẽt plecti supplicio capitis. Id perspicuum est ex distinctione de consecratione 4. cap. plericq; ex Iudæis. Quum enim Sisemandus rex cõperisset multos Iudęos qui dete statí priorem impietatem professi fuerant fidem Christianam, non solum relapsos in ueterem blasphemiam, uerum etiam abominandos ritus Iudaicos exercere circuncisis liberis ac seruis suis: Consuluit ecclesiæ præsules, quibus modis hoc immane scelus corrigendum esset. Responsum est illi ex decreto concilij Toletani decimi. Tales Iudæos pontificali autoritate correctos ad cultum Christianæ dignitatis reuocãdos esse: ut quos propria uoluntas non emendabat, animaduersio sacerdotalis coherceret: liberos à parentum consortio separandos, seruos pro iniuria corporis libertate donandos. Iam cõstat sacerdotes nullũ habere ius occidendi quemq̃. At nunc blasphemia in Christũ ac uirginẽ matrẽ, etiã sine relapsu punitur supplicio plusq̃ capitali, & in hæreticũ errorẽ prolapsus traditur incendio, etiamsi non accedat crimen blasphemiæ. Berengarius aũt in tam abominandũ errorem reuolutus adeo nõ est occisus, ut nec archidiaconi dignitas illi sit adẽpta. Exuritur & Christianus in paganismũ reuolutus. Sed iustius erat Iudæũ exurere, qui adulta ætate, catechismo edoctus, spõte Christũ professus est, q̃ qui infans et insciens baptizatus. Hęc eò spectant, non ut reprehendam hodiernę consuetudinis seueritatem, fortasse necessariam, sed ut ostendam ecclesiã quo magis uigebat in ea germana pietas, hoc magis à bellis et capitalibus supplicijs abhorruisse. Diuus Ambrosius probat in Cæsare quod barbarorũ incursionem ab Italia depulerit, nec aliter probat nisi cũ fide & religionis amore sumantur arma, quanq̃ inquit, hoc nõ est euãgelicæ perfectionis. uides q̃ circũspecte quamq̃ cõtanter bellũ approbarit. Verum ut omne gladij ius prophanis principibus ac magistratibus adimere, nihil aliud est q̃ uniuersum reipub. statum subuertere, ciuiumq̃ fortunas ac uitam facinorosorum audaciæ prodere: ita nullo bono exẽplo fieri potest, ut sacerdotes non dicam bellum gerãt ipsi, sed bellicis negocijs implicentur. Deo militant, nec implicari debent secularibus negocijs, Bellum aũt adeo res est secularis, ut propemodũ sit ethnica. quod si fas est sacerdotibus præliari, fas sit & carnificem agere. Nunc quum põtificum constitutiones arceant sacerdotem à medicãdo, qua fronte admittitur ad bellandum, cum medici studium, & arș sit seruare, bellatoris occidere? Exemplũ aũt de depellẽdis morbis non per omnia congruit rei propositę. Nam pharmacis uti, cum nullius iniuria damnóue coniunctũ est, at qui bello rem gerit, sic ab sese depellit iniuriam, ut alijs moliatur exitium. Quod si bellũ parum iustis de causis suscipitur, aut secus q̃ oportet geritur, nihilo magis probandum est, quàm si quis morbum maleficis artibus depellere conetur. Quin & illud in disquisitionem uocatur, an qui sibi male conscius, agnoscit morbum ab irato deo immissum, fas sit concessis remedijs morbum propellere, quum interim hæreat in proposito eadem perpetrandi quæ perpetrauerat. Videtur enim is manifeste repugnare diuinæ uoluntati. Sed ut donetur, licere cuiq; secundum primum naturæ ius, suam tueri incolumitatem qualicunq; spe correctionis, etiamsi ob curatam ualetudinem non incurrat nouum crimen, tamen constat illum grauissime peccare, quod dei misericordiam ad emendationem uitæ sollicitantis respuit, seseq; in summũ discrimen cõijcit, ut non leuetur morbo sed grauius etiã malum sibi accersat. Nam arbitrari medicorum arte morbum depelli posse inuito deo, extremę impietatis est. In simili statu sumus, si quũ agnoscamus nos Turcarum incursionibus ad uitam emendatiorem, ad mutuam concordiam solicitari, tamen in sceleri-

in ſceleribus noſtris perſiſtentes, exiſtimamus nos irato deo, uiribus noſtris calamitatem poſſe depellere. Quod ſi uiolata fide iuriſiurandi fœderumq; Turcas laceſſimus, perinde facimus ac ſi ægroti remedium non à medicis, ſed à maleficis petamus. Proinde quem admodum fidele conſilium dederit ægroto, qui illi ſuadeat ut in primis ſe deo reconcilíet, agnoſcatq; dei manum quàm pro meritis mitiorẽ, imploretq; domini miſericordiam, ſumpto propoſito uitæ correctioris: ita ſalubre conſilium nunc dederit Chriſtianis principibus, qui ſuadeat illis, ut priusq; ad arma procurrant, ea ſubmoueant, quibus offenſus deus Turcas toties nobis immittit. Alioqui ſi nobis noſtris uiribus promittimus uictoriã, quid aliud, q; nos ipſos fallimus, ac numinis irã magis ac magis in nos exacerbamus, deo repugnãtes uerius q; ipſis Turcis? Non eſt autem neceſſe, ut ea commemorem, quæ deum auertunt à nobis, In ſe quiſq; deſcendat, ac domi reperiet affatim. Concluſit rurſus deus omnia ſub peccatum, ut omnium miſereatur. Alius aliis laborat uitijs, alius apertius malus eſt, alius tectius, Omnes tamen egemus dei miſericordia. Quę tamẽ prȩcipua ſunt & euidentiſſima, maxime diſſimulantur. Quæ ſunt illa? Vtinam in pauciores caderent quæ dicturus ſum inuitus ac dolens, utinam in nullos, eccleſiæ paſtores immane quãtum degenerarunt ab archetypo ſuo. Quàm hic omnia uitiarunt tinearum peſſimæ, ambitio quæſtusq; Dein quot annis uidimus externos principes irreconciliabilibus odijs inter ſe decertare? Pro Helena decennio bellum actum eſt inter Græcos ac Troianos, At pro Helena Mediolano quanto diutius conflictatũ eſt? Quid malorum non eſt paſſa Italia? Quibus non malis afflicta eſt Gallia? Flent etiam uictrices regiones. Belli quod nobis totanos fuit cum Ghelrijs myſterium ſatius eſt non attingere: nimium eſt quod ſenſimus: ac ne ſingula perſequar, quæ regio ſupereſt ubi non incredibili rerum caritate miſere premitur tenuis plebecula? Vbi nunc ueræ fidei, ubi Chriſtianæ charitatis, ubi pacis & concordiæ ueſtigia? Quo unquam ſeculo plus licuit, fraudibus, audacíæ, rapinæ & impoſturis? Et interim ceu germani Chriſtiani Turcas deteſtamur. Si nobis ſuccedere cupimus, ut Turcas à noſtris ceruicibus depellamus, prius teterrimum Turcarum genus ex animis noſtris exigamus, auaritiam, ambitionem, dominãdi libidinem, noſtri fiduciam, impietatẽ, luxum, uoluptatum amorem, fraudulentiam, iram, odium, inuidiam, & his gladio ſpiritus iugulatis ſumamus animum uere Chriſtianum, atque ita ſi res poſtulet ſub uexillis Chriſti, militemus aduerſus Turcas homines, & eodem propugnatore uincemus. Hoc enim promiſit in Leuitico, ſed legem ſeruantibus: perſequimini inimicos ueſtros & corruent coram uobis: perſequentur quinque de ueſtris centum alienos, & centum de uobis decem milia. Tum autem fuerit Chriſto gratiſſimus triumphus, ſi hoc egerimus, non tam ut illos occidamus, quàm ut eos in religionis ac pietatis conſortium adiungamus. Tales uictorias amat qui gaudet ſeruatoris cognomine, qui ſic occidit ut uiuificet, ſic uulnerat ut ſanet. Pium deóque gratiſſimum eſt homicidium, ſic iugulare Turcam, ut exiſtat Chriſtianus ſic deijcere impium, ut exoriatur pius. Hic igitur ſit ſcopus unicus, hoc præcipuum ſtudium, ut Chriſti ditionem augeamus potius quàm noſtram. Alioqui iugulare Turcas quid aliud eſt, quàm orco litare? Poſſidere quod Turca poſſidet, imperare quibus imperat, nec aliud ſpectare, ſuperbiores nos & auariores reddere poterit, feliciores non poterit: ac periculum fuerit, ne nos degeneremus in Turcas citius, quàm ut illos ad ouile Chriſti aggregemus. Quiſquis conſiderat præter Syriam ac Paleſtinam tot Græciæ regna, tot Aſiæ minoris prouincias, in quibus olim per apoſtolos prædicatum eſt Euangelium, nunc propemodum deſolatas eſſe, ac barbarorum tyrannide premi, qui fieri poteſt, ut non totis præcordijs indoleſcat, optetq; Chriſti nomen, quod nunc in anguſtum uidetur contractum, per uniuerſum terrarum orbem agnoſci, celebrari, adorari, iuxta pſalmum. Vniuerſas nationes uarijs linguis, ſed concordibus in eodem templo, hoc eſt in unitate eccleſiæ redemptori ſuo canere gloriam? Nam beatus Paulus nobis ſpem bonam oſtendit, fore ut aliquando Iudæorum pertinaciſſima natio ad idem ouile congregetur, ac nobiſcum agnoſcat unum paſtorem Ieſum. Quanto magis id ſperãdum de Turcis reliquisq; barbaris nationibus, quarum, ut audio, nulla colit Idola, ſed dimidiatum habent Chriſtianiſmum. Si totum orbem tam pauci diſcipuli potuerunt ſub Chriſti iugum mittere, non alijs inſtructi præſidijs, q; fiducia erga deũ, & gladio ſpiritus, quid ni nos idẽ auxiliante Chriſto poſſimus, qui prȩter monarchas Chriſtianos tot habemus

theologiæ doctores,tot egregios præsules,tot cardinales, tot Euãgelicæ perfectionis professores:Non est abbreuiata manus domini,nisi nos illius gratiæ defuerimus.Exitus totius negotij pendet ab illius nutu qui dixit: Sine me nihil potestis facere. Illo protectore, unum fugient mille:illo auerso, nihil profuerit cuius numerosa militum manus, nec belli cuilibet operosus apparatus.Ergo cum primis fixa in illo totius nostræ spei ancora, nihil uetuerit humanorum cõsiliorum rationes accedere:quæ sic adhibendæ sunt, ut nihilo secius toti pendeamus à numinis æterni præsidijs:cuius fauorẽ frustra speramus nobis adfuturum,si titulo quidem pro illo pugnemus,cæterum reuera aduersus illius uoluntatem belligeremur. Vt autem intelligamus,an uolente deo bellum suscipiatur, & an prospere cessurum sit,nihil necessum est prophetas accersere, nec ad exemplum Dauidis admoto Ephot oraculũ consulere,aut ad exemplum Gedeonis triplex signum expetere.Iudæorũ ac gentiũ est exigere miracula,non fideliũ. Multo uero minus oportet exemplo gẽtium augures aut aruspices adhibere. Nullũ certius oraculũ scripturis diuinis, nullum certius augurium cui mens sibi recti propositi conscia. Si gladium eximit tibi è uagina publicę trãquillitatis studiũ,si fratrum oppressorum misericordia,si religionis amor,si tota uictoriæ spes est in præsidio numinis,si rectus oculus non alio spectat quã ad Christi gloriã, ac Christiani gregis utilitatem,puta tibi diuinitus de propitiatorio respõsum, aggredere, uinces. Sin scriptura diuina reclamat animo tuo, puta per angelum esse denuntiatũ ut quiescas. Si crudelitas,si proferendæ ditionis amor,si rapinæ cupiditas uocat ad arma, scito nullas aues uolare posse inauspicatiores.Nam etiã si quid interdũ feliciter cadere uidetur ijs qui talibus augurijs bellũ suscipiunt, non felicitas est,sed esca fallax in grauiores illectans calamitates.Interdũ hoc nostris debetur sceleribus,et hominũ erga deum diffidẽtiæ, ut multæ res certã promittãt uictoriam,quũ diuinitus paretur extrema calamitas. Sic apud Homerũ emittitur ἄλος ὄνειρος,qui Græcos uictoriæ spe ad arma concitatos in summã cladem pertraxit.Sic in diuinis literis legitur spiritus domini mendax, qui per ora prophetarum omniũ Achab regi Israel promitteret magnificam uictoriam, quum dominus illi pararet exitiũ. Nam in primo statim prælio uulneratus interijt, pœnas luẽs non auditi Micheæ. Auditi sunt quadringẽti prophetæ,uno spiritu mentientes, & cõtemptus est Micheas solus uera prædicẽs. A talibus prophetis & nostris monarchis cauendũ censeo. Sunt enim qui ex anulis ac diuinationibus promittãt uictorias, sunt qui per incudia & gladios fortunatos,sunt qui ex uẽtriloquijs & astris,sunt qui ex humanis artibus pręsidijsue pollicẽtur successum. Tot sumus inquiunt numero, tãtum habemus machinarum: his locis aggrediemur,sic & sic fallemus hostem:adsit deus,non adsit,nostra est uictoria. Alij de suggesto sacro clamant, Ite prospere, tradet dominus hostes in manus uestras,cornibus ferreis uẽtilabitis eos,donec funditus deleatis uniuersos.Huiusmodi fortissimas uoces,interdum & uenales,impune iactãt populi periculo,ipsi procul à telis domi se cõtinent,& culinæ uentrisq; negotium agunt. Tales olim fuisse quamplurimos belli præcones nimium compertum est. Vtinã nunc eiusmodi nulli sint.Hic fortasse uidebor alicui suscepisse negotiũ dehortãdi à bello Turcico. Nequaquam,sed hoc ago potius,ut feliciter bellũ cum illis geramus,uereq; speciosos triũphos Christo reportemus.Nam nihil aliud uociferari, quàm bellum in Turcas,in immanes beluas, in ecclesiæ perduelliones,in gentẽ omni scelerum ac flagitiorum genere contaminatã,quid aliud est quàm imperitam multitudinem hostibus prodere? Quin ipse non semel admiratus sum, quum de propinquo audiremus crebras Hungarię clades,nuper Lodouici miserandũ exitiũ,Mariæ Reginę tristissimam sortem:nunc pręter occupatum Hungariæ regnum tam crudelem Austrię uastationem, nostras regiones,atq; ipsam adeo Germaniã adeo frigere,quasi quod geritur nihil ad nos attineat.Contrahimus manus & uoluptatibus ac nugis impendimus,quod tu ẽdis Christianis impendere grauamur.Neque uero me clam est, quid hic plerique causari soleant. Toties per Pontifices Romanos acta est hæc fabula, semper ridiculus fuit exitus. Aut enim nihil profectum est,aut res cessit in deterius.Pecunia, inquiunt, collecta hæsit in manibus Pontificum,Cardinaliũ,monachorum, ducum ac principum.Nam gregatio militi stipendij uice relinquitur prædandi licentia. Toties audiuimus cruciatam expeditionem, recuperationem terræ sanctæ, toties uidimus rubram crucem, triplici corona insignitam, cum rubro scrinio, toties audiuimus sacrosanctas cõciones omnia pollicentes,

toties

toties acta præclara, spes amplissimas, nec aliud triumphatum est quàm pecunia. Itaque quum prouerbio moneamur, esse turpissimum bis ad eundem lapidem impingere, nos plus tricies falsi, qui possimus fidere promissis quamlibet splendidis toties aperte delusi? Eadem res in totũ propè alienauit animos hominũ ab indulgentijs. Sensimus, inquiunt, meras esse nundinas: Subinde mutabatur titulus. Nunc erat res cum Turca, nunc Ponti fex bello premebatur, nunc erat iubileum, quod duplicatum est, ut esset quæstus gemi/ nus: sub Alexandro etiam triplicatum est, quia forte pœnitebat nundinarum: nunc offere batur potestas plusquam plenaria, & periclitabatur purgatorium, ne prorsus nullum ha/ beret incolam. Nunc ædificabatur templum diui Petri in Vaticano. Nunc esuriebat Ia/ cobus Compostellanus, nunc sanctus spiritus ille largitor omnium implorabat opẽ, nũc egebant monachi in monte Sinai, nunc offerebatur cõpositio clementissima debentibus restitutionem, ac iustificatio bonorum male partorum etiam è tẽplis spoliatis. Quid plu/ ra? Nullus erat componendi modus aut finis. Pecuniæ partem secabant principes ut reci perent diploma pontificium, partem decani & officiales, partem commissarij, partẽ qui præerant exomologesibus. Alijs datum est aliquid ut loquerẽtur, alijs ut silerent. Nec mi nima pars peribat inter sceleroso, ut ferè sunt, ministros ac diplomatophoros. Hos in/ quiũt lusus toties ac palàm actos, & intellexit, et tulit crassus Germaniæ, crassior Galliæ populus. Quum in Flandriã occidentalem inũdasset mare, toticq; regioni miserabile spe/ ctaculum exhibuisset, mox præsto fuerunt indulgẽtiæ q̃ maxime liberales: Causa moue bat omnes uehementer, nonnihil etiã autoritas Adriani nuper põtificis. Collatum est af/ fatim, ut ea pecunia miseris subueniretur. Missi sunt delegati, qui locis inspectis renuncia rent quid quibus modis sartiẽdum esset, Res picturis exhibita est. Quonam dilapsa sit ea pecunia, non est cur memorem, certe nihil impẽsum est in eum usum in quem fuerat colle cta. Hæc aliaq; permulta nobis occinunt hodie, quoties suademus ut omnes monarchis adsint aduersus Turcarũ sæuitiam, & utinam haberemus quo liquido possimus declara re uana omnia quæ prædicant. Magnis studijs actum est hoc negotiũ olim à multis ponti ficibus, & quod mirum est ab ipso Bernardo, & monacho & sancto: nihil omissum est, à Bessarione, à Pio secũdo: genuit ea res multos ordines cruciferorũ, designati sunt amplis/ simi prouẽtus, additæ dignitates. Quid profectũ sit, ipsa res clamitat. Leo decimus in hoc ipsum totis uiribus incubuit, dimissis per omnes Christianorum prouincias legatis cardi nalibus, nõ quibuslibet, sed uiris apprime doctis: nusq; pronis auribus audita est legatio, quũ Lutherus nõdum scripsisset aduersus indulgentias pontificias, nondum prodidisset articulũ, aduersus Turcas belligerare nihil aliud esse, quàm deo per illos uisitãti nos repu gnare. Hæc eò commemorare uisum est, imò res ipsa compellit, ne satis existimemus uo/ ciferari, in beluas Turcas, sed ut rat[illegible]em ineamus, qua fieri possit ut posthac si pugnan/ dum est, felicius quàm hactenus factum est pugnemus cum Turcis, et animos hominum non omnino nulla de causa auersos, ad officium pietatis reuocemus. Nunc propius ur/ get nos mali uis, & habemus principes, non minus ditione præcellentes quàm religionis studio præstantes, Carolum Imperatorem, & huius germanum regem Ferdinandum, ac iam tandem, utinam maturius fœderatũ Christianissimum Galliarum regẽ Franciscum. Nec tum pro sua pietate, tum pro cognominis honore (Nam fidei catholicæ defensor di/ ci meruit,) defuturus est huic negotio inclytus Angliæ rex Henricus. Orandum est atque etiam sperandũ est fore, ut nostri misertus dominus Iesus uicario suo Clementi VII. men tem inserat ipso dignam, eamq; [illegible]nfirmet ac bene fortunet, quam præ se ferre dicitur, & à bonis creditur. Quibus rationibus effici possit, ut prospere cedat bellum iam antea satis declarauimus, si primum omnium placemus iram domini, si pura rectaq; sit intentio, si to ta fiducia sit in Christum, si sub illius uexillis pugnemus, si ille triumphet in nobis, si dei nostri iussis obtemperantes, ueluti sub illius oculis aggrediamur hostes. Nam si propter unius Acham furtum totus populus Israel infeliciter pugnabat cum hostibus, quid no/ bis sperandum est, si sceleribus onusti per milites sceleroso, qui uenalem habentes ani/ mam nihil non flagitiorũ admittunt, dum prædabundi proficiscuntur ad bellum, præda- bundi redeunt, aliquãto immitiores in suos q̃ in hostes, qui scorta circumferunt, qui in tẽ torijs temulenti, ludunt aleam, peierant, rixantur, ac pugnant? Quos nõ alia res elicit in bellum quàm licentia peccandi & prædæ spes? Si uolumus deum propugnatorem, nec Iosue 7

tales esse possumus quales erant illi milites, quales describit diuus Bernardus, de quibus
In sermone ad milites templi. ambigit utrum monachos appellare debeat an milites, tãta erat & in moribus integritas, & in prælijs fortitudo: saltem animus uacet crimine, nec sub ipsius signis agentes domi/num nostris sceleribus prouocemus. Vt autem talis sit miles, multum momenti est in du cibus, plurimum in monarchis, qui si spectent opes, ac latius regnãdi dulcedinem potius quàm commodum Reip. id quod de nostris mea quidem sententia minime suspicãdum est, omnia nostra quamuis operosa molimina uergent in infelicẽ exitũ. Item si pontifex, quod absit, ita cogitet, proferam meum principatũ, crescent ex nouis ecclesijs annatæ, cõ stabiliã regnũ meum, Cardinales meos mihiq; iuratos urbibus ac prouincijs præficiam, & per hoc bellum ipsis imperabo monarchis, uereor ne magno rei Christianæ malo bel/lum hoc suscipiamus. Verum id ne fiat in nobis situ est, nobis in manu est præparare ani-mos, & dominus dabit lætum euẽtum. Porrò si quis crassior hæc ceu delira rideat, etiam atque etiam uideat, ne rideat risum Sardonium, nec recuso uideri ridicula loqui, nisi toti/es nobis conflictatio cum Turcis cessit infeliciter. Et querimur nobis infeliciter cadere quæ gerimus, quum sub titulo Christi, hactenus negotium egerimus satanæ, quum irato deo sumpserimus arma? Clamat per Esaiã dominus, & clamat nobis quotidie, quibus il/
Esa. 1 la scripta sunt: Auferte malum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, & discite benefa/cere, & uenite atq; arguite me. Promittit inæstimabilia, minatur atrocia, nec pollicens au ditur nec minitans. Beneficia dissimulamus, minas contemnimus, aduersus castigantem queruli sumus. De bellis querimur, quum ipsi nobis bellũ accersamus. Pacem sublatam comploramus, quum pacis tranquillitate ad luxũ ac uoluptates abutamur, ac nec in pace pacem inter nos habeamus, Quiescẽtibus armis hostiũ, feruẽt intestinæ simultates, rixæ, lites, ac seditiones, & cũ nemo cadat in prælio, multi pereũt in iurgijs ac temulentia. Que rimur terrã non respondere nostris uotis, quum nos tam male respondeamus iussis diui/nis: obmurmuramus deo, quod sterilescant agri, quum nos illi nihil gignamus præter so lia spinas & zizania. Miramur assidue stillare cœlũ quum tanta sit cordium nostrorum siccitas, ut uix quisquam lacrymulam emittat pro cõmissis suis. Querimur de rerum pe/nuria & charitate, quasi non in quamuis ubere prouẽtu, per rapacitatẽ, auaritiam, & mo/nopoliorũ artes, tum inopiã ipsi pariamus, tum charitatem. Dolemus minus solito nasci, quum ea quæ nata sunt non præbeãtur egẽtibus. Postremo de tot malis querimur, quum de bonis deo nõ agamus gratias, de malis querimur quasi male uiuendo quicq; boni me reamur. Deploramus infelicitatem nostri seculi, quũ in tot calamitatibus nobis uacet esse malis: quumq; non sine causa quidã diuinent instare finẽ huius mũdi, tamen non solũ iun gimus matrimonia, licita et illicita, quẽadmodum in diebus Noe, uerumetiam epulamur, ambimus honores, uenamur dignitates, extruimus, longo molimine captamus regna, la/tifundia latifundijs, ciuitates ciuitatibus, ditiones ditionibus ueluti linum lino connecti/mus. Audiamus ergo uocẽ domini præcipientis, & ille audiet uocem populi ad se clamã tis, Si nos fecerimus quod ille iussit, nisi ille fecerit quod promisit, adeamus eum, expostu lemus cum illo, non recusat ita redargui, qui quærit occasionẽ miserendi. Supereſt ut de reuocandis mortalium animis dicam nonnihil. Equidem arbitror populũ aliquanto pro pensiorem fore ad hoc bellum, si conspexerit per summos ac legitimos monarchas, eosq; uere concordes suscipi: quorum hac in re primum ius est Cæsari, cum suis satrapis, proxi mum regi Christianissimo, tertium regi Ferdinando, cui propius imminet illa barbari/es, dein aliorum principum. Nam si fas est uera loqui, huiusmodi negotia per Cardinales Episcopos, Abbates, ac sacerdotes geri, nec decorum est, nec consonum sacris literis, nec ecclesiasticis sanctionibus, deniq; nec hactenus unquam bene successit. Haud enim scio quo pacto Mars iniquior est uiris sacratioribus dicatis negotijs, & miles libentius paret ducibus prophanis quàm sacris. Deniq; bellum habet multa stratagemata pro rebus præ sentibus necessaria magis cũ honesta. quæ tollerabilius geruntur per homines ab Euãge/licæ perfectionis professione alieniores. Nam bellare res est necessitatis potius quàm di gnitatis, licet hinc quondam omnes ferè dignitatum tituli nati uideantur, Comitum, Du cum, Baronũ, Marischalcorum, Lantgrauiorum. Hæc uidelicet erant uel autoramenta uel solatia sese ob publicam tranquillitatem in uitæ discrimẽ exponentium: sed quicquid eiusmodi titulorum est aut munerum, etiam si regnum addas, longe est infra dignitatem

eorum

eorum qui in Christi uices succesſerunt. Quamquam & illi uiciſſim principibus debent honorem & obſequium, ſuum munus obeuntibus. Veniam dabit uera loquenti, principum æquitas, qui ferè ſolum pontificem agnoſcunt quum ipſis eſt cõmodum. Vitę meritа ſolus iudicat deus, cæterũ quod ad ordinationem politicam attinet, nullus eſt epiſcopus tam humilis, quin ſit quouis monarcha ſublimior, functionis dignitate. Ambroſius urbis unius erat epiſcopus, huic ſe ſubmiſit Theodoſius non uenali titulo Imperator, ſed tam late imperãs princeps. Chriſtus nunc̃ bellaſſe legitur, ſed tradidit nobis cœleſtẽ philoſophiam, oſtendit uiam ad immortalitatẽ, docuit errantes, redarguit incredulos, conſolatus eſt puſillanimes, fouit imbecilles, ſtuduit c̃ plurimos patri lucrifacere, beneficijs deuinxit, & dignos & indignos, ſanauit omne morborũ genus. Hęc eſt uere ſublimis regiaq; functio, ad quam ſi cõferas omnia militariũ dignitatũ munia, plebeia ſunt ac ſeruilia. Non eleuo principibus debitum honorẽ, quem agnoſcit et Paulus, ſed ordinẽ indico. Et tamen neſcio quomodo fit, ut plerique quod honorificẽtius eſt negligant, quodq; humilius eſt affectent, quum nemo tam ſtultus ſit, ut ſi gemmas & aurum habeat, his faſtiditis plumbo ferroue magis delectetur. Quàm male cohærent illa uocabula, Cardinalis ſtrategus, Epiſcopus dux, Abbas comes, ſacerdos Centurio? Perinde quaſi ſtatuam oſtendas, ſemigemmeam ac ſemiluteam, aut centaurum ex homine & equo mixtum. Non ſuaſerim ut cuiquam per uim ac tumultum, quod poſſidet adimatur, ſed ſi dominus hanc mentem impertiret Eccleſiæ miniſtris, ut ſponte ditionem mundanam abijcerent, nihilo peius haberet religio Chriſtiana, mea quidem ſententia, & ipſis non paulo plus accederet tum quietis, tum dignitatis. Tantũ cenſus æquum eſſet illis relinqui, quantum ad honeſtã mundiciam atq; etiam dignitatẽ ſufficeret. Autoritatem adderet morũ integritas ac doctrinæ ſacræ præminentia. In hoc tantũ adeſſent principibus, ut ſi quando per inſcitiam, aut iram, ambitionẽmue tenderent in tyrannidẽ, ſalubribus ac paternis monitis eos reuocarent in uiam. Eos uero qui loco proxime ad Chriſtũ accedunt, oportebat ab his craſſioribus functionibus eſſe puriſſimos. Apud Britãnos ſumma eſt dignitas eccleſiaſticorũ, ac cẽſus opimi. Nec ibi tamen quiſquã eſt epiſcopus aut abbas, qui micam habet prophanæ ditionis, aut arces, aut bombardas, aut ſatellitiũ: neq; quiſquam monetam cudit, præter unum Archiepiſcopũ Cãtuarienſem, idq; dũtaxat honoris gratia: hoc dignitatis illi promeruit mors diui Thomæ Acrenſis. Nunquam tamen bellicis negotijs implicatur, ſed eccleſiarum curã gerit. At uereor ne hæc in alijs optare liceat magis quàm ſperare. Nec expedit quicquã tentare per tumultum. Minus itaq; diffidet populus, ſi uiderit legitimorum monarcharum cnocordibus animis rem geri, ſi magna pecuniarum pars committatur præcipuis ciuitatibus, ut ubi res urgeat tum exhibeãtur in uſum pręſentem. Si utetur omnis ſuſpicio, nec hoc pretextu captetur occaſio premendi libertatem ac iura ciuitatum, aut regum principumue Chriſtianorum: ſi quantum fieri poteſt ſeruetur immunitas eccleſiarum, ne fiat, ut dum ſiniſtris cõſilijs quietem nobis molimur à Turcis, ciuilibus bellis uniuerſam ditionẽ Chriſtianam cõcutiamus, & dum Turcicã tyrannidẽ demolimur, in nos ipſos pluſquã Turcicam tyrannidẽ accerſamus. Quanquam aũt ſine pecunijs nullum omnino bellum geri queat, nedum hoc omniũ grauiſſimum, tamẽ ita moderandę ſunt exactiones, ut tenui populo ſit unde uiuat. Meminerint principes quãtopere multis iã annis bellis, ſpõſalibus, inaugurationibus, peregrinationibus, exactionibus precarijs & nõ precarijs, monopolijs, monetæ mutãdis æſtimationibus, alijſq; titulis cõpluribus, ſit attenuatus populus, exhauſta ciuitatũ æraria, quanta laboretur etiãnum rerum neceſſariarũ tum inopia, tum penuria. Quadruplo emendũ eſt ſi quid uelis. Quis aũt neſcit quàm ſeditioſa ſit fames ac ſitis? Expertus eſt hoc olim Moſes. Et hactenus uidemus totam ferè molem exactionum rediſſe ad agricolas ac tenuem plebeculam. Iam quoſdam audio uociferari, ſpolientur abbates opulenti, indocti, & luxu perditi, ſpolientur epiſcopi regias opes male prodigẽtes, ſpolientur canonici ſacerdotijs onuſti, & interim genio ſeruiẽtes. O uoces ſeditioſas. Quin eadem opera clamant, ſpolientur omnes diuites, ſpolientur magiſtratus ac proceres? Sunt enim & inter hos qui ſuas opes aut male ſeruant, aut deterius profundunt. Non omnes epiſcopi tales ſunt, & aliquos epiſcopos omnino eſſe oportet, quemadmodum & magiſtratus oportet eſſe. Atqui exemplum ſpoliandi malos, feneſtram aperit ad ſpoliandos quoslibet. Aequius eſt ne probi lædantur, improbis ignoſcere, quàm

dum dignis afficiuntur mali, boni indigna patiãtur: ut ne commemorem, quod sæpe fallit populum nimis prona in malã partem suspitio, & quorum intolerabilis est improbitas legitimis rationibus possit corrigi: atq; in totũ pauciores erũt mali, si deligantur boni. Postremo non magni retulerit, si male profundentibus eripiant sceleratius profusuri. Vetus est hulcus militariũ ac plebeiorum inuidia aduersus otium & opes sacerdotũ, cui si principes subministrent occasionẽ, nihil aliud q̃ oleum camino addiderint. Bellatur, inquiũt, pro religione Christiana, par est illos potissimum impẽdere. Quid ego audio, principes & populus alieni sunt à religione Christiana? An non hoc præcipue nomine principes suscipiunt principatũ, ut Christianæ religionis tranquillitatem tueãtur? Quod si faciunt, quid aliud prę stãt, q̃ quod iureiurãdo professi sunt? Ac populus dũ arma capit, quid aliud præstat q̃ quod sine nefario scelere nõ poterat omittere? Pugnamus, inquiũt, pro otiosis: imò pro uobis ipsis pugnatis, dum pro coniugibus ac liberis, dũ pro aris ac focis, ut aiũt, pro tẽplis ac templorum ministris bellum geritis. Nec illi sunt otiosi, habent functionem suam, orant, docẽt, cõsolantur, admonẽt, tractãt mysteria, interpellãt deum pro sceleribus populi, impetrãt suis precibus uestris armis uictoriam. Fateamur illos esse otiosos, si Moses otiosus erat quũ pugnantibus aduersus Amalechitas Hebræis, nihil aliud q̃ precabat dominum. Magis præliabatur huius deprecatio, quàm illorũ arma. Oculi prospiciunt toti corpori, manus laborãt toti corpori, stomachus concoquit toti corpori, ac sibi seruiunt dum singula membra seruiunt toti corpori. Hęc eò dixerim, ut si uiris ecclesiasticis immunitas omnino seruari non potest, moderata sit exactio: quanquàm iniquum non est, ut qui feuda possident, pro sua portione conferãt, & qui participes esse uoluerunt honoris, oneris quoq; partem ferant. Vt autem citra magnum populi grauamen pecuniæ suppetant in bellum, hac ratione fieri potest, si principes impẽdia superuacanea resecẽt: id si fecerint uidebunt quantum uectigal accrescat censibus. Quis enim digne recenseat, quãtum illis pereat in pompis, in largitionibus, in conuiuijs, in ambitiosis legationibus, in lusibus & alea? Si sanctum ac pium existimant belligerari contra Turcas, quam eleemosynam præstare ualeant deo gratiorem, quàm si suum uectigal augeant parsimonia, & quod de stipitu detraxerint, impendatur pietati? Quod de principibus loquor, idẽ de diuitibus quibuslibet sentiẽdum est. Bis gratum erit deo, si quod pietati impenditur, uitijs detrahitur. Hac ratione fiet, ut nemo largiendo fiat pauperior, & uirtutis accessione fiat opulentior. Minuet & illud populi diffidentiam, si quod decretum fuerit maturetur. Hactenus in colligendis pecunijs adhibita est celeritas, in negotio peragẽdo mira fuit contatio, ne dicam cessatio. Superest ut paucis respondeamus his qui dictitant hoc bellum non pertinere ad religionem Christianam, sed de regno Vngariæ tantum decertari inter duos principes, quorũ alteri Turca tulerit suppetias, sed accersitus: cui non ob aliud fauet, nisi quod horret tam potentem uicinum, cuius ditio uideatur indies accrescere, tum qui fratrẽ habeat, cuius potentia Christianis etiam principibus formidini est. Consultius, inquiunt, fuerat, regnum illud cum Ioanne partiri, aut in totum etiam cedere, quàm tam potentem tamq; sanguinariam gentem in Christianos iritare. Non enim semper urgẽdum est ius, sed interdum uidendum quid expediat, interdum de iure tuo concedere, maximum est lucrũ. Ne dolo dicam, cessionem ipse suasurus eram, si serio fuissem in consiliũ adhibitus: at non dubito quin singulari tum prudentia, tum pietate prædito regi Ferdinãdo, hac in re satis cõstet sui consilij ratio. Nec nostrum est de parum cognitis ferre sententiam. Verum illud expediant isti, num æquum existiment, ut posthac arbitrio Turcarum reges habeamus, aut non habeamus, mox & episcopos ex illorum commodo accepturi. Quid porrò si deus uidens illorum immanitatem ad extremum deuenisse, hanc immisit occasionem finiendæ tãdem nunquam satiatæ illius rapacitatis? Et si nos quiescamus, num arbitramur illum quieturum, qui nunquam cessauit suæ ditionis proferre pomeria? Iam obscurũ non est, quin aliquot principibus suspecta sit tanta Cæsaris potentia, nuper etiam Gallis deuictis aucta, præsertim quũ non ignorent, quàm nesciat sibi præscribere terminos regnandi dulcedo, sed hunc metum facile excludet potentia maior optimi Cæsaris lenitas & humanitas. Exaudiuntur interim & aliorum uoces abominandæ, qui iactant esse tolerabilius agere Christianos sub imperio Turcarum, quàm sub Christianis principibus, ac sub pontifice Romano. Hoc genus homines si modo loquuntur ex animo, aut prorsus non

intelligunt quid ſit uiuere ſub Turcarũ imperio, aut ipſi gerunt Turcicos animos, ac pœnitet eos Chriſtianæ profeſsionis. Scythæ & Ichthyophagi non ferebãt iugum Romanæ ditionis, & nos optabimus colla ſubmittere iugo Turcarum? Hic exaggerent quantum uelint quorundam principum ſeueritatem, rapacitatem, ac uiolentiam, quota portio fuerit ad Turcarum immanitatem? Quis enim eſt paulo generoſioris animi, qui non malit in acie oppetere, quàm ſub illis barbaris indignam pati ſeruitutem? Meliore cõditione ſunt apud nos Iudæi, q̃ apud illos Chriſtiani, quos non habent pro hominibus, ſed pro iumentis. Pueros ac ſenes trucidant, adoleſcẽtes ac puellas laboribus aptas ac libidini, abigunt, abactas diuerſim ſpargunt, & ſi quid forte coaleſcentes contraxerint rei, rapit quod collectum eſt, & ipſos aliũ aliò diſpergit. Si quis auſit aduerſus illius mutiri leges, diris ſupplicijs exanimatur. Si quis Chriſti nomen abneget, ita demum fit ſatrapas. Abiectiſsimi mancipij capillos in corde geſtet oportet, qui tam diram tamq; fœdam optet ſeruire ſeruitutem. Quid autem dicam de politia? Quæ legum æquitas apud illos? Quicquid tyranno placuit, lex eſt. Quæ ſenatus autoritas? Quæ philoſophia locũ illic habet? Quæ Theologorum ſcholæ. Quæ ſacræ conciones? Quæ religionis ſyncerita? Sectam habent ex Iudaiſmo, Chriſtianiſmo, Paganiſmo & Arianorum hæreſi commixtam. Agnoſcunt Chriſtum ut unum quempiam ex prophetis. Idem faciunt Iudæi, ſed hominem tantum fuiſſe prædicant, quod deteſtabilius eſt Arianorum dogmate, qui Chriſtum deum eſſe profitebãtur, et magnum quidem deum, ſed uerum deũ ac natura deum negabant, quod exiſtimarẽt nullam creaturam eſſe natura deum. Quid quod peſtilẽtem ac ſceleroſum hominem Machumetem Chriſto, in cuius nomine flectitur omne genu cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorum, præferunt? Quis nõ prius habeat in extremis ſolitudinibus inter lynces, lupos, leopardos, ac ſerpentes uiuere, q̃ inter tales, ubi quotidie ſint audiendæ deteſtabiles in Chriſtum blaſphemiæ, ad quas arridere ſumma ſit impietas, obticeſcere cruciatus morte triſtior, contradicere certa mors, nec ea ſimplex? Procul abſit ab animis Chriſtum diligentium iſta cogitatio. Si quos fatalis neceſsitas in eam coniecit calamitatem, ut ferendũ ſit Turcicæ immanitatis iugum, ſit hoc extremæ tolerãtię, foris ſeruire barbaris, intus Chriſtũ ſeruare in pectore. Tum demum exemplo Iſraelitarum qui Pharaoni in luto & latere ſeruiebant, clament ad dominum, imitentur beatũ Loth, qui in Sodomis agens quotidie diſeruciabatur animo, uidens & audiens abominanda ciuitatis illius ſcelera: imitentur Hebræos ſedentes ac flentes ſuper flumina Babylonis, quod non liceret cantare canticа domino in Sion: quod tantum licet, pſallãt domino in cordibus ſuis. Imitentur Danielem, ieiunijs, precibus aſsiduis ſolicitantem aures numinis, ut populum ſuum eximat è miſerando exilio. Rurſus ſunt qui putant Turcã eſſe potentiorem, quàm ut lateſsitus opprimi poſsit, etiam ſi tota ditio Chriſtianorum uires ſuas & opes in unũ cõferat, cũ hydra nobis rem fore, non ſeptem, ſed innumerabilium capitum. Etiam ſi decem conflictibus fuerit conciſus, non deerunt milites per quos bellum inſtauret. Adde quod bellare quemadmodum illi bellant facillimum eſt, exurunt, trucidant, uaſtant omnia & fugiunt. Exiguus grex deploratus poteſt ingentes edere clades. At ſic bellare Chriſtianorum non eſt. Hoc ergo bellum, inquiũt, quoniam uno atq; altero prælio confici non poteſt, ſi duret annos aliquot, ut feliciter cedat, tamẽ exhauriet omnes opes Chriſtianorũ, abſumet fortiſsimos quoſq; duces. Quod ſi uictoria nobis tot orbitatibus, uiduitatib. ac luctibus cõſtabit, quid futurum eſt ſi uictoria ſit ab hoſtibus? Sed demus, inquiunt, omnia & celeriter & feliciter cadere ex animi noſtri ſententia, fingamus noſtris armis occupatum quicquid uſquam Turca poſsidet, quibus præſidijs tot regiones tuebimur? Niſi forte quis uniuerſas illas nationes internecione delendas cenſuerit. Si uictis parcitur, haud dubie molientur rebellionem, & ſi quicquid eſt illic hominum protriuerimus, an quieſcent uicini? Nam habet ille fœderatos aliquot. In ſingulis igitur regionibus collocabimus præſidia, addemus præfectos donec aſſueuerint noſtro imperio? Quibus eas præfecturas delegabimur? Ignauis & improbis? Res in deterius relabetur. Cordatis ac ſtrenuis? Nos ipſos neceſſarijs ducibus ſpoliabimus, noſtræq; opes eò demigrabunt. His ita reſpondendum arbitror, nec mihi placere bellum aduerſus Turcas, niſi huc adigat ineuitabilis neceſsitas. Fateorq; uix ſperandã eſſe uictoriam, niſi dominus à nobis ſteterit, quem ſi ſtuduerimus habere propicium, etiam ſi centum congrediamur cum decem milibus, noſtra

est uictoria, Id uero frustra nobis pollicemur, nisi per uniuersum orbem Christianũ præcedat uniuersalis & insignis uitæ correctio. Tot sunt Christiani, qui dira necessitate premuntur iugo Turcarum, & probabile est inter Turcas non paucos esse quos piget barbaricæ tyrannidis: hi se facile committent fidei nostræ, si uiderint paratum mitius imperium. Nam si seruitus seruitute mutãda est, leuius fertur cui assueuimus. Porrò quod quidam queruntur Christianos aliquot principes intolerabili iugo premere suos, et indies aliquid addere sarcinæ, ut iam olim Turcicam tyrannidem moliri uideantur, quemadmodum nõ omnino uanum est, ita optarim prorsus absq; causa dici. Maiores narrant nobis quis rerum status fuerit ante annos septuaginta, quem si conferas cum hisce temporibus, incredibile dictu, quantum decesserit libertati populi, ciuitatum autoritati, maiestati senatuum, ordinis ecclesiastici reuerentiæ. Contra quantum accreuerit principum potentiæ, quantũ exactionibus, in summa quantum additũ illi nimium iactato, quod principi placuit lex est. Hæc etiam si non narrent natu grandiores, ex annalibus & actis non ita uetustis abunde liquet. Non accuso principes, fortasis hoc nostra meruit intractabilitas, ut iugo duriore premeremur, Grauior est querela de proceribus Ecclesiasticis, præcipue de his qui Romani pontificis negocia procurant. Quorũ gesta si quis conferat cum his quæ ueterum annalibus & pontificum decretis prodita sunt, immane quantum reperiet discrimen. Quod si dominus dignetur his immittere mẽtem, honoribus, quæstu, uoluptatibus mundanis superiorem, patribus se multi libenter submitterent, quos nunc quidam horrent ut tyrannos ac prædones. Quorum animos ut ab hac suspicione reuocemus, expedit ut ecclesię primates ab omni specie luxus, ambitionis, auaritię, ac tyrannidis semet abducãt. Multum increuit numerus cardinalium, qua de re uetus iam est hominũ querimonia, quibus si summus pontifex ut galerum purpureum mittit, ita posit & mentem Christo dignam immittere, profecto gratulandũ esset ecclesiæ. Nam ideo dicti sunt Cardinales, quod sanctimonia morũ, quod eruditione sacra, quod zelo Christianæ pietatis præcęteris fulciant domum dei. Debetur quidem egregiæ uirtuti sua dignitas, & ad persuadendum momenti non parum habet autoritas, modo adsit Christiana synceritas. Quales inter illos esse nonnullos sperandum est, & fieri potest, ut dominus populi uotis permotus tales reddat omnes, sed querelis hominum his turbulentissimis temporibus expedit mederi. Obmurmurant in magno uenalem titulum, quum alioqui tot Episcopos, Archiepiscopos, & Abbates opulentissimos habeat mundus, queruntur quicquid habent Card. in ius pontificis cadere. Triadas ac tetradas Episcopõn ac Abbatiarum, sacerdotiorum turbam alendæ Cardinaliciæ dignitati concedi: socios esse regum, & aliquanto regibus haberi uelle superiores, eoq; quosdam ex his regum strepitum pro uiribus æmulari, ne dicam prę ire. Nonnulli uerentur ne ab his exordijs eo proficiãt tandem, ut si pietatem superet ambitio, ex socijs regum fiant reges, deniq; & regũ domini. His si quis respondeat, quid hoc mali est, si tantum dignitatis accedat ecclesiæ, protinus in os nobis recinũt, satis o præclari satis dominorum ac satraparum habet orbis Christianus, etiam si non condu plicentur principum ordines: patribus opus est, patres desiderat Christi grex, patrum ubique magna est penuria. Iam qui sunt lingua petulantiore, uitam quoque non uerentur incessere, idq́ue præter doctrinam scripturæ diuinæ, quæ uetat in principem populi dicere conuicium. Hic quum in cæteris illis obturamus os, alia refellentes, alia in partem meliorem interpretantes, non proferimus inquiunt archana, non calumniamur ambigua. Quæ mundo nota sunt dissimulari non possunt: Luxum inquiunt ac strepitum ipsi nobis ostentant. Ex his uidimus schismatum autores, uidimus alios exutos dignitate, alios opibus mulctatos, complures coniectos in carcerem, nonnullos actos in exilium, quósdam etiam capitis affectos supplicio. Non deest omnino quod huiusmodi maledicentiæ respondeatur: sed tamen haberemus animos multitudinis longe propensiores & ad conferendam pecuniam, & præstandam operam, si primates ecclesiæ dignitatem suam contraherent ad Christianam modestiam. Quin potius hoc agamus omnes summates pariter & infimates ac medioximi, ut quicquid inuisum est oculis dei, à nostris auferamus & cordibus & moribus. Etenim si apud Esaiam auersatur uictimas eorum quorum manus plenæ erant sanguinis, multo magis auersabitur bella nostra, si uicijs onustiores quàm armis rem aggrediamur. Hæc eò spectant, ut si irato deo bellum cum Turcis

ſuſcipiamus, nihil expectemus niſi luctuoſum exitum, & omnium rerum miſeram confuſionem: ſin quod neceſſe eſt, uitam noſtram corrigimus, ut dei miſericordiam nobis conciliemus, à principibus exordiendũ. Nam ut in populo nemo ſit malus, uix ſperandũ eſt, licet uehementer optandũ. Ne refert quidem perinde, qualis ſit miles gregarius, ſi monarchę ducesq; in bonum cõſentiant. Quod ut dominus efficere dignetur cõmunibus omnium aſſiduis precibus uotisq; flagitandum eſt. Iam ſunt nonnulli, qui ſuſpicantur hoc obliquis artibus agere principes, ut Turcici belli prætextu, expilatis ciuitatibus agricolis & plebe, oppreſsis legibus, extincta rerum publicarum libertate, ſubmota ſenatuũ autoritate, protrita ordinis Eccleſiaſtici religione, paucorũ libidine res adminiſtretur, & armis uerius q̃ honeſtis rationibus agantur omnia quemadmodũ fit apud Turcas. Itaq; futurũ, ut quẽadmodũ Octauius, Lepidus & Antonius iunctis copijs oppreſſerunt libertatẽ pop. R. ita poſt fictos tumultus icto fœdere prodãt ditionẽ Chriſtianã Pontifex Cæſar & Turca. Has impias ac ſeditioſas ſuſpitiones procul reijciendas ac deteſtandas cẽſeo. Mihi longe meliora pollicetur & Clementis ingenium, & Cæſaris pietas, & Ferdinandi Regis integritas, & Chriſtianiſsimi regis humanitas, & Germanorũ principum fides. Terret nõnullos uniuerſalis monarchiæ uocabulum, quo uidentur ſpectare quidam. Vt omnia, inquiunt, teneamus quæ Turca poſsidet, ſi conſulas geographorum tabulas, quãtulum eſt hoc præ his quæ ſuperſunt, aut quando ſperandus bellorum finis? Ea res male ceſsit Alexandro, nec contigit quod affectauit: magno cõſtitit Romanis, nec his cõtigit, quod tãto molimine ambiebant. Optima quidẽ eſt monarchia, ſi princeps detur deo ſimilis, uerũ ut ſunt hominũ mores, tutiſsima ſunt moderata imperia, Chriſtianis fœderibus inter ſe connexa. Alij metuunt ne quę nobis ueniũt è Turcarũ regionibus pluris ſint emenda q̃ nunc emuntur. Obijciũt de ſaccaro quod nunc quadruplo pluris emitur idq; corruptius, ac periculum eſſe putant, ne idem accidat in cæteris omnibus. Sed hoc quoq; non dubito quin Cæſaris æquitati ſit curæ futurũ. Nec enim par eſt ut impẽdia grauẽt omnes, cõpendia redeant ad paucos. Hic urgebit aliquis, quid inquiens agis hoc tam prolixo ſermone? Dic exerte, cenſes bellandum an nõ? Si mihi loquutus eſſet dominus, pronunciarẽ expedite, nũc quid optem procliue eſt dicere, quid futurũ ſit nõ item: attamẽ nec præſcius euẽtus, nec ſatis cognitas habens negocij circũſtantias, monarcharũ prudẽtię materiã ſuppedito uigilantius ſuper hac re deliberãdi. Nec bellum diſſuadeo, ſed ut feliciter & ſuſcipiatur & geratur ago pro mea quidẽ uirili. Quũ enim negociũ ordiamur omniũ periculoſiſſimum, aut in ſummũ orbis Chriſtiani malũ exeat oportet, aut ſummã adferat felicitatẽ. Quid, feremus igitur impune quæ Turcarũ immanitas in nos & fecit tot ſeculis, & facit, & factu ram minatur? Durũ quidẽ fateor, ſed hoc tamen quamuis durũ ferre præſtat, ſi ita uiſum eſt domino, q̃ nobis panolethriã accerſere. Illud in primis erat optabile, ſi liceat Turcarũ ditiones ita ſubigere quemadmodũ apoſtoli cunctas mũdi nationes ſubegerunt imperatori Chriſto: proximũ eſto uotũ, ſub armis hoc potiſsimũ agere, ut ſe uictos eſſe gaudeãt. Ad id præcipue conducet, ſi uiderint Chriſtianiſmũ nõ eſſe uerba, ſed in nobis conſpexerint mores Euangelio dignos. Tum ſi mittãtur in meſſem integri præcones, qui non quærãt quę ſua ſunt, ſed quę Ieſu Chriſti. Poſtremo ſi qui nondũ poſſunt allici, ſinãtur aliquãdiu ſuis uiuere legibus, donec paulatim nobiſcũ coaleſcãt. Sic olim imperatores Chriſtiani paulatim aboleuerũt paganiſmũ. Initio patiebãtur illos æquo cũ noſtratibus iure uiuere, ſic ut neutri alteris faceſſerent negociũ. Deinde tẽplis idolatrarũ ademerũt ſua priuilegia. Poſtremo uictimas ab illis immolari palã, uetuerũt, mox omnẽ ſimulacrorũ cultũ ſub mouerũt. Ita ſenſim inualeſcẽte noſtra religione paganiſmus extinctus eſt, & Chriſti Trophæa mundũ uniuerſum occuparũt. Hęc ex noſtris literis, quib. nõ optime cũ bello cõuenit, ad te ſcribere uiſum eſt uir clariſsime, quo tuũ prouocarẽ ingeniũ, ut ex legũ oraculis in quib. tu præcipuã laudẽ obtines, nobis meliora proferas. Quod ut facias te etiã atq; etiam rogo. Rem facies nõ alienã à Rinckorum cognomine, quorũ hæc omniũ cõſenſu prę cipua laus ſemper fuit, quod unice ſtudio habuerint habeantq; de rep. q̃ optime mereri. Dominus Ieſus te cũ tibi chariſsimis ſeruet incolumẽ amice incõparabilis. Datum apud Friburgum Briſgoiæ, 17. die Martij. Anno à Chriſto nato M D XXX.

CONSVLTATIONIS DE BELLO TVRCICO PER Deſ. Eraſmum Roterodamum, Finis.

IORNATISSIMO PRAESVLI, EIDEMQVE ILLVSTRISS. PRINCIPI D. D. CONRADO, EPIscopo Vuircenburgensi, orientalis Francię duci, Des. Eraſmus Roterodamus S. D.

EXimiæ cuiuſdam felicitatis loco deputo præſul ornatiſsime, quod tantus princeps hunc infimæ ſortis homunculum, in tuam clientelam, atque adeo, quæ tua eſt benignitas, in tuam amicitiam recipere dignatus ſis, idqúe non uulgaribus etiam argumentis teſtatum eſſe uolueris. Quanquam non hinc perinde magnam cepi uoluptatem, quod uiri ſumma utriuſq; ſtatus dignitate pollentis, & antiquiſsimis maiorum imaginibus cum primis clari, fauorem nactus eſſem, atq; ob id, quod in ſummam ſpem erigerer, fore ut aliquando hæc religionis Chriſtianæ tempeſtas nobis in tranquillitatem uerteretur, poſteaq; ſummatibus uiris, eccleſiæ clauo aſsidentibus ſacras literas, ueramqúe pietatem cordi eſſe uidebam. Sed optimo iure uidear ingratus, ſi tam optabile bonum, quod tua ſingularis humanitas occaſione leui, ſubmonita uerius quàm prouocata tam amanter obtulit, ego mea negligentia patiar obſoleſcere. Nam hominum beneuolentia quemadmodum diutino ſilentio, ſiue ut elegantius à Græcis dicitur, ἀπροσηγορίᾳ, primũ refrigeſcit, dein paulatim emoritur: ita uiciſſitudine literarũ, & officiolis ultro citroq; cõmeantibus alitur ac uegetatur. Verum ne tuam R. amplitudinem inanibus appellarem literis, quæ nihil haberent præter uulgare ſalutationis officium, pſalmum adiunxi quem in hoc ipſum recenti lucubratiuncula enarraui, quo non ſolum re tui clientis commonefaceret, uerum etiam ceu xenium quoddam reponi poſſet, quotieſcunq; luberet depromere, uel aliquid oblectamenti curis defeſſo, uel ab externis negocijs ad ſacratiora ſecedenti nonnihil utilitatis allaturũ: ſi quid tamen omnino hic eſt, quod tali pręſuli, ulli poſsit eſſe uſui. Certe per te alijs non parum fructus acceſsurum ſpero. Nec dubito quin optimus paſtor in tuis lucris numeres, quicquid ullo pacto gregis dominici pietatem uel adiuuat, uel excitat, Cui fouendo tuendoq;, te ſummus ille paſtorum princeps ut quamdiutiſsime ſeruet incolumem precor. Vetuſtiſsimus mos eſt, ut clientes ac liberti ſubinde miſſo munuſculo gratam erga patronos uolũtatem teſtarentur. Puta igitur hanc eſſe ſtrenulam à clientulo, tenuis quidem fortunæ, ſed deuoti animi profectam. Apud Friburgum Briſgoiæ nono Calend. Martias. Anno à Chriſto nato

M D XXX.

ENARRATIO PSALMI XXXIII. BENEDICAM DOMINO IN omni tempore, per Des. Eraſmum Roterodamum.

AVltum diſcriminis eſt fratres unice dilecti inter adamantem & uitrum, ſed multo plus diſcriminis eſt inter corpus & animũ, longe plurimũ uero inter res diuinas & humanas. Hoc ideo uiſum eſt præfari, ut ſpectaculo quod hodie donante Chriſto, uobis exhibere ſtudeo, oculos atq; aureis dignas accommodetis. Nam ita demum fiet, ut ex eo, quum uoluptatis plurimũ, tum utilitatem ineſtimabilem referatis. Qui ſedent in amphitheatris, ſpectaturi gladiatorum paria, aut hiſtriones comœdiam tragœdiamúe ſaltaturos, quoniam oculos et aureis adferunt talibus ſpectaculis dignas, è theatro fere diſcedunt ſeipſis deteriores, Tales oculos, tales aureis ſi quis habet ueſtrum, oret dominum ut ipſi dignetur impartiri oculos mundi cordis, quibus cernuntur ſpiritualia, aureis puras, quibus percipiuntur arcana cœleſtis ſapientiæ. Tales oculos, tales aureis, nec natiuitas dat, nec medicorũ ars: ſolus ille cuius ſpiritu renaſcimur, nouatq; totũ hominem, tales oculos inſerit animis noſtris, tales aures addit ſpiritui noſtro. Illius igitur benignitatẽ pulſetis uotis communibus chariſsimi, ut quod ex noſtra imbecillitate non habemus, de ſuæ bonitatis abundantia largiatur. Alioqui ſi quod proferetur oculis humanis ſpectaueritis, uereor ne nihil eximium uideatur, ſed tale quiddam, qualia permulta leguntur & in prophanis hiſtorijs. Sed ne pluribus morer charitatem ueſtram, adfero pſalmum 33. ad cuius enarrationem priuſquàm accedamus, diligenter excutiẽdus eſt titulus, qui niſi nobis

argumen-

argumentum indicasset, ex ipso psalmo quis potuisset colligere? Habet autem ad hunc modum: Psalmus Dauid quum mutauit uultum suum corã Abimelech, et dimsit eum & abijt. Historia contexitur libro regnorũ primo. cap. 21. Eam non ab re fuerit uobis paucis repetere, quo cætera liquidius intelligatis. Posteaq̃ Dauid rebus præclare gestis sibi grauem Saulis inuidiam cõflasset, ac tandẽ indicio Ionathæ cognouisset immedicabilem regis iram, qui certum cõsilium ceperat de quaqua uia tollendo Dauid quẽ oderat, spem incolumitatis non alibi q̃ in latitando fugitandoq; ponẽs, contulit se in ciuitatem Nobe unam è sacerdotalibus, sitam in regione Galaad, ubi tum agebat Abimelech sacerdos. idem dictus Achias, pronepos Heli. Ad hunc Dauid confugit & solus & inermis, nec illi cuiquam fidebat, nec cuiquam tutum erat seu fauere seu fouere Dauid: adeo terribile fulmen habet regis indignatio, præsertim stulti & furioli, qualis erat Saul. Sicut fremitus, 19
leonis, ait sapiens ille Dauid filius, sic & ira regis. Ac rursum. Graue est saxum et onerosa 27
harena, sed ira stulti utroq; grauior. Ira nõ habet misericordiam. Cum tali rege res erat nostro Dauid, qui simul & stultus erat, & arrogans, & inuidus, & lymphatus. Abimelech sacerdos admiratus quod incomitatus ueniret, percõtatus est quid esset nouæ rei. Dauid hoc commento sacerdoti exemit suspicionem, ut diceret sibi regẽ mandasse quiddam arcani negocij, cuius neminem uellet esse conscium, eoq; pueros suos certis locis iussisse cõmorari, donec mãdata peregisset. Iam sacerdoti præcluſa erat uia plura scisciandi, qui sciret non esse tutũ scrutari principũ arcana, Sed Dauidem urgebat aliud periculum, famis: hac compulsus rogat ecquid panum haberet in promptu, aut aliud quiduis quod sedare famem posset. Vehemens fames fuerit oportet, quæ nullum cibi delectum habebat. Nec tutum erat aliunde petere, ne hac occasione innotesceret. Abimelech negauit sibi quicq̃ esse panum, præter panes sacros, quibus nefas esset uesci, præterq̃ solis sacerdotibus: attamen cupiens periclitanti subuenire, percõtatus est num essent illius pueri puri à cõgressu fœminarum. Dauid rursus dissimulans solitudinem suam, respondit intra triduũ pueros suos fuisse puros à coitu: Et adiecit, nihilominus eam uiam nõ esse puram, quæ & ipsa tamen esset purificanda per uasa pura, iuxta illud beati Pauli. Omnia munda mundis. Sacerdos ob humanitatem ausus est aliquid de legis rigore relaxare: at Dauid qui spiritualis erat, docet eam legem abrogatam esse quoties periclitatur salus hominis, siue purus sit à coitu, siue impurus: Corpus enim hominis sanctius est sexcentis panibus propositionis. Et hoc factum Dauidis approbauit in Euãgelio dominus, eoq; exemplo sibi discipulisq; patrocinatur aduersus Iudæorum calumnias. Refectus est Dauid, accinctus est gladio Goliath, quo Dauid illum interfecerat. Is enim illic ut res sacra pulcherrimiq; facinoris monumentum seruabatur inuolutus pallio post Ephod. Dauid expedierat quur inco-
mitatus uenisset, sed sacerdos demirari poterat, quur prorsus uenisset inermis strẽnuus ille bellator. Huic quęstioni occurrit Dauid, dicens regis negotiũ tantam requirere celeritatem, ut nõ uacarit arma tollere. Erat aliquid humanitatis in sacerdote, sed ea nimio cõstitit illi. Saul enim ut indicio Doech Idumæi cognouit quod Abimelech pauisset armasset q; Dauid, proq́ue eo consuluisset dominum, accitos ad se sacerdotes iussit interfici, nec hoc contentus, Nobe ciuitatem internecione deleuit, nec lactentibus pueris, nec lactantibus matribus, nec bubus, nec asinis parcens. Hinc cõijcere licet, qutão odio Saul fuerit in Dauid, qui tam inclementer sæuijt in innoxios. Pulchre se purgauit Abimelech, sed ira caret iudicio, nec aures habet dementia. Porrò quoniam Dauid repperit illic Doech Idumæum, qui pascebat mulos Saulis, sentiens minime tutũ esse illic hærere, profugit ad Achis regẽ Geth, sperans sese apud alienigenas ignotũ posse latere. At protinus obfuit illi uirtute parta fama. Agnitus est à seruis Achis, qui dixerunt. An non hic est Dauid rex terræ? An non hic est cui mulieres in foris canebant, percussit Saul mille, Dauid autem decem milia? Hæc erat cantio, quæ præcipue Saulis animum irritarat in Dauidem: Hæ uoces tam inuidiosæ altius descenderũt in cor Dauid. Oderãt eũ ut apparet, quondam hostẽ, & inuidebant uictori prostratum Goliath eius gentis fortissimum uirum. Fortasis & gladius agnitus refricuit speciosi facinoris memoriã. Iam illud rex terræ, non tantũ ad Saul, sed etiam ad Achis regem pertinebat Getheorum principẽ. Quid hic restabat nisi mors? Dauid igitur ad extremas arteis confugit. Cũ à satellitibus regijs attraheretur ad Achis, mutauit os suum, furorẽ simulans, subinde collabẽs inter manus ducentiũ, impingens in ostia

Titulus psalmi.

ostia portæ, diffluebantq; saliuæ in barbam eius. Hoc tam deformi spectaculo rex Achis offensus obiurgauit seruos. Cum uideretis, inquiens, hominem insanum, quur illum adduxistis in conspectum regium? Non decent oculos regum funesta. An desunt nobis furiosi, ut hoc spectaculum ceu rem nouam exhiberetis conspectui meo? Ita serui regis pro officio malam iniere gratiam, iussiq; sunt dimittere Dauid, ne furiosus ingrederetur palatium regium. Seruatus est homo dementiæ specie, quem sua benefacta adduxerant in capitis periculum. Adhuc scio, uidemini uobis nihil audiuisse præclari. Nec mirum, corticem nucis duntaxat exhibui, siliquam ordei gustastis, clausum Silenum hactenus ostendi. Si dominus dignabitur nobis adesse, dum eruimus nucleum, dum emolimus similaginem, dum expandimus Silenum, delectabuntur animi uestri spiritualibus delicijs, pascentur cibo salutari, obstupescent ad diuinæ sapientiæ contemplationem. Alioqui quod ad rerum gestarum nudam commemorationẽ attinet, multa similia leguntur in propbanis historijs. Sic Vlysses simulata dementia studuit domi relinqui. Sic Iunius Brutus, dum se stupidum fingit, effugit periculum. Et frequenter ad easdem artes confugiunt homines scelerosi, cum non datur alia elabendi rima. Verum absit ut quisquam Christianus existimet hic nihil aliud esse, quàm rerum gestarum simplicem historiam: quia quod gestum est, non fortuito gestum est, sed peculiari dispensatione dei. Peculiari inquam, quia nihil geritur nec in rebus humanis, nec in rebus angelicis, nisi numinis arbitratu. Sed non omnia sic gesta sunt, ut altiora quædam nobis delinient. Si aperuerimus Silenum, uidebimus in Dauid illo mortali, latitare alium Dauid multo sublimiorẽ, in Saule alium tyrannum longe pernicioſiorem. Si aperuerimus oculos fidei, in illo profugo, famelico, mutante uultum suum, & tot obnoxio periculis, uidebimus uere dictum regem cœli & terræ, dominum Iesum Christum: in Saule inuido, superbo, furioso, & sitiente sanguinẽ innocentum, uidebimus illum deuotum humani generis hostem, principem tenebrarum, et huius mundi dominum, ut ait Paulus, qui primum electus à deo, post ob superbiam reiectus est à facie domini, quemadmodum & Saul: qui statim ab orbe condito, inuidia stimulatus pertraxit hominem in ruinam, & Christum tyrannidem illius demoliturum, omnibus machinis conatus est extinguere. Aperui fores sed priusquàm hoc adytum subeamus, capita nostra submittamus oportet, alioqui sublimes illidemur. Humile est ostium, sed intus aperitur rerum cœlestium maiestas. Christus nostra causa mutauit etiã in sacris literis os suum, mutemus & nos illius causa palatum nostrum, oculos nostros, ut quemadmodum hic idem habet psalmus, gustemus & uideamus q̃ suauis dominus. Sapiẽtia carnis inflat, nec turgidos recipit angustus & humilis aditus. Si quis igitur inter uos est, qui sibi uidetur sapiens, iuxta Pauli consilium, cum Christo principe mũdo stultus fiat, ut sit uere sapiens. Qui tument Aristotelica, Auerroica, aut Platonica philosophia, mysticas allegorias in sacris uoluminibus contemnere solent, quidam etiam irridere proq; somnijs ducere. Istis quid supereſt, nisi ut eadem opera Christi & apostolorum autoritatem reijciant? Num.12 Legimus à Mose serpentẽ æneum erectum in deserto, Historia est, fateor, & quidem Ioan.3 ueriſsima. Sed nihil aliud est quàm historia? Credi poterat, nisi dominus ipse figuram aperuisset in Euangelio dicens. Sicut exaltatus fuit serpens in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Ionam prophetam balena quæ absorbuerat tertio die reuomuit uiuũ. Non est figmentum, factum est uere quod narratur. Sed nihil aliud nobis figurat? Credamus Matth.12 nihil aliud latere, nisi Christus ore suo dignatus est aperire mysterium. Signum inquit, nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Quemadmodum enim Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. Videtis quantum numẽ clauserit ille Silenus? Legimus Israelitis in deserto pluisse manna de cœlo. Qui non credit factum quod narratur, impius est: qui credit eo facto nihil sublimius nobis signifiIoan.6 catum, æque impius est. Siquidem ipse dominus, & ut rem gestam adfert, & allegoriam indicauit, dicens Iudæorum patres non comedisse uerum manna, hoc est, panem de cœlo uenientem, sed duntaxat illius panis figuram. Verum enim manna Christus erat, cuius typum gerebat illud quod fluxit Hebræis in deserto. Illud manna corpus alebat ad tempus, hoc animis simul & corporibus donat immortalitatem. Hierosolymis erat templum admirandæ structuræ, summæq; religionis. Nemo nescit hoc esse uerum, sed quid illud templum signarit, non omnes sciunt, At Christus nos docuit dicens. Soluite templum

hoc

hoc,& in triduo excitabo illud.Deus non habitat in manufactis structuris,sed in uero tem plo Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Videtis q̃ sublime quamq; angelis etiam adorandum mysterium latebat in illo Sileno? Longum fuerit singula perse qui.Quũ dominus ita loquitur Iudæis.Si crederetis Mosi,utiq; & mihi crederetis, de me enim ille scripsit,declarat totam ueteris testamẽti scripturam esse de Christo uaticinium. Rursum quum ait, Lex & prophetæ usq; ad Ioannem,declarat eum uenisse, quem & lex typis præfigurarat,& uatum oracula promiserant.Cedunt umbræ ueritati, & frustra ex pectantur promissa,quũ id quod promissum est,sub oculos uenit.Similiter quũ ait,Scru tamini scripturas,in quib. creditis uos uitã habere, docet uniuersam scripturã esse mysti cã.Scribæ & Pharisæi quib.hoc dictũ est,memoriter tenebãt legẽ & prophetas,sed quod in illis latebat scrutari iubentur,ut uere in illis uitam inueniãt.Postremo apud Lucam,am bulans cũ duobus discipulis aperit illis scripturas,incipiẽs à Mose et omnibus prophetis. Quid est aperit? Ostendit allegoriã in historia latentẽ. Quid est,à Mose? A figuris penta teuchi.Hoc interest inter figurã & prophetiã.Figura est mutus siue factũ loquẽs.Prophe tia est uox loquens. Vtrũq; uaticiniũ est,licet aliter loquẽs.Sex. Tarquinius rebus apud Gabios turbatis misit ad patrẽ Tarquinium Superbũ, qui peteret ab eo consiliũ quid in hoc statu rerum esset faciendũ.Is nihil respõdit,sed duxit hominẽ in hortum qui erat post ædes uelut deambulãdi gratia,atq; illic uirga quã manu tenebat,amputauit summa papa uerum capita.Hoc facto,sine respõso dimisit hominẽ. Rediit nũcius à quo fuerat missus, negat se ullum tulisse responsum.Alter rogat ecquid alioqui sit actũ. Ille cum cæteris me morat etiam de papauerum capitibus incisis.Qui uiderat et quod uiderat narrauit,nõ in tellexit arcanum:alter intellexit,primores esse decollãdos.Illud nimirum est quod scribit apostolus ad Hebræos.Multifariam multisq; modis olim deus loquutus patribus in pro phetis.Loquutus est condito mundo. Quicquid enim in hoc pulcherrimo theatro uide mus,habet linguam suam:omnia loquuntur,potentiã, sapientiã ac bonitatem cõditoris: quod testatur & psalmus,Cœli enarrant gloriam dei,& opera manuũ eius annunciat fir mamentum,Non sunt loquelæ neq; sermones,quorum non audiantur uoces eorũ. Non solum ergo loquuntur,sed et sublime quiddam loquuntur,atq; imprimis auditu dignum. An non magnum est nosse inuisibilem dei naturam? Eam nobis loquuntur res tam mirifi ce conditæ.An nõ præclarum est,comprehendere sempiternam dei uirtutem ac diuinita tem? Et hanc deus hominibus patefecit.Quomodo? Loquens per opera ab ipso condita: quemadmodum Romanis scribens docet Paulus. Non hoc contentus, loquutus est no bis per legis prȩcepta,locutus est per figuras,locutus est per prophetas,locutus est per hi storias mysticas. Exitus ab Aegypto, trãsitus rubri maris,profectio in deserto,mãsiones, tabernaculum,columna ignis & nubis,petra fundens laticem, serpens æneus erectus in stipitem,manna cœlitus defluẽs,terra fluens lacte & melle,hæc cæteraq; omnia linguam suam habent,nobisq; spiritualem loquuntur sapiẽtiam.Itidem & phase, holocautomata, cæteriq; ritus innumeri nobis Christũ loquuntur,modo ne surdi simus.Surdi erant Stoi ci,qui negabant mundum esse conditũ, Surdi Epicurei,qui negabant illum à deo guber nari.Surdus Anaxagoras, qui negat ullum esse deum. Surdi & hodie Iudæi, qui nolunt legem spiritualiter intelligere, proinde somniant adhuc messiam suum,expectant instau rationem templi,expectant sacrificiorum cæremonias.Quid quod ipse Ioannes Baptista docuit talibus figuris expressum Christũ,qui ait,Ecce agnus dei,qui tollit peccatũ mun di,Quid aliud dixit,q̃: Vos antiqua religione celebratis phase, mactantes agnũ absq; ma cula,cuius olim sanguis liberauit uos ab angelo peremptore. Hic est ille uerus agnus non Mosi,sed dei,qui solus suo sanguine purgabit orbem terrarum ab omni peccato.Succinit huic beatissimus ille Paulus. Pascha nostrum immolatus est Christus, Expurgate uetus fermentum,ut sitis noua conspersio, epulemur in azymis synceritatis & ueritatis. Quid quod idem in alijs compluribus locis dignatus est nobis aperire spiritus mysterium.Mo ses percussit petram & fluxerunt aquæ.Nihil hic ultra literam uidet Iudæus. Quid Pau lus? Bibebant de spirituali consequente eos petra:petra autẽ erat Christus. Quis ad eum modum ausus fuisset interpretari,nisi tam certum haberemus autorẽ? Idem de manna di cit,Omnes escam spiritualem comederunt.At manna non omnes comederunt:nõ enim fluxit nisi ad tẽpus. Nullus uero Iudæorum seruatus est,qui nõ ederit de manna spirituali,

quæ est cœlestis Christi doctrina, quæ fide percipitur. Simile est illud. Omnes sub nube fuerunt, & omnes sub Mose baptizati in nube et mari. Hoc iuxta literam falsum est, iuxta allegoriam uerissimum. Iam quid dicit de duobus Abrahæ filijs, quorum alterum suscepit ex ancilla alterum è libera? Hæc inquit sunt duo testamenta. Quid quod idem ostendit nobis alterum Abraham, patrem omnium credentium, alteram circuncisionem, quæ est cordis, alias pecudum immolationes. Mortificate membra uestra, quæ sunt superterram. Idem in tota epistola ad Hebræos quid aliud agit, quàm ut totam legem nobis reddat spiritualem, describens nouum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech? Scribens Corinthijs commemoratis aliquot ueteris testamenti historijs, ne singulis referendis prolixior esset, in summa dicit, Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum deuenit. Si omnia illis contigerunt in figura, nihil in literis diuinis mysterio spirituali uacare credendum est. Addamus his quod Petrus apostolorum princeps, diluuium & arcam exponit de baptismo & fide, per quam recipimur in ecclesiam, ac salutem æternam consequimur. Idem in Actis, quod Iudæi simpliciter intelligunt de Dauid, Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem: audet affirmare iuxta literam in Dauid regem non competere, sed uaticinium esse de Christo, cuius anima redijt ab inferis, et in corpus sepultum migrauit. Deinceps Christus iam non moritur, nec mors illi ultra dominatur. Hæc eo pluribus inculcare uisum est, quo simul & illorum errori mederemur, qui non multo religiosius legunt sacras historias, quàm Herodotum aut Titum Liuium: et eorum fidem ac uigilantiam excitarem, quibus persuasum est in omnibus scripturis diuino spiritu proditis latere Christum. Litera occidit, inquit Paulus, spiritus uiuificat. Non semper occidit litera, sed est ubi occidat prorsus, est ubi nihil aut minimum prosit, sed non uiuificat, nisi peueneris ad Christum. Iudæus circũciditur, & à litera occiditur. Clamat Apostolus, Si circuncidamini, Christus nihil uobis proderit. Qui legit serpentẽ æneum sublatum in stipitem, & à serpentium morsu liberatos, qui in illum intenderant oculos, non peccat si credit historiæ. Sed quid fructus? Si credit hoc naturę uí factum, nihil est fructus. Si uirtute dei, aliquid est fructus, sed non liberatur à peccatis, nisi qui in Christum crucifixum intendit oculos. Ibi demum uita est, ubi Christus est. Hæc autem admonitio, non hic tantum uobis utilis erit, sed quotiescunq; aliquid è diuinis libris uel audietis recitari, uel ipsi legetis. Nunc si placet redeamus ad spectaculum, quod oculis nostris proponit spiritus sanctus. Non nouum est in arcanis literis Dauid gerere personam Christi, qua de re nobis aliâs satis multa disserta sunt. Noster itaq; Dauid manu fortis, cui pater cœlestis destinarat regnũ ecclesiæ, quemq; unxerat oleo lęticię præ participibus cunctis, siue Mosen proferas, siue patriarchas, siue prophetas, siue prophetis superiorem Ioannẽ Baptistam, dum studet electos suos à tyrannide diaboli liberare, nullo non genere insidiarum fuit impetitus: primum arte dum tentatur in deserto, quod idem in Dauid molitus est Saul, sub prætextu affinitatis obijciens illum periculis, non ut uinceret, sed ut periret. Saul habuit seruos suos furiosæ crudelitatis ministros, & diabolus per Scribas & Pharisæos, per impios Iudæos ueluti per organa sua, quid non machinatus est in Christum? primum inferens in pectus illorum occultam inuidiam, quæ mox erupit in obtrectationem. Non est hic à deo qui non custodit sabbatum, Nos scimus quod Christus manet in æternum: &, Si hic esset propheta, sciret quæ & qualis sit mulier quæ tangit ipsum: &, uini potator est, cum publicanis & peccatoribus agitans conuiuia. Hoc hulcus incrudescens erupit in manifesta conuitia, Samaritanus es et dæmoniũ habes, præsidio Beelzebub eijcit dæmonia. A conuicijs uentum est ad lapides, & ad præcipitium. Tandem spiritus domini malus inuasit scribas, pharisæos & sacerdotes primum, mox seniores, principes, denique uniuersum populum, ut uno ore clamarent omnes, tolle tolle, crucifige eum. Quoties autem suauissimus ille citharœdus omnes modulos incinuit, omnes cœlestis musicæ chordas mouit, ut furorem hunc ex animis Iudæorum eximeret, aut certe mitigaret, nunc blandissime inuitans ad salutem, nunc adhortans ad pœnitentiam, nunc promittens æternam felicitatem, nunc reuincens illos testimonijs, nunc increpans ac minitans uæ, nisi resipiscerent? Nihil profecit, semper in peius creuit ira Saulis. Inuidiam conceperat ex benefactis Dauid, urebat uox illa canentium, percussit Saul mille, Dauid autem decem

1. Pet. 3

Act. 2

Roman. 2

decem milia. Vrebat uox puerorum, Benedictus qui uenit in nomine domini rex Israel, osanna in excelsis. Ac frequenter conspectis miraculis populus magnificabat deũ, dicẽs: Luc.7
Propheta magnus surrexit in nobis, et uisitauit dominus plebẽ suã. Hæc cantio spargebatur de Christo per uniuersam Iudæã, insuper & per regiones Iudææ finitimas. De Pharisæis nihil simile canebatur, quia nihil simile faciebant. Hinc agitabat illos spiritus Saulis, nec audiebant uocem incantantis sapienter, sed cũ Saule dicebãt, Quid superest ei nisi regnũ, nobis in ordinem coactis? Quid facias illi morbo, qui remedijs admotis increscit? Quid facias illi uulneri, quod malagmatis exasperatur? Pellebat dæmones, mundabat leprosos, aperuit oculos cæcis, erigebat cõtractos, sanabat ægrotos, excitabat mortuos, docebat, pascebat, hortabatur, pollicebatur. Quo plus in illos beneficiorum cõtulit, hoc magis exacerbabatur illorum odium in benemerẽtem. Multa, inquit, bona opera ostendi uobis, propter quod horum lapidatis me? Saul obijciebat Dauid quod esset hostis, quod affectaret regnum. Quid Pharisæi Christo? quod abrogaret legẽ, quod seduceret populum, quod loqueretur blasphemias. Tot annorum milibus diabolus sęuierat in homines pios, exorsus ab Abel, imò sæuiebat in Christum per membra Christi, operãs per organa sua, donec ueniret ipse Christus, immutans uultum suum coram Achis, quanquam & coram Abimelech mutauit uocem suam, dissimulans fugam ac simulans legationem, aliud agens, aliud præ se ferens. In Dauid mendaciũ esse uidetur, quum sit dispensatio: in Christo nihil est affine mendacio. Totum est consilij diuini quod agitur, Quædam cœlauit dominus, quædã simulauit, quædam ita loquutus est, ut sciret tum tẽporis non intelligenda: sed nihil horum non conducebat ad salutem nostram, nec erat illa uanitas fallens, sed charitas sese ad nostram imbecillitatem demittens. A sacerdote pastus est, sed panibus sacris, præludens ad cęremoniarũ legalium abrogationẽ: à sacerdote armatus est, ut ipsa lege cõuinceret, legis sedulos quidẽ professores, sed malos interpretes. Hic est gladius quẽ strinxit in Pharisæos falsa legis scientia turgidos et eodem illos iugulauit, à quibus acceperat. Christus cuius filius est? Quærit gladium, illi porrigunt dicentes, Dauid. Armatus est noster Dauid. Quomodo iugulat? Quomodo ergo, inquit, Dauid loquens in spiritu uocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis? Hoc gladio iugulati obmutuerũt, quia nõ intelligebãt Christũ iuxta corpus assumptũ esse filiũ Dauid, iuxta diuinã naturã esse dominũ Dauid. Rursum calumniantibus Pharisæis, quod discipuli per segetem iter facientes sabbato uellerent spicas, dominus ex hoc ipso loco petit gladiũ. Non legistis quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit & esurijt, quomodo comedit panes propositionis, quibus uesci fas non erat, nisi solis sacerdotibus? Quid hic responderunt pharisæi? Verbum non audimus, sed suo gladio iugulati obticuerũt. Non ausi sunt negare factum, quod refertur in libris quorũ etiã apud illos erat sacrosancta auctoritas, non ausi sunt damnare factũ, ne læderẽt maiestatẽ Dauidici nominis, de quo præcipue gloriabãtur. Sed audi uulnus letale, Sabbatum propter hominẽ factum est, & non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis etiam sabbati. Quoties in Euangelio legimus, & nõ poterant respondere ei, toties Dauid noster strinxit gladium in superbum Goliath. Rogatus quod est maximum mãdatum in lege, ait: Quomodo legis? Respondit Pharisæus, Diliges dominum deũ tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis uiribus tuis, & proximum sicut teipsum. Porrexit Abimelech gladium, eum strinxit in iugulum Pharisæi, Hoc fac & uiues. Pharisæus enim plenus odij, inuidiæ, gloriæ & auaritiæ, fidebat ieiunijs, prolixis precibus, latis phylacterijs, lotionibus manuum & poculorũ, id quod erat omniũ caput negligẽs. Achimelech, sic enim habent quidã codices, interpretatur frater meus rex. Lex quodãmodo duabus cõstat partibus, litera ceu carne, mystico sensu uelut anima. Hi duo sensus quasi fratres sunt, amãt iungi, nolunt distrahi. Iudæi tamen distrahere conati sunt, qui litera pugnant aduersus spiritum. Ita fratres fuerunt Ismahel & Isaac. Sed natu maior Ismael, quia iuxta Paulum prius est nõ quod spirituale, 1.Cor.15
sed quod animale, & prius est lac solido cibo. Christus ergo spiritualis doctrinæ princeps gladium accepit à fratre, quo iugulet superbos Rabinos literę fiducia supercilios os, cui è manibus illorum extortæ, si addatur spiritus, fit sermo dei uiuus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoq; ac medullarum, discretor cogitationum & intentionum cordis. Eoq; Paulus non Heb.4

improbat loqui linguis, sed si adsit propheta, hoc est spiritualis interpres. Nunc uide fra-
trũ horũ discrimẽ. Si uniuersa ecclesia cõueniat in unum, et omnes loquantur linguis, in- 1. Cor. 14
trent autẽ idiotæ aut infideles, nónne dicent uos insanire? Talis est ille frater natus ex an-
cilla. Sed si prophetent, inquit, omnes, intret autem infidelis aut idiota, conuincitur ab
omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadẽs
in faciẽ adorabit deũ, pronunciãs quod uere deus in uobis sit. Quin & famelicus est Abi-
melech, non habet nisi panes aliquot, paucis alendis paratos: At Christus diues paterfa-
miliâs profert de thesauro suo noua & uetera, & ad suum opulentũ conuiuium conuocat
uniuersum hominum genus, etiam debiles, cæcos & claudos, non tantum Iudæos uelut
initiatos. Tanta autẽ erat apud Iudæos istiusmodi panum religio, ut citius passuri fuerint
hominẽ laicum perire fame, q̃ de sacris panibus quic̃q̃ impartirent. Quin & hodie Iudęi
negant Dauid panes illos edisse, quoniam hoc in historia non est expressum, tantum legi-
tur, quod Abimelech dederit Dauid panem sanctificatum. Credunt Iudæi, Dauidem ad-
ulterium iunxisse homicidio, & non credunt illum in periculo uitæ gustasse panes sacros.
Hi sunt nimirum qui quum bouem in foueam delapsum extrahãt die sabbato, pro impio
facinore obijciunt domino, quod homines sanaret sabbato, non pharmacis sed uerbo: po-
stremo quos religio deterruit ne ingrederentur prætorium, quo puri comederent phase,
eos non deterruit religio, ne uirum innocentẽ, sanctum, ac benemeritum adigerent ad cru-
cem. Abimelech dedisse legitur, sed ubi legitur recusasse Dauid? Et si accepit esuriẽs, quur
non comedit? Abstinuit religione. Quur igitur petijt? Quur excusauit uasa, atq; etiam ui-
am? Quid his obsecro nænijs frigidius? Et huius generis ferè sunt, quibus se uendítant Iu-
dæorum Rabini, quorum utinam inter Christianos nulli sint similes. Iam si tantopere ur-
gent literam, Dauid non accepit nisi unum panẽ sanctificatum, At in Euangelio Matthęi,
Marci & Lucę legimus, quod acceperit panes propositionis, quod ederit dederitq̃ comi-
tibus suis. Nec adeo magni refert ad sensum mysticum, utrum nomen sacerdotis sit Achi-
melech, an Abimelech, quemadmodum legunt Græci, modo illud conueniat, quẽadmo-
dum Ioannes Baptista legis abrogãdæ typum gesserit, ita Abimelech Mosaicæ legis iuxta
crassiorem partem figuram exhibere. Abimelech autẽ Hebræis sonat pater meus rex. Ni-
mirum ista populi Iudaici uox est, sine fine gloriantis se patrem habere deum & regẽ. De
patre deo gloriantes usurpant illud psaltæ, Ego dixi dij estis & filij excelsi omnes. Regis
autem est dare legem. Et de hac uelut à deo data sese iactitant. Sed non intelligunt finem,
id est perfectionẽ legis esse Christum ad salutẽ omni credenti. Itaq; lex sine Christo mors
est, imò lex non est, quia lex, ut ait Paulus, spiritualis est. Vides q̃ insuauis res sit litera, si
quis illi tantum assideat. Hoc uno in loco quantum nobis exhibet negotij? Liber Regum
nomen sacerdotis ponit Achimelech, siue ut legendum arbitror Abimelech, pro quo
Marcus ponit Abiathar. Nam Matthæus & Lucas nomẽ sacerdotis nõ exprimunt. Rur-
sus regem Geth liber Regum appellat Achis, titulus Psalmi uocat Abimelech, quum ta-
men indubitatum sit ad eum locum pertinere psalmũ, quũ nõ reperiatur euidentius alibi
Dauid coram ullo rege mutasse uultum, ac dimissus abisse. Iam quãta est inter Septuagin-
ta interpretes & Hieronymum lectionis uarietas? Septuaginta sic reddiderũt. Et mutauit
uultum suum coram eo, & simulauit in die illo, & tympanizabat ad portã ciuitatis, & sali-
uæ eius defluebant in barbam eius, & ferebatur in manibus eius, & concidit ad portas ci-
uitatis. Hieronymus ita transtulit, Et mutauit os suum coram Achis, et collabebatur inter
manus eorum, & impingebat in ostia, portę, &c. Rursum ab utrisq; uide quantũ dissonet
Augustinus. Sic enim legit: affectabat & tympanizabat ad ostia ciuitatis & ferebatur in
manibus suis, & procidebat ad ostia portæ, et saliuæ decurrebant super barbã eius. Quod
Græci legũt προσεποιήσατο, aliquis forte uerterat, affectabat: quisquis enim simulat, affe-
ctat uideri quod non est. Simulabat enim insaniã, quum sanę mẽtis esset. At diuus Augu-
stinus hic interpretatur, affectabat, id est, affectum habebat erga genus humanum. Quod
interpretatur, de Christo uerissimũ est, sed eum sensum huius loci uerba nõ exprimunt:
nec apud ullum autorẽ legere memini, affectare positũ pro affectũ esse. Certe προσποιέω
non potest nisi ad simulationem referri. Iam quod Hieronymus uertit, & collabebatur in-
ter manus eorum, Græci legũt, καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, Et ferebatur in manibus
suis. Quod ipsum rursus ambigue dictum est. Potest enim pronomẽ reciprocũ pertinere
ad Dauid

ad Dauid, potest & ad Achis regem, quasi inter manus illius temere ac furentium more ferretur, quod Hieronymus uertit collabi. Diuus Augustinus sic accipit, quasi Dauid se ipsum ferret manibus suis, & hoc potest habere sensum aliquem. Sic enim solent furiosi, quoniam suum corpus pedibus sustinere nesciunt, huc et illuc prolabentes manibus se sustinere, quod idem faciūt temulenti uacillantes, nonnunq; & in terrā procidētes. Verum an hæc uerba accommodentur ad Christum, qui panem consecratum tenens manu, dixit discipulis, hoc est corpus meum, non satis perspicio. Neq; enim huic sensui affinis est Hebraica ueritas, quā Hieronymus nobis expressit: neq; uerbū quo sunt usi septuaginta, sensum eum patitur. Nam παραφέρεσθαι dicitur nō is qui quocunq; modo portatur, sed qui impetu ac temere fertur, quò nō oportet. Item quod Hieronymus reddidit, impingebat in ostia portæ, Græci legunt, ἐτυμπάνιζεν, hoc est, magno sonitu impellebat ostia. Verum an hic quadret allegoria de corpore Christi, quod in cruce distentū mirū ędidit sonitum, alijs expendendum relinquo. Ad hæc Græci bis ponūt ad ostia ciuitatis, quum Hieronymus ciuitatis nullam faciat mentionem, semel tantum habet ad ostia portæ. Et cōgruentius uidentur intelligi fores palatij regij. Nam mox sequitur, ne ingrediatur domū meā, nisi libet accipere regiam domum portę ciuitatis fuisse proximā. Quod sanè non uidetur dictu absurdum, solent enim principum arces, aliquā urbis portā cōplecti, et in portis urbiū apud Iudæos exercebantur iudicia, quod proprium regum munus. Huic opinioni suffragatur, quod Absalon aspirās ad regnum mane in porta præbebat se cognitorem causarum. Item illud psalmi, Non confundetur quum loquetur inimicis suis in porta. Nec abhorret hinc quod ex Hebræorum ut suspicor commentarijs adfert is, qui diui Hieronymi commentarium in psalmos inexpiabili sacrilegio cōtaminauit, Dauid in porta ciuitatis agnitum à ministris regis, à quibus quum timeret occidi, cōfugisse ad palatiū regium. Ex his liquet in his quæ uertūt septuaginta, quæq; reddidit Hieronymus, quæq; ex uetere æditione legit Augustinus, in uerbis duntaxat esse dissonantiam, in sententia concordiam, licet prima specie uideatur & hic esse discrepantia. Et ecce tibi alteram salebram, quæ remoretur cursum nostrum. Liber Regum narrat Dauid ad Abimelech uenisse solum, quum Euangeliū narret ipsum cum famulis comedisse de sacris panibus. Rursus quomodo comederunt de panibus, quum Abimelech non dederit nisi panem? Hoc prius quidam sic expediunt, ut dicant illum non prorsus uenisse solum, sed absq; solito comitatu, ueluti qui cō sueuit ambulare comitatus quinquaginta famulis, si ueniat duob. tantū comitatus, solus uenire dicetur. Potest autem fieri ut Dauid uere de panibus cōmunicarit pueris alicubi latentibus, ne per illos agnosceretur. Iam donemus Dauid uenisse prorsus incomitatū, mihi non uidetur periclitari fides Euangelica. Illic enim disputatur quid liceat, nō quot fuerint uescētes sacris panibus. Sacerdos credebat Dauid alicubi collocatos habere famulos, qui uellet impartiri panes sacros: assensus est, ac tradidit. Quod igitur ad sacerdotis permissum attinet, comederāt et pueri. Nulla uero scriptura significat in hoc reprehensum esse Abimelech. Siue igitur comederūt pueri Dauid, siue solus ipse comedit, ęque ualet exemplū ad coarguendos Iudæos calumniātes. Puerorum autem ideo fit mentio, quoniam Dauid erat propheta, æquandus dignitati sacerdotum. Itaq; poterant obijcere Pharisæi, Quid tuos discipulos confers cum Dauid, qui non erat omnino laicus, ut tui sunt? Certe cum pueris Dauid mere laicis conferri poterant. Et illis concessum est in fame quod manifeste prohibet lex: uos in meis calūniamini, quod concedit lex, excepta sabbati calūnia. De pane & panibus facile soluitur nodus. In libro Regū panis nō indiuiduū, sed speciem significat, qua distinguitur ab alijs edulijs: In Euangelio secus accipitur. Si quis uerbi causa dicat, hoc triduo nihil comedi nisi panem, uere dicit, etiamsi decē panes interim edisset, modo ne aliud edulij genus. De nominibus uidetur esse nodus explicatu difficilior, Marcus nominat Abiathar, liber Regum Abimelech: atq; hic idem tertium habet nomen ei, usdē libri cap. 14. dictus Achias. Hoc, ne cui dubiū sit, additur patris, patrui, aui & proaui nomē. Et Achias filius est Achitob, fratris Ichabod, filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote. Item multum interest inter Abimelech & Achis, ut non queat prætexi, uocū affinitatem dedisse locū errori. Inter Achiam & Achim multa similitudo est, quum ille sit sacerdos, hic rex. Quanquam in Regnorū libris postea Dauid legitur cōfugisse ad Achis regem Getheorum, & sub illius uexillis pugnasse aduersus Saulem. Id quoniam uide-

1. Reg. 15

tur absurdum,ut quem paulo ante tantopere metuerit,mox belli socius esse uoluerit. Hebræi dicunt hunc Achis superioris esse filium,dictū autē filiū Maoch nō Achis,quod pater illius Dauid abiecerit,eoq; suppressum patris cognomen,& matris additum, quæ dicebatur Macha. Huiusmodi rerū ac uerborum uarietas, quoties incidit in claris quidem, sed tamen prophanis rerum scriptoribus,accidit autē frequēter, fatemur aut obliuione factum,aut insciția,aut alio quopiā casu. Neq; raro fit,ut inter uaria narrantes nemo sit qui dicat uerum. Quid mirū,quum ne illic quidem ubi maxime consentiunt,semper uera narrent? Absit autem ab animis Christianorum, ut si quando in sacris libris similis occurrat species, suspicentur obliuionem aut errorem prophetę. Titus Liuius, Thucydides, Herodotus, Plutarchus, cæteriq; huius generis, docti, facundi, diligētesq; fuerunt, sed quoniam nihil aliud erant q̄ homines, subinde falluntur & fallunt. At cœlestis ille spiritus, cuius afflatu proditæ sunt sacræ literæ, nec labi potest, nec fallere nouit. Huic fundamento innixi, si qua species occurrat, quę remoratur intellectum nostrum, postea q̄ exploratum habuerimus nihil esse commissum incuria librariorum, existimabimus uerborum dissonantia nostram oscitātiam excitari, ac specie absurditatis nos admoneri, ut latens ibi mysterium scrutemur. Quod si nō assequimur, agnoscamus uel tarditatem uel indignitatē nostram, non criminemur scripturam, cōsulamus eruditiores, ipsi; pulsemus dominū, ut nobis thesaurum abditum aperire dignetur. Proinde hoc loco quoniam uidemus mutata nomina, quoniam constat non esse librariorum errore cōmissum, persuasum habeamus ipsam mutationem non uacare mysterio. Primum extra controuersiam est, hunc sacerdotē fuisse bi nominem, cap. 21. dicitur Abimelech, cap. eiusdē libri 14. dicitur Achias, siue ut alij pronunciant Aias. Quid aūt uetat eundem esse trinominem, quales aliquot habent diuinæ literæ. Sunt qui alia ratione difficultatem explicant. Regum liber Abimelech appellat simpliciter sacerdotem, Marcus autem appellat Abiathar sacerdotum principem, atq; hunc putant illius esse filium, Potest autem fieri, ut filius tunc primas tenuerit, & quod gestum est communi consilio ab ambobus gestum sit. Iam non temere est, quod Matthæus & Lucas nomen supprimunt, Marcus exprimit, sed aliud quàm habet Regum liber. Sacerdos autoritatis nomē, & hic quærebatur autoritas: & fortasse nomē expressum apud aliquot minuisset sacerdotis autoritatem, ac præbuisset ansam calumnię. Deniq; ut probabile est, nomen Abiathar & notius & gratiosius erat apud Iudæos, quod is solus è cæde sacerdotum elapsus, adiunxerit se comitatui Dauid, socius omnium periculorum. Nam cap. 22, legimus eū qui se iunxit Dauid fuisse filiū Abimelech, an idem fuerit Abiathar, quem Marcus appellat summū sacerdotē, non admodū liquet, certe dissimile ueri non est. Marcus igitur facto prætexens autoritatē expressit nomen gratiosius, & addidit summi sacerdotis titulum, ne Iudæi dicerent, quid nostra refert, quid fecerit hic aut ille? Quid autē sonat Abimelech? patris mei regnum. Audis typum Iudæi literæ regnū asserentis, & omnes à libertate spiritus ad literæ seruitutem pertrahere conantis. Quid Abiathar? pater meus ros. Agnoscis populum spiritum legis amplectentē, cui ros de cœlo uenies nouo cibo recreat animos credentium. Abimelech occiditur, litera cum cęremonijs abrogatur. Abiathar recipitur in consortium Dauid. Vbi nunc Iudæorum templum? Vbi sacerdotium? Vbi ritus? Deleta sunt omnia, solus Abiathar seruatus est, qui se per fidem adglutinauit Dauid manu forti. Alitera tamen Christus accepit panes & gladium, sed panes fregit & benedixit, ut fierent cibus spiritualis: gladium strinxit in arrogantes, scripturarū testimonijs eos reuincēs, atq; ipsum etiā tentatorē iugulans. Lege Euangelium, & inuenies Christū satanæ scripturarū testimonijs insidiāti, nihil respondere nisi per scripturas. Scriptum est, non tentabis dominum deum tuum. Scriptum est, Non in solo pane uiuit homo. Scriptum est, dominum deum tuum adorabis & ipsi soli seruies. Verum huius mysterij tractatione, quoniam ad id quod agimus proprie non pertinet, non morabor diutius pietatem uestrā, ad illa properans, quæ huius argumenti sunt peculiaria. Achis est in libro Regnorum, Abimelech in titulo. Varietas hæc non est erroris, sed mysterij. Nihil absurdi sit si quod à doctis iuxta ac pijs hominibus dictum est, credamus hunc regem Geth fuisse binominem: sed hanc quæstionem prisci scripturarum enarratores, quorum & diuus Basilius admodū probabiliter expedierunt. Putant Achis fuisse nomē ei regi proprium, Abimelech quasi prænomē multis cōmune. Quēadmodum apud Romanos Iulius proprij nomen

nomen est C. Cæsaris, at Cæsaris appellatio post dimanauit ad omnes illius successores. Sic & Augusti cognomen factum est omnium cõmune. Itidem & Claudij, Neronis, Vespasiani, Pij, Antonini, multorũ fuerũt cõmunia. Similiter apud Aegyptios multos Pharaones ac Ptolemæos legimus. Siquidẽ Abrahã rèpperit in Aegypto Pharaonẽ regem, dein Ioseph sub Pharaone fuit. Rursus post quartam generationẽ Pharao regnauit tempore Mosi. Ac multis post seculis Solomõ Pharaonis regis Aegypti filiã duxit uxorem, ut narrat Regnorum liber 3. cap. 3. Sic plerique reges Geth dicti sunt Abimelech, licet huic proprium nomen fuerit Achis. Nam Geneseos 20. legimus Abimelech regem Arare, temporibus Abrahæ. Itẽ capite 26 eiusdẽ gentis rex memoratur Abimelech quum illic peregrinaretur Isaac patre mortuo. Tametsi nusq̃, quod equidẽ sciam, legitur hic Achis Getheorũ rex dictus Abimelech, nisi quod adfertur à priscis doctoribus, quibus uisum est psalmi titulum cõgruentius accõmodari ad Getheos, apud quos Dauid simulauit insaniam, quamuis fateantur eum ad utranq̃ historiam pertinere. Apud utrunq̃ mutauit faciem suam Dauid, apud Abimelech sacerdotẽ dissimulans metum, & simulans acceleranda negotium regis. Apud Achis dissimulans sanam mentem, præ se ferens insaniã. Et hoc est mutare uultum, quemadmodum qui spem uultu simulat, premit altum corde dolorem, utiq̃ mutauit uultum. Quin et de domino legimus, erat facies eius uadẽs Hierosolymam. Mutauit uultum quum Magdalenæ uideretur hortulanus, quum discipulis eun- Lucæ 9
tibus Emauntem uideretur hospes uiator. Habemus causam mutati nominis, superest ut inquiramus mysterium. Quid sonat Abimelech? Pater meus rex. Quid Achis? quomodo est. Abimelech igitur nomẽ est de generis nobilitate gloriantis. Achis nomen est mirantis ac diffidẽtis. Iam si dominus aperuit oculos uestros, si aperuit aures uestras, nimirũ uidetis incredulum synagogæ populum, sine fine gloriantẽ, quod patrem habeat deum, quod cæteris gentibus idola colentibus, solus unũ deum agnoscat: auditis iactantes, Nos Abrahæ filij sumus, nec unquã seruiuimus ulli: sed omnia falso. Neq̃ enim deum patrem nouit, qui filium illius non agnoscit, & impudenter se iactant colere deũ, qui factis deum abnegant, eoq̃ audiunt à Christo: Vos ex patre diabolo estis. Et absurde se gloriãtur esse filios Abrahæ, qui fidem Abrahæ nolunt imitari. Mentiuntur deniq̃ quum dicunt, nemini seruiuimus unquam, qui literæ, qui uitijs omnibus, qui diabolo seruiebant. Agnoscit opinor charitas uestra quis sit Abimelech, apud quem Dauid noster mutauit os suũ. Sed idem Abimelech fit Achis, quum audiẽs cœlestẽ Christi doctrinam, quum uidens mira cula, mirans, calumnians ac diffidẽs dicit: Quomodo est? Homo carnalis, quoniam non 1. Cor. 2
percipit ea quæ spiritualiter iudicantur, nunquam non dicit: Quomodo est? Sic Nicodemus, quomodo potest homo nasci denuo quum sit senex? Eadem tamen uox esse poterit discere cupientis. Sic illa sanctissima uirgo loquitur angelo: Quomodo fiet istud? Et apostoli dicunt, domine edissere nobis parabolã. Hac specie pharisæi frequenter adorti sunt dominum, sed insidiantes, non discendi auidi: Licet dare censum Cæsari an non? Quod est magnũ mandatum in lege? Quid boni faciẽs uitam æternam possidebo? Quomodo didicit literas? Quomodo dicit patrem suũ deum, quũ sit fabri filius & Mariæ, & fratres eius apud nos sunt? Quomodo hic potest esse Christus, quũ se dicat moriturum? Quomodo facit miracula, quum sit homo peccator, uiolãs sabbatum? Quomodo hic dicitur messias, quum sit Nazarenus, & Christus nobis promittatur ex Bethleẽ? Viuit adhuc Abimelech & Achis in nostrorum temporum Iudæis, quos ita loquentes audimus: Quomodo lex abrogata est, quũ deus promiserit nobis testamẽtum sempiternum? Quomodo Christus potuit nasci de uirgine? Quomodo potest credi Messias, quum non liberarit populũ suum? Quomodo potuit esse deus, qui crucifixus mortuus ac sepultus est? Quomodo poterit reuiuiscere semel extinctus? O infelices Getheos, opprimẽtes gratiã Euangelicam, ac miseranda oppressos seruitute, non tantum externa, leuis est illa calamitas, sed animorum. Vtinam dominus aliquãdo dignetur illis innouare cor, ut ex Getheis quod dici nolunt, quum esse gaudeant, fiant Iudæi, quod dici gaudẽt, quum nihil sint minus. Iudæus cõfitentis nomen est. Quid hoc ad illos, qui & ore, & corde, & factis Christũ abnegant? nec abnegant tantum, sed blasphemijs incessunt nomen illud angelicis etiã protestatibus tremendum & adorandum. Ad hunc populum inaniter glorioſum iuxta nomẽ Abimelech, & incredulũ iuxta uocabulum Achis, uenit Dauid noster. Frustra enim

tot prophetas ad illos miserat, quos crudeliter interfecerũt. Quid faceret? Venit ipse, sed immutauit uultum suum. Non apud patrem, manſit enim uerbũ deus apud deum in ea claritate quam habuit antequam mundus nasceretur, sed apud Achis mutauit uultum, assumpta forma serui, & habitu repertus ut homo, cœlauit illam faciem, quæ est imago dei inuisibilis, & splendor gloriæ eius, & assumpto corpore humano uenit quasi personatus. Absit inuidia uerbo: sic enim expediebat his quibus remediandis uenerat. Quomodo enim ferrent glorioſam illam faciem qua patri simillimus est, qui non poterant intueri faciem Mosi, quæ lucis nõnihil ex colloquio dei contraxerat? Moses faciẽ suam texit uelo, Christus diuinam naturam uelauit mortali corpore. Quæ potest esse maior uultus mutatio, quam quod uerbum caro factum est, quod qui ab æterno est in sinu patris, condens, seruans & gubernãs uniuersa, uagijt infans in sinu matris? Esurijt, sitijt, defatigatus est, doluit, lachrymatus est: parum est quod dixi, captus est, ligatus est, damnatus est, flagellatus est, cæsus est, cõsputus est, pro sceleroso inter scelerosos crucifixus est, postremo mortuus ac sepultus est. Angeli quorum unica felicitas est intueri uultum filij dei in cœlis, an non merito hic dicere poterant: Hei mihi qualis erat, quantũ mutatus ab illo, qui suo aspectu beat uniuersas mẽteis æthereas? Ad cuius lucem sol hic mera caligo est, ad cuius pulchritudinem deforme est quicquid hic mũdus habet delectabile. Non debet offendi pietas uestra, si de rebus ineffabilibus utcunq; balbutimus uerbis hominum. Dauid simulauit furiosum: In Christo nulla fuit simulatio naturæ, cœlauit ad tempus diuinã naturam, non deposuit: assumpsit humanam, non simulauit. In hoc uno uideri poterat simulatio, quod gessit personam nocentis, quum esset iustificator omniũ. Non tamẽ hic fucus erat, nam caput & corpus idem sunt. Iuxta hunc sensum Christus quodãmodo peccator erat, qui corporis sui peccata in se recepit. Alioqui non competebant in eum uerba, quæ recitauit in cruce. Lõge à salute mea uerba delictorũ meorum. Si uere debitor fit qui alienum debitum in se recipit, quodammodo peccator fit, qui peccata omnium in se transfert. Transferre enim uidetur, qui pro eis depẽdit pœnas. Hunc Dauid nostrum sic immutato uultu sanctus Esaias non uidit oculis corporeis, sed oculis propheticis cõtemplabatur, quum diceret. Non
53 est species ei neq; decor, & uidimus eum & nõ erat aspectus, & desiderauimus eum despectum, nouissimum uirorum. Virum dolorum & scientem infirmitatẽ, & quasi abscondi tus uultus eius, & despectus, unde nec reputauimus eum: uerũ languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à deo et humiliatũ. Hactenus depinxit speciẽ nocẽtis ac damnati. Sed quid sequitur? Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatẽ omnium nostrum. An non uehementer mutarat uultũ suum, quum in psalmo mystico loquitur: Ego sum uermis & non homo, opprobrium hominũ & abiectio plebis? Videtis dilectissimi quanta mysteriorum maiestas latebat in illo historiæ Sileno. Non magnum erat quod fecit Dauid, sed ipsis etiam angelis admirabile spectaculum est, quod nobis illa figurat historia. Bene habet, reliquimus Dauid, & uenimus ad Christum, discessimus à litera occidente, & inuenimus spiritum uiuificantẽ. Studeamus amare quod intelligimus, nitamur imitari quod propositum est spectaculum. Hic uideo quosdam pios & ingenioſos homines, illud conatos, ut singulas historiæ partes ad Christũ accõmodent, id quod superius attigimus. Atqui istuc mea sententia nihil necesse est. Nam in historia propter rerum cõtextum multa interijciuntur, quæ non habent allegoriam. Satis est ea decerpere, quæ expressius reddunt typum ueritatis. Quanquam non improbandum est illorum religioſum studium, qui in contemplatione tam frugifera uersari gaudent. Vt nihil aliud, dum hoc agunt certe pijs cogitationibus occupatur animus. Alijs igitur excutiẽdum relinquo, quid sit affectare, quid tympanizare, quid procidere ad ostia portæ, quid collabi inter manus, aut quid ferri manibus suis, quid saliua in barbam defluẽs. Illud non arbitror negligendũ quomodo cõgruat in Christum, quod Dauid simulauit dementiã, aut morbum comitialem, ut elaberetur. Horrent enim aures piæ, si quis Christo tribuat furorem aut amẽtiam, & tamẽ psalmi titulus hoc propemodum habet, mutauit uultum suum. Vix ferunt simulationis uocabulum, mendacij nullo pacto. Nec mirum si has uoces Christianorum aures

horren

horrent in Christo, quum Iudæi non ferant eas tribui Dauidi. Dementiæ simulationem hoc colore excusant, ut dicant tum temporis in eum irruisse spiritum domini. Quãdoquidem olim quos spiritus prophetiæ corripuisset, nonnullam amentiæ speciem præ se ferebant. Sic & Saul correptus à spiritu prophetabat, & alibi cum prophetis saltat nudus. Et 3. Reg. 20 quod propheta minatur mortem ei qui iussus ipsum uulnerare recusauit, & ab alio uulneratus, os & oculos aspersit puluere, ne agnosceretur à rege, non multum abest à furore, nisi per spiritus energiam excusaretur. Ethnici furorem tribuunt uatibus, quam malumus ecstasin dicere. Quoties enim diuina uis agitat mortale organum, sobrijs uidetur dementiæ species. Sic & à mendacio potest excusari Dauid, si modo concedas esse uerum, quod pueros alicubi in latebris reliquerit. Nam quod ait se negotiũ regis agere, sic accipi potest, ut intelligamus regem ea mandasse Dauid ad quæ compulit. Qui enim alteri minatur exitium, quodãmodo mandat illi, ut saluti suę consulat: certe ut nulli pio mentiri phas est, ita dicto factóue fallere licet eum qui falli dignus est, uel cui falli expedit. Falli dignus erat Achis, Abimelech expediebat falli, ut haberet apud Saulem iustam excusationẽ ignorantiæ. Quæ si nihil profuit, consilium non iudicatur ex euentu. Verum utcũque hæc habent iuxta historiam, nos ad res mysticas adhibeamus aures mysticas, & nihil est offendiculi. Non recedamus à uestigijs apostolorum. Beatus Paulus ita scribit Corinthijs: Quia in dei sapiẽtia non cognouit mũdus per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Si deus mansisset in sua sapientia, nulla mortalium sapientia quantumuis sublimis potuisset ad dei cognitionem pertingere. Descendit igitur deus ab illa sua incomprehensibili sapientia, secq; ad nostram stultitiam quodammodo demisit, ut nostram tarditatẽ, crassioribus rudimentis paulatim eueheret ad ueram sapientiam. Sic parentes balbutiunt cum infantulis suis, sic eruditissimi uiri semet ad rudium puerorum captum attemperant: quod ni facerent, sine fructu manerent discipuli. Subijcit apostolus, Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Vides in Christo nihil decessisse perfectæ sapientiæ, uerum exhibitam hominibus quandam stultitiæ speciem, sed sub qua lateat admirabilis sapientia, si fides adferat animo docilitatem. Addit Apostolus: Iisdem autem uocatis, tum Iudæis, tum Græcis Christum dei uirtutem, & dei sapientiam: quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est dei, fortius est hominibus. Non ergo corã quibuslibet Dauid mutauit faciem suam, sed duntaxat coram Abimelech, hoc est, coram Iudæis, qui aures habebãt nec audiebant, oculos habebant nec uidebant, cor habebant sed incrassatum, ut nihil intelligerent, nisi quod externis sensibus perciperetur. Quum audimus quod cognati ipsius parartũt cathenas ut alligarent eum, dicentes: In furorem uersus est, quum pharisæi dicunt: Samaritanus es & dæmoniũ habes. & Beelzebub habet, & in Beelzebub eijcit dæmonia, nónne uidemur audire Abimelech dicentẽ: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis illum ad me? An desunt nobis furiosi, quia introduxistis istum, ut fureret me pręsente? Dimittite illum, ne ingrediatur domum meã. Nec hodie Iudæi Christum habent in synagoga aut in templo, quoniam eiecerunt illum. Et quũ in Nazareth docuisset in synagoga, Abimelechitæ eiecerunt illum extra ciuitatem, perduxerũt in supercilium montis ut inde darent illum præcipitem. Postremo extra Hierosolymam crucifixus et sepultus est. Offensus est Abimelech specie epileptici: sed multo grauius offensi sunt Iudæi noua doctrina Christi, Hoc est quod ait Paulus Iudæis scandalũ. Dominus non prædicauit gentibus, sed in Paulo doctrina illius uisa est gẽtibus stultitia. Quum Athenis prædicaret Euangeliũ, dicebant illi μωρόσοφοι, hoc est, uere stultã sapientiã huius mũdi profitentes, Stoici & Epicurei, Quid sibi uult hic spermologus, hoc est rabula? Videtur nouorum dæmoniorũ annũtiator esse. Stultum illis uidebatur mortuis promittere resurrectionem, stultius deum per hominem damnatum & crucifixum uelle seruare mũdum uniuersum. Docuerat illos humana sapientia, à priuatione non esse reditum ad habitũ, docuerat in habitu uirtutis sitã hominis felicitatẽ, docuerat eas naturas inter quas nulla est affinitas, nõ posse in unum redigi. Quosdam eadem docuerat nullos esse deos. Iam quum dominus apud Ioannem ita loquitur: Adhuc modicum tempus uobiscum sum, & uado ad eum qui me misit: Quæritis me & non inuenietis, & ubi ego sum, uos nõ potestis uenire, nónne dementẽ iudicabant, dicẽtes: Quó hic iturus est, quia non inueniemus eũ?

1. Cor. 1

Marci 3

Ioan. 7

Nunquid

Nunquid in dispersionem gentium iturus est, docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit: Quęretis me & non inuenietis, & ubi ego sum uos nō potestis uenire? Rursus quū aperiret dominus mysteriū de esu potuq; corporis & sanguinis sui, nónne uisus est ipsis etiam discipulis insanire? Durus est inquiunt, hic sermo. Quis potest audire eum? Et re uera his qui nihil intelligunt nisi secundū carnem, nihil hoc sermone dementius. Sed iux ta spiritum eadem uerba spiritus sunt & uita. Rursus quum dixisset, antequam Abrahā fieret, ego sum, uelut in furiosum ac dementem tollebant lapides. Etenim ignaris mysterij sermo nec consistit nec cohæret. Hac mutatione uultus dominus imposuit etiam satanæ, qui uerus est Abimelech, rex & pater incredulorum. Impegit in hominem, & deiectus est à deo latente in homine. Iam quod habetur in titulo, & dimisit eum & abijt, quidam ad hunc sensum pertrahunt, quod Christus offensus incredulitate Iudæorum, Euangelij gratiā transtulerit ad gentes. Atqui contextus historiæ magis declarat ab Achis siue Abimelech fuisse dimissum Dauid. Meo iudicio mollius uidetur, ut accipiamus, imbecillitatis obiecta specie factum esse, ut Iudæi permiserint Christum peragere redemptionis nostrę negotium. Christus aūt dimissus, ut nihil aliud q̄ homo, ut imbecillis, ut stultus, ut nocens abijt ad reliquas diuinæ legationis partes exequēdas, donec in cruce clamaret, cō summatum est. Id non licuisset, nisi corā illis mutasset uultū suum. Etenim ut Paulus ait: Si cognouissent, nunq̄ dominū gloriæ crucifixissent: & nisi satanæ fuisset impositū infirmitatis humanę specie, nunquam instigasset Iudęos ad immolandam uictimā, qua liberaretur, quos tot seculis captiuos tenuerat. Dimissus est ergo filius hominis, ut uaderet, sicut de illo scriptum fuerat. Vtinam autem inter Christianos nulli reperiantur Abimelech similes, similes Achis, quibus diuinæ literæ sint offendiculo, quibus doctrina Christi, multum discrepans ab huius mundi sapientia, uideatur dementiæ plena, quum audiunt, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Beati qui lugēt, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrā. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt, Diligite eos qui oderunt uos, benedicite male dicentibus, benefacite calumniantibus uos. Qui non tollit crucē suam non est me dignus. Qui non abnegat semetipsum, nō potest esse meus discipulus, Qui amat animam suam, perdet eam: qui perdiderit animam suam, inueniet eam: Qui reliquerit domum, agros, uxorem, liberos propter me, centuplum accipiet in hoc seculo, & uitam æternam in futuro. Ad ista cōniti, professionis est Christianæ: non semper assequi, imbecillitatis humanæ: deridere uero, paganicæ impietatis, aut Iudaicę incredulitatis, à quo malo oportet nos semel Christum professos quamlongissime abesse charissimi. Iam & illud animaduertat uestra uigilantia, in hac historia referri tres pastores. Nam Saul curabat asinas, ut habetur 1. Reg. 9. Doech Idumæus pascebat mulos, Dauid ab ouibus uocatus est ad regnū. Asina tardum animal est, libidinosum & ferendis oneribus natum. Nullum onus, peccatorum grauius sarcina. Hæc est enim mulier in cuius os immittitur talentum plumbi: & qui carnis uoluptatibusediti sunt, tardi sunt ad percipienda cœlestis philosophiæ dogmata, Mulus autem prę terquam quod magis etiam sarcinarum est patiens, sterilis est et calcitrosus, sic ex duobus generibus mixtum, ut sit neutrum. Hi sunt nimirum, qui professione sunt Christiani, uita & affectibus Ethnici, interim nec prorsus Ethnici nec Christiani, recalcitrantes gratiæ dei, diuitijs, cæterisq; cupiditatibus onusti, nullū pietatis fructum adferentes. De his loquitur psalmus 31. In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Mulus erat Saulus quum audiret, durum est tibi contra stimulum calcitrare. Iniectum est illi frenū, & ex mulo factus est agnus. Asinus erat Petrus, quū diceret domino, propitius sit tibi deus ne fiat istud. Dominus iniecit illi capistrū dicens: Non sapis ea quę dei sunt, uade post me satana. Accepit capistrū, & uersus est in arietē ouilli pecoris ducē. Nos charissimi sumus oues, & si non sumus, demus operā ut simus: fugiamus à crudeli tyrāno Saul, à patricida Doech, qui trucidauit sacerdotes, adhæreamus ouiū pastori Dauid nostro. Ouis non eget neq; capistro, neq; freno, neq; stimulis, sequitur agnitam uocē pastoris. Similiter et nos simpliciter obediamus doctrinę Christi, nihil dubitātes de illius promissis. Non fallet, nō destituet ouiculas ab ipso pēdentes. Et ad exemplum Dauid, mutemus uultū nostrum corā Abimelech, uideamur mūdo stulti, ut sapientes simus apud deum: uideamur amētes, ut deo simus sobrij. Simus imitatores beati Pauli, quēad-

modum

Ioan. 6

Matth. 5

Zach. 5

modum & ipse fuit Iesu Christi. Ille factus est omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret: & qualis Abimelech uisus est Dauid, talis ille est uisus Festo, à quo audit: Multę literę ô Paule te ad insaniā adduxerunt. Et apud Corinthios asserēs suam autoritatē, sumit personam insipientis, Insipiēs, inquit, factus sum, uos me coegistis. Et in eadem epistola, Siue mente excidimus deo, siue sobrij sumus uobis. Diutius commorati sumus in titulo, sed ut spero uos huius moræ non pœnitet: nunc per psalmi campum, quoniam planus est, expedite decurremus, Benedicam dominum omni tempore. Dauid simul ut effugerat summum uitæ periculū, quasi gaudio gestiens dicit. Quid dicit? Num murmurat tædio malorum? Num ita loquitur, quis tandē erit horum malorum finis? Mala succedunt malis, pericolum periculo excipitur: Olim patrē, amicos & cognatos reliqui, traditus sum inimicis, toties petitus sum à furioso rege, uix corpore declinaui ictū lanceæ, uix effugi manus illius: Missi sunt in domum meā carnifices, & ægre cōiugis indicio dolocq; seruatus sum, elapsus per fenestrā noctu: Rursus periclitatus sum in Naioth, & perierā nisi furor domini corripuisset Saulē: post fame periclitās apud Abimelech sacerdotē repperi Doech Idumæum: Rursus apud Achis uenerā in certum exitiū. Quando finietur hæc calamitatum cathena? Nihil tale audimus. Sed fortasse audimus uocē de sua calliditate gloriātis. Mea dexteritas elusit hastā insani regis, meum ingeniū imposuit sacerdoti, mea calliditas imposuit Achis regi. Ne tale quidem quicq;. Sed audimus male precantem hosti suo, minitantem, ac meditantē uindictā tam iniquæ tam crudelis persecutionis? Nihi horū? Quid igitur? Agit gratias deo, cuius præsidio liberatus sit à tot tantisq; periculis. Illi tribuit omnem gloriā, illi remittit omnem uindictam. [Benedicam dominum omni tēpore] Benedicendi uerbum hoc sensu apud Latinos autores inusitatū est, in sacris literis frequentissimum. Est autem & laudātis, & gratias agentis, & bene precantis, beneq; ominantis. Nec refert dandi casum addas an accusandi. Hic habes, benedicam dominum: & alibi legis in ecclesijs, benedicite domino. Siquidem Græci ut dicūt, benefacio tibi & benefacio te, ita dicunt, benedico tibi, & benedico te. Hoc Christiani minus in loquēdo curiosi sunt imitati. Id obiter admonere uisum propter grāmaticorum filios, ne quid illorū cogitatio nobis obstrepat hæc differentibus. Nimirū hoc peculiare signum est Christianæ mentis, in medijs affectionibus agere gratias, & pro malorum authoribus orare, ut resipiscant. Plures reperias qui ieiunent, qui largiantur pauperibus, qui frequēter orēt, qui sordida ti incedant: perpaucos qui in continua malorum serie gratias agant domino, qui non moliantur ultionem, qui ne maledictis quidem malefacta retalient. Hæc est certissima nota, qua mētem uere piam & Christianam agnoscas. Alia facile simulantur, hoc haud scio an quisquam diu simulare possit. Ostendit hanc notam dominus in Euāgelio, Beati estis quum maledixerint uobis homines, & persequuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos mentientes propter me, Gaudete & exultate. Vnde nos iubes in rebus afflictis gaudere? Quoniā merces uestra copiosa est in cœlis. Propter Christum persequutionem patitur, quisquis innocens ob benefacta affligitur. Ideo auditum est, mentientes. Nam qui suo merito male audit aut affligitur, huic satis est si patienter ferat quod commeruit, & uexatione doctus conuertat sese ad meliorem frugem. Similiter & Iacobus, Omne gaudium existimate fratres, quum in uarias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei uestræ patientiam operatur: patientia autem perfectum opus habet. In eandem sentētiam Paulus, Gloriamur in afflictionibus, scientes quod afflictio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio uero spem: spes autem non confundit. Idem ad Corinthios, Maledicimur ac benedicimus, persequutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus. Ad eosdem epistola posteriore, recensens catalogum afflictionum ac periculorum, quæ perpessus fuerat Euangelij gratia, testatur se super his gloriari malle, quàm de reuelationibus. Atque hæc loquitur Dauid elapsus è gra ui periculo, sed expectās grauiora. Sciebat enim iram Saulis implacabilem, nec ita loqui tur, benedictus deus qui me liberauit ab Abimelech: sed, benedicam dominum omni tēpore, obstringit sese ad perpetuo laudandum deum, quæcunque rerum facies incidisset. Quemadmodum enim sunt qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: ita sunt qui rebus ex animi sententia succedentibus gratias agunt domino, rursus in tempestate queruntur de domino, quidam etiam (horresco proloqui) maledictis impetunt

Enarratio Psalmi

2. Cor. 11
2. Cor. 5

Matth. 5

Iacobi 1

Rom. 5

1. Cor. 4

tremen

tremendam illius maiestatem. An non audimus tales uoces interdum ex ore Christianorum, Deus fecit mihi iniuriã, quum eriperet uxorẽ meam, Inclemẽter mecum egit, quod me liberis orbauit. Quid commerui, quod me florẽtissima ætate tollit è medio? At non ita Iob, quum affluerent opes, quum floreret copia liberorũ, quum abundaret amicis, agebat gratias deo, cuius munificentiæ tribuebat illa omnia. At his omnibus ereptis, quum ipse sederet ulcerosus, neq; quisquam superesset præter maledicã uxorem, non minimam calamitatis partem, & amicos aliquot, qui iurgando dolorem exprobrarent citius quàm lenirẽt, quid dixit? Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictũ. Aestuarijs quibusdam uicibus uoluitur ac reuoluitur humana uita. Est tempus pacis, est tempus belli: est tempus ubertatis, est tẽpus penuriæ: est tempus lucrandi, est tẽpus perdendi quod parasti: est tẽpus salubritatis, est tempus ægrotandi: est tempus cõuiuij, est tempus luctus: est tẽpus gignẽdi liberos, est tẽpus orbitatis: est tempus ducendi cõiugem: est tempus cœlibatus: est tẽpus gloriæ, est tempus ignominiæ: est tempus iuuẽtutis, est tempus senectutis: est tempus nascendi, & est tempus moriẽdi. In tam uaria rerum specie uir pius eandem canit cantionem, Sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Hoc nimirũ est quod Apostolus hortatur Ephesios: Domino gratias agentes pro omnibus. Quid est, pro omnibus? Pro tristibus pariter ac lætis, pro iucundis ac molestis. Quare pro lætis? Quia beneficio domini obueniunt. Quare pro tristibus? Quia ab eodẽ immittuntur ad purgãdos nos. Dominus enim sine dubio omnia uertet in bonũ timentibus ipsum ac diligẽtibus. Agis gratias medico, qui porrigit amarũ pharmacum: & non agis gratias deo, qui te flagellat, ut emẽdet, qui exercet ut coronet? Ethnici seruati è naufragio, gratias agebãt Neptuno ac Veneri: cõualescentes à morbo, gratias agebãt Apollini aut Aesculapio: sortiti uxorẽ ex animi sententia, gratias agebant Iunoni pronubæ: ad imperium euecti gratias agebãt Ioui: diuitias nacti gratias agebãt Mercurio Herculiũe. Caci & infelices pro dei bonis gratias agebant malis dæmonijs, & pro benigni numinis beneficijs laudes canebãt maleficis spiritibus. Dauid ostendit cui pro omnibus sint agendæ gratiæ. [Benedicam, inquit, dominum] Vnus est deus & unus dominus, cuius æterno cõsilio gubernantur omnia. Hic quæret aliquis, quid sentiendum sit de his qui recepta merce quæ perierat, gratias agũt diuo Nicolao, alibi Paulo, alibi Hieroni: qui incolumes è naufragio eunt Compostellam gratias acturi diuo Iacobo, recreati à morbo tabellam ac donaria suspendunt uirgini matri: quibus è prælio licuit redire saluos, honorant seruatorem Georgium, aut seruatricem Barbaram. Christi matrem semper eximendã arbitror è plebe diuorum ac diuarum, Mater est & filium habet omnipotentem. Quod ad alios attinet, potest excusari pius idiotarum affectus, si quis agnoscens indignitatẽ suam, reueritus maiestatem summi numinis, per amicos dei solicitat deum, percq; illos gratias agit, sic tamen ut agnoscat deum totius autorem, & in eum præcipue intendat mentis oculos. uult enim Christus etiam sua membra glorificari cum capite, uult suos amicos qui fuerunt afflictionum socij, & honoris esse participes. Quãquam nec præceptum ullum nec exemplũ huius rei reperitur in sacris literis, siue uetus testamẽtum excutias siue nouum. Cæterum si quis existimet quenquã diuorum posse quod Christus non possit, aut quenquam esse deo magis exorabilem, is magna tenetur superstitione, ne dicã impietate, nec ita multum abest à cæcitate gentiũ, quæ ut plures credunt esse deos, ita putant Apollinem posse quod non possit Mars, Venerẽ posse, quod non possit Diana, & cõtrà. Ferenda est hominum imbecillitas, eijcienda impietas: sed hactenus ferenda est imbecillitas, ut proficiat ad meliora. Tutissimum autem simul & optimum est, quod nos docuit spiritus sanctus, potius est quod præcepit Christus, quàm quod induxerũt homines. Ille monstrauit non solum quid orãdum, uerumetiam unde petẽdum. Iam mihi contemplare piorum hominum exempla. Moses cum Hebræis quum incolumis euasisset è mari rubro, demersis Aegyptijs, quem prædicat, cui gratias agit? Num Abrahæ, nũ Iob aut Melchisedech? Quid canit? Cantemus, inquit, domino, gloriose enim magnificatus est. Quid illi tres beati pueri, posteaq; angelus flammã uertit in refrigeriũ? Non agunt gratias angelo, minister erat: sed quid cantant? Benedictus es domine deus patrum nostrorũ. Quum ab exilio Babyloníco redeunt Hierosolymã Israelitæ, quem prædicãt? cui gratias agunt? Te decet, inquiunt, hymnus deus in Sion. Solomo extructo templo, quem laudat? Non po pulum

Ephes. 4

non

non opifices, non ſeipſum: ſed ait: Benedictus dominus deus Iſrael. Sed quid hæc perſequor? Totum pſalterium plenum eſt his uocibus: Cantate domino, iubilate domino, benedicite domino. Et ubiq; ſibi conſtat ſcriptura. Nam in Euangelio quid loquitur Zacharias? Benedictus dominus deus Iſrael. Quid Maria & utero & ſpiritu fœta? Magnificat anima mea dominum. Dixerit hic aliquis: An non eſt phas agere gratias homini benemerito, non licet prędicare uirum egregijs præditum uirtutibus? Si recte referimus gratiam his quorum beneficio ſumus uſi, qui minus licet agere gratias? Qui religioſe loquuntur, prædicant non ipſum hominem, ſed dona dei in homine, hoc eſt, deum prædicant uerius quàm hominẽ. Itidem & gratias agunt non ipſi homini, ſed deo qui dederit & facultatem & uoluntatem benefaciendi. Solomon uidens populũ alacriter conferentem ad ſtructuram tẽpli, non illi gratias agit, ſed domino loquitur dicens: Domine deus confirma in eis hanc bonam uoluntatem. Ita Paulus 1. Corinth. 12. commemorans uarias credentiũ uirtutes, easq; non uulgares, adijcit: Hæc aũt omnia operatur unus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult. Ac pauloãte: Idem deus qui operatur omnia in omnibus, nequid uſquam boni ſibi uindicaret humana ſuperbia. Sic beatus Auguſtinus agẽs cum populo de creando ſucceſſore, non dicit ago uobis gratias quod ueſtra ſuffragia cum mea uoluntate conſentiunt, ſed gratias ago deo pro bona uoluntate ueſtra. Tutius eſt laudare mortuos quàm uiuos, ſed in defunctis quoq; quicquid laudamus deo tribuẽdum eſt, ut ſit deus omnia in omnibus. Ita loquendum eſt his qui accipiunt eleemoſinam. Plericq; dicunt, orabo pro te. Quid hoc eſt orabo pro te? Referam tibi gratiam pro beneficio. Pie quidem facit qui orat pro benemerito, ſed modeſtius loquitur qui accipiens eleemoſinam dicit, ora pro me: Beatior enim eſt qui dat, quàm qui accipit, niſi forte ueſte metimur ſanctimoniã. Deus intuetur quid ſub ueſte lateat. Porrò qui ex hoc uulgari ſodalitio pauperum ſunt, magna ex parte magis egent animorum, quàm corporum ſubſidio. Et tamen illi quoque dicunt, da, orabo pro te. Aut ſic gratias agant, Dominus qui tibi dedit iſtam bonam mentem, repẽdat mercedem, & augeat quod dedit. Decet enim & orationem Chriſtianorum præ ſe ferre religionem, nec ſatis eſt animum & mores eſſe pios, niſi in omnibus quæ cogitamus, agimus, patimur, loquimur, cum Dauid benedicamus dominũ, & laus eius ſemper ſit in ore noſtro. Nihil noui dixit, ſed eandem ſententiam, quam pſalterium cecinit, cithara cõcors recinit, quo penitius infigatur animis noſtris quod dictum eſt, ne quis exiſtimet eſſe uitioſam ταυτολογιαν. Interdum citra uitium repetuntur eadem uerba, interdũ eadem ſententia commutatis uerbis iteratur. Laudatur hic ſermo in fabula ludicra, ſed bene Latina, Negat hanc ſibi eſſe cognatam Demipho? Hanc Demipho negat eſſe cognatam? Laudatur illud oratoris facundiſſimi de Catilina, Abijt, redijt, exceſſit, erupit, euaſit. Laudatur ex eodem, ubi nec uerba, nec res prorſus eadẽ iterantur, ſed tamen affinia & eó dẽ ſpectãtia. Quod genus eſt illud, Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat armorũ tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas, quid optabas? His omnibus nihil aliud agit uir omniũ ſuffragijs in eloquẽtiæ gloria princeps, niſi ut inculcet animo Cęſaris, Tuberonẽ fuiſſe in caſtris hoſtiũ Cęſaris. Huiuſmodi ſchemata quũ in humanis ſcriptis laudẽ ferant, quoties idem accidit in diuinis literis, abſit ut dicamus, Crambe bis poſita, abſit ut dicamus, moleſtum eſt toties audire eadem, ſed gratias agamus diuinæ ſapientiæ, quæ ſeſe ad noſtrã uel obliuionem uel tarditatem accõmodat. Verbum caro factum eſt utiq; nobis, & miramur ſi ſpiritus ſanctus ad hominis captum ſermonẽ ſuũ adaptat? Sic mater cibum præmanſum inſerit in os infantuli, ſic ſolidũ cibum ſtomacho concoctũ uertit in lac, ut edentulo puero porrigat. Et ſi iuxta uetuſtum Græcorũ prouerbium, ſine uitio fit, quoties quod pulchrũ eſt, bis terq; repetitur, quum in ſcriptura nihil ſit niſi pulcherrimũ, non oportet cuiquam moleſtam eſſe iterationẽ, etiamſi uicies recinatur idem. Hoc eò monere uolui, quod huiuſmodi ſchematibus undiq; referta ſunt ſacra uolumina, præſertim in his quæ carminũ inſtar contexta ſunt. Autor eſt uniuerſæ ſcripturæ idẽ ſpiritus, ſed interdum mutat linguam ſuã. Veluti quum idem homo, alio charactere ſcribit hiſtoriam, alio epiſtolã familiarem, alio carmen heroicũ: ita non eſt eadem ſermonis figura in ſacris hiſtorijs & in pſalmis aut canticis. Eadẽ uerba repetit Dauid, deplorans mortem Abſolonis filij, Fili mi Abſolon, Abſolõ fili mi. Itẽ pſalmus, deus meus, deus meus.

Terentius in Phor.

Rursus in Euãgelio, Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas, Dolor enim uehemens habet affectum suum. Sed reliqua duo genera passim obuia sunt. Quod genus est illud prouerbiorũ 16, Contritionẽ præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Bis idem dictum est, sed alijs uerbis. Eiusdem generis est initium huius psalmi, Benedicã dominum in omni tẽpore: huic uelut echo resonat, semper laus eius in ore meo. Idem fit in illo uersiculo, Magnificate dominum mecũ, & exaltemus nomen eius in idipsum, Sed nõ onerabo uos cõmemorandis exemplis, quæ nunquam non offerunt sese. Ex affinibus cõflatæ sententiæ sit hoc exemplum, Misericordia & ueritate redimitur iniquitas, et in timore domini declinatur à malo. Nam domini timor impellit ad opera misericordiæ. Præter hæc, est sententiæ genus, quod habet annexam rationẽ. Id quidam uocant enthymema, Quod genus est illud Ecclesiastici 5. Ne dixeris, peccaui, quid mali accidit mihi? Subijcitur ratio, Dominus enim uindicans, est patiens redditor. Frequenter accinitur cõtrarius sensus uelut Prouerbiorum 10, Filius sapiens lætificat patrem, filius uero stultus mœstitia est matri suæ. Huic proximum genus est, quum accinitur diuersus sensus. Quale est illud quod inibi mox sequitur, Non proderunt thesauri iniquitatis, iustitia uero liberabit à morte. Est ubi pars sententiæ uelut accinitur, ut ibi: Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Hic si teneremus exactam musicæ rationem, qua prisci sunt usi præsertim Hebræi, dilucidius ista tractaremus. Legimus enim fuisse uarios choros musicorũ, qui uicissim inter sese diuersis organis canebãt. Interdum uox præcedebat, eam recinebat aptis modulis organum, Interdũ organum præcedebat, cui succinebat uox. Interdum concinebant pariter & uoces & organa. Sed horũ multa iam uetustate obsoletorum, uix obscura nobis uestigia sunt. Itaq; satius est ut ad psalmũ recurramus, Benedicã dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo] Si quis hæc audeat humanis auribus, uidetur inconsistens, quod pollicetur Dauid. Qui nãq; fieri potest, ut quis laudet dominum in omni tẽpore, & sine intermissione sonet illius laudes, præsertim ore? Quidã putant dissolutam quæstionẽ, si locum accipiamus de ore mentis, de quo psalmus alius loquitur: Os meum aperui & attraxi spiritũ. Item alius: Dilata os tuũ & implebo illud. Habet enim interior homo noster sua mẽbra, aureis, oculos, manus, pedes, & os. Hoc ore comedũt qui sagi nãtur pane cœlesti, qui bibunt sanguinẽ filij hominis, qui uescũtur carne illius. Non solo pane uiuit homo, sed omni uerbo quod procedit ex ore dei. Sermo igitur diuinus cibus est, & editur: sermo dei fons est saliens in uitã æternã, & bibitur sed ore spirituali. Hæc fateor pie uereq; dici, sed an nodũ quęstionis ad plenum expediãt nescio. Nec animus semper potest uacare laudibus diuinis, uel dum alijs curis necessarijs occupatur, uel dum somno profundo cõsopitus est. Sed mihi uidetur hic nodus eadem bipẽni dissecari posse, qua solui tur Euangelicus. Hortatur dominus discipulos ut semper orent, nec unq; ab orando cessent. Id iuxta sensum humanũ impossibile est, sed facilis est exitus è quæstione, si recipiamus hyperbolen, non quæ mentitur, sed quæ uehementia sermonis excitat segnitiem nostrã. Semper enim dictum est pro frequentissime. Si quem offendit nom ẽ hyperboles, sciat hunc tropum in arcanis literis esse frequẽtem, nec raro à probatissimis scripturarũ enarratoribus indicari. Quid quod hoc schemate nihil usitatius uulgo? Assiduus in studijs dicitur, qui maximam diei partem impẽdit studijs: & de eo qui frequenter male loquitur de nobis, dicimus nunq; cessat maledicere. Quid quod ipsa parabola quã dominus propo
Lucæ 18 nit, astipulat huic interpretationi? Neq; enim illa uidua, noctes ac dies interpellabat durum & impium iudicem, sed frequẽter, quoties dabatur ueniendi facultas. Postremo nec illa dormiens interpellabat dormientem. Sic nunq; cessat orare, qui quoties datur opportunitas, orat. Nec alio sensu Paulus iubet suos sine intermissione orare. De Christo præstat silere, certe Paulus qui hoc præcipit, non orauit sine intermissione. Idem hortatur cõiugatos, ut ex consensu nonnunquam abstineant ab usu coniugij, nimirum precandi gratia, Sed eos iubet redire ad copulam, ne distractos tentet satanas. Quod si coitus impedit precationem, non semper orant coniugati. Eadem forma dicitur semper adesse concionibus, qui tum adest, cum fit cõcio. Hæc mihi quidem uidetur simplicissima difficultatis explicandæ ratio. Quanquam & illa pie dicuntur, cuius animo semel impressus est habitus ueræ pietatis, ut in omnibus quæ facit, cogitat, loquitur, non aliò spectet quàm ad gloriã dei, is etiam comedens ac bibens, etiam dormiens, audeo addere etiam ludens, etiam

lepidis

lepidis fabulis ingenij uires recreans, laudat dominum, iuxta Pauli doctrinam, Omnia in gloriam dei facite. Qui ieiunat ualetudinis, aut parsimoniæ, aut gloriæ causa, aut metu humano, aut frigida cõsuetudine, non laudat dominum. Rursus qui non ieiunat, ut sufficiat corpus laboribus, quibus alit uxorem ac liberos, aut quibus docet populum, aut aliud simile charitatis munus obit, etiã non ieiunans laudat dominum. Qui preces intermittit, ut uxori debitum reddat, hoc ipso laudat dominum, quod non orat. Postremo semper orat cui mens est semper affecta ad orandũ, quum datur orandi tempus. Quemadmodum omnis piorũ uita est laudatio dei, ita omnis impiorũ uita est blasphemia in deum, siue edãt, siue bibant, siue dormiant, siue ludant. Christus autẽ qui in omnibus quæsiuit gloriam patris, merito dixit, benedicã dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et à capite habet Christi corpus, quod est ecclesia piorum, ut & ipsa possit dicere, Benedicam dominum in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo. Sub lege naturæ, sub lege Mosaica, sub Euangelij gratia, ab exordio mundi, usq; ad consummationem incessanter ecclesia benedicit dominum, siue dum persequutione principum laceratur, siue dum hæretico rum peruicacia concutitur, siue dum tranquillitate temporum fruitur, semper dei laudem habet in ore suo, persuasum habẽs utcunq; se uariarit rerum tempestas, per illum omnia sibi cessura in bonum. Habet & unumquodq; ecclesiæ membrum, modo uiuum, ut iuxta suum quendã modulum dicat, Benedicam dominum in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo. Verũ illud semper non cõtingit ad plenum in hac uita, quum breui, tum innumeris curis obnoxia, per quas interrumpitur canticum nostrum: uerum posteaquam ab hoc exilio redierimus in cœlestẽ illam Hierusalẽ, tum erit semper laus domini in ore nostro: quemadmodum dicit alius psalmus, Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Sequitur, [In domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætẽtur] Hic uersiculus nec cum eo qui præcedit, nec cum eo qui sequitur uidetur apte cohærere. Sequitur enim, Magnificate dominũ mecum. Quomodo uelut ex abrupto desilit in mentionem suæ laudis, quum hoc sit huius psalmi caput, ut omnem laudem trasferamus in deum? Nunc dicit in domino laudabitur anima mea. Si propius inspiciamus non est diuersum quod dicit. Nam laudari in domino, nihil est aliud q̃ gloriari in domino. Qui gloriatur, inquit Paulus, in domino glorietur. Laudatur ille in domino, pro quo gratiæ aguntur domino. Et sunt Hebraicarum literarum periti, qui pro laudabitur anima mea: uerterunt, gloriabitur anima mea in domino. Anima uita est. Seruatus est Dauid, euasit summum uitæ discrimen: hoc qui legunt audiuntúe, laudant animã illius, non ob callidítatem qua imposuit Getheis, sed ob fiduciam quam habebat in domino. Quisquis enim sic laudat Dauid, quasi suo ingenio, sua sapientia, sua uersutia, animiq; præsentia, aut etiam felicitate è tot periculis elapsus sit, non laudat animam illius in domino. Quod de Dauid dictũ est, idem accipiendum est de sanctis omnibus. Si martyrem laudas, lauda in domino: si uirginem laudas, lauda in domino. Noli sic laudare, quemadmodum Ethnici laudare solent præstantes uiros, qui in bello fortiter occubuerunt, aut alioqui bene meriti sunt de Repub. In talibus encomijs nulla est mentio dei, sed prædicatur illorum patria, genus, opes, uires, fortuna, ingenium, calliditas. Atq; ut facinorum memoria latissime spargeretur, ac diutissime uiueret, libris ædítis ea celebrarũt, fornicibus, columnis, & statuis ad posteros trãsmittere conati sunt. Talium nec anima laudatur, nec laudatur in domino. Anima pars intima est hominis, bona fortunæ & corporis extra hominem sunt, quæ quoniam frequenter improbissimis quibusq; contingunt, non reddunt hominem per se laudabilem, Animi bona uere sunt hominis, si tamen agnoscat unde acceperit. Quanq; & pro corporis fortunæ q; cõmodis, si citra fraudem contingant, deo sunt agendę gratiæ. Beatus Dauid hoc factum uoluit psalmo per uniuersum orbem celebrari, non ut ipse prædicaretur, sed ut in eo dominus. Sciebat futurũ, ut omnes pij pro mirifice liberato Dauíde gratias agerent diuinæ bonitati, laudibus ueherẽt diuinam sapientiam, quæ sinit suos obijcí periculís, sinit in eos mundũ expedire oẽs machinas suas, ut per illos illustret nomẽ suũ, dum iuxta Pauli doctrinam suam uirtutẽ profert in uasis fictilibus, & per imbecilles uincit fortes, per inermes deijcit armatos. Quum Alexãdri Magni facinora prędicantur, non sine mẽdacijs, erigunt cristas Macedones: quũ laudatur Pericles aut Themistocles, gaudent Athenienses, quũ celebratur Annibal, gloriãtur Afri: quũ Iulius

Cæsar, exultant Romani, Tales, inquiunt, uiros nos habuimus. Hæc gloria bis stulta est, & quod de alienis facinoribus sibi placent, & quod laudem omnẽ asscribũt hominibus. Adde quod ea mirantur, quæ nullam merentur laudem. Quid enim in his laudant? Dirutas urbes, populatos agros, mutuas hominum cædes, & orbem bellorum furijs concussum, actos triumphos, positas statuas, erecta trophæa, superbiæ monumẽta. Cruenti sint oportet, quibus placent cruẽta, & crudeles sint oportet, quibus placet aliena crudelitas. Dauid autem, nec ob talia laudari uult, nec à talibus. Quum laudatur Abraham, aut Moses, aut Dauid, efferuntur Iudæi: sed superbe de his gloriantur, quos non imitantur. Laudentur principes Christiani, sed ob stratagemata Christiana, idq; in domino, ut non solũ exultent Hispani, Germani, aut Galli, sed omnes qui diligunt dominum. Solent quidam ambitiose prædicare Franciscũ, sic ut plerique eius sodalitij cristas tollerent, Dominicani ringerẽtur. Ediuerso quidam sic efferebant Dominicum, ut Franciscí nepotes inuiderẽt, Dominicani sibi plauderent dicentes: Ecce talem uirũ habuit ordo noster autorẽ. Fortasse similis affectus habet aliquot Benedictinos, aut Bernardinos, aut Augustinianos. Laudant illi quidem uiros deo charissimos, sed non eos laudant in domino: nec qui ad istum modum de illis gloriantur, gloriantur in domino: postremo, nec illi sic laudari gaudent, nec agnoscunt pro suis, qui sic de ipsis gloriantur. Quomodo enim agnoscant suo instituto contrarios? Neq; enim ideo Franciscus submissus fuit, opum, gloriæ, totiusq; mũdi summus contemptor, ut aliqui sub illius titulo ferocirent, sed ut omnes imitatentur. Piorum laus cõmunis est totius ecclesiæ. Proinde glorietur anima cuiusq;, sed glorietur in domino: id audiant, non hi aut illi superbiæ materiã undiq; uenãtes, quemadmodum & hodie Iudæi gloriantur de Dauid erepto: sed Audiant, inquit, mansueti & lætentur] Mitis à mitibus laudari uult. Dauid, iuxta literam dictus est & fuit uir sanguinum, quãquam extant & huius plurima mansuetudinis exempla, erga Saulem, erga Absolonẽ, erga Semei. Sed ille sine exceptione mitis fuit, cuius figuram gerit Dauid, qui loquitur in psalmo Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Prædicatur & Moses omnium uirorũ mansuetissimus. Nam crudelitas dici non debet, quod domini iussu geritur. Verũ ubi uerus ille Moses protulit nobis legẽ gratiæ, ubi uerus ille Dauid induxit regnum cœlorum, nihil iam per ferociã, nihil ferro, cæde aut sanguine geritur, sed omnia gladio spiritus, quod est uerbũ dei. Sic bellauit Christus, sic uicit, sic triũphauit: sic apostoli, sic martyres, sic quotquot fuerunt aut sunt ueri Christi discipuli, eumq; audiunt dicentẽ: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus uestris. Feroces dicunt bello parari pacem, corporũ fortasse: at ueram pacem animarum sola parit tolerantia malorum. Hæc requies etiã in medijs tormentis ac mortibus aderat martyribus Hæc audiunt feroces, & subsannant: sed audiunt mansueti Christi discipuli, & lætãtur. Audiunt leones, et rugiunt: audiũt oues, & solatio recreãtur. Quare lętantur? Quia sciunt se curę esse domino, aduersus quem nihil potest hominũ crudelitas. Sciunt post tẽporarios dolores, paratã esse uitam æternã. Christus itaq; per ignominiã crucis, per cruciatus & mortem receptus in gloriã patris merito dicit, In domino laudabitur anima mea, audiant oẽs mei discipuli, mites & humiles corde & lætentur, Capitis enim uictoria, membrorum salus est. Nobis enim periclitatus est, nobis afflictus est, nobis uicit ac triũphauit dominus. Par est igitur ut qui per fidem ac baptismum idem facti sunt cum Christo, simul cum illo prædicent deum, qui fuit in filio, mundum reconcilians sibi. [Magnificate, inquit, dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.] Quærit chorũ tanto facinore dignũ. Pulcherrimus concentus est, quum uniuersa Christi membra eandem cum capite canũt cantionem. Suauissima musica est, quum uoces uariæ sunt, mens eadem. Canit Hebręus, canit Gręcus, canit Romanus, canit Scytha, canit Thrax, canit Indus, canit Gallus, canit Germanus, canit Britannus, canit uniuersus orbis, Christo pastori concinens, magnificãs dominum & exaltans nomen eius in idipsum siue in unũ. Nam & hoc habent nõnulli codices, nec refert ad sensum. Eo uerbo mysticæ literæ significare solent, mirabilem illã concordiam, quæ propria est discipulorum Christi, qui sicut sunt unum corpus, ita eodẽ spiritu uegetantur. De hac concordia dicit alius psalmus: Ecce quàm bonum & ęq; iucũdum habitare fratres in unum. Habet mundus suas concordias, habet sodalitates & factiones: habent & hæretici suas conspirationes, sed illud, in idipsum, nusquam est, nisi inter eos

quos

quos Christi spiritus conglutinat. Nec usquã uera pax est aut requies, nisi ubi adest illud in unum. Eam sensit ille qui dixit: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Dominus autem cupit omnes ad se uenire, ut eandem cum ipso canant cantionem. Quàm dissona musica est, quũ aliud canit Arianus, aliud Sabellianus, aliud Ebionita, aliud Pelagianus, aliud Donatianus, & quid memorem sectas omnes, quarum non est numerus, quum horum singuli suam canant cantionem, sed omnes à Christo dissonantes, ne inter se quidem consentientes. Idem est baptismus, eadem professio, idem titulus, sed non est eadem mẽs. Vtinam nos omnes cõcordemus cum Christo, & ad chorum hunc accedant etiam Turcæ & Iudæi, ut uno ore, uno spiritu dominum magnificemus, Magnificate dominũ mecum. Dominus non crescit hominũ laudibus, sed illius gloria crescit apud homines. Hãc gloriam cupit inclarescere, non quod ipsi quicquam accedat, sed quod nos reddimur melliores, dum illius sublimitatem, bonitatem sapientiamq; contemplamur: quod dum mentis oculos ad illius summi boni speculationem intendimus, uilescunt hæc omnia quæ mundus suspicit, ac per fas nephasq; sectatur. Neq; enim protinus magnificat dominum qui labijs sonat laudes illius, sed qui mundi cordis aciem ad æternarum rerum cõsiderationem dirigit, hoc modestior quo sese sublimius erigit, hoc superbior erga mũdum, quo se magis submiserit deo. Non magnificat autem dominũ, nisi mitis te humilis corde. Qui ferox est, magnificat seipsum, nec glorificat nomen domini, sed suum nomen glorificat. Magnificat dominũ, qui illius agnoscit sublimitatẽ, & suam confitetur humilitatẽ. Domini nomen exaltat, qui dicit cum Psalmista & dicit ex animo: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quid canit illa beata uirgo, qua nihil sublimius, nihil rursum modestius: Magnificat anima mea dominũ, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ex tot uirtutibus, ex tanta felicitate nihil sibi uindicat, suum nomen deijcit, domini nomẽ attollit, Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Nec dicit, prome ritam me dicent omnes generationes, sed beatã me dicent. Rursum non ait: Et gloria mea à progenie in progenies, sed misericordia eius. Solus deus uere magnus est, humile est quicquid humanũ est. Nec est periculum, ne minor fias demittens teipsum. Nam hac unica uia magnus esse poteris in domino, si teipsum quàm maxime deieceris. Sic Christus factus est omnium maximus, assequutus nomen quod est supra omne nomen. Sic factus est magnus Dauid, sic apostoli, sic omnes diui diuæq;, quorum nomina tanta religione ueneratur orbis Christianus. Neq; enim satis est ore magnificare dominũ. Passim enim audimus hanc cãtionem: Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Magnifica dominũ lingua, sed magis magnifica spiritu. Id fiet si in teipsum descẽdens dispicias, quàm nihil sis ex teipso, quàm perditus, quàm miserabilis, mox erigas oculos in deum, summe bonũ, summe sapientem, summe potentem, consideresq; quid ille pro te factus sit, quanta te misericordia prosequutus, quanta benignitate locupletarit, de nicq; considera hinc illius bona, hinc tua mala: ex hac contẽplatione inardescit animus, ut pro tot beneficijs prẽter meritũ tuum acceptis, magnifices dominum & exaltes nomen illius. Sed noli abscondere diuinã expertus benignitatem, noli thesaurum repertũ in terrã defodere. Mysterium regis abscondere bonũ est, opera autem dei patefacere & celebrare, honorificum: quemadmodum hortatur angelus beatum Tobiam: Benedicite, inquit, deum cœli, & corã omnibus uiuentibus confitemini illi, quoniam fecit uobiscum misericordiam. Suam misericordiam uult prædicari deus, non nostra merita. Quantũ addimus meritis nostris, tantum detrahimus magnitudini bonitatis diuinæ: & quantũ attollimus dignitatem nostrã, tantum deijcimus sublimitatem gloriæ dei. In Euangelio qui liberatus erat à legionibus impiorum spirituũ, iubetur redire ad suos, & annũtiare omnibus, quanta ipsi fecisset deus. De leprosis autẽ nouem queritur: Nónne decem mundati sunt, & nõ est reuersus qui daret gloriam deo, nisi hic alienigena? Quin & mulierem à profluuio sanguinis contactu uestis dominicę sanatam, quia furtim uolebat auferre tantum beneficiũ, non malicia sed pudore, cõpulit ad cõfessionem, Sic & beatus Paulus subinde prædicat qualis fuerit, & qualis per dei misericordiam factus sit. Medicus mercedem accipit, & tamen si reualuit ægrotus, uult prædicari quod talem sanarit. Chirurgus qui dẽtem nec sine mercede, nec sine magno hominis cruciatu eduxit, seruat illũ & ostentat dicens, hunc ego ex ore illius extraxi. Quare quærunt hanc gloriam? Vt uberior sit quæstus. Et domi

Cap. 12

num qui tãto maiora præstat nobis, fraudabimus sua gloria? Fraudabimus suo lucro? Lucrum illius est ut plures ad ipsum confugiant & seruentur, illius lucrum est hominum salus. Proinde cum Paulo demus operam, ut quàm plurimos Christo lucrifaciamus, spargamus illius in nos beneficia, ut simus bonus odor deo in omni loco, Nec nobis curæ sit, si amaricino sues intereant, modo lætẽtur mansueti. Nec solum resonet gratiarum actio in ecclesia sanctorũ, dum glorificato uno membro pariter gaudent omnia, sed dimanet diuinæ bonitatis fragrantia etiam ad eos qui foris sunt. Sunt enim & illic qui possint mansuescere. Quomodo tractus est beatus Augustinus? Delatus est ad illum suauissimus odor diui Antonij, eo odore sanatus mortuus est mũdo, & cœpit Christo uiuere. Qui reperit thesaurum egregiũ, cœlat illum ut solus fruatur: qui nactus est uxorem formosam, hoc agit ut solus eam amplectatur. Thesaurus enim communicatus minuitur, & amor in multos diductus, frigescit. At diuersæ naturæ sunt bona spiritus, quàm plurimis cõmunicari gaudent, & plus habet qui pluribus impertijt quod habet. Dauid itaq; licet seruatus sit solus, omnes tamen conuocat ad communem gratiarum actionem, ut gaudium sit omnium cõmune. Sic in Euangelio qui inuenit ouem erraticam, non cœlat suum gaudium sed conuocat amicos dicens, Congratulamini mihi quia inueni ouem quam perdideram. Itidem & mulier quæ quæsitã drachmã inuenit, non satis habet gaudere in sinu, sed uicinos & amicos ad gaudij consortiũ inuitat. Deniq; in domo patrisfamilias, qui filium receperat, uniuersa familia gaudijs et gratulationibus personat. Dauid itaq; uniuersos homines, & qui tum erant, & qui nunc sunt, & qui post futuri sunt, ad commune gaudium, ad idem canticũ inuitat dicens, Magnificate dominum mecum, exaltemus nomen eius in idipsum. Sed iam præsto est chorus ad cõmuniter laudãdum dominum hactenus inuitatus. Quod est argumentum cantionis? Exquisiui dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus angustijs meis eripuit me] Quum omnibus præsidijs essem destitutus, & in unius inermis, imbecillis, destituti exitiũ armarẽtur omnia, quum multus ubiq; pauor & plurima mortis imago, non cõsului Pythonicos, non cõfugi ad artes maleficas, sed exquisiui dominum, in eo spem omnẽ salutis fixi, ab illo petij subsidium, qui solus plus potest omnibus, nec repperi surdũ precibus meis, exaudiuit me, quia cum magna fiducia clamaui, sciens illũ in promissis esse ueracissimum, sciens illum sic immittere suis afflictiones, ad explorandam illorum fidẽ, ut faciat cum tentatione prouentũ, nec patiatur nos tentari supra quàm possimus. Et ex omnibus angustijs meis eripuit me] Hoc nescio an quisq; in hac uita uere possit dicere. Neq; enim Dauid quum esset dimissus ab Achis rege, liberatus fuit ab omnibus periculis, sed in ipso etiã regno magnis tempestatibus iactatus est. Tota piorum uita multis afflictionibus oppositа est. Quis ergo uiuens dicere possit, ex omnibus angustijs meis eripuit me dominus? Hæc quæstio trifariam solui potest. Primum iuxta literam uerum dixit propheta, nimirum sentiens de præteritis angustijs, quas iam nõ paucas perpessus erat. Hoc sensu beatus Paulus scribit Timotheo: quum enim illũ admonuisset q̃ multa perpessus fuisset Antiochiæ, Iconij & Lystris, adiecit, & ex omnibus eripuit me dominus. Deinde quoniam certus erat dominum in omnibus periculis adfuturum, hoc uelut factum prædicat, quod certo nouerat futurum. Nec hic sermonis color infrequens est in propheticis literis, ut præteriisse dicant, quod multo post uenturum est: propheticis enim oculis etiam quæ procul absunt, præsentia sunt. Ita Paulus scribit Corinthijs: Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus, quod adhuc eripiet. Eripuit, qui certam spem dedit: & liberatus est, qui certo nouit se breui malorum omnium lætissimum finẽ habiturum. Consimili forma scribit Colossensibus: Qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Quomodo eripuit optime Paule? An non ipse ter rogasti dominũ, ut auferret satanã colaphisatum, nec aliud audisti, q̃ sufficit tibi gratia mea? Nónne inter tuas uiduas extiterunt quæ abierunt post satanã? Nónne apud Corinthios alius esuriebat, alius ebrius erat? Nónne clamas illos esse carnales, & inter se contendere ac litigare? Nónne Galatæ desciuerant ad Iudaismum? Nónne repertus est qui patris uxorem haberet domi? Quid porrò sibi uolunt illa tua uerba: Timeo enim ne forte quũ uenero, nõ quales uolo inueniam uos, & ego inueniar à uobis, qualẽ non uultis, ne forte cõtentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones, sint inter uos? An non talibus obiurgationibus

Luc. 15

2. Tim. 3

2. Cor. 1

Col. 1

2. Cor. 12

nibus refertæ sunt tuæ epistolæ? Quomodo ergo deus illos eripuit de potestate tenebrarũ? Quomodo translati sunt in regnũ filij, qui subinde uincuntur à satana? Nisi quod eripuisse dicitur, qui non patitur illos opprimi in æternum: & in regnum transtulit, qui certam regni spem dedit. In qua spe si consistimus, iam uicimus omnia quæcunq; nobis ingruunt pericula. Animaduertendum est quod psalmus dixit, ex omnibus. Sunt mala in quibus homines non audent opem pollicerí, ueluti sunt morbi, in quibus medicus dicit, malum est immedicabile, non admoueo manum. Sunt uulnera quibus chirurgi nolunt admouere manus. Sunt infeliciter apud Turcas captiui, quibus nec pontifex, nec Cæsar potest opitulari. Sed nullum est mali genus unde non eripiat ille, qui suscitat etiam mortuos, qui potest & ab inferis reuocare iam olim sepultorum animas. Nec oscitanter prætereundum opinor quod dictum est, Exquisiui dominum. Magis enim quadrare uidebatur, Inuocaui dominũ & exaudiuit me. Sed quærendi uerbo diuinæ literæ cõmendant nobis studiũ & uigilantiã. Neq; enim perijt deus ut quærendus sit, quum sit intra nos. De sapiẽtia legimus. Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam. Quid non tentat auarus, ut thesaurum inueniat? Psalmus 68. locum hunc uelut alijs uerbis exponens dicit, Videant pauperes & lætentur, quærite deum & uiuet anima. Quod hic ait, Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo: illic dicit, Laudabo nomen dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Iam & Euangelicus sermo tribus illis uerbis, petite, quærite, pulsate, quid aliud nobis commendat, quàm studium, instantiam ac uigilantiam? Non satis est accendere cereolum in meridie, non satis est labijs dicere, domine adiuua me. Dauid exquisiuit dominum, & liberatus est. Dices, Vbi quæram dominũ? Latet in sacris literis, illic scruteris, illic fodias, & inuenies eũ. Latet in membris suis. Qui subleuat pauperes Christi, qui consolatur afflictos, qui docet errãtes, recte quærit dominũ, & illic inueniet. Descende in teipsum, dispice quot modis offenderis dominũ, & quàm misericorditer ille tecum egerit: accende lucernam fidei, ut iuxta Iacobum, postules in fide nihil hæsitans: excita scintillam charitatis, illic inuenies dominum. Nec protinus abijcito spem, si non statim impetras quod petis, insta, urge, preme, aut quod postulas accipies, aut aliquid illo melius. Ne properemus ab hoc loco recedere. Diuina scriptura similis est eximiæ cuipiam tabulæ, quam si diutius contemplere, semper aliquid noui sese aperit, quod spectasse iuuet. Dauid sciebat se fore regem, iam erat unctus à Samuele, & tamen omnem cautionẽ adhibet, ne occidatur à Saule. Et ubi sunt interim qui dicunt, quid attinet me sollicitum esse, si non sum prædestinatus, frustra nitar: si sum, superuacanea est sollicitudo, fiet quod destinauit ille, cuius decreta rescindi non possunt. Vult deus seruari quos elegit, sed ita seruari uult, ut suam operam iungant cum uolũtate diuina. Seruat eos per gratiam, sed eam gratiam uult à nobis ambiri, precibus, lacrymis, suspirijs, eleemosynis. Facessat inuidiosum nomen liberi arbitrij, quod in sacris literis nusquã reperitur, sed à supercilijosis Stoicis in Theologorum scholas uenit. Verum si nihil agit uoluntas hominis, quid sibi uult hic sermo, exquisiui dominum, & exaudiuit me: quid qui sequitur, Accedite ad eum & illuminamini: præsertim quum similis loquendi forma nusquam non sit obuia in sacris literis? Vult te dominus eripere, sed clamantem. Si tu aliter uis eripi, non eripieris. Aperit nunc propheta quid sibi uelit tanta exultatio, ad cuius consortium inuitat omnes mansuetos, ut apud omnes glorificetur nomen domini. Sed quid dominus eget hominum celebratione? Ille quidem, ut ante diximus, nõ eget, sed nobis opus est. Ad quid? Vt omnes idem speremus à domino quod impetrauit Dauid, si ad illius exemplum inquisiuerimus dominum. Exemplum proposuit, & addit exhortationem, Accedite ad eum, & illuminamini, & facies uestræ non confundentur.] Quotquot sedetis in tenebris mœroris, & umbra mortis, accedite ad eum qui est lux uera, & illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, & ab hoc illuminẽtur oculi cordis, & facies uestræ nõ cõfundentur, hoc est, nõ pudefiẽt. Pudor enim in facie est. Frustra quæretis dominum in tenebris obambulantes. Oculus animi, intentio est, Sed hic luscioſus est nisi illustretur lumine: lumen autem fides est. Nemo porrò sibi dat fidem, sed accipit à domino. Nullus tamẽ accipit, nisi accedat. Quid est, accedite? Ne ponatis obstaculum gratiæ dei, sed potius illi uos precibus & eleemosynis præparate. Sol huius mundi se profert omnibus, sed non illuminat omnes. Noctuas etiam magis excęcat, & lippientibus molestus est, nec

Prou. 2

prodeſt natura cæcis, aut his qui occludunt oculos. Grauis eſt lippitudo peccatum: ſed uidet lippus tamen nonnihil, ſed quēadmodum temulenti, quorum oculos grauet crapula, talibus multa uidentur quæ ſunt unum, & ambulare uidentur quæ quieſcunt. Tales oculos primum habebat cæcus Euangelicus, qui uidit homines ut arbores ambulantes. Sed qui caret fide prorſus cæcus eſt. Quanquàm eſt & infirma fides, quæ à domino poſtulat augmentum. Qui caret fide, oret ut accipiat: qui paulum habet fidei, clamet, domine adauge mihi fidem. Qui oculos habet pituita grauatos, expurget animū à uitijs & cupiditatibus malis, ut purgatos oculos poſsit intendere in dominum. Id ſi fiat, facies illius non pudefiet. Pudeſcunt enim qui ferunt repulſam. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Hoc qui toto pectore credit, non pudefit deſertus in periculis, ſed ex omnibus angoribus ac pauoribus liberabit illum dominus. Hic fortaſſe ſubibit animos quorundam humana cogitatio. Si pudeſcunt qui non liberantur, pudefacti ſunt ergo tot martyres, qui in acerbiſsimis cruciatibus exhalarunt animam: pudefiunt & hodie complures pij homines, quos non relinquit afflictio priuſquam uita. Ad iſta reſpondeo, Non pudefit niſi qui uincitur: ſed quiſquis uicit, utcunq; cōfoſſus iaculis, gloriam habet. Hi demum pudefacti ſunt, qui in cruciatibus defecerunt à Chriſto, Nam hi uere uicti ſunt, etiamſi lucrifecerunt uitam. At qui in exquiſitis ſupplicijs, ſpe uitæ cœleſtis alacer eſt, et extremis uocibus Chriſtum animoſe profitetur, nec uictus eſt, nec deſertus: proinde nec pudeſcit, imò per glorioſam mortem tranſit ad æternæ gloriæ triumphū. Sed potius uictus ac pudefactus eſt tyrānus, & in tyranno ſatanas. Qui torquetur, agit gratias: qui torquet, furit: uter uictus? Sed an non repulſam patitur martyr, qui orat ut liberetur à cruciatibus, nec liberatur? Quomodo orat martyr? Domine Ieſu accipe ſpiritū meum. Hæc uox non eſt deprecantis ſupplicium, ſed anhelantis ad triumphum per mortem. Talia probabile eſt & Paulum fuiſſe loquutum, qui cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Phas tamen eſt pijs orare deum, ut ab impiorum afflictionibus, aut alijs huius uitæ moleſtijs liberentur, uelut à morbo cruciabili, a bello, à peſtilētia. Sed quomodo orat uere pius? Domine ſi uis, ſi expedit, & ad tuam gloriam & ad meam ſalutem, eripe me ab his malis: ſin minus, fiat quod bonum eſt in conſpectu tuo, Tantum da famulo tuo robur ſpiritus tui, ne ſuccumbat tentationi. Hic precator, ſiue liberatur à malis, nō pudeſcit: ſiue ſuperat ipſa mala, non pudefit, ſed ut ſtrennuus miles in bello uirtute fit illuſtrior, Quomodo enim pudefacti uidentur, quos ipſe dominus in Euangelio beatos appellat? Nec magni faciēdum eſt ſi quibuſdam carnalibus uidetur pudefieri talis. Ille uere pudefactus eſt, cuius facies probris operta eſt apud deum, qui tunc confundetur, quum in illo mirabili theatro, coram iudice deo, coram uniuerſis angelis, coram toto cœtu piorum hominum, patefactis omnium cō ſcientiarum latebris, uidebit iuſtos impauidis uultibus ſtare cum magna conſtantia. Viſus eſt ignominioſus Lazarus, procumbens ante fores diuitis, ſed diues ille reuera confuſus eſt, quum ipſe in tormentis agens, uideret mendicum in ſinu Abrahæ. Lazarus obtinuit quod petebat, diues orans repulſus eſt. Quàm uictus quàm confuſus uidebatur dominus gloriæ, quum ligaretur, damnaretur, colaphis cæderetur, conſpueretur, ſpinea corona, & chlamyde purpurea, & arundine derideretur, quum ab Herode lineis indutus cō tumelię cauſa ad Pilatum remitteretur, quum in crucem tolleretur, ſocius latronū. Quàm uidebatur à deo deſertus, quum phariſæi mouentes capita ſua inſultarent pendenti. Si filius dei eſt, liberet eum pater, ſi bene uult ei. Sed interim deiecit ſatanam, interim parabat & ſibi & ſuis omnibus immortalitatis gloriā. Ergo ſi nolumus pati repulſam, ſi nolumus pudefieri, accedamus, ſiue ut alij uerterunt curramus, non ad mundi præſidia, non ad merita noſtra, ſed ad dominū, huc hortante nos filio, qui uiam nobis aperuit, oſtendit ac munijt. Sequitur in Pſalmo, [Hic pauper clamauit & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus liberauit eum.] Quod præceſsit in capite, ſperandum eſt membris: non enim Chriſtus deſeret ullam ſui partem, totus liberabitur, totus reſurget in gloriam. Seipſum igitur nobis exemplum proponit, quod imitemur, unde fiduciam ſumamus. Si ſequeris præcedentem, aſſequeris quod ille conſequutus eſt: ſi illius ueſtigijs ingrederis, ſine dubio peruenies quò ille peruenit. Quid huc & illuc diſtorques oculos? Quid intueris eos qui nihil aliud ſunt quàm homines? Qui beati uidentur in hoc ſeculo pollent auctoritate, florent dignitate, abundāt opibus, fruuntur proſpera corporis ualetudine, habēt

uxorem

uxorem ex animi sententia, habent liberos, abundant amicis, stipãtur clientibus ac famulis, honorantur, coluntur, adorãtur ab omnibus. Hos, inquis, uidetur exaudisse dominus, hos ex omnib. angustijs eripuisse. Quin eò dirigis oculũ, quo te uocat prophetæ digitus, indicans quem imiteris, unde spem certam concipias? [Hic pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum.] Si spectes externe, dominus iuxta carnem è paupercula matre natus est: ipse pauperior, qui hoc ipsum quod habere potuit, reliquit propter Euãgelium. Si animum spectes, nullus unquam hominum uixit Christo pauperior, quia nullus unquã extitit, nec existet purior ab omni cupiditate rerum mundi. Quoniam autem opulẽtiam comitari solet ferocia, eandem uocem Hebræam alij pauperem, alij mãsuetum uertunt. Nec Græce est πένης, sed πτωχὸς, quod mendicum sonat, hoc est, petacem pauperem. Sicut autem sunt multi facultatibus pauperes, cupiditatibus diuites: ita sunt multi uirtutum inopes, sed falsæ pietatis persuasione locupletes. Si cupimus exaudiri à domino, simus uere pauperes, agnoscamus nuditatem nostram: & si quid in nobis uirtutum est, nihil inde nobis arrogemus, sed totum transscribamus misericordiæ diuinæ. Non pudeat confiteri nostram inopiam, sed mẽdicorum improbitatem imitantes, clamemus ad dominum, & exaudiet nos. Sed unde pauperi tanta securitas inter undiq; imminentia pericula? Superne telis igneis nos impetunt impij spiritus, insurgit mundus omnibus machinis in pios, Christus reliquit terras, unde pauperi imbelli, inermi, destituto fiducia? Christus corpus subduxit in cœlum, ut nos eò subueheret: at non deseruit suos, cum illis est usque ad consummationẽ seculi. Rex est cœli & terræ, Non est necesse ut rursus descendat, satis est descendisse semel. Habet innumerabilem angelorum exercitum, per quos tueatur oues suas. Audi ergo non leues suppetias. Angelus domini immittet in circuitu timẽtium eum, & eripiet eos.] Verbum immittet nõ satis exprimit uim dictionis Hebraicæ quã Septuaginta melius reddiderunt per παρεμβαλεῖ, quod proprie est locum fossa uallo q; communire castris, quò se milites in tutum recipiant. Nam quod Latini uocant castra, Græci dicunt παρεμβολὰς, eo quod arceant inruptionem hostium. Quid si quis pro castris uertat immissionem, nullus opinor intelliget quod dicitur. At nihilo dilucidius loquutus est, qui uertit immittet pro cõmuniet. Vnde quidam absurditate sermonis offensi, corrupêrant hunc locũ, ut indicat Augustinus, et uerterant: Immittet angelũ dominus in circuitu: quam lectionẽ adhuc habent cõmentarij in psalmos, qui Hieronymo tribuũtur. Rectius igitur expresserunt prophetæ sensum, qui uerterũt, circundabit angelus, ut diuus Hieronymus, aut castra metabitur angelus domini. Nec ad sensum refert, utrũ hic accipias angelũ Christũ ipsum, qui dictus est magni cõsilij angelus, an angelũ aliquẽ è numero eorum, de quibus beatus Paulus scribit Hebræis, Nónne omnes administratorij spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? Quorũ meminit & in Euangelio dominus, Angeli eorum semper uident faciem patris, qui in cœlis est. Et in Actis de Petro, Angelus eius est: & Danielis 10. Michael auxilio est angelo aduersus regẽ Persarum. Item in Psalmis, Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Non timuit Helizeus imminente hostili turma, qui propheta uidebat angelorum præsidia. Ad illius preces dominus aperuit oculos ministri, & uidit montem plenum equis & curribus igneis, cingentibus Helizeum undiq; plures erant angeli protegentes, q̃ hostes impetentes. Iraq; solo angelorum præsidio uicit Helizeus. Porrò de missis angelis ad sanctos, uel ut opitularentur, uel ut læta nunciarent, uel ut consolarentur, quid attinet cõmorare, quum id tot locis doceant scripturę? Nec in magno discrimine ponendũ est, utrũ iuxta diuum Basilium intelligas unum quemlibet angelum tãtę esse amplitudinis, ut uniuersos deum timentes possit circumire: an cum beato Augustino accipias angelum dictum pro angelis, quemadmodum usitatissime dicimus militem pro militibus licet innumeris. Nõ enim hic agit de numero, sed de specie. Nomine enim angeli excluditur præsidium humanum, & declaratur diuinum. Ne illud quidem officit sensui, quod Hebræus habet circundat tempore præsenti, & Græcus nobiscum, circundabit, tempore futuro, nisi quod tempus præsens significat hoc perpetuo fieri, ut angelus domini custodiat seruos domini. Sed interim militari uerbo admonemur, uitam hominis esse militiam super terram, nec hic nos in patria uiuere, sed in castris agere, ne dormiamus, ne luxui ac uoluptatibus indulgeamus, sed semper in procinctu stantes, clypeum læua, gladium dextra teneamus.

Heb. 1

4. Reg. 6

teneamus. Excubant pro nobis angeli, non ut nos stertamus, sed ab illis adiuti fortiter pugnantes superemus hostem, qui nunc̄ non circumit, quærēs quem deuoret. A quo si tuti esse uolumus, maneamus in castris. ne recidamus à septis ecclesiæ, ne incurramus in manus satanæ: & si cōfligendum est cum hoste, sub imperatoris signis militemus: bona spe militemus, quandoquidem angelos habemus uallantes nos suis præsidijs, nec id simpliciter, sed in circuitu siue gyro. Castra hominum nulla cura sic possunt undiq; muniri, ut non aliquà pateant insidijs, per cuniculos suffodiuntur, uallus iniecto igni exuritur, fluuius ponte transmittitur, fossa impletur, murus arietibus deijcitur: ut nihil horū sit, certe ab his quæ è supernis immissa decidunt, tuta reddi non possunt. Sed dominus per angelum suum undiq; communit suam ecclesiam, ut nec impijs hominibus nec inimicis spiritibus ullus pateat aditus, nisi nos ipsi nosmet prodamus, modo ne castra deseramus, modo ne angelos auxiliares impudicis moribus abigamus. Apes abiguntur fumo, columbę fœtore, sed multo magis angeli turpibus factis abiguntur. Tum demum soli sumus, cum crapulæ, temulentiæ libidinique indulgemus, imò non soli sumus, sed pro stipatu angelorum habemus dæmonum comitatum. Proinde si nolumus deseri à propugnatoribus angelis, timeamus dominum. Sic enim legis, [In circuitu timentium ipsum.] Vt nec homines timeas nec satanam, unica ratio est, si timeas dominum. Qui timet metuit offendere, & hic timor continet nos intra cancellos innocentiæ, donec proficiamus ad amorem diuinæ sapientiæ. Qua gustata, non est iam opus cancellis, sed in libertate spiritus uiuitur, quemadmodum scribit Ioannes, Charitas foras pellit timorem. Et Paulus, Vbi spiritus, ibi libertas. Ad tam benignum dominum, qui hominem tanto dignatur honore, ut angelorū suorum præsidijs illum undiq; communiat, quis trepidet accedere? quis dubitet se illi cōmittere? Hanc tam admirabilem dei erga homines charitatem ac sollicitudinē expertus propheta, ad eandē experientiā inuitat omnes homines. Sic Paulus prædicat se ex persequutore Christi factum apostolum, & ex primo ut ipse loquitur peccatore, factum insignem Euangelij prędicatorem, utiq; per dei gratuitam misericordiam, ne quisquam quamlibet peccatis oneratus dubitaret accedere. Non enim inuida est charitas, sed cupit omnia bona cum omnibus habere communia. Ego, inquit propheta, accessi & gustaui, hoc est experimento comperi. [Accedite & uos, & gustate, & si parum est gustasse, uidete quàm suauis est dominus.] Quod Latini legunt suauis, Septuaginta reddiderunt χρηστὸς, quod magis sonat benignum & commodum. Idem enim uerbum est in Euangelio, Iugum meum suaue est, χρηστὸν. Non succedit omnibus ad reges ac satrapas accessisse. Multis negatur aditus, multi reijciuntur admissi, multi pro sperato beneficio referunt supplicium. Et à multis principibus tutius est abstinuisse, quàm accessisse propius, quod & Græcorū prouerbio testatū est, procul à Ioue & fulmine. At non talis est dominus, qui sic est omnium maximus, ut idem sit omnium benignissimus. Occurrit accedentibus ad ipsum, et cōuertitur ad eos qui sese ad ipsum cōuertunt, teste propheta sub persona dei loquente: Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad uos: & Euangelica parabola de prodigo filio, cui conspecto procul pater obuiā properat. Ex omnibus sensibus duo certissimi sunt, tactus & uisus. Nam gustus tactus quidam est linguæ ac palati, sed tactus perfectissimus. Non enim solum indicat dura molliaq;, aspera & lenia, calida & frigida, sed saporum mille differentias. Proinde dominus in Euangelio, uolens omnem dubitationem è discipulorum animis eximere, Palpate, inquit, & uidete, quod spiritus carnem & ossa non habet. Dicit & Thomas, nisi uidero uestigia clauorum, & misero manū meam in latus illius, nō credam. Tetigit, uidit, credidit. Similiter & Ioannes in epistola certissimā fidem significās, Quod audiuimus, inquit, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ cōtrectauerunt de uerbo uitæ. Sed plus est gustare, quàm contrectare: quod enim gustatur, uiuificat, alitq;: quod manibus contrectatur, non item. Accesserunt ad Iesum Iudæi, contrectarunt illum ac uiderunt, sed non gustarunt, quia quod audiebant, calumniari malebant, quàm credere. In rebus externis, prius est uidere quàm gustare, in spiritualibus contrà. Panem corporis alimentum prius inspicis, quàm mittis in os. At uerbum dei qui est panis animi, nemo perspicit, nisi crediderit, quemadmodum ait Propheta, nisi credideritis non intelligetis. Dominus ergo quæritur dum nos à uitijs ad pœnitentiam conuertimur. Accedimus fide, gustamus acceptis primitijs spiritus, uelut arrabone: uidemus

Luc. 24

1. Ioan. 1

dum

dum eo fruimur contemplantes illius in nos mirificam charitatem, simulq; sperantes perpetuam illam ac beatificam diuini uultus contemplationem. Nam hic uidemus per speculum, & in ænigmate, tum uisuri sicuti est. Tum enim cessabit quærere, cessabit & accedere, quia non est fides, ubi est perfecta experientia. Cessabit & gustare, quia nō dabitur arrabo ad confirmandam spem, ubi quod promissum est totum exhibetur. Solum uidere perficietur ac manebit in æternum. Hęc est unica beatitudo, unica uoluptas totius militię cœlestis, nosse, hoc est, intueri uerum deum, & quem misit Iesum Christum. Habet mundus hic bellaria sua, habet animorum auocamenta, quę nec ad plenum explent, quū interdum copia moueant tædium, Sed hic solus cibus satiat animam sine saturitate. Tum enim quęq; res conquiescit, quum ad suum finem peruenerit. Huc autem natus est homo, ut cognoscat conditorem suum eoq; fruatur. Hic est panis angelorū, qui de cœlo descendit, ut fieret panis hominum. Verbum caro factum est, hoc est, homo factus est filius dei, ut hominū fieret cibus. Beati sunt qui esuriunt hunc panem, sed beatiores qui comedunt illum in regno dei. Quidam hunc locum interpretantur, de esu potuq; corporis & sanguinis dominici, ac sensus pius est, si de spirituali sumptione accipiatur. Nam hac quoq; parte suauis est dominus. Sed ut ipse ait, Caro non prodest quicquam, nisi adsit spiritus qui uiuificat. [In hoc qui sperat siue confidit uir beatus est.] Vana est igitur omnis humana beatitudo, sola uero beatitudo est, fiduciam ac spem omnem collocare in domino. Ea spes non confundit, sed post hanc uitam absoluitur. Interim spe beati sumus, tenentes arram spiritus, donec uenerit quod perfectum est. Qui gustarunt bonum dei uerbum, qui fidei oculis intuentur bona futuri seculi, quæ præparauit deus diligentibus se, hi demum uere beati sunt. In rebus humanis timor & spes inter se pugnant, at in mysticis nulli certiores, q̄ qui timent dominum. Impudenter enim sperat à duce præmium, qui ducem non timet. Qui enim non timet, non paret imperatis. Celebratur imperatoris cuiusdam apophthegma, qui dicere solitus est, Satius esse ut miles timeat ducem quàm hostem. Ita qui non timet Christum principem, & diabolum & homines timeat oportet. Eos igitur qui sub Christi uexillis in ecclesiæ castris militant, Dauid alloquitur dicens, Timete dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.] Timor uos non solum tutos reddet ab incursione dæmonum, sed efficiet, ne quid omnino uobis desit, Interdum enim milites ob inopiam commeatus coguntur sese hosti dedere. Vos autem qui semel dedistis nomen imperatori Christo, si illum timentes præceptis illius parueritis, non est quod ullius rei metuatis inopiam. Imperatoris est prospicere militibus suis, uos ergo tātum quærite regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis illius uidelicet benignitate cui bona fide militatis. Ne mihi quis hic obijciat Lazarum, cui deerat tectum, cibus ac bona ualetudo, ne obijciat Iob omnibus bonis spoliatū. Omnia habet qui deū habet. Iob ditior erat quū nudus sederet ulceribus plenus, q̄ quū opibus abundaret, quia tentatione factus est deo charior. Misera egestas est, carere fide, carere charitate, carere iustitia. Miseranda egestas diuitē esse uitijs, & omniū uirtutū egenū. Timenti deū non est ulla inopia, uidelicet eorū quæ reddūt hominē uere beatū. Cui mori lucrū, is non patitur uitę inopiā moriens. Cui paupertas magistra est sobrietatis ac pudicitiæ, huic paupertas magnę sunt diuitiæ. Quanq̄ & illud in genere uerū est, eis nō deesse uictū & amictū necessarium ad uitā, qui metuentes dominū non recedunt à iusticia. Quid ergo dicemus quum uidemus totam Christianorum uitā plenam esse fraudibus? Quid est in omni rerum natura quod non uitiat quæstus? Quis uenditor non iniqua mercede uendit mercem, si queat circumuenire proximum? Quot sunt artes uitiandi farinam, uitiandi uinum, uitiandi saccarum? Quot impostura sunt in adulterandis pannis, in adulterandis gemmis? Stannū uitiamus plumbo, æs cupro, argentum & aurum nō uno modo corrumpimus. Quod artificium nō habet uarias imposturas? Quod opificium nō habet sua furta? Non iam loquor de furtis molitorum, pistorum, uestiariorum, & aurigarum, quorū rapacitas tam est uulgaris ut propemodum laudi detur. Quis operam proximo debitam præstat bona fide? Quotus quisq; est qui materiam suis manibus commissam bona fide tractat? Chirurgus qui studio producit ulceris sanationem, quo plus auferat mercedis, nónne furto scelerātius quiddā cōmittit? Fortasis & medicos huiusmodi nōnullos reperias. Iam quanta rapina est ex moneta, dum & uitiatur materia, & ponderi detrahitur. Accedit huc subinde

mutata

mutata monetæ æstimatio, magna calamitas pauperũ, ingens cõpendium negociatorũ. Adde huc monopolia, per quæ fit, ut quod uendebatur dodrante, uendatur asse. Inter hęc ubi quæso timor domini? Sed uitijs nostris præteximus metum egestatis, propemodum scripturam arguentes mendacij. Si timerem, inquiunt, dominum, ac sine fraude uiuerem, res mihi rediret ad famem: & ille illecębris dum abiecerunt timorem domini, quantum opum suis fraudibus sibi pepererunt? Hæ uoces an non uidentur hominis falsum esse iudicantis, quod ait scriptura: Non est inopia timentibus deum? Sed audi contrà, Natura minimis cõtenta est, uerũ auaricię, ambitioni, luxui, ac delicijs, nec terra nec maria sufficiũt. Quotidie luditur alea, quotidie celebrantur Bacchanalia, aluntur scorta: & dicitur, ars mea nõ posset alere me, si nihil fraudis admiscerem. Viuas ô nugator sobrie, labores gnauiter, si tum defuerint necessaria, ueni & argue dominum. Sed præstat ad psalmum redire. Annotandum est, quod dictum, [Sancti eius.] Videtur enim indicare esse sanctos, qui nõ sint domini. Quid ni? quum Turcæ habeant sanctos suos, abstemios, castos, rigidissime uiuentes, sed hi sunt sancti satanę. Habebant & gentes diuos suos ac diuas. Habent & Iudęi sanctos suos. Postremo habent & hæretici sanctos, quos magna ueneratione celebrant. Quin & in ecclesia multi sunt admixti sancti, qui non sunt sancti domini. Sunt enim qui ieiunant parsimoniæ aut gloriæ causa, sunt qui sordidati incedunt, sunt qui multum orẽt, qui dent eleemosynam. Hi sancti sunt, sed coram hominibus, coram deo sepulcra sunt dealbata. Sed qui purum habent cor, nec aliò spectans quàm ad Christũ, hi sunt sancti quos alloquitur Dauid. Sancti sunt qui puri sunt, sed sancti dei nõ sunt, nisi qui puri sunt in oculis dei. Fortasse nec illud mysterio uacat quod ait, [Omnes sancti.] Videtur enim indicare etiam inter sanctos dei magnam esse uarietatem, quos tamen omnes ad communem domini timorem inuitat. Quæ sunt illa discrimina? Sancti sunt qui pure uiuunt in sacerdotio. Sancti sunt principes, qui rempublicam bona fide administrant. Sancti sunt præsules, qui sedulo curant gregem dominicum. Sancti monachi, qui mortui mundo tantum anhelant ad cœlestia, mortui carne spiritu aguntur. Sanctæ sunt uirgines, quæ sponte sese totas dicauere sponso Christo. Sancti sunt qui seruant honorabile coniugium & thorum immaculatum. Sancti sunt qui iusto opificio sine fraude parant, unde & se suosq; alant, & habeant unde tribuant necessitatem patienti. Non tam refert quo quisq; statu sit, cę quantum timeat dominum. Ne quis dicat, non sum monachus, sed coniugatus, & negociator, quomodo perueniam ad cœlum? Time dominum, & nihil tibi deerit duntaxat necessarium ad salutem. Si consulas oculos carnis, nulli magis egent, quàm qui timent dominum: nec ulli bonis omnibus magis florent, quàm qui abiecto timore domini, per fas nephasq; uenantur huius mundi commoda. Sed si res ad uerum iudicium exigatur, comperiuntur esse pauperrimi, qui pro diuitibus habẽtur: contrà ditissimi, qui pro egenis habentur. Hoc nobis nunc loquitur propheta, [Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem dominum non minuentur omni bono.] Scriptura ferè solet appellare diuites non eos qui multa possident, sed qui fidunt opibus suis, nec his uncq; satiantur. Velut in Euangelio, Quàm difficile est diuitẽ intrare in regnum dei. Alibi diuitibus inclamat uæ: & Paulus, Qui uolũt diuites fieri, incidunt in tentationes & in laqueũ diaboli. Confirmat quod dico, contentio partium. Nam hæc sententia constat è contrarijs, & diuitibus opponit inquirentes deum, ut intelligas hic agi de diuitibus, qui conquiescentes in opibus suis, negligunt deum. Ac tales plerique sunt qui diuitijs abundant, aut male partis, aut fraude auctis, aut auare seruatis. Nec enim temere iactatũ est illud, Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Iste igitur qui extruit magnificas ędes, qui domum habet aureis argenteisq; ualis, auleis uariisq; supellectile ornatam, qui splendide epulatur, qui regaliter cultus, multo famulitio stipatus incedit, qui multos alit equos, qui multa possidet latifundia, qui multum habet auri in scrinijs, multum in fœnore, qui census habet amplos, ab omnibus ut diues honoratur, ac tantum non pro semideo colitur. Verum si Silenum istum inuertas, inuenies intus turpissimam egestatem, animum uacuum fide, nudum charitate, nulla sapientia, nulla uirtute ornatum. Iam mihi confer illas spiritus opes, cũ his quæ possident diuites, & perspicies quãto miserabilior sit illius locupletis egestas, cę cuiuslibet mẽdici publici, qui uestẽ habet laceram, crumenã uacuam, cibi minimum, deliciarum omnino nihil, sed habet in penetralibus mentis pietatem, pudicitiam, modestiam, castitatem, sobrietatem.

tem. Precioſior eſt ſapiẽtia cunctis opibus. Hanc quiſquis habet, ſuperat omnes Crœſos & Craſſos. Diuites, inquit Iacobus, fide, & hæredes regni. Proinde qui deplorant pau/pertatem ſuam, quum abundant animi bonis, ingrati ſunt erga deum. Si fides per quã iu/ſtificamur, ſi charitas quæ nos ditat bonis operibus, precio queat emi, quid nõ libẽter im penderes? Nunc quũ tam inæſtimabiles dotes deus gratis in te contulerit, clamas te pau/perẽ, qui nõ abundes opibus, nec ueris nec firmis, quippe quę nec beatiorẽ reddãt homi/nẽ, & fortunæ arbitrio tum dentur, tum eripiantur. Negant Stoici quemq; eſſe diuitẽ niſi ſapientẽ, quum illi tantum umbrã ueræ ſapientiæ ueluti per ſomnium uiderint: & tu que/reris de inopia, qui noſti uerum deum & quem ille miſit Ieſum Chriſtum? Immò qui ha/bes ipſum deum, in quo bona ſunt omnia? Proinde ſi de ueris bonis accipiamus, perpe/tuo uerum eſt, quod ait hic pſalmus, Diuites hic eguerunt, inquirẽtes dominũ non defici/ent omni bono. Et tamẽ hoc de rebus etiã externis ſi non perpetuo, certe frequenter uerũ eſt, ut diuites uel bello, uel naufragio, uel alea, uel luxu, uel alia quauis calamitate redigan/tur ad inopiam. Nec omnino ſine cauſa iam olim hoc uulgo dicitur, De male quæſitis nõ gaudet tertius hęres. Vt nihil horum accidat, certe mors eripit uniuerſa. Ibi demum uideas extremam inopiam, ibi rerum uices inuerſas, quum diues mendicet guttulã aquæ, nec accipit, Lazarus reficitur in ſinu Abrahæ. Adde quod nemo diues eſt, qui plura con/cupiſcit, qui nõ audet uti quæſitis, qui ſemper addit aceruo: tam deeſt auaro quod habet, q; quod non habet. Animus diuitem facit, non circũfuſa rerum copia. Quod noſtra ædi/tio habet eguerunt, Græci uerterunt ἐπτώχευσαν, id eſt mendicarunt: qui callent Hebraice, uertunt depauperati ſunt, hoc eſt, ad inopiam redacti ſunt: & ut intelligeres extremam paupertatẽ, addidit, & eſurierunt. Venit enim tempus quum animi bona fruſtra quæren/tur, ab his qui hic oblata negligunt. Conuertẽtur enim ad ueſperam, & famem patientur pſal. 58 ut canes, & fruſtra circumibunt ciuitatem, quemadmodũ & iam olim infelices Iudæi cir/cumeunt Eccleſiam, uident illam tot dei donis locupletẽ, uident corpore Chriſti refici, ca/lice ſanguinis illius inebriari, ſcripturarum medulla ſaginari, & ipſi fame ſitiq; pereunt. Rurſus pro eo quod nos legimus diuites, Hieronymus reddidit leones, alius catuli leo/num. Hæc uocum uarietas nihil officit ſenſui, ſed explicat magis. Non enim ut dictum eſt, ſentit de quibuslibet opulentis, ſed diuitibus in hoc ſeculo, qui tument ac ferociũt fiducia diuitiarum, qui rapinis & pauperum laniatu rem augent, qui opprimunt imbecilles, qui mercedem pauperum apud ſe detinent, qui uſuris ac monopolijs exedunt tenues. Hi leo/nes ſunt carniuori, & horũ filij catuli leonũ, aut ipſi etiã illius leonis catuli, qui ſemper ob/ambulat captans quẽ deuoret. Talibus diuitibus Iacobus denunciat imminentẽ egeſta/tem: Agite nunc diuites, plorate ululantes in miſerijs ueſtris, quæ aduenient uobis. Diuitię ueſtræ putrefactæ ſunt &c. O miſeras diuitias. Illi porrò uere diuites ſunt, qui theſauros ſuos recondiderunt in cœlis, ubi nec ſuffodiunt fures, nec erodunt tineæ, nec corrũpit eru/go. Nec male ſentiunt qui locum hunc ad Iudæos & gentes referunt. Iudæi ſibi uideban/tur diuites operibus iuſticiæ, & Chriſtũ qui ueras diuitias offerebat aſpernabantur. Gen/tes autẽ quæ nec legẽ habebant, nec ſynagogã, nec dei noticiam, nec omnino quicq; quo ſibi placerent, per fidem ditati ſunt, Iudæis ad extremam redactis inopiam, qui nunc nec ciuitatẽ habent, nec templum, nec ſacrificia, nec deum, nec Chriſtum. Nam patrẽ abnega/uit quiſquis abnegat filium. Gentes itaq; ſitientes iuſticiam dominus impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Merito eſuriunt qui nauſeauerunt ad panem cœleſtem, qui excu/ſarunt inuitati ad cœnam magnam: merito ſitiunt, qui terra ſibi oppleuerunt uenas aquæ uiuæ quas aperuerat Iſaac, Et iam illis eſurientibus, debiles, cæci & claudi accumbunt in menſa dominica. Quod Iudæis uſu uenit, idem accidet & Chriſtianis Iudaicis, qui fide charitateq; intus uacui, de cibis, de ieiunijs, de cultu, ſimilibusq; ceremonijs gloriantes di/cunt, nos diuites ſumus & nullius egemus, atq; adeo redundat nobis operum bonorum copia, ut poſſint & alios ditare. Quid iſtiuſmodi diuiti dicit ſpiritus ſanctus in Apocaly/pſi? Neſcis quod tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & nudus & cæcus? Vnde ergo fiet ille uere diues? Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, &c. Qui ſuis bonis diues eſſe uult, fit uere pauper: qui uere cupit eſſe diues, emat ab eo qui diues eſt in omnes, & illi ferat ac/ceptum quicquid habet boni. [Hos theſauros qui inquirunt, non deficient in ullo bono.] Sed his inquiſitoribus deſunt aurum, ebur, gemmæ, byſſina. Si deſunt, bona non ſunt.

Sed deest forma, robur corporis, prospera ualetudo. Ne hæc quidē uere sunt bona. Quibus hæc desunt, illis præstat ea non habere. Rursus usus est inquirendi uerbo, studium ac
Prou. 2 uigilantiam nobis commendans, Si quæsieris, inquit Solomon, sapientiam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem domini, & scientiam dei inuenies. Sapientia cœlestis uenas habet inexhaustas, quàm diu sumus in hac uita sine intermissione fodiendum est. Iudæi thesaurum hunc quærunt in superficie literæ, quærunt in discriminibus ciborum. Sed altius abstrusæ sunt diuitiæ spiritus. Quid impendunt, quid laborum non suscipiunt homines, quàm alte fodiendo penetrant in uiscera terræ, ut aliquid auri tandem inueniant in puluere: & nos pigritamur scrutari tam inæstimabilem thesaurum, ut inueniamus deum? Posteaquam propheta tam magnificis promissis excitauit omnes ad timorem domini, ad inquirendum dominum, dixerit aliquis, quid est timere dominum, aut quomodo inquirendus est dominus? Qui sic loquuntur declarant sese dociles iam esse, quia discendi sunt auidi. Hac igitur uoce delectatus spiritus sanctus dicit, [Venite filij, audite me, timorem domini docebo uos.] Audis uocem amantissimi doctoris ac blandissimi, si modo præbeamus nos dociles. Et qui fingit animum, magis est pater, quàm qui gignit corpus. Ac discipulus plus debet bono præceptori, quàm parenti, quod ab hoc accepit ut uiuat, ab illo ut bene uiuat. Frustra autem uiuit, qui non uiuit bene. Iudæi qui obturabant aures suas ad hanc philosophiam, quid audiunt à doctore?
Matth. 12 Progenies uiperarū quomodo potestis bona loqui, quū sitis mali? Aspides erant, occludebant aureis suas ad uocem incantantis sapienter. Nos si filij dei esse uolumus, præbeamus aureis dociles & attentas: dociles per fidem, attentas per spem. Si boni discipuli fuerimus dei, erimus & filij. Ne cum Iudæis dicamus, recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus, nam hoc est peccatum in spiritum sanctum, quod nec in hoc seculo remittitur, nec in futuro: sed recipiamus uerbum domini. Quotquot enim receperunt illum, dedit eis potestatem ut efficiantur filij dei, credentes in nomine Iesu. Ita Iacobus, Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initiū aliquod creaturę. Et dominus in Euangelio discipulos suos filiolos appellat. Iam enim illos parturiebat, ac ueluti solicita mater in
2. Cor. 4 sinu fouebat, hoc tenerius diligens quo erant imbecilliores. Quin & Paulus Corinthijs ita loquitur, Nam in Christo Iesu per Euangeliū ego uos genui. Quid autē Galatis? Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. Semen est uerbum dei, cui si accesserit fides, gignit nouam creaturam. Clamat ergo cœlestis doctor è cathedra, Venite filij. Audiamus tam amanter inuitantem, eamus ad illum, quandoquidem ille prior nō est dedignatus uenire ad nos, [Venite ad me, præparate cor.] Nam quidā ex Hebręorum lectione pro uenite legunt, præparamini. Præparatus est qui se docilem præbet: docilis autē est, qui simpliciter credit. Qui philosophiam humanā profitetur dicit, Oportet discentem credere. Sed non est tutum semper homini quamuis docto credere, deo credere tutissimum est, qui nec falli potest, nec fallere nouit. Estote filij, & uenite, non ad Iudęos, non ad philosophos, non ad mathematicos, non ad magos, sed ad me, de quo pater dixit, hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Quid auscultatis frigidas Iudæorum fabulas? Quid pharisæos, qui docent doctrinas hominum? Quid Stoicos aut Peripateticos, qui profitentur quod non intelligunt? Audite me, qui cœlestem doceo philosophiam, qui certa compertaq; doceo, quæ uidi apud patrem meum. Sic sapientia apud Solomonem clamat in plateis, in foribus portarum urbis profert uerba sua. Vsquequo paruuli diligitis infantiam?
Prouer. 1 Conuertimini ad correptionem meam. Tantus præceptor qui tam amanter inuitat, dubium non est quin aliquid magni profiteatur. Quid tandem? Timorem domini docebo uos.] Antea præclaris elogijs commendauit nobis timorem domini. Quibus? Quod qui timent dominum angelico præsidio tuti sunt ab omnibus periculis. Quid amplius? Quod timentes deum nullius rei tangit inopia. Insignia sunt præmia, sed ut recte timeas dominum, præceptis opus est. Quot regulas ediscis ut fias dialecticus? Et tamen non statim felix est qui dialecticus est. Quot præceptionibus opus est, ut discas artem pingendi? At quàm exile lucrum. Quanto studiosius discenda est ars timendi dominum. Accedamus alacriter. Nam qui docet, idem dat quod præcepit. Ergo doce nos præceptor optime, præsto sumus. Sic itaq; doctor uocalis omnes mortales alloquitur. Quisquis expauescit terrore hominū, nō potest recte timere dominū. Nec statim beatus

erit

erit,qui quouis modo timuerit dominum.Dæmones horrent iudicij supremi diem,& cõ tremiscunt. Et homines impij timent dominum tonantem,fulminantem, terram concutientem,pestilentiam immittentem,naufragium intentantẽ.Ibi mali quoq; procidunt in genua,tollunt in cœlum manus,uotis deum sollicitant,uociferantur,implorant opẽ.Sed non aliter illi timent dominum,q̃ timerent latronem,aut malum genium. Timent ne noceat.Sublato periculo simul auolat timor.Seruilis hic timor est,ac sterilis et temporarius: at timor domini fœcundus est,gignens in nobis spem, quemadmodum scribit Esaias. A timore tuo domine concepimus & quasi parturiuimus,& peperimus spiritũ salutis.Nec huic diuersum est illud Solomonis,Initium sapientiæ timor domini. Audis felicissimam fœcunditatem.Nunc audi constantiam. Timor domini sanctus, permanet in seculum seculi.Si seruus es,esto seruus frugi,non ad oculum seruiens,time dominum, non ne iratus immittat paupertatem,morbum,aut aliud corporis malum, sed time iudicaturum uiuos & mortuos,time dicturum inobedientibus,Ite maledicti in ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius. Seruus hominis potest fallere dominum, potest effugere suppliciũ,tu quò fugies ut effugias? Vbi te abdes ut illum fallas? Ergo si bonæ spei seruus es, sic punientem time:sin filius,reuerere sic te amãtem patrem,sic de te meritum,ut etiam si tollantur inferi,charitas tamen efficiat,ne qua in re uelis offendere. Si quis dicit se timere deum,ac nihilo secius perseuerat in peccatis suis,nec seruat præcepta domini,sciat se non recte timere dominum. Clamat itaq; doctor cœlestis,auscultate uniuersi. [Quis est homo qui uult uitam,qui diligit uidere dies bonos?] Nónne ad hanc uocem protinus acclamãt omnes,uolumus,diligimus.Sed si delectat præmium, præstate officium, [Prohibe linguam tuam à malo,&c.Sed quum audis uitam, ne cogites hanc uitam corporalem,quæ mors uerius est quàm uita.Nam hanc habemus non solum cum impijs,uerumetiam cum brutis animantibus communem.Non loquitur pecudibus, sed hominem inuitat rationis participem. Est hominis uita quædam peculiaris, quam bruta nesciunt. Hąc uiuunt qui spiritu dei aguntur,hac uiuunt qui pie uiuunt. Anima est uita corporis, animæ uita deus est,post hanc uitam est beata immortalitas. [Quis est igitur homo,qui cupit hanc uitam, qui diligit uidere dies bonos?] Vulgus bonos dies appellat, quibus indulgetur genio, quibus lucrum opimum obtigit,sed non est uera hilaritas,ubi est mala conscientia:nec est uerum lucrum,ubi iactura fit bonæ mentis.Dixerit quispiam,qui nam hęc inter se cohærent.Qui sequitur me tollat crucem suam.Qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu,persecutionem patientur,& quod hic pollicetur dies bonos? Momentaneum est quod hic patimur,æternum est quod nobis pollicetur per prophetam dominus.Et tamen quicquid est ueræ hilaritatis,quicquid est ueri gaudij,in animis est timẽtium dominum. Secura mens, inquit Solomon, quasi iuge conuiuium. Quis omni malorum genere Paulo exercitatior? Et tamen quàm is passim exultat in suis epistolis. Ad Corinthios ita scribit.Repletus sum consolatione,superabundo gaudio in omni afflictione nostra. Non satis erat dicere, abundo,superabundo inquit,temulentiam,ut ita loquar,quandam gaudiorum exprimere studens. Sic in auctionibus clamat præco,quis est homo, qui uult emere seruum musices & grammatices bene doctum? Cuiuis potestatẽ emendi faciẽs,si precium adferat.Ita Christus neminem excludit ab auctione tantæ felicitatis, sed clamat, Quis est homo qui uult uitam,& amat uidere dies bonos? Vnusquisq; pro se respõdet,ego uolo, ego diligo: plus aliquanto est diligere q̃ uelle.Si uis,ecce parata merx,tu precium depone. Quod precium? [Prohibe linguã tuam à malo,& labia tua ne loquantur dolũ. Eadem sententia sibi cõmutatis uerbis accinitur.Satis est non peccare lingua? Minime, sed protinus additur, [Declina à malo,] hoc est,discede ab omni genere uitiorum.Ne id quidem satis:addit, [Et fac bonum.] Hæc enim arguunt in nobis esse uerum timorẽ domini. Sed quur ex omnibus membris corporis,solam linguam nominat? Quia nullum membrum utilius,si recte utaris:nullum pestilentius,nisi recta ratione gubernetur.Eoq; Solomon ait, Mors & uita in manibus linguæ, Qui custodit linguã suã,custodit animam suam.Contrà iuxta dictum beati Iacobi,Qui se putat religiosum,& nõ refrenat linguã suã,huius uana est religio. Et qui nõ lapsus est uerbo,hic perfectus est uir.Quoniam autẽ membrum natura lubricum est ac uolubile,ideo cohibere iubemur timore domini ueluti freno. Primus uirtutis gradus est silere,non ore tantum, sed & cogitatione, ut in silentio & spe sit fortitudo nostra.

26 2.Cor.7 Prou.8

Nam in multiloquio non potest abesse peccatū. Pythagoras à suis discipulis exegit quin quenne silentium, & miramur si Christus à cœlestis philosophiæ auditoribus exigit linguæ continentiam? Esto tardus ad loquendum, uelox ad audiendum, & in rebus diuinis diu discę quod doceas. Sed Pythagoras uult mutos esse discipulos, Christo satis est linguā cohiberi à malo, mali nomine complectēs omnem uitiorum speciem. Psalmi huius exordium fuit, benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In hunc usum præcipue data est homini lingua: proximum est, ut hac doceamus, moneamus, consolemur proximum. Tertium ut resistentes pertinaciter gloriæ Christi, lingua pro gladio repellamus ac deijciamus. Quemadmodum autē malorum extremum est blasphemias euomere in deum, ita perniciosissimum est maledictis obtrectare proximo. Nam id homicidij genus. A blasphemijs in deum minimū absunt, qui scientes peierant, minus etiam, qui uel ex malicia, uel ex praua consuetudine iurant abominandis modis. Galli quū regem suum forte nominant, aperiunt caput, & addunt bene precantes, deus det illi bonam uitam: & Christianus nulla reuerentia subinde polluto ore nominat deum aut Christum. Quidam nec friuolam aut obscœnā fabulam narrare possunt, nisi tertium quodq; uerbum sit, per deum, per deum. Atq; utinam hoc uitium in Germania tantum audiatur. At eò res deuenit, ut propè aulicū ac ciuile uideatur identidē interijcere, per deum. Quomodo sonat hæc uox ex ore puellæ, quomodo ex ore sacerdotis ac monachi? Sed consuetudo facit, ne sentiatur mali turpitudo. Hæc pueri discunt à parētibus ac nutricibus, & puer puerum audit iurantem per deum. Hoc inquam blasphemiæ proximum est, sed propiores sunt qui iurant per martyrium Christi, per quinq; uulnera, per caput, per cerebrum, per capillos Christi, per uentrem, per umbilicum, per intestina, per pedes & calceos dei. Iam omnem blasphemiam superant (abhorret animus à commemoratione) qui iurāt per meretricē dei, per naturam matris dei. Item qui non possunt aliquid certo promittere, nisi dicant, hoc efficiā inuito deo, siue in despectum dei. Nec ista dicūtur tātum in malis atrocibus, in quibus intolerabilis dolor interdum exprimit uoces impias, sed in leuissimis, si parum commode cecidit tessera, si pila manum fefellerit. O linguas gehennæ ueneno infectas. Et in tam abominabili malo prætexitur consuetudo. Valeat nonnihil hæc excusatio in uitijs leuioribus, in blasphemia nihilo magis patrocinari debet usus, quàm in parricidio sacrilegioue. Sed quur non dediscitur ea consuetudo, quæ si quis aduigilet, uno mense penitus aboleri potest. Qui blasphemus est in deum, quomodo benedicet proximo? Iam non commemoro quid iratus imprecetur homini, sed quid ciuilitatis gratia amicus imprecetur amico. Nónne in quibusdam regionibus quum uolunt uideri comes, ita salutant amicum diu non uisum, ut tibi det deus centum glandes (ita pestem notant) ubi abfuisti tam diu? Alibi dicunt, ut tibi det deus morbum comitialem, quando compotabimus? Tanta absurditas, inolita consuetudine facit, ut uideatur urbanitas. Tolerabilius est quod quidam execrantes seipsos, quoties cum fide loqui uolunt, aiunt, ingens genius malus me tollat è medio, si unquam uidi melius ludentem pila. Iam irati quot habemus deuouendi formas? Malus dęmon frangat tibi ceruicem, ueniat tibi pleuresis, ueniat tibi scabies Lazari, sic leprā indicant, ueniat tibi profluuium sanguinis. Ab his tantis malis qui nō cohibent linguas suas, quomodo sibi uidentur timere dominū? An eiusdem est timere & blasphemijs impetere? Maledicēti patri aut matri mors erat pœna, quid supplicij debetur blasphemis in deū? Quanq; qui proximo maledicit, maledicit deo. Christus iuuatur ac lædítur in mēbris suis. Quisquis illudit regis insignib. aut statuis, ut maiestatis uiolator ad supplicium rapitur: & deum non timet qui execratur hominem, ad imaginem dei creatum, & Christi sanguine redemptum? Fuimus olim blasphemi in deum, quum honorem illi debitum exhiberemus dæmonibus. Erat illa uetus lingua, sed posteaquam nobis nouam linguam dedit dominus, qua semel uerum deum, & filium eius unà cum sancto spiritu professi sumus, absit ab ore nostro blasphemia, nec organo ad benedicendum consecrato abutamur ad maledicendum uel deo uel homini: sed audiamus apostolum admonentem, Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Atque ut intelligeremus maledica lingua non solum lædi proximum, sed & deum subdit, Et nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Audis in pijs hominibus habitare

Ephes. 4.

spiritum

ſpiritū dei. In his cōtriſtatur ille, blaſphema, periura, execratrice, cōtumaci, turpiloquaq; lingua. Quantus gladius penetrat animum uere timentis ac diligentis deum, quum audit ex ore Chriſtiani blaſphemas uoces, quarum aliquot ſupra retulimus. Vt autem pura ſit lingua, fac ut purum habeas cor, hinc enim uelut e fonte ſcatent omnia linguæ uitia. Eoq; ſubiicit Paulus, Omnis amaritudo & ira & indignatio. Audis fontē: audi fructum, & clamor & blaſpemia tollatur à uobis. Satis eſt cor habere purum ab amaritudine, ira & indignatione: Nequaq;, eoq; ſubnectit, cum omni malitia. His affinia præcipit Coloſſenſibus, Deponite nunc uos omnia, iram, indignationem, maliciam, blaſphemiā, turpem ſermonem de ore ueſtro. Nolite mentiri inuicem. Quur addit nunc? Antea pagani paganice loquebamini, nunc poſteaq; os ueſtrum conſecratum eſt Chriſto, tantum illius gloriæ ſeruiat. De cætero igitur, quæcunq; ſunt uera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quęcunq; boni ominis, ſi qua uirtus, ſi qua laus diſciplinæ, hęc cogitate. Hæc intus uerſentur in animo, & foris ſonet lingua. [Et labia tua ne loquantur dolum.] Superior pars uidetur magis ad blaſphemiam pertinere, hæc ad fraudem proximi. Qui conuiciis debacchatur in proximum, non quidem illum dolo, ſed aperte uulnerat: cæterum hoc quoq; nocentior eſt, qui idem efficit dolis uelut ueneficiis. Dolus eſt fallere periurio, mendaciis imponere, infamare clancularriis ſuſurris, traducere famoſis libellis, ſed alieno nomine proditis, adulatione corrumpere, prauis callidiſcq; conſiliis in malorum naſſam inducere, falſa doctrina inficere, hypocriſi fallere, deniq; quicquid artificio læditur dolus eſt. Hinc quoniam maxima pars malorū naſcitur, eò linguæ ſanctitas interpręcipua hominis pij laudes recenſetur. Qui loquitur ueritatem in corde ſuo, qui nō egit dolum in lingua ſua. Si lingua fuerit cohibita, ſi purus animus, ſua ſponte conſequitur quod addit uterq; pſalmus, ille collaudans, Nec fecit proximo ſuo malum, hic præcipiēs, [Declina à malo & fac bonum.] Declinat à malo qui per baptiſmum aut pœnitentiam exuit ueterem hominem cum actibus ſuis & induit nouum, qui renouatur in agnitionem dei, ſecūdum imaginem eius qui creauit illū. Facit bonum, qui purgatus à peccatis, ornat uacuam mētis domum operibus pietatis, ſobrietate, pudicitia, modeſtia, ſyncerítate, eleemoſynis, precationibus, gratiarum actionibus, ſacris ſtudiis, ſanctis contemplationibus. Prima rudimenta pietatis ſunt recedere à uitiis, pectusq; noſtrum purum organum præbere ſpiritui ſancto, per quod ſe digna operatur. Neq; hoc temere addidit ſpiritus ſanctus. Videas enim & hodie quoſdam qui ſibi ſat pij uidentur, ſi neminem lædunt. Neminem fraudant, neminem ſpoliant, ſed quod habent ſibi habent: nemini faciunt conuitium, nemini obtrectant, ſed non docent proximum, non admonent, nō increpant. Non indulgent crapulæ, ſed non opitulantur fame pereuntibus. Non loquuntur impia, ſed impia molientibus non obſiſtunt. Quid multis? Innoxij uiuunt, ſed ſibi uiuunt ſuæq; quieti cōſulunt. At non ita Paulus, qui flet cū flentibus, qui uritur offenſo quolibet, qui infirmatur cū quolibet, qui per infamiam & bonam famam procurat ſalutem hominū. Quum tot ſint malorum ſpecies, quur ſingularitatis numero dixit declina à malo? Quia nō potuit abſolutius ſignificare corpus & uniuerſitatem malorum omnium. Sic de Chriſto loquitur Ioannes Baptiſta, Ecce qui tollit peccatum mundi. Similiter & ante dixit, Cohíbe linguam tuam à malo, ne quod mali genus nobis exciperemus. Sunt enim qui dicunt à blaſphemia cohíbeo linguā, ab obtrectatione non eſt neceſſe: uulgare uicium eſt. A periurio refreno, à mendaciis ac turpiloquio non item. Rurſum audimus quoſdam dicentes, ab adulterio & inceſto mihi tempero, in ſimplici ſtupro mihi indulgeo. A furto contineo manus, ſed à uinolētia non poſſum. Ne uoces huiuſmodi audirentur, ſimpliciter dixit, declina à malo. Fortaſſe nec illud indignum animaduerti Non dixit, uita malum, ſed declina à malo. Quum in hac uita malorum plena ſint omnia, nemo poteſt uitare malū, ſed declinare poteſt, ne uulneretur. Declinat autē qui corporis flexu telum effugit. Ita quoties incurrit in nos malum obiecta peccādi materia, deflectamus, & alò uertamus animum. Quò? ad preces, ad eleemoſynas, ad ſacrarum literarum ſtudia, ad cruciatus gehennæ, ad æternæ uitæ præmia. Si declinandum à malo quum incurrit, quid ſperandum de his, qui ſibi prudenter accerſunt peccandi materiam? Rurſus hic aliquis quærit, quod eſt malum, quod bonum? Manifeſta mala iudicat illa lex omnium hominum inſita mentibus, quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. Cæterum malum eſt, quicquid prohibent diuinæ literæ: bonum quicquid

Col.3

Philip.4

Pſal.14

Col.3

præcipiunt, suadentúe. Occurrit interim & alia ratio, quare in arcanis literis primæ partes tribuantur linguæ. Nam illud omnibus cõspicuum est, multorũ causam malorum esse uentrẽ, & ea quæ sub uentre sunt, multa mala cõmitti oculis & manibus, at una lingua cæteris omnibus nocẽtior est. Sed quæ tandẽ est altera illa ratio? Quoniã ut omnis mali principiũ à lingua profectũ est, ita salutis omnis origo per linguã uenit. Lingua serpentis mendax pariter ac blasphema in errorẽ pertraxit Euam. Deus dixerat, Si comederitis morte moriemini. Serpens dicit, non moriemini, sed aperientur oculi uestri & eritis sicut dij. Dolus est quũ falsa pollicetur ut fallat, blasphemia dum deo impingit uanitatẽ. Nec dubium est quin Eua blãdicijs pellexerit maritũ, Corrũpunt bonos mores colloquia mala. Vide quantum mali ex hoc colloquio breui contraxerint humani generis principes autores. Abdunt sese, iam hoc est uolentis dolo fallere si possit. Euocantur ad confessionẽ. In lingua enim erat medicina mali. Iam lingua erat infecta dolo. Cœlat Adam crimen, & prætexit falsam causam, posteaq; latere nõ potuit, Timui eò quod nudus essem. Si uere timuisset, abstinuisset ab arbore interdicta. Quod nudus essem, & hic tacite deũ accusat, qui non prouiderit colono suo de amictu. Audit à deo cõmissum suũ, edisti de ligno, de quo ne gustaris uetuerã, Saltẽ nunc cohibe linguam à malo infelix, confitere peccatũ. Non facit, sed addit malũ malo, culpã reijciens in mulierẽ, imò oblique in deum ipsum, qui talẽ sociã adiunxerat. Quid mulier? Incusat serpentem. Hoc non est loqui ueritatem, sed ipsi etiã deo uelle fucum facere, qui inspector est cordium. Hinc illud malorũ agmen, quibus nũc agitatur uita mortalium. A lingua morbus, sed ab eadem medicina. Pro serpentis blasphema mendaciq; lingua, uenit dei uerbum, in cuius ore non est inuentũ mendacium, sed glorificans deum in omnibus, hominũ generi protulit uerba uiuifica. Fecit quod docuit, præstitit quod promisit. Audijt Eua serpentem, & in mortẽ corruit fraude diaboli: audijt Ecclesia Christum, & reuixit spiritu Christi. Illa ex colloquio serpentis didicit excusare peccatum, & meruit maledictionem. Ecclesia ex alloquio Christi didicit confiteri peccata, & impetrauit benedictionẽ. Benedictus enim uir qui cõfidit in domino. Nam transfigurati in benedictũ, fiunt & ipsi benedicti. Corde creditur ad iustitiã, ore cõfessio fit ad salutem. Qui renũtiat diabolo & omnibus põpis eius, cohibet linguã à malo: qui profitetur Iesum esse filiũ dei et totius salutis autorem unicũ, loquitur lingua noua, magnificãs deũ, et subleuans proximũ. Abiectus est uetus homo, in nouo fides per dilectionẽ operatur. Etiã ne restat aliquid? Nihil aliud q; ut in uia domini sine intermissione progrediamur, donec occurramus in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. [Inquire pacem, et persequere eam.] Non est pax impijs dicit dominus. Sola pietas donat uerã pacem, eamq; triplicem. Efficit enim ut homo liberatus à peccatis pacẽ habeat cum deo, quemadmodum ait Apostolus, Iustificati per fidem, pacem habemus ad deum. Vnde? Ex meritis nostris? Nequaquam, sed per dominum nostrum Iesum Christum. Cum autem in nullo redarguit nos nostra conscientia, pacem habet quisq; secum. Nihil enim inquietius, nihil rixosius animo sibi male conscio. Cum hominibus autem facile pacem habebit, qui nemini maledicit, qui nemini imponit, sed qui omnibus pro uiribus & benedicit & benefacit. Postremo qui maledicenti non remaledicit, qui lædentẽ non ulciscitur, sed malefacta potius benefactis pensat, quemadmodum Paulus ad Romanos, Si fieri potest, quod in nobis est cum omnibus hominibus pacem habentes. Qui potest hoc fieri? Non uosmetipsos, inquit, defendentes, siue, quod dilucidius est, ulciscentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mea est ultio, & ego rependam, dicit dominus. Difficillimum, inquies, est quod præcipit, sed difficilius est quod in eodem capite præcepit, Benedicite persequentibus uos, benedicite & nolite maledicere. Fecerunt hæc apostoli, fecit hæc Paulus, nec tamẽ habuerunt pacẽ cũ omnibus hominibus, & eò præfatus est Apostolus, Si fieri potest: certè quod in ipsis erat, etiã cũ Iudęis ac gentibus pacẽ habuerunt apostoli. Hic est præcipuus bonæ arboris fructus, nullis hominum iniurijs à mentis tranquillitate deijci, nullis contumelijs à benefaciendi studio alienari. Alia facile uel simulantur à nobis, uel fallunt nos. Legimus olim monachos in desertis agentes, precibus, ieiunijs, utilitate uestitus ac ciborum, chameunijs, & æstus frigorisq; patientia inter se decertasse: quosdam produxisse inediam in quartum diem, alios in septimum, nõnullos etiam diutius, adeo ut fuisse legantur, è quorum dentibus scaterẽt uermes ob inediam: atq; his rebus magnam sanctitatis

Hiere. 18

Roman. 5

Rom. 12

tatis opinionem sibi apud uulgus conciliabant. Et tamen ex his sanctis qui uocabãtur ad munus episcopi, lacessiti cõtumelijs, uexati iniurijs, prorsus, ut inquit Chrysostomus, furiosi reperiebantur, ac ne leuibus quidẽ iniurijs ferendis pares. Tales arbores radicẽ habebant uitiatã, frondibus luxuriantes, fructu ueræ pietatis uacuæ. Ac probabile est satanam ex huiusmodi certaminibus nihilominus lucri tulisse, quam ex aliorum crapula. De his loquor qui ista uel immodice faciunt, uel ob humanum aliquẽ affectũ. Fortasse & hodie reperias, qui tum sibi tum alijs mira sanctimonia præditi uideantur, ob similiũ rerum obseruationes: sed dum non dicam colaphis cæsi, sed uerbo læsi, totum mundum excitãt ad uindictam, quãtum absint à uera pietate, res ipsa clamitat. Omnes dominũ timeamus, & omnes efficiamur filij pacis, cõdonantes inuicem in charitate dei, ut quæ pacis sunt inuicem sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicẽ custodiamus. Plurima occurrunt in hominum uita, quæ pacem concordiamq; labefactant, eoq; ad huius custodiam uigilantes cautosq; nos esse uult propheta dicens: Inquire pacem & persequere eam. Si tibi parum conuenit cum proximo, da operam ut redeas in gratiam, placa si offendisti, farci si læsisti. Si ille non lacessitus te lęsit, condona ex animo, iram illius expugna comitate uerborum, obrue illum beneficijs, hoc enim faciens, carbones igneos cõgeres in caput eius. Sed qui dã beneficijs exasperãtur. Quid facias illis? Tales nõ sunt homines, sed feris immitiores, quæ natura immites, beneficijs cicurantur. Tu tamen quod est hominis fecisti, inquisisti pacem, supereſt ut persequaris eam. Persequimur fugientia, & persequimur ea quæ persiciuntur. Non contingit in hac uita simpliciter perfecta pax, sed tamen ad perfectionẽ conitẽdum est, quantũ patitur humana imbecillitas. Nisi enim hic inquiramus & persequamur pacẽ, non perueniemus ad illam beatã pacẽ regni cœlestis. Interea pax dei exuperãs oẽm sensum, custodiet corda & intelligentias nostras in Christo Iesu, donec uenerit illud quod perfectum est omni ex parte, quum nihil erit admixtum adulterinum, sed deus erit omnia in omnibus. Verum interim si pij nullam moliũtur uindictam, geminum uidetur imminere discrimen, ne in tanta malorum conspiratione boni non subsistant, & impios ad lædendi maiorẽ audaciã extimulet impunitas. Vtriq; periculo propheta duobus uersibus occurrit, docens nec pijs utcunq; pressis defutura præsidia, nec impijs suã malitiã fore impune. Oculi, inquit, domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Vultus autẽ domini super faciẽtes mala, ut perdat de terra memoriã eorũ] Quid timeãt, aut à quibus timeant, quos dominus semper propicio respicit oculo? Sinit ad tempus affligi suos, gaudet spectare certamina piorũ: sed idẽ spectator dat uires ne succũbant, addit robur, ut superent. In unum imbecillẽ, inermẽ, conspirãt tot reges, ferociunt tot agmina cataphracto rũ, dolis, improbitate, uenenatis linguis, fauoribus & in primis hypocrisi armatorũ. Cur sitãt sursum deorsum per orbẽ, nusq; non spargunt uenenũ aspidũ quod habẽt in labijs, personãt cornu Alectõs. Adeste oẽs, nemo se subducat huic militiæ. Opprimamus pauperẽ iustũ, ne parcamus ei, circũueniamus eum, quoniã inutilis est nobis, & cõtrarius est operibus nostris: exprobrat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinę nostræ: promittit se scientiã dei habere, & filium dei nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationũ nostrarum, grauis est nobis etiam ad uidendum, quoniam dissimilis est alijs in uijs suis, & mutatæ sunt uiæ eius. Tanq; nugaces æstimati sumus ab illo, abstinet se à uijs nostris, Morte turpissima condemnemus eum. Nónne hic tam manifeste depingitur conspiratio scribarũ, pharisæorum & sacerdotum in pauperem Christum, ut nisi se cus iudicet Ecclesia, suspicari possim hunc librũ post Christi resurrectionẽ fuisse scriptũ. Quod pharisæi fuerunt in Christũ, hoc & hodie moliuntur in Christi oues pharisęorum similes, qui timẽt regno suo, discruciantur aperiri fucos, metuũt uentribus & uoluptatibus suis. Quid interim animi putatis habere pauperculum illum? Quid dicit, quid faciet circumdatus à tot leonibus, tot canibus, tot uiperis? Quid aliud? Attollet oculos ad dominũ, cõmittet se illi, qui unus potentior est uniuersis & dæmonum, & impiorũ turmis, eius præsidio fidẽs dicet cum propheta. Dominus salus mea, quẽ timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Et rursum: Non timebo milia populi circumdãtis me. Siue uiuo siue morior, domino uiuo ac morior. Nec est tamen quod illi molitores cogitent, Si in iustos intentos habet oculos, non uidebit nostra consilia, & impune faciemus quod facimus. Nequaquam. Quid igitur? Vultus autem domini super facientes mala]

Rom. 12

Phil. 4

Sapien. 2

Qui callent literas Hebraicas admonent hic non simpliciter positũ esse uultum, sed uultũ iracundum ac terribilẽ. Deus non conmutat uultum suum, sed idẽ uultus, alijs adfert solatium, alijs terrorem. Velut eundem principem strenui milites intuentur, & gaudent expectantes coronam: uident desertores, et horrescunt, expectãtes supplicium. Sic ubi uenerit filius hominis, quãto gaudio intuebunt uultum eius, qui pro nomine illius ignominiam, carceres, eculeos, ignes & mortes perpessi sunt: quanta rursus trepidatione spectabunt faciem illius, qui sæuierunt in membra illius? Proinde qui hic oppugnamini malorum insidijs, absit ut despondeatis animum, pugnatis sub oculis æterni principis, non dimouet à uobis oculos suos, qui non dormitat neq; dormit: si uos deficiunt uires humanę, en præsto est qui ferat auxilium, tantum ad illum mittite legatos, preces uestras cum fiducia. Vt oculos habet amicos, ita aures habet pronas & attentas, Nec est quod moliamini ultionẽ. Non latet illũ quid machinentur hostes, quò tendant, quid moliantur. Habet & ad illos intẽtam faciẽ, non ut coronet, sed ut perdat de terra memoriam eorum. Totus perit, cuius & memoria tollitur. Mors haud dubie de terra tollit omnes impios, sed quomodo tollitur memoria? Nónne celebre est hodie nomen Caligulæ, Neronis, Annæ & Caiaphæ? Nomen accipe dictum pro gloria. Affectabant illi laudem, et assequuti sunt apud quàmplurimos, dum occiderent Christum ut impium, & Christianos ut sceleroſos, eãq; gloriam conabantur uarijs modis ad posteros transmittere. Sed omnem illorum gloriam dominus uertit in summam ignominiam. Quos illi pro sceleroſis interfecerũt, hodie pro diuis toto orbe celebrantur: nomen autẽ illorum qui hæc patrarunt, apud omnes est execrabile. Et si supereſt illorum memoria, non super est nisi ad eorum ignominiã. Eorũ uero memoria feliciter supereſt, quorũ nomina scripta sunt in cœlis, ubi nulla erit impiorũ mẽtio. Infeliciter traditi sunt obliuioni sempiternæ, quorum nomina deleta sunt de terra uiuentium, & cum iustis non scribuntur. Hæc est terra quam in Euangelio dominus pollicetur mansuetis, Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram. Habeant, occupent, teneãt ad breue tẽpus leones hanc miseram terram, modo ouibus in æternum contingat illa terra felicissima. Quoq; magis cõfirmet piorum fiduciam, sicut antea suum proposuit exemplum, ita nunc multos iustos ob oculos nobis ponit, ut idem speremus in nobis quod perspeximus in cæteris, si modo illorum iustitiam imitemur. Clamauerunt, inquit, iusti, & dominus exaudiuit eos, & ex omnibus afflictionibus eripuit eos.] Clamauerunt ad dominum Hebræi in Aegypto, & dominus liberauit eos. A tot regibus impetiti sunt, clamauerunt & dominus eripuit eos. Clamauerunt in exilio Babylonico, & dominus eripuit illos. Clamarunt tres pueri in camino ardente, & liberati sunt. Clamauit Ionas de uentre ceti, & dominus eripuit illum. Clamauit Helizeus, & excæcati sunt qui missi fuerant ad occidendum eum. Clamauit Anna uxor Helcanæ, & liberata est à probro sterilitatis. Dies me deficiet citius quàm nomina, si pergam omnes commemorare qui clamauerunt ad dominum & exauditi sunt. Sed an semper eripiat clamantes, & an ex omnibus molestijs, expendendum est. Eruit tres pueros de camino ardenti, sed Maccabeos fratres non eripuit è tam immanibus tormentis. Eripuit Danielẽ de lacu leonũ, sed tot prophetas passus est trucidari. Eripuit Petrũ à uinculis misso angelo, sed Paulũ ter clamantẽ nõ eripuit à stimulis satanæ. Quosdam martyres ad tempus eripuit dominus, quos tamen post occidi passus est. Hæc quæstio à me bis antea soluta est. Vt petunt, ita liberantur. Qui pie clamat, nõ postulat liberari, si uel ipsi satius est non liberari, uel magis facit ad gloriam dei. Si ue igitur liberentur à tormentis, siue perimantur, habent quod petiuerunt. Deinde liberatur, quisquis superat. Ergo quum dominus tãtum impartit robur spiritus, ut iustus superior sit omnibus malis, liberauit illum, quia reddidit inuictum. Postremo mors eripit iustum ab omnibus molestijs, ac transmittit eò ubi nullus est dolor, sed æterna gaudia. Itaq; iustus quum moriẽs subducitur à malis, uerius liberatur q̃ is qui ad tempus eripitur, seruatus alijs grauioribus certaminibus. Hic enim ut cesset persequutor, ipsa uita mortalis multum miseriarum secum trahit. Verius liberatur à naufragio, qui enatat in terrã, quàm qui in naui tempestatem effugit, sed expectans aliam, aut Syrtes aut Charybdim, aut scopulos aut aliud simile periculum. Ergo iuxta secundam rationem etiam in hac uita eripitur ab omnibus malis, qui munitus gratia dei, quanquam multis malis premitur, nullo tamen opprimi potest: iuxta postremã, mors liberat etiam ab his incommodis, sine quibus

hæc

hæc usta mortalis non peragitur, à quibus nec illi sunt immunes, qui uidentur in hoc mũ
do felicissimi. Prope est dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salua
bit] Quidam ex Hebræo uerterunt, Proximus est dominus his qui contriti sunt corde,
& confractos spiritu seruabit. Multa cõgerit propheta ad magis magisq; corroborandã
nostram fiduciã. Si proximus est dominus: quur toties audimus clamandi uerbum? An
surdaster est deus, ut etiam proximo sit occlamandũ? In corde tuo deus est, nec ut audiat
ullo uocis strepitu opus est. Audita est Anna, nihil dicens. Vehemẽter clamauit, qui cum
uiuida fide, flagrantiq; affectu, etiam silens petijt aliquid à domino. Baalitarum est intẽde
re uocem corporis dilatatis faucibus. Hic cordis clamor est, non oris. Penetralẽ habet uo
cem fides & charitas, peruenientem usq; ad aures dei. Iuxta sensum humanum deus nus/
quam est, quia nullo loco circumscribitur, uti nec tempore, aut si usq; est, æque est ubiq; si
ne loco, quemadmodum semper est sine tempore. Iuxta mysticam scripturæ linguã, alijs
propinquus est, alios è longinquo prospicit, quemadmodum in alios intentos habet ocu
los, ab alijs auertit faciem. Nos è sublimi despicientes quo quisq; humilius est, hoc minus
cernimus. Contra deus quum sit omnium maxime sublimis, tamen humillima quæq; ma
xime intuetur oculis misericordiæ. Sic enim habet alius psalmus: Excelsus dominus & 137
humilia respicit, & alta de longe cognoscit. Quid te attollis in altum & erigis aduersus de
um? Si uis ut te uideat, si uis ut audiat, demitte teipsum, sed corde magis quàm corpore.
Amat cor mite, cor humile, cor contritum & confractum. Super quem, inquit, requiescet
spiritus meus, nisi super humilem et quietum ac tremẽtem uerba mea? Deus superbis re/
sistit, humilibus autem dat gratiam. Rursus alius psalmus: Cor contritum & humiliatum
non despicies. Quid est igitur cor confractum, & spiritus contritus? Cor nullã fiduciam
ponẽs in uiribus suis, sed omnibus præsidijs humanæ naturæ diffisum, totum se cõmittit
arbitrio diuino, ut ipse fingat uelut è luto quicquid uoluerit. Quid est aliud homo quam
uis diues, quamuis potens, quamuis robustus, quamuis eruditus, quamuis prudens, nisi
uas fictile? Quod si lutum induruit, non recipit impressionem spiritus, sed resistit fingenti
gratiæ. Confringe domine tua uirga testã hanc & tanq; uas figuli cõminue, ut denuo tua
misericordia maceratum, obsequatur spiritui tuo refingenti. Nemo potest esse uas hono/
rificum ad omnem usum accommodum in magna domo domini, nisi refingat eum cœle/
stis ille figulus, qui nihil à nobis requirit, quàm materiam obsequẽtem digitis spiritus. In/
duruerant operum suorum fiducia Iudæi, eoq; semper restiterunt doctrinæ Christi. Sed
cor contritũ non potest resistere cuiq;, non erigit sese, non molitur uindictam, tantum ex
pectat manum domini. Quid? an non uidemus eos qui fundendi arte student imaginem
quàm maxime expressam reddere, puluerem aut quærunt aut faciunt q̃ minutissimum,
maximeq; friabilem? Tale cor nos exhibeamus artifici spiritui. Homini Iudaico, & suis
fidenti uiribus ita per Esaiam loquitur dominus: Ego autem annuntiabo iustitiam tuam, Esa.57
& opera tua non proderunt tibi. Cum clamaueris, liberent te congregati tui. Et omnes e/
os auferet uentus, tollet aura. Hoc ad testas induratas. Nunc audi cor contritum. Qui au/
tem fiduciam habet mei, hæreditabit terrã. Quia hæc dicit excelsus & sublimis, habitans
æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso & in sancto habitans, & cum contrito &
humiliato spiritu, ut uiuificet spiritum humiliũ, & uiuificet cor cõtritorum. Audis domi/
num habitantem in excelsis, sed eundem habitantem in corde contrito, humili & confra/
cto. Ergo si uolumus nobis proximum esse dominũ, præparemus illi cordis domicilium,
ut ipse uirtutẽ suam in nostra humilitate perficiat. Fingat, refingat, perire nõ potest quod
illius cõmissum est manibus. Mundus promittit blãda iucundaq; auribus, sed fallit: por/
rigit escam, & infigit uncũ. At dominus prædicit mala, quo præmoniti facilius feramus
uenientia. Vtrũ optabilius, per breui finiendas molestias transilire ad æterna gaudia, an
per fluxa cõmoda, momẽtaneasq; uoluptates ire in gehennã? Sic deo uisum est, ut pietatẽ
sectantes uarijs modis affligãtur in hoc seculo, quo glorioſius coronẽtur in futuro. [Mul
tæ tribulationes iustorũ, sed de omnibus his liberabit eos dominus] Durum erat audire,
plurimas fore afflictiones iustorũ, nisi adderetur, sed de his omnibus liberabit eos domi/
nus. Multa sunt tolerãda militibus, sed præsto est certa uictoria. Si hoc imperator homo
posset certo pollicerí suis, cq; haberet alacres ad omne periculum milites. Quid promittit
Epaminondas, aut alius huic similis militi? Si uincat, prędæ partem. Si cadat, fortitudinis

gloriam

gloriam,eamq; breui abolendam. Noster imperator Christus suis militibus, & hic promittit salarium bonæ cõscientiæ,& in posterum sempiternã gloriam, & quod promittit non minus facile præstat q̃ promittit,quur non alacribus animis adimus pugnã? Si quis nosse uolet quot tempestates sint ferendæ militi Christiano, legat beatum Paulũ sua stratagemata commemorantem. In laboribus plurimis,in carceribus abundantius,in plagis
2. Cor. 11 supra modum,in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum,ter naufragium feci,nocte & die in profundo maris fui,in itineribus sæpe, in periculis fluminum,periculis latronũ, periculis ex genere,periculis ex gentibus,periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari,periculis in falsis fratribus: in labore & erumna, in uigilijs multis,in fame & siti, in ieiunijs multis,in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus instant, intus discruciat urgens solicitudo omnium Ecclesiarum. Quantum est hic agmen calamitatum,quum nec omnia,nec singula attigerit. Sed in his omnibus gloriatur, nimirum intelligens hæc nihil aliud esse, quàm materiam maioris gloriæ, In mundo,inquit dominus, pressuram ha
Ioan. 16 bebitis,sed confidite ego uici mundum. Confidite in me, & uincetis per me. Si in uobis ipsis cõfiditis, deijciemini: Confidite in me,& qui me eripuit, uos quoq; mihi iunctos eripiet. Multæ sunt afflictiones,quæ non sunt iustorum. Habet hic mundus bella, pestilentias, simultates, lites, super omnia cruciatum cõscientiæ. Quæ sunt ergo propriæ iustorum afflictiones? Quæ obueniunt propter iustitiam. Alioqui latrones & piratæ nõ paucas habent afflictiones,etiamsi supplicium effugiant. Sed hi demum beati, qui multa perpetiuntur propter iustitiam. Esurire, sitire, frigere, æstuare, ægrotare, senescere, mori nihil aliud nos declarant esse, quàm homines. Quãquam hæc quoq; nobis uertuntur in materiã beatitudinis, si toto pectore quæramus regnum dei & iustitiam eius. Quid de his, qui ob cõmissa scelera dant pœnas legibus? Si uere resipiscũt,& his afflictio uertitur in bonũ. Nam & is iustus est aliquo gradu, qui suam agnoscit iniustitiã, & patiẽter tolerat commeritam pœnam. Quod si quis quærat, quur dominus quos ad hæreditatem regni destinauit, tot malis hic exerceri uoluit, quum potuerit eos post uitã hic suauiter actam ad immortalitatem transferre? O homo tu quis es, qui respondeas deo? Sic uisum est domino. An discipulus potior est magistro, seruus domino? Si Christus hac uia peruenit ad gloriam, tu postulas ut à delicijs ad delicias transferaris? Quisquis dicit, quur hic affliguntur iusti, quid aliud dicit, quàm quur milites obijciuntur hosti, quur athletę opponitur aduersarius? Nimirum ut uirtus illius inclarescat apud omnes. Quis admiraretur tolerantiam Iob, nisi fuisset obiectus satanæ? Quis agnosceret magnitudinẽ Dauid, nisi Saulis malitia illustrasset illius uirtutem? Et si phas est huc è prophanis aliquid admiscere literis, Hercules obscurus esset, nisi illum obiectum periculis Iunonis odium reddidisset celebrẽ. Nec refert quibus monstris nos obijciat dominus, quum idem qui mittit in periculum, largiatur uictoriam, probatum uero spectatumq; militẽ liberans ab omnibus malis. Hęc spes quo penitius infigeretur animis nostris, quater in hoc psalmo repetitur eadem sententia: primum, Exquisiui dominũ & exaudiuit me, & ex omnibus afflictionibus eripuit me. Mox, Hic pauper clamauit, & dominus exaudiuit eũ, & ex omnibus angustijs seruauit eũ. Rursus in genere, Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos, & ex omnibus afflictionibus eorum eripuit eos. Quarto hic, Multæ tribulationes iustorum, & ex omnibus his liberauit eos dominus. Repetitur idem in clausula, Redimet dominus animas seruorum suorum. Non est hoc humanæ battologiæ, sed toties repetitur, ut excitetur nostra surditas, ut attẽta fiat obliuio, confirmetur incredulitas. Custodit dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur] Hoc simpliciter accipi potest ita dictum, quemadmodum dominus in Euangelio loquitur apostolis: Capillus de capite uestro non peribit. Hæc enim hyperbole promittit totius hominis resurrectionẽ, utcunq; hic uel igni, uel ferro pereat corpus. Alioqui quot capilli nobis defluũt in uita? quos nihil attinet nobiscum resurgere, nihilo magis q̃ unguium præsegmina. Sed fortassis in ossium appellatione latet abstrusior aliquis sensus. Legimus enim in Exodo præceptũ, ne agni phase confringerent ossa, idq; de domino prædictum ostendit Euangelista, quum iuxta historiam etiam ossa Christi cõfracta non sint in cruce. Et tamen mirum est, si manus & pedes clauis transfigi poterant, nullo osse confracto. Verum ut donemus in Christo nullum corporis os fuisse confrac-

tum

ctum,ad confirmationem figurę tamen hoc quoq; nobis aliquid sublimius indicat:quando credibile non est,ut in his qui leonibus & pardis obiecti,dilacerati sunt,qui serra dissecti,qui securi percussi,qui lapidati,qui è præcipitio deiecti,nullũ os confractũ fuerit. Sed quemadmodum interior homo noster habet oculos & aures suas, habet os & caput, habet uentrem,manus & pedes suos,ita habet & ossa.Quum audis,sapientis oculi in capite eius,utiq; mentis prouidentiã intelligis. Item quum audis,præceptum domini lucidum, illuminans oculos, intelligentiam animi cogitas. Quum audis os meũ aperui & attraxi spiritum,accipis os animi credentis.Similiter quum audis:Qui habet aures audiendi audiat:aut,dentes eorum contriuisti:&,custodiam legem tuã in medio uentris mei:&, manus uestræ sanguine plenæ sunt:&, pesiusti non offendit,animi parteis intelligis,nõ corporis. Quid igitur sibi uolunt ossa? Nihil solidius in corpore animantis quàm ossa, quæ neruis inter se connexa,totam corporis molem sustinent mouentq;, & in ossium intimis natura ueluti thesaurum precioſum recondidit medullam. Si perspexeris quid sit illud quod maxime corroborat hominem in omni tentatione,scies quæ sint ossa iustorum.Nihil præiudico his quæ super hunc locum homines pij uel commenti sunt, uel comminisci poterunt. Mihi per ossa significare uidetur, robur fidei, quemadmodum scribit Petrus: Cui resistite robusti fide.Quamdiu durat in nobis integra et inconcussa fides,non potest nos hostis noster deijcere.Et si quando eueniat,ut supplãtati pertrahamur in ruinam,facile nos ipsos in gradum recipimus, & ad pugnã alacriores redimus. At cui sunt ossa confracta,nec surgere potest,nec pugnare.Quantum autẽ in homine crescit fides,tantum crescit & robur animi,quemadmodum infantes & pusilli sunt, & imbecilles, quoniã mollia habent ossa paulatim adhuc crescentia,donec indurescant. Eoq; Paulus infirmos in fide paruulos uocat in Christo. Tales erant Galatæ quos deiecerat satanas in Iudaismum. Quoties igitur sentimus in nobis uacillare fidem,clamemus cum propheta:Sana me domine,quoniã conturbata sunt omnia ossa mea.Clamemus cum apostolis:Domine adauge nobis fidem.Si ossa sunt fides,quid nerui & caro? Nerui charitas est,quæ mẽbra membris connectit,ut suo quodq; fungatur officio.Caro sunt bona opera,quæ sicut fidei charitatiq; adhærent,ita uicissim ornant & tuentur eam. Sed quum una sit omniũ piorum fides,qui conuenit quod ait, custodit omnia ossa, unum ex his non conteretur? Vna quidem est fides,sed tot possunt dici fides,quot sunt articuli fidei.Potest esse fractum brachium,cui sint integra crura.Hæretici uidentur habere quædam ossa integra, quia multa pie nobiscum profitentur. Sic & Iudæi nobiscum confitentur unum deum, conditorẽ cœli & terræ.Magnum os est sed unicum.Sed dominus custodit omnia ossa iustorum,nec patitur illos in ullo articulo à fidei Catholicæ ueritate discedere. Nec enim saluus esse potest homo,si uel unum os habeat confractũ. Nihil prodest Iudæo quod profitetur unum deum,si negat filium & spiritũ sanctum. Frustra profitetur Christum pro nobis passum, qui negat corporis resurrectionẽ. Quid igitur dicemus de his qui in aliquo errore hæretico decesserunt? Irenęus adhæsit Chiliastis, Cyprianus retingendos censuit tinctos ab hæreticis, Diuus Hieronymus ut hæreticã sententiã damnat eorum opinionem,qui submouent à munere Episcopi eum, qui mortua uxore, quam duxerat ante baptismũ, lotus in Christo ducit alterã. Augustinus cõstanter affirmat infantes baptizatos, nisi sumpserint corpus & sanguinem domini,in æternũ perire,nec eis quicq; prodesse baptismum: & in hac sententia propemodum constat fuisse totam Ecclesiã occidentalem, & uerisimile est etiam orientalem. Si sancti fuerunt,quare non custodiuit dominus omnia ossa eorum: si non fuerũt,quare eos pro sanctis ueneratur Ecclesia? Aliud est os habere læsum aut luxatũ,aliud confractum. Læsum sanari potest,luxatũ reponi potest, confractum uix sanabile est.Rarum enim exẽplum est, hæreticum obfirmatũ ex animo redire ad Ecclesiæ sobrietatem.Sed qui simpliciter errat intellectu, nondũ corrupto affectu,facile reuocatur in uiam.Sic errabat Paulus,& ideo monitus continuo redijt in uiam.Itidem si pios illos uiros admonuisset Ecclesiæ uox,protinus abiecissent errorem suum.Simplicius autem est, ut uersiculum hũc interpretemur de resurrectione mortuorũ,de qua uaticinatur Ezechiel,loquens ad ossa arida,quæ recepto spiritu sibi rursus iungũtur.Quidã exusserunt pios homines,sic ut & ossa redigerent in cineres, eosq; sparserunt in aquam aut in uentos, ne qua foret spes restitutionis. Sed dominus omnipotens, non sinit unum os ita confringi

ut non

ut non resurgat in iudicio. Spes ergo resurrectionis facit ut mors iustorũ & felix sit & optanda, quoniam resurgent in uitam æternam. Sed eadem facit, ut mors impiorum sit pessima, quia uelint nolint resurgent in cruciatus gehennæ: minus infelix futura, si morte periret totus homo. Beati, inquit Ioannes, qui in domino moriuntur. In domino moriuntur, qui moriuntur cum certa spe resurrectionis. Non ergo mori miserũ est, sed male mori miserum est, sicut nec uiuere per se bonum est, sed bene uiuere bonũ est. Inuertũtur rerũ uices, impij dicũt, morte pessima condemnemus eum: at scriptura dicit, mors peccatorum pessima. Si mors peccatorum pessima est, & nullus hominum uiuit absq; peccato, quis erit saluus? Non de quouis peccato loquitur hic propheta, neq; enim omne peccatum demit in gehennam. Quod igitur peccatum dicit? Explanat occurrẽs tantæ cogitationi, [Et qui oderũt iustum delinquent] Sed quem iustũ sentit propheta? Primum eum, qui iustificat per fidem omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hunc qui reiecerũt, qui credere noluerunt, audiunt: Vos in peccatis uestris moriemini. Talis mors pessima est. Potest & de quouis recte intelligi. Nolite mirari si odit uos mũdus, & me priorem uobis odio habuit. Qui spiritu huius mundi plenus est, odit omnes, in quibus uidet imaginẽ Christi. De talibus uix ulla spes est. Sed qui subinde peccant, atq; ob id sibi displicent, amant tamen in alijs pudicitiam qua ipsi carent, amant sobrietatem quam ipsi non habẽt, ac iustorum egestatem suis facultatibus subleuant, implorant illorum apud dominũ preces, de his, si modo absit hypocrisis, bona spes est. Non enim hactenus peccant, ut oderint iustum, sed seipsos potius oderunt quod iusti non sint. Pro talibus orandum est, ut proficiant. Est enim nonnullus iustitiæ gradus, alienam amare iustitiam, & suam odisse iniustitiam. Iam si mors impiorum pessima est, mors piorũ optima sit oportet. Verum illud optimum ac pessimum, non est æstimandum ad uulgi trutinam. Vulgus enim ut eos bene uiuere dicit, qui uiuũt honorati, diuites, salubri corpore, in delicijs, expertes laborum, expertes calamitatum: ita si quem conspexerit ad iustam senectutẽ peruenisse integris facultatibus, incolumes relinquens liberos, inter honoratos amicos, in sinu uxoris clausurę oculos efflauit animam, præsertim si morbus nec grauis fuit nec diuturnus, si cõmoda expiratio, quam Octauianus Cæsar solet appellare εὐθανασίαν, mox magnificus funeris apparatus, ingens turba pullatorum, magnus luctus, magnus ordo daduchorũ, ambitiosus campanarum strepitus, parentalia uenerabiliter decantata, monumentum marmore, ebore, auro argentoq; decoratum, idq; summo altari proximũ, dicere solet, ò quàm feliciter ille mortuus est. At si mortuus est in peccatis, iuxta prophetæ iudicium, pessime mortuus est. Sic mortuus ac sepultus est ille diues Euangelicus: at Lazarus uidebatur miserrime mori, quum illius mors fuerit preciosa in conspectu domini. Illũ mors transmisit ad æternos cruciatus, hunc in requiẽ æternam. Fortasse in luto inter canes mortuus est pauper, nullo præsente amico, cognato aut uxore. Et tamen hæc mors fuit illi felicissima, illa diuiti pessima. Quid enim refert corpus in tẽplo putrescere, si anima sepulta sit apud inferos? Magis autem credendum est scripturæ, quàm uulgo. Iam sunt qui si quem uiderint lenta ægrotatione contabuisse, tandem in lecto confessum & absolutũ perceptis omnibus Ecclesiæ sacramentis, inter multos orantes efflasse animam, & bene, inquiunt, ille mortuus est. Contra de eo qui paralysi, apoplexia, aut alio præsentaneo malo correptus, sine confessione, sine sacramentis expirauit, dicunt, quàm misere ille mortuus est, Deus, inquiunt, auertat à me subitaneam mortem. Quur iudicamus proximum, ignari qua fide sit mortuus? Varia sunt mortis genera, nec est in nobis ut hoc aut illo modo moriamur. Equidem arbitror multos qui suspendio aut gladio lictoris aut incendio perierunt, sanctius mori, quàm diuites quosdam, quibus nihil non exhibitum est quod foris exhiberi potest. Quod in corde latet, solus nouit deus. Audiant ergo feroces, mors peccatorũ pessima, & à malicia sua resipiscant: audiãt simplices afflicti, & desinant de uindicta cogitare. Si quid habet solatij ultio, iuxta alium psalmum: Lætabitur iustus quum uiderit uindictã: nulla potest esse uindicta grauior, hac quæ manet impios, mors pessima in peccatis, mors æterna in supplicijs. Olim sancti delectabantur contẽplatione ueracitatis & iustitiæ dei, quoniã præstitit quod minatus est, reddidit quod commeruit impietas. Nam in harmonia uniuersi, & gehennę horror decorum adiuuat. Absit autem ut in hacuita homo de hominis exitio gaudeat. Quanquam enim in propheticis literis frequenter oratur, ut confundantur, & pereant

Apoc. 14.

pereant inimici, nos illa de alio uindictæ genere debemus interpretari, uidelicet ut confundantur ad pœnitentiam, & occidatur in eis impius, incipiatq; uiuere pius. Tale exitiũ sibi quisq; debet optare, qui peccatis circumuentus est, ut pudefiat resipiscens, & occidatur quod in ipso male uiuit. Pudeat adulterij, & occiso adulterio, uiuat amator pudicitiæ. Qui fontes Hebraicarum literarum excutere studuerunt, aliter legunt hunc uersiculum. [Occidet impium malitia, & qui odio habent iustum desolabuntur siue destruẽtur] Ostẽdit eos nihil profecturos, qui odio pietatis homines pios affligunt. Nam ut nemo molíatur in eos uindictam, ipsi semet occidunt sua malitia. Ipsum enim peccatum animæ mors est. Mortui sunt igitur & in hac uita, quicũq; Christum habent odio, eumq; in suis membris persequuntur: & quod in alios moliuntur, in ipsos recidet. Quid moliuntur? Vt extinguant iustum. At ipsis eueniet ut in æternum destruantur, ac desolentur diuina miseri cordia. Cõtra mala quæ machinant in iustos, iustis cedent in lucrũ, dum ex magnitudine certaminũ crescũt coronæ. Quid non tentatũ est à Iudæis, ut Christum cum sua doctrina funditus abolerent? Quid aũt conata est illorum malitia, quod non cesserit in Christi gloriam? Quas machinas non expedierũt impij principes aduersus Christi discipulos? Sed dum eos perdere studuerunt, illustrarunt: dumq; religionem demoliri nituntur, confirmarunt auxeruntq;: & dum sibi regnum parare laborarunt, parauerunt exitium. Quare perierunt ac desolati sunt? Quia sua ipsorum malitia interfecit eos, dum furentes impingunt in lapidem qui nulli cedit. Quare aduersus pios nihil ualuit impiorũ obstinata peruersitas? Quia dominus redimit eos] Nam Hebraica ueritas habet uerbum præsentis temporis, ut intelligamus esse perpetuum quod promittitur. Et si interdum non redimit corpora suorũ, certe redimit animas, quas protegit à peccato quæ uera est mors, eoq; subijcit, Et non delinquent omnes qui confidunt in eo] Extincta fide, peccatur ad mortem: quamdiu uiuit scintilla fidei, magnum licet crimen, morbus est uerius q; mors. Ergo quotquot perseuerant confidentes in domino, non peccant peccatum ad mortem. Petrus mox restitutus est, quia non abiecit fiduciam: Iudas in æternum perijt, quia spem abiecit. Pro eo quod nos legimus, non delinquent, quidam ex Hebræo sermone legunt, non desolabuntur. uoces diuersæ sunt, res est eadem. Vere desolãtur, quos deserit dei misericordia. Eam abigit à nobis peccatum, non quodlibet, sed capitale & perseuerãs. Ideo non destituentur, quia non peccabunt: ideo non peccarunt, quia non deserit illos gratia dei. Sed quur quos ante uocauit filios, Venite filij audite me, nunc appellat seruos suos? Filius charitatis nomen, seruus obedientiæ. Deus prior dilexit, & gratis iustificatos asciuit in numerum filiorum, cuius præcepta dum religioso tremore seruamus, exequentes quicquid iussit, & obedientes usq; ad mortem, serui sumus, & eo magis filij sumus, quia serui. Apud homines honorificum est dici filium, humile uocari seruum, sed glorioſa est appellatio uocari seruum dei. Filij uocamur, quatenus redamamus amantem deum, quatenus hæredes sumus regni, quatenus insiti Christo per regenerationis lauacrum. Serui tenus sumus quatenus à tyrannide diaboli precioso Christi sanguine redempti, & iuxta doctrinam illius in nouitate uitę ambulantes. Patris est fouere quod genuit, redemptoris est tueri quod asseruit. Quum misericorditer nos uocat ad Euangeliæ gratiam, filij uocabulo ueluti blãditur, Quum impios ac satanæ ministros deterret à persequutione piorum, seruos eos appellat, ut quos ereptos satanæ, in suum ius tutelamq; uindicauit. Dementia igitur est, in eorum exitium conspirare, qui tam amantem habent patrem, qui tam potentem habent dominum. Sub tali pastore non est quod timeamus oues illius, modo simus humiles ac simplices, contritum habentes cor, non fidentes nostris uiribus, sed spem omnem in illo figentes, certum quod ille in huius seculi procellis seruauit animas nostras à peccato letali, nec destituet nos illius misericordia, sed in resurrectione totos restituet in cõsortium regni sui, ubi cum omnibus sanctis benedicemus & magnificabimus illum in omni tempore, semperq; laus eius in ore nostro, cui debetur omnis honos & gloria in omne æuum. Amen.

ENARRATIONIS IN PSALMVM XXXIII. PER DES. ERASMVM ROTEROD. FINIS.

R. PRAESVLI EIDEMQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. Stanislao Turzoni Episcopo Olmutzensi, Des. Erasmus Roterod. S. D.

VNas Amyclas perdidit silentium, sed πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν, si qua fides priscorum adagijs. Quum autem inter omnes possessiones nulla sit quæ cum fideli amico queat comparari, non existimaui præsulum ornatissime, committẽdum, ut mihi perpetua literarum intermissio tam insignem patronum uideretur ademisse. Animo quidem meo nunquam exciderat amabilis ille Turzo. Id enim qui possim, ni essem unus omnium qui uiuunt non solum inhumanissimus, uerumetiam ingratissimus? Sed interdum audiebã te mutasse sedem, interdum addubitabam num in tanti rerum tumultibus esses incolumis, interdum nonnulla suspitio uellicabat animum, ne quis forte ex istorum numero, qui aconitum in lingua circumferunt, ueterem tuam in me beneuolẽtiam uel extinxisset, uel certe refrigerasset. Sed Gaspar Velius quondam tuæ benignitatis alumnus, quum Cæsaream synodũ apud Spirenses indictam petens obiter nos inuiseret, scrupulum omnem depulit, confirmans & tibi res omnes esse ex animi sententia, nec pristino tuo erga me studio quicq̃ decessisse: sed quod ante crebro fecerat per literas, tum præsens pręsentem obiurgabat, quòd apud tam eximium amicum, non aliquo studiorum meorum monumento refricarem mei memoriam. Quum responderem, eam quidem uoluntatẽ mihi fuisse perpetuam, cęterum hactenus nihil enatum quod tanto præsule dignum uideretur, acrius etiam me obiurgauit, qui non satis pernossem Turzonis humanitatẽ. Nullus, inquit, libellus est tam pusillus, quẽ ille nõ sit magni muneris loco accepturus, modo is sit γνήσιος Erasmici ingenij fœtus. Hic rursus quum excusarem iamdudum effœtum laboribus, calamitatibus, morbis & annis ingenium, nullam accepit tergiuersationem, nec cõquieuit, donec pollicerer quod exigebat. Feci itaq; quod solent Britanni: inter absentes mittuntur symbola, signa uocant illi, in quibus nemo spectat pretium, sed eius qui mittit animus gratiã addit xenio, etiam si fragmentum sit panni cuiuslibet, non maius ungue pollicis. Hoc exẽplo prouocatus, ac spe successus è Velij sermone cõcepta, mitto psalmum trigesimumoctauum, à ueteribus uarie tractatum, sed sic ut meo quidem iudicio, quædã torsisse, quædam parum intellexisse uideantur. Ego porrò quid præstiterim tuum esto iudiciũ. Illud uerè profiteri licet, mihi nõnihil sudatum esse, ut totius argumẽti tenor sibi cõstaret. Hoc quicquid est munusculi, si tua pietas frõte serena acceperit, magna me affecerit uoluptate, sed eam ipsam cõduplicabis, si per literas significare dignaberis, si quid secus à me tractatum uelles. Nec dubito, quin huiusmodi multa sint occursura. Cæterum in hoc cõmentariolo uidebis obiter non nullam horum tẽporum imaginem, quibus inter tot humanæ uitæ calamitates, nulla perniciosior, inter tot pestes nulla pestilentior, quàm linguæ letali ueneno tinctæ, quæ sic τυραννεύουσιν hoc seculo, ut non alio magis. Cognosces autem & nonnullam partẽ rerum mearum, ac fortasse miraberis hunc seniculum semianimem in tãtis undiq; lacessentibus procellis ac tẽpestatibus, adhuc rectum tenere clauum. Sed ὁ κύριος ὑπερασπιστὴς τῆς ζωῆς μου, ἀπὸ τίνος δειλιάσω; Libet enim apud te ἑλληνίζειν, quem accipio iampridem, licet ni fallor, ἤδη ἐπὶ γήραος οὐδῷ, factũ esse φιλέλληνα, Græcisq; literis strenuam nauare operam, ingenti sanè multorum pudore, qui iuuenes præcipuam hanc studiorum partem negligunt, & ad Theologiæ adyta illotis, ut aiunt, pedibus irrumpunt. Beneuale. Datum apud Friburgum Brisgoiæ Idibus Februarij.

M. D. XXXII.

ENARRATIO PSALMI XXXVIII.

DIXI CVSTODIAM VIAS MEAS, MVLTVM AB enarratione ueterum differens, per Des. Eraſmum Roterodamum.



Itulus in ipſo ſtatim pſalmi frontiſpicio ceu nitidiſſima quæpiã ſtellula prælucens expergefacit oculos animorum noſtrorum, ac uellit aures mentiũ, ne dormitantes audiamus, aut oſcitantes accipiamus quod adfertur è diuini ſpiritus myſtico penu. Sic enim habet, in finem pro Idythum ipſi Dauid. Quum audis in finẽ, quæ uox frequẽter in ſacris literis declarat non terminum, ſed conſummationem: quemadmodum beato Paulo Chriſtus dicitur finis legis, non quod legem abrogarit, ſed quod abſoluerit: protinus admoneris, ne quid hic humile, ne quid uulgare, ne quid mediocre expectes, ſed ſublime quiddam ac perfectum. Virtus enim in infirmitate perficitur, & ut aurum igni, ita ſyncera fides per tentationes ſpectata redditur & explorata. Quum audis pro Idythum, quæ uox Hebræis ſonat tranſiliens eos, agnoſcis animam piam, tædio rerũ humanarum feſſam, in quibus longe plus aloes eſt quàm mellis, ac ueluti delaſſatam calumniis, conuiciis, & inſectationibus improborum, ſuſpirantẽ ac geſtientem euolare è lutei domicilij latebris, in illam perfectam beatarũ mentium requiem, à quarum oculis deus abſterſit omnem lachrymã, nec iam metuendus eſt illis ullus luctus, clamor aut dolor. Quum audis canticum, intelligis hæc non magno uocis ſonitu, ſed ingenti cordis affectu dici. Dixerit aliquis, canticum in afflictione, muſica eſt in luctu. Eſt quidem canticũ graduũ, et canticum ὠδὴ νικίου quo poſt victoriam gratias agamus deo: uerum qui rebus afflictis, agnoſcit culpam ſuam, & ad deum erigit animum, gratiſſimam cantionem profert auribus dei, quam niſi cecineris, nunquam poteris canere canticum triumphale. Canticum autem hoc habet geminum affectum, terreſtris uitæ tædium, ac cœleſtis uitæ deſiderium. Multa ſunt quæ pias animas hinc uelut extrudunt ipſa moleſtia, ſed maiora ſunt, quæ mentes noſtras hinc proliciant, etiam ſi hæc uita non eſſet tot undiq; moleſtijs fermentata. Quum audis Dauid, commoneris hanc cantionem non eſſe profectam ab humano ſenſu, ſed à ſpiritu Chriſti, cuius typum frequenter in myſticis literis gerit rex ille, citharœdus & ipſe. Ita demum harmonia grata eſt auribus ęterni regis, ſi Dauid ſuggerat canticum, Idythum decantet: non quod ipſe commentus eſt, ſed quod præit ille ſpiritus, qui nobis per prophetas & apoſtolos tot tam efficaces ædidit cantiones, ut mortuos etiam ad uitam reuocare poſſint, modo ne aures ueſtras habeamus terrenis cupiditatibus obturatas. Doctor enim eccleſiaſticus, nihil aliud eſſe debet q̃ organum ſpiritus, per humanam linguam hominibus reſonantis. Quã quam autem in rebus externis, aliud eſt cithara, aliud citharœdus, & iuxta hiſtoriã alius fuit Dauid qui canticum hoc compoſuit, alius Idythum qui cecinit: tamen iuxta ſenſum allegoricum, nihil abſurdi eſt ſi idem homo ſit cithara & citharœdus, idem Dauid rex, & Idythum fides mouens. Iuxta ſenſum igitur humiliorem, quem nobis tradit liber 1. Paralip. capite XXV. Dauid ſegregauit in cultum dei certos muſicos, qui non tantum canerẽt ſed etiam prophetarent in citharis, pſalteriis ac cymbalis: canerent autem non in nuptijs, non in theatris, non in choreis, non in conuiuijs & comeſſationibus, ſed in templo, nec apud homines, ſed coram domino. Atq; horum functio, ibi miniſteriũ appellatur, ne quis ſibi docẽdi munus arripiat, ſed expectet donec uocetur à Dauid: uocatus autem ne uitiet traditum melos cœleſte, commentis hominum, aut terrenis affectibus. Quiſquis uerus eſt Idythum: hoc eſt, qui iam factus ſpiritualis cunctos humanos affectus tranſilijt, is demum nihil canit niſi prophetias. Nam apoſtolo Paulo prophetæ dicuntur, non ij tantum qui uentura prædicunt, uerũetiam qui retruſos arcanæ ſcripturæ ſenſus enarrat. Fallun tur enim qui credunt illam per humanas diſciplinas abſq; ſpiritus afflatu poſſe intelligi. Prius illud prophetiæ genus, quod olim in ſummo fuit apud Synagogam precio, exortum Euangelij iubar non extinxit quidem, ſed tamen obſcurauit. Iam enim uenit quem illi futurũ annuntiabant, magnaq; ex parte facta ſunt, quæ illi futura prædixerunt. Nunc

igitur ecclesia potissimum ornatur prophetis, qui gregẽ dominicum pascũt doctrina spirituali, proferentes de thesauris scripturarum noua & uetera. Hoc prophetarum genus uult Paulus ubiq; loqui in ecclesijs, quo confirmentur infirmi, doceantur errantes, resipiscant impij. Sed ut omnium citharœdorum ac prophetarum princeps est Dauid ille noster, dominus Iesus Christus: ita idem omnium Idythum, id est, salientium primus ac summus est: à quo uno uelut à fonte manat omnibus, ut uel citharœdorũ uel Idythum cognomine digni sint. Olim apud Græcos prouerbium iactatum est, complures inueniri Thyrsigeros, sed paucos Bacchos: cõsimiliter apud nos multos uidere est pulsantes citharam, sed heu pauci sunt, qui canant prophetias: aut si canunt propheticam cantilenam, non aliqua chorda tacta, quam intactam oportuit, uitient spirituale melos. Solus ille meram puramq; prophetiam resonare potest, cui Dauid citharam porrexerit, cuiq; sonoras fides Christi spiritus artificio suo temperat, qui si linguæ quoq; meæ plectrum uobis precantibus modulari dignetur, fortassis nec inamœnum nec infrugiferum fuerit aliquantisper uelut in exquisitæ quapiam artis tabula in hoc citharœdo immorari. In eodem igitur primo citharœdum, mox Idythum contemplemur, quo magis nos ad illud absolutissimum exemplar componamus. Corpus dominicum electa fuit cithara, quod spiritus cœlestis è purissima uirgine purissimum concinnauit, & ab omni terreni limi contagio prorsus immune compegit. Hæc cithara per omne tempus, quo in terris uisus est Christus & cum hominibus uersatus, nunquam desijt emodulari gloriam patris: siue dum mirabiliter nascitur, mirabilius adolescit: siue dum diuini uigoris scintillas ostendens, uerbo sanat ægros, oculorum lumen reddit cæcis, integritati restituit mancos ac debiles, mundat leprosos, potenti iussu propellit noxios dæmones, imperat uentis ac mari, in uitã reuocat mortuos, horum omnium laudẽ gloriamq; transscribens patri uelut autori primario: Ad hęc dum hominis assumpti ueritatẽ astruit ieiunans, orans, esuriens, sitiẽs, lassescens, dumq; capitur, ligatur, cæditur, occiditur. Siquidẽ gaudium patris non modo sapiens est filius iuxta sapientis dictum, uerumetiam obediens. Nulla autem maior obedientia quàm usq; ad mortẽ, eamq; crucis. Atq; interim sua cithara omne prophetiæ genus expleuit, dum se declarat nosse secretas hominum cogitationes, dum aperit scripturas, docens iam adesse tempus de quo tam multa uaticinati fuerant prophetæ: dum prædicit mortem, sepulturam resurrectionemq; suam, & in cœlos reditum, promittens paracletum, præmonens apostolos quid essent ob ipsius nomen perpessuri. Postremo suis pollicitus est in resurrectione uitam æternam, incredulis denunciauit gehennam. Nunquam tamen hac cithara modulatius cecinit, ut esset uere summus in extremo actu artifex, quàm quum membris omnibus in cruce distentis extremum illud edidit melos paternis auribus gratissimum, nobis saluberrimum. Quid amabilius illa cãtione, qua psalmum uigesimum primum recinens, innocens deprecatus est pro nocentibus, nostram causam in se transferens? Quid admirabilius ea uoce, qua patrem deprecans pro his qui quum essent necis autores, conuicijs incessebant pendentem ipsa morte grauioribus: Pater, inquit, ignosce illis, quia nescíunt quid faciunt. Nimirum hæc erat uox perfectissimæ charitatis, nec ea fuit inefficax. Exauditus est enim citharœdus pro sui reuerentia. Tendi magis chorda charitatis uix potest. Extremam uocem edidit ualidissime tensa chorda fiduciæ, quum egregius ille citharœdus ualido clamore paternis manibus cõmendaret spiritum suum, & mox expirauit uolensq; deposuit animam suam. Huius chordæ sonitus tantum ualuit, ut ad eius uocem uelum templi à summo usq; ad imum diruptum sit, terra cõcussa, petræ scissæ, aperta monumenta, complures excitati mortui, territi satellites, conuersus centurio, sol caligine obductus. Quid unquam simile potuit humana musica? Veterum literis proditum est esse certos tibiarum modos, qui ischiadicis cruciatum temperant: quo præsidio Hismenias Thebanus plurimis Bœotorum opitulatus fertur, quemadmodum Terpander & Arion Lesbios atq; Iones grauissimis morbis cantu liberasse. Apud Italos & hodie mos est tarantulæ, id est phalangij aranei genus, certis modulis succurrere ictu prostratis: sicut apud Germanos morbo comitiali collapsos cantu erigunt ac sanant. Insomnia laborantibus & ad paraphronesim tendentibus musica conciliant somnum. Nam infantes suaui concentu à ploratu ad quietem paulatim inuitari notissimum est. Sunt modi quidam phrygij qui in furorem agant: sunt diuersi qui furentem ad sobrietatem componãt, quod

Pythago-

1. Cor. 14

Prouer. 10

Pythagoram in adoleſcente Taurominitano feciſſe narrant, dum tibicinam pro phry/
gijs modis ſpondeos iubet occinere. Viros ad prælium animari cantu nemini incogni/
tum eſt. Quin & illud in confeſſo eſt, nullam eſſe ętatem, nullum ſexum, qui non ſentiat
muſicæ uim, etiam ſi quæ ſit ars neſciant: in cauſa putāt eſſe, quod iuxta Platonem anima
mundi muſica ratione concinnata ſit: unde fit ut ſingulorum animæ naturali ſenſu mo/
dulato concentu delectentur, inconcinno offendantur. Iam creditum eſt eſſe modos ad
quos fontes exiliant, tripudij ſpecie, quo minus mirum quod de Arione ac delphino ce/
lebratum eſt. Nec omnino fabuloſum eſt, quod ſcribit Maro, Frigidus in pratis cantan/
do rumpitur anguis: ne perſequamur omnia miracula, quibus artem muſicam, ſeu ueris,
ſeu confictis commendauit antiquitas. Sed ut hæc ſint omnia uera, adde & illa quæ pluri
ma de Orphei cithara priſci cōmemorant, talem muſicæ uim quis unquam commemora
uit? aut quis unquam auſus eſt fingere? Dauid ad tempus cithara ſua temperabat furorē
Saulis, ſed protinus recurrebat ſpiritus domini malus. Verum quid hoc ad omnipoten/
tem Chriſti citharā, quæ dæmones abigit, & dei patris iram uertit in miſericordiam? Ob
mutuerat hæc cithara pauliſper corpore domini in ſepulchro recondito. At non ſuſtinuit
pater ſuauiſſimæ citharæ diutinum ſilentium. Excitat dormientem in myſtico pſalmo
clamans: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara. Cui mox reſpondet cithara:
Exurgā diluculo. Et hic quoq; uaticiniū loquitur cithara. Siquidem diluculo ſurrexit do/
minus, per uniuerſum orbem illuſtraturus gloriā patris. Quāquam idem citharœdus &
hodie canit nobis in literis ſacris, canit per pios doctores, ſi modo nos aures purgatas ad/
hibeamus. Et hodie, ſanat ægrotos, pellit dęmones, excitat mortuos, dum excutit languo
rem animis, dum inſanis cupiditatibus liberat, dum ab impia uita reuocat ad ſtudium pie
tatis. Iuuaret in huius citharœdi contemplatione diutius immorari, ſed tituli breuitas ad
Idythum conſiderationem reuocat. Quemadmodum enim dominus fuit citharœdorum
omnium præſtantiſſimus, ita etiam inter ſaliendi laude celebres lōge primas tenet. Hic ſi/
quidem eſt ille, quem ſponſa propheticis oculis uidit in cantico myſtico, quum ait: Vox
dilecti mei, ecce uenit iſte ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Non incedit uulgari gra
du, qui ſic amat. Saltu fertur, qui impotenti fertur affectu. A monte tranſilit in montē, col
les properandi ſtudio tranſilit. Excelſi mōtes ſunt, inter angelos Seraphim & Cherubim,
nec in his moratus eſt Idythum ille mirabilis, ſed per hos ſalijt filius dei. Eximij montes
fuerunt ante legem Iob, Melchiſedec, Abraham, Iſaac & Iacob: inſignis mons erat Mo/
ſes, ac reliqui prophetæ: in nullo tamen horum conquieuit, ſed ueluti per gradus, amoris
impatiens ad ſponſam ſuam eccleſiā deſilijt dominus, omnes huius mundi ſapientes ue/
luti colliculos trāſiliens. Quod enim iuxta uulgus hominum altiſſimum eſt, ad dei ſubli/
mitatē collatum humile eſt. Qui inſilit, figit pedē, ſed ad tempus modo: qui tranſilit, pro
ſus contemnit: ita iuxta prophanas hiſtorias Remus tranſilijt mœnia Romuli. Fortaſſe
colles non abſurde quis interpretetur legis uetuſtæ cęremonias ac præcepta. Cæremoni/
as tranſilijt dominus, per præcepta ſalijt ad perfectiorē iuſtitiam, quàm fuerat ſcribarum
& phariſæorum: non quod ipſe huc profecerit, ſed quod huc ſua mēbra prouexerit. Vi/
dit eundem mirificos dantem ſaltus, propheta Dauid, ita loquens in ſpiritu pſal. XVIII.
In ſole poſuit tabernaculū ſuum, & ipſe tanq; ſpōſus procedens de thalamo ſuo. Quum
audis ſponſi nomen, agnoſcis opinor eundē qui per montes ſalit in amoris cantico, nunc
mihi ſpecta quęſo ſaltus prodigioſos ultro citroq; factos. Exultauit ut gigas ad currēdam
uiam, à ſummo cœlo egreſſio eius, et occurſus eius uſq; ad ſummum eius. Quod ſol eſt in
hoc uiſibili mundo, hoc deus eſt in uniuerſo. In hoc ſole dei filius poſuit tabernaculum ſu
um, qui ſemper fuit apud patrem lucē inhabitans inacceſſam. Ab hac ineffabili ſublimita
te potens ille gigas non ui pertractus, ſed amore pellectus, magna alacritate deſcendit in
uirginis uterum: ac tandem reſiliens ab inferis, quo potenter deſilierat, ad eandem clari/
tatē ſe recepit in qua fuerat ante mundum conditum. Sed quemadmodum ſic à paterna
ſublimitate proceſſit, ut nihilo ſecius cū patre maneret: ita ſupremo ſaltu ſic ad patris dex
tram conſedit, ut ſponſam ſuam adhuc ex parte in terris agentem non deſerat. Pſalmi ua
ticinium elegantibus numeris expreſſit Chriſtianæ philoſophiæ præclarus ille chorau/
les Prudentius: Procedit, inquit, e thalamo ſuo pudoris aula regia, geminæ gigas ſubſtan
tiæ, alacris ut currat uiam. Egreſſus eius à patre, regreſſus eius ad patrem: excurſus uſq;

ad inferos, recursus ad sedem dei. Nimirum pedibus amor addidit alas. Profecto mirus erat saltus, quum filius è gremio patris desiliret in uterum uirginis: rursus à terra subsiliit in altitudinem crucis, illinc ad se pertracturus omnia. Rursus à cruce corpore quidem desiliit in sepulchrum, spiritu uero in extremos tartari recessus: hinc denuo subsiliit in terras, à terris ad thronum dei. nec ineleganter idem depinxit prosa, quam chorus ecclesiasticus alternis canit in festo ascensus dominici. Huic nomen extat conueniens Idythum. Nam transiliuit omnes strenue montes colliculosq; Bethel, saltum de cœlo dedit in uirginalem uentrem, inde in pelagus seculi: postquã illud suo mitigauit potentatu, tetras Phlegetontis assiliit tenebras. Principis illius disturbato imperio, manipulis plurimis inde ertis, mundum illustrat suo iubare, captiuitatemq; detentam inibi uictor ducit secum: & rediuiuũ iam suis se præbuit, seruis & amicis. Denicq; saltum dederat hodie maximum, nubes polosq; cursu perpete transiliens. Hos gradus quibus ęterna sapientia dispensauit humani generis redemptionem, scriptura nunc cursus, nunc saltus appellat: quod in his nulla fuerit necessitas, quæ trahere solet inuitos, sed charitas ultro properans ac sitiens. Hãc spiritus alacritatem promptosq; mentis impetus scriptura nonnunq; & uolatus nomine designat, ueluti quum Esaias admirans apostolos ad imitationẽ dominicæ charitatis, insatigabili Euãgelij propagãdi studio per uniuersas mundi plagas cursitantes, ait: Qui sunt
Esa. 60 hi qui ut nubes uolant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Huiusmodi saltum meditaba-
Psal. 54 tur & præclarus ille citharœdus, quum caneret: Quis mihi dabit pẽnas sicut columbæ, & uolabo & requiescam? Negant autem naturæ scrutatores ullam auem cum columba conferri posse uolatus pernicitate, quum alioqui sit inermis atq; imbellis. Proinde non optauit propheta pennas aquilæ, aut accipitris, aut milui, sed columbæ: quæ læsa uindictam molire nescit, sed aduersus omnes molestias, quibus uita mortalium undiquaq; obsita est, non aliud quærit remedium, quàm fugæ. Quò uero fugit columba Christi? Haud aliò quàm ad ipsum Christum in cœlis residentem, columbinæ simplicitatis amatorem ac patronum. Mira columbinarũ mentium uelocitas, quæ quum domicilium terreni corporis inhabitent, tamen subinde rapiuntur in cœlum, atq; illic uerius sunt ubi amant ẽq; ubi animant. Congruenter igitur & spiritus sanctus in columbæ specie primum, deinde in figura ignis apparuit: quòd eos quos afflauit, & simplices reddit, nihil habentes fellis ad uindictam, & alacres facit ad omne opus bonũ, & igneos, semper ad cœlestem patriam suspirantes. Porrò tametsi Christus princeps citharœdorum ac salientium fuit, eximij uero citharœdi ac salientes apostoli reliquiq; martyres: cunctis tamen qui Christi nomẽ profitẽtur, pro uiribus enitendum est, ut ipsi quoq; fiant citharœdi & Idythum: præcipue tamẽ ijs qui in uicem apostolorum successerũt, ueluti pastores gregis dominici, doctoresq; multitudinis. Hos enim oportet semper aliquid resonare propheticum de lege domini, non solum cithara, dum erudiunt populum, uerumetiam psalterio, dum increpant delinquentes, ac tympano, dum retundunt obstinate repugnantes ueritati: nam in his tribus organis fuisse peritus narratur Idythum. Rursus cymbalis suaue sonãtibus, dum correptionis asperitatem dulcedine leniunt charitatis, ne frater absorbeatur grauiore tristitia: denicq; lyra, dum errore lapsos, blandioribus monitis in uiã reuocant, & cum infirmis infirmãtur. Ad hoc musices studium excitat Timotheum suum beatus apostolus. Testificor, inquit,
Cap. 2 & 4 coram deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentũ ipsius, & regnum eius, prædica uerbum, insta oportune importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Nullum autẽ musicum organum est, quod non porrigat diuina scriptura: nec ullum cantionis genus est, quod illa non suppeditet, quemadmodum ad
2. 3 eundem idem scribit Paulus: Omnis enim scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docẽdum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendũ in iustitia, ut perfectus sit homo dei ad omne opus bonum instructus. Sed bonus citharœdus esse non potest, qui non sit Idythum, omnesq; cupiditates humanas spiritu transilierit. Etenim si inter canendum obstrepat, emolumenti studium, aut gloriæ sitis, aut ira odiúmue, aut metus hominum, aut hæreticus error, una chorda dissonãs uitiat totã harmoniã. Huiusmodi citharœdi erant de qui
Cap. 1 bus ad Philippenses scribit Apostolus: Quidam & propter inuidiã & contentionẽ, Christũ annũtiant non syncere. Quod si offendunt aures hominũ quoties in cantione resonat aliqua chorda prẽter melos, & concentum uitians; quanto magis offenduntur aures dei,

quum

quum in diuino cantico obstrepit chorda Satanæ? An non uidemus ut homines qui hominibus canunt testudine citharaue, si qua fides æquo tensior sit aut remissior, mox leuissimum etiam discrimen auribus deprehendant, puta semitonij aut diesεos, nec adduci possint ut pergant canere nisi prius chordam obstrepentem correxerint. Facit hoc Dionysiacus mercede conductus ut delectet temulentum conuiuium: & non facit idem diuini uerbi citharœdus, ut seruet Christi sanguine redemptũ populum? Hominis aures non ferunt citharam uel una chorda uitiatam, & deus feret cãtionem humanis cupiditatibus dissonantem? Subsiliat igitur, qui studet agere bonum citharœdum domini, & iuxta uocem Esaiæ, semet ab humilibus curis sustollat in altum. Super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Sion, exalta in fortitudine uocem tuam, qui Euangelizas Hierusalem. Ecclesiæ ciuitas in monte sita est, non illi conueniunt humiles & Iudaicæ cantiones. Quid autẽ sublime canet, cuius animus totus humi repit? Si quis hic interpellarit dicens, inter Christianos difficillimum esse reperire talem citharœdum, huic quid aliud respondeam, q̃ uetus prouerbium: Quæ pulcherrima sunt, eadem esse tum difficillima tum inuentu rarissima. Quisquis episcopum profitetur, munus profitetur homine sublimius. Id quisquis suscipit, seipsum transiliat oportet atq; ad Euangelicam sublimitatem euolet. Reperitur enim & hic saltus in mysticis literis, quo homo transilit seipsum. Bonus enim citharœdus, iuxta beatum Hieremiam, sedebit solitarius, quia leuauit se super se. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, sed etiam atq; etiam uideat, quale sit quod optat, & q̃ ipse congruat functioni quã ambit, expẽdat. Si quis ambiat ascribi in militiam cui non sit telum, protinus audit, quid in bello facies inermis? Neq; minus ridiculũ fuerit, si quis cum balista ueniat, neq; tẽdendi neq; iaculãdi gnarus. Neq; quisq̃ sic insanit, ut ornatu musico prodeat in theatrũ aut non habens citharã, aut si habeat gemmis distinctam, auro ornatam, fides pulsare nesciat? Quid huic superest, nisi ut quo maiorem de se concitauit expectationem, hoc turpius exsibiletur? At multo iustius qui ambit episcopi functionem, ineptus ad prædicandum dei uerbum audiat, quid hic facis absq; cithara & diuinæ musices imperitus? Oportet enim episcopũ nihil magis esse qnam bonum citharœdum, bonum psaltem, bonum tympanisten, et bonum cymbalisten, semper aliquid occinẽtem, obmodulantem, obstrepentẽ atq; obtinnientẽ ouibus Christi. Sed organis angelicis utendum est, ne quid terrenum resonet tua musica. Labia, inquit Malachias, sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituũ est. Vt falsus est nuncius, nam id sonat Græcis angelus, qui aliud nunciat q̃ mandatum est: ita falsus est citharœdus, qui canit canticum quod non cõposuit noster Dauid. Sunt enim prophetæ qui uaticinantur, non quod suggesserit Christi spiritus, sed quod insibilauit spiritus ille mendax, et mendacij pater atq; princeps. Tales citharœdi sunt, qui scripturam detorquent ad suos affectus, eamq; seruire cogũt, quam decebat esse omniũ dominam totiusq; uitæ nostræ magistram. Nec minus detestandi sunt citharœdi, qui Dauidicas cantiones alijs modis personant q̃ oportet, quiq; nothas ac peregrinas cantilenas inuehunt in templum domini. Cantorum officium, scriptura παραλειπομένων ministerium appellat, Paulus dispensationem uocat. Minister, alienæ uoluntatis est exequutor, non suæ persequutor, & dispensator rem alienam tractat: pariter autem & inter ministros & inter dispensatores illud modo requiritur, ut quis fidelis inueniatur. Quisquis igitur pastoris munus sumpsisti, primũ illud habeto curæ, ut seligaris à Dauid, sic enim loquitur scriptura: Dauid & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph & Heman et Idythum. Apud multitudinem canit doctor, sed à multitudinis affectibus segregatus sit oportet. Deinde ne cecineris aliud canticum, q̃ quod composuit Dauid. Adhæc canas in templo, canas ad ædificationem ecclesiæ. Male canunt hæretici, qui non cantant in templo domini, sed in prophanis damnatisq; conuenticulis ganniunt. Postremo, ut canas prophetiã, synceriter enarrans mysticũ scripturæ sensum, idq; corã domino, haud aliò spectans, q̃ ad illius gloriam. Eiusmodi citharœdus fuit ille qui dixit: Modo hominibus suadeo an deo? Aut quæro hominib. placere? Si adhuc hominib. placerem, Christi seruus nõ essem. Atq; hoc solet esse præcipuũ citharœdi studiũ, ut placeat theatro seu cõuiuio. Nunq; aũt tam pręclare fuit actũ cũ rebus humanis, ut optima uulgo placuerint, sed plericq; sibi quærunt cantores, qui iucunda canant potius q̃ salubria: et quoniã iuxta Paulũ, aures habent

Cap. 40

Cap. 2

Col. 1

Galat. 1

prurientes, malunt tibicinem qui assentationis uoluptate scabat aures, q̃ qui ueritatis syn-
ceritate cõponat affectus. Huiusmodi nonnullos deplorat apud Galatas inueniri, quũ ait:
Esa.30 Ergo inimicus factus sum uera loquens uobis. Tales nimirũ et apud Esaiã obstrepũt pro-
phetícæ cãtioni dicẽtes: Loquímini nobis placẽtia, uidete nobis errores: auferte à me uiã,
declínate à me semitã, cesset à facie nostra sanctus Israel. Qui de terra est, terrena loquitur,
& humana placẽt hominibus. Paulus aũt diuinis auribus placere studuit, bona fide reso-
nans canticum non suum, sed dei. Euangelium, inquit, meum non est secundum hominẽ,
neq; enim ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Neq; ta-
men eadem harmoniæ ratio conuenit omnibus: in causa est, partim humanorum ingeni-
orum uarietas, partim assuetudo. Qui natura ferociores sunt, Phrygíjs modis magis affi-
ciuntur, ob animorum cognationem: qui molliores, malunt audire Lydios. Rursus ea
cuiq; musica dulcior est cui assueuit. Hanc uarietatem non oportet latere citharœdum ec
clesiasticum, ut iuxta Pauli exemplum sic omnia fiat omnibus, ut tamẽ à synceritate præ-
dicationis non recedat. Consultum enim est optimis assuescere, quibus iucunditatem ad-
det usus. Nihil est magis uarium Paulo, at rursus eodem nihil simplicius. Proinde quàm
erat insignis citharœdus, tam idem erat arte saliendi præcellens. An non egregius saltus
est, quicquid hic mundus habet uel expetendum uel horrendum, magno animo uelut è
Cap.3 sublimi despicere? Sic enim scribit Philippensibus. Sed quæ mihi fuerunt lucra, reputa-
ui propter Christum detrimenta. Quin exístimo omnia detrimenta esse propter eminen
tem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbi-
tratus sum stercora, ut Christum lucrifaciam. Multos colles habet hic mundus qui ob-
stant ad Christum properanti, uelut affectus cognatorum, carnis imbecillitas, splendor di
uitiarum, dignitas honorum, uoluptatum illecebræ, celebritas famæ: & his contrariæ elu
siones, solitudo tristis, paupertas ubiq; conculcata, conditionis humilitas omnibus expo
sita iniurijs, labores & cruciatus, infamia & ignominia. Hos omnes colles transiliat opor
tet, qui cantionem suam optat placere domino. Deinde saliat per montes, progrediens de
Psal.83 uirtute ad uirtutem, donec uideatur deus deorum in Sion. Nam & Sion mons est, & He-
bræis speculam sonat. Huc ab humilibus curis subuolet oportet, qui uidere desiderat do-
Psal.86 minum uirtutum qui in excelsis habitat, & cuius fundamenta sunt in montibus sanctis:
sed in his nullo magis delectatur, q̃ qui sustinet portas Sion. Hæc est urbs fidelis, quam
conuellere non queunt inferorum portæ. Huc igitur transiliat oportet, qui cantare uelit
hymnũ de canticis Sion. Habet autem & hic mũdus montes suos, quos execratur Dauid
2.Reg.1 dicens: Montes Gelboe, nec ros nec pluuia cadat super uos, ubi ceciderunt fortes Israhel.
Et alibi: Omnes montes in circuitu uisitet dominus, à Gelboe autẽ transeat. Hi sunt mon
tes inanis glorię, quę primum Luciferum deiecit è sublimi, et hodie multos occidit, qui ui
debantur iam pietatis tenere culmẽ. Metuebat sibi ab his montibus beatissimus Paulus,
cui datus est stimulus carnis, & colaphistes Satanas, ne forte magnitudo reuelationum
transuersum raperet in montem Gelboe, quæ uox declarat decursum. Huc enim ascẽdis-
se præcipitium est, quemadmodum demisisse sese uerus ascensus est. Sterilis est Gelboe,
quoniam in elatam animam non intrat sapientia, sed humilibus datur gratia. Quæ si for-
te & in montes effundatur, quoniam pluuiæ ritu mox defluit, nihil adfert bonæ frugis.
Quisquis igitur cupit uere sublimis esse in Christo, sit in seipso humilis: et qui sibi uidetur
sapere, stultus fiat, ut sit uere sapiens. Quod si quis stultæ gloriæ flatus impulerit nos in
montes Gelboe, mox resiliamus, nec illic figamus sedem, illius exemplo territi qui dum
thronum suum collocat in Aquilone, quod est cœli fastigium, similis esse studens altissi-
mo, deiectus est infra omnem humilitatem. Si Paulum qui transilijt in tertium cœlũ, ibiq;
audiuit uerba arcana, quæ nefas est hominem homini proloqui, terruit ille mons execra-
tus, quanto magis nobis ab omni celsitudine mẽtis cauendum est. Ingens collis est amor
uitæ, horrenda uorago est, metus mortis, utrunq; transilit Paulus, quum ait, mihi uiuere
Christus est et mori lucrum. Vt igitur efficiamur Idythum, expediti ad saltum, exonere-
Philip.1 mus nos ipsos omnibus sarcinis, quæ deprimunt sensum multa cogitãtem, abrumpamus
omnes remoras & retinacula carnis. Quomodo subsiliemus onusti plumbo crimínum?
Quomodo subuolabimus irretiti uisco uoluptatũ, inuoluti spinis diuitiarum, illaqueati
luxu, ebrij dulcedine gloriæ mundanę, immersi limo terrenarum solicitudinum, per quas

uix

uix unq̃ licet ad puriorem auram caput attollere? Cupienti synceriter dispensare uerbum salutiferum, multa frequenter occurrunt obstacula. Caro dicit, si hæc prædicauero mulctabor damno: transili lamam hanc. Si ueritatem libere profitear, incurram principis indignationem: transili rupem istam. Iudicabor hæreticus ijs qui uentri suo seruiunt, magis quàm Iesu Christo: transili remoram istam. Rapiar in discrimen capitis: transili scopulum. Ne trepida, sed leua oculos tuos in montes, unde ueniet auxilium tibi. Sustulisse mentis oculos in montes, est subsilijsse in montes. Neque enim hi saltus corpore peraguntur, sed animo: In eo nimirũ fides habet oculos, affectus sunt pedes. Qui saliunt, prius destinant oculis locum, quem petunt pedibus. Ita prius est credere quàm amare, prius inquam nõ tam tempore quàm natura. Quot sunt affectus in homine, tot sunt chordæ in cithara, tot sunt pedes in anima. Sed ut sunt affectus quidam improbi, quidam naturales, quidam spirituales, ita sunt uariæ chordæ diuersa sonantes. At chordæ quæ uiciant harmoniam, aut incidendæ sunt, aut si hoc fieri non potest donec animus uersatur in hoc terreno corpore, certe transiliendæ sunt. Si ab affectibus turpibus subsilisti ad affectus naturæ, è monstro factus es homo. Nam si diligis uxorem, aut parentem, aut liberos eò affectu, quo probus Ethnicus diligit suos, nihil aliud es quàm homo, uicinus periculo, si per occasionem, necessariorum charitas te pertrahat ad iniusticiam. Verum si naturã transilieris, ac subuolaris ad spiritum, iam homine maior, cepisti ad angelorum sublimitatem accedere. Amas uxorem, non uoluptatis gratia, sed quod Christus iussit eam diligi, deserturus uxorem citius quàm à Christi præscriptis recessurus, iam transilisti ab anima ad spiritum. Sunt quinq; sensus externi, sunt totidem interni. Hos omnes transiliat oportet, qui uelit esse uerus Idythum, & in templo coram domino canere. Huiusmodi citharœdus erat Paulus quum ait, non enim sumus sicut plurimi adulterantes uerbum dei, sed ex synceritate sicut ex deo, coram deo in Christo loquimur. Sunt quatuor affectiones humanæ mentis, tyrannidem exercentes in uitam humanam, spes ac metus, gaudium & dolor. Has fides si intenderis ad res huius mundi, uiciant melos: sin ad pietatem, hoc est, si spem figas in deo, si metu dei abstineas à turpibus, si nihil æque doleat ac turpitudo, si nihil iucundius lucro bonæ mentis, suauissimam reddunt harmoniam. Cui dolet iactura rei, nec dolet dispendium bonæ mentis, male tetendit chordam. Esse autem & animi fides ac musicam, Ethnicis etiam poetis, tum animaduersum est, tum literis proditum. Sic enim apud illos tragicus quispiam loquitur de homine, quem praua cupiditas transuersum rapit ab honesto, κινοῦσα χόρδας τας ἀκινήτους φρενῶν id est, Chordas mouendo non mouendas pectoris. Admonitus per insomnium Socrates ut daret operam musicæ. Cono præceptore didicit canere fidibus. Quum nihilo secius rediret insomnium, composuit uersibus aliquot Aesopi apologos, eosq; decantauit. Nam & poetice musica quædam est. Quum subinde rediens uisio moneret eadem, cœpit operam dare philosophiæ morali, quod per hanc compositis animi cupiditatibus, admirabilis ille uirtutum concentus ad rationem temperatur. Quemadmodum temperatura elementorum & qualitatum in corpore humano, tum animæ & corporis coniunctio, & animæ uirium inter se modulatio, musica quædam est quam Boetius humanam appellat. Ac mox desijt admonitrix uisio. Verum humana philosophia non potest hanc melodiam reddere, quæ digna sit templo domini, quoniam illic ad rationem humanam tenduntur chordæ. At humana ratio frequenter discrepat à spiritu dei, ad cuius uoluntatem nisi tendantur omnes animi nostri chordæ, non potest reddi benè modulata cantio. Pythagoras in cœlestibus orbibus admirabilem quandam harmoniam deprehendisse creditur, quam mundanam appellãt: negant enim esse uerisimile, ut tam immensa corpora tanta celeritate silentio moueantur: sed illa demum uere cœlestis musica, quæ ad eius uoluntatem modulata est, qui cœlorum orbes & quicquid illorum ambitu cingitur, condidit & gubernat. Est apud philosophos tertium musices genus, quod per organa flatu potissimum & pulsu constat. In quo iuxta historiam præcelluit Dauid & Idythum. Sed nostra musica spiritualis est, quoniam deo qui spiritus est psallimus. Huius illud est caput, ut totus homo concordet diuinæ uoluntati, quæ certissima regula est honesti, quemadmodum docet Apostolus scribens Ephesijs. Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit uoluntas dei. Audisti quæ res faciat ueram harmoniam. Nunc audi quid uiciet organum. Et nolite inquit inebriari Cap. 5

uino

uino, in quo est luxuria. Siccis & extenuatis fidibus redditur sonus gratissimus. Organi autem huius musices cor hominis est, quod diuino spiritu à carnea natura redditur subtile. Sed replemini, inquit, spiritu sancto. Apparatum est instrumentum, nunc audi canticum: loquentes uobismetipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus uestris, domino gratias agẽtes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri. Quoniam autem chorus inamœnum reddit cãtum, nisi concordia iungat impares, & suo quisq; fungatur officio, subnectit: subiecti inuicem in timore Christi. Mulieres uiris subditæ sint, & cætera, quæ nisi seruentur, non constat
3 concordia. Similiter & Colossenses exhortans ad concentum, in primis cõmendat charitatem mutuam: super omnia inquit hæc charitatem habete, quod est uinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus uestris, in qua uocati estis in uno corpore: mox adijcit. docentes & commonentes uosmetipsos, in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus in gratia canentes in cordibus uestris deo. Porrò quid sit deo canere protinus exponit: omne quodcunq; facitis, in uerbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes deo & patri per ipsum. Qui gratias agit super omnibus, nusq; obstrepit diuinæ uoluntati: itaq; corpus capiti congruit. Rursum cũ unumquodq; membrum corporis suum tenet locum, suoq; fungitur officio, dotemq; à spiritu traditam confert ad communem utilitatem, nulla est inter homines dissonantia, ueluti quum uxor obtemperat marito, maritus sic amat uxorem sicut Christus ecclesiam: filij parentibus obsecundant, patres liberis clementer imperant: serui dominis ex animo placere studeant, heri sic eos habent, ut meminerint conditione quidẽ esse seruos, sed uocatione fratres. Nec absurdum fuerit flatilem musicam accipere, quæ facit ut omnis oratio nostra congruat præceptis dei: pulsatilem, ut omnes actiones nostræ consonent illius uoluntati. Id subnotasse uidetur Apostolus, quum ait, in uerbo aut in opere. uerbum resonat, opus pulsat. Vitiat & illud harmoniam, quum uox loquentis à corde discrepat, aut quum orationi facta non respondent. Qui canunt hominibus, diligẽter apparant citharam: nos autem si cupimus melos nostrum esse gratum diuinis auribus, adaptemus cor, hoc est mentem, & huius chordas id est affectus recte tendamus, id fiet, si ad Christi gloriam, & proximi commo-
1. Cor. 10 dum intendamus. Vis audire rationem bene tendendi citharam hanc? Paulus longe Idythum illo superior ostendit: Siue inquit manducatis siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Ad hunc modum temperato mentis organo resonat illa suaPhilip. ca. 4 uissima cantio, quam idem depingit: De cætero fratres quæcunq; sunt uera, quęcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua uirtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate quæ & didicistis, & accepistis, & audistis & uidistis in me, hæc agite. Omnis iraq; musica quæ dissonat à uolũtate spiritus, et à pręscripto mysticæ scripturæ, inamœna est & ingrata deo: magis etiam inuisa, si eam ad quam oportuit effectuum nostrorum chordas dirigere, peruersa ad nostras cupiditates distorquea-
mus. Quorundam cithara nihil aliud sonat quàm mundum, hoc est quæstum, adulationem & gloriam. Hoc si quis uestrum non satis intelligit, efficiam exemplo perspicuũ. Audiui quendam concionantem de uerbis quibus Maria uirgo respondit angelo: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum, ex singulis uerbis singulas uirginis uirtutes colligebat, commentum hoc è Bernardo ni fallor mutuatus. Sed illius bene modulatam citharam, duabus chordis uitiabat. Quum enim exposuisset his uerbis secundũ uerbum tuum, declarari fidem, adiecit in cõmendationem indulgentiarum pontificiarũ: qui uelit eas sibi bono esse, necesse esse ut crederet illud pontifici Romano in manu esse, animam quam uellet ex inferis ereptam repente collocare in cœlo: simulq; rem totius corporis gestu repræsentabat, primum demisso quãtum potuit cum flexu corporis dextro brachio, moxq; in sublime porrecto. Hæ nimirũ duæ chordę quęstus & adulationis corrumpebãt alioqui bene modulatã cantionẽ. Tales nõ sunt citharœdi quos instituit Dauid noster, sed Aspendij potius, in quos est iocus uetusti prouerbij, quod intus canant sibi, uidelicet suo uentri ut ait apostolus, seruientes, non Iesu Christo. Quidam alienis fidibus admixtis corrumpũt diuinam harmoniam, dum uel humana philosophia corrumpunt cœlestem sapientiam, uel sanæ doctrinæ admiscẽt errores hæreticos: cuiusmodi citharœdus fuit Origenes, Tertullianus, & Arius, qui unica chorda pessime resonante totũ uiciauit

canticum

canticum. Sunt nõnulli, quia nimia subtilitatis affectatione uitiant musicæ simplicitatem. Laudantur Lacedæmonij, qui Timotheũ Milesium è ditione sua eiecerunt, quod unica chorda ad citharã addita, musicam reddidisset operosiorem. Sed grauius peccant, qui cœlestem doctrinam superuacaneis argutationibus & ascititijs difficultatibus corrumpunt. Multa ueterum querimonia est de ecclesiastis, qui dictionis amœnitate, crebrisque epiphonematis plausum captabant imperitæ multitudinis. E rhetorum schola manabat hoc uicium. Eloquẽtiæ studio successit amor philosophiæ, præsertim Aristotelicæ, nec leuior hinc diuinæ musices corruptela, dum quidam ad ostentationem acuminis, tantum illi nõ necessariæ difficultatis admiscuerũt, ut Aristotelica philosophia ad hanc collata, simplex ac facilis uideri possit. Male canunt & hodie infelices Iudæi, qui se subducunt à choro, quia male temperatam habent citharam, sedulo pulsantes imam literæ chordam, quum nulla sit harmonia, nisi graues acutis misceantur, ac sensus historicus concinne ad allegoriã attemperetur. Interdum immodulate canit Origenes, allegoriam resonans, literam reijciens: sed frigidissima est Iudæorum cantio, nihil aliud q̃ historiam crepantium. Ne Christianorum quidem musica deo grata est, nisi totus homo sibi consonet, atq; externus cum interno congruat. Modulate canebat Paulus, quum ait, Psallam spiritu, psallam & mente: orabo spiritu, orabo & mente. Qualis autem illa melodia est, quum lingua sonat laudem dei, & cor meditatur uindictam proximo: quum uox canit cœlestia, & animus cogitat sceleста. Male psallit & is, qui corpore ieiunat à cibis, nec animum abstinet à uitijs. Rursum qui carnem continet à libidine, nec mentem puram seruat, à superbia, ira, cæterisq; uicijs. Postremo, scite dictũ est à priscis, uirtutes omneis, uelut ansas inter se cohærere: è quarum concentu suauissima redditur cantilena. Habent & illi male temperatam citharam, qui sic noui testamenti libros recipiunt, ut ueteris respuãt: qui aliũ faciunt deum ueteris legis, ac nouæ. Rursum qui è scriptura canonica alios libros probant, alios reprobant, quũ omnium sit absolutissimus cõcentus. Arbitror & illos inter malos citharœdos numerandos, qui tantum tribuunt fidei, ut contemnant opera: contrà, qui tantũ tribuunt operibus, ut ea negligant, quæ sunt ad pietatem præcipua. His addantur & illi, qui sic addicti sunt humanis constitutionibus, ut ob has uiolent præcepta dei: è diuerso, qui dum sedulo tuentur præscripta dei, contemnunt omneis hominum cõstitutiones. Item qui dum exaggerant ea quæ sunt spiritus, alba (quod aiunt) amussi damnant omneis cæremonias. Reuocemus huc quod superius attigimus, de singulorum membrorum officijs & ordine: unde tanta in corpore harmonia, nisi quod nec manus postulat esse auris, nec pes oculus, nec uẽter manus, nec oculus nasus, sed natura suũ cuiq; tribuit locũ, ibiq; neruis apte colligauit, ac suã cuiq; functionẽ delegauit. Quantũ perturbationis adfert unũ mẽbrum luxatum: quanta calamitas sit, si quis manibus pedum loco, aut pedibus manuum uice cogatur uti, aut si quod nonnullis morbo accidit, lotium & alui excrementa per os reddantur? Similis perturbatio nascitur in rebus humanis, si populus imperet magistratui, leges seruiant priuatis affectibus, principes negocientur, episcopi dominentur, Theologi calumnientur, pontifices belligerentur, monachi uoluptuentur, agricolæ tumultuentur. Fortasis obiter attigimus aliquot fontes dissonantis musicæ, quam hisce temporibus uidemus ac deploramus in ditione Christiana. Iam uero quoties affectus carnis inter se dissonant, ut non solũ insuauis, uerumetiam misera sit musica. Veluti quum sonanti chordæ libidinis, obstrepit chorda auaritiæ, rursus auaritiæ obstrepit ambitio, ambitioni obstrepit luxus ac desidia. Minus enim miser est qui cõstanter malus est. Huius dissonæ symphoniæ molestiã elegãter depinxit Ecclesiasticus: Prȩcordia, inquit, fatui quasi rota carri, & quasi axis uersatilis cogitatus illius. Item Solomon: Vult piger et nõ uult. Hoc cupidi tatũ inter se tumultu, rixaq; quid fingi potest molestius aut miserius? Nusq; est Idythum, nusq; uera symphonia, nisi ubi est pax dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiens corda & intelligentias hominis in Christo Iesu. Ex corde uita procedit, id frusta custodit homo, nisi custodiat dominus. Porrò frequẽter in literis sacris ubi fit mentio tympanorum, ibidem fit mentio chori. Chorus autem est, ubi plurium consonantibus uocibus perficitur cantio, nec ulla cãtio gratior diuinis auribus. Sic enim per os Pauli loquitur dominus: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes id ipsum sentientes. Idem admonet Romanos cap. 12. Idem Corinthios. Obsecro, inquit, uos fratres

Cap. 33

Cap. 13

Phil. 2

1. Cor. 1

fratres per nomen domini nostri Iesu Christi,ut idipsum dicatis omnes,ut non sint in uobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. Vehementer offendebant concordiæ magistrum illæ dissonæ uoces: Ego sum Pauli,ego sum Apollonis, ego Cephæ,ego Christi. Deus,pacis deus est, non dissensionis. Laus eius in ecclesijs sanctorum,hoc est, in congregatione piorum,non in dissidijs impiorum. Non enim est pax impijs dicit dominus: ubi uero non est pax,ibi non est chorus. In domo patris Euangelici auditur symphonia et chorus. Eodem gaudio gaudent omnes qui sunt intus,discruciatur inuidus qui foris est. Quis autem ex animo diligens decorē domus dei temperet à lachrymis,ubi reputet q̄ hoc seculo non concordent in cantico,qui tamen eodem Christi nomine censentur. Quàm uarię uoces audiuntur undiq;,sic dissonantes à cithara Dauidica, ut nihilo minus inter se discrepent. Vtinam & his omnibus dominus det cor unum & animam unam,ut pariter omnes iunctis uocibus in domo domini,decantemus illi symphoniam in choris spiritualibus: ut simul perueniamus ad illam ecclesiam cœlestem in qua iugibus hymnis laudatur deus Sabaoth,nec ulla est uocum dissonantia. Hactenus mysterium citharæ propheticæ, & nominis Idythum, quantum dominus dedit exposuimus. Ad psalmum properabimus, si duo quædam etiam de titulo admonuerimus. Quorum prius est illud pro eo quod septuaginta uerterunt in finem, qui fontes Hebræorum sequi maluerunt,uerterunt pro uictoria Idythum siue uictori Idythum. Existimant enim inter cantores templi fuisse certamina, propositis uictori præmijs. In eo certamine quoniam uicerat Idythum, Dauid hoc canticum illi composuit, spiritualis uictoriæ mysterium aperiens: cuius præmium est,non bucula quidem aut patera,qualia ferre solent qui uicissent in Olympiacis,sed uita æterna: Agonothetes dominus,qui nec iudicio fallitur,nec promissis fallit. Voces quidem diuersæ sunt,in finem, & pro uictoria,sed in eundem recidūt sensum. Finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti. Quisquis igitur à litera transilijt ad spiritum,per Christum uicit mundum,superauitq; Pharisaicam iusticiam,& cum Idythum suaue melos canit in templo coram domino. Abominatur dominus cantica Iudęorum,qui dum legem mordicus tenent, nec finem legis agnoscunt Christum: grauantur ingredi domum benigni patrisfamiliâs, maluntq; obstrepere symphoniæ canentium & exultantium in choris, quàm cantionis simul & exultationis fieri consortes. Posterius hoc: sunt psalmi complures, quorum titulus indicat argumentum historiæ. Tale nihil habet hic titulus. Hebræi quidam coniectant psalmum hunc habere prophetiam de malis uenturis populo Israelitico in captiuitate Babylonis. Huic coniecturæ quantum sit tribuendum alij uiderint, nihil enim aliud est quàm humana coniectura. Vero propius est,quod alij diuinant,psalmum hunc respicere ad historiam, quæ memorat quomodo Semei petulantissimis conuicijs impetiuerit Dauid,non minus crudelis qui lingua sæuierit in afflictum,quàm demens, qui dictis amarulentis irritarit regem, cui in promptu erat occidere & cōuicia retaliare nece. Et iam sanè perierat ille maledicus,nisi Dauid Abisai manus cohibuisset. Erat autē Semei de cognatione Saulis: eoq; spirabat adhuc uetus odium: & in hunc demanasse uidetur spiritus ille à domino malus,qui Saulum agitare cōsueuit. Alioqui quid aliud quàm mortem quærebat,qui solus ausus est, & lapides & conuicia lapidibus uiolentiora iaculari in Dauid,ut regem,ita fortissimorum bellatorum turmis dextra læuaq; stipatum? Regius animus impatiens est omnis cōtumeliæ,& rebus exulceratis pronior est ad uindictam dolor. Contumeliam insuper exasperare poterat Saulis memoria,qui nunq; desierat Dauidi pro rebus pręclare gestis moliri necem. At Semei furioso non sat erat saxis impetere regem, sed in omnes regis seruos iaculabatur lapides, ac terrā spargebat,uociferās ex aduerso: Egredere,egredere uir sanguinū,uir Belial. Reddidit tibi dominus uniuersum sanguinē domus Saul, quoniā inuasisti regnum: pro eo en dedit dominus regnū in manum Absalon filij tui, & ecce premūt te mala tua,quoniā uir sanguinum es. Non tulit effrenem petulantiam Abisai: Quare,inquit,maledicit hic canis moriturus domino meo regi? uadā & amputabo caput eius. Quid hic expectet reliquæ ignarus historiæ,nisi præclarum aliquod præmium pro tam singulari erga principem suum studio? At Dauid tot seculis ante Euangelium, Euangelicæ lenitatis absolutissimum exemplar exhibēs, præmij loco refert obiurgationē. Quid,inquit,mihi uobiscum est filij Saruiæ? sinite eū ut maledicat. Dominus enim præcepit ei,ut malediceret Dauid, & quis

Lucæ 15

Enarratio psalmi.

Rom. 10

2. Reg. 26

est

est qui audeat dicere quare sic fecerit? Itaq; fateor non absurdum fore, si quis peccatoris nomine aduersus iustum consistentis intelligat maledicum Semei, in quo adhuc spirabat exitiale odium superbi Saulis. Aduersus cuius maledicta, non modo continuit linguam Dauid, ne regereret conuicia, uerum etiã furenti patrocinatus est: & inaudito mansuetudinis exẽplo, excusatur maledicus, & arguitur beneuolus. Hæc enim uox: Quid mihi uobiscum, est amicitiã renunciantis, ni se contineat. Sic Petrus dum ex beneuolẽtia nõ uult Christum mori, audit uade post me Satana, non sapis quæ dei sunt. Idem dum aduersus impiam cohortem pro domino stringit ferrum, increpatur. Cæterum an uniuersus psalmus congruat ad hoc argumentum nescio. Nec tutum est hominum diuinationi fidere, præsertim quum Iudæorum fabulis nihil sit frigidius. Porrò nihil necesse est, ut psalmi argumentum semper ex historia repetatur. Nonnunq; sumitur è loco quopiã scripturæ ueteris, uelut hic sumptus uidetur partim è Iob, partim ex Ecclesiasta, adeo multa congruũt quæ suis locis rectius indicabuntur. Atrociores querimonias uidetur è Iob mutuatus, querelam de uanitate rerum humanarum ab Ecclesiasta. Habet autem quiddam Iudaicum, hoc est querulum ac plorabundum, quum post exortam Euangelij gratiam, omnia sint alacriora. Ac fieri potest, ut perfectus fuerit qui hunc cõscripsit psalmum, fortassis & qui cecinit: sed tamen inducitur in eo persona hominis adhuc cum tentatione grauiter luctantis, idq; non sine periculo: nec exitũ habet lætum, sed ut à dolore cœpit, & in progressu molestiã exasperat, ita in ploratum desinit. Mihi uidetur in genere quadrare cuiuis ex afflictionibus grauissimis ac desperatione, semet ab omnibus mundi præsidijs auertenti, & ad Christum solum pectore toto conuertenti. Est autem psalmus pœnitentialis, quemadmodũ is qui præcessit. Superior enim psalmus nihil aliud habet, quàm luctum & preces pœnitentis. Incipit à tremore: Domine ne in furore tuo arguas me. Nec aliter desinit: Ne derelinquas me domine deus meus. Hic similiter commemoratur grauis lucta cũ aduersario: ut omnibus humanis præsidijs destitutus cogatur ad deum afflictionis autorẽ cõfugere. Tametsi uterq; psalmus & aliàs cum altero in pleriscq; sententijs consonat. Hic peccator consistit aduersus Dauid, illic amici & proximi aduersus illum appropinquant et cõsistunt. Hic ponit ori suo custodiam. Illic tanq; surdus nõ audit, & sicut mutus non aperit os suum. Illic cor eius conturbatum est, hic cor illius concaluit intra ipsum. Hic deplorat, quod datus sit, aut orat ne detur, in opprobriũ insipienti: illic orat, ne quando supergaudeãt ipsi inimici. Illic uicinus desperationi, clamat, ne discesseris à me: hic precatur, Remitte mihi ut refrigerer. Breuiter cætera congruunt, solus huius psalmi titulus habet uictoriam, cuius spem intelligere licet quum ait: Et nunc quæ est expectatio mea, nónne dominus? Bona uictoriæ spes quoties homo diffisus cæteris præsidijs omnibus, totum sese cõuertit ad deum. Nullus porrò coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Ea tamen uictoria clarius exprimitur psalmo proxime sequenti, nam & illius argumentum cum duobus superioribus congruit. Hic inter molestiarum turbines, leuiter affulgente cœlitus spei aura, dicit: Et quæ est expectatio mea, nónne dominus? in altero dixit: Expectans expectaui dominum & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ & de luto fecis: & immisit in os meum canticum nouum, carmen deo nostro. Hoc nimirum est uerum epinicion quod canitur parta uictoria. Quanquam hoc canticum non dabitur pure canere, quãdiu militamus in hoc luteo tabernaculo corporis: lætitia nostra uel doloribus uel metu contaminata est, ac tales sunt cantiones qualis est illa apud ueteris comœdię scriptorem, ἐᾶε ὦ, ὦ ἐᾶε. Hic enim quando per domini misericordiam contigit uictoria, tamen expectatur alius hostis impetus, ut non liceat cessare, sed semper in excubijs uigilandum & in procinctu standum. Atq; hic quoq; uerum est, quod uetustissimo Græcorum prouerbio iactatũ est, κοινὸς ἐννάλιος, septies enim in die cadit iustus, sed exurgit. Mea quidem sententia nihil obstat quo minus hic psalmus, uel ad Christum ecclesiæ caput, uel ad ecclesiam mysticum Christi corpus, uel ad prophetas, apostolos, & episcopos ecclesiæ columnas ac duces, uel ad unum quemlibet sub Christi uexillis militantem possit accommodari. Siquidem proponitur hic exemplar hominis, qui delassatus ingrata improborum malicia cogitet de relinquendo benefaciendi studio, tandem increscente cruciatu animi, tedio uitæ morte quærat dolorum finem: sed ab hac desperatione reficitur, partim humanæ uitæ consideratione, quæ ut sit afflictissima, diu tamen quum sit breuissima discru-

ciare non potest: partim respectu misericordiæ diuinæ, quæ ut interdum grauissimis afflictionibus tentat suos, ita non patitur eos tentari supra uires, sed facit cum tentatione prouentum ut possimus sustinere. Scimus autem Christum exacte tentatum ac per omnia probatum. Nec obscurum est Paulum tot malis exercitum fuisse, ut aliquando ceperit illum huius uitæ tedium: nec ignoramus tempestates, quas olim passa est, & hodie patitur ecclesia, plane defectura, ni Christus illam præsente ope fulciret. Demum in se quisq; discit experimento non temere dictum apostolo: Quicunque uolunt pie uiuere in Christo Iesu, necesse esse ut persequutiones perpetiantur ab his qui diligunt hunc mundum. Nos tamen iuxta postremum sensum potissimum attemperabimus enarrationem, nullius autoritati addicti, præsertim quum uix in alio psalmo maior sit interpretum uarietas: semper enim nobis placuit in scripturis diuinis simplex minimeq; uiolenta tractatio. Tantum deprecamur dominum nostrum, ut & linguæ meæ citharam ita temperet, & uestros animos ita præparet, ut me præcinente, uos sitis chorus propheticus, saltans & exultans spirituali gaudio, & utriq; reddamur Idythum, transilientes huius mundi colles, & exonerati peccatis, per heroicarum uirtutum montes saliamus, donec perueniamus ad conspectum dei deorum in Sion, Amen.

DIXI CVSTODIAM VIAS MEAS.

Abruptum uidetur exordium, ut intelligas post uariam diutinamq; cogitationem, in hanc demiq; uocē erupisse æstuantis animi dolorē. Quod genus est illud apud Comicum: Quid igitur faciam? Multa enim occurrunt undiquaq; afflicto, & omni ex parte semet ingerentibus malorum procellis circumagit oculos dispiciens si qua possit elabi, ac doloris inuenire medelam. His uero quos ingens mœror occupat, grata est solitudo, ac uelut pertesi conuictum hominum in quibus experiuntur tantum prauitatis, amant secum loqui, & ut nihil aliud, saltem profusis lacrymis utcunq; mitigare doloris acerbitatem. Tale quiddam accidisse ferunt Timoni cuidam Athenienſi, qui per adulatores ac fucatos amicos ad summā redactus inopiam, exosus uniuersum hominum genus, neminē ad misit in contubernium. Sic & nostrum Idythum hominibus loqui tedet in quibus nihil sani reperit: deus fortasse nondum uenit in mentem afflictionum undis perturbatam. Dixi, inquit, cui dixit? Cui nisi sibi ipsi. iam igitur statuit aliquid. Nullus enim mentitur sibi. Quisquis sibi loquitur, ex animo loquitur. Rhetorū mos est, posteaq; perorarūt, addere, Dixi: sicuti comœdiarū recitator addit, Calliopius recensui. At hic eo uerbo suum orditur sermonē, ut intelligamus prius in animo factam consultationem: ac ex uarijs sententijs, tandem aliquam placuisse quam uelit esse raram, siquidem ea uox, dixi, non tantum indicat rationis finem, uerum etiam declarat certum animi decretum. Ita Phormio in Terentiana comœdia, dixi Demipho. Quin & diuinæ literæ frequenter hoc tropo decretum immutabile significant, Dicit dominus omnipotēs. E diuersis igitur cogitationibus postea q; una placuit, ait, Dixi. Videtur igitur sibi aliquod malorum excogitasse remedium, quod ex se præstare possit. Quod nam est illud? [Custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea.] In simili fluctuatione mentis, aliud loquitur insipiens dum reputat tot malis affligi pios homines, cōtrà malos in hoc mundo, diuitijs, honoribus, uoluptatib. reliquisq; uitæ cōmodis florere: eoq; putās res humanas fortunæ arbitrio temere sursum deorsum misceri, dicit in corde suo, Non est deus: aut si quis est, nullam habet rerum humanarū curam. At in simili mentis perturbatione longe cordatius loquitur Idythum in corde suo. Dixi, inquit, custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea.] Qui sapit afflictione fit cautior: insipiens prosperis rebus pariter atque aduersis fit dissolutior. Apparet autem hunc Idythum, & lingua lapsum, & linguis hominum fuisse uulneratum. Itaq; sicuti qui semel est ictus scorpio, huic sub omni lapide dormit scorpius: ita qui lapsu linguæ linguas maledicorum in se concitauit, etiam tuta timēs, circunspicit omnes actiones suas, ne quid
Iob 9 fallat imprudētem, & cū beato Iob dicit, uerebor omnia opera mea. [Vt non delinquam lingua mea,] Qui sermo bifariam potest intelligi. Ideo circumspiciā cogitationes, cōsilia, rationes meas, ne quid excidat è lingua, quod tacuisse præstiterat. Fons autem cogitationū cor est, eoq; grauiter monet Sapiēs: omni custodia serua cor tuum, ex ipso enim uita

procedit

procedit. Sapiẽs igitur uelox ad audiendũ, tardus ad loquendũ, multa cautione cogitationes, suas examinat, diuq; cohibet, ne prorũpant in linguã. Donec enim premũtur in corde, ut minus sunt noxiæ, ita sunt et sanabiliores. Quoties igitur cor æstuat inuidia, odio, ira, uindictæ cupiditate, amore, alioúe simili affectu, tutissimum est silentium. Aliter hoc pacto. Tanta circunspectione obseruabo rationes meas omnes, ut ne lingua quidem mea delinquam. Intelligebat linguam in udo sitam esse lubricam, nec aliud membrum difficilius cohiberi, quin alicubi delinquat, etiam si adsit uigilantissimum benedicendi studium. Ea porrò est mentium humanarum peruersitas & ad calumniandum procliuitas, ut non sat habeat insectari, si quid per humanam incuriam excidit, quod tacuisse præstiterat, nisi & lapsum cui pro Christiana lenitate cõniuendum erat, uerbis exaggeret: parum & hoc, quod rectè dictum est, calumnia deprauat in sensum impium, quodq; est omnium malitiosissimum affingunt de suo, quod nec dictum est, nec cogitatum. Eadem autem est ratio linguæ & calami, nisi quod scripto quemadmodum latius manat utilitas, ita tenacius astringuntur homines quàm dictis. Ignosci nanq; solet labenti linguæ, quæ sæpenumero præcurrit animi cogitationem, et paratior est hic inficiatio: scripto ueluti chirographo magis uinciuntur & conuincuntur homines. Difficillimum itaq; est eum, qui multa loquitur, aut multa scribit, iuxta Solomonis dictum præstare, ut omnibus horis sapiat, ac non alicubi defluat à recto. Quanquam non satis est recta loqui, nisi loquaris ut oportet, & quando expedit, & apud quos conuenit. Multa enim licent quæ non expediunt, & peccat is quoq; qui bona dicit non bene. Qui non lapsus est uerbo, hic perfectus est uir, ait Iacobus. Aliquid est esse uirum, sed longe plus est esse perfectum uirum. Atq; haud scio an ex uniuerso mortalium genere præter unum Christũ, quisq; inueniatur, qui nusquam lapsus sit uerbo: aut inter omnia scriptorum genera sit ullus liber absq; neuo erroris, præter scripturam Canonicã, quæ tam nescit fallere, quàm ipse spiritus diuinus cuius afflatu prodita est. Vt enim omittamus philosophos gentium, qui nihil aliud erant quàm homines, quem dabis ex his, qui monumentis suis ecclesiam illustrarunt, adeò uel cautum, uel felicem, ut nusquam exciderit quod merito possit reprehendi, aut aliquo pacto uocari in calumniam. Magnus ecclesiæ doctor fuit Origenes, de cuius fontibus omniũ fermè Græcorũ ingenia sunt irrigata: ad hæc martyris filius, ipse martyrq; candidatus: sed q̃ multa in huius uiris scriptis leguntur pluscq; hæretica? Ruinæ occasio fuit philosophia platonica. Quod Origenes fuit Græciæ, cuius in diuinis libris studium feliciter excitauit, hoc Afris fuit Tertullianus, uir omni disciplinarum genere perpolitus, perspicacis ingenij, exactiq; iudicij, sed hic amore uirginitatis impegit in errorem improbatę digamię, tandem nõ tam in Montani dogma prolapsus, quàm factioni montanensium adiunctus, à qua postea sic amputauit sese ut tamen ecclesiæ catholicæ non reconciliaretur. Quid Cypriano sanctius aut apostolico spiritui propius? Non effugit næuum, quod ab hæreticis tinctos censeret retingendos. Cuius erroris plurimos episcopos habebat socios. Irenæus omnibus disciplinis affatim instructus, & in sacris literis sic uersatus, ut dicas illum nihil aliud scisse, qui sic tractauit rem fidei catholicæ, ut sentias illum amasse quod docuit, tamẽ prolapsus est in dogma Chiliastarũ, nec de resurrectione per omnia docuit quod nũc docet ecclesia catholica. Vix quisquam sanctior est habitus & ab omni errore purior, q̃ Ambrosius episcopus Mediolanensis: & tamẽ in huius libris non pauca deprehenduntur ab ecclesię dogmatibus dissidentia. Quorum illud est Hieronymo notatum, quod Petri crimen dominum abnegantis, uiolentissimis allegorijs torquet in laudem pietatis. Etenim si Petrus Christum non negauit, mentitus est ipse Christus, qui prædixit futurum, ut ter ab eo negaretur: & qui Christum non nouit hominẽ, quod ille scripsit, nihilo leuius peccat, cũq; qui non nouit illum deum. Scio hic Ambrosium nihil impium sensisse, tantum in uerborum tropis offendiculum est. Nam hic scriptor in tractandis allegorijs mire suo indulsit ingenio, pie quidem ille, sed si accedat malicios⁹ interpres, nec impietatis nec blasphemiæ crimen euasurus. Illud in uerbis non est, quod enarrans caput 7. epistolæ prioris ad Corinthios, permittit uiro qui uxorem ob adulterij culpam repudiauit, aliam ducere, nec idem permittit mulieri: quum iuxta diuum Augustinum ac Hieronymum, in ratione matrimonij par sit ius uxori cum uiro. Enarrans prioris ad Corinth. caput 7. scribit hunc in modũ. Breuiatum tempus & reliquum dicens, finem mũdo imminere significat quamuis sciret

Origenes

Tertullianus

Cyprianus

Irenæus

Ambrosius

adhuc tempora supereſſe: ſed aliter ſcribere non debuit, propter hos qui lecturi hæc tunc ſunt, quum perbreue ſupererit tempus. ac mox. Illud autem quod dicitur, quum adhuc longe ſit imminere, multum proficit. &c. Accedat ad hunc locum iniquior interpres, nónne clamabit errorem, quod probetur officioſum mendacium? nónne clamabit blaſphemiam, quod apoſtolo tribuit uanitatem? Quid enim aliud eſt tempus breue dicere quod
Lactantius perlongum eſt? Nam id Paulum non latuiſſe credit Ambroſius. Lactantiũ tranſeo, quem fortaſsis negabunt recipiendum in album doctorum eccleſiæ. Reſtat inſignis illa eccleſiæ
Hieronymus columna Hieronymus, qui in epiſtola ad Oceanum ſententiam, quam & olim prodidit & hodie conſtanter ſeruat eccleſia, deridet hæreſimq; Cainam uocat: uidelicet quod qui ante baptiſmum uxorem habuit, eaq; defuncta, poſt baptiſmum duxit alteram, arceatur à ſacerdotio, ueluti digamus: quum eccleſia ſubmoueat à ſacerdotio, qui corruptã prouirgine imprudẽs duxit. In epiſtolæ ad Galatas caput 4. ita ſcribit, Eleganter autem et illud, quod is qui ſecundum carnem natus eſt, perſequitur ſpiritualem. Nunq; enim ſpiritualis perſequitur carnalem, ſed ignoſcit ei quaſi ruſticano fratri &c. Cui cordi eſt calumnia, nónne hic clamabit epiſcopis adimi ius perſequendi hæreticos, & principibus bellandi aduerſus Turcas? Idem in eiuſdem epiſtolæ caput 4. hunc in modum loquitur. Abſurdum quippe eſt, Moſen & cæteros confabulatores dei in ea fuiſſe conditione etc. Annon hodie quidam ad ſimilem uocem in ſcriptis horum temporum repertam lacerarẽt ueſtes ſuas, & quantum poſſent uociferarentur, blaſphemia, blaſphemia? cui ſimillimum, quod exponens epiſtolam ad Philemonem ſcribit. Longum eſt diuerſa Iudicum geſta percurrere, & totam Samſonis fabulam, ad ueri ſolis trahere ſacramentum. Sacram hiſtoriam de cuius fide dubitare ſumma impietas eſt, appellat fabulã. Super idem caput ita ſcribit: ut ſuper omnia pater ſit, quia autor eſt omniũ, et cætera, Si omniũ accipias abſolute, nõne quidam impium eſſe iudicant, patrem dici autorem filij et ſpiritus: ſin accipias omnium rerum conditarum, nónne dicent filium quoq; & ſpiritum ſanctum eſſe autorem rerum creatarum? De his loquor, qui nihil intereſſe putant inter autorem & conditorẽ. Rurſus in caput 5. Hoc, inquit, intereſt inter gentium principes & Chriſtianorum, quod illi dominantur ſubditis, nos ſeruimus. Nónne calumniator dicet his uerbis eripi dominium regibus Chriſtianis? In epiſtolæ ad Titum caput primum, aſſeuerat Paulum uere fuiſſe imperitum Græci ſermonis, & profundos ſenſus ob ſermonis inopiam explicare non potuiſſe. An non hic ſycophanticus lector impinget blaſphemiæ crimen, quum Paulus dicendi facultatem ac donum linguarum acceperit à ſpiritu ſancto. Libro aduerſus Iouinianum primo, ſcribit, ſuper omnes apoſtolos fundatã eccleſiã, omnibus datas claues regni cœlorum, & ex æquo ſuper eos fortitudinem eccleſiæ fuiſſe ſolidatam. In dialogo contra Luciferianos dicit baptiſmũ ſine Euchariſtia tradi non poſſe. Ibidem paulopoſt, dicit hæreticos ſinẽdos, uſq; ad conſummationẽ ſeculi. Et addit hæc. Nemo poteſt Chriſti palam aſſumere, nemo ante iudicij diem de hominibus iudicare. Si iam mũdata eſt eccleſia, quid domino reſeruamus? Eſt uia quæ uidetur eſſe apud homines recta, nouiſsima autem eius ueniunt in profundum inferni. In hoc errore iudicij quæ poteſt eſſe certa ſententia: & cætera. Qui tanta moroſitate dijudicant, quid innuat, quid prætendat, quid ſonet iacens aut ſtans propoſitio, non obſcurum eſt, quas tragœdias hic excitare poſsint. In epiſtola ad Nepotianum de uita clericorum, nec nigras, nec albas geſtare ueſtes permittit clerico, & lineis uti damnat. In eadem omnem proprietatẽ interdicit clericis. In epiſtola ad Heliodorũ ſic loquitur, quaſi nulli Chriſtiano phas ſit tenere poſſeſsiones ſuas: in libris aduerſus Iouinianum, multa dure loquitur de matrimonio, ſi incidant in lectorem parum candidum. Si bonum eſt, inquit, mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere, nihil enim bono contrarium eſt, niſi malum. Si autem malum eſt & ignoſcitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat. Quale autem illud bonum eſt, quod conditione deterioris concedi-
tur? Pium eſt quod ſenſit Hieronymus, ſed blaſphemum ijs qui ex uerbis texũt calũnias.
Auguſtinus Fortaſsis Auguſtinus quo nihil ingenioſius aut circunſpectius, euitauit omnem lapſum. Atqui is hanc ſententiam frequenter inculcat: infantibus nihil prodeſſe baptiſmum, niſi detur caro & ſanguis domini: perſuaſus Euangelij uerbis apud Ioannem cap. 6. Amen amen dico uobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitã in uobis. Quẽ Euangelij locũ ſi recte intellexit Auguſtinus, hæreticum

eſt

est quod hodie seruat ecclesia,& pium est,quod pro hæretico dogmate reijcitur. Quanꝯ hæc sententia non tam fuisse uidetur Augustini,quàm totius ecclesiæ præsertim occidentalis.Idẽ quot locis inculcat nulla esse hominũ merita? Quoties uniuersam hominis salutem asscribit gratiæ? Nam liber de fide ad Petrum, in quo dicuntur infantes qui citra baptismum decedunt æternis ignibus exurendi,meo iudicio nothus est.His adiungi potest, quod asseuerat Petrum apostolum post acceptum spiritum sanctum errasse in fide,tribuens illi peruersam uoluntatem, ac superstitiosum studium gentibus imponendi Mosaicæ legis iugum.In Chrysostomo præter alia notatur,quod confessionem criminum quæ *Chrysostom.*
fit sacerdoti,putat non esse necessariam,si quis confiteatur deo, compluribus quidem locis hoc innuit,sed expresse declarat,homilia de incomprehensibili dei natura. Friuolum autem cõmentum est, quo quidam nituntur excusare Chrysostomum,quasi senserit illũ deo confiteri non homini, qui deo confitetur per sacerdotem. Hoc utcunꝯ ferri poterat, nisi fuisset addita causa,ne prodat,ne exprobret.Nec enim uitatur hoc periculum, si quis deo confiteatur per sacerdotem.Idem de loco Euangelij Nuptiæ factæ sunt,& cætera:in homilia contra Iudæos,gentes & hæreticos,ita scribit:Habes fidem,habes omnia.An nõ hic pium sensum calumniator facile torserit ad crimen impietatis, quasi senserit ei cui fides adest, adesse charitatem, nec egere bonis operibus? In cõmentarijs super epistolã ad Philemonem ita loquitur. Non enim nouit ecclesia, serui ac domini differentiam. Id pio sensu dictum est à Chrysostomo, & tamen qui nunc de sententiolis truncatim decerptis pronũciant, nónne pudendum errorem possint impingere? Nunc enim ecclesia dirimit coniugiũ per errorem cum seruo contractum,aut inuito domino.Illud ei cũ multis præsertim cũ beato Hieronymo commune,episcopos nihil habere oportere præter uictum et uestitum,an non sub iniquo iudice schismaticum uideri possit? Idem enarrans parabolam de tritico & zizania,simpliciter exponit hæreticos non occidendos.Homilia in Matthæum 4.ait,Mariæ quum diceret,quomodo fiet istud,aliquid humanum accidisse,uidelicet innuens eam de uerbis angeli subdubitasse. Rursus homilia 5. Ioseph anteponit uirgini in cognitione scripturarum,eam appellans pietate rudem,& prophetiarum prorsus ignaram. Quibus auribus hæc ferrent qui nunc impium existimant dubitare,an uirgo statim perfecte cognouerit infantem suum esse deum & hominem? Hilarius quædam docuit in *Hilarius*
libris de trinitate,quæ si quis hodie loquatur,uehementer offenderet aures theologorum nostratium.De rebus enim diuinis loquens,multas inauditas uoces usurpat:ueluti quod toties patrem appellat autorem.In duodecimo libro,profitetur spiritum sanctum à patre proficisci,per filium mitti.Et quum filium profiteatur deum uerũ ex deo uero, spiritum sanctum nihil aliud audet profiteri, quàm spiritum dei patris, spiritum sanctum & promerendum,licet in quibusdam codicibus lector aliquis offensus eo uerbo,pro promerendũ scripserat adorandum.Sed quoniã Hilarius docuit spiritum esse donum,congruenter dicit illum promerendum.Idem quum aliâs,tum libro 4. pronunciat solum patrem innascibilem deum,siue ut Augustinus uocat ingenitũ,Græci ἀγέννητον appellant. Hic calumniandi auidus ratiocinabitur spiritum sanctum aut nõ esse deum, aut esse genitum. Libro nono tradit patrem hoc ipso maiorem filio, quod est pater, filium tamen non esse minorẽ ob id quod filius.At si pater hoc nomine recte dicitur maior quia gignit,filius hac parte minor sit oportet,quod nõ gignit.Diuus Gregorius putat omnem congressum uxoris *Gregorius*
cũ marito esse impurũ, eoꝯ submouit à templo,qui noctu cõmixtus fuisset uxori,nec est efficax excusatio: sentit quoties uoluptatis, non prolis aut fidei causa maritus cognoscit uxorem. Qui enim dicit, nullatenus,excludit omnem exceptionem. Sic enim loquitur: *Sent.4*
quia uoluptas ipsa sine culpa nullatenus esse potest. Idem scripsit nullum manufactum ullo modo adorandum.Scripsit angelos esse animalia rationalia.Quorsum nunc attinet recensere cæteros notæ inferioris scriptores,Bernardum, Gersonensem,Thomam & Scotum,quum in excellentissimis ecclesiæ columnis,non hæc tantum, quæ duntaxat exempli gratia commemorauí,sed alia multa deprehendantur.In decretis ac decretalibus epistolis pontificum ꝯ multa referuntur, quæ nunc haberentur hæretica? Iam enim ueniamus ad summos pontifices,quos quidam negant posse labi,duntaxat in his quæ spectant ad fidem & bonos mores. Quid igitur sibi uult, quod frequenter posterior pontifex rescindit demortui decreta? Nónne Ioannes uigesimus secundus, de paupertate Christi & *Distl.31*

apostolorum dissentit à Nicolao? Ne cõmemorem tot errores quos illi intentant Occanistæ, certe de piorum animabus, nõ fruituris uisione beatifica ante resurrectionem, & huic adhærentes sententias damnauit etiam schola Parisiensium. Nónne Innocentius tertius pugnat cum Celestino, qui ius fecerat iterandi coniugij, si alter fuisset prolapsus in hæresim. Nónne Pelagij constitutionem de coniugibus adimendis Siciliæ diaconis, quas ante edictum proditum legitime duxerant, Gregorius primus abrogauit, tanquam Euãgelio repugnantem, & proinde hæreticam. Rursus quod damnat Gregorius, probat Innocentius tertius. Adhæc quod Romani pontifices statuerant, ut qui cum duabus contraxisset ea esset uxor, quam cognouisset, nónne rescindit Innocentius tertius, pronuncians eam esse uxorẽ, cum qua prius contraxerat. Iam si quis excutiat priscas Synodos, cẽ multa reperiet, quę nunc multis nominibus pateant calumnię? Quorum illud est, quod in Symbolo Synodi Constantinopolitanæ, quod hodie canitur in sacrificio missæ, spiritus sanctus tantũ dicitur ex patre procedere: atq; inibi quũ filius pronuncietur deus uerus ex deo uero, spiritus sanctus tantum dominus dicitur. De Simonia q̃ multa decreta sunt, quorũ alia nunc sunt usu abrogata, alia ueluti perperam definita, reprobata. Prioris generis sunt tam multæ constitutiones de libertate electionis, de multitudine sacerdotiorum, de immunitatibus ecclesiarum: posterioris quod Simoniacus ordinãs nihil agit, sed quod accipit sacrilegium est, quod dat lepra est. Sed quid ego hoc pelagus immensum ingredior? Laudata est Theologorum pia ciuilitas, qui talia quoties incurrunt, aut declinãt, ut ipsi solent loqui, aut commode interpretantur: datur hoc antiquitati, datur uitæ sanctimoniæ. Audio & probo. Sed interim uerum est quod proposui, ne summos quidem uiros potuisse cauere quin alicubi laberentur, nec ulla cautione Sycophantarum morsus effugere. Nec illorum uitæ donatum est, quod donatur memoriæ. Chrysostomus audijt Origenista, tandem & à dignitatis fastigio deiectus perijt in exilio, idq; opera Theophili & Epiphanij, quorum alter doctrinæ, alter sanctimoniæ titulo fuit commendatus. Sed eiusmodi quoq; uiris imponit Satanas transfiguratus in angelum lucis. Hieronymus non à Ruffino tantum fuit agitatus. ubi ille non queritur de canibus suis? Augustinus coactus est ad certos articulos apologiam ædere. Quod si nunc talium doctorum libros tentemus ad horum temporum gnomones exigere, neminem ex his dabis, qui non ducentis locis notari possit: imò uix quicq̃ reperies tam circũspecte dictũ, quod nõ in aliquẽ calumniæ laqueum incidat, nunc ut temere assertum, nunc ut ignoranter & indocte dissertum, nunc ut affine damnato dogmati, nunc ut arroganter propositum, nunc ut parum reuerenter dictum, nunc ut innuens quiddam non sanæ doctrinæ, nunc ut suspectum aut tale quod infirmis possit offendiculo esse, aut alijs uerbis expressum q̃ oportuit. Sed quid conor numerare quæ numerum non habent? Quis inter tot laqueos ambulet, ut nõ hæreat alicubi, etiã si plures habeat oculos quàm Argum ferunt habuisse ueterum poetarum fabulæ? Accedit huc prodigiosa quædam hominum ingratitudo. pro tam multis benè dictis nulla est gratia, unus & alter lapsus, licet humanus, sæuis exagitatur modis. Tantorum laborum ac uigiliarum memoriam obruunt pauculi næui. At miser ille pro tot uigilijs, pro tantis sudoribus præmij loco refert furiosos clamores, cõfoditur ueneno tinctis linguis, lapidatur petulantissimis libellis, undiq; sic tunditur rixantium, & conuiciantiũ uocibus, ut se nec aures habere credat nec oculos. Ac primum quidem ab uno proficiscitur tragœdiæ proœmium, quem uel odium priuatũ inuidiaq; stimulat, uel famę gloriæq; sitis compellit, uel ipsum ingenij naturæq; uicium huc ultro concitat. Sunt enim ingenia quę dicas in hoc nata, ut alijs aliquid præclari molientibus obstrepant, ac rem piã sedulo conantibus oppedant, ipsa nihil ex sese pariãt. Deinde paulatim contagio serpit lues, & usque gliscit incendium, donec omnibus phanatico spiritu afflatis undique clametur, crucifige, crucifige. Generosus animus nihil habet fama charius, adeo ut multi mortem minus horreant quàm ignominiam. At isti quo totum hominem perimant, primum inuadunt famam, quæ sola homini post rogum supereſt, parum esse iudicantes eripuisse uitam cum facultatibus. Hac uia Pharisæi & scribæ tendebant in Christum principem nostrum. Primum ac summum studium erat, ut populo persuaderetur, Iesum esse hominem ex humili natum genere, indoctum, seditiosum, blasphemum, Mosaicæ legis hostem, magum denique ac dæmoniacum. Damnatus est infami supplicio, pependit inter duos latrones

trones,ſcelere nobiles & merito execrabiles. Vbi compertum eſt illum reuixiſſe,precio conducti ſunt qui ſpargerent in uulgus rumorem: corpus exanime noctu ſublatum à diſcipulis:ueſtimenta milites inter ſe partiti ſunt. Quis expectaſſet fore, ut quiſquam ſe talis hominis uel cognatum uel diſcipulum auderet profiteri? Et tamen unus ille uere dicere potuit: Cuſtodiam uias meas,ut nõ delinquam in lingua mea. Nec hodie deſunt qui lymphati parricidialibus odijs,non tantum traducunt atrociſſime lapſus humanos, uerũ etiã leuiſſima errata miris modis exaggerant,è culice facientes camelũ. Parum et hoc,quę pie rectęq; dicta ſunt impudenter deprauant ad calumniam, nec interim à manifeſtis mẽdacijs temperant,nimirum odio cæci,dum non conſiderant fore,ut auditor aut lector ſtatim execretur euidẽtiſſimam ſycophantæ uanitatem. Ac facinus tam impium honeſto fucatur titulo,uidelicet Chriſtianæ religionis zelo. Quæritur aliquis Pilatus, qui ipſorum furori ſubſeruiat. Nobis,inquiunt,non licet occidere quenquam: quaſi ille ſolus ſit homicida,qui ferro iugulat,& quaſi non ſceleratius interficiat,qui ueneno necat,quàm qui ferro. Non paulo ſceleratius letale uenenum geſtatur in lingua,quàm in pyxide. Venenum aſpidum,inquit,ſub lingua eorum,pedes eorum currunt ad effundendum ſanguinẽ. Audis uitam & mortem eſſe in manibus linguæ, pedes ſunt affectus. In uotis erat occidere proximum,quid refert,quo telo id facias? Rurſus Pſalmo 139. Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes, uenenum aſpidum ſub labijs eorum. Item Pſalmo 56. Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Et Pſalmo 58: Ecce loquentur ore ſuo,& gladius in labijs eorum. Quid mirum ſi loquendo occidunt, qui gladium portant in labijs? Similiter Pſalmo 63: Exacuerunt ut gladiũ linguas ſuas. Spiculum eſt igitur maledica lingua,ueneno tinctum. Veterũ literis proditum eſt,Lacedæmonium quendam nomine Thearidam, quum gladium ad cotem acueret, rogatum num eſſet acutus, reſpõdiſſe,acutior calumnia. Denicq; apud beatum Iob,inter calamitates quæ conficiunt homines,tertius locus datur linguæ: à flagello,inquit, linguæ abſconderis. Impudens igitur illorum ſermo eſt,qui dicunt,clericus ſum,ſacerdos ſum, monachus ſum: mihi ut non licet occidere quenquam, ita nec telum ferre phas eſt: quum in ore ferant arma multo omnium perniciоſiſſima,uenenũ aſpidis,ſagittas aconiti ſucco litas, gladium letaliter acutum,flagellum horribile Tiſiphones,denicq; uallum obſidionale. Sic enim habet pſalmus 108: Os peccatoris & os doloſi ſuper me apertũ eſt,loquuti ſunt aduerſum me lingua doloſa,& ſermonibus odij circumdederunt me,& oppugnauerũt me gratis. Audis obſidionem crudeliſſimam. Os aperta foſſa eſt,lingua uallũ, ſermones iacula. Legimus & apud Hieremiam,uenite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad uniuerſos ſermones eius. Eſt igitur & ſaxum lingua calumniatrix,quæ percutit innocentem obturatis auribus. An putatis quod Pilatus occiderit dominum? Ille potius abſoluit, iuſtum pronuntians,in quem cogebatur dicere ſententiam. Sacerdotes phariſæi & ſcribæ occiderũt,qui confinxerunt in nocentem falſa crimina, qui ſubornauerunt falſos teſtes,qui præſidẽ improbis clamoribus ac minis huc perpulerunt ut Ieſum ipſorum furori traderet. Illi,illi inquam uere occiderunt innocentem. Quomodo? Non ferro, ſed linguis, dum traducunt apud populum,dum accuſant,dum clamant crucifige. Et tamen puritatis amatores ſcilicet, horrent ingredi prætorium ne cõtaminarentur, parantq; ſeſe ad eſum agni paſchalis, Impia religio,ſed magis impiũ,quũ Chriſtianus phariſęo ſimilis,uel illo potius deterior, quaſi bene purus accedit ad menſam dominicã,tractat angelis tremenda myſteria, qui guſtato forte lupino,non auderet accedere. Qui odit fratrẽ ſuũ,homicida eſt, ait beatus Ioãnes: & os quod mentitur,occidit animam,ut inquit Sapiens. Is eſt calumniator, qui fictis criminibus proximum pertrahit in exitiũ. Et ſi non perit qui petitur,tamen ille nihilominus parricida eſt. Id quo fiat dilucidius, fingamus eſſe quempiam, humili conditione, & ob id nullis ſtipatum amicis,ut nemo uideatur exoriturus qui necem ulciſcatur: ad hæc abhorrentem ab omni ſeditione, ſic ut etiam ſi poſſit ulciſci, nollet: tum ætate ſimul ac ualetudine imbecillẽ,adde et animo. Qui in talem ita conſpirant: uociferemur ſimul omnes, alius traducat illum apud populum rudem & credulum in concionibus,in colloquijs,in conuiuijs,in nauibus, in uehiculis: alius proſcindat eũ maledicis & calumnioſis libellis: alius inſtillet uenenũ auribus principum: ac priuatim in arcanis cõfeſſionibus aliquid ueneni quibuslibet in aurẽ infundamus: id ſi conſtanter fecerimus,etiãſi nemo uim adferat,

Pſal. 13

Cap. 9

Sapien. 1

tamen infirmus homunculus animi mœrore contabescet: nos non solum homicidæ non erimus, uerumetiam pietatis laudem auferemus, si minus apud æquos cordatosq; uiros, saltem apud maximam hominum partem. Hoc inquam animo qui sunt, an puri uidẽtur à parricidij crimine, etiam si ille machinis omnibus impetitus non pereat? Dicent, quod facimus facimus in commeritum, consulimus ecclesiæ tranquillitati. Vt ubiq; sibi mentitur iniquitas, ut sibi blanditur odium & inuidia. Quid enim facit ira, quod non putet esse iustissimum? Nam ut iuxta Theocriti sententiam, amanti pulchra uidentur, etiã quæ pulchra non sunt: ita cuius animum occupauit odium aut liuor, huic & quæ pulchra sunt uidentur turpia: quemadmodum quorũ oculos sol affecit, his omnia uidentur uirere, non quod rerum natiuus color sit immutatus, sed quod bilem gerant in oculis. Si organum corporis uitiatum perperam iudicat, multo magis mens affectu corrupta, fallitur iudicio. Proinde quisquis gerit animum liuore odioq; uitiatũ, eum oportet sibi ipsi diffidere, nec iudicis partes sumere. Porrò ad pessima quæq; scelera tegenda, nullus fucus accõmodatior quàm religionis. Frustra itaq; uitio suo blandiũtur qui sibi uidentur immunes ab homicidio, quod nec ense rem gerant nec arcu, quũ dentes illorũ arma sint ac sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Fortasse haud alienum fuerit hic referre, non fabulam, sed quod pro uero narratur apud Germanos. In pago quodam rusticano grauiter sæuiebat pestilẽtia. Quidam gerebat capitale odium in eius loci pastorem. Commentus est nouum uindictæ genus. Quum forte per eum uicum faceret iter, rusticis deplorantibus tãtum hominũ illic perire morbo, ac demirantibus mali causam, si uultis, inquit, continere arcanum, indicabo fontem huius tanti mali. Pollicẽtibus silentiũ, pastor, inquit, uester uobis hanc luẽ imprecatur. Non postulo autem ut meis dictis fidem habeatis, nisi experimento cõperiatis esse uerum quod dico. Quum consecrat aquam lustralem, diligenter obseruate uoces illius, & nisi inter reliquas execrationes audieritis illic mentionem pestilentiæ, sim ego uanus. Hoc iaculo iniecto, profectus est ille. Factum est quod monuit, auditę sunt hæ uoces: Rustici rudes ac feroces rem satis compertam rati, corripiunt pastorem, & frustra reclamantem, in fossam forte tum patentem conijciunt, uiuumq; sepeliũt. An hunc hominem absoluemus homicidij crimine? Nec ueneno est usus, nisi linguæ, nec iaculis, nec gladio, nisi oris, id est sceleratissimi homicidij genus. Vlysses turpius occidit Palamedem calumnia, q̃ si ferro necasset. Non semper is qui stringit ferrum homicida est, sed qui necis est autor. Ioãnes Baptista decollatus est, uis scire uerum necis autorem? Vide quò delatum sit caput. Rex amore uictus permisit, puella iussu matris petijt, spiculator amputauit caput, feralis missus illatus in cõuiuium, exhibitus est puellæ, sed puella pertulit ad matrem quæ lingua sanctissimum uirum occiderat. Vt subornatis personis ad decimum gradum transferatur sceleris ministerium, deum non fallit uerus autor. Hæc nolim quenq̃ eò rapere, quasi patrociner manifestis ac legitime cõuictis hæreticis, peruicaci malitia trãquillitatem ecclesiæ turbantibus, aut notem episcopos ac theologos, qui cũ tremore dei cũm Christiana mansuetudine, propriæ nimirum memores imbecillitatis suo funguntur officio: sed eos admoneo, qui sub obtentu religionis indulgentes priuatis affectibus, fratrem sceleratius occidunt lingua, quàm si ferro necarent. Nam Christianæ mansuetudinis est, non esse præcipitem ad iudicandum, suaq; conscium imbecillitatis ignoscere lapsibus aliorum humanis, ambigue dictum in meliorem interpretari partem, quæ bene dicta sunt ingenue comprobare: ubi peccatum est grauius quàm ut expediat dissimulare, si per imprudẽtiam, aut persuasionem peccatum est, secretis admonitionibus simpliciter in uiam reducere: sin error malicia conduplicatus est, tamen nihil intentatum relinquere, quo meadeamur proximo, nec ad extrema remedia nisi magno cum animi dolore descẽdere. Sed fere fit, ut nulli uociferentur odiosius, quàm qui nec intelligunt quod reprehendunt, & si maxime sanus sit intellectus, affectu tamen sunt corruptiores quàm ut ualeant recte pronuntiare. Qui proximi lapsum hostiliter exaggerat, nec studet mederi sed lædere, turpius errat, q̃ qui per imprudentiam, aut incogitantiam labitur intellectu. Sic lapsi sunt præcipui doctores ecclesiæ, at odio liuoreq; nemo peccat, nisi satanæ spiritu afflatus. Quid igitur sentiendum de eo, qui magna atrocitate damnat quod pie dictum est: reprehendit, quod non intelligit? Quot modis hoc compertum est ac demostratum, quosdam qui ψευδονυμους ἀνδρας uideri uolunt, hæreseos ac blasphemiæ crimen intendisse, quum ob imperi-

imperitiam linguæ non intelligerent quod carpebant? quoties furiosis uociferationibus damnasse uoces, ut impias, quæ non solum in piorum hominum monumentis, sed in canonicis etiam libris inueniuntur? Nec erubescunt deprehensi, nec corriguntur admoniti, sed magis efferantur ad atrocius calumniandum, & si superis placet, è scelere quærunt laudem. Ipsi sibi semidei uidentur, & pertinax uocatur, qui doceri postulat, quiúe non statim ad quamuis impudentem calumniam, porrigit herbam. Inclamant, scandalum scandalum. Quasi non longe grauissimum scãdalum sit manifestis calumnijs impetere uitam ac famam proximi: sic enim fit, ut rideantur etiam quum uera piaq; docent. In hoc igitur psalmo proponitur uir pius rectæq; mentis, qui permissu dei ab ingratis & improbis agitatus sit usq; ad uitæ tædium: nolit tamen par pari referre, ne similis eorum euadat, quos damnat: sed ad tutissimam silentij arcem confugiat, præsertim quum dolor etiamnũ exæstuans nondum patitur contactum medicæ manus, sed iuxta ueteris hominis sensum flagitat ultionem. Hic enim multa suggerit animo, quibus homo inflãmetur ad uindictam: quorum posteaq; nihil perspicit expedire ad salutem, tandem recepto aliquantisper spiritu secum loquitur. Dixi, Custodiam uias meas. Piscator, ut aiunt, ictus sapit, hic post lapsum. Vbiq; sibi suspectus est, omnes actiones suas obseruat, ne quid per imprudentiam excidat, quod in posterum calumniantibus præbeat ansam. Quid timet, aut quid cauet? Vt non delinquam, inquit, in lingua mea. Expertus incredibilem hominum malitiam nihil non calumniantium, tanta cautione studet omnes actiones suas componere, ut non solum in factis nihil sit, quod iure reprehendi possit, sed ut quod difficillimum est, ne lingua quidem ullum effutiat uerbum, quod merito pateat calumniæ. Siquidem hic custodire, non est seruantis, sed obseruantis. Obseruat autem qui cauet, ac periculum metuit. Nihil porrò difficilius quàm linguã membrum omnium maxime uolubile sic refrenare, ut non uel per incogitantiam, uel per iracundiam alicubi labatur: itaque frequenter experimur esse uerum, quod ait Plato, leuissimæ rei grauissimam esse pœnam. Qui custoditos suum & linguam suam, inquit Sapiens, custodit ab angustia animam suam: quoniam ut alibi prędicat idem, mors & uita in manibus linguę. Sua cuiq; cogitatio solet adblandiri, suis quisq; fauet inuentis, non secus ac parentes liberis. Sed hic iustus hominũ malicia doctus, omnes suas cogitationes habet suspectas, easq; diu examinat, anteq̃ patiatur in linguã erũpere, aut calamo prodat in publicũ. Donec error premitur in cordis recessu, nec alios inficit, & facile corrigi potest. Sed uolat emissum semel irreuocabile uerbum: multo difficilius reuocatur, quod chartis illitũ, uolitat per manus hominũ. Eoq; recte præcipit S. Iacobus, ut omnis homo uelox sit ad audiendũ, tardus ad loquendũ: & Horatius scriptum nouẽ annis premi iubet, anteq̃ exeat in publicũ. Sunt qui hinc colligãt, hunc quem inducit psalmus, hominẽ fuisse, aut perfectũ, aut perfectioni proximũ, quippe cui omnia membra sic domita sint, ut citra rebellionẽ obtemperent spiritui, præter unam linguã, cui nũc uinculũ injicit: id si uerũ esset, nõ post clamaret, ab omnibus iniquitatibus meis eruere me. Quur igitur solius meminit linguæ? Quoniã hac parte præcipue delinquũt homines magnis calamitatibus exacerbati. Non tantũ enim efferuescunt in calamitatum autores homines, uerũ interdũ non uerẽtur obmurmurare deo: quumq; ob delicta flagellẽtur, in ipsa castigatione cõmittunt, quur debeãt atrocius uerberari. Non ita beatus Iob, sed hũc in modum sobrie loquitur: Etiãsi habuero quippiam iustum, non respondebo, sed iudicẽ meum deprecabor. Et in fine operis, reprehẽdit seipsum agens pœnitentiã in fauilla & cinere. Perfectionis erat ita cohibere linguã ne quid perperam effutiret. Cæterũ quoniam hoc uix humanæ naturæ datum est, proximũ est, silere: iuxta illud Sapientis: Fili, peccasti ne adjicias. Grauiter Athenodorus philosophus Octauianum Augustum admonuisse fertur, ne quid iratus diceret faceretúe, nisi prius Græcarum literarum nomina ordine recensuisset. Alluśit philosophus ad quorundam superstitionem, qui certis uocibus pronuntiatis existimãt sedari uehementes animi cupiditates: sed reuera admonuit, nullũ esse præsentius iræ remedium, quàm morã & silentium. Legimus Ethnicos à puniendis mancipijs, quæ supplicium commeruerãt, temperasse, non ob aliam causam, nisi quod erant ira commoti. Quanto magis decet hominem Christianum, ut si quando se commotum senserit, priusquam faciat dicatúe quicquam, pro Græcarum literarũ uocabulis apud se recenseat aliquot è scriptura diuerbia, uelut illud. Ne te superet ira, ut aliquẽ opprimas.

Prou. 21 Cap. 18

Iob 36

Et illud

21 Et illud: Superbus & arrogans uocatur indoctus, qui in ira operatur superbiã. Idem: Stul
12 tus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. Rursus illud è Psalmis: irascimini & nolite peccare. Itẽ quod habet Ecclesiastes: Aufer irã à corde tuo, & malitiam à carne tua. Item, Ne sis uelox ad irascendum, quoniam ira in sinu stulti requiescit. Sed in primis illud Euangelij: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Tum illud Pauli: Non uosmetipsos ulciscentes charissimi, sed date locum irę. Item illud Iacobi: Esto tardus ad iram, ira enim uiri iustitiam dei non operatur. Si quis huiusmodi incantamenta occinat animo efferuescenti, facile continebit linguam ne prorumpat in uerba procacia, fietq; Idythum à carne transilíẽs ad spiritum, dicetq; suo cum animo: Custodiam uias meas, ut non delinquam lingua mea. Vide uero, ut diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, quandoquidem his magno bono est etiam malorum peruersitas. Multos uidere est, qui lacessiti calumnijs excitãtur ad tuendum, quicquid quocunq; casu excidit, adeoq; non corrigunt, quod per incogitantiã effluxit, ut malis adijciant deteriora. Bonum autem uirum, calumniãtium improbitas reddit circumspectiorem in omnibus dictis pariter ac factis. Natura uarijs retinaculis reuinxit linguam hominis, insuper sepsit duplici uallo dentium, & labiorum uallis inclusit: Quid sapiens? Non his contentus, certo animi proposito obdit ori suo Custodiam, siue ut significantius habet Hebraica ueritas, Fibulam aut claustrum, aut postomidem, aut repagulum. Talibus enim modis coherceri solẽt animalia indomita, & si soluantur, nocitura. Linguam autem, ut ait S. Iacobus, nullus homo domare potest: quum nullum sit animal tam efferum natura, quod nõ arte curaq; hominum cicuretur. Rursus inter innumeras animantium formas, nullum est mala lingua nocentius. Plus est obdere claustrum ori, q; obseruare uias suas. Obseruare uigilãtiæ est, hic adhibetur uiolento membro uiolentia freni, ut quantum libet intus ferociat animus, non liceat tamen propter obiectum repagulum erumpere. Quod autem illud repagulũ? Quod aliud, q; timor dei. Ergo apud eos qui discendi studio tenentur, cautus est, undiq; circumspectans ne quid delinquat. Sed prorsus os habet clausum & obseratum, quoties peccator, siue ut habet Hebraica ueritas, Impius consistit aduersus iustum. Non dicit peccatores, sed peccator: & Græcus addidit articulum ὁ ἁμαρτωλὸς, quasi certum quempiam impium designet. Nimirum hic est ille fratrum accusator, qui à calumnia nomẽ habet, diabolus, cuius instinctu aguntur omnes qui calumniãtur proximum. Ille calumniarum omnium autor est, homines improbi nihil aliud sunt q; illius organa. Is quidem nunquam desinit facessere negotium his qui pie student uiuere in Christo Iesu, & quo sanctius est opus in quo uersatur pius, hoc iste maiore studio conatur obsistere. Nihil autem sanctius, quàm salutari doctrina Christum inserere mentibus hominum. Hæ sunt episcoporum ac theologorum partes, & qui libris editis docent orbem. Et sunt qui leues Satanæ assultus facile sustineant, at multo difficillimum est perferre consistentem ex aduerso. Consistit autem quum hominẽ undiq; uelut obsidione uallat premitq;, omnes admouens machinas ut expugnet iusti patientiam, plurimos incitans aduersus unum, nec ullum faciens impetendi finem. Aduersus hanc uiolentiã nihil tutius silentio, eoq; pertinaci. Docent hoc nos priscorum prouerbia: σιγῆς ἀκινδύνου γέρας, quam sententiam elegãter expressit Flaccus in Lyricis. Est & fideli tuta silentio Merces. Eoq; prudentissimi uiri, qui studiũ omne huc contulerunt ut se suosq; seruarent incontaminatos ab omnibus uitijs, præcipue commendarunt silentium. Si uerum est quod obijcit calumniator: nam calumniator & ille est, qui lædendi animo uera impingit: aut si quod ferè solet, falsa ueris permixta sunt: iustus hosti-
Cap. 30 le conuitium sibi uertit in remedium, suo cum animo reputans illud Esaiæ: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. In silẽtio & spe, erit fortitudo uestra. Apud eos quibus studio est perdere, non sanare, pro cõfessione culpæ sufficit uerecundũ silentiũ. Interim huc omnis intenditur cura, ne quando rursus ad eundẽ impingatur lapidem, & denuo committatur quod hostis possit exprobrare. Si falsa intẽtat calumniator, & odio furit, nihil habẽs pensi quid dicat, modo perdat, non est recalcitrandum aduersus stimulum, nec oleum adijciendum camino, sed furori cedendum, quemadmodum cum blandimẽto monet Paulus, Non uosmetipsos ulciscentes charissimi, sed date locum iræ. Ira uehemens, breuis est furor: quę si transeat in odium, furor est immedicabilis. Si peccasti, conscientia suadet silentium: si non peccasti, silendum est ne pecces. Peccat enim, qui quum nulla spes affulgeat sani-

sanitatis, improborum furorem dictis exasperat. Sapiēs autem nouit tempus tacendi, & tempus loquēdi. Dominus apud Herodē prorsus obticuit, apud Caipham pauca loquutus est, quemadmodum & apud Pilatum. Impijs si contumelioſe respondeas, malum exasperas potius q̄ sanas. Sin placide tētes docere, sanctum proijcis canibus & margaritas porcis. Difficillimum autē fuerit certo præscribere, quando loquendum sit, quando tacendum. Nec enim ipse dominus ad omnē contumeliā fuit mutus. Est ubi siluisse crimen est. Ad Samaritani conuitiū obticuit, ad dæmoniaci conuitium accurate respondit. Ad hæc pharisæis tentantibus crebro respondit acriter. Alapam impingenti non fuit mutus, licet placidissime responderit, Erga subornatos testes, erga milites cōspuentes in faciē, cędētes colaphis, imponētes coronā e spinis contextā, breuiter nullum genus ludibrij prætermittentes, prorsus obmutuit, quia nulla spes erat fructus. Item in cruce pēdens aduersus insultantes pertinax silentiū tenuit. Ita Paulus qui scribit, maledictis impetimur, & benedicimus, haud quaq̄ elinguis fuit Elymæ mago, quin & Petro restitit in faciē. Præterea nec mutus fuit pōtifici cuius iussu cæsus est alapa. Insuper & Timoth. admonet, ut increpet, arguat oportune, importune. Solomō ait: Ne respōdeas stulto iuxta stultitiam suā, ne efficiaris illi similis. Respōde stulto iuxta stultitiā suā, ne sibi uideatur esse sapiēs. Qui fieri potest, ut idē eidē respondeat & non respōdeat? Vtinā dominus hic dignetur tēperare chordas citharæ nostræ, ut hanc dissonantiā ad consonantē harmoniā reducamus. Forsan nō nulla emphasis est in pronominibus. In Euāgelio loquitur hominis personā agens: Fiat uoluntas tua, non mea. Et doctrina mea non est mea. Dubiū non est quin dominus uolēs susceperit crucē. Sed hominis natura per se mortē horret. Atq̄ Euāgelicæ doctrinę quatenus erat homo, minister tantū erat non autor. Itaq̄ non simpliciter negat esse doctrinam suam, sed principalē gloriam attribuit patri, quo plus autoritatis apud Iudæos cōciliet sermonibus suis, qui deum nouerāt, dei filiū non nouerant. Plurimū itaq̄ differunt uiæ dei à uijs hominū, sicut testat Esaias: Non enim cogitationes meæ cogitationes uestrę, neq̄ uiæ meæ uiæ uestræ, dicit dominus. Quia sicut exaltātur cœli à terra, sic exaltatæ sunt uię meę à uijs uestris, & cogitationes meæ à cogitationibus uestris. Hic itaq̄ propheta adhuc uelut homo loquitur, quū ait: [Dixi custodiā uias meas, ut nō delinquam in lingua mea:] ut intelligas & hominis esse linguā, cui freno opus est: & dei linguā esse, quę non loquitur nisi perfecta. Similiter est os hominis cui opus est lupato: & est os dei, quod deo digna certaq̄ loquitur. Et uidebit, inquit, omnis caro quod os domini loquutū est. Et alibi obiurgat populum, q̄ os domini non interrogauerit. Hoc ore deus olim loquutus est per prophetas, ipsius afflatos spiritu, ac nobis loquitur loqueturq̄ in scripturis sanctis usq̄ ad cōsummationē seculi. Multa, itaq̄ circūspectione est opus, quoties homo suo loquitur ore, hoc est, quum humano loquitur affectu, non iuxta regulā scripturarū. Consimiliter peccator, quum persequitur hominē citra dei contumeliā, aduersus illū consistit potius q̄ aduersus deum: ueluti quū obijcit ignorantiā, superbiam, auaritiā, inopiam, deformitatē, ignobilitatem, infantiā, quod hæc sint humanæ cōditionis fere cōmunia, nec petunt nisi unū hominem: ad quæ respondere non pietatis est, sed uindictæ. Cæterū quoties petitur gloria dei, aut salus populi Christiani, tum non expedit esse mutū. Ego, inquit dominus, non habeo dæmoniū, sed honorifico patrē meū: & si in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt? Satanæ scripturis ad fallendū abutenti, dominus respōdit, & non respōdit. Repulit ad impia solicitantē, at nō proloquitur quod ille captabat. Ita Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed uerba ueritatis & sobrietatis loquor. Insani conuitiū tulisset tacitus nisi uidisset periclitari Euāgelium. Sadducæis quæstionē de septē fratribus unius uxoris maritis proponētibus, Dominus respondit iuxta stultitiam suā: & pharisæis percontantibus qua potestate fretus faceret quæ faciebat, respōdit iuxta stultitiā suam, dicēs: baptismus Ioānis unde est, de cœlo an ex hominibus? Siquidē qui non discēdi, sed contendēdi gratia repugnat, interdū sic cōfutandus est, ut erubescat. Quoties igitur tēpus, nullā ostēdens profectus spē, requirit exēplum Christianæ tolerātiæ, non est respondendū stulto iuxta stultitiā suā: ne rixa turpis nascat, utrinq̄ reciprocātibus cōuitijs. Rursus ubi silētiū officit gloriæ dei, respondendū est non lingua humana, sed ore dei. Nā & in hoc utilis est diuina scriptura, ad retundendā impiorū blasphemiā, et reuincendū cōtradicentes ueritati. His uero qui simpliciter errāt, nec malicioso studio, sed per ignorantiā ueri dissentiūt,

Act. 13

Cap. 55

Esa. 40

reddenda

reddenda est ratio spei nostrę, cum omni mansuetudine ac tremore. Possumus & in hanc sententiam interpretari quod dictum, ut accipiamus eum sibi occludere os, non quũ prorsus silet, sed quum continet iram ne prorumpat in conuicium. Respondet enim qui male dictum maledicto regerit. Cum odium est sanabile, fit sæpenumero, ut sermo mollis frangat iram. Cæterũ ubi furor est immedicabilis, nihil consultius, ꝙ obticescere, quandoquidem quorundam tanta est prauitas, ut placidissimis etiam dictis iritẽtur, & simpliciter dicta ironiam interpretentur. Quod si licet, profuerit & loco cedere, omnemq; furori maliciam subtrahere. Absolutæ tamen mansuetudinis est, maledicentem benedictis prosequi, non in ipso paroxysmo, sed posteaquam senserimus primos impetus aliquantum refrixisse. Quanquam mea sententia non hic proponitur exemplum Euãgelicæ perfectionis, sed hominis cum graui tentatione colluctantis & Iudæi potius ꝙ Christiani. Aliquẽ gradũ perfectionis attigit, quũ ait obmutui. Sed adhuc pugnãtis cũ humano affectu est quod sequitur. [Et humiliatus sum & silui à bonis. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis] Cohibita est lingua, factum est frequẽter idem à philosophis, sed adhuc æstuat animus. Silet os, sed intus tumultuãtur affectus. Obmutui, sed sic ut sim humiliatus, ac deiectus animo. Minimum igitur abest, quin uictus sit ac prostratus. At qui profecerunt ad Euangelicam perfectionem, adeo non perturbantur conuitijs ac persequutionibus impiorum, ut iuxta Christi doctrinam gaudeant magis & exultent, non ignari præmium hoc amplius esse repositum in cœlis, quo hic maioribus affliguntur malis propter Christum. Sed humanius exemplum nobis propositum est, ut hac imagine discamus, quomodo pugnandum sit in procella tentationis. Nondũ plane deiectus est, sed tantum humiliatus. Pro eo quod Septuaginta transtulerũt humiliatus sum, Hebraica ueritas habet silentio. Obmutui silentio. Hoc tropo solent Hebræi uehementiam significare, uidelicet eiusdem uocis iteratione, quod genus, quum aiunt, si auditu audieritis, & uidentes uidebitis. Et plorans plorabit. Plus est obmutescere quàm silere, sed utroq; uehementius est silentio obmutuisse. Qui silet potest loqui quum uult: qui mutus est, etiam si uelit aliquid dicere, non potest. Solet autem supra modum uehemẽs affectus fandi quoq; potestatẽ eripere homini, quod & à Tragico quodam animaduersum est, cuius est hic uersus: Curæ leues loquuntur, ingentes stupent. At beato Iob septem diebus doloris magnitudo negabat eloquendi facultatem. Sunt qui humiliatum intelligant, compunctum ad pœnitentiam. Mali quoties conuitijs impetuntur, intumescunt, dumq; respiciunt ad sua benefacta, scelerum mantica in tergum reiecta, sic indignantur, quasi hæc immerentes patiantur. At iustus non tam reputat, quo animo incessat maledicus, sed quid ipse commeruerit apud deum. Nam ut falsum sit quod obijcit aduersarius, tamen alijs factis meruit dei flagellum. Obmutescit igitur ad sua respiciens merita, & ad pœnitẽtiam humiliatur: secq; patitur uinci ab homine, ut uincat iratum deum, qui nulla re citius uincitur, ꝙ corde contrito & humiliato. Terreri non potest omnipotens: si muneribus fidẽ solicites, nullius eget, & ab illo proficiscitur, quicquid est bonorum. Si contendas, in conspectu illius nemo uiuẽs iustificatur. 1. Pet. 5 Quid igitur super est, nisi ut in afflictionibus agnoscamus dei iustitiam, & nostram confiteamur iniquitatem, abijciamus ferociam, & humiliemur sub potenti manu dei, ut ipse exaltet nos in tempore uisitationis. Et silui à bonis, Non ita Dauid. Siluit à conuitijs, at non siluit à bonis, dum Abisai cum suis ad homicidium properãtem reuocat, & Semei furiosam petulantiam excusat, hoc argumento, quod dominus ei iussisset ut tam immaniter sæuiat in afflictum. Nimirum hic est affectus humanus, ut qui pro meritis nihil reportet, nisi odium, contumeliam & afflictionem, offensus ingratitudine mortalium desinat benefacere. Nam in arcanis literis interdum omnis quies silẽtium dicitur. Sic fluctus maris dicuntur siluisse: & terra silere, quum à tẽpestatibus ac bellis quieuit: & piæ mulieres apud Lucam dicuntur sabbato siluisse, quod ab opere quieuerint. Euangelicæ perfectionis erat benedicere maledicentibus, benemereri de male merentibus, uidelicet ad exẽplum patris cœlestis, qui solẽ suum oriri facit ac pluit super iustos & iniustos: proq; malefactis reponere benefacta, atq; ita carbones igneos congerere in caput aduersarij, si quo modo tandem uictus emolliatur ad pœnitentiam, & odium uertatur in benuolentiam. Reclamat interim caro. Quid istis benefaciam? Nulla re bona digni sunt. Nõ perdam officium. Recte sic cogitat qui beneficium præstat homini. At qui uere pius est, quoniam

quoniam Christo fœnerat beneficium, non potest frustrari mercede sua. Nec absurdum est, quod à nonnullis adfertur: silui à bonis: id est, non iactaui mea benefacta, sed ad malefacta uerti oculos, sic enim fit, ut humilietur homo, humiliatus sum, agnoscēs iniustitiam meam non iactitans iustitiā. Iustus silet suas laudes, sed eas deus non silet, quēadmodum Psalmus 108, Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Mihi, inquit, uindicta, & ego retribuā. Ne tu sileas dei laudem in afflictionibus, ille uicissim pro te prædicabit laudē tuam. Neq; qui seipsum cōmendat, ille probatus est, sed quem cōmendat deus. Ita summus ille Idythū, non quærebat gloriā suā, sciens esse qui & quæreret & iudicaret: nec secus q̄ ouis quum ducit ad mactādum silet, ita non aperuit os suum, & quum maledictis incesseretur, non regessit maledicta, quūq; indigna pateretur non cōminabatur uindictā, sed tradebat seipsum iudicanti iuste. Nihil respōdit falsis testibus, nihil asperius dixit in impiā cohortem, nihil in pharisęos insultantes: nunq̄ tamen siluit gloriā patris, sed ille uicissim non tacuit laudē filij, sed ab impijs illatā ignominiam uertit in summā gloriam, deditq; illi nomē quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestiū, terrestriū, & infernorū. Christus passus est pro nobis, ut sequamur uestigia eius. Si ad illius exēplum pertulerimus manū domini, ad illius exēplum cum illo glorificabimur. Iudæi accusabāt, Pilatus iudicabat, milites crucifixerunt. In omnibus erat instigator satanas, sed ille respiciebat principalē totius negotij autorē patrem, qui pro nobis redimendis tradidit filiū. Siluerunt martyres in tormentis, non prædicabant uires suas. At deus non siluit illorum laudē, sed adorabilē ac sacrosanctā reddidit eorum memoriā & corā hominibus & corā angelis dei. Ad horum exēplum sileamus & nos de bonis nostris, quoties dei permissu uarijs modis affligimur, sed non sileamus bonitatē illius qui clemēter hic repurgat suos, ut recipiat in suā sempiternā gloriā. Hæc fateor pie differi, sed prior sensus mea sentētia magis quadrat ad totius argumenti seriē. Qui offensus hominū malicia, cessat ab officio, nondū peruenit ad Euangelicā perfectionē. Est tamen in aliquo uirtutis gradu, qui respiscit, nec culpā tuetur, aut qui tantū abstinet à benefaciendo, nec aliā molitur uindictam. Legimus quosdā eloquētia claros, probataq; sanctimoniæ uiros, quoniā exciderat aliquid diuersum à synceritate doctrinæ catholicæ, sibimet in omnē uitam indixisse silentiū. Rectius quidem hoc, q̄ tueri lapsum, aut errorem errore cumulare: absolutioris tamen uirtutis erat, humanū erratum bene dicendo pensare, quàm perpetuo ulcisci silentio. Hic autē frustra remedium quæsiuit à pertinaci silētio, per quod animi ægritudo adeò sedata non est, ut dum premitur, uehementius etiā increduerit. [Et dolor, inquit, meus renouatus est, siue conturbatus est.] Tectus (ut ait ille) magis æstuat ignis: & malum quiescens, si moueas, rursus exacerbatur. Est aūt nonnullum doloris leuamen, si quis animi curas æstusq; lingua profuderit: interim talione mitigatur ira. Quemadmodum autē si in picem accensam injicias aquā exasperatur incendium, ita si refistas impotenti mentis acrimoniæ, magis accrescit dolor. Potest & sic accipi: dolor meus innouatus est, dum nec silentio mitescit impius, sed nouis cōuitijs exasperas uulnus, iam ceu uicto insultans. Tum enim fit furor, sæpius læsa patiētia. Hi sunt tumultus carnis, aduersus spiritū identidē efferuescentis. Ideoq; prosequitur iustus. [Incaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.] Foris lingua friget silentio, sed quid iuuat, si incendiū manet in corde. Non minitat lingua, sed cor meditatur uindictā. Non enim hic erat ignis charitatis, quo flagrabāt discipuli domini quū dicerent: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? Habet & dolor ignē suum, hoc uehementiorē, quod ab his malum adfertur nobis, de quibus sumus bene meriti, dumq; pro gratia rependitur opprobriū. Tale incēdium sensisse uidetur Hieremias in corde suo quū ait: Factus sum in derisum tota die. Oēs subsannant me, & factus est mihi sermo domini in opprobriū, & in derisum tota die. Et dixi: Nō recordabor eius, neq; loquar ultra in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exęstuās, claususq; in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens. Audiui enim contumelias multorū, & terrorē in circuitu: persequimini & persequemur eum: ab omnibus uiris qui erāt pacifici mei & custodiētes latus meū, si quo modo decipiatur, & pręualeamus aduersus eum, & cōsequamur ultionē ex eo. Similiter & hic iustus non ferens tantam hominū malitiam æstuat animo, & incalescit illi cor, sed intra ipsum. Nondum erūpit incendium, cui tamen proximus uidetur, quum addit: [Et in meditatione mea exardescit

1. Pet. 2

Cap. 20

ignis.] Nondum emicuit ignis, sed intus tumultuatur iamiam erupturus. Nam hic meditatio non est cogitatio, sed μελέτη, hoc est, studium uehemens aliquid agendi. Quid igitur meditatur iustus iam totus igneus? Varia nimirum meditãtur homines quos doloris magnitudo superauit. Interdum animus incitatur ad uindictam, interdum dispicit si qua ratione placari possint inimici, uel abiecta dignitate, quę concitauit inuidiã, uel aucta eouscę fortuna simul & dignitate, ut iam extra inuidiæ tela consistant. Extrema enim humilitas & extrema sublimitas solent esse tuta à liuoris insultu. Interdũ libet ad artes magicas cõfugere. Interdum iuuat spõtanea morte calamitatibus quærere finem. Verum ubi iustus uidet, ultionem nihil aliud profecturam, quàm ut increscat persequutio, & uno hydræ capite resecto, subnasci plura: rursus ubi perpendit insanabilem esse maliciam persequentium, phas autem non esse, ut Christi militis anima de præsidio decedat iniussu imperatoris: denicę ubi circumspectis omnibus humanis præsidijs, nullum cernit malorũ effugiũ, nullum efficax solatium, undicę excluſus, necessario sese uertit ad dominum. Magna profectus spes est, ubi quis mutus aduersus improbos homines, sermonẽ transfert ad dominum. [Loquutus sum, inquit, in lingua mea, notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est.] Antea sibi tantum loquebatur: Dixi custodiam uias meas. Qui sibi loquitur, lingua non eget. Et tamen lingua tacente nonnunq̃ magna garrulitate perstrepit animus. Hic lingua loquitur, sed sua etiam num, id est, humana: hic rursus humana ut tamen Idythum, hoc est paulatim ad perfectiora salientis. Nondum enim accepit, per spiritum cœlestẽ linguam igneã, quæ pro cõuitijs resonet uerba charitatis, quæ pro sæuientibus deprecetur. Proficit tamen paulatim. Bene habet, quod loqui cœpit, bene, quod deo non hominibus loquitur. Maledictus qui confidit in homine. Loquitur quidem deo, sed nondum prorsus deo digna loquitur lingua sua: [Notum fac mihi domine finem meum.] Est finis uniuersalis ecclesiæ, quemadmodum fuit finis legis ac prophetarum. Per hunc cessauit expectatio aduentus domini, simul cum typis ac cæremonijs: per illum cessabit afflictio piorum, & omnis totius creaturę gemitus ac uanitas, uidelicet quũ Christus tradiderit regnum undiquacę purgatũ ac pacatum deo patri. Finem legis, hoc est Christi aduentum iuxta carnem, omnes pij Iudæi scire cupiebant: paucissimis tamen patefactus est, idcę per ænigmata. Vidit Abraham diem illũ, & gauisus est. Didicit Daniel, sed per nebulam. Finem ecclesiæ scisitabantur apostoli: Domine quando præsentabe ris, & quando regnum Israel? sed audiunt: Non est uestrum nosse tẽpora, aut momenta temporum, quæ pater posuit in sua potestate. Sed est peculiaris cuiq̃ finis, à deo præscriptus, solicę deo notus, quem nosse nec datũ est homini, nec expedit. Hunc tamẽ nosse cupit Idythum, undicę punctus malorum aculeis, nec inueniẽs in quo mens delassata molestijs acquiescat. Cap. 6 Consimilem in modum loquitur Beatus Iob: Quis det, ut ueniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi deus, & qui cœpit, ipse me conterat. Soluat manũ suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Quæ est enim fortitudo mea ut sustineã, aut quis finis meus, ut patienter agam? Sic & propheta Ionas præ magnitudine dolorum orat mortem. Bonus gradus est, ubi quis ad huius uitæ contẽptum tædiumq̃ profecerit. Ac felix calamitas est, quæ nos compellit ad deum. Notum fac mihi finem meum. Idem est finis malorum, qui finis humanæ uitæ. Aeterna mala finẽ nesciunt. Humana hoc sunt tolerabiliora, quod esse diuturna non possunt, quum ipsa hominis uita sit breuis. Vt nihil aliud, certe mors pijs adfert calamitatum finẽ. Videtur huiuscemodi quendã affectum sensisse dominus quũ exclamat: O generatio incredula & peruersa, quousq̃ ero uobiscũ? usq̃ quo patiar uos? Matth. 17 Et hic psaltes alibi: Heu mihi quia incolatus meus prolõgatus est. Sẽsit Iob, quũ in tẽtationis paroxysmo sic deplorat: Tædet animã uitæ meæ. Item: Suspendiũ elegit anima mea, & mortem ossa mea. Sensit & beatus Paulus scribens Corinthijs: Non enim uolumus ignorare uos fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra uirtutem, ita ut tæderet nos etiam uiuere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in deo qui suscitat mortuos. 2. Cor. 1 Res est acerba carni tentatio, sed uide quantum boni gignat electis, ut non collocemus fiduciã in nobis, sed in deo. Nihil homini periculosius cę suis fidere uiribus, quasi ex sese possit aliquid. Confidẽs erat Petrus ante tentationem, sed ruina docuit illum

illum non in se sed in domino ponere spem suã. Confidentię uox erat: & si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Sed ruina factus cautior, timide respondet: Domine tu nosti omnia, tu scis quod amo te. Quoties igitur permissu dei procella tentationis similem affectum gignit in nobis, ne prorsus desponde amus animum, néue ad mundi præsidia confugiamus, sed ad deum dirigantur oculi nostri, qui sic temperabit afflictionẽ ut possimus sustinere. Non est in nobis efficere, ne rebus naturæ molestis conturbetur animus, sed is spe maturæ recreationis fulciendus est. Hoc tædium in se recepit dominus, instante crucis supplicio, quo nobis formam proponeret, ne in simili affectu properemus uel ad ultionem uel ad desperationẽ, sed prostrati, hoc est nostris diffisi opibus, ad domini exẽplum prolixis precibus auxilium diuinum imploremus. Non pigeat pati seruos, quod passus est dominus: sed clament membra cum capite: Pater si fieri potest transeat à me calix iste. Vox hæc est carnis, sed addat uocem spiritus: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Adeò dominus non quærit per homines ultionem, ut ne per angelicas quidẽ legiones defendi uoluerit. Quàm multi sunt qui leuioribus afflicti malis, tædio uitæ confugiunt ad prȩcipitiũ, aut ad flumen, aut ad laqueũ, aut ad uenenum. At iustus ne in grauissimis quidem cruciatibus tale quicquam molitur. Ex infirmitate carnis quærit scire finẽ uitæ, nec hunc tamen cupit discere, à magis, à sortilegis, à uentriloquis, à chiromantibus aut genethliacis aut pythonicis, quemadmodũ fecit Saul: sed à domino, qui solus nouit rerum omnium exordia progressum & finem. Ostende, inquit, mihi finem meum, qui si in propinquo est, moderatius feram huius uitæ calamitates, quæ ultra uitæ terminum proferri non possunt. Sic nauta quum incruduit tempestas, præsentemq; intentant omnia mortẽ, optat ostendi portum: qui sicunde appareat uicinior, erigitur in bonam spem, atq; hac re creatus alacrius luctatur aduersus uim undarũ ac uentorum. [Et numerum dierum meorum quis est?] Solent enim qui uiuunt in mœrore, & à tẽporis modo solatium expectãt, ueluti pupilli sub duris tutoribus insuauiter uiuentes, non annos modo, sed & singulos dies & horas numerare: quibus hoc leuior fit molestia, quo propriùs accesserint ad annos pubertatis. Sic Paulus tædio malorũ, cupit dissolui & esse cum Christo, apud quem est omnium molestiarum finis. Et illud quidem cõmune iustis & iniustis, ut in anxietate cupiant scire finẽ, sed non eodem animo. Iniustus cõsulit Babylonios numeros, ut tandẽ liberatus malis, præteritas molestias pẽset, auidius fruẽdo carnis uoluptatibus. Ita loquitur quidã Epicuri discipulus: Rapiamus amici occasionẽ de die. Similiter impij loquuntur in libro Sapientiæ: Exiguum & cum tædio est tempus uitæ nostræ. Vmbræ transitus est tẽpus nostrum, & nõ est reuersio finis nostri. Hactenus cum pijs communis est oratio. sed quid sequitur? Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanq; in iuuẽtute celeriter. Vino precioso & unguẽto nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Alius quidam eleganti sanè carmine exẽplo rosæ eodem die nascentis ac senescentis, demonstrat breuem ac fugacem hominis uitã: sed quid hinc ratiocinatur? Collige inquit, uirgo rosas, dum flos nouus & noua pubes, Et memor esto æuum sic properare tuum. Ineptus, quod ultro perit, uult etiam turpiter perdi. Sic impij. Quid iustus? Vt sciam, inquit, quid desit mihi. Perfici cupit, non solum à molestijs liberari. Doceri optat, quãtum uitæ spatiũ superst, quo magis aduigilet benefactis reconciliare deum, & ad emigrãdum sarcinulas componere. Nec perinde referre putat q̃ diu uiuat, modo purgatus hinc exeat. Scit deo tentationem immitti propter hominũ commissa. Itaq; si cognorit in proximo esse uitæ finem, metuit ne nondũ satis purgatus emigret. Sin multum adhuc uitæ superesse, gaudet à deo cõcessum pœnitentiæ spatium, quo superioris uitæ delicta, benefactis cõpenset. Paulo uiuere Christus erat & mori lucrũ. Si dabatur uita, bonis operibus sibi Christum magis ac magis conciliabat: si mors ostendebatur, lucro deputabatur. Geminum enim lucrum mors adfert homini pio, finem horum malorum, & initium æternæ felicitatis. Post hęc quasi respõsum acceperit, non multũ illi uitę supersesse, ait: [Ecce mensurabiles posuisti dies meos] Pro mensurabiles, Hieronymus uertit breues, sensum expri mens potius quàm uerbum. Quidam indicarunt Hebraicã uocem significare mensuram pugilli. Nam uulgo quum minimus rei modus declaratur, pugillum dicunt: hoc est quantum contracta manu, id est pugno complecti possis. Porrò quod Septuaginta uerterunt παλαιστὰς, Symmachus uertit σπιθαμὰς. Spithame enim Græcis palmus est, uidelicet

ea forma manus qua porrecta metimur aliquid. Nam ut porrecta manu metimur ſpatiũ, ita compreſſa metimur res acerui. Eandem mẽſuram Græci δῶρον ſiue δόχμὴν appellãt, quod explicata manu donamus. palmus autem minor, ſiue palæſta, quatuor digitorũ eſt ſibi iũctorum: maior duodecim, uidelicet manu diſpeſſa à ſummo pollice, uſq; ad ſummũ medij digiti. Quod ſi credimus Græcorum etymologijs, σπιθαμὴ proprie palmus maior, dicta παρὰ τὸ ἀποσπᾶσθαι σὺν δακτύλοις, id eſt, ꝙ diducat digitos: παλαιστὴ, palmus minor, dicta παρὰ τὸ παλάζειν τὰ ὀστᾶ, id eſt ab eo quod oſſa digitorũ inter ſe iungat. Quod ſi δόχμην ſiue δῶρον, ſiue palæſta habet quatuor digitos coniunctos: Spithama, hoc eſt palmus maior, duodecim digitos complectetur, hoc eſt pollices nouem. Vtroq; modo declaratur uitæ noſtræ breuitas: quam ſiue porrectam conſideres, minimum habet longitudinis: ſiue in ſummã collectam, minimus eſt aceruus. Porrò παλαιστὰς quod poſitũ eſt à Septuaginta, uarie reddidere Latini. Quidam dixere, ueteres poſuiſti dies meos, quod παλαιὸς uetus ſonet Græcis. Quod autem ueteraſcit, tendit ad interitum, & noſtra uita nihil eſt niſi curſus ad mortem, Sola æternitas neſcit uetuſtatẽ. Alij palæſtas dictos exiſtimant, quaſi luctarios, quod hæc uita militia ſit & colluctatio cum mundo, carne, & ſatana. Fateor utrunq; poſſe ad rectum ſenſum accõmodari, mihi tamen ſcopum attingere uidentur, qui docent palæſtas dici menſuras architectorum, quibus materiam dimetiuntur, quatuor digitis explanatis & coniunctis: quæ illis breuiſſima menſura eſt, quum cubiti & decempedę ſint longiores, unde & hodie prouerbiali ſchemate minimum rei modum ſignificantes bolum, ac pugillum, aut latum digitum dicimus. Item Eſaias uolens ob oculos ponere totius orbis exiguitatem, ſi conferatur ad immenſitatem dei, ait: Qui palmo, id eſt, σπιθαμῇ menſus eſt terram. Et eleganter cantat chorus eccleſiaſticus, Mundum pugillo continens, uentris ſub arca clauſus eſt. Verum hæc uarietas omnis eódem tendit, ut intelligamus hominis uitam, non ſolum eſſe breuem, ſed inſuper miſeram ac laborioſam. Quod laborioſa eſt debemus peccato Adæ, cui dictũ eſt: In ſudore uultus tui, ueſceris pane tuo. Rurſus poſt ob exundantem hominum maliciam contractus eſt in anguſtum uitæ modus, ut quum ante diluuium quidam uixerint ultra ſexcentos & octingentos annos, poſt diluuium redacti ſint ad ſeptuaginta, ut iam hominis uita facta ſit non modo contractior, uerum etiam pluribus morbis & calamitatibus obnoxia. Iam ut nec ualetudo, nec peculiaris corporis imbecillitas mortem acceleret, extremus uitæ modus eſt octoginta anni. Sed quid, quod hodie quoq; uidemus quoſdam hunc uitæ modum excedere? Excedunt licet pauciſſimi, uerum quod ultra eſt, uita dicenda non eſt, ſed iuxta alterius pſalmi teſtimonium, labor & dolor. Quis enim eam uitam exiſtimet, quum tremit omne corpus, caligant oculi, obſurduerunt aures, balbutit lingua, fugit uox, exciderunt dentes, titubant pedes, nec ulla corporis pars ſuo fungitur officio: quin & animi uires deficiunt, ſtupet intellectus, obtorpuit ratio, nihil continet memoria, ſed quod de dolio Danaidum eſt in fabulis, pené prius excidit quod traditur, quàm infuſum eſt. An non hæc longa mors eſt uerius quàm uita? Hunc terminum uitæ humanæ præſcripſit deus offenſus hominum malicia, qui ſemper peccaturi uidebãtur, ſi ſemper uiuere licuiſſet. Nos uero uitijs noſtris, quod à deo contractum eſt reddimus multo contractius: quodq; calamitoſum erat, reddimus multo calamitoſius. Vnde enim tot morborum genera, unde tot funera præmatura, niſi ex luxus & libidinis intemperantia? Aut unde homini tot malorum eſt, ꝙ ab homine? Quorſum uero iuſtus cõmemorat uitæ breuitatem ac miſeriam? Non quod obmurmuret deo, qui talem fecit. Iuſtus eſt, nec ſine cauſa quicq; facit. Quanquam ne fecit quidem ille, qui condidit hominem rectum: ſed peccato debemus æui noſtri uel breuitatẽ, uel calamitatem. Non igitur hæc cõmemorat iuſtus, ut incuſet deũ, ſed ut illum flectat ad miſericordiam, ſi ſuos oculos uertere dignetur ad humanæ uitæ momẽtaneam breuitatem, quæ nihil aliud ꝙ punctulum eſt, ſi ad æternitatem conferatur: & ſi non grauetur reſpicere ad calamitates, quibus hæc uita fermẽtata eſt omnibus, licet alijs plus alijs minus additũ ſit aloes. Ad hoc ſpectaculum inuitat oculos dei, quum ait: Ecce. Sic mendici prætereuntiũ oculis oſtẽdunt hulcera ſua, ut moueant miſericordiã, & ſi quis aſpexerit, ſperant eleemoſynam. Hoc animo Beatus Iob commemorat humanæ uitæ breuitatem, ut dominum ad miſerendum prouocet: Parce, inquit, mihi domine, nihil enim ſunt dies mei. Et alibi commemorata uitę breuitate & calamitate, ſubijcit. Et dignũ ducis

Cap. 14

ſuper

super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecũ in iudiciũ? Quidã ob hoc ipsum liberantur à præpotente, quod indigni uideãtur ira: quẽadmodum aquila non capit muscas, nec in murẽ sæuit leo. Quum Saulẽ crudelem, ad tempus flexerit uox Dauid clamantis: Quem persequeris rex Israel, quem persequeris? Canẽ mortuum & culicem unum persequeris: quanto magis nostræ imbecillitatis cõmemoratio flectet deum naturam mitem & exorabilẽ? [Ecce uita mea quid aliud est & pugillus dierũ, & substantia mea tanq̃ nihilũ ante te?] Qui hic uiuũt usq; ad annum octogesimum, diu uixisse dicũtur: sed hominis uita quamuis longa uix momentum temporis est ad illam immensam æternitatem, quæ nec initium nouit nec finem: & tamen hoc punctum perinde quasi sit aliquid, distinguimus in pueritiam, iuuẽtutem, uirilem ætatem, & senectutẽ. Emimus, uendimus, ædificamus, amplificamus latifundia, ambimus regna, tumultuamur, quasi perpetuo uicturi. In causa est, quod affixi terræ, non attollimus oculos ad ea quæ uere semperq; sunt. Cæterum quẽadmodum humanæ uitæ tempus collatum ad æternitatem, minimus pugillus est: ita substantia hominis nihil est ad illam substantiam incomprehẽsibilem, quæ semper est sui similis, nullam in se recipiens mutationẽ, quum ipsa creet, recreet, mutet, moueat & gubernet omnia. Substãtiam enim, id est, ὑπόστασιν, non οὐσίαν hic appellat, quod per se subsistit ac solide est. Solus autem deus uere est ex seipso, nec ab alio quopiam pendens, sed ipse fulciens uniuersa, quæ nobis esse uidentur, quum reuera in rebus humanis nihil subsistat, sed fluant omnia. Si quæras à dialectico nũ homo sit substantia, respõdebit maxime. At si idẽ quæras à philosopho, qui spiritualibus oculis cõtemplatur res æternitatis, etiamsi ostendas hominem iuuenem prægrandi ualidoq; corpore, umbram esse dicet, nõ substãtiam. Si bulla est homo ad deum comparatus, quanto magis bullæ & umbræ sunt, quæ uulgus hominum sectatur in hac uita? opes, forma, uires, honores, uoluptates: quæ ludibrio fortunæ frequenter & uiuis eripiuntur: & si maxime perseuerent, mors tamen aufert omnia. Quicquid hic uidemus, siue expetendum, siue fugiendũ, umbra est, fumus est præterfluens ac mox euanescẽs. Et hæc uita quid aliud est, quàm torrens magno impetu currens ac rapiens omnia ad interitum? Fluctuat quisquis hæret rebus non habentibus substantiam: quemadmodum habet alius psalmus: Venerunt aquæ usq; ad animam meam, & non est substantia. Qui uelit subsistere, collocet sese in solida petra Iesu Christo qui est heri & hodie, idem & in secula. Illud admonendum, particulam ante, ἐνώπιόν σου, hoc est in conspectu tuo, ad utrumq; uersiculi præcedentis comma referendum. Momentanea est uita hominis in oculis dei, qui solus uere uiuit, solus uere est: & omne tẽpus quãuis longum uideatur homini, momentum est apud eum, qui nullo tempore circumscribitur. Si cornicem cum homine conferas, longæua est: si ceram cum chalybe conferas, solida res est chalybs: si hominem cum homine componas, alius uiuax, alius breuis æui uidebitur: uerum simul ut uentũ est ad oculos dei, friuola momẽtaneaq; sunt omnia. Quid autem mirum si tempus humanæ uitæ tanquam nihil sit apud deum, quum uniuersum æuum quo mũdus hic cœpit ac duraturus est, nihil aliud in conspectu dei q̃ puncti instar sit. Non mirũ si unius hominis substantia tanq̃ nihilũ est ante deum, quum iuxta Esaiam omnes gentes quasi non sint, sic sint coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt. Et substantia mea tanquam nihilum ante te. Quod in homine uidetur esse naturæ solidissimæ, coram deo nihil est. Solidior autem hominis pars est animus, & in animo ratio. Atq; hæc quoq; substantia pro nihilo est ante deum, sine quo nihil possunt humanæ naturæ uires. Quæ simul atq; peccato corrupta est, ac spoliata gratia dei per quam erat aliquid, redacta est in nihilum, egens restitutore, quemadmodum egebat conditore, quum nõdum esset. Tam nemo se potest refingere, quàm nemo se potuit fingere. Sed nunquam magis hominis substantia nihilum est ante deum, quàm quum ipse sibi uidetur esse aliquid. Qui se, inquit Apostolus, existimat esse aliquid, quũ nihil sit, ipse se seducit. Qui alteri persuadet esse gemmam quod uitrum est, impostor appellatur: sed maior impostor est, qui imponit sibi ipsi, persuadens hoc esse quod non est. Quisquis aũt agnoscere cœpit, & ex se nihil sit, iam hoc ipso cœpit esse aliquid, hoc est initium aliquod creaturæ eius, iuxta beatum Iacobum: aut initium substantiæ eius, iuxta Paulum. Iam enim cœpit trãsformari in Christum, in quo quisquis est, noua creatura est. Proinde quẽadmodum idem admonet Apostolus, ut qui sibi uidetur sapiens, stultus fiat quo fiat sapiens: ita monendi sunt omnes, ut

Cap. 40

Gal. 6

Iacobi 1

Heb. 3

2. Cor. 5

qui sibi uidetur esse aliquid, nihilum fiat, ut uere sit aliquid. Abiiciat ueterem hominem, ut in eo deus condat nouum. Vt autem perspicias quàm ex teipso nihil sis, prodeas in cõspectum dei, ne te conferas cum hominibus, exẽplo pharisæi, qui sibi uidebatur iustus ad comparationem publicani. Sic formosus homo uidetur collatus deformiori, diues cõparatus pauperiori, sapiẽs cõpositus stultiori, iustus admotus iniustiori: uerum hæc omnia nihil sunt si prodeant sub oculos dei. Homo homini fallax est speculum, solus deus indicat quod uere bonũ est. Ille enim uera lux est, ad quam euanescũt inanium simlachrorum ludibria, & coarguũtur esse uana quæ se magnifica specie oculis hominum uenditabant. Vocatio dei facit ut homo sit aliquid, non ipsius uires: ille enim iuxta Paulum uocat ea quæ non sunt, tanquam sint: ut igitur uoceris, esto nihilum in conspectu tuo, prębeilli cor contritum in puluerem, & quodammodo redactum in nihilum: ille liquore gratiæ suæ, & sicco puluere refinget mollem argillam, ex argilla uas honorificum in domo domini. Huc igitur erigendus est animus, ut uideat quàm nihil sit omnis ipsius substãtia. Huc iam peruenerat Idythum. An non egregium saltum dedit noster transiliens, qui transilijt terrena omnia, qui transilijt omnes cœlos, angelos insuper & quicquid tempori mutationiue obnoxium est, & ad ipsum æternitatis fastigium peruenit. Dixerit quispiam: Quid utilitatis habet huius uitæ miseræ ac fugacis contemplatio? Vt quicquid hic obtingit rerum specie bonarum, eas possideamus tanquam non possidentes: quicquid obijcitur tristium, æquiore feramus animo. Quis enim in eo figat amorem, quod intelligat præstigium esse, & hoc ipsum mox relicturus? Rursus quis est tã abiecti animi, ut non fortiter ferat, quod scit mox finiendum, atq; ita finiendũ, ut temporarijs molestijs succedat æterna felicitas. Rursus ea feruntur moderatius, quæ nobis cum uniuerso mortalium genere sunt cõmunia. Eoq; se ueluti reprehendit Idythum, quod suam calamitatem ceu propriã ac peculiarem deplorauerit, quum hæc sit humanæ uitæ generalis conditio: quam tamen deo non possumus imputare, sed eam peccato ferimus acceptã. Hinc humanæ uitæ breuitas, hinc tot calamitatum formæ, ut nemini sint numerabiles. Hinc tanta mentiũ humanarum caligo & prauitas. Sibi itaq; quodãmodo loquitur Quid ita tuã unius deploras sortẽ? circũfer oculos per omnia mortalium genera, uidebis conditionis esse, quod tu putas esse calamitatis. Veruntamẽ uniuersa uanitas, omnis homo uiuens, Non dicit omnia, sed σύμπαντα, id est simul omnia. Vanitatẽ dicit, non mendacium, sed quod inutile est, inane, ac frustraneũ. Friuolum est, inane est, quicquid suis præsidijs in terris agunt homines, uarijs studijs inter se tumultuantes. Alius nihil nõ tum facit tum patitur, ut decoretur honoribus: alius intẽtus est cõgerendis opibus: alius perungit se melle uoluptatum, & quoniam diu uiuere non est datum, dat operam, ut suauiter uiuat. Quis non existimet esse præclarum, obtinuisse præcipuum locum apud principẽ, aut ipsum etiã principatum, obtinuisse præposituram, episcopi dignitatem, cardinalis maiestatẽ, pontificis fastigium? Quis non beatum ducit eum, cui dormienti opima obtigit hæreditas? cui non felix uidetur in delicijs uiuẽs? Rursus alius plorat repulsus, aut honore deiectus. Alius deflet opes bello aut naufragio periisse: pro uoluptatibus irruisse molestiarum agmẽ. Hos uulgus hominum miseros appellat, illos felices. Sed quid dicit Idythum? Simul omnia uanitas. Siquidẽ nec humana felicitas uera felicitas est, nec humana calamitas uera calamitas est. Hoc esse uerum perspicies, si quæ hic uides momẽtanea, cõferas cum æternis. Non dixit omnia uana, sed ἐμφατικῶς, omnia uanitas: quo tropo hominẽ uehemẽter sceleroſum scelus appellamus, & uehementer contaminatum labem. Nec mirum si uanitas est quicquid geritur sub sole, quum ipse homo cuius causa condita sunt hæc omnia, sit uanitas. [Omnis homo uiuens, siue ut Hieronymus uertit, omnis homo perseuerans.] Alius quidã reddidit, stãs semper. Ergo qui uelit effugere uanitatem, ex hac uita migret oportet. Stant hic diuites qui solatium suum habent in hoc seculo, optantq; uitam hanc esse perpetuam. Et perseuerat esse homo, qui totus affixus est huic mundo, nec spiritu subsilit in cœlum, quemadmodum facit hic Idythum, qui nunc uelut in edito stans è sublimi despicit quicquid habet hic mundus. Transilijt terram, lunam & solem, deniq; cœlos omnes, ac perspexit nihil usq; non obnoxium uanitati, donec transuolemus ad ipsum rerum omniũ conditorẽ, in quo uno uera, syncera ac perpetua sunt omnia. Hoc igitur loco interpositum diapsalma significat illum aliquandiu detineri rerum conditarum cõtemplatione, quo magis inflammetur ad

illam

illam uitam, in qua non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Subuolemus & nos eodem charissimi quò subsilijt Idythum, cumq; illo paulisper consideremus, nihil esse sub sole non obnoxium uanitati. Contemplemur ipsam terram solidum elementũ, quo & sustinemur & alimur, quot malis obnoxia est, quot exitia gignit homini, quoties cõuulsa terrę motu, ædificia subruit, homines obruit. Nonnunq̃ subsidens totas urbes unà cum populis absorbet uoragine. Alicubi iaculatur cinerem, fumos & flammas, frequenter exhalat spiritum pestilentem è specubus. Quid hic memorem harenarum cumulis obrutos exercitus, quid harenas quicquid inciderit absorbentes? Quid malæ fidei terras, ingredientẽ in abyssum demittentes? Iam quot nobis gignit animalia, uel ui perniciosa, uel ueneno pestifera? Quot fructus arborũ, quot herbas præsentaneo ueneno mortiferas? Ac sæpenumero specie blãdiora sunt, quæ lædũt maxime. Sorba pulchriora maxime præfocãt hominẽ: mel quod letifero sudore perimit gustantẽ, cęteris dulcius est: ut dicas naturã nõ matrem, sed nouercã priuignis suis insidiantẽ. Fallit & rerũ similitudine. Quoties anguis pro anguilla sumptus morte docuit errorẽ? Quoties cicuta pro serpillo deuorata mortem attulit? Adde quod subinde fallit spẽ cultoris. Nec minor ab aquis pernicies. Sunt fontes limpidissimis aquis, quæ potæ mortẽ adferunt. Quid nõ calamitatũ adfert mare inundãs unoq; æstu pagos & oppida innumera delens? Exundant & flumina, exundant lacus incredibili rerum hominumq; dispendio. Arua cursum mutante mari uertuntur in paludes, agriq; feraces, in steriles harenas. Nec illinc raro ueniunt flatus humano generi exitiabiles. Habet & pisces mare qui uel ictu uel contactu, uel esu mortem adferunt, ut scorpius, torpedo, & lepus. Porrò nauigantibus quot modis insidiatur? Pręter uentorum & undarum uiolentiam, syrtes undis occultantur & rupes nauifragæ: & quasi hoc parum sit, habet uortices ac uoragines, nauim in gyrum circunactam absorbẽtes, habet montes & specus è longinquo nauim attrahentes. Quid plura? uix ab ullo elemento plus exitiorum homini. Aere uiuimus ac spiramus, sed frequenter cum aere mortem attrahimus. Ignis inter elemẽta purissimum quot calamitates, quot mortes quotidie inuehit generi mortalium? Erigamus oculos in sublime, illinc ueniunt diluuia, illinc grando segetum pernicies, illinc fulmina subitam mortem adferentia. Illinc uarijs figuris funesti cometæ, horrenda mala minitãtes homini. Altius attolle oculos, uenisti ad cœlestes orbes, quorum infimus est lunaris: corpora sunt immensa, pulcra, simplicia, & ob id expertia mutationis ac senij. Sed hic quoque solis ac lunæ defectus, & quorundam syderum inter se coniunctio aut diuortium, respectus exustiones & retrogradus incessus, quantum calamitatum pariunt hominibus, pecoribus, arboribus ac segetibus? Hæc considerans Idythum, perspicit uniuersam creaturam subiectam magnæ uanitati. Et tamen his omnibus præstantior est homo cuius gratia sunt condita omnia, quæ mundus hic complectitur. Sed huius conditio tot incommodis obnoxia est, ut non sine causa quidam pronunciarit, nullum animal esse miserius homine. Non hic recenseo natiuitatem lacrymosam, infantiam miserabilem, pueritiam mille expositam iniurijs, adolescentiam fugacem, iuuentutem laboriosam, uirilem ætatem mille distentam curis, senectutem Aetna atque Athone grauiorem, mortem omnibus certam, diem mortis nulli certum. Non commemoro, tot morborum formas, easq́ue subinde nouas, tot casus inopinatos & ineuitabiles, ignobilitatem generis, paupertatem, deformitatem, & si excutias animum, tarditatem, ignorantiam, stuporem, obliuionem. Illa ipsa quæ felicitatis nomine blandiuntur hominibus, & in quibus concupiscit acquiescere, quantum habent admixti fellis. De uicijs non loquor, ubicunque turpitudo est, ibi summa uanitas est. Legitimi honores quantum habent solicitudinis, quantum molestiarum etiam si rectè fungaris tuo munere. Tanta est hominum morositas, tanta ingratitudo. Dignitas liuori obnoxia est, humilitas cõtemptui & iniuriæ. De diuitijs quid attinet dicere, quas ipse dominus spinas appellat? Dulce est coniugiũ, sed quãto plus habet aloes quàm mellis. Iuuat habere liberos, sed quotocuique contingunt tales, ut non pœnituerit suscepisse? Superest amicitia, præcipuum humanæ uitæ solatium. Sed hic quàm rara fides, quanta inconstantia, quanta simulatio, quanta perfidia, ut uix aliunde plus malorum homini. Ab affinibus & cognatis non minima molestiarum portio accedit, ut quibus studio est iucundam ac tranquillam agere uitam, nihil prius curandum existimẽt, quàm ut q̃ longissime absint à suis. Sunt qui in liberalibus disciplinis,

& in contemplatione naturæ conquieſcunt, ſemoti à Reipub. negocijs. Verum hic quoq; quantum laborum, quantum errorum, quantum caliginis, denicq; quantum cõtentionis. Verum ut uniuerſam philoſophiam ad plenum aſſequaris, non hæc tranquillant animũ: ubi uentum eſt ad articulũ mortis, clamat homo ſe perdidiſſe uitam in nugis. Quid quod in ipſa Theologia, tanta eſt opinionum pugna, tam moroſa plurimorum iudicia, tam rara ſynceritas, tanta calumniandi libido, ut multos eius ſtudij pœniteat pigeatq;. Denique nullũ eſt uitæ inſtitutum uſq; adeo felix, in quo non multa ſint deuoranda tedia. Solitudo per ſe moleſta eſt et egena: In collegijs diſsidia & contentiones diſcruciant hominẽ. Quin & ipſa hominum benefacta, quantum habẽt uanitatis admixtum. Quis largitur eleemoſynam ſic ad unum Chriſtum ſpectans, ut non obrepat, uel inanis gloria, uel fauor peculiaris, uel ſpes cum lucro redituri beneficij, uel aliquis ſimilis humanus affectus. Pſallimus, oramus, contemplamur, ſed quantus hic torpor, quanta ſegnities, quoties inanium cogitationum incurſus interrumpit mentis intẽtionem, ut poſt preces mox alijs ſit opus precibus, quibus pro negligenter dictis precibus ueniam poſtulemus. Quis homo diligit hominem pure ob Chriſtum? Quis proximo ſuo non ſecus benè uult quàm ſibi ipſi? Iam quantum abſunt etiam probatæ religionis homines ab ea charitate: quã à nobis exigit deus? Nam ſi quis per laudatiſsimas etiam monachorum ſodalitates obambulet, fatebitur eſſe ueriſsimum, uetere Græcorum prouerbio iactatum, πολλοὶ βακχεύονται, παῦροι δὲ τελοῦνται. Si in his quoq; quæ uidentur optima tanta uanitas eſt in hac uita, non eſt quod quiſquam in hoc mundo quærat ſolidam beatitudinem, in quo ſunt pariter omnia uanitas, atque ipſe inſuper homo totus. Sic enim intelligi poteſt, πᾶς ἄνθρωπος. πᾶς enim & omnem ſonat & totum. Vnde & plurimi ueteres, uniuerſum hoc omnia complectens rerum genera τὸ πᾶν appellabãt. Conſtat autem homo, prima diuiſione corpore & anima. Corpus quinq; ſenſibus inſtructum eſt, animus totidem: quicquid his uiribus aſſequitur aut molitur homo uanitas eſt, ut merito clamet propheta. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Et in his quidam uidẽtur eminere, ueluti forma aut robore, aut ſalubritate corporis, ſenſuum acrimonia, ingenij celeritate, conſiliorum ſolertia, memoriæ fidelitate, eloquendi gratia. Exaggera hic quantum uoles, tamen ad illam æternitatem omnia uanitas, atq; in his omnibus homo quantus eſt uanitas eſt. Nũc ſi uidetur à diapſalmate ad pſalmum redeamus. [Veruntamen in imagine pertranſit homo.] Incertum uideri poteſt, an hic uerſiculus confirmet ſuperius dicta, an aduerſetur. Hieronymus pro ueruntamen uertit tantum, tametſi ſuſpicor ab illo ſcriptum tamen, idq; ſcribarum incuria uitiatum. Rectius igitur accipiemus uocem aduerſatiuam, hac quidem ſententia. Quum nihil uſquam ſit in hoc mundo non obnoxium uanitati, ſi ad illa quæ uere ſunt comparetur, tamen hominum uulgus in imagine, hoc eſt in rebus inanibus & umbraticis, perinde ut ſolidis ac ueris ambulat, nec ambulat ſolum ſed hæret quoque & unà cum illis rapitur. Ob has tumultuatur, nauigat, belligeratur, litigat, fœneratur, fraudat, peierat. Hæc facit homo, nimirum ut uanus, ita uanis gaudens. Quid enim aliud eſt quàm homo, qui nihil amat niſi quod uidet. Tales erant ex parte quos increpat Apoſtolus. Nónne homines eſtis. Tales de quibus dicit, ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Iam Idythum ſeſe ſupra hominem extulerat, exilijt è ſpecu, in quo iuxta Platonem uincti nihil aliud quàm rerum umbris commouentur. At ſapiens ille, qui res ueras in ſole uiderat, fruſtra clamat, quid inſanitis miſeri, ob inanes rerum imagines plaudentes, gaudentes, dolentes, metuentes? Nihil iſtic ſolidi eſt, umbrarum ludibria ſunt, quæ uos uel territant, uel delectant. Similiter Idythum iam ſublimis demiratur hominum dementiam, qui neglectis ueris bonis, inanibus bonorũ ſimulachris hærẽt, dumq; horrent umbras malorum huius uitæ, in uera æternaq; mala ſeſe præcipitant. In huius uitę cõmodis ſibi uidetur homo cõquieſcere, ſed pertranſit & ambulat uelit nolit. Præterit enim figura huius mundi, ſibiq; affixum ſecum defert quamuis inuitum. Etſi illa manerent, homo tamen tranſire cogitur: & ſi homo maneret, illa pertranſeunt. Non aliter quàm qui lembo uehitur, licet ipſe dormiat, tranſit tamen. Talis eſt igitur prophetæ ſermo, ac ſi quis dicat: hic merũ eſt tritícum & tamen uos oblectamini glandibus: hic eſt uinum purum, & tamen uos bibitis aquã turbidam: hic eſt purgatiſsimum aurum, & tamen uos laboratis in ruderibus, hic ſunt natiuæ gemmæ, & uos amatis uitrum. Quod Septuaginta uerterunt παρέστηται, id

eſt

est,turbatur,quidam uerterunt,strepitum facit,appositio uerbo significantes tumultum uulgi pro rebus hisce fluxis & inanib.sine fine digladiãtis. Quid enim aliud est uita principum,episcoporum,negociatorum,opificum, & ridiculus quidam uel miserabilis potius tumultus? Hic totus est in propaganda ditione, quasi semper uicturus, quũ nemo sibi unius diei uitam certò polliceri possit, Alius per phas nephasq; festinat ad diuitias, hoc auidior, quo plus congestum est,nec audit illam uocem Euangelicam: Stulte hac nocte repetunt abs te animam tuam,& ista quæ cõgregasti cuius erunt? Itaq; qui cum Idythum transilierunt omnem sublimitatem felicitatis humanæ,oculisq; fidei contemplati sunt uerorum bonorum Ideas,leuiter ac uelut in transcursu non fruuntur,sed utuntur hoc mundo tanquam non utentes. Sed qui adhuc nihil aliud quàm homo est, nec dum exuit ueterem hominem luteum, hic thesaurizat perinde quasi iam sit in patria, ac non potius,hospes paucorum dierum in terra aliena. Recondit in mundo, quasi sit quicquam solidum, quum nihil hic sit præter falsas ac fallaces rerum umbras. Colligit hic, ubi spargendi locus est. Recondit hic,ubi nihil est certi,nihil tuti. Recondit hic ubi diu manere non licet, & quum abierit,nescit quis fruiturus sit ijs quæ reposuit. Solet enim hoc esse aliquod solatium ex hac uita decedentibus, si paratus sit hæres quem uolunt. Atque hoc fuco morbum animi solent excusare auari. Non mihi inquiunt colligo,sed liberis meis. Hæc pietatis uox est,sed fucus iniquitatis,ut eleganter dicit Augustinus. Verum honestior est speries,quum aiunt,non mihi recondo,sed instituendo sacello aut extruendo collegio. Verum interim ignoras cui recondis ista. Si liberis, fortasse non contingent, aut si contigerint qui scis an tibi futuri sint superstites, qui scis an tales futuri, ut digneris illos rerum tuarum successione, quando multi patres filios suos exhæredant, & abdicant. Si recondis in pium usum, fortasse quod repositum est fur auferet, aut bello incendióue peribit. Quod in pios usus congregatum est,fortasis absumet aleator,aut gurges,aut nepos aliquis. Sunt qui recondunt apud fœneratores,cum lucro recepturi quod deposuerunt. Verũ ut nihil aliud accidat,fit interdum,ut illi mensa(quod aiunt)rupta fugiãt,tibiq; sors unà cũ lucro pereat. Expedi omnes cautiones tuas, nusq; tutò recõdis quod cõgeris, nisi recondas in cœlo. Qui in præsentẽ pauperũ egestatẽ dispẽsat quod possidet,tuto deponit, & scit cui thesaurizet,Deposuit in sinũ Christi,qui depositũ seruabit in uitã æternã. Vile est quod deponitur,inæstimabile quod reponitur. Quid thesaurum fodis in terrã auare? Quantũuis profunde infoderis,& eò penetrãt fures ac prædones. Frequẽter et hodie qui fodiũt in agris,aut fundamẽta parant structuræ, thesauros nõ quæsitos reperiũt. Qui deposuerant,hoc agebant,ut essent in tuto,eosq; in aliquod egregium negocium seruarant, ad structurã palatij,ad magnifice elocandam filiã,ad emendam splendidã aliquam dignitatẽ,& ecce thesaurus ad eos deuenit ad quos minime uolebat qui defoderat. Per thesauri uocabulũ non solum designatur aurũ,gemmæ & huius generis alia,uerũetiam quicquid homini magnopere charũ est,& unde sibi promittit in hac uita uel felicitatẽ uel solatium. Quid non tum faciũt tum patiuntur quidã,ut absoluant cyclopædiã,addunt linguam linguæ,disciplinã disciplinæ,semper aliquid adijciũt thesauro. At frequẽter inopinata mors conatus illos omneis interrũpit. Ibi semel periere tot annorũ uigiliæ. Idem usu uenit ijs, qui ambiunt dignitates. Fit enim non raro ut frustrentur eo quod immensis laboribus & impendijs expetunt. Fit rursus,ut unde sperabant tranquillã uitã,inde ueniat exitiũ: unde uoluptatem,inde capiant extremos dolores. At qui prudenter parant thesauros,ea cõgerunt,in quæ nullum ius habet fortuna,atq; ibi reponunt,ubi nec fur effodit,nec tinea corrumpit. Vidit hæc esse plena uanitatis quisquis factus est Idythum. Videt homines ob res inanes frustra tumultuari, & in his quærere solatium. Vulpes enim foueas habent, & uolucres cœli nidos. Sed quid interim Idythum qui & huius mundi malis affligitur, nec ullum inuenit doloris leuamen? Circunspicit omnes res mortalium, nihil conspicit in quo ualeat mens conquiescere,nec licet spõtanea morte finem molestijs quærere. Quò seuertat in medio pendens,cui iam sordet quicquid habet hæc uita, & ad illam nondum datur euolare? Quo solatio interim fulciet afflictum ac penè delassatum animũ? Auertit oculos ab ijs quæ uidentur ad ea quæ nõ uidentur,sed sperantur,à præsentibus ad futura. Maximum autem in malis solatiũ est,spes nihil hæsitãs. Et nunc quæ est,inquit, expectatio mea,nónne dominus? Sic Hieremias in medijs malorũ procellis, Pars mea dominus, dixit: Thren.3

dixit anima mea, propterea expectabo eum. Ac mox, Bonum est cum silentio expectare salutare domini. Item psal. 39. Beatus homo qui sperat in domino, & non respexit in uanitates & insanias falsas. Nec tamen ille beatus nō est qui post uanitates figit spem in domino. Minimum interest, inter spem & expectationem, nisi quod spes potest esse qualiscunq; uehemens, mediocris & languida. Rursus sperātur, & quæ procul absunt: Sed expectatio uehemens est ac rei iam è propinquo apparentis. Vox enim inde Latinis dicta est, quod qui magno rei cuiuspiā desiderio tenentur, solent subinde prospicere si iam appareat. Quam emphasim habet & Græca uox λαραδοκία, licet ea Græcus interpres non sit usus hoc loco, sed posuerit ὑπομονὴν, quod sustinentiam sonat: quo uerbo usus est beatus Lucas 21. In patientia uestra possidebitis animas uestras, ἐν τῇ ὑπομονῇ. Item Paulus Rom. 2. Secundum patientiā boni operis, καθ' ὑπομονὴν. ea uox pulchre competit in eum, qui in rebus molestis perdurat expectatione præmij, ac spe fulcitur ne pressus sarcina malorū succumbat. Sed qui cōmodis huius uitæ innituntur, innituntur arundini, quæ fracta non solum non sustinet innitentem, sed sæpe etiam perforat manum. Maledictus qui confidit in homine, sed æque maledictus qui spem suam figit in rebus huius seculi. Varius est hominum error, simplex autem est pietatis propositum. Hic plurimæ rerum species, sed omnia plena uanitatis. A multis igitur ad unum confugiendum. Et nunc quæ est expectatio mea? Quod in tantis malis solatium? Vnicum est, sed cæteris omnibus in unum cōflatis efficacius. Quod? Quod nisi dominus? Quis dominus? Ille qui clamat in Euāgelio, uenite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hoc margaritum bene emitur iactura rerum omnium. Et coniunctio seruit affectui. Nec ociose additum est aduerbium, nunc. uim habet colligendi. posteaq; omnia uiluerunt quæ mundus ostentat, posteaq; nulla datur hic à malis requies, quid supereſt, nisi ut in domino figam spē? Nam fides & spes cessabunt, quum retecta facie gloriam domini contemplabimur. Nunc interim dum hic uersamur in ænigmate, nec aliud uidemus quàm in speculo utcunq; redditas imagines, nostra felicitas nō in re est, sed in spe. Sed spes hominum plerunq; fallit. At hæc spes quæ figitur in domino, non confundit nec pudefacit unquam, quia nunquam fallit. Audis hominis Christiani professionem. Qui alibi fixit spem quàm in domino, nomine Christianus est uerius q̄ re. Iam ipsa percōtatio habet epitasin fiduciæ. Quum omnia sint inania, quæ mundus hic habet, quid supereſt nisi ut me totum cōijciam in dominum, qui solus diuitem, solus honoratum, solus potentem, solus sapientem, solus felicem potest reddere. Sat diu uixit, qui se illi reconciliauit. Beatus qui mundo mortuus, uiuit domino, sed & beati qui in domino moriuntur. Siue enim uiuimus siue morimur, domini sumus. Et qui sunt illius, in tuto sunt, perire non possunt etiam si fractus illabatur orbis. Itaq; totus ad dominū spectans illum alloquitur, & substantia mea apud te est.] In harena ædificāt qui fluxis rebus innituntur, in quibus nihil est solidi: sed substantia mea apud te est. si quid in me boni est, abs te est à quo proficiscitur omne bonum: & apud te est apud quem reposita sunt pijs benefactorum præmia. Id demum in tuto est, quod apud dominum est. Qui sua merita iactant, nō habent suam substantiam apud dominum, sed apud se, & ideo perdunt quod habere uidentur. Quin & quæ per se uana sunt, si deposueris apud dominum, fiunt solida. Si obtigit claritas generis, si opes, si uxor ex animi sententia, si liberi, si ingenium, si robur aut salubritas corporis, uanitas est nisi apud illum deposueris, cuius munificentia cōtigit. Idem sentiendum de benefactis hominum omnibus. Si apud te seruaueris, corrumpentur arrogantiæ tinea, deprędabitur ea diabolus. Quidam admonet apud Hebræos hic aliam esse uocem pro substantia quàm paulo ante, licet utrobiq; Septuaginta uerterint ὑπόστασις. Verum qui hoc admonuit, non addidit rationem discriminis. Latini substantiam appellant facultates, Græci οὐσίαν, quo uerbo usus est Lucas cap. 15. referens domini parabolam de filio prodigo, qui dissipauit partem substantiæ à patre traditæ. Fortasse tale quiddam exprimit hic Hebræa uox. Audite qui magna solicitudine torquemini, ubi tutò collocetis ea quæ possidetis. Idythum ostēdit locum tutissimū, ostendit custodē fidelissimum. Nemo se deploret pauperē, aut abiectū, aut afflictum qui suā substantiā deposuit apud dominum. Ille nobis est unus omnia, diuitiæ, robur, forma, honos, sapiētia & iustitia, modo totam spem in illo figamus. Beatum dixerūt populum cui hæc sunt, sed Christus uere beatos appellat, quorū merces copiosa est in cœlis. Illic igitur dilectissimi

sit

ſit cor noſtrum, ubi theſaurus noſter eſt, ut & ipſi ſimus aliquid in eo qui ſolus uere eſt, quũ in nobis ipſis ſimus nihil, & in illo ſimus diuites, qui in nobis ſunt egeni. Qui filium unicum ſuum dedit nobis, utiq; ſimul cum illo donabit nobis omnia. Videte quãtum bonum operantur in nobis undiq; circumuallantes hominem afflictionum procellæ. Dum pungunt omni ex parte, dum non ſinunt uſquam animum requieſcere, huc compellunt, ut tum ſibi tum rebus omnibus externis diffiſus, fiduciam omnem collocet in domino, domũ ædificans non in harena, ſed in ſolido lapide, qui eſt Chriſtus Ieſus. In hoc qui conſiſtit, etiam ſi omnis uentorum impetus, omnis undarũ uiolentia inſurgat, nõ poteſt deiici. Si facultates eripiũtur, dicit domino, [Subſtantia mea apud te eſt.] Si ab honoribus deiicitur, ait: honor meus Chriſtus eſt. Si apud homines afficitur ignominia, propter iuſticiam, gaudet, quod nomen habeat ſcriptum in cœlis. Si quis mortem intentat, æquo animo dicit, Etiam ſi mille mortibus afficiar, & ſi præcipiter in gehennã, tamẽ ſubſtantia mea apud te eſt, qui tuis pollicitus es capillum capitis non periturũ ab ipſis. Vide quantos ſaltus dederit qui ad hunc uſq; montem tranſilierit, è quo res conditas uniuerſas deſpicit, totiusq; felicitatis ſpem in uno deo fixerit. Iam ne igitur quietus eſt, nec eſt quod moleſte ferat? Grauatur adhuc corpore mortali, oneratur peccatis, quo minus liceat ſubuolare ad perfectam illam requiẽ, quam oculis fidei proſpicit modo: intelligit afflictiones externas ob ſcelera immitti hominibus, ac uelut ab amico medico pro pharmacis adhiberi: intelligit, quicquid per improbos homines in nos molitur Satanas, propicij patris permiſſu geri, qui nos hic flagellat, ut correctos ac purgatos in æternam domum ſuam recipiat. Clamat igitur Idythum noſter: [Ab omnibus iniquitatibus meis erue me. Opprobrium inſipienti dediſti me.] Nõ clamat, eripe me domine ab homine malo, ſed ab omnibus iniquitatibus meis. Horret omne peccatum, tanquam ſeparans à deo. Nam ſunt qui quędam uitia ſua deteſtantur, ſed ijdem aliquibus blandiũtur, quum ſint omnium grauiſsima. Oderunt libidinem aut ebrietatem: auaritiæ, ſuperbiæ, inuidiæ blandiuntur, illam appellantes prouidentiam, hanc conſtantiam, tertiam iuſticiam, atq; item de cæteris. Qui ex animo diligit illud ſummum bonum, ac precioſum ex Euangelio margaritum, is odit omnia, quæ quocunq; modo ab illo ſeparant. Non iam orat ut liberetur ab afflictionibus, quæ ſi ob commiſſa infliguntur, medicina eſt: ſin ob probationem, corona: ſed ab omnibus iniquitatibus optat fieri liber. Iam enim magna ex parte purgatus erat. Fontem malorum attigit, nam à peccato ſcatent omnia huius uitæ mala. Ergo ſi commeruiſti quod pateris, patienter tolera Chriſti pharmacum ſpe ſanitatis: ſi non commeruiſti, patienter expecta coronam. Quis autem non commeruit? Dolet amiſſio facultatum, ſed medicina eſt auaritię. Moleſta eſt orbitas, liberos antepoſuiſti deo. Cruciat erepta placens uxor, intemperantius illam amaſti. Diſcruciat morbus corporis, ſed immodice delectarunt carnis uoluptates. Grauis eſt infamia, nimium dulcis fuit humana gloria. [Opprobrium inſipienti dediſti me.] Quorundam uitia latent ſub umbra ſanctimoniæ, periculoſius autẽ eſt apoſtema quod non erũpit. Sic latebat peccatũ Dauid, ſed dominus cupiẽs illi mederi, in apertum protulit, ut per confeſsionẽ tolleretur. Ecce clamat Idythum, [ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.] Dauid admonitus dicit, peccaui domino, & tu dicis: Vnde hæc calamitas immerenti? Quod Nathan propheta fuit Dauid, hoc nobis frequẽter eſt afflictio. Per hãc igitur quoties admonemur, dicamus cum Dauid, peccaui domino. Et ſi proſcinderis improborum maledictis, dic cum eodem: dominus præcepit illis ut maledicãt mihi. Illi quidem petulantiæ morbo faciunt, ſed horum morbo dominus abutitur ad correctionem famuli ſui. Felix augurium eſt, quod te perire non uult. [Opprobrium inſipienti dediſti me. Quem ante uocauit peccatorem, hic appellat inſipiẽtem, de quo pſalmus alius, Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt deus. Non eſt piorum, peccatorem reſipiſcentem probris afficere, ſed miſereri potius ac ſubleuare. At phariſaicũ eſt dicere, ſicut hic publicanus. Nulli enim petulantius alienos errores inſectantur, quàm qui ipſi grauioribus madent uicijs. Talis erat Semei, ſuperbi Saulis cognatus, & odij in Dauidem hæres. Exulabat Dauid, ibat lachrymans, nudis pedibus, operto capite, expulſus regno, expoſitus morti. Huic ſic abiecto quàm ferociter inſultat Semei uere inſipiens. Grauis erat in tantis calamitatibus petulantiſsimi hominis inſultatio, terram inſuper & lapides è ſublimi iacientis: ſed felix erat inſultatio, quæ Dauidi cõciliauit domini miſericordiã. Eoq; patiẽter tulit, quod ſciret

à miſe-

à misericordia domini immitti. Sed quid? Tantam afflictionem sequuta est læta victoria, reddita est regni dignitas. Sic & dominus noster uerus Dauid, datus est in opprobrium insipienti, quum audit, Samaritanus es, & dæmonium habes, quum audit per ludibrium, aue rex Iudæorum, quum audit, uah qui destruit templum dei, descendat nunc de cruce &c. Cæca impietas insultat ueluti iam extinctis & conclamatis quos castigat manus domini, & perniciē esse putat quæ est curatio. Atq; haud scio an quicq; animis generosis sit molestius hac insultatione, præsertim quum non unus Semei, sed undiquaq; furentium uoces obstrepunt auribus, undiq; sex linguarū milibus impetitur fama, tam ficti prauiq; tenax q̄ nuncia ueri. Nec tamen inter hæc despondet animum, cui substantia est apud dominum, intelligens quod à domino datus sit in opprobrium insipienti. Opprobrium, inquit, insipienti dedisti me. Hæc non est uox conquerentis, sed agnoscentis medici curam. Alioqui si murmurans hæc diceret, respondere poterat dominus, imò tu teipsum dedisti opprobriū insipienti, qui te peccato inquinaris & probro digna commiseris. Nisi tu morbum collegisses intemperantia, non opus erat curatione. Insipientium opprobrijs obiecte, quia tu teipsum reddideras insipientium maledictis ac probris obnoxium. Quid enim dementius q̄ creaturam anteferre creatori, procq; momētaneis ac mox euanituris bonis, amittere æterna? Quid probrosius q̄ deserto Christo seruire seruitutem Satanæ? Et quoniam noluisti apud deū erubescere de peccatis tuis, effeci ut uelis nolis erubescas coram hominib. quo uel sic resipiscas à malis tuis. Non erubuisti peccare, & pudet emendari? Et quoniam à sapientibus amice monitus, noluisti relinquere peccatum, curaui ut insipientium hostilis exprobratio extimulet te ad pœnitētiam. Hæc audire merentur, quicunq; in rebus aduersis obmurmurant deo. Id quidem impiorum est. Quid iustus? Dat deo gloriam, agnoscens sua commissa, deiq; iusticiam prædicans, ad eiusdem confugit misericordiam. Sunt qui ἄφρονι interpretantur Satanam omnium insipiētium dominum. Is enim primus reliquit eum à quo conditus erat, & recessit à deo salutari suo. Idem ad ruinam impulit humanum genus, nec unquam desinit per organa sua pijs negocium facessere. Et hactenus quidem Satanam agit, uerum dum eosdem quos in scelus impulit, sceleris infamia
Apoem2 denobilitat, diabolum agit, hoc est infamatorem, traductorem, & calumniatorem. Hic est enim ille fratrum accusator, qui accusat illos in cōspectu dei nostri die ac nocte. Si quem pertraxerit ad ruinam, insolenter exultat, decq; uicto triumphum agit. Sed hunc calumniatorem non timēt pij, scientes se habere bonum aduocatum apud patrem: & cum Paulo dicunt, si Christus pro nobis, quis contra nos? Quis accusationem instituet aduersus electos dei? Hic est ille insipiēs qui per seipsum calumniatus est Iob apud deū. Hic idem qui per uxorem maledicam & impiam insultauit afflicto, sed non uicto. Hic itidem per mulierem exprobrauit Thobiæ. Hic qui per Semei insultauit Dauid, per Micol uxorem irrisit, per Pharisæos & scribas Christo cōuiciatus est. Hic qui quotidie per maledicos homines insultat pijs, siue quum resipiscunt ab erroribus ad pœnitentiam, siue quum spreto mundo, hærēt iusticiæ. Nam utrunq; uidetur insaniæ genus ijs quibus non sapiunt ea quę sunt dei. Illis sapere uidētur qui supplices sunt homini regi, ut cum eo redeant in gratiam: & insanire uidentur qui se submittunt deo, ut illum pro irato habeant propitium. Beatus Hieronymus legit, opprobrium stulto ne des me. Idq́ue congruit cum eo quod habet psalmus superior, ne quando supergaudeant mihi inimici mei. Iam non ego tantum admonui prophetici sermonis esse morem, ut pro futuro ponat præteritum, & contrà. Iustus patienter fert, si hic pudefiat per improbos, modo ne in extremo iudicio pudefiat: nam illic aderit Satanas, cuiq; sua exprobrans flagitia, quæ hic per pœnitentiā deleta non sunt. Tunc enim beati futuri sunt, quorū tecta erunt peccata, ut traductor ille non habeat quod exprobret. Id ne fiat, orat iustus, ut ab omnibus, iniquitatibus seu transgressionibus hic liberetur. Qui hic cœlāt sua cōmissa coram deo & huius uicario sacerdote, illic erubescent coram Angelis dei, prolatis in lucem omnibus turpitudinum scenis. Rursus qui hic produnt sua scelera apud deū & dei uicarios, illic erunt tecta improbo exprobratori. Nec absurdus fuerit sensus, si quis accipiat hoc dictum de genio cuiusq; malo. Is enim exultat quoties homo prolabitur in peccatū, & dum conspicit illum à deo tradi in uarias calamitates, sperat esse desertum, ac magnitudine afflictionum deuenturum ad desperationem ac blasphemiam. Orat igitur iustus ne in hoc probrū incidat, neúe exultandi et insultandi materiam

materiam præbeat hosti. Id enim grauius est homini q̃ ipsa calamitas. Potest insipiens intelligi Iudæus, aut ethnicus, qui diuinę dispensationis ignari, si quando conspiciunt Christianos turpiter uiuere, blandiuntur impietati suæ, & dicunt: isti sunt qui nos pro impijs abominantur, ipsi nobis sceleratius uiuẽtes: rursum si quando uident Christianos atrocissimis calamitatibus atteri, insultant, Bene, inquiunt, tractantur à deo suo, habent culturæ præmium: Ea contumelia quoniam in deum recidit, orat iustus, ut sublatis aut mitigatis malis, insipienti subtrahatur exprobrãdi materia. Hoc mea quidem sententia orauit Paulus ter deprecans dominum ut discederet spiritus Satanæ: uerebatur enim ne nonnullos deterreret alienarétue ab Euangelio apostolus tot malis exercitus, toties cæsus, toties lapidatus, toties pulsus, toties naufragus, postremo eò redactus inopię, ut consuendis pellibus sibi pararet uictum. Sed interim dum per maledicos homines undique insultat Satanas, dum pro saxis ac puluere, omni probrorum genere lacessit, quid facit Idythum? Deo loquitur quem scit misericordem, homini tacet, sciens quis per illum loquatur, & cuius permissu loquatur. Deo confitetur quem nouit exorabilem & facilem ad ignoscendum, nec exprobrat quæ semel ignouit: insipienti mutus est, ne fiat illius similis, ac bis uictus discedat, si semel prostratus in lucta tentationis & in peccatum prolapsus, nunc turpius dejiciatur, conuicia conuicijs regerens, & uel per proteruiam mala sua defendat, uel per hypocrisim et arrogantiam bona sua iactitet. Etenim qui in tentationibus obmurmurat, deo obmurmurat non homini: & qui maledicũ uincit conuicijs, uincitur ab eo qui oppugnat per maledicum. Illum uiceris, si teipsum uiceris. Patientia uinces, obluctando uincẽris. Dicit igitur. [Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.] Pertinax silẽtium indicat idem sensus repetitus. Obmutescere, plus est quàm obticescere: & nõ aperire os, plus est quàm obmutuisse. Fit enim sæpenumero ut conuicium natet in lingua, licet non erumpat, interdum gemitu aut interiectione proditur iritatus animus, At Idythum adeo non reponit maledicta, ut nec labra diducat ad loquendum: non quod id promereatur conuiciator, sed quoniam iustus intelligit hanc esse manum domini flagellantis, non ut perdat, sed ut emendet. Silentio igitur agnoscit & suum uicium, & domini iudicium. Quum enim à domino iudicamur ab eo corripimur, ut ne cum hoc mundo damnemur. Si patienter fert homo ferrum medici secantis, aut urentis, ut tollatur uicium corporis, qua fronte recusat ferre dei manum animi salutem procurantis? Ideo, inquit, obmutui, quoniam tu fecisti. Tuo permissu mihi percellit os conuiciator, quemadmodum Satan tuo permissu uexauit beatum Iob. Agnosce quid lateat in organo. Exemplum nobis exhibent taurorum certamina. Taurus ad primum aspectum sese mouentis machinæ, oris rictu, aut cornuta fronte minitantis, metu resilit: sed mox deprehendit homines esse, qui latentes intus, machinam mouent. Eos igitur conatur impetere, machinæ latera cõcutiens. Sentit hoc brutum animal, & homo non sentit hominem maledicum esse Satanæ machinam, atq; organum. Illi indignare, non homini. In illum molire uindictam. Nulla autem uindicta tibi speciosior, illi grauior, quàm si confitens culpam tuam patienter feras manum domini. Ad tempus molestum esse potest, quod facit dominus, sed pernicioſum esse non potest. Cruciat flagellum, sed expecta sanitatem. Diuus Augustinus hic legit, quoniam tu fecisti me, sed deceptus mendo codicis. Quanquam & illa lectio pium habet sensum. Absurdum enim sit, si creatura reluctetur creatori suo, hoc est, calces iactet aduersus stimulum. Quicquid igitur calamitatis obtigerit homini, tutius erit, si tacitus apud se dicat illud Dauidis & Heli: dominus est, conditor est, redemptor est, faciat de me quicquid bonum est in oculis ipsius. Dicit illi, tu autor es huius tentationis, sed rationem habere dignaberis lutei plasmatis, proq; tua misericordia facies cum tentatione prouentum, ut possim sustinere. Ergo posteaq; tua manus hæc uulnera pro peccatis meis merito infligit, eam pro tua misericordia digneris amouere, ne inter flagella tua deficiã. Vna manus famulo uulnus opemq; ferat. Quoniam tu fecisti, hæc particula potest utrolibet referri. Solus amouere potes, quia solus potes infligere. Aut ideo obmutui in tentatione, quoniam sciebam hæc per te infligi, cui nemo potest dicere, quare sic facis. Duo sunt qui uulnerant, deus & Satanas, & tamen soli deo dicitur, Quoniam tu fecisti: soli dicitur, amoue à me plagas tuas. Ita Iob afflixit Satanas, & tamen ille deo loquitur. Auferà me uirgã tuam, & pauor eius non me terreat. & rursum. Manum tuã longe fac à me, & formido tua non me terreat. Iterum. Iob 9

Quia sagittæ tuæ in me. Vterq; flagellat, sed alter ut iudex, alter ut supplicij minister. Alter ut emendet aut coronet, alter ut perdat. Ea propter deo aguntur gratiæ, Satanas execrabilis est. Sic reus, quū iudicis sentētia plectitur, nec indignatur, nec supplicat carnifici: sed iudicem rogat ut mitiget pœnam, penes quem est autoritas. Carnifex agit ex præscripto, nec ius habet uel augendi uel minuendi cruciatum. Eoq; qui spem suam fixerunt in Christo, non terrentur sæuicia Satanæ, cui quanquam adest perpetua uoluntas perdendi hominem, tamen ne pilum quidem eius lædere potest, ultra permissum dei. Annotādum & illud quod plagas deo tribuit, dicens amoue à me plagas tuas. At quum de peccatis loquitur: ab omnibus, inquit, iniquitatibus meis erue me. Mortiferæ plagæ sunt quas homo infligit sibi, sed medicæ plagæ sunt quas deus infligit homini, Grauis est medicina, sed efficax. Hac perturbata humana infirmitas, clamat inter cruciatus, Quoniā tu fecisti, amoue à me plagas tuas. Rectissimus ordo seruatus est. prius clamat, ab omnibus iniquitatibus meis erue me, post amoue à me plagas tuas. Præpostere facit hominum uulgus. Omnes clamant à pestilentia, à fame, à bello, à diluuio, à fulmine, libera nos domine, prius clamandum erat, à luxu, à libidine, ab ambitione, ab ira & odio, à uicijs omnibus libera nos domine. Siquidē hæc mala quæ sibimetipsis accersunt homines, sunt radices malorū quæ immittit deus. Alioqui qui perseuerant in peccatis, & postulāt ab externis malis liberari, quid aliud orant, cū ut deus sinat ipsos diu ac tranquille frui uicijs suis? Cupis à corpore depelli pestilentiam, quum uolens tot pestes multo capitaliores foueas animo? Deprecaris famem, quum ipse monopolijs, fraudibus ac furtis non desinas proximum ad famem adigere. Oras benigniorem annonæ prouentum, quum ea si quando obtigit te nihilo faciat in fratrem egenum benigniorem, sed auidiorem potius. Non uis bello minui rem tuam, quum ipse quotidie facias proximo, quod hostis facit hosti? Metuis diluuium quod lædit agros, quin potius horres diluuium quod inundatione uiciorum corrūpit animos? Horres fulmen quod uibratur è nubibus in corpora, quin potius illud fulmen horres quod corpus pariter & animam præcipitat in gehennam? utrunq; postulandum est à domino, qui ut solus condonat peccata, ita solus quum uult liberat ab externis afflictionibus. Sed prius cura ut amoueas quod tu fecisti, mox ora dominū ut auferat aut mitiget
Cap.5 quod ipse fecit. Tecum reputa quod dixit beatissimus Iob. Beatus homo qui corrípitur à domino. Increpationē ergo domini ne reprobes, quia ipse uulnerat & medetur, percutit
Cap.54 & manus eius sanabūt. Hic enim est qui loquitur per Esaiā, Ego dominus & non alter, formans lucē, & creans tenebras, faciens pacē & creans malum. Ego domius faciens hæc omnia. Similiter apud Ezechielē: et scietis quod ego sum dominus percutiēs. Agnosce percussorem, ut scias unde petenda sit medela, & reuertaris ad dominum: quia iuxta uocem
Oseæ 6 Oseæ: ipse cœpit, & saluos faciet nos, percutiet & curabit nos, uiuificabit post duos dies. Non solum igitur curat uulneratos, sed & ociosos reuocat in uitam. & quemadmodum habet Annæ cāticum: dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Chirurgi à quibusdam uulneribus abstinent manum, quod negant esse sanabilia. Quid autem periculi est illo percutiente, qui potest & mortuum excitare? [Iam enim à fortitudine, siue à uirga manus tuæ ego defeci.] Qui secantur à chirurgo, formidāt ferrum, ne profundius quàm expedit infigatur. Quid igitur mirum, si homo tam imbecillis horret manum illam omnipotentem secantis dei? Sed quomodo defecit, qui paulo ante dixit, Et nunc quæ est expectatio mea, nónne dominus, & substantia mea apud te est? An subito ex tanta spe relapsus est in desperationem? Absit. Caro est hic quæ loquitur, quæ infirma est, non spiritus qui promptus est. Defecisse se dicit qui iam ne deficeret periclitatur, & iam quod in ipso erat defecerat. Et quid mirum si sic in tentatione loquitur homo non omnino liber à peccatis, quum ipse dominus ante mortem præ tędio & horrore supplicij impendentis, sudarit sanguinē, & in cruce sic orauerit: Deus meus, deus meus, quare desereuisti me? Patitur suos interdū dominus aliquousq; deficere ut agnoscant imbecillitatem suam, & abijciant confidentiam suam, Sic defecit Petrus ter abnegans dominū. Cecidit, ut fortior atq; etiam cautior resurgeret. Non est ualida manus tyrannorum, quæ corpus tantum potest occidere. Robusta manus est, quæ sic percutit quū uult, ut corpus simul & animam præcipitet in gehennam. Nec est qui de manu illius possit eripere. Quis sibi male conscius, manum illam ad plagam extentam non horreat, non præ horrore deficiat?

Imo

Imò quis tam purus est à crimine, ut dei iudiciũ sustinere possit? Sensit huius manus uim Paulus, cum ter dominum rogaret, ut amoueret Satanæ flagellum. Clamat qui secatur, Omitte, satis est, ferre nõ possum: at medicus nihilo secius suum peragit officium, Nouit eas uoces humanæ imbecillitatis esse, quum ratio desideret sanitatẽ. Audit patiẽter, quod loquitur: sed facit quod cupit spiritus. Bene deficit à fortitudine manus diuinæ, qui suis diffisus uiribus, totum se submittit uoluntati dei, agnoscens culpã, deprecans rigorem iudicij, implorans misericordiam. Horrescit caro, sed non in totum desperat spiritus, sciens qualis sit artifex qui secat aut urit. Interdum atrocia infligit uulnera, sed non errat illa manus. Certa est, si grauius uulnerat, addit plus gratiæ, & habet parata remedia, Non deficit à fortitudine manus dei qui calamitatem studet humanis uiribus consiliisue depellere, qui culpam uel negat uel extenuat. Sed hic iustus sciens calamitatem licet per homines inferatur, tamen à deo proficisci, abijcit uirium ac meritorum suorum fiduciam, seque tũ permittit dextræ excelsi, in cuius cõspectu nemo iustus uideri potest: præsertim quum haud ignoret deum in hoc infligere plagas, non ut enecet, sed ut sanet, eoq; subdit: In increpationibus propter iniquitatẽ corripuisti hominẽ.] In increpationibus iuxta Hebraicum idioma dictum est, pro eo quod erat, per increpationes. Agnoscit dei iusticiam, qui iuste punit hominem: sed simul agnoscit clementiam, quod puniat in hac uita malis temporarijs, ne puniat inæternum gehennæ supplicijs. Dolet medicina, sed nouit morbum esse grauiorem. Defecit ab impetu manus dei, quum sua merita cum iusticia dei comparat: sed recreatur, dum cogitat quanta sit misericordia, pro gehenna quæ debebatur factis ipsius, leuibus hic ac mox transituris afflictionibus esse contentũ. Eoq; nõ dixit ἐκόλασας, sed ἐπαίδευσας, hoc est, erudiendi gratia castigasti. Et quoniam in rebus secundis oblitus tui, defluxit in delicijs, & incrassatus recalcitrauit, sibiq; uisus est esse aliquid. [Ideo tabescere fecit sicut araneã siue tineam animam eius.] Merito sic contabescit ad pœnitentiam qui male floruit in uoluptatibus. Leo fuit cum potentia diuitijsq; ferox opprimeret inopem, equus erat libidini, & adulterio seruiens, & adhinniens omni fœminæ. Sus erat luxu, quum uelut ex adipe prodiret illius iniquitas. Pauus erat, inani gloria turgens, sibiq; magnum quiddam esse uisus, quum reuera nihil esset. Verum simul atq; tetigit illum robusta domini manus, è leone, equo, sue aut pauone fit araneus aut tinea. Nam utrunq; legunt hoc loco. Nihil aranea siccius, nihil imbecillius, nihil tabidius magisq; tabificũ. Texit operosas telas, sed fragiles. Venatur, sed muscas easq; minores. Nihil tinea abiectius, in situ suo contabescit, ac tabefacit quæ attingit. Ferunt qui rerum naturas prodiderunt, eos qui ueneno aranei contacti sunt paulatim lento quodam torpore contabescere. Neq; enim eodem modo lædunt omnia uenena. poetæ qui singulis rebus norunt epitheta accommoda tribuere, araneam appellant aridam. Arida cum tota descendat aranea tela. Habet & ipsa tela siccãdi uim, eoq; uulneribus admouetur sistendi sanguinis causa. Iidem animantis naturæ affixere fabulam. Aiunt fuisse puellam texendi peritissimam, sed adeo fidentem arti suę, ut ipsam etiam Palladẽ præ se contẽneret. Nam apud poetas, etiam deæ textrices sunt. Ventum est in certamen, at Pallas non ferens puellæ arrogantiam, rupit opus, radioq; percussit Arachnen, nam id fœminæ nomẽ. Illa se laqueo suspendit. At Pallas pendentem succo hecateidis herbæ perfudit. hanc eandem putant cum aconito, quod ita temperatur, ut longo tempore paulatim tabefaciat hominem, uix post duos annos interimat, sed hoc miseriorem quo uiuit diutius. Ita uixit Arachne sed suo malo, uersa in araneam, minimo capite, turgido uentre, leuissimis pedibus, adeo imbecillem, ut si digito impositio leuiter contingas, protinus ruina sit, quemadmodum memorat beatus Augustinus. Postea q; homo persuasu Satanæ cœpit affectare æqualitatem cum deo, in hanc miseriam cõiectus est, ut ob res nihili iugibus curis semetipsum discruciet. Hinc est quod uulgus hominũ confidit in rebus nihili, loquitur uanitates ac telas aranearum texit, & sicut tela aranearũ fiducia eius. Aranea fila producit è suo uentre. Quicquid homo molitur suis uiribus, nihil aliud est q; aranearum tela, utcunq; magnum quiddã esse uideatur, sed his qui ipsi nihil aliud sunt quàm aranei. Hic ædificat regia palatia, ille regna regnis connectit, alius uenatur uxorem cum amplissima dote, alius mitram mitra cumulat, alius ad triplicem coronam eluctatur. At hæc stupet hominum multitudo, sed reuera, nihil aliud hæc sunt omnia quàm araneorũ telę. Leuis uentus à deo ueniens dissipat omnia.

Esaiæ 59
Iob 8

omnia. Vbi sunt nunc Memphiticæ pyramides, ubi fornices & arcus triumphales? Vbi colossi. Vbi reliqua monumẽta quibus reges æternitatẽ magnis studijs & impendijs mo
Esaiæ 56 liebantur? Quid aliud texuerunt q̃ telas aranearum? & opera eorum non profuerunt eis.
Esaiæ 59 & opera eorum inutilia. Nihil solidum, nisi quod in nobis extruit spiritus Christi. Nihil autem uetat, quo minus hic locus accõmodetur ad peculiaria cuiusq; cõmissa, in quibus sine fine contabescit homo, nisi per dei misericordiam, in nouam transformetur creaturã. hoc est, ex elephanto uertatur in araneum, ex araneo in aquilam, renouata iuuentute ad æterna subuolantẽ. Hęc est illa diuina metamorphosis, nouã meditans creaturam in Christo, ac ueterẽ Adam transfigurans in nouum. Sic natura dũ ex uili eruca refingit picturatum papilionem, tabefacit ac propemodum occidit uetus animal, ut euolet nouum ac succulentum uolucre. Sed eiusdem est refingere ac fingere. Solus potest hominem transformare, qui formauit illum. Formatus est è limo ne efferretur in superbiam, memor originis suæ, mox auditurus quid superbis terra & cinis. Sed homo ad hæc surdus intumuit lutum contra figulum suum, limus aduersus conditorem suum: periit prima conditio, rursus opus est manu domini, quæ restituat quod collapsum est. Iuxta naturæ rationẽ nihil noui gignitur ex aliquo, nisi prius corrumpatur quod erat. Quicquid autẽ corrumpitur à cõtrario corrumpitur. Proinde dolore quum extenuatur anima, fit araneus & ex araneo uertitur in agnum immaculatum, ex agno in aquilam. Pro eo quod nos legimus, animam eius, quidam uerterunt, precio sum eius, siue desiderabile eius. Sic & Romani sermonis consuetudo, quod cuiq; insigniter charum est, animum illius uocat. Meus fac sis animus, quando ego sum tuus, ait amans in comœdia. Nihil autem homini charius anima, hoc est uita, quæ si periclitetur, nemo dubitat omnium rerum iactura illam redimere. Vitam itaq; qua nihil habuit dulcius homo, quum in delicijs agenti amara esset mortis memoria, domini manus adeo reddit amaram, ut prę dolorum magnitudine, mortem optare incipiat, nimirum spoliatus his quæ habebat in delicijs, & excussus ab his in quibus acquiescebat. Opulentia uertitur in egestatem, autoritas in cõtemptum, gratia in odium, gloria in ignominiã, uoluptas in cruciatũ, forma in deformitatẽ, salubritas in miserã ualetudinẽ, animi tranquillitas in anxietatem. Quo uehemẽtius illa delectabãt, hoc acrius discruciant in diuersum uersa. Aegre enim ponitur quod magnopere fuit charum. Omnibus igitur spoliatus homo, quibus sibi beatus uidebatur, contrahitur, exarescit, contabescit, considerans se delusum falsa rerum imagine, à ueris bonis excidisse: atque interim nec illis frui licet, nec hæc assequi. Quod dulce fuit ademptum est & euanuit, quoniam erat inane: quod præteritum est, in edito situm est: in medio contabescit homo totusq; colliquescit,
2. Cor. 7 ac plane perit, nisi domini succurrat misericordia. Nam tristitia seculi mortẽ operatur, at qui patienter ferunt manum domini, & secundum deum cõtristantur, hi contristantur ad salutem. Affligitur & exarescit caro ad tempus, ut spiritus saluus fiat in die domini, qui dies non habet uesperam. Medicorum ars prius exhaurit & inanit corpus ægroti, ut purgatum nouo succo uegetet. Interim quidam artis imperiti clamant, quid facis medice, occidis hominẽ. Quid huic respõdeat medicus peritus ac fidelis? Sinite macrescat nũc, ut alias quanto post pinguescat felicius. Malis humoribus turgenti non potuit prodesse mea ars. Quod nunc ferre molestum est, paulo post iuuabit pertulisse. Qui secundum hominem contabescunt, alij uertuntur in phrenesim, alij confugiunt ad laqueum, aut uenenum, bis periturí. At qui agnoscunt manum domini, patienter exarescunt lacrymis, ieiunijs, uigilijs, metu gehennæ, quia sperant successuram sanitatem, & quicquid amissum est, multo cum fœnore rediturum. Beato Iob nihil reliquum fecerat Satanas, sed dominus illi restituit omnia duplicata. Et si non restituat quæ detracta sunt, sola conscientiæ tranquillitas & gaudiũ spiritus potius est uniuersis huius mundi bonis, dulcius uniuersi seculi delicijs. Tota itaq; fiducia sese committat homo manui dei castigantis, pater est, nõ infligit plagas ultra quàm expedit. Sapiens & omnipotens medicus est, non uulnerabit ad mortem: & si profundius impingat ferrum, id facit non ut perimat, sed ut sanet celerius. Et si occidit, occidendo uiuificat. Sic Paulũ deiecit furentẽ, ut exurgeret Paulus prædicator. Prostrauit lupũ, ut existeret agnus. Feliciter moriũtur, qui mortificatis cupiditatibus uiuũt Christo. Dominus beatos dixit, qui hic lugent, quod hos maneat cõsolatio, sed perfecta cõsolatio non contingit in hac uita. Tentatio tentationem, tempestas tempestatem excipit, uelut unda

unda ſuperuenit undã. Non omnes igitur beati, qui lugẽt, quũ hominis conditio lacrymoſa ſit undiq; ac lugubris. Circunſpicite etiam illos qui pro felicibus habentur, nulli deeſt lugendi materia. Cæterum quum lugeant omnes, hi ſoli beati ſunt, qui lugent ad pœnitentiam, qui lugẽt ob iuſtitiã, qui lugent deſiderio rerum cœleſtium. His enim etiã communia conditionis humanæ incommoda, cedunt in lucrum pietatis, Hæc publica mortalium omnium conditio, leuius reddit afflictionis pondus. Si recuſes affligi à corripiente deo, tamen affligeris ut homo. Quod igitur neceſsitatis eſt, fac bene ferendo tibi uertas in uirtutis materiam. Poſteaquam Idythum huc & huc tranſiliẽs ac deſiliens, à ſuis priuatis malis uertit oculos ad communem hominum ſortem, dicit. [Verum uanè perturbatur omnis homo, ſiue uanitas eſt omnis homo] Quiſquis nihil aliud eſt quàm homo miſere tumultuatur, uariis rationibus conatur effugere quicquid moleſtum eſt, nihil non molitur, ut ſibi pariat iucũdam ac tranquillam uitam, oblitus ſeſe hic peregrinari in ualle lacrymarum: ſed fruſtra tumultuatur, hic uitare ſtudens, quod hic uitari non poteſt, hic quærens, quod hic non inuenitur. Vitat moleſtiam, ſine qua nulla eſt uitæ humanæ pars. Captat perfectam tranquillitatem quæ negata eſt homini in hac uita. Cui non inſanus uideatur, qui natans in mari ſtudeat eſſe ſiccus? aut qui piſcetur hamo in aere, aucupetur in mari? Ad hanc ſententiam acclamat Sela id eſt, ſemper, quiſquis eò ſubduxit animum quo ſubſilijt Idythum. Non acclamat Amen, quia uoti res non eſt, ſed ueritatis ineuitabilis. Semper omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quaſi flos fœni: Exareſcit uelit nolit caro, ſed feliciter exareſcit, mox reflorítura per Chriſti ſpiritum. Granum frumẽti non germinat, niſi prius in terra computruerit. Nec mediocrem ad ſalutem gradum attigit, qui huc profecit ut intelligat, ut ſentiat, ut ex animo pronunciet, hominem quantus quantus eſt, nihil aliud eſſe quàm uanitatem, omnem carnem nihil aliud eſſe quàm fœnum, etiam quum floret uiretq; maxime. Hoc quiſquis non ſentit, quoniam non agnoſcit ſuam miſeriam, non inclamat miſericordiam. Vidit hoc Idythum, eoq; clamat: [Exaudi orationem meam domine, & clamorẽ meum exaudi, ad lachrymas meas ne obſurdeſcas.] Ter idem dixiſſe uidetur propheta, precandi uehemẽtiam ſimul & inſtantiam hac repetitione nobis cõmendans. Primum orans audiri cupit. Rurſus clamans exaudiri poſtulat. Exaudimus enim proprie quod è longinquo percutit aures noſtras, Maximũ autẽ interuallũ eſt inter hanc terrã, quam calcamus, & thronum dei. Et tamen illinc exaudit preces humilium dominus ad ſe clamantium. Quanq; hic clamor non eſt uox corporis ſpiritu uehementi producta, ſed igneus affectus animi. Tertio loco meminit lacrymarum. Nam habent & hæ uocem ſuam, etiam in ſilentio linguæ. Alioqui parum appoſite dictum uideri poterat, ne obſurdeſcas ad lacrymas meas. Nam lacrymæ cerni poſſunt oculis, non auribus audiri. Dicere poterat, reſpice ad lacrymas, ſed tropi nouitas admonet nos non abſq; myſterio dictum, ne obſurdeſcas ad lacrymas. Apud homines ſæpenumero qui nullis precibus flecti poſſunt, tacitis lacrymis emolliuntur ad miſericordiam. Adeò res petax eſt lacryma, nec ulla uox efficacior, q; fletus ſingultu uocem intercipiens, ſed refert quẽ appellẽt manantes lacrymæ. Ab hominibus nihil eſt auxilij eoq; beatus Iob dicit: uerboſi amici mei, ad deũ ſtillat oculus meus. Agnoſcit egeſtatem ſuam qui orat, magno deſiderio tenetur qui clamat, ſed uim facit qui lacrymat. Porrò lacrymis & ſuſpirijs ſuam eſſe uocẽ teſtatur Eccleſiaſticus. Nõ deſpiciet, inquit, dominus preces populi, nec uiduã ſi effundat loquelã gemitus. Nónne lachrymæ uiduæ ad maxillam deſcendunt, et exclamatio eius ſuper ducentẽ eas? A maxilla enim deſcendunt uſq; ad cœlum, & dominus exauditor non delectabitur illis. Nihil ergo lacrymis taciturnius, ſed ijſdẽ nihil clamoſius, nihil infirmius, ſed ijſdẽ nihil uiolentius. Primo loco eſt προσευχὴ quæ uox eſt optãtis. Secũdo δέησις, quæ ſupplicis eſt & egeni. Tertio lachryma. Votũ impellit ut oremus, egeſtas urget ut clamemus, lacryma facit ut extorqueamus. Vbi eſt uotũ, ibi non eſt ſimulatio: ubi eſt clamor, ibi nõ eſt ceſſatio: ubi ſunt lacrymæ, ibi quodã modo uis admouetur diuinæ miſericordiæ. Clamore improbo uicit Cananæa, & audit, ô mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis. Nihil dixit Magdalena, ſed ad huius lacrymas nõ obſurduit dominus et audit: Dimiſſa ſunt tibi peccata. Sunt qui pro, obſurdeſcas, legant ne ſileas. Diuerſis uocibus res eadẽ declaratur: qui ſilet ad opplorãtis lacrymas, uidetur non audire. Agnoſcunt grãmatici ſynecdoches ſpeciem, quũ aliud ex alio intelligitur, ueluti quum expalluiſſe dicitur, qui metu correptus eſt, aut

Iob 16

Cap. 25

erubuisse,quem pudor cepit. Si non obsurduisti domine ad lacrymas meas,audiã uocem tuam. Quam uocem? Vocem quam audiuit illa beata peccatrix. Remittuntur tibi peccata. Vocem misericordiæ. Clamat in corde meo spiritus tuus: Abba pater. Vult exaudiri, sed operę preciũ est audire quibus titulis sese cõmendet,ut dignus uideatur quem exaudiat dominus. [Quoniã,inquit,aduena sum & peregrinus apud te,sicut omnes patres mei. Quid hoc ad commendationẽ deprecãtis? Quin potius cõmemorat, hostias immolatas, decimas bonorum erogatas in pauperes,euigilatas noctes,chameunias, inedias aliaq; benefacta sua. Id si faceret,iam secum ipse pugnaret, quũ bis in hoc psalmo pronunciarit omnem hominẽ esse uanitatẽ. Citius flexeris dominum,si cõmemores illi miserias tuas, q; si merita. Nec mediocris ad uirtutẽ profectus est, si quis uere ex animo dicere possit deo: Aduena sum & peregrinus apud te. Is enim intelligit sese hic non habere manentem ciuitatem,sed futuram inquirit. Obiter autem utitur hoc mundo ueluti non utens. Non hic thesaurizat, sed excussis omnibus impedimentis, per læta ac tristia festinat ad cœlestem illam Hierosolymam. Omnes quidem homines siue agnoscant siue non agnoscant aduenæ sunt & peregrini,sed apud dominum non omnes sunt peregrini. Rursus hæc inter se pugnare uidentur, esse apud dominum,& peregrinari à domino. Ac re uera pugnarent, nisi duplex esset hominis substantia. Qui corpore cõtingunt terrã,sed cor habẽt in cœlis, hi uere peregrini sunt & aduenæ apud deum. Ibi patria est. Eò suspirãt uota,sed hic hæret
2. Cor. 5 externus homo. Huiusmodi peregrinus erat beatissimus Paulus qui sic scribit Corinthijs. Quæ uidentur tẽporaria sunt: quæ nõ uidentur,æterna. Scimus enim quod si terrenũ nostrũ domiciliũ huius tabernaculi destructum fuerit,ædificiũ ex deo habemus domicilium non manufactum,æternũ in cœlis. Et aliquanto post, itaq; bono animo sumus semper,& scimus,quod quũ domi sumus in corpore,peregrinamur à domino: per fidẽ enim ambulamus,non per speciẽ. confidimus autẽ & probamus magis peregre abesse à corpore,& pręsentes adesse apud deũ. Peregrinum se fatetur,quod adhuc corpore uersetur in terris, sed fide ac spe uersabatur apud deum. Vt peregrinus contemnebat temporaria,quæ cernebat oculis corporeis, sed festinabat ad æterna,quæ prospiciebat oculis fidei. Hac ratione quo quis hic magis est peregrinus, hoc est felicior. Filij huius seculi,quoniã hic toti habitant,q; discruciantur quũ emigrandũ est è corpore,quas emittũt querimonias. At pius qui per Christianã philosophiã didicit à corpore,quatenus licet, peregrinari,gaudẽs exilit,nimirum ab exilio in patriã. Quo magis aũt exaggeret huius uitæ peregrinationẽ,non satis habuit dicere,aduena sum: sed addidit, peregrinus πάροικος est, qui aliunde cõmigrauit in alienã domum, παρεπίδημος, qui ad alienũ populum. Nemini ueniat hic in mẽtem Platonis somnium de animabus,quæ delapsæ è cœlis hic sortitæ sunt alia corpora. Cæterum unde igitur commigrauit hic aduena? E paradiso. Quò demigrauit? In uallem lacrymarũ. Quò properat? Ad ueram patriam nostram Hierosolymam, ibi conspecturus euidenter,quod hic cernit in imagine. Talium lacrymas exaudit dominus, obsurdescens ad clamorem eorum, qui solatium suũ habẽt in hoc seculo. Addit, [Sicut omnes patres mei. Vtiq; de iustis loquitur, Abraham, Isaac, Iacob, alijsq; pietatis elogio commẽdatis. Diuites erant, potentes erant, sed tamen omnes apud deum erant aduenæ & peregrini. Viuebant in tabernaculis, subinde uertebant solum. Dauid extruxit ciuitatem Sion, sed nihilo secius & is peregrinus erat apud deum. Alioqui quid est quod clamat, Heu mihi quia incolatus meus prolõgatus est? Non refert ubi sedẽ habeat corpus, sed ubi habitet animus. Eoq; subiungit multũ incola fuit anima mea. Beatus hic qui multum est peregrinus. Alius igitur est alio minus aduena, Quo minus est in hac uita quod delectet, quo uehemẽtius suspirat animus ad illam beatã requiẽ, pertesus huius uitæ labores, hoc magis est aduena homo apud deum. Expectat igitur finem huius erumnosæ peregrinationis, ac tantũ non delassatus tot malis undiq; uallantibus sibiq; succedentibus, petit aliquam tentationis relaxationem, ne deficiat humana infirmitas. [Remitte, inquit, mihi ut refrigerer, priusquam abeam & amplius non ero.] In hac peregrinatione non audet postulare requiem à laboribus. Militandum est usq; ad extremum uitæ diem, tantum orat aliquid laxamenti quo respiret,ut alacrior redeat ad certamẽ. Nec enim deus semper urit aut secat,admiscet in medijs afflictionibus arcana spiritus solatia. Nõ enim petit relaxationẽ à principibus, ab amicis,aut cognatis,sed à deo,ut ab eodẽ ueniat recreatio spiritus, unde uenit afflictio

carnis

carnis. Quidã uiri pietatis ſtudioſi, hoc nomine ſibi diſplicuerunt, quod poſt diutinos labores, ieiunia, uigilias, eleemoſynas, deprecationes, meditationes, non ſentirent illã arcanam mentis alacritatem qua deus intus aſpirans ſolet amicis ſuis interdum dare guſtum æternæ felicitatis. Quod de Ioanne Gerſonenſi commemorant, nec de illo tantum referri ſcio. Sunt & aliorum ſuper hac re querelæ. Quoniã autem illud ſpiritus gaudium, non tantum eſt ſolatium afflictionum, uerumetiam teſtimonium nos eſſe filios dei, homines pij quoniam ſibi metuunt, ne deum non habeant ſatis propitium, orant ut hoc afflatu recreentur, priuſq; exeãt è uita, uidelicet quo ſecurius hinc emigrent cõfirmati teſtimonio ſpiritus. Hoc ſpirituale ſolatiũ, deus alijs in hac uita impartit crebrius, alijs rarius: rurſus alijs maturius, alijs ſerius, quibuſdam in ipſa deniq; morte. Nouit ille pro ſua inſcrutabili ſapientia quid cuiq; expediat. Nec eſt quod ideo quiſq; ceſſet à benefactis, aut patientiam abijciat, ſi nõ ſtatim cõtingit hoc ſpiritus gaudium. Amat deus interdum ſibi uelut extorqueri gratiã, interdum ultro largitur affatim. Permittamus nos illius arbitrio in omnibus, pro lætis pariter ac triſtibus illi gratias agentes. Nec hanc refocillationem tacuit Paulus, quum ait: Porrò qui parauit nos in hoc ipſum, deus eſt qui idem dedit nobis arrabonem ſpiritus. Hoc nimirum eſt huius erũnoſæ peregrinationis ſolatium. Nec abſurdũ ſit hunc ſenſum accipi: Relaxa manum tuã, à cuius impetu deficio: da pauliſper à labore certaminis requieſcere, ut quẽadmodum hactenus agnoui iuſtitiam punientis, ita experiar miſericordiam conſolantis. Vita breuis eſt, mors imminet, res omnium triſtiũ triſtiſſima: ut igitur ad extremũ illum cõflictum, multo omniũ grauiſſimum ueniã uegetior, ſine me nũc pauliſper à malis reſpirare. Aut ſi uis afflictionem eſſe perpetuã in hac uita, intus aſpira ſolatium, quo leniatur malorũ acerbitas. hoc petit, priuſq; abeat & amplius non ſit, hoc eſt, emigret nunq; in hanc uitam rediturus. Hic ubi certaminis locus eſt, q; diu uiuimus, ut eſt periculum ne uincamur, ita ſpes eſt uictoriæ. Poſt hanc uitam, nec ceromati locus eſt, nec brabei ſpes, niſi hic parata fuerit. Certantibus autem robur addit, certaminis intermiſſio. Vbi reſpirarint, ueluti redintegratis uiribus alacriores redeunt ad conflictum. Interdum uox imperatoris excitat uim militis, aliquoties donatiuo reddit alacriorem. Nonnunq; theatri applauſus & acclamatio confirmat pancratiſten. Sic & imperator noſter, aut depulſa tẽpeſtate malorum, reſpirandi ſpatium concedit militi ſuo, aut arcano afflatu addit robur & alacritatẽ ſpiritus, ut licet afflictio ſuperet humanas uires, tamen infracto perferat animo. Alioqui quis martyrum defecturus non erat in illis immanibus tyrãnorũ cruciatibus, quos tãtum audiẽtes cõmemorare inhorreſcimus, niſi ſpiritus donatiuum illos intus confirmaſſet. Pro eo quod legimus remitte mihi, ſiue ut Hieronymus, parce mihi, quidam uerterunt declina à me. Verba diſſonant, ſenſus concordia eſt. Premebatur Idythum robuſta manu domini, & periclitabatur ne ſuccumberet humana fragilitas, tẽtationis ponderi ſuſtinendo impar. Sentit ſibi luctam eſſe non cum hominibus, ſed cum deo, cuius permiſſu poſſunt improbi quicquid poſſunt. Quod ſi deus urgeat hominẽ pro meritis, nequaq; poterit ſubſiſtere. Declinat itaq; cum urgere deſinit. In ſcripturis aũt interdũ rogatur deus ut diſcedat, interdũ ut adſit. Qui ſibi male conſcius timet iudicẽ, cum Petro dicit: Domine recede à me, quoniam peccator homo ſum. Qui ſperant miſericordiam clamãt: Excita potentiã tuam & ueni. Oſt ẽde faciem tuam & ſalui erimus. Oramus ut diſcedat iuſtus iudex, & ueniat miſericors & miſerator: ut abeat caſtigator, & ueniat ſeruator. Non tamen dicit diſcede, ſed declina. Declinat qui dat locum, qui concedit & obſecũdat nec utitur ſuo iure. Sic interdũ & homines pij rogant deum, ut auertat faciem, interdum ut aſpiciat. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Oculus diuinę iuſtitiæ nulli quamuis ſancto tolerabilis eſt, ſed oculus miſericordiæ ſuper iuſtos, hoc ipſo iuſtos quod ſuam agnoſcunt iniuſtitiam. Et Pſal. Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Idem alicubi clamat: Quærite faciẽ domini ſemper. Habet ergo dominus geminã faciem, ac gemínos oculos, iuſtitiæ quibus terret, & clemẽtiæ quibus opitulatur ac recreat. Proinde quũ clamat Idythum, declina à me, à iuſtitia conditoris appellat illius miſericordiam, à uindicante prouocat ad ſeruatorem, ut illum habeat propicium priuſq; animus emigret è corpore, priuſq; abeam & amplius non ero, hoc eſt, non amplius futurus. Coniunctim enim legendum eſt: nam hæc particula deſignat migrationem ex hoc mundo, à qua non eſt remigratio. Abſit ut exiſtimemus Idythum ſentire cum quibuſdam philoſophis aut cum Sadducęis,

Pſal. 174.

qui putarunt à morte nihil hominis supereſſe præter cadauer: ſed Iudaico tropo mortem
Thren.5 naturalẽ ſignificauit, quod genus eſt illud: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Extinctos dicit non eſſe, non quod periſſent animæ, ſed quod nobis nõ extarent. Similiter Hieremias, Patres noſtri tranſierunt, & non ſunt. Rurſum Pſalmo 36. Adhuc puſillum & non erit peccator. Solẽt autem Iudæi magno luctu proſequi mortuos ſuos, quod ante ſeruatoris aduentum, animæ piorum nõdum euolabant in cœlum, ſed apud inferos detinebantur, eoq; ſæpenumero plorant morituri. Sic Ezechias: Ego dixi in medio dierum meorum uadam ad portas inferi. Et Iob 10. Antequam uadam & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine. Quod hic dicit non ero, illic dicitur, & non reuertar. At poſt deuictum à Chriſto regnum inferorum, non iam plorant homines pij quum mors imminet, ſed cupiunt diſſolui & eſſe cum Chriſto, ac ſuauiter obdormiſcunt, certa ſpe reſurrectionis: quam Iudæorum multi non credebant, & qui credebant frigidius credebant quàm nos, qui audiuimus Chriſtum expreſſe promittentẽ corporum reſurrectionem, qui uidimus illum uere mortuũ uereq; in eodem corpore quod mortuum fuerat in ſepulchro reuixiſſe. Quanta cum alacritate beatus Andreas acceſſit ad crucem: & Paulo mori lucrum eſt, quod mors recta tranſmittat ad Chriſtum. Similem ſpiritus alacritatem cognouimus martyribus in horrendis corporum cruciatibus non defuiſſe. Sed habet hic pſalmus quiddam adhuc Iudaicum, neq; nobis ob oculos ponit exẽplum Euangelicæ perfectionis, ſed hominis adhuc cum carne luctãtis, eoq; paulatim per afflictiones proficientis, ut diffiſus humanis præſidijs, ad dominum conuertat oculos, à quo ſeſe iam intelligit ob peccata iuſte meritoq; caſtigari: nec ab alio petit, ut à doloribus liberetur, q̃ à quo ſcit immiſſos. Implorat autem domini miſericordiam, ut qui fæuit iratus, propitius factus mitiget afflictionẽ, idq; antequam ueniat ſupremus uitæ dies: ut deo reconciliatus tutius ac ſecurius hinc demigret. An impetrarit Idythũ quod petit preſens pſalmus non indicat, ſed æſtuantem & opplorantem reliquit. Cæterum pſalmus quiſequitur declarat deum non obſurduiſſe ad lachrymas orantis, eoq; illic dicit, [Dedit in os meum canticum nouum, carmen deo noſtro.] Et hic pſalmus, canticum habet uetus, canticum pœnitentię: proximus, canticum gratiarum actionis, quod deo canitur, non hominibus. Illud canitur in Synagoga, hoc in eccleſia. Lex enim minitabatur pœnã tranſgreſſoribus, Euangeliũ pollicetur gratiã credentibus. Proinde chariſſimi ſi qui ſunt inter nos qui nondum profecerunt ad Euangelicam alacritatem, ſaltem cum hoc Idythum proficiant primum ut intelligant calamitates nec ab aſtris, nec ab hominibus, nec à fortuna, nec à ſatana nobis immitti, ſed à deo ſceleribus hominum offenſo, qui flagellat, nõ ut perimat ſed ut emendet. Hoc reputantes, ne qui moliantur uindictam, ne conuitia conuitijs regerant, ne iniuriam iniuria retalient, nec deo flagellanti obmurmurent, ſed dolorem intus æſtuantem taciti ac patienter ferant, ſic apud ſe cogitantes: iuſtus eſt dominus, grauiora cõmerui. Ad hæc, cõſiderata huius uitæ miſeria ſimul & breuitate prorſus abducant animũ ab amore rerum inanium & umbrarum ritu euaneſcẽtium, ad æterna bona quæ pijs promiſſa ſunt in uita futura. Tum aduigilent, ut à ſceleribus ob quæ dominus immittit externos cruciatus repurgentur ante mortem corporis, ſcientes poſt hanc uitam nihil expectãdum niſi iudicium. Huc ſi profecerint & inſtanter cum lacrymis clamauerint ad dominum, futurum eſt ut à malis recreati, poſt canticum pœnitentiæ, cantent canticum uictoriæ, dicantq;: Expectans expectaui dominum & intendit mihi. Fortaſſis ueniet alicui talis cogitatio in mentem. Si credimus eſſe manum domini caſtigantis quoties affligimur, quin taciti ferimus eam: Scit ille quantum nobis expedit ad emendationem. Conceſſum eſt hoc imbecillitati noſtrę, ut ea quæ moleſta naturę ſint inculpatis rationibus à nobis depellamus, aut ſi minus hoc licet, à domino liberationem precemur. Sic puer, quamuis norit ſe à patre beneuolo cædi ad emendationem, clamat tamen inter plagas, ac dolorum finem optat. Vult autem dominus rogari, ut citius miſereatur, & ut copioſius penſet tentationis acerbitatem, modo precibus addatur hæc clauſula, ueruntamẽ non ſicut ego uolo ſed ſicut tu. Non fuit Paulo fraudi, quod ter appellarit dominum, tædio ſatanæ flagellantis: ſed laudi fuit, quod æquis animis audiuit, ſufficit tibi gratia mea. Scio me in huius pſalmi enarratione multis in locis receſſiſſe à ueterum ueſtigijs, qui & ipſi inter ſe diſcrepant, ut uix in alio pſalmo magis: & interdum affectatius quędam uidentur interpretari, quod priſci

prisci doctores Origenis exemplo crebro sibi permittunt in explicandis allegoriis: in qui busdam lapsi uidētur, uidelicet decepti, uel mendo codicis, uel culpa translatoris: uelut in eo quod habetur, [& numerū dierum meorum quis est,] quidam ingeniose philosophan tur de diebus illis qui numerum non habent, quasi parum conueniat, ut Idythum cupiat scire modum huius uitæ, sed ad æternam aspiret uitam. Beatus autem Augustinus, ut an te attigimus, argute quidē & pie πλατωνίζει in eo quod legit qui est, quod hic nihil uere sit, sed ille solus uere sit, qui dixit, ego sum qui sum, quum nec Hebræa ueritas nec Græca trās/ latio patiatur, ut hæc uox, qui, sumatur relatiue. Atq; ad eundē sensum applicant quod se quitur, ut scīā quid desit mihi, quasi hic sermo sit desiderantis immortalitatē. Neq; falsum est tamē quod adferunt, uerū id prophetæ uerbis non exprimitur sed colligit. Consequēs enim est, ut uir iustus pertæsus huius uitæ miserias, aspiret ad æternam requiem. Sic & fi/ nem interpretantur Christum, qui est finis legis, imo totius ecclesiæ principium & finis, hoc est, exordium & consummatio. Iam quoniam πάλαισάς quidam per errorem uerte/ runt ueteres, pro eo quod Hieronymus reddidit breues, sensum tenens à uoce recedens, quicquid huius occasione uerbi disserunt, non potest esse accommodum ad germanum huius loci sensum. Nec multo magis quadrat, quod alij palæstas interpretati sunt luctato res: quanquam enim Græca uox affinitatem habet cum lucta, tamen Hebraica reclamat ueritas. Et palmum minorem dici palæstam in confesso est, an palæstæ dicantur palæstri/ tæ nescio, Certe nondum reperi. Rursus quod ait propheta in imagine pertransit, detor/ quent ad Christum qui est imago patris, & ad hominem, qui factus est ad imaginem dei. Sed quid hoc ad exaggerādam humanarum actionum uanitatem? Similiter quoniam tu fecisti, amoue à me plagas: Augustinus legit, quoniā tu fecisti me: quum me pronomē nec sit apud Hebræos, nec apud Græcos. Nec est ἔπλασας, id est, finxisti, sed ἐποίησας fecisti, ut ad plagas referatur aptius q̄ ad hominem. Deniq; quod est in extremo uersiculo: Remit te mihi ut refrigerer, priusquam abeam,] interpretantur de remissione peccatorum, nec id sane perperam, si rursus huc adhibeas synecdochen. Nam afflictionis relaxatio, signifi cat iam remissa peccata, ob quæ castigabatur. Sed ἄνες qui dicit, non eo uerbo petit remis/ sionem peccatorum, sed afflictionis relaxationem: in precatione dominica habetur ἄφες non ἄνες. Mox super hac clausula, [Et amplius non ero, uarie diuinant, non ero amplius peregrinus, non ero obnoxius uanitati: non ero in statu merendi, non ero, id est peribo cum impijs. Nam hi sunt & non sunt, sicuti uiuunt & non uiuunt. Huiuscemodi multa su per hunc psalmum disseruerunt homines pij iuxta ac docti, quos ut non est animus repre hendere, ita malui id sequi quod uisum est simplicius, & ad totius psalmi tenorem ac seri em accommodatius. Equidem non ignoro, aliquid libertatis concessum tractantibus alle gorias, & habent delectationem ac pietatem suam, etiam falsæ, modo scite tractentur: Cæ terum synceri doctoris arbitror esse, nusquam scientem à germano scripturæ sensu di/ scedere, qui si dubius est, præstat ab asseuerando temperare: nec omnia tamen attingere, quæ dici per occasionem possunt, sed ea duntaxat, quæ ad alios scripturæ locos colla/ ta, & ad totius argumenti perpetuum sensum accommodata, uidentur uero proxima. Quod si cui dominus aliquid melius inspirarit, prior taceat, & gratias agat spiritui san/ cto. Simul illud omnes iunctis precibus flagitemus à summo chorago nostro Iesu Chri/ sto, ut quibus erudiendi populum munus delegatum est, nihil aliud præcinant gregi do/ mínico quàm prophetias, hoc est doctrinam non terrenam sed cœlestem, et ad horum me lodiam saltet chorus, correptus & ipse spiritu prophetico. Porrò saltare prophetice, est cum alacritate mentis obtēperare præceptis dei, cui laus & honos in omne æuū, Amen.

ENARRATIONIS IN PSALMVM XXXVIII PER
Des. Erasmum Roterodamum, Finis.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS, CLARISSIMO uiro Iulio Pflug. S. D.

QVantopere te pigeat horum semper in peius gliscētium dissidiorum, quantoq; pectoris ardore suspires pijs omnibus optabilem, ecclesiæ concordiam Iuli uir ornatissime, satis arguunt tot tuæ ad me epistolę, semper eandem occinentes cantilenam, magnaq; instantia efflagitantes ut huius tēpestatis me sedatorem prębeam: quod tu quum nihilo uerecundius facias, quàm si iubeas pygmęum Atlantis uice sustinere cœlum, tamen à me nullam admittis excusationem. Erras tu quidem mi Iuli uehementer ignorantia mei, uerum hic error quo maior est, hoc magis declarat insignem tuam pietatem erga dei domū, in qua tu non infimum tenes locum, tenesq; ob eximias uirtutes tuas meritissimo: quibus hoc decentius ornaris, quod hinc nullum omnino tollis supercilium, sed agnoscis domini munificētiam, quales uiros si multos haberet Respub. Christiana, aut hi tumultus nō extitissent, aut iam pridē essent consopiti. Ipse uero sic inter sacrum, ut aiunt, & saxum constrictus, ut quod flagitas nec recusare per te liceat, nec ex me præstare ualeam, medium quiddā reperi, quo te posthac utar aliquanto placatiore. Tractaui Psalmum 85, in quo diuinus ille spiritus mire nobis commendat ecclesiæ cōcordiam. Non parū iuuat hortator in hoc sanè negotiorum genere, in quo bona pars facti est, propensa uoluntas cui nunquam deesse solet benigni numinis præsidium. Quod si Christus & illud largiri dignetur, ut ecclesiasticę pacis amor, quo tu tam insigniter flagras, omnium animos corripiat, breui futurum est, ut nec tu flagitando, nec ego recusando sumam inanem operā, sed uterq; alteri gratulemur. Verum à Psalmo non te remorabor diutius. Datum Friburgi pridie calen. Augusti M. D. XXXIII.

DES. ERASMI ROT. DE AMABILI ECCLESIAE CONCORDIA LIBER.

Enarratio Psalmi LXXXIII.

PSalmum octogesimum tertium ob id selegimus enarrandum, quod in eo spiritus sanctus, multis argumētis magnaq; tum euidentia tum uehementia, nobis speciosam illam ac beatam ecclesiæ concordiam commendat: qui sermo quum omni tempore salutaris est atq; utilis, tum uero hoc seculo sectarum feracissimo uidetur ita necessarius, ut non alio magis. Quisquis igitur diligit pacem illam, quæ iuxta beatum Paulum exuperat omnem sensum, quæq; sola custodit & ab omnibus malis tuet̄ corda & corpora nostra in pacificatore Iesu Christo domino nostro, ad hanc auditionem aures animosq; attentos adferat. Titulus nonnihil habet scrupulorum, sed his quāta poterimus breuitate discussis ad pulcherrimi simul & amœnissimi spectaculi contemplationem alacriores ingrediemur. Titulus igitur in codicibus nonnihil uariat, siue id accidit scribarum studio, siue sermonis Hebraici ambiguitas hanc nobis peperit uarietatem. Septuaginta sic reddidere: In finē pro torcularibus filijs Core Psalmus. Hieronymus hoc pacto: Vincēti pro torcularibus filiorū Core Psalmus. Quum audis in finem, intellige psalmum tractare de Christo, qui finis, hoc est, perfectio legis est omni credenti. Nulla est enim uera perfectaq; iustitia, nisi per fiduciam synceram erga illum, qui solus fide purificat corda mortalium. Quum audis Vincenti, siue Pro uictoria, protinus in mētem tibi ueniat illud Paulinum: Neminem assequi beatam illam coronam gloriæ nunquam marcescentis, nisi qui legitime certauerit. Quidam ex Hebręi sermonis peritia submonuit pro Vincenti, potuisse uerti, Effundenti sanguinem, ut non leuem & incruentam pugnam, sed acre prælium, & ut Græci dicunt ἄσπονδον πόλεμον intelligas. Quū enim qui huic militant mundo toties sua corpora telis hostium obijciant, suamq; uitam ambigui Martis aleę committant, ut supplicationem, ouationem, aut etiam triumphum assequantur, eumq; ridiculum uerius ac ludicrum quàm speciosum, quem

Rom. 10

quem nemo uir grauis absq; risu uidere posset, cuius uniuersa pompa uno circumagitur die, quid non facient Christi milites, ut æternum illum triumphum assequantur in cœlis? Quanta nunc est gloria martyrum, qui suum effundendo sanguinem, per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, et adepti sunt beatas promissiones? Quorum encomia per uniuersum resonãt orbem, & angelis adplaudentibus sempiternum cum duce suo Christo triumphum agunt in cœlesti Hierosolyma. Quanquam & hi qui Paulo auscultantes amore Christi mortificant membra sua, quæ sunt super terram, libidinem, auaritiam, iracundiam, alioscq; id genus affectus, spiritui reluctari solitos, non incruento bello uincunt satanam. Iam & in ipso psalmo fit mentio tabernaculorum, siue tentoriorum, quod militiæ uerbum est. Porrò quod in titulo additur, pro torcularibus, nonnihil torsit Diuũ Augustinum, eo quod in psalmo nulla fiat torcularium mentio. Itaq; cõfugit ad allegoriam. Verum animaduertere poterat Psalmorum titulos interdum indicare argumentum ex historia, uelut in psalmum 33. Psalmus Dauid quum mutauit uultum suum coram Abimelech, & dimisit eum & abijt. Interdum diem festum quo decantari solet, uelut psalmus 91. titulum habet: Psalmus cantici in die sabbati. 92, Laus cantici Dauid in die ante sabbatum. 93. Psalmus Dauid quarta sabbati. Nec oportet historicum sensum reijcere, quo locus fiat allegoriæ, quum ille sit huius basis & fundamentum, qui cognitus facit, ut aptius tractetur intelligẽtia retrusior ac mystica. Itaq; titulus propheticus quum addit: Pro torcularibus indicat mensem septimum, qui apud nos September est, Nam prisci à mense Martio quum sol ingreditur arietem, faciebant anni initium: & ab hoc numerantibus, quoniam quintus erat is qui post dictus est Iulius, Quintilis appellabatur: & huic succedens Augustus, Sextilis: ac cæteri item usq; ad Decembrem, ex ordine sortiti sunt nomẽ. Quoniam autem mense Septembri uindemiæ tempus est, significãtius erat, & ad mysterium accommodatius dicere, pro torcularibus, quàm mense septimo. Sic Horatius initiũ ueris indicans non inamœna figura dixit, Zephyris & hirũdine prima. Simul autem indicant̃ dies festi, quibus hoc canendi certamen inter prophetas celebratur. Hinc est quod aliquot psalmorum titulus habet mentionem liliorum siue rosarum, uernum tempus indicans, & eius temporis festa. Nam quum Iudæis tria fuerint festa præcipua, Pascha in memoriam prodigiose transmissi maris, & Pentecostes in memoriam legis in monte Sinai latæ ac receptæ, & Tabernaculorum, de quo mox dicemus: Primum incidebat in ueris initium, Secundum in uer iam adultum, Tertium in autumnum. Nam septimi mensis die XV. festum erat scenopegiorum, à figẽdis tabernaculis dictum. Septem enim diebus iubebantur commorari in tabernaculis in memoriam ueteris historiæ, quod ex Aegypto profugi, per uastam & horridam solitudinem peregrinantes annis quadraginta habitarint in tentorijs, Deo uiam mõstrante, nocte per columnam igneam, interdiu per columnam nubilam, cuius interim beneficio nec potus nec cibus illis defuit, nec uestes aut calciamenta detrita sunt. Quo tempore & templum ipsum erat tabernaculum, mansitq; donec Solomon extrueret magnificum illud tẽplum Hierosolymis, ipsis etiam ethnicis uenerabile. Huius tam benignæ numinis prouidentiæ ne uel ipsi possent obliuiisci, uel ad eorum posteros non peruenire tanti miraculi notitia, iussi sunt quotannis circa uindemiæ tempus tabernaculorum festum agere per dies octo, idq; mense Septimo: qui quodam modo sic in mensibus est Sabbatum, quemadmodum in diebus dies septimus, in annis septimus annus qui terris quoq; suum dabat otium, in annorũ hebdomadibus Iubileus septem annorum complectens hebdomadas. Ex his ergo Septimi mensis octo diebus primus erat Sabbatum, utpote tertiæ hebdomadis initium, & item Octauus quartæ hebdomadis initium, Vterq; ieiunio & otio peragebantur. Cæteri qui inter hos intercedebant, sacrificijs, hymnis, gratiarum actione & gaudijs solennibus transigebantur. Octauus tamen dies uelut noui festi principium erat, uidelicet cœtus siue collectæ, quod tum præter impendia sacrificiorum ac donorum nonnihil à singulis colligeretur in sumptus tabernaculi. His de rebus tractatur Leuit. 23. & Numerorum 29. Proinde quanquam in titulo non est expressa mentio tabernaculorum, est tamen tacite comprehensa, designato mense, quo Scenopegiorum festum celebrabatur collectis iam omnibus terræ frugibus. Mensis autem ille ferme totus festis & sacrificijs peragebatur, quo simul & Leuitis prouideret̃, & populus agnosceret se quicquid terra produceret diuinæ munificentiæ acceptũ ferre

Heb. 11

Augustinus attactus

Historia basis allegoriæ

September à Martio septimus.

Lilia in titulo

Sabbatauaria

ferre debere: ut nec ad luxum abuterentur, si quando annona prouenisset largior, nec de/sponderent animũ, si quis annus extitisset sterilior, ab ipsis admoniti tabernaculis, quod quum per steriles arenas ac sitiẽtes facerent iter, dominus non passus sit illis quicquam deesse, sed mãna demiserit è cœlo, aquam effuderit è petra. Nam qui fieri possit, ut qui sic uestit agrestia lilia, qui pabulum suppeditat passerculis, sinat fam ulos suos egere necessa/riis, præsertim quum piorum sobrietas paucissimis sit cõtenta? Quo turpius est, quod ho die Christiani quidam, ubi diuina benignitas uberiorem annonam effudit, non ad gratia/rum actionem, non ad liberalitatem in sacerdotes & pauperes, sed ad lasciuiã, luxum, ac libidinem conuertuntur. Contra si paulo malignior fuerit prouentus, tum obliti superio/ris abundantiæ ac de futura diffidẽtes intendunt rerũ pretia, cõtrahunt manus in egenos, accidunt quod debetur sacerdotibus, frustrantur creditores. Quanto dignius erat ijs qui Christi titulo gloriantur, ut quo parcior fuerit anni prouentus, hoc effusior esset diuitũ in pauperes benignitas. Non enim deus in hoc dedit messem uberiorẽ, ut in tuis horreis fru/menta cõputrescerent, sed ut quod supereſt in usus pauperum dispensaretur. Ita fieret, ut superiore fertilitate uideare non indignus, & insequuturis annis maiorem domini libera/litatem promerearis. Porrò festum illud tabernaculorũ quod olim à Iudæis celebrabatur, τυπικῶς designasse celebritatem ecclesiæ catholicæ nõ obscure declarat propheta Zacha/rias capite 14. Erit ruina qua percutiet dominus omnes gentes quæ non ascenderunt ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. In eodem capite fit mentio torcularium, ut huius psalmi argumentum ex eo prophetæ loco sumptum uideri possit, aut cõtra. Illud ui/gilanter annotatum est ab Hieronymo, tres esse psalmos, quorum titulus meminit torcu/larium. Octauus qui inscribitur Dauid, Octogesimus qui inscribitur Asaph, & hic octo/gesimus tertius qui inscribitur filijs Core. Quibus & hoc commune est, quod omnes me/minerunt victoriæ. Ogdoas autem resurrectionis gloriæ dicata est. Hic est enim dies quẽ fecit dominus à mortuis resurgens, in quo iubemur lætari & exultare tripudijs spirituali/bus. Nam ubi resurrectio, ibi uita est, Vita autem est innocentia, quemadmodum pecca/tum mors. Primus igitur dies plausibilis erat hominis ad imaginem dei conditi, de quo tractat Psalmus octauus, ostendens hominem ita conditum, ut angelis esset proximus. Secundus erat hominis per legem ad innocentiam reuocati, quod indicat Ogdoas de/cies multiplicata, decalogum figurans. Hic tertius ostendit hominem per Euangelij gra/tiam eo perfectionis euectum, ut licet corpore degeret in terris, per fidem tamen ac spem conuersationem haberet in cœlis. Eoq; decem ogdoadibus additur ternio, quod per Euã/gelicam lucem mundus uniuersus cognouit dilucide mysterium sacræ Triadis. Patrem nouerant & Iudæi, sed posteaquam filius assumpta natura humana in terris uisus est, & cum hominibus uersatus est, moxq; receptus in cœlum, emisso cœlitus spiritu innouante linguas ac mentes omnium: tum demum dilucide mundus agnouit, in tribus personis u/num deum, & in eadem natura diuina tres personas, patrem & filium & spritũ sanctum. Quoniam autem gentes solent uindemias prophanis & impijs ritibus in honorem ridi/culi Bacchi celebrare, incompositis ludis, indecoris saltationibus, & obscœnis uerbis la/sciuientes, cuius insaniæ dolemus in hodiernum usq; diem nõnulla conspici uestigia: Mo/ses publicam lætitiam ad religiosam gratiarum actionem, petulantes motus ad propheti/cas saltationes (Nam & Dauid in honorem dei ante arcam saltasse legitur) impios hym/nos, & impudicos sermones ad mysticos psalmos conuertit, effecitq; ut impurus cultus, quem aliæ nationes dæmonibus exhibebant, in ueri dei cultũ uerteretur. Habebãt & gen/tes in his festis sua certamina, in quibus homines parũ sobrij, facie fecibus oblita de plau/stris ridicula carmina iaciebãt in obuios: uictori præmium erat hircus, dignum, ut aiunt, patella operculum. Hic inter prophetas erat certamẽ, plenũ religionis ac reuerentiæ. Vn de psalmi complures in titulis habent, pro victoria. Tale certamen & apostolorum tem/poribus erat in cœtibus Christianorum. Vnus loquebatur linguis, plures, prophetę offi/cio fungebãtur. Nec hic feruebat indecora cõtentio, sed si cui alteri fuisset reuelatũ, prior tacebat. Nec uictus sibi displicebat, sed gratias agebat spiritui, qui per aliũ hoc docere uo/luit quod ipsum fugerat. Nec uictor efferebatur animo, sciens totum hoc esse diuini spiri/tus energiam, qui cuiq; diuidebat sua dona prout uolebat. Tale canendi saltandiq; certa/men erat inter hos prophetas. Hoc exemplo nos erudimur, ut siue laboramus, & affligi/mur

Ogdoas ui/ctoriæ

Tres homi/nis dies

Lasciuiæ uin/demijs

Certamẽ poe/tarum

Admonitio salubris

mur aduerſis,ſiue rebus proſperioribus delinimur,omnia in gloriam dei faciamus.Nunc complures Chriſtiani tantum in morbis,bellis,alijsúe periculis deum inuocant, & ita diſtinguunt tempora, ut triſtia ſecent deo, lætiora tribuant ſatanæ. In funere charorum uideas aliquam pietatis ſpeciem,in nuptijs,in uictorijs, in conuiuijs nullũ Chriſtianæ mentis ueſtigium.Exiſtimant abunde ſatisfactum deo,ſi per tempus quadrageſimæ paulo uiuant ſeuerius,ſed imminente quadrageſima quàm irreligioſa licentia:rurſus exacta ea feriijs paſcalibus,quanta auiditate reditur ad intermiſſas uoluptates? Atqui decebat Chriſtiana gaudia non minus habere religionis quàm luctum. Quàm diu uerſamur in his tabernaculis, ſunt uariæ rerum uices. Eſt tempus naſcendi, & eſt tempus moriendi:tempus nubendi, & tempus abſtinendi à nuptijs: tempus gaudendi de natis liberis, & tempus lugendi defunctos liberos:ſed Chriſtianis nullum oportet eſſe tempus uacuum à pietate. Sub feſtum diem celebretur ieiunium ,ſed religioſum, feſtus dies requirit lætitiam, ſed ſpiritualem.Illic nonnihil contriſtamur,ſed ſecundum deum:hic lætamur, ſed coram domino.Quemadmodum de gaudijs Euangelicis loquens Eſaias capite 9. ait: Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.Bene lætantur qui lætantur coram deo,qui pura conſcientia illi pro triſtibus pariter ac lætis gratias agunt. At qui lætitiæ temporibus,aleæ,temulentiæ,turpiloquijs & ſcortis indulgent,coram mundo fortaſſe lętantur,coram deo inſaniunt.Sed his forſitã diutius immoramur,quàm ſat eſt,utinam & ſine cauſa.Abſoluamus igitur tituli myſterium.Octauus pſalmus inſcribitur Dauid,quæ uox Hebræis ſonat,manu fortem: octogeſimus Aſaph, quæ ſonat congregantem: hic octogeſimus tertius, filijs Core, hoc eſt caluariæ. Iuxta ſenſum retruſiorem, tribus nominibus idem Chriſtus ſignificatur.Ille condidit hominem rectum:pater enim per filium condidit uniuerſa, quæcũ in cœlis quæcũ in terris. Id nemo poteſt niſi omnipotens, unde Paulus ſcribens Hebræis, filium appellat uerbum uirtutis paternæ. Idem hominem collapſum, eóque deiectum, ut iam comparandus eſſet brutis animantibus, & ſimilis factus eſſet illis, ne dicam deterior,recollegit per legem,& donec ueniret plenitudo temporum uelut cancellis incluſit. Vnde & ſynagogæ uocabulum,& pſalmus Aſaph, increpando prouocat ad legis obſeruationem.Iſrael,inquit,ſi audieris me,non erit in te deus recens.Deniq; congregatoris perſonam ipſe dominus profitetur in Euãgelio. Hieruſalem Hieruſalem quæ occidis prophetas,et lapidas eos qui miſſi ſunt ad te,quoties uolui congregare te,ſicut galina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Tandem ubi uenit plenitudo temporis, idem factus filius Core,in monte caluariæ ſublatus in crucem uniuerſum orbem ad ſe cõgregauit, & in eodem reſurgens deuicto ſatana triumphauit. Hic fortaſſe ſcrupulus aliquis tanget animum lectoris,quomodo Chriſtus filius dei,dicatur filius Core,qui quum eſſet ex Leuitis præcipuus,ambijt ſummum ſacerdotium,& adiunctis ſibi Dathan & Abiron,totam fere multitudinem concitauit aduerſus Moſen & Aaron,ſicut refertur Numer.16.Cui quotquot pertinaciter adhæſerũt,partim uiui à terra dehiſcente abſorpti ſunt, partim igni cœlitus emiſſo abſumpti. Sed nihil abſurdi habet allegoria. Chriſtus iuxta carnẽ è gente Iudaica duxit originẽ, pertinaciter rebelli aduerſus deum,de qua queritur per Eſaiam prophetam:Extendi manus meas tota die ad populum non credentem & cõtradicentem mihi.Rurſus in Pſalmis:Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & ſemper dixi hi errant corde.Quàm pertinacem rebellionem exprobrat illis & Stephanus in Actis apoſtolorum: Vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis. Complures autem pſalmi in titulis habent Filios Core,nec ullius tamen nomen exprimitur, quaſi ſatis eſſet ad illorum laudem dici filios Core, quum iuxta communem hominum ſenſum ignominia uideatur, ſcelerati patris & horrendo exẽplo damnati cognomine deſignari.Quis enim ſuſtineat appellari filius aut nepos Iudæ proditoris? Et tamẽ ſcriptura laudis gratia notat poſteros Core, progenitoris nomine, cuius impietas illuſtrauit filiorum pietatem, qui quum eſſent arctiſſimis naturæ uinculis aſtricti ſeditionis autori, tamen in illis affectum naturæ uicit amor religionis.Siquidẽ ut eſt probabilis coniectura, aut auſcultantes Moſi reſipuerunt ſepararuntq; ſe à patre, aut ſic apud illum remanſerunt, ut impio propoſito nequaquam aſſentirẽtur, eoq; illo cum ſuis abſorpto filij ſeruati ſunt,ut legis Nume. 26. nec ob patris ſcelus à tabernaculi miniſterio ſubmoti ſunt,ſed honorifico ianitorum officio functi ſunt,quemadmodum refertur 1. Paralipo.capite 26.Inſuper & prophetico ſpi-

Gaudium coram domino quod

Dauid, Aſaph, Core, id dẽ Chriſtus

Primus dies

Secundus

Tertius

Core filij qui

Eſaiæ 65

E malis boni

ritu præcelluerunt. Ergo quum deus non imputet parentum commissa filijs, nisi facta illorum imitentur, inique facit hominum uulgus, qui liberis non aliter exprobrat progenitorum scelus ac supplicium ac si ipsi perpetrassent. Tuus, inquiunt, pater de peculatu cõuictus, in crucem actus fuit, & audes hiscere? audes uenire in cõspectum hominum? Sed pulchrius est, ex malis prognatos uirtute claros euadere, quàm si quis bonus nascatur ex bonis. Cæterum iniquius etiam faciunt qui filijs non scelera parentum, sed fortunam aut calamitatem probri gratia obijciunt. Noui, inquiunt, patrem illius seruum, aut uidi mendicum. Et qui hæc dicunt ipsi sibi ignoscunt, quod dediti uitijs turpissimam seruitutem seruiunt satanæ, quod pauperum rapina ditescunt. Ex patre seruo nasci non est turpe, sed seruire libidini, auaritiæ, cæterisq; uitijs turpissimum est. Mendicare panem si urgeat egestas, non est turpe: sed egenis non impertire necessaria, ac rapto uiuere, crimen est exprobrabile. Et qui sibi ignoscunt uera propriaq; commissa, proximis exprobrãt alienam fortunam. Quanto deus ciuilior erga nos. Non imputat nobis nostra delicta, quorum semel pœnituit. Quod facinus execrabilius q̃ fuit Core? Aut quod supplicium detestabilius? haud illud quidem homine iudice, qui nonnunquam fallitur, sed deo. Et tamen huius filios sermo propheticus honoris gratia progenitoris nomine signare maluit q̃ proprijs uocabulis. Similis inhumanitatis est, quod qui ex Iudæis progeniti, à parentum impietate conuersi sunt ad ueram pietatem, contumeliæ causa uocamus Maranos, quum ea gratia plus illis honoris debeatur. Quod si iustum est, maiorum uitia impingere nepotibus, unde nos prognati sumus? Nónne ex his qui in ueri dei contumeliam, coluerunt ligna & lapides? qui martyrum sanguinem effuderunt? Sed ad rem. Core, Dathan, Abiron, & Hon, conati sunt diuidere tabernaculum, quemadmodum hæretici ac schismatici semper conati sunt ecclesiam discindere: sed ut in illos præsens ira dei desæuijt, ita qui moniti nolunt ab impijs sectis ac seditiosis conatibus resipiscere, hos sine dubio manet gehennæ incendium. Atque in simili rerum statu, oportet omnes esse filios Core, ut nec filius, contra pietatem adhæreat patri, nec frater fratri, nec uxor marito, nec gener socero, sed ab impiorum tabernaculis secedendum est, si non corpore, certe animorum dissensione: & si quid erroris per incogitantiam obrepsit, auscultemus Mosi, & moniti meliora sequamur: quo post exantlatos huius uitæ labores, in monte domini bibamus mustum sempiternæ letitiæ, & concorditer uiuentes in tabernaculo dei, quod est ecclesia, recipiamur in cœleste tabernaculum ecclesiæ triumphantis. Video me in explicando titulo prolixiorem fuisse, quàm proposueram. Ad Psalmum igitur properabimus.

Exprobratio inepta

Seditio & hæresis

Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum, &c.

Abruptum huius psalmi exordium declarat impotens animi desiderium. Quod genus est & psalmi 72. Quàm bonus Israel deus, ijs qui recto sunt corde. Aptius est quod legit Augustinus. Quàm amabilia, Græce est ἀγαπητά. Nihil est pulchrius, nihil amabilius, nihil tutius aut firmius bonorum in bonis consensu: ut contra, nihil turpius, nihil abominabilius, nihil infirmius conspiratione malorum in malum. Habent enim & impij tabernacula sua, quorum & hic Psalmus meminit, & is qui hunc proxime præcedit. Quoniam cogitauerunt unanimiter, simul aduersus te testamentum disposuerunt: Tabernacula Idumæorũ & Ismaelitæ, & Moab & Agareni. Gebal & Ammon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Et psalmus secundus: Principes conuenerunt in unum, aduersus dominum & aduersus Christum eius. Sicut est unica ecclesia, & tamen Paulus ita loquitur: Sicut in omnibus ecclesijs doceo, sentiẽs esse multas distinctione locorum ac personarum, unicam professione fidei, & sacramentorum communione: ita multa leguntur tabernacula dei, quum reuera sit unicum tabernaculum uniuersos electos complectens, quoniam omnes in Christo sunt idem. Contra impiorum quoniam in religione ac fidei dogmatibus dissentiunt, nullum est commune tabernaculum, sed impij cum impijs sic dissentiunt, ut uarijs quidem modis ac nominibus, sed tamen pari impietate dissentiant à tabernaculo dei. Olim Græci ac Romani deridebant Aegyptios, bouem Serapim, & Cercopithecos, atq; adeo cepe pro dijs colentes, sed ipsi interim lapides ac ligna, aut in his latentes dæmones pro uero deo colebant. Sic Lacedæmonij habebant sua tabernacula diuersa à tabernaculis Asianorũ. Habebat & Gallia Druidas propriæ cuiusdã religionis magistros, sed cum uera religione pugnãtes. Horum typũ gessit Dathan, Abiron

Concordia in bono

Tabernacula multa & unũ

Errores uarij & interse pugnantes

Abiron,& Hon. In ſuo quiſq; tabernaculo ſtabat paratus ad pugnam. Erant inter ſe diuiſi,in hoc concordes,ut Moſen expugnarent,quẽadmodum diuerſarum gentium diuerſę religiones,inter ſe diſcordes,mira tamẽ concordia & ſyncretiſmo, perſequebantur Iudæos,ac poſt maiore conſpiratione Chriſtianos. Hæreticorum autem diſsidia figurabat Core,qui corpore non receſsit à tabernaculo dei,licet animo eſſet ſeiunctiſsimus. Siquidem hæretici affectant uideri ueræ religionis aſſertores,& quemadmodum ille conabatur Aaron à ſacris ſubmouere,ita iſti perſuadere conantur catholicæ doctrinæ ſectatores eſſe tyrannos & hoſtes eccleſiæ. Et quemadmodum unuſquiſque hæreſiarcha clamat, hic eſt Chriſtus,non iſtic: Ita Core grex dicebat, omnis multitudo ſanctorum eſt,in ipſis eſt dominus. Ante redemptoris aduentum apud Iudæos Sadducæi & Herodiani habebant ſua tabernacula,ſed nec amabilia,nec ſpecioſa. Cæterum iam per orbem diffundente ſe ſe luce Euangelica, quàm multa quàm abominanda tabernacula hæreticorum conſtiterunt aduerſus tabernaculum dei? Quis non inhorreſcat ſi uel legat quę turpitudinum ſcena fuerit in tabernaculis ophitarum, qui ſerpentem pro Chriſto uenerabantur, Cainorum qui Cain parricidam & Iudam proditorem inter præcipuos habebant ſanctos? Nicolaitarum quibus uxores erant communes. Adamianorum, qui nudi cum nudis fœminis ad ſacra conueniebant,hac ſcilicet ſpecie, Adam & Euam adhuc innocentes e paradiſo nobis repræſentantes,Et tamen ijdem nuptias auerſabantur. Quæ dogmatum portenta,quæ monſtra turpitudinum peragebantur in tabernaculis Baſilidis, Colarbaſi, Priſcillæ ac Marcionis? Manichęorum fœda myſteria,quis poſſet abſque nauſea uel legere uel recenſere? Quis non execretur Sabellianorum, Arianorum, Eunomianorum blaſphemia in Chriſtum, aut in totam potius trinitatem conuenticula? Quibus præſtigijs, quibus technis,qua crudelitate conati ſunt catholicam ueritatem obruere? Operæprecium fuerit unum & alterum illorum ſtratagema referre,ut hinc fiat coniectura, quantum malitiæ texerunt illa tabernacula. Athanaſium inuictum catholicæ ueritatis propugnatorem,quoniam ſcripturis & argumentis ſuperare non ualuerunt,fictis criminibus ſtatuerant opprimere. Conſtantium Cæſarem malicioſis ſuggeſtionibus ſic iritarunt in uirum ſanctiſſimum, ut iuſſerit apud Tyrum coacto concilio cognoſci de Athanaſio, delegato ad id comite quodam à latere ſuo, qui cognitioni præſideret. Duo præcipua crimina intentabantur,mulier ui conſtuprata,& brachium homini defuncto abſciſſum in uſum maleficarum artium. Conducere mulierculam quæ huius tragœdiæ partem ageret, non erat difficile: ſed ad probandum maleficij crimen accerſierant Arſenium quendam olim Athanaſij lectorem,qui ueritus epiſcopi quem offenderat correptionem ab eo profugerat.Hunc diebus aliquot abditum ſeruarant Ariani,ut cum fide mentirentur eſſe mortuum. Is tamen ut intellexit,quid in Athanaſium molirentur,ſiue exhorrens facinoris atrocitatem,ſiue cupiens hac occaſione cum epiſcopo ſuo redire in gratiam, noctu clam profugit è latebris, & Tyrum ad Athanaſium nauigio peruenit, eiq; rem omnem aperit. Ibi uir ut inſigniter pius, ita mire ſolertis ingenij, quippe qui iuxta præceptum domini columbinam ſimplicitatem cum ſerpentis prudentia coniunxerat, iubet Arſenio, ut abdat ſeſe,donec in rem præſentem euocaretur:coacto concilio prodit mulier, infertur horrendo ſpectaculo loculus defuncti, oſtenditur brachium hominis reſectum loculo impoſitum. Horror etiam bonorum animos peruaſerat. Quis enim crederet illa fingi à ſacerdotibus? Mulier quæ fuerat edocta narrat,ſe quondam Athanaſium excepiſſe hoſpitio, & ab eo noctu,quum nihil ab illo metueret, per uim fuiſſe conſtupratam. Athanaſius introductus eſt, ad hæc reſponſurus. Is qua præditus erat ſolertia,ſubmonet Timotheum presbyterum ſunm,ut ipſo tacente mulieri reſpondeat. Sciebat enim ſe mulieri ne de facie quidem notum eſſe. Quum illa peroraſſet accuſationem, Timotheus,tu ne,inquit,mulier aís te à me ui conſtupratam? Tum illa muliebri peruicacia, Tu,inquit, tu inquam illo loco,illo tempore per uim meam pudicitiam contaminaſti. Erubuere quidem tam facile detecta mulieris calumnia. Nec tamẽ abſolutus eſt Athanaſius, nec ad calumniæ pœnam uocata mulier, quod ijdem eſſent iudices qui accuſatores. Itum eſt ad ſecundum crimẽ: En,inquiunt,ipſa res loquitur, hoc eſt Arſenij brachium, quod in quem uſum amputaris,tu nobis Athanaſi exponito. Hic ſimili ſolertia uir prudens rogat illos num ſatis noſſent Arſenium,cuius hoc eſſet brachiũ. Reſpondent quidam ſe probe noſſe Arſenij

Hæreſes Iudaicæ.

Hæreſes antiquæ

Arianorum peruerſitas

faciem. Petit Athanasius, ut liceret sibi accersere quendam, quo ad eam causam haberet opus. Concessum est, Introductus est Arsenius, cuius facie nudata, Ecce, inquit, Arsenius uiuus, ecce brachium dextrum, ecce sinistrum incolume, unde uos istud brachium amputaueritis, ipsi narrate. Quid hic expectas? ut Athanasius à causa fuerit expeditus? Imò discerptus erat inimicorum manibus, ni Archelaus Orientis comes qui & ipse ei concilio præsidebat, uirum sanctum è manibus illorum extractum per occultos meatus dimisisset. Quid autem tergiuersari poterant, tam euidenter confutati? Vociferabantur hominem esse magum ac præstigijs imponere oculis hominum, nec ullo pacto committendum esse, ut talis artifex uiueret. Rursus coacto concilio, perinde quasi legitime conuictus condemnatur Athanasius. Spargitur per uniuersum orbem fœdus rumor, ædicto præfectorum imperialium, per omnes latebras terra mariq; quæritur uir cœlo dignus: propositis etiam præmijs, qui uiuum adduxissent, aut si minus possent, qui mortui caput attulissent. Quid simile Iudæi moliti sunt in Christum? Imò quis fando audiuit inter ethnicos facinus execrabilius? Specimen dedi, talia sunt schismaticorum & hæreticorum tabernacula. Quid nũc commemorem de Circumcellionum furiosa crudelitate? Quid de Donatistarum uafricie, technis ac uiolentia? Hæc non ignorant, qui legerunt Augustini de his actis commentarios. Sed hæc uetusta. Magis deplorandum quod nostra etiam memoria, reperta sunt conuenticula in quibus noctu post decantatas dei laudes, extinctis lucernis, promiscua Venere uiri cum fœminis miscebantur. Sit hoc leue, in quibus matres ultro tradebant suos infantes occidendos, & tam immane facinus hilari uultu spectabant, persuasæ sic interfectos inter præcipuos sanctos habẽdos. Quæ demẽtia uidetur ex hæresi quę κατὰ φρύγας dicitur traxisse originem, qui Eucharistiam ex farina sanguine infantis macerata conficere solent. Eum minutis punctionibus excipiebant. Quod si puerũ eum mori contigisset, pro martyre colebatur. Vides in quæ portenta deuoluantur homines, qui semel deserto dei tabernaculo, sese manciparunt tabernaculis impiorum. Iam si præstãti forma puellam, cum anu deformi componas, & illa uidebitur amabilior, & hæc aspernabilior. Ita propheticus ac spiritualis oculus conferens synagogas satanæ, cum tabernaculo dei, in quo regnat cœlestis illa ueritas, in quo exuberat pax exuperãs omnem sensum, in quo feruet charitas fuci nescia, triumphat fides inuicta, in quo uno ore, unaq; anima canuntur laudes dei, magis erumpit in uocem: Quàm amabilia tabernacula tua domine uirtutum. Piorum enim concordia cœlestis illius ecclesiæ imaginem nobis repręsentat, in qua nulla est opinionum dissensio: Iam enim gloriam domini non in ænigmate, sed reuelata facie speculantur. Summa animorum concordia, summa charitas, uno ore eademq; mente deum hymnis celebrant. Adde huc, quod spiritualis oculus, quem perspicacem reddit lumen fidei, plus cernit quàm oculus corporis. Quid igitur ille uidet præterea? Videt Christum in medio suorum residentem ac benedicentem cœtui suo, quemadmodum ipse pronuntiauit in Euangelio: Vbicunque sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vidit angelos protectores ac ministros sanctæ congregationis, magna frequentia summaq; reuerentia uersantes. In tabernaculis impiorum omnia diuersa sunt, in quibus præsidet satanas, nunquam nocentior, quàm quum se trãsfigurat in angelum lucis, interiunt impij spiritus ad omne malum instigantes. Vt ne iam commemorem diuersum exitum. Quid Core & illius cõiuratis acciderit, sciunt omnes. Horribile spectaculum erat terram dehiscere, ac uiua corpora deuorare: aut igni cœlitus emisso, aut fulmine, consumpta tot hominum milia. Nam postridie recrudescente populi seditione, quatuordecim milia perierunt incendio cœlesti. Sed horribilius est, et animam & corpus mitti in gehennam. Nec omnino falsum est, quod dicunt quidam, inuisibilem esse ecclesiam. Solus enim deus introspicit corda hominum, ac uere nouit, qui sint ipsius. Multis tamen argumentis sæpe deprehenditur ubi sit ecclesia dei, ubi synagoga satanæ. Multorum enim peccata præcedentia sunt ad iudicium. Sed hæc ipsa ecclesia uisibilis, quę bonis habet admixtos malos, quantum habet alacritatis ac maiestatis quoties ad pietatis cultum conuenit. Vbi is cui datum est donum prophetiæ, syncere tractat ac dispensat uerbum dei, populus religiosa attentione ac reuerentia auscultat, non ut uerbum hominis, sed ut uerbum dei. Quum interim qui docet sic afficitur, ut sentias Christi spiritum per os hominis loqui. Interea uidere est præsentem spiritus energiam in auditoribus.

Hæreses recẽtiores

Cõparatio tabernaculorũ

Exitus hæreseon

1. Tim. 5

Concio ecclesiastica

Alij

Alij ſuſpirant,alijs erumpunt lachrymæ,alijs hilareſcit facies,in ſumma dicas oẽs transfigurari.Rurſum quum in ſolenni cultu,ſuo quiſq; munere fungitur,alius recitat ſacram lectionem,alius decantat laudes deo,alius orat totius multitudinis nomine,tractatq; myſteria,alij hæc agenti ſubſeruiunt, populus interim religioſo ſilentio ueneratur hæc omnia, Quis hæc ſpectans non fateatur,amabilia eſſe tabernacula dei? Itidem quum procedit eccleſiæ ſupplicatio decenti digeſta ordine, etiam ij qui tantum ſpectandi gratia proſpiciunt,uenerabunda quadam alacritate tanguntur. Poſtremo omnis legitimus conuentus hominum ad rem honeſtam habet dignitatem quandam,atque adeo lætitiam.Cuiuſmodi ſunt diſcipulorum ad profeſſionem, aut diuerſorum hominum ad diſputationem publicam.Alcibiades quum primum eſſet uerba facturus apud populum Athenienſem,ſenſit animi trepidationem.Eam illi ſic exemit Socrates. Rogat num poſſet contemnere coriarium aliquem? Reſpõdit,Maxime.Num figulum? reſpõdit facile. Num fabrum, aut cementarium? Quum de ſingulis interrogatus reſpondiſſet apud quemuis iſtorum poſſe intrepide dicere: Atqui, inquit Socrates, ex his conſtat ille populus quem tu uereris. Quod ſi per ſe contemptiſsimis hominibus ipſe conuentus conciliat dignitatem ac reuerentiam,quanto uenerabilior eſt cœtus piorum hominum ad cultum dei uiuentis congregatorum? Tantam autem uim habet chorus unanimiter deo fidentium, ut prophanos etiam rapiat in admirationem ſui, ſicut teſtatur Paulus, Idiotam aut incredulum ingreſſum eccleſiam ſanctorum,procidere in faciem ſuam,& adorare deum,profitentem quod uere deus ſit in medio ſuorum. Balaam propheta quidem erat, ſed impius. Is tamen è monte conſpectis Iſraelitarum tabernaculis, coactus eſt exclamare: Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael. Videbat idem felicem illorum mortem qui perſeuerat in caſtris eccleſiæ. Moriatur,inquit, anima mea morte iuſtorũ,& fiant nouiſſima mea horum ſimilia.Conſpicit horum tabernaculorum pulchritudinem propheta ſanctus quum exclamat in Cantico graduum:Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum. Vidit & Petrus, ſed tanquam per ſomnium, quum in monte contemplatus eſſet domini gloriam, & audiſſet Moſen ac Heliam, de gloria mortis dominicæ colloquentes: Domine,inquit, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula. Illic demum uera eſt concordia, ubi lex & prophetæ conſentientes Chriſtum noui teſtamenti miniſtrum, non litera ſed ſpiritu prædicant. Hoc nec fit in ſynagogis Iudæorum, qui legem detorquent,non ad Chriſtum, ſed ad neſcio quem alium Meſſiam, quem totiam ſeculis fruſtra expectant infelices:nec in tabernaculis Manichęorum, qui totum uetus teſtamentum ut non à deo ſed à principe tenebrarum proditum reijciunt: nouum ſeu multis locis falſatum ſuo arbitrio probant aut improbant.Deniq; in nullis hæreticorum tabernaculis,ubi ſcripturæ non ad Chriſtum qui eſt ueritas,accommodantur, ſed ad ſenſum humanum detorquentur. Id enim ſemper fuit hæreticorum proprium. Siquidem Priſcillianiſtæ nullius libri uel ueteris uel noui teſtamenti authoritatem reijciebant, ſed quum abſurdiſsima docerent, quicquid cum ipſorum dogmatibus pugnabat falſa interpretatione ad alienum ſenſum deprauabant. Verum ut ad Pſalmi tenorem redeam, Si tabernacula dei intelligis,eccleſiam adhuc in terris militantem,puta hæc dici, uel à catechumeno,uel ab ethnico aut Iudæo reſipiſcente, uel à peccatore ſiue hæretico ſchiſmaticóue redeunte ad cor.Sin de ea parte eccleſiæ,quæ iam triumphat cum Chriſto,puta quemuis pium hominem,cum Paulo cupientem diſſolui & eſſe cum Chriſto,dicere: [Quàm amabilia tabernacula tua domine uirtutum.] Abruptum ſermonis initium declarat deſiderij magnitudinẽ à profunda contemplatione proficiſcentis.Nec ocioſum eſt,quod alloquẽs dominum dicit Tua. Quicquid in eccleſia uirtutis,roboris, aut felicitatis eſt, domini eſt, non hominum.Ille gratis ſibi redemit eccleſiam,ille gubernat,ille tuetur aduerſus omnes procellas. Et quicunq; eccleſiæ reſiſtit,non rebellat hominibus,ſed deo.Hoc aperte loquitur per os Zachariæ capite 2. Qui tetigerit uos,tanget pupillam oculi mei. Et Paulus audit:Saule Saule, quid me perſequeris? Rurſus quemadmodum in Euangelio agnoſcit ſibi præſtitum quicquid beneficij collatum fuerit,uel in infimum Chriſtiani nominis profeſſorem:ita quicquid malorum ingeritur in eccleſiam catholicã, ſibi ingeſtum eſſe deputat. Talem præſidem ac propugnatorem quum habeat eccleſia catholica, fruſtra ſunt omnes impiorum conſpirationes aduerſus illam.Eoq; pſalmus addit, Domine uirtutum.

Ritus eccleſiæ

Multitudinis autoritas

Numer. 14

Detorquere ſcripturã per nicioſiſſimũ

Tua

Matth. 15

Virtutes autem hic appellat, non ἀρετάς, quæ opponũtur uitijs, sed δυνάμεις, quæ uox sonat Potentiam. Atque hoc cognomento sacræ literæ nonnunquam designant deum: ueluti Psalmo XXIII. Dominus uirtutum ipse est rex gloriæ, δυνάμεων. Præcesserat enim, dominus fortis & potens in prælio. Et in ueteris testamenti uoluminibus frequenter appellatur dominus Sabaoth, quod Hebræis sonat uirtutum siue exercituum, quam uocem & hic habet psalmus apud Hebræos. δυνάμεις in mysticis literis interdum declarat, præcipuos angelos, quorum ministerio deus utitur ad electorum suorum protectionem.

4. Reg. 6 Hunc exercitum uidit Helizęus quum puero ad conspectum Syrorum exercitum exanimato diceret: Noli timere, plures sunt nobiscum, quàm cum illis. Et ad prophetæ preces aperti sunt oculi ministri, mox & ipse uidit montem plenum equitibus & curribus igneis. Nemo, inquit Christus, potest eos de manu mea eripere, quos pater dedit mihi. Concinit his canticum graduum: Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborãt qui ædificant eam, &c. Tempore Pauli nec opibus, nec uiris, nec ullis mundi præsidijs erat munita ecclesia, & tamen magna fiducia loquitur: Si deus pro nobis, quis cõtra nos?

Rom. 8 Moxq; eo fiduciæ prouehitur, ut quum ecclesia tot malis undiq; premeretur, non uereatur dicere: Certus sum quod neq; mors, neque uita, neque angeli, neq; principatus, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neque profundum, nec ulla creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Vnde tanta fiducia Paule, inter tot mortes, inter tot pericula & foris & intus urgentia? Vnde iste spiritus, paucis, indoctis, priuatis, tenuibus & oppressis? Ex nobis, inquit, nihil possumus, sed dominus noster est dominus uirtutum. Siue igitur accipias uirtutes angelos, ecclesiæ protectores, siue miracula, uterq; sensus declarat ecclesiæ dominum prorsus inuictum esse, quum sit omnipotens, ad cuius nutum præsto sunt omnes angelorum legiones, & qui facit mirabilia magna solus, quiq; solus quicquid uoluit fecit, in cœlo pariter atq; in terra. Ecclesię primordia miraculis non humanis præsidijs inualuerunt. Et quoniam quicunque pie uiuunt in Christo Iesu, impiorum persequutionem patiuntur, humiles iuxta mundum ac pauci præ his qui oppugnant, ad consolationem gregis pusilli dictum est, domine uirtutum. Hic est enim ille qui dicit in Euangelio: Nolite timere pusillus grex, quia uestrum est regnum cœlorum. Et rursus, confidite, quia ego uici mundum. Solus hic potuit alligare fortem domumq; illius ac supellectilem diripere. Aestimati, inquit, sumus sicut oues occisionis. Quod animal oue imbecillius aut magis imbelle? Sed quid dicit Paulus iam è lu

2. Cor. 10 po factus ouis? Arma militiæ nostræ non carnalia sed potẽtia deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam dei, &c. Eodem in loco obiurgat Corinthios, quod quum adhuc essent carnales, ea tantũ uiderent, quæ erant secundum faciem, atq; è rebus externis æstimantes apostolos, quod non solum iuxta mundum tenues essent, & humiles, uerumetiam afflicti, contemnerent eos quum essent spiritualibus opibus ditissimi, spiritualibus armis munitissimi. Ita quorum oculos occupauit huius mundi potentia, quum metiuntur ecclesiam Christi externa specie, non solum contemnunt eam, uerumetiam abhorrent & auersantur. Tales erant olim qui baptismũ in extrema uitæ diem studio proferebant, nec nisi tristes ac deplorati ueniebant ad atria domini. At qui spiritualibus oculis cernit gloriam filiæ regis ab intus, dicit cum propheta: Concupiscit & defecit anima mea in atria domini. Mediocria bona moderatis affectibus expetuntur, at illa quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ deus præparauit diligentibus se, ingenti desiderio expetanẽ oportet. Hanc desiderij magnitudinẽ propheta expressit addens, et defecit in atria domini.

Defectus spiritualis ἐπιθυμεῖν uulgare est, sed ἐκλείπειν non est nisi supra humanum modum desiderantiũ. Græci λειποθυμῶν appellant, quum propter uehementẽ & subitum spirituũ motum homo destitutus animo sibi excidit ad tempus. Eam affectionẽ aliquando gignit in homine, uehemens pauor aut admiratio: unde stupefactos & attonitos dicimus. Nonnunquam ingẽs dolor, aut lætitia præter spem obiecta, aut amor impotens. Vnde & in prophanis tragœ

Apud Senecã diijs, Phædra ad Hippolyti conspectum concidit exanimi similis. Et historijs proditũ est, mulierem ad inexpectatũ filij sui introitum, quem acceperat in bello cecidisse, fuisse exanimatam. In eundem sensum usus est hoc uerbo Psalmo 108. Defecit in salutare tuum anima mea. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Huc pertinet quod sponsa loquitur in

Cantico

Cantico Solomonis. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore lãgueo. Quę fulciri postulat, periclitatur ne concidat. Idem enim accidit in spiritualibus quod in rebus externis. Requiritur moderata cognatio inter potentiam & obiectum. Alioqui si quod sensui obijcitur careat modo, sensum obruit: ueluti sol nulla nube temperatus, si intẽdas oculos corrumpit uisum, & sonitus immodicus adducit surditatem. Sicut literis eruditorum proditũ est, apud Stadisin oppidũ, ubi Nilus per Cataractas ingenti fragore præcipitat, indigenas nasci surdos. Item illud sæpenumero uidemus accidere, ut qui uehementer intendunt animũ rebus supra modũ subtilibus inuestigandis, incidant in dementiã. De Aristotele literis proditum est, uere an falso nunc non excutio, quod postea q̃ ingenium suum diu multumq; torserat studio peruestigandi causas, quur mare Euboicum secus q̃ alia maria septies in die decurreret, ac recurreret, neque quicq̃ proficeret, sese in ipsum abiecit mare, dicens, quando ego non te capio, tu capies me. Quo minus mirãdum est, si qui non contenti credere, quæ nobis tradidit scriptura, de diuina Triade multa scrutantur humanæ mentis captũ in immensum excedentia, in delirationẽ decidunt, ut iam cõmuni quoq; sensu careant, qui supra humanũ sensum sapere uoluerũt. De quibus uaticinatus est Solomon: Qui scrutator est maiestatis, opprimitur à gloria. De eisdem Esaias: Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint. Sed iamdudum audire cupis, quæ sint ista præclara bona, sensum humanum exuperantia, quæ conspexit hic qui tanto desiderio gestit in atria domini ingredi, ut præ admiratione deficiat animo? An quisquã digne ualeat existimare, quanta sit dignitas, quantaq; felicitas, hominem peccatorem ac Satanę laqueis irretitum, per fidem ac baptismum gratis è mancipio diaboli cooptari in numerum filiorum dei, insitum corpori Christi, unum cum illo fieri, ex hærede gehennæ fieri hæredem regni cœlestis, allegi in illud glorioſum contubernium sanctorum omnium qui à cõdito mundo fuerunt, quiq; usq; ad consummationem seculi futuri sunt, siue in cœlis, siue in terris? Tantus honos tantaq; beatitudo præstatur catechumenis in atrijs domini, priusquam admittantur ad penetralia. Nam atriũ proprie nobilium ædiũ ingressus dicitur, Vnde serui atrienses, qui atrio præsunt. Itaq; qui fidei oculis perspicit maiestatem domus dei, quid mirum si ad res diuinas, & humana natura superiores animo deficit, & affectu impotenti raptus sese præ desiderio non capit? Horatius homo facundus ad Mœcenatem accitus pauca loquitur, idq; ut ipse ait, singultim. Nec raro accidit uiris alioqui magnis & eruditis, ut in celebri confessu pontificum aut principum dicturis uertigo oboriatur, sibiq́ue repente sic excidant, ut quæ mensibus aliquot meditati sunt proloqui non possint. Sed quid illius confessus maiestas ad ecclesiæ gloriam? Certius autem cernitur oculis fidei quàm oculis corporeis. Proinde qui frigidi & inuitis similes ueniunt ad baptismum, nondum peruident ad quantam felicitatem recipiantur, eoq; indigni sunt qui potiantur ad quod inuitantur. Age si cui plebeio in tetro carcere marcescenti ueniat nuncius dicens, Bono esto animo: hodie liber Regiam ingredieris, futurus inter aulæ proceres, & regi charus: nónne periculum esset ne subito gaudio deficeret, & ne post carceris tenebras ad regalis domus lucem ac maiestatem admissus ipse sibi excideret? Sed quis carcer, quod barathrum tam tetrum est, quàm est in quo detinentur, quos Satanas alligauit criminum uinculis? Aut quæ est usquam regia, etiam si omnium splendorem in unam conferas, quæ cum ecclesiæ maiestate possit conferri? Quod si merito reprehendendi sunt, qui tantam gratiam segnes ac languidi accipiunt, quanto iustius culpandi sunt, qui in huius regiæ penetralibus sordide & incomposite uiuunt? Arbitror & in ipsis prophetæ uerbis aliquid latere mysterij: non dicit ego defeci, sed, Anima mea defecit: nec ait, ego exultaui, sed, Cor meum & caro exultauerunt. Animæ uox in literis sacris interdum humanum quiddam & infirmius sonat. Veluti quum Paulus loquitur Corinthijs: ψυχικὸς, hoc est, animalis homo non recipit ea quæ dei sunt. Sic & Iacobus huius mundi sapientiam, quæ fidem reijcit & humanis rationibus scrutatur diuina, animalem appellat. Sic & caro hominis crassius quiddam sonat, cui perenne bellum est cum spiritu Dei. Cordis uero nomine spiritum hominis siue mentem significare uidetur. Spirituum enim uitalium iuxta Physicos fons in corde est. Est igitur caro quæ, autore Paulo, regnum Dei non ualet possidere. Et est Caro, cuius consortium non patitur spiritus Dei. Puta hanc esse infimam hominis partem. Sic est & anima quæ repellit spiritum

Introitus in ecclesiam.

25 40

1. Cor. 2

Gen. 6

dei, quemadmodum ait S.Iudas,eos ceu digito notans, qui sectantes ea quæ sunt huius mundi,per sectas & schismata secedunt ab ecclesiæ consortio.Hi sunt,inquit,qui segregãt semetipsos,animales,spiritũ non habentes.Iam est & cor hominis in quod nõ ascẽderunt ea quę deus pręparauit diligẽtibus ipsum. Quũ igitur totus homo,ut omnes suas uires in unum conferat, nõ sit capax donorũ cœlestium,quid supereſt nisi ut totus deficiat in sese cõcidatq́,quo renouatus & erectus spiritu Dei, per fidem perspiciat quàm ingentia sunt quæ diuina benignitas nobis per filiũ gratis largitur, si digne accedamus ad illius tabernacula. Sic deficere proficere est, sic exanimari uiuificari est, sic sibi excidere, est reddi sibi, sic cõcidere,est erigi,sic suis uirib.destitui,est robustũ fieri in Christo, sic emori, est in deum transformari. Nisi enim mortificetur quod animale est, non exoritur quod est spirituale. Itidem in rebus naturæ,corrumpitur siccum & informe semen, ut exurgat uiridis arbor.Emoritur deformis eruca,ut prouolet nitidus ac picturatus papilio. Marcescit cicada iam anus,ut ex sicco exuuio,prodeat noua succulenta modulatrix. Posteaquam igitur totus homo defecit,& defecit in tabernacula dei,tunc caro simul et anima,& cor illius exultat in deo uiuo, Spiritus enim dei per fidem innouat omnia, fitq́ totus homo noua creatura in Christo Iesu.Nam est caro quæ uidet salutare dei,& iuxta Paulum est corpus spirituale,& est cor mundum quod in nobis creat Deus,& est spiritus rectus quem innouat in uisceribus nostris. Hinc nimirum nascitur illa spiritualis exultatio, non in opibus aut honoribus aut uoluptatibus huius mundi,non in forma uiribusq́ corporis, non in sapientia humana,sed in deo uiuo,qui uitam dat mortuis.Is demum tuto gloriatur,qui beato Paulo monitore,in domino gloriatur.Scriptura frequenter hoc uiui cognomen attribuit deo,non tantum ad differentiam simulacrorum mortuorum, sed etiam ad declarandum illius omnipotentiã, Viuum enim dicitur quod est efficax.Nõ est magnum si credamus deum esse uiuentem,quum uiuant & bruta animalia, sed hic solus sic est uiuus, ut sit ipsa uera uita,unde uelut à fonte manat omnibus uita.Ego,inquit dominus,sum uia,ueritas et uita. Mortificato igitur uetere homine & sepulto in baptismo, nouus homo in se quidem mortuus,sed in se uiuentem habens Christum,totus exultat, gratias agens ei cuius gratuita munificentia sic transformatus est. Sara enim non genuit Isaac, hoc est gaudium spiritus, nisi posteaquam illi defecerant muliebria. Cæterum unde genuit? ex Abraham,carne emortuo,sed fidei uigore uiuo uiuidoq́. Cæterum ipse propheta causam huius exultationis maluit per allegoriam nobis exprimere: [Etenim passer inuenit sibi domum,& turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.] Quàm magnificam rem q̃ humili tropo expresit spiritus propheticus. Quid est igitur quod sic exultas,sic gaudio gestis ac triumphas qui paulo ante defeceras? Quia passer,inquit, inuenit sibi domum, & turtur nidum,ubi ponat pullos suos. Naturæ instinctu omnia animantium genera parant sibi locum aliquem,in quo post labores tuta conquiescant,& in hoc mira ingeniorum uarietas. Pleraq́ procul in auia & impedita loca recedunt, quæ uix à uenatoribus perueſtigantur, ut cerui: Apri fruticetis abdunt sese.Leones ac dracones speluncarum recessibus, Lepus auerso saltu mire fallit uenatorem, ne deprehendat cubile. Serpens in cauernis suis tutus est. Cuniculi subterraneis labyrinthis sese tuentur.Formicæ in cauis effossis per hyemem latitant. Apes in cauis arboribus extruunt cellas suas, easq́ crusto tenaci & amaro foris oblinunt,quo tutæ sint aduersus iniuriam. Habent & pisces recessus ac latebras suas. Auium magna pars in saltus inaccessos aut in loca palustria recipiunt sese. Aquila in præruptis ponit nidũ,perdix humi.Alcyones in mari suspendunt nidum,tanta arte contextum,ut ne ferro quidem rumpi possit, nec adhuc à quoquam deprehensum est, unde conficiat fluitantem domunculam. Complures surculis ac stipulis arte congestis in ædium fumarijs,aut in arbore suspensis nidulantur.Passeres & hirundines nos quoq́ docuerunt ex uda argilla paleis temperata struere macerias. Et ne singula cõmemorando fiam prolixior,unum quodq́ animal,ubi repperit in quo tuto conquiescat,suamq́ sobolẽ educet,suam felicitatem assequutum est,nec amplius quicquam desiderat. Habet enim naturæ principia,quæ sunt tueri sese, & suã propagare speciẽ. Sed mirabitur aliquis quur ex omnium animantiũ generibus solæ nominentur aues, & in his passer tantũ & turtur. Inter omnia animantium genera minutissimum est auium genus. Habet terra elephantos, mare balenas,immani magnitudine.Inter aues autem minimus est passer,cuius uilitas,& uita

Metamorphosis mystica.

2.Cor.5

Deus uiuus.

Isaac quid mystice.

Passer & turtur.

uita ſolicitudinis expers, nobis ore domini cõmendata eſt. Non amat ſpiritus ſanctus animos faſtu turgidos, corporalium q; bonorum amore grauatos, & ob id humi gradientes: uolucres amat animas, cœli cõmercio gaudentes: amat in ſuis oculis puſillos, iuxta mundum contemptos, amat totos de dei prouidentia pendẽtes. Si deus ſic ueſtit, ſic alit paſſerculos quorũ bini aſſe ueneũt, quid tu te diſcrucias, in extremã ſenectam, ad quam fortaſſe nunquam peruenturus es, & in liberos, nepotes ac pronepotes, per fas nefas q; congerens diuitias, fortaſsis ad eos peruenturas, ad quos tu minime uelles. Et ſi ex paſſerculis unus non decidit in terrã: nam hoc interdum fit, ex immodico, ut quidam tradunt, coitu: quid tu cooptatus in gregem illorum de quibus ſeruator pronunciauit, ne pilum quidem capitis peritu rum ſine prouidentia patris, ad genethliacos, & aſtrologos curris, metuens ne ante diem tuum pereas? Turtur hoc habet commune cum columbis, quod ſuſpiriũ ædit pro cantu, quod adulterium neſcit, imò ne digamiam quidem: fertur enim, compare mortuo, nulli alteri ſe iungere. Quare uox huius grata eſt ſponſę, in myſtico Solomonis cantico, Vox inquit, turturis audita eſt in terra noſtra. Alioqui uernis menſibus longe dulcius canunt alaudæ ac luſciniæ, ſed ſponſæ placent turturum ſuſpiria. Quotquot enim contemnunt hunc mundum ſpe uitæ cœleſtis, quandiu uerſantur in hoc corporis tabernaculo, ingemiſcunt grauati, eò ſicut ait Apoſtolus, quod nolint expoliari, ſed ſuperueſtiri, ut 2. Cor. 5
abſorbeatur quod mortale eſt à uita. Adde quod in ueteri teſtamento turtur pauperum erat oblatio, ut uilitas huic aui ſit cum paſſere communis. Sibi uiliſsimus ſit oportet qui uere agnoſcit in ſe nihil eſſe boni. Quid Paulo ſublimius? tamen ut paſſerculus loquitur, quum ait ſeſe abortiuum, & Apoſtolorum minimum ac prorſus indignum Apoſtoli nomine, denique reiectamentum ac peripſema huius mundi. Sed hæc uilitas una res eſt, quæ nos reddit precioſos in oculis Dei, Hæc exiguitas magnos & excelſos facit apud iuſtum iudicem. Vis audire huius paſſerculi magnitudinem? Omnia, inquit, poſſum in eo qui me corroborat. An non dicas hic è paſſerculo aut turture factum leonem? Ex diametro pugnant iudicia dei & iudicia huius mundi. Itaq; ſicut mundus amat ac magnifacit eos qui de mundo ſunt, ita odit & contemnit eos qui de mundo non ſunt. Heb. 11 Circũierunt, inquit, in pellibus ouium et caprarum, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errãtes, in mõtibus & ſpeluncis & cauernis terræ. Quid contemptius? ſed audi dignitatem. Quibus, inquit, dignus non erat mundus. Quid Paulo iuxta mundum abiectius, qui ſeſe appellat peripſema, hoc eſt, purgamẽtum quod abijcitur? Sed idem ille tam deſpectus mundo, quãti fuit apud Chriſtum, qui teſtatur illum ſibi uas eſſe electum. Sed quid de cæteris ſanctis loquor, quum ipſe gloriæ dominus dicat per os Dauid: Ego ſum uermis & non homo, opprobrium hominũ & abiectio plebis. Atqui idem ille mundo cõtemptiſsimus, eſt, in cuius nomine ſe flectit omne genu, cœleſtium, terreſtrium & inferorum, quic; pari conſortio in gloria eſt dei patris. Nullus igitur pie uiuens diſpliceat ſibi, ſi contemptus & inuiſus eſt ijs, qui hauſerunt ſpiritum huius mundi. Eſt quidẽ pro uiribus enitendum, ne cui prębeamus offendiculum, attamẽ magnum eſt argumentum nos eſſe gratioſos apud Chriſtum, ſi citra culpam noſtram mundo ſimus inuidioſi. Quum mundum dico, nõ deſigno profeſsionem, ueſtem, cibos, aut titulum, ſed animum Chriſti ſpiritu uacuum. Vulgus enim hac uoce quemadmodum alijs multis abutitur, mundanos appellãs, qui ſacris initiati non ſunt, aut qui monaſticam uitam profeſsi non ſunt. Profeſſos autem appellant extramundanos & mũdo mortuos. Atqui ſicut ſub omni ueſte, quantumuis ſit uilis aut ἱερατικὴ, latere poteſt mundanus animus, ita ſub ueſte quamuis laica, aut etiam militari *Mundus quid*
latere poteſt animus à mundo alienus, etiã ſi pluma ſtruthiocameli uolitet in pileo ſecto. Sed interim fortaſsis ſubibit alicuius animũ admiratio, quomodo repẽte, à tãta exultatione totius hominis, ad ſuſpiriorũ mentionẽ dilapſi ſimus, uelut à calcaria (quod aiunt) in carbonariã. Quoniã hę duę res licet inter ſe pugnare uideantur, tamẽ ita ſibi cõnexę ſunt, quamdiu uerſamur in hoc mortali tabernaculo, ac theſaurum cœleſtem portamus in uaſis fictilibus, ut altera ab altera ſeiungi nequeat, imò quod maius eſt, altera uiciſsim ex altera naſcatur. Omnis noſtra exultatio qui per fidem ambulamus, eſt in ſpe futurorum bonorum. Quæ quo clarius cernimus oculis fidei, quoc; certius ſperamus, hoc maiora trahimus ſuſpiria, ſicuti uehementibus deſideriis omnis moleſta eſt dilatio. Quoc; magis ad illã uitã ſuſpiramus, hoc magis exultat cor & caro noſtra in deo uiuo, dum in mundo triſtitiam

triſtitiam habemus,in Chriſto ſolatium.Nihil hic perfectum eſt,uix quicquã tutum. Ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus. Et qui ſtat,huic uidendum eſt ne cadat. In medio laqueorum ambulamus,quos omnes effugere difficillimum eſt,ne dicam impoſſibile. At hę moleſtiæ quas hæc uita ſecum defert,etiam ſi non tantum ualeant,ut nos abducant à charitate,quæ eſt in Chriſto Ieſu,tamen ab illa ſpirituali mẽtis exultatione frequenter auocant,et cogunt ingemiſcere deſiderio eius diei,quo continget quod perfectum eſt. Quis enim à tali exilio non ſuſpiret ad talem patriam? Vis audire turturem ſuſpirantem? lege Pſalmum 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt:habitaui cum habitantibus Cedar,multum incola fuit anima mea. Domine libera animam meam à labijs iniquis,& à lingua doloſa.Pijs hominibus magna pars afflictionum eſt perpeti mores et linguas malorum.Hic enim locum habet quod ait Eccleſiaſtes,Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem,& in multo ſenſu multa indignatio. Lumen ſolis omnibus commune eſt,

Cedar mũdus at non omnibus commune lumen fidei. Cedar Hebræis, tenebras ſonat. Quicquid autem moliuntur,qui mundi huius ſpiritum habent, mera caligo eſt, oderunt lucem ueritatis ac magis amant tenebras.Et quum propemodum plus diſcriminis ſit inter hominẽ fide illuminatum ac ſpiritualem,& hominem fide uacuum & carnalem,tamen in hac peregrinatione pij coguntur cum tam diuerſis animis in eadem urbe et in unis ædibus uiuere. Sic Loth uiuens Sodomis animo diſcruciabatur,optans eripi à nefariorum cõſuetudine. Sed turturem eundem quem modo audiſti grauiter ſuſpirantem, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: Audi rurſus exultantem ſpe promiſſæ felicitatis:Lætatus ſum, inquit,in his quæ dicta ſunt mihi,in domum domini ibimus. Auſculta & alium turturem inſignem,grauiter ingemiſcentem patrię cœleſtis deſiderio:Infelix ego homo quis me li-

2.Cor.7 berabit de corpore mortis huius? Nunc & hunc auſculta exultantẽ:Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni afflictione noſtra. Hos gemitus uidemus ſemper fuiſſe grauiſsimos in uiris ad cœleſtem beatitudinem anhelantibus. Hinc prophetarum in deſerta loca receſſus. Hinc olim poſt Chriſtum paſſum tot hominum examina non ferentium idololatrarum impietatem ac ſæuitiam, occupauerunt ſolitudines Thebaidis.

Origo monachorum. Hinc prima monachorum origo.Satius eſſe ducebant cum leonibus ac pantheris habere commercium, quàm cum hominibus impijs. Alij receſſerunt in ſolitudines Syriæ, quorum eſt beatus Hieronymus.Alij in deſertas inſulas ſeſe abdebant. Alij montium cacumina,penè inacceſſa obſidebant,ut diuus Benedictus.Nonnulli paludes horridas,& uix ulli animantiũ habitabiles ſcrutabantur,ut Patricius ac Bernardus. Alij rupes & ipſo aſpectu horrenda quærebant loca,ut Bruno,aut ſi quis alius fuit autor Carthuſianæ ſodalitatis.Hæc ſuffugia perſuadebat pijs hominibus huius exilij tædium. Studebant ſeiungi ab his qui habitabant Cedar. Sed hic quocunque te uertas, quocunq; te abdas,in exilio es. Quære, pete quàm uoles retruſas latebras,homo ad homines uadis,atque ut uniuerſum hominum commercium effugias,hominem tecum effers,mortale corpus tecum circum-

Receſſus inutilis. fers quo grauatus ſic ingemiſcit Apoſtolus.Diuus Baſilius legitur monachos qui in ſolitudinibus procul ab hominum cõmercio degebant,ad urbana ſodalitia reuocaſſe: quod uir prudens intelligeret illorum pleroſq; non euadere uere pios,ſed ſupercilioſos,falſa ſanctimoniæ perſuaſione turgidos,iritabiles,uindices, moroſos,ſenſus communis expertes, & ad omnem uitæ functionem ineptos.Fatetur idem diuus Chryſoſtomus, experimento cognoſci,ſi quando ab illis ieiunijs,uigilijs & chameunijs ad epiſcopi munus accerſerentur.Foris quærebant,quod intus quærendum erat. Ponebant nidos,ſed non in atrijs domini,quum regnũ dei ſit intra nos. Hic ipſe ſermonis curſus admonet nos ut ad nidos

Nidus quid reuertamur. Nidus eſt in quo acquieſcit hominis deſiderium, & in quo tranquille fouet pullos,hoc eſt,curas ac cupiditates ſuas.Felix enim ille dicitur,qui quum ſapiat,nihil prę terea deſiderat.Id nulli mortalium in hac uita poteſt contingere. Cæteris animalibus natura felicitatis terminos præſcripſit, quæ ſimul ut ad id peruenerint,ad quod cõdita ſunt, ſuam quandam beatitudinem aſſequuta ſunt.At hominis animus quoniam diuinus eſt et immortalis,nihil inuenit in hac uita in quo uere conquieſcat, niſi id fuerit aſſequutus ad quod conditus eſt.Quid eſt igitur illud ad quod conditus eſt homo? Vt corpore ſimul & animo cognoſcat,amet, glorificetq; Deũ conditorem & redemptorem ac dominũ ſuum. Hæc eſt,inquit dominus,uita æterna,ut cognoſcant te ſolum uerum deum,& quem miſi-

ſti

sti Iesum Christum. Cognoscere, uidere est, & uidere, frui est: frui, beatitudinis extrema linea est. Hæc felicitas non cõtinget plene, nisi in resurrectione iustorũ. Hic tamen aliquis nidus est in atrijs ecclesię, sed pensilis ac fixus in spe futurorum. Nam extra ecclesiã nulla est ueræ felicitatis spes. Tam immensa, tam capax res est animus humanus, ut eum solus deus possit explere, etiam si illi præter deum sexcentos mundos addas. Quid quod etiam in rebus inanimis uideas unumquodq; ad suam ferri sedem? Lapis ex alto deiectus, simul ut terram cõtigerit, quiescit, flamma quanto impetu fertur ad suum locum? Quid est hoc, quod interdum sic concutit terram, ut saxeos etiam montes disrumpat, nisi Boreas, nitens in natiuum erumpere locum? Sic uesica uento distenta ui in aquam depressa exilit. Ignea res est animus hominis, qui quanquam grauatur hoc terreno corpusculo, tamen non quiescit donec ad natiuam sedem subuolarit. Ac natura quidem omnes homines uenantur ocium, quærunt aliquid in quo conquiescat animus, sed quoniam in rebus uel inanibus uel perituris figunt nidum, quo magis expetũt quietem, hoc maioribus turbis inuoluuntur. Quid enim aliud sibi uolunt tot ueterum uolumina, De summo bono, De bonorum finibus, Deq; animi tranquillitate, quam Græci uocant εὐθυμίαν. Alius posuit nidum in scientia, alius in indolentia, alius in uoluptate, quidam in habitu uirtutis, quem appellant sapientiam, nonnulli in actu usuq́ue uirtutis. Sed isti omnes, teste Paulo, euanuerunt in cogitationibus suis: & quum lingua magnificis uerbis, alijs εὐθυμίαν pollicerentur, ipsi cor habebant irrequietum. Quur ita? Quoniam nõ exultauerunt in deum uiuum. Si sic delirarunt sapientum proceres, quid attinet dicere de idiotis, qui diuitijs metiuntur felicitatem? Atqui postea q̃ ad præscriptum sibi modum perueniunt, sentiunt esse uerissimum quod scripsit ille Venusinus. Crescentem sequitur cura pecuniã. Et, Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Alij contemptis opibus regnum ambiunt ac monarchiam. Quid enim aliud tanto rerum tumultu moliebatur Alexander Magnus? Sed quotã ille mundi partem sibi potuit subigere? Et si totum subegisset, quum ex Democrito didicisset innumerabiles esse mundos, ingemuit, qui in unius orbis parte tam diu laborasset. Quid nõ et fecit & passus est Iulius Cęsar, ut orbis Romani principatum teneret? Tenuit, sed ibi non conquieuit animus: imò curis & conscięntia scelerum urgẽte mente defectus est, ut uitæ tædio mortem optarit, sed inopinatam. Non potest esse uera quies, ubi est animus sibi male conscius. Finem nesciunt humanæ cupiditates. Hic sibi promittit ocium, si talem puellam nanciscatur uxorem insigni forma, pulchrę dotatam, sed proquiete molestiarum agmen reperit. Ille sibi beatam uitam pollicetur, si tale sacerdotium adipiscatur, sed assequuto crescit uenandi acrior sitis. Connectitur sacerdotium sacerdotio, eluctatum est ad abbatis dignitatem, petitur episcopi mitra, & mitra magis opima mitra permutatur: iam animus anhelat ad cardinalicium fastigium: hoc ubi contigit, ambitur corona triplex. An hic tandem conquiescit animus? Respondeat nobis Iulius Secundus, cuius extrema senectus intolerabilibus rerum fluctibus iactata est. De cæteris iudicent alij. Non est absurdum, quod diuus Augustinus interpretatur pullos, bona opera nostra, quæ nisi ponas in nido ecclesiæ catholicæ frustranea sunt. Phocion & Aristides, Traianus & Antoninus, alijq́ue complures multa fortiter, iuste ac pie gesserunt erga patriam. Laudatur Zenonis continentia, Xenocratis integritas, Socratis patientia, sed quoniam extra Christum facta sunt, non contulerunt ueram felicitatem. Iulianus imperator immensam pecuniæ uim effudit in subsidia pauperum. Sed aduersus Christum. Itidem in multis hæreticis quædam eximiæ uirtutes uixq́ue credibiles prædicantur. Magna diuitiarum contemptio in Ebionitis, prodigiosa orandi assiduitas in Euchitis, magna abstinentia ac uitæ seueritas in Manichæis. Sed hi frustra hæc omnia faciebant, quia non ponebant pullos suos in nido ecclesiæ, sed in suis quisque tabernaculis nidulati sunt, eoq́ue conuenit illis illud ueteris prouerbij, ut è malo coruo nasceretur malum ouum, & expectatis turturum pullis, excluderentur aspides. Nos igitur si quærimus ueram animi quietem, perseueremus in tabernaculo domini uirtutum, maneamus in unitate ecclesiæ catholicæ, quæ est Hierusalem, & ædificatur ut ciuitas, cuius participatio in idipsum. Hæc est enim illa beata quies, de qua dicit alius Psalmus. In pace in idipsum dormiã & requiescã. Quoniã tu domine singulariter in spe constituisti me. Sion autẽ mons est Hierosolymis, in quo tabernaculum erat & regia. Sion autẽ speculã sonat Hebræ-

Benefacta extra ecclesiã.

Hæreticorum uirtutes.

Sion mystice quæ Hebræis. In hunc igitur montẽ ascendamus, Quomodo ascẽdemus? Contemptu rerum terrenarũ ac desiderio uitæ cœlestis. Ibi post longas errorum ambages, post infrugiferas rerum humanarum curas delassati, inueniemus nidum in quo refocillemur, inueniemus requiem, quemadmodum dicit Psalmus 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Ingrediamur sine macula hæreseos, & proficientes in fide, quæ per dilectionem operatur, faciamus iustitiam, non Iudaicam sed Euangelicam, totum quod recte uidemur agere deo tribuentes. Vt autem in hunc montem subuolemus, simus animi demissione passeres, uiles minimiq; precij in oculis nostris, non solliciti de crastino, sed omnem solicitudinem proijcientes in eum, cui nostri cura est. Simus innocentia & castitate turtures, & intelligentes nos non hic habere stabilẽ sedem, ad cœlestem illam Hierusalẽ assidue suspiremus. Auscultemus uoci domini ad uerã animi quietem inuitantis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Tollite iugum meum super uos, et discite à me quod mitis sum et humilis corde & inuenietis requiẽ animabus uestris. Iuxta sensum humanum absurdus est sermo. Nam quæ requies mitibus & humilibus, qui conculcantur, et è sedibus suis exiguntur? Aut quæ requies ducentibus iugum? Seruitutis nomen est iugum, & iuxta Græcorum prouerbiũ Seruis nullum est ocium. Sed qui ad Christi exemplum mites sunt, terram possident: & qui iuxta mundum humiles sunt, in Christo sublimes sunt, pertingentes usq; ad cœlum: & qui placido Christi iugo submittunt colla, uere liberi sunt. Submittunt autem qui citra disquisitionem fidunt illius promissis. Sequamur prophetã mystagogũ, qui è uestigio nobis ostendit q̃ amabilia, q̃ pulchra, q̃ suspicienda sunt atria domini, quamq; placida sit in illis animorum requies. Nunc ex atrio ostendit nobis altaria domini, quæ sanctior & pulchrior templi pars est. Altaria tua domine uirtutum, rex meus & deus meus.] Apud Iudæos magna erat templi ac uasorum templi religio, magnificus altarium ornatus. Hinc illæ uoces Templum domini, templum domini, & sanctissimum iusiurandum erat, iurare per templum & altare. Nec fuit impune domino dixisse, Soluite templum hoc. Sed ista nihil aliud erant q̃ typi rerum spiritualium. Propheta dum hæc loquitur aliud quoddam tabernaculum non manufactum contemplatur, alia uidet altaria, quæ sic admiratur, ut ad tanta nitum uerba deficiant. Quidam enim hunc sermonem, Altaria tua domine, referunt ad superiora. Quàm dilecta tabernacula, quàm dilecta altaria. Augustinus annectit proximis, Passer inuenit sibi domum, turtur nidum: ut appositiue sequatur, Altaria tua: ut intelligamus ipsa altaria esse nidos, in quibus conquiescimus. Mihi rectius uidetur, ut sermo sit in absolutus, quo magis exprimantur admirantis affectus. Sic quum uidemus principis domum magnifice extructam stupefacti dicimus, Palatium regium. Et quemadmodum hic emphasis est in uoce Regium, ita in Prophetę uerbis magna emphasis est in pronomine Tua. Tu unus es dominus uirtutum, & hæc tua sunt altaria, te digna, tibi grata. Rursus pro Virtutũ, Græcis est παντοκρατόρων, de quo prius admonuimus, Hebræis Sabaoth, hoc est Exercituum. Iteratio ad hoc fit, ut intelligamus ecclesiam licet iuxta mũdum contemptã & inermẽ, tamen protectore deo exercituum inuictam esse, atq; ipsis etiã portis inferorum inexpugnabilem. Non hæc sunt altaria quæ uitulorum, hircorũ & arietum sanguine cruentantur. Dominus iam olim per os Esaiæ hoc uictimarum genus fastidiebat. Quid igitur? Deus spiritus est, & spiritualibus uictimis delectatur. Non gaudet cædepecudum, sed mortificatione cupiditatum spiritui reluctantium. Si amore Christi mactasti in teipso pecuniæ studium, & quod prius habitũ pro deo colebas, nunc erogas in membra Christi, gratissimam deo uictimam immolasti. Si iugulasti luxum & libidinem è lucone factus sobrius, ex incontinente castus, acceptã deo hostiam mactasti. Si læsus à proximo, in gratiam Christi compescis efferuescentem animum, ac uindictam remittis, gratissimum deo sacrificiũ obtulisti. Si fide firmus & charitate feruens tua omnia teq; totum tradis uoluntati diuinæ, paratus & mortẽ & gehennã subire si sic illi uisum fuerit, gratum holocautoma posuisti domino uirtutum. Hic est cultus rationalis siue spiritualis, & hostia uiua, sancta, ac deo placens, ad quam cũ obsecratione nos hortatur Apostolus Rom. 12. Ita deus nõ delectatur uapore thuris, aut myrrhæ, aut storacis, sed amat suffitum spiritualem, uota, ac preces piarum mentium, gratiarũ actionẽ, & sacrificiũ laudis, quo deus gaudet honorificari. Per has uictimas iter est ad uidendum salutare dei, qui finis est & huius

Victimæ spirituales

Matth. 11

psalmi

psalmi. Videbitur deus deorum in Sion. Preces acceptæ sunt, quæ fiunt cum fide: & in nomine Christi, gratiarum actio, non tantum in prosperis, uerum etiam in aduersis imolanda est. Sacrificium laudis ita gratum erit, si iuxta Pauli doctrinã, quicquid facimus siue in uerbo siue in opere, non in gloriã nostrã, sed in gloriam dei faciamus. Hæc oblatio uere munda, quia spiritualis, per uniuersum orbẽ iugiter offertur in altaribus ecclesiæ. In hoc nido tuti conquiescimus ad tempus, quia altaria non sunt hominum, sed domini uirtutum, cuius uoluntati nemo potest resistere, qui per simplices & humiles coli uoluit, qui pusillis impartire uoluit dona regni cœlestis. Quo nomine & ipse patri gratias agit in Euangelio: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, Ita pater quoniam sic placitum fuit ante te. Non est quod metuas mundum aut Satanam, si te recipit in tabernacula sua dominus uirtutum. Ille tuetur quod instituit, ille regit ambulans in medio suorum, ille consummat quod fecit: Dominus uirtutum tuetur, rex gubernat, deus euehit ad regna cœlorum. Rex meus & deus meus.] Similiter loquitur Psalmo 43. Tu es ipse rex meus & deus meus. Hoc proprie potest ad Christum ecclesiæ principem accommodari: qui Psalmo secundo loquitur, Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius. Sub ditione dei sunt uniuersa. Et dæmones agnoscunt omnipotentem & contremiscũt, sed fidei uox hęc est peculiaris: Rex meus & deus meus. Nemo potest dicere dominũ Iesum, nisi in spiritu sancto. Passim tamẽ audimus uoces appellantium Dominum Iesum. Sic nemo potest dicere, Rex meus & deus meus, nisi qui se plena fiducia dei uoluntati permisit, & ab hoc uno præmium æternæ felicitatis expectat. Alius Psalmus populum illum beatum pronunciat, cui dominus est deus. Item quum aliis aliquot scripturæ locis, tum Leuitici uigesimo sexto, ita loquitur dominus: Ponam tabernaculũ meum in medio uestri, & non abijciet uos anima mea. Ambulabo inter uos & ero deus uester, uosq; eritis populus meus. Quem hic regẽ appellat, post appellat legislatorem. Itaq; si regem agnoscimus, pareamus illius legibus. Si deũ agnoscimus, nihil supra eum diligamus, immo nihil omnino diligamus quod non propter ipsum diligamus. Nomine regis & illud admonemur, quod sanguine Christi redempti sumus à tyrannide diaboli, & pro turpissimo simul & crudelissimo domino uenimus in ius clementissimi regis. Hactenus mystagogus siue hierophanta noster, ostendit nobis amabile domini tabernaculum, introduxit in atrium, commonstrauit altaria, & hostias spirituales. Nunc ostendit nobis eximios illos ac deo dignos sacerdotes, sacris operantes in templo domini. Beati, inquit, qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Qui fortes sunt in fide, qui radicati in charitate, iam habitant, non in atrijs, sed in domo domini. Nam habitare stabilitatis uerbum est. Et quare sunt beati? Num quod abundent opibus, aut præfulgeant honoribus, aut affluant delicijs? Nequaquam. Quamobrem igitur? Quoniam, inquit, In secula seculorum laudabunt te. Ecce tranquillam domum, quam reperit sibi passer, ecce quietum nidum quem repperit sibi turtur. Hic est enim supremus finis, ad quem conditus est homo, ut agnoscat, amet, & hymnis celebret conditorem, redemptorem, gubernatorem ac remuneratorem suum. Iuxta sensum humanum qui laudantur potius beati uidentur quàm qui laudant. At in rebus diuinis, secus est. Deus enim nullius laudibus fit felicior. Est enim æternus fons omnis gloriæ. Sed qui cunq; illum laudant, hoc ipso beati sunt quod laudant. At non omnes illum laudant qui canunt, Gloria tibi domine, sed in quorum cordibus habitat charitas quod est uinculum perfectionis, & exultat pax Christi, ad quam uocati sunt, qui in unum corpus coaluerũt, sese; mutuo cohortantur in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus in gratia, canentes in cordibus suis deo. Quod si uoce corporea laudandus est deus, Psallamus spiritu, psallamus & mente. Non est speciosa laus in ore peccatoris, non est grata deo symphonia, ubi uocibus concordibus dissonant animi, denique extra domum Dei, quæ est ecclesia, nõ est hymnus acceptus deo. Si uolumus esse beati, sic unanimes laudemus deum, quemadmodum laudant Angeli, inter quos nulla est dissensio. Vniuersa creatura suo quæque more laudat dominum, Neque enim cœli tantum enarrãt gloriam dei, sed omne animantium genus, ipsa elementa & quicquid ex his gignitur, dum ipso aspectu conditoris omnipotentiam, sapientiam ac bonitatem nobis declarant, clamitant laudes dei. Eóque in psalmis, & in cantico trium puerorum, non tantum sol & luna, sed & pecudes

Psalm. 49

Matth. 11

Distributio

Col. 3

& pisces,& montes,& colles,& maria & flumina, inuitantur ad laudandum nomen domini. Soli spiritus impij,& homines mali non inuitantur ad hanc symphoniam, quia per hos, quod quidem in ipsis est, blasphemia potius afficitur nomen domini. Sed quid sibi uult quod addit propheta. In secula seculorum laudabunt te. Quo loco subijcitur, Sela. Quod Hieronymus uertit,semper. Tametsi sunt qui negant eam uocem æternitatis habere significationem, quod in scripturis nusquam reperiatur præterquam in Psalmis, & interdum his locis ubi nulla sit æternitatis significatio. Proinde existimant idem pollere Sela,quod diapsalma, quod indicium erat mutandæ melodiæ, Nam psalmi uocibus ac musicis organis canebantur.Habent autem & hodie musici signa quædam quibus admonentur,mutandam esse cantionis rationem. Neque enim omnis harmonia, cuiuis sententiæ congruit. Sic et in Comœdiarum deuerbijs tibiæ modos quosdam accinebãt,aut fortasse præcinebant,ex quibus populus intelligebat sentẽtiæ genus grauis esset an secus. In hoc certe psalmo ab hac clausula uidetur esse alterius argumẽti exordium. Sed hoc ut cunq; habet,certe uerba in secula seculorum declarant ęternitatem,ut nõ possint quadrare in templum quod erat Hierosolymis.Id enim non ita multo durauit ultra ducentos annos. Quanquam Iudæorum uulgus sibi persuaserat legem & illius templi religionẽ usq; ad mundi finem duraturam.Quemadmodum Romani sibi persuaserant, Capitolium fore sempiternum,quum hodie Romę ne uestigium quidẽ Capitolij possint ostendere,nec Iudęi templi sui Hierosolymis. Aliud igitur templum uidebat oculus propheticus in quo sine fine laudaretur nomen domini.Ea nimirum est ecclesia catholica. Sed qui possit esse perpetua laudatio,quũ mortales sint qui laudant? Hæc ecclesia laudatrix domini,cõsummationem expectat,finem nescit.Et sicut in pijs charitas nunq; excidit, ita laudatio Dei, hic exercetur,in cœlis perficitur.Simul ut animus euolarit ex hoc terreno domicilio,iam cum angelis ac beatis animabus limpidius canit laudes Deo,donec recepto corpore non iam animali sed spirituali totus homo sine fine citraq; interruptionem resonabit conditoris sui laudes. Est enim una eadem qúe domus ecclesia militans in terris, & ecclesia triumphans in cœlis, nisi quod illa pars est purgatior. Quemadmodum idem est aer terræ quam calcamus proximus,& qui iuxta quosdam philosophos,lambit conuexa orbis lunæ, sed hic ob terræ contagium crassior,ille purior. Nihil autem obstat quo minus unusquisque nostrum licet grauatus hoc mortali corpore, tamen sine intermissione laudet Deum suum. Qui potest,inquis? Potest. Si quicquid cogitamus,loquimur,aut agimus, omnia in gloriam Dei faciamus,etiam quum edimus ac bibimus, etiam cum dormimus,
1. Cor. 6 aut lusu corpusculum reficimus, laudamus Deum nostrum. Glorificate, inquit Apostolus, & portate dominum in corpore uestro. Non omnia membra loquuntur, sed omnia membra corporis nostri glorificant Deum,si seruiant iustitiæ, etiam si lingua tileat. Posteaquam propheta uelut ecstasi raptus peruenerat ad illam cœlestẽ Hierosolymam, in qua nulla est molestia quæ interpellet,nulla animorum dissensio quæ uitiet melodiam, nulla necessitas,quæ interrumpat hymnos Dei: quod ait beatus Paulus,siue excidimus, Deo,siue sobrij sumus,uobis: uelut ad se rediens,meminit se hominem esse,& in hoc exilio uersantibus ostendit uiam qua ad illam beatam tranquillitatem perueniatur. Dixerat: Beati qui habitant in domo tua domine, etiam Angelos & pias animas cum Angelis uiuentes complectens.Hic mutata iam harmoniæ specie dicit: [Beatus uir, siue ut ex Hebræo uertit Hieronymus,Beatus homo. Viri nomen non excludit fœminas.In Christo non est uir aut fœmina,non seruus aut liber,sed noua creatura. Hominis uocabulum admonet nos fragilitatis nostræ, cui nisi Dei misericordia porrigat manum, ne ad ecclesiæ quidem atrium potest accedere,tantum abest ut ad illam supernam beatorum sedem possit euolare, Aditus in ecclesiam fides est,sine qua nihil prodest baptismus. At fidẽ nemo sibi largitur,dei donum est,quo Deus quos uult præuenit,& ad Christũ trahit. Nam homo quatenus est homo carnalis est,& nihil nisi mundum sapit. Hoc perspiciẽs prophe ta submissioribus iam modis ait, Beatus homo cuius est auxilium abs te: siue ut legit D. Augustinus,assumptio, Græce est ἀντίλημψις,quæ uox conuenit in eum qui manum porrigit conanti ascendere. Nam & ecclesia ciuitas est in edito sita,quemadmodum templum Hierosolymitanum erat in monte Sion.Hieronymus pro auxilio uertit fortitudinem. Voces dissonant,sensus idem est.Nitentibus ad ardua,uiribus opus est. Homo autem ex sese nihil

nihil potest. Fides uero proprie robur addit homini, ut iam nec mundum nec Satanam metuat. Itaq; qui totam fiduciam in Deo collocant, ij demum confirmati uigore spiritus ualent conscendere in montem domini. Ad templum illud Iudaicum quod extruxit Solomon, quindecim gradibus ascendebatur. In primo gradu propheta queritur de improbitate linguarum, tædioq; exilij. In secundo cõfirmatur dono fidei, dicens: Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium. Auxilium meum à domino qui fecit cœlum et terram. Fides est quæ stabilit gressus nostros, ne uacillent. Ita Paulus Corinthijs: Fide statis. 2. Cor. 1
Ita Rom. Tu autẽ fide stas. Et beatus Petrus hortatur, ut resistamus diabolo fortes fide. Is enim demum uere fortis est, qui in se imbecillis fortitudinem habet suam in deo. Quod indicans Esaias ait fore, ut hoc canticum canatur in terra Iuda. Canticum est Euangelicæ professionis. Iuda enim Hebræis confitentem sonat. Quod igitur canticum? Vrbs fortu- Esaiæ 26
dinis nostræ Sion. Sion ecclesia est, sed unde fortitudo imbelli? Seruator ponatur in ea murus & antemurale. Audis inexpugnabile munimentum: Idem ait, In silentio ac spe erit 30
fortitudo uestra. Tacitus expectat qui nihil diffidit de promissis: & spes tantæ felicitatis quæ non pudefacit, quia non fallit, etiam in medijs afflictionibus ac mortibus exhilarat animum. In hac igitur uita non est perfecta beatitudo, & tamen magna quædam beatitudinis pars est, dum reputamus animo, quàm sit momẽtaneum totum huius uitæ spatium, & quàm non sint condignæ afflictiones ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. 2. Tim. 2
Ad hæc, quàm bonæ certæq; fidei sit qui nobis eam promisit: Vt enim nos illum abnegemus, ille fidelis permanet, seipsum abnegare non potest, tantum ut perseueremus in fide & charitate, continentes nosipsos intra septa domus dei, in qua succrescẽtes usq; ad mensuram plenitudinis Christi, per quindecim mysticos gradus ascendamus in æternum tabernaculum, & per quadraginta duas mansiones, ad terram illam quietis, quam dominus in Euangelio promisit mitibus, alacriter proficiscamur. In arduo est quod petimus, egregium est quò tendimus. Nemo repente ab imo ad summa prouehitur. Opus est qui commonstret uiam, quemadmodum deus Israelitis, qui nostri typum gerebant, dux fuit per inuia desertorum: opus est qui è sublimi porrigat manum, & nitentem sursum trahat. Horum nihil ipsi nobis præstare possumus. Dominus est qui & uelle & perficere operatur in nobis, Ille per fidem aperit nobis oculos, ut uideamus ubi simus, ut horreamus quod sumus, & suspiremus ad ea quæ nondum sumus. Primum igitur auxilium à domi- *Gradus beatitudinis.*
no, hoc est, primus beatitudinis gradus est, ut leuemus oculos in montes. E cœlo datur ut amemus cœlestia, & contemnamus terrena. Qui circumspectant suam sapientiam, suas uires, sua merita, qui tantum respiciunt ad cęremonias, condonationes ac diplomata pontificum, nunquam perueniunt ad illam beatitudinem. Quid igitur facit ille beatitudinis candidatus, cui dominus per fidem dedit, ut fastiditis humilibus mundi curis, oculos attollat in montes æternitatis? ἀναβάσεις ascensiones siue gradus ascensorios disponit in corde suo. Quas hic appellat ἀναβάσεις, in canticis graduum appellat ἀναβαθμούς, qui gradus sunt, sed ascendentium, quum Latinis ijsdem gradibus descendatur quibus ascenditur. Cæterum in negotio pietatis non oportet unquam retrocedere, sed oblitos à tergo relictorum semper ad perfectiora tendere. Respexit Euridice, & relapsa est in Orcum. Respexit uxor Loth, & uersa est in petram salis. Habet autem & pietas gradus suos, quemadmodum hominis ætas. Catechumeni parturiuntur, modo baptizati, uelut infantes aluntur lacte, adultis pro solido cibo proferuntur retrusiora mysteria. Et Paulus sapientiam loquitur inter perfectos, inter infirmos profitetur se nihil scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Ergo qui sustulit oculos suos in mõtes, disponit gradus ascensorios. Vbi? In corde suo. Nec mirum, ad illum enim montem non ascenditur pedibus sed affectibus. Sunt externi gradus, quos ut non oporteat reprehendi, tamen inutiles sunt, nisi gradus disponantur in corde. E laico fit clericus, è clerico hypodiaconus, ex hypodiacono diaconus, è diacono archidiaconus, ex hoc presbyter, è presbytero episcopus. Rursus *Ordo monachorum.*
è laico monachus, è canonico regulari Dominicanus, è Dominicano Franciscanus, è Franciscano Benedictinus, è Benedictino Carthusianus. Quenquam de his gradibus multa inter ipsos controuersia est, qui gradus hos disponunt ac digerunt iuxta res externas. Sunt qui putant Franciscanos in altiore gradu consistere, quod seminudis incedant pedibus, quod pecunias non contingant. Rursus sunt qui his præferant Dominicanos,

quod domi non ueſcantur carnibus. Vtríſque præferunt Benedictinos, qui & pluribus horis canunt in templis, nec unquam domo prodeunt. Iam inter omnes ſummum gradum obtinent, qui lorica ferrea pro induſio cutem defricant. Hi gradus ita demum proſunt ad pietatem, ſi domino auxiliante ueri gradus diſponantur in corde. Deſiſti rapto uiuere, nonnullus ad pietatem gradus eſt. Non ſolum reſtituis fraude parta, uerumetiam tua profundis in egenos amore Chriſti: altiorem aſcendiſti gradum. E uiolento ac feroce factus es innocens: aliquem aſcendiſti gradum in corde, Studes omnibus benefacere, in ſublimiorem gradum te recepiſti. Tandem & illis à quibus grauiter læſus es, non modo remittis uindictam ex animo, ſed in Chriſti gratiam bene uelle & benefacere gaudes: ad uere ſublimem gradum emerſiſti. Hæc exempli cauſa propoſui, de cæteris item quiſque apud ſeſe conſideret. Hi gradus digeruntur in corde hominis, in intimis animi receſsibus. Hos igitur gradus quibus ad perfectionem tendimus, beatus ille diſponebat in corde ſuo, non ſe iactans apud homines, ſed ſe probans inſpectori cordium, ſed auxilium non aliunde expectans quàm à domino. Atque hæc meditatur in ualle lachrymarum. Quid enim aliud eſt totus hic mundus, niſi conuallis obſcura, naſcentium, parturientium, morientium, ægrotantium, egentium, nauigantium, belligerantium, alijsque mille lachrymarum occaſionibus plena: à quibus nec potentes, nec diuites, nec reges ulli ſunt immunes. Hæc eſt illa uallis Achor, id eſt, tumultus ac perturbationis, in quam præcipitatus eſt Acham, ut habetur Ioſue ſeptimo. In hoc loco nos poſuit dominus, poſteaq; è paradiſo per inobedientiam excidimus, ut aliquantiſper in exilio degentes per obedientiam fidei, & obſeruationem præceptorum Dei moliremur reditum in patriam. Nec eſt quod nos huius uallis pigeat: in hanc deſcendere dignatus eſt ipſe Dei filius, ut nobis eſſet uia, ueritas & uita. Ergo quamdiu uiuimus in hoc corpore mortali uerſamur in ualle lachrymarum. Sed dixerit aliquis: Fruſtra igitur homo diſponit gradus aſcenſorios in corde ſuo, ſi permanendum eſt in ualle lachrymarum. Sed hæc

Vallis Achor uallis Achor uertitur in requiem armentorum, iuxta Eſaiam ſexageſimoquinto. Datur quę Hieruſalem ad declarationem ſpei, Oſeæ ſecundo. Præter hæc oportet meminiſſe, quod in arcem Sion affectibus aſcenditur, non pedibus, corde aſcenditur, non ſcalis. Corpus hæret in ualle, animus eluctatur in montem. Ita uiſum eſt regi noſtro, ut per temporarias afflictiones huius mundi, pertingamus ad coronam immortalitatis. Nec uideatur huius militiæ dura lex. Rex noſter qui nobis hanc legem præſcripſit, ipſe eam in ſe præſtitit. Nec eſt quod deſpondeamus animum: qui nos ad certamen uocat, ipſe dabit benedictionem, auxilians nobis in periculis, conſolans in afflictionibus, ut poſsimus ſuſtinere. Agonotheta noſter euocat ſuos ad certamen, propoſuit ingentia præmia, ijs qui legitime certauerint: præſidet, non tantum ut ſpectator ac iudex, uerumetiam ut auxiliator. Ille ſuppeditat uires, ſuggerit alacritatem. Nam hic benedictio non eſt laudis

Εὐλογίαε liberalitas. uox, ſed liberalitatis, quemadmodum loquitur Apoſtolus: Qui parce ſeminat, parce & metet. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet uitam æternam. Aſpera lex eſt, qui non tollit crucem ſuam quotidie & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Qui non odit patrem, & matrem, præterea & animam ſuam, non eſt me dignus &c. Dura inquam & horrenda lex eſt, niſi accedat gratiæ largitas, quam ut oſtenderet & gratuitam & minime parcam eſſe, maluit ἐυλογίαν appellare quàm alio nomine. Sub lege Moſaica parcior erat gratiæ diſpenſatio, uerum ſimul ut effulſit humanitas ac benignitas Dei noſtri, qui non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauachrum regenerationis & renouationis, ſpiritum ſuum abunde effundit in uniuerſam carnem. Apud homines aliud interdum eſt benedicere, aliud benefacere: immo frequenter hominis benedictio maleficium eſt non beneficium: ſed deo idem eſt benedicere & benefacere. Religioſe faciunt qui procumbunt & accipiunt epiſcopi benedictionem, ſed quãto iuſtius eſt nos proſterni coram deo, ut illius impetremus benedictionem? Vide porrò quantum efficiat dei benedictio: Ibunt, inquit, de uirtute in uirtutem, & uidebitur deus deorum in Sion.] Mirabitur hic aliquis ſubito mutatum uerbi numerum. Modo dixit: Beatus eſt cuius auxilium abs te, & diſpoſuit in corde ſuo. Hic, ibunt de uirtute in uirtutem. Vnde repente ex uno plures facti ſunt? In myſticis literis, dei benedictio affert fœcunditatẽ, ſicut maledictio ſterilitatẽ.

Maledi-

Maledicta terra in opere tuo, quum exercueris eam, spinas et tribulos producet tibi. Contra quum deus creasset hominem ex uda argilla, uxorem ex una costa leui lateris, benedixit eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Item Psalmus 106. Benedixit eis, & multiplicati sunt nimis. Atque ista quidem typi sunt rerum spiritualium. Itaque posteaquam per Euangelij gratiam exempti sumus à maledicto legis, ac per spiritum sanctum effusa est in apostolos benedictio, quãta celeritate ueri dei cultus, qui prius apud Iudæos uelut in orbis angulo coercebatur, sese diffudit per uniuersas mũdi nationes? Quot uirginum, quot martyrum, quot confessorũ examina prosilierunt? Vnde hæc prodigiosa fœcunditas? Vnde, nisi ex benedictione dei? Filij, inquit, tui de longe uenient, & filiæ tuę de latere surgent. Itaque deserta illa & uidua mulier, admiratur insperatam fœcunditatem suam, dicens: Et isti filij unde uenerunt? Venerunt ex omni natione quæ sub cœlo est, ab Indis, à Gadibus, à Thracibus, à Gothis, à Scottis & Hybernis. Itaque iam multiplicati benedictione dei, & animosi fide, alacres spe, ibunt de uirtute in uirtutem, Ne hic quidem est ἀρετὴ, sed ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν: quod Hieronymus ex Hebræo uertit, de fortitudine in fortitudinem. Nõnulla fortitudo est, pro Christo negligere uoluptates, opes & honores huius mundi: sed fortius est uincere pietatis affectus in parentes, uxorem ac liberos, longe uero fortissimum est, mortem & morte grauiora tormenta uitæ cœlestis amore negligere. Qui gradibus nituntur in altum quo magis ascendunt hoc magis lassescunt: at qui hos gradus ascendunt, quo longius eunt, hoc redduntur fortiores & alacriores, Vnde tandem? Nisi quia res non est humanarũ uirium, sed benedictionis diuinę. Alioqui unde tam præsens animi robur, tanta alacritas apostolorum, iuuenum, uirginum in squalore carcerum? in flagris et aculeis? in ipsis etiam mortibus, ad quarum etiam commemorationem humanus inhorrescit animus? Non aliunde, nisi quod Agonothetes ac legislator pro magnitudine tẽtationem auget benedictionem. Mirantur homines, qui foris uident afflictionem, sed non uident internam benedictionem. Non ineleganter à uiro quodam ob pietatem celebri dictum est de monachis austeram uitam agentibus: Multi uident cruces nostras, sed non uident unctiones nostras. Vident corpus attenuatum uigilijs, ieiunijs ac laboribus: uident solitudinem, omniumq; uoluptatum abstinentiam: & tamen in corpusculo exiguo & imbecilli, non uident, quantis delicijs reficiatur animus ad cœlum anhelans. Sed quod tãdem præmium petitur tantis laboribus? uidebitur, inquit, deus deorum in Sion: siue, ut uertit Hieronymus, apparebunt apud deum deorum in Sion. Hoc est brabeum omnium certaminum, hæc est requies omnium uotorum, hæc est felicitas summa: Domine, inquit, ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Et Philippus: Ostende nobis patrẽ, & sufficit nobis. Atqui deum nemo uidit unquam, Inuisibilis est oculis corporeis, sed cordi mũdo uisibilis est. Itaq; dominus in Euãgelio beatos pronunciat, qui sunt mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Cor autem intellige nõ instrumentum corporis spirituum ac sanguinis fontem, sed mentem hominis fidei illustratã lumine. Videtur autem interdum & in hac uita purgatis mentibus, sed per speculum & in ænigmate, sed non nisi in Sion. Nam extra ecclesiam nemo uidet deum, quia nemo habet puram mentem. Et si qui sibi uidentur uidere, hallucinãtur, iam spectrũ uidentes pro deo. Non uulgaris autem beatitudo est apparere apud deum deorum. Quid est parere apud illum? Cum plena fiducia uenire in cõspectum illius, qui nouit omnes latebras humani cordis. Hoc non ausit nisi pura & undiquaq; syncera conscientia. Alioqui uidebitur & impijs deus, sed horribilis erit aspectus illius, qui pijs est amabilis. Non est alius deus, sed diuersi sunt oculi. Vt ægris oculis molesta lux est, quę sanis est iucunda: Omnes enim sistendi sumus ante tribunal summi iudicis, à quo non est prouocatio. Miles qui fidelem & strenuam operam nauauit in bello, seruus qui gnauiter dispensauit talenta domini, gaudens prodit in conspectum ducis & heri sui, auditurus. Accipe coronam uitæ æternæ, & intra in gaudium domini tui. Ille beatus est, qui non ueretur suam conscientiam aperire domino, dicens cum Ezechia rege, Obsecro domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in ueritate & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Simili fiducia fortissimus ille Christi miles prodit in conspectum imperatoris sui: Ecce, inquit, coràm deo in Christo loquimur. Et ad eosdem Corinthios de se loquens: Non ambulantes in astutia, neque adulterantes uerbum dei, sed in manifestatione ueritatis

Bernardi dictum.

Esaiæ 38

commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum, coram deo. Idem alibi, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de cætero reposita est mihi corona iustitiæ. An non magna felicitas est, sic posse comparere apud deum
Deus deorum deorum in Sion, in specula perfectionis Euangelicæ? Deum deorum dixit, iudicem omnium indicans. Siue enim accipias populi iudices, siue pios homines ad quos sermo Dei factus est, siue angelos qui & ipsi dicuntur Eloim, siue dæmones aut dæmonum ministros homines qui se pro dijs coli passi sunt, hic unus est deus deorum, iudex uniuersorum, sicut testatur Psalmus octogesimusprimus. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat, ipse à nemine dijudicandus. Nec angelorum, nec prophetarum, nec ullius sanctorum aspectus confert homini ueram beatitudinem: solus hoc præstat deus deorum. Huc ut pertingamus, dominus impartit benedictionem, sed orantibus. Assidue rogari uult, non ut admoneatur, sed ut nos rogando digni efficiamur quibus largius impertiat suam benedictionem. Nam & hoc pacto paremus apud deum, quoties uel appellamus illum puris precibus, uel pro beneficijs acceptis gratias agimus. [Domine deus uirtutum exaudi orationem meam, auribus percipe deus Iacob.] Angelorum deus est, eoque deus uirtutum dicitur: & hominum Deus est, qui patriarcham Iacob imitantur. Is luctando cum angelo meruit benedictionem, & idem dixit, Vidi dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Sequitur: Protector noster aspice deus, & respice in faciem Christi tui.] Nondum plenam securitatem assequutus est, qui requirit protectorem. Adhuc metuit ignea iacula malorum spirituum è sublimi nos impetentium. Aduersus hæc implorat deum exercituum, ut suus sit clypeus. Hoc enim uertit Hieronymus, quod Septuaginta uerterunt hyperaspisten. Magna est dæmonum potentia, sed dominus uirtutum unus potentior est uniuersis. Si ille dignatur nobis esse clypeus, non est quod metuamus ulla iacula. Sub hoc clypeo tutus latebat qui dicit, Dominus protector uitæ meæ à quo trepidabo? Et alibi rursus, Domine ut scuto bonæ
Psal. 26 *Psal. 5* uoluntatis tuæ cinxisti nos. Nullum est hominis scutum, quod totum hominis corpus reddat inuulnerabile, quin et ipsum scutum interdum prodit hominem: at quem tegit dei clypeus, nulla ex parte potest sauciari. Aspici à Deo, tegi est. Aspicit autem cui propitius est ac bene uult. Eoq; Psalmus quem modo citaui, scutũ appellat beneuolentiæ. Græce εὐδοκίας. Hieronymus uertit placabilitatem. Qui suis meritis sese protegunt, & his ueluti clypeo fidunt, an tuti sint ipsi uiderint. Qui fiduciam suam collocant in cæremonijs, in cultu diuorum, in ueste quasi tutum reddat ab insultu Satanæ, non satis fideli utuntur clypeo. Sed gratiæ Dei & huius promissis tuto fiditur. Aspicere Deum, beatitudo est, sed illum non possumus aspicere, nisi prius aspexerit nos. Quum essemus cæci & in tenebris plusquàm Cimmerijs uersaremur, ille dignatus est aspicere nos, aperuit oculos nostros, & quum essemus inimici diligendo nos effecit, ut ipsum redamaremus. Respice in faciem Christi tui.] Non arbitror anxie disquirendum utrum hoc ad personam Dauidis, an alterius cuiuspiam iuxta communem sensum referatur. Christus, Græcis unctum sonat, quod Hebræis messyas. Omnes Christi sunt, qui in Christum renati sunt. Ab horum facie nunquam auertit oculos Deus, sed custodit illos ut pupillã oculi, modo ne ipsi faciem suam auertant ab eo. Regum autem ac sacerdotum est ungi. Vtrunq; suo quodam
1. Pet. 2 modo sunt, qui suo cognomini respondent, quos beatus Petrus adloquitur: Vos autẽ genus electiũ, regale sacerdotium, gens sancta, &c. Sed ille Christorum omniũ princeps est, qui dictus est princeps pacis, ac sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quem singulariter unxit Deus oleo lætitiæ præ participibus suis. In huius faciẽ quoniã caret omni næuo Deus pater gaudet aspicere, quem profitetur esse filium unicè dilectum, in quo sibi placitũ sit. Quid sibi uult igitur, quod ait propheta, aspice, & respice in faciẽ Christi tui? Quicquid deus largitur nobis, per filiũ ac propter filiũ largitur, nõ propter opera iustitiæ, quæ fecimus nos. Nos enim in multis offendimus omnes. Solus ille agnus est omnis expers maculæ. Ergo protector noster Deus, si tuos oculos offendit facies, hoc est, conscientia nostra, respice in faciem Christi filij tui, quem sine exceptione diligis, per illius merita nobis largire, quod ipsi nõ meremur. Iudæi quoniã nõ nouerãt incarnationis mysterium, in precationibus suis diffidentes suis meritis obtestabantur Deum per memoriam patriarcharum, Abraham, Isaac & Iacob, quorum pietas Deo fuisset accepta. At Christiani

Christiani nihil petunt à patre, nisi per Iesum Christum, quem habemus in cœlis aduocatum efficacem, quiq; suam fidem nobis obstrinxit, fore ut acciperemus quicquid postularemus patrem in ipsius nomine. Qui scripsit hunc psalmum non uiderat Christum in carne, sed oculis fidei qui longe prospiciũt, uiderat illum uenturũ: quemadmodum & Abraham tot seculis Christi aduentu antiquior uiderat diẽ illius, & gauisus est. Nos igitur quoties à deo aliquid petimus, cum fiducia petamus, sed eam fiduciam hauriamus, nõ ex nostris benefactis, sed ex gratuitis Christi promissis. Ne dicamus respice ad ieiunia mea, aut eleemosynas, aut uigilias, aut chameunias, sed respice in faciẽ Christi tui. Docet hoc Paulus Ephesios 3. In Christo Iesu domino nostro habeamus fiduciam ac accessum in confidentia per fidem eius. Quid est per fidem eius? Quia fidendũ est illi toto pectore, qui non fallit in promissis, etiamsi promittat quæ uidentur nobis impossibilia. Quis enim crediderit fieri posse, ut diuina humanaq; natura sic unirentur ut coirent in unam personam? At ille promisit & præstitit. Quis crederet fieri posse, ut homo uerus sederet ad dexteram dei patris? promisit & præstitit. Quid est igitur quod nõ speremus à deo, modo respiciat in faciem Christi sui? Vt autem intelligas hanc interpretationem non esse somnium sensus mei, sed prophetam agnoscentem dignitatem suam confugisse ad faciem Christi, attẽde quod sequitur: Quia melior est dies unus in atrijs tuis, super milia. Nihil uetat quo minus hęc iuxta sensum humiliorem referantur ad Israelitas captiuos apud Babylonios. Tenebantur ingenti patriæ desiderio, tędebat ethnicarum superstitionum, suspirabãt ad pristinos ritus ac templum illud magnificum, quod extruxerat Solomon. Iam enim sibi uidebantur diutino ethnicorum cõmercio facti ethnici. Sed nos retrusiorem intellectum sequi maluimus. Non addit chiliadum numerum, ut intelligas infinitũ discrimẽ. Nec dicit in domo tua, aut sanctuario tuo, sed in atrijs tuis, quod est templi quasi uestibulum, in quod admittebantur & prophani: unde Paulus Hebræis scribens appellat sanctum seculare κοσμικὸν, quod toti pateret mundo. Nec est apud Hebræos unus dies, sed tãtum dies. Non est enim dies ubi non lucet sol iustitiæ, & incontaminata ueritas. Nusquam igitur dies est, nisi in ecclesia. In nocte sunt, qui sunt extra hãc, quod olim uaticinatus est Zacharias, capite ultimo, de incredulis loquens: In die illa non erit lux, sed frigus & gelu. Mox de fide ecclesiæ sic loquitur: Et erit dies una quæ nota est domino, non dies neq; nox. Vulgarem diem facit solis exortus, noctem occasus. Quis igitur est hic dies & non dies? Explicat hoc Esaias capite 60. Non erit tibi sol in lucem diei, neq; ortus lunæ illuminabit te per noctem. Sed erit tibi dominus lux ęterna. Vtrunq; duorum prophetarum locum imitatus est qui scripsit Apocalypsim. Et ciuitas non habebit opus luce solis, quoniam dominus omnipotens lumen eius erit. Porrò non esse lucem nisi in ecclesia, testatur Esaias eodem quod modo citaui capite, de his agens qui non receperunt fidem Euangelicã: Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autẽ orietur dominus, & gloria eius in te uidebitur. Mox subijcit de ijs qui relicta patria superstitione crediderũt Euãgelio: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splẽdore ortus tui. Ad hæc, quum ait, ὑπὲρ χιλιάδας, non addit quarum rerum, complectens uniuersa cõmoda in unum conflata, quæ non possunt homini contingere extra ecclesiam. Nam quæ potest esse felicitas hominis, si in tenebris ambulet? Quamdiu militamus in hoc tabernaculo, per fidem intuemur solem. At in illo cœlesti templo non est nisi unus dies, quia non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio, nec ulla erroris aut ignorantiæ nebula lucem offuscat. Aeternitas enim nescit ortum & occasum. Interim tamen ambulare in luce fidei, & simplici animo sequi eum qui dixit: Qui sequitur me nõ ambulat in tenebris: beatius est omnibus opibus, regnis glorijs & oblectamentis hũius mundi. Hæc stulta dictu uidẽtur ijs, quibus Christus nondũ aperuit oculos: Verum si percõteris eos, quorum cordibus illuxit Christus, num uelint pietatis iactura totum mundum lucrifacere, detestabuntur, auersabũtur & abominabuntur sermonem tuum. Norunt enim quantum bonum sit, quod iam uelut arram tenent, & quàm inæstimabile sit illud, ad quod mox sunt transferendi. Nunc illud mihi spectato, quãto desiderio teneatur domus dei qui hęc loquitur. Elegi abiectus esse in domo dei mei, magis q̃ habitare in tabernaculis peccatorũ.] Quid est abiectũ esse? lacere in limine aut uestibulo & cõculcari. Quod mẽdicorũ est. Tãta aũt est ecclesiæ maiestas & felicitas, ut quod in ea contẽptissimum est, longe præstet omnibus mũdi splẽdoribus.

Sicut in cœlesti Hierosolyma multæ sunt mansiones, quarum infima tamen potior est omnibus regũ palatijs: Sic in ecclesia uelut in magna domo, diuersi generis uasa sunt, quorum aliud est alio honoratius, & tamen quod in his uilissimum est, preciosius est uniuerso mundo. In corpore hominis naturali membrum aliud alio est præstãtius. Functiones quidem diuersæ sunt, sed eodem spiritu uegetantur omnia. Sic in corpore Christi mystico, quod est ecclesia, diuersi sunt ordines hominum, diuersa munia donaq; spiritus, omnes tamen membra sunt Christi, & eandem expectãt hæreditatem. Quod hic infimum est, sublimius est omni fastigio mundi. Pes humani corporis beatior est oculo suis, aut canis, & eæ partes per quas egerunt recrementa cibi ac potus, in humano corpore, beatiores sunt capite asini. Hic obiter propheta aperit fontem, quamobrem plerique mortales, uel non accedunt ad ecclesiam, uel recedunt ab ecclesia, uel electi ob culpam grauantur redire. Qui tument honoribus mundanis nolunt deponere cameli gibbos, ut per humile ingrediantur ostium. Et ex historijs discimus complures hæresiarchas esse factos, quod ad episcopi dignitatem non admoueren tur. Itaq; maluerunt primum tenere locũ inter canes & sues, quàm inter oues Christi mediocri esse loco. Hæc stulta ambitio genuit nobis, Basilides, Marciones, aliaq; inauspicata nomina. Sed quid consequuti sunt infelices? Apud homines sibi cõflarunt sempiternam ignominiam, apud deum meruere gehennam. Quanto satius erat, uel ignotissimum esse inter oues ecclesiæ, modo nomẽ habeas scriptum in libro uitæ. Simili tenẽtur amentia, qui quum magnis ac manifestis criminibus meruerint submoueri à consortio ecclesiæ, tamen recusant profiteri pœnitentiam ut ecclesiæ reconciliẽtur. Humile & abiectum esse putant arceri ingressu, nudo capite nudisq; pedibus stare in uestibulo, flexis genibus introeuntium preces implorare, gestare pro purpura saccũ, pro unguentis conspergi cinere. Quid in causa? Quia non uident quanta sit dignitas, quanta felicitas, quanta securitas uersari in atrijs domini. Quanta utilitas, quantumq; periculum uel ad horam esse extra domũ dei. Vidit hæc ille deo charus Theodosius imperator, qui maluit uniuersum imperij strepitum deponere, & in abiectum pœnitentium ire locum, quàm nõ esse in domo domini. Illi ipsi pœnitẽtes cultu squalidi, ieiunijs attenuati, lachrymis & mœrore confecti, qui tanquam mendici iacent in limine domus dei, multo felicio res sunt, quàm qui sub satana regnant in tentorijs impietatis. Siquidem hi, si modo uere pœnitet, licet corpore sint extra domum ecclesiæ, animo sunt intus. Quid est igitur quod tanto ardore desiderat propheta, per Christi faciem obtestãs deum: ut uel in extremo angulo, aut limine domus dei uersari liceat, & uel inter abiectissima Christi membra censea tur, extra quem nulla cuiquam est spes salutis. Sed si ad limen domus dei uel accedamus uel redeamus, parata est misericordia domini, quæ subleuat infirmitatem nostrã, ut proficiamus ad perfectiora: parata est ueritas domini, ut abundemus in omni scientia spirituali: parata est gratia domini, ditãs nos spiritualibus charismatibus: postremo parata est gloria domini, quæ nos trasformet in imaginem Christi. Christus, ueritas est: Christus, iustitia nostra est, quem si sequamur antecedentem, fit quod dicit Esaias: Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Misericordia condonat errorem: ueritas illuminat mentem, ne reuoluaris in errorem: gratia instruit donis spiritus, ut conuersus cõfirmes fratres tuos, & quàm plurimos ab impietate reuoces: quemadmodum ait beatus Dauid expertus misericordiam domini magnam, ac per Nathan ad ueritatẽ reuocatus. Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Hoc est quod hic sentit Propheta:

Quia misericordiam & ueritatem diligit deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Similiter & Paulus, per domini misericordiam reuocatus à furore persequẽdi, & per ueritatem Euangelicam edoctus uiam domini, deniq; per gratiam sancti spiritus præclaris donis locupletatus, factusq; uas & organum electum, eò profecit ut etiam in medijs afflictionibus in domino gloriaretur. Quanquam potest hic uersiculus & aliter intelligi, ut misericordiæ diuinæ sit, quod trahimur ad cognitionẽ ueritatis, iuxta uerbũ Hieremię 31. Ideo attraxi te miserãs. Tum ut ueritas sit hominis, confitentis sua mala, & agnoscentis gratuitam dei misericordiam. Hoc enim sentit Psalmus 50. Ecce enim ueritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Dauid quamdiu cœlabat peccatum suum, mendax erat, & fucum facere conabatur, non hominibus tantum, sed & deo. Verum deus ex sua misericordia per Nathan prophetam reuocat eum ad ueritatem cõfessionis: declarans

declarãs inutiliter cœlari peccatum apud homines, quum oculos dei nemo possit fallere. Misericordiam reuocantẽ & ueritatem confitentem, sequitur gratia & gloria. Peracto enim luctu pœnitentię, & ita castigatis membris, ut quẽadmodum antea seruierant iniquitati ad iniquitatẽ, ita facta templa spiritus sancti seruiant iustitiæ ad iustitiam, fit ut gloretur ecclesia illic superabundare gratiam, ubi abundarat peccatum, & inter angelos maior sit gratulatio super uno peccatore reuocato q̃ super nonagintanouem iustis. Non est quidem absurdum quod adfert Augustinus, ueritatem referẽs ad fidem dei in promissis. Solus enim ille uerax est, quum sit omnis homo mendax, nõ quod semper fallant homines, sed quod in ipsis non sit præstare quod pollicentur, incerti an in proximum diem uicturi sint. Quamdiu circũferimus hoc mortale corpusculum, multis iniurijs multisq̃ periculis obnoxium, misericordia circumuallat nos undiq̃ scuti uice, ne reuoluamur in uitia. Veritas dei in promissis fulcit erigitq̃ mentes nostras, ut contemptis huius uitæ bonis pariter ac malis feramur ad cœlestia. Concinit huic sensui Psal. 35. Prætende, inquit, misericordiam tuã scientibus te, & iustitiam tuam ijs qui recto sunt corde. Iustitia reddit cuiq̃ quod suum est. Quid autẽ reddet nobis deus, qui nulli cuiq̃ debet? Nihil enim habemus quod illius benignitati non oporteat acceptum ferri. At aliud est liberalitas, aliud iustitia. Verum & illud iustitiæ genus est, præstare quod gratuito promiseris. Hac ratione deus seipsum nobis quodãmodo debitorem constituit, ut licet ob merita nostra non possimus appellare, ob promissa tamen appellare possimus. Quod si nos meminerimus officij nostri, ille non recusat uocari iniustus, si minus præstet quod pollicitus est. Venite, inquit, & arguite me dicit dominus. Hanc dei iustitiã appellat Dauid, quum ait: Vt iustificeris in sermonibus tuis, et uincas quum iudicaris. Prorogat interdum expectationem nostrã deus, fallit nunq̃: interim qui non norunt illius ueritatem, obmurmurant ac dubitant, quemadmodum illi duo discipuli, quum aiunt: nos sperabamus quod esset redempturus Israel. Quin & discipulos ingens habebat mœror, quod quia non credebant eum resurrecturum, putarent sibi data uerba. Quod hic ex Hebræo uertit Hieronymus, & alij quidam, id ita discrepat ab eo quod transtulerunt Septuaginta, ut non uideatur eius generis esse uarietas, quæ frequenter accidit ex eo, quod eadem sententia uarijs effertur modis, aut ex ijsdem uerbis alius alium sensum colligit, sed apparet scripturam Hebraicam in codicibus uariasse. Id usu uenit interdum, quum scriba aut interpres elementi similitudine deceptus, aliud pro alio legit, aut quum diuersa literarum distinctio, diuersum efficit sensum. Nam quod ex Hebræo reddunt sic habet. Quia sol & scutum dominus deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Quæ lectio si germana est, solem posuit pro ueritate, quæ est Christus, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: scutum pro misericordia protegente credentes, aduersus omnes insultus satanæ. Sicuti loquitur Psalmus xxxi. Sperantes in domino misericordia circumdabit. Quanquam & Paulus hortatur, ut sumamus scutum fidei, & alius Psalmus dicit: Scuto circumdabit te ueritas eius, nec timebis à timore nocturno. Vis igitur tutus esse ab omni malo? Ne circumferaris omni uento doctrinæ, sed quod è scripturis diuinis tradidit nobis ecclesia catholica firma fide teneamus, quod præcipit simplici obedientia seruemus, quod promittit, alacri spe expectemus. Simpliciter ambulantibus non deerit neque misericordia, neque ueritas, neque gratia, nec ullum bonorum genus, quod ad beatitudinem pertinet. Eoq̃ subdit: Dominus non priuabit, siue non fraudabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Pro quo Septuaginta uerterunt ἐν ἀκακίᾳ, quod magis sonat simplicitatem omnis expertem fraudis ac malicię. Columbinos animos amat spiritus sanctus. Dabit hic gloriam synceræ conscientiæ, in futuro dabit ineffabilem illam gloriam. Interim arrabone tam precioso contentus, expecta bona futuri seculi, spe gaudens, ut uere & ex animo dicas cum propheta: Domine uirtutum, beatus homo qui sperat in te. Atque hæc est complurimum psalmorum clausula. Frequenter enim repetendum est, quod oportet semper infixum esse mẽtibus nostris. Secundus Psalmus ita desinit. Beati omnes qui confidunt in eo. Quartus: Quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me. 26 ita: Expecta dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominũ. 30 ita: Viriliter agite, & confortetur cor uestrum, omnes qui speratis in domino. Trigesimus secundus: In nomine sancto eius sperauimus. 33: Non delinquent omnes qui sperant in eo. 36:

Saluabit

Saluabit eos qui sperauerunt in eo. Itē 41. & 42. ad spem in deo figendā hortatur. Similiter & 63. & 130. Nec est illa uulgaris spes quam nobis tāto studio commēdant literæ sacræ. Agricola sperat à deo lætum agrorū prouentum, nauta prosperam nauigationem, grauida felicem partum, ęgrotus conualescentiā. At uir pius qui uere sperat, hoc est, spem oēm fixit in domino, plena fiducia totam solicitudinem conijcit in deum, persuasus siue læta obtigerint siue tristia, siue mors, siue uita, omnia per dei misericordiam cessura in bonum, inscrutabili sua sapientia sic temperantis res mortalium. Itaq; quum beatus sit homo domine uirtutū, qui fiduciam omnem in te collocauit, nec id fieri possit, nisi fit intra domum tuam ecclesiam, dignare quæso aperire oculos omnium nostrum, ut uidentes quàm sint amabilia, quàm pulchra, quàm tranquilla, quàm tuta, quàm felicia tabernacula tua: rursus quàm his dissimilia tabernacula impietatis, positis opinionum & affectuum dissidijs, eodem sensu, eademq; sententia cōcordes uersemur in illa beata sodalitate sanctorum omnium, ut uere de nobis dici possit: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum. Nunq; aūt coalescemus in unum, nisi pariter spem nostrā ponamus in Christo Iesu rege Sion ac domino nostro, & ad illum unum speciemus omnes. Vbi regnat ambitio, ubi pecuniæ studium, ubi peruicacia, ubi cæcus fauor, aut odium cæcius ut pertendamus tueri quicquid semel diximus aut scripsimus, ubi in gratiā partiū probamus quæ scimus esse improbanda, aut odio priuato dānamus, & ea quæ pie dicta: denicq; ubi quisque ad se spectat, & undicq; trahitur funiculus contentionis, non potest res ad cōcordiam redigi. Reputemus quàm sit stultum sic odisse mores quorundam pōtificum aut sacerdotum ac monachorum, ut ipsi fiamus illis deteriores. Deterior enim est qui recedit ab ecclesiæ consortio & in hæresim aut schisma demigrat, quàm qui impure uiuit saluis dogmatibus. Cum hoc, perquàm iniquum est, nos ad aliorum uitia lynceos esse: ad nostra ipsorū talpis cæciores, & in aliorum oculis uidere festucam, ipsos trabem in oculo circumferentes. Homines cum hominibus uersamur. Quanquam grauius fateor peccant, qui in potestate constituti publica, non meminerunt officij sui, tamen populi peruicacia sæpenumero in causa est, ut qui præsunt, alij sint quàm esse conueniret. Sic populus Israeliticus pro mitissimo Samuele, accepit superbū Saulem. Placabilior erit alienis erratis, qui prius sua inspexerit. Præcipuum est discordiæ seminarium, quod siniſtro tantum oculo proximorum uitia intuemur. Claudatur ille siniſter, et dexter uicissim ad eorum uirtutes aperiatur. Si uirtutum candidi fuerimus æstimatores, leuius offendemur uitijs. Inter fratrem ac fratrem, inter uxorem ac maritum non constat amicitia, nisi uicissim inter sese ad quędam uitia conniueant. Quomodo igitur constabit totius ecclesiæ concordia, si quisq; ad alterius uirtutes luscioſus, ad uitia tales habet oculos, qualia sunt specula quædam, quę faciem oppositam & multo maiorem reddunt & deformiorem? Dolēdum est tam multos esse monachos, qui præter uestitum ac frigidas cæremonias minimū habent religionis, tam multos esse sacerdotes, qui nec caste uiuunt, nec sacris uacant literis: nonnullos etiam abbates & episcopos, qui minimū differant à prophanis principibus aut satrapis: sed interim dissimulamus quàm multi sunt inter illos pij, sobrij, docti, decq; Republica benemerētes, in diuitijs pauperes, in dignitate modesti, in potētia mites. Nec cogitamus quāto nos essemus ferociores, si tot rebus ad licentiam inuitaremur. Expedit igitur, ut plebs, quę dissimulatis sacerdotū uirtutibus, uitia tantum uidet exaggeratq;, suam inspiciat manticam, à tergo in pectus reuolutam. Quotus quisq; est opifex, ut ab infimis incipiam, qui in præstanda opera fidelis est, in mercede exigenda æquus. Nec enim temere natum est illud uulgo celebre prouerbium: In sua quenq; artificem arte furem esse. Iam quod omnino genus rerum est, quod illi nō corrumpant quæstus gratia? Quot modis uitiatur triticū ac farina, quot modis uinum ac ceruisia, quot modis pannus reliquaq; texta. Omitto nunc in promissis perfidiam, in commercio supercilium ac morositatem, ut propemodum commodius sit cum rege quopiam aut cardinale agere, quàm cum Latomo, qui uix habet domi unde cœnet. qui tales sunt in seruili sordidoq; opificio, quales probabile est futuros, si ad eorum dignitatem euehantur, quorum mores ferre non possunt? Vulgus, sacris initiatorum inconti-

Opifices

nētiam incesti sacrilegij ac uiolati uoti titulis exaggerant, sibi ut liberis ac solutis blandiū tur. Atqui, ne errēt, nemo Christianus ad peccandū liber est, oēs religiosissimo sacramento sunt astricti, nisi forte ludū esse credūt quod in baptismo professi sunt, Sinfami cogno

mine

mine uocantur apostatæ, qui à Benedicti aut Francisci instituto desciscunt, quanto magis eo nomine digni sunt, qui in baptismo mundi contemptum professi, toto animo seruiunt mundo, & à Christo imperatore transeunt ad satanã. Iam adulterium crimen, quod apud Ethnicos gladio, apud Iudæos lapidatione puniebatur, neutiquam leue est, utcunq; nunc pro ioco ducitur. Quod si quis proprius inspiciat, inueniet fraudibus, rapinis, periurijs referta omnia. Vt ne commemorem interim, quantã malorum lernam tegat umbra belli. Nihil attinet hic de magistratibus inferioribus loqui, deq; ijs qui ob nobilitatis titulum si bi uolunt licere omnia, deq; principibus cæteris. Quocunq; uertas oculos, heu nimiũ multa est querelarum materia. Sed hæc est rerum humanarum natura, maris in morẽ multa secum deferre, quæ malis abesse. Mutat sæpe uitia, ponit nunq;. Quid igitur supereſt, nisi ut se quisq; discutiat, & omnes ad Christi misericordiã confugiamus? Quædam uitia leuiora sunt, cq; ut expediat asperam admouere medicinam. Quædam minore religionis incõmodo dissimulantur quam exagitantur. Porrò quæ grauiora sunt, quam ut oporteat dissimulare, manum doctam & artificem requirunt, ne nobis eueniat quod solet imperitis medicis, qui dum parum dextre admouent remedia, pro morbo extinguunt hominẽ, aut ex leuiore malo reddunt immedicabile. Pleraq; paulatim ac per occasionem irrepserunt, ea paulatim ac per occasionem tollenda sunt, si fieri queat abiq; graui tumultu: sin minus, dissimulãda, donec ipsa dies porrigat occasionem commodiorem. Eadem dexteritate uitandum est in dogmatibus. Quidam dum impotenter uociferantur, hæresis, hæresis, ad ignem, ad ignem, in peiorem partem interpretates quæ dicta sunt ambigue, per calumniam deprauantes & quæ pie dicta sunt, plurimũ fauoris cõciliarunt ijs quos exitio dignos iudicabant. Rursus qui sub Euãgelij plausibili titulo moliuntur ea, quæ ex diametro pugnãt cum Euangelio, uehementer adiuuerunt partes eorũ quos oppressos uolebant. Itaq; dum illi nihil omnino patiunt̃ innouari, hi nihil sinunt relinqui, tẽpestas orta est pene insedabilis, & dum utrinq; nimiũ tenditur funiculus contentionis, fit, ut utraq; pars rupto fune in tergum cadat. Non quod ecclesia cõcidat, quæ nixa saxo immobili Christo, nullis turbinibus cõcutitur: sed de quibusdam hominibus loquor, qui causam ecclesiæ tuentur, magno quidem zelo, non enim dicam malo, sed non secundum scientiam. Nondũ eò processit hoc morbi, ut sit immedicabile. Extingui potest hoc incẽdium, si materiam igni subtrahamus. Præcipuus aũt huius tumultus fons sunt impij mores hominum. Nõ est quod alij in alios culpam reijciamus. Primum hoc humani generis parentum exẽplum est, sed ut per se prauum, ita nobis infelix: Mulier decepit me, serpens decepit me. oẽs iram dominj prouocauimus, restat ut omnes ad illum simul syncero corde cõuertamur: ille ut est exorabilis, uicissim conuertetur ad nos, atq; hos inconditos rerum motus uertet in tranquillitatẽ, nobis eodem pro nostra quantulacunq; portione annitentibus. Quo pacto, inquis, id fiet? Sit unusquisq; quod esse debet: Sint põtifices, pontifices Christi uicarij syncero corde gregis dominici curam agentes. Sint principes, principes diuinæ iustitiæ ministri, tanquam deo reddituri rationem, quem hoc magis oportet ab illis timeri, quo liberiores sunt à timore hominum. Magistratus bona fide Rempublicam administrent. Monachi perfectionem quam titulo profitentur, moribus præstent. Sacerdotes nocles ac dies meditentur in lege domini, quo possint esse sal populi. Qui laici sunt, sint quod dicuntur, non præeãt, sed reuerenter obtẽperent sacerdotibus, fideliter pareant principum legibus, in suo quisq; opificio probet suam conscientiã summo illi καρδιογνώστῃ. Nam beati Lucæ uerbo libenter utimur. Qui negotiator est bona fide negotietur: qui molitor est, bona fide sit molitor: qui pistor est, bona fide sit pistor: qui faber est, bona fide sit faber: qui uestiarius est, bona fide sit uestiarius, fiduciam habens in eo qui non deserit rectos corde: atq; item de cæteris dicendum est. Nemo suis uitijs hoc nomine blandiatur: Ita mos est, sic nemo non facit. Ne circumspicias ó bone, quid alij faciant, sed quid abs te fieri uelit supremus ille iudex, cuius oculos nemo fallit, ad cuius tribunal omnes sistendi sumus, siue reges, siue inopes erimus coloni. Ibi non ualebit hæc tergiuersatio: Ita mos est, sic nemo non facit. Interim ponatur ambitio, & pertinax uincendi studium, facessant fauores cum priuatis odijs, consilescat dementis rixæ surda uociferatio, ita demum eluceſcet ueritas illa pacifica. Accedat illa συγκαταβασις, ut utraque pars alteri se nonnihil accommodet, sine qua nulla constat concordia. Sed hactenus obsequundetur, ut ne moueantur

Quomodò tollenda uitia

Modus sedandi schisma

Accõmodatio

ueantur τὰ ἀκίνητα, & hactenus feratur hominum infirmitas, ut paulatim inuitentur ad perfectiora. Illud autem omnibus penitus infixum esse oportet, nec tutum esse, nec ad fo-

Vsus antiquus

uendam concordiam utile, temere discisscere ab ijs quæ maiorum autoritate tradita sunt, quæq; longo seculorum usu consensuq; confirmata. Nec quicquam omnino nouandum est, nisi huc aut cogat necessitas, aut insignis inuitet utilitas. De libero arbitrio, spinosa est

Dogmata

uerius quàm frugifera disputatio. Et si quid de hoc quærendum est, in theologicis diatribis sobrie discutiatur. Interim inter nos illud conuenire satis est, hominem ex suis uiribus nihil posse, & si quid ulla in re potest, totum eius deberi gratiæ, cuius munere sumus quicquid sumus, ut in omnibus agnoscamus imbecillitatem nostram, & glorificemus dominj misericordiam. Conueniat inter nos fidei plurimum esse tribuendum, modo fateamur & hoc esse peculiare spiritus sancti donũ, idq; multo latius patere quàm uulgus hominum credit, nec omnibus adesse qui dicunt: Credo Christum pro me passum esse. Cõcedamus fide iustificari, hoc est, purificari corda credentium, modo fateamur ad consequendam salutem necessaria charitatis opera. Neque enim uera fides potest esse otiosa, quum sit fons & seminarium omnium bonorum operum. Quin potius distinguamus iustitiam repurgantem mentis nostræ domicilium, quam recte dixeris innocentiam, & iustitiam ornantem ac locupletantem eam bonis operibus. Deus proprie nulli debitor est, nisi forsitan ex gratuito promisso, quanquam & hoc ipsum ut præstemus promissi conditionem, illius est munificentiæ: non tamen reijciendum est mercedis aut meriti uocabulum, quod deus quæ in nobis, aut per nos operatur, pro sua bonitate acceptat ac pẽsat. De uerbis nulla sit digladiatio, modo de re cõueniat, nec interim ingerãtur auribus imperitæ

Opifices

multitudinis illa παραδοξα: Nihil refert qualia sint nostra opera, tantũ habeto fidẽ & seruaberis: Et homo quicquid agit nihil aliud ẽq; peccat: quæ ut in aliquo sensu uera sint, tamen ab imperitis alio rapiuntur quàm expedit. Quemadmodum & illæ uoces, Christus pro nostris peccatis dependit. An ille pro nobis mortuus est, ut nos uiuamus in peccatis? an potius ut semel illius sanguine loti, abstineamus ab omnibus inquinamentis? Mortuus est & resurrexit, ut ipsum imitantes, moriamur peccatis, & in uitæ nouitatem resurgamus: pro nobis crucem gestauit, sed idem clamat: Qui non tollit crucem suam quotidie, non est me dignus. Cæterũ qui dominum suis sceleribus quotidie, quod in ipsis est crucifigunt, ijs mors illius adeo nihil profutura est, ut cessura sit in grauẽ supplicij accessionẽ.

Pro defunctis orare

Pij cuiusdam affectus est credere, preces ac bona opera uiuentium prodesse defunctis, præsertim si hæc illi dum uiuerẽt facienda curarunt. Tantum admoneãtur, qui funebres pompas ac missas glorię causa instituunt, perdere mercedẽ suam: ac certius esse lucrum, si quod morientes legant, uiui ac sani in pios usus erogẽt. At quibus hoc nondũ persuasum est, ne obstrepant aliorum simplicitati, sed ipsi tãto benignius subleuent paupertatem inopiã, tantoq; feruentius incumbant bonis operibus, quo minus credunt defunctos, uiuorum

Inuocatio sanctorum

benefactis iuuari. Religiosi item affectus est, credere sanctos ac sanctas quos deus adhuc mortali corpore grauatos tanti fecit, ut ad illorũ preces, dæmones expulerit, mortuos ad uitam reuocarit, nunc quoq; nonnihil apud eum posse. At quibus diuersa sedit opinio, pura mente, syncera q; fide inuocent patrẽ, filium & spiritum sanctũ, ne obturbent odiose ijs, qui citra superstitionẽ implorant diuorum suffragia. Superstitio quam fateor in inuocatione cultuq; diuorum esse plurimã, coarguenda est, pius ac simplex affectus interdum tolerandus est, etiam si sit cum aliquo coniunctus errore. Vt nostra uota non sentiant diui, sentit tamen Christus, qui & amat simplices animos, si minus per sanctos, certe pro sanctis dabit nobis quæ petimus. Qui sęuierũt in diuorum imagines, non prorsus ab re concitati sunt ad eum zelum, licet immodicũ mea quidem sententia. Nam horribile crimẽ est

Imagines

idololatria, hoc est simulachrorum cultus: qui tametsi iam olim sublatus est è moribus hominum, tamen periculum est, ne technis dæmonum eodẽ reuoluantur incauti. Sed quum statuaria & pictura olim inter liberales artes habita sit tacita poesis, plus interdum repræsentans affectibus hominum quàm homo quamuis facundus possit uerbis exprimere, & Plato agnoscens poesim plurimum habere momenti ad Rempub. bene secusúe instituẽdam, non omnes poetas submouerit ex illa quam fingit ciuitate, sed Homerum tantũ aut Homeri similem, qui dijs ac deorum filijs attribuit adulteria, puerorũ amores, furta, mendacia, impotẽtes iras, dissidia aliaq; uitia, quæ nemo bonus Reipub. gubernator ferret in

suis

ſuis ciuibus, aut frugi paterfamilias in uxore, liberis aut famulis: corrigẽdum erat, quod per imagines irrepſerat ſuperſtitionis, utilitas erat ſeruanda. Vtinã omnes omnium ædiũ parietes haberent uitã Ieſu Chriſti decenter expreſſam. In templis autem quẽadmodum in Aphricano concilio decretũ fuit, ne quid recitaretur præter ſcripturas canonicas, ita conueniret nullam eſſe picturam, niſi cuius argumentum in canonicis ſcripturis cõtineretur. In periſtylijs, porticibus & ambulacris poſſent & alia pingi ex humanis hiſtorijs deſumpta, modo facerẽt ad bonos mores. Stultas uero aut obſcœnas aut ſeditioſas tabulas oportuit non ſolum è tẽplis uerumetiam ex omni ciuitate ſublatas eſſe. Et quemadmodum blaſphemiæ genus eſt, ſacras literas ad ineptos ac prophanos detorquere iocos, ita graui pœna digni ſunt, qui cum pingũt canonicarum ſcripturarum argumenta, de ſuo capite miſcent ridicula quędam, ac ſanctis indigna. Si libet ineptire, à Philoſtrato potius petant argumenta. Quanquam ſunt & in ethnicorum annalibus multa argumenta, quæ idiotarum oculis utiliter exponi poſſent. Ergo cui perſuaſum eſt, diuorum imaginibus, quoniam non ſentiunt, nihil habendum honoris, fruantur ſuo ſenſu: ne tamen obſtrepãt ijs, qui citra ſuperſtitionem ſic uenerantur imagines eorum amore quos repręſentãt, quẽadmodum noua nupta ſponſi abſentis amore exoſculatur anulum aut ſtrophium ab illo relictum aut miſſum. Hic affectus deo non poteſt ingratus eſſe, qui nõ è ſuperſtitione, ſed ab abundantia quadam amoris proficiſcitur. Idem ſentiẽdum eſt de ijs, qui ſimili affectu exoſculantur oſſa aliasue reliquias ſanctorum. In his Paulus opinor concederet, ut in ſuo quiſq; ſenſu acquieſcat. Noui theologum, qui cum uideret quẽdam per cœmiterium euntem, nam erat iter publicum, non aperire caput ad ſignum crucifixi, haud quidem ſtudio, ſed intentum fabulis comitum, quibuſcum deãbulauerat, miro zelo dixit ad ſuos confabulones, auſim iurare illum eſſe Lutheranum. Illud profecto non recte: quemadmodum altera pars peccat, odioſe obſtrepens non ſuperſtitioni, ſed ſimplici religioſoq; affectui nonnihil tribuentium imaginibus. Illud citra noxam omnibus poteſt inculcari, diuos ac diuas optime coli imitando uitam illorum. Itidem quibus nõdum perſuaſum eſt horum temporum ſacramentalem cõfeſſionem fuiſſe ab ipſo Chriſto inſtitutam, ſeruent eam ut rem ſalutarem multisq; commendabilem utilitatibus, ac multorum ſeculorum uſu comprobatam. Vt autem illa tutior ſit, tum minus grauis, magna ex parte in nobis ſitum eſt. Videlicet ſi deligamus integrum, eruditum, ac ſilentij tenacem ſacerdotem, nec eum ambiguis ac perplexis ſermonibus remoremur, ut percuntando cogatur uelut expiſcari crimina, ſed tanquam coram deo aperiamus ea duntaxat, quæ certo ſunt letalia uulnera. Quod genus ſunt, adulterium, homicidium, furtum, ebrietas enormis ac uoluntaria, obtrectatio malicioſa, quod homicidij aut ueneficij genus eſt, periurijũ, fraus, rapina, aliaq; huius generis ſeu facto perpetrata, ſeu certo animi propoſito deſtinata: quibus enim nihil defuit præter occaſionem, iam perpetrarunt. Abſit autem repetendi confeſſionem ſuperſtitio, abſit anxietas enumerandi commiſſa & circumſtantias, aut totam iterandi confeſſionẽ apud alium ſacerdotẽ, ſi quod crimen in priore fugit. Præcipua cura ſit, ut quod admiſſum eſt deteſtemur, & in priſtinũ remigremus affectũ. Illud omnium caput eſt, ſic inſtituere uitam, ut non incidamus in ullum crimen letale. Id qui poteſt, liber eſt ab onere confitendi. Leuiores culpas uitari uix cuiquam conceſſum eſt in hac uita: at non difficile eſt auxiliante deo, uitare crimina ei qui ſemel ſit radicatus in charitate dei ac proximi. Hoc igitur fundamentum ante omnia iaciendum ac ſtabiliendum eſt in animis noſtris. Quod ſi accidat in crimen prolabi, non eſt neceſſe protinus ad ſacerdotem currere, ſed ad deum illico fugiendum eſt. Cum illo ſtatim redeundum in gratiam, ut ſacerdoti quoque confitearis expectanda eſt temporis oportunitas. Conſultum tamen eſt culpas de quibus dubitas, criminales ſint necne, ſacerdoti quum oportunum fuerit referare. Idem dico de pactis de quibus ambigis, utrum legitima ſint an nõ. Complures enim perplexi caſus incidunt in uita mortalium, ueluti de uſura, de matrimonio, de reſtituendo, de uotis. Qui credunt eam ut nunc eſt à Chriſto inſtitutam, tanto obſeruent religioſius, ſinantq; alios in ſuo ſenſu acquieſcere, donec ſacroſancta ſynodus aliquid expreſſius de hoc pronũtiarit. hoc pacto fiet, ut nec ſcindatur omnino Chriſtiana concordia, nec mores infirmorum in omnem licentiam proruant. In miſſam ſi quid ſuperſtitionis, aut ſordium irrepſit, æquum eſt corrigere. Ipſam miſſam quur uſque adeo execremur non uideo. Conſtat pſalmodia,

Reliquiæ

Confeſſio

qui dicitur introitus, doxologia, precatione, sacris canticis, recitatione uerborum pro-
pheticorum aut apostolicorum, quam uocant epistolã, recitatione Euangelij, professione
fidei catholicæ, gratiarum actione, quam appellãt Eucharistiam, ac religiosa commemo-
ratione mortis dominicæ, rursus precationibus, inter quas est precatio dominica: dein
sequitur pacis Christianæ symbolum, mox cõmunio, rursus sacrum canticum, & preca-
tio. Postremo loco sacerdos totum populum uelut in suam tutelam receptum, deo bene-
dictione tradit atque commendat, ut perseuerent in affectu pietatis, mutuaq; charitate.
Quid in his non pium ac uenerandum? Quos offendit sordida turba conductitiorum sa-
crificulorum, submoueant indignos, dignos retineant. Quibus non placent prosæ, præ-
sertim indoctæ, licet eas prætermittere. Neque enim Romana ecclesia ullas nouit pro-
sas. Similiter & cantionem quam nunc in nonnullis templis canunt, post consecratũ cor-
pus & sanguinem dominicum, pro pace aut contra pestilentiam, aut pro felici aduentu
frugum, sine religionis detrimento liceret omittere. Id enim omnino præter ueterem mo-
rem inductum est. Nam id temporis olim populus non cursitabat ad uidendum id quod
sacerdos ostendit, sed prostratis humi corporibus, animis in cœlum erectis gratias age-
bat Christo redemptori, qui nos suo sanguine lauit, sua morte redemit. Nihil porrò tale
nouit ecclesia Romana. In sacello pontificis, nõ est nisi unicum altare & unicum sacrum.
Quin & hodie in multis ecclesijs Romanam imitantibus, non licet priuatim sacrificare,
Plures missæ duntaxat id temporis quum summum peragitur sacrum. Illorum insolentia est arguenda
qui cum summi sacrificij tempore ambularint nugantes de rebus friuolis, proprium re-
quirunt sacerdotem, qui ipsis proprie sacrificet: aut in uespertino cultu, quemuis obuium
arripiunt sacerdotem, qui ipsis separatim dicat uespertinas laudes, etiam si is iam suas ab-
soluit: qui si recuset, sic commouentur, ut periculum sit ne illi pugnos in faciem ingerant.
Adeo quod publicum est contemnitur, & quisq; priuata quærit. Si non placet in tem-
plis illud modulatæ musicæ genus, & organorum cantus, possunt citra pietatis iacturam
omitti: si placet, curandum est ut illa quoque musica sit digna templo dei. Iam & illud nõ
recte fit in quibusdam ecclesijs, ut ob musicorum aut organorum concentum omittantur
aut decurtentur ea quæ sunt præcipua. Hora prope consumitur in prosa, ac decurtatur
symbolum fidei, & omittitur precatio dominica. Nec minimum temporis absumunt il-
læ uocum caudæ, ad singulos uersus in longum productæ. Atqui præstabat cultum solen
nem, nullis superuacaneis uerti in tędium. Ad superstitionem uergunt tot peculiaria mis-
sarum argumenta, missa de spinea corona, missa de tribus clauis, missa de præputio Chri
sti, missa pro nauigantibus, pedestri aut equestri itinere peregrinantibus, pro sterilibus,
pro grauidis, pro parturientibus, pro febri quartana aut tertiana laborantibus. Hæc & hu
ius generis multa facile possent uel tolerari uel corrigi. Nec erat necesse ut missam tot se-
culis receptam, quasi rem pestilentem & impiam exigeremus. Iam quæ quidã tradiderũt
de qualificatione, de merito principali & secundario, de opere operante & operato, pote
rant inter humanas opiniones seponi, donec super his quoq; synodus pronuntiaret, aut
suo quenq; arbitrio relinqueret. Sacrificij atq; immolationis uocabulum ueteres sacri do
ctores non horruerunt. Christus semel mortuus non moritur iterum, fateor, sed unicum il
lud sacrificium mysticis ritibus quotidie quasi renouatur, dum ex illo fonte inexhausto
nobis nouam subinde gratiã elicimus. Immolamus hostiam pro uiuis ac defunctis, dum
pro illis patrem per filij mortem obtestamur. Postremo quum omnis precatio, laus et gra
tiarum actio recte dicatur sacrificium, maxime nomen hoc conuenit in missam, hæc om-
nia sacratius continentem. Sunt qui requirant in missa communionem. Sic fateor fuit à
Christo institutum, & olim ita consueuit obseruari. Verum id quo minus fiat, haud stat
per sacerdotes, sed per laicos, in quibus heu nimium refrixit charitas. Cœlestis ille cibus
non est obtrudendus inuitis, aut nauseantibus, auide petentibus non negabitur. Nunc
quæ possit esse communio quum quibusdam in locis templa ferè sint uacua cõmunionis
tempore. Quidam aspersi mox abeunt domum, & ante introitum faciunt exitum. Alij
post auditum & non intellectum Euangelium abeunt. Atqui posteaquam sacerdos di-
xit, sursum corda, & gratias agamus, tum præcipuæ populi partes erant, quando tacen-
te sacerdote quisque cum deo loquitur. Atque interim illi fabulantur in foro, aut potant
in popina. Quanquam & hi uerecundius faciunt ijs qui toto sacro nugantur in templis.

Deniq;

Denique tametsi inter sacrificantē & assistētes non est signorum Sacramentalium communio, quæ nec olim inter omnes fuit, est tamen sacræ doctrinæ, piæ exhortationis, precationis, laudis & gratiarum actionis communio. Commune est igitur quod uiuificat, illud commune non est quod sine illis nihil prodest. Sed obijcitur scrupulus de adorando. Si in Eucharistia totus est Christus, quur non est adorandus? Quanquam Christus in eo sacramento est, sub ratione cibi ac potus, ut summa cum animi puritate sumatur, non ut ostentetur, aut in ludis publicisq; pompis circumferatur, aut in equo circum arua uehatur. Id nequaquam est ueteris exempli, sed in hoc multitudinis affectui plus satis indultum est. Quidam sibi ualde pij uidentur, si quoties sacerdos sinit uideri corpus domini undiq; accurrāt ac è proximo defixis oculis intueantur. Quanto religiosius erat cum publicano procul à cancellis abstinere, & corpore humi fuso, mente adorare crucifixū. Nullus est tam stolidus, ut humanam Christi naturam adoret pro diuina, aut ut panem & uinum adoret pro Christo. Quoniam autem nemo certus est, an sacerdos uere consecrauerit, præter ipsum unum, nullus adorat ibi Christum, nisi sub tacita conditione, & tamen id quod in Christo proprie adoratur nusquam non adest. Adde huc quod nullum sit sacramētum tam humile cui non assistamus nudis capitibus quum administratur, uelut in baptismo, in confirmatione puerorum, quid sentiunt igitur, qui putant idololatriam esse, si huic sacramento caput aperiant, etiamsi Christi corpus & sanguis tantum ibi sint in sacro signo? Quot porrò uidemus Sacramentariorum formas? Quoties ipsi suam mutarunt sententiam, quoties alienam reiecerunt? Nam & nuper exortus est, qui tam impiam de hoc sacramento sententiam commentus est, ut totum sustulerit sacramentum. Neque enim sacramentum dici meretur, quod nullo externo signo, sed tantum animi cogitatione peragitur. Hæc qui faciunt, utrum sibi uidentur talis ludere, an de grauissimis rebus disputare? Quod si ambigunt, ut ipsa declarat res, quanto satius erat in eo perseuerare, quod nobis tradiderat ecclesia catholica? Tradidit autem ibi uerum esse corpus et sanguinem domini, haud dubie quin uiuum. Quod si credimus in sepulchro diuinam naturam non fuisse separatam ab exanimi corpore domini, quanto credibilius est eam à uiuo corpore non esse separatam in sacramento? Itaq; si in hoc cōcordes essemus, cætera quæ disquiruntur, quomodo sit ibi corpus & sanguis domini, sub panis substātia, an sub speciebus panis ac uini, & quid accidat sumpto corpori, & si qua sunt his similia, poterant in synodo definiri. Nunc quum quisque de re tanta quod libet comminiscitur, nónne illud unicum piarum mentium solatium & delicium, quodammodo in nauseam uertimus? Turbam festorum dierum, quos uel episcopi multitudinis affectibus indulgentes induxerūt, uel Romani pontifices causis non necessarijs instituerunt, ipsi facile patientur abrogari, quod genus sunt festum Conceptionis & natiuitatis uirginis matris, item festum præsentationis in templo. Et haud scio an expediret nullum omnino festum solenne indici, nisi cuius argumentum extet in sacris literis: diem dominicum semper excipio. Facile patiemur esse festa pauciora, modo ea quæ supersunt, maiore religione celebrentur. Non est omnino prophanus dies, quo licito labore citraq; fraudē paratur, quod uxorem alat ac liberos aut proximi subleuet inopiam. Festa quæ sodalitates sibi priuata constituunt auctoritate, unà cum ipsis sodalitatibus, à magistratu tollēda sunt. Nihil enim aliud sunt quàm Comi & Bacchi conuenticula. Delectum ciborum ac ieiunia non indixit ecclesia nisi ad sanitatem corporis & animi. Itaque qui piscium esu periclitantur, aut ieiunio & ualitudinem corporis & animi uigorem lædi sentiunt, hos nequaquam obligat ecclesiæ constitutio. Qui uero se sentiunt ex abstinentia carnium & ieiunio & corpore & animo melius habere, quæ rogo contumacia est, uelut in odium ecclesiæ hoc reijcere, quod tātam adfert utilitatem? Hic igitur nullus alium dijudicet, uescens non insultet abstinentibus, abstinentes non condemnent uescentes, etiam si causa non sit euidens. Suo domino stant aut cadūt. Idem sentio de cęteris episcoporum constitutionibus, quę si piæ sunt, si utiles, si æquæ, ob hoc ipsum obseruandę sunt, quod tales sunt: & si displicet legis uocabulū, amplectamur eas tanquam salubria consilia. Si seruus de lapide emptus dat tibi consilium utile, auscultas & obtemperas, non quia seruus dedit, sed quia est in rem tuam. Et nos eorum consilia reijcimus, qui publica dignitate præminent, quicq; nobis patrum ac doctorū loco sunt? Hæc eò spectant, non quod quæ dicimus pro certis haberi uelimus, aut præea-

Adoratio in missa

Festi dies

Ieiunia

Constitutiones

mus ecclesiæ quid sit statuendũ, sed ut interim dum apparatur synodus, ipsi dissensionum causas omnes quantum in nobis est, amputemus, nihil per uim ac tumultum agamus, neque cuiquam hoc faciamus, quod si nobis fieret cœlum ac terrã ac maria inclamaremus, neq; quenquam ad nouam religionem à qua abhorret, perpellamus. Aequissimum enim est, ut qui sibi religionis causa uim fieri nolunt, ab alijs eam abstineant, præsertim quum hic quoq; melior sit causa, tam longi præscriptione temporis sese tuentiũ. Hæc admonitio ad utranq; partem attinet: si moderata συγκαταβασις præmolliat dissidiorum paroxysmum, fiet ut synodi medicina felicius operetur ad concordiam. Sic enim medici priusq; porrigant ualidum pharmacum, leuibus quibusdam ac blandis potiunculis, Sirupos illi uocant, præparant corpora. Hoc exemplum utinam omnes imitemur. At uereor ne sint, qui uel ob inopiã iudicij, uel ut ipsi sint in tuto, properent sic exulcerare omnia, ut frustra coeat synodus. Quis autem malus genius effascinauit infelices anabaptistas? Nam audio hos errore falli, magis q̃ incitari malicia, ut ad istum modum in proprium ruant exitium. Non sufficit illis baptismus, qui mille quadringentis annis suffecit ecclesiæ catholicæ? Nã temporibus Augustini tam uetus erat cõsuetudo tingere infantes, ut huius exẽpli autor ignoraretur, admodumq; probabile esset, ab ipsis apostolis fuisse inductum. Quanquam enim non est expressum in sacris libris, quod apostoli baptizarint infantes, tamen ex his sumitur non leuis cõiectura. Paulus enim fatetur se baptizasse tres familias, Crispi, Caij, & Stephanæ. Et apud Philippenses nocte baptizauit carcerarium cum uniuersa familia. Et Petrus in actis 10 baptizauit Cornelij non solum familiam, sed etiam cognatos ac necessarios, quos ille sub aduentum Petri conuocarat. In his familijs probabile est fuisse nõnullos infantes aut pueros. Christus ait: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Et apostolorum principes Petrus & Paulus diligenter admonent, ut Christiani ciues obtẽperent regibus ac præfectis licet idololatris. Volunt seruũ baptizatum fidelius etiã seruire hero suo, q̃ antea fecerat, & isti grauantur parere principibus eodem lauacro tinctis, eandẽ professis religionem? Dicũtur exigere à suis rerum omnium communitatem. At ista quidem fuit aliquandiu tẽporibus apostolorum in primordijs ecclesiæ nascẽtis, ne tum quidem inter omnes Christianos. Nam latius propagato Euangelio non potuit seruari cõmunitas, exitura uidelicet in seditionem. Hoc ad concordiam est accommodatius, ut rerum proprietas ac dispensandi ius sit penes legitimos dominos, charitas uero faciat usum communem. Nunc audimus apud Bohemos exoriri nouum Iudæorum genus, Sabbatarios appellant, qui tanta superstitione seruant Sabbatum, ut si quid eo die inciderit in oculũ, nolint extmere, quasi non sufficiat eis pro Sabbato dies dominicus, qui apostolis etiam erat sacer, aut quasi Christus non satis expresserit quantum tribuendum sit Sabbato. Beatus Paulus anathema minatur angelo, qui uel cœlitus adferret aliud Euangelium quam ipse tradiderat. Nunc multorum animos adeo cõspicimus uacillantes, ut si uel obscurissimus homuncio proferat nouum dogma, licet absurdum, inueniat discipulos. Vnde tanta uacillatio in animis Germanorum, qui semper cæteris nationibus fortitudinis & constantiæ laude præcelluerunt? Quid nobis felicius, si positis dissidijs cõcordes uersemur in domo domini? Agit hoc summo studio Carolus Cæsar, agit idem Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq; rex Ferdinãdus, princeps singulari pietate præditus. Nec Christianissimus Gallorum rex in hoc negotio suo cognomini non est respõsurus. Nec Anglorum rex obliuiscetur, se nõ ita pridem, defensoris fidei catholicæ speciosum meruisse titulũ. Qui Clementis pontificis ingenium propius norunt, pollicentur illum ad æquissimas conditiones descensurum, modo sarciatur ecclesiæ pax. Nec defutura est eruditorum, Cardinalitiæ æquitas. Res auspice Christo feliciter cessura est, si cæteri quoq; principes ac ciuitates huc intendant animum. Iam nimium diu rixis indultum est, uel delassati quæramus concordiam. Si domini lenitas nos prouocat ad licentiam, quæ ad pœnitentiã debebat inuitare, uerendũ est ne furor fiat læsa sæpius patiẽtia, & quod de Iudæis scripsit Paulus, perueniat in nos ira dei in finem. Ne regum quidem mansuetudine abuti consultum est. Non ignorant illi uires suas, sed pro sua clementia, mollioribus si fieri possit remedijs huic malo mederi malunt quam cauterijs aut sectionibus. Fortasse nos credimus dormitare Cæsarem: at is plane uigilat in hoc negotio: lentior est, sicut oportet principẽ summa potẽtia prædi-
tum non esse præcipitem in rebus gerendis, sed tamen ille tandẽ perficit, quicquid animo
destina-

Anabaptistæ

1. Cor. 1
Act. 16

deſtinauit ſemel. Regis Ferdinãdi bonitas & animus planè philoſophicus, qualẽ in principe requirit Plato, non meretur contemptum, ſed abundãtiorem reuerentiam, ac religioſiorem obedientiam. Nunquam habuere felicem exitum auſus Cyclopici & inconſulta temeritas: Sed ut ueriſſime dixit ille uates acutiſs. Vis conſilij expers mole ruit ſua. Vim temperatam dij quoque prouehunt In maius. Ergo ſi moderatis conſilijs, affectibuſq; ſedatis incubuerimus ad ſarciendam eccleſiæ concordiam, fiet quod uaticinatur Eſaias. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta: iamq; ſimul omnes uno ore nobis inuicem gratulantes dicemus: Quàm amabilia tabernacula tua domine uirtutum.

PSALMI LXXXIII ENARRATIONIS PER DES. Eraſmum Roterodamum, Finis

R. IN CHRISTO PATRI AC D. D. IOANNI LONGLONdo Epiſcopo Linconienſi in Anglia Des. Eraſmus Roterodamus S. D.

VEtus ac uera ſententia eſt ſuſpiciende præſul: Rogando cogit, qui rogat potentior: ſed longe magis rogando cogit, qui rogat benemeritus. Potentiori non gerere morem, parum eſt tutum, ſed benemerito non obſequi turpiſſimum eſt. Longe deteſtabilius eſt ingratitudinis, quàm imprudentiæ uitium. Porrò quoties rogat, cui ius eſt imperare, is hoc ipſo magis imperat, quia non imperat, ſed rogat. Siquidem imperanti negare, contumacis eſt, roganti, inhumanitatis. Iam qui quum poſſit pro ſua autoritate præcipere, pro meritis repoſcere, uerecunde etiã rogat, & quodammodo rogãdo non rogat, is nimirum multo uiolentiſſime rogat, ut frequẽter impetret pudor, quod nulla impetraſſet flagitatio. Tot igitur machinis quũ me pulſaris reuerende pater, autoritate, meritis, uerecunda petitione, hoc minus libuit excuſare, quod ipſe quaſi ſuggeſſeris excuſationem. Mihi uero nec una, nec ſimplex erat excuſandi materia, eaq; fortaſſe iuſtior, q̃ tu quoq; uelles, ſed tanto Præſuli, ſic merito, ſic petenti, negare non potui. En habes Pſalmum, utcunq; tractatum, tamen obſequij citra omnem exceptionem deuoti teſtimonium. Animum probes oportet, ſi minus probas ingenium. Nec conatum potes aſpernari, ſi parum reſpondet euentus. Non te remorabor à Pſalmo diutius. Bene uale. Datum Baſileæ menſe Aug. Anno 1528.

IN PSALMVM LXXXV EXPOSITIO CONCIONALIS PER DES. ERASmum Roterodamum.

PHiloſophus quidam rogatus quid eſſet dulciſſimum, reſpondit, accipere. Applauſit huic dicto ſenſus communis mortalium. Sitis igitur alacribus animis fratres, cœleſtis philoſophiæ ſtudioſi, ac ſpiritualium opum auidi, adfero quod gratis accipiatis, & quidem hoc maiore fructu ueſtro, quo accipietis auidius. Dei munus eſt, quod adfero, ipſe nihil aliud q̃ porrector alieni muneris. Vtriq; nimirum & autori & porrectori, gratiam optatam retuleritis, ſi quod defertur, ſitientibus animis receperitis. Si quis uobis dono offerat byſſum, gemmas, aurumue, ut repente ſerenatur frons, hilareſcunt animi, quanta cum alacritate porrigitis purgatas manus? Si quis offerat cibum prælautum, patinis purgatiſſimis excipitis. Ecce defero, quod omnibus gemmis, byſſo & auro precioſius eſt, quod omnibus placẽtis ſuauius eſt, atq; etiam ſalubrius. Iniuriam facitis muneri, imò potius uobis ipſis, ſi quod gratis offertur, ſomnolẽti, ſegnes ac triſtes excipitis. Hilarem datorem diligit deus, rectiſſime dictum eſt ab Hebræo ſapiente, ſed æque diligit hilarem acceptorem. Qui triſtis dat, deperit partem gratiæ beneficio ſuo, qui triſtis accipit, ingratus eſt & prius q̃ accipiat. Hilariter accepiſſe magna pars eſt relatæ gratiæ apud homines, apud deum pro in ſolidũ relata Exordium

gratia deputatur. At ne diu uos teneã ænigmate ſuſpenſos, adfero Pſalmum octogeſimumquintum, cuius initium: Inclina deus aurem tuã. Arrigite illi aures ueſtras, ut ille uiciſſim inclinet aurem ſuã uobis. Siquidem et illud de illius munere uenit, ut quod offert alacriter accipiamus, fideliter teneamus, cum fructu exerceamus. Quare agite fratres in domino chariſſimi, purgate cordis aures, expandite ſinus animorũ, porrigite manus affectuum auidas, ut hic Pſalmus fiat in uobis fons aquæ ſalientis in uitam æternam.

Titulus pſalmi Quanquam Pſalmi titulus cõmunis eſt omnium, totumq; hoc opus Pſalterium appellatur, tamen quidam peculiaribus titulis diſtinguuntur, dum aliis præſcribitur, cãticum, aliis canticũ pſalmi, aliis pſalmus cantici, aliis intellectus, aliis aliud: nec eſt otioſa titulorum uarietas, indicat pie curioſis argumenti, quod in pſalmo tractatur, uim ac rationem, ad quam oportet eum, qui pſalmi adytum ingreditur, mentem ac ſpiritum religioſa diligentia componere. Quem nũc adfero cum paucis aliis titulum habet προσευχὴ τῷ Δαβίδ, oratio Dauid. Nihil humile, nihil terrenum loquuntur pſalmi, aut homines canunt cum angelis gloriam deo, quam ueteres δοξολογίαν appellabant: aut pro beneficijs agunt gratias diuinæ benignitati, aut aliquid poſtulant à deo, aut deus loquitur hominibus, & utique loquitur ſe digna, uel deterrens à malis, uel inuitans ad bona, uel cõſolans, uel docens non humanam ſapientiam, ſed cœleſtem philoſophiam. Impudenter itaq; huc irrumpunt anmi prophani, ſomniculoſi crapula, graues curis humilibus. Nec tamẽ hæc ita ſunt in pſalmis, ut ſingula tantum ſint in ſingulis. Quin potius ut natura cohærent, ita in pſalmis permixta ſunt. Qui laudibus uehit potentem, etiam ſi nihil petat uerbis, re promeretur accipere. Quoniam autem deus non ſibi tantum, ſed nobis magnus eſt, ſapiens ac benignus, illum laudare, eſt gratias agere. Porrò qui gratias agit diuiti, quid aliud quàm grate commemorandis acceptis, inuitat ad plura largiendum? Itaque uidebimus in hoc ipſo δοξολογίαν, εὐχαριστίαν, & προσευχὴν. Non torquebo charitatem ueſtram ſuperſtitione uocũ, εὐχὴ uotum eſt animo conceptum, προσευχὴ uotum eſt apud deum effuſum, quaſi dicas, precationem & apprecationem. Precatur qui ſimpliciter optat, non laborans unde cõtingat, at qui προσεύχεται, nouit unde petere debeat quod optat. Qui ſalutem petit, non petit à dæmonibus, non ab incantamentis, non à ſeipſo, denique non à Moſe, aut Helia, ſed ab unico ſalutis autore deo. Iam fortaſſe non cuiuslibet precationis eadem eſt ratio. Eſt oratio Moſi, eſt oratio pauperis ignoti hominis, ſed eximium quiddam habet precatio Dauid, regis & prophetæ, qui tot figuris repreſentauit perſonam domini Ieſu Chriſti. Proinde quum omnis precatio requirat animum uehementer ab omni fece terrenarum cupiditatũ purgatum, quippe penetrans ad ipſum thronum diuinæ maieſtatis, & in illius conſpectu loquens, cuius ſublimitatem tremunt Cherubicæ Seraphicæq; mẽtes, eximium quiddam ac diuinius habet precatio Dauid. Nihil humile petit rex, nihil non deo dignum orat uir ſecundum cor dei. Atq; ut hoc magis credatis, hic Dauid eſt unicus ille manu fortis, qui deuicto ſatana conſtruxit nobis ac muniuit arcem Sion, Eccleſiam, qui ſolus undiquaq; placuit cordi dei, obediens uſq; ad mortem, & in cuius ore non eſt inuentus dolus, agnus expers omnis maculæ. Hoc elogium non competit in Dauid Solomonis patrem. Puris igitur atq; attentis auribus audiamus filij Sion, quid oret rex noſter, ſacerdos noſter, & caput noſtrum. Nobis enim orat quicquid orat. Et ſi uolumus in nobis et pro nobis orat ille, ac nos uiciſſim in illo, & per illum. Caput enim & membra corporis unum ſunt. Ita dominus Ieſus Eccleſiæ totius caput, & Eccleſia iuxta myſticam conglutinationem, totus & unus Chriſtus eſt. Dicam craſſius quiddam ob ſimpliciores: quum eſtis in templis, auditis ſacerdotem hortantem ad precandum, quum dicit oremus, & præbetis aures, alioqui quomodo ad illius precationem reſponderetis Amen, ſi neſciretis quid oraſſet? Solus ille dictat preces, ſed per unum totius eccleſiæ uox ſonat, & ſi uox unius eſt, uotum tamen eſt omnium cõmune. Nec enim quorumlibet eſt, orare ſicut oportet. Donum eſt dei, quemadmodum & prophetia. Sed fieri poteſt, ut homo ſacerdos ſi de corde ſuo precetur, non iuxta præſcriptum eccleſiæ, perperam oret, quemadmodum Paulus interpellans deum, ut à ſtimulo carnis liberaretur, audiuit, ſufficit tibi gratia mea. Nam ipſi neque quid orandum ſit, neq; quomodo orandum ſit, ſcimus, niſi ſpiritus Chriſti ſuggerat
Rom. 8 hoc quoq;, qui iuxta beatũ Paulum, pro nobis & in nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus. Qui poſtulãt à deo exitium inimicorũ ſuorũ, quibus iubemur et benefacere, quid

orens

orent nescíunt,& cum apostolis perperam orantibus audient,nescitis cuius spíritus sitis. Nam humana cupiditas homini persuadet hoc esse deo gratum, quicquid impensius optat. Itaq; quum orent humano spíritu,precari se credunt diuino spíritu. Rursum qui flagitant opes ac uires corporis, ut suauiter, ut cum dignitate uiuant in hoc mundo, nescíunt quomodo sit orandum. Rursus qui salutem animi & corporis petũt à diuo Christophoro aut Barbara, nesciunt quomodo oporteat orare. Postulant enim ab hominibus, quod solus deus potest largiri,& unde illíjpsi gratis acceperunt, quod ab íjs petitur. Sed in his si absit affectus impius,diuinus ille spíritus ignoscens hominum simplicitati, corrígit precationis errorem, id largiens non quod postulatum est, sed quod cõducit postulanti. Ergo si homini sacerdoti altaribus astanti, & ad orandum inuitanti, quum sonat, oremus,præbemus aures animosq;: quanto religiosius attendere debemus,quas preces concipiat episcopus animarum nostrarum, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchísedech dominus Iesus Christus,iam accinctus ad sacrosanctam aram crucis,atq; hostiam deo gratissimam,seipsum immolaturus pro salute generis humani? Puris ac pijs animis,religiosis cordib.audiamus Christi milites, quid oret rex & imperator noster, cũ hoste nostro pro nobis conflicturus. Auditur ille quidem pro sui reuerentia, sed tamen potest quisq; nostrum hoc efficere sua negligentia,ut ipsi quidem sit ineffícax & irrita precatio tanti regis,tam sancti antistitis. Vt igitur prosit nobis sacerdotis nostri precatio,simus in Ecclesia,extra quam nulla est salus,simus inter nos concordes,ut quum episcopus noster dixerit,pax uobis, hæreat pax illius in cordibus nostris, simus uiua membra Christi, simus unum cum Christo, ut pariter oremus in illo, ille uicissim in nobis & pro nobis, tamque sacrosanctæ uictimæ participes semper uiuamus in illo, & regnemus cum illo, qui solus immortalitatis est autor, solus regnum habet, cuius non erit finis. Proinde quum auditis psalmi titulum, precatio Dauid, existimate dominum Iesum sacerdotem uere summum,dicere suis omnibus,oremus,formamq; præscribi,quid quemadmodum nos quoq; orare oporteat. Potest enim quisq; nostrum esse Dauid, & esse Christus iuxta modum quendam suum. Vnus est quem unxit deus pr̃ participibus suis,sed hinc colligitur illum esse summum non solum. Alioqui qui solus,quum habeat participes: Ne cuiusquam aures horreant me Christi nomen tribuere homini, quod scriptura tribuit sanctis,Nolite,inquit,tangere Christos meos. Vt igitur ille unicus filius est,multos tamen habens fratres, quos adduxit patri: ita unice unctus est, gaudens habere multos participes eiusdem per ipsum unctionis. Ergo Christi simus,ut oremus cum Christo, ne quid perperam oremus.Habet ille plenitudinem spíritus, & solus nouit, quid quo pacto sit orandum. In ethnicorum mysteríjs antistes iubet exire prophanos, ipse prophanisimus. Non idem clamat antistes noster, quin potius inuitat prophanos, ut accedentes ad hoc mysterium desinant esse prophani. Si prophanus es,prophanus est autem qui seruit satanæ,exi à te ipso,& intrasti in Ecclesiam, exue te ipsum, & Christum induisti. Qui Christum induit,prophanus esse desijt, allectus in sortem sanctorũ dei. Sancti igitur sanctum & sanctificatorem omnium audiamus,orantem, ut ex animo dicamus Amen.

Neq; uero cuiquam nostrum sit illud offendiculo,quod orat dominus, quum orare uideatur egentis & inferioris. Quid miraris pro te orantem,qui pro te factus est infans,qui pro te uagijt in cunis,qui pro te mori dignatus est? Orat secũdum hominem assumptum, quo similis factus est nobis: idem quod orat largitur, iuxta diuinam naturam, qua æqualis est patri. Ne quenquam offendat humilitas,sed omnes inflammet admiranda charitas. Iuxta naturam nostram nihil habebat dominus Iesus, quod non acceperat à patre, Iuxta naturam diuinam,nihil est cuiquam boni,quod ab illo non acceperit. Adora sublimitatem,& imitare humilitatem. Frequenter in Euangelicis literis legimus orasse dominum, legimus egisse gratias,ob id etiam,ut nobis formam exprimeret. Quod siqua reperiũtur in precibus Christi,quæ non uidentur illius dignitati congruere,etiam iuxta naturam assumptam,cogitemus caput & corpus idem esse. Quid mirũ si recipit in se uoces nostras, quum receperit in se peccata nostra: nõ quod his inquinatus sit, sed quod pro his pœnas dependerit. Orabat in cruce peragens adorandum illud & unicum sacrificium, Longe à salute mea uerba delictorum meorum. Vnde tibi peccata domine Iesu, qui solus agnus eras sine macula? Quæ crimina suadebãt animæ tuæ sanctissimæ salutis desperationem?

Nihil horum proprie competit in Christum. Nostram illic agebat personam, nostris peccatis oneratus erat, pro quibus abolendis preciosum sanguinem suum fudit. Itaq; nostræ uoces sunt quas loquitur, quum de peccatis loquitur, qui peccatum ipse non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Nihil mirum, si tunc loquebatur uoce membrorũ suorum, quum post ascensum in cœlum adhuc persequutionem patiatur in membris suis, reclamans Paulo, Saule Saule quid me persequeris: refocillatur in membris suis, sibi patiens imputari, quicquid uni cuilibet ex minimis ipsius membris fuerit impensum. Quum adhuc mortalis ageret in terris, similitudinem quidem habebat carnis peccati, peccatoris sustinens personam, dum capitur, dum accusatur, dum uincitur, dum flagellatur, dum cæditur, dum damnatur, dum in crucem tollitur, immunis ab omni contagione peccati. Cæterum ex peccato profectas pœnas, non grauatus est nobiscum habere communes, dum esurit, dum lassatur, dum perfert graues corporis cruciatus, dum angitur animo, dum moritur. Agnoscẽtes in eo communem naturæ fragilitatem, adoremus illius bonitatem, qui uolens eam amore nostri suscepit: audientes uerba peccatoris, intelligamus nostram in illo personam loqui, & gratias agamus tam benigno medico, qui suo dolore nostris morbis remedium attulit. Sed audiamus orantem, non modo iungentes uota nostra cum uotis illius, sed & obseruantes orandi formam, ac reputãtes quis oret, quem oret, quid oret, quomodo oret. Quis sit qui orat iam ostendimus charitati uestræ, non ignari, quod qui literis hebræorum affatim tribuunt, uolunt huius Psalmi argumentum esse Saulis persequutionem, à cuius manibus quum ope diuina iam semel atq; iterum esset liberatus, orat ut à periculis ac mœroribus prouehatur ad lęticiam & regnum. Hinc illud esse, Da imperium tuum puero. Hæc ut recte coniectent hebræorum Rabini, nihil officiunt interpretationi nostræ: sensus enim Historicus ueluti substratum fundamẽtum, non excludit, sed sustinet sensum mysticum. Non itaq; certabimus cum hebræorum diuinationibus, sed ecclesiasticorum doctorum autoritatẽ sequuti, adferemus pro incertis certa, pro parũ frugiferis salutifera. Iesus Christus Dauid noster, rex noster, & antistes noster orat hoc psalmo. Quẽ aũt orat? Num Abraham? Maior est Abraham, qui optabat uidere diem eius, uidit & gauisus est. Num Heliam? Prophetarum dominus est, & prophetarum omnium redemptor. Num Mosen? Ille seruus est, hic filius. Num angelum quenquam? Condidit angelos, & iuxta dignitatem animæ maior angelis. Quem igitur orat? Quem nisi illum, quo nihil est maius Adonay, patrem luminum à quo bonum omne promanat omnibus, à quo Christus etiam iuxta superiorem naturam, citra æqualitatis detrimentum habet originem. Quid orat? Num opes, num uoluptates, num dignitates huius mundi, Num uindictam de inimicis suis? Quæ ne Solomon quidem petijt à domino, & hic Solomone maior, imò cum hoc nullus est conferendus Solomon. Atqui in medijs huius sacrificij mysterijs pendens in cruce, orat pro his à quibus occidebatur. Quid igitur postulat? Ecclesiæ suæ salutem, ac propagationem gloriæ paternæ, id quod in explicando fiet dilucidius. Iam quod restat, Quomodo orat? Multo secus quàm ille publicanus. Non commemorat sua benefacta, non exaggerat sua merita, sed egestatem, humilitatem, necessitatem suam aperit deo, fiduciam erga deum profitetur. Quoniam inops, inquit, & pauper sum ego, & filius ancillæ tuæ, & quoniã in te speraui, & quoniã ad te leuaui animam meam. Beneficia dei commemorat, nimirum orandi formulam nobis ostendens. Talibus enim precatoribus aurem inclinat pater cœlestis. Dominus cuius erant immensa merita, sua merita non commemorat, & nos homunculi, commemorandis benefactis nostris, ceu debitum flagitamus à deo? Inclina domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.] Qui in forma dei, patri est æqualis, nunc iuxta serui formam clamat supplex, Inclina domine aurem tuam, nimirum inferior, ac iuxta personam quam agebat, abiectissimus omnium uirorum, quemadmodum in alio Psalmo dicit, ego sum uermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Quando igitur terreni uermiculi preces peruenirent ad illum, qui sedet super Seraphim, nisi inclinaret aurem suam? Non hic arbitror repetẽdum, quod toties admonui charitatẽ uestram, in deo quum sit mens purissima simplicissimaq;, nihil esse corporeum, aut earum rerum, quæ corporibus accidunt, neq; quicquam affectuum humanorum, quod genus sunt ira, misericordia, dolor, gaudium, pœnitentia, odium, sed scriptura uerbis hominum balbutiens, quo familiarius

miliarius intelligatur, accommodat semet ad hominum imbecillitatem, ueluti nutrix aut mater cum infantulo suo blese loquitans, ut uel sic intelligatur. Deus itaq; loco nec attollitur, nec demittitur, sed iuxta modum humani sermonis auertit aurem, quum non præstat ea quæ rogamus, inclinat aurem, quum propitius audit uota nostra: Quẽadmodum irascitur, quum punit, miseretur, quum seruat & ignoscit: Quemadmodum & uulgo dicuntur audire pronis auribus, qui fauent oranti, supinis & auersis, qui non fauent. Ita quum nos intuemur mẽdicum afflictum, pannosum, ulcerosum ac morbidum, ille spem concipit auxilij. Aspectus enim calamitosi, prouocat ad misericordiam. Ac sanè uerissimum est, quod auris cœli audit omnia, neq; quicquam potest latere conspectum dei, qui sedet super cherubim & intuetur abyssos, & tamen de pio dicit, Clamabit ad me & exaudiam eum. De impijs uero loquitur sapientia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam. *Prouerb. 1*
Aequum est, ut qui noluerunt audire monentem, non audiantur opplorantes. Ita respexit deus ad munera Abel. ad Caim autem & illius munera non respexit. Sic nouit dominus uiam iustorum, & nouit dominus qui sunt ipsius. At fatuæ uirgines quid audiunt? Non noui uos. & iuxta Paulũ, Qui ignorat ignorabitur. Fratres charissimi, agnoscamus dominum obeũdis illius iussis, ut ille nos agnoscat in afflictionibus nostris. Respiciamus in omnibus ad illum, ut ille uicissim aspiciat nos. Inclinemus aurem nostram illius præceptis, ut ille dignetur aurem suam inclinare precibus nostris. Deniq; si uolumus, ut illius sublimitas inclinet se nobis, illi se inclinet nostra superbia. Auersatur elatos, non audit sua merita iactantes, non agnoscit sibi iustitiam arrogantes. Non hæc eò dico, quasi non oporteat bonis operibus ditescere, sed ne quid hinc nobis arrogemus. Etenim qui commemorat, uelut exprobrat ei, cui decuit gratias agere. Exauditus est publicanus humilis, non est auditus pharisæus arrogans. Agnoscit in Euangelio, qui quod boni fecerant non *Matth. 7*
nouerant, & agniti nõ sunt qui dicebãt, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Quid audiunt gloriosi commemoratores gestorum suorum? Non noui uos. Item apud Lucam, 13
qui familiaritatis etiam argumenta commemorant, dicentes, Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti, Quid audiũt? Horribilem uocẽ audiunt. Quam? Nescio unde sitis. Si non agnoscuntur, qui uere commemorant in nomine Iesu prophetias, eiectos dæmones, actam familiaritatem, decimas bonorũ datas pauperibus, quadruplo pensatum, si quid cui fraude detractũ est, quomodo agnoscentur qui maiore supercilio his frigidiora iactant? Tot annis carnes non gustaui, tot annis uestẽ illius aut illius hominis gessi, tot annis cingulum coriaceum portaui, tot annis non attigi carnem, tot annis non egressus sum hunc locum: non quod hæc mala sint, sed quod eius generis, ut fieri possint & à sceleratis. Ne bonum quidem opus agnoscit dominus, si adsit arrogantia, Omnis quidem inuisa deo superbia, sed nulla inuisior, nulla periculosior, quàm quæ de uirtutis imagine tollit supercilium. Inclinemus igitur ceruicem nostram amici charissimi: ut cum humili pontifice nostro dicamus orantes, [Inclina domine aurem tuam & exaudi.] Et quid mirum si nostra causa inclinat aurem, ut audiat preces nostras, quum inclinarit cœlos & descenderit ad nos, ut satisfaceret pro peccatis nostris? Siquidem pater erat in filio, mundum reconcilians sibi. Pro quibus aũt hic orat dominus Iesus? Orat pro infirmis, orat pro impijs, & blasphemis, Inclina domine aurem tuam & exaudi, Quando enim deus audiret talium preces, nisi inclinaret aurem? Erigit aures dei iustitia, inclinat misericordia. Inclinasse autem, exaudisse est. Præcesit illius fauor hominum merita. Quum enim essemus inimici, ille prior dilexit nos, & ita dilexit, ut filium unicum traderet in mortem pro nobis. Hic filius pro nobis interpellans patrem dicit, inclina domine aurem tuam & exaudi me. Non agit causam unius, sed electorum omnium, qui fuerunt, sunt, erúntue ab orbe condito, usque ad consummationem seculi. In uno Christo sunt omnes. Nulli non fuit opus inclinata aure Dei, nisi si quis fuit, cui non fuerit opus gratia Dei. Sed quo tandem iure postulat, ut Deus inclinet aurem? Num commemorat sacrificia, num eleemosynas, num ieiunia, num alia merita? Nihil horum. Quid igitur adfert causæ? Quoniã inops & pauper sum ego.] Et hæc uox iuxta quendam modum cõuenit in Christum secundum naturam hominis assumptam, iuxta quam uere dixit, Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput

suum

ſuum. Vere dixit, regnum meum non eſt de hoc mũdo: neq; falſò deſcripſit illum Eſaias nouiſsimum uirorum, non habentem ſpeciem neq; decorem. Talis erat Chriſtus in mundo inuiſus ſcribis ac phariſæis, contemptus ac deſertus à fratribus, irriſus ab Herode, conſputus à cohorte, damnatus à Pilato, deſtitutus & abnegatus ab ijs ipſis quos unice ſeleſgerat. Talis, inquam, erat oculis mundi, ſed qualis erat oculis propheticis? Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Qualis in oculis Dei? Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt. Hæc in eum competebant etiam ſecundum hominem. Vnde ergo pauper & inops, in quo habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter, de cuius plenitudine accipiunt & illi, quos ſcriptura prædicat gratia plenos, & plenos bonis operibus? Qui pauper eſt, qui ditat tot ſanctorum milia? Hic bifariam reſponderi poteſt, egenus & pauper eſt ipſe, qui quicquid habet, agnoſcit quod ex ſeſe non habet, ſed ex alio. Quicquid in Chriſto homine fuit, Dei donum fuit. Deinde nos profectò uere ſumus egeni, & pauperes, quorum nomine loquitur. Loquitur enim eccleſiæ nomine, ſed peculiariter ex gentibus collectæ, quæ dicit Pſalmo 39. Ego autem mendicus ſum & pauper, dominus ſolicitus eſt mei. Iudæus habebat in ſpeciem quod iactaret apud homines, eccleſia gentium nihil habebat, quod uel apud homines, uel apud deum gloriaretur, niſi de miſericordia redemptoris. Ex nobis enim ipſis nihil habemus niſi malum. Si quid habemus boni, Dei gratuitum munus eſt. Siue igitur eccleſiæ, quod eſt Chriſti corpus, hic ſermo tribuitur, ſiue cuilibet ex eccleſiæ mẽbris, uere dicitur, quia egenus & pauper ſum ego. Erubeſcat noſtra ſuperbia fratres mei, quum dicit, illa & illa opera feci. Hæc uox fuit Abrahæ, fuit Moſi, fuit prophetarum omnium, fuit Ioannis baptiſtæ, egenus & pauper ſum. Fuit Petri, fuit Pauli, fuit martyrum ac ſanctorum omnium. Quid autem ſumus nos ad illos? Si licet fateri quod res eſt, malarum rerum diuites ſumus omnes, bonarum egeni, quarum ſi quid aſſequuti ſumus, alienum eſt, nec aliter fit noſtrũ, quàm ſi alienum eſſe confiteamur. Tunc enim incipit eſſe noſtrum, quum intelligimus non eſſe noſtrum: & tunc deſinit eſſe noſtrum, quum nobis arrogamus, quod aliunde profectum eſt. Noua ratio poſſeſsionis ſpiritualis, tunc fit noſtri iuris, quum alteri ceditur proprietas, tunc amittitur, quum in noſtrum ius uindicatur à nobis. Nulla poſſeſsio precioſior aut certior, quàm quæ nobis gratis donatur à deo, neque quicquam tam noſtrum eſt, quàm quod ſic noſtrum non eſt. Quod iure uendunt homines, ſæpe lite repetunt, quod donant amici, frequenter eripiunt, ex amicis facti inimici. At dei benignitas neſcit pœnitentiam. Ille ditiſsimus eſt, cui ſuas opes largitur Deus, diues in omnes, qui inuocãt illum: ille pauperrimus eſt, qui agnoſcit quicquid habet, non ex ſuo merito habere ſeſe, ſed ex gratuita dei benignitate. Qui ære alieno diuites ſunt, non diuites ſunt, ſed pauperes diuitiarũ oſtentatores, hoc miſeriores, quod alienis bonis ſeſe uenditant. Qui uirtutes iactat quas non habet, ambitioſe miſer eſt, indignum ſe reddens ut quicq̃ accipiat. Qui ſuis uiribus arrogat, quod habet ex dono dei, dignus eſt qui hoc ipſo quod habet ſpolietur. Bene habenti dabitur, ei uero qui nõ habet, etiã id quod habere uidetur auferetur. Si grate habes agnoſcis te egenum & pauperẽ, & hoc ipſo diues es, quod egeſtatẽ tuam agnoſcis. Cõmonſtrauit beatus Paulus nouã uiam, ad ſapientiã. Si quis inquiens, uidetur ſapiens inter uos, ſtultus fiat, ut ſit ſapiẽs. Hic Pſalmus indicat unicã uiam ad opulentiã, Si uis diteſcere in Chriſto, in te ipſos fias pauper. Agnoſce paupertatẽ tuam, & parata eſt opulẽtia dei. Agnoſce iniuſtitiã tuã, & parata eſt dei iuſtitia. Agnoſce inſipientiã tuã, & accipe dei ſapientiã: agnoſce tuam miſeriã, & accipe Chriſti beatitudinẽ. Audi bene pauperẽ Apoſtolum, Scio quod nõ habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonũ. Audi eundẽ in Chriſto diuitẽ, Omnia poſſum, inquit, in eo qui me confortat. Vt egentes, inquit, et multos locupletantes. Quis eſt tam opulentus, ut omnia poſsideat? Idem alicubi dicit, Minimus ſum apoſtolorum, & indignus qui dicar apoſtolus, Audis pauperem reſpicientem ſua merita, Sed audi eundem diuitem, Plus, inquit, omnibus laboraui. Glorioſa uox eſt, non pauperis, ſed diuitis: Sed quid addit? Immo non ego, ſed gratia Dei, quæ adeſt mihi: hic uides diuitem ac pauperem, pauperem in ſe, qui ſibi nihil laudis arrogat, diuitẽ in Chriſto, cuius gratiæ tribuit omnia. Porrò locupletare multos planè regium eſt. Quos autem locupletauit ille ditiſsimus pauper? Omnes nationes per quas obambulans repleuerat Euangelium, ab Hieroſolymis uſq; ad Illyricum, & eos quibus ſcribit, Omnia ueſtra ſunt, uos autem Chriſti.

Item

Item Corinthijs, In omnibus, inquit, diuites facti estis in illo, in omni uerbo, et in omni scientia, ita ut nihil uobis desit in ulla gratia. In se pauper erat & infirmus, in Christo fortis & omnia potens: & ideo addidit, in eo qui me corroborat. Multos locupletauit, sed adiecit, dispensatio mihi credita est. Et, minister eius, cui credidistis. Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Quumq; dixisset omnia uestra sunt, adiunxit, uos autem Christi. Quod si ipsi erant Christi, quid habebant suum, unde gloriari possent? Et ne uideretur abiectius ac seruilius esse iuris alieni, clausulam addidit, Christus autem dei. Væ tibi cordis humani superbia, Christus non grauatur esse dei, & tu uis esse tui iuris? Similiter Philippensibus optat, ut iam diuites magis ac magis abundent in omni scientia, & in omni sensu, repleti fructu iustitiæ. Audis uoces opulentas, sed quid addit? Per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei. Itidem quum Corinthiorum opulentiam exaggeraret, non omisit hanc particulam, in illo, ut scirent alieni muneris esse quicquid haberent, & si gloriari uellent, non in se, sed in domino gloriarentur. Quid autem est gloriari in domino? Est illius benignitatem laudibus uehere, Est illi pro sua in nos munificentia gratias agere, Est nostram cõfiteri indignitatem, illius efferre benignitatẽ. Huc hortatur & Psalmus 80. Exultate iusti. Vbi? in uestris meritis? Nequaquã, sed in domino. Hæc est sancta deoq; gratissima pauperum gloriatio. Quoniã autem non ita gloriabãtur Corinthij quidam, scribit illis. Non est bona gloriatio uestra. Quamobrem? Quia non in domino, sed in se gloriabantur. At Paulus nouerat quomodo gloriandum esset, qui scribit Thessalonicensibus, Quæ enim est spes nostra, & gaudium, & corona gloriæ? Nonne uos? Gloriosa uox, sed audi quid addit, Ante dominum nostrum Iesum Christum, in aduẽtu eius. Tuto gloriatur, qui in Christo gloriatur. Periculose gloriabatur ille, cui Paulus impingit in os. Quid habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Sed stultius gloriabatur ille Laodiceę Episcopus, qui audit in Apocalypsi, Et dicis diues sum, & locupletatus sum, & nullius egeo: & nescis, quod tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus. Nihil inuisius deo paupere superbo, hoc enim Ecclesiasticus indicat unum è tribus esse, quæ odit & auersatur anima domini. Charissimi si deflectimus oculos ad eos, qui spiritu aguntur huius mundi, quibus artibus, quibus sceleribus, quibus laboribus, quibus difficultatibus grassantur ad diuitias, mox morte ad alios transituras, etiamsi nullus interim casus eripiat? Quibus uigilijs, quo studio, quibus periculis contendunt ad gloriã, primum inanem, deinde mox euanitura? Omnis enim caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Ob hæc nauigatur & ultra Phasim, ultra Gades & Gangẽ, ob hæc bellatur, ob hæc sursum deorsum miscẽtur res humanæ. Quin igitur nos uigilantissimo studio paramus nobis solidam gloriã, & in æternũ nobis permansurã? Id fiet, si gloriabimur in domino: paramus nobis ueras æternasq; diuitias? Id fiet, si in nobis pauperes, didicerimus in domino ditescere. Homo nouit homini dicere, tua sum creatura. Tui muneris est, quicquid sum, quicquid possum, quicquid habeo. Hoc dicit seruus gratus domino, hoc dicit filius frugi, patri. Hoc dicit aulicus suo principi, cuius fauore euectus est, hoc dicit Episcopus aut Cardinalis Põtifici, per quem assequutus est dignitatem, Quanto iustius id dicemus deo, imò quanto maiore cum fructu? modo dicamus ex animo. Atq; ubi sunt interim qui tantum absunt ab hac professione, inops & pauper sum ego, ut merita sua quasi ipsis domi redundent, alijs diuẽdant unciatim? Vidimus in Christo pauperis exemplum, uidimus in Paulo, quod unusquisq; nostrum sequatur. Nunc uideamus Ecclesiæ personam, in se pauperem, in Christo diuitem. Spectaculum hoc exhibuit nobis Euangelium, quo spectaculo delectatum dominum legimus. Spectauit ille, ut exemplum nobis commendaret, spectemus & nos ut imitemur. Quid illa uidua pauperius, quæ uniuersam substantiã suã misit in gazophylaciũ? Atqui hoc ipsum uniuersum cũ nihil erat. Quantulũ? Duo minuta, quod est quadrans. Quis hodie tam mendicus est, ut non plus habeat? Et tamẽ uoluit esse pauperior. Id posteaq; abiecit, quid sibi fecit reliquum? Nihil nisi meram egestatem. Intellectum naturalem subiecit fidei, uoluntatem charitati. Si quis habet aliquid dotis beneficio naturæ, quanq; & huius conditor est deus, ut & in tuto sit & augeatur, conijciat totum in gazophylacium, totum domino dedicet. Hæc paupertas, unica est ad ueras diuitias uia. Nunc mihi contemplare mulierculam eandem, suis spoliatam, Christi opibus locupletatam. Exhibet eam nobis

bis Psalmus quadragesimusquartus. Astitit regina à dextris tuis, in uestitu deaurato, circundata uarietate. Omnis gloria eius ab intus, in fimbrijs aureis. Nihil est pijs interius, quàm Christi spiritus. In hoc est omnis iustorum gloria. Et tamen hæc uidua quantumuis diues benignitate noui sponsi, tamen clamare non desinit, Inclina domine aurem tuam, & exaudi, quoniam inops & pauper sum ego. Hoc molestum esse solet etiam utcunque benignis diuitibus. Si dederunt hodie farinam, cras redeunt mendici cum utre, postridie cum lecytho, rursus cum lebete, Interim clamat homo diues, Ohe, quis modus? In dolium pertusum confero quod largior, & ueriss imum esse comperio, quod Græcorum prouerbio dicitur, mendicorum sacculos semper inanes esse. Nam humana benignitas, ut exhauriri potest, ita potest & delassari. At hæc mendicorum petax improbitas benignissimo Deo gratissima est. Quid ni sit, cui naturalis est bonitas, & cuius liberalitas largiendo non potest exhauriri? Sed hoc proniorem inuenies tuis precibus Deum, quo tu proniores exhibueris pauperibus aures tuas. Apud Deum nemo non mendicus est, apud homines, alij diuites sunt, alij tenues. Quos grauat egestas, obsident fores potentum, opplorant auribus diuitum, Inclina aurem tuam, quoniam inops & pauper sum. Hoc ipsum quod hic habent diuites, dei dono habent, & tamen homo diues & abundans, non inclinat aurem fratri egenti, & audet Deo dicere, inclina aurem tuam? Qui surdus est ad clamorem pauperum, opplorabit surdis auribus Dei. Deus enim non audit nisi pauperem. Atqui quomodo pauper est, qui moriẽte proximo, sibi habet quod habet? Clamat ad te pauper, imò clamat in paupere Christus, et tu transis supina aure? Peccauit in te proximus & clamat, ignosce, peccaui, nec ponis iram, frustra clamabis tu Deo, inclina aurem tuam. Agnosce pactum Dei, Date inquit, & dabitur uobis. Et beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Huic concinit alius Psalmus, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus. Quis est dies malus? Dies tentationis, dies afflictionis, dies iræ & iudicij, non misericordiæ. In illo die malo dominus inclinabit illi aurem suam, quoniam ipse proximis afflictis non supinauit aurem suam. Euangelicus ille diues non inclinarat aurem Lazaro mendico, & in die malo quum cruciaretur apud inferos, non repperit qui ipsi opploranti inclinaret aurem. Iam quod non simpliciter dictum est, quoniam pauper ego sum, sed cum congeminatione, inops & pauper, aut iteratio uocis idem declarantis facit ad uehementiam inopiæ, aut si quid interest, πτωχὸς dicitur qui profitetur egestatem mendicando, πένης cui desunt necessaria. Nec semper est pauper, qui mendicus est: nec semper est mendicus, qui pauper est. Porrò πτωχὸς quod hic uertit inops, interdum uertit pauper, ut in Psalmo nono: Tibi derelictus est pauper. Rursus Psalmo trigesimonono uertit, mẽdicus. Ego autem mendicus sum & pauper, πτωχὸς καὶ πένης, quasi minimum aut nihil interst. Multi dicunt domino, inops & pauper sum ego, sed his non inclinat dominus aurem suam, quia non dicunt ex animo. Clamemus ex animo, quoniam inops & pauper sum ego, & exaudiet nos, qui in scripturis ubique fauet pauperibus. Psalmo decimo, Oculi eius in pauperem respiciunt. Psalmo uigesimoprimo, Non spernit neq; despicit deprecationem pauperum. Trigesimoseptimo, Parauit in dulcedine sua pauperi deus. Centesimosexto. Audit pauperem de inopia. Centesimooctauo, etiam astat à dextris pauperis. Nono. Desyderium pauperũ exaudit dominus. Quid multis? Tota scriptura facit deũ in pauperes propensum. Deniq; in Euangelio pronuntiantur beati, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Habet mundus suos pauperes, sed magna felicitas est esse pauperem dei, nisi forte uulgaris felicitas esse creditur, habere propicium deum. Non exaudit deus nisi pauperes. Quem non audit Deus, quid restat nisi ut pereat in æternum? Nullus excipitur, non rex, non Cæsar, non Satrapes, non Cardinalis, non summus pontifex, nisi clament pauperes, non audientur. Nec pudeat eos huius cognominis, cuius non puduit Dauid, talem regem, tantum prophetam, ac talem dei amicum. Magis hoc agant, quod ut difficile est, ita & necessarium est, ut digni sint hoc cognomine. Iam & pronomen additũ nonnullam habet emphasim, inops & pauper sum ego, significans ipsum in se pauperem esse, sed agere cum eo, qui solus uere diues est in omnes, & cuius opulentia superat omnem egestatem. Si uulgus hominum æstimes, quantum adest singulis uitiorum, & raræ uirtutes, & hæ quàm imperfectæ, quot modis contaminatæ, Deinde quanta naturæ imbecil-

Inops & pauper

imbecillitas, quot nos circumstant pericula, qui thesaurum hunc habemus in uasis fictilibus, semper anxij, ne hoc ipsum quod habemus, eripiatur nobis. Ne sanctorũ quidẽ quisquam est, cui non multa desint, cui non supersit quo proficiat, & quo se extendat, eorum quæ à tergo sunt oblitus. Inops igitur & pauper est omnis homo, quamlibet pius in hac uita, semper esuriens & sitiens iustitiam, donec in resurrectione saturetur. Sed operæpretium est audire, quid roget hic pauper. Nec enim uulgare est, cuius gratia sic opplorat diuinis auribus. Custodi, inquit, animam meam, quoniam sanctus sum. Hoc si capiti accõmodes, erat ille re uera sanctus sanctorum, per quem sanctificantur omnia, solus absque peccato, atq; ut sanctificaret omnes in se credituros, tradidit corpus suum in mortem, ac sepulturam, anima descendit ad inferos. Id facturus, animam suam cõmendat deo, quemadmodum & in cruce clamasse legimus, pater in manus tuas commendo spiritũ meum. An ille sanctus sanctorum aliquid timuit animæ suæ? Nequaquam. Certus erat de promisso patris. Certus erat animam suam non posse teneri captiuam apud inferos. Verum his tropis scriptura nobis declarat, quicquid hic gestum est, gestũ esse patris autoritate, filij obedientia, duntaxat iuxta naturã assumptam. Ab huius unius anima pendebat salus animarum omnium. Si enim non resurrexisset dominus, cætera nec profuissent, nec credita fuissent. Ait itaq; pater iuxta tuã uoluntatem, animam meã pono pro ouibus meis, cui mille modis insidiatur hostis, cui deuorandæ iam inhiat mors, sed eam tuæ commendo fideí pater, uel cruciatibus ac doloribus affligendam, uel è corpore migrantem, uel in regnum mortis descendentẽ. Te custode tuta futura est, nec trepidabit in medio umbræ mortis ambulans. Deglutiet illam mors, quemadmodum cetus absorbuit Ionã, sed intra triduum reddet uiuam. Et quoniam tu me pater sanctificasti filium tuum, quem sanctificandis omnibus misisti in mundum, iuxta promissa tua, non dabis sanctum tuum uidere correptionem, nec in corpore, nec in anima. In me profer, quid per me crediturí in te, sperare debeant. Ideo me misisti in mundum, ut animas seruarem, non perderem. Vna datur pro omnibus. In una serua omnes, quas dedisti mihi. Vnus potentior es omnibus, te seruante nemo rapiet de manu mea, quos æterno consilio tuo semel dedisti mihi. Anima Christi non periclitabatur, & tamen frequenter quasi periclitans, clamat: Educ de carcere animã meam, ut confiteatur nomini tuo: Erue à phramea deus animam meam, & de manu canis unicam meam. Et ne derelinquas animam meam in inferno. Per unam animam innoxiam, cõsulitur omnium animabus. Caput & uniuersa ecclesia sanctorum, qui fuerunt ab exordio mundi, usq; ad consummationem, quodammodo unus homo sunt, nunquam clamare desinens: Serua animã meam, quoniam sanctus sum. Clamat caput pro membris, clamant membra in capite, clamant membra pro membris. Quemadmodum enim qui Christum induunt, una cum illa caro fiunt, unus spiritus, iuxta rationem corporis mystici, ita omnium, qui eundem Christi spiritum hauserunt, una est anima. Sic enim de ecclesia recenti prædicat Lucas: Multitudinis autem credentium, erat cor unum & anima una. Hanc animam pauper ille, nec alibi fiduciam habens, quàm in bonitate clementiaq; patris, commendat ei, cui cura est pauperum: quicq; solus orphano & pauperi adiutor est, iuxta psalmum. Ego autem mendicus sum & pauper, dominus solicitus est mei. Huic animæ quot laqueos tendit mundus, quot insidias struit diabolus, obambulãs ut leo rugiens, quærens quem deuoret, sed tua uigilante custodia, nihil potest prædonis malicia. Satanas expetiuerat Petrum cum cæteris apostolis, ut cribraret sicut triticũ. Deinde quot mortibus, quot artibus ac blandicijs mundus impetijt animas piorum? Nulla perijt sanctorum, hoc est, qui fiduciam omnem in tua misericordia collocarant. Hoc ipsum est, quod oramus in precatione dominica: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, hoc est, custodi animam nostram. Charissima possessio est anima, nec huius corporis uita potest ulla permutatione pensari, iuxta sententiam Euangelicam, & fortunatus habetur, qui iactura rerum omnium uitã redemit, paulo post tamen fugituram. Corpus collabitur, si discedit anima, at ipsa perit, si discedit ab illa deus. Quàm anxie clamamus ad hominem, serua penum, serua uestes, serua pecuniam, ne quid pereat. Clamamus ad medicum, serua uitam meam. Quin clamamus ad deum, serua animam meam quæ ni sit incolumis, reliqua frustra seruantur, nec seruari potest, nisi custodiente deo? Iam si quisque nostrum in se descendens, reputet quàm undiquaque sit inops & pauper,

Psal. 21

Act. 4

in quantis uersetur periculis, qui fieri potest, ut non assidue clamet ad deum, custodi animam meam, sed fortasse non audebit adiungere, quoniam sanctus sum, tot criminum sibi conscius, præsertim apud deum. Vt sit, qui apud homines sanctus dici possit, quis est nostrum, qui stans in conspectu dei, cuius oculis aperta sunt omnia, dicere audeat: Sanctus sum? Petrus horruit Christi præsentiam, quem nondum opinor plane credebat esse deum: Discede, inquit, à me domine, quia peccator ego sum. Nondum abnegarat dominum, nec legimus illum ante hoc tempus aliquid sceleris commisisse. Sed in conspectu dei, nec astra munda sunt, qui & in angelis suis repperit iniquitatem. Qua fronte igitur audebit quisquam dicere deo, quoniam sanctus sum? Vnus est sanctus, sanctificator sanctorum omnium dominus Iesus, unus in quo per omnia complacitum est patri citra exceptionem. Absit ut huius cognominis honorem sibi uindicet ullus cæterorum hominum. Est tamen inferioris gradus sanctorum genus, quorum subinde meminit in Epistolis suis apostolus Paulus, qui salutat Romæ agentes, quotquot erant uocati sancti, non quod immunes essent ab omni peccato, sed quod per Christi mortem ac fidem Euangelicam purgati essent à peccatis uitæ pristinæ, gratuitáque dei bonitate uocati ad uitæ sanctimoniam, quos alibi secundum propositum uocatos sanctos dicit, non utique iuxta propositum hominis, sed dei, quo gratis sanctificati, sancti sunt, si qui sunt. Et Ecclesiam Catholicam sanctam dicimus, quæ tamen non caret omni peccato, quamdiu uersatur in hac mortalitate, corpus circumferens, quod aggrauat animam, carne onusta, quæ concupiscit aduersus spiritum: alioqui quid est, quod quotidie clamat: Dimitte nobis debita nostra? Nec enim dubium quin debita uocet peccata. Sanctus est iuxta suum modum, non in quo nullum est peccatum, sed in quo non regnat peccatum. Septies enim cadit iustus, & resurgit, nec interim amittit iusti cognomen. Vocem igitur discernamus, simulq; nostram imbecillitatẽ secernamus à sublimitate capitis, nec nobis uindicantes, quod illi proprium est, nec abnegantes, quod illius munificentia datum est. Ille totus sanctus iuxta naturam assumptam, & idem omnium sanctificator iuxta naturam diuinam. Impius est qui sibi usurpat laudem capitis, sed ingratus est, sed iniurius est, qui se negat esse sanctum, posteaquam illius sanguine purgatus est à peccato originali, posteaquam baptismo seu pœnitentia remissa sunt illi delicta omnia, uel quæ cõtraxit nascendo, uel quæ ueluti malum fœnus malæ sorti addidit, impie uiuendo. Ille te gratis sanctificauit, quur dissimulas domini beneficium ingratus? Induisti Christum, & ita factus es membrum Christi, quur iniuriam facis Christo, negans illius mẽbra esse sancta? Habes sanctitatẽ, sed ex te nõ habes, ne efferaris in superbiam: nec tuo merito nactus es, ne redemptoris obscures gratiam. Dic igitur deo, quum essem natura filius iræ, tua gratuita bonitate factus sum sanctus, ita nec impius eris, nec ingratus. Hactenus partim loquitur de peccatis sanctorum, quæ per iniuriam committit humanæ naturæ infirmitas. Quid de eo, qui criminibus pollutus est, odio proximi, adulterio, temulentia, liuore, amarulentia, homicidio, ueneficio? An is etiam audebit dicere: Custodi animã meam, quoniam sanctus sum? An potius clamabit procul: Sana animam meam, quia peccaui tibi, & miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam? Et tamen quum hæc dicit, & dicit ex animo, iam sanctus est, quia posuit affectum impium. Fortasse & illi, qui nondum exuerunt affectum peccandi, modo maneat in illis semen fidei, quoniam baptismum habent & Ecclesiæ sacramentis utuntur, licet indigne, tamen non absurde dicuntur sancti, ueluti uasa dicuntur sancta, quæ semel sacris usibus dicata sunt. Sed præstat istos ab hoc Psalmo tam sublimi relegare ad alios Psalmos, pœnitẽtibus magis accõmodos. Vbi se lachrymis purgarint, ubi uiua Christi membra esse cœperint, tum cum capite poterit quisq; canere: Custodi animam meam, quoniã sanctus sum. Et is, qui Christi sanctissimã animã seruauit ab omni peccato, seruauit in morte, seruauit apud portas inferorũ, seruabit & animas sanctorum suorum, ut nõ regnet in eis peccatum. Et si patietur illas tẽtari, quo fiant probatiores, faciet cum tentatione prouentũ, ut possint sustinere, seruabit eas à morte secũda, restituetq; eas suis quasq; corporibus, in resurrectione iustorum. Sed interim ne cui subrepat impia cogitatio. Animæ custodẽ habeo deum, illi semel eã cõmisi, non poterit tanto custode perire. Ego securus uiuã, nec est, quod me bonis operibus discruciẽ. Voces tã absurdas, proh dolor, audimus hodie spargi à nõnullis, fidu-

ciam

ciam nescio quam iactantibus in deum, quasi ibi sit uiua fides, ubi sunt mala opera. Qui profecto misere fallunt seipsos. Deus custodit animas, sed pro sua quoq; uirili uigilantium, eoq; monet Solomon, ut omni custodia seruemus cor nostrum, quoniam ex ipso uita procedit. Tu frustra uigilaris, nisi dominus eam custodierit, sed ille non custodiet, nisi pro tua proportiõe aduigilaris. Quod ille seruat, beneficij est, quod tu uigilas, officij. Subueni pauperibus, doce indoctos, exhortare cessantes, cõsolare afflictos, ignosce delinquẽtibus, macera corpus ieiunio, & inter hæc clama, custodi animã meam. Quo merito, qua fiducia postulas, ut custodiam animã tuam? Quoniam tua misericordia, per filij tui sanguinem purgatus sum à peccatis, & ex peccatore factus sum sanctus, ut post hac non mihi uiuam, sed tibi. Tuæ munificentiæ est, quod sanctus sum. Serua tuum beneficium. Vt enim ex me non potui liberare animam meam, ita sine te custodire nõ possum liberatam. Absoluat in me tua gratia, quod cœpit. Te largiente sanctus factus sum, non mea iustitia sed filij tui, te custode perseuerem, ut perficiar. At perfectus non ero, nisi totum seruaris, totum restituas in resurrectione. Sunt enim qui profitentur resurrectionẽ animarum, corporum negant. Hi diuidunt sanctorum felicitatem. At æquum & conueniens est, ut qui se totum mancipauit obsequijs diuinis, totus seruetur: quemadmodum orat Paulus pro Thessalonicensibus: Ipse autem deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima & corpus sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi seruetur. Prior erat animæ cura, quia potior hominis pars est: nunc corpus etiam, quod fuit quasi socius ac minister laboris, uult esse consors gloriæ. Saluum fac seruum tuum deus meus sperantem in te. Primo uersu dominum appellans, professus est paupertatẽ suam: Seruus enim nihil habet, & si quid habet, domino habet, cuius beneficio habet. Quid enim ille habet suum, qui ipse non est suus? Hic sese seruum appellat, nõ hominum, sed dei. Glorioſus titulus est, appellari seruum dei. Magna felicitas est, esse seruum dei. Nisi enim fueris seruus dei, non regnabis cum deo. Nemo sibi blandiatur, regno, summo pontificio, aliaue quauis humana dignitate, saluus non erit, nisi sit seruus dei. Atq; ut in summo dignitatis splẽdore, potest quilibet esse seruus dei: ita nullus est tam abiectæ seruitutis apud homines, quin possit esse seruus dei. Qui deo possidet diuitias, qui deo tenet ac gerit imperium, apud homines rex est, apud deum seruus est, & hoc ipso uere rex est, quia dei seruus. Qui facit peccatum, seruus est peccati, nec potest quisquam duobus dominis seruire. Cui dominatur libido, auaritia, ira, ambitio, etiã si decem regnis præsideat turpiter seruus est, non dei, sed cupiditatum suarum. Somniabant philosophorum acutissimi, quos Stoicos appellant, libertatem quandam, in qua summam felicitatis ponebant, rursus seruitutem, in qua constituebant summã infelicitatem. Sed huiusmodi insomnijs deludebantur, ignari ueræ libertatis. Non adfert ueram libertatem habitus ille sapientis, quem illi prædicãt, efferunt ac iactitãt. Quid igitur? Gratia dei. Nam uere liberi sunt, quos filius liberauerit. Quomodo liberat ille? Eramus serui peccati, liberi iustitiæ, Christus abstulit nostra peccata, itaq; exemit à seruitute satanæ, & suam nobis contulit iustitiam, quam ex nobis nec habebamus, nec habere poteramus. Hoc pacto cõmutata est feliciter nostra conditio. De seruimus esse serui diaboli, & cœpimus esse filij ac serui dei, filij propter charitatem, serui propter obedientiam. Seruus totus pẽdet à nutu domini, nec agitur arbitrio proprio, sed domini uoluntas illi pro lege est. Nihil enim aliud est seruus, quàm uiuum instrumentum domini. Proinde in quibus mortuę sunt humanę cupiditates, nec ipsi iam uiuũt, sed in eis uiuit agitq; Christus, hi uere sunt serui dei. Hunc titulum ubiq; iactat apostolus Paulus, Iesu Christi seruum sese appellans, non quærens quæ ipsius erãt, sed quæ Iesu Christi, nec hominibus placere studens, sed deo. Quid enim dicit? Si adhuc hominibus placerem, Gal. 1
Christi seruus non essem. Quid autem est hominibus placere? Est ab hominibus laudem, aut emolumẽtum uenari potius quàm à deo. At qui uere seruus est, nunquam dimouet oculos à uultu domini sui, ad illius nutum semper intentus, ad illius uoluntatem moderans omnes uitæ actiones, non discernens quid ipse ferre possit, non expauescens minas hominum, non mortem imminentem: Alacer capessit, quicquid uiderit domino placere. Talem seruum undique perfectum solus egit Christus, qui non faciebat uoluntatem suam, sed patris, id est, non tristis ac responsans, sed lætus, uolens & alacer. Quum enim instaret hora mortis, exultauit in spiritu, & gratias egit patri. Non hic agitabo quæstio-

Christus seruus

nem, an in Christum competat serui uocabulum: Qui fauent eius dignitati, malunt filium dici, quàm seruum. Qui respiciunt illius humilitatem, & ad mortem usque obedientiam, non horrent serui uocabulum. Filij nomine magis gaudent sacræ literæ, & ipse dominus patrem sæpius appellat, quàm dominum aut deum suum, & tamen Paulus scribit illi susceptam formam serui, hoc est hominis, ut interpretantur quidam, nec serui modo, uerumetiam serui mali & uerberibus digni, quemadmodum dictus est eidem, uenisse in similitudine carnis peccati. Sed absit hac de re inter conseruos contentio, qui seruum appellare gaudent imitentur illius obedientiam, quibus magis arridet filij nomen, imitentur illius charitatem, qui utrolibet nomine agnoscunt dominum Iesum, utrunque proui ribus exprimant. In rebus enim spiritualibus nihil uetat eundem nunc seruum, nunc filium appellari. Imò quemadmodum admonui, eos solos uere diuites esse, qui uere pauperes sunt: ita dicendum est, neminem uere liberum esse, nisi qui dei seruus sit. Triste nomen est seruitus, & nulli non dulcis est libertas. Sed innumera sunt seruitutis genera, à quibus omnibus liberat una seruitus dei. Audimus quotidie queremonias hominum. Alij deplorant se durius haberi ab heris suis, alij uix ferunt iugum principum, plerique prædicant intolerabiles hominum constitutiones. Sunt & filij, qui grauantur imperio parentum. Sunt uxores, quas premit imperiosa maritorum autoritas, quanq; uerissima seruitus est seruire peccato. Sed nullum est seruitutis genus, unde non eximat seruitus dei. Ad hanc libertatem uocat Paulus 1. Cor. 7. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Habes herum, ex animo seruias illi, non metu plagarum, sed amore dei, qui hoc iussit per apostolum Paulum. Si deo ministras in hero, iam desijsti esse seruus hominis. Sin contempto deo, falleres aut cõpilares herum tuum, ni metueres furcam, iam uere seruus es non dei, sed hominis, deum negligens, hominẽ metuens. Hæc est Christiana libertas, ad quã nos sæpe uocat Apostolus. Sic excutere iugum hominum pium est ac deo gratũ. Alioqui si religio liberaret à conditione seruitutis, Paulus nõ remisisset Onesimum fugitiuum seruum domino suo Philemoni. Si principũ iussa sunt æqua, parendum est alacriter, ob hoc ipsum, quia uocant ad bonum, Sin iniqua, modo ne impia, domino in illis obtẽpera, qui iussit nos audientes esse præpositis, non solum cõmodis, sed morosis etiã ac difficilibus.

1. Petri 2

Et ubi iussit hoc, inquies? Iussit per os & calamũ Petri: Subiecti, inquit, estote omni creaturæ. Clamabis protinus, ó miserã seruitutem, sed indicat libertatem, quum subdit propter deum. Qui propter deũ subijcitur homini, non homini seruit, sed deo. Ac mox: Quia sic est uoluntas dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiã, quasi liberi, & non quasi uelamen maliciæ habentes libertatem, sed sicut serui dei. Fucata libertas est, sub Euãgelici nominis umbra seruire proprijs affectibus. Esto uere ac totus seruus dei, & excussisti iugum hominum. Si monet amicus quod est in rem tuã, lubens audis, & agis gratias, nec tibi uideris seruus, quod obtemperas alienæ uoluntati, sed gaudes tuum negotiũ agere. Ita si cõstitutiones principum inuitant ad honesta, non trahe ris, sed admoneris: sin iniquæ sunt & graues, sic eas tolera, quẽadmodum martyr tolerat impium tyrannum. Iubet ire in uincula, it: iubet extendi in eculeo, extenditur, non tyranni iussis obtẽperans, sed domini uoluntati, deo subditus, homine superior. Quanq; impia præcipienti, nec homini nec angelo parendum est. Dicit tyrannus martyri, pone ceruicẽ, ponit. Dicit, incende thura Ioui, recusat. Ita si marítus aut pater præcipit honesta, puta deum tibi per illos præcipere. Sin molesta, in illis morem gere deo, & incolumis tibi manet tua libertas. Sin impia, iam nec est quod amplectaris, uelut à deo præscriptum, nec quod amore dei toleres, ut illic obedientiæ, hic patientiæ laudẽ feras. Hac uia proficiscamur ad ueram libertatem, ita desinentes esse serui hominum, ut simus serui dei. Nam seruire deo, regnare est. Infeliciter autẽ affectant libertatem, qui sic excutiunt iugum hominum, ut ceruicẽ induãt iugo diaboli. Faciat alacriter charitas, quod præscribit cõstitutio, & liber es ab imperio legis. Sed ne uos diutius circumagã digressione, ad psalmũ redeo. Dominus Iesus Christus cũ toto corpore, quod est ecclesia, unus quodãmodo seruus est, quẽ perire nõ uult, & proclamat, saluum fac seruũ tuum. Annotandum & illud, quod ait deus meus. Deus eñ iuxta suã omnipotentiã, omnium deus est, sed iuxta scripturarum proprietatem, non dicitur deus nisi piorum, qui illum pro deo colunt, qui nihil illi præferunt, qui illum ex toto corde, tota anima, totis uiribus amant, quemadmodum dictus

est deus

est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Impudenter hic dicit Deus meus, cuius deus uenter est, cuius mamona deus est, cuius deus est uoluptas, aut aliud quiduis, cuius gratia deum negligit. Pari impudentia patrem illum uocant, qui sunt ex patre diabolo, huius autem filius est, quisquis odit proximum. Impudenter illum appellant dominum, qui iussis illius non obtemperant, sed multo impudentissime deum suum appellant, qui tot dijs suis seruiunt. Non est deus hæreticorum, qui se separant à Christo & ecclesia. Simus igitur in Christo, simus in ecclesia, ut comuni uoce dicere possimus: Saluum fac seruum tuum deus meus. Vide quot argumentis hic peccator solicitat, & quodammodo urget dei benignitatem. Primo uersu dixit, quoniam inops & pauper sum, quasi deus nō audiat nisi tales, & quasi talem esse, sit emeruisse diuinum fauorem. Proximo uersu dicit: Quoniam sanctus sum. Non audire pauperes, est contra dei misericordiam, non custodire, quod ipse sanctificauit per mortem unigeniti sui, non congruit diuinæ substantiæ. Pauperes occlamant, ut audiantur. Sancta uiolare nephas est. Nunc quid allegat? Seruum tuum. Etiam mali homines succurrunt quibuslibet seruis suis periclitantibus, non ob aliud nisi quia serui sunt. Sed sunt & serui nequam, hoc est, ψευδόδουλοι, ab his ut se distingueret, adiecit, sperantem in te. Veri serui tota gloria in domino est, tota spes in domino. Cui si probatur, habet, quicquid habet ille. Spes est eorum, quæ nondum apparent, quemadmodum docet beatus Paulus. Seruus itaq; dei dum est in hac uita, omnia facit alacriter, omnia tolerat patienter, & ad mortem oppetendam paratus, non alia re fretus, quàm domini promissis, quem scit non posse fallere, quum sit ipsa ueritas. Quanquam hic spem positam arbitror pro fiducia. Aut si quid interest, spes expectat, fiducia non dubitat, & fiduciæ uocabulum latius patet, quàm spei. Beati autem omnes, qui confidunt in domino. Cōtrà maledictus homo, qui confidit in homine. Quid igitur dicemus de his, qui confidunt in incerto diuitiarū, qui fidunt in uiribus suis, qui fidunt ingenio suo, qui fidunt meritis suis? hoc est, qui fiduciā collocant in seipsis, non dissimiles illi pessimo seruo è comœdia, qui ita loquit: In me omnis spes est mihi. Est spes humana de rebus humanis, qua quę dam sperāt homines ab hominibus. At quisquis ancoram spei, qua speramus salutem æternam, collocat in homine, maledictus est. Id adeo uerum est, ut nec in Christo collocanda fuerit spes nostra, si nihil aliud esset ꝙ homo. Non enim seruat in æternum, nisi solus deus. In hoc igitur uno ponenda est spes omnium, qui se gaudēt illius seruos appellari. Spes reliquæ frequenter pudefaciunt hominem, spes in deo fixa, neminem confundit: & si confunduntur ad tempus, non confunduntur in æternum, quia liberantur ab ignominia, & probrum uertitur in gloriā, non per iustitiam ipsorum, sed dei, iuxta Psalmum alium: In te domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me. Quæ autem est hæc iustitia dei? Quia pollicitus est auxilium suum omnibus, qui spem suam fixerunt in ipso. Iustus autem est, qui quod recepit, facit. Ergo debiti est, non gratiæ, quod opitulatur seruis suis? Esset, ni fuisset gratuita promissio. Sic ad tempus confusus est dominus gloriæ, quū esset opprobrium hominum & abiectio plebis, sed ignominia redundauit in gloriam. Quod si nec in Christo ut homine, reponenda est spes ecclesiæ, quantum aberrant isti, qui contaminate uiuentes spem salutis collocant in Barbara, Christophoro aut Georgio, sibi persuadētes se non perituros utcunq; uixerint, modo illos certis quibusdam ritibus colant. Porrò quod cantio quędam olim nautica, nunc etiam in templis quibusdam canitur, in qua sacratissimam uirginem appellamus spem nostram, quanquam ad eiusmodi conniuet ecclesia, indulgens simplicium affectibus, & probabiliter excusatur à pijs hominibus, tamē spiritualibus uiris hoc debet esse charius, quod in literis diuinis ita frequēs est, ut aliud non reperiatur. Ne quis uero suspicetur hunc sermonem eò tendere, ut dāneturcultus diuorum, sed ut intelligamus, in quo scriptura doceat esse figēdam spei totius ancoram. Vt multum ualeant sanctorum suffragia, certe salutis sacram ancoram nō oportet figere nisi in deo, cuius beneficium est, quicquid accipimus, undecūq; aut quomodocunq; collatum. Ita quidam spem suam collocāt in precibus monachorum aut monacharum. Dant cibum et stipulantur meritorum consortium, atq; hac spe freti, uiuūt suarum cupiditatum arbitrio. Quod opitulantur egentibus, laudo, quod sentiunt piorum preces multum ualere apud deum, probo. At quod plus fidunt hominibus ꝙ deo, quis possit approbare? Hic protinus dices, imò spero in domino. Si speras, muta uitam. Qui enim spe- *In Phormione*

rat in domino, timet dominum, diligit dominum. Stulta spes est, quæ sibi pollicetur à deo quæ non est ille pollicitus. Pollicitus est misericordiã suam, sed conuersis, sed timentibus, sed inuocantibus, sed diligentibus. Adde piorum interpellationes, ueluti secundaria subsidia, sed ipse potius implora domini misericordiam, ut uictor affectuum, spem tuam colloces in deo. Nemo uere sperat in domino, nisi cõtemnit omnia mũdi præsidia. Oẽs undique clamant se sperare in deo, cæterum ignis tentationis prodit, quis uere spem suam fixerit in deo. Complures uidemus, qui quum orbantur liberis, excutiuntur facultatibus, spoliantur honoribus, quas querimonias ædunt, quos eiulatus excitant, quos tumultus miscent: Lacerãt capillos, percutiunt pectus, uellunt genas, quidam etiam ad laqueũ properant. Sunt qui nec à blasphemijs in deum temperant. Hos si rebus tranquillis percontéris, num spẽ habeant in deo, nihil contantes respondeant, maxime. At afflictionis procella satis arguit, ubi spem fixerint. Qui orbatus filio clamat: O me deploratũ, ó me perditum, in filio fixerat spem suam, non in deo. Qui amissa uxore despondet animum, ac uitam sibi acerbam clamat, spem in uxore collocarat non in deo. Qui spoliatus facultatibus quęrit morte finire dolorem, in facultatibus spem suam reposuerat, nõ in domino. Qui uere spem fixerunt in deo, dicũt cum beato Iob: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum. Dicunt cum Paulo: Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Non est quorũlibet dicere, spero in domino. Pręcipua commendatio pietatis hoc elogio continetur. Nam & hoc beatus Paulus inter titulos uerę uiduæ posuit: Si sperauit in domino. Fortasse humilius uidebitur alicui, parumq; digNum concione, sed tamen in simplicium utilitatem dicetur. Doctorum charitas patiẽter audiet, quod imperitorum tribuitur necessitati. Apud Latinos qui dicit clamaui, significat se finisse clamorẽ, qui dicit stetit aut sperauit, rem significat præteritã. Apud Græcos non item, sed plurima uerba sunt, quæ declarant actionẽ cœptam quidem, sed etiamnum manentem, ueluti quum dicũt speraui in te, non significãt abiectam spem, sed fixã. Quũ dicunt lætatus sum, non significãt transisse gaudium, sed inhærere: ita quum dicunt clamaui, non indicant silentium, sed clamorẽ perpetuum, quemadmodum & in paucis Latinis actiuæ uocis: qui nouit, non desijt nosse, sed impressam animo notitiam tenet: qui odit nõ desijt odisse, sed odium conceptũ habet in animo: qui meminit, nõ desijt tenere memoria, sed habet impressum. Itaq; speransse in domino, est spem fixisse in domino: & clamasse ad dominum, est iugiter illum deprecari, quod uerbũ habet uersiculus sequẽs. Sequitur enim:

Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die. Quid habebat Christus miserabile, nisi quod nostram assumpserat miseriam, ut eam nobis uerteret in felicitatẽ? Pro toto igitur corpore suo clamat caput, miserere mei domine. Non est proprie miseria, ubi non est peccatum. Nam solus uere miser est, qui habet iratum deum. Solum autem peccatum separat inter deum & homines. Eramus autem omnes natura filij iræ, & inimici dei. Orat igitur antistes noster, ut deus omnibus in ipsum crediturís, per mortem ipsius, sua peccata condonet. Hic non appellat dei iustitiam, sed misericordiam. Gratis enim liberati sumus, magno quidem precio, sed alieno. Verum ut in literis diuinis, uox malíciæ non
Matth. 6 semper sonat uitium, sed interdum afflictionem, uelut in Euangelio: Sufficit diei malicia sua. Psalmus item diẽ malum uocat, diem horroris & periculi. Et patriarcha Iacob Gen. 47 dicit uitæ suæ dies paucos & malos, non utiq; scelerosos, sed afflictos. Quin & Ephesijs scribens beatus Paulus, iubet redimi tempus, quod dies sint mali. Similiter & Ecclesiastes, iubet nos frui die bono, & præcauere malum, bonum appellans prosperitatis, malũ calamitatis. Sic & miseria nonnunqum sonat afflictionem, quæ maxime solet urgere sanctos in hoc mundo, quemadmodũ legimus Psalmo 11. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgã: ubi Græci legunt παλαιπωρίαν, quę uox à tolerãdis molestijs dicta est, nõ à uitijs. Eandem uocem usurpauit Paulus Rom. 7. Miser ego homo, quis me liberabit, παλαίπωρος. Porrò libri Hebręorum, iuxta linguæ illius proprietatem, interdum quoduis beneficium, pietatis ergo gratis collatum, appellant misericordiam, nos etiam latine loquentes, Græcam uocẽ usurpamus, dicentes eleemosynam. Est ergo locus misericordiæ, ubi peccatum quidem non est, sed non deest afflictio, non deest periculum. Vbicunq; igitur misericordia, ibi miseria, quæ nemini deest, q̃diu grauatur hoc mortali corpore. Ergo q̃diu uersamur in mundo, clamandum est ad dominum: Miserereq; mei domine.

Clamor

Clamor est uehemens cordis affectus, non uocis intentio, quẽadmodum inclamabant sacerdotes Baal. quorũ tumultus optimo iure irrisit propheta, quasi stertentẽ, aut peregrinantem, aut alijs intentum, uociferatione uoluerint excitare deum suum. non quod improbandum sit orare uoce, cõuenit enim ut oret totus homo, sed uox corporis inanis est, nisi clamet affectus: nec clamor in uoce debet esse, sed in affectu, qui uel in silentio ferit aures diuinas. Corporis uocem oportet esse modestam. At hodie quidam in tẽplis mira uocis ostentatione tonant uerius, ẽ canunt, quum interim animus sit otiosus. Habent & pietatis officia uocem efficacem. Vt enim charitas uocalis est, ut fides μεγαλόφωνος est, quę ferit aures dei, etiam si lingua sileat: ita clamorem suum habet eleemosyna, uocẽ suam habet cõdonata proximo offensa, denicę clamant omnia hominis benefacta, & clamant ad deum, quæ à charitate in deum profecta sunt. Quæ autem gloriæ causa fiunt, clamant ad homines, apud deũ muta sunt. Vis tibi probari, quod opera bona clamorẽ suum habent? Audi dominum per os Esaiæ loquentem, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosę induc in domum tuam, cum uideris nudum, operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris. Quid sequitur? Tũc inuocabis, & dominus exaudiet, clamabis, & dicet ecce adsum. quia misericors sum dominus deus tuus. Nimirum hæc fecisse, clamasse est. Astipulatur huic Ecclesiasticus: Cõclude, inquit, eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Quæ retrusa sunt, non solent facile audiri: at eleemosyna, quo magis est in abdito, hoc uehementius occlamat diuinis auribus. Gratissimus deo clamor, quum simul & affectus pius opera charitatis, & uox corporis, ubi res postulat, suauem harmoniam occinunt auribus dei. Quanquam corporis uocem nihil moratur dominus. Clamabat sanguis Abel ad deũ de terra, quum nihil loqueretur. Audijt à deo Moses: Quid clamas ad me, quum prostratus oraret tacitus. Clamauit, et audita est Anna Helchanę quum uox nulla prorũperet. Cum his clamemus fratres, ut exaudiamur. Sed clamemus ad dominum, non contra dominũ. Clamant multi rebus afflictis, sed contra dominũ, qui uociferantur sibi à deo fieri iniuriã, quod talia patiantur. At qui spem fixerunt in domino, clamant ad dominum. Qui fiducia collocarunt in principibus, ingruente procella, clamant ad principes. Qui confidunt in diuitijs, ad has clamant, quum periclitantur. At oues dei nesciunt clamare, nesciunt balare, nisi ad pastorẽ suum deum. Quid autẽ clamant? Miserere. Nihil nominatim orãt. Satis est si misereatur. Quomodo sit miserendum, ipse nouit optime. Miseretur interdum, quum immittit afflictiones, audeo plus dicere: Miseretur, quũ patitur suos labi in graue crimen. Miseretur, quum afflictionẽ solatio temperat, ut nostra imbecillitas possit sustinere, miseretur, quum liberat à malis ac pro tristibus immittit lætiora, miseretur quum largitur gratiam, miseretur quum auget, miseretur quũ seruat. Quicquid muneris accipimus à deo, quoniam indebitum, quoniã gratuitum est, misericordia est. Vnde non solum misericordia domini plena est terra, sed & super cœlos & apud inferos misericordia eius. Nec est simplex domini misericordia, sed misericordiæ illius multæ, paratæ omnibus clamantibus ad illum. Alia liberat, alia prẽuenit, alia comitatur, alia sequitur, alia tuetur, alia consolatur, alia flagellat ut emendet, alia largiẽ ut ditet. Quid plura? Vt sapientiæ, ita nec misericordiæ eius est numerus. Diuites huius mundi nimium uocales & clamosos mendicos submouent à uestibulo, quod obstrepant deliciantibus. At deus talibus mendicis fauet, non quod ipse hinc capiat uoluptatẽ, sed quod nos utilitatẽ. Videte enim huius mendici improbitatẽ, Clamauit toto die, & hoc ipso postulat esse cõmendatus, quod non desistit clamare. Quid autẽ est toto die, nisi per omne uitæ tempus? Exortus mundi diẽ incipit, occasus finit. Ita suus cuicę dies incipit nascenti, occidit morienti. Nasci nobis oriri est, senectus uespera est, mors occasus. Quanquam occasum nostrum non semper monet instare præcedens uespera. Nec quisquã hominum numerare potest horas sui diei, quemadmodum metimur clepsydris & horologijs diem mundi. Morituros nos scimus omnes, quãdo quisqę moriturus sit, nouit nemo. Quod expediebat nobis, scire datũ est: quod nõ expediebat, cœlatũ est. Expectemus singulis horis occasum nostrũ, nec cõperendinemus conuerti ad dominum. Viator si desint æra aut horologia, quæ nũtient horas, quam solicitis oculis obseruat umbras arborum, metitur cœlum: quod si nubium densitas obstat, quo est incertior, hoc magis accelerat iter, ne nox occupet. Nobis autem ut nihil est certius

58

29

tius morte,ita nihil incertius hora mortis.In foribus esse credamus,quod omni momento potest accidere. Ne cessemus in hac uia nostra, properemus, acceleremus, ne nos occupet æterna nox. Viator oppressus nocte,spe lucis redituræ consolatur noctis tædium, at nostro diei,si cessauerimus,succedit æterna nox. Clamemus ad dominum fratres charissimi,& clamemus indesinenter,& clamemus in die. Vbi uenerit nox,inutilis erit clamor.Frustra clamarunt fatuæ uirgines,quia nocte clamauerunt. Frustra diues Euangelicus,quia post occasum:frustra qui in nomine Iesu prophetias ædiderant, quia noctu clamarunt.Omnia tempus habent fratres, quemadmodum scribit Ecclesiastes. Est tempus loquendi,est tempus tacendi.Quamdiu sumus in hac uita,tempus est loquendi, ubi hinc migrauerimus, tempus erit tacendi. Ibi loquetur aduersarius, accusans nos apud deum: ibi loquetur iudex,reddēs unicuiq;,pro ut gesserit in corpore.Quid enim illic loquamur, aut cui loquamur? Misericordiæ? Audiemus,misericordiæ tempus præterijt, nunc iudicij tempus est.Tunc clamādum erat,quum dies esset. Appellabimus iustitiam? Audie
Eccel.18 mus,ante iudicium para iustitiam. Quanquam tutum non est appellare iustitiam dei,nisi adsit misericordia,quæ superexultat iudicio.Ibi iustitia suas agit partes. Hic domini misericordiam appellemus,& per illam iustitiam præparemus, ut ad illud tribunal iuxta uati
58 cinium Esaiæ,præcedat nos iustitia nostra,& gloria domini colligat nos. Toto die clamādum est,sed qui non clamauit in aurora,qui siluit in meridie,qui non clamauit uesperi,saltem in extremo crepusculo clamet ad dominū. Nec enim desperandum, quamdiu spirat homo spes est. Simul atq; efflauit animā,nox est.Fortasse alij possunt clamare pro te,ipse pro te clamare non potes. Atqui legimus in arcanis literis sanctos media nocte clamasse ad dominum.Nam nox erat,quum Christus in orto clamaret ad patrem. Quicunq; uiui clamant ad dominum,in die clamant, etiamsi cœlum habeat profundam noctem. Est & nox afflictionis ac tentationis.In hac maxime clamandum ad dominum.Nox erat gemina,quum fugerent apostoli,quum Petrus abnegaret dominum. Nox erat etiam hora sexta,claro die,quum dominus crucifigeretur, quia hactenus erat potestas tenebrarum. Ibi recitauit Psalmum 21.in quo sic loquitur,Clamaui per diem & non exaudies,& nocte,& non ad insipientiam mihi.Et in prosperis & in aduersis clamandum est ad deum, etsi non protinus dat quod petimus, ne desinamus à clamando, si non audiuit clamorē diurnum audiet nocturnum,Audiet,inquam,etiam si non dederit quod uotis expressisti. Hoc præcipuum uotum tuum est, Optas salutem æternam, ad id si non conducunt res prosperæ, deus immittit afflictionem, ut uel uexatio det intellectum auditui. Hoc quoties fit, tum non auditus in die clamans, audiris in nocte. Habes summam uotorum tuorum, etiamsi negatum est quod humanus flagitabat affectus. Iam est & nox ignorantiæ,in qua uersabantur Iudæi,literæ adhærentes,sed longe magis ethnici,deum ignorantes, ac muta idola pro dijs uenerantes.Hanc noctem dispulit exoriens Euangelij lux, discussit umbras legis,detexit errores gentium, per uniuersum orbem emittens radios clarissimæ ueritatis. Hoc est quod scribit Apostolus: Nox præcessit, dies adest, abijciamus ergo opera tenebrarum.Hic erat dies quē fecit dominus,ut qui prius eramus filij tenebrarum,nūc exultemus & lætemur in lumine domini dei nostri.Totum autem hoc tempus,quod annorum mensium ac dierum uicibus ab Euangelij exortu decurrit, usque ad consummationem seculi,unus est dies, quemadmodum ex Paulo docuimus.Imò tempus uniuersum,quod ab orbe cōdito numerosa seculorum serie uoluitur, usq; ad iudicij diem, unicus est dies. Quanquam enim ante prædicatam Christi gratiam, Euangelium erat in multis absconditum,tamen nulli piorum defuit dies Euangelicus,quantum illi seculo satis erat. Nec toto hoc die cessat ecclesia uelut unus homo,clamare ad dominum,miserere mei. Alij nondum nati sunt,alij migrarūt hinc,perpetuus tamē est ecclesię clamor in his,qui supersunt: nec muta est pro his, quos leuiora cōmissa cū spe relaxationis remorātur in cruciatibus. Quoniam autem miseriam ac molestiam suam profitetur, qui implorat misericordiam, ideo subijcit. Lætifica animam serui tui,quoniam ad te leuaui animam meam. Toties scriptura mystica nominat animam Christi, & ubi sunt Apollinaris discipuli,qui negant Christo fuisse animam humanam, mentientes illi loco animæ fuisse diuinam naturam? Tres diuersæ res siue substantiæ erant in Christo. Verum corpus humanum doloribus ac morti obnoxiū,aut certe harum affectionum capax: diuina natura, quæ sibi naturam huma-

humanam assumpserat: & anima humana, pura quidem à peccatis, sed eiusdem conditionis, cuius nostræ sunt. Et hæc omnia unus & idem Christus, cui gloria in omne æuum. Totum hominem assumpsit, ut totum hominem restitueret. Corpore mortem pertulit, anima cruciatus. Atqui in diuinã naturam nihil horum cadit. Porrò dolorẽ sentit in anima, qui rogat lętificari animã suam. Tristis erat anima Christi usq; ad mortẽ; quum horreret & angeretur, adeo ut guttæ sanguineæ defluerẽt in terrã ab ipsius sacratissimo corpore. Hunc dolorẽ in se recepit, non ficte, sed uere, partim ut nobis argumenta daret assumptæ nostrę infirmitatis, partim ut suis martyribus formã ostenderet, unde in simili rerum statu solatium petere deberẽt. Nec tam dolebat mortem imminentem, q̃ quod uideret tam multos infirmitate carnis ipsius offensos, in æternum perituros. Sitiebat hominum salutem ardore ineffabili. Nec solus tristis erat, sed erant & electorũ ipsius omnium, quos mortis suæ cõscios esse uoluit, animi mœstitudine grauati. Quin & post resurrectionem, confabulantur duo discipuli euntes in Emauntem de Iesu, sed tristes, ac propemodum desperantes. Orat igitur caput pro membris suis periclitantibus, ut qui fuerãt contristati morte domini, lætificarentur resurrectione domini. Quanq̃ autem dominus Iesus semel mortuus est pro peccatis nostris, nunq̃ postea moriturus, semel resurrexit, semper in cœlis uicturus, tamen post cõmemoratam quadragesimæ diebus mortẽ illius, ubi illuxerit ille resurrectionis dies, ut hilarescit uniuersa ecclesia, ut gestit, ut triumphat, q̃ lętas uoces decantat, subinde repetens alleluia, subinde recinens illum uersiculum: Hæc dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Verum hæc lętitia in multis inepta est, in nõnulis otiosa, si nõ adsit alacritas spiritus. Quidã male precantur tandem, tandem exhaustæ quadragesimæ, gaudent submota ieiunia, redditas carnes, abijciunt uestes sordidas, sumunt splendidas. Instruũtur mensæ lautioribus epulis, reuocatur fastus, reuocãtur delitiæ, choreæ, quas in quadragesima non abiecerant, sed dissimularãt. Quid multis? Ita lugere desinunt, ut de integro lugenda committãt. Fratres mei non hæc est lętitia, quã tanto clamore rogat hic Psalmus, neq; enim clamat lætifica uentrem, gulã, aut carnem serui tui, sed lætifica animã serui tui. Nemo uere lætificatur resurrectione Christi, nisi qui cum illo resurgit à uitijs, in nouitatem uitæ. Quid refert sumpsisse uestem candidam, si anima magis etiã sordidetur, q̃ antea? quid prodest ore sonare alleluia, si infelix animus sibi male conscius, intus decãtet lamentationes & uæ. Vis autem impetrare uerã animæ lætitiã? uide quid sequatur, quia ad te leuaui animam meam. Nisi leuaris animã tuam ad deum, non senties illud uerũ paschale gaudium. Resurrexit Christus, surge & tu. Mundus in humili est. Et in mundo, inquit dominus, tristitiam habebitis, Sed ubi gaudium? Ipse demonstrat. Iterũ, inquit, uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudiũ uestrũ nemo tollet à uobis. Vtinã resurgat Christus in nobis omnibus, & iterũ dignetur uidere nos, ut gaudeat non lingua nostra, nõ gula nostra, non uenter noster, non caro nostra, sed cor nostrũ. Nemo non quærit gaudium, plurimæq; sunt artes, quibus homines id sibi conantur ascíscere, sed non est gaudium cordis in mundo, mihi credite, non est gaudium cordis in mũdo. In Christo uerum est gaudium, in Christo cordis est gaudium, in Christo gaudiũ est, quod nunq̃ aufertur. Sed Christus subuectus est in cœlũ, eò si non possumus tollere corpora nostra, saltem tollamus corda nostra, eò leuemus animas nostras, non sapientes ea, quæ sunt super terram, sed quæ sunt in cœlis. Vbi amas, ibi uersatur anima tua, ut possis cum Apostolo dicere: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Ibi uersans anima, gustat ea quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus diligẽtibus se. Homines sunt, qui carnẽ sapiunt. Res est terrena caro. Supra hominẽ sit oportet, qui uelit hoc sentire gaudiũ. Multi leuãt animas suas contra deum, et implicãt se doloribus multis. Quisquis leuat animã ad deum, sentit esse uerũ, quod dixit Sapiens Hebræus: Secura mens quasi iuge conuiuiũ. Orãtes leuamus capita, manus & oculos sustollimus in cœlũ, & recte facimus, si simul leuemus & animas ad deũ. Qualia sunt quorum amore ducimur, tales fiũt animi nostri. Nihil est peccato grauius, hoc onusta anima quomodo se leuaret ad deũ. Apud Zachariã prophetã mulier insidet plumbo, & plũbea massa conijcit in os eius: plumbũ est iniquitas, mulier est praua cupiditas, adhæsit plũbo, & hausit plumbeã massam. Habes imaginẽ animæ peccatis grauatæ. Iã mihi perpende, q̃ sint humiles res, quarũ amore tumultuant hoĩes, huic mundo dediti. Aurũ, argentum,

& gem

& gemmę, in intimis terræ tenebris naſcuntur. Illic habitat anima auari. Libido corporis in extremas corporis partes relegata eſt. Illic habitat anima libidinoſi. In cellis uinarijs habitat anima temulēti. Nónne tales cum uulpibus & urſis habitant in foueis terræ, nónne cum ſuibus uolutantur in cœno? Nónne cum anguillis uoluũtur in limo, cum limacibus humi repunt? Quando iſti poſsint animas in cœlum attollere, niſi ex uulpibus & ſuibus fiant columbæ, ut ſubuolantes in foramina petræ, petra autem Chriſtus eſt, inueniant requiem, inueniant ueram lætitiam, quam in ſe non inueniũt? Columba fieri cupiebat propheta, qui in alio quodam pſalmo, perteſus corporis huius ſarcinam: Quis, inquit, dabit mihi pennas ſicut columbæ, & uolabo & requieſcam? In uolatu labor eſt, ſed ſuccedit requies. Durum eſt humanę naturæ, ab his rebus, quæ in preſenti delectant aut cruciant, animum ſubducere ad amorē ſpemq; cœleſtium, ſed niſi ſubuolaris, non habebis requiem, non habebis cordis gaudium. Humile eſt totum quod habet hic mundus uiſibilis, humilis totus homo, niſi tranſuolarit ſeipſum, non lætificabitur anima ipſius. Parum dicit, qui dicit ſordidas uoluptates, ſordidius lucrum, eſſe rem humilem. Cape ſummũ faſtigium humanæ dignitatis, humanæ ſapientiæ, humanæ iuſtitiæ, humile quiddam eſt, nec lætificare poteſt animam hominis, niſi ſurrigatur in ſublime. Dices quomodo poterit hoc fieri, ut quod Græcis eſt in prouerbio, fiat aſinus auis? Effectus à domino eſt, qui nos attrahit, ut leuemur ad ipſum. Adimit ſarcinam peccatorũ, addit alatam fidem, igneam charitatē, geſtientem ſpem, his uehiculis leuatur anima ad dominum. Modum autē docet Hieremias: Cap. 3 Bonum eſt, inquit, uiro quum portarit iugum ab adoleſcentia. Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Hic occurrit animis quorundam, quid iugũ ad uolatum? Deprimit magis, & ſubleuat. Sed domini iugum leue eſt, adeo ut & in cœlũ ſubuehat. Ergo quiſquis ſubuolare cupit ad dominum, excutiat iugum ſatanæ, & huius mundi, & ſuſcipiat inſe cõmodum ac leue iugum Chriſti, idq; ab adoleſcentia ſua, hoc eſt quum poſita infantia, cœperit proficere ſpiritu. Habet enim & pietas infantiam, adoleſcentiam, iuuentutem, ac uirilē ætatem ſuam, ſenectutem neſcit. Senectus enim peccātium eſt. Cæterum quiſquis exuit ueterem hominē cum actibus ſuis, repubeſcit in Chriſto. Sedebit autē iam ſedatis carnis cupiditatibus, quæ degrauant animam: & ſedebit ſolitarius, abdicatis preſidijs omnibus, quæ ſeſe ingerunt, non reſpiciens, nec ad patrem aut matrem, nec ad uxorem aut liberos, nec ad principes aut dignitates, nec ad iuuentutem corporis, nec ad uires aut opes, nec ad huius mundi ſapientiam, nec ad mortem, nec uitam, denicq; nec ad diuos, nec ad angelos. Sedens aũt tacebit, non obmurmurans in aduerſis, non iubilās in proſperis, ſed quemadmodum habet uerſiculus præcedens apud eundem prophetam: Cum ſilentio præſtolabitur ſalutare domini. Qui poteſt, inquies, homo terrenus rem tam arduam? Quia leuauit ſe ſupra ſe. Pedibus terram cõtingit, ſed cor habet apud deum. Oremus dominum fratres, ut ex animalibus reptilibus faciat columbas eos, qui nondum poſſunt animas ſuas leuare ad dominum. Ille deuolauit è cœlis, nobiſcũ repſit in terris, ut nos ex terreſtribus animantibus faceret cœli uolucres, paulatim affectus noſtros ſubuehens ad cœleſtia, uelut aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos. Frequenter orabat in monte, in monte transfiguratus eſt, ſublatus in crucem, mortuus eſt cœlo uicinior, è monte ſublatus eſt in cœlum. Quid hoc aliud erat, & pullos adhuc inuolucres ad uolandum prouocare? Miſit ſpiritum igneum, ex terrenis fecit homines flāmeos. Ignis autem non aliò fertur, quàm in cœlum. Quàm erant humiles, & craſſi diſcipuli prius quàm leuarēt ſe ſupra
60 ſe? At quanto alios, uidit illos propheta Eſaias, quum admirans diceret: Qui ſunt hi, qui ut nubes uolant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Petrus & Paulus in epiſtolis ſuis, nunquid humile, nunquid terrenũ habent? Meras flammas loquuntur, fulgura crepant, ac tonitrua cœleſtia reſonant. Horum exemplo commoti rogemus dominum, ut trahat animas ſuas ad ſe, ut illius ope adiuti, leuemus animas noſtras ad ipſum, & inueniamus ueram lęticiā ab eo, qui fons eſt omnis gaudij. Sed ut dixi leuemus animas ad eum, in ipſius benignitate, non in noſtris meritis collocātes noſtrā fiduciam. Vnde ſubiecit: Quoniam tu domine ſuauis es & mitis, & multæ miſericordiæ, omnibus inuocātibus te. Ideo lætifica animam ſerui tui, non quod ego merear, ſed quod natura benignus es ac mitis. quod nos legimus, ſuauis, Gręcis eſt χρηστὸς, quod magis bonum commodũ ac benignum ſonat. Quod nos mitis, Græce eſt ἐπιεικὴς, quod humanum poſſis uertere. Item quod in

Euan-

Euangelio legimus, Iugum domini ſuaue, Greçe eſt χρηστόν, ut diſtinguat à iugo tyrannico ſatanæ, quod graue eſt & iniquum. Et ἐπιεικὴς proprie dicitur, qui non utitur ſummo iure ſuo, ſed humanitatẽ potius ſequitur. Tollere iugum domini, eſt leuare animam ad dominum. Sed nemo poteſt tollere iugũ dei, niſi prius excuſſerit iugum diaboli, quo miſere deprimuntur, qui ſeruiunt peccatis. Nec eſt quod horreas iugũ domini. Cõmodus eſt ac benignus, dono charitatis leuia reddens quæ præcepit, & in æſtimatione noſtrorũ operum æquus eſt & humanus. Agnoſcit infirmitatem noſtram, & ignoſcit imbecillitati noſtræ, ſi minus q̃ oportet, ſuſtulerimus ad illum corda noſtra, adiuuat uiriculas noſtras, & condonat nobis negligentiã noſtram, tolerans & opitulans, donec pro ficiamus: nec ſolũ benignus eſt & humanus, ſed etiam πολυέλεος, hoc eſt multæ miſericordiæ. Miſericordia eſt donare peccata, ſed multa eſt miſericordia, etiam ditare gratia ſpirituali, cui peccata remittit. Accedamus igitur imbecilles cum fiducia ad dominũ, ſed benignum ac lenem: accedamus imperfecti ad dominum humanum, & æquum leuioribus erratis: accedamus pœnitentes ad eum, qui magnus eſt miſericordia. Sic enim ſonat Hebræis, quod Septuaginta uerterunt πολυέλεος. Horres magnitudinem potentiæ, cogita magnitudinem miſericordiæ. Tantum inuoca, agnoſce culpam, & implora ueniam. Non eſt apud illum perſonarum diſcrimen, multũ miſericors eſt omnibus, qui inuocant illum. Iudæi conabãtur gentes ab Euangelij gratia ſecludere, non agnoſcentes magnitudinẽ et amplitudinem diuinę miſericordię, ſed dominus neminẽ ſubmouit à ſua gratia, non Iudęum, non Græcum, nõ Aſianum, non barbarum. Inuocauit Scytha, auditus eſt: inuocauit Danus, non repulſus eſt: inuocauit Hiſpanus, admiſſus eſt: inuocauit Hibernus, expertus eſt miſericordiã: clamauit Indus, auditus eſt: clamauit Aethiops, exauditus eſt. Gẽtes tam efferatis moribus, ut dubitari potuerit, hominésne eſſent an feræ, inuocarunt nomen domini, & expertæ ſunt illius diuitẽ miſericordiam. Nec ſexus ullus, nec ętas ulla ſubmota eſt à miſericordia domini, prius anguſta apud Iudæos, mox largius effuſa per oẽs terrarum nationes. Hoc eſt, quod iturus ad uictimam dominus orabat patrem, ut non ſolum in angulo orbis Iudæa, ſed in omnibus quaqua patet orbis, nationibus inuocaret nomen domini, & experirentur omnes illius benignitatẽ, humanitatem ac miſericordiã. Et hodie quicunq; inuocat nomen domini, ſaluus eſt. Sed inuoca dominum, hoc eſt, ſeruus agnoſce dominum, & inuoca non uoce tantum, ſed & corde. Alioqui nihil moratur illos, qui labijs clamant domine domine, quum cor ipſorũ longe aliud clamet. Nec dominũ inuocat, qui petit aliquid inutile ad æternam ſalutem. Qui petit mortem inimici, non inuocat dominũ, id poſtulans quod diſplicet domino. Dominus iuſſit inimicum diligi, & tu illius petis exitium? Malus ſeruus eſt, qui domino ſuo præſcribit, quid per eum uelit fieri. Qui petit, ut morbo leuetur, neſcit an inuocet dominũ, quippe ignarus, an hoc expediat ad ſalutẽ. Ergo ſi durat morbus, ne murmuret, ubi eſt ille dominus benignus, humanus & multum miſericors inuocantibus ipſum? Ecce toties inuocaui, nõ exaudior. Si uere inuocaſti, exauditus es. Non datum eſt quod petebas, ſed maioris erat miſericordiæ negare, q̃ dare quod petebas. Summa uotorũ eſſe debet, ut habeas ipſum dominũ. Proinde id datum eſt, quod iſti uoto conducibilius erat. Inuocemus dominum cum Chriſto, & in Chriſto, qui nos inuocare docuit, qui pro nobis inuocauit, & in nobis inuocat, ſi modo illius ſpiritu ducimur, & per illũ exaudiemur. Et ſi differtur quod petimus, ne protinus deſperemus. Imitemur uiduam improbã in Euangelio nobis propoſitã, imitemur nocturnum petitorẽ, qui uicinum inſtantia ſua coegit è lecto ſurgere, & treis panes porrigere. Iterum atq; iterũ pulſemus fores, clamantes: Auribus percipe domine orationem meam, & intende uoci deprecationis meę. Auxit huic mendico clamandi fiduciã, conſiderata domini benignitas humanitas & miſericordia multa. Primum clamabat, inclina aurẽ tuam, nunc facius audacior, orat ut precationem ſuam recipiat in aures ſuas, nec leuiter recipiat, ſed intentum ſe præbeat oranti. Agnoſcitis linguã ſcripturarum, tropis quibuſdã humanis, hominibus balbutientem. Deus inclinat aurem, quum non auerſatur preces. Percipit aure, ſiue inaurit, ut Græcam uocẽ imiter, quæ eſt ἐνώτισαι, quum largiri dignatur, quod petimus. Intentus eſt precationi noſtræ, quũ hoc largitur, quod nobis potiſſimum cõducit ad æternã ſalutẽ. Homo rogatus interdũ dat, quod quia petenti nocet, dediſſe pœnitet. At qui intẽtus audit preces, dñudicat precationẽ flagitantis, melius illi proſpiciens, q̃ ipſe proſpicit ſibi.

Homi,

Homines interdum recipiunt preces in aurem, quas non demittunt in animum, at deo non est aliud auris, aliud animus. Et si recipiunt in animum, rursus obliuiscuntur, ut sub inde sint appellandi. At deo nihil excidit, quod semel demisit in aures, quanquam nostris interpellationibus gaudet, nō ut commoneatur, sed ut noster augescat in ipsum affectus. Petamus igitur ipso digna, si uolumus ut intendat uocibus nostris. Multi petunt à deo, quæ non auderēt petere à bono principe homine, & audent dicere, intende uoci deprecationis meæ. Hoc non est emereri misericordiam, sed prouocare iram domini. Oras exitium proximi, crudeliter oras, & postulas domini misericordiam? Dicis domino, quoniam suauis es & mitis, & tu tam asper atque immitis es in fratrem? Quomodo placabis dominum qui placando offendis, aut quo sacrificio propiciabis illum, quum tuum sacrificium crimen sit? Aut qua fronte postulas, ut dominus intendat precibus tuis, quum tu surdus sis ad preces proximi tui? Aut quo ore rogas, ut tuam deprecationem recipiat in aures suas, quum tu ad illius præcepta surdas habeas aures? Verū ut hæc libera fronte petere possimus fratres, utq; cum fructu dicamus, ne dimoueamus oculos nostros à præsule nostro Christo Iesu. Ille semper aures intentas habuit præceptis patris, usq; ad mortem, semper habet aures patulas ad clamorem miserorum. Hūc pro uiribus imitemur, ut cum illo exaudiamur. Clamauit ille in cruce, & exauditus est. Conscendamus & nos crucem quisquis suā, et inde clamemus ad dominum: In die tribulationis clamaui ad te, quoniam exaudisti. Vide ut crescit inter orandum fiducia. Proximo uersu prædicauit domini benignitatem, humanitatem, misericordiam. Vnde cognitam? Expertus sum inquit. Dicit Psalmus alius: Videte & gustate, quoniam suauis est dominus. Hic pauper gustatam domini benignitatem, maiore fiducia implorat denuo, contra quàm faciunt multi, qui experti, cḡ bonus sit dominus, tamen obliti beneficiorum illius, aliò se uertunt. In die tribulationis. Græce est θλίψεως, quod aliquoties uertit pressuræ, interdum afflictionis. Iam diximus totam hominis uitam esse diem unam, atq; is uere dies est tribulationis. Nam hoc uerbo delectati sunt interpretes Ecclesiastici. Est enim uere iuxta Græcorū prouerbium ἀκακοδαίμων βίος, id est, spinosa uita hominis, qui natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miseriis. Excussis enim è paradiso, & in hoc relegatis exilium, quid aliud profert nobis terra nostra, cḡ spinas ac tribulos? Pungimur undiq;, laceramur undiq;. Habēt & diuitiæ spinas suas, habent & honores spinas suas, habēt et uoluptates spinas suas, non tantum afflictiones. Hanc spinosissimam uitam dominus noster causa suscepit, pauper, contemptus, afflictus, deniq; spinis coronatus, nostras spinas in se recepit, ut nos paradiso restitueret. Orauit à baptismo, & exauditus est. Argumenta quæris? Cœli aperti sunt, columba descendit, uox patris audita est, hic est filius meus dilectus. Hic erat exordium afflictionis. Quid enim postea legis in uita Christi? Ieiunium, peregrinationes, pernoctationes in precibus, docendi labores, sitim, famem, lassitudinem, toleratas obtrectationes, persequutiones, probra, uerbera, crucē. Hic postremo clamauit, & exauditus est. Rursum Ioannes 12 loquitur: Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater sanctifica me ex hac hora, sed propterea ueni in hanc horam, pater clarifica nomē tuum. Quum audis turbatā animā, agnoscis diē afflictionis. Dolores enim nostros ille portabat. Exauditus est. Sequit enim: Venit uox de cœlo: Et clarificaui, & iterū clarificabo. Orauit post mysticā cœnā, & exauditus est. Orauit in horto & exauditus est. Venerunt enim angeli, & ministrabāt ei. Clamauit in ara crucis, deniq; clamans reddidit spiritum. Agnoscimus hic imaginē quandam sacrificij nostri. Sunt precationes, quæ præcedunt consecrationē, sunt quæ fiunt in ipsis mysteriis, sunt quæ finiunt mysteria. Peractis itaq; mysteriis eius sacri dixit, consummatū est, & postrema uoce clamauit ad dominū, dicens: Pater in manus tuas cōmendo spiritum meum. Et hic exauditū esse, testabatur sol, subducens mundo lumen suum, testabatur uelum templi, scissum à summo usque ad imum, testabantur petræ fissæ, monumenta aperta, rediuiui mortui. Hanc igitur extremam precationem ęditurus dicit: In die tribulationis clamaui ad te, quoniam exaudisti prius clamantem, scies quod semper me audis. Quicquid autem hic egit caput, pro corpore suo egit, quod est ecclesia. Huic uiam aperuit, ac formā præscripsit. Quot afflictionibus impetita est ecclesia? Quot persecutionum undis pulsata, quot cruciatibus ac mortibus examinata? In hanc principum crudelitas, in hanc Iudæorum peruersitas, in hanc hæreticorum impietas, in hanc totus

totus mundus,omni machinarum genere insurrexit. At ea memor exempli dominici,in die afflictionis num confugit ad arma bellica? Num ad fauores regum? num ad philoso/phiæ præsidia? Nihil horum. Quid igitur? In die tribulationis clamauit ad dominum, & audita est. An non audita est? Quid enim aliud perfecit immanitas persequentium,quàm quod latius inclaruit Euangelij gratia & Iesu gloria? Hoc erat quod illi petebant Euange lij præcones,Datum est quod petebant. Occisi sunt martyres,uicit Euangeliũ. Quanq; au tem non semper sunt Annæ & Caiaphæ, non semper Nerones ac Diocletiani, tamẽ ab exordio mundi usq; ad finẽ, uerum est quod scribit beatus Paulus: Quicunq; uolunt pie uiuere in Christo Iesu,persecutionẽ patiẽtur. Breuiter undiq; spinarũ satis cuiq; est. In his clamemus ad dominũ,non ad Baal,non ad artes magicas, non ad homines, uel uiuos uel mortuos, clamemus ad illum,quo ut nihil est clemẽtius,ita nihil potẽtius. Exaudiuit nos in capite clamãtes, quum liberaret nos à tyrãnide Belial,exaudiet rursum nos quoties in eodem manẽtes,clamamus afflicti propter iustitiã, ac nostram afflictionẽ uertet in nostrã multorumq; salutẽ,& in nominis sui gloriã. Videmus orbem terrarũ subiectum Euange lio. Trophæa crucis nusq; gentiũ non erecta,tantã mundi mutationem uidemus, admi/rabili cõsilio dei procuratã,per ignominias,per mortes,per paucos,humiles,& iuxta mũ dum idiotas apostolos. Sũmi monarchæ ad nomen Iesu ceruices inclinãt. Idola gentium cum agminibus deorũ prostrata sunt,imò ut melius dicã nusq; sunt,ab uno deo,salus pe titur ab omnibus. Hoc ut fieret clamauit Christus accinctus ad sacrificiũ,hoc & hodie cla mant oẽs,qui sunt membra Christi. Vt omnes gẽtes renascantur per Christum,& illius amore fortiter perpetientes omnia propter iustitiam,crucifigãtur huic mundo per Chri/stum,ut ambulantes in nouitate uitæ ad exẽplum Christi,mereantur cum eodem regnare & glorificari. Non est similis tui in dijs domine, & non est secundum opera tua. Cla/mauit pro gentium conuersione, & exauditus dicit: Non est similis tui in dijs domine. Hoc gentes per Euãgelij tui lucem cognoscent,& abijcient,quod impie coluerunt. Nam qui sunt dij gentiũ? Portenta detestanda. Coluerũt dracones, crocodilos,boues, & simi as pro dijs. Quid demẽtius? Sed hoc quoq; stultius,quod lapides mutos,ac ligna pro dijs coluerũt,ut præ his excusandi uideãtur,qui quibusdam hominibus honores diuinos de/tulerunt. Sed his omnibus execrabilius, quod dæmones impios, impostores,& generi humano inimicos pro dijs uenerabantur. Ab his maioribus orti sumus,ab his abominã/dis malis per Christum liberati sumus. Sed qui solem & lunã, reliquamq; cœli militiam pro dijs coluerunt,magnifica quidem corpora coluerũt,sed quid ad deum,qui ista condi dit,quum nihil essent? Da creaturã q̃libet sublimem, da potestates ac principatus, da su/premũ angelum ex ordine Seraphico,nihil cõditum cum cõditore conferri potest. Ange li ministri sunt dei,cum tremore seruiẽtes illius maiestati,cuius sublimitas nobis est inco/gitabilis. Ad tantæ maiestatis splendorẽ exortum, merito euanuerunt omnia ficta deo/rum nomina, & uno ore nunc clamat uniuersis orbis: Non est similis tui in dijs domine. Vnde id liquet? Ex ipsis factis,subijcit enim: Et non est secũdum opera tua. Dij gentium dæmonia,deus autẽ cœlos fecit. Dei uirtus,sapiẽtia & bonitas undiquaq; nobis relucet in rebus ab ipso cõditis. Nam hic primus est gradus ad cognoscendum deum. An non ad mirandum opus hic mundus? In hoc opere quanta relucet autoritas,potentia,bonitas & sapientia? Ex huius cõtemplatione,quidam mundi sapientes perspexerunt dei uirtutem ac sempiternam illius diuinitatem,quanto plus uisuri,si contemplati fuissent oculis fidei. Nec cœlos fecit tantum,sed & angelos fecit. Breuiter nihil factum est,quod ab ipso factũ non est. Quàm admirabiliter autem hoc opus suum tuetur & gubernat? Quanto admira bilius genus humanum restituit? Quàm incõprehensibili consilio ecclesiam suam rede/mit,instituit,ditauit,prouexit? Ipse deus induit hominem, & morte sua reconciliauit ho/mines deo. Quid simile fecerunt dij gentium? Illi deluserunt miseros, ut haberent mortis socios,hic patefacta ueritate sanauit omnes. Illi pelliciebãt ad turpitudinem,hic abstulit peccata mundi. Illi demergebant cultores suos in barathrum,hic euehit in cœlum. Quor sum igitur attinet alios deos quærere,quũ unus sit adeo cæteris sublimior,ut nullus sit illi similis,nec in cœlo nec in terra? Hic si respicimus ad horum tẽporum mores,fortasse non inuenimus templa,in quibus Ioui,aut Mercurio, aut Veneri thurificatur,at uereor ne in multorum pectoribus uelut in templis,huiusmodi dijs fiant sacra. Quicquid deo prætu/

listi, Deum tibi feciſti, & quodammodo Deum unicum ac uerum abnegaſti. Quemadmodum autem piorum corpora templum ſunt Dei, quæ prophanare uetat Paulus, ita pectus auari, templum eſt Mamonæ, corpus libidinoſi templum eſt Veneris, pectus ambitioſi templum eſt Iouis, pectus Genethliaci, templum Apollinis, pectus luxuriantis, templum eſt Comi, aut ſi mauis Sileni. Quoties eiuſmodi cupiditatibus, contemptis Dei præceptis obtemperas, toties uictimam offers non Deo, ſed dæmonibus. Non eſt quod horreant aures ueſtræ, ſermonem ominis abominandi, magis horreant animi ueſtri rem multo deteſtabiliorem. Atqui hic ſi quis uelit animo ſerio rationem ſubducere, quantum interſit inter ea, quæ nobis largiuntur iſti dij cupiditatum noſtrarum, & quæ donat deus noſter, toto pectore clamabit: Non eſt ſimilis tui in dijs domine, & non eſt ſecundum opera tua. Si quæris honorem, ille largitur æternam gloriam. Si principatum, aſciſcit in regnum ſuum, cuius non erit finis. Cum hoc confer, quæ tibi promittit tuus Iuppiter, ſi quid omnino poteſt promittere. Si diuitias, in illo poſſides omnia, qui ſolus dominus eſt omnium. Ad hoc quid eſt, quod tuus tibi pollicetur Mercurius? Si oracula, habes ſcripturam certiſſimæ fidei, qua tibi loquitur Deus ex adyto ſuo, quoties uis. Si uoluptatem, ſolus ille dat gaudium plenum, quod auferre nemo poteſt. Quid ſimile dant ſuis cultoribus Venus & Comus? Liceat apud pietatem ueſtram fratres quod uerum eſt, libere dicere: Quid refert exploſos eſſe deos è templis gentium, ſi nos illis immolamus uictimas, in mentibus noſtris? Multi ſunt titulo Chriſtiani, qui re colunt dæmones. Explodamus itaque, exibilemus deos inutiles è pectoribus noſtris, & tota fiducia collocata in uno Deo, qui fecit & cœlum & terram, memores tot beneficiorum, quæ in nos effudit, dicamus, & dicamus ex animo:

Non eſt ſimilis tui in dijs Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcunque feciſti uenient, & adorabunt coram te Domine.

Iudæi Hieroſolymis adorabant. Samaritani in montibus. Gentes innumeris ſuperſtitionibus, uarijs'que ritibus uarios deos adorabant. Verum hoc impetrauit mors Chriſti, ut unius ueri Dei nomen, per uniuerſum orbem omnibus gentibus inclareſceret. Non omnes homines crediderunt Euangelio, ſed nulla eſt natio, quæ non recepit Chriſti doctrinam. Quid mirum ſi reſtituit omnes gentes, qui fecit omnes gentes? Non paſſus eſt benignus conditor perire plaſma ſuum, refecit per mortem filij, quod fecerat per filium. Nam uerbo ſuo condidit uniuerſa. Semel illas fecerat, & auerſæ à conditore, coluerunt creaturam ſupra eum qui condidit omnia. Denuo fecit illas, regenerans uerbo uitæ, ut eſſent noua creatura. Iudæi crucifixerunt Dominum, & iudicarunt ſeſe indignos regno Dei. Horum itaque incredulitas ianuam aperuit omnibus gentibus, ut uenirent per fidem, qui per impietatem receſſerant à Deo, & contemptis ſimulachris adorarent. Venient omnes, quid obſtrepis inuide Iudæe? Venient citra diſcrimen omnes gentes, in latitudine populi gloria regis. Inuitat omnes ad nuptias, uult impleri domum ſuam undecunque conuocatis. Ante canebatur: Lauda Hieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion. Venit tempus alterius Pſalmi: Cantate Domino canticum nouum, Cantate Deo omnis terra. Et: Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Venient igitur, ſed uocati: uenient, ſed attracti. Alioqui nemo uenit ad Chriſtum, niſi tractus à patre. Deus prior ad illos uenit, ut poſſint ad ipſum uenire. Vnde uenient? A profundis ignorantiæ tenebris, à ſeruitute dæmonum, ab inquinatiſſimis moribus. Quò uenient? Ad lucem Euangelicam, ad cultum ueri Dei, ad uitæ ſanctimoniam. Quò uenient? Num ad Moſen, num ad Cherubim, num ad propiciatorium? Nequaquam. Quo tandem? Ad domum inuitantis, quæ eſt Eccleſia. Illic ſacro lauacro renaſcentur, exuentes ueterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum. Illic impoſitis manibus ſacerdotum, accipient ſpirtum ſanctum, ut incipiant loqui nouis linguis, non iuſtitias ſuas, quas habent nullas, ſed magnalia Dei. Vetus lingua canebat Iouem, Mercurium & Bacchum, acclamabant: Magna Epheſiorum Diana, blaſphemias iaciebant in dominum & in Chriſtum eius: Innouata lingua, omnes uno ore glorificabunt nomẽ Domini, quem unum adorabunt. Vbi? Non eſt deſignatus locus, ſed adorabunt coram te Domine. Antea prouoluebãtur coram muta ſtatua Iouis,

ab eo

ab eo petentes uitam, qui ipse uita carebat, procidebant ante Crocodilum, anguẽ aut bouem, nondum enim uenerant ad lucem, sed posthac adorabunt coram te domine. Quid est coram te? Deus spiritus est, & hunc noui adoratores in spiritu adorant. In tuo pectore deus est, illic adora eum. Dilatauit ecclesia tentoria sua, pro exigua Iudæorũ gente, recepit uniuersitatem omnium gentium, & in omni loco offertur nomini illius, immolatio munda in spiritu, non mactatis pecudibus, sed correctis mentibus. Quum legimus impias maiorum nostrorum religiones, animo inhorrescimus, ac detestãtes idola cum suis dæmonibus, glorificamus nomen domini, cuius potentia, sapientia, bonitate liberati sumus ab illa turpissima seruitute, & asciti in regnũ filij dei. Hoc erat quod sitiebat, hoc orabat antistes noster, ut exaltatus à terra, omnia traheret ad se, & ex infinita diuersitate errorum, fieret unus pastor, & unum ouile. Nec solum adorabunt dominum, sed adorabunt etiã coram domino, persuasi eum nusquam non esse præsentem, & illum intuẽtes oculis fidei, & mundo corde, quatenus in hac mortali uita cerni potest. Vt autem adores coram domino, ab omni sensus humani phantasia subducas animum, oportet. Nihil eloqui, nihil cogitatione fingere potes, quod deus est, qui unus est adorandus. Vbi transcenderis omnem sublimitatem mentium angelicarum, adhuc infinitis partibus abes à celsitudine dei, qui lucem habitat inaccessam. Sed adorans aspicis imaginem dei. Aspice, sed ut lignum aut lapidẽ, hominis manu factum. Clausis oculis, sed erecto corde optime uidetur deus. Et tamẽ non obturbabo, si corporis oculos intendas in statuam, modo mens tua sit apud deum: tametsi mira crassitudo est in homine Christiano, nõ posse contẽplari deum, nisi per imaginem, si tamen dei potest ulla fingi imago. Mendax imago fallit. Et tamẽ hominis licet uera imago, quantulũ est hoc, quod repræsentat hominis? Et dei requiris imaginem? Non hæc eò dicuntur, quod probẽ istos idolomachorũ tumultus, sed quod congruentius existimem, ut templa Christianorum nec multas habeant imagines, nec quasli bet, alioqui pura, & ipsa mũdicie ad religionem prouocantia. Præter hæc habet suos gestus adoratio. Compositæ manus tolluntur in cœlum, flectuntur genua, figuntur oscula, totius corporis habitus ad religionem componitur. Hæc decenter fiunt, si fiunt pariter intus, si fiunt coram domino. Effundis uerba, simul & cor effunde corã domino. Interim illud cogitate fratres, quanta puritas, quanta reuerentia requiritur ad hoc, ut quis adoret in conspectu dei: tum quantum absint ab hac adorandi religione, qui in cultu diuino stantes, aut sacris etiam astantes altaribus, animo uoluunt non solum inania, sed etiã turpia, non minus incompositi corporibus, q̃ mentibus. Qui tales sunt, nõdum ex his gentibus sunt, quas fecit dominus. Gerunt signum dei, sed adhuc ignorant dominum, nec adorãt corã eo. Oremus ut & illos refingat dominus, ut rursus ueniãt cum cæteris, & simul adorent coram domino, & glorificent nomen eius. Sequitur enim: Glorificabunt nomen tuum. Iudæus dum elatus iactat suas iustitias, non glorificat nomen dei, sed suum. Gentes autem quoniam nihil habebant meritorum, quæ commemorarẽt, gratuito à tantis malis uocati ad consortium ecclesiæ, quid aliud possunt, q̃ glorificare nomen domini, cuius misericordiæ debent, quicquid habent? Considerant sua facta, & horrent quod meruerunt. Considerant magnitudinem dignitatis ac felicitatis, ad quam ultro uocantur, & cõfitẽtur domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Qui suam agnoscit miseriam, & gratias agit dei misericordiæ, ille glorificat nomen domini. Hominũ salutem, uult nõ hominũ, sed suam esse gloriam, quam non cedit alteri, quẽadmodum ipse loquitur apud Esaiã. Acceptis itaq; nouis linguis, cantabunt canticum nouum dei, cuius laus est in ecclesia sanctorũ. Quod canticum? Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es deus solus. Quicquid habet hic mũdus q̃libet sublime & altum, humile est, imò nihil est, si cõferatur ad deum. Solus ille uere magnus est suapte natura. Solus facit mirabilia, quẽadmodum solus uere bonus, solus uere sanctus. Mirabiliter condidit mundum, mirabiliter restituit, mirificentissime consummabit. Nec in se tãtum, sed & in sanctis suis mirabilis est, per quos operatur quicquid uult, immensa potentia, inscrutabili consilio, ut sublimitas sit uirtutis dei. Solus deus oĩa quæcunq; uoluit, fecit in cœlo & in terra. Quantum uidemus miraculorũ in animãtibus, in fontibus, amnibus, arboribus, herbis, gẽmis, in stellis & sole, in ipso cũ primis homine. Hęc omnia solus deus facit. Quicquid miraculorum æditũ est per prophetas, apostolos, martyres aut alios sanctos, solus deus operat.

Quid aliorum deorũ miracula? Præſtigiæ ſunt ac ludibria, & ſi propius inſpicias, impoſturæ. Certe maleficia ſunt, quicquid mirãdum obijciunt oculis hominũ. At dei miracula, ſunt hoĩm beneficia. Magi uertere uidebant uirgã in ſerpentẽ. At quotidie deus quot rerum ſpecies mirabilius transformat in uſus hominũ, dum ex tãtillo grano facit arborẽ, dum ex paululo liquoris creat hominẽ, cæteraq; animãtia. Non eſt magnum miraculum, uirgam in ſerpentẽ uertere, aut ex culice facere camelũ, maximũ miraculum eſt ex homine impio, idololatra, facere piũ dei cultorẽ. Non eſt miraculũ, urbem unã aut alterã expugnare machinis, totũ orbem innouare ad eandẽ Euãgelij religionẽ, ſolo uerbo, magnum erat miraculum. Quis hoc hominũ aut deorũ potuit? His pie cõſideratis dicunt uno ore gentes: Tu es deus ſolus. Solus magnus legit Auguſtinus, pio quidẽ ſenſu, ſed codicis mẽdo falſus. Audis nouæ linguæ uocẽ. Superius dixit: Non eſt ſimilis tui in dijs dñe, & non eſt ſecundũ opera tua. Præfert ibi deũ, ſed tamẽ alios quoq; deos nominat. Hic cõſpectis tot mirabilibus, libera uoce profiteť: Tu es deus ſolus. Gradus profectus nobis expreſſit hic ſermo. Principio gẽtes irridebant Euãgelij prædicationẽ, quẽadmodum inquit Paulus: Gentibus quidẽ ſtultitiã. Verũ ubi uiderunt per apoſtolos tenues & humiles, inuocato noĩe Ieſu profligari dæmones, depelli morbos inſanabiles, reuiuiſcere mortuos, quod nec dij, nec illorũ uates, magi, aut augures potuerũt, expauefacti dicebãt: Quis ſimilis tui in dijs domine? Hoc erat mutatę mentis præludiũ. Mox per catechiſmũ edocti, patrem, filium, & ſpiritũ ſanctũ unum ſolum uerũ eſſe deum, nec eſſe aliũ, præter illum, in cœlo aut in terra, abiuratis dijs prioribus, abominati ſimulachra, relictis phanis, currunt ad eccleſiam, accepto dono linguarũ profitentur, Quia tu es deus ſolus. Sic caput eccleſiæ glorificauit patrẽ, ut cognoſcant te ſolum uerũ deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ. Iudæus agnoſcit patrẽ, filium negãs, nec ſpiritũ ſanctum adorans. Non dicit igitur tu es ſolus deus, ſed deum mutilũ facit. Item Arius dum facit filium & ſpiritũ ſanctum creaturã, lacerat diuinitatem, quæ diuidi non poteſt. Vbi deus eſt, ibi tota eſt trinitas, quam cõfundit Sabellius, diſſecat Arius. At eccleſia docta diſcernere perſonas, ne diſcerpere naturã diuinam, quæ ſecari non poteſt, clamat cũ Chriſto: Tu es deus ſolus. Quanq; arbitror hoc oẽs in Chriſto renatos profiteri, ſed ueraciter nemo poteſt dicere, tu ſolus es deus, qui pluris facit hominem, q; deum, qui quicq; ſic amat, ut illius potiundi ſtudio, negligat iuſſa dei. Qui deperit in ſcortum, inuenit ſibi alium deũ. Si idẽ ſit temulentiæ deditus, ſuperbiæ reliquiſq; uitijs, quũ pluribus ſeruiat dijs, qua fronte dicit: Tu es deus ſolus? Pſalmus hic uidetur pugnare cum eo, qui præceſſit 82. Illic enim orat ad uerſus omnes gentes, hic cauſam agit omnium gentiũ. Attamen ſi propius inſpiciamus, idem precatur utrobiq;. Non enim poterant gẽtes glorificare deum, niſi prius occiſis impijs gẽtibus. Deus enim ſic occidit, ut uiuificet. Occidit impiũ, & erigit pium, ſicut proſtrauit Saulum, & erexit Paulũ, occidit lupum & erexit paſtorẽ ouiũ. Nam in baptiſmo moritur uetus homo, & exilit nouus. Porrò hoſtilia illa nomina Moab, Agar, Gebal, Ammon, Amalech, cęteraq; quæ illic referũtur, in pectoribus noſtris erant, nimirũ affectus impij, his interfectis, gẽtes glorificãt deũ.

Aduerſus tales impios affectus orat dñs: Deus meus pone illos ut rotã, & ſicut ſtipulam ante faciẽ uenti. Sicut ignis qui cõburit ſyluam, ſicut flãma cõburens mõtes. Ita perſequeris illos in tẽpeſtate tua. Dura interpellatio, ſed audi felicẽ exitum: Imple facies eorũ ignominia. Ad quid? Vt turpiter intereãt? Non. Quid igitur? Et quęrẽt nomen tuum domine. Prima uox Euangelij eſt, pœnitentiã agite, adeſt regnum cœlorũ, & ſecuris ad radicẽ arboris poſita eſt, & reuelatur ira dei de cœlo, ſuper omnẽ iniuſtitiã. Territi ſunt, docti ſunt, erubuerunt, reſipuerũt. Tales erãt Romani, quibus ſcribit Paulus: Quem ergo fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis? Hæc arguunt has minas non ad exitiũ ſpectare, ſed ad ſalutẽ. Durius eſt autem, quod ſequitur: Erubeſcãt & cõturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant. Pereat impietas, & reſipiſcentes cognoſcant, quia nomen tibi dominus, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Sic interficit deus, uere iuxta Græcorum prouerbiũ, beneuolus trucidator. Ab illo interfici, uiuificari eſt. Habemus exordiũ eccleſiæ, quæ primũ cœpit à Iudæis. Habemus dilatationẽ eccleſiæ, cõfluentibus ad eam undiq; gentibus. Nunc profectũ orat, ut perſeueret in fide & charitate, ut ſemper in melius proficiat. Redemit ac purificauit ſibi ſponſam, ſed abſq; præſidio dei nemo poteſt in bono perſiſtere, niſi gratia dei, quę uocauit immeritos, dirigat, moderetq; uocatos.

Reſtat

Reſtat acre certamen aduerſus poteſtates aereas, aduerſus principes huius mundi, aduerſus incredulos & indociles. Hinc atq; hinc ſolicitãt uel terriculamenta, uel blanditiæ, quæ reuocant à uia ueritatis. Orat igitur pro Petro, hoc eſt, pro tota eccleſia, ne deficiat fides eius. Deduc me domine in uia tua, & ingrediar in ueritate tua. Per fidẽ ac baptiſmum abducti ſunt à uijs ſuis peſſimis, inducti ſunt in uiã, quæ ducit ad uitam. Quid reſtat? Vt progrediãtur in uia domini. Vt ingrediamur in uiam, opus eſt deductrice gratia, ut in ea gnauiter ambulemus, opus eſt comite gratia. Chriſtus oſtiũ eſt, per hunc inducimur in uiam. Idem eſt uia, quæ ducit ad uitã, anguſta quidem, ſed certiſſima & cõpendiaria. In hãc mirabiliter inductæ ſunt gentes. Mortuæ ſunt peccatis, reſurrexerunt cũ Chriſto, ſupereſt ut iuxta doctrinã & exẽplum illius, in nouitate uitæ ambulent. Nec enim res eſt otioſa fides, ſed ſi uiua eſt, per dilectionẽ operatur: ſi non operatur, mortua eſt, & indigna fidei nomine. Ne quis igitur dixerit: Per gratiã iuſtificatus ſum, inſitus ſum mẽbris Chriſti, ſaluus ero. Inſitus es, ſed ut fructifices, non ex te ipſo, ſed ex ſucco radicis. Gratia te ab erroribus reſtituit in uiam, ſed quare dicitur uia, ſi te nusq; deducit? quomodo deducet, niſi per eam ambules? Hic domum non habemus, in uia ſumus. Vt autem ambules in uia domini, opus eſt illius deductrice gratia, ut quæ præuenit, eadem comitetur, donec perueniras ad uitam. Ni fructifices inſitus Chriſto, uide ne excidaris. Minitatur hoc tibi dominus in Euangelio Ioannis: Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet pater. Facius es arbor bona, ſupereſt ut bonos edas fructus. Nam ficum quæ foliis nitebat expers fructuum, execratus eſt dominus. Quum gẽtes eſſent carnales, carnis fructus adferebãt: poſteaquam hauſerunt Chriſti ſpiritum, ſpiritus fructum producũt. Fructus autem ſunt opera bona, per quæ dignoſcitur arbor bona. Eum fructũ Pelagianus tribuit libero arbitrio, ſemel per gratiam liberato, nec canere dignatur hũc uerſiculum: Deduc me domine in uia tua. Lex oſtendit uiam, lex prælucet ambulanti, iuxta Pſalmum qui dicit: Lucerna pedibus meis uerbũ tuum, ſed gratia largitur, ut ambules in uia. Dono cuius? Cuius? niſi illius, qui dixit in Euãgelio: Sine me nihil poteſtis facere? Si incipis fidere tuis uiribus, & obliuiſci gratiæ, iam excidiſti à uia. Nam ipſe Chriſtus uia eſt, in quo quiſquis manet, ſecurus ambulat in uia domini. Itaq; quod hic orat, alijs uerbis orat in Euãgelio Ioãnis: Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unũ ſicut & nos. Quàm multi dilabuntur à uia domini, & in priſtinos errores relabũtur, etiã poſt actam pœnitẽtiam. Id ne cui noſtrum accidat, clamet unuſquiſq;: Deduc me domine in uia tua. Beati enim immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. Habes præceptis dominicis ſeptam uiam, ne declines ad dextrã, aut ſiniſtram. Hanc uiam anguſtiorem reddidit Euangelica perfectio. Verum ne te terreat anguſtia uiæ, dilatata eſt gratia, dilatatũ eſt cor, ut non ſolum ingrediaris, uerumetiam alacriter curras in hac uia, quemadmodum loquitur Pſalmus 118. Viam mandatorum tuorũ cucurri, quum dilataſti cor meum. Porrò uerbum ingrediendi nõ ita poſitum eſt in hoc Pſalmo, quemadmodum ingreditur domũ, qui foris erat, aut ingreditur uiam, qui ſuſcipit iter, quod Græcis eſt εἰσελθεῖν ſiue εἰσέρχεσθαι, ſed ingredi, poſitum eſt pro ambulare, nam Græci codices habent πορεύσομαι, id eſt proficiſcar ac pergam. Habet & impietas uiam ſuam, in qua ingredi pernicioſum, ſtare pernicioſius, ſedere pernicioſiſſimum, ſicut nos docuit primus Pſalmus. Cõtra in uia domini, nec ſtandũ eſt, nec ſedendum, ſed aut ambulãdum, aut currendum. Ambulãt mediocres, ac paulatim in melius proficientes, currunt perfecti, quò Paulus hortabatur, quum ſcriberet: Sic currite ut comprehendatis. Talis erat ipſe quum ait: Curſum cõſummaui. Quoniam aũt hic agitur de primordijs eccleſiæ, mediocritatis, non perfectionis uerbo eſt uſus propheta. Nam planè quod ad Chriſtum attinet, ſtrenuiſſimus omniũ in hac uia curſor fuit, quemadmodum docet Pſalmus 38. Exultauit ut gigas ad currendã uiam. Ambulemus fratres per anguſtã uiam, ſi nondũ poſſumus currere, ſemper detrahẽtes uitijs, addentes uirtutibus, donec expediti fiamus curſores, et ſi fieri poteſt etiã uolucres. Nihil deſperandũ Chriſto duce, & auſpice Chriſto. Ne circũſpice uires tuas, ne tibi uertiginem moueãt hinc atq; hinc præcipitia, reſpice deductorẽ tuũ, ut tutus ambules. Quod igit Chriſtus orauit pro eccleſia, hoc eccleſia quotidie orat pro filijs ſuis, quos Chriſto gignit. Deduc me domine in uia tua. Nemo dicat libero arbitrio: Deduc me in uia domini, nemo philoſophiæ humanę, deduc me in uia domini, dic ipſi domino, deduc me in uia, non in uijs hominũ, ſed in uia tua.

Hæc ſola neſcit errorem. Variæ ſunt uiæ philoſophorũ, uariæ Iudæorum, uariæ ſunt hæreticorum, ſed unica eſt ad ſalutẽ uia, non hominis, ſed dei. Ita eſt & hominũ ueritas, ſed incerta, nec raro fallẽs admixtis erroribus. Vnica eſt domini ueritas, quæ manet in æternum. Si tu mihi dignaberis eſſe deductor, ingediar in ueritate tua, ambulans per fidẽ & ſpem. In his enim eſt ueritas dei, credimus illius uerbis, & ſperamus promiſſa, utrobiq; ſolus eſt uerax. Qui iuxta doctrinã Euangelicã operatur, qui fretus promiſſis Euangelicis, non ponit ſpem in hac uita, ſed in futura, ſecurus ingreditur in ueritate dei. Nec enim periculũ eſt, ne ſit falſitas in doctrina, neue ſit uanitas in promiſſis. Securus ambula, inceſſanter quod bonum eſt operare, magiſtrũ habes, qui nec ſeducit, nec ſeducitur: remuneratorem habes, qui ſeipſum abnegare non poteſt, quũ ſit natura ueritas. Et habet quidẽ piæ uitæ ſtudiũ initio nõnihil amaritudinis, dum cõſuetudo peccandi ſubinde meditatur repullulaſcere, dum caro belligeratur aduerſus ſpiritum, ſed hanc moleſtiã deductor ille clemẽtiſſimus, ſpirituali ſolatio mitigat, aſpirans alacritatẽ bonæ conſcientiæ, qua fit, ut non ſolum non pœniteat tædeatúe uitæ, uerumetiã cum gaudio peragas. Eoq; ſequitur: Lætetur cor meum, ut timeat nomẽ tuum. Hic ſermo iuxta ſenſum cõmunem uidetur ſubabſurdus. Quis enim in hoc gaudet ut timeat, quum gaudiũ & timor inter ſe pugnent? Gaudium dilatat animum, timor contrahit. Et ſi alterum paratur ex altero, ex timore naſcitur gaudium, non ex gaudio timor. Siquidẽ initium ſapiẽtiæ timor domini. Sed Græca ſic habent ut magis hunc reddant ſenſum: Lætetur cor meum, eò quod timet nomen tuum, εὐφρανθήτω ἡ καρδία μου, τῷ φοβεῖσθαι τὸ ὄνομά σου. Antea gẽtes uelut impune peccabãt, quia nõ timebant dominũ, partim quia nõ nouerãt, partim quia ſpreuerunt. Deinde reuelata per Euangeliũ iuſtitia dei ſuper omnẽ impietatẽ, didicerunt timere nomẽ domini, & per hũc timorẽ reſipuerunt ad uitam correctiorẽ, ſequentes præcepta dei. Ac ſicut poſt amarum pharmacum, gaudet homo reſtitutus ſanitati, ita gaudet peccator, timore dei cõpulſus ad uitæ puritatem. Quid igitur orat antiſtes noſter? Vt dolorem pœnitentiæ, excipiat gaudium bonæ cõſcientiæ. Non cœlabo pietatẽ ueſtram, quod Latini ſonamus deduc, Græcis eſſe ὁδήγησον, quod uerbum proprie cõpetit in eum, qui dux ac monſtrator eſt itineris. Nam Latinis deducendi uox anceps eſt. Interdum enim deducere dicitur, qui hoſpitem aut amicum aliquò proficiſcẽtem, officij cauſa proſequitur. At diuus Hieronymus iuxta ueritatem Hebraicam ita tranſtulit: Doce me domine uiam tuam. Ne quem offendat ſermonis uarietas, quæ nõnihil lucis etiam adfert ad intelligentiam. Nam ſenſus eódẽ tendit. Animaduertite dilectiſſimi pulchre ſeruatum ordinem. Primus ad ſalutem gradus eſt, ex ipſis rebus conditis ac miraculis agnoſcere diuinam potentiam, atq; hinc illius timorem cõcipere, quoniam ultor eſt malorum. Itaq; prima uox eſt, non eſt ſimilis tui in diis domine. Secunda: Tu es deus ſolus. Hæc profitentur nobiſcum Iudæi. Ac nonnihil promouit, qui didicit unum ac ſolum eſſe deum, conditorem, gubernatorem ac iudicem omnium terreſtrium pariter ac cœleſtium. Proximus gradus eſt catechiſmus, baptiſmus & profeſſio Chriſtianę militiæ. Nam hæc quodãmodo rudimenta ſunt noſtrę religionis. Eſt autẽ doctrina duplex. Simplicior illa, quæ paucis articulis cõprehenſa, traditur catechumenis. Perfectior, quæ iam initiatis aperitur. Ea conſtat duabus partibus, quarum altera patefacit abſtruſiora quædam Chriſtianæ philoſophiæ myſteria, altera uiuendi rationem præſcribit. Habet enim mater eccleſia lac ſuum, quo refocillat infantes, habet & ſolidum cibum, quo paſcit iam grandes in Chriſto. Sit ingenij mei ſomnium, niſi palã indicat hoc Euangelium Matthæi: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docẽtes eos ſeruare omnia, quæcunq; mãdaui uobis. An non auditis geminã doctrinam, unam ante baptiſmum, alterã poſt baptiſmum, quæ de ſeruandis mandatis meminit? Nec dubium eſt, quin de adultis loquatur Euangelium. Nunc uero quoniã ex priſca eccleſiæ autoritate baptizantur infantes, quitingi poſſunt, doceri nondum poſſunt, utinam ſaltem poſt baptiſmum ea diſcãt, quæ nefas eſt hominem Chriſtianũ neſcire. Quanq; hæc poſterior doctrina nunq; eſt omittenda, ſed ſemper proficiendum eſt in ea, quemadmodum in operibus & affectu pietatis. Iam abiectus eſt error, iam tradita ſunt rudimẽta fidei. Poſt hæc oſtenſa eſt uia, quæ iuxta Chriſti formã ducit ad uitã. In hanc ſumus inducti, rogãte pro nobis capite noſtro, doce me dñe uiã tuam. Cõſiſtimus in ſecundo gradu. Quid ſuper eſt? Vt iuxta id quod didicimus ambule-

In ueritate

mus

mus,proficientes de cognitione ad cognitionẽ,de uirtute ad uirtutẽ.Hic eſt ſtatus proficientium tertius, quibus tandem incipit dulceſcere iugum domini, quod initio uidebatur ſubaſperum:ac dicunt,Lætetur cor meum,quod timeat nomen tuum. Tandem eò perfectionis prouehũtur,ut cum Paulo gaudeant etiam in afflictionibus ſuis, quod deus ipſos hoc honore dignatus ſit, ut pro nomine Ieſu contumeliam patiantur. Hic perfectorum gradus eſt ordine quartus. Tales erant quorum pietatẽ collaudans Paulus,ait,Rapinam bonorum ueſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis,cognoſcentes uos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Huc hortatur beatus Iacobus,quum ſcribit, Omne gaudium exiſtimate fratres mei,quum in tentationes uarias incideritis. Quin & ipſe dominus in Euangelio diſcipulos in perſequutionib.gaudere iubet & exultare. Vnde gaudiũ in rebus tam triſtibus? A certa ſpe futuri præmij,Quoniã merces ueſtra copioſa eſt in cœlis.Annotandum & illud, quod dixit, Lætetur cor meum.Non omne gaudium, cordis eſt gaudium. Eſt iræ gaudium ex uindicta,Eſt libidinis gaudium ex flagitio,eſt uentris gaudium ex luxu,eſt oculorum gaudium,ex honoribus delatis. At cordis gaudium non habet, niſi qui timet nomen domini.Imò cor non habet, qui non timet hoc nomen.Quomodo autẽ cordis gaudium habebit,qui cor non habet? Tales erant, ad quos per Hieremiã loquitur dominus,Audi populeſtulte,qui non habes cor.Rurſus per Oſee, Effraim factus eſt quaſi columba ſeducta,non habens cor.Quidam redeuntes ad uomitum,abijciunt timorẽ domini,Ab hoc malo procul abſunt,qui de hoc ipſo gaudent etiã,quod dono cœleſti conceperint timorem domini.Qui ſunt enim qui laudant dominum, iuxta Pſal.21? Ac uerum quidem eſt,quod ſcribit Ioannes in epiſtola,Charitas expellit timorem: ſed æque uerum eſt,quod habet Pſalm.18.Timor domini ſanctus permanẽs in ſeculum ſeculi. Verum eſt timor,quem ſeruilem appellant,qui ſic cohercet à peccando,ut tamen animus dicat:facerem,ſi liceret impune.Seruus malus fuſtem metuit potius,quàm dominum. Et tamen hic quoq; nonnullus eſt gradus ad emendationem uitæ.Sed hunc timorem expellit charitas, per quem iam non metu gehennæ,ſed amore dei uolentes, & alacres facimus, quod ille præcepit.Prius eſt quod animale,deinde ſuccedit quod ſpirituale. Manet tamẽ in ſeculũ ſeculi timor ſanctus,hoc eſt reuerentia quædam cum charitate cõiuncta,quę facit ut nec in minimis ſi liceat,uelimus offendere tam benignum dominũ.Ab illo timore concipitur ſpiritus,qui quo magis uiget in uobis,hoc magis euaneſcit triſtis ille metus, & anxius timor uerius,q̃ ſanctus.At filij qui conceperunt ſpiritũ dilectionis, norunt exultare cũ tremore hoc impenſius timentes patrẽ offendere,quo uehementius diligunt. Cedit pędagogus,ubi ratio prõpta uolũtati melius perſuadet,quid ſit agendũ, q̃ ille cogebat. Cæterum Hebraica ueritas hic nõnihil diſcrepat ab eo,quod & latina & Greca cãtat eccleſia,Nam pro eo quod eſt,lætetur cor meũ,Hieronymus uertit, unicũ fac cor meũ,ſiue ut alijs placet,uni cor meũ.Iuxta naturã corporum nihil eſt cõpactius,& ut ita loquar,unitius corde animantis,quod uelut ex filis in ſeſe replicatis cõglomeratum eſt. Nec ullum eſt animal, quod non habeat unicum cor. Verum iuxta ſenſum tropologicum, quàm multi ſunt homines,qui habent diuerſa corda,q̃ multi,qui habent diuulſa & diſtracta corda. Illi quos ſcriptura narrat loquutos in corde et corde,nõ habebant unicũ cor.Qui dicebãt,ego ſum Apollo,ego Cephæ,ego Pauli,ego Chriſti, non habebant unicum cor. Inter hæreticos nec cum eccleſia conſentientes, & inter ipſos dogmatibus diſſentientes, non eſt unicum cor. Qui dictis ac rebus externis pietatem ſimulant, quum intus ſint longe alij, non habent unicum cor: denicq; qui diſtrahuntur curis huius mundi,ſollicíti de diuitijs,de uoluptatib.de dignitate,nõ habẽt cor unicũ,ſed quod de coniugata dicit Paulus,diuiſi ſunt ac diffluunt corde.Sed quomodo cogitur in unũ tale cor? Coagulo timoris domini,Per hoc peccator redit ad cor,colligit ſeſe in unum. Natura metu contrahitur animal. Expellitur gaudia carnis,ut ſuccedat gaudium ſpiritus. Huius gaudij nõ eſt capax cor noſtrum, niſi fiat unicum à multitudine deorũ, à uarietate cupiditatum, à diuerſis philoſophorum opinionibus,à multitudine dogmatum hæreticorum,à contentionibus ac diſsidijs, à uacillatione fidei,à diſtractione curarum mũdanarum in unum redactum, & in ſimplicitatem ſpiritus conglutinatum.Et hoc dei munus eſt. Ille contrahit cor noſtrum timore ſui, ille dilatat cor noſtrum amore ſui.Si confiteris peccata tua, & gratiam non expectas,niſi à ſolo Deo, cor habes unicum & ſimplex. Tale cor orabat Dauid,prius corde diffluens,

Heb.10

dum fictis uerbis agit cum Vria, dum dolo procurat illum occidendum, dum ad alienam uxorem cor applicat, Cor, inquit, mundum crea in me deus. In immundo corde, quod potest esse gaudium? Nec est mundum cor, nisi deus creauerit, creat autem per spiritũ suum, de quo Psalmus, Emitte spiritum tuum & creabuntur. Quorũ unus est spiritus, his unum est cor, Ecclesiæ uariæ sunt dotes, sed in uno spiritu. Ad cor unicum loquitur deus, ut exhilaret illud. Sic enim Osee, Loquar ad cor eius, & canet iuxta dies iuuentutis suæ. Loquitur ad cor unicum Hierusalem, quę est mater nostra. Tale cor promittit dominus populo suo, Hier. 32. Dabo eis cor unum & uiam unam, ut timeant uniuersis diebus, Idem pollicetur Ezechielis 11. Et dabo eis cor unum, & spiritum nouum tribuam in uisceribus eorum. Ad unicum cor multa cum obtestatione hortatur beatus Paulus, Si qua ergo consolatio in Christo Iesu, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua uiscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes unanimes, id ipsum sentientes. Ergo qui cor unit, & unicum facit, qui mundat, idem lætificat, Proinde orat, Lætetur cor meum. Orat hoc caput, qui ouem perditam humeris baiulans cum gaudio reportat, lætior de una recuperata, quàm de nonagintanouem, quæ non aberrarant. Orat idem mater Ecclesia, quæ non habet abundantius gaudium, q̃ si uideat filios suos in ueritate ambulantes, & in timore domini suam salutem operantes. Pacem amat Ecclesia, quum credentium est cor unum, & anima una, tunc cordis uniti gaudium habet Ecclesia. Sic affectos etiam uulgus appellat concordes & unanimes. An non lætissimus timor est, per quem fit, ne quid timeamus? Si times deum, non est quod timeas satanam, aut gehennam. Si uere times deum, non timebis quid faciat tibi homo, non timebis egestatem, orbitatem, exilium, non denique mortem. Vnus igitur cum gaudio timẽdus, ne multa cum dolore timeamus. Solent autem qui petunt aliquid abs quopiam, uicissim polliceri gratiam, quo magis impetrent, quod cupiunt. Hic uero pauper, qui tam multa flagitat, inclinatas aureis dei, custodiam animæ suæ, lætificationem animæ suæ, deductionẽ per uiam, quid tandem pro his omnibus pollicetur? Quid autem polliceatur ei, qui nullius est indigus? Nihil aliud pollicetur, quàm sacrificium laudis, quo delectatur dominus, non quod eius gloriæ per nos accedat aliquid, sed quod nos illo laudando reddimur meliores. Confitebor tibi domine deus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Si custodieris animã meam, ne absorbeatur à morte, si resurrectione lætificaueris animã serui tui, confessionem laudis offeram tibi coram uniuersis gẽtibus, idq; ex toto corde meo, non labijs tantum, & glorificabo nomen tuum in æternum. Nec enim mihi ascribã quicquam eorum, quæ uoluisti fieri per me, sed tuo nomini transcribam omnem gloriam, & ut Ecclesia non est habitura finem, ita nunquam desinam celebrare tuam gloriã. Per mortem enim meam & resurrectionẽ uoluisti gentibus omnibus inclarescere nomen tuũ. Misericordiã tuam ineffabilẽ agnosci uis ab omnibus, & hoc nomine glorificari cupis apud homines. Redditus ab inferis, liberatus de manibus Iudæorũ, rediuiuus à morte deuicto satana, confitebor quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Quanto insignior fuit illorũ crudelitas, tanto futura est illustrior tua misericordia. Quanto terribilius periculum, tãto clarior est seruantis benignitas. Eruisti animam meã ab inferno inferiori. Extremũ malorum audis, unde nemo potest eripi, nisi misericordia dei, & magna misericordia. Vbi enim abũdauit delictum, ibi abundauit & gratia. Quod ad capitis personam attinet, hoc temporis, quo corpus domini in monumento iacebat exanime, anima descendit ad inferos, atq; illic destructo mortis regno, spiritibus qui in carcere erant, prædicauit Euangeliũ, nuncians illis morte sua deuictum satanam, & apertam uiam in cœlum. Hoc crediderant futurum, hac fide uixerant, hac spe decesserant, hac spe apud inferos alebantur, desiderantes uidere Christum domini. Viderunt & gauisi sunt. Ante in inferno nulla erat redemptio, donec ueniret anima, in quam nihil habebat omnino iuris princeps huius mundi. Aperuit tartarus fauces suas, prædam aduenire credens, & pro præda accepit prædonem, qui ingressus est domũ fortis, & diripuit uasa illius. Vertitur itaq; cantio, Et qui sedebant in tenebris & umbra mortis, noua luce exhilarati, & unicum agnoscentes redemptorẽ, dicunt, Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Talis anima nunquã descẽderat ad hoc regnum, sed omnes detinebantur, licet dispari spe, nec eadem conditione. Quemadmodum dominus

corpore

corpore descendit ad nos corporibus amictos, ita spiritu descendit ad spiritus: & quem admodum hic corpus uidebatur absorbuisse mors, iam in sepulcro conditum, nec tamen tenere potuit, sed belua reuomuit Ionam nostrum intra triduum, adeoq; nō potuit quem absorbuerat, tenere, ut per unum corpus, multa corpora coacta sit reuomere: ita anima descendit in carcerem mortis infernum, unde non erat fas cuiq; redire, & adeo detineri non potuit, ut illinc ascendens, secum captiuam abduxerit captiuitatem. Non hoc erat humanæ uirtutis, sed misericordiæ diuinæ. Videtis quanta res sit timere dominū, per quam non timētur inferi. Christus itaq; iuxta susceptum hominem agit gratias deo patri, cuius potentia debellasset regnum inferorum. Iam enim ueluti factum narrat, quod certò nouerat futurum. Propheticis oculis interdum quę longe post futura sunt, uel peracta sunt, uel præsentia. Hinc fit ut in literis diuinis interdū quæ futura sunt, ita narrentur, quasi iam fiant, aut quasi facta sint. Nos Christum ab inferis cum triumpho redeuntē cernimus oculis fidei. Ille propheticis oculis hoc cernebat ueluti factū, quod nihilo minus erat certum, quam si factum fuisset. Magnum erat erui ab inferno, sed maius quiddā indicare uidetur, quum ait ab inferno inferiori. Certe non temere hoc additum est, ab inferiori. Hæret hoc loco diuus Augustinus, deprecans ueniam ab auditoribus, si minus certa proferret de rebus incertis. Esse enim perdifficile de his liquido definire, quæ nec uidimus ipsi, nec manifesta scripturarum narratione didicimus. Nullus nostrum apud inferos uersatus est, ut uel mentiens argui possim, uel ab alio audire compertiora. Et tamen quoties incidunt in scripturis huiusmodi nodi, ut uitanda est pronunciandi temeritas, ita probata est inquirendi sedulitas. Hanc igitur ueniam, quam barbaricus ille populus tanto uiro non negauit, uos mihi concedere dignabimini. Non absurda sententia est, quæ inferos in tres dividit regiones, Vnam quæ ante Christi aduentum tenebat animas piorum, cum quiete expectantes redemptorem, Alteram quæ tenebat animas eorum, qui in fide quidem obdormierant, sed aliquid secum traxerant ex carnis inquinamentis, quod igne purgatorio excoqueretur, Tertiam quæ tenebat animas impiorum, iusto dei iudicio æternis cruciatibus addictas. In prima regione uidetur fuisse Lazarus & Abraham, nimirum in requie. In tertia diues ille uoluptuarius, discruciatus in flammis. Nec mea refert, si quis uelit animas ad tempus purgandas, ab ijs quæ sine spe redemptionis cruciantur non loco sed conditione discerni, nec alio torqueri igne, sed alio fine, Erūt igitur ueluti duo tartari, unus superior, alter inferior: Id propemodum liquet ex uerbis Euangelicis, quę referunt diuitem sublatis oculis uidisse Lazarum, utiq; superiorem: narrant & ingentem hiatum ita dirimisse regionem suppliciorum, à regione quietis, ut nec inferioribus esset ascensus, nec superioribus descensus ad alteram. Vtrunq; tartarum probabile est adisse animam Christi, superiorem, quem totum euacuauit, & inferiorē, unde liberauit omnes, quæ cruciatibus purgabantur. Etenim si Romanus Pontifex tot animas liberat ab inferis, quanto probabilius est, summum illum Ecclesiæ principem, fretum plenitudine potestatis diuinæ, cunctas à cruciatib. liberasse, exceptis ijs, quos diuina iustitia sempiternis supplicijs tradidit, nō purgandos, sed cruciandos? Nec defuerunt qui suspicarētur, animam Christi gustasse pro nobis dolores inferorū, quēadmodū hic gustarat mortē, uerū eam sententiā nō agnoscit ecclesia. Anima Christi debellatura descendit, non passura, prędatura, non cruciandа. Sed quomodo dicitur erui, qui captus nō est? Liberari nōnunq; dicitur & ille, qui seruatur à periculo. Sic medico consiliū qui dedit uitādę pestilētię dicimus, Liberasti me à morte. Sic qui nauclero procul ignē erigit, ne impingat in symplegadas, dicitur liberasse à naufragio. Sic eruit deus animam Christi ab infimis etiam inferis, quia nusq; teneri potuit, sed uictrix opima spolia retulit. Iam si quis dicat, quod in Euangelio refertur de Lazaro, parabolā appellari, fortasse quæret alium huius loci sensum, quē equidē non arbitror detrendū, modo ne molestus obstrepat aliorū piæ probabilię sentētiæ. Beatus Augustinus digerit uniuersitatē rerū in tres ordines, ut superi dicātur, qui uersantur in cœlis, ubi neq; mors est neq; peccatū, nec afflictio, nec tētatio, sed perpetua felicitas. Ad eū tametsi nos interim aspiramus, tamē q̄diu animæ nostræ degūt in hoc domicilio, quod Paulus corpus mortis appellat, dū dolēt, gaudēt, cupiūt, timēt, pugnāt aduersus concupiscentiā, periclitātur & interdū uelint nolint uincunt, quodāmodo apud inferos sunt. Vbi peccatū, ibi mors, ubi mors, ibi inferi. Circūspice miserias huius uitæ, & cōfer cū uita cœlitū, fateberis hic esse

tartarum

tartarum,ſed quem dicere poſsis ſuperiorem,ſi conferas cum eo,quo demigrant impiorum animæ.Siquidem ut nos cœlites uocamus ſuperos,ita qui tenentur illic,nos ſuperos appellant. Hoc commentum Auguſtinus hauſiſſe uidetur è Platonicis, etiamſi diſsimulauit errorem. Animas enim alibi commiſiſſe, quod immerſæ corporibus humanis luerent,alienum eſt à pietate. Cæterum animas ob corruptam Adæ peccato naturam, hic ea ferè pati,quæ Plato,& hunc ſequutus Maro tradidit de inferis,nec impie,nec abſurde dicitur. Habet ſuum quiſq; Rhadamanthum in pectore, patiuntur ſuas furias animi,criminum ſibi cõſcij. Sunt quos ſine ſpe reditus habet barathrum illud profundiſsimum, cuius nos quibus ignota ſunt hominum corda, neminem oporteat deſperare, cui diu uiuit. Sunt quorum commiſſa cruciatibus quibuſdam expiantur: ſunt qui eo profecerunt,ut uelut in campos Elyſios translati, dom[illegible]s carnis affectibus,in tranquillitate ſpiritus uiuant, iam nunc præguſtatione quadam fruentes cœleſtibus gaudijs, donec ſoluto corpore ſubuolent ad dominum. Et ab his inferis deus eruit animã Chriſti, quam nec ullo peccato paſſus eſt inquinari,& à laboribus huius uitæ,à cruciatibus & à morte reſtituit,et ab inferiori tartaro inuiolatam reduxit ad hos inferos,ſed immunẽ iam omnis mortalitatis ac denique glorioſam & immortalem,cum corpore immortali ſubuexit in cœlum,ubi ueri ſunt ſuperi. Hæc omnia mihi uidentur probabiliter diſſerta. Nec enim me mouet ille ſcrupus, quod in Pſalmo non habetur inferiori, ſed infimo. ἐξ ᾅδου κατωτάτου. Etenim ſi diſtinguis in hac uita gradus peccantium,inuenies plures inferos,& poſt mortem oſtendimus, non eandem eſſe conditionem inferorum. Et cœlum ſuos habet ordines. Vt igitur ſummus eſt deus,quo nihil ſublimius,ita infimus eſt tartarus,quo nihil eſſe poteſt à deo ſemotius. Nihil enim à ſummo bono longius abeſt, quàm ſummũ malum. Quiſquis obſtrictus eſt crimini,profecto apud inferos agit,uiuit ſub imperio diaboli, abſorptus eſt à morte,longiſsime receſsit à deo. Sed quoniã in hac uita nemo,ut dixi,deſperandus eſt,nobis quidẽ nondum eſt in inferno infimo,in quo nihil eſt boni, nihil non eſt mali,deo tamen eſt. Ab omnibus inferis deus eruit animam Ieſu. Nunc contemplemur uelut unam perſonam capitis aut corporis,& iuxta myſticam rationem,ut unam omnium carnẽ,ita omnium piorum unam eſſe animam,quam magna miſericordia liberauit à tot inferis, dum gratis condonauit nobis peccata,redemit à ſeruitute ſatanæ,non ſinit nos obrui tentationibus, dat uincere in cruciatibus,& ſi mori patitur,non patitur mortem eſſe perpetuam, etiam hæc mortalia corpora reuocaturus ad immortalitatis gloriam. Sentit anima Chriſti beneficium,quod ſingulis animabus impenditur, quemadmodum & adhuc quodammodo paſcitur ac refocillatur in membris ſuis. Quàm longe gẽtes erant à deo,dum uel nullum crederent eſſe deum,uel beſtias ac muta ſigna colebant pro deo, tam contaminate uiuentes, quàm erat illorum impia religio. An nõ tum in profundo tartaro uerſabamur? Iudæi qui uidebantur deo propiores,nónne in profundiſsimum barathrum deuenerant, quum occiderent filium dei? Et tamen tanta fuit miſericordia domini, ut ab his inferis tot animarum milia liberaret. Quid dicam de nobis,qui poſt baptiſmum toties reuoluimur in barathrum criminum,in adulteria,in homicidia,& tamen toties relapſas, per pœnitẽtiam miſericordia domini liberat animas noſtras ab inferno inferiori. Qui agnoſcit in quibus tenebris fuerit,celebret domini miſericordiam,dicens hunc uerſiculum, Confitebor tibi domine deus in toto corde meo,& glorificabo nomen tuum in æternum, Quoniam miſericordia tua magna eſt ſuper me,& eruiſti animam meam ex inferno inferiori,] ſiue ut diuus Hieronymus uertit,extremo. Nam & in Euangelio quidam conijciuntur in tenebras exteriores. Pugnauit pro nobis caput noſtrum, uicit nobis,oſtendit ſpem & exemplum præmij,ſed reliquit Eccleſiæ ſuæ perpetuam certandi materiã, Tradidit illi crucem ſuam,ſed eidem impertit opem ſuam, oſtendit certandi formam, fregit hoſtis uires non extinxit,exhibuit uictoriam,oſtendit coronam. Aduerſus hanc conflictationem dominus orat ſponſæ ſuæ uictoriam, Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me,et ſynagoga potentium quæſierunt animam meam,& non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.] Hæc in ipſo capite præceſſerunt,quando fremebant gentes, et populi conueniebant in unũ,aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius. Quid non tentauit Satanas per ſcribas & Phariſæos,per ſeniores & populũ,per Annam & Caiapham, per Pilatum & Herodem, per cohortem & milites,ut occiderent dominum; non hoc erat ſatis illorum impietati,ut occiſi

occisi nomen funditus abolerent? Atqui hoc erat nomen, in quo salutem assequuntur omnes, quicunq; saluí fiunt. Qui insurrexerant in dominum, an parcerent discipulis? Si patremfamiliâs appellarũt Beelzebub, filij non debent sperare mitiora. Si mundus, inquit, uos odit, scitote quod & me priorẽ odio habuit. Sed nolite timere pusillus grex, uestrum est enim regnum cœlorum, & confidite quia ego uici mundum. Quo fastu, quibus artibus, quibus minis mundus intumuit aduersus discipulos Iesu? Quantus erat fremitus Iudæorum, quantus tumultus gentium? Quod latinus uertit iniqui, Græce est non ἄνομοι, sed παράνομοι. ἄνομοι dicuntur exleges, quod magis cõgruit gentibus, παράνομοι, transgressores legis, quod aptius dicitur in Iudæos. Vnde diuus Augustinus legit, prętereuntes legem insurrexerunt super me. Sanctus Hieronymus ex Hebraica ueritate uertit superbi, quæ uox congruit ijs, quæ sequuntur, Et synagoga potentium siue robustorum inquisierunt animam meam. Initium omnis iniquitatis superbia, Lex iugum est, quod excutiunt, nec ferre dignantur superbi. Habebant gentes naturæ legem insitam cordibus eorum, & hac excussa, proruperant in omnem impietatem. Iudæi non excutiebant legẽ, sed præuaricabantur, studio legis aduersus legem pugnantes, & in eum, quẽ lex promiserat ac depinxerat, coniurantes. Nimirum hæc erat synagoga potentium, siue robustorum, et ideo ferocium. Turgebant gloria legis à deo datæ, penes illos erat arx religionis, tumebant scientia legis & prophetarũ, superbiebant iustitijs suis ac cęremonijs, Animos addebat templum dei iussu constructum, sacerdotium & uictimæ. His rebus robur collegerat synaga, ferox aduersus Ecclesiam dei, humilem & imbecillẽ in se, sed fortem ac potentẽ in deo corroboratore. Accessit ad robur etiam concordia. Quicquid potuerunt scribæ uersutia, pharisæi peritia, seniores autoritate, Annas & Caiphas muneris dignitate, populus clamoribus ac tumultu, id omne expeditum est in Christum, ac mox in apostolos. Homicidium fortuito commissum, solet leuiore plecti supplicio. At Pharisæi diu prementes animi malicią, quot cuniculis moliti sunt mortẽ Iesu? Quærebant illum occulte interficere. Vbi hoc consiliũ uicisset animi furor, quæsitus est prætextus, ut amore pietatis ac religionis uiderentur ad necem adegisse dominũ. Sic & Nero urbis incensæ inuidiam trãstulit in nomen Christianorum, sic obijciebantur illis maleficia & infanticidia. Nimirum hoc est quærere animam iusti. Sed magis in Iudæos quadrat, quod addit, Et non proposuerũt te in conspectu suo. Gentes enim non nouerant deũ, Iudæi nouerãt quidẽ, sed non proposuerunt eũ in conspectu suo, sed uocanti et inuitanti obuerterunt dorsum, auerterunt oculos, obturauerunt aures. Etenim si deũ patrem proposuissent in cõspectu suo, quomodo non ueriti fuissent illius occidere filiũ? Sed prauæ cupiditates ueluti lemæ obuersabãtur oculis illorum, ut deũ uidere nõ possent. Obuersabatur auaritia, obuersabatur autoritas, quam obtinebant apud populũ, obuersabatur uitæ dignitas, qua cæteris præminebant, aliaq; cõmoda, quę tueri malebant, q; intueri deũ. Quisquis oculos figit in deũ, nõ potest diu peccare, At qui auersus à deo sese permittit animi sui cupiditatibus, tandem in barathrum extremæ impietatis deuoluitur, in tantum excæcatus, ut sibi persuadeat, etiam sancte fieri, quæ sceleratissime designat. Dicunt Iudæi, hominem occidimus, deũ esse nescimus. Esto sanè, occidistis hominem, sed innocentem ac benemeritum, nec horruistis, quod horruit facere Pilatus, qui quæsiuit occasionem dimittẽdi innoxium, quod horruit uxor Pilati, & mulier & ethnica, sed uicit uestra malicia, quæ nisi prorsus excæcasset uos, potuissetis in Iesu perspicere quiddã homine maius, Si peperciss etis homini, per hominẽ peruenissetis ad deũ. A nobis, inquiũt, occisus nõ est, imò uos illum uestris uocibus occidistis, hoc sceleratius, quod dolis diu quæsistis animã illius, & iustum præsidẽ ad impij facinoris ministerium, improbis uociferationibus adegistis. Hæc erat querimonia capitis, hæc erat querimonia nascentis Ecclesiæ, quæ non solum principũ sæuitia, per exilia, cruciatus & mortes fuit crudeliter exagitata, uerumetiam per Iudęos, in seruitutẽ legis retrahere molientes, per hæreticos, Ecclesiæ retia uarijs dogmatibus rumpentes, per falsos fratres qui hoc crudelius persequebantur Ecclesiam, quod in illius sinu fouerentur. Quanq; autem non semper eadem est rerum humanarum facies, tamen ab exordio mundi usq; ad consummationem, corpus Christi clamat ad deum, Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentiũ quęsierunt animã meã, nec proposuerunt te in conspectu suo.] Nulla ætas non habet Herodes suos infantium trucidatores, nulla non habet Annas & Caiaphas

Caiphas,ſcribas & Phariſæos ſuos,etiam tranquilliſsimis eccleſię temporibus,nõ ſolum hoc turbulentiſsimo ſæculo,quo diſsidijs & opinionum & animorum ita diſciſſa ſunt re/tia,ut uix ab ijs,qui tenent apoſtolorum uices,reconcinnari queant,quod in Euangelio le/gimus feciſſe apoſtolos. Atq; ut hæc tempeſtas abſit, nunquam non tolerare cogitur Ec/cleſia intra ſinus ſuos,titulo Chriſtianos, uita Paganos. qui dum peſtiferis colloquijs & exemplis corrumpunt mores bonos,quanto plures quantoq; crudelius occidunt, quàm fecit Herodes,aut Nero? Quid enim potuit illorum ad extremum exaſperata crudelitas? nihil aliud quàm occidere corpus.Hi tot animas mittunt in gehennam. Proinde non de/flet martyrum mortes Eccleſia, ſed eas gaudijs celebrat, natales appellans: hic uero de/plorat amariſsimis lacrymis intra complexum ſuum ſuos filiolos, quos Chriſto genuit, trucidari. Super his plorans, lamentans & eiulans non recipit conſolationem, quia non ſunt. Nam totus ac uere perijt,quod quidẽ eſt in ipſo,qui crimen admiſit,crimẽ,inquam, quod occidit animam,quod illi uitam eripit deum.Intelligunt quid dicam, quicunq; ſunt uiua Eccleſiæ membra,qui gaudent quoties glorificatur unum membrum, ac diſcrucian tur,quoties offenditur,aut obfuſcatur aliquod membrũ. Siquidẽ in uiuo corpore, mem/brorum omnium conſenſus eſt,ſiue ut melius græci, συμπάθεια. Qui fieri poſsit igitur,ut hæc non diſcrucient animum hominis uere pij? Paulus ſubinde parturiens clamat, Quis ſcandalizatur & ego non uror? Quot auellunt à Chriſto, temulenti,aleatores, ſcortato/res,ambitioſi,maleficí? Non potes non uidere, quod nuſquam non ingeritur oculis. Si uides nec doles,non uiuit in te Chriſtiana charitas.Quin hunc tumultum quiſq; noſtrum in ſeipſo ſentit,niſi totus mortuus eſt. Beatus Paulus nullam relaxationis ſpem dedit in hac uita,neq; quenquam exemit ab hoc certamine, ſed omnibus qui uolunt pie uiuere in Chriſto Ieſu denunciat futurum, ut perſequutionem patiantur. Si ſentis,utiq; clamas,ſi non ſentis,non pie uiuis in Chriſto. Appello ſingulorum conſcientias, quis noſtrum eſt, qui non diſcruciatur, quoties aduerſus bonum propoſitum noſtrum cooriuntur impiæ cupiditates,uere παράνομοι,non obtemperantes legi, ſed excitantes nouã legem in mem/bris noſtris,repugnãtem legi mentis noſtræ? Si quis inficietur ſe nihil tale perpeti ſecum, quid aliud lucrifaciet, quàm impudentis opinionẽ,quum ipſe Paulus hoc certamen pro/feſſus,ac ueluti tędio uictus, clamet,Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mor/tis huius? Lex Dei dicit, Communica pauperi de tua ſubſtantia, ad uerſus hanc coori/tur auaritia reclamans. Immò rem quocunq; modo poſsis, auge.Lex dei clamat.Noli o/mnino reſiſtere malo.Sed reclamat ita, Perde hoſtem,ut fruaris uindicta.Clamat lex dei: uigilate & orate, ſed animo ad hæc properanti grauiter obſtrepit luxus, & huius comes ſomnolentia. Lex dei inuitat ad pudicitiam & continentiam, ſed inſurgit libido prorſus aliò ſtimulans.Et quis ſufficiat commemorandis omnibus affectibus,qui ueluti coniura/ti moliuntur in nobis Chriſtum occidere? Superbi ſunt & paranomi, qui cõtempto deo abducunt à præceptis dei, Synagoga ſunt, quia cupiditas cupiditatem adiuuat, poten/tes ſunt, quia deijciũt interdũ uiros fortiſsimos. Quàm ualidis machinis quatit animum noſtrum carnis libido,quàm uehementes impetus habet iracundia? Quò non mortalia pectora cogit auri ſacra fames? Quos arietes admouet ambitio? Aduerſus unumquemli/bet hoſtem tam potentem confligere durum eſt, quanto durius aduerſus talium agmen uel phalangem potius? Verum in his nemo deſpondeat animum, gaudeat potius,agno/ſcens in ſe ſortem piorum communem,et accinctus armis ſpiritualibus,fortiter pugnans clamet ad dominum hoc quem nunc tractamus uerſiculo:et qui Chriſto dedit uictoriam à morte,qui Eccleſiam ſuam tot fluctibus agitatam mergi nõ patitur, neminem noſtrum ſinet opprimi rebellione cupiditatum,ſi modo fiduciam in ipſius miſericordia,non in no/ſtris uiribus collocauerimus,nec auerterimus oculos noſtros à deo,ſed illum in omnibus propoſuerimus in conſpectu noſtro,illi offerentes corda noſtra, cunctasq; noſtras actio/nes ita moderemur, tanquam uerſantes coram oculis dei. Quod autem expoſuimus de Iudæis et regibus,deq; prauis cupiditatibus, poteſt & ad impios ſpiritus accommodari, quibuſcum eſt omnibus pijs aſsidua conflictatio, donec militamus in hoc tabernaculo. Sed quid petit hic clamator,tot inimicorum conſpiratione grauatus? Num exitium ho/ſtium? Nuſquam legimus in Euangelicis aut apoſtolicis literis, Eccleſiam oraſſe mortem perſequutorum hominum, ſed magis exemplo capitis orat pro perſecutoribus, ut con/

uertan

uertantur & uiuant, Pro diabolo non orat, quia nec interire potest, nec conuerti. Aduersus affectus carnis pugnat ac suspirat, hactenus uincens, ut illis non seruiat, non ut extinguat. Scit enim hoc non dandum, nisi post hanc uitam, & ideo optat dissolui & esse cum Christo. Cæterum pro hominibus quamlibet impijs, quam diu uiuunt orat, ut resipiscant à laqueis diaboli. Victoriam orat, sed si fieri possit incruentam. Ea demum læta uictoria, quum & qui uincit liberatur à molestia, & qui uincitur, liberatur à malicia. Tanta enim est domini misericordia, ut & persequutorem ad se trahat, per eos qui persequutionem patiuntur. Hanc ineffabilem misericordiam implorat antistes noster dominus Iesus, Et tu domine deus, miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ & uerax. Magna & multiplex misericordia sit oportet, quæ tantam superet maliciam, & pro tantis malis tantum bonorum reponat. Principio dominum Deum uocat, qui potest quos uult, exitio dare, sed pro immensa bonitate sua non uult mortem peccatoris, magis autem cupit omnes fieri saluos, quum nemini debeat salutem, uidelicet per Adæ peccatum corrupta generis humani massa. Nec arbitror ociosum, quod quinque uoces hic tribuit Deo, miserator, misericors, patiens, multæ misericordiæ & uerax. Quod latine est miserator, Græce est οἰκτίρμων. Ea uox competit illis, qui miseris ac miserandis opitulantur. Quod nobis est misericors, Græcis est ἐλεήμων. Quod nobis est patiens, illis est μακροθυμος, quæ uox declarat animi lenitatem, segnis ac lenti ad uindictam. Quod nobis est multum misericors, illis est πολυέλεος. Si quis uelit hac uocum congerie nihil aliud quàm exaggerari magnitudinem diuinæ misericordiæ, mea sententia non absurde dixerit. Nec tamen impia fuerit curiositas, hæc ita distinguere, ut miserator pertineat ad remissionem peccati originalis. Hic enim miseria uerius est, quàm malicia, Peccatum est, sed alienum, & huic obnoxij, ita sunt miseri, ut sint & miserandi. Vagiunt infantes, ac ploratu suo appellant miseratorem, & horum infelicitati subuenit Dei miseratio, per circuncisionem sub lege Mosaica, per baptismum sub Euangelica, Sine sua culpa perierant, sed sine sua opera seruantur. Alieno peccato mortui sunt, sed aliena fide reuiuiscunt. Miserator igitur est infantibus, misericors etiam ijs, qui adulti baptizantur, magis grauati suis peccatis, quàm Adæ. Iam quum omnibus sit paratus baptismus, tamen multi solent differre in extremum uitæ, seruientes interim cupiditatibus suis, quumque cunctos inuitarit ad Euangelij gratiam, tamen à Iudæis fere spreta est Dei benignitas, & à gentibus irrisum est Euangelium. Quid talibus debebatur, nisi extremum exitium? Sed hos quoque diu tolerauit Dei lenitas, si forte tandem resipiscant, & ad cor redeant. Est ille quidem præscius, qui mutaturi sint animum, qui non, & tamen tolerat, partim ut illustriorem reddat suam iustitiam, partim ut nos doceat lenitatem erga peccantes, de quibus certi non sumus, quando sint ad bonam frugem conuertendi. Iudæi tot seculis persistunt in cæcitate sua, & tamen tolerat illos dominus, quotidie per Ecclesiam suam inuitans ad regenerationem. Tolerat eosdem populus Christianus blasphemos in Christum, male precantes nobis omnibus, quum possit illos funditus extinguere si uelit. Magna paucitas est Iudæorum ad numerum Christianorum, non habent ciuitatem, non habent leges, non habent magistratus, aut principem, non habent arma, neque copias, possent uno die trucidari omnes, sed tolerantur in spem, quam nobis dedit Paulus apostolus scribens Romanis. Negat enim sic prolapsos esse Iudæos, ut conciderint, & arcanum aperiens amicis prædicat futurum, ut posteaquam plenitudo gentium intrauerit, resipiscentibus denuo Iudæis omnis Israel fiat saluus, iuxta uaticinium Esaiæ, Veniet ex Sion, qui eripiet & auertet iniquitatem ab Iacob. An non hæc admiranda domini lenitas? Si quis conuicium iaciat in hominem principem, ut subito rapitur ad supplicium, quàm atrocibus modis exanimatur? Et tamen interdum uere digneque dicitur, quod in principem dicitur. At Deus, cui debetur omnis gloria, tanta lenitate tolerat Iudæos, paganos & hæreticos, inuitans ad pœnitentiam. Miranda sanè lenitas, sed admirabilior est, qua quotidie tolerat Christianos, post acceptam baptismi gratiam, post gustatum bonum Dei uerbum, toties relabentes in omne scelerum genus, ostentui ha-

bentes filium Dei, & illius sanguinem pollutum ducentes, eumqúe, quod sanè in ipsis est, denuo crucifigentes. Nec in hos saltem uibrat fulmen iræ suæ iustissimæ, sed auersos reuocat, conuersos recipit remedio pœnitentiæ. Nec recipit semel atque iterum, quotiescunque ingemuerit peccator, recipit ac restituit. Habetis insignem Dei lenitatem, quam septuaginta uerterunt μακροθυμίαν, eam nonnulli uerterunt longanimitatem: μακρὸν enim longum, & θυμὸς interdum significat impetum atque ardorem efferuescentis animi. Vnde quidam ex Hebræo sermone, pro patiens, uertere maluerunt, lentus furore. Apud homines enim quamuis placidos, furor fit læsa sæpius patientia, at diuina lenitas inuincibilis est. Quam diu durat hæc uita, parata est misericordia, & si quando immittit hic afflictionem peccantibus, medicina uerius est, quàm uindicta. Nec uero solum miserator est erga paruulos, misericors erga adultos, & suis quoque sceleribus contaminatos, patiens erga recrastinatores ac subinde relabentes, uerum etiam πολυέλεος est erga resipiscentes, uel ex Iudaismo, uel ex Paganismo, uel ex sceleribus in Christianismo commissis, non modo condonans eis omnia peccata, sed insuper locupletans multis donis spiritualium gratiarum, centuplum reddens in hoc seculo, & insuper uitam æternam in futuro. Fratres dilectissimi, an non hæc largissima misericordia? Quid simile reperitur inter homines quantumuis placabiles aut misericordes? Hic memineritis, quod frequenter admonui, quicquid nobis remittit Deus, quicquid nobis largitur, misericordiam esse, ne perdamus munus, si non agnouerimus autorem muneris. Postremo loco posuit ueracem, quæ uox ad promissa Dei pertinet. Hæc enim omnia, quæ largitur nobis, non facit nostris meritis prouocatus, sed ita destinarat æterno suo consilio, prius quàm mundus oriretur, & ante tot annorum milia pollicitus est per prophetas sanctos, nec hactenus quicquam omissum est eorum, quæ promiserat. Nec dubitandum, quin eadem fide sit præstaturus, quæ promisit de consummatione mundi, de iudicio supremo, resurrectione & felicitate iustorum. Promisit autem, ut nobis augeret fiduciam. Siquidem ut dona, ita & promissa Dei nesciunt pœnitentiam. Natura uerax, etiam si nos negauerimus eum peccando, ipse seipsum abnegare non potest subtrahendo misericordiam, qui pollicitus est ueniam cuiuis resipiscenti. Ergo deus meus quum talis sis bonitate naturali, quum per prophetas tuos fidem tuam omnibus obstrinxeris, quum hactenus cœperis præstare promissa, me misso in mundum, ut mea morte restituatur genus humanum, Respice in me & miserere mei. Reluctatur tuæ bonitati pertinax Iudæorum malitia, ac mox totus mundus uniuersis machinis insurget aduersus Euangelium, extinguere studens regnum cœlorum. Ne respicias Deus cæcitatem illorum, sed in me respice, cui pollicitus es hæreditatem omnium gentium, & possessionem meam terminos terræ. Dixisti, Intende prospere procede & regna. Ecce adsum conflicturus cum hoste pro regno tuo, quod per me tibi uoluisti uindicare. Faue prælianti, da uictoriam, da imperium puero tuo, siue da potentiam filio tuo. κράτος enim, & robur significat & imperium. Robur conuenit certanti, imperium uictori. Hic enim est ille Dauid manu fortis, qui dilacerauit ora leonis & ursi, pro gloria totius Israelis, singulari certamine congressurus cum superbo Goliath, cuius fiducia erat in gladio, hasta & clypeo: hic autem uenit exarmatus gladio Saulis & galea ærea, loricaqúe: non enim assueuit dux noster talibus armis, nec in hoc uenerat, ut armis sibi pararet regnum huius mundi: sed aggreditur armatus fiducia nominis diuini. Orat igitur Dauid noster sub conflictum, cupiens totam uictoriæ gloriam asscribi Deo, Respice in me deus & miserere mei, da imperium puero tuo, siue filio tuo, Nam Græca uox anceps est παιδὶ, declarans uel ætate teneros, uel filium, uel famulum. Quicquid horum intellexeris, nihil existit absurdi sensus. Dauid adolescens fuisse legitur, quum adoriretur Goliath, sic enim habet historia regnorum. Erat autem adolescens rufus & pulcher aspectu. Et dominus iuxta carnem florenti erat ætate, quum adiret crucem. Iuxta mysticum sensum, uiride lignum erat, sicut ipse testatur, erat iuxta Pauli testimonium ille nouus Adam, qui sustulit ueternum, ac senium totius mundi, nimirum innouator omnis creaturæ.

Postremo

Postremo puer erat expers omnis maculæ doliúe. Erat & filius dei, non adoptione tantum, sed & natura. Erat minister ac seruus iuxta dispensationem ipsi creditam, legatus patris, noui testamenti minister, & peractor sacrificij, quod pater iniunxerat. Vt puer, caret omni macula, ut filius, nihil non impetrat, ut minister nihil omittit eorum, quæ mandauit pater. Ruffus erat, totus ardens igne charitatis, animosus, sed in nomine domini, pulcher aspectu, quia plenus gratia, quemadmodum habet alius Psalmus. Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Pulcherrimus erat in oculis patris, qui non semel testatus est in eo sibi complacitum esse. Neq; solum pulcher oculis dei, uerum etiam hominum ac dæmonum oculis, in quo nec Iudæorum rabies ullum crimen potuit inuenire, nec princeps huius mundi repperit quicquã, quod accusaret, & Pilatus homo profanus perspexit innocentiam, quam de illo professus est etiam Iudas proditor. In inítio Psalmi clamarat, ut deus inclinaret aurem, quo causam cognosceret: hic petit, ut oculos etiam ad hoc certamen deflectat, ut quod patris iussu gerebatur, in cõspectu ipsius gereretur. Beati quos deus dignatur aspicere, cuius oculi nõ sunt nisi super iustos. Quicunque potest ex animo & in spiritu dicere deo, Respice in me, iam iniustus esse desijt. Illud fortasse mouebit aliquem, qui congruat, ut implorata misericordia, mox postulet imperium, ac denuo sequatur, Et saluum fac filium ancillæ tuæ. Qui misericordiam orat, profitetur miseriã, & qui rogat ut saluus fiat, profitetur discrimen. Sed propius intuenti sermo nihil habet absurdi. Misericordiam orat ut uictoriæ laus uni deo tribuatur. Imperium postulat, ut labefacto regno satanæ, nascatur regnum Ecclesiæ. Rursus petit ut saluus fiat, hoc est, ut regnum Ecclesiæ sit perpetuum, nec aduersus hanc prævaleant inferorũ portæ. Quod si hic contempleris unum illum hominem, ex capite cunctisq́ue membris constantem, nihil erit quod offendat. Liberatur enim is dei misericordia, cooptatur in regnum cœlorum, seruatur ut perueniat ad brauium immortalitatis. Tum enim uera, solida, certaq́ue salus erit, quum Christus in unũ collectis omnibus membris suis tradiderit regnum deo patri. Hic nec securitas est, nec perfectio. Quæret fortasis & illud charitas uestra, quid sibi uelit, quod non satis habuit semel dixisse, puero tuo, sed adiecerit, saluum fac filium ancillæ tuæ: hæc enim clausula uidetur innuere, quod puerũ pro seruo posuerit, idq; more scripturarum infigere uoluerit iterando, & filium ancillæ tuæ. Iuxta mũdum discrimen est inter seruum & seruum, id quod indicat etiam Græcorum prouerbiũ, Δοῦλος πρὸ δούλου, & potest tibi seruus esse, qui nõ sit filius ancillę tuæ. Viliores sunt emptitij, uernæ chariores, ac propemodum pro liberis amãtur. Si placet iterationis tropus, intellige summam in Christo obedientiam: si placet gradus, ita seruus fuit Christus, ut idem esset filius dilectus & unice charus patri. Sunt qui ancillã interpretantur sanctissimam uirginẽ Mariã, quę profitendo se ancillam domini, concepit Iesum iuxta carnẽ. Hic sensus arrisit Augustino & Arnobio, nec uideo quur sit reijciendus, quũ sit & pius & uerus. Alij tamẽ malunt interpretari de Ecclesia, cuius filius an Christus dici possit nescio. Magis uidetur sponsus Ecclesiæ, cẽ filius. Nec tam hunc genuit Ecclesia, cẽ ipse genuit & condidit Ecclesiã. Synagogæ filius nõ absurde diceret, quod iuxta corpus humanũ natus est ex Iudæa, sub Iudaismo, quemadmodũ testatur & Paulus, de Iudæis loquens, Ex quibus Christus secundũ carnẽ. Seruiebat & Mosi lex ad tẽpus uoluntati diuinæ, dum pædagogi uice fungeretur, deducens ac præparans ad Christũ Ecclesiæ sponsum, Ancillæ uero cognomen melius congruit synagogæ, cẽ Ecclesię, quę sponsæ filiæq; nomine cohonestatur. Illa metu cohercebat, hæc gratia consolatur. Ioannes Baptista dixit, Qui habet sponsam sponsus est, et ipse dominus in parabolis aliquoties sponsi nomine seipsum indicat. Canticum Solomonis sub titulo sponsi, figurauit mysticum amorẽ inter Christũ et Ecclesiã: & Psalmo 44. dicitur Ecclesiæ. Audi filia & uide, & inclina aurem tuã. Et concupiscet rex decorem tuũ. Ac dominus noster Ecclesiam suã appellauit regnũ cœlorũ, cuius summã potestatẽ Christo traditã legimus. Sic enim ipse loquitur in Euãgelio. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Sed ubi potestas tradita corpori mystico? An non magnam potestatem dedit, quũ illis daret potestatẽ eijciendi dæmonia, pellendi uenena, sanandi morbos quoslibet? An non magna potestas tradita est, quũ diceret dominus: Quicquid solueritis super terrã, solutũ erit in cœlis: quicquid ligaueritis super terram, ligatum erit in cœlis? Rursum quũ inflans in eos, diceret, Accipite spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis peccata

remittuntur, & quorum retinueritis, retenta erunt? Tantum in hac uita. Quid simile habuerunt unq̃ huius mundi monarchæ? Sed maioris autoritatis est, quod in futuro promisit dominus, Quũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et uos super duodecim sedes iudicãtes duodecim tribus Israel. Et Paulus, Nónne, inquit, & angelos iudicabimus? Regnat itaq; Christus in sua Ecclesia, & in illo regnat Ecclesia, tam potens, ut nec inferorum portæ ualeant aduersus illam, nec Iudæorũ improbitas, nec tyrannorum immanitas, nec philosophorũ arrogantia, nec hæreticorũ peruicacia. Illa per Christum omnia uincit, triumphat, ac regnat. Hoc regnum quoniam nondum undiquaq; tranquillum ac plenũ est, ut dilatetur ac perficiatur, quotidie clamat Ecclesia, Adueniat regnũ tuum, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Quod igitur orauit Christus, quod orat totum Christi corpus, nihil uetat, quo minus unus quilibet oret Christianus. Da imperium seu robur puero tuo, & saluũ fac filium ancillæ tuæ. Cuius ancillæ, nisi Ecclesiæ? Hæc nos denuo genuit sponso suo, per lauacrum renascentiæ uerbo uitæ. Vnusquisque renatus in Christo Dauid est, fide fortis, innocentia decorus, uitæ nouitate adolescens. Vnusquisq; conserit manus cũ Goliath, eumq; deiicit, dum superat diaboli tẽtationem, uictaq; carnis concupiscentia, spiritu agitur. Qui uincitur affectibus carnis, in eo regnum habet diabolus, Qui ducitur in spiritu dei, in eo regnat Christus. An non præclarum regnũ est, imperare libidini, calcare auaritiam, subigere luxum, deiicere superbiam, contemnere mortẽ? Non ille maior est, qui occidit, sed qui superat. Occidebãtur martyres, sed moriendo uincebant, ac triumphum agebant de his, à quibus occidebantur. Rex eris, inquit ethnicus quidam, si te ratio rexerit. Imò Christianus quisq; rex erit, si illũ Christi spiritus rexerit. Quid enim possumus ex nobis, qui ne cogitare quidẽ aliquid boni possumus ex nobis? Proinde si quãdo spiritu facta carnis mortificaueris, ne tibi canas encomium, sed gratias age domino. Etenim si hoc imperiũ haberes ex te, quid opus erat quotidie clamare, da imperiũ puero tuo? Ergo Dauid quũ rogaret imperiũ, orabat ut ueniret Christus à prophetis promissus: & Ecclesia quũ idẽ orat, ut accipiat imperium, illud orat, ut in toto corpore suo uincat & regnet Christus. Hoc quum unusquilibet nostrum orat, petit ut cohibitis carnis affectibus agatur spiritu Christi, quum orat ut saluus fiat ancillæ filius, orat ut in Ecclesia perseuerans, uitam finiat in Christo, & ad eam perueniat uitam, ubi iam non periclitatur certator, sed coronatur uictor. Vult autem dominus adeo uictoriam esse illustrem, ut suo splendore perstringat oculos repugnantium, ac tandem uel inuiti resipiscãt, agnoscentes amentiam suam, uel pudefiant in æternum. Ad confirmandam autem Ecclesię suæ fiduciam, petit ut dominus faciat cum ipso signum in bonum. Multi signum petunt, sed in malum. Nec dicit fac mihi signum, sed fac mecum signum, ut intelligas esse signum confirmans pactum ac fœdus. Sic legimus quod dominus posuit irim, signum fœderis inter ipsum et terram, ut eo conspecto non expectarent rursus simile diluuium. Hoc ni datum fuisset, ad omnes nubes, & ad quamuis pluuiam trepidassent homines, qui Audierant prius diluuium. Et Abraham petijt signum à deo in bonum, quo certior esset promissio, sic multiplicandam ipsius posteritatem, ut stellis cœli posset æquari. Petijt & Moses signum & accepit multa signa, quæ tamen efficere nõ potuerunt, quo minus detractaret mandata dei. Obsecro, inquit domine, mitte quem missurus es. Et ob hanc diffidentiam iratus est dominus in Mosen. Achas iussus est petere signum à domino, & recusanti datũ est signum. Simile signum petijt Gedeon, & accepit. Quanq̃ nec is unico signo fuit cõtentus. Primũ signũ dedit angelus exustis sacrificij carnibus, ad quod expauit Gedeõ. Secundum iam conflicturus cum hoste, postulauit à domino, quoq; certior esset uictoriæ spes, iteratum est cum uarietate miraculum. Datum est & Abrahæ signaculum fidei circuncisio, quam in Genesi dominus signum fœderis appellat. Post multa signa quæ Moses ædidit coram Pharaone, quod uirga dissecuit mare signũ erat, quod nubes præcedebat interdiu, noctu colũna ignis, signũ erat, aqua è petra exiliens, & comitans proficiscentes signũ erat, Manna cœlo defluẽs, signũ erat, serpẽs in deserto sublatus in stipitẽ, signũ erat. Breuiter quęcunq; mirifice gesta sunt in ueteri testamẽto, signa sunt, & figura nostrorũ temporũ. Habet & Satanas sua signa, sed in malũ, etiam quũ uidentur data in bonum. Deus autẽ nullũ dat signũ nisi bonũ, quanq̃ interdũ nobis nostro uitio uertitur in malũ. Posuit dominus signũ super Caim hominem impiũ, sed tamen in illius bonum, ne quis illum

illum interficeret. Datum est impio uitæ spatium, ut resipisceret. Iudæi signa quærunt, ut scribit apostolus, nec tot insignis acceptis didicerunt fidere domino. Nam et ipsi domino dicunt, Quod signum ostendis nobis, quod hæc facis? Et flagitabāt signum è cœlo, quasi tot miracula quæ quotidie dabat dominus, nō essent satis signi. Quoniam igitur multitudine signorum, non ita multum profectū est, diffidentibus Iudæis, irridentibus gentibus, Pontifex ac Dux noster, conflicturus cum hoste, unum tantum petit signū, sed eximium, sed in bonum, utiq; credentibus, sed euidens & efficax, quod sublatum totum orbem ad se trahat. Fac inquit signum mecū in bonum. Da signū, quod & consoletur amicos, & pudefaciat inimicos. Hoc signū solus potuit dare deus. Quod aūt signū? Quod signū nisi Ionæ prophetę. Hoc signum promittit ipse dominus in Euangelio. Sicut Ionas fuit in uētre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita & filius hominis erit in corde terrę. Dictū est illis hoc signum, sed non intellectum. Idem signum alijs uerbis proposuit. Soluite templum hoc & in triduo restituam illud. Hoc signo semel confirmata fide totius Ecclesiæ, non est quod expectemus alia signa. Habemus signum Ionæ, Christum iuxta carnis infirmitatem mortuum, iuxta spiritus uirtutem resuscitatum. Habemus signum crucis, trophæum ducis nostri: habemus in Eucharistia symbolum æterni fœderis inter caput & membra. Verum hæc omnia unum sunt signum, nimirum ipse dominus Iesus, qui datus est in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum cui cōtradicitur à multis ad hodiernum usq; diem. In hoc signo absoluta sunt omnia signa ueteris testamenti. Verbū caro factum est, & habitauit in nobis, uisum est, auditum est, contrectatum est ab hominibus, occisum est in propatulo, resurrexit, assumptum est in gloriam, prædicatum est cunctis gentibus, creditum est mundo, Lucet, eminet, coruscat omnibus ad salutem. Tale signum nusq; legimus æditum in ueteri testamento. Nullus perit usq;, nisi qui ab hoc signo auertit oculos. Signum datum est in bonum, ne tua incredulitate tibi uertas in malum, quod euenit Iudæis, de quibus testificatur dominus, Si nō uenissem et loquutus fuissem eis, peccatum non haberent. Hoc signum iam erigi uolebat dominus iturus ad crucem, sitiens humani generis salutem, Hoc per uniuersum terrarum orbem inclarescere, ut uideant inquit, non solum diligētes me, quorum de numero erat Simeon ille senex, uerum & illi qui oderunt me, ut qui sermoni meo credere noluerunt, uelint nolint, uideant hoc signum euidentius, quā ut possit dissimulari: & pudeat saltē tali signo tam diu, tam pertinaciter repugnasse, Illi uideant ut confirmentur, hij ut conuertantur. Quod enim nos legimus confundātur, græcis est ἀισχυνθήτωσαν, q̄d magis sonat pudefiant. Felix erubescētia, quæ reuocat ab impietate, Erubuit, inquit senex ille Comicus, salua res est. Hoc rubore suffusus erat ille publicanus, qui procul stans nō audebat oculos in cœlū attollere: Sic erubuit filius ille profugus, qui reuersus ad se, ultro abdicat filij cognomē, quo se fatetur indignū, et ambit inter mercenarios habere locū. Sic erubuerūt multi Iudæi, qui per ignorantiā crucifixerant dominū: sic erubuerūt gentes, à simulacris et inquinatis moribus conuersæ ad Euangelicā lucē, In quibus nunc inquit Paulus erubescitis. Sic erubuit ipse Paulus, negās se dignū apostoli nomine, quod persequutus esset Ecclesiam dei. Feliciter itaq; pudefiunt, qui erubescunt ad pœnitentiā. Nec tamen omnes sanat pudor, sed quosdā indurat magis, si frontem perfricuerint. Quandoquidē & græca uox anceps est ad eum, qui suffunditur pudore, et ad eum, qui conuictus & redargutus probro afficitur. Frequenter cū ignominia recesserunt à domino Scribæ & Pharisæi, non habentes quod responderent, nec tamē erubuerunt ut resipiscerēt, sed perfricta facie, sumpserūt sibi frontē meretricis, ut pessimis artibus obstinatissime pugnarent aduersus manifestam ueritatem. Nec tum saltem erubuerunt, quum uiderent eum resurrexisse, quū uiderent post missum spiritum sanctum in nomine crucifixi sanari claudos, fugari dæmones, pelli morbos, excitari mortuos, quum inclarescente per orbem Euangelij gloria, uiderent frustratos omnes conatus suos, in diuersum recidere. Et ô miram & insanabilem impudentiam, Tot annis regnat toto orbe Christi nomen, nec adhuc erubescunt Iudæi. Probro grauantur, pudore non sanantur. Vt uideant inquit, & pudefiant. Vtinam hic pudefiant, ne pudefiant in æternum. Vident hoc signum, uelint nolint, ingestum est oculis omnium. Si uident & erubescunt, signum erit illis in bonum: Sin uident & insultant, quēadmodum maiores illorum insultarunt pendenti in cruce, subsannantes & mouentes capita sua, signum erit illis in malum. Vide- *In Adelphis*

bunt iterum hoc signum in cœlo, quum dominus ad iudicandum uenerit, uidebunt in quem compunxerunt, uidebunt in maiestate patris, quem hic omni contumeliarum genere prosequuti sunt. Illic pudescent in conspectu omnium gentium, & angelorum, sed pudescent in æternum, quia signum datum in bonum, sibi uerterunt in malum. Nec Iudęi solum ibi pudefient, sed omnes etiam principes, omnes philosophi, qui uiribus & ingenijs suis bellarunt aduersus hoc signum. Nihil illic erit occultũ. Conspiciẽt frustratã maliciam suam, conspicient uictoris gloriam, conspicient martyrum triumphos, quos hic exquisitis cruciatibus enecarunt, pudescent, sed sero, Pudescent omnes hæresiarchæ cũ suis gregibus, qui dum uiuerent, salubriter noluerunt erubescere, Quanq̃ & hodie quid aliud, q̃ probrum retulerũt, quicunq; dei domũ labefactare sunt adorti? Vbi Simon magus diuinitatis affectator? Vbi Cerinthus Christo detrahens naturam diuinam? Vbi Montanus pseudoparacletus? Vbi Valentinus monstrosarũ fabularũ artifex, ubi Marcion, ubi Basilides, nónne uicti obmutuerũt? Vbi Arius dissector, ubi Sabellius cõfusor sacrę triadis? Nõne pudefacti sunt, explosi sunt, prostrati sunt? Vbi Apollinaris humanã Christi naturam meliore sui parte spolians? Vbi portenta Manichæorum, ubi tumultus Donatianorum, nónne pudefacti silent omnes? Vbi blasphemus ille Porphyrius? Vbi Celsus æque blasphemus? Tot hæreseon species, tot tempestates coortæ sunt aduersus Ecclesiam armatæ philosophia, instructę eloquentia, quædam etiam fauore principum formidabiles. Quid obsecro, quid tantis tumultibus effecerunt? Pudefacti consilescũt omnes, & pudefient quotquot uel hodie sunt, uel in posterũ exorientur. Similiter pudefient mali Christiani, nisi hic properent erubescere. Apud nos nulli sunt ethnici, Iudæi aut nulli sunt, aut minimum molesti sunt, insaniunt in speluncis suis, & tamen Ecclesiæ frumentum tantum loliginis ac zizaniorum habet admixtum, ut nusquam non sint, qui pie simpliciterq; uolentem uiuere in Christo Iesu, rideant, circumueniant, spolient, opprimant. Vtcunq; ferendum erat, si gentibus olim Christi crux uisa est stultitia, si Iudæis fuit offendiculo, At quanto gemitu deplorandum est, quod per crucem redemptus, cruce signatus, crucẽ professus, deridet crucem? Deliros appellant, qui carnem macerant ieiunijs, miseros qui frugaliter uiuunt, dementes, qui nec ambiunt opes, & quod habent egenis impartiunt, Stultos qui fugitãt honorem huius mundi, fatuos, qui nullius lucri spe cuiq̃ uolunt imponere, Miseros, qui fugiunt inconcessas uoluptates, Asinos, qui sedulo obtemperant iussis superiorum, ignauos, qui non retaliant iniurias, Dementes, qui contempto mundo, totam spem suam ponunt in deo. Atq; interim illi feroces, ac suauiter agentes in delicijs, hi mœrentes, humiles & abiecti. Sed utinã tales propius atq; interius contemplentur, quos contemnunt, simul & seipsos uniuersos inspiciant, quæ lerna turpitudinum occupet animũ, qui cruciatus breui sint excepturi uoluptates nõ minus falsas, quàm momentaneas. Id si faciant, nimirum operietur ignominia facies eorum. Sed unde perspicient ut erubescant, ni deus aperuerit oculos eorum, quemadmodum aperuit oculos Adam & Euę? Simul atq; enim gustauerant de ligno interdicto, aperti sunt oculi eorum, nimirum à deo, prouocante ad pœnitentiam. Sic enim habet Genesis, Apertis oculis uiderunt se esse nudos & erubuerunt. Quanto magis oportet eos erubescere coram domino, qui uestem innocentiæ in baptismo datam abiecerunt, & nudi obambulant, non solũ nullis amicti uirtutibus, sed uitijs innumeris contaminati. Fratres spero uel nullos uel paucos tales interuos esse, tamen si qui sunt, eos hortor & obtestor per Christi charitatem, ut erubescant mature, dum prodest suffundi rubore, nec differãt uitæ correctionem in extremum halitum. Multos inopinata mors occupat, ut hoc non accidat, qui scis an tum deus sit aperturus oculos tuos? Nullus enim resipiscit quum uult, etiamsi nemo desperandus est, ante efflatam animam. Si conuerti non uis, quid tibi blandiris de sera pœnitentia? Si conuerti uis, & hoc tua refert, quur recrastinas? Quin potius hoc anno fit quod factu est optimum, quàm proximo, quur magis mense sequuturo, q̃ hoc ipso, quur non potius hodie quàm cras? Si periclitatur corpus, non differs medicinam, periclitatur totus homo ne pereat in æternum, & differs in dies, in menses, in annos. Contemplemur nos ipsos ad speculum doctrinæ Christi, uitæ Christi, aliorumq; sanctorum, & pudeat nos nostri. Videant qui nos oderunt, qui nobis moliuntur sempiternum interitum, & erubescant. Qui sunt, inquies, isti qui nos oderunt? An non capitalis inimicus est liuor, odiũ proximi, auaritia, super-

ſuperbia, luxus, libido, breuiter omnes carnis affectus? Quid aliud agunt, quid moliuntur, nocte dieq; niſi ut Chriſtum in nobis iugulent? Agamur ſpiritu Chriſti, & pudefient omnes eiuſmodi cupiditates cum ſuis fructibus. Simul erubeſcent impij ſpiritus carni noſtræ ſtimulos, uelut oleum camino, adijcientes. Qui hic nolunt ſuo bono erubeſcere apud deum & paucos homines, poſt hanc uitã fruſtra ſuo malo pudefiẽt, corã uniuerſitate ſanctorum omniũ. Quoſdam malus pudor deterret à cõfitendo, magis reuerẽtes hominem q̃ deum. Si pudet confiteri ſacerdoti, magis oportuit dei reuerentia deterreri à peccando. Quod auſus es facere coram oculis dei, pudet referre homini? At in corporis morbo pudorẽ excutit ſanitatis amor, in animæ diſcrimine, quanto magis id factum oportuit? Nec ſolum oportet erubeſcere de grauibus cõmiſſis, uerumetiã de leuioribus. Omne peccatum turpe eſt ac fœdũ, eoq; pudendũ. Pudet tuberis in fronte, aut næui in naſo, & non pudet otioſi ſermonis, aut riſus ſolutioris, aut ceſſatiũcula perditi tẽporis, quod poterat bene collocari? Sed quid uidebũt, quid erubeſcent iſti, qui male uolunt Chriſto? Quoniã tu domine auxiliatus es mihi, & cõſolatus es me. Clamabant Iudæi in Chriſtum uelut in deploratũ, & à deo pariter atq; hominibus deſtitutũ. Si filius dei eſt, deſcẽdat nunc de cruce. Sperauit in domino, ſeruet illum nunc ſi uult eum. Inſultabãt ut uictores uicto, uerum inuerſis rerum uicibus, uictus triumphat, uictor flet. Auxiliatus es mihi in certamine, conſolatus es uictoria. Conſolatio non eſt, ubi nulla præceſſit moleſtia. Geminus pudor occupauit Iudæos, uident adiutũ ope dei, quem putabant à deo deſertũ, uident glorioſum, quem putabant æternæ traditum ignominiæ. Deinde uident ſuas ſpes ipſis eſſe mẽtitas, iuxta illud: Mentita eſt iniquitas ſibi. Magis autem erubeſcent, quum filius hominis in maieſtate ſua ueniet, iudicaturus uiuos & mortuos. Quid ibi dicent Annas & Caiphas, quid ſcribæ & phariſæi, quid ſeniores, qui clamarũt, tolle tolle, crucifige? Quàm pudebit ipſos ſui, quũ audiẽt: Ite maledicti in ignem æternũ. Quid ibi dicet Nero, cæteriq; qui nullum immanitatis genus non exercuerunt in apoſtolos ac martyres Chriſti, ubi conſpexerint illos ſole ſplendidiores, ſocios & conſortes regni Chriſti? Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe, pœnitentiã agentes. Hi ſunt quos habuimus aliquãdo in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce computati ſunt inter filios dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Auditis admirabilem erubeſcentiã, ſed inutilem, auditis pœnitẽtiam, ſed ſeram. Auditis confeſſionem, ſed infrugiferã. Nam iuxta uulgi quoq; prouerbium: Fruſtra mortuo adhibetur medicina. Hic hic erubeſcamus amici: hic pœnitentiã agamus, hic cõfiteamur: maior pudor ueluti clauus clauũ, propellat minorẽ, hic ad tempus rubore ſuffundamur, ne confundamur in æternum. Tempus breue eſt, uita fugit, mors accelerat, cuiq; noſtrũ propior fortaſſe, q̃ ſuſpicamur. Dies ille ueluti fur in nocte ueniet. In hunc itaq; uigilemus, ne inopinãtes opprimat. Annotandum arbitror & illud in ſermone prophetico, quod dicitur, quoniã tu domine adiuuiſti me, & conſolatus es me, uictoriæ laudẽ non ſibi arrogat, ſed deo tribuit: Tu qui es deus ſolus, qui facis mirabilia ſolus, auxiliatus es mihi ſolus. auxiliatus es, ut miſerator. conſolatus es ut benignus, & multæ miſericordiæ & uerax. Tui muneris ſunt hæc omnia, tibi debetur omnis gloria. Latet interim auxiliũ tuum, latet & conſolatio nonnunquam, qua ſecreto mitigas aſperitatem afflictionum, unctione tui ſpiritus, ſed exitus certaminis docet, non hic fuiſſe præſidium aut ſolatium hominis, ſed tuum, quo protectore ſuperamus & carnẽ, & mundũ & diabolum. Hæc interim ſentiunt pij, non uident impij, ſed ueniet tẽpus, quum uidebunt, & erubeſcent, perſpicientes non eſſe auxiliũ niſi à domino, & beatos eſſe qui hic lugent, quoniã æterno fruentur ſolatio, quum deus abſterſerit oẽm lachrymã ab oculis eorũ, nec iam erit quod uel metuãt, uel doleãt, ſed perpetua ſecuritas, & gaudiũ perfectum, gaudiũ cordis & corporis nunc̃ auferendũ. At interim dum ambulamus in uia, ſpe felices potius q̃ re, cauẽdum eſt cuiq; noſtrum, ne ipſi deſimus auxilio ſolatioq; diuino, ſed cooperãtes gratiæ dei, pro ſua quiſque uirili demus operã, ut luceant opera noſtra bona coram hominibus, ut uideãt & glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Per uitam enim noſtram, uel infamatur uel glorificatur nomẽ dei. Non eſt nouũ quod loquor fratres. Paulus ita ſcribit Cor. iam Chriſti nomen profeſſis: Empti eſtis precio magno, glorificate & portate deũ in corpore ueſtro.

Sap. 5

1. Cor. 6

20 Rursum in Leuitico de eo, qui dederit de semine suo Moloch scriptum est, eò quod contaminauerit sanctuarium meum, & polluerit nomen sanctum meum. An non contaminant sanctuarium dei, qui turpiter uiuũt in Ecclesia dei? Ita polluunt nomẽ sanctum dei, qui quum titulo sint Christiani, tota uita contradicunt Christo. Quod in Iudæos impie uiuentes scripsit Paulus, multo magis conuenit in Christianos nomine, re mundanos.
Rom. 2 Qui in lege Euangelij gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras? Nomen enim dei per uos blasphematur inter gentes. Per nos uero, & inter Iudæos, & inter Paganos, & inter Christianos. Quid enim dicunt Iudæi Paganiúe, quum uiderint quorũdam Christianorũ uitam penè sceleratiorem, cꝫ tum fuit gentium? Ecce quales cultores habet ille deus, ecce quales discipulos habet Christus. Ecce quales filios gignit illa sponsa Christi. Si deus misericors est, quur illos non corrigit? Si iustus, cur sinit impune peccare? Hãc ignominiam inurunt sancto nomini dei, Christi & ecclesiæ, qui titulotenus Christiani, uita & affectibus plus quàm Pagani sunt. Nullum crimen atrocius blasphemia, at istorum blasphemia redundabit in caput eorum, qui causam dederunt. Quin ipsi blasphemias iaciunt in deum si non dictis, certe quod est sceleratius, factis. Id quidem ad omnes pertinet Christianos, sed præcipue ad illos, qui primas tenent in ecclesia. Nam hos ceu lucernã in cãdelabro posuit dominus, ut luceãt omnibus, qui in domo dei sunt, quæ est Ecclesia: imò luceant etiam ijs, qui sunt extra domum, ut ingrediantur. Nam Paulo non est satis, si episcopus habeat bonum testimonium ab his, qui sunt intus, ni habeat & ab his, qui sunt foris. Christianus diceris, glorifica nomen quod geris, & quo tu gloriaris, fac ut uicissim in te glorietur. Episcopus es, Christi uicem geris, ne dedecora nomẽ illius, cuius titulo superbis, sed glorifica nomen sanctum illius. Glorificabis autem, si populus è uita tua conspexerit in te habitare Christum, si te uiderit in laboribus indefatigabilem, in tentationibus inuictum, in persequutionibus alacrem, paratum & animam pro illius ouibus ponere, tum improbi quoqꝫ qui prius oderant te, uidebunt & erubescent, perspicientes quod dominus auxiliatus sit tibi in conflictu malorum, & consolatus sit te, certissima spe futuri præmij. Quis enim ista toleret propríjs uiribus. Aut quis in his non solum constans & fortis, uerum etiam alacer esse possit, nisi adsit solatium spiritus, & spes quæ non pudefacit? Vincamus in bono malum, ac iuxta beati Petri doctrinam, benefacientes obmutescere faciamus impudentum hominum insipientiam, ut uel resipiscant à malicia, uel saltem pudefiant apud sese. Dicet mihi fortassis aliquis uestrum, quæ sunt ista, quibus glorificemus deum, & homines improbos ad pudorem adigamus? Paulus compendio nobis hoc ac dilucide monstrat, scribens Romanis: Qui tribuit, inquiens, in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odio habẽtes malũ, adhærentes bono, charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, solicitudine non pigri, spiritu feruentes, domino seruientes, spe gaudentes, in afflictione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicãtes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos, benedicite & nolite maledicere, Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud uosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona, non solum coram deo, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest, quod in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non uosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi uindicta, & ego retribuam dicit dominus. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones igneos congeres super caput eius. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Habetis uelut in tabula depictam hominis Christiani formam ministerio Pauli, sed afflatu spiritu sancti. Non hęc proprie scripta sunt Episcopis, non sacerdotibus aut monachis, Scripta sunt citra discrimen Christianis omnibus, summis pariter atqꝫ infimis. Nunc quoniam iuxta quod idem Paulus scripsit Corinthijs: Spectaculum facti sumus deo, angelis & hominibus, ponamus ob oculos theatrum nostrum, & consideremus in una theatri parte sedere gentem Iudaicam, in altera Paganos, aut Turcas, aut Machumetanos, aut si quod aliud est hominum genus alienũ à Christo. In tertia, schismaticos aut hæreticos. In quarta, homines mundo deditos, affectibus corruptos potius, q̃ dogmatibus. In quinta, infirmos, hoc est, uel lactentes adhuc in Christo, uel languentes. In sexta perfectos. In septima, su-

perne

perne dominum Ieſum Chriſtum cum angelis ac piorum animabus, ſpectantem uitæ no
ſtræ fabulam, In octaua, inferne ſatanam cum impia cohorte dæmonum, obſeruantẽ exi-
tum certaminis, In medio pone uere Chriſtianum, hęc conſtanter & alacriter pręſtantem
quæ Paulus docuit, nónne ſibi diſplicebunt mali omnes, nónne pudefient, & agnoſcent
in illo ſignum datum in bonum, agnoſcent diuinam opem, & conſolatorẽ ſpiritũ, & qui
ſunt in his ſanabiles, ueluti carbonibus uiuis in caput omnium congeſtis, inflammabun-
tur ad amorem dei, qui tales habet famulos? Imbecilles excitabuntur ad ſtudium pieta-
tis, perfecti ſpirituali lætitia perfruentur, glorificantes in illo nomen domini. Satanas in-
uidia rumpetur, uidens & in famulis ſuis agere ac uincere Chriſtum. Chriſtus agonothe-
ta cũ omnib. ſanctis, quos iam recepit in tutũ, gaudiũ aget in cœlis, ueluti renouato mor
tis ſuę triumpho, quemadmodũ deus in myſticis literis gloriatur de ſeruo Iob aduerſus ſa
tanã. Nondũ enim conſummata eſt capitis gloria, et perfici deſiderat collecto toto corpo
re, Optat idem Eccleſia militans, optat triũphans. Gaudiũ itaq; cõmune eſt omniũ. Rur-
ſus in eodẽ theatro ponite Epiſcopum, ſacerdotem, monachũ, aut quemcunq; Chriſtia-
nũ impie uiuentẽ, cultorẽ mãmonæ, inhiantẽ honorib. indulgentẽ luxui & libidini, ſu-
perbũ, uindicẽ, iracundũ, implacabilem, auerſum ab omnib. quæ ſunt ueræ pietatis. An
non hic uidebis prorſus aliã theatri faciem? Paganos & Iudæos blaſphemias iacere in
Chriſtum, hęreticos & ſchiſmaticos in ſua prauitate cõfirmari dicẽtes, quid nobis cũ tali
Eccleſia, quæ Chriſtum non habet? Excommunicant nos ac tradunt ſatanæ, qui toti ſunt
dediti ſatanæ. Quid malis Chriſtianis, an non exemplum animos addet ad licentius pec-
candũ, pręſertim ſi qui uerſatur in ſcena, pręmineat Eccleſiaſtica dignitate? Quid infirmi,
nónne grauiter offendentur & pertrahentur ad ruinam? Denique exultabunt & inſul-
tabunt inimici ſpiritus, mœrebit ſanctorum cœtus, & Chriſtus quodammodo pudefiet
in nobis uincente ſatana. Abſit uocũ calumniator. Si totum Chriſtum conſideres, adhuc
gemit, ſuſpirat, offenditur, erubeſcit, dolet. Hæc quũ ſic habeant fratres chariſsimi, ſtudea-
mus opitulante dei gratia, glorificare nomen domini, quod profitemur, ne ſignũ quod no
bis deus dedit in bonũ, noſtra culpa uertatur in malũ. Simus bonus odor deo in omni lo- 2. Timoth. 2
co, perſiſtamus in fundamẽto dei, quod iuxta Paulũ ſtat firmũ, habẽs ſignaculũ hoc. Co-
gnouit dominus, qui ſunt eius, & diſcedit ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen domi
ni. Inuocat autẽ omnis, qui uere Chriſtianus eſt. Ergo qui Chriſtianus dicitur, nec cona-
tur ab iniquitate recedere, is nec ſtat in fundamẽto, & mendax habet ſignaculũ: aut ſi non
habet mendax ſignaculum, certe mẽdaciter habet, de illius nomine glorians, quẽ ſua uita,
quantũ in ipſo eſt, dedecorat, & oſtentui habet deũ ac filiũ eius unicũ Ieſum Chriſtũ. Cer
temus fortiter armati fide, habemus auxiliantẽ deũ, certemus alacriter, habemus eũdem
conſolatorẽ, quẽ habemus Agonothetã. Teneamus ſignũ militiæ noſtræ, ſignũ bonũ, ſi-
gnũ triũphale, ſignũ aduerſario formidabile, ſi non in ueſte tantũ geſtemus, ſed in pecto-
re. Appareat crux in fronte, ſed magis appareat in uita. Ibi terret aduerſariũ, ibi fugat, ibi
uincit. Quò ſecurius pugnemus, maneamus in phalãge, maneamus intra mœnia, manea
mus in arce. Hęc eſt inexpugnabilis eccleſiæ ciuitas, de qua Pſalmus proximus loquitur,
Fundamẽta eius in mõtibus ſanctis, & de qua canticũ nouũ promittit Eſaiæ uaticiniũ, ca
nendũ nõ in terra Babylonis, ſed in terra Iuda, hoc eſt, profitentiũ totã hominis ſalutẽ de-
beri deo. Quod aũt canticũ? Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, ſaluator ponetur in ea murus
& antemurale. Sion in ædito eſt, unde Hebræis ſpeculã ſonat. Hanc nobis ædificauit Da-
uid noſter, huic ipſe eſt & murus & antemurale, murus adiuuans in cõflictu, antemurale,
gratia ſua præmuniens ante conflictũ. Ac dictu mirũ cẽp totum huius cantici argumẽtum
conſentiat cum Pſalmo præſenti, qui ut iam intelligit pietas ueſtra, depingit nobis Chri-
ſti uictoriam. Deuictum ſatanam, abolitam idololatriam. Gentes ad Euangelij gratiã re-
ceptas, Eccleſiæ gratulationem, deuictis ac pudefactis omnibus, qui aduerſus hanc mo-
uerant arma, totam huius rei laudẽ aſſcribi deo, qui in nobis pugnat pro nobis, robur ad-
dens in cõflictu, ſolatium impartiens in afflictionibus. Pſalmus hic dicit, Venient & ado
rabunt coram te domine. Canticum dicit. Aperite portas, & ingredietur gens iuſta, cu-
ſtodiens ueritatem. Vrbs hæc uocatur Sion, id eſt, ſpecula, & Pſalmus dicit, Quoniã ad
te leuaui animã meã. Pſalmus habet, Non eſt ſimilis tui in dijs domine. Canticum habet,
Vetus error abijt, & in Pſalmo gens Chriſti ſanguine iuſtificata canit in Iuda canticum

deo

deo, Magnus es tu et faciens mirabilia, tu es deus solus. Psalmus habet, Deduc me domine in uia tua, & ingrediar in ueritate tua. Canticū respondet. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Psalmus habet, Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Canticum respondet, Et in semita iudiciorum tuorum domine sustinuimus te, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animę. Psalmus habet, Saluum fac seruum tuum sperantem in te. Canticum accinit, Seruabis pacem, pacem quia in te sperauimus, speraſtis in domino in seculis æternis, in domino deo forti in perpetuum. Psalmus dicit, Fac mecum signum in bono, ut uideant qui me oderunt & confundantur. Quid canticum? Domine exaltetur manus tua, ut non uideant, uideant & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret. Psalmus habet, Da imperium puero tuo. Canticum ita respondet, Quia incuruabit dominus habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usq; ad terram, detrahet eam usq; ad puluerem, conculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum. Et in Psalmo se pauperem atq; inopem profitetur, qui petit imperium. Videtis ut totus Psalmus cantico concinit, Quid mirum, quum utrunq; dictauerit idem spiritus? Huiusmodi spiritualibus delicijs liberet diutius immorari, sed non onerabo pluribus infirmiores. Fidamus ex animo deo, spem figamus in Christo, leuemus animas ad deum, ambulemus in uia dei, progrediamur in ueritate dei, cum gaudēte timore, cum tremente gaudio, cum alacritate spiritus, cum sollicita cautione, ne relabamur in ea, quæ detestati sumus. Maneamus in Christo, sub illius signis militemus, illo auxiliāte uincamus aduersarium, nihil nostris uiribus arrogantes, sed omnem laudem attribuētes misericordiæ diuinæ, Vita factisq; Christum exprimamus, ut per nos pudefiant, & si fieri possit etiam conuertantur, qui prius oderant nomen illius, cui uni cum patre et spiritu sancto debetur omnis laus, honos, gloria & imperium in sempiterna secula, Amen.

CONCIONIS FINIS.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC D. D. CHRIstophoro episcopo Basilienſi Def. Erasmus Rot. S. D.

SAcello quod perquàm elegans tua ueneranda pietas Misericordijs dominicatum instituit, nos misericordię Encomium consecrauimus, nec ulla in re libentius paruimus uoluntati tuæ præsul integerrime, cui semper paremus perlibenter. Nullum enim argumentum magis congruebat uel isti tuæ pietati, qua uehementer cupis uniuersos mortales per dei misericordiam salutem consequi, uel huic seculo longe corruptissimo. Nimirum in tanto miseriarum diluuio conueniebat omnes ad asylum diuinę misericordię cohortari. Hanc operam eo libentius tuo iussu suscepimus, quod reputaremus nos simul & tuæ sanctissimæ uoluntati gratificaturos, & deo rem non ingratam facturos. Vtinam autem & apud homines tantum ualeat studium utriusq; nostrum, ut nostro hortatu quàmplurimi pristinam abijcientes malitiam, ambiant domini misericordiam. quæ tuam uenerabilem senectutem semper fouere dignetur. Basileæ. IIII. Calend. Aug. ANNO M D XXIIII.

DE MAGNITVDINE MISERICORDIARVM DOMINI CONCIO DES. ERASMI Roterodami.

Propositio



VOniam hodie de magnitudine misericordiarum domini uerba facere constitutum est, fratres ac sorores in domino charissimi, sine cuius præsidio nihil omnino potest humana imbecillitas, communibus uotis imploremus Domini communis misericordiam, quæ sic moderetur organum linguæ meæ, sic afficiat animos uestros, ut quemadmodum ipsi per misericordiam Domini discedemus cœlesti gratia locupletiores, ita in suum quisq; proximum largius effundat officia misericordiæ. Nonnullis mos est hic salutare uirginē matrem

Inuocatio

trem cui non inficiamur ubiq; plurimum honoris deberi, uerũ ad id quod nunc agimus uidetur magis appositum, si me sequamini sic uobis præeuntem.

Aeterni patris omnipotens sermo Iesu Christe, qui pollicitus es te interfuturum, ubicunq; duo tresue conueniissent in tuo nomine, uides quàm hic multi in tuo nomine conuenerint: digneris igitur iuxta tuum promissum huic intereſſe cœtui, ut sancto tuo spiritu, per omnium corda diffuso, plenius intelligant misericordiæ tuæ magnitudinem: quo simul & alacrius gratias agamus omnes pro misericordia, quam toties experti sumus, & auidius imploremus eam in omnibus nostris necessitatibus: postremo ut domini nostri misericordiam, quam ampliter in nobis experti sumus, conserui in conseruos pro uiribus æmulemur. Amen. Quod si iuxta rhetorum præcepta, ea quisq; solicitus & attentus audit quæ intelligit uehementer ad se pertinere: non oportet quenquam uestrum in hoc sermone dormitare, quandoquidem omnibus ex æquo salus pendet ex Domini misericordia. Neq; quisquam est tam infans aut tam senex, tam plebeius aut rex, tam pauper aut dives, tam seruus aut liber, tam doctus aut indoctus, tam peccator aut iustus, quin & expertus sit in se domini misericordiam, & ad omnia quæ recte conatur, egeat domini misericordia. Quod autem argumẽtum fauorabilius tractari potest, quàm omnibus per dei misericordiam esse paratam salutem æternam? Aequum est igitur, ut in hac concione, quotquot adestis, præbeatis uos non solum attentos, uerum alacres etiam ac lubentes. Nam sibi quisq; fauerit, quisquis huic fauerit orationi. Inter multa mala, quæ genus humanum pertrahunt in æternum exitium, duæ præcipuę pestes sunt, & capitales, à quibus in primis oportet cauere quibus cordi pietas est, quiq; desiderãt ad æternæ felicitatis consortium peruenire. Eæ sunt, fiducia sui ac desperatio, alteram parit mens elata aduersus Deum, quam excęcauit amor sui: alteram gignit hinc perpẽsa criminum admissorum magnitudo, hinc diuini iudicij seueritas absq; recordatione misericordiæ. Vtrunque malum tam pestiferum est atq; execrandum, ut à multis dubitatum sit, utrum altero sit detestabilius. Quid enim insanius aut deploratius, quàm hominem, qui terra est ac cinis, qui quicquid est, aut potest, id totum debet diuinæ beneficentiæ, cornua tollere aduersus eum à quo conditus est, à quo redemptus est, à quo tot modis ad æternæ uitæ cõsortium inuitatur? Ingratitudinis est, eum contemnere, unde tantum beneficiorum acceperis: dementiæ est, ei uelle rebellare, qui nutu potest perdere. Impietatis est, non agnoscere conditorem, non uereri parentem, non amare seruatorem. Ausus est hoc primũ infelix Lucifer, qui sibi uindicãs, quod à deo gratis acceperat, dixit in corde suo: In cœlum conscendã, supra astra dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Atq; utinã mortales saltẽ huius infelix ruina deterreret ab imitatione nefarij exempli, si nõ ipsa deterret impietas. Et enim si deus superbientibus angelis non pepercit, sed in tartarũ præcipitatos, ac æternis uinculis astrictos tradidit seruãdos supremo iudicio, quid merebitur homo uermiculus, qui ut modo prorepsit è terra, ita mox est in terram uertẽdus, si erigat cristas aduersus deum? Quo deiectior est hominis conditio, hoc detestabilior est arrogantia sibi cũ deo æqualitatem affectantis. Proditum est ueterum fabulis, ortam olim inter deos seditionem, quæ Iouem ipsum compulerit relicto cœlo fugere in Aegyptum, atq; illic aliena specie latitare: sed sceleratius erat, quod moliti sunt terrigenæ gigantes, qui cõiurati aduersus Iouem, montes imposuere montibus, ut expugnato cœlo Iouem ex arce depellerent. Meritò ridetis, prophanæ sunt fabulæ quas auditis, sed tamen erudita uetustas huiusmodi fabularum inuolucris aliquid significare uoluit, quod ad hominũ mores exprimendos pertinet. Salmoneus in Tartarum præcipitatus est, quod Iouis fulmen ac tonitruum imitaretur: sit sanè fabula, sed quot fuere mortales homunculi, qui re ipsa ac serio sibi diuinos honores postularunt? Nónne Nabugodonosorem, qui se Deum fecerat, Deus uertit in brutam bestiam, ut ex pecude rediret in hominem? Alexander Magnus Iouis filius haberi uoluit, seq́ue in conuiuijs passus est adorari. Domitianus Cæsar in omnibus diplomatis & epistolis, atque etiam sermone Deus ac dominus appellari uoluit. Adrianus Antinoo suo diuinos honores instituit. Quid autem hæc commemoro, quum solenne fuerit apud Romanos, Imperatores suos posteaquam homines esse desierant, facere deos? Quibusdam etiam uiuis diuini honores habiti sunt, quos oblatos admittere impie dementiæ est? usur-

Attentio

Beneuolentia

Confidentia

Desperatio

Esaiæ 14

2. Petri. 2

usurpare, deploratę cæcitatis. Si leuis est historiarũ autoritas, audiamus quid Paulus apostolus Thessalonicensibus scribat de Nerone, sic enim interpretantur quidam, Et reuelatus, inquit, fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur deus, & quod colitur, ita ut in templo dei sedeat, ostendens se tanq̃ sit Deus. Sed fortasse mirum non uidebitur, si qui boues, simias, canes, et his uiliora, saxa muta, lignaq̃ pro dijs uenerabantur, se pro dijs haberi uoluerint, nimirum his rebus longe præstantiores, quibus populus diuinos honores tribuebat. In Actis Apostolorum Herodes nõ ignarus unum esse Deum, cuius honos esset incommunicabilis, passus est sibi acclamari in concione: Dei uox, non hominis. Mox ab angelo uindice percussus miserabilis ille deus pediculari morbo perijt, quo non alius uel fœdior uel crudelior, Atq; utinam non essent inter Christianos, qui Luciferi impietatem imitarentur, non enim dicam uincerent. Quid? An expectatis hic, ut aliquid proferam ex arcanis cõfessionibus? Quid autem opus, quum in quibusdam regionibus in foro, in templis, in conuiuijs, in lusibus, passim audiamus peierari per adorandum nomen dei. Leue est quod dixi, audimus abiurari nomen dei, manifestis conuicijs affici sanctum nomen Christi, præmorso indice, minas intendi in deum: pollice inter indicem & medium digitum porrecto, hoc fieri aduersus deum omnis gloriæ fontem, quod in hominẽ extremæ ignominiæ, contumeliæ gratia fieri consueuit? An non comperiuntur inter Christianos, si tamen hi Christiani uocandi sunt, qui ob mox relinquendas opes, aut fœdam corporis uoluptatem, aut momentaneos honores deserto principe suo, fœdus impium pangunt cum hoste Satana, cõceptis uerbis semel abiurantes quicquid interceserat fœderis cũ Christo, & sui corporis primitias inferis immolantes, quorũ principi totam animam suam deuouerant? Hæc cõperta uidemus publicis supplicijs expiari. Quid simile fecit Lucifer? Nõ pro illo mortuus erat dei filius, nec tamẽ ausus est blasphemias iacere in deum, tantũ affectauit honoris æqualitatem. Infelix illa regio, quondam quinq̃ ciuitatibus potens, nunc pestilens & abominandus lacus, pro dulcibus Iordanis aquis tetrum ferens bitumen, nec horrendi exempli memoriam sinens apud posteros intermori, homines habebat luxu libidineq̃ perditos. Cæterum neminem illorum legimus eò progressum impietatis, ut deum incesseret cõuicijs, ut male precaretur, ut minitaretur. Et tamen illi sulphurea pluuia funditus interierũt omnes. Et ó rem detestabilem, inter Christi nomen professos inueniuntur, qui audent, quod non ausus est Lucifer, quod non ausa est Gomorra, inueniuntur inquam, qui tam abominandis malis etiam blasphemiæ malum adiungunt. Video uos fratres charissimi ad horum commemorationem inhorrescere, nec mirum, & ipse commemorans toto corpore simul & animo perhorresco, sed tamen hic sermo non solum eò conducit, ut declaremus quantum malum sit, desperatio ueniæ, uerum etiam quàm immensa sit dei misericordia, cuius hodie suscepimus Encomion, quæ tales etiam homines tolerat, ac differt ad pœnitẽtiam. Ac fortasse nobis placemus quod inter nos rara sunt exempla criminũ quæ modo commemorauí, sed quid refert, si lingua nõ sonet blasphemiam, quum multorum tota uita nihil aliud loquatur, quàm blasphemias in deum? Qui gulę seruiunt, uentrẽ pro deo colunt, qui sine fine per fas nefasq̃ congerendis opibus inhiant, qui per cædes, proditiones, ueneficia, magicas artes grassantur ad honores, qui tyrannide pauperes opprimunt, qui ut suo obsequantur animo, bellorum incendijs miscẽt orbem, nec in his tantis malis perseuerantes erubescunt aut resipiscunt, sed sumpta fronte meretricia, gloriantur etiam in rebus pessimis, irridentes interim piorum uitam, nónne isti factis ipsis loquuntur, non est deus, &, uana sunt dei promissa, inanes sunt dei minæ, mendax est Euangelicus sermo, beatitudines cœlorum tribuens his qui hic lugent, qui sitiunt & esuriunt iustitiam, qui mites sunt, qui persecutionẽ patiũtur, qui maledictis incessuntur ob iustitiam? Hac blasphemia quid esse potest detestabilius? Et tamen si quid esse potest peius eo quod pessimum est, omni lerna scelerum peior est desperatio. Impius uidens sibi impune licere quicquid libet, elatus rerum successu, dicit in corde suo: Quomodo scit deus, & si est scientia in excelso? Non sunt illi curæ res mortalium. Porrò quemadmodum minus iniurius est in hominem, qui nõ credit illum esse, quàm qui credit illum esse crudelem aut uanum: ita leuius impij sunt, qui prorsus negant esse deum, quàm qui credunt illum esse inexorabilem, spoliantes eum ea uirtute, sine qua reges iam non reges sunt, sed tyranni. At quis

quis

Blasphemia

Palam mala uita blasphemia est.

Desperatio

Psal. 72

quis abiecta spe ueniæ, deiicit sese in desperationis barathrum, is non solũ non credit Deum omnipotentem, existimans aliquod esse flagitium, quod ille nõ possit diluere, uerum etiam facit illum mendacem. Pollicitus est ille per prophetam se protinus commissorum omnium fore immemorem, simul atq; peccator ingemuerit, Contrà, Caina posteritas dicit: Maius est peccatum meum, quàm ut ueniam merear. Quid ais impie? Si deus uictus magnitudine peccati, non potest ignoscere, detrahis illi omnipotentiam: si non uult, quod potest, mẽdax est et uanus, qui nolit præstare, quod toties promisit per ora prophetarum. Infinitum est, quicquid in deo est. Tria sunt autem in illo præcipua, summa potentia, summa sapientia, summa bonitas. Quanquàm autem potentia solet asscribi patri tanquam peculiaris, sapiẽtia filio, bonitas spiritui sancto: tamẽ nihil horũ est, quod nõ sit omnib. personis exæquo commune. Summam potentiam declarauit solo nutu condito hoc opere mirabili, cuius nulla pars est non plena miraculi, ipsis etiam culicibus & araneis clamitantibus opificis immensam uirtutẽ. Rursus quum diuidit undas maris rubri, dum cohibito Iordanis defluxu pediti reddit peruium alueum: dum pugnanti Iosue sistit solem ac lunam: dum contactu sanat leprosos, uoce defunctos ad uitam reuocat, se naturę dominum ostendit. Porrò dum quæ inenarrabili potentia condidit, pari sapientia conseruat & gubernat, demonstrat sese non minus esse sapientem, quàm omnipotentem. Quanquàm autem nusquam non relucet illius bonitas, quandoquidẽ hoc ipsum summæ bonitatis erat, angelos & hunc mundum condidisse, quum ipse ad summam felicitatem quam habet ex sese, nullarum rerum accessionem desideraret: tamen mortalium genus in hoc proprie condidit, ut in his præcipue bonitatis ac misericordiæ suæ magnitudinem explicaret: siquidem hac parte Deus nobis uoluit non solum amabilior esse, uerumetiam admirabilior. Regis potentiam ac magnitudinem admirantur nonnunquam & hi qui oderunt aut inuident. Cæterum clementia ac beneficentia amabilis est etiam his qui non egent, uidelicet contemplatione sortis humanæ, per quam unicuiq; potest incidere ut egeat. At nullus est, aut fuit, aut erit hominum, qui non egeat dei misericordia. Quandoquidem iuxta testimonium scripturæ ueteris, nec astra munda sunt in cõspectu dei, & in angelis suis reperit iniquitatem. Et Paulus ad Romanos clamat: Non est distinctio, omnes peccauerunt, & egent gloria dei, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus deo. Nunc audiamus q̃ huic concinat mysticus ille psaltes, qui magna spiritus alacritate iustos omnes exhortatur, ut spirituali cithara, ut psalterio decachordo, ut cantico nouo, ut ingenti uociferatione celebrent dei gloriam. Diligit, inquit, dominus misericordiã & iudicium, misericordia domini plena est terra. Semel duntaxat mendo est facta iudicij, sed misericordiæ mentio repetitur, cum hoc elogio, quod hac plena est terra. Ausim & illud addere, sancti Iob & Apostoli fretus autoritate: misericordia domini non solum terram esse plenam, sed & cœlum & inferos. Quid canit psalmus trigesimusquintus? Domine in cœlo misericordia tua, & ueritas tua usq; ad nubes. Senserunt inferi misericordiam domini, quum refractis tenebrarum portis, educeret uinctos in regnum cœleste. Si quis contempletur opera Dei, quæ iuxta mysticam Mosi narrationem perfecit primis sex diebus, non poterit non uehementer admirari potentiam & sapientiam ineffabilem, & exclamare uoce totius ecclesiæ: Pleni sunt cœli & terra gloria tua. Nec sibi temperabit, quin erumpat in hymnum trium puerorum: Benedicite omnia opera domini domino, laudate & superexaltate eum in secula. Quicquid conditum est in cœlis, quicquid supra cœlos, quicquid in terris, quicquid sub terra, quicquid in aquis, quicquid in aere, perenni uoce prædicat gloriam domini. Sed quid dicit psalmus centesimus quadragesimusquartus? Misericors & misericors dominus, patiens & multum misericors. Suauis dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ergo est aliquid mirabilius, quàm condidisse cœlos cum tot syderum luminibus, condidisse terram cum tanta animantium, arborum, ac rerum omnium uarietate, condidisse tot angelicarum mentium agminа? Quis hoc auderet affirmare, nisi propheta clare pronunciaret, miserationes domini superare reliquorum omnium illius operum gloriam? Et tamen non dubitabit hoc esse uerum, quisquis religiosa curiositate considerauerit, quanto mirabilius restituerit hominem, quàm condiderit. An non mirabilius est, deum esse factum hominem, quàm angelos esse conditos à deo? An non mirabilius est, Deum inuolutum pannis uagire in præsepi, quàm illum re-

gnare in cœlis quos condidit? Hic demum angeli uelut in facto omnium maxime stupendo canunt gloriam in altissimis deo. Vident infimam humilitatem, & agnoscunt excelsissimam sublimitatem. Totum hoc consilium redimendi generis humani, Christi uita, Christi doctrina, Christi miracula, afflictio, crux, resurrectio, apparitio, ascēsus, missio spiritus, per paucos humiles & idiotas homines innouatus orbis: hoc, inquam, consilium nónne undiq; miraculis plenū est, ipsis etiam angelicis spiritibus imperuestigabile? Conditi mundi rationem uident & intelligunt impij dæmones, instaurati mundi consilium latuit illos, atq; hic ars artem fefellit, ars misericordiæ fefellit artem malitię. Conditus mundus opus erat potentiæ: sic restitutus mundus, opus erat misericordiæ: Cornua, inquit Abacuc, in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius. Quid cruce despectius? quid infirmius crucifixo? At sub illa infirmitate latebat immensa potentia diuinæ misericordiæ, quæ fregit, deuicit, contriuit uniuersam satanæ tyrānidem. Idem propheta quum haberet aures eruditas, quum haberet oculos fide perspicaces, audiuit uniuersam hanc mundi fabricam ex omni parte narrantem dei magnitudinem, & extimuit. Considerauit opera illius, & obstupuit. Et tamen quasi in his omnibus parum adhuc esset perspicua dei magnitudo, subiecit quod hæc omnia uinceret opera: In medio duorum animalium cognoscēris. In confinio ueteris ac noui testamenti factus homo prodidit illud unice stupendum misericordiæ suæ miraculum. Nimirū hoc est quod mox adijcit propheta: Quū iratus fueris misericordiæ recordaberis. De his qui miranda gesserunt, solemus dicere: In cæteris uicit omnes, in hoc uicit seipsum. De deo fas erit simile quiddam dicere: In omnibus factis suis deus incomparabilis est & inimitabilis, in misericordia superat seipsum. Nullam autem uirtutem literæ diuinæ sic attollunt in deo, ut misericordiam, quam aliquando magnam, aliquando nimiam appellant, aliquando multitudinis quoq; numero copiam exuberantem illius exaggerant. Rex ille propheticus eodem in loco magnitudinē ac multitudinem diuinæ misericordiæ complectitur: Miserere mei deus, secūdum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarū dele iniquitatem meam. Vbi magna miseria est, ibi opus est magna misericordia. Si consideres quàm atrox fuerit peccatum Dauid, agnoscis misericordiæ magnitudinē: si reputes quot modis peccarit in uno crimine, uides multitudinem miserationum eius. Nunquā ingens flagitium solum committitur, culpa culpam, uelut in catenis ansam ansa, trahit. Primum duo capitalia facinora coniunxit, homicidium & adulterium, utrunq; grauius erat in rege, cuius officium erat in alijs talia commissa punire. Principes enim quo impunitius peccāt apud homines, hoc grauius offendunt deum. Gladium gerebat ultorem homicidij, & ipse perpetrat homicidium. Per illum adulteræ tradebantur lapidantibus, & ipse compellit ad adulterium. Porrò adulterium etiam illud peculiariter exaggerat, quod domi haberet uxorum greges & concubinarum, tamen non ex inopia, sed ex lasciuia cōcupiuit alienam, ut rapto potius quàm stupro delectari uisus sit. Neq; enim par crimen est eius, qui coactus egestate suffuratur aliquid diuiti: & eius qui domi opulentus, tenuem ueste quam habet unicam spoliat. Hanc criminis atrocitatem impingit illi Nathan propheta sub parabola diuitis raptoris, & pauperis spoliati. Iam nullum homicidij genus immanius, quàm quod non casu, aut subita animi cōmotione, sed destinato consilio, captata opportunitate committitur. Nihil commeruerat Vrias, nouerat rex illum fidelem, & hac ipsa hominis synceritate abusus est ad illius exitium. Ille non sustinuit ingredi domum suam cubiturus cum uxore, quod arca dei teneretur sub pellibus, et Ioab dux belli cū populo dormiret humi: nec tanta probitas hominis auertit regis animum à maleficio. Postridie uocatum ad cœnam inebriauit, captans, ut est coniectandum, occasionem perdendi illum, si quid per temulentiam incircūspectius effutisset: nec temulentus Vrias sustinuit ingredi domū suam, fruiturus uxore. Additus est alius dolus, quo fortis ac fidus bellator interiret. Tradita est epistola homicida, nihil suspicanti, quod rex ob perspectam hominis synceritatē non metuebat ne resignatam legeret. Communicata est homicidij culpa cum duce Ioab, quemad modum cum Bersabee communicarat adulterium. Nec unus perijt Vrias, uerum ut lateret fraus, complures uocati sunt in discrimen, magna uis hominum iaculis hostium obiecta est, ut unus innocens interimeretur, regis libidini locum daturus. Igitur in uno crimine quantum ineſt criminum? Si unicum fuisset flagitiū, sed ingens, opus erat magna misericordia

ricordia. Nunc Dauid uidens multiplex ac uariũ esse peccatũ suum, implorat multitudi-
nem miserationũ. Quàm uero late pateat dei misericordia, declarat Psalmus trigesimus-
quintus. Homines, inquit, & iumenta saluabis domine, quemadmodum multiplicasti mi
sericordiã tuã. Deus non solũ seruat homines, uerũ etiã iumenta propter homines serua-
re dignat. Rursus alibi q̃ exultat spiritus propheticus, quũ ait: Misericordias domini in
æternum cantabo. Et in cœlis igitur semper hymnus celebratur dei misericordia, quẽad-
modum dicit & alius Psalmus. Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in secu-
lum misericordia eius. Atqui uidebatur futurus finis canendæ misericordiæ, postea q̃ ue-
nisset finis omnis miseriæ, nisi & ipsa felicitas, qua pij fruuntur in cœlis, donum esset mi-
sericordiæ, & ipse cruciatus impiorum, multa dei misericordia temperatus esset. Quid au
tem dicendum est, ubi tota uita mille malis & omni uitiorum Lerna undiq; corrupta est?
Nimirum clamandum cum Asaph: Domine ne memineris iniquitatum nostrarum anti-
quarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Rursus
alibi: Misericordiæ tuæ multæ domine, secundũ eloquiũ tuũ uiuifica me. Iterũ alio in loco Psal. 88
Dauid uelut expostulãs cũ deo, clamat: Vbi sunt misericordiæ tuę antiquę domine? Rur
sum psal. 106. Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ: qui
uersus uelut intercalaris in hoc psalmo subinde repetitur. Itẽ in psalmo q̃ proxime præce-
dit: Et dedit eos in misericordias in cõspectu omniũ qui ceperãt eos. Misericordias dixit, 2. Reg. 24
quia multa cõmemorauerat impie facta, quibus irã dei prouocarãt. Et Dauid undiq; pre-
mentib. malis, ait: Melius est ut incidam in manus domini, multæ enim misericordiæ eius
sunt, q̃ in manus hominum. Frequẽter ut in uno crimine multa insunt crimina, ita in una
misericordia multæ insunt misericordiæ. Semel redemit genus humanum, sed hic quàm
multiplex inest misericordia? Id oculo fidei prospiciens Esaias, ita loquitur sub persona Esa. 56
dei promittentis seruatorem Iesum: Et feriam uobiscum pactum sempiternum. Miseri-
cordias Dauid fideles. Simili tropo deus placatus, loquitur apud Hieremiam: Et dabo uo
bis misericordias & miserebor uestri. Multis urgentibus malis, multæ promittuntur mi-
sericordiæ. Similiter post multas afflictiones deus propitius factus populo suo, sic loqui-
tur apud Zachariã: Reuertar ad Hierusalẽ in misericordijs, & domus mea ædificabitur.
Sed quid recensemus hæc ex ueteris testamenti libris, in quibus toties obuium est miseri-
cordiarum nomen. Et tamen ea lex à iusto deo, non à bono profecta quibusdam hæreti-
cis creditur, quum nihil aliud ferè crepet quàm misericordias domini. Quo minus miran
dum, si Paulus apostolus in secunda ad Corinthios epistola, consona uerbis propheticis, Cap. 1.
scribit hunc in modum: Benedictus deus, & pater domini nostri Iesu Christi, pater mise-
ricordiarum, & deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione no-
stra. Apostolus aliquid addidit misericordiæ. Nam misericordiæ est ignoscere quod com
missum est. Hic, quod maius est, deus ex ultore fit consolator. Hæc ideo repetiuimus ex
arcanis libris, ut intelligamus hoc tropo sermonis significatam immensam et ineffabilem
erga omnes & in omnibus malis, dei misericordiam. Idem indicatum est alio tropo, qui
uel anadiplosis est, quam Latine possis uocare conduplicationem, uel anadiplosi finiti-
mus. Etenim quemadmodum Hebræi bonum bonum uocãt, quod eximie bonum uide-
ri uolunt: & malum malum, quod insignite malum: ita frequenter deus in arcanis literis
misericors & miserator dicitur, ob excellẽtem misericordiæ magnitudinẽ. Sic legis Psal.
cẽtesimo quadragesimoquarto. Miserator & misericors dominus, & quasi hoc quoq; pa
rũ esset, adiecit: patiens & multum misericors. Rursus alio psalmo. Memoriã fecit mirabi
lium suorũ misericors & miserator dominus. Cõsimiliter apud Iohelẽ: Scindite corda ue
stra & non uestimenta uestra, misericors enim & miserator est dominus, & agens pœni-
tentiã super malicijs. Et apud Hieremiã: idcirco cõturbata sunt uiscera mea super eum, mi Hiere. 11
serãs miserebor eis, ait dominus. Quid est miserantẽ misereri, nisi supra modum misereri
Eodem pertinet, quod quum immensum sit, quicquid est in deo, tamen quod apud homi
nes in uitium sonat, id illi uidentur tribuere sacræ literæ, nimiam quandã & immodicam
misericordiã. Hoc dictum sic accipiet uestra pietas, ut persuasa nihil esse in deo, quod ulli
uitio sit obnoxium, intelligat hoc tropo scripturam sese ad humanos sensus accõmodan-
tẽ, significare mirã quandã & incredibilẽ hyperbolen misericordiæ diuinæ. Quod ut ex-
planatius dicã, uosq; rectius accipiatis, sic uestro cum animo perpendite. Si quis rex seue-

ras leges tulisset in homicidam, semel condonanti perpetratum homicidium, fortassis ad/
scriberetur clemẽtiæ. Quod si idem eidem iam decies ac sæpius in idem facinus reuoluto
condonaret, nónne clamarent omnes immodicã esse regis clementiã, quæ legũ uigorem
dilueret, & improbitatẽ ad peccandum inuitaret impunitate? Item pater qui semel aut ite/
rum filio pecuniæ nequiter profusæ ueniam daret, fortasis lenis ac mitis diceretur. Idem
si sępius peccanti subinde pecuniam crederet, nónne dicerent omnes, immodice lenis est,
& indulgentia sua corrumpit filium? Multo iustius id diceretur, si idem faceret seruo. Ad
hæc, si quis maritus uxorem semel in adulterio deprehensam reciperet in gratiã, nimirum
omnes admirarentur tam lenẽ inueniri maritum, qui talẽ mulierẽ dignaretur suo cubicu/
lo. At idem si mulierem subinde fallentẽ coniugij fidem, et nunc huic nunc illi adultero
sese conglutinantẽ receptaret, nónne totus populus diceret eũ aut insigniter fatuum, aut
uxoris suæ lenonem? Deus autem, qui rex est noster, qui pater est, qui dominus, qui spon
sus, nullũ excipit peccati genus, nullum præscribit peccãdi numerũ, quoties resipiscimus
remittit pœnam, quam ęterna lex illius cõminata est: recipit in familiã, introducit in cubi
culũ charitatis suæ, nec recipit solum, uerumetiã omnium admissorũ obliuiscitur. Ouem
perditã humeris suis reducit ad caulas, inuitat sanctorũ ecclesiam ad cõmune gaudiũ, oc/
currit filio prodigo redeunti domũ è longinqua profectione, profert stolam & anulũ, iu/
bet occidi uitulum insignẽ. Quid hæc sonãt aliud, quàm immodicam quandã ac nimiam
ut ita dixerim, dei misericordiam? Iam uero minus mirum uideatur, si homo sæpius igno
scit homini peccanti, qui & ipse sit aliquando prolapsus in eadem peccata, aut certe prola
bi possit, si rex ignoscat ei, cuius officium aliquãdo expertus est sibi commodo fuisse: aut
pater condonet filio, cuius consuetudine sentit subleuari senectutem suã, si dominus gra/
tiam faciat seruo, cuius opera iuuetur, si maritus adulteræ, cuius conuictũ expertus sit ali/
quãdo fuisse iucundum. Inter homines nonnunq̃ is metuit qui ignoscit, eum cui condo/
nat, nonnunquam ulcisci nec potest, si uelit. At deus qui nullius est indigẽs, qui nutu po/
test, si uelit perdere, toties à nobis spretus, desertus, abnegatus, tolerat, inuitat, recipit, am/
plectitur. Vt non est uehementior charitas, q̃ inter maritum et uxorem, nec arctior con/
iunctio, ita non est implacabilior ira, quàm proditæ fidei coniugalis. Et tamen audi quid
Esa.3 apud Esaiam loquatur lenis dominus adulteræ suæ, tot adulterijs pollutæ: Vulgò dici/
tur: Si dimiserit uir uxorem suã, & illa recedens ab eo duxerit uirũ alterũ, nunquid reuer/
tetur ad eam ultra? Nunquid non polluta erit, & contaminata mulier illa? Tu autem for/
nicata es cum amatoribus multis, & tamen: Reuertere ad me dicit dominus, & ego susci/
piã te. Homo maritus uxorẽ quam ipse fortassis ob leuem culpam aut causam dimisit, nõ
recipit, si post diuortiũ se iunxerit alteri uiro: Non enim patitur alterius uiri consortium
maritalis amor: Deus aũt sponsam suã, pro qua mortuus est, quam sibi suo sanguine puri/
ficauit, toties ultro fugientẽ, secq̃ prostituentẽ immundis spiritib. tamẽ non fastidit reuer/
Ephes.2 tentẽ. Nec mirũ est, si nimiã habet misericordiã, qui nimiã habet erga nos charitatẽ. Non
ueretur hoc scribere Paulus Ephesijs: Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, deus aũt qui
dives est in misericordia, propter nimiã charitatẽ suã, qua dilexit nos, & cũ essemus mor/
tui peccatis, cõuiuificauit nos in Christo. Planius exprimit nimiã patris erga nos charita
Ioan.1 tẽ Ioannes in Euangelio suo. Sic, inquit, deus dilexit mundũ, ut filium suum unigenitum
daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternã. Cui congruenter
Roman.8 succinit Paulus scribẽs ad Romanos: Qui etiã proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis o/
mnib. tradidit illũ, quomodo nõ etiã cũ illo omnia nobis donauit? Hæc tãta charitas, hęc
tanta misericordia si cõferatur ad omnẽ humanã charitatẽ ac misericordiã, si ad merita no/
stra, nónne merito uideatur immodica? Atqui id sanè magis uerũ esse liquebit, si perpen/
derimus qualis sit ille, qui sic nos diligit, sic sua misericordia prosequit, quales nos, quos
deus tanto dignatur honore. In se quisq̃ descendat, post nomẽ in baptismo datũ, post ab/
iuratum satanã cũ põpis suis, quoties sacramẽti desertor ad hostẽ spõsi sui defecerit, quo/
ties post acceptã à sacerdote criminum absolutionẽ in grauiora relapsus sit, imò quoties
eodem die recidat in ea quæ detestatus est. Nemo sibi blandiatur, charissimi, quisquis fu/
ratur aut adulterium cõmittit, quisquis inuidet aut obtrectat fratri, quisquis ambit hono/
res huius mundi, deseruit spõsum suum Christum, diuertit à patre suo, defecit à rege suo,
profugit à domino suo. Sed de his plura dicẽdi fortasse paulo post dabitur locus commo/
dior

dior. Nunc quo plenius intelligatis & late pateat immensa domini misericordia, scire debetis quod in sacris literis misericordiæ uocabulum nonnunq; sonat munificentiam, interim gratiam præuenientẽ, interdum subleuantẽ, aliquoties consolantẽ: rursus alibi medicantẽ, frequẽter autem ignoscentẽ, aut etiã punientẽ. Nam mea quidem sententia quod apud Lucã loquitur dominus: Estote misericordes sicut & pater uester misericors est, ad beneficentiã potissimum pertinet. Perfecta siquidẽ beneficentia est, si quis benefaciat inimicis. Explanatius hoc dixit Matthęus in simili sermone domini: Estote, inquit, uos perfecti sicut & pater uester cœlestis perfectus est, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Quoniam autem nihil habemus, quod nõ gratis accepimus à deo, quicquid possumus aut sumus, quicquid possidemus, dei misericordia est. Imò quod Angelos, quod hunc mundum cõdidit, dei misericordia est. Si sibi condidisset, potẽtia aut sapiẽtia laudari poterat: nunc quoniã hæc omnia nobis condidit, nónne agnoscimus immensam dei misericordiã? Cui uoluũtur orbes cœlestes, cui lucẽt sol per diem, luna cũ stellis per noctẽ, nisi homini? Cuius usibus hęc omnia condita sunt, quum nihil essent, cui pendulę nubes umbram faciunt, & arua rigant? Cui spirant auræ, cui fluunt ames, scatent fontes, æstuant maria, stagnant lacus, cui tellus fœcunda tantũ gignit animantium, tantum gignit opum, nisi homini? Nihil enim omnium rerum non subiecit homini, solum hominẽ uoluit sibi subiectũ esse. Quẽadmodum testis est & Paulus ad Corinthios scribẽs: Omnia uestra sunt, uos aũt Christi, Christus autem dei. Et quod in Genesi narrat Moses, repetit psalmus octauus, admirans dei bonitatẽ, qui pro sua misericordia tantũ beneficiorũ in hominẽ contulerit: Quid, inquit, est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniã uisitas eum? Minuisti eum paululũ ab angelis, gloria & honore coronasti eum, constituisti eũ super opera manuum tuarũ. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersos, insuper & pecora campi, uolucres cœli & pisces maris. Dicã adhuc, quod sublimius est, etiam Angelos cœlestes debemus misericordiæ domini. Sit leue pondus meo sermoni, ni Paulus hoc clare docet scribẽs Hebræis, etenim de angelis loquens: Nónne, inquit, omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatẽ capiunt salutis? Et in ueteri pariter ac nouo testamẽto frequenter legimus angelorũ ministerio refocillatos famelicos, liberatos captiuos, propugnatas regiones, depulsa mala, læto nuncio recreatos pios. Quin ipse dominus in Euangelio: Angeli, inquit, eorum semper uident faciem patris, qui in cœlis est. Quid hac dignatione mirabilius, homũculis additos angelos pædagogos? Ergo quicquid habes homo, habes aũt omnia, donec mãseris in Christo, totũ hoc illius misericordiæ feras acceptũ. Alioqui Paulus obstrepet tibi: Quid habes homo, quod non accepisti? Et si accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? Porrò quicquid mali uideris in alijs, agnosce dei præuenientem misericordiã, de quo Dauid nõ uno in loco: Et misericordia eius pęrueniet me. Nõ es natus nothus, claudus aut cęcus, non pauper, nõ ebetis ingenij quẽadmodũ nascuntur multi, age gratias misericordiæ præueniẽti. Quicquid malorũ accidit homini, tibi poterat accidere, nisi tui tutelã egisset dei misericordia. Rursus non es adulter, nõ periurus, non homicida, non sacrilegus, quemadmodum sunt heu nimium multi, agnosce dei misericordiã, hoc enim eras, nisi te protexisset dei misericordia. Quũ Physionomus quidã de Socrate pronunciasset, quod esset homo luxus auidus & immoderatæ libidinis, discipulis, quibus nota erat præceptoris incredibilis tẽperantia, partim irridẽtib. hominẽ, partim etiã indignantib. Socrates & illos cohercuit, & illum subleuauit dicens, rem diuinauit. Hæc omnia eram, ni me Philosophia docuisset temperantiã. Sed rectius, quod Socrates tribuit Philosophiæ, uir optimus Franciscus tribuit diuinæ misericordiæ. Quũ enim quodã tẽpore socius eius sic ab ipso iussus, coniecisset in eum, quicquid conuiciorũ in hominẽ scelerosum dici posset, sacrilegũ, parricidam, sycophantam, stupratorem, ueneficũ appellãs, patientissime tulit, ac semetipsum deplorauit. Alio uero tẽpore roganti socio, quur compulsus esset, ut tanta mendacia diceret in innocentẽ, nihil enim horum in ipsum cõpetere. Nihil, inquit, mentitus es, omnia hæc eram, & multo etiã plura, ni misericordia dei seruum suum seruasset ab his malis. Nec præuenit nos solũ dei misericordia prouocans ad pietatẽ, uerum etiam conãtes adiuuat, comitatur proficientes, denique largitur ut perficiamus quod humanę uires præstare non poterant. Huiusmodi misericordiæ genus mihi uidetur significare Paulus

Misericordiæ uerbũ in sacris literis uarie accipitur.

Misericordia benefica.

Corin. 3

Gene. 1

Heb. 1

Misericordia præueniens.

apostolus, quum aliàs frequenter, tum in salutationibus, imprecans gratiam, et pacem, ita epistolis ad Timotheum addit etiam misericordiam. Etenim citra præiudicium melioris sententiæ si quis adferet, mihi uidetur gratia pertinere ad uocationem, uocamur autẽ per fidem, hoc est, credulitatem. Ea fides gratuitũ est dei donum, & ob id quibus id cõtingit, debent diuinæ misericordiæ. Misericordia ad charismata, quæ uarie distribuuntur cuiq; pro modulo fidei. Pax ad totius uitæ innocẽtiam, sine qua nec cum deo constat amicitia,
Misericordia subleuans. nec cũ fratribus uera cõcordia. Quoties autem eripimur à malis, quibus affligimur, ne tri buamus astris, ne fortunę, ne prudentiæ nostrę, totum misericordię dei adscribamus. Nemo peccatorum uinculis irretitus liberari potest, nisi subueniat diuina misericordia. Docet hoc psalmus centesimus uigesimusnonus: Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eũ redemptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatib. eius. Porrò quod ex corporalibus etiã malis eripit dei misericordia, declarat Paulus scribens Philippensibus, Epaphroditũ ægrotasse usq; ad mortem, sed deus, inquit, misertus est eius, non solũ autẽ eius, uerum & mei, ne tristiciam haberem super tristiciam. Neq; quicquàm interest inter misericordiã subleuantẽ, et consolantẽ, nisi quod subleuamur ademptis malis, quibus premebamur: cæterũ adest misericordia cõsolatrix, quoties in medijs afflictionibus lætarum rerũ admixtu temperat aduersitatis molestiã, faciens cũ tentatione prouen-
Misericordia medicans. tũ, ut inquit Paulus, quo possimus sustinere. Atq; hæc ipsa mala frequẽter immittuntur à miserante deo, quo nos uel purget à malis admissis, uel retrahat ab admittẽdis, uel ut uirtutis exercendæ materiã subministret. Ita tentatus est Abrahã, ita Iob uarijs malis exercitus, ita quicunq; unq; pie uixerint in Christo Iesu, in mundo hoc uelut aurum igni, uarijs afflictionib. probati sunt. Vbi sunt isti, qui deo obmurmurant quoties incidit morbus corporis, aut mors liberorũ, aut uxoris, quoties res familiaris damno minuit, quoties fallunt
Prouer. 3 agrorum prouentus, non intelligentes hæc esse certissima signa miserentis nostri dei? Audiamus potius, quid nos admoneat Solomon: Disciplinã domini fili mi ne abijcias, neue deficias, cũ ab eo corriperis: quẽ em̃ diligit dominus, corripit, & quasi pater in filio cõplacet sibi. Eandem sententiam uerbis nonnihil mutatis, ad Hebræos repetit Paulus. Quem
Heb. 12 enim diligit dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Ergo dilectissimi fratres, quoties ingruit aduersitatis procella, iuxta Pauli consilium, in disciplina perseuerate, scientes quod tanquàm filijs offerat se uobis deus. Audite uocem misericorditer corripientis filios suos patris in psalmo octogesimo octauo: Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; nocebo in ueritate mea: Sic & Paulus fi-
1. Corin. 4 lijs, quos amabat, minitatur dicens: Quid uultis, in uirga ueniam ad uos, an in spiritu lenitatis &
Ibidem 5 mansuetudinis? At idem: De his, inquit, qui foris sunt, quid attinet me iudicare? Nulla uox acerbior filijs quàm quum audiunt à patre, agite quicquid libet, mea nihil refert, Siquidem hic est sermo meditantis abdicationem. Nimirum hæc parentum lenitas
Psal. 140 quauis obdurationè durior est. Vt igitur est crudelis indulgentia, ita est misericors correptio. Corripiet, inquit, me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Paulus Aemilius Romanus dux rebus miro successu ex sententia gestis, magnum aliquod malum imminere diuinabat. Et Polycrates Samiorum tyrannus conatus est fortunæ perpetuo blandientis inuidiam anuli pretiosissimi iactura redimere. Quanto magis nobis impie uiuentibus metuendum est, ne iusta dei uindicta immineat, quoties nobis rerum temporaliũ diu blãditur prosperitas. Deus enim in propheticis literis, quum implacabilem iram exprimere uult, cõminatur se ablaturũ uirgam suam ab illis, nec ullis afflictionibus medicaturum peccatis illorum. Absit nobis charissimi, talis felicitas. Quin potius, si quid serenitatis indulget patris nostri misericordia, gratias agamus illi, solliciti necubi abutamur illius benignitate: sin urgent aduersa, nihilo secius illi gratias agentes, totos nos illius dedamus arbitrio. Vt corpore ualeas, permittis te medico homini, credis te chirurgo ligandũ, secandũ, urendũ: ut animę salutẽ æternã cõpares, nõ credes te cõditori, domino, patri, & seruatori? Non audes præscribere medico, hac & hac ratione curato me, & deo præscribemus quomodo oporteat nostræ saluti cõ-
2. Cor. 12 sulere? Paulus apostolus tolerat angelũ Satanæ, sibi imminentẽ & colaphos impingentẽ, quod sic expediret ad dotium quas acceperat custodiã. Quum infirmor, inquit, tunc fortis sum

tis sum. Et libẽter gloriatur in infirmitatib. suis, ut posideat inhabitantẽ in se uirtutẽ Christi. Nos qui sumus ut deprecemur hanc dei misericordiã, uariis afflictionib. uelut amaris pharmacis salutẽ nostrã procurantis? Vulgus ubi quem uidet claro genere prognatum, in re splendida, corpore felici, cumulatũ honoribus, dicere solet: Quãtum ille debet deo? Sic iudicant homines, felicitatẽ æstimantes ex his quæ foris uidẽtur. At si quis rem ad dei iudicium exigat, sæpenumero plus debet misericordię dei obscurus, tenuis, ualetudinarius, abiectus inter homines, quàm felices illi, quos imperita multitudo diis æquat. Cõgere quantũ uoles infelicitatũ iuxta mundum, abunde felix es, si istis malis tẽporariis redimis felicitatẽ æternã. Iam ignoscentẽ misericordiam, quam & clementiã uocamus, nemo non agnoscit, nisi qui se credit immunẽ ab omni peccato. Sed quid ait Ioannes apostolus? Si dicimus nos non habere peccatum, mendaces sumus, & ueritas in nobis non est: si nec astra sunt munda in conspectu dei, si & in angelis suis reperit iniquitatem, si nemo purus est in conspectu dei, nec infans unius diei, quis nostrum gloriabitur se castum habere cor? Apud homines multi iusti uidentur, apud deum nemo iustus est, sed omnes iustitiæ nostræ sunt ueluti pannus mulieris menstruo profluuio contaminatæ. Paulus sentit legem carnis in membris suis repugnantẽ legi mentis & clamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Iob iusti titulo honoratũ, & tamen ex dei colloquio deprehenditur nõ omnino uacare culpa. Horret etiã ipse propheta Dauid dei iudiciũ, nisi multa misericordia diluatur: Ne intres, inquit, in iudiciũ cum seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Nunc unusquisq; nostrũ descendat in cubiculũ cõscientiæ suæ, cõsiderans quot modis, quoties, q̃ grauiter offenderit deũ, q̃ omnia etiam benefacta nostra sint uariis uitiis inquinata, atq; ita intelliget quantum debeat immensæ dei misericordiæ, qui nostram imbecillitatẽ tam patienter tolerat, qui tot occasionibus inuitat ad pœnitentiam, qui resipiscentibus tam placide remittit omnẽ noxam. Addam his omnib. quod quibusdam fortasse non uidebitur admodum probabile, quum deus impios ad summum maliciæ prouectos perdit & in gehennam conijcit, nec hic illum obliuisci misericordiæ suæ. Hebræos diuisis maris fluctibus liberat, Pharaonem cum suo satellitio mergit. Vtrobiq; erat misericordia, subleuans erga populum suum, puniens erga regem deploratæ iam malitiæ, ne peccata peccatis accumulans, grauiores etiã gehennę pœnas sibi colligeret. Misericordiæ medicantis erat, quod illum tot plagis inuitarat ad pœnitentiam. Iamq; fractus malis cœperat resipiscere, uerum ubi salutaris pœnitentiæ rursus impia pœnitentia ductus, dixit: Non noui dominum, nec dimittã populũ, nec tãto deniq; miraculo cõmotus destitit à persequẽdo, sed ira cęcus ausus est sese mari credere, deus pro sua misericordia deploratam malitiã oppressit, ut quando sanari non poterat, certe leuius interiret. Idem sentiendum de reliquis seueritatis exemplis, quæ referuntur in ueteris instrumenti libris, uelut de his quos ignis exusit, terra absorpsit, gladius extinxit, serpentes trucidarunt. Nam in Euangelicis literis rariora sunt exempla uindictæ, sed omnia misericordiæ. Lenis enim erat correptio, quod Elymas subita cæcitate percussus didicit non repugnare sermoni Euangelico. Paucos Paulus tradidit Satanę in afflictionem carnis, ut spiritus saluus fieret in die iudicij, & pudore correcti sese uerterent ad meliorem frugem. Nullum extat seuerius q̃ Ananiæ & Sapphiræ ad Petri correptionem subito collabentium, & tamẽ incertum an horũ animæ corporis interitu seruatæ sint. Ad summam hoc ipsum quos apud inferos patiuntur damnatæ malorum animæ, minus est illorum meritis. Nec defuere qui tantum tribuerẽt misericordiæ diuinæ, ut impios etiam dæmones ac damnatos homines crederent aliquando post longas seculorum periodos recipiendos in gratiam. Hæc opinio, quanquam magno nititur autore, tamen ab orthodoxis patribus reprobata est: quæ tantũ in hoc à nobis recitatur, ut declaremus, q̃ magnificã de dei misericordia conceperint opinionẽ eruditissimi uiri, qui noctes diesq; uersati sunt in sacris uoluminibus, quæ ferè nihil aliud canunt, efferunt, celebrant quàm dei misericordiam.

Misericordia ignoscens. 1. Ioan. 1

Rom. 8

Iob 1

Psal. 142

Misericordia puniens. Exod. 14.

Act. 13

Act. 5

Iam si satis demõstratum est, quicquid sumus aut habemus boni, quod protegimur ab imminẽtibus malis, quod eripimur ab opprimẽtibus, quod in mediis malis cœlesti solatio refocillati fortes & alacres persistimus, quod tẽporariis afflictionib. uel erudimur ad pœnitentiã, uel exercemur ad perfectã uirtutem, quod non imputãtur nobis cõmissa nostra, in quæ toties relabimur, id totũ esse diuinæ misericordię, quo magis huius immẽsam

altitudinem latitudinem & profunditatem queatis perſpicere, quæſo ut uoſipſos mecum pauliſper contemplemini, primum ea parte qua eſtis abiectiſsimi, deinde ea qua præcellitis, poſtremo circumferatis oculos ad mala quæ uobis foris imminent ac circumuallant, ac rurſus ad bona, quorum ſpes uobis oſtenſa eſt. Horum omnium contemplatio docebit nos amplitudinem miſericordiæ diuinæ, cuius uere nec modus eſt, nec numerus.

Si corpuſculum hoc cõtemplemur, animi noſtri uel organum uel domicilium, uix aliud animal reperias imbecillius, abiectius, aut etiã miſerius. Si quæras originem, princeps noſtri generis luteus erat. Iam illud quiſq; conſideret cũ nihil ſit magnificũ illud quicquid eſt humoris, è cuius coagulo capiunt initium humani fœtus rudimenta, dum adhuc eſt in uteri fœminei latebris. Tum quantum abſit à nectare atq; ambroſia liquor ille, quo nondum æditus infans alitur. Non hic cõmemorabo humanæ natiuitatis ſordes, tantũ quod ſæpe uidiſtis, in memoriam reuocate. Quid humano partu miſerabilius? cũ diutini, cũ periculoſi parturientium nixus, quàm miſerabiles eiulatus. Tandem prorepẽs & ipſe puer, protinus à lachrymis ac ploratu uitam auſpicatur, quumq; natura cæteris animãtibus ſtatim ab ortu uaria tribuat uel tegumenta uel munimenta, teſtas, cortices, coria, ſpinas, uillos, ſetas, plumas, pennas, ſquamas, uellera, truncos etiam & arbores cortice nonnunq; gemino à frigoribus & calore tutetur: ſolũ hominem nudum, et in nuda humo natali die abijcit ad uagitus ſtatim ac ploratum. Quis hic non uel pullum gallinaceum ouo rupto proſilientem iudicet homine feliciorem? Adde nunc faſciarum uincula, os edentulũ, linguam infantem, oculos nouæ lucis impatientes, ac ueluti requirentes relictas uteri tenebras, uerticem diu palpitantẽ, ſummæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium, breuiter totum imbecille corpuſculum, in quo nullum membrũ ſit quod ſuo norit officio fungi. Cæterorũ animantium pleraq; ſtatim ab ortu naturæ ſuæ dotes explicant. Alijs adeſt pernicitas, ut equis: ſtatim ut è membrana emerſit, uolat papilio: cum leonis catulo luctari tutum non eſt: protinus ab ouo natant piſces, uoluũt ſe magna celeritate gyrini, priuſq; ranarum uel nomen uel formã meruere, ſolus homo quid aliud nouit naturæ ſpõte, q; flere? Quàm diu diſcendũ ut ingrediatur, ex quadrupede factus bipes, q; diu ut fari poſſit: ne ueſci quidem nouit, niſi doctus. Adde nunc tot morborũ genera, ut ne recenſeri quidem poſsint, atq; hi quidem ſubinde noui, ne facile ſit mederi, quãquàm inter ueteres quoq; & notos ſunt multi immedicabiles. Hi ſtatim natos excipiunt, quidam etiam unà cũ homine naſcuntur, ut lepra, morbus comitialis, per quos multi moriuntur priuſ quàm cœperunt uiuere. Ne quid interim dicam de partubus uitioſis aut etiam prodigioſis. Iam illud mihi quiſq; ſecum reputet, quot iniurijs obnoxiam expertus ſit adoleſcentiam, quàm fugax ſit iuuentus, quàm ſollicita uirilis ætas, quàm miſera ſenectus, denicq; quàm breuis tota uitę ſumma, ut contingat ſenectus, quę tamẽ contingit pauciſsimis. Quiſquis ueſtrum ætatem uirilem attigit, recolat actæ uitæ ſeriem, ac ſupputet à quibus morbis, è quantis periculis euaſerit, agatq; gratias diuinæ miſericordiæ. Ego uero uel inter præcipua corporis mala duxerim, penitus inſita nobis omnium uitiorum ſemina. Quantã ad iras, ad libidinem, ad luxum, ad inuidiam, ad ambitionem, ad rapinam ab ipſo matris utero procliuitatem nobiſcum trahimus, quum cætera animantia intra naturæ cupiditates probe degant? Cum his ueteris Adæ reliquijs quàm eſt omnibus laborioſa colluctatio? quàm paucis felix? Grauatur animus mole terreni corporis, & uelit nolit ad ea quæ non probat, demergitur. Poſt hæc conſidera, quantum malorum agmen nos foris circumuallet, & comperies multo plures interire caſu cũ morbis. Quàm multos abſumunt fulmen, terrarũ concuſsio, telluris hiatus, lacuum, fluminum & marium exundatio, aer peſtilens, uenena, noxiæ beſtiæ, ruinæ, mali medici: ſed nõ aliunde maior clades q; ex bellis. Verum hæc mala non minitantur exitiũ niſi corporibus. Animo quot imminent pericula, à carne hoſte domeſtico, à mundo nunc blandiente ut ſtrangulet, nunc ſæuiente ut opprimat, à ſpiritibus impijs, qui ſe nonnunq; transfigurant in Angelos lucis. Quis nõ expaueſcat horum multitudinẽ, uires, aſtutiam, malicią, et inſatiabilem perdendi libidinem? Iam uero quem non exanimet inter hæc mala, mors omnibus certa, dies incertus, extremi iudicij ſeueritas, gehennę nunq; finiendi cruciatus? Video uos ad tantorum malorum ſolam cõmemorationem inhorreſcere, nec iniuria: ſed quo plus hic uidetis malorum et periculorum, hoc plus debetis diuinæ miſericordiæ, quæ non ſolũ inter hęc omnia protegit ſibi fidẽtes, uerũ etiã

hæc

hæc omnia nobis uertit in occasionem maioris felicitatis. Quicquid est calamitatis, debemus peccato ueteris Adæ, uerum felicitatem, ex calamitate cum fœnore redditam debemus noui Adæ misericordiæ, qui est Christus Iesus in omne ęuum laudandus omnibus. Satanas expulit è paradiso, Christus pro paradiso terrestri, nobis aperuit regnũ cœleste: serpens impulit in uarios huius uitæ dolores, Christus nobis restituit æterna gaudia uitæ immortalis: Satanas fraude sua nobis conciliauit mortẽ corporalem, Christus misericordia sua nobis largitur uitã æternã, cui quisquis sese syncero corde tradiderit non est quod ullum hostium genus formidet. Ille uicit mundum, ille fregit uniuersam Satanæ tyrannidem, ille carnem uertit in spiritum. Quod uicit, potentiæ est: quod nobis uicit, misericordiæ est. Adoremus misericordẽ potentiam, & fruamur potenti misericordia. Omnia possumus per eum, qui nos reddit potẽtes, si modo maneamus in eo: omnia possidemus per eum, in quo summa bonorũ est omniũ, undiq; nos protegente, subleuante, consolante, locupletante illius misericordia, quẽadmodum psalmus dicit propheticus: Sperantes in domino misericordia circũdabit. Quantis malis patent, qui fiduciã suã posuerũt in dotibus corporis, in opibus, in curribus, in equis, in mundana prudentia, in meritis ac factis suis. Quibus autem præsidijs securus est iustus? Ego aũt, inquit, in multitudine misericordiæ tuæ. Ac paulo post: Domine ut scuto bonæ uoluntatis tuæ coronasti nos. Quũ audis bonæ uoluntatis, intelligis excludi fiduciam tuorum meritorũ. Vbi deficiunt nos naturæ uires, ubi merita destituũt, ibi succurrit misericordia. Bellatorũ scuta nõ tegũt nisi unam corporis partẽ, scutũ diuinę misericordię totos nos undiq; protegit, superne aduersus spiritualiũ nequitiarũ ignea tela, qu nobis imminẽt è cœlestib. inferne aduersus uersutiã serpentis insidiãtis calcaneis nostris: à fronte ne nos lædãt instantia: à tergo, ne nos repetant præterita: à dextris, ne rerum successus reddat insolentes: à sinistris, ne deijciat aduersitas. Hoc scuto fretus clamat ille: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Et alibi: Nõ timebo milia populi circundãtis me. Sed animosius etiam Paulus apostolus scribens Romanis: Si deus pro nobis, inquit, quis contra nos? Induerat egregius bellator panopliam fidei, quæ nos munit, non operũ fiducia, sed misericordiæ diuinæ. Hac armatura fretus, nõ tantum cõtemnit angustiã, famẽ, nuditatẽ, periculũ, persequutionẽ, uerum etiam gladium tyranni, mortẽ præsentẽ intentantis. Nihil potest humana crudelitas, ubi adest protectrix dei misericordia, imò quod fortius est, contemnit prẽter mortẽ ac uitam, angelos, principatus, uirtutes, instantia, futura, fortitudinẽ, altitudinẽ, profundũ, deniq; si qua est alia creatura uel in cœlis, uel in terris, uel apud inferos. Et hic est ille, qui suæ imbecillitatis conscius appellat seipsum uas fictile: Habemus, inquit, thesaurum hunc in uasis fictilibus. Vnde igitur huic testæ fragili tantum roboris? Gratia, inquit, dei sum id quod sum. Quid est gratia dei, nisi misericordia dei? Gloriemur et nos libẽter cũ Paulo in infirmitatibus nostris, ut inhabitet in nobis uirtus Christi: sic enim magis expedit nobis, ut cõtemplatione miseriarum nostrarũ glorificemus dei misericordias. Et tamen interim, si placet contemplare teipsum ó homo, ea parte, qua præcellis cæteris animantibus. Etenim si teipsum metiare bonis corporis, uides cẽ multis animantibus brutis sis inferior, magnitudine superant cameli, celeritate tigres, robore tauri, colore cygni, ornatu pauones, salubritate pisces, si quidẽ prouerbio credimus, imò pene omnia, oculorũ acie lynces & aquilæ, olfactu uultures, uiuacitate cerui coruiq;. Et tamen si quis corporis humani dotes cõsideret, inueniet hic in quo laudet dei misericordiã. Quanta sensuum sagacitas, quanta membrorum symmetria, cẽ accommoda ad uarios usus organa? Verum his de rebus etiam libru ædidit uir eloquentia singulari Lactantius, cui titulum indidit, De opificio dei. Is cum utilitate legetur, si quicquid in corpore boni est, meminerimus & hoc totum ut à dei misericordia profectum, mancipandum esse diuinis obsequijs. Alioqui qui uolet in corporis dotibus gloriari, statim audiet: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Item illud: Quid superbis terra & cinis? Ne in animi quidẽ dotibus, qua parte mirabilior est homo, habet quod sibi uindicet. Qui corpus condidit, idem cõdidit animũ, corpus finxit è limo, animum indidit afflatu oris sui. Et idcirco reliquorum animantium anima unà cum corpore perit, nostra superstes est corpori suo, donec recipiat illud in resurrectione promissa. Iam quàm sit res efficax anima, mors ipsa declarat, quæ simul atq; decesserit, iacet inutile cadauer: ubi calor, ubi color, ubi motus, ubi sensuũ omniũ uigor? Et tamẽ dum

Psal. 13

Psal. 15

Psal. 117

Psal. 3

Rom. 8

2. Cor. 4

1. Cor. 5

2. Cor. 12

Esa. 40

Eccle. 19

anima

anima tenetur illigata tam infelici corpusculo, nihil agens nisi per organa corporea, quæ frequenter obstant quo minus natiuam uim suam exerat, q̃ admirabilis est illa mentis humanæ celeritas & perspicacia? Quàm immẽsus memoriæ thesaurus? Quid est tam abditum in arcanis naturæ, uel in cœlis uel in terris, quod hominis ingenium non obseruarit, deprehenderit, absoluerit? Magnum est, quod multi ex astrorum situ motuq; prædicunt seculis aliquot post uentura: sed maius est, quod ex rebus conditis deprehensa est illius opificis sempiterna uirtus ac diuinitas, teste Paulo. Quanta uero uolubilitas humani ingenij, q̃ breui spacio, quàm multa simul cõtuetur intellectus hominis? Memoriæ uero q̃ immẽsa uis est, quæ tot rerum formas, tot rerum uocabula sensuum ministerio tradita, bona fide cõplectitur? Non enim hic loquar de his, qui tot tam cognitu difficiles disciplinas, tot insuper linguas perdidicerunt, quodq; didicerũt, tenent. Cogitet apud se quiuis è uobis, quot hominum facies ac nomina memoria complectitur, quot animantium, arborum, herbarum, locorum, aliarumq; rerum innumerabilium formas agnoscit, ac memoriter reddit uocabula. Has naturæ dotes uulgus appellat, quũ sint reuera diuinæ misericordiæ munera, quæ cuiq; partitur, non pro meritis nostris, sed pro sua benignitate. His omnib. quoniã filius prodigus abusus est ad humanę uolũtatis libidinẽ, non solum non detractum est quod datum erat, sed per gratiam addita est uberior charismatum munificentia. Per legem nos instituit, per filium quẽ totum nobis impendit, docuit nos arcana sue sapientiæ, per spiritum suum locupletat animos nostros uarijs dotibus, humanas uires superantibus. Dat intellectum mysticarum scripturarum, quę nobis prælucent & consolantur in omnibus malis: dat præscire futura, dat loqui linguis, contemnere uenena, pellere morbos, excitare mortuos, profligare noxios dæmones, dat uincere portas inferorũ, dat esse mẽbra Christi, filios dei, cõsortes regni cœlestis, cuius non erit finis. Hic mihi reputa qualis fueris conditus, nimirum altera ex parte luteus: deinde quanto infra pecudũ conditionẽ te deiecerit peccatũ. Rursus ad quã dignitatẽ, ad quã felicitatẽ uoceris, & perspicies domini misericordias nec numerũ habere nec mensurã. Quid scarabeis contẽptius? At purus est scarabeus, si cum peccatoris sordibus conferatur. Quid angelis sublimius? Nónne supra modũ omnem erat ex scarabeo facere Angelũ? Nunc hominem scarabeo abiectiorẽ, fecit angelo maiorẽ, ausim dicere, fecit deum. Quur enim non ausim dicere,
Psalm.18 quod audet scriptura diuina? Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Quicquid ex deo nascitur, quodammodo fit deus. Quicquid adglutinatur corpori & spiritui Christi, uenit in consortiũ cognominũ. Hic si nihil est quod tuis meritis possis ascribere, glorifica dei misericordiã, adora dei misericordiã, exosculare dei misericordiã. Quod si quis conetur hic aliquã portionẽ sibi quoq; uindicare, reclamabit ilico Paulus apostolus, hæc omnia gratiæ dei tribuẽs. Omnes huius epistolæ crepãt gratiæ uocabulũ, quod quoties audis, intelligere tibi commendari dei misericordiã. Gratiæ est, quod purgati sumus à peccatis: gratiæ quod credimus, gratiæ quod per spiritũ eius charitas diffusa est in cordibus nostris, iuxta
2. Cor. 3 quã operamur ea, quæ sunt pietatis. Nos enim nõ sumus sufficiẽtes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficiẽtia nostra ex deo est. Si uerum dixit Paulus, ubi sunt impudentes isti, qui uendunt quibuslibet sua bona opera, quasi tantum ipsis domi supersit, ut possint et alios ditare? Miserabiles sunt, qui sic uẽditant sua benefacta, maledicti
Apoc. 3 sunt qui cõfidunt in operib. hominũ. Qui priore morbo laborat, audiat quod in Apocalypsi audit ecclesia Laodicen. dicis: Diues sum & locupletatus, & nullis egeo, et nescis quoniã tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus. Sed grauius etiã peccant, qui cæteris ex bonorum operum suorum exuberantia pollicẽtur diuitias. Porrò quid suadet
Apoc. 3 huiusmodi spiritus sanctus? Suadeo, inquit, tibi à me emere aurũ ignitũ, probatum, ut uere locuples fias. Et tu qui conscius es paupertatis tuæ, quur mendicas à mendicis? Si quis, inquit Iacobus, indiget sapiẽtia, postulet à deo, qui dat omnib. affluenter, nec exprobrat. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Et tu petis ab homine uestem bonorum operum, qui hoc miserabilius est nudus, quo sibi uidetur magnificentius uestitus? Agnosce tuã miseriã, et parata est misericordia. Apud homines, qui imputant beneficiũ, qui repetunt officiũ mutuum cum fœnore, nihil charius cõstat, quàm quod precibus emptum est: apud deum nihil æque gratuitum est, q̃ quod duobus nummulis emitur, precatione et fiducia, quandoquidẽ hoc ipsum pretium largitus

largitus est, qui sic uendere uult suam misericordiam. Multa iam nobis dicta sunt fratres optimi, de Dei misericordia, sed longe plura restant dicenda, si uelimus omnia repetere e scripturis arcanis, quæ nobis diuinæ misericordiæ magnitudinem cõmendant. Superest ut uos paucis cohorter, ne quis ob arrogantiam se præbeat indignum tam obuia dei misericordia, aut ob animi peruersam deiectionẽ desperet dei misericordiã. Post hæc paucis indicabimus, quibus rebus prouocetur dei misericordia. Hæc erit denique nostrę cõcionis summa, si nobis dicentibus misericordia domini adesse dignabitur. Nihil ęque auersatur deus ac ceruicem elatam & contumacem: superbis enim resistit, humilibus autẽ dat gratiam, Ad hanc cæcã dementiam, ac dementẽ cæcitatẽ multos perducit temporaliũ rerum successus, ut uelut oblíti conditoris sui, uiuant ex animi sui libidine, adeo nõ cogitantes de corrigẽda uita, ut glorientur etiã in malicia, potẽtes iniquitate. Et ut alibi legimus: Gloriãtur quũ male fecerint, & exultant in rebus pessimis. De quibus scripsit Solomõ: Impius quũ in profundum malorũ uenerit, contemnit. De talibus & Paulus: Tradidit eos deus in reprobũ sensum, ut faciãt ea, quæ nõ cõueniunt. Horũ nonnulli sibi perpetuã malorũ impunitatẽ pollicẽtes, aspernantur salubrẽ admonitionẽ, non recipiũt quicquid prouocare potest ad pœnitentiã, dicẽtes, habeat sibi deus cœlũ suum, nobis relinquat terram. De his loquitur Moses in cantico suo, quũ cõmemoratis multis ac magnis dei beneficijs in populum Israelitarũ subijcit: Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit deum factorem suum, & recessit à deo salutari suo. Depingit hoc hominũ genus Psal. 72. In labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua, transierunt in affectũ cordis. Cogitauerunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatẽ in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlũ os suum, & lingua eorũ trãsiuit in terra. Sed audi quis exitus sequatur hãc infelicissimã felicitatẽ. Veruntamẽ propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum eleuarẽtur. Quomodo facti sunt in desolationẽ, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatẽ suam. Velut somnium surgentium, domine in ciuitate tua imaginẽ ipsorum ad nihilũ rediges. Qui semet ad exemplũ Luciferi erigunt aduersus deũ, ijs eueniet, quod in Euangelio cõminatur dominus: Vidi Satanã tanq̃ fulgur de cœlo cadentẽ. Audit & Corozaim opulẽtia rerum fluxarum impie tumens: Væ tibi Corozaim: quoniã quæ nunc es sublata in cœlum arrogantia tua, uindicta dei ad inferos detraheris. Tumebat quondam & Paulus fiducia patriæ legis ferox, ac spirãs minas & cędes aduersus discipulos domini, ideoq̃ dextra dei subito prostratus in terrã audit: Durũ est tibi cõtra stimulũ calcitrare. Verum in huius facto quoniã error erat, nõ peruersitas, misericordiã cõsecutus est. Mox ut ille agnouit, Dominus peccatũ ignouit, nec ignouit modo, uerum etiã ex lupo fecit ouẽ, ex tyranno Apostolũ. Sed illos manet execratio, qui perseuerantes in peccatis, tandẽ callo ducto nolũt intelligere ut bene agant, qui dicũt deo: Recede à nobis, scientiã uiarũ tuarũ nolumus. Rursus qui apud Esaiã similia loquũtur, quiq̃ domino uocãte ad fletũ, planctũ, decaluationẽ & cilicio, ipsi faciũt lætitiã & exultationẽ, mactãtes uitulos, & immolantes oues, ut comedant carnes, & bibãt uinum, dicentes: Edamus & bibamus, cras enim moriemur: quiq̃ apud eundẽ prophetã irridẽt minas domini, ad pœnitentiã prouocantis, manda remãda, manda remanda: expecta reexpecta, expecta reexpecta: modicum ibi, modicũ ibi. Quiq̃ rursus alio loco dicunt: Non audiemus dominũ, sed in peccatis nostris moriemur, his, iuxta uetus prouerbiũ, furor fit læsa sæpius patientia, et spreta domini misericordia uertitur in grauiorẽ condemnationẽ, Subijcit enim apud Esaiam dominus irrisus: Et erit eis uerbũ domini, manda remanda, manda remanda: expecta reexpecta, expecta reexpecta: modicũ ibi, modicũ ibi, ut uadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur & capiantur. Vadunt infelices, relictis suis prauis cupiditatibus semper in peius proficientes: cadunt in barathrum impietatis, illaqueantur funiculis peccatorũ, capiuntur æternę damnationis sagena, ducẽtes in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descẽdunt. O uere miseros homines, & exitio deuotos, qui tanq̃ uictimæ pingues saginãtur ad cędẽ, quos nec peccatorũ enormitas dedocet arrogantiã, nec tanta dei lenitas emollit ad pœnitẽtiã, Dei clemẽtia toties peccantẽ tolerat, ut resipiscas: indulget pœnitẽtię spacium, nec interim aufert abs te benignitatẽ suã, dat prosperã ualetudinẽ, dat opes, dat reliqua uitę cõmoda, ueluti carbones ignis cõgerens super caput tuum, ut si peccatum tuũ odisse non possis, quia

I. Pet. 5
Iacobi 4.
Psal. 51
Prouerb. 2
Ibidem 18
Roman. 1
Deut. 5
Luc. 10
Act. 9

per se

per se turpissimũ est, ideo saltẽ incipias odisse, quod tam amabili patri displiceat. Aeschinum adolescentem in comœdijs comperta patris mira lenitas erga peccantem commouet, ut in posterum obseruet eum religiosius, sic enim loquitur: Quid hoc est negocij? hoc est patrem esse. aut hoc est filium esse? Si frater aut sodalis esset, qui magis morẽ gereret? Hiccine non amandus? hiccine non in sinu est gestandus? Hem, itaq; adeo magnam mihi iniecit sua commoditate curam, ne forte imprudens faciam quod nolit, sciens cauebo. Si bene nata ingenia parentum lenitas docet odisse peccatum, tu infelix peccator tanta patris tui bonitate magis ac magis indurescis, nec audis Paulum à dementia reuocantẽ? An, inquit, diuitias bonitatis eius, & patientię & longanimitatis contẽnis? An ignoras quod benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. Nulla fera tam immanis est, quæ non mãsuescat officijs hominũ, & tu tam inaudita dei munificentia prouocatus, magis etiam ferocis in illum? Nulla res est tam dura, quæ non mollescat hominum arte. Aera liquescunt fornace, ferrum mollescit igni, cornu infusa cera lentescit, adamãtis inuicta duricies hircino cruore domatur: & ó cor plusquàm corneũ, plusquàm ferreum, plusquàm adamantinum, quod nec ignis gehennæ, nec patris lenissimi indulgentia, nec agni immaculati pro te effusus cruor emollit, imò quod his omnib. fit rigidius. Tolle trophæa, age triumphum impietatis, uicisti miser, uicisti artem diuinam, infelicissima uictoria: Infelix terra est, ut ait Paulus, & execrationi proxima, quæ quum frequenter excepe-
rit cœlestem hymbrem, nihil aliud progignit quàm spinas & tribulos, quanto infelicior, quæ toties irrigata pluuia diuinæ misericordiæ, durescit etiam in lapidem adeo rigidum, ut nullam diuini spiritus recipiat impressionem. Mosi legem tabulis saxeis inscripsit digitus dei, proinde tuum cor saxis illis rigidius est, cui nihil Euangelicæ legis inscribere potest dei spiritus. Quis nobis scindet hæc corda saxea, nisi ille, cuius mors scidit petras, ut exirent è monumentis qui mortui erant? Quis dabit nobis cor carneum, nisi sermo dei, qui pro nobis caro factus est? Verum his quoq; deploratiores sunt, qui suis peccatis blandientes, blasphemas & impias ferunt opiniones, negantes esse deum in excelso: aut si est, nihil ad illum pertinere res mortalium: non esse uitam post corporis interitum, non esse paratam immortalitatem his, qui hic pie uixerunt in Christo Iesu: nec esse paratam gehennam his qui hic seruierunt satanæ, inanes esse minas scripturarum, uana esse promissa Euangelij: aut qui peruersa scripturarũ interpretatione sua scelera pro benefactis defendunt: ac sermonem dei, ad cuius regulam oporteret deprauatas animi cupiditates corrigere, cogunt patrocinari turpitudini suæ, cæteris criminibus, hæresis impietatem ceu pessimum colophonem imponentes. Optimo iure ad tantę impietatis mentionem, pallor occupans faciem, ac totius corporis tremor obortus, declarat quanto pere quod audistis, execremini. Sed utinam ista non audiremus etiã inter Christi nomẽ professos. Ostendi uobis Scyllam, in quam illisi complures, pereunt. Ostendam & Charybdim, periculum & illo grauissimo grauius ac formidabilius. Hi sunt, quos Cain & Iudam proditorẽ secutos, in æternum exitium absorbet uenię desperatio. Eadem pernicies est, licet diuersa sit pereundi ratio. Pharao induratus, dicit: Non noui dominum nec dimitto populum. Quid Cain? Maius est peccatum meum, quàm ut ueniam merear. Porrò Iudas quid? Peccaui prodito sanguine innoxio. Vterq; peccati magnitudinẽ agnoscit, uterq; cõfitetur, utrumq; facti pœnitet, sed uterq; recedit à facie domini, apud quẽ solũ est misericordia, & copiosa à peccatis redẽptio. Sic enim legis de Cain: Egressusq; Cain à facie domini, habitabat profugus in terra ad Orientalem plagam etc. Et Iudas egressus è conuiuio sanctorum, non est reuersus: infelix, qui sic egreditur à facie misericordiæ dei, ut non reuertatur. Hic est, opinor, de quo sensit Hieremias, quum ait: Nolite flere mortuum, neq; lugeatis super eum, plangite fletu eum, qui egreditur, quia non reuertetur ultra. Mortuum non uult defleri, quod aliquãdo sit reuicturus. Ille omni lachrymarum genere deplorandus est, qui semet auertit à fonte uitæ perẽnis, nec unquàm per pœnitentiam, unde abijt, reuertitur. Abierat filius? ille profusor ac nepos in regionem longinquam, reliquerat domũ amantissimi patris, sed reuersus est. Longe recesserat à domino Petrus, quum ter illum abiuraret: sed mox reuersus est, dum recordatus sermonis, quem dixerat Iesus, cœpit amare flere. Exciderat sibi, sed reuersus in sese, reuersus est ad Iesum. Sic clamat Esaias: Mementote istud, & confun-

Exodi 5
Genes. 4.
Matth. 27

22

40

damini

damini, & redite præuaricatores ad cor. Recordatus est Petrus, & rediit ad cor: ablatum est ab eo cor saxeum, cor pumiceum, unde nulla lachrymarũ stilla poterat extundi: datum est cor carneum, unde mox erupit fons lachrymarũ: amarus ob dolorem pœnitentiæ, sed salubris ob redditam innocentiam. Iudas autem non est reuersus ad Iesum, sed abiit ad sacerdotes & pharisæos, retulit funestam pecuniam, inde cõfugit ad infelicem laqueum & crepuit medius. Hæc ad nostram institutionẽ in suis discipulis permisit dominus. Vides duorum apostolorum peccantiũ & diuersus sit exitus. Iudas toties domini mansuetudine prouocatus ad resipiscentiã, perstitit in impio proposito. Sed Petrus ad intuitum Iesu recordatus sermonis dominici, statim agnouit se ipsum, ac uelut indignũ præsente domino, subducit sese, non ad laqueũ, sed ad fletũ, hoc est, nõ ad desperationẽ, sed ad remedium. Iudas imitatus Cain huius mali principẽ agnouit quidẽ peccati sui magnitudinẽ, sed nõ est recordatus sermonũ diuinorũ, qui nusq; in libris sacris nõ inuitãt ad reditũ: prouocãt ad pœnitentiã, & pollicentur misericordiã. Nam quæ pagina est in libris sacris, quæ non sonet dei misericordiam? Non loquor solum de libris noui testamenti, quæ lex est gratię, uerũ etiã de ueteri testamento, quæ rigidior esse putatur. Audiamus q; blande dominus apud Hieremiam sub persona sponsæ, quæ deserto marito, se prostituerat passim omnib. populũ suũ reuocet ad pœnitentiã: Conuertimini, inquit, filij reuertentes, dicit dominus, *Hiere.3*
quia ego uir uester. Et apud Iob dominus reuelat aurem peccatorũ, ut corripiat: & loquitur, ut reuertantur ab iniquitate. Sed miseri, qui ad hanc domini uocem obturant aures suas, similes aspidi surdæ, quæ studio obstruit aures, ne audiat uocem incantantis sapienter. *Iob 16*
Hodie, inquit psalmus, si uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Hodie nostrũ *Psal.49*
est, quamdiu sumus in hac uita, quæ donec manet, non desinit nobis loqui dominus, prouocans ad pœnitentiã, offerens paratam ueniã. Quid dixi ueniam? Maior est misericordia dei, quæ reuersis pollicetur opimam munificentiã. Sic enim legimus in libro Iob: Si reuersus fueris ad omnipotentẽ, ædificaberis, & lõge facies iniquitatẽ à tabernaculo tuo: *Iob 22*
dabit pro terra silicẽ, & pro silice torrentes aureos. Audiamus misericordiã domini apud Esaiã inuitantẽ ad pœnitentiã: Si quæritis, inquit, quærite, cõuertimini et uenite: si quęritis finẽ malorũ, ne quęrite à filijs hominũ, in quib. nõ est salus: ne à maleficis, ne à laqueo, *21*
sed à me quærite, qui solus & possum, & paratus sum ignoscere. Tantũ auertamini ab his quæ turpiter amastis, & conuersi, uenite ad me. Rursus apud eundem prophetam, uniuersum genus mortalium inuitans ad se, loquitur: Nunquid non ego dominus? & non est ul- *45*
tra deus absq; me. Deus iustus & sanctus non est præter me: conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego deus & non est alius. Hæc dominus loquitur gentibus idololatris, homicidis, sacrilegis, parricidis, incestis, blasphemis: & tu miser per desperationem auerteris à domino? Olim quum impune regnaret inter gentes peccatum, miseri- *Hiere.18*
cordia uidebatur contracta intra angustos Iudææ terminos. Cæterum per Euangeliũ dilatata est misericordia per uniuersos fines terræ. Apud Hieremiam item comminatur pœnam obstinatis, sed offert paratã ueniam resipiscentibus: Si gens, inquit, illa pœnitentiam egerit à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui facere ei. Et qui paulo ante minitabatur subuersionẽ, eradicationẽ, ac dis- *Ezech.18*
persionẽ, diuersa promittit, & subito inquit: Loquar de gente & regno, ut ædificẽ, & ut plantem illud. Similiter apud Ezechielem, non solũ promittit ueniam redeunti, uerũ etiam amnestiam illam Græcorum prouerbio celebratam, hoc est, omnium superiorũ malorum obliuionẽ: quum enim ante commemorasset omne genus facinorũ ac flagitiorum, subijcit: Si autẽ impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis, quæ operatus est, & custodierit uniuersa præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiã, uita uiuet & nõ morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Nunquid uoluntatis meæ *Ibidem*
est mors impij, dicit dominus deus, ac non magis ut conuertatur à uijs suis & uiuat? Et ali quanto inferius: Conuertimini & agite pœnitẽtiam ab omnibus peccatis uestris, & non erit uobis in ruinã iniquitas: projcite à uobis omnes præuaricationes uestras, in quibus præuaricati estis: & facite uobis cor nouum & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortẽ morientis, dicit dominus deus, reuertimini & uenite. Quur desperas miser, quũ deus in hoc miserit filiũ suũ in terras, ut spem bonã haberes? Ipse ni- *Psal.47*
mirũ est dei misericordia, de quo canit psaltes: Suscepimus deus misericordiã tuã in me-

dio templi tui. Esto in tẽplo, & amplectere misericordiã. Ille resurgens clamat: Nolo mor
tẽ peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat: Audi uocẽ hanc infelix peccator, excute
letalẽ somnũ, resurge cũ Christo, ut uiuas in illo. Tibi reuixit ille, ne te semper occuparet
mors peccatorũ. Ac ne quis suspicetur hanc dei clementiam non esse paratã: aut non pa
ratã, nisi his qui leuia quædam & pauca commiserint, audi dominum clara uoce pollicen
tem: Quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum illius non recordabor.
Non excepit criminum genus, nõ perpendit magnitudinẽ aut multitudinẽ admissorum.
Tantum ingemisce, & parata est omnium superiorũ criminũ obliuio. Pro leuioribus cõ
missis, sine quibus non uiuit humana imbecillitas, quotidie dei misericordiam inclama
mus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:
& audimur si modo audierimus proximũ orantẽ ut ignoscamus. Quin & in capitalibus
admissis ordo quidam est, quemadmodũ apud homines quidam leuius dormiunt, sic ut
facili sibilo excitentur: sunt qui altius, ut clamore sit opus, sunt qui altissime, ut uix multa
uellicatione expergiscantur: ita apud deum alij leuius mortui sunt, alij grauius, alij grauis
sime. Nullum autem mortis genus tam deploratũ & conclamatũ, quod ille sua uoce non
propellat, ad cuius uocẽ resurgunt etiã hi, qui in monumẽtis sunt: neq; quenq; tam pro
Triplex mortuorũ genus. fundus mortis sopor occupat, ut per eum non possit excitari. Hoc triplex peccatorum di
scrimen pij scripturarũ interpretes existimãt nobis significatũ in tribus funeribus, quæ le
gimus à domino Iesu reuocata in uitã. Archisynagogi filiã, puellam duodecim annos na
tam excitauit in ædib. paucis admissis testib. uetuitq; proferri quod erat gestũ. Hi sunt qui
primũ nõ ex destinata malitia, sed uel per lubricũ ætatis, uel p imbecillitatẽ humanã, sic in
crimẽ aliquod prolapsi sunt, ut nondũ in malo callũ duxerint, nondũ fœdus rumor exsce
lere cõtractus sit. Hos porrecta manu facile erigit dominus Iesus, tegens etiã illorũ turpi
tudinẽ, & pudori consulens. Cæterũ uiduæ filiũ excitauit maiore negotio. Iam cadauer
efferebatur ad sepulchrũ. In tẽpore uero factus obuius dominus, cõmotus mulierculæ la
chrymis, iubet sisti loculũ, erigit adolescentẽ. Is primũ residet, deinde loquitur, mox exilit
è loculo, ac matri redditur. Hi nimirũ sunt, qui eò progressi sunt in uitijs, ut nec infamia re
uocari potuerint à peccãdo. Hi per publicã pœnitentiã paulatim reuocãtur ad uitã. Resi
det enim, qui peccare desinens erigit sese ad propositũ uitæ melioris. Loquitur, qui cõfes
sus suã turpitudinẽ agnoscit dei misericordiã, redditur uiuus matri, qui peractis remedijs,
restituitur ecclesiæ cõmunioni. Lazarus aũt iam fœtebat in monumẽto. Tantũ defletur à
desperantibus sororibus & amicis. Hic Iesus iubet ostendi sepulcrũ, lachrymatur, infre
mit & turbatur spiritu, iubet tolli saxum, magno clamore iubet prodire foras, prodit, sed
obuinctus, soluitur, atq; ita demum redditur sororibus. Nõ magnũ erat domino suscitare
cadauer quatriduanũ, maius est excitare peccatorem qui iam annis quadraginta in omni
Esa. 65 turpitudinis genere non uixit, sed cõputruit. Puer, inquit, centũ annorũ morietur, & pecca
cator centum annorum maledictus erit. Et hunc dignabitur suscitare dominus Iesus, mo
do tandẽ audiat uocantẽ. Quotidie clamat, surge puella, surge adolescẽs. Lazare ueni fo
ras. Sed heu plericq; pluscq; mortui, nõ audiũt uocẽ reuocantis in uitã. Quid aũt est audire
nisi credere? Incredulitas obturat aures impiorũ, quo minus uox scripturæ diuinæ pene
tret in animos. Rogemus domini misericordiã, dignetur intendere uocem suã omnipo
tentẽ, talibusq; miseris ac deploratis occinere: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi,
Marci 8 exi ab eo, & amplius ne introeas. Iam quo rectius perspicias, q̃ parata sit misericordia do
Psal. 31 mini respiscẽti, audi Dauid: Dixi confitebor aduersum me iustitiã meã dño, & tu remisi
sti impietatẽ peccati. Nondũ cõfesso, sed tantũ meditãti cõfessionẽ occurrit misericordia.
Ingemisce, cõfitere, sed corã dño. Multi ingemiscũt apud homines, plorãt apud homines,
cõfitentẽ apud homines, scindũt uestes, sed apud homines, induũt cilicio, aspergũt capiti ci
nerẽ, sed apud homines. Quæ si fiant apud deũ, hoc est, ex toto corde, ex syncero affectu,
non cessat misericordia domini: Scindite, inquit, corda uestra, & non uestimenta uestra.
Ioh. 2 Nam cor contritum & humiliatũ deus non despiciet. Ploremus, inquit Psalmographus,
Psal. 50 coram domino, qui fecit nos. Multi ieiunant, sed non eo ieiunio quod uult dominus, mul
Ibidem 94 ti commutant amictum, at non commutant affectum. Et tamen incidit, ut hæc quoq; sint
apud homines facienda, ut quos nostra malicia prouocauit ad peccandum, eos ad respi
scendum reuocet pœnitentia. Sed hæc inutiliter fiunt apud homines, nisi prius fiant in

oculis

oculis dei. Confessus est Iudas peccatum suum, sed apud pharisæos: si cõfessus fuisset domino, statim complexa fuisset eum clementissima domini misericordia. Et quo gratior sit domino nostra cõfessio, Osee propheta confessionis etiam formam nobis dictat: Tollite, inquit, uobiscum uerba, & reuertimini ad dominũ, & dicite ei, omnẽ aufer iniquitatẽ, & accipe bonũ, & reddemus uitulos labiorũ nostrorũ. Reuertamur & nos q multis modis aberrauimus ad eum, qui solus tollit peccata mundi, qui pro nostris peccatis effudit pretiosum sanguinẽ, dicamus illi: Aufer à nobis omne malũ, quod perpetrauimus. Gratisne? Et accipe bonũ. Quod bonũ? uitulos labiorũ nostrorũ. Agemus gratias tuę misericordię, cui debebimus quicquid post lapsum boni gesserimus: auferes à nobis quod nostrũ est, et accipies à nobis quod tuũ est. Vide uero quàm huic concinit propheta Iohel eandem sententiã alijs uerbis referens: siquidem apud hunc deus dira cõminatus his, qui negligerẽt oblatam ipsius misericordiam, sic infert: Conuertimini ad deum uestrum, quia benignus & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis, siue ut Græci codices habẽt, μετανοῶν, hoc est, pœnitens super malicia. Deijcit te magnitudo criminum, sed erigat magnitudo misericordię diuinæ, eã uide quot modis exaggeret propheta. Benignus est, pro quo septuaginta uerterant, ἐλεήμων, hoc est misericors. Id quanꝯ satis erat, ne desperaremus ueniam, addit et miserator, quod septuaginta οἰκτίρμων, ut intelligamus illum nostris malis etiam indolescere, non solum succurrere. Nec hoc cõtentus, addit patiẽs, quod significantius Græce dicitur μακρόθυμος, hoc est, leni animo, minimeq; celer ad uindictã, quemadmodũ humana misericordia facile uertitur in indignationẽ. Et adhuc desperas ó peccator. Audi igitur quod sequitur, & multæ misericordiæ, quod Græcis est, πολυέλεος. Si multa sunt peccata, ne diffide, multa est misericordia. Quid nunc supereſt, nisi ut cõuertaris & adeas inuitantẽ? Sed terrent minæ supplicij, audi & respira, & præstabilis super malicia. Incertum quare quod septuaginta uerterant μετανοῶν, hoc est, pœnitens, diuus Hieronymus uerterit præstabilis: nam Latinis præstabile dicitur, quod præstari, hoc est, effici potest: malicias autẽ dixit, afflictiones, quæ nostris peccatis debebantur. Aufert peccata, remittit æternã pœnam cõmeritam. Quid igitur supereſt? nihil nisi ut agnoscas dei misericordiã. Nimirũ hoc est, quod sequitur apud Iohelẽ: Et dimittet post se benedictionẽ, sacrificiũ & libamen domino deo nostro. Videlicet hoc erat quod Osee dixit, uitulos labiorũ id est, sacrificium laudis & gratiarũ actionis. Si quis grauiter ac frequenter offendisset hominẽ, & difficilis recõciliatio, & memor iniuriarum animus. q̃ tarde senescit ira, & facilis quauis ex causa relapsus ad ueterẽ simultatẽ, q̃ morose exigitur offensę pẽsatio: & tamen si sic quoq; recipiunt in gratiã, clementes uocãtur. Deus toties offensus ultro prouocat ad pœnitentiã, inuitat ad ueniã, remittit minas, cõdonat gehennę pœnã, offert pro supplicio benignitatẽ, et adeo nõ auertit seſe à resipiscẽte peccatore, ut ultro etiã occurrat reuertẽti, & obuijs (ut aiũt) ulnis excipiat cõuersum. Nimirũ hoc est quod apud Zachariã pollicet: Cõuertimini ad me dicit dñs exercituũ, & cõuertar ad uos, dicit dñs exercituũ. Quid est, cõuertimini ad me? agnoscite uestrã miseriã et expetite meã misericordiã. Quid est, et ego cõuertar ad uos? Ilico ex uindice factus opitulator, adiuuabo conatus uestros, ut quod uestris uiribus non potestis efficere, meo fauore cõsequamini. Nemo potest salubriter odisse peccata sua, nisi deus dederit, nisi auferat cor lapideũ & inserat cor carneũ: nisi pro corde polluto, creet in nobis cor mundũ: nisi pro spiritu prauo spiritũ rectũ innouet in uisceribus nostris. Sed quur hæc opera mihi sumitur in recensendis aliquot ueteris scripturę locis, quæ declarent admirabilẽ domini misericordiã? Tota ueteris instrumẽti scriptura undiq; nobis prædicat, occinit, inculcat dei misericordiã. Et ubi sunt illi phrenetici uerius & hęretici, qui duos ex uno faciunt deos, alterũ ueteris testamẽti, qui tantũ iustus fuerit, nõ etiã bonus: alterum noui, qui tantũ bonus fuerit, iustus non item. Non saltẽ illam audiere cantionẽ, quæ toties iteratur in psalmis: Confitemini domino, quoniã bonus, quoniã in seculũ misericordia eius? Vbi uæsanus Manichæus, qui docuit eũ, qui nobis tam amãter locutus est per prophetas, quicq; Mosi legẽ condidit, non fuisse uerũ Deũ, sed unũ è noxijs dæmonibus? Idem deus est, utriusq; legis, eadẽ ueritas, eadẽ misericordia, per Iesum Christum dominũ nostrum, nisi quod in Mosi lege sunt umbrę, in Euãgelio ueritas, in illa promissio, hic exhibitio: ibi multa & magna misericordia erga Iudæos, hic totus ille misericordiæ fons, uel mare potius exuberauit in omnes totius orbis nationes, inundatione sua

Osee 14

Iohel. 2

Zach. 1

Psal. 117

θάλασσα κλύζει proluens,& profligans omnium mortalium mala.Hoc uidelicet erat illud felix diluuium misericordiæ. Vetus illud diluuiũ seruatis paucis oppressit peccatores, hoc salutare diluuium,deletis criminibus seruat omnes credentes filio dei. Qui in ueteris testamenti libris resipiscentibus Hebræis promittit ueniam,idem præsens in Euangelio clamat omnibus: Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos,& inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est,& onus meum leue. Relege totam Christi uitam, quid aliud uides quàm perpetuam in omnes misericordiam? gratis sanabat ægrotos, pauit famelicos, subleuauit pericli tantes,mundabat leprosos, cæcis impartijt lucem, debiles & mancos restituit, dæmonia profligauit,mortuos restituit,pœnitentes absoluit.Rursus excute doctrinã illius uniuersam,quid aliud resipit,quàm immensam dei misericordiam? Quot parabolis rem eandem inculcat animis nostris, ne qua posset elabi? Quid enim aliud agit parabola de oue reuecta humeris pastoris,de drachma perdita & inuenta,de sanis quibus nõ est opus medico,de seruo cui donatum est omne debitum:rursum de fœneratore qui donauit utrisq; debitoribus,de publicano & Pharisæo,de uiatore saucio,quẽ Samaritanus curat,de œconomo benigno in debitores,fraudulẽto in dominũ:de filio prodigo recepto? Quin ipsum Euangelij uocabulũ,nónne statim misericordiam pollicetur? Quid enim pollicetur? Cæcis lucẽ,captiuis remissionem,confractis restitutionẽ,breuiter annum acceptabilẽ domino,qui nihil aliud sitit & salutem hominũ.Iam ipsum nomẽ Iesu, hoc est,seruatoris, quid aliud pollicetur peccatori,& salutẽ & misericordiam? Si iudicem professus uenisset, erat quur sibi quisq; formidaret, nunc seruatorẽ audis,& desperas salutẽ? Deniq; quo certior esset fiducia salutis, quoniã incredibile uideri poterat sanguine hircorũ ac uitulorum expiari tãtam lernam criminum,quibus inquinatum erat genus humanum uniuersum,ipse dei filius conscendit aram crucis,ac pro nostris peccatis immolauit seipsum uictimã efficacẽ omnibus omnium peccatis expiandis. Atq; in ipsa cruce pendẽs orat pro crucifixoribus.Pro conuiciantibus & insultantibus:& tu putas negaturũ ueniam agnoscenti peccatum tuum & imploranti misericordiam? Confide misericordi, & experieris misericordiam.Fides nihil non impetrat à Christo. Qui diffidit medico,sibi obstat, quo minus recipiat sanitatẽ.In tantum uero non auersatur preces miserorum ad se clamãtium deus, ut alienæ quoq; precationi,si modo adsit fiducia,tribuat misericordiã. Clamat Chananæa, & sanatur filia:confidit Centurio,& restituitur famulus:rogat Archisynagogus, & reuiuiscit filia:deprecatur pater, & filius à pessimo dæmonio liberatur. Clamant Apostoli: Matth.8 Domine serua nos,perimus, & seruantur omnes.In multis non expectauit preces oris,ui Matth.9 det fidem baiulorum,& dicit paralytico:Confide fili,remittuntur tibi peccata. Tantum plorat mater & comites,& surgit extinctus adolescens:tantum lachrymantur Martha et Luc.7 Maria, & reuiuiscit Lazarus:plorat Maria peccatrix,ungit & osculatur,& audit:Remittuntur tibi peccata.Satis rogat,qui morbũ agnoscit,uehementer rogat, qui plorat & confidit.Mulier profluuio sanguinis obnoxia furtim cõtingit uestem Iesu,& ilico sensit uim prodeũtis misericordiæ.Multos item alios sanatos legimus cõtactis uestibus Iesu. Adeo nusq; non est parata illius misericordia, & ad quamuis occasionem subleuat miseros. Si non audes compellare Iesum,si non potes contingere Iesum,saltem furtim continge fimbriam,adito sanctum aliquem in quo relucet pietas ista,ut suis precibus te cõmendet misericordi domino.Per hos enim exerit sæpe uirtutem suam,undiquaque paratus ad conferendam omnibus salutem.In hoc uenerat,hic erat cibus quo pascebatur,ut peccatores adduceret ad pœnitentiam.Quin & in Genesi quum impij sceleribus suis prouocassent iram domini,tamen ad preces Abrahæ tot ciuitatibus exitio deuotis, ueniã daturus erat dominus,si decem ibi iustos inuenire contigisset.Commeruerat internitione deleri populus Israeliticus,& dominus ad unius Mosi preces cohibet uindicem gladium.O cæcos,ó ingratos,qui tam obuiam,tam ubiq; paratam Domini misericordiam negligunt: sed infelliciores qui desperant quod ultro,quod gratis offertur.Facile placatur,qui nolens ulciscitur.Quid enim aliud sonat illa uox:Et quare moriemini domus Israel? Rursum alibi deEzech.18 plorat,quod expanderit manus suas tota die ad populum incredulum & cõtradicentem. Mich.6 Iterum apud Michæam:Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi, respondeEsaiæ 5 mihi. Similiter apud Esaiam: Quid est quod ultra debui facere uineæ meæ, & non feci eis? Domi-

ei? Dominus nihil non facit, ut nos seruet, & nos uolentes abijcimus spem salutis? In Euangelio lachrymis etiam prosequitur Hierosolymam, quæ sibi pertinacia peccandi exitium accersebat. Quoties, inquit, uolui cõgregare te, sicut gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluistis? Dominus clementissimus plorat, quod non liceat seruare miseros, & nos illi diffidimus, quasi seruare nolit? In Euangelio tota domus perstrepit gaudio, quod filius qui mortuus fuerat, reuixerit: qui perierat, receptus sit. Pater ille bonus cohortatur totum angelorum ac sanctorum cœtum ad commune gaudium, quod unus peccator reductus sit ad pœnitentiam: & tu miser desperas, & tibi salutẽ inuidens, & domino tam ingens gaudium? Quem cruciat peccatorũ interitus, quem exhilarat impiorum cõuersio, eum credimus negaturum ueniam resipiscẽtibus? Vocat omnes ad nuptiale cõuiuium. uult impleri domum suam, etiam cæcos & claudos compellit intrare. Quid tu restitas miser? Quur non potes auelli à porcorum siliquis? Quur pugnas aduersus misericordiam domini? Sapientia dei Christus est. Et iuxta Solomonem egressa domum paternam, ue- *Prouerb. 1*
nit in mũdum, foris prædicat, & in plateis dat uocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert uerba sua, dicẽs: Vsq; quò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odio habebunt scientiam? Conuertimini ad correptionem meam. En proferam uobis spiritum meum, & ostendam uobis uerba mea. Quid est stultius, quàm ob res fluxas ac momentaneas priuari bonis æternis? Quid sapientius, quàm breui tolerantia lucrifacere immortalitatem? Desipiunt igitur omnes qui perseuerãt in peccatis: sapiũt qui uitã in melius cõmutant. Quantis laboribus scrutamur rem uilissimã in metallis, & tantum thesaurũ oblatũ & gratis oblatũ aspernamur: aut, quod stultius est, desperamus? Diues est in misericordia deus. Opũ humanarum thesaurus exhauritur largiendo: misericordiæ thesaurus non potest exhauriri. Addam & illud, quo magis adimam omnibus ueniæ desperationem. Obstrinxit homini deus suã fidem, nec, ut ait Paulus, seipsum abnegare potest. Non recusat argui, si quod pollicitus est, non præstiterit. Sic enim loquitur apud Esaiam populo undiq; contaminato: La- *Esaiæ 1*
uamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & arguite me, dicit dominus. Audisné peccator? Quid aliud requirit abs te misericors dominus, nisi uitæ mutationem? Et ne quid deijciat animum tuum flagitiorum enormitas, audi paratam omnium ueniam: Si fuerint, inquit, peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. & si fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lana alba erunt. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quis tam demens, qui nolit seruari? Quid facilius, quàm audire patrem amantissimum, nihil imperantem, nisi quod ad nostram pertinet felicitatem? Si uolueritis, inquit, & audieritis. Nemo seruare potest inuitum. Salus autẽ per fidem, fides per auditum. Prope est sermo salutifer in corde tuo & in ore tuo. Tantum ne clauseris aures cordis. Iam si rex quispiam perduellionibus aut læsæ maiestatis conuictis ita loqueretur, quicquid hactenus tentatum aut gestum est, totũ cõdono, parata est omnibus uenia, modo posthac à simili facinore cõquiescant: nónne omnes fateãtur prodigiosam principis misericordiã, qui nec in corpora fontiũ sæuiat, nec bona fisco suo applicet? Deus aũt etiã præmio inuitat ad correctionẽ uitæ. Bona, inquit, terræ comedetis. Prorsus enim indigni sunt ut fruantur huius mũdi bonis, qui largitorẽ omniũ suis scelerib. offendunt. Sed quanto munificẽtius est, quod nobis promittit Euãgeliũ? Dabo uobis cor nouũ, dabo spiritũ nouum, per quem ex mancipijs diaboli fietis filij dei, per quem efficiemini mẽbra filij mei unigeniti, per quẽ succedetis in hæreditatem regni cœlestis. Hic est, inquit, filius meus dilectus, ipsum audite. Quur ó Iudæe à ueritate aures auertens, conuerteris ad fabulas Talmudicorum & Deuterotarum? Quur tu morosophe uersus quàm philosophe obturatis aduersus hunc doctorem auribus, Platonibus auscultas, & Aristotelibus? Quur infelix Euæ progenies audis serpentẽ uanis promissis ad exitium prolicientem, & non audis dei filium ad æternæ felicitatis consortium inuitantem? Pœnitentiam, inquit, agite, instat regnum cœlorum. Filius promittit, pater fi- *Actuum 2*
deiubet, datur interim arrabo spiritus: & tu dubitas amplecti tãtam felicitatem oblatam? Nec alia uox est apostolorum, quàm domini: Pœnitẽtiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis do-

tis donum ſpiritus ſancti. Ac mox: Seruamini à generatione iſta prauа, ut ſeruemini: relin quite uitam ſpurcam, fœdam, miſeram, & accipite uitam æternam. Accurrunt milites, pu blicani, meretrices, idololatræ, parricidæ, magi, lenones, inceſti. Nullus excluditur, omni bus ex æquo patet aditus ad miſericordiam. Non imputatur uita ſuperior, modo pœni teat, ne uero putes hanc domini miſericordiam, ultra baptiſmum non porrigi, quamuis Montanus à baptiſmo prolapſis occludat fores eccleſiæ, dominus nunq̃ occludit oſtium regni cœleſtis. Datus eſt ſemel ingreſſus in eccleſiam per baptiſmũ, cuius typum gerit ar ca Noe, ſed relicta eſt per dei miſericordiam omnibus ſecunda poſt naufragium tabula, imò reditus in arcam per pœnitentiam. Nec enim iteratur baptiſmus, quemadmodũ nec mors Chriſti, ſed ſupereſt aqua lachrymarũ, qua iam extergũtur ſordes criminum: ſuper eſt nitrum ſalutiferæ contritionis, & herba Borith. Oportebat quidem eos, quibus ſemel gratis condonata fuerunt omnia peccata, quiq̃ conſepulti cum Chriſto, per baptiſmum, cum eodem reſurrexerunt in uitæ nouitatẽ, perſeuerare in tanto dono, quod acceperant. At miſericors & miſerator dominus, non ignorans imbecillitatẽ humanæ naturæ, pœni tẽtiæ remediũ uſq; ad finẽ uitæ omnib. paratũ eſſe uoluit. Verũ quoniam nulli certus eſt mortis dies, uigilandũ eſt omnibus, ne contemnant dei bonitatẽ: ſed ſi relapſi fuerint, ſta tim properẽt ad remedium, prius q̃ morbus aſſuetudine reddatur immedicabilior. Qui dam olim ingenti periculo differebãt baptiſmum uſq; ad extremũ uitæ diem, quos alij cli nicos, alij aſperſos appellabãt, ueluti Chriſtianos parũ γνησίους: ſed maiore periculo pec cator prorogat pœnitentiæ remedium, quod nuſquã non eſt paratum. Non ſemper adeſt baptiſtes, ſed uel in lecto cubans potes iniuſticiã tuam confiteri domino, uitæq; correcti oris propoſitum ſumere. Non ſemper adeſt, qui corpus abluat: ſemper adſunt lachrymæ, quibus abluas animæ ſordes. Nec ſine cauſa dubitatum eſt, an efficax eſſet ille baptiſmus, quo iam deſperata uita, ac tantum non animam agentes aſpergebãtur, uerius q̃ tingeban tur. Declarabant enim ſe perpetuo peccaturos fuiſſe, ſi perpetuo licuiſſet uiuere: ſed mul to iuſtius dubitatũ eſt à magnis uiris, an frugifera ſit pœnitentia, quam ſtudio dilatã, iam hinc exituri ſuſcipiunt, non ſuſcepturi niſi mors urgeret. Quemadmodum enim terra fre quenter irrigata cœleſti pluuia, nec aliud proferens cultori ſuo, q̃ ſpinas & tribolos, exe crabilis eſt & igni traditur: ita deus nonnunq̃ ob pertinaciter ſpretam ipſius bonitatem, tradit eos in reprobũ ſenſum. Quare conſultiſsimũ eſt fratres dilectiſsimi, non in longum proferre correctionem uitæ, ſed protinus ad uocem inuitãtis domini exuere ueterem ho minem cum factis ſuis & cõcupiſcentijs, ne toties nõ exauditus dominus, uiciſsim nõ au diat nos clamantes ad ipſum. Terribilis uox eſt qua cõminatur his qui miſericorditer uo cantem nolunt audire, Quia, inquit, uocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & nõ fuit
Prouerb.1 qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu ueſtro ridebo & ſubſannabo, quum uobis id quod timebatis aduenerit. Quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quum uene rit ſuper uos tribulatio & anguſtia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Mane conſur gent, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorẽ domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint uniuerſæ correptioni meę. Va rijs modis deus corripit nos ut corrigat. Tandem ubi pertinacia noſtra uicit omnia reme dia, deſtituit nos ut deploratos, proprioqúe relinquit arbitrio. Quemadmodum medicus nihil non expertus quidquid ars poteſt ad depellendum morbum, ubi uidet ægrotum o mnia pharmaca reſpuere, tandem illum ſuo morbo relinquit, tanquam qui nolit uiuere.
Pſal.100 Miſericordiam, inquit, & iudicium cantabo tibi domine. Iudicij dies manet omnes, po ſteaquàm hanc uitam reliquerint. Quàm diu durat hæc uita, ſpes eſt miſericordiæ. Er go dum uiuis, implora domini miſericordiam. Verum qui agunt animam, aut quos extre
Eccle.17 ma ſenectus grauat, iam quodam modo uiuere deſierunt. Audi ſapientis Hebræi conſili um: quiſquis ex die in diem trahis funiculum iniquitatis, nec finem peccandi facis. Con uertere, inquit, ad dominũ, & relinque peccata tua. Precare faciem domini, & minue of fendicula. Reuertere ad dominum, & auertere ab iniuſticia tua, & nimis odito execratio nem: & cognoſce iuſtitias & iudicia dei, & ſta in ſorte propoſitionis & orationis altiſsi mi dei, in partes uade ſeculi ſancti cum uiuis & dantibus confeſsionem deo. Non de moreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil perit con

feſsio

fessio. Confiteberis uiuens, uiuus & sanus confiteberis, & laudabis deum, & gloriaberis in miserationibus eius, quia magna misericordia domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se. Audis paratam magnam dei misericordiam, sed si uiuus & sanus confitearis domino. Quid autem dicemus de his quibus corpore iam defecto ad peccandum, tamen non ponit animus peccandi libidinem: quicq; quum ob corpus senio præmortuum, turpia patrare non possint, tamen nequiter dicere non desinunt? Quomodo uiui confitebuntur domino, qui prius uiuere desierunt, quàm peccare? Quin & tu, cui floret ætas, quur in dies, menses, & annos prorogas uitæ correctionem? Si corpus tuum laboraret hydrope, ac præsto esset præsens, certumq; mali remedium, num diceres: Anno proximo curabo morbum? Non sic desiperes, sat scio, sed auidissime properares ad sanitatem. Et in animi morbis tanto periculosioribus, cessas, recrastinas, comperendinas, imò in mortis diem salutem tuam profers: Et quis tibi sponsor est, uel in crastinum diem uicturum te? Hæc autem nequaquam eò spectant, ut cuiquam incutiamus ueniæ desperationem, sed ut omnibus excutiamus, sine fine peccandi securitatem. Est peccatum, quod nec in hoc seculo remittitur, nec in futuro. Auertat deus, ne quis nostrum eò usque feratur. Et ideo tutissimum est uitare peccatum. Proximum est, ut protinus deleamus pœnitentia, quod admissum est incogitantia. Cadit & iustus in die septies, sed resurgit, quãquam hoc de leuioribus culpis dictum est. Et ideo frequenter atrociter comminatur in literis sacris dominus, ne fiducia paratæ uenię subinde reuoluamur in cœnum flagitiorum. Nec enim ideo datum est pœnitentiæ pharmacum, ut uolentes perseueremus in morbo: sed ne qui forte recidit, pereat in æternum. Apud Amos frequenter intonat dominus, super tribus aut quatuor impietatibus, nónne auersabor eos? Impietas est cogitare malum. Hic protinus erat resipiscendum, sed maior impietas est uelle perficere, quod cogitaris: saltem ab hoc gradu referendus erat pes ad meliora. Grauissimum autem crimen est, quod animo flagitiose destinaris, turpiter perficere. Nec hic resipiscimus, sed addimus quartam impietatem, in malis nostris ducentes consuetudinem, & mala malis accumulantes. Nónne hic merito iam auersetur nos dominus? Merito sanè, nisi misericordia illius superaret iustitiam eius. Vide quid post tam sæuas minas sequitur apud eundem prophetam: Hæc dicit dominus domui Israel: Quærite me, & inuenietis, quærite dominum & uenite. Audiamus dominum comminantem: ne peccemus, audiamus reuocantem, ne desperemus. Alioquí uæ nobis, si quod per prophetam comminatur, faceret nobis: & post tertiam aut quartam impietatem auerteret à nobis suam misericordiam, ac nosmet nostræ uoluntati relinqueret. Imò cum pleriscq; nostrum male ageretur, si post millesimam impietatem dominus auerteret faciem suam. Verum statim ut cœperit sæuire iustitia, interpellat misericordia: Domine deus propitius esto: obsecro, quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Et rursum: Domine deus quiesce obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Sic agit causam imbecillitatis nostræ optima patrona misericordia. Nunc audi quàm parata sit uenia resipiscẽti. Misertus est, inquit, dominus super hoc. Non erit, dixit dominus. Vides quàm prompta sit pœnitentia minitantis ultionem, si nos uere pœniteat admissorũ. Non erit hoc, ait dominus. Obsecro, quæ mater tam facile placatur filio suo? Itaq; quum dominum habeamus tam placabilem, quum interpellatricem tam efficacem, quid est, quur aliquis sui desperans, uel in uitijs perseueret, uel cũ Iuda fugiat ad laqueum? Ob hoc ipsum dominus nostræ saluti modis omnibus consulens, passus est summos ac probatissimos uiros in grauia crimina prolabi, ut nos horum exemplo consolaretur & erigeret ad spem ueniæ. Quid in libris sacris laudatius rege Dauid? Rex erat, propheta erat, uir erat iuxta cor dei, ex huius stirpe promissus erat Christus. At in quàm fœdum, quàm multiplex crimen uir tantus prolapsus est? Audit à Nathan obiurgationẽ ac sæuas minas domini. Dauid autem totam hanc iram dei duobus uerbis uertit in misericordiã. Peccaui, inquit, domino. ac mox Nathan: Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris. Prolixę sunt minæ, ut corrigatur, sed cẽ expedita uox misericordiæ. Non morieris. Sic per Esaiam audit Ezechias: Morieris & non uiues. Fleuit Ezechias fletu magno. Nondum prophetæ mortis denunciator egressus fuerat dimidium atrij, reuocat illum domini misericordia. Reuertere, inquit, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hęc dicit dominus deus Dauid patris tui, audiui preces tuas, & uidi lachrymam tuam, & sanaui te. Die ab hinc tertio ascendes

Amos 2.3

Amos 5

2. Reg. 12
Esaiæ 38
4. Reg. 20

templum

templum domini. De Achab hoc teſtatur liber Regum tertius. Non fuit alter talis ſicut Achab, qui uenundatus eſt ut faceret malum in conſpectu domini. Et hic audit, occidiſti, inſuper & poſſediſti. Siquidem occiſo Naboth occuparat illius uineam. Ille uero tandem territus atrocibus minis ſcidit ueſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitq; & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Durus erat Achab, ſæpe contempſerat obiurgantem dominum, ſcelera ſceleribus accumularat, et tandem terretur metu malorum imminentium potius quàm reſipiſcit, & tamen immenſæ miſericordiæ dominus loquitur Heliæ. Nónne uidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mea cauſa, non inducam malum in diebus eius. Si tanta uis eſt falſæ pœnitentiæ, ut gladium ultorem extorqueat è manu dei, quid faciat animus uere mutatus in diuerſum affectum, iamque non metu ſupplicij, ſed amore dei deteſtans quod admiſit? Hoc conſilio paſſus eſt & Petrum, quem deſtinarat eccleſiæ ſuę principem, inſigniter labi. Tantum fleuit & miſericordiam eſt conſequutus. Quum huic tradit oues ſuas, pro quibus mortuus fuerat, paſcendas, num exprobrat illi crimen ter abiurati domini? Nequaquam, iam enim totum hoc ſic erat dilutum lachrymis, ut ne ueſtigium quidem remaneret in memoria clementis domini. Proſtratus eſt Paulus eccleſię dominicæ perſecutor, & factus eſt doctor gentium. Habemus magna exempla peccantium, habemus & pœnitentium, non oportet cuiuſquam exemplo prouocari ad peccandum, ne tentemus dominum, ſed ſi quis peccato fuerit circumuentus, habet exempla pœnitentiæ ne deſperet. Præpoſtere uero faciunt qui quos ſequuti ſunt peccantes, eoſdem nolunt ſequi pœnitentiam agentes. Quot ſunt principes, qui ſuis adulteriis & homicidijs blandiuntur exemplo Dauid? Quanquam in Dauid extiterant alioqui tot egregię uirtutes, ut crimẽ hoc poſſet illarum penſatione condonari: ſed utinam quẽadmodum ſequuntur errantem, ita ſequantur & pœnitentem. Ipſe peccatum ſuum traduxit per uniuerſas orbis nationes, ac ſpretis aulæ delicijs pro purpura ſumit cilicium, cinerem tanquam panem comedit, & poculum ſuum miſcet fletu, lauat ſingulis noctibus lectum ſuum lachrymis, & ſtratum ſuum fletu rigat. Nec puduit illum omnibus peccatoribus dictare ac præcinere carmen pœnitentiæ: Miſerere mei deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Iudex erat, & pronunciauerat aduerſus ſeipſum ſententiam capitalem. Nam uehementer indignans: Viuit, inquit, dominus, quia filius mortis eſt qui fecit rem hanc. Non potuit euidẽtius cõdemnari quàm uoce propria. Deus erat iudex, & tamen ueluti uerſa perſona detulit ipſi reo iudicium. Captus eſt iudex, & uicit qui detulit iudicium. Victus eſt feliciter Dauid, uicit miſericorditer deus, dum peccatorem ſui oblitũ ipſi oſtendit. Antea ceu uictor ac temulẽtus infelici proſperitate, fruebatur adamata muliere, fruebatur dulciſsimo puero: uerum ubi conuerſus eſſet ad dominum, tum demum uidit, ubi fuiſſet, & quid eſſet inter iuſtum & impium, inter ſeruientem deo, & non ſeruientem ei, quemadmodũ docet alia prophetia. Quum peccator ex animo agnoſcit turpitudinem ſuam, ſecq; dignũ ſupplicio fatetur, tũc iuſtificatur dominus & uincit quum iudicatur, hoc eſt, quum iudicium defert homini uelut ipſe iudicandus. Cæterũ qui ſuam iuſtitiam cõſtituunt, deũ quodãmodo faciunt iniuſtum ac mendacẽ, qui miſericordiã ſuam agnoſci uult in omnib. & gaudet noſtrã iniuſtitiam in ſuã gloriã uertere, dum ubi exuberauit peccatũ, ibi exuberat illius gratuita beneficẽtia. Non ſic ille uetus Adam, ſed appellatus ad cõfeſsionẽ reijcit culpã in uxorẽ. Itidem illa prouocata ad confeſsionẽ, confert crimen in ſerpentẽ. Si nouiſſent dicere canticũ David: Miſerere mei deus, non exulaſſent è paradiſo. Ab his maioribus non degenerans Caim, quid dicit ad pœnitentiam prouocatus à domino? Num ego ſum cuſtos fratris mei? Si dixiſſet, peccaui, miſerere, & ſi dixiſſet ex animo, parata erat dei miſericordia. Eſt dolor iuxta carnem, qui mortem parit, qualis erat Iudę: ſed rurſus eſt dolor ſecũdum deum, qui ſalutem adfert & ſolidum gaudium. Paulus tenere diligens omnes ſuos, tamen gaudet quod Corinthios in huiuſmodi dolorem coniecerit, damnato eo, qui rem habuerat cũ uxore patris, ſiquidẽ ex huiuſmodi dolore uelut ex amaro pharmaco ſequitur perpetuum gaudiũ. Et interim certa ſalutis ſpes admixta pœnitentię temperat doloris amaritudinem. Ita Dauid quum ingenue cõfeſſus eſſet peccatũ ſuum, ac cõmeritam dei uindictam, audi quantũ ſpei cõceperit ex miſericordia domini. Aſperges me, inquit, domine hyſopo

& mun

3. Reg. 21

Pſal. 50

2. Reg. 3.

Malach. 3

Pſal. 50

Gen. 4.

Pſalm. 50

& mũdabor, lauabis me, & ſuper niuẽ dealbabor. Nõ ex ſuis benefactis, ſed ex aſperſione ſanguinis agni immaculati pollicetur ſibi munditiem, quumq; agnoſcat ſeſe ex utero matris ſordibus inquinatũ, tamen ex hoc lauacro ſperat candorẽ innocentiæ, cui cedat etiam candor niuis. Nec ſolum ſperat redituram innocentiam, uerum etiam pœnitẽtiæ mœrorem uertendum in ſpirituale gaudium. Auditui, inquit, meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. O miram peccatoris fiduciam, etiam amplius quiddã ſibi promittit: Et exultabit, inquit, lingua mea iuſticiam tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Expertus tantam domini miſericordiam, hortabitur & alios ut reſipiſcant. Ita dominus Petro: Et tu conuerſus aliquãdo confirma fratres tuos. Perierat Dauid, ſi iuſtitię ſeſe commiſiſſet, ſed hac parte inferior appellauit miſericordiam, & ideo miſericordias domini cantat in æternum. Qui litem agunt apud homines, quoties de cauſa periclitantur, ſi queant, appellant aliud tribunal, quanquam incerti an illic ſint experturi iudicem æquiorem. Neq; enim raro fit, ut qui appellauit ſuo malo appellarit. Nobis autem chariſsimi, longe tutiſsimum eſt non contendere cum iuſtitia dei, hoc eſt, non iactare aduerſus ſtimulum calces, ſed protinus appellare tribunal miſericordiæ. Et in humanis quidem iudicijs nihil aiunt eſſe tutius, q̃ ſi quo liceat fuco pernegare crimen intentatum: & rhetores miſerrimum cauſæ ſtatum eſſe docent, quam uocant deprecationem, quum reus dicit, peccaui, ignoſce. Hic contra nihil tutius q̃ ultro confiteri, quicquid admiſſum eſt, & implorare iudicis miſericordiã. Huc quum in omnibus ſacris libris nos tam amanter prouocet diuina bonitas, huc quum tot inſignium uirorum exemplа cohortentur, quur inuenitur qui ſui deſperans malit in malis conſeneſcere? In deo, qui ſimpliciſsimæ naturæ eſt, nihil eſt, quod cum alio pugnet: & tamen ſi ſpectemus ea, quæ nobis eueniũt, uidetur certamen eſſe inter dei iuſtitiam & eius miſericordiam. Iuſtitia uocat ad pœnam, ſed miſericordia iuxta Iacobi dictum κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, hoc eſt, exultat aduerſus iudiciũ ueluti uictrix. Quis unq̃ occlamauit, Ieſu miſerere, quin ſtico miſericordiam ſit adeptus? Clamat Chananæa, miſerere domine, & ſanatur filia, Clamet & unuſquiſq; peccator, miſerere domine, & ſanabitur anima. Clamat mẽdicus ille cæcus, miſerere fili Dauid, & abiecto palliolo recipit oculos. Clamemus & nos, miſerere Ieſu fili dei, clamemus fortiter & conſtanter inter medias obſtrepentium malarum cogitationum turbas, & ex huius mundi mendicis faciet regni cœleſtis hæredes. Quiſquis ambit huius uitæ commoda, cæcus eſt, mendicus, in ſordido pallio ſtipem rogat à populo. Qui regnũ ambiunt, etiamſi rem magnam ambire uidentur, nihil aliud q̃ ſtipem miſere mẽdicant à turba. Qui uenantur honores et quamlibet amplas dignitates, populo occlamant, miſeremini, date ſtipem. At ſi quis occlamet Ieſu: domine miſerere, paratus eſt ille dare nobis ſeipſum. Reſtat dominus, uocat ad ſe, quin accurris infelix? quur ceſſas in pannis tuis infelicib. Patet ara miſericordiæ, & tu te uertis ad uincula dementiæ? Aperitur Aſylum diuinæ clemẽtiæ, & tu profugis in barathrum infelicis deſperationis? Seruator porrigit tibi manum, & tu auertis uultum? Reſeratur tibi cœlum, & tu te proripis ad præcipitium? Aperitur tibi diuinæ bonitatis gremiũ, & tu fugis ad infelicẽ laqueum? Latro audit in cruce: Hodie mecũ eris in paradiſo, & tu teipſum addicis gehennæ? Sed iam tempus eſt, ut abſoluã quod poſtremo loco ſum pollicitus, quibus modis potiſsimũ extorquenda ſit dei miſericordia. Nam de precibus, lachrymis, ieiunio, cilicio, cinere, hoc eſt, de corde contrito iam ſparſim dictũ eſt in tota oratione, atq; hæc quidem impetrant dei miſericordiam: cæterum beneficentia in proximum extorquet etiam, ut ita loquar. Qualem quiſq; uult eſſe deum in ſe, talem ſe præbeat proximo ſuo. Græcorum prouerbio dicitur, gratia gratiam parere: apud nos uero miſericordia parit miſericordiam. Date & dabitur uobis, remittite et remittetur uobis, Luce 6
& qua menſura menſi fueritis proximo, eadem deus metietur uobis. Miſericordiam autem ſiue eleemoſynam appello, non ſolum quando remittitur uindicta, aut ſubleuatur egeſtas proximi, ſed officium quodcunq; quod pio animo confertur in fratrẽ. Qui docet errantem, qui corripit delinquentẽ, nonnunquam & qui uerberibus caſtigat peccantem, ſi id faciat Chriſtiano affectu, miſericordiam confert in proximum: qui exhortatur ceſſantes, qui cõſolatur afflictos, qui in ſpem erigit deſperantes, miſericors eſt in proximum ſuum, & miſericordiam dei uel penſat uel prouocat. Neq; uero conuenit Chriſtianorum miſeri-

miſericordiam eſſe uulgarem, mendico ſtipem dat etiam ethnicus, amico periclitanti ſuccurrit etiam quilibet, errata quædam condonant etiam gentes. Qualem oporteat eſſe noſtram miſericordiã docet Euangelium: Eſtote miſericordes, ut ſitis filij patris ueſtri, qui in cœlis eſt. Si uulgaris eſt dei in nos miſericordia, ſufficiat nobis & in proximũ uulgaris miſericordia. Quod ſi ille ſolem ſuum iubet oriri ſuper bonos & malos, & tam diuitẽ huius mundi prouentũ patitur eſſe cõmunem pijs & impijs, ſi uolumus illius germani uideri filij, ſimus & nos benefici, non ſolũ in amicos cognatos & bene meritos, ſed etiã in alienos, etiã in inimicos & male meritos: Si deus pro nobis idololatris ac gehennæ filijs unicũ filium ſuũ tradidit, magnũ uidetur, ſi nos uiciſsim in inimicum officium conferimus, qui uel ob hoc frater eſt, q̃d homo eſt? Et ſi dominus iuſtus pro peccatis noſtris ſemetipſum immolauit in ara crucis, magnum uidetur ſi proximo remittimus iniuriã? Qua fronte peccator clamat, miſerere mei deus, qui fratri ſuo negat miſericordiã? Nónne is merito audiet illud ex Euãgelio: Serue nequã, omne debitũ remiſi tibi, nónne oportuit & te miſereri conſerui tui? Quicquid beneficentiæ contulerimus in proximum, id dominus patitur ſibi imputari, quum nullius egeat, & quanquam quicquid in fratres noſtros collocare poſſumus officij, id totum cumulatiſsime collocatũ eſt prius in nos à deo, tamẽ perinde quaſi noſtris in proximũ benefactis obſtringatur, pollicetur ſe cũ fœnore multo repoſiturum menſurã bonã, confertã & coagitatã. An non eſt bona menſura, quum pro paupere collecto hoſpitio dominus te recepit in regnũ cœleſte? Optima diteſcendi ratio eſt, huiuſmodi benignitate paupereſcere. Prudentes huius mundi non ſinunt pecuniã ſuam in ſcrinijs otioſam eſſe, ſed apud menſarios deponunt, ut pariat uſurã. Qui cœleſtibus bonis uolũt diteſcere, cum hoc liberaliſsimo fœneratore rem habeant. Beatos appellamus diuites, & in Euangelio beati dicuntur miſericordes, quoniã ipſi miſericordiã conſequentur. Fœnératur, inquit ſapiens ille Hebræus, domino qui miſeretur pauperis, & uiciſsitudinẽ ſuam reddet ei. Et Propheta: Peccata, inquit, tua eleemoſynis redime, quoniam ut ait Apoſtolorum princeps: Charitas operit multitudinẽ peccatorum. Audis permutationẽ, ſed cum ingenti lucro. Similiter & pſaltes ille myſticus: Beatus homo qui miſeretur & cõmodat, Fœnerat igitur deo, quiſquis amore dei beneficium collocat in proximum. Audis mutuum, audis fœnerationem, audis redemptionem. Quiſquis læſit proximum, obnoxius eſt illi, quem læſit: quiſquis officio iuuat proximũ, obſtringit illum quẽ afficit beneficio. Ne exige uindictã ab eo qui læſit, ſed cum deo permuta: condona proximo pauca leuiaq̃ delicta, & deus ex pacto tibi condonabit uniuerſa. Ne repete mercedem à proximo, cui benefeceris, ſed à deo repoſce, quicquid erogaris, & ille pro tẽporarijs reponet æterna. Varia ſunt ſacrificiorũ genera, quibus placatur deus, hymni ſpirituales, cãtus, preces, uigiliæ, ieiunia, uilitas ueſtium: ſed nullum ſacrificij genus efficacius, quàm miſericordia in fratrem. Ite, inquit dominus, & diſcite quid ſit: Miſericordiã uolo, & non ſacrificium. Non damnat ſacrificia reliqua, ſed omnibus præfert miſericordiam. Quod nos dominus Ieſus ore ſuo docere dignatus eſt in Euangelio, id multo ante docuit per os Micheę prophetæ. Quum enim dominus exprobraſſet populo ſuo inuincibilem in malis obſtinaciã, populus anxius, quo pacto queat placare deum, merito tot ſceleribus irritatum ait: Quid dignum offeram domino? Curuabo genu deo excelſo? Nunquid illi offeram holocauſtomata, & uitulos anniculos? Nunquid placari poteſt in milibus arietum, aut in multis milibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meũ pro ſcelere meo, fructum uentris mei, pro peccato animæ meæ? Hactenus populus, intelligens nullum ab homine ſacrificium immolari poſſe ſatis idoneum peccatis expiandis, etiã ſi ſupra multa arietum milia, primogenitum filium, quo nihil habet charius, immolaret: ſed indicat propheta ſacrificium efficacius, quo ſtatim placetur ira dei: Indicabo tibi ó homo, quid ſit bonum, & quid dominus quærat à te: utiq; facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum deo tuo. Quid eſt facere iudicium? Neminem lædere. Quid eſt facere miſericordiam? Etiam immerentibus benefacere. Paulus Apoſtolus addit inſuper aliquid Encomio miſericordiæ. Si tradidero, inquit, corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Magnam rem præſtitit Abraham, qui paratus erat unicum filium quẽ diligebat immolare: ſed plus præſtiterit, ſi quis propriũ corpus amore dei tradat incendio, Atqui hoc quoque ſacrificio gratior eſt charitas. Porrò charitas in pro-

Luc. 6

Matth. 18

Matth. 5

Prouerb. 19

Daniel. 4

1. Pet. 4

Pſal. 111

Oſee 6

Micheę. 6

in proximum quid aliud est, quàm misericordia? Itaq; quum omnes in omnibus assidue egeamus dei misericordia, perpetuo nobis studium esse debet, ut mutua misericordia nos inuicem subleuemus, & alij aliorum onera gestantes inuicem, impleamus legem Christi, quæ misericordiam exigit potius quàm sacrificium, & suam nos misericordiam redimere uult misericordia collata in proximum. Verum ut gaudio gestit animus, quũ repeto mecum, quãta sit in nos misericordia domini, quamq; eam nobis parabilem esse uoluerit: ita ingens dolor oboritur cordi meo, quoties contemplor, & q; rarum sit inter Christianos misericordiæ studium. Si uere misericordes essemus, etiam in Turcas se proferret nostra beneficentia, congereremus carbones igneos in capita illorum, ut uicti nostra bonitate, tandem accederent ad religionis cõsortium. Nunc Christiani Christianos bellis, latrocinijs, furtis, rapinis crudelius inceſsimus ac uexamus, & q; ullæ feræ genus inimicum infestant. Si quæstum spectes, quid aliud quàm mutuo laniatu uiuimus, piscium ritu? Quis cõpendioli causa non paratus est imponere fratri suo, cuius egestati uel gratis debebat succurrere? Nunc ex inopia fratris intenditur indicatura. Moritur frater inopia cibi, quo maius uideo periculũ, hoc illi charius uendo quod desiderat. Quàm immitis erga inferiores ferocia, quanta inferiorum erga superiores rebellio, quàm nunquàm syncera charitas. Rixis, obtrectationibus, sycophantijs plena sunt omnia. Nec solum leuem iniuriam atrocitalione pensamus, uerum etiã immerentes ultro lædimus. Nec interim nobis uenit in mẽtem, quãtam misericordiam dominus in nos effuderit: repetiturus utiq; quod dedit, nisi quod accepimus, refundamus in proximũ. Si quæritis, inquit propheta, quærite. Si quærimus dei misericordiam, uere & ex animo quæramus. Conuertimini & uenite. Illa se cõuertet ad nos, si nos cõuertamur ad illam. Venit ad nos dei misericordia, quum in terras descenderet dei filius: nos uicissim ueniamus ad illam. Inclinat se dominus clemẽtissimus, ut absoluat adulteram, sed uicissim erigamus nos affectum nostrum ad inclinantem se nobis. Primus gradus est abijcere mala. Sic medici primum corpus inaniunt, ut post inserãt succos meliores. Euome & tu peccator ex animo tuo prauas cupiditates, quæ militant aduersus deum, libidinem, auaritiam, luxum, arrogantiam, iracundiam. Quũ perſistens in peccatis implorat dei misericordiam, nónne perinde facit, quasi hostis armatus gladiũ & clypeum tenens petat pacem? Qui petit, accipit: qui quærit, inuenit: qui pulsat, huic aperitur, Si petitis misericordiã, uere petite: si quæritis, uere quærite: si pulsatis hostium misericordiæ, uere pulsate. Vultis exemplum uere petentis misericordiam? Recte petebat filius ille profusor, sed iam relictis porcis, sed iam reuersus ad patrem: Pater peccaui in cœlum et coram te, fac me sicut unum ex mercenarijs tuis. Iam audi publicanum, qui ob conscientiam suorum criminum non audet attollere oculos in cœlum, non audet propius accedere ad propitiatorium, sed procul stans, tundit pectus suum, ac dicit: Domine propitius esto mihi peccatori. Petit, qui mutatis in diuersum affectibus, pro temulento fit sobrius, pro ganeone castus, pro nepote temperatus, pro rapace beneficus, pro mendaci uerax, pro maledico benedicus, pro fucato simplex, pro uindice mitis, pro crudeli misericors. Pulsat aũt, qui pia improbitate ueluti uim facit misericordię diuinæ, nunq; cessans misericordiã exercere in proximum. Clama domino: Miserere: sed si uis audiri, fac ut illum uicissim clamantem audias. Clamat ille in membris suis egenis & infirmis. Hic si tu obturas aurem tuam, ille uicissim non audiet te clamantem ad se. Ille in suis pusillis refocillatur: ille in ijsdem sitit, esurit, ægrotat, affligitur: in ijsdem negligitur, & offenditur. Sed impudentius etiam dicit domino: Miserere mei: qui non solum claudit uiscera super fratre suo, uerum etiam uexat immerentem, opprimit imbecillem, traducit innoxium, spoliat inopem, imponit incauto. In his factis perseuerans, frustra inclamat domini misericordiam. Si qui Christum in suis membris non refocillarunt, audient: Ite maledicti in ignem æternum: quid audituri sunt, qui Christũ in suis membris conuicijs incessunt, conspuunt, irrident, cædũt, affligunt, criminãtur, occidũt? Celebratur inter mimos, ni fallor, publianos, digna Christiano sentẽtia: Beneficiũ dãdo accepit, qui digno dedit. Quid hic cõtaris morosus expẽsor alienę dignitatis? Digno dedit, quisquis mẽbro Christi dedit: digno dedit, quisquis fratri dedit. Denicq; digno dedit, quisquis amore Iesu dedit homini. Si quæris lucrum, illi fœnera: si metuis malum, habes quo redimas. Post sæuam obiurgationem, quid ait dominus in Euãgelio? Veruntamẽ date eleemosynã, & ecce omnia munda

Esaiæ 21

Ioan. 8

Matth. 7

Luc. 15

Matth. 25

Lucæ 11

sunt

sunt uobis. Quum tempestas maris urget, non dubitas mercium ꝙuis preciosarū iactura redimere uitam: quum imminet uindicta dei, grauaris in proximum erogare pecuniam? Quid non facis, exorto incendio? Quod autem incendium formidabilius, quàm iræ diuinę, quum exarserit in breui ira eius, nec uteris ad hoc extinguēdum monstrato remedio? Ecclc.3 Quod, inquies? quis monstrat? Optimus ille Syrach: Ignem, inquit, ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Eleemosyna nescit ostentationem, alioqui perdit nomen suum. Qui præcinente tuba, dant sportulas, non præbent eleemosynam, sed licitan- Matth.6 tur gloriam. Ea demum est eleemosyna deo, quum nescit sinistra tua, quid faciat dextera Eccle.29 tua. Pone, inquit ille, thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum: conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo. Nunquam tutius defoditur thesaurus, quàm in corde pauperis: Hic longe melius includitur, ꝙ in scrinijs ferreis. Obliuiscere tu depositi: ignoret pauper, si fieri potest, autorē beneficij, quum res poscet intercessorē, non erit muta eleemosyna, sed exorabit dominum, ut qui proximū subleuaris in aliquo malo, libereris ab omni malo. Vult audire loquētem Matth.13 eleemosynam: Venite benedicti patris mei, quia quum esurirē, dedistis mihi cibū, quum sitirem, dedistis mihi potum: quum essem nudus, uestistis me: quum egerem tecto, collegistis me: quum ægrotarem, inuisistis me: quū essem in carcere, uenistis ad me. Illi nō meminerant officiorum, & dicunt: Domine, quando uidimus te egentē his rebus, & suppeditauimus tibi? Pars altera commemorat suas uirtutes, & audiunt: Ite in ignem æternum. An non hic tempestiua interpellatrix fuerit nobis eleemosyna, quæ liberabit à gehenna, hoc est, ab omni malo: & adiunget domino, qui fons est bonorum omnium? Quid igitur superest charissimi, nisi ut imploremus domini misericordiam, ut hoc quoꝙ nobis largiatur, ut esse misericordes possimus in proximum, ne si hic illius misericordiam neglexerimus, post eam frustra requiramus: sed tanto seuerius iudicium experiamur, quanto fuerimus hic maiori misericordia prouocati. Vincat in nobis humanos affectus misericordia in fratres, ut in deo uincat erga nos misericordia iudicium. Ita fiet, ut concordibus animis simul misericordias domini cantemus in æternū, profitentes miserationes eius esse super omnia opera ipsius. Cui laus & gloria per omnes fines terræ in omne æuum. Amen.

CONCIONIS DE MISERICORDIA DOMINI
per Erasmum Rot. Finis.

DES. ERASMVS ROT. INTEGERRIMO DOCTISSIMOꝙ patri Heliæ Marceo Machabæiticarum, honoratissimi Machabæorum collegij moderatori S. D.

MIttimus libellum & breuem, & sero: sed quem fatearis & prolixum, & satis maturatum, si scias quàm nihil otij mihi reliquum faciāt ad gratificandum amicis in huiusmodi materijs crebræ ægrotationes, pene iugis occupatio, quum alijs in rebus, tum præcipue in mittendis ac recipiendis epistolis: deinde studiorum labor, quem exigunt argumenta suscepta. Si satis factum est uoluntati tuæ, uehementer gaudeo: sin minus, certe promptam animi nostri uoluntatem probes oportet, si modo non falso nobis tua prædicatur humanitas. Quum dabitur plus ocij cumulatius tuo pio desiderio satisfaciemus. Bene uale cum honorabili choro tuo uir optime. Basileæ III. Cal. Aug. M D XXIIII

DES. ERASMVS ROT. VENERABILI COLLEGIO VIRGINVM MACHABAEITICARVM APVD Coloniam Agrippinam, salutem in Christo Iesu uirginis filio, ac uirginum omnium corona.

IAm iterum atq; iterum tragematis ac dulciarijs quibusdam prouocat me uestra pietas uirgines optimæ, ut aliquo scripto simul & thesaurum uestrum quem sane preciosissimum tenetis, celebrem, & uobis uestrũ propositũ cõmendem: in quorũ altero religiosa quadam ambitione ducimini, quæ non uestram quæritis gloriam, sed dei, qui in sanctis suis uere gloriosus est: in altero sentio uos spirituale lucrũ quærere: nimirum illud uenantes, ut pro xenijs quæ delectant palatum, recipiatis ea quæ pascunt animum. Pia captatio est, sancta auiditas est, prudẽs & uere lucrifera commutatio, planeq; digna sapientibus uirginibus: si modo is essem, qui possim ex diuinarum scripturarum myrothecijs aliquid depromere, quod æque reficiat mentẽ uestrã, ac uestra munuscula reficiunt corpusculũ nostrũ. Non erratis in affectu, sed erratis in delectu. Quod optimum est diligitis, uerũ non eum deligitis qui possit sanctissimis uotis uestris satisfacere. Ne tamẽ simpliciter ingratus uidear, etiam atq; etiã gratulor uobis, deo dilectæ uirgines, istũ animũ nihil aliud sitientẽ q̃ gloriam sponsi uestri. Est enim & hoc argumentũ sponsæ uere castæ, sponsi sui gloriã suã ducere. Psal. 44
Et est ille quidẽ speciosus prę filijs hominũ, cui uos peculiariter estis addictæ, gloriosus in omnibus factis suis, si quis huius mundi fabricam admirabilem undiq; cõtempletur, gloriosior tamen in orbe redempto q̃ in cõdito. Nutu condidit mundũ & angelorũ agmina sed precioso sanguine suo restituit quod cõdiderat. Eadẽ sapientia, qui est Iesus Christus, quiq; mirabilis huius operis opifex est, quo mirabilius quiddã ęderet, arte diuina cõstruxit domũ æternã, ac templũ deo dignũ, quæ est ecclesia, quam ueluti ditissimus rex, omni genere spiritualiũ ornamentorũ decorauit. Quid enim est aurũ, argentũ, marmor, ebur, quid smaragdus, topasius beryllus, uariusq; gemmarũ splendor: si conferatur ad opes diuini spiritus, quæ sunt, prophetia, donũ linguarũ, uirtus in ædendis miraculis, ac sanãdis morbis, pax, puritas, charitas, tolerantia? Totũ ædificiũ uiuis e lapidibus admirabili concordia inter se coagmentatis surgit usq; ad cœlũ, ipso Christo lapide angulari totã fabricã cõplectente, ne quâ possit labefactari. Hi sunt uarij sanctorũ ordines. In hoc templo gaudet uersari, quemadmodũ alicubi dicit: Deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominũ. His opi Prouerb. 8
bus magnificus ille Solomon sese iactat, nusq; admirabilior, nusq; gloriosior, q̃ in sanctis suis, quos hoc honore dignatus est, ut illos sua membra reddiderit, & in fratrũ nomen ac ius cooptatos regni cœlestis fecerit cohæredes. Pro omnibus mortuus est, præcipua tamẽ illius gloria est in martyrũ turmis, & uirginũ choris. Hæc sunt preciosissima monilia, quibus hactenus superbit et iactat se Christi ecclesia, quę nõ nouit nisi de spõsi sui donis gloriari. Quicquid em̃ in sanctis gloriosum est, Christi munus est. Varię sunt delicię, uaria sunt ornamẽta sponsi uestri optimę uirgines. Septus incedit diuersis uirtutũ gemmis, innumeris flosculorũ generib. sed potissimũ oblectat animũ suũ, uel rosis martyrum, uel lilijs uirginũ. Nec mirũ si hoc amat, quod est ipse, imò cuius ipse fons est alijs. Ego, inquit, flos cam- Cant. 2
pi, & lilium conuallium. Ille martyrum princeps est, per hunc martyres fortes sunt: Ille uirginũ dux est, & per hunc uirgines uincunt carnẽ cũ suis concupiscentijs. Posteaq; ille descẽdit in terras, et immisso charitatis igni, abijt hyems ac recessit, hi flores passim apparuerunt in terra nostra. Quàm erat ante rara uirginitas? At postea q̃ Christus eam consecrauit, quot milia subito exorta sunt per uniuersum terrarũ orbem, iuuenum ac puellarum, qui se sponte castrarunt propter regnum dei? Posteaq; ille moriens in cruce docuit esse felices, qui in domino morerentur, quot examina uirorum ac mulierũ extiterunt, qui uolentes atq; adeo gaudentes sua corpora tradiderũt in mortem pro gloria Christi? Nimirum Ibidem 2
hoc est, quod sponsus uester gloriatur in Canticis: Surge propera amica mea, columba mea formosa, & ueni. Iam enim hyems transijt, hymber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Quanta sterilitas esset in omni terra nostra, nisi sol ille cœlestis accenderet animos nostros charitate sua, nisi foueret mentem nostram hymbre suæ gratiæ? At

quid Euangelico uere uernantius? Quid uberius? Quid amabilius? Rosa brevem habet purpurã, & liliorum breuis est gratia, unde quidã ethnicus ita scripsit: Nec uiuax apium, nec breue lilium. At isti flores quibus fœcunda est ecclesia, nunc̃ marcescũt. Christus eñ est lilium immortale, & suis lilijs cõfert immortalem gratiã: rosa est immortalis, cuius decor nunc̃ marcescit, & suis eandẽ præstat perpetuitatẽ. Dicitur aũt flos campi propter Iudæos. Campi culturæ sunt idonei: Apud Iudæos tinctus est precioso sanguine suo quos excoluerunt Moses & prophetæ, licet illi cultoribꝰ nõ satis responderẽt. Liliũ erat cõuallium apud gentes asperas & incultas, quibꝰ persuasum est illum ex uirgine Maria humanã carne uestitũ fuisse, omnis maculæ nesciũ. Nimirũ ille erat liliũ euangelicũ, quod deus pater sic uestijt, quo modo non erat uestitus Solomon in omni gloria sua. Nec eñ Solomon aut quisq̃ alius sortitus est carnẽ ex uirgine, nulla primi parẽtis labe sordidatã. Huic lilio qui sese adiungunt per fidẽ, quoniã fiunt una caro cũ illo & unus spiritus, purgãtur à sordibus, accipiunt candorẽ innocentiæ, & fiunt ipsi quoq̃ lilia. Sic enim eodẽ in loco contí-
Cant.2 nenter loquitur spõsus, qui se liliũ dixerat: Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias. Quid est liliũ inter spinas? uirgo inter cõiugatas. Honesta res est matrimoniũ, sed spinis
1.Cor.7 ac tribulis obsita. Tribulationẽ, inquit Paulus, carnis habebũt huiusmodi. Si quis dubitat an matrimoniũ habeat spinas, cõsulat uxores, quid molestiarũ adferat maritus morosus, ebriosus, aleator, adulter, profusor, quid affines, quid impij liberi, & neget, si uidetur, uirginẽ esse liliũ inter spinas. Virgo libera curis huius seculi, cogitat ea quæ domini sunt, quomodo placeat illi: quæ maritũ habet, uelut hinc atq̃ hinc lacerantib. uarijs curis in multa distrahitur. Omnes quidẽ qui Christũ induerũt, lilia sunt, sed præcipue uirgines. In his pa-
Cant.2 scitur ac deliciatur sponsus ille mirabilis, qui nõ capitur quibuslibet. Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies & inclinẽtur umbræ. Tales flores ille
Cant.6 colligit, ut cõtexat ex eis coronã immarcescibilẽ in cœlis. Quẽadmodum & alibi dicitur: Dilectus meus descẽdit in hortũ suum, ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, &
Eccles.19 lilia colligat. His nimirũ lilijs dicitur apud Ecclesiasticũ: Florete flores sicut lilium, et date odorẽ, & frondete in gratiã, & collaudate cãticum, & benedicite dominũ in operib. suis.
Apoc.14 Virgineis cãtilenis delectatur uirgo sponsus. Hoc est cãticum nouum, quod nesciebat synagoga, in qua maledicta erat sterilis, quæ non pareret. Sed in Euangelio canunt nouam cantionẽ innumeri, qui empti sunt de terra, & in Angelorum cõsortiũ asciti, eo quod uirgines neq̃ nubunt neq̃ ducunt uxores, sed sequũtur agnũ, quocunq̃ ierit, uersantes absq̃ macula ante thronum Dei. Multæ erant immaculatæ in conspectu hominum, sed felices quæ tales apparent ante thronum dei, felices quæ uere canunt nouã cantilenã nouo sponso, psallentes in corde suo, sibiq̃ gratulantes, quod pure puro puros hymnos modulãtur. Frequenter & uester chorus sponso suo canit hunc hymnum, Iesu corona uirginum, quẽ mater illa cõcipit, quæ sola uirgo parturit, hæc uota clemẽs accipe. Quanta puritas. In uirgine cõcipitur è spiritu cœlesti, è uirgine nascitur incolumi uirginitatis decore, ipse uirginum princeps & spõsus & uirginum corona. Vxorum gloria maritus est, uirginum gloria Christus est. Porrò ut obiter & illud admoneã, metri ratio postulat ut concipit legamus, non cõcepit. Est enim hypallage temporis, quæ gratiã etiã habet quoties res ipsa ponitur ob oculos, absq̃ temporis discretione, alioqui quẽ offendit tempus in cõcipit, quur nõ offensus est in parturit? Qui pascis inter lilia septus coronis uirginũ, sponsas decorãs gloria, sponsisq̃ reddẽs præmia. Pastor est spõsus uester, qui animam suã dedit pro ouib. suis, qui nec hodie deposuit curam gregis sui. Quotidie seruat, quotidie reuocat, quotidie sanat, quotidie pascit. Habet autẽ & ipse delicias suas, quibus fruitur, habet sodales proximos, quos hic sponsos uocat, habet comites adolescẽtulas, quas appellat sponsas. In rebus spiritualibus non est sexus, sed ex meritis induntur sexus aut ætatis uocabula. Vnica est sponsa Christi, quæ est ecclesia, ea multas habet sodales, quarum unaquæque sponsa dici potest. Ipse sponsus est unicus, habet tamẽ quosdã unice charos, quibus committit sponsas suas, ut & illi quodammodo sponsi dici possint. Etenim si Episcopi recte dicũtur pastores, quum unus sit pastor dominus Iesus, quid uetet eosdem dici sponsos? Et spõsæ quidem huius seculi semper tumẽt muneribus ac dignitate suorum sponsorum, ostentãt ac iactant mundum suum: porrò quæ sponsum non habent, uidentur repudiatæ ac destitutæ: sponsus autem Iesus suas sponsas pro spretis huius mundi ornamentis, decorat eas

animi

animi dotibus: pro mox euanitura carnis gloria, confert illis gloriam immortalẽ. Sponsis uero qui ad exemplum summi pastoris, ad mortẽ usq; depugnarunt pro ouib. illius, tanq; strenuis athletis reddit præmia. Quæ præmia? Non coronã quernam aut laureã, non statuam aut titulum aut aliud simile præmium, quod mundus pro rebus bene gestis solet reponere, sed coronam immarcescibilẽ in cœlis, & nomẽ inscriptum libro uitæ, quod nulla unquam ætas sit abolitura. Hoc sodalitio peculiarius delectatur sponsus ille delicio-sus, qui neminẽ tamen quamuis humilẽ fastidit. Sequitur enim: Quocunq; pergis, uirgines sequuntur, atq; laudibus post te canentes cursitãt, hymnosq; dulces personant. Iuxta mundum indecorum est uirginem ultro cursitare post sponsum, turpius autem sit, si plures uirgines unum sponsum sequãtur. In rebus animi secus est, nihil enim pulchrius quàm si quàmplurimæ uirgines adhæreant uni sponso Iesu. Non mirum autem si cursitant uelut amore sponsi lymphatæ. Trahit enim ille secretis illecebris, amabilis supra omnem amorem humanum, speciosus præ filijs hominum, in cuius labijs diffusa est gratia, cuius uultum intueri angeli pro summa felicitate ducunt. Afflat odoribus suis quos uult, & afflatæ dicunt: Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum. *Can. 1* Non possunt currere nisi trahantur, non possunt amare nisi prius adamatæ. Et quæ iam tractæ sunt, cupiunt copiosius trahi: quæ currunt cupiunt accurrere, ut iungantur propius ei quẽ amant. Porrò gratiã in labijs illius diffusam senserunt illi, qui dicunt: domine quo ibimus? uerba uitæ habes. *Ioan. 6* Omnes qui Christi nomen profitentur, sequuntur pastorem suum Iesum, sed hi soli sodales individui sequuntur quocunq; ierit, sequuntur usq; ad uerbera, sequuntur usq; ad crucẽ. Dominus Iesus quum esset in terris, sæpe ducebat post se ingentẽ numerum promiscuę multitudinis: quum iret Hierosolymã occidendus, rarior erat comitatus: sed longe rarior, quum crucẽ suã baiulans iret in montẽ Caluariæ. At qui uere sunt sponsi sodales, quæ ueræ uirgines sunt, ne hic quidẽ diuelluntur à sponso. Quũ penderet in cruce, nusquam erat Petrus, qui uxorẽ habuisse creditur, sed uirgines adhærebant cruci, Maria mater Iesu & Ioannes, reliquæ mulieres procul stabant spectatrices eorum quæ gerebantur. Sequuntur igitur, & quidẽ alacres ac uolentes, nec sequuntur mutæ, sed cum cantilenis ac laudibus, hymnosq; dulces personãt. Quæ nuptæ sunt hominib. his non uacat interesse choreis, non uacat, imò non libet aliquoties canere: mos gerendus marito, rixandum cum ancillis ac famulis, castigandi liberi. Nostræ uirgines ab omnibus huius mundi solicitudinib. liberæ, nihil aliud quàm in spiritualib. choris dulces hymnos canunt sponso suo. Nihil enim sibi tribuunt, omnem felicitatis suæ gloriã transfundũt in eum, cui uni debent omnia, Huiusmodi cantilenis delectatur amator ille, uult cani sua dona: pharisaicas cantilenas odit: Ieiuno bis in sabbato, decimas bonorum meorum do pauperibus, non sum sicut cæteri homines. Virgo quo castior est, hoc est modestior. Audite uocem ueræ uirginis: Ecce ancilla domini. *Luc. 1* Et respexit humilitatẽ ancillæ suæ. In canticis sponsam suam appellat columbam, huius formam uidere desiderat, huius uocem audire exoptat: Veni, inquit, columba mea in foraminib. petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciẽ tuã, sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, & facies tua decora. Habet & animus faciẽ suã, habet & uocẽ suam. Ex oculis ęstimatur potissimum facies, oculis indicamus, oculis etiam absq; uoce significamus intimos animorum affectus. Simplex est oculus uirginis, non inuidet, non insidiatur, non suspicatur malum, non male cogitat. Huiusmodi facies delectat spõsum, qui paulo post ita loquitur: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarũ. Dixerit hic aliquis, quid habet dulcedinis columbæ uox querula ac gemebunda, ut quenq; delectare possit? Luscinię uox potius erat uocanda ad parabolã. Habet rarus ac uehemens amor perpetuas querimonias, sed blandas & sponso gratissimas, Audi gementem columbam: Cupio dissolui & esse cum Christo. *Philip. 1* Et rursus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Rom. 8* Audi alteram columbam: Heu mihi, quia incolatus meus prolõgatus est. Et, Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. *Psal. 119* Hæ uoces querulæ ac suspiriorum plenæ, gratissimæ sunt auribus sponsi, huiusmodi cãtionibus oblectatur. Quoniã autem dixerant, Hæc uota clemens accipe, tempus est ut expromant quid optent à sponso: num diuitias, num honores, num uoluptates, num regnum, num lõgæuitatem? Harum rerum *Ibidem 136* securæ sunt, quas semel medullitus corripuit uehemẽs amor sponsi. Quid igitur? Te deprecamur

precamur largius, nostris adauge mentibus, nescire prorsus omnia corruptionis uulnera. Agnoscunt quantus thesaurus sit uirginitas, id est, animus incorruptus in corpore incorrupto. Agnoscũt totũ hoc quod habent munificẽtiæ esse sponsi. Optant igitur ut quod largitus est augeat, ut beneficium beneficio cumulet. Nulla est tam pura uirgo, quæ non habeat, quo proficiat. Vix enim inuenias, quæ ut corpus sit illibatum, non aliquando delinquat cogitatione. Iam uirginitas uera non tantũ sita est in dono castitatis, sed omne animi uitiũ huius uirginitatis est corruptio. Qui deflexit à rectitudine fidei catholicæ, huius cõtaminata est uirginitas. De hac puritate loquitur Paulus, scribens Corinthijs: Despondi uos uni uiro uirginẽ castam exhibere Christo. Timeo aũt, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus uestri, & excidãt à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Virgo contaminata liuore, obtrectatione, arrogantia, non caret uulnere corruptionis. Orant igitur ut munificentissimus spõsus augeat suas dotes, detq; nescire prorsus omnia corruptionis uulnera. Quid est prorsus? Animo & corpore. Quid est omnia? Quicquid humanus affectus suggerit. Videri poterat hoc uotũ improbũ, ni spõsus esset omnipotẽs, optimæq; fidei. Ille suos non solum uult esse sui similes, uerũ etiam uult idem esse. Sed demus in hac uita nemini perfecte contingere, quod optat chorus uirginũ, non erit tamẽ irritum uotũ gratissimi chori. Quod hic meditatę sunt fauente sponso, continget plenũ augente sponso. Habet ordines suos ecclesia militans, habet suos & triumphans. Nescio an uidear uobis diutius q̃ par est, immoratus hymno, me certe non pœnitet, Ambrosiano. Nam autorẽ, ut alia prætermittam argumẽta, prodit in singulis dimetris dicțio in fine trisyllaba. In quo puto uirum illũ non tam captasse metri concentũ, q̃ sacræ triadis delectatum symbolo. Multos hymnos habet ecclesia Christi sponsa, sed haud scio, an ulli maiore cum omnium tripudio canantur, q̃ qui sponsum celebrant in uictorijs martyrum, aut in uirginum triumphis. Sed ut redeamus ad duos illos flosculos lõge fragrãtissimos, rosam & lilium: Quemadmodum Christi mors odore suo plurimos pertraxit ad huius uitę contemptũ: ita Christi uirginitas plurimos allexit ad amorẽ castitatis. Qui tracti sunt ab illo, flores iam & ipsi facti, traxerunt alios. Christus dixit Petro: Sequere me. Petrum q̃ multi sequuti sunt. Quis negat plurimum deberi sanctis doctoribus, qui tranquillis rebus docuerunt uiã domini? Sed quanto plures pertraxit ad Euangelij professionẽ martyrũ fragrantia? quanto plures uirginum exemplũ? Magnum est, fortiter et erudite disputare de Euangelio, sed maximum est alacriter mori pro Euangelio. Magnum est contemnere gloriam aut opes huius mundi, sed longe maius est mortificare carnem cum suis concupiscentijs. Et agnoscit ecclesia quibus debeat. Nullis secundũ Christũ uberiorẽ habuit honorem, q̃ his qui sua corpora uolentes ac lubentes tradiderunt carnificum immanitati, pro gloria spõsi, proq; salute gregis, pro quo mori dignatus est ipse: proximus honos habitus est his qui se sponte castrauerunt propter regnum dei. Quantum erat ecclesię totius tripudium, ubi martyr constanter exhalasset animã pro Christo? Quantus luctus, si quis defecisset? Rursus, quanta ecclesię exultatio, siqua uirgo, cui liberũ erat nubere sponso homini, sumpto uelo sacro, maluisset nubere sponso Christo? Quãtus mœror, si qua relicto uelo, flammeum accepisset matronale? Nimirum rei charissimæ grauis est iactura. Quanto ardore olim cursitatum est à Christianis ad martyrũ cineres? Quàm sacrosancta fuit illorũ apud omnes Christi cultores memoria, quum quotidie senes, iuuenes, matronæ, uirgines cursitarent ad carceres, uelut ad loca deo consecrata: quum oscula figerentur catenis, quibus fuerant alligati: quũ gladius quo fuerant interfecti, seruaretur inter sacras reliquias? Quę memoria lætior ac festiuior ecclesiæ, q̃ martyrũ? Quando modulatẽ exultantius, q̃ in illorũ anniuersarijs? Quin horum afflictiones palmas uocat, supplicia triumphos, horũ mortes natales appellat: nec in his celebrandis quic q̃ lugubre, sed omnia plena gaudij, plena gratulationis, plena plausus, plena tripudij. Nec in ullo argumẽto se magis ostentauit eruditorum hominum eloquentia, q̃ in celebrandis martyrũ ac uirginum laudibus. Hic Prudentius lyrico carmine uicit Pindari grandiloquẽtiã, uicit Horatij inimitabilẽ elegantiã. Hic Græcorum pariter ac Latinorum tuba nescio quid grandius ac diuinius intonuit Heroico carmine. Hic Ciceronis felicẽ copiam superãt Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, alijq; plures q̃ ut numerandi sint. Quid esse coniectamus in causa? Nimirum martyrum magnitudo suppeditabat eloquentiæ copiam, pectoris ardor addebat orationi uim, pietas

2. Cor. 12

Versus hexameter natus casu.

pietas alacritatẽ. Fluit illis ubiq; diues oratio, uerum quoties ad martyres uentũ est, & uir
gines, tum uelut afflatu numinis nescio quid grandius humano modo sonant. Non hęc si
unt humanis studijs, afflatu diuini spiritus hæc gerũtur, qui sic uult glorificari sanctos su
os, in quibus ambit uideri glorioſissimus. Fateamur hæc esse humana, nisi deus, qui men
tes afflat piorum, tot etiam prodigijs decorat martyrum ac uirginũ monumenta. Vbi ma
gis torquentur impij dæmones? Vbi magis proſligantur morbi medicis immedicabiles?
Quis imperator, quis rex ullis statuis, titulis, pyramidibus, templis, collegijs, diuinis ho
noribus indictis, tantum honoris impetrauit etiam in hoc mundo? Nimirũ sic deus hono
rat martyres suos, qui hic uidebẽtur afflicti, humiles ac dejecti: sic uirgines suas, quæ uelu
ti mortuæ mundo, totam suam spem collocarunt in sponso Iesu. Sed martyrum gloria nõ
temere nisi à morte clarescit. Virginitas etiã in hac interim uita suũ habet decus. Quis em
tam barbarus est, ut non faueat uirgini? In medijs bellorũ tumultibus immanis hostis uir
ginitati parcit. Et si credimus historijs, mutæ belluæ, trucesq́ feræ uirginitati deferunt:
Quantũ honoris olim habitũ est Romæ uirginibus Vestalibus? Quod est illud natiuum
uirginitatis decus, quod agnoscunt idololatræ, quod reueretur barbarus hostis, quod sen
tiunt mutæ beluæ, cui parcunt feræ? Quanto iam honorabilior uirgo Christi, si tantus est
honos uirginib. huius mundi? Sume uirgo sanctam superbiã, & infra tuã dignitatẽ puta
to, quicquid hic mundus iactat uoluptatũ aut honorũ. Sanctum est superbire in sponso:
pium est gloriari in eo, cui debes omnia. Tutũ etiam est illius fiducia cristas tollere aduer
sus mundũ, suas ostentantẽ delicias. Non est animus in præsentia, quicquid in laudẽ mar
tyrum aut uirginũ dici potest, persequi. Habetis Cypriani libros, habetis Ambrosij, habe
tis Tertulliani & Hieronymi, quorũ posteriorum uterq; penè nimius fuit in admiratione
uirginitatis. Non enim sic attollenda uirginitatis excellentia, ut huius laus cũ iniuria casti
matrimonij cõiuncta sit: sed hæc eo repeto charissimæ uirgines, ut perspiciatis & felix sit
uestrũ collegiũ, cui contigit utrunq; possidere, quod diues illa Christi sponsa ecclesia prę
cipuũ habet in suo mundo. Seruatis enim fragrantissimas illas rosas septẽ fratrũ Macha
bęorum, ac matris, cuius fœcunditas non marito genuit, sed deo. Feliciter illa quidẽ sarsit
uirginitatis iacturam tot filiorũ uirginũ martyrio. Non genuit uirgo, nam id uni fœmina
rũ datũ est, sed uirgines genuit et martyres. Virginitatis exemplũ ex se prębere nõ potuit,
sed quod potuit, magno studio præstitit. Ad uirginitatẽ instituit filios, ad martyriũ cohor
tata est, præcessura quoq;, ni metuisset tenerę suorũ ętati. Itaq; uirginitatis gloria non cõti
git matri cũ filijs: sed in martyrij negocio tãto maior est laus matris, q; spectatrix crudeliũ
supplicíorũ in singulis filijs passa est, quicquid in illorũ corpora potuit carnificũ crudeli
tas. Hoc fortius est & semel supplicijs finire dolorẽ. Parẽtes atrocius torquẽtur in liberis,
q; in seipsis. Nouit hoc & tyrannorũ ingeniosa crudelitas, qui quod tormẽtis extorquere
nõ possunt à parentib. extorquẽt tortis in illorũ cõspectu filijs. Toties uidet dilacerari sua
uiscera & mulier & mater. Vbi hic sexus imbecillitas? ubi pietatis affectus, qui in matrib.
solet esse, & in uiris impotẽtior? Nimirum pietas in deũ superauit pietatẽ humanã, & se
xus imbecillitatẽ uicit ardor fidei. Salue felicissima uirago, quæ uiris omnib. fortitudinis
exemplũ dedisti. Saluete flosculi bellissimi ecclesię, qui ueluti pręcoces delicię pręueniſtis
uer Euangeliũ, et ante proditũ Euangeliũ pręstitistis Euangelicã uirtutẽ. Nondũ erat au Matth. 19
dita uox eius, qui uirgo natus est ex uirgine: Beati qui se castrauerũt propter regnũ dei, te
tamẽ hanc laudẽ uos occupástis. Nondũ erat auditũ: Qui uult esse meus discipulus, tollat
crucẽ suã & sequatur me: uos tanc & prodromi Christũ passurũ adumbrastis. Atq; animæ
quidẽ uestræ nunc in cœlis sequũtur agnũ, quocunq; ierit: cæterũ illibata uestra corpora,
quæ ut habuistis socia supplicíorũ, ita recipietis olim in æternæ felicitatis cõsortiũ, nõ de
cuit alibi seruari magis & in sancto uirginũ collegio. Nũc ad uos ô uirgines huius tãti the
sauri custodes, mea sese uertet oratio. Habetis in eisdẽ adolescentib. & castitatis exemplũ,
quod imitemini: & martyrij laureã quã prædicetis, glorificãtes spõsum uestrũ, qui certa
uit in illis, qui uicit in illis, qui triumphat in illis. Habetis in eodẽ calatho lilia mixta rosis.
Vtrunq; decus cũ altero certat, nec alterum tamẽ ab altero obscuratur, sed utrunq; alte
rius accessione fit illustrius, ueluti cum ebur, ut ait ille, corrũpitur ostro, aut quum gemma
candẽs includitur fuluo auro. Est aũt tam ambiguum gloriæ certamẽ inter martyrẽ & uir
ginẽ, ut ego, si res in contentionẽ uocetur, non ausim pronunciare utrum alteri præferri

debeat. In Christo fuit utrunq; consecratum, sed tamen plus debemus illius cruci, q̃ uirgi nitati. Beatitudinis elogiũ tribuit his, qui se castrassent propter regnũ dei, sed crucis imitationẽ exegit. Maius aũt uidetur, quod quũ non exigatur, tamẽ beatũ reddit, si quis ultro pręstet, ac persecutionis quidẽ tẽpore magna quędã res est, animus pro dei gloria semper paratus ad omnia mortium genera. Sed habent tempora, quemadmodum & mare, suas tranquillitates, & licet nonnunq; effugere carnificis manus. Quod si urget certamen extremum, mors, corporis & cruciatuum finis est, & felicitatis initium. Virgini longum ac perpetuum certamen est cum hoste domestico, quẽ nec occidere fas sit, nec effugere possis. Hic nimirum est caro, quam uelimus nolimus, circũferimus subinde rebellantem spiritui. Hãc uincere ne cui uideatur leue, sæpe legimus illecebris superatos, qui terrore mortis superari non poterãt. Hactenus expendit nostra collatio, utrũ sit altero fortius: sed mihi quidẽ uidetur uirginitas in hoc etiã felicior, quod quẽadmodum ante per occasionẽ diximus: martyrij flos non emitescit nisi post mortẽ, uirginitas etiã in hoc seculo suũ habet candorẽ, suam habet fragrantiã, suam habet gratiã ac dignitatẽ. Animi flos est uirginitas, sed relucet etiã in uultu, in oculis, totoq; corporis habitu angelica quædã puritas ac nitor uirens, senijq; nescius, hic ueluti meditans esse, quod omnes expectant post hanc uitam, qui pie uixerint in Christo Iesu. Animus integer & incorruptus uigorem suum transfundit in corpus, quemadmodum mens uitijs infecta quodammodo relucet, uel horret potius in ipsa corporis specie. Porrò libido in proprium etiã corpus contumelioſa est. Quur in resurrectione non senescent piorum corpora? Quoniam his iam imperabit animus, qui senium nescit. Vt mors, ita morbus & senium ex peccato est. Tolle peccatum, & minus erit senij, & si contingat senectus, cõtinget floridior. Itaq; uirgo iam hic aliquam felicitatis suæ partem præcipit, in corpore mortali speciem quandam exhibens futuræ immortalitatis. Principes huius mundi non maiori studio curant milites suos, quàm seminarium: unde quum res flagitat, colligant tyrones: quod si deficiat, unde sufficies exercitũ? Ac iam seculis aliquot sub principibus Christianis nullæ procellæ sunt exortæ, quales olim erant sub Nerone, Domitiano, Iuliano, Maxentio. An sub his melius habeat res Christiana, non est meum definire: certe per hos in arctum contracta est. Verum utcunq; se habet, si rursus incideret tempestas, quæ posceret martyrẽ, unde potius hæc manus colligenda uideatur, q̃ ex his, qui spretis omnibus huius mundi blandimentis, sese totas consecrarunt Iesu sponsõ cœlesti, qui sua sponte carnem suam crucifixerũt cum uitijs ac concupiscentijs: eamq; uoluptatẽ amore sponsi cõtempserunt, cuius unius gratia plerique mortales cuperent hic perpetuo uiuere. Vera uirgo minimũ abest à martyre. Martyr patitur à carnifice cædi carnem suam: uirgo quotidie uolens mortificat carnẽ suam, ipsa sui quodammodo carnifex. Aliquanto fortius est domare captum hostẽ, q̃ occidere. Martyr tradit corpus suum, uirgo subigit & in spiritus seruitutem redigit. Quur trepidabit uirgo Christi ad manum percussoris? An requiret opes, delicias, fastum, luxũ, uoluptates, quæ cæteros remorãtur in hac uita? At his omnibus iamdudum renunciauit. Quæ nihil amat in hoc seculo: quæ mortua mundo, soli uiuit Christo, quæ quotidie columbinos ædit gemitus, cupiens propius iungi adamato sponso suo, & illius stringi amplexibus: nónne libens emigrabit ex hoc corpusculo, in quo scit se peregrinari à domino? Qui uiri mirabilius animi robur præstiterunt in tormentis, quàm uirgines martyres, Agnes, Cecilia, Agatha, & harum sodales innumeræ? Proinde uirgo quum traditur carnifici, non incipit martyrium, sed absoluit iampridem inchoatum. Hæc si cui uidentur ardua, cogitet & uirginis professionem supra uires hominis esse, dignitatem angelicæ parem. Neq; uero omnes uirgines sunt, quæ uelo nigro tectæ sunt. Etenim quemadmodum iuxta Pauli doctri- 1. Timo. 5
nam, quæ ueræ uiduæ sunt discernuntur ab his quæ falso nomine dicuntur uiduæ, & eidem quæ uiuit in delicijs dicitur mortua: ita uirgo, quæ aliud amat in hoc mundo quàm sponsum suum, uirgo non est. Sunt in Euangelio uirgines prudentes quæ sibi multis operibus pietatis prospexerant, ne deficeret oleum in lampadibus: erant & fatuæ. Et Hieremias deplorat uirgines squalidas, neque enim huius nominis dignitas competit in eam, quæ licet corpus habeat intactum uiro, tamen animus impuris cogitationibus cum adultero Satana colloquium habet. Quæ nolens uiuit cælebs, iam nupta est: quæ corrumpere tetur si liceret, iam corrupta est. Difficillimum est uolantis animi cohibere cogitationes

omnes

omnes,& tamen aduersus has ingruentes precibus,sacra lectione,ieiunijs, pijs occupati/
onibus pugnandum est,assentiri uenenum est. Colloquuta est prima uirgo Eua cum ser/
pente, & hinc omnium malorum origo: oculos habebat impudicos, quos pomi blandi/
entis illecebra adulterauit. Vestitus cultior,picta facies, epistolæ adolescentum blandæ,
munuscula ultro citroq́ue missa,morituræ uirginitatis indicia sunt. Cui colitur uirgo, se/
mel Christo consecrata? Quur expetit iuuenum consortia, quę in hoc accipit uelamen,ne
mundus conspiceret,quod sponso Christo dicatum esset? Mulier quæ nupta est ornat se
uiri oculis,uirgo quæ Christo nupta est,quur ullius hominis oculis se colit? Audite quid
illa dicat apud Poetam eruditum,sed ethnicum:

Cui colar infelix,aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus autor abest.

Si cultum negligit illa,quia non adsit sponsus,qua fronte comit se uirgo in hoc mun/
do,cuius sponsus est in cœlo? Quorsum adstat speculo,semel desponsa Christo? Quin te/
metipsam contemplaris in fonte scripturæ diuinæ? Quur autem his ornamentis expolit
sese,quibus ille offenditur? Ista mundities in oculis sponsi uestri sordes sunt meræ,iste ni/
tor squalor est, isti odores nausea sunt. Amat ille spiritus nitelas, amat animi mundiți/
em,amat pigmenta mentis. Quicquid habet mundus earum quæ se comunt oculis mun/
di,uirgo Christi magnificentius ornatur earum rerum contemptu,q̃ copia: decentius or
natur derasa coma,sacroq; uelamine, q̃ ulla sponsa sericis,auro,gẽmis,ac purpura. Nam
fucorum ementitus nitor,etiam in ethnicis semper uitio datus est. Sponsa Christi tot ha/
bet ornamenta,quibus cõmendatur oculis dei,quot ornamenta mundi contempsit amo
re sponsi sui: pro gẽmis ornatur uirtutibus,pro purpura charitate,pro auro sapientia,pro
fucis animi simplicitate, pro sericis castitate, uerecundia, pro monilibus modestia. Non
offuscatur uestium sordibus pudicitiæ candor. Ex ueterum monumentis liquet,quæ fue/
rint præcipuę uirginum laudes,abluere pedes miserorum,lauare pannos pauperũ,assíde/
re & inseruire ægrotantibus,contrectare corpora ulceroforum amore Christi. His rebus
sordidata uirgo formosissima est Christi oculis. Cæterũ quoniã nunc diuersum est sacra/
tum uirginum institutum,inter se certent officijs charitatis,manib.parent, quo subueniãt
pauperum inopię. Et si quando uirgini inciderit cum prophanis colloquium,illud studio
sit,ut à colloquio suo dimittat illos emendatiores,nõ ut ipsa discedat corruptior. Reddat
uos cautiores primæ uirginis exẽplum, quæ corrupta ueteratoris colloquio, cõiecit sese
in miseriã lamentabilẽ. Adolescẽs lubrico uultu,lasciuis oculis, impudica lingua quouis
serpente pernicioſior est. Imitemini nouã uirginẽ,ducẽ ac principẽ instituti uestri,ea non
colloquitur cũ serpente,sed inclusa penetralibus suis colloquitur cũ angelo,& hinc initi/
um omnis salutis. Virgo quæ loquitur cũ impudico iuuene,cum serpente loquitur. Vir/
go quæ pijs uotis solicitat deum,quæ meditatur in sacris libris, cum angelo loquitur, uel
cum sponso potius. Vtrum tutius est? utrum honestius? utrum magnificentius? Quare si
quando titillabit animos uestros desiderium earum rerum,quas ut & suaues & pręclaras
ostentat mundus, cogitate, quod res est, eas uos non reliquisse, sed magno lucro uestro
permutasse. Proinde nihil infelicius illis,quibus nec mundi cõmodis frui licet,quas sitiũt,
nec suis delicijs fruuntur ob animum carnis cupiditatibus uitiatum. Habent mundi uirgi/
nes suas sodales,habent ornamenta,habent lusus, habent cantiones & choreas, sed hæc
qualiacunq; sunt,tantisper habent donec ætatis florem marito prostituerint. Verum hæc
omnia Christi uirginibus ut uera sunt & interna,ita sunt & perennia. Illæ mox posito ser/
to uirginali flammeum accipiunt matronale,nimirum seruitutis indicium, etiã Paulo te/
ste. At uirgines deo dicatæ semper uelatæ sunt sponso suo,ne uideantur ab adultero mun
do. Est enim zelotypus amator Iesus, non patitur suas delicias prophanis oculis prosti/
tui. Immo utrum est felicius,ancillam esse mariti,an Christi? Ecce, inquit illa, ancilla do/
mini. Quæcunque uere est ancilla domini, domina est mundi. Interpretare uirgo uela/
men tuum,regni insigne est,non seruitutis. Quæ maritis uelantur, seruitutem humanam Lucæ 2
profitentur. Nec semper est ó bonæ,maritorum leue imperium. Sæpe pro maritis coti/
tingunt domini difficiles, procaces, inclementes, aleatores, ebrioſi, profusores, obærati,
scabioſi,rabioſi,percussores. Ne quid interim dicã de grauioribus maleficijs,aut morbis.
Accedit his cura rei familiaris, cura liberorum, negotia affinium, lites, orbitas, uiduitas.

Nec ẽm est simplex afflictio carnis, quã Paulus denunciat his, qui coniugiũ malunt. Non est huius instituti declamatoria ratione persequi quicquid incõmodorum sequitur coniugiũ. Hæc experimẽto discere misera est prudẽtia, præstat è libris eruditorũ hominũ discere. Quod si ne his quidẽ habeẽ fides, accerse ó uirgo quãpiam ex his, quę fatis feliciter nupserũt, hanc obtestare ut narret tibi uerã sui matrimonij historiã: audies unde minus pœniteat te tui propositi. Iam propone tibi exẽpla uirginũ, quæ nupserunt infelicissime, quę plurima turba est, et quicquid illis accidit, puta tibi accidere potuisse. Quicquid malorũ, quicquid calamitatũ frequẽter accidit ijs, quæ nubunt sponso mortali, huic in totũ subductæ sunt, quæ uere, quæ ex animo nubũt immortali sponso Iesu. Non est, mihi credite, tristis aut inamabilis sponsus Iesus. Visus est olim non habens speciem neq; decorem, sed nunquam erat amabilior, quàm cum amore sponsę formam illam induisset. Quæ puella non pluris faceret procum suum, si relictis paternis opibus rusticano sago tectus consurgeret ad humilis uirginis casulam, ut illius coniugio potiretur? Quid autem si per uulnera ad adamatam sponsam properaret? An non ille in pannis, & sanguine perfusus uideretur amabilior? Haud dubie uideretur amanti. Iam cogitate an uester sponsus, qui uestra causa patris arce relicta descendit in terras, & dissimulata diuinæ naturæ maiestate induit formam serui, sese deijciens usq; ad ignominiam crucis, sit uobis fastidiendus. Amanti sponsam uirgini monasterium non carcer est, ut quidam calumniantur, sed paradisus est. Non licet uobis uagari quo libet, istuc uirginibus nec tutum est nec honestũ, proinde nec exoptabile. Nisi forte placet exemplum Dinæ. Non est tristis aut inamœna res uirginitas, habet in sacris literis sua uiridaria, in quibus cum optimis sponsi sodalibus spatietur. Deum immortalẽ cũ qualibus? cum Tecla, cum Cecilia, cum Agatha, cum Theodora, cum Eustochio, alijsq; innumerabilibus. Habet sua serta spiritualia ex uarijs uirtutũ floscu-
2. Cor. 2 lis concinnata: habet unguenta sua, ut possint cũ Paulo dicere: Bonus odor sumus deo in omni loco: habet sponsus delicias unguentorum spiritualium, quorum fragrantia superat omnia aromata. Quid amabilius nomine Iesu. Vnguentum effusum est nomẽ eius. Quæ hoc odore tractæ, cursu sequuntur illũ, quid tædij sentire possunt in hac uita? habet
Cant. 1 & uirgo suum unguentũ, quo uicissim oblectat sponsum suum. Dum esset, inquit, rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Et in Euangelio ducturus sponsam suã ecclesiam nardo peccatricis perfunditur. Habẽt à Dauid cytharas suas, habent psalterium, habent cantilenas, & hymnos spirituales, quibus iugiter psallunt in cordibus suis domino, gratias agentes, laudantes & obsecrantes, nonnunq; & dulcibus suspirijs desiderãtes sponsi præsentiã, si quando ille sese ad tempus subduxerit: declinat enim ille nonnunq; ac transit, nõ ut deserat, sed ut amorẽ redintegret. Quid habẽt mundi uirgines quamlibet felices, quod ad hæc solatia conferri possit? Locus angustus uideri non potest, quibus mox aperitur immensitas cœli: sodalitiũ infrequens uideri non potest, quibus propediem continget omnium sanctorum sodalitas. Quid ni dixerim propediẽ? quantula enim est huius uitæ summa? ut iam contingat senectus, quæ quotocuiq; contingit? Proinde uirgines optimæ, agnoscite uestrã felicitatẽ, & nõ inuidebitis mundo suas deliciarũ præstigias: agnoscite uestrã dignitatẽ, et nõ expetetis sordida mundi cõmercia. Nisi te cognoueris, inquit, pulcherrima inter fœminas. Comminatur sponsus uirginibus, nisi agnouerint suã beatitudinẽ. Non agnoscunt aũt, quas instituti pœnitet, quæ mundi delicias suspirãt. Cogitate quali sponso nupseritis, illi totis præcordijs adhærete, in quo semel habetis omnia, quę uere læta sunt aut magnifica. Animet uos ad constãtiam exemplũ sanctissimorũ iuuenum, qui magis etiã gaudebunt suorũ corporum pignora seruari in uestro collegio, si senserint uos æmulatrices suarum uirtutũ, quibus deo placuerunt. Ornant illi uestrum sodalitium, sic illos uicissim ornabitis integritate morum uestrorũ. Illi tot supplicijs excarnificari maluerunt, q̃ gustare carnem suillam. Vos putate carnẽ esse suillam, quicquid ingratum est spõso uestro. Si fueritis æmulatrices pulcherrimi certaminis, eritis & gloriæ cõsortes opitulante sponso uestro Iesu, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in æternũ, Amẽ.

VIRGINIS ET MARTYRIS COMPARATIO-
nis per Des. Erasmum Roterodamum, Finis.

DES. ERASMI ROT. CONCIO DE PVERO IESV, PRONVNCIATA A PVERO IN NOVA schola Ioannis Coleti, per eum instituta Londini, in qua præsidet imago pueri Iesu, docentis specie.



Ver apud pueros uerba facturus de ineffabili puero Iesu, nõ optarim mihi Tullianam illam eloquentiam, quæ breui atq; inani uoluptate aures deliniat. Quantum enim abest Christi sapientia à sapientia mundi (abest autem immẽso interuallo) tantum oportet Christianam eloquentiam à mundana differre eloquentia. Sed illud una mecum ardẽtibus uotis impetretis uelim ab optimi Iesu patre deo, à quo ceu fonte bonorum omniũ summa proficiscitur, quiq; solus fœcundo illo suo spiritu linguas infantium reddidit disertas, uel è lactentium ore laudem absolutã depromere solitus: ut quẽadmodũ omnis nostra uita non aliũ exprimere debet, q̃ ipsum de quo dicturi sumus Iesum, ita & oratio nostra illũ sapiat, illũ referat, illum spiret, qui & uerbum est patris, & uerba uitæ solus habet, cuius sermo uiuus & efficax penetrantior est quouis gladio ancipiti, ad intimos etiam cordis recessus penetrans: utq; ipse, de cuius uentre flumina promanãt aquæ uiuæ, nõ grauetur per organum uocis nostræ uel uti per cannalem, in omnium uestrum animos influere, multoq; gratiæ cœlestis irrigare succo. Id ita futurum confido commilitones mei charissimi, si pijs uotis purgatas, ac uere sitiẽtes aures adiungetis, eas uidelicet aures, quas æternus ille sermo requirens in euangelio, Qui habet, inquit, aures ad audiendũ, audiat. Nos porrò cur nõ audeamus rem hãc arduam quidem illam, sed tamen piam aggredi: præsertim ipso adiutore deo, in quo hoc plus potest mortalis infirmitas, quo minus suis nititur uiribus, & in quo Paulus omnia se posse gloriatur. Iam uero cũ tanto studio flagrẽt isti qui mũdanæ hoc est, diabolicę militię dedere nomina, ut suũ quiq; ducem laudibus uehãt, nobis quid prius, aut antiquius esse debet, q̃ ut præceptorem, uindicem, imperatorem nostrum Iesum, ac eundem quidem omnium, sed tamen peculiariter nostrum, id est puerorum principem, certatim pijs celebremus præconijs? Hunc in primis cognoscere studeamus, cognitũ laudemus, laudatum amemus, amatum exprimamus atq; imitemur, imitantes eo fruamur, fruentes immortali felicitate potiamur. Sed in tam ubere, tamq; immensa rerum copia, unde quæso initium, aut ubi finem nostra reperiet oratio, cum is de quo loqui paramus, fons sit, uel (ut uerius dicam) Oceanus bonorum omnium. Verum ut ipse natura incomprehensus & infinitus, tamen sese uelut in arctũ cohibuit contraxitq;, itidem & nostra oratio in explicandis eius laudibus, quæ modum nesciunt, modum tamen ipsa sibi faciat oportet. Equidem tria potissimum esse uideo, quæ uel discipulorum, uel militum animos solent ad gnauiter agendum inflammare, ea sunt ducis admiratio, amor, & præmium. Itaq; quo præceptori nostro ac dulci Iesu studijs alacrioribus pareamus, agedũ singulatim hęc in eo pia curiositate consyderemus: Primo loco quàm sit suspiciendus undiq;, ac stupendus: deinde quanto opere diligendus, atq; ob id imitandus: postremo quàm ingens dilectionis fructus. Ac mos quidem est rhetorum in hoc dicẽdi genere illustrium principum adhibere exempla; uidelicet quo collatione crescat is quem conantur laudibus attollere. Verum imperator noster usq; adeo superat omne celsitudinis humanæ fastigium, ut quicquid quantumuis egregiũ adhibueris, tenebras admoueris non lucẽ. Cuius enim imagines ac natalitũ splendor non uideatur esse fumus, si cũ Iesu cõponas, qui quidẽ ineffabili, imò etiã incogitabili ratione deus à deo semper absq; tẽpore nascit, æterno summoq; parenti per omnia æqualis? Quanquam huius uel humana natiuitas nónne facile regũ omnium claritatem obscurauerit? quippe qui stupente rerum natura, autore patre, afflante spiritu, pronubo angelo, citra uirilem operam, uirgo de uirgine, cœlitus grauida, natus est homo in tempore, & rursum ita natus est homo, ut neq; deus esse desineret, neq; sordiũ nostratũ quicq; omnino cõtraheret. Iam uero quid eo fingi potest amplius, qui infusus per omnia, nullo tamen loco cohibitus, in seipso manet immẽsus? Quid illo ditius, qui summũ illud est bonum, à quo bona promanãt omnia, nec tamẽ ipse diminui potest? Quid illustrius eo, qui splẽdor est paternæ gloriæ, quiq; solus illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum?

Quid

Quid illo potentius, cui pater omnipotens uniuersam tradidit potestatẽ in cœlo & in terra? Quid efficacius eo, qui simplici nutu condidit uniuersa, ad cuius iussum sileſcit mare, uertũtur rerũ ſpecies, fugiũt morbi, concidũt armati, pelluntur dæmones, ſeruiũt elementa, ſcinduntur petræ, reuiuiſcunt mortui, reſipiſcunt peccatores, denicq; nouantur omnia? Quid auguſtius eo, quẽ admirantur ſuperi, tremunt inferi, medius hic orbis ſupplex adorat, ad cuius comparationem ſummi reges nihil aliud q̃ uermiculos eſſe ſeſe cõfitentur? Quid eo fortius atq; inuictius, qui ſolus mortem alijs inuictã, ſua morte deuicit, ac Satanę tyrannidem cœleſti uirtute demolitus eſt? Quid triumphantius eo, qui perfractis ac ſpoliatis inferis, tot pijs comitatus animabus, uictor cœlos adijt, ibiq; ſedet ad dexterã dei patris? Quid illo ſapientius, qui tam admirabili ratione cuncta cõdidit, ut uel in apiculis tot tantaq; ſuæ ſapientiæ reliquerit miracula, quiq; tam ſtupendo rerũ ordine atq; harmonia nectit, continet, adminiſtrat uniuerſa, obiens omnia, nec tamen à ſeipſo diſcedens, omnia mouens ipſe immotus, omnia concutiens ipſe tranquillus: poſtremo in quo id quod ſtultiſsimũ eſt, uniuerſam mortalium ſophorum ſapientiam longo ſuperat interuallo? Cuius debet nobis eſſe grauior autoritas, q̃ eius de quo pater ipſe palàm eſt teſtificatus? Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, ipſum audite. Quid æque reuerendũ, atq; is cuius oculis perſpicua ſunt omnia? Quid perinde formidandum atq; ille, qui ſolo nutu poteſt & animã & corpus in Tartara mittere? Quid autẽ formoſius eo, cuius uultum intueri ſumma eſt felicitas? Denicq; ſi multis pretium addit antiquitas, quid illo antiquius, qui nec initium habet, nec finẽ eſt habiturus? Sed fortaſſe magis conuenerit, ut pueri puerum admiremur, quandoquidẽ hic quoq; ſtupendus occurrit, uſq; adeo quod illius eſt infimũ, ſublimius eſt ijs quæ ſunt apud homines excelſiſsima. Quantus erat ille, quẽ infantulum uagientẽ, pannoſum, abiectũ in præſepe, tamẽ cœlitus canunt angeli, adorãt paſtores, adorat et quę genuit, agnoſcunt bruta animantia, indicat ſtella, uenerãtur magi, timet rex Herodes, trepidat omnis Hieroſolyma, ſanctus amplectitur Symeon, uaticinatur Anna, & in ſpẽ ſalutis erigũtur pij. O humilẽ ſublimitatẽ & ſublimẽ humilitatẽ. Si noua miramur, quid ſimile unq̃ aut factũ, aut auditum, aut cogitatum? Si magna ſuſpicimus, quid noſtro Ieſu modis omnibus amplius, quem nulla creatura poſsit uel exprimere uoce, uel cogitatione concipere? Huius magnitudinẽ qui uelit oratione complecti, is multo ſtultius agat, quàm ſi conetur uaſtiſsimum Oceanum anguſto exhaurire cyatho. Adoranda eſt eius immenſitas magis quàm explicanda, quam uel hoc ipſo magis mirari conuenit, quo minus aſſequimur. Quid ni nos faciamus, cum magnus ille præcurſor indignum ſeſe pronunciet, qui corrigiã calciamentorum eius ſoluat? Agite igitur pueri ſuauiſsimi, hoc tam inclyto puero Ieſu præceptore, hoc tam inſigni duce, ſancta ſuperbia gloriemur, huius ſublimitas nobis ad pie audẽdum animos addat, in hoc uno nobis ipſi placeamus, ut exiſtimantes illius omnia nobis eſſe communia, noſipſos meliores arbitremur, quàm qui ſeſemel tali addicti imperatori, mundo uitijsue, ſordidiſsimis utiq; dominis ſeruiamus.

SECVNDA PARS.

Sed admirantur, & contremiſcunt etiam dæmones, amant ſoli pij. Quamobrem altera huius orationis pars, ut propius ad nos pertinet, ita eſt attentioribus auribus accipienda, uidelicet quot nominibus Ieſus ſit nobis amandus, uel redamandus magis, ut qui nos & nondum conditos, ante omne tempus amarit in ſe, in quo iam tum erant omnia. Itaq; natiua ſua bonitate cum nihil eſſemus, nos finxit, finxit autem non quoduis animal, ſed homines, et finxit ad ſui ipſius imaginẽ, hoc eſt ſummi boni capaces, ac ſacro ſui oris afflatu ſpiritum uitalem indidit. Ad hæc cæteris animantibus imperio noſtro parere iuſsis, quin etiam angelis in noſtri tutelã deſignatis, latiſſimam hanc, ac pulcherrimã mundi fabricam noſtris addixit uſibus. In qua nos uelut in admirabili quodã theatro cõſtituit, ut in rebus creatis opificis ſapientiam admiraremur, bonitatem amaremus, potẽtiam ueneraremur, quoq; id magis fieret, tot animi dotibus ornauit, tam perſpicaci ingenij lumine condecorauit. Quid hoc animante fingi poterat uel admirabilius, uel felicius? Sed ó ſemper felicitatis comitem inuidiam. Rurſum ſerpentis aſtu in peccatum, hoc eſt plusquàm in nihilum relapſus eſt miſer. Sed hic tu rurſum optime Ieſu, quàm ineffabili conſilio, q̃ inaudito exemplo, q̃ incomparabili charitate tuum figmentum reſtituiſti? Nam ita reſtituiſti, ut labi

ut labi propemodum expedierit, eamq; culpam quidã non absurde felicẽ uocauerit. Omnia debebamus conditori, at reparatori plusquàm omnia debemus. Vltro temetipsum è regno patris in hoc nostrum exilium demisisti, ut nos paradiso exactos, cœli ciues redderes: nostram humanam carnẽ assumpsisti, ut nos in tuæ diuinitatis consortium ascisceres: nostrum hunc limum induisti, ut nos immortalitatis gloria uestires: nostra tectus forma, nobiscum in hoc calamitoso mundo complures annos agere uoluisti, ut uel sic in tui rapueres amorẽ: nudus in hanc lucẽ, imò noctem emersisti, nobiscum atq; adeo pro nobis uagisti, sitisti, esuristi, alsisti, æstuasti, laborasti, delassatus es, eguisti, uigilasti, ieiunasti: tot malis nostris obnoxius esse uoluisti, ut nos ab omnib. exẽptos malis, in tui, hoc est summi boni cõmunionẽ assereres. Deinde per omnẽ sanctissimę uitæ tuæ seriem, & efficacibus exemplis animos nostros inflammas: quàm salutaribus præceptis erudis, ac formas: & stupendis miraculis expergefacis: & blandis monitis trahis: quàm certis promissis inuitas, ut non sit alia cõmodior uia ad te, nisi per teipsum, qui unus es uia, ueritas, & uita. Sed uiam non indicasti modo, uerumetiam aperuisti, dum pro nobis uinciri, trahi, damnari, rideri, cædi, conspui, uapulare, probris affici, demum in ara crucis agnus sine macula immolari uoluisti, ut nos tuis uinculis solueres, tuis sanares uulneribus, tuo lauares sanguine, tua morte ad immortalitatem eueheres. In summa totum te nobis impendisti, ut tui (si fieri posset) iactura nos perditos seruares. Vitæ redditus, toties tuis apparuisti, atq; illis intuentibus patrem repetisti, ut membra confiderent eò se peruentura, quò caput iam præcessisse conspicerent. Deinde quo magis confirmares amicos patre placato, egregium illud perpetui amoris tui pignus misisti, sacrum illum spiritum, quo mortui mundo, longe uerius ac felicius iam uiueremus in te, quàm nostro hoc spiritu uiuimus. Quæso quid his summæ charitatis argumentis poterat accedere? Ne hæc quidem tam multa, tam magna flagrantissimo tuo in nos amori sat erãt. Quis enim cõmemorare possit, quot martyrum mortibus nos ad huius uitæ contemptũ animas: quot uirginum exẽplis ad continẽtiam accendis: quot sanctorũ monumẽtis ad pietatẽ solicitas: & admirãdis ecclesiæ tuæ sacramẽtis cõmunis pariter et ditas? Vt cõsolaris, erigis, armas, doces, mones, trahis, rapis, mutas, trãsformas nos arcanis tuis literis, in quib. uiuas quasdã tui scintillulas cõdi uoluisti, magnũ amoris incẽdium excitaturas, si quis modo pia diligẽtia conetur excutere. Denicq; quàm undicq; nobis obuius es, ne quãdo liceat obliuisci tui. Ad hęc quàm paterne toleras peccãtes, quàm clemẽter recipis ad te redeũtes? Nec imputas beneficia tua gratis, nec resipiscẽtibus nostra imputas malefacta. Vt subinde tacitis uellicas, ac trahis instinctibus: ut emendas aduersis: ut allicis prosperis: ut omnẽ moues lapidẽ, ut nusquã cessat ardentissima tua charitas in fouẽdis, asserẽdis, tuendis, beandis nobis? Sed quàm pauca de tam innumeris perstrinximus cõmilitones? & tamẽ uidetis quàm sit immẽsus beneficiorum aceruus. Eat nũc qui uolet, & Pyladas, Orestes, Pirithoos, Theseos, Damonas, ac Pythias uerbis phaleratis efferat, mera prę his nugamẽta. Atq; hęc quidẽ cõtulit ultro nihil pro meritis, imò trãsfugis, atq; hostibus, & à quibus nihil omnino mutui beneficij redire poterat. Si mediocribus officijs homines ad amãdum hominẽ accendimur, hunc conditorẽ, uindicẽ, sic amantẽ, sic promeritũ, num saltẽ redamabimus? quandoquidẽ hanc solam gratiam ille à nobis reposcit, quam tamen ipsam in nostrum refundit lucrũ. Adamas sanguine mollescit hircino, Aquilę, leones, pardi, delphines, dracones agnoscunt ac referunt beneficiũ: & ó duritiã cordis humani plusquàm adamantinã, si tam inaudita charitate nõ mitescit: ó ingratitudinẽ pluspquã beluinã, si tantorũ meritorũ potest obliuisci: ó singulare impudentiã dicã an potius dementiã, sic cõditus, sic restitutus, sic locupletatus, tãta oblatus beneficẽtia, ad tantas uocatus spes, quicquã amare potest, præter illum unũ, in quo, & à quo sunt omnia, quicq; nobis omnia secũ impertit. Porrò autẽ quanquã hæc charitas mortales omnes cõplectit, tamẽ nos illi peculiariter debemus, propterea quod in nostrũ hoc est puerorum ordinẽ singulari quadã propensione atq; indulgẽtia fuisse sese, pluribus declarauit argumẽtis. Primũ quod ita ut erat uatũ oraculis promissus, puer paruulus nascj uoluit, cũ esset immensus. Propterea q̃d adhuc uteri uirginei latebris inclusus, infantis itẽ nondũ nati gesticulatiõe, atq; exultatiõe gauisus est salutari. Deinde quod statim innocentium puerorum sanguine, suã natiuitatẽ uoluit cõsecrari, ut his quasi uelitibus, dux inuictus bellum auspicaretur. Adde his, quod instãte morte triũphali Hierosolymã uenies,

puerorum

Puerorum occurſu, atq; officio decorari, puerorũ uoce ſuas laudes decantari maluit. Iam uero cũ amantẽ, quamcũ ſolicitũ puerorum patronũ agit, cũ matribus infantes ſuos offerentibus, ut Ieſu cõtactu cõſecrarentur, diſcipulos ne poſſent admitti uetantib. indignãs: Sinite, inquit, paruulos uenire ad me. Necq uero pueris benedixit tantũ, uerum etiã negat ulli mortalium aditum patere in regnum cœlorum, niſi qui ad paruulorũ formã deſcenderit. Rurſum cũ amanter & illud: cum tam grauiter deterret ab offendendis puſillis, affirmãs magis expedire, ut molari ſaxo collo alligato præceps in mare detur aliquis, quàm ut unum quemlibet ex his paruulis offendat. Atq; his cũ inſigne addidit elogium ad puerorum commendationem. Amen dico uobis, angeli eorum ſemper uident faciẽ patris. Gratias agit tibi tuus, tibiq; dicatus grex Ieſu præceptor, cui quæſo ut ſacras tuas manus ſemper admouere uelis, & ab omni ſcandalo procul arceas. Quid illud: nónne magnũ amoris indicium, cũ puero in mediũ collato, diſcipulis eum exemplum proponit: Niſi, inquiens, conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus iſte, nõ intrabitis in regnum cœlorum. An non eôdem pertinet: cum Nicodemo ſuſcitanti, qua uia poſsit ad uitam immortalem pertingere, iubet ut denuo renaſcatur, hoc eſt in puerum redeat. Vſq; adeo Chriſto duci noſtro placuit infantia, ut ſenes etiã cogat repueraſcere, ſi modo uelint ad illius admitti cõſortiũ, extra quẽ nulla ſalutis ſpes eſt. Necq uero à Chriſto diſſonat Petrus cũ admonet, ut tanq; nuper editi infantes lac cõcupiſcamus. Necq diſcrepat Paulus, Filioli mei, inquiens, quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. Idẽ paruulos in Chriſto lacte potat. Multa ſunt id genus in myſticis literis. Omnino Chriſtianiſmus nihil aliud eſt q̃ renaſcẽtia, cũq; repueraſcentia quædã. Magnũ igitur pueri, magnũ pueritiæ ſacramentũ, qua Ieſus tantopere delectatus eſt. Non contẽnatis ætatem noſtrã, qua uerus ille rerum æſtimator tanti fecit. Tantum demus operã, ut eiuſmodi ſimus pueri, cuiuſmodi diligit Ieſus. Diligit autem innocuos pueros, dociles, ſimplices, atq; illud interim meminerimus, h ãc deo gratam puritiam non in annis eſſe ſitam, ſed in animis, nõ in temporibus, ſed in moribus. Eſt enim præpoſterũ quoddã, nobiſcũq; magnopere fugiendum puerorũ genus, qui mento leui, mẽte ſunt hirſuta, & ætate impuberes, uitioſa aſtutia ſenes ſunt. Eſt igitur nouum quoddã puritię genus quod à Chriſto probat, puritia citra puerilitatẽ, & omnino ſenilis quædã puritia, quæ nõ annorũ numero cõſtat, ſed innocẽtia, ſed ingenũ ſimplicitate. An nõ id palã indicat Petrus, cũ ait: Deponentes igitur omnẽ maliciã, & omnem dolũ, & ſimulationes, & inuidias, & detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationale, & ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem. Cur addidit rationale: nempe ut excluderet ſtultitiã, quæ huius ferè ætatis conſueuit eſſe comes. Cur detrahit inuidias, ſimulationes, ac reliqua id genus uitia, quæ ſenum ſunt quaſi peculiaria: nimirum ut intelligeremus, Chriſti pueros ſimplicitate ac puritate æſtimari, nõ natalibus. Ad eundẽ modũ & Paulus: Malitia, inquit, paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti. Quanquàm eſt omnino in ipſa puerorum ætate natiua quædam bonitas, & uelut umbra quædã ac ſimulachrũ innocentiæ, uel ſpes potius atq; indoles futuræ probitatis: mollis, et in quemuis habitũ ſequax animus, pudor optimus innocentiæ cuſtos, ingenium uitijs, uacuum, corporis nitor, ac uelut flos, quidam uernantis æui, & neſcio quomodo quiddam ſpiritibus cognatũ ac familiare. Necq enim temere fit, ut quoties apparent angeli, puerili ſpecie ſeſe offerant oculis. Quin etiã Magi ſi quando ſuis incantamentis ſpiritũ eliciũt, in puerile corpus ferũtur ac/cerſere. At quanto libẽtius ſpiritus ille diuinus, pijs ac ſanctis euocatus uotis, in huiuſmodi domicilia demigrabit: Ergo ad has naturę dotes ſi acceſſerit ſummi illius & abſoluti pueri imitatio, tum demum & grati in illum, & illo digni pueri uidebimur. Etenim ſic promeritũ quis poſſet non amare: Verũ enimuero ea ueri amoris uis eſt, ut eius quod ames q̃ ſimillimus eſſe cupias. Quod ſi in nobis efficit amor humanus, quantũ æmulandi ſtudium excitabit amor diuinus, cui ille collatus, uix amoris umbella eſt: Proinde ſi uere atq; ex animo nõ uerbo tenus Ieſum amamus, Ieſum pro noſtra uirili conemur exprimere, uel potius in illũ trãsformari. Quod ſi uirũ aſſequi nõ poſſumus: ſaltẽ pueri puerũ imitemur. Quanq; hoc ipſum facinus eſt haud quaq; puerile, imò ſenilibus etiam uiribus maius, ſed quod ferè nuſq; ſuccedat felicius cũq; in pueris. Etenim quoties negotium ab humano pendet præſidio, tũ robur, ætas, ſexus expendit, uerũ ubi gratię res agitur, nõ naturæ, tum hoc efficacius exerit ſeſe miraculũ ſpiritus, quo minus erat opis ac fiduciæ in carne. Deniq;

quid

quid dubitemus, aut diffidamus ipso formante, fingente, ac transformãte nos, quẽ conamur exprimere? Quis Danieli puero tantum addidit prudentiæ? quis puero Solomoni tantũ tribuit sapientiæ? quis tribus illis pueris tantũ adiunxit tolerãtiæ? quis puerũ Helydignũ diuino fecit alloquio? quis Nicolao puero? quis Aegidio? quis Benedicto? quis Agneti? quis Cęcilię? qs tot tã teneris uirgũculis tã masculã atq; inuictã uirtutẽ dedit? Profecto nõ natura, sed gratia, & ubi minus succurrit natura, ibi mirabilius operatur gratia. Hac igitur freti, magno animo studiũ æmulandi puerũ Iesum capessamus, nec unq; oculos ab eo uelut à scopo deflectamus. Absolutũ exẽplar habemus, nihil est quod aliunde petere oporteat. Omnis illius uita, quid nos sequi debeamus, clamitat. Quid aũt docuit puer ille purissimus de purissima uirgine natus, nisi ut omnẽ huius mundi spurcitiã & inquinamenta uitemus, atq; angelicã quandã uitã iã nũc in terris meditemur, hoc est, id esse studeamus, quod illic semper sumus futuri. Porrò spiritus Iesu cũ omnes sordes auersatur, & odit, tũ pręcipue beluinã illã, & prorsus homine indignã libidinẽ. Quid aũt docuit nos, natus peregre, ędditus in tuguriolo, abiectus in præsepe, pannis inuolutus, nisi ut semper meminerimus nos hic paucorũ dierũ hospites esse, utq; calcatis opibus, spretis mundi falsis honoribus, per pios labores ad cœlestẽ illã patriã expediti festinemus, in qua iam nunc animo uiuamus oportet, etiã si corporeis interim pedibus terrã contingimus. Rursum quid admonuit in Aegyptũ aufugiens, nisi ut inquinatorũ cõmercium modis omnibus deuitemus, qui Iesum in nobis, hoc est, innocentiã, ac mundi neglectũ conantur extinguere? Quid uero docuit circũcisus, nisi ut omneis carnis affectus, ad Christũ properanti bus obstrepentes, amputemus, ac tanq; in nobis ipsis mortui, solo Iesu spiritu ducamur ac uegetemur? Quid docuit oblatus in templo, nisi ut totos nos ab ipsa iã infantia deo, rebusq; sacris dicemus, consecremusq;, ac protinus recenti adhuc mentis testula Iesum imbibamus? Neq; enim ulla ætas ad discendã pietatẽ immatura est, imò non est alia magis tempestiua ad discendũ Christũ, q; ea quæ mundũ adhuc nescit. Iã ipsi apud uos æstimate pueri, puer ille sic natus, sic deo dicatus, q; sanctis studijs totã pueritiã transegerit: non otio, non cibo, nõ somno, nõ ineptis lusibus, non stultis fabulis, nõ euagationibus, quemadmodũ puerorũ uulgus facit, sed aut parentũ obsequijs, aut sacris precationibus, aut audiscultandis doctoribus, aut pijs meditationibus, aut sanctis ac serijs cũ æqualibus pueris colloquijs. An non hæc, & multa similia summatim complexus est sanctus Lucas, cũ scribit ad hunc modum? Puer crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia dei erat in illo. An non palàm uidetis nouũ pueritiæ genus? De pristinis pueris dictũ est: Stultitia colligata est in corde pueri. De nouo hoc auditis, plenus sapientia. Quid adhuc ætatis inscitiam præteximus, cũ audiamus non sapientẽ, sed plenum sapiẽtia puerum? Videte ut omnem rerum ordinem hic puer inuertit, qui loquitur in Apocalypsi: Ecce ego noua facio omnia. Perditur sapientia senum, ac prudẽtia prudentiũ reprobatur, & pueri implentur sapientia. Nimirum hoc nomine gratias agens patri: Quoniã, inquit, abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Porrò ne stultã huius mundi, ac fucatã sapientiam affectaremus, protinus adiecit, & gratia dei erat in illo. Is uero demũ sapit, qui mundo desipit, & nil nisi Christum sapit. Is non è philosophorũ libris, non è Scoticis argutijs, sed syncera fide cognoscitur, spe tenetur, charitate deuincitur. Iam uero q; multa docuit nos, ubi duodecim natus annos, à parẽtibus furtim subducit sese, ne inter notos quidẽ, ac propinquos repertus, post triduũ demq; inuentus est. Sed ubi tandem inuentus? num in circulis? nũ in choreis? nũ in uijs aut foro? Audite pueri, ubi repertus sit Iesus, relictis parentib. quodãmodo fugitiuus, & ubi uos uersari cõueniat intelligetis. In tẽplo inquã inuẽtus est, in medio doctorũ sedens, audiẽs illos, ac uicissim interrogans. Quid docuit nos Iesus his tam admirandis factis? Non dubium quin rem magnam, rem seriam, rem imitandam docuerit. Quid autem? quid? nisi ut grandescente in nobis Christo, quandoquidem & in nobis nascitur, & habet suos ætatum gradus, donec occurramus in uirum perfectum, & in mensurã plenitudinis eius? Ergo cũ grandescit in nobis, docet ut naturales parentum & amicorũ affectus in deum transferamus, nihil hic amemus, nihil miremur, nisi in Christo, & Christum in omnibus. Meminerimus nos uerum patrem, patriam, cognatos, amicos habere in cœlis. Verũ ne quis imaginetur hunc parentum neglectum, fastum, aut inobedientiã sapere, consequitur, & erat subditus illis. Imò nemo suos parẽtes uerius amat,

nemo magis pie colit, nemo obseruantius morem gerit, quàm qui sic cõtemnit. Quid autem est sedere in templo, nisi in rebus sacris conquiescere, & ad discendum animũ ab omnibus tranquillum curis adferre? Nihil autem uitijs est turbulentius, & otiũ ac quietem amat sapientia. Iam à quo tandem nos grauemur discere, quàm attentas aures præceptoribus præbere conuenit, cum puer ille cœlestis, sapientia dei patris, in medio doctorum sedeat, audiens uicissim ac respondens, sed ita respondens, ut omnes eius sapientiam admirarentur? Neq; id mirum, cum is esset, ad quem omnis mundi sapientia stulta est. Præclara res legum prudentia, egregia res philosophiæ cognitio, suspicienda res theologiæ professio, uerum si quis Iesum audiat, ilico stulteſcunt omnia. At nostra responsio, si sapientiæ miraculum excitare non potest, certe sapiat modestiam, sonet innocentiam. Rursum obsecro, quàm morigeros, quàm obsequentes nos esse decet parentibus ac præceptoribus, quos potiores uelut ingenij parentes habemus, posteaquam ille dominus omnium, cum à parentibus non intelligeretur, tamen subditus illis redierit in Nazareth. Debetur hoc pietati, debetur parentum reuerentiæ, ut aliquoties illorum uoluntati concedamus, etiam si nos meliora uiderimus. Sed iam operæpretium est audire, q̃ apto fini Lucas Iesu pueritiam concluserit: Et Iesus (inquit) proficiebat sapientia, ętate, & gratia apud deum, & apud homines. Quàm multa quàm paucis nos docuit? Primum cum ætatis accessione pietatis item accessionẽ oportere copulari, ne illud in nos iure dici possit, quod in hominũ uulgus diuus dixit Augustinus: Qui maior est ætate, maior est iniquitate. Néue in hoc pulcherrimo certamine unquam restemus, aut nos assecutos arbitremur, sed in morem currentium in stadio, à tergo relicta negligentes, in anteriora nitamur, ac semper à bonis ad meliora, à melioribus ad optima proficere conemur, donec ad metam, hoc est, huius uitæ finem peruentum erit. Socrates iam admodum senex perinde quasi nihil sciret, ita semper & à quouis discere sitiebat. Itidem & nos, quo magis in Christo fuerimus, hoc minus nobis placebimus, si modo uere in illo fuerimus progressi. Adeo φιλοπωτία pestis est & studiorum, & pietatis, ac iuxta Fabium, præcox illud ingeniorũ genus, non remere peruenit ad frugẽ uel eruditionis, uel innocentię. Equidẽ nec ordinem otiosum esse puto apud deum, & apud homines, ut intelligamus in primis dandã operã, ut uita nostra deo placeat. Id agentes humanus fauor ultro consequetur. Nihil enim uirtute pulchrius, nihil amabilius, quam laus hoc magis sequi solet, quo minus appetitur. Paucis ut potuimus uobis expressimus exẽplar pueri, quẽ & amare plurimũ, & imitari studiosissime debemus. Atq; omnino tantum uidebimur amare, quantũ fuerimus imitati. Rursum tanto plenius imitabimur, quanto amabimus ardẽtius. Proinde hoc ipsum ab illo quotidianis ac puris precibus flagitemus, ut nobis donet amore sui flagrare, sui similes euadere, hoc est, castos, puros, incontaminatos, mites, simplices, tractabiles, expertes fuci, ignaros doli, nescios inuidiæ, parẽtibus morigeros, præceptorib. dicto audientes, mundi cõtemptores, rebus diuinis addictos, pijs literis intentos, nobisipsis quotidie meliores, probatos superis, gratos hominib. odore bonæ famæ q̃ plurimos ad Christũ alliciẽtes. Hæc inquam assidue flagitemus, hæc manib. pedibusq; conemur, dũ habilis ætas, breui alioqui fugitura. Etenim si recte monuit Fabius, optima statim ac primo discenda: quid prius discidebet, q̃ Christus, quo nihil est melius: imò quid aliud discere oportet Christianũ, q̃ eum unũ, quem nosse, uita est æterna? quemadmodum ipse testatur, patrem orans in Euangelio. Id si curabimus, utcũq; pro uirili gratiã referemus, tam singulariter de nobis merito, & illi referendo gratiam, ipsum nobis lucrifaciemus. Referemus autem hoc plenius, quo uehemẽtius redamabimus. Porrò hoc magis illum redamabimus, quo magis uita ac moribus exprimemus. Iam quo magis exprimemus, hoc magis ipso locupletabimur.

TERTIA PARS

At interim nonnullis forsitan succurret animo, durã hãc esse militiã, repudiatis omnibus, cũ Christo crucẽ tollere. Sed memineritis fratres dilectissimi, longe diuersam mũdi & Christi esse naturã. Mũdus ceu fucata meretrix, prima fronte blandus nobis & aureus occurrit, posteà quo ingrediare altius, quo propius inspicias, hoc magis ac magis tetra, putida, fellita sunt omnia. Ediuerso Christus procul intuentibus durior apparet, dũ cruces uidemus, dum uoluptatum ac uitę contemptum. Verũ si quis fidenti animo totũ sese in illũ reijciat, reperiet nihil esse mollius, nihil expeditius, nihil dulcius. Nisi forte uerum non

non dixit ueritas in Euãgelio, cũ ait: Tollite iugum meũ super uos & inuenietis requiẽ animabus uestris, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Hęc nimirum uere est ardua illa uirtutis uia, quam & olim tanto ante Christum, utcunq; somniauit Hesiodus, primo aditu asperior, progressu semper & facilior, & amœnior, Sed quid tandem asperũ uideri potest, quo ad tam ingẽs, tam certũ itur præmiũ? Si iuxta sapiẽtis dictũ spes pręmij minuit uim flagelli, quis in hac momẽtanea uita, nõ leue, nõ dulce iudicet, quo cœlestẽ illam, & nunq; desiturã sibi paret uitam, æternũ regnare cũ christo, assidue summũ illud intueri bonũ, uersari in angelorũ cõtubernio, ab omni malorũ metu procul abesse? Quis oro tantũ hoc præmiũ, non uel sexcentis mortibus emptũ uelit? Atqui hoc tantũ donatiuũ pollicetur militibus suis imperator noster Iesus, qui neq; fallere potest, neq; mẽtiri nouit. Iam apud uosmetipsos expendite fructus æternitatẽ, ac magnitudinẽ, contra quàm breue huius militiæ tẽpus, nimirũ haud longius ipsa uita, quę quid aliud est, q; uapor ad exiguũ tẽpus apparens, aut unius horæ somniũ? Sed agedũ de hoc interim inæstimabili præmio sileamus, atq; inspiciamus q; abunde magna mercede dux noster militũ suorũ labores etiam in hac uita cõpenset, quamq; disparẽ metant messem, qui mundo militant, & qui merent sub Christo Iesu. Audiamus quid ipsi dicant impij in libro Sapientiæ: Lassati sumus in uia iniquitatis, perditionis ambulauimus uias difficiles, uiam aũt domini ignorauimus. Illectat mundus fucatis bonorum simulacris, quæ nihil aliud sunt, quàm mellita uenena. Mox attractos, & uelut inautoratos, deum immortalẽ, in quas curas, quas sollicitudines, quas turbas, quæ dispendia, quæ dedecora, in quam conscię mentis carnificinã, in quam infelicem exitum miseros adducit: ut hic quoq; iam abunde magnas impietatis pœnas dedisse uideantur, etiã si nulli consequãtur inferi. At qui reiectis mundi fucis, in Iesum, hoc est, summũ bonum, omnẽ amorẽ, curã, studiũq; transferunt, totiq; ab illo pendent, ij iuxta promissum euangelicũ, nõ modo uitã æternam possidebunt, uerum etiã in hoc seculo centuplũ accipiẽt. Quid est aũt accipere centuplum? Nempe pro fucatis bonis uera, pro incertis certa, pro fluxis æterna, pro ueneno tinctis syncera, pro curis ociũ, pro solicitudine fiduciã, pro turbulẽtia tranquillitatẽ, pro dispendijs utilitatẽ, pro flagitijs integritatẽ, pro cõscientię cruciatu secretũ & ineffabile gaudiũ, pro turpi atq; infœlici exitu glorioſam ac triumphalẽ mortẽ. Spreuisti diuitias amore Christi, in ipso ueros inuenies thesauros: reiecisti falsos honores, in hoc lõge eris honoratior: neglexisti parentũ affectus, hoc indulgentius fouebit te pater uerus, qui est in cœlis: pro nihilo habuisti mundanã sapientiã, in Christo longe uerius sapies, ac felicius: aspernatus es pestiferas uoluptates, in ipso multo alias inuenies delicias. Breuiter ubi arcanas illas, sed ueras opes Christi, dispulsa mundi caligine, uideris, omnia quæ prius arridebãt, quę solicitabãt, ea nõ solũ nõ admiraberis, sed perinde ut pestes quasdã fugies, reijcies, auersaberis. Fit enim mirum in modũ, ut simul atq; cœlestis illa lux animos nostros penitus attigerit, protinus noua quædã rerũ oĩm facies oboriatur. Itaq; qd paulo ante dulce uidebatur, nũc amarescit: qd amarũ, dulcescit: quod horrendum, blanditur: quod blanditur, horrescit: quod splendidũ ante, nunc sordidum: quod potẽs, infirmũ: quod formosum, deforme: quod nobile, ignobile: quod opulentũ, egenum: quod sublime, humile: quod lucrũ, damnum: quod sapiens, stultum: quod uita, mors: quod expetendum, fugiendũ, & cõtra. Vt repente mutata rerũ specie, nihil minus esse iudices, quàm id quod esse uidebantur. Ergo in uno Christo compẽdio, ac uera reperiuntur omnia bona, quorũ inanes ac mendaces imagines & umbras ceu prestigias mundus hic ostentat, quas miserum mortalium uulgus tanto animi tumultu, tantis dispẽdijs, tantis periculis, per fas nefasq; persequitur. Quam obsecro beatitudinem cũ hoc animo conferre queas? qui iam liber sit ab errore, liber ab affectibus, securus, semper gaudens ob testimonium cõscientiæ, nulla de re solicitus, altus, sublimis, ac cœlo proximus, iamq; supra sortem humanam, qui Christo excelsissima petra nixus, omnes huius seculi fucos, tumultus, procellas ex alto rideat, negligat, uel potius cõmiseretur? Quid autem timeat is, qui propugnatorem habeat deum? Ignominiam? At summa est gloria pro Christo ignominiam pati. Paupertatem? At opum sarcinam lubens abijcit, quisquis ad Christum properat. Mortem? At ea maxime in uotis est, per quam scit sese ad immortalem uitam esse transmittendum. Qua de re sit solicitus, cuius pater cœlestis etiã pilos habet annumeratos? Quid aũt cupiat is, qui in Christo possidet omnia? Quid enim non cõmune mem-

bris & capiti? Iam uero quanta est hominis non modo felicitas, uerũ etiã dignitas, uiuũm esse membrũ sanctissimi corporis ecclesiæ, idem esse cũ Christo, eandẽ carnẽ, eundẽ spiritũ, cõmunẽ cũ illo habere patrẽ in cœlis, Christũ habere fratrẽ, ad cõmunem cũ illo hæreditatẽ destinatũ esse: breuiter iam nõ hominẽ esse, sed deum? Adde his gustũ quendã felicitatis futuræ, quẽ piæ mentes subinde percipiunt. Hæc nimirũ uiderat, hæc senserat Propheta, cũ ait: Nec auris audiuit, nec oculus uidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti deus diligẽtib. te. Proinde charissimi sodales, si dabimus operã, ut uere Christi membra simus, iuxta illud propheticũ dictũ: Iustus ut palma florebit, etiã in hac uita perpetuæ quadã adolescentia uernabimus, non animo tantũ, uerũ etiã corpore. Etenim quẽadmodum floridus ille Iesu spiritus in nostrũ spiritũ redundabit, ita noster uicissim in suũ corpus influet, & quoad fieri potest, in sese transformabit. Nec poterit tantus animi ac corporis nitor uestiũ sordes ferre. Nam animus noster habitaculũ est dei, animi domicilium est corpus, porrò uestis & ipsa corporis quodammodo corpus est. Ita fiet, ut capitis puritati totus homo respondeat, donec peracta hac uita ad immortalitatem traducatur.

EPILOGVS

AGITE igitur optimi commilitones, ad hanc tantam felicitatẽ summis uiribus enitamur, ducem nostrum Iesum unum admiremur, quo maius nihil esse potest, immo sine quo nihil est omnino magnum. Hunc unum amemus, quo nihil esse melius potest, immo extra quem nihil est omnino bonum. Hunc imitemur, qui solus est uerum & absolutum pietatis exemplar, extra quem quisquis sapit, desipit. Huic uni inhæreamus, hunc unum amplectamur, hoc uno fruamur, in quo est uera pax, gaudium, trãquillitas, uoluptas, uita, immortalitas. Quid multis? summa bonorum est omnium. Extra hũc nihil suspiciamus, nihil amemus, nihil appetamus, huic uni placere studeamus. Meminerimus nos sub illius oculis, & illius angelis testibus, quicquid agimus, agere. Zelotypus est, nec ullas mundi sordes patitur. Quare puram & angelicam in illo uiuamus uitã, ille sit nobis in corde, in ore, in omni uita. Hunc penitus sapiamus, hũc loquamur, hunc moribus exprimamus. In illo negotium, otium, gaudium, solatiũ, spem, præsidium omne collocemus. Hic à uigilantium animis nunquam discedat, hic dormientibus occurset. Hunc & literæ nostræ, & lusus etiam sapiãt, per hũc & in hoc crescamus, donec occurramus in uirum perfectum, & gnauiter obita militia, perpetuũ cũ illo triumphum agamus in cœlis. Dixi.

DES. ERAS. ROTERODAMVS SACRIS VIRGINIBVS IVXTA DIVI FRANCISCI INstitutum Christo militantibus prope Cantabrigiam S. D.

BENE nos hortatur dominus, dilectæ in Christo uirgines, ut recondamus nobis thesaurum in cœlis, ubi neq; tinea corrumpit neq; fur furatur. Xeniũ quod uestra pietas misit, intercipi potuit, sed uestrã charitatem, uestras sanctissimas preces, quibus me quotidie sponso uestro commendare dignamini, homo quamlibet furax interuertere non potuit. Demus igitur operam, ut hoc opum genere ditescamus, quarum elargitione nõ pauperior sed locupletior fit qui communicat egenti, nec fraudari potest is in quem fit elargitio. Minima tam gratis, tã alacribus animis accipere, quid aliud est, quàm ambire maius beneficium? Itaq; quoniam intellexi uobis epistolam illam quam sic ex tempore, efflagitante Thoma Greio, cui negare nihil possum, effudi uerius quàm scripsi, tantopere gratã fuisse, uisum est unà cum epistola mittere floseulum, ex Esaiæ semper uernantibus hortis decerptum, qui uestros animos sacri spiritus fragrantia simul & recreet, & corroboret. Etenim si flos terrenus admotus naribus non solum exhilarat, uerum etiã uires cordis confirmat, quanto magis huiusmodi flores, quos aura diuini spiritus genuit aluitq;, animis & hilaritatem & robur addent spirituale, si animis admoueantur. Quis enim est cui non obrepat mœror ac tædium quoddam intuenti mala, quibus hisce temporibus undiq; plena sunt omnia? Quis tam confirmatus spiritu, cuius animum in tantis opinionum dissidijs non perstringat

ſtringat aliqua tẽtatio? En igitur uobis Eſaiæ floſculus, qui prõ tædio det alacritatem, & animum fidei robore confirmet fulciatq; : In ſilentio, inquit, & ſpe erit fortitudo ueſtra. Quis hæc dicit? Non Eſaias, ſed ſanctus Iſrael, hoc eſt, æterna ueritas, quę nec falli poteſt Eſa. 30
nec fallere. Quoties aduerſa nobis immittit dominus, qui flagellat omnem filium quẽ recipit, meminerimus eſſe patrem qui noſtræ conſulit ſaluti, non ignarus quid expediat nobis, ne obmurmuremus, ſed taciti patienterq; feramus manum emendantis, licet naturæ ſenſui moleſtam: hoc eſt ſilentium quod per prophetam exigit dominus: feramus autem non ſolum abſq; murmure, uerum etiã alacres, nimirũ ſpe mox ſecuturæ ſanitatis. Quod
affligit leue eſt ac momentaneũ, quod delectat ęternũ & ineſtimabile. Charitas fidei mi- Gal. 5
niſtra eſt (per hanc enim, ut ait Paulus, operatur) utriuſq; filia ſpes eſt. Vt enim demus fidem à charitate ſeiungi poſſe, certe ſpes de qua loquimur, non niſi ex fide & charitate naſcitur. Proinde ſi filij ſumus potius quàm ſerui, patri fidamus, Patrem amemus oportet, & ſi noſtram ſalutem illi cordi eſſe credimus, non ignari quã immenſa ſit illius miſericordia in omnes qui diligunt ipſum, in medijs etiam moleſtijs multam alacritatẽ noſtro ſpiritui præbebit expectatio diuinæ conſolationis, quæ non patitur nos tentari ſupra quàm poſſimus, ſed facit cum tentatione prouentum, ut ualeamus ſuſtinere, ſæpe miſcẽs triſtia lætis, ſemper addens unctionẽ ſpiritus, quæ triſtia quoq; uel leniat uel exhilaret. Sunt autem quædam incommoda quorum finẽ in hac uita non expectamus, qualis eſt ſenectus, morbus, ut aiunt medici, immedicabilis, & alij morbi nonnulli arte medicorum ſuperiores. Et in his ſilentiũ ac ſpes eſt fortitudo noſtra. Nam & leuius fit patientia, quicquid corrigere eſt nefas, ut ait ille, & nequaquam cõdignæ ſunt afflictiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ mox reuelabitur in nobis, Quur enim nõ dicam mox, quum hæc ui Rom. 8
ta omnis uix temporis momentum ac punctum ſit ad æternitatẽ? Quod ſi ſpes humana tantã habet uim, ut uere meritoq; quidam ethnicus poeta de illa ſcripſerit: Spes bona dat uires, animum quoq; ſpes bona firmat, Viuere ſpe uidi, qui moriturus erat, quid non efficiet illa ſpes quam in nobis gignit ſpiritus Chriſti? Spes humana ſæpenumero fallit, ſpes autem hæc non confundit, ut ſcribit beatus Paulus. Cæterum cõfundendi uerbum, quo uſus eſt Apoſtolus Græce ſcribens, non eſt perturbationis, ſed pudoris potius & probri. Siquidem ijs qui præſidijs hominum freti, magna de ſe iactarunt, ſi res præter ſpem euenerit, propemodum acerbior eſt exprobratio quam ipſa calamitas, pudore malum conduplicante. Verum quiſquis totam fiduciam ſuam collocauit in domino, certam habet ſpem, nec periculum ullum eſt, ne fruſtratus expectatione ſua pudefiat. Etſi nõnunq; pij uidentur hic ad tempus pudefieri, certe non pudefiunt in æternum. Opprobria opprobrantium ceciderunt ſuper dominum in cruce pendentem, audiuit uoces omni felle amariores: Sperauit in deo, liberet eum nunc, ſi uult eum. Hæc audiuit caput, audiunt ſimiles uoces, & illius membra. Sed quemadmodum afflictionis exemplum habent à capite, ita habent & ſpei fiduciam. Nunquid ille ad impias uoces reſpondit? Nihil inuenies, ſed in ſilentio & ſpe poſuit fortitudinẽ ſuam, tranquillo animo dicens patri: In te domine ſperaui, non confundar in æternũ. Vbi uident homines, pios morbis, bellis, damnis, exilijs, cruciatibus, & mortibus affligi, uox eſt impiorum: Vbi eſt deus eorum? Quæ utinam interdum non audiatur & inter Chriſtianos. Sed grauius eſt quoties hæ uoces perſtrepunt intra præcordia noſtra, nonnunquam & ad blaſphemiam uſq; prorumpentes, quum animus dolore tædioq; uictus, deum uocat immitem, iniuſtum, negligentem rerum humanarum, benigniorem erga malos quàm erga bonos, quod illis fere res magis ſecundæ ſint, quàm ijs qui pietatem ſequuntur: non intelligentes quod dominus noſter, per cruciatus & ignominiam trãſit ad gloriam, & obliti quod Paulus ſcripſit ad Timotheum: Omnes qui uolunt pie uiuere in Chriſto Ieſu, perſequutionẽ patientur in hoc ſeculo. Si nihil adiciſſet, tædere poterat afflictionis perpetuæ, nunc ſpem mox finiendi cruciatus & ſequuturæ felicitatis oſtendit dicens: in hoc ſeculo. Quin & Hebræus ille ſapiens hoc præceptum inter pietatis rudimenta ponit: Fili accedens ad ſeruitutem dei, ſta in iuſticia & in ti Eccleſ. 2
more, & præpara animam tuam ad tentationem. Vide ut ſcripturæ diuinæ ſibi conſentiunt in ſententijs, licet uerbis ac figuris uarient. Idem dicit Sirach quod Petrus, Paulus & Eſaias, Quod hic uocat ſilentium, ille dicit ſtare in iuſticia & timore, Quod ille ſpem, hic tentationis uerbo ſignificauit. Qui ſtat non turbatur, nõ deijcitur animo. Qui ſtat in iuſti-

cia,agnoſcit ſuam iniuſticiam ac dei flagellantis iuſticiam adorat. Qui ſtat in timore,non obmurmurat ei,qui poteſt & animam & corpus mittere in gehennam. Rurſus qui præparat animam,non exanimatur,uelut inſperatis malorũ procellis,ſed boni conſulit,quic quid deo uiſum fuerit immittere. Quod alĳs uerbis præcipit Petrus apoſtolus: Chariſſimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem uobis fit, quaſi noui aliquid uobis contingat,ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete,ut in reuelatione glorię eius gaudeatis exultantes. Iam qui intelligit afflictionem eſſe tentationem, hoc eſt explorationem diuinam,expectat probationem,quæ ſpem habet comitem, omnis moleſtiæ lenitricem,quemadmodum Romanis ſcribit Apoſtolus: Sed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes,quod tribulatio patientiam operatur,patientia autẽ probationem, probatio uero ſpem,ſpes autem non confundit, quia charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Non ſatis erat diuinæ benignitati, gaudĳs æternis penſare temporarios ac momentaneos cruciatus, in medĳs etiam afflictionibus dat ſuis pignus arcani ſpiritus,tam efficax,ut non ſolum non deficiant in malis,uerum etiam glorientur & exultent. Itaq; piorum ſpes,etiam ſi uideatur eos pudefacere apud homines,reuera non pudefacit,dum intra ſe ſentiunt teſtimonium ſpiritus teſtificantis humano ſpiritui quod ſint filĳ dei,gaudentq; ſe manu clementiſſimi patris, ad hæreditatem uitæ cœleſtis explorari fingiq;, Sic enim proſequitur ille ſapiens: Quoniã igne probatur aurum & argentum, homines uero receptibiles in camino humiliationis. Crede deo & recuperabit te, & dirige uiam tuam & ſpera in illum. Qui credit ſe deo,ſilet. Silentem ille ſic flagellat,ut emendet: ſic proſternit,ut erigat: ſic necat,ut uiuificet. Tu ſine medicum ſuo more operari,tantum relinque peccata,& ira dei uertetur in miſericordiam. Fruſtra ſperas dei miſericordiam,ſi perſiſtis in his quæ prouocant irã dei. Narrãt humanæ literæ,quendam negociatorem ubi conflatis facultatibus proficiſceretur in longinquas regiones, ut multo ditatus lucro rediret in patriam, poſteaquam naufragio periſſent omnia, dixiſſe: Age fortuna ſentio quid uelis,ad philoſophiam me uocas,uenio quò uocas. Huic iactura rerum ceſſit in maximum lucrum,ſiquidem ex auaro mercatore,factus eſt inſignis philoſophus, ditior contemptu pecuniarũ quàm poſſeſſione. Saltem huius exemplum nos imitemur,quoties nobis accidit uel publica uel priuata calamitas, ne conſternemur animo,ne murmuremus aduerſus manum omnipotentis,quemadmodum fecerũt Hebræi, qui à ſerpentibus perierũt,ſed quod ethnicus ille dixit fortunæ,nos dicamus deo, rerum humanarum unico gubernatori: Age clementiſſime pater,ſentio manum tuam,inuitantem ad pœnitentiam,en ad te uenio, me totum tibi trado, finge ac refinge pro tua ſancta uoluntate filium tuum hactenus male dicto audientem. Nunc hominum uulgus,ſi quid immittitur aduerſitatis,non cogitat hoc immitti à deo,ſed alĳs ſideribus,alĳ naturæ humanæ,alĳ his atq; illis hominibus,aut etiam occaſionibus iraſcuntur,& ulciſci ſtudẽt, haud multo ſapientiores canibus,qui lapidem mordent ab homine iactum,ipſo relicto homine. Tempeſtas perdidit fruges,merces periere naufragio,cœlum peſtilens afflauit corpori morbum,miles incendit horrea,Sycophanta faceſſit negocium,obſtrepit maledica lingua. Quid male precaris cœlo & mari? Quid ultionẽ paras in hominem? Iſthuc eſt mordere lapidem. Primum illud cogita hæc à deo immitti,nec multũ referre per quos immittat,utitur enim ille & elementis & improbis hominibus ad ultionem. Mox circumſpice teipſum,nuncubi tuis ſceleribus iram dei prouocaris, & ſi deprehenderis, quis autẽ non deprehendat,primum ultionem à te ipſo ſumito, correctis moribus & ad deum conuerſus,qui miſit lapidẽ. Sin minus,tamẽ cogita,tẽtat me deus,an uere diligã ipſum,orabo ut in me augeat charitatem. Ab hoc animo quantũ nunc abſumus pleriq;? Quot annis iam omni malorũ genere affligimur? Decem plagis afflicti ſunt Aegyptĳ, & ad ſingulas cœperunt reſipiſcere. Nos tot iam annis tanto pluribus atterimur, nec agnoſcimus domini manũ,nec quiſq; ad uitæ correctionẽ confugit,ſed in alios alĳ culpã reĳcimus,ſibi quiſq; blanditur,molimur uindictas,quaſi quicq; poſſint homines aduerſus diuinã potentiam. Quod enim mali genus eſt quod non premit nos? Aut quæ pars eſt orbis ab horũ malorum immunis contagio? Vbi terrarũ non furit Mars,quum Martẽ dico,nõ unũ aliquod malum dico,ſed malorũ omniũ oceanũ. Vbi nõ peſtilentia? ubi nõ rerũ caritas & fames? ubi non expilationes? ubi nõ latrocinia? Nec alicubi deſunt inundationes. Quàm acres

& im

& implacabiles principum iræ, quantum calamitatum inuexerunt rebus humanis, quan
toq; grauiora minitantur? Quanq; hæc leuia sunt, si cõferantur ad ecclesię dissidia. Quot
sectis discerpimur, & subinde suppullulant nouæ? Quos iungit sanguinis propinquitas,
quos eadem domus, quos idem lectus copulat, distrahit opinionum dissensio. Inter has
plagas quotum quemq; uidemus, qui cogitet de corrigenda uita, qui confugiat ad domi
ni misericordiam? Suam quisq; uicem ulciscitur. Sua quisq; commoda tueri conatur, nec
aliud q̃ conduplicamus nobis mala, & aggrauamus domini manum. Mittimus legatio
nes in Aegyptum, oneramus camelos opibus, confugimus ad ueloces, & irritis tumulti Esaiæ 30
bus miscemus omnia. Nec audimus sanctum Israel clamantem nobis: Si reuertamini &
quiescatis salui eritis. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Quid est reuerti? relinquere
mores & affectus pugnantes aduersus deum. Quid est quiescere? Est abdicatis cupidita
tibus carnis, nos submittere uoluntati diuinæ. Ita demum felix illud ac uerum sabbatum
erit in animis nostris, si nostris affectibus consopitis & requietis, dominus in nobis quæ
uult operetur. Quid primum curant medici? Exhauriunt corpus noxijs humoribus, cæ
tera permittunt naturæ. Abijciamus & nos scelera nostra, dominus, in cuius manu sunt
corda Regum, ilico flectet ea ad studium pacis & concordiæ, tollet è medio locustas mi
litum omnia depopulantium, & ranas opinionum, auferet tenebras nostras ac ueritas il
lucescet cordibus nostris. Audimus uocem domini cunctos ad uitæ correctionẽ prouo
cantis, ne auribus obturatis obduremus & corda nostra, dicẽtes cũ impijs apud Esaiam:
Nequaq̃, sed ad equos fugiemus, & super ueloces ascendemus: Ne rursus illud ingerat
nobis: Ideo fugietis, ideo uelociores erunt qui uos persequentur, Fortasse talibus uerbis
nemo reclamat nunc domino, sed factis penè reclamamus omnes. Hæc publica tempe
stas uos leuius perturbat, ô beatæ uirgines, quæ seculo mortuæ iam in terris cœlestẽ quo
dãmodo uitam agitis, & abditæ cum sponso Christo deliciamini, cui quo propiores estis,
hoc magis decet uos Ecclesiæ tranquillitatem pijs uotis sacrisq; precibus illi commenda
re, leuantes non modo puras manus iuxta Paulum, sed multo magis pura corda ad domi
num, ueluti columbæ in foraminibus petræ & in cauernis maceriarum, gratissimo gemi
tu semper obmurmurantes sponso. Petra autem Christus est, quæ multas habet latebras
in quibus piorum animæ tuto latitent, ab huius mundi tumultu. Vbi dulci temperie re
frigerantur ab æstu carnalium desideriorum, quæ militant aduersus spiritum. In his fora
minibus hoc tutius ac felicius delitescitis, quo minus instructæ estis præsidijs humanis,
quemadmodum columbæ, nec rostro, nec unguibus, nec ui, nec dolis armatæ sunt aduer
sus iniuriam aliarum auium, tantũ fuga latebrisq; tutæ sunt, neq; norunt ulli cæterorum
animantium moliri uim aut iniuriam. Grata simplicitas relucet in oculis, quam & spon
sus adamat in canticis, & Euangelicæ literæ nobis commendant: Nec obstrepunt mole
sto garritu quemadmodum aliæ permultæ, Tantum amabili murmure solitudinẽ suam
solantur. Ad hanc imaginem, ô beatissimæ uirgines, & uos in Christi cauernis latitatis,
in silentio & spe collocantes fortitudinem uestram. Est murmur impiũ quod odit domi
nus. Est & tacitum gratumq; murmur, quo non desinunt gemere mentes afflatæ spiritu
Christi, donec euacuetur quod ex parte est, ueniatq; quod perfectũ est, Talia sunt colum
bina murmura. Est & pernicioſum silentium, quo uetus prouerbium dicit periisse Amy
clas. Est silentium impium, quod nescit fateri commissa, quod premit gloriã deo debitam
Nimirum hoc erat mutum dæmonium, quod solus Iesus potest eijcere. Est & gratum
tranquillumq; silentium, quod cum spe iunctum, reddit inuictum animum aduersus om
nium malorum incursus: Hic silent affectus carnis, sed audiuntur gemitus spiritus. Sic in
gemiscebat Paulus quũ diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
huius? Sic Dauid quum diceret: Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum, concu
piscit & deficit anima mea in atria domini. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, sic
desiderat anima mea ad te deus. Habent uulpes latebras suas, habẽt uolucres cœli nidos,
in quibus conquiescunt, Columbæ quietem nesciunt, nisi in foraminibus petræ & cauer
nis maceriæ. Ideo perforatus est in cruce tot uulneribus, ut illic pijs mentibus, quæ mun
di prę̃sidijs omnibus renunciassent, quietum ac tutum esset suffugium. Idem dicitus est la
pis angularis, connectens utrunq; parietem. In huius cauernis dulciter ac feliciter latita
te uirgines, donec audieritis uocem sponsi ad æternam felicitatem euocantis: Surge pro

pera amica mea, ſpecioſa mea & ueni, columba mea in foraminib. petræ, & in cauernis maceriæ, oſtende mihi faciem tuam. In his cauernis latitauit inſtituti ueſtri parens Franciſcus, humillimus apud mundum, apud deum maximus, In his latitauit ſanctiſſima uirgo Clara, ueſtri ſodalitij dux & patrona, quæ nullis huius mundi præſidijs, nullis humanis freta uiribus, ſed ſilentio & ſpe fortis, calcauit mundum, proſtrauit ſatanam, uicit carnem, & poſt temporarios gemitus, meruit uitæ cœleſtis coronam, regnans cum ſponſo, quem ſpretis omnibus ſatanæ pompis & illecebris unum adamauit. Huius ueſtigijs ingredientes perſeuerate uirgines, ac ſemper ad meliora proficite, ut quemadmodum nunc eſtis ſociæ certaminis, ita ſitis & gloriæ, quæ mox reuelabitur in uobis. Ne uos terreat ætas tenera, ſexus fragilis, corpuſculi imbecillitas, ſatanæ poteſtas mille dolis armata, petra in qua latitatis fortior eſt omnibus, comminuetur quiſquis in hanc impegerit, tutus erit, quiſquis conſtanter inhæſerit. Quo quis magis fidit ſuis uiribus, hoc eſt imbecillior: at qui ſibi diffidit totus, qui nullum aliud ſpectat præſidiũ quàm Chriſtum, is omnia poteſt cum Paulo, non in ſe, ſed in eo, qui elegit infirma mundi ut confunderet fortia, elegit ſtulta huius mũdi, ut pudefaceret ſapientes, elegit ignobilia & ea quæ non ſunt, ut ea quæ uidentur eſſe magni momenti derideret. Iam etiamſi quæ ſunt inter uos quæ iuxta carnem gloriari poſſunt, quemadmodum potuit Paulus, non expedit tamen gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, qui quum omnẽ mundi gloriam uſq; ad crucem contempſerit, quem poſtea non pudeat in hoc mundo gloriari? Paulus in tertium cœlum raptus nõ audet gloriari niſi in infirmitatibus ſuis, & nos homunculi gloriabimur in uiribus noſtris? Ille imbecillitate ſua potens eſt. Non eſt igitur quod metuas puſille grex, confide quoniam qui uos tuendas ſuſcepit, uicit mundum. Te uero religioſiſſima domina, quæ uirgineæ ſodalitatis curam agis, nihil arbitror neceſſe ut horter, admoneam ẽq; tui officij, gratulari magis liberet, niſi uel parum id tutum eſſet humanæ fragilitati, uel parum gratum tuæ ſingulari modeſtiæ. Tantum oro, ut quod facitis, pergatis noſtri in ueſtris ad dominum precibus meminiſſe, nominatim autẽ Greij ſororibus ex me ſalutem dices. Dominus uos omnes ſeruet incolumes. Simul orabit ueſtra charitas pro interceptore, ut ex Miluio uel harpya potius fiat columbus, deſinatq; tandem cretiſſans inuolare quidlibet, ne prouocet in ſe manum Chriſti, & nomen illi uertatur.

FINIS.

INCLYTAE ANGLORVM REGINAE D. CATHARINAE matronarum decori D. Eraſmus Roterodamus S. D.

TAM pluſquam biennium eſt, Regina clariſſima quod clariſſimo GVILHELMO MONTIIOVIO aulæ tuæ præfecto, recepi me nonnihil conſcripturum de inſtitutione Chriſtiani matrimonij. Quanquam autem mihi perpetua fuit uſq; uoluntas præſtandi quod ſpoponderam, tamen toties tot negocijs, moleſtijs, ac morbis, ab hoc negotio uel ſubmotus ſum, uel auocatus, ut cœperim uereri, ne fidem meam hic requireret, quã ſero quidem libero, cæterum an in totum liberem neſcio. Nam qui iuſto numero, ſed iniquo pondere nec ſatis proba materia reſoluunt æs alienum, à commodis creditoribus dimittũtur, cum difficilibus habent litem. Idem mihi metuo, niſi quod res eſt cum æquiſſimis ac facillimis creditoribus. Ad hoc ut uiuat ſpiretq;, deinde ut ſibi conſtet quod ſcribis, plurimum habet momenti calor & impetus animi, ſi liceat illum perſequi. Nunc mihi nunquam contigit totum biduum in argumento ſuſcepto perſeuerare. Vnde mirabor ipſe, ſi non offendet paſſim frigens & abruptus ſermo. Quod ſi ego in depingendo matrimonio non ſatis probum artificem præſtiti, tamen ex tuis ſanctiſſimis moribus abſolutũ exemplar petere licebit, uel ſanctiſſimi uel feliciſſimi cõiugij. Abſit adulationis ſuſpicio. Non tua bona, ſed dona dei in te tum miramur tum prædicamus. ELISABETHAE Hiſpaniarum quondam regi/næ, matris tuæ uirtutes heroicæ pridem orbe toto celebrabantur, cuius integerrimi mores uere bonus odor erat dei in omni loco. Tuæ dotes nobis propius cognitę ſunt, ex quibus & illius uirtutes æſtimamus, non aliter quàm ex tabula pictoris artem agnoſcimus.

Nec

Nec minus absolutum opus in MARIA filia tua expectamus. Quid enim nõ expectemus à puella sanctissimis prognata parentibus,& sub tali matre educata? Dominus hãc felicitatem orbi Christiano ut perpetuam esse uelit precor. Bene uale. Datum Basileæ. An. D M XXVI. Id. Iulij.

CHRISTIANI MATRIMONII INSTITVTIO PER DES. ERASMVM Roterodamum.

QVVM nulla uitæ nostræ portio sit quæ non curam haud uulgarem desideret, tamen præcipua sollicitudo debetur ijs, quæ nõ solum suã quandam adferunt uel utilitatem uel perniciem, uerum etiam seminaria sunt unde pullulat omnium affectuum, opinionum & actionum uel sanitas uel pestis. Proinde uigilans agricola, quanquam nulla in parte sibi dormitandum putat, tamen arborum radicibus ante omnia prospicit, nimirum intelligens hinc proficisci totius arboris incolumitatem. Et ædiles quibus huiusmodi prouincia delegata est, canales quidem non negligunt, sed ipsis fontibus primam impartiunt curam, quod his uitiatis, plurimum incommoditatis ad uniuersam rem publicam perueniat. Proinde sancti patriarchæ, quorum omnis uita, nobis uiuendi formam depingit, quocunq; terrarum demigrabant, summo studio parabant sibi fontes aqua salubri scatentes, pro his belligerabantur, hos obturatos refodiebant, quos & posteritas ut rem sacram à maioribus traditam uenerabatur. Ac mihi quidem præcipua radix, præcipuusq; fons, unde maxima pars uel felicitatis uel infelicitatis scatet in uita mortalium uidetur esse coniugium. Huic ineundo, colendo, peragendoq; si iusta cura impẽderetur, profecto longe melius ageretur cum rebus humanis quàm nunc agitur. Et tamen haud scio quo pacto fit, ut uix ulla uitæ functio neglectior sit apud Christianos, quàm hæc. Magni refert quomodo quis nascatur, sed multo maxime, quibus rationibus & exemplis à teneris formemur & instituamur. Atq; hos duos uitæ fontes complectitur matrimonium, gignendi & educandi. Quid quod hinc rerum publicarum etiam felicitas pendet, nisi forte nihil interesse putamus, quibus maioribus prognatus, quibus opinionibus imbutus, quibus exemplis formatus domi sit, qui capessit rempublicam, aut nisi credimus eum sancte tractaturum rem aliorum, qui suæ domi nequiter atque turpiter uiuere consueuerit. Proinde ueteres illi philosophi qui naturam ducem sequuti, recte uiuendi ceu leges quasdam tradiderunt, nulla de re sanctius religiosiúsue conscripserunt, quàm de coniugio, quum alij complures, tum præcipue, quorum sanè monumenta nobis extant, Aristoteles, Xenophon, & Plutarchus. Quinetiam ij, qui legibus proditis uitæ mortalium consulere studuerunt, præcipuam curam habuerunt matrimonij, multa præscribentes quæ ad firmitatem sanctitatemq; coniugiorum, & ad liberos sicut oportet habendos educandosq; pertinent. Hinc tot leges de sponsalibus, de diuortijs & adulterijs, de iure parentum in liberos, de officio liberorum erga parentes. Apud Christianos uidetur minor habita matrimonij ratio, quàm par erat. Id quamobrem acciderit, non satis liquet. Equidem præter alia suspicor & illud in causa fuisse, quod priscos illos admirabilis quidam ardor habebat cœlibatus ac perpetuæ integritatis. Itaq; complures extiterunt qui pro uiribus extulerunt laudes uirginitatis, qui uirginibus & uiduis pie sanctéque uiuendi præcepta tradiderunt, erga coniugatos non fuit eadem sollicitudo. Sed bene habet, quod ipse dominus IESVS, haud grauatus est coniugatis non solum honorem habere multis modis, uerumetiam uiuendi formam præscribere, quod idem non indiligenter fecit Petrus apostolorum princeps, sed hoc diligentius Paulus præcipuus Ecclesiæ doctor. Hos igitur potissimũ imitati conabimur & nos aliquid adferre pro nostra uirili, quod coniugij sacramento copulatos uel excitet uel formet, in hoc ut sanctissimæ professioni quam à Christo traditam & honestatam susceperunt, respondeant.

Fontes bonorũ ac malorũ

Allegoria fontiũ, quos foderunt patriarchæ

Coniugium fons

Natiuitas & educatio

Respublica

Philosophi de matrimonio

Leges ciuiles

Christiani

Non erat quidem alienum ab hoc argumento matrimonij laudes uerbis attollere. Religiosius enim in eo uersatur, qui didicit meminitq; quanta sit dignitas sanctitasq; coniugij: uerum quoniam id alias à nobis factum est satis, ut mihi cum plerisq; uidetur, plus satis

Diuisio

satis ut quibusdam iniquioribus, nunc tantum ea trademus quæ pertinent primum ad in eundum auspicandumq; matrimonium, deinde ad confirmandum transigendumq; feliciter, post hæc quæ ad sobolem educandam faciunt. Nam hic est præcipuus coniugij fructus. Igitur natura (ut ab huius elementis sumamus exordium, quanquam & naturæ conditor moderatorq; deus est cuius omnium præcipua prouidentia fuit, ut quod cõditum esset haberet addita præsidia, quibus suam incolumitatem tueretur) nullum firmius præsidium iudicauit, quàm hominum mutuam inter ipsos charitatem ac beneuolentiam.

Prima naturæ Charitas ex cognatione

Quosdam igitur necessarijs uinculis copulauit, ut eam coniunctionem homini nec accersere sibi fuerit in manu, nec excutere si uelit. Quàm tenacibus necessitudinis uinculis pietas astringit parẽtes liberis ac liberos parentibus, cuius admirãda uestigia licet & in brutis animantibus intueri, denicq; in feris etiam & immanibus. Quàm arcto charitatis fœdere fratres ac sorores consociauit. Atq; hæc naturæ uis adeo penitus insita est cunctarum gentium sensibus, ut publica nominum usurpatio in obseruantiæ, charitatis & concordiæ significationem abierit. Siquidem uulgo patrem appellant cui reuerẽtiam debent & obseruantiam, filium quem unice charum habent, fratrem qui cum eximie conuenit. Atque hæc beneuolentia quaqua uersum longe lateq; spargit ramos, agitq; radices, supernè recta serie ad auos, proauos, abauos, atauos, tritauos: inferne ad nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes: à dextera leuaq; ad fratres, sorores, patrueles, consobrinos, cæteroscq; quibus desunt propria uocabula. Iam si per obliquas ascendas lineas, occurrunt patrui, auunculi, amitę, materteræ, patrui & auunculi magni, propatrui, proauunculi, proamitæ & promaterteræ, cæteriq; quibus nõ sunt peculiares uoces inditæ. Sin ad eundem descendas modum, occurrit turba nepotum ex fratribus ac sororibus, & ex ijsdem nepotes ac pronepotes. Quin & in ascensu stirpis sese latius usq; fundunt charitatis cognomina. Dyas enim quæ est in parentibus, duplicatur in auis & auijs, fit ogdoas in proauis & proauijs, quæ & ipsa rursus duplicatur in abauis & abauijs, atq; ita deinceps in cęteris. Si deorsum spectes, occurrunt filiorum ac filiarum, nepotum ex his ac pronepotum examina, quemadmodum & in ramis cæteris, donec longo progressu paulatim euanescat cognationis affectus.

Affinitas

Verum hic rursum instaurandæ beneuolentiæ succurrit affinitas, ueluti renouans naturæ necessarias copulas. Est enim hæc coniunctio ceu media inter eas quas natura nobis insscientibus aut nolentibus adiungit, & eas quas nobis uolentibus iudicioq; ascisscimus. Nam & filia nupta parat tibi filiũ, & soror elocata parat tibi fratrem.

Charitas ex officijs

Quin & officia nescientibus exhibita, succedunt in pietatis uocabula. Nam ueluti mater est, quæ uagienti mammam dedit, & nutricius ætatis teneræ patris amatur uice. Similiter qui puerilian honestis disciplinis expolierunt, ut parentis affectum obtinent in discipulos, ita uicissim ab illis obseruantur parentum loco. Iam adoptio cognationem imaginatione instaurans sæpe firmior est uera sanguinis propinquitate. Repperit autem Ecclesiastica pietas, quo latius etiam propagaret inter Christianos mutuæ beneuolentiæ causas, cognationis religionem innouans, inter baptistas, susceptores, siue cathecistas, & eos qui sacro lauacro regenerantur in Christo.

Adoptio

Cognatio spiritualis.

Verum haud scio an hæc omnia fœdera superet, animorum coniunctio quæ sola uoluntatum propensione iudicioq; coijt. Apud priscos enim, quum adhuc integritatis uestigia residerent in moribus hominum, uix ullum

Charitas ex inductione animi.

affinitatis aut propinquitatis nomen sanctius erat, quàm amicitiæ, quod hospites etiam ac bene meritos complectitur. Non hic remorabor lectorem commemorandis amicitiæ

Hospitium

legibus, aut exaggerãdis insignium amicorum exemplis, quæ clarissimorum hominum literis celebrata nemini possunt esse obscura. Verum inter omnia uel naturæ, uel iudicij,

Arctissima societas è coniugio

uel utriusq; fœdera nullum uel arctius, uel sanctius coniugio, quod absolutissimam fortunarum omnium communionem eamq; perpetuã sic inducit, & corpori corpus, animum animo, sic connectit, iungit & coagmentat, ut è duobus hominibus uideatur unum reddere. Pythagoras amicitiã definiuit unã animã, hic plus est, nimirum unũ etiam corpus. Præcipua coniugij pars est animorum coniunctio. Proinde qui corpora iungunt animis dissidentes, in stupro uiuunt uerius quàm in matrimonio.

Definitio matrimonij

Est enim proprie matrimonium legitima perpetuaq; uiri ac mulieris, studio gignẽdæ sobolis, inita coniunctio, uitæ ac fortunarum omnium indiuiduam societatem adducẽs. Manebit interim iureconsultis illabefacta sua definitio. Definiuimus enim ad commoditatem

ditatem negocij quod instituimus, ad quod conuenit exemplum omnibus numeris suis absolutum. Hanc enim formam proposuisse non in hoc tantum profuerit, ut ostendamus, quicquid in ulla societate firmum sanctumq; est, id multo uberius firmiusq; esse in coniugio, uerumetiam ad alia permulta, quæ in hac incident disputatione. Eoq; depinximus germani uericq; coniugij simulacrum, quo scopus sit euidentior, ad quem destinanda sit omnis intentio ducentis ac nubentis. Nam huic sermoni non admiscemus unicum illud & singulare coniugiũ uirginis matris, quod omni prorsus exemplo caret, semperq; carebit. Nos uulgaris matrimonij causam tractamus. Et si tempestiuum uidetur, huc aliquid è dialecticorum scholis adducere, quum audis legitimam coniunctionem, genus habes nominis definiti. Nam & fœdus & contractus legitimæ societates sunt, quum absint ab appellatione matrimonij: quum audis studio gignendæ prolis, habes differentiam. Nam ea matrimonij rationem discernit, à cæteris quamlibet legitimis coniunctionibus. Porrò quod adijcitur, uitæ ac fortunarum omnium indiuiduam societatem adducens, sit sanè proprij loco. Solet autem natura rei, secundum quatuor causas expendi: proinde si requiris materiam, audis uiri & fœminæ, simulq; admoneris, coniugia quæ coeunt inter impuberes, aut effœtos, non propriè dici coniugia iuxta exactam huius uocabuli rationem, quod in illo nondum sit uir ac fœmina, in hoc iam esse desierint. Si causam efficientẽ scire cupis, audis, legitima cõiunctio. Lex em̃ autor est ueri matrimonij, sed huius legis autor est deus, qui primus iunxit marẽ ac fœminã, moxq; cõiugij leges præscripsit, dicẽs: Et erũt duo in carnẽ unã. Et, Propter hoc relinquet homo patrẽ ac matrẽ, & adhęrebit uxori suæ. Itẽ, Crescite & multiplicamini & replete terrã. Itaq; matrimonia quæ non coeunt legitime, hoc est autore & auspice deo, nõ cadũt in hãc germanã appellationẽ matrimonij, licet Ecclesiæ indulgẽtia quædã cõiugij genera, haud quaquã γνήσια, patitur uenire in huius uocabuli consortiũ. Formalem causam accipe, dum audis coniunctionem & societatem uitæ. Non enim est matrimonium, nisi connubialis animorum consensus interuenerit. Vnde excludũtur ab hac formula, stupri societas, & coacta matrimonia. Finis autem est propagatio sobolis, unde nec inter effœtos senio, nec inter eos qui deploratæ sunt sterilitatis, uerum coit matrimonium, iuxta propriam & exactam, quam nos proposuimus, matrimonij rationem, tametsi quasdam matrimoniorum species secundæ tertiæq; classis non reijcit Ecclesia, de quibus nonnihil attingemus suo loco, si forsitan incident opportunitas. Nũc illud tantum agebatur, ut perspicuum esset, quicquid in ullo societatis genere firmitatis esset, id omne in uno matrimonio coniunctum esse. Sunt autem tria præcipue, quæ societates hominum firmas reddunt & indissolubiles, natura, lex, & religio. Naturæ uocabulo continentur non solum parentum ac liberorum, fratrum, affinium & cognatorum inter ipsos fœdera, uerum etiam omnis honesta coniunctio, quam omnibus insita ratio iubet seruari, nefariam esse commonstrans eius uiolationem. Nulla lex hominum punit amicum perfidum, aut ingratũ, sed quis non execratur proditorem amicitiæ, & ingratum erga bene meritos? Hoc malum ideo nõ punit lex ciuilis, quia nulla par flagitio pœna potuit excogitari, & publicam execrationem abunde magnum supplicium esse duxit. Eoq; turpius est amicitiam rescindere, quàm contractus legitimos, quod hęc sine tabulis, sine testibus, sine pignoribus, sola fide, liberaq; animorum beneuolentia coit. Nec ullis instrumentis quisq; arctius obligari potest, q; qui gratuita benignitate astringitur, ita sponte credentis beneficium, ut sibi nec reposcendi, nec exprobrãdi ius faciat reliquum, nimirum fretus accipientis animo, de quo tanti sceleris suspicionem non sustinet in pectus recipere. Verum ubi propior animorum coniunctio, ubi certior fiducia, quàm in matrimonio, quum uterque uolens sese tradat in potestatem alterius, sibi quodammodo ius adimens sui corporis, adeo nihil suspicans de diuortio, ut in nuptijs uel nominasse diuortium, pessimi sit ominis? Quanquam enim apud Iudæos & Ethnicos leges uidentur indulsisse uiris repudiandi potestatẽ, tamen sensus communis mortalium semper inter inauspicata posuit diuortium, quemadmodum ingratitudinem & amicitiæ proditionem. Quin & hoc nomine superat omnem amicitiam quamuis arctam, coniugum copula, quod nihil uetat, quo minus multos amicos unus habeas: nec potest idem esse beneuolentiæ uigor in multos distractæ, qui unius in unum collectæ, id quod fit in matrimonio. Apud Scythas indecorum habebatur, unum esse multis amicum,

Matrimonia quædam tolerat ecclesia

Coacta non sunt matrimonia

Societates firmas reddunt tria.

Natura

Amicitiæ ius

Diuortium

quam

quam Græci uocãt polyphiliã, nec Hesiodo placet πολυξενίαν, nihilo magis quàm ἀξενίαν. Polygynæcia uero quanquam patriarchis quibusdam ac regibus concessa legitur, certe nunc in totum sublata est. Accedit autem & efficax naturæ glutinum, quod sexus in sexum genuina propensio, penitus insitum gignendæ prolis desiderium, addit fœderi animorum. Et hactenus de naturæ firmitate. Iam leges quibus modis cauerunt, ne rescinderentur hominum societates? addiderunt stipulationes, testes, tabulas, obsides, pignora, pœnas. Quid horum non multo sanctius adhibetur matrimonio, germano ueroq; quod nunc tractamus? Interponitur autoritas maiorũ, legitimis tabulis ac testibus fiunt sponsalia. Intercedit inter sponsum & sponsam stipulatio uerbis cõceptis. Olim iuxta Romanorum leges, apud Censorem uerbis conceptis edebatur solenne iusiurandum. Vnde & Aulus Gellius narrat cuidam à Censore dictã mulctam, quod interrogatus ex more: Et tu habes uxorem ex animi tui sententia? intempestiuo ioco responderit: Equidẽ habeo, sed Hercle non ex animi tui sententia. Id nunc agitur apud sacrificum publice, priuatim apud testes. De futuris nuptijs præmonetur populus, si quis quid forte nouit quod in posterum dirimat cõiunctos. Solenni pompa, spectatore populo, ducitur ac reducitur sponsa, quo magis excludatur omnis caulificatio quæ semel initam societatem queat labefactare. Quod autem pignus certius astringat ullum fœdus quàm liberi communes, qui ob hoc ipsum Latinis pignora uocantur? Porrò pœna uiolati matrimonij triplex est. Prima quam ego leuissimam esse arbitror, est apud Iudæos lapidatio, apud Romanos gladius. Secunda, mortalium publica detestatio. Tertia, supremi numinis ultio, quam nemo nocens potest effugere. Sed de his fusius loquendi dabitur aliàs opportunior locus. Nunc quod instituimus absoluetur. Summa contractuum firmitas petitur ex religione, quæ fere constabat hisce rebus, iureiurando, deuotione, obtestationibus, sacris, alijsq; cęremonijs. Siquidem apud ethnicos, tametsi superstitiosos dæmonum cultores, magna tamen religione peragebantur nuptiæ. Habebant Iouem Gamelium, cui persuasum habebant esse curæ coniugij fœdera, per quem non essent impuniti qui ea uiolassent: habebãt pronubam Iunonem, cuius auspicijs prosperarentur coniugia: habebant Venerem, à cuius munere fluere credebant fœcunditatem, qui nimirum fructus est matrimonij. His auspicibus ac ueluti testibus inibatur coniugium, ac præter sponsaliorũ conuenta, præter iusiurandum, quod apud ueteres sanctissimum habebatur, magno Christianorum huius temporis pudore, præter execrationem uiolaturi, præter cõmissas dextras, fidei symbolum: præter iunctum osculum, mutuæ charitatis indicium: præter stipulationem & datam arram, adhibebatur & sacrificium: id peragebatur Iunoni, Veneri, & Gratijs. Iuno castum reddere putabatur, Venus fœcundum, Gratiæ beneuolentiam mutuã interrumpi non sinebant. Atq; illi quidem impijs symbolis piam doctrinam nobis commendabãt. Quod impietate differimus ab illis, gratias agamus diuinæ misericordiæ, quæ nos per filiũ dei liberauit ab impio cultu dæmonum. Cæterum pudeat nos Christiani cognominis, si neglegimus quod homines ethnici tanto studio seruandum tradiderunt: & si nos ad sancte colendum matrimonium non commouet uera religio, quum illos huc adegerit uana superstitio. Nos enim pro Ioue Gamelio habemus deum patrem, qui in paradiso dicauit coniugium, remunerator seruantium ab ipso præscriptas matrimonij leges, ultor uiolantium. Habemus pro Iunone dei filium, qui sua præsentia miraculorumq; primitijs coniugium consecrauit. Habemus pro Gratijs spiritum sanctum, qui sacramentum hoc sicut oportet accipientibus aspirat arcanum mutuæ charitatis affectum, ut iam nõ humana beneuolentia iuncti studeãt uoluptati corporis, sed cœlesti dono charitatis afflati, propius iungantur religione mentium erga deum, quàm inter ipsos corporali conuictu sociãtur. Pro Venere habemus sanctam Ecclesiam, cuius autoritas decorat confirmatq; legitime cõita matrimonia. Deniq; res ueluti sacra, ut est, peragitur in loco sacro, adhibetur legitimus sacramenti minister, proferuntur læti ominis preces, admouetur Euangelij codex, immolatur non hostia pecudis, sed agni immaculati, qui sacratissimũ hoc nobis reliquit nunquam interrumpendi fœderis symbolum. Tantum ueræ religionis adhibetur conferendo matrimonio, & adhuc reperiuntur inter Christianos, qui non uereantur illud ceu rem prophanam uiolare? Quoq; sanctius esset nobis coniugium, habereturq; iuxta Pauli doctrinam honorabile cõnubium in omnibus, & thorus immaculatus, aliqua ex parte

Lex

Religio

Dij præsides crediti coniugiorum

Hiere. 13

deus

deus plus habuit honoris matrimonio, quam uirginitati, quanquam & hæc habet sua peculiaria decora, quibus ad angelicam usq; dignitatem assurgit. Quid enim habet Ecclesia secundum deum charius aut sacratius septẽ illis mysteriis, quæ sponsus Christus sponsæ suæ ueluti pignora quædam rediturí, & absentis interim sui, quod quidem ad corporis sensus attinet, preciosissima mnemosyna reliquit? Inter hæc charissima pignora, inter hæc preciosissima monilia, inter hæc sacra sui monumenta, matrimoniũ esse uoluit. Nam hoc honoris uirginitas sibi non potest uindicare. Quoq; magis liqueat quàm magnifica res significetur hoc nomine sacramenti, siue ut Græci uocant mysterij, sciẽdum est in coniugio legitimo, uelut in cæteris ferè sacramentis, tria spectanda esse, imaginem, arram, & exemplum. Imaginem uoco congruentiam signi, cum archetypo cui respondet similitudine: arram donum spiritualis gratiæ, quod uelut ex pacto per administrationem sacramenti infunditur: Exemplum quod in illa similitudine nobis commẽdatur imitandum. Quemadmodum autem statuis hoc plus exhibetur honoris, quo maior est personæ maiestas quam repræsentant, cuiusmodi sunt principũ, diuorum, ac supremi numinis imagines: ita sacramentorũ dignitas ex eo quod arcana significatione repræsentant æstimatur. Quid autem significat nobis illa sensibilis uiri fœminæq; coniunctio? In primis summum illud & ipsis etiam angelis adorandum mysterium, quo se diuina natura ineffabili nexu sic iunxit humanæ, ut in unam & eandem hypostasim iungerentur filius dei, anima humana, & corpus humanum, ac cœlestia cum terrenis, æterna cum mortalibus, uisibilia cum inuisibilibus, infinita cum finitis, creata cum increatis, summa cum imis, indissolubili copula sociarentur. Quid hac societate diuinius? In unam personam conueniunt tam dissimiles naturæ, citra substãtiarum confusionem, sed tanta communione hypostaseos, ut unus & idem uere prædicetur deus & homo, filius dei, deus ex deo, immortalis ex immortali, sine tempore natus, & in tempore homo natus ex homine, idem conditor omnium & conditus, mortuus & uiuificator omnium quæ uiuunt, suscitator mortuorum & morti traditus. Audis utrobiq; unitatem, hic ex deo & homine unam hypostasim, illic audis huius unitatis imaginem: Et erunt duo in carnem unam. Hic iunguntur, non confunduntur naturæ, illic copulantur non confunduntur sexus. In illa diuina copula, naturis iunctis non confusis, suus manet ordo, & quod potius est amplectitur id quod est infirmius, nimirum humanam naturam diuina.

In coniugio tria

In matrimonij fœdere uiro sua manet autoritas: quæ tamen infirmiorem sexum sic foueat atq; amplectitur, ut æqua sit uitæ societas, non dominatus. Vir enim formæ & actus rationem habet, fœmina materiæ formam appetentis. O dyadem ineffabili ratione redacta ad henadem, in deo & in homine, in marito & uxore: utriusq; coniunctionis autor deus, conciliatrix charitas. Filius suscepit humanam naturam, sed opificium totius erat diuinitatis. Quid audis de matrimonio? Quod deus cõiunxit, homo ne separet. Si in persona Christi separari potest deus ab homine, separetur in coniugio maritus ab uxore.

Vbi diuortium incidit, ibi uidetur nunquam fuisse uerum matrimonium. Si recte dixit ille, Amicitia quæ desinere potuit, nunquam uera fuit, rectius dixeris: Coniugium quod dissungi potuit, nunquam uerum coniugium fuit. Faceſſat calumnia, uerum appello matrimonium, non quod legibus ratũ est, sed quod inter uirtute pares ueris affectibus conglutinatur. Quicquid autem animi dotibus copulatur, uix unquam rescinditur. Contulimus unam similitudinem, quatenus res hominum cõgruere possunt rebus diuinis. Habes ex duobus disparibus unum, habes copulam indissgregabilem, habes autorẽ utriusq; eundem, habes charitatem utrobiq; conciliatricem. Quid enim pertraxit filium hominis in nostræ naturæ consortium, nisi charitas ineffabilis? Et matrimonium quod nõ conciliat mutua beneuolentia, non meretur nomen coniugij. Sed ubi fructus coniunctionis? Hoc ornatu sponsus ille cœlestis trabea nostri corporis ornatus processit è thalamo suo, primum depulsurus riualẽ, mox sibi uindicaturus sponsam suam Ecclesiam, quam liberauit morte sua, quã lauit ac purificauit sanguine suo, quã dotauit arcanis spiritus sui donis. Quàm uero numerosam ac felicem sobolem genuit & quotidie gignit è sua sponsa Christus, infuso cœlesti semine sermonis diuini, quemadmodum scribit Iacobus apostolus: Voluntarie enim nos genuit uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod eius creaturæ. Etenim si Paulus recte dicit: Nam in Christo Iesu ego per Euangelium uos genui. Et rursum

Fructus cõiugij inter Christũ & sponsam ecclesiam

1. Cor. 4.

sum, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis: quanto iustius hoc Christo tribuitur huius nouæ generationis autori principiq; filiorum, qui nō ex sanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, neq; ex uoluntate carnis, sed ex deo nati sunt. Hæc nimirum est illa felicissimæ fœcunditatis spōsa Christi, de qua prædixerat afflatus spiritu Dauid: Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Vna domus est omnium filiorum Ecclesia. Hic est ille pulcherrimus liberorum chorus, de quibus ibidem cecinit: Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Excisi sunt ueteres oleastri, subnatæ sunt recentes oliuarum plantulæ, innocentia teneræ, dulcissimo fidei & charitatis fructu grauidæ. Cingunt mensam dominicam, unde reficiuntur cœlesti cibo potuq; corporis & sanguinis sui redemptoris. Spiritu contemplatus est hanc admirandam sobolem Hebræus ille sapiens quisquis fuit, quum exclamaret: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Quid mirum est eam esse pulchram castamq;, quam à peccatis abluit sponsus, quam tot cœlestibus ornamentis decorauit? Quid mirum est esse cum claritate, quam illustrauit ille uerus sol mundi, qui illuminat omnem hominem uenientem in hūc mundum? Hæc est illa sponsa noua, quæ synagogæ uidebatur sterilis, penitus extincto, sicut arbitrabantur, sponso, sed re uera in cœlum subuecto. Subduxit quidem ad tempus corporalem præsentiam, sed tamen efficax diuini sermonis semen in ea reliquit, non desinens interim cum illa congrediens secretis afflatibus insinuare semet in sponsæ gremiū, ut quotidie gignat ipsi copiosam sobolem, ex omni natione quæ sub cœlo est, adeo
Cap. 49 ut ipsa demirans tam uberem filiorum prouentum, loquatur apud Esaiam: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua: istos quis enutriuit? Ego destituta & sola: isti ubi erant? Quare non gignit amplius synagoga? Quia occidit uirum suum, & pro sponso amplectitur iamdudum effœtum Mosen. Verū noua sponsa quum maxime uexaretur per Iudæos ac gentes, exilijs, cruciatibus, ac mortibus, tum maxime pariebat sponso suo legitimos filios ac filias. Nec hunc felicem prouentum asscribit sibi,
Esaiæ 8 sed sponso gratias agēs dicit: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi dominus. Primum igitur & omnium maximum mysteriū est, quod dei filius humanam naturam ceu sponsam ita sibi iunxit, ut ex utraq; fieret una hypostasis: quemadmodum in matrimonio ui ro & fœmina fit una caro. Huic proximū est, quod is de quo loquitur Ioannes Baptista:
Caput & corpus unum Qui habet sponsam sponsus est: indissolubili uinculo sibi copulauit Ecclesiam, non aliter quàm membra corporis sociantur capiti. Quum audis, caput & corpus, audis duo uocabula, sed rem communione faciam eandem. Sic enim orat in Euangelio spōsus pro sponsa sua, quam à se distrahi non uult: Non pro eis rogo tantum, sed & pro ijs qui creduturi
Ioan. 10 sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, ut ipsi in nobis unū sint. Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Ac mox ibidem: Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum. Et ut intelligas in hoc coniugio mystico esse bonorum ac malorum omnium societatem, ipse sic loquitur in Euāgelio: Quod uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et in Actis apostolorum occlamat Paulo sæuienti in filios sponsi, Saule Saule quid me persequeris? dicturus haud dubie, Quur meos persequeris, nisi unum esset sponsa cum sponso. Ne
Ioan. 17 scit hæc coniunctio diuortium, Ego, inquit, uitam æternā do eis, & non peribunt in æter-
Diuortium num, &, Nemo rapiet illos de manu mea. A calumnia nomē habet diabolus, uigilans & callidus est ad seminandas discordias inter fratres, rixas inter sponsum & sponsam: fremit ereptam ipsi ancillam, ad tantam dignitatem euectam esse, nihil intentatum relinquit, quo moliatur inter bene coniunctos diuortium: sed nihil agit, optimus est sponsus ecclesiæ, non repudiat semel adamatam: omnipotens est, ui non potest depelli: sapientissimus est, technis satanæ circūueniri non potest. Veterator ille procurat maleficijs sterilitates & aborsus, sed sponsus omnia illius ueneficia uertit sponsæ in beneficia. Habes igitur & in hac parabola, sponsi sponsæq; coniunctionē legitimā, habes nexū indissolubilē, habes omniū rerū cōmunionem, habes coniugij fructū, cœlestē generationem, & nouā uti Paulus appellat creaturam. Atq; hac quidem parte matrimonij sacramentū respondet baptismo. Per matrimoniū enim nascimur huic mūdo: per baptismū renascimur Christo: præstantius quidē sic renasci q̄ nasci, sed tamē nisi per matrimoniū nasceremur, nō essent qui Christo per baptismum renascerentur. Porrò quod, ut ait Paulus, ex coniugio nascimur

filij

filij iræ,non eſt culpa coniugij,ſed diaboli, qui primus autor infelicis diuortij, naturam bene conditam peccato corrupit. Coniugium prius erat quàm culpa, quæ ſi non fuiſſet ſequuta,felices & nihil aliud quàm eraſmios genuiſſet matrimonium.Nec defuerunt homines eruditi,quorum eſt Ioannes Gerſon,quibus uiſa eſt opinio non omnino reijcienda, ſi quis hanc ſpem conceperit ex diuinæ miſericordiæ magnitudine, infantes ex pijs parentibus ortos,ſi quo caſu contingat citra culpam hominis,abſq; baptiſmi munere decedere, non omnino dedendos eſſe ſupplicijs æternis. Verum utcunq; de hoc iudicarit Eccleſia,nam meam hic ſententiam non interpono,illud conſtat, etiã ſi nunc omne Chriſtianorum matrimonium gignit filios iræ, gignere tamen in ſpem paratæ gratiæ. Baptiſmus enim nulli negatur, & à nullo quum eſt neceſſitas,non datur. Forraſſe non abſurdum fuerit,& illud myſterium in matrimonio ſcrutari:Pater cœleſtis qui ante ſecula genuit ſibi parem filium, & rurſus condito per illum mundo quodammodo generi mortalium genuit:idem eundem craſſius etiã ex uirgine Maria produxit.Nec impiæ,mea ſententia, fuerit imaginationis,hic ponere deum patrem ſponſum, ſanctiſſimam uirginem ſponſam,paranymphum angelum,conceptus opificem ſpiritum ſanctum,fœtum deum & hominem,uelut ex homine deoq; mixti generis prolem, quã Latini uocãt hybridam, uocabulo uidelicet à rebus diuinis ſecludendo,tantũ hic ſignificationis gratia ſumus abuſi.Nec enim ſanctorum patrum literæ uerentur uirginem matrem appellare ſpõſam dei, nec Eccleſia ueretur huic accommodare, quæ Solomon in Cantico tribuit Eccleſiæ & Chriſto. Quàm hic multa congruunt matrimonio? Gabriel internuncius excipit uirginis aſſenſum,uirtus altiſſimi obumbrat,uidelicet ſuo complexu.Spiritus ſanctus,conceptus inenarrabilis opifex ſuper uenit,uirginis uterus intumeſcit,naſcitur admirandus ille Geryon,triplicis ſubſtãtiæ gigas,cuius decurſus fuit primus à ſummo cœlo in uterum uirginis,hinc à cruce ad inferos,recurſus ad thronum maieſtatis dei,ubi nũc ſedet uictor ad dextram patris.Apoſtoli dominum abnegarunt,ſola uirgo,ut pie creditur,perſeuerauit in fide coniugij.Habes exemplum firmi matrimonij,quod neſcit ullum diuortium.Si quis uolet hic quartam imaginem matrimonij contemplari, quemadmodum tota eccleſia, quæ complectitur omnes pios ab orbe condito uſq; ad mundi finem, una eſt ſponſa Chriſti,una columba immaculata:ita iuxta moralem ſenſum,unaquæq; anima ad felicitatis æternæ conſortium electa,ſponſa eſt Chriſti:nec poteſt in æternum à ſponſo ſuo ſeiungi,cui tot filios genuit quot uirtutibus prædita eſt,quotq; pia doctrina ſanctisq; moribus pertrahit ad amorem Chriſti. Quum igitur tot myſteriorũ ſymbola ſint in legitimo matrimonio,merito dixit Paulus:Sacramentum hoc magnum eſt,ego autẽ dico in Chriſto & in Eccleſia.Et hactenus quidem de imagine,quod ad hanc rem ſatis eſſet,dixiſſe uideor.De munere uariatum eſt ſententijs Orthodoxorum. Vetuſtiores enim theologi hactenus admiſiſſe uidentur matrimonium in uocabuli conſortium,ut fateretur eſſe rerum ſacratiſſimarum ſignum,de quibus iam diſſeruimus, Cæterum quoniam negabãt infundi gratiam peculiarem ac ſacramentalem, excludebant matrimonium ab exacta ratione ſacramentorum:in quibus eſſe ſignum efficax,idq; ex pacto diuinæ bonitatis, orthodoxorum conſenſus eſt.Sed uicit plauſibilior recentiorum ſententia,quę tradit,in matrimonio rite ſuſcepto,quemadmodum in cæteris ſacramentis, infundi peculiare donum ſpiritus,quo ſimul & firmiores redduntur ad perpetuam concordiam,& robuſtiores ad pariter toleranda huius uitæ incommoda,& inſtructiores ad ſobolem pijs moribus educandam.Sed quemadmodum in alijs ſacramentis pro gratia paratur ira, niſi quis ut oportet ſuſcipiat,itidem fit & in matrimonio. Habetis ô cõiuges ueſtræ profeſſionis dignitatem, ne uobis uirginum aut ſacerdotum ſplendor deijciat animos. Eſt abunde multum quod gloriemini,ſed qui uere uult gloriari,in domino glorietur. Gloriabitur autẽ in domino, qui ſic gloriabitur de dignitate coniugij, ut dignitati imaginum ac magnitudini muneris reſpondeat officio pietatis: alioqui dignitas ordinis ad grauiorem condemnationem facit,tantũ abeſt ut iuuet.Habetis exemplũ honorabilis in omnib. cõiugij thoriq; immaculati,coniugij quod auſpice deo coierit,quod diuortiũ ignoret, diſſidiũ neſciat,expers omnis impudicitiæ,pijs operib.fœcundũ,ſemper in maius meliusq; ſuboleſcentibus.Nec inſcitũ eſt illud quod à theologis adfertur,in matrimonio ſacramentũ,hoc eſt, ſacrum ſignum eſſe rei duplicis aut triplicis. Nam uiſibilis illa coniunctio quæ fit ſtipulatione uer

In ſermone de natiuitate uirginis

Coniugij ſimilitudo inter deum & beatam uirginem

Omnis anima pia ſponſa eſt Chriſti

Arra ſiue munus

Gratia ſacramẽtalis in matrimonio

borum, data arra, iunctis dextris, porrecto osculo, alijsq; solennibus ceremonijs, designat mutuã animorũ beneuolentiam, deinde mysticam & ineffabilem conglutinationẽ diuinæ naturæ & humanæ, Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ, de quibus iam diximus. Postremo sacramentale donũ quod inuisibiliter infunditur ex pacto diuino rite cõtrahentibus matrimoniũ. Quod nos imaginẽ diximus, illi uel sacramentũ uel signũ appellant: quod imagine significatur, illi rem appellant. Nihil aũt prohibet quo minus idem res sit & sacramentum, si diuersa respiciamus. Est autem duplex signũ, admonens & efficax. Itidem & duplex res est, quam assequimur, & quam imitamur. Coniunctiones arcanas quas in Christo demonstrauimus, non efficit coniunctio maris & fœminæ, sed repræsentat imagine quadam, uelut archetypum ostendens quod sit imitandum, eoq; pronunciant coniunctionem hominis & dei in hypostasi Christi, rem tantum esse non etiam signum. Mutuam inter coniuges charitatem, rem etiam esse non modo signũ, sed hoc ab illa differre, quod connubialis coniunctio ritibus externis peracta, sit aliquo modo causa rei quam significat, hoc est charitatis & concordiæ coniugalis, sed multo magis insensibiliter infusæ sacramentalis gratiæ: non quod sacramenti minister, aut ipsa signa cõferant gratiam, sed quod per hæc deus uelut ex pacto largiatur peculiare donum, quoties ut oportet peragitur sacramenti functio. Et si quis non recipiat hanc opinionem, tamen sacramentũ admonet illius charitatis & concordiæ, & admonẽdo uelut hortatur ad illam. Porrò iuxta Comœdiæ dictum: Qui monet, quasi adiuuat. Iam animorum indiuidua cõiunctio, quanq; sensibus corporis exposita non est, eoq; signum fortassis recte non potest, tamen imago recte dicetur. Quicquid enim ad exemplar aliquod expressum est, imaginẽ obtinet illius quod imitatur. Quur aũt nõ etiam & signũ: quãdoquidem & statuas, hominẽ aut deum repræsentantes, signa dicimus, etiam quũ non uidentur. Sacramentũ igitur hoc primum significat tibi quod & uenereris & imiteris, fontẽ indicãs omniũ charismatum, & archetypum omnis Christianæ concordiæ: cõmonstrat & officium, quod ex imitatione archetypi debet utrinq; præstari, & addit cœleste donum, cuius auxilio possis etiam præstare quod debetur. Paratum est donum, si tu præbueris doni capacem animum. Verum hæc aliàs fusius differentur, si se dederit occasio, quæ sese dabit ni fallor. Nunc illud demõstrare studuimus, inter omnia mortalium pacta, societates, fœdera, nullum esse sacratius aut firmius, quàm sit coniugium. Nullus enim est contractus inter homines tã astrictus, quin ex causis enascẽtibus possit rescindi legibus humanis: unius matrimonij nodũ sola mors dissoluit, ac uix hæc quoq;. Quãdoquidem perfecta charitas, quoniam in animis sita est, non finitur morte corporis, & ut dixi, pręcipua coniugij pars est animorum coniunctio. Proinde quæ toto pectore dilexit sponsum suum, nõ putat morte diremptum matrimonium, memoria sponsi fruitur, expectans breue tempus, quo sequuta procedentem, iungatur uni, quem unum elegit: & adulterij genus esse putat, in thalamum prioris nouum sponsum inducere, canẽs apud se Vergilianũ illud, ab amore uere connubiali proditum:

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum seruetq; sepulchro.

Permissa quidẽ est imbecillitati corpusculorũ humanorũ digamia, sed monogamiæ applauditur, digamia toleratur. Quod si quando fit ut mulier defuncto marito cõpellatur ad repetendum connubiũ, certe in uotis habuit monogamiam quũ primũ nuberet: optabat enim si licuisset cũ uno ætatẽ degere. Et uirginitatis genus est uni tantũ esse cognitam. Hunc animum quæ non adferũt ad nuptias, hoc est quæ nolint esse perpetuũ utrinq; matrimonium si liceat, & uni nubentes cogitant alteras nuptias, habentur quidẽ uxores apud hoïes, apud deũ cõcubinæ uerius sunt q̃ uxores. Diuortiũ secessu corporali, & adulteriũ cõmixtu corporũ admissum, puniũt leges. Cæterũ exactiora sunt dei iudicia, apud quẽ mulier, cuius oculis uir alius placuit, iam adulteriũ cõmisit. Quę cõiugis mortẽ optauit, uiricida est: quæ cogitauit de deserendo marito, iam fecit diuortiũ, imò cui male conuenit cum marito, licet ijsdem ædibus, eodem cubiculo, eodẽ lecto societur, tamen dissociatis animis perijt melior coniugij pars. Quid quod ipsa quoq; nomina consensu gentiũ indita declarant indiuulsam coniunctionẽ ac rerum omniũ societatẽ? Coniunx enim & coniugiũ, à cõmuni iugo dici notissimũ est, metaphora ducta à bubus, eodem assuetis iugo, quos posteaquam concordes reddidit assuetudo, cõmode ferũt iugum. Sin iungan-

Etymologiæ

tur

tur impares aut ignoti, repugnant conanturq; iugum excutere. Eadē ratio nominis apud Græcos σύζυγος, qua uoce usus est & D. Paulus ad Philip. 4. σύζυγε γνήσιε, quod quidam ad uxorē apostoli pertinere credunt, quā ob euāgelium dei uerterat in sororem. Est autem iugum non modo seruitutis, uerumetiam beneuolentiæ. Sic enim Horatius:

Diffugiunt, cadis Cum fece siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi. Ac rursus:
Diductosq; iugo cogit aheneo.

A ueteribus amicitia definita est ἰσότης, hoc est æqualitas. Iugū aūt æquat, sed nō proprie nisi duos iam cicures & inter se concordes. Et habet dominus suaue iugū quo premit carnis nostræ ferociā. Qui se pariter iugo accōmodant, cōmode ferūt matrimonium, qui repugnant, nihil aliud q; molestiam sibi congeminant. Liberū enim erat iugum non recipere, receptum excutere non licet. Sunt qui γάμον ab eadem ratione dictū existimēt, quasi dicas δύαμον, quod duos pariter iungat: alij malunt dictum à γωνᾶν, id est à generando: sed à coniugio minus recedunt qui γαμον dici putant, quasi δάμον, quod impositō iugo cicuret ac māsuefaciat indomitos. Nam & Homero dicta est παρθένος ἀδμής, id est uirgo indomita, quæ nondū matrimonij iugum acceperat. Porrò nubendi uerbū, quod nūc Latini sermonis usus proprium fecit fœminis, unde & nuptæ dicuntur, olim erat uiris fœminisq; cōmune. Obnubere autē ueteres dicebant obtegere siue obuoluere, quod olim nupturæ caput flammeo obtegeretur: siue, quemadmodū Paulus apostolus interpretatur, ut admoneretur quod iret in potestatē uiri: siue pudoris gratia, quemadmodum sentit diuus Ambrosius tractans de coniugio Abrahæ lib. 1. Rebecca enim ubi fuisset admonita, Isaac adesse cui ducebatur nuptura, descendit è camelo, & pallio caput obnubere cœpit. Apud Romanos sponsa iam obtecta flammeo capite quum extulisset pedem è paternis ædibus, uertebatur in gyrum, itaq; ducebatur in domum sponsi, ne sciret redeundi uiam ad ædes parentum. Quanquam operiendi signum proprie datum est fœmineo sexui, tamen res ipsa competit in utrunq;. Velatur puella iam uni dicata, ne plurium oculos sollicitet: uelatur & sponsus, uni sponsæ placuisse contentus. Quorsum enim puella sollicitat procorum oculos, quæ iam nacta est quod cultu uenari poterat: si cultu sollicitandus est sponsus. Cui colitur iuuenis, qui se uni addixit: & pluribus uelle placere, stuprum est & adulterij genus. Iam maritus apud Latinos, & ἀνὴρ apud Græcos, sexus cognomina sunt, ut intelligamus coniugium in hoc potissimum paratum, ut ex societate uiri fœminæq; gignatur proles. Quemadmodum autem uir à uigore dictus est Latinis, ita Græcis ἀνὴρ ab ἀνύω quod est perficio, uelut ἀννήρ. Autoritas enim penes uirū est, ut & actus generandi principalis. Vnde & πόσις dicitur, quod ut hymber fœcūdam reddit subiectā terrā, ita cōtra uirilem irrigationē sterilis est uxor. Vxorē dici putant ab unguēdo, quasi dicas unxorem. Id inde profectum est, quod, ut Plinius scribit, apud priscos noua nupta priusquam ædes sponsi ingrederetur, postes inungeret adipe lupino, ne quid mali medicamenti inferretur. Axungia, qui est adeps suillus, ab ungendis uehiculorum axibus ducto uocabulo, primas tenet in medicamētis, adeo ad multa malorum genera medicandi uim habet, alioqui promptum parabileq; remedium, sed quod peculiariter ad matrimoniū attinet, syncera partus in abortum uergētes nutrit, collyrij modo sublita. Rursus ex sue quæ non dum peperit, conducit ad cutem leniendam mulieris. Quibus arbitror antiquitatem significare uoluisse, primum non facile medicos in ædes esse recipiendos, sed si quid incommodi natum esset, id ab ipsa matrefamiliās facili parabiliq; remedio corrigendum esse, ueluti balneis & unctionibus: quin potius occurrendum frugalitate uictus ac salubritate, ne quid morborum irrepat in familiam: eoq; remedium postibus illinitur, quo malum arceat. Deinde hoc symbolo felices partus auspicabantur, & aborsus abominabantur. Postremo iam monebant, ni fallor, sponsæ deponendam esse cutis expoliendæ curam, posteaquam inuentus est, cui citra fucum, probitate morum & obsequio queat commendari. Habet illud peculiare axungia, quod rupta, conuulsa, spasmata & luxata sanat. Proinde uideri potest adeps posti illitus, omnem tumultum at discordiam ab ædibus excludere. Adde his quod biga quædam est coniugium duobus innitens axibus, quos si leniat morum comitas & animorum syncritas, nec rixarum inamœnus stridor audietur in familia, & utrisq; concordibus quicquid agitur felicius succedet. Fortassis habet & hanc si- 28. cap. 9

gnificationem adeps lupinus,hoc esse probæ cordatæq; matrisfamiliâs,ut,quemadmodum tradidit Xenophon,etiam ex inimicis aliquid utilitatis cõferat in domum. Nam id fieri posse,quibusq; rationibus fiat,docuerunt autores grauissimi,Xenophon & Plutarchus.Si quis irridebit allegorias huiusmodi,consideret diuum Ambrosium ex omnium rerum naturis aliquid elicientem ad morum institutionem,ueluti serpentium cum murena congressum, quot modis trahit ad declarandum officium coniugis erga coniugem? Porrò gentium exempla uehementius nos debent afficere quàm nostra. Turpissimum fuerit Christianis non obtemperare doctrinæ cœlesti, quum idololatræ solo naturæ ductu meminerint officij coniugalis. Iam & Græcis societate thori maritus dictus ἄκοιτος seu παρακοιτης, uxor ἄκοιτις, admonet concordiæ,deterret à diuortio: quemadmodum ijsdem coniunx à domestico consortio dictus σωοικῶν, uxor σύνοικος. Supereſt unus de uocabulis scrupulus,quur matrimonium dicatur potius quàm patrimonium.Nam quæ fit mater utiq; marito patris nomen conciliat.Primũ hoc ipso statim uocabulo taxantur, qui libidinis,aut honoris,aut opum gratia ineunt coniugiũ.Sola prolis spes ad castũ matrimonium debet inuitare. Quoniã autem domestica res est gignere, nutrire, educare & instituere teneram ætatem, & hæc peculiaris est matrisfamiliâs intra parietes administratio,ueteres maluerunt matrimonij q̃ patrimonij uocabulum. Maritus foris,uel in foro, uel in republica,uel in prouincia,uel in negociatione uersans, auget patrimonium: uxor parta seruat ac dispensat,domi curans liberos teneros ac familiam. Eandem prouinciam gerunt maritus & uxor:sed habet suã utercq; functionẽ,in qua si concordibus animis uersentur,præcipua felicitas est uitæ:sin minus,nullum uitæ genus ærumnosius quàm coniugium. Verum hac de re plura dicemus, ubi locus admonebit, de rationibus bene gubernãdæ domus,differere.Magna uero pars huius negocij pendet à delectu,in quo conuenit hoc esse contantiorem ac circumspectiorem,quod hic,quemadmodum nec in bello,sicut habent prouerbia,non liceat iterum peccare.Amicũ dimittere licet,& tamen admonet Pythagoras,ne temere cuiuis manum inijciamus, sed diu deligamus quos diligamus.Quod autem iudicio cœpimus amare,semper amari solet. Quanquã leges nullam pœnam minantur ijs qui discedunt ab amicitia, tamen nemo prudens ac bonus recipit in amicitiam,nisi quem perpetuo uelit amare:& si quid,ut fit in rebus humanis,inciderit, ut uel fefellerit delectus,uel ita mutatus fuerit amicus,ut corrigendi spes non sit, tamẽ illud tribuitur honori nominis,ut amicitia dissuatur nõ discindatur.Proinde si Christiana lex permitteret diuortium,quemadmodum ethnicorum ac Mosi lex permisit,tamen hic in deligendo maior erat adhibẽda cura,q̃ in amicitia.Etenim si discedit amicus,unus tantum decedit amicorum numero.Vxor sola est totius uitæ fortunarumq; socia,quam nemo dimittit totam.Iam enim illius aliquid delibauit, præsertim si quã uirginem accepit, mulierem repudiat. Dimittit,sed spoliatam eo quod habebat precios issimũ,quoq; maxime poterat bonis commendari.Quod si accesserint pignora,quomodo dimittes? excludes unà cum liberis omnibus:hoc est abdicare liberos,non repudiare coniugem.Dimittes matrem absq; liberis:hoc est alienum usurpare. Dimidiatum duntaxat in liberos ius habes,Amicus si repudietur,fortassis effutiet,quod amicitiæ fiducia creditũ est. At quis magis conscius omnium secretorum,quàm uxor:etiam si nihil illi credas. Adde nunc sexum & garrulum & uindicem,de uulgo mulierum loquor. Postremo qui dissuit amicitiam,si quem offendit,unum duntaxat offendit:qui repudiat uxorem, cum tabulis, cum pactis,cum dotibus utrinq; traditis,cum affinibus rem habet,qui placãdi sunt, imò cum populo rem habet,qui suspicios is fabulis traducit omne diuortium. Hæc tam multa persuadere debebant,ne quis temere contrahat matrimonium. Nunc quum Christiana lex nullam spem faciat reliquam dirimendi quod semel coijt matrimonij, lente festinandum est ad id,de quo non nisi semel licet deliberare.In alijs turpe est dicere:Non putaram:hic etiam serum est,non modo turpe.Legimus aliquam multos magistratum aut uitasse,aut susceptum deposuisse,quod non placeret collega. Ea cura si prudentiæ laudem habet in functione muneris ad summum annui,quanto magis idem facere conuenit in deligenda collega muneris œconomici,quod ad finem usq; uitæ tibi gerendũ: nec fas est semel admissam collegam mutare:Minor quidem est prouincia domus q̃ reipublicæ:sed hęc habet tibi charissima pignora.Pauciorum est cura,sed quibus posthabẽda sunt omnia.Iam

Delectus

quis

quis est qui nō optat liberos prospera ualetudine probaq; indole præditos? Si nihil aliud, certe in hoc erat delegenda coniunx, nisi forte nihil referre putamus, unde nascantur homines, quibus modis enutriantur, quibus institutis & exemplis imbuantur, formentur, & educentur à teneris annis. Ad conuiuium uocati excusamus, si sit inter conuiuas futurus cuius mores displiceāt: neq; cum quibuslibet eadem naui aut curru uehi sustinemus: & in asciscēda uxore nullus adhibetur delectus, sed ferè clanculum seu furtim potius inter uix puberes, inter bene potos, per lenones ac lenas coit matrimonium, idq; inter Christianos, quum ne gentium quidem leges agnoscant tale coniugium. Hinc nimirum inter nos tot pœnitenda matrimonia, tot male cohærentia, dum uterq; lupū, ut aiunt, auribus tenet, quem nec retinere nec amittere potest: hinc tot infelicia diuortia, hinc unius sponsi decem interdum sponsæ. Norunt hoc lenæ talium nuptiarum conciliatrices, quod à nostris iureconsultis traditum est: Verba præsentis temporis reddunt matrimoniū ratum. Quin & uerba futuri temporis, si succedat coniunctio corporum, uertūtur in uerba præsentis temporis, fitq; matrimoniū non modo ratum, uerum etiam consummatum. Eoq; hoc ipsum procuratur à lenis, ut coitus accedat, uix prolatis etiam uerbis. In hoc largiore potatione uini pudor ac mens excutitur, nudantur corpora, datur solitudo. O matrimonia non Christiana. Quid interest inter adolescentem ebrium & mēte captū? Quid mentis habet puella, cui Baccho iuncta Venus conduplicauit insaniā? cui lenonū & instigatrices uoces incantarunt dementiam? Et hic appellatur consensus legitimus. Hæc quum fiant de composito, ueluti structis imbecilli ætati insidijs, idq; inscijs, & si sciant, improbaturis parentibus aut tutoribus: tamen apud Christianos, quibus matrimoniū inter Ecclesiastica sacramenta numeratur, appellantur cōiugia, nec interim expectatur uel pubertas uel emancipatio. Malicia, inquiūt, supplet ætatē: hoc lemmate datur & impuberibus matrimonij contrahendi libertas. Deinde habent, inquiunt, liberi naturale ius suorū corporum, quod quidem attinet ad propagationem speciei, quemadmodum & serui. Id nec parentes liberis, nec heri seruis possunt adimere. Non hæc commemoro quasi præter rationem à maioribus tradita, sed ex his constitutionibus pro suo tempore bene proditis, hominum malicia conglutinat perplexas & infelices nuptias, quibus utinam Ecclesiæ procerum autoritas possit aut uelit aliqua ratione succurrere. Nec enim piū arbitror, nec ad publicam tranquillitatem conducibile, temeritate priuata uerius quàm autoritate, maiorum scita rescindere. In hoc uigilant Cæsareæ leges, & scita populi, ne quid litiū oriatur ex hominum contractibus. Et tamen tanta est hominum peruersitas, ut ex nullo contractuum genere plus turbarum oriatur, cū ex matrimonio. In causa uidetur esse, partim ipsius rei natura, partim utriusq; iuris collisio. Nam prophanæ leges ethnicorum diligentissime tradiderunt de sponsalibus, de contrahendis ac dirimendis matrimonijs, quas in pleriscq; secutæ sunt imperatorū Christianorū constitutiones. Verū præcipuā huius negocij curā ad se pertraxit ius pontificiū, sic multa corrigēs ex legibus principū, ut ipsum tamen parū secum consentiat: nec ab hoc recedūt Theologorū placita. Quum enim inter Ecclesiæ sacramenta numeretur matrimoniū, multaq; super hoc statuerint Euāgelicæ ac Paulinæ literæ, uisi sunt pontifices suo quodā iure tractationē huius materiæ sibi uindicare. Nec alibi ius Cæsareū magis ac reuerentius cedit decretis pontificū, cū in causa matrimonij. Quanq; aūt nullum fuit unquam Ecclesiæ tempus, quo non constiterit suus honos coniugio, tamen in exordijs Ecclesiæ suboleſcentis minus habuit dignitatis, cū olim habuit aut nunc habet. Nondum inter sacramenta nouæ legis iuxta exactam nominis rationē ponebatur, quod quidem ex ueterum orthodoxorum scriptis licet colligere: & sic recipiebantur qui ducerent uxores, ut hanc laudem auferrent, quod non peccarent: cæterum qui se castrassent propter regnum dei, felicitatis elogio decorabantur. Sic enim Paulus: Virgo si nubat non peccat. Et qui sibi non temperat, non peccat si ducat uxorē. Melius enim est nubere quàm uri. Sed dominus beatos pronunciat eunuchos, non natos neque factos, sed quos execuit studium Euangelicæ pietatis. Tantum autem honorem habebat Ecclesia uirginibus deo dicatis, ut horū dignitas penè obscuraret matrimonij gloriam. Tantum castitatis amorem spiritus ille cœlestis immiserat in animos hominum, ut non solum adolescentes ac uirgines uolentes abstinerent à coniugio, uerum etiam quibus ante suscepta Euangelij professionem ductæ fuerant uxores, haberent eas

Abusus bonarum legum

Virginitatis dignitas

tanquam non habentes, alijs coniuges uertentibus in sorores, alijs crebris precationibus usum coniugij interrumpentibus, in tantum ut Paulus immodicum penè dixerim castimoniæ studium oppositis legibus coactus sit moderari, præscribens ne secubarent nisi ex consensu, moxq; redirent ad iura matrimonij: deinde ut uxor digressa uiro suo reconciliaretur: ne ab impio quidem diuerteret, modo ille conuictum diuersæ religionis pateretur: uiduas adolescentiores adhortans etiam ad nubendum, quod tum ætas lubrica tum experta uoluptas exiguam spem præberent stabilis ac perpetuæ continentiæ. Nec erant defuturi, qui Christianos omnes submouissent à coniugio, nisi Paulus clara uoce fuisset matrimonio patrocinatus. Quanquam autem idem uiduas uult nubere, tamen id temporis parum sequũda fama erat digamia. Deus autem omniũ seculorum moderator, quemadmodum statim ab orbe condito quum esset coniugio propagãdum genus humanum, admirabilem quendam gignendæ prolis amorem immittebat in animos hominum, præsertim mulierum: ita mox ab orbe redempto, quum per Euangelicum sermonẽ esset propaganda noua generatio, parem castitatis amorem inspirauit mentibus hominum, uidelicet affectum illis temporibus accommodum. Messis erat multa, quaquà patebat orbis: pusillo gregi non uacabat simul & gignendis mundo liberis, & cœlo procreandis hæredibus dare operam. Tot liberos se genuisse gaudebant, quot animas Christo lucrifecerant. Ita factum est, ut intra paucos annos per uniuersum orbem numerosissima sobole triumpharet Ecclesia. Cæterum ubi Christianæ gentis seges uniuersas mundi nationes occupasset, minus erat causæ quur abstineretur à cõiugio. Itaq; mansit uirginibus sua dignitas: cæterum paulatim accreuit honos coniugij. Nam diu uestigia ueteris affectus remanserunt in pontificibus, præsertim Romanis. Siquidem ætate diui Gregorij usus Ecclesiæ Romanæ obtinebat, ut qui dormisset cũ uxore, aliquantisper abstineret ab ingressu templi, multo magis à communione corporis dominici, nec ingrederentur nisi loti. Idem cum sancto Augustino consentiens existimabat mulieris ac uiri congressum non peragi sine peccato, si libidinis potius quàm prolis habendę causa sumpsissent usum coniugij. Quin & uetusti patres certis anni diebus dirimebãt usum cõiugij. His legibus non cogebantur inuiti: sed quod ultro pietas hominum agebat, patrum constitutionibus approbabatur. Quandoquidem & in alijs multis rebus probabile est legem ex consuetudine natam, non consuetudinem ex lege: ueluti de ieiunio quadragesimali, de interdicto certis temporibus carnium & lactariorum esu. Itaq; pij pastores Ecclesiæ ueluti gratulantes ultroneæ sui gregis pietati, in angustum contraxerunt matrimonij pomeria, quo latius se propagaret uarijs ex causis inter Christianos necessitudo, simulq; daretur occasio tuendæ pudicitiæ. Verum quur hic astrinxerint, contractis cognationis gradibus, addita cognatione spirituali & affinitate itẽ spirituali, causam reddũt satis probabilem. Cæterum quur alibi laxarint contrahendi matrimonij ius, non perinde facile est expedire. Docent enim placita pontificum solo consensu per uerba præsentis temporis declarato, coire matrimonium ratum: & huic decreto subscribunt Theologi magno consensu. Atqui Iustinianus Imperator non permittit filijs familiãs uxorem ducere, citra parentũ autoritatem, in quorum potestate sunt: idq; putat naturali simul & ciuili rationi congruere, quod natura parentibus ius dederit in liberos, id confirmauit ius ciuile usq; ad emancipationem. Idem opinor censuit de pupillis & minoribus, qui in tutorum potestate sunt. Quod si filius furiosi filius filiáue possit absq; patris consensu contrahere matrimonium. Id permisit Iustinianus, sed præscripta ratione. Quin & in sacris literis qui sponsam ambiũt, postulant eam à parẽtibus: nec fit stipulatio de uoluntate liberorum, tametsi probabile est tum quidem liberos nihil aliud uoluisse, quàm quod parentibus esset placitum. Sic Abraham accersit Isaac filio suo Rebeccam, eaq; ex uoluntate patris ducitur. Sic Iacob iussu patris deligit affinẽ Laban, & ex pacto accipit duas sorores, nec murmurat obtrusa dormiẽti, nec queritur prẽterita, cui post hebdomadã dierũ erant expectandæ nuptiæ. Ex arbitrio socceri gerebatur omne negotiũ. Rursus Deuteronomij 22. stuprator uirginis nondũ desponsæ, numerat patri quinquaginta siclos, & ducit uxorem uolente patre: uirginis assensus non memoratur. Sic Thobiæ filius tradentibus parentibus accepit Saram. Declarat idem caput Exodi 22. Si seduxerit quis uirginem nondum desponsatã, dormieritq; cum ea, do-

Quõ natæ leges quædam pontificum

ea, dotabit eam, & habebit uxorē: si pater uirginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis quam uirgines accipere consueuerunt. Vides & hic nuptiarum arbitrium in patris esse potestate. Rursus inibi. 34. Caue ne unquam habitatoribus terræ illius. &c. nec uxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis. &c. Non præcipitur filijs ne ducant, sed patri, ne asciscat nurum ex improbata gente. Quin etiã Genesis 21. Agar eiecta, quoniam patris aberat autoritas, ipsa accipit uxorem filio. Multa sunt huiusmodi in Veteris testamenti uoluminibus, quæ declarant ius contrahendi matrimonij penes matrē ac patrem fuisse potius quam penes liberos. Liquet idem ex epistolæ prioris ad Corinth. 7. Si quis autem turpem se uideri existimat super uirgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod uult faciat: non peccat si nubat. Qui autem firmus stat in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habēs suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare uirginem suam, bene facit. Itaq; & qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. His nimirum uerbis tota potestas coniugij defertur patri. Neq; secus interpretatur Theophylactus, ne Ambrosius quidem, nisi quod excludit coactionem aut impulsionem ad coniugium minime procliuis puellæ. Tale fuit & omnium coniugiorum exordium. Qui condidit Adam, uxorem adiunxit. Non ipse quæstus est, Vxorem uolo: sed cõditoris prouidentia dixit: Non est bonũ Adam esse solum, faciamus illi adiutorium simile ipsi. Breuiter, nullum extat exemplum, quod equidem sciam, in sacris uoluminibus matrimonij contracti insciis aut inuitis parentibus. Iam & illæ uulgo receptæ uoces: Dare nuptum, & elocare filiam: testantur parentibus fuisse ius deligendi sponsum filiæ. Fortassis alienum uidebitur huc citare tragœdiarum & comœdiarum testimonia, quum tamen in illis uelut in speculo reluceat omnis uita priscorum: Tindareus enim quum perspiceret sibi periculum imminere, si sponsum delegisset Helenæ, ius eligendi transtulit in puellam: sed priusquam illa deligeret, procos omnes adegit sacramento, ut si quis conaretur eam ui distrahere ab eo quem delegisset maritũ, omnes communibus auxilijs raptorem ulciscerentur. Sic & Danaus & Belus inter filios ac filias pacti sunt coniugia. Quin & in comœdijs ex autoritate parentum pendent matrimonia. Audit illic Pamphilus: Hodie uxorē ducas uolo: Audit idem, Vxorem his moribus dabit nemo, aliaq; permulta. Et si quid contractum fuisset insciis parentibus, per eos rescindebatur, si minus placuisset coniugium: comprobabatur, si placuisset. Sic in Andria Pamphilus depellitur ab adamata Glycerio: & in Phormione Antipho depellitur à sponsa sua, nisi utriq; præter spem succurrisset error. Quin & apud Catullum in Epithalamio sponsus hunc in modum affatur sponsam:

At tu ne pugna cum tali coniuge uirgo.
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parêre necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri.
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Simo parat abdicationem, patris nomen recusans, quod Pamphilus clam ipso duxisset uxorem, unde & puerum sustulerat. Sic enim loquitur senex: Quid mi pater: quasi tu huius indigeas patris. Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre. Hæ uoces minantur abdicationem. Quid autem adolescens: Tibi pater me dedo, quiduis oneris impone, impera. Vis me uxorem ducere hanc, uis amittere, ut potero feram. Quoniam autem uidebatur inhumanũ, ut parentes cogerent ad ingrata coniugia: quod quidē pene durius erat & in seruitutē dare, eo quod seruitutē utcũq; cõsolatur spes manumissionis, quũ à cõiugij uinculo sola mors liberet: leges Cæsareæ pariter ac Pontificũ statuerunt ne citra liberorum assensum ratum haberetur matrimonium. Deinde ne parentes impij, uel ob quæstũ, uel ob aliam quancunq; causam detinerent liberos suos in cœlibatu, aut obtruderēt eos coniugibus quibus nollent. In fauorē liberorum pronunciauit humana constitutio, ratũ esse matrimonium quod insciis etiam & inuitis parentibus inter puberes contractũ esset per uerba præsentis tẽporis. At hic usu uenit legislatori, quod ferunt Herculi, cui, dum unum cornu dissecuisset Acheloo fluuio, magis etiam intumescens ex alia parte minitare-

Coacta coniugia

tur

tur amnis: imò fit, ut pro resecto uno hydræ capite plura suppullulent. Non solum enim uerum est, quod dicitur, ex malis moribus nasci bonas leges, uerum etiam ex optimis legibus, hominum peruersitas gignit mores pessimos. Opinor autē humanum esse decretum, solo consensu coire matrimonium, ut qui legem pro ratione temporum statuit, possit eandem pro ratione temporum uel abrogare uel moderari. Atqui iam nunc ex hac lege, quot adolescentes bene natos, quot puellas etiam summo loco natas, uidimus & uidemus implicari infaustis perplexisq; cōiugijs, ingenti luctu parentum ac propinquorum, nonnunquam & summo reipub. discrimine? Ab exemplis prudens tempero. Hanc fenestram, quæ plus satis patebat hominum maliciæ, clandestinorum coniugiorum opifici, magis etiam dilatat hæc rima: Verba futuri temporis uim habent præsentis, si succedat corporum congressus, etiamsi in ipso congressu uerba pronuncientur, mente iam abscepta, etiamsi id dolo malo procuratum sit à puella, quo iuuenem illa quearet, etiamsi pluribus argumentis constet eum non esse locutū ex animo. Dixit, coīt, habeat uxorem. Non hæc refero quod damnem constitutionem: sed quo cautiores reddam iuuenes ac puellas in cōtrahendis matrimonijs. Nam receptis ab ecclesia legibus aduersari, nō arbitror esse consultū. Cæterū illius est mutare legē è re nata, qui legē condidit. Additæ sunt & alteræ rimæ, per quas irrepere possis in matrimoniū. Quæsitū est an etiā solo nutu possit contrahi matrimoniū, & responsum est posse. Quæsitū an literis scriptis coeat matrimoniū, respōsum est coire. Quæsitū est, an signo, ueluti si quis nummi fracti dimidiū det puellæ, responsum est coisse matrimoniū. Quæsitū est an per procuratorē inter absentes coeat matrimoniū, responsum est coire, si procurator à certa persona de contrahendo cum certa mandatū acceperit. Quæsitū est, an facto fiat ratū matrimoniū, ueluti si iuuenis dicat: Si me habes pro cōiuge, da basium, responsum est coire. Quæsitū est an silentio coeat matrimoniū, ueluti si puellæ pater dicat patri iuuenis: do filiā meā uxorē filio tuo: rursum proci pater respondeat, & ego filium meū do maritū filiæ tuæ: si nec iuuenis nec puella cōtradicat, sed tantū obticescat uterq;, ratū erit matrimoniū. Deniq; si quocūq; modo uir mulieri significare queat assensum coniugalem, ratū est matrimoniū. Hæc sat bene haberēt, nisi in moribus hominū esset tanta leuitas ac dissimulatio. Primū de consensu animorum nemo potest certo iudicare, nisi solus deus. Quum autē Ecclesia nō iudicet nisi de notis, oriuntur frequenter perplexa matrimonia, dirimūtur qui uero matrimonio iuncti sunt, & coguntur in iugum, qui stupro uel adulterio potius cohærent. Quòd si quis per uerba præsentis temporis, sed ficte prolata, contraxit matrimoniū, ac deinde cū alia paciscitur ex animo, etiamsi interceserit iusiurandum, copula & proles successerit, tamen ad priorem redire cogitur. Si obtemperat Ecclesiæ iudicio, prouocat irā dei: si non obtemperat, feritur anathemate. Quid faciet? E duobus malis quod leuius est eliget, patiēter feret hominis fulmen, ne diuino fulmine pereat in æternū. Episcopū incusare non potest, qui suo functus est officio: sibi imputet qui ficte promiserit, si leuissimæ rei, ut ait Plato, grauissimas pœnas dare cogitur. Et tamen interim alteri, quæ nihil peccauit, nō licet secura conscientia nubere: maritum habet, quē nec tenere potest, nec amittere. Rursum his ex fontibus nascitur uaria difficultas, quæ sint uerba præsentis tēporis, quæ futuri. Apud deum quidem nihil refert, quibus uerbis significes præsentē coniugij cōsensum, de iudicijs humanis loquimur. Hæ uoces, accipio te in uxorē, & ego te in maritum, contrahunt matrimonium. Fortasse tutius erat addere duo pronomina, meam & meum. Nam & pater accipit uxorem filio. Maior etiā scrupulus fuerit, si uir dicat, accipio te in meā: & illa respondeat, ego te in meum. Nam subaudiri potest amicū & amicam. Verbū infiniti modi multam adfert dubitationē. Si dicat uterq;, uolo tecum contrahere matrimoniū, futuri temporis uerba sunt, nec contrahunt matrimonium, nisi successerit usus coniugij. Si dixerit: uolo te habere in uxorem, & ego te in uirū, coit matrimonium. Verum hic magna inter iureconsultos controuersia est, dum alius ait, alius negat, alius amplius deliberandū censet. Atqui si dicat, prouidebo tibi tanq; uxori, ratū est matrimonium, si quidem illa similia referat. Iam qui roganti, uis hanc uxorem? respondeat, uolo: similiter & mulier interrogata respondeat, coit matrimonium, quod admiror in quæstionem uocari, quū uix alia ratione certius possit contrahi matrimoniū q̄ stipulatione. Rursum si dicat uir: nō te deseram, neq; pro meliore neq; pro deteriore, quidam existimant ratū esse coniugium, alij dubitant

A iureconsultis proditum, quod solo consensu coit matrimonium

Perplexa matrimonia

Quæ sint uerba præsentis temporis

bitant. Deniq; si dicat uir, promitto tibi quod habebo te pro legitima uxore, ac paria respondeat mulier: arbitrantur per hæc uerba, licet futuri temporis, contrahi præsens coniugium. Secus si dicat, promitto me ducturũ te. Causam adferũt, quod in his uerbis, promitto tibi quod habebo, subauditur ex hoc tempore. Quanq; aliud subaudiri poterat, ui delicet aliquando, aut breui, tamen id aiunt subaudiendũ esse quod facit ad fauorẽ cõtrahendi matrimonij. Atq; huius quidem generis sexcenti casus possunt incidere. Plus habent ambiguitatis nutus, aliaq; signa. Neq; enim apud omnes nationes idẽ significãt gestus: & quidã nutus adeo sunt ancipites, ut fallant frequenter & illũ cui innuis. Nã eodem capitis motu minamur quo concedimus: eodẽ annuimus puero roganti potestatẽ ludendi, quo mendico negamus stipẽ. Et Itali subductis scapulis negant se scire quod rogãtur, qui gestus nihil certi significaret Sicambro. Huiusmodi ferè sunt & oculorũ significationes. Iã sæpenumero fit, ut uultus à uerbis dissentiat, adeo ut iniuriarũ detur actio, qui uultu non bono dictus sit uir bonus. Quanq; tutius est à talibus iocis tẽperare. Quidã igitur nutus ac gestus, aliaq; signa interpretantur ex uerbis quæ præcesserũt. Si præcesserũt uerba iocosa, pro ioco habebũtur signa: si uerba futuri tẽporis, ad futurũ tẽpus pertinebunt nutus & signa: si præsentis, præsens erit matrimoniũ. Vbi per literas aut per procuratorẽ inter absentes contrahitur matrimoniũ, si qui mandarat, prius mutet sententiã, q̃ ille contraxerit cũ puella, aut illa per literas responderit, irritũ erit coniugiũ. Eadẽ est dubitatio, si uiro dicenti: Volo te uxorẽ, uis me maritũ: puella ex interuallo longo respondeat, nũ uir teneatur contractu. Potuit enim interim mutare sententiã. Hic uariantibus sentẽtijs consultius esse putant, ut absq; mora mulier respondeat, aut si interceſſit interuallũ, renouentur uerba connubialia. Existit hic alia quæstio, num ubi cõtracta sunt inter impuberes ex autoritate parentũ sponsalia, si non contradicentes his quæ sunt acta, perueniant ad pubertatem, ratum sit matrimonium: negant, nisi signis aliquibus renouatus sit sponsalium consensus. Et tamẽ apud Benedictinos, ut audio, si puer tacitus peruenìat ad pubertatem, silentium habetur pro professione. Rursus hic uaria disceptatio, quę signa ad id sufficiãt. His addunt nouas dubitationes, iusiurandum & conditio. Si uir simpliciter dicat, accipio te pro coniuge, rursus alteri dicat totidem uerbis, addatq; iusiurandum, etiam si successerit copula corporum, priore contractu tenebitur, secundus erit irritus. Qua quidem in re Rom. Pontificum uaria fuit sententia, id quod testantur Decretales. Quod si quis cum puella contraxerit per uerba futuri temporis cũ accessione iurisiurandi, deinde cum altera contraxerit per uerba præsentis temporis citra iusiurandum, secundam ducet. Iusiurandum enim non idem potest quod coniunctio corporum. Conditione turpi nullus coit contractus, multo minus matrimonium. Honesta cõditione coit, si præstetur. Accipio te uxorem, si es uirgo: Hæc cõditio pro turpi habetur, & tamen ualet matrimonium. Nam iuxta legem Mosaicã, quæ pro uirgine nupsisset, si sponsus comperisset illam corruptam, occidebatur. Hic certe probari debet Christianorum legum clementia. Illud mirum, quur existiment per conditionem impossibilem coire matrimonium, uelut: accipio te, si cœlum digito tetigeris. Etenim qui stipulatur quod fieri non potest, declarat se non consentire. Vbi igitur illud axioma, sine consensu non contrahi matrimonium? Rursus aliud quæstionum examen, ex scopo consensus. Si quis ducat uxorẽ hoc animo, ut mox ductam relinquat, quibusdam uidetur non contrahere matrimonium. Item si sciens ducat sterilem, non ducturus si sciret parituram, alijs uidetur contrahere, alijs secus: imò si quis ducat anum non ut coeat, sed ut dotem auferat, quidam putant esse matrimonium, alij negant. Etenim qui rem exactius pensiculantur, censent ad contrahendum matrimonium sufficere generalem consensum in coniugium, etiam si nec habitare decreuit cum illa, nec habere rem, nec suscipere liberos, nec seruare fidem coniugij, imò si in hoc ducat ut uxorem uendat aut prostituat. Alij dubitant, an qui dotis aut libidinis gratia ducit uxorem, non ducturus nisi commoueretur his causis, contrahat matrimonium. Et hic prodit distinctio, finis principalis & secundarij dissecans nodos. Ad hæc quod dictum est de copula carnali, quæ promissionem futuri uertit in rem præsentem, non est simpliciter accipiendum. Ex animo promisit, sed non coijt animo maritali, uelut cum uxore, sed uelut cum quauis puella: eoq; si post cum altera contraxerit uerbis præsenti bus citra congressum, prior contractus irritus est apud deũ, secus apud hominẽ iudicem.

Iusiurandum & conditio quid ualeat

Consensus quid

Iam

Iam non raro contingit, ut alter eorum inter quos coijt uerborũ consensus & corporum copula, inficietur utrunq; quid fiet, utroq; parato iurare? Quidam existimant uiro deferendum iusiurandum, si mulier ante congressum hunc non fuerit uirgo, contrà si uir eo congressu ex uirgine fecit mulierem. Præterea num mulier ultra debeat sui copiam facere uiro, qui post aliquandiu habitam cum ea consuetudinem, fateatur se ficte contraxisse matrimonium. Non debet, inquiunt, illi credere. Sed quid si ille persuadeat, nec illa uiro persuadere queat ut uere consentiat? Hic misere hæret mulier. Sunt alij perplexarũ quæstionum innumeri Labyrinthi, quos sciens prætercurro, ne molestus sim lectori, qui mihi nunc quoq; rogandus est, ut hæc differentem paulisper etiam patienter audiat, donec eò peruenero quò uolo: non enim sine causa his immoror, alioqui spinosis ac parũ amœnis. Ostendimus quantum difficultatum inuehat ista contrahendi matrimonij facilitas, quæ tolerabilior uideri poterat, si contrahendi facilitati responderet diuertendi facilitas. Datum enim esset uel errori uel temeritati remediũ. Nunc facillimus est aditus in naſſam datus, exitus nullus, adeo ut hoc ipsum, quod concessisse uidetur euangelium, ius repudiandi adulteram, expositione patrum sit astrictum ad diuortium thori duntaxat, nõ ad libertatem renouandi coniugij. Mosaicæ legis licentiam, quæ permittebat quacunq; de causa repudiare, merito contraxit dominus. Nunc hocipsum quod quibusdam liberum reliquisse uidebatur, maxima ex parte sustulimus. Quantum enim solatij est, eiecisse adulteram, si immerenti præscribitur misera solitudo, quandiu uixerit repudiata? Quãquam hoc argumentum de diuortio tale est, ut plane requirat Delium, quod aiunt, natatorem.

Impedimenta matrimonij

Et hic à maximis uiris apprime sudatum est, tum uetustis tum recentioribus. Accedunt ad hæc per se satis impedita, octodecim impedimenta matrimonij, quorum alia sunt eius generis, ut non dirimant contractum, sed obsistant contrahendo, & cõtemptorem impedimenti crimini faciant obnoxium, non depellant ab uxore: alia dirimũt ad tempus: alia & contrahendo obsistunt, & contractum distrahunt. Quædam dirimunt matrimonium ratum, non dirimunt consummatum. Nonnulla sic dirimunt, quamuis contractũ, ut nec Romanus Pontifex relaxet legis rigorem. Nonnulla, licet non recte contracta, tamẽ per eum comprobari possunt, si uelit. Rursus alia dirimunt conuictum domesticum aut societatem thori, alia restituunt marem & fœminam in integrum. Sunt quæ neq; uinculum perpetuum discindant, neq; thori contubernium, tantũ adimunt ius exigendi debitum, interim alteri, nonnunquam utriq;. Iam circa unumquodq; impedimentorum mille quæstionum examina pugnæq; innumerabiles opinionum humanarum.

1 Primum impedimentum est interdictum ecclesiæ, siue generale, quale est quod prohibet clandestina cõiugia, siue speciale. Quod si interdictũ sit perpetuum, erit & diremptio
2 perpetua. Huic ut proximum, ita finitimum est, ne nefastis anni temporibus contrahatur matrimonium, & si contractum fuerit, dirimi iubetur. Attamen hic putãt interdictam celebritatem & usum coniugij, non contractum ipsum. Dubitant tamen an quoties cognoscat uxorem, crimen admittat. Tertium est cõditio, eaq; quadruplex, honesta, turpis, indifferens, impossibilis: & hinc mille casuum uarietates, magnaq; sententiarum dis-
4 sensio, quas omnes referre perlongum sit. Quartum est error, idq; rursum duplex, personæ & qualitatis siue fortunæ. Si error incidat in eo quod ad matrimonij rationem quasiq; substantiam attinet, uelut error personæ, uel status, hoc est, si cui obtrudatur Barbara pro Margarita: aut si liber putatur cui datur puella quũ sit seruus, nõ coit matrimonium, quod in altero non sit consensus certæ personæ in certam personam, in altero non est libera potestas reddendi debitum. Item si pro uiro ducatur eunuchus, hoc est, ad coitũ invalidus. Et hic rursus innumeræ distinctiones, casus & opiniones. Studium ac diligentiam hominum non improbo, tantum illud admiror, nullum errorem fortunæ obstare quo minus coeat matrimoniũ. Sunt enim quędam fortunę mala seruitute tristiora. Quis enim non malit cum seruo, quàm cum leproso, aut Neapolitana scabie corrupto uiuere? Valet enim matrimonium si mulier non recuset transire in ius domini cum marito. Et sunt quædam morũ uitia, morbis comitialibus aut lepris abominabiliora. Nec enim consentit puella quæ nubit ei qui pro bono sanoq; commendatus est, nequaquam facturà si sciret qualis esset, præsertim si dolo perperam circumuenta est puella. Quod si conditio fuisset expressa, accipio te si cares talibus morbis, non coiret opinor matrimoniũ, si com-

pertum

pertum esset illum non esse liberum ab illis malis. Quinto loco commemorant uotum castitatis, id diducitur in duo genera, alterum quod solenniter fit ac certis ritibus in templo, alterum simplex quod absq; cæremonijs eiusmodi peragitur. Scotus addit publicum ac priuatum. Hic ita definiũt humanæ leges, uotum simplex obstat quo minus legitime contrahas: si tamen contraxeris, dirimi non potest. Votum autem castitatis solenne non solum obstat contrahendo, uerum etiam dirimit contractum, etiamsi copula cum iureiurando interceserit. Tantum autem honoris habetur uoto solenni, ut sponsalibus & matrimonio rite contractis, ante corporum mixturam, alterutri altero inuito liceat solenne uotum suscipere, sic ut ædita professione nec sponsus possit exigere debitum ab uxore, & sponsę liberum sit alteri nubere. Sed hic rursus uarij casus existunt. Si sponsus per uim cognorit sponsam, an puellę perijt ius suscipiendi uoti solennis? Qui propensiores sunt in fauorem religionis, negant periisse: alij dicunt, nihil peccasse maritum, qui re sua ex pacto debita usus est. Illa peccauit, quæ negauit quod negare non licuit. Atqui non idem ius tribuunt sacerdotio quod instituto monachorum. Qui legitime contraxit, ac mox initiatur sacerdotio, manet quidem sacerdos, nec tamen desinit esse maritus, etiam si ius nõ habet exigendi debitum, ut nec negandi, si exigat mulier. Rursus alia difficultas, an puella cogatur manere innupta, donec profiteatur sponsus: Id fere non fit ante annum exactum. Variantibus sententijs ea uincit, quæ iubet mulierem differre nouum matrimonium usq; ad tempus professionis, uidelicet in fauorem uoti. At quid si spõsus eludat decq; monasterio in monasterium transmigrãs, ex uno probationis anno faciat plures? Res sane perplexa fuerit. Exoritur alia difficultas de uoto simplici: An qui post susceptũ uotum simplex contraxit matrimoniũ, admittat capitale crimen, quoties utitur uxore, an semel duntaxat, primo uidelicet congressu. Variant sententiæ, sed in hoc fere cõsentientes, ei qui sic contraxit non esse ius petendi debitum, quamuis exigẽti potest ac debet reddere. Iterum, an qui sic contraxit, uxore defuncta liber sit ad contrahendum matrimonium. Quidam aiunt, quidam negant. Tamen qui sunt humaniores, primo congressu putant aboleri totã uoti uim. Quod si matrimonium coierit inter duos, quorum uterque tenebatur simplici uoto castitatis, ualet quidem matrimoniũ, sed neutri ius est exigendi debitum: cæterum neuter peccat, si morem gerat exigenti. Hic rursum difficultas existit, haudquaq; simplex. Primum, quur matrimonium ratum dirimatur, consummatum nequaquam, quum utrunq; perfectum sit matrimonium, & licet maior iniuria fiat cognitæ quàm intactę, tamen haud mediocriter læsa est conditio puellæ quæ nupta fuit: hæret etiã num in uaria suspicione, num uere sit intacta: et si coitus non intercesit, potuerũt alia multa incedere, quæ nullus æquo animo ferret in sua sponsa. Deinde multos tangit suspicio, ne propter occultum aliquod uitium corporis aut animi dimissa sit. Quod si simpliciter dominus uetuit distrahi coniuges, nisi stupri causa, dixerit aliquis, unde uoto solenni tanta uis, ut ex cõiugatis faciat cœlibes, contra præscriptum Euãgelicum, sicuti uidetur? Ratiocinor enim non pronuncio. Quod si perpetuo uerum est, minus bonũ cedere maiori, uidetur sacerdotij professio præstantior coniugio, præsertim quũ castitatis professio sit, ut aiunt, annexa sacerdotio. Imo non absurde quis dubitarit, an sacerdotis professio sit anteponenda professioni monachorum, de his loquor, qui sacris initiati non sunt. Sacerdos iureiurando interposito profitetur obedientiam episcopo: apud nonnullas nationes etiam castitatis uotum exprimitur, sed apud eas ubi minime seruatur. Solo uoto paupertatis superior est monachus, sed huic opponi potest dignitas & obligatio sacramẽti. Nullũ enim nouum sacramentũ accedit monacho, ni fallor. Verum hæc ualere sinamus. Fortasse dubitari possit, an monachi uotum sit anteponendum obligationi coniugali. Humanum est enim quicquid in professione monachi geritur. In matrimonio, quod est sacramenti caput, uiolatur diremptione, quum clara uoce dicat dominus: Quod deus cõiunxit, homo ne separet. In propatulo est pontificum constitutio: uerũ in reddenda constitutionis causa non mediocriter sudatum est à summi nominis Theologis. Quidam adferunt hanc rationem, quod scandali causa matrimonium cedit uoto solenni. Nam simplex uotum non adfert offendiculũ. Hoc lemma reijcitur duplici nomine. Primum, quod nonnunquam simplex uotum non minus habet scandali quàm solenne, nec minus uulgo notum est. Deinde quum sacræ literæ pronuncient matrimonium non esse dirimendum, negant tantũ oportere ualere scandalum,

Votum castitatis.

ut uioletur Euangelicæ doctrinæ autoritas. Imò ipsa professio susceptа potiùs debebat offendere pios homines & relicta. Reprobatur & hoc argumentum, maius bonum non debet impediri per minus bonum. Nam secundum hanc rationem etiam cõsummatum matrimonium dirimendum erat per uotum solenne, quod melior habeatur professio monachorum, quàm matrimonium etiam consummatum. Quanquam per accessionem coitus matrimonium non fit melius, sed firmius. Item melior est, ut diximus, status sacerdotalis quàm coniugatorum: potest igitur maritus dirimere matrimonium, & initiari sacris. Alij ducunt rationem ex iure ciuili: Sponsus ante congressum nondum accepit plenã traditionẽ corporis uxorij: qui profitetur, simul se totũ tradit deo. Proinde quod firmius est ac plenius, nõ debet cedere infirmo & imperfecto. Hoc ita reijciunt: Si potior est conditio possidentis, cõsequeretur, ut qui prius uerbis duntaxat cõtraxerat matrimoniũ cum Catharina, post cum altera cõtraheret, accederetq; corporum mixtura, prior cõtractus esset irritus, quod secus esset ab Ecclesia definitum. Deinde consequeretur quod talis hominis professio esset illicita, licet peracta ualeret: quẽadmodum peccat, qui post simplex uotum castitatis contrahit matrimonium. Sunt qui causam hanc allegant, quod uotum solenne possit probari, simplex non item. Hanc reijcit Scotus, eo quod dicat uotum simplex, etiã si sit publicum ac notorium, tamen dirimi per matrimoniũ. Facit enim quatuor uoti differentias, publicũ, priuatũ, simplex, & solenne. Potest autẽ idem esse simplex & publicum. Probabilius est quod adferũt quidam: Quum professus monachus, tradit corpus suum in potestatem eius cui promittit, uidelicet Abbati, ad faciendum id quod habet uoti natura. Igitur non potest coniugi corporis sui potestatem facere ad usum contrarium, & tamẽ hoc quoq; reijcitur. Per simplex enim uotum homo tradit corpus suum deo, & tamen tradit uxori corpus suum in usum contrariũ continẽtiæ. Nam quod adferũt quidã deũ nolle sibi corpus suũ quenq; tradere nisi per hominẽ, somniũ est, & eadẽ facilitate negatur quadicitur, quum hæc dei uoluntas probari nõ queat. Reijcitur & illud quod cõminiscuntur quidam, quod uotum simplex tantum habet promissionẽ, uotum solenne mittit eum cui fit uotum in possessionẽ. Nam quod sola uoluntate geritur inter deum & hominem, tam est firmum in uoto simplici, q̃ in uoto solenni. Iureconsulti fatentur nullam aliam causam posse reddi meliorem, q̃ quod ita statuit Ecclesia. Verum ne hanc quidẽ recipiunt Theologi, dicentes: Si sola hominum constitutio tantũ ualeret, posset & contrariũ statui, uidelicet ut professione solẽni nõ dirimeretur matrimoniũ. Quod si reciperemus, finis esset cõtrouersiæ: nunc hoc ueremur dicere, ne per homines uideatur distrahi matrimoniũ quod deus coniunxit. Concedunt pontifici tantũ iuris, ut possit personas inhabiles reddere ad contrahendũ, aut pronunciare matrimoniũ nõ coisse legitime: dirimendi quod rite cõtractum est potestatẽ nequaq; permittũt. Quærẽda est igitur sacra ancora, cui nitamur in tanta sententiarũ uacillatione. Quanq; ne in hac quidẽ consentiunt. Nam ut alios prætermittã, Aquinas sic argumẽtatur: Votũ solenne nõ ex uolũtate põtificis, sed suapte natura, ut impedit matrimoniũ contrahendũ, ita dirimit contractũ, quod per hoc amittit homo corporis sui potestatẽ. Sed huc recurrit illa quæstio de uoto simplici. Et hanc opinionẽ Thomas tã frigide narrat, ut appareat nec ipsi placuisse. Sic eñ loquitur, Et quia matrimoniũ quod sequitur tale uotũ, nullũ est, ideo tale uotũ dirimere dicitur matrimoniũ contractũ. Non ausus est dicere dirimit, sed dicitur dirimere. Quid quod hic res controuersa probatur per controuersam, aut certe dubia per dubiã? Nam hoc ipsum quæritur, quare uotum solenne dirimat matrimonium rite contractum, quum Paulus dicat, sola morte alterutrius solui. Durandus adfert causam sanè q̃ argutã, an ueram nescio: In matrimonio duplex est coniunctio, spiritualis per consensum, & carnalis per coniunctionem corporum. Duplex item mors est, carnalis, qua separatur anima à corpore: & spiritualis, qua quis moritur mundo. Proinde sicut mors carnalis dirimit matrimonium consummatum, ita mors spiritualis dirimit matrimonium ratum sed nondum consummatum. Hæc ratio si ualeret, profitentium bona reciderent ad cognatos, quemadmodum & mortuorum. Quæ sanè lex olim ab imperatoribus Christianis opposita fuit auaritiæ clericorum ac monachorũ, ut scribit Hieronymus. Nunc quum imaginaria mors non ualeat in causa bonorum, multo minus ualere uidetur in causa matrimonij, quod dominus unam tantum ob causam dirimi permisit. Exilium mors est ciuilis, & tamẽ hæc imaginatio mortis non excludit exu-

Inhabilitas

Thomas

Durandus

lem

lem ab hæreditate, aut possessionibus suis. Deinde qui monasterium ingrediuntur palàm infame, ubi nec castitas seruatur, & habentur propria, non liberarentur à uinculo contracti matrimonij. Item qui non ob aliud fiunt monachi quàm ut fiant Abbates ex pacto. Palàm est enim, hos non totos mori mundo. Deinde si tantum ualet ista mors, ut liberet à matrimonio, multo magis liberaret à debitis, & frustra rogarentur professuri, num quid cui deberent, aut num quid cui puellæ spopondissent. Ad hæc uera mors spiritualis fit in baptismo, quemadmodum palàm docuit nos Paulus apostolus, & tamẽ professio baptismi non liberat hominẽ nec à uinculo seruitutis, nec à uinculo matrimonij, iuxta Pauli doctrinam: multo minus imaginaria mors professionis, quam non tradunt sacræ literæ. Nec satis firmum uidetur, quod hic distinguunt inter sacerdotem & monachum, quorum hunc aiunt esse mortuum, illum tantummodo mutilum. Imò sacerdos, si tenetur uoto continentiæ, æque mortuus est, quod attinet ad rationem matrimonij. Scotus, ne cum alijs sentiat, Scotus hoc commentus est, quod Ecclesia professentem uotum solenne reddiderit inhabilem, sic ue, ut ille loquitur, illegitimarit ad matrimoniũ, nec idem fecit in uoto priuato. Hoc pacto uitatur, ne contra præceptum domini lædatur rigor matrimonij. Materia siquidem matrimonij redditur inidonea, saluo matrimonij iure. Iam si roges, quur non eadem potestate reddidit inhabilem, qui simplici uoto semet astrinxit, præsertim quum cõtrahendo cum proposito cognoscendi uxorem, capitalẽ noxiam admittat, respondet: Quia non sic seipsum posuit in manu dei, quemadmodum alter, qui se posuit in manu ecclesiæ, quod attinet ad actum matrimonij, eoq; Ecclesia liberat à uinculo matrimonij eum, qui sese cõmisit Ecclesiæ iudicio. Alterum uero, qui se sine arbitrio Ecclesiæ, tradidit deo, Ecclesia relinquit suæ conscientiæ. Si quis roget, cur in simplici uoto pontifex aut nõ tollit ius cõtrahendi, quemadmodum in solenni: aut non liberat à peccato, quemadmodum facit in uoto solenni, ubi soluisse matrimonij uinculum etiam pietatis laudem meretur. Hic Scotus respondet per forte: Forte, inquit, maius malum sequeretur. Hæc sacra ancora quot modis conuelli possit, opinor lectori uel me tacente perspicuum esse. Tantum ostendere uoluj quæstionis difficultatem.

Sextum impedimentum est ordo. Nam Ecclesia Romana, quæ dicitur occidentalis, sa- 6
cerdotes submouit à sacerdotio, deinde diaconos quoq;, demũ et hypodiaconos: de minoribus ordinibus dubitatum est, ita temperata sententia, ut clerici occidentales si habeant uxores, habeant quidem, sed submoueãtur ab officio ministrandi, spolienturq; fructibus Ecclesiasticis, si quos habebant. Græcorum Ecclesia hodie ius suum retinere dicitur.

Septimum impedimentum adfertur cognatio, quæ gradibus & lineis distinguitur. Li- 7
nea recta sursum ducit usq; ad tritauũ, tritaui patrẽ & auũ, cæterosq; quib. nõ sunt peculiaria uocabula, sed generali nomine dicuntur maiores siue progenitores. Deorsum ducit per filiã, nepotẽ, & cæteros, usq; ad trinepotẽ, trinepotisq; filiũ, ac nepotẽ, aliosq; qui generali cognomine dicũtur minores siue posteri. In hac linea quidã existimãt perpetuã esse matrimonij cõtrahendi prohibitionẽ, adduntq; facete, si hodie uiueret Adam, in cœliba-tu fore uiuendũ. Alijs placet, in quinto gradu redire cõtrahendi ius. Et hactenus quidem conuenit legibus Cæsareis cum decretis Ecclesiæ: tum in numerandis gradibus, tum in prohibitione matrimonij. Tot aũt supputantur gradus, quot sunt personæ, excepta una. In lineis transuersis, quas collaterales uocant, ius cõtrahendi matrimonij redit post quartum gradum: gradus autem supputandi sunt iuxta ius pontificium, non ciuile. Quod si mas & fœmina per lineam inæqualem distant, gradu dispari, hoc est, alter sit cognatus in gradu tertio, alter in septimo aut quinto, quidam putant coire matrimonium, alij negant. Hic uariat ius diuinum, ius ciuile, & ius pontificum. Ius diuinum non nisi à proximis gradibus, ijsq; paucis, submouet matrimonij contrahendi potestatem. Nam in exordio mundi necessitatis erat, ut frater gigneret ex sorore, quo colore quidam eleuant & incestum puellarum cum patre Lot. Vbi creuit hominum genus, contractũ est ius matrimonij, sed in paucis gradibus, nimirũ primo & secundo, quẽadmodum traditum est Leuitici cap. 18. Ibi uetaris ducere matrem, sororem, licet ex altero tantum parente, neptem ex filio filiáue, materteram & amitam, hoc est matris & patris sororem. Similis autem est ratio de sexu fœmineo. Fas igitur erat ex fratre sororéue neptem ducere, quemadmodum Abraham duxit Saram ex fratre neptem, Gene. 20. & frater Caleph accepit illius filiam, Io-

ſuæ 15. In cognatione quæ à lateribus accedit, primum in recenſione graduum differentia eſt inter leges ciuiles & cõſtitutiones pontificias: ſecũdum has enim hæc traditur regula: Quoto gradu perſonæ diſtant à communi ſtirpe, eiuſdem numeri gradu diſtãt inter ſeſe: ſecundum illas uero, quo numero perſonæ diſtant à communi ſtirpe, eodem numero duplicato diſtant inter ſeſe: atq; id duntaxat in æquali linea. Rurſum in linea inæquali quot gradibus perſona, quę longiſſime abeſt, diſtat à communi ſtirpe, totidem inter ſe diſtant, idq; duntaxat iuxta ius eccleſiaſticum: Iuxta ciuile uero, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite, tot ſunt gradus. Caius itaq; prohibetur uxorem ducere ſororẽ, ſororis filiam ac neptẽ, ac proneptem etiam, hoc eſt, ex ſororis filio filiáue nepote neptéue natam, quæ Caio proneptis eſt, quæ diſtat à Caio quarto gradu, iuxta ſupputationẽ iuris canonici. Idẽ prohibetur ducere amitam & materteram, ne magnam quidem amitam ac materteram ducere poteſt, hoc eſt auí auiæúe ſororem, quod uice parentum habeantur, nec earundem filias, neptes, uel proneptes. Nec eidem fas eſt ducere promateterteram uel proamitã, hoc eſt proauí uel proauiæ ſororem, nec earundẽ filias, neptes, uel proneptes. Eadem eſt ratio de fœminis. Tulliola Caij ſoror non poteſt nubere fratri, patruo, auunculo, patruo magno, auunculo magno, propatruo, proauunculo. Itẽ non permittitur nubere fratri, nepotibus, pronepotibus ex fratre. Iam in tranſuerſa linea ius põtificium olim prohibebat nuptias uſq; ad ſeptimum gradum, adeo ut contractum matrimoniũ nullius eſſet roboris. Ea prohibitio poſterioribus conſtitutionib. temperata eſt, ut non excedat quartũ gradũ. Porrò iuxta ius ciuile in trãſuerſalibus triplex eſt ordo, unus ſpectans ſuperiora, alter inferiora, tertius quæ à lateribus adhærent. In duobus primis ordinibus idem ſtatuunt leges Cæſarũ quod Pontificum. Ex latere uero nuptiæ ualent in quarto gradu. In linea recta, ut dixímus, eadẽ eſt ſupputatio graduũ iuxta ius utrunq;. In tranſuerſali frater & ſoror ſunt in ſecundo gradu iuxta leges Cæſarias, ſecundũ pontificias conſtitutiones in primo. Quæ ſit huius differentiæ cauſa, nihil attinet ad id quod hic agimus exponere. Iuris Cæſarei ſupputatio ualet adhuc in hæreditatibus ac tutelis: Pontificij iuris, in matrimonio. Nihil autem refert utrum cognatio acceſſerit ex ſtupro an ex matrimonio.

8 Octauum impedimẽtum naſcitur ex adoptione. Ea diuiditur in duas ſpecies, quarum altera generis nomine dicitur adoptio, altera arrogatio. Adoptãtur filij familiâs, arrogantur qui ſui iuris ſunt. Habet autem hoc arrogatio peculiare, quid quiſquis arrogatur, in arrogatoris poteſtatem tranſeat: non ſolum ipſe, uerum etiã familia eius & liberi, ſi quos habet, tranſeunt in ius nepotum, quemadmodum ipſe in ius filij. Diuiditur autẽ adoptio generalis in tres ſpecies. Prima eſt ſuperiorum & inferiorum, quæ attẽditur inter patrem adoptantem, & filium aut filiam adoptatam: item inter auum adoptantem, & nepotem uel neptem adoptatam. Non enim ſolum in filij locum adoptari poteſt aliquis, uerum etiam in nepotis aut pronepotis. In hac prima ſpecie perpetua eſt matrimonij prohibitio, quemadmodum in recta linea cognationis, adeo ut etiam ſi ſoluatur adoptio, maneat tamen prohibitio. Secunda eſt quodãmodo collateralium inter filium & filiam naturalem adoptantis, & inter filium uel filiam adoptiuam: inter quos quãdiu conſtat adoptio, non cohæret matrimonium: ſoluta uero per emancipationem alióue modo adoptione, licet contrahere. Tertia eſt inter adoptatorẽ patrẽ, & uxorem filij adoptati: Item, inter filium adoptatum, & uxorẽ adoptatoris: & inter hos eſt prohibitio matrimonij perpetua, adeo ut ſi filius adoptiuus emãcipetur, eam quæ patris adoptiui uxor fuit, non poſsit uxorem ducere, quod nouercæ loco habeatur. Et contra adoptator filij adoptati uxoxem ducere non poteſt, quod loco nurus habeatur.

9 Nonum impedimentum nec iura gentiũ, nec leges Cęſareæ, nec lex Moſaica nouit, nec lex euangelica, ſed addidit ex abundãti ueterum Pontificũ pietas. Ea dicitur cognatio ſpiritualis, & cõtrahitur ex adminiſtratione ſacramentorũ, non omniũ, ſed è duobus duntaxat, baptiſmo, cui adhæret catechiſmus ac ſuſceptio, & confirmatione frontis. Et hic non ſimplex examen quæſtionum, quid interſit inter baptizantem, leuantem, & catechiſtam, & quouſq; ſe porrigat hæc cognatio, ut dirimat matrimonium, & in quibus non dirimatur contractum, licet uetitum ſit contrahi. Verum ut rei ſummam in pauca conferam: Cognatio ſpiritualis non habet proprie certos gradus, ſed in tres ſpecies diuiditur. Prima dicitur illis paternitas cui adhæret filiatio (nam in re noua nouis uocabulis utendum

dum est)estq; inter baptizantem,confirmantem,suscipientem,& inter baptizatum, confirmatum,et susceptum. Secunda dicitur compaternitas,estq; inter baptizantem,confirmantẽ,suscipientem,& inter parentes baptizati,confirmati,suscepti. Tertia est fraternitas imaginaria,inter baptizatum,confirmatum, susceptum, & inter proles baptizantis, confirmantis,& suscipientis.In his tribus speciebus perpetuum est, quod spiritualis cognatio per maritum contracta,ad uxorem ab ipso cognitam profertur, non ad sponsam: quandoquidem copula sequuta, tum demum quod unus coniugum agit,& alter intelligitur agere. Si quis igitur desponsauerit mulierem, ac suscipiat filium tuum in baptismo antequam sponsus sponsam cognouerit,tu licite cum ea contrahis. Itidem si alter susciperet uxori meæ puerum in baptismo, ex alio uiro genitum, mihi per eam non acquiritur compaternitas.Hæc locum habent,etiam si laicus in casu necessitatis baptizaret.Igitur in summa sunt uiginti casus, in quibus cognatio spiritualis prohibet matrimonium, decem ratione baptismi, & totidem ratione confirmationis. Primus est inter baptizantem,& baptizatum. Secundum inter uxorem baptizantis prius cognitam, & baptizatum. Tertius inter baptizatum & liberos baptizantis.Quartus inter baptizantem & parentes baptizati.Quintus inter uxorem baptizantis & parentes baptizati. Ad hanc formam ponendi sunt alij quinq; casus,de suscipiente & suscepto. Similiter & circa confirmationem alij decem sunt, quinq; ratione confirmantis & confirmati:totidem ratione suscipientis & confirmati.In his uiginti casibus cognatio spiritualis obstat matrimonio cõtrahendo,& dirimit contractum.His finitimum est decimum impedimentum, quod nascitur ex affinitate. Affinitas autem iuxta leges ciuiles non nascitur nisi ex nuptijs,secundum ius Ecclesiasticum ex quocunque coitu,de imperfecto & inordinato dubitant.Nec hic mediocris difficultas quæstionum de præcedente & sequente affinitate, & quousque se proferat ius affinitatis,& quid agat,an dirimat contractũ & contrahendum: & an possit relaxari.Non est autem hoc impedimentum commenticium, sed petitur è iure Cæsareo, atq; etiam Leuit.18.Illic enim prohiberis ducere nouercam tuam, item filiam nouercæ tuæ:nurum tuam,hoc est,uxorem filij tui,quod haud scio an accipiendum sit de uxore a filio uiuo dimissa: Vxorem fratris tui,fortasis uiuo fratre:nam mortuo fratre sine liberis,iubetur frater superstes suscitare posteritatem fratri defuncto.Et Herodes à Ioanne reprehenditur,qui fratris uxorem duxerat uiuo fratre: Item, filiam uxoris tuæ ex alio uiro susceptam, aut uxoris filij filiæue filiam.Item sororem uxoris uetaris in pellicem habere, quanquam Iacob duas sorores matrimonio sibi iunctas habuit. Hic in prohibitione matrimonij fere consensus est legibus prophanis cum sacris constitutionibus, nisi quod,ut dixi,iuxta placita Pontificum,ex quocunq; coitu nascitur affinitas,siue licito siue illicito. Affinitatis autem cognomina sunt hæc:Socer socrus,gener nurus, uitricus aut nouerca, priuignus priuigna. Sponsus autem ita loqui poterit: Socer est uxoris meæ pater,& ego illius gener:socer magnus,uxoris meæ auus,ego illius sum progener. Et è conuerso, pater meus,uxoris meæ socer est,hæc illi nurus.Et auus meus, socer magnus est uxori meæ siue prosocer,illa illi pronurus.Item prosocrus mihi,uxoris meę auia est,& ego illius progener:& retro mater mea uxoris meæ socrus est, illa huic nurus:& auia mea socrus magna est,& uxor illi pronurus.Priuignus autem meus est uxoris meæ filius ex alio uiro natus,ego illi uitricus: & contra uxor mea liberis meis aliunde susceptis,nouerca dicitur, liberi mei illi priuigni sunt.Frater meus leuir est uxori meæ, soror mea glos. Duorum fratrum uxores Græcis inter se ἐνατέρες uocantur. Sororis meæ maritus non habet speciale nomen quo illum appellem, quemadmodum nec uxoris frater. Hos igitur omnes quoniam affinitatis causa inter se parentum loco liberorumq́ue habentur, matrimonio copulari nefas est.Quoties inter cognatos accidit affinitas per carnalem copulam uiri & mulieris,inter consanguineos mulieris & uirum,item inter consanguineos uiri & mulierem contrahitur affinitas eiusdem gradus,cuius est consanguinitas.Præterea,quoties inter unam personarum de quibus quæritur, & coniugem alterius non est, uel non fuit consanguinitas intra quartum gradum,nulla est prohibitio. Ergo quæcunq; uxori meæ consanguinea est usq; ad quartum gradum, mihi eodem gradu est affinis,& contrà. Non possum igitur uxorem ducere,matrem,sororem,auiam,proauiam,abauiam,atauiam,materteram, amitam, materteram magnam, amitam magnam, promaterteram, proami-

10

Affinitatis cognomina.

tam uxoris meę: nec earum filias uel neptes usq; ad quartum gradum: nec aliquam ex his quas supra affinitatis appellatione contineri diximus. Olim decreta Pontificum ponebāt tria genera affinitatis, quia persona addita personæ per carnis copulam mutabat genus, sed non mutabat gradum. Verum ex his tribus secundum ac tertium sublatum est, eoq; non prohibeor in uxorem ducere uxorem sororij mei, quam post sororis meæ mortē duxerat, quod olim non licuisset, quia coisset matrimonium in primo genere affinitatis in secundo gradu. Affinitas primi generis, quemadmodum sanguinis propinquitas quarti & citerioris gradus, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum.

11 Vndecimum impedimentū dicitur publica honestas, quod potissimum inductum est à Pontificibus ad imitationem affinitatis, quemadmodum spiritualis cognatio imaginatur propinquitatem sanguinis, eoq; dirimit matrimonium usq; ad quartum gradū, quemadmodum affinitas. Tantumq; tribuitur huic impedimento, ut monachus etiam dicatur habere consensum ad contrahendum, & ex hoc contractu nascitur publica honestas, dirimens matrimonium iuxta quorundam opinionem, quæ quidem originem ducit ex sponsalibus puris ac certis quæ contracta sunt, siue per uerba præsentis temporis, siue futuri, matrimonio nondum consummato. Tum enim nascitur impedimentum inter sponsum & cōsanguineos sponsę. Item inter consanguineos sponsi & sponsam. Sed hinc nonnihil relaxatum est, uidelicet hoc genus honestatis, quod nascebatur ex secundis nuptijs. Vxor Caij defuncti nupsit alteri uiro, unde gignit liberos, talis proles cum nullo consanguineo Caij poterat contrahere, nunc licet. Dirimit autem honestas hæc sequentia sponsalia ac matrimonia, non præterita. Inter minores septem annis contracta sponsalia non

12 gignunt potestatem publicam. Duodecimum est consuetudo siue constitutio.

13 Decimum tertium impedimentum est crimen admissum, & hic multa opinionum ua-

14 rietas. Decimumquartum est dispar cultus, hoc est diuersa religio, ueluti si Christiana nubat Ethnico aut Iudæo. Ac Paulus quidem non uult uxorem ab Ethnico discedere, nisi ille recuset conuictum: cæterum non permittit mulieri liberæ, iamq; Christum professæ nubere, nisi in domino, hoc est, suæ religionis uiro. Vnde miror hoc à quibusdam horum temporum scriptoribus tradi, fas esse cum Iudæo, cum Ethnico iungere matrimonium. Si satis est esse marem & fœminā, etiam frater & soror mas sunt & fœmina: quod si pro-

15 hibitio diuinæ legis mouet, tale matrimonium uetuit Paulus. Decimoquinto loco metus obstat matrimonio, quandoquidem consensus, si liber non sit, non est consensus, adeo

16 ut nihilo firmius sit, etiam si iusiurandū interuenerit. Decimumsextum est præcedens obligatio. Et pronunciantur pura sponsalia nullius esse ponderis, si quis cum alia uerbis efficacibus contraxerit matrimonium. Eadem est ratio si præcesserit consensus per uerba futuri temporis, quamuis intercessisset iusiurādum. Hic oritur quæstio, an quēadmodum mortuo marito liberat̄ uxor, ita liberet̄ diutina mariti absentia sine spe reditus, aut morte

17 certo nunciata. Decimumseptimū est inhabilitas corporū ad usum matrimonij, nisi uitiū accidat post uxorem cognitam: quod si sit ex habitu perpetuo corporum, dirimit matrimonium, aut si ex proportione organorum genitalium. Temporarijs enim affectionibus succurri potest. Nam medicus corrigere potest aliquod corporis uitium, & ætas accedens augit corporis modum. Superest priuatio, ubi quis caret his sensibus, sine quibus nec intelligi potest quid sit matrimonium, nec declarari consensus animorum, ueluti qui idem cæcus sit surdus & mutus. Hæc eo commemoraui, quo sub oculos ponerem quanta sit difficultas, quantumq; periculum in contrahendo matrimonio, quod tamen semel utcunq; contractum rescindi non potest iuxta uigorem Euangelici præscripti. Multum difficultatis habet ipsa rei natura, nonnihil addidit Euangelica pręscriptio, diuortij Iudaici licentiā maritis adimens: sed multo maximam partem Pontificum constitutiones: nec minimam hominum circa casus uariantes sententiæ: deniq; non mediocrem hominum malicia, bonis legibus abutens ad male agendū. In alijs itaq; contractibus, ubi supremum periculum est, rei pecuniariæ iactura, quanto studio uitant captionem? & in hoc contractu multo omnium difficillimo, unde pendet totius uitæ felicitas, magna etiam ex parte salus animi, nulla adhibetur cautio, sed pleriq; sese dant præcipites uelut in foueā, unde nullus datur exitus. Hinc nimirum illæ quæ passim audiuntur infeliciter iunctorum querimoniæ. Verum hic, si usq; aliâs, adhibenbum erat illud πεῦδε βραδέως, &, κατὰ ποδὸς βάσιν.

Vide-

Videmus enim illos qui scalis paulatim descendunt in puteum quamuis profundum, citra læsionem id facere, quum ij qui in puteum incidunt minus altum, grauiter offendantur, sæpe rupto membro, nonnunqꝫ & fracta ceruice. Rupto aut luxato membro succurrit chirurgus, matrimonij pedicis infeliciter illigato nullus inuenitur medicus. Et arbitror corporis mortem leuius esse malum infelici coniugio. Viui enim suos patiuntur manes, & ad æternos præludunt eiulatus. Empturus equum, circumspectas nunquid appareat uitij, & stipularis redibitionem, si quid habeat uitij latentis: percontaris qui sit eius locimos aut ius in hoc negotio: nec satis fidens oculis tuis, adhibes alium te peritiorem: & inter pueros ac teneras uirgines tribus uerbis in complexu dictis coit matrimonium. Mercaturus domum aut fundum exploras ac percontaris omnia, num ius habeat trandendi qui uendit, num quam res habeat seruitutem, num grauata sit censu: conficiuntur tabulæ, adhibentur testes, & stipulatio: & unde in matrimonio contrahendo tanta temeritas, tantaqꝫ socordia? Quotusquisqꝫ est, non dico iuuenum aut uirginum, sed senum etiam, qui norit, uerba futuri temporis uerti in præsens tempus, si successerit congressus? Quotusquisqꝫ nouit pro digamo haberi, qui puellam, quam pro uirgine duxit, post comperit fuisse uitiatam? Quotusquisque est, qui sciat cognationem suam quaqua uersum usque ad quartum gradum supputare? Imò quotusquisqꝫ est, qui norit omnes cognatos & cognatas suas? De cognatione spirituali multo pauciores cogitant, quẽadmodum & affinitatis iura plerisque sunt ignota. Atqui hæc erant discenda priusqꝫ ineas matrimonium. Alioqui nimio constabit tibi frequenter unius constitutionis peritia, si tuo periculo didiceris. Post contractum matrimonium curritur ad iureconsultos, uexantur quæstiunculis Theologi: quanto satius erat istud antecꝫ contraheres facere? Nunc heu sero sapiũt Phryges. Sic leo casibus irretitus dicit, si præscissem. Atqꝫ hic nõ solũ turpe est, uerumetiã infelix dicere, non putarã: nec enim ulla uenia datur primæ experiẽtiæ. Proinde sunt qui Pontificiarũ legum autoritatẽ conantur subuertere, quo suã excusent temeritatẽ. Atqui quod publica sancitũ est autoritate, id priuata temeritate rescindere, tum seditiosum est, tum etiam impiũ: adeo ut si quid etiã parum circunspecte statuerit hic aut ille Episcopus, uel quia parum fuit attentus, uel quia perperã edoctus, uel quia priuato quopiã affectu corruptus, modestiæ Christianæ, quæ quantũ licet satisfacere cupit omnibus, sit ferre ac mussare, nisi patiẽtia secũ trahat impietatẽ. Quãto minus illa nõ oportet spernere quæ synodis uniuersalib. rite cõgregatis decreta sunt, præsertim si accesserit populi Christiani comprobatio? Quanq̃ aũt decreta corrigũtur per Decretales: et Decretalis pugnat interdũ cũ Decretali, quæ ferè sunt rescripta Pontificũ, tamẽ usus gentiũ cõsensus multũ his adiũgit autoritatis. Et inter humanas opiniones quũ inter se pugnãt, adhærendũ est illi, quæ uidet omniũ tutissima. Nam id curandũ homini uere Christiano, qui cupit undiqꝫ tranquillũ coniugium, ut impleat omnẽ iustitiã, primũ deo satisfaciens, deinde etiã hominib. quantũ licet omnibus. Qui nimiũ festinant in initio, ferè serius perueniũt ad finẽ destinatũ: hic qui plus satis festinãt in principio, nunqꝫ assequũtur quod affectabãt. Quisquis eñ destinauit coniugiũ, hoc spectat, ut habeat qui cum sancte tranquilleqꝫ degat ætatẽ cum bona fama. At præpostera res est amor ac temeritas, breuisqꝫ uoluptatis lenocinio pertrahũt hominem in perpetuos et inexplicabiles angores. Contrà ratio in consiliũ adhibita, nõ quod dulcissimum, sed quod optimũ est eligit, id etiã iucundissimũ reddit assuetudo. Quum aũt fons ueræ tranquillitatis ac iucunditatis sit bona conscientia: quę potest illic esse uera uoluptas, ubi fons est uitiatus? In certis casibus nec Pontificis autoritas potest tibi mederi, et tamen relaxationes eiusmodi ferè non carent scrupulo, dum aut omissum est aliquid, aut aliter positum q̃ oportuit, aut secus impetratum quàm decuit. Tutius est itaqꝫ iuxta Comici dictum, non admittere morbum, qꝫ admisso quærere remediũ. Postremo ut Romanus pontifex tranquillet tuam conscientiam, linguas hominum non habet in manu sua. Proinde ueterum prudentia, quo magis excluderet omnem captionem, præmittere solet nuptijs sponsalia, quæ parentum autoritate inter impuberes contrahebantur, sed non minores annis septẽ, quod hæc ætas tametsi nondũ ualet iudicio, tamen habet aliquam rerũ cognitionem, maximeqꝫ docilis est eorum quæ traduntur. Non absoluuntur autẽ nisi post adolescentis annum decimumquartum, puellæ duodecimũ, quod hæc ætas in genere pubertatem adferat, licet apud nationes aliquas serius contingat pubertas, nec eodem anno

Simile

συγγνώμη πρωτοπείρῳ

Dispensatio

pubescant omnes licet eiusdem regionis. In causa est corporum diuersus habitus, uel educatio syncerior aut corruptior. Verum hac ratione princeps consultum esse uoluit pudori, ac reuerentiæ uel ætatis uel sexus, quum antea pubertas, corporum inspectione solita sit explorari. Multum igitur moræ intercessit olim inter sponsalia & nuptias, ne possit ignotus in ignotam incidere, quod si tot annos perseuerasset adolescentium cõsensus, bonam spem concipiebant parentes, firmas & auspicatas fore nuptias. Nunc tametsi lex Christiana non exigit sponsaliorum moras, & ratũ iubet haberi matrimoniũ, quod inter puberes cõtractum est per uerba præsentis temporis, aut etiam scriptis aut nutibus, idem declarantibus quod uerba prolata, tamen approbat parentum diligentiam, qui non subito prosiliunt ad nuptias, sed sponsalibus sic excludunt captionem, ut tamẽ irrita sint per maiores ac tutores acta, nisi liberorum aut pupillorum consensus accesserit. Igitur si respicias illorum temporum statum, quo feruebat inter Christianos castimoniæ studium, nec adhuc exuberabat malicia, refrigerata charitate, dices Pontificum de matrimonio cõstitutiones recte pieq; proditas. Sin cõtempleris horum temporum mores, si reputes, tot hominum milia per orbem Christianum illaqueari cõiugiorum pedicis, fortasis optabit omnibus bene uolens charitas, ut ecclesiæ matris indulgentia, quæ semper uigilat ad ædificationem suorum non ad destructionem, quædam relaxet, quædam aliter explicet, nõ aliter q̃ docti fidiq; medici sua remedia pro regionum, temporũ, ac personarum qualitate moderantur. Corporum remedia sunt pharmaca, medici Hippocratis discipuli: morum pharmaca sunt cõstitutiones: medici pontifices, Christi successores. Si decretales corrigunt superiorum decreta quædam, si decretalis corrigit decretalem, si Romanus pontifex in pluribus personis relaxat suæ constitutionis rigorem, si in constitutionis interpretatione dissidet Theologus à iureconsulto, Theologus à Theologo, iureconsultus à iureconsulto, arbitror & Ecclesiam posse pro commodo gregis nouare leges quas statuit, & interpretari quod cõtrouersum est. Qua de re nõnulla proponemus. Cæterũ quoniã hisce turbulentissimis temporibus sunt, qui pontificũ & episcoporum constitutionibus omnem derogant autoritatem, rursum è diuerso qui eas æquant ac propemodum anteponũt Euangelio, illud mihi præfandum est, me, dum hæc in medium confero, nec contemptoribus uelle patrocinari, nec Ecclesiæ proceribus uelle præire, nec aliud omnino conari, q̃ si quâ fieri possit, ut infelicium conscientiarum tranquillitati consulatur, idq; ex autoritate præsulũ, quorum uigilantiæ commissus est grex dominicus. Proinde quicquid hic dicturus sum, non aliter accipi uelim, q̃ si in concilio, in quo tractaretur hæc causa, quilibet è turba considentiũ sedulo suam adferret sententiam, meliori cessurã, aut irridendã etiam, si mereatur. In primis mihi uidetur multo minus perplexum fore matrimonij negocium, si quæ de cognatione spirituali cõstituta sunt, exhortationis uim habeant, nõ præcepti, sic ut laudetur illorum pietas, qui hoc reuerentiæ deferunt his, quibuscum spiritualis contracta est propinquitas. Cæterũ nihil obstet imaginatio cognationis matrimonio quod deus instituit, Christus approbauit. Nam rationes quas hic adferunt uel iureconsulti uel theologi, tametsi piæ uidentur, tamen non habent tantum momenti, ut necesse sit ob eas dirimere matrimonium, rite contractum: alioqui prodita fuisset hęc constitutio mox à temporibus apostolorum, quibus maxime flagrabat castimoniæ studium. Nunc uidemus à recentioribus additam. Nec semper efficax est argumentatio, quæ per maius, minus, & parconfert similitudinẽ. Cognatio carnalis dirimit matrimoniũ, multo magis spiritualis. Nõ enim cõsequitur: Cognatio carnalis facit hęredẽ, multo magis igitur cognatio spiritualis. Et põtifex non potest cõcedere ut quis ducat sororẽ suã, igitur nõ potest concedere, ut aliquis puellam ducat uxorẽ, quã pater aut mater suscepit in baptismo. Itẽ cognatio carnalis se quaqua uersum spargit usq; ad quintum gradũ, impediens matrimonium, igitur idem faciet cognatio spiritualis, quod secus habet. Rursus in generatione carnali nullus habet præter duos parentes, matrem & fœminam: igitur in regeneratione spirituali non deberent adhiberi plures. Nunc licet adesse quod uelis, & tamen omnes obligat cognationis imaginatio. Deinde si tantum tribuimus fictioni propinquitatis, rectius congruit euangelistæ quàm baptistæ. Non enim proprie generat qui baptizat, sed qui docet. Paulus enim ita scribit ijs quos non baptizarat, sed quibus prædicarat euangeliũ: Filioli mei quos iterũ parturio, donec formetur Christus in uobis. Atq; iterũ: Nam in Christo Iesu

Spiritualis cognatio.

1. Cor. 4

per

per Euāgelium ego uos genui. Et Onesimū appellat filiū, quē in uinculis genuerat. utiq; doctrina. Nam olim apostolorū ministri plerunq; baptizabāt. Sermo dei semen est quo renascitur homo. Nascitur igitur spiritualis cognatio inter omnes qui eundē audiunt Euangelistam, inter discipulum & præceptorē, inter maritum & uxorē à marito conuersam. Iam qui dicuntur Catechistæ, mea sententia iustius deberēt appellari patres q̄ susceptores, si modo uere sunt quod dicuntur: & tamē his propemodū licebat ducere catechumenam, nisi Bonifacius octauus interpretatus fuisset fieri, quod uix fit: quanq̄ qui dicit, uix credo, significat se non credere: ita quod uix impedit, interpretari poterat in fauorē matrimonij, catechismum non esse sufficiens impedimētum matrimonij. Nunc aūt ubi adsunt catechistæ, quum infantes accipiunt baptismum? Susceptores quos leuantes appellāt, uidentur in fideiussorum locū succesisse, aut in utrunq; : respondet pro infante, Credo. Id ita habere satis declarat S. Dionysius in Hierarchia ecclesiastica. Quanq̄ quid nunc faciunt in baptismo susceptores, nisi quod uetustę consuetudinis simulacrum referunt? Spondent in posterum. Quid opus sponsorib. quum parentes & sacerdotes hoc præstare cogantur ex professione? Quum igitur id quod nunc agitur, nihil aliud sit q̄ priscæ consuetudinis uestigium, non uideo grauē causam, quur contrahentium conscientiæ tot laqueis impediantur. Grauissimum aūt sit oportet quod dirimat matrimonium cōtractum inter quos oportet, & quibus modis oportet: præsertim quum dominus dicat: Quod deus cōiunxit, homo ne separet. Audio: Pontifex reddit personas inhabiles, nec deus coniunxit eos, qui contra constitutionē Ecclesiæ contraxerunt matrimonium, & expedit dispensare causas dilatandæ inter Christianos amicitiæ. Has equidē rationes nō improbo: sed uereor ne uigorē diuinæ legis opprimāt, si incidant in impios ecclesiæ pastores. Verū interim hoc mihi sufficit, quod humana constitutū est autoritate, per eandē posse mutari pro commodo reip. Christianæ. Deniq; si plus ualet cognatio spiritualis quàm carnalis, in quibus gradibus non relaxat propinquitatis legē pontifex, nec hic debebat relaxare. Quod si minus ualet q̄ illa, dilutum est argumētum, quod nobis non hic tantum occinitur. Minor autē cognationis ratio uidetur in unctione frontis. In baptismo renascimur, in confirmatione uelut aduersus hostē pugnaturi donatiuum accipimus. Hic nulla generationis imaginatio. Hæc disserens non labefacto constitutionē, sed doctorū rationes examino, num ad tantā rem irritandā satis habeāt momēti. Et reddunt quidē rationes, cur ex cæteris sacramentis nō nascatur cognatio spiritualis, sed quas probabiles possis dicere, necessarias nō item. Idē sentio de publica honestate, quæ nascitur ex imaginatione affinitatis. Quū enim matrimoniū sit iuris diuini, nō uideo quur ob scandalū, ex affinitatis fictione natū, oporteat impediri. Similis est ratio interdicti et feriarum, quū hęc pendeāt ex hominū uoluntate, possunt ex hominū uolūtate mutari, si publica suadeat utilitas. Quanq̄ interdicti casus nō ita frequēter incidit: ex dieb. nefastis contractū matrimoniū hodie ualet, tantū celebritas prohibetur. Iam in adoptione duplex est imaginatio, cognationis & affinitatis, uelut inter adoptatū & adoptantē matrē. Similiter inter adoptatū & adoptātis filiū naturalē est imaginatio cognationis. Rursus inter patrē adoptantē, et uxorē filij adoptati, uel cōtra: cui tantū tribuūt ieges Cæsareę, ut in prima & ultima specie etiā soluta adoptione, maneat prohibitio cōtrahendi matrimonij. Pro causa adferūt reuerentiā ex adoptione cōtractam. Cęterū ubi in fictione propinquitatis à latere, soluta adoptione reddit ius cōtrahendi. Hic quoq; multa sunt, quæ pontificū indulgētia citra pietatis iacturā possent relaxari. Etenim si matrimonium est sacramētum Ecclesiæ, idq; coit per uerba præsentia declarātū, uidendū est an principi liceat ob imaginariā cognationē affinitatēue, aut reuerentiam imaginariā quod contractū est dirimere. Cui debemus plus reuerētiæ q̄ præceptorib. & tamē hæc reuerētia nō impedit matrimoniū. Senectuti puerilia debet reuerentiā ex præcepto diuino, iuxta illud Leuit. 10. Corā cano capite cōsurge, & honora personā senis, & time dominū deum tuū. Inter senē & puerū imaginatio est parentis & filij, & tamē recipit Ecclesia matrimonia inter septuagenarium & puellam uix puberem contracta, non obstante scandalo, quod auus uideatur neptē suam ducere, aut puella patri-seni nubere. Multo uero minus erit pedicarum in contrahendis matrimonijs, si prohibitio contrahendi consistat intra eos limites, quos dominus præscripsit Leuit. 18. siue inter cognatos, siue inter affines. Si quis dicat: Iudicialia sunt, non habēt robur nisi ex approbatione Ecclesiæ:

mihi

mihi uidentur magna ex parte esse moralia. Nam naturæ sensus defert reuerentiã perso-
nis, cum quibus illic prohibemur cõtrahere matrimonium. Porrò quod adferũt quidam,
ideo pontificem in matrimonio posse materiam reddere inhabilem, quũ in alijs sacramen
tis non possit, quod matrimonium contractus sit, & contractus subesse legibus humanis.
Est quidem contractus matrimonium, sed sacramentalis: qui si rite coeat iuxta præscri-
pta legis diuinæ, quid est necesse inducere inhabilitationẽ? Non dico quod Ecclesia non
potuerit cõtrahere ius iungendi matrimonij, aut quod perperã contraxerit: sed propono
dispiciendum, an his temporibus expediat illaqueatis hominũ conscientijs hac indulgen
tia succurrere, quæ quondam astringendo fauit & indulsit affectui populi ultro festinãtis
ad occasiones castimoniæ, & beneuolentiæ mutuæ. Reddit & illud inuolutiorem matri-
monij causam, quod affinitas quemadmodum & cognatio, ex quocunq; coitu nascitur,
quum ex furtiuis congressibus plurimæ lateãt cognationes & affinitates. Simplicius est
quod ius ciuile nõ agnoscit affinitatẽ, nisi ex legitimis nuptijs natã. Odiosa est diremptio
coniunctionis, iuxta præscriptũ diuinæ legis initæ. Porrò cognationis & affinitatis reue-
rentia, si libet ultra legis à deo traditę pręscriptũ proferre, sit illi sane sua laus, sed incolumi
legis diuinæ uigore: intra quẽ si cõsisteremus, nõ esset quod interdictũ aut cõstitutio con-
suetudóue loci dirimeret matrimoniũ. Multũ igitur laqueorũ decederet matrimonio, si
tolleret illa distinctio, impedit contrahendũ, sed nõ dirimit cõtractũ. Quod em contractũ
dirimi nõ debet, quid opus uetare ne coeat? Et si tantũ ualet prohibitio, ut personas red-
dat inhabiles cõiugio, dirimat & contractũ. Nunc ordo etiã hypodiaconi si præcedat, di-
rimit matrimoniũ etiã contractũ: si sequatur, neq; dirimit, neq; nõ dirimit, sed manet dimi
diatũ cõiugium, sic ut ille nõ habeat uxorẽ, illa nec cœlebs sit nec nupta: sed citra suã culpã
irretita est infamib. & infelicib. nuptijs. Si cœlibatus natura cohæret cũ sacerdotio ac cæ-
teris ordinibus, simplex erat aut dirimere contractũ matrimoniũ, alteri reddita sua liberta
te: aut detrahere sacrum ordinem, quẽadmodum olim ex sacerdotibus fiebãt laici: & ad-
huc fiunt apud Græcos, ut audio, ob crimen admissum. Quod si Romanus pontifex po-
test inhabiles reddere personas, ne per consensum coeat matrimonium, iuxta rationẽ præ
dictam, potest itidem & inhabiles reddere ad accipiendũ characterem ordinis, qui ut im-
pressus deleri nõ possit, certe uidetur obstari posse ne imprimatur. Deinde sicut irritũ ha-
betur matrimoniũ secundũ, eo quod qui semel contraxit, non habet liberũ consensum: ita
qui ducta semel uxore sibi ius ademit iterum contrahendi, nihil agere uidetur si consecre-
tur. Hæc argumentandi tantum causa dicta sunto. Nunc in quem usum datur cõsensus sa
cerdoti & monacho, quibus exercendi coniugij ius ademptũ est, & hic consensus qui nul
li est utilis, propter honestatem publicam censetur officere connubijs alienis. Hæc & ciui
lium legum seueritas, ceu Tenedia bipennis, aliquã difficultatis partem dissecare poterit,
sublato è medio qui in ludificationẽ matrimonij simul & ecclesię, post ductã uxorẽ initi-
atur sacerdotio, iniurius in mulierculã, cõtumeliosus & impius in Ecclesiã, unde dolo ma
lo sacrilegij suffuratur ordinis sacramentũ. Simplex furtũ luitur pœna capitis, atqui hoc
crimẽ quouis furto grauius est. Prætexitur hic fauor ordinis, sed tacetur iniuria matrimo-
nij. Quanctę qualis est ille fauor ordinis, si rima detur irrepẽdi dolo malo? Est & altera di-
stinctio, quæ sublata uehemẽter explicaret nodos coniugiorũ. Professio uitæ monasticæ
dirimit ratũ matrimoniũ, at consummatũ nequactę. Statuere posset Ecclesia iuxta præscri
ptũ Euangelicũ, ne qua res dirimat matrimoniũ, siue ratum siue consummatum, nisi sola
mors & adulterium. Si diuini iuris est matrimonium, & coit per consensum uerbis præ-
sentibus expressum, quomodo dirimitur humana distinctione duarum uocum, rati &
consummati, uoti simplicis & solẽnis? Si in gradibus cognationis põtifices inhabiles red
dunt personas, possunt & eos qui ducunt uxores, inhabiles reddere, ne uoto sint habiles
citra consensum coniugis. Quanctę is consensus probandus erat per episcopos, ac graua-
te suscipiendus, in ætate præsertim suspecta, quod experientia doceat raro bene cedere ta
lia diuortia. Hic prętexitur fauor religionis, cui merito fauebat olim Ecclesia, eo quod au
lis ac popularibus in paganismum pene relabentibus, quantum ad uitam attinebat, in
monachis ac uirginibus uideretur adhuc superstes Euangelicæ professionis uigor: quod
utinam & hodie possimus gloriari. Verum id temporis quum maxime promereretur fa-
uorem monachorum pietas, nusquam tamẽ legimus illi sic indultum, ut quisquam inuita

ac de-

ac deserta uxore proriperet sese in monachorum contubernium. Cauetur ne per monasti cæ uitæ professionẽ fiat iniuria creditoribus, quum sanctius sit coniugis debitum q̃ ullus contractus. Si monachus reuocatur ad uxorem, nulli fit iniuria: si manet, fit iniuria puellæ, ob causas quas ante retulimus. Hanc materiam non ingrediar altius, ne lectorem plus satis remorer: tantum ostendo quid possit Ecclesia, & quid horum temporum status postulet. Quod superest, eorum arbitrio defero, qui clauo nauis Ecclesiasticæ assident. Iam quoniam ex uotis perplexæ dubitationes oriuntur plurimæ, profuerit admonuisse Christianos omnes, ut à uotis non necessarijs, aut etiam inutilibus abstineant. Si cui cordi est Hierosolymam aut Compostellam uisere, morẽ gerat animo suo, uotum interponere nõ est necesse. Et si quod intercesit, semper ei quod est ad salutem & ad Christi doctrinam propinquius, cedat id quod longius abest. Qua de re si dubitas, episcopum, parochum, aut alioqui grauem doctumq; uirum consulas licebit: si nõ dubitas, sequere iudicium animi tui, tantum ut syncera sit conscientia. Oportet enim uota Christianorum plurimũ abesse à uotis paganorum, qui decimam bonorũ pollicebantur Herculi, quo felicius cresceret res familiaris: Lenones aliquid uouebãt Veneri, quo quæstus esset uberior, aliaq; id genus innumera. Ne Ieptæ quidẽ uotũ in exẽplum trahendũ est. Cætera Iudæorũ uota aut ad figuras legis pertinebant, aut erant facilia præstatu, aut redimi poterant. Cæterũ oportet omne uotũ esse maturũ, ac liberũ. Qualia sunt igitur uota quæ in morbo, nauigatione, aut bello metus mortis extorquet, aut alia quæpiam affectio mẽtis, tendens ad insaniam? Ad hæc uotũ hominis Christiani nõ aliũ scopũ habere debet q̃ salutẽ æternã. Quod si palam est, uotũ minus cõducere ad scopũ, q̃ quod uotũ nõ est: id quod minus cõducit ad salutẽ, uidetur debere cedere cõducibiliori. Hæc de uotis uulgaribus, quæ mea sentẽtia, nõ suscipere tutissimũ est, aut temere suscepta pro nullis haberi. Hanc opinionẽ nõ alia cõditione meã haberi uelim, q̃ si cõprobabit Ecclesia, cui constat in manu esse quod proponimus, si uelit. Iam de uoto cõtinentiæ nõ simplex est quæstio. Quidã em negãt monachum uiolare uotũ, si scortetur, nisi duxerit uxorẽ, quod uotũ sit abdicatio rei prius licitæ. Neq; em uotũ dici possit, si quis uoueat se nunq; fore lenonẽ. Sed omissis ijs quæ non admodũ faciũt ad id quod agimus, plurimũ cõducet ad expediendã matrimonij causam, si statuerit Ecclesia, uotũ castitatis irritũ esse, nisi cũ autoritate prẽsulis suscipiatur, quẽ oportet & in hac re esse difficillimũ: deinde inter uotum simplex et solenne nõ esse tantũ discrimẽ, ut alterum si præcedat, faciat dimidiatum coniugium: alterum etiam si sequatur, soluat ratum matrimonium, sed utrunq; pari pœna dignum esse, qui cum uxoris iniuria uel suscepit ordinem, uel uitã monasticam profiteatur, maiusq; scandalum censeatur si maritus fiat sacerdos aut monachus, q̃ si redeat ad uxorem, cui debet perpetuam uitæ cõsuetudinem, nisi mulieris liber ac maturus assensus intercedat. Paulus genuerat Onesimũ in uinculis: Nullum poterat esse uotũ sanctius. Inseruiebat apostolo Paulo propter Euãgelium uincto. Nullum officium religiosius, & tamẽ remittit illum hero suo Philemoni. Et impium sit si sponsa remittatur marito? Durius enim est, si uxor uoueat inuito marito, q̃ si contra. Penes uirũ enim manet autoritas. Iam hoc etiam durius apparet, si contempleris quæ sit nunc disciplina in plerisq; monasterijs tum uirorum tum uirginum, quantaq; paucitas eorum in quibus uere monastice uiuitur. Ad Euãgelij professionem semper licuit inuitis parentibus ac maritis cõuolare. Licebat idem seruis. Nec tamẽ apostolus permittit seruo Christiano, ut herum ethnicum relinquat: nec uxori Christianæ, ut idololatrã maritũ deserat: & impium nobis uideatur, si monachus aut sacerdos iubeatur redire ad uxorẽ Christianam? Audio quosdam ita loqui: Nec parentũ nec maritorũ autoritas obsistere potest ei, qui afflatu sancti spiritus totum se dedicat deo. Quid igitur in baptismo est actum? an dimidium hominis dedicatum est deo, dimidium diabolo? Vtinam autẽ omnes qui profitentur institutum monachorum, afflentur diuino spiritu. Nullus deberet obsistere, etiãsi se præcipitarent in flumen. Atqui palam est quod multos afflat spiritus stulticiæ, temeritatis, phreneseos, ambitionis, auaricię, ocij, libidinis & luxus. Certe eos qui clam, aut inuitis, parentibus, quib. lex diuina iubet obediri, dedũt sese in uitæ genus, unde non queãt semet in posterum extricare, uerisimilius est malo afflari spiritu, qui quum habeant probos pioscp parẽtes, tamen illis reclamantib. profugiunt ad monachos. Decreta Pontificũ ius faciũt parẽti retrahẽdi filium è monasterio minorẽ annis duodecim. Recte quidẽ hoc olim,

olim,at nunc,ut opinor,expediret idem ius parentibus prorogari usq; ad annum uigesi/
mumquintum.Essent fortasse pauciores monachi,sed puriores.Olim filio, qui erat in po
testate patris,non erat liberum baptizari furtim, si parentum assensum impetrare licuis/
set:nec baptismus liberabat illum ab obsequijs patri debitis,nisi uocassent ad manifestam
impietatem:& fortasse debebat filius adferri patri,sacrificaturo Ioui,thus,si iussisset,ipse
sacrificare iussus non debebat.Coniunctius autem matrimonij uinculum deus esse uolu/
it quàm patris & filij:Propter hoc,inquiens,relinquet homo patrem & matrem & adhæ
rebit uxori suæ.Non igitur arbitror pugnaturũ cum pietate,si statuat Ecclesia, ne uotum
solenne spoliet maritum sponsa sua.Habet maritus cui obediat,etiam cui debeat obedien
tiam:paupertatẽ ipse sibi conflabit,si quæ possidet eroget pauperibus,et quod habet,non
ut proprium habeat,sed ut commune.Continentiæ dimidium,fateor,tantũ habet in ma/
nu sua,sed hic calculus multis alijs bonis operibus pensari poterit,uisendis ægrotis,suble
uandis pauperibus,erogandis eleemosynis,audiendis concionibus,eruditẽdis liberis,gu/
bernanda familia,parando manibus quod det egentibus:à quibus officijs,nũc ferè seclu/
duntur monachi,monachæq;,qui maxime prædicantur sanctitatis nomine,quum tamen
hæc in primis Hieronymus,Ambrosius & Cyprianus præscribant uirginibus deo dica/
tis.Hæc non eò spectant,ut monachos æquem cõiugatis in uniuersum,sed declarare uo/
lui,incolumi religione statui posse, quod coniugio sit accommodatius, cuius negocium
agimus in præsentia.Iam criminis multa genera commemorantur, & rursus ex his multa
quæstionum examina. Res fuerit expeditior, si leuiora crimina iubeantur ferri, ueluti si
quis ante matrimonium habuisset stupri commercium cum ea,quam ducit uxorem. Sin
crimen sit enorme,aut lex ciuilis capitis pœna liberet alterum coniugum, aut is liberetur
in totum à matrimonio,qui uacat crimine:& pro mortuo habeatur,qui mortem meruit,
nisi recusat etiam innoxius à noxia distrahi.Nam æquum est eos non diuidi, qui crimi/nis
societati iuncti sunt,uelut in adulterio:quod nunc pro ludo ducitur, quum nulli facinori
pœna seuerior apud priscos fuerit præscripta. Furem nocturnum, & alienæ domus per/
fossorem,non erat fas occidere,nisi cum ferro deprehẽsum.Breuiter in nullo facinore lex
homini priuato porrigebat gladium,nisi quum esset propulsanda uis, aut quum maritus
adulterum in adultera deprehendisset:ne id quidem impune, nisi corpus utrunq; perime
ret.Et tamen peracto facinore periclitabatur apud iudices,homicidij damnandus, ni do/
cuisset testibus & argumentis,se corpus utrunq; in ipso congressu deprehensum occidis/
se.Dabatur hoc dolori maritali,sed non sine discrimine.Lex Mosi tradit adulteram depre
hensam lapidandã populo.Quin & apud Græcos & Romanos capitale crimen erat ad/
ulterium.Equidem haud improbarim Ecclesiæ mansuetudinem,quæ mauult pœnitenti/
am malefici q̃ mortem. Cæterum ciuilium legum uidetur hic præposterа clemẽtia,quæ
simplicem furem,etiam πρωτόπειρον suffigunt in crucem:& hominem multis adulterijs
inquinatum,nulla pœna dignum existimant. Indicebatur quidem olim maleficis ab Ec/
clesiæ pastoribus satisfactio,& in gratiam Ecclesiæ principes frequenter conniuebant ad
quædam facinora:nunquam tamen Ecclesiæ pœna,quantumuis austera, gladium excu/
tiebat potestati ciuili. Animæ medetur Ecclesia,corpora nocentiũ debentur legibus,quæ
si parcunt adultero,nec uxor animum inducere potest ut cum eo uiuat,non absurdum ui
deatur,pro mortuo haberi qui morte dignus est, itaq; liberetur innoxia. Et tamen uideo
ueteres grauissimis causis adductos,ut has quas nunc habemus constitutiones de matri/
monio proderent. Tantum igitur hæc considerանda proposui. De cõditione iam dictum
est,nullam causam satis grauem adferri,quur conditio impossibilis ratum faciat matrimo
nium,ueluti:si tu es uirgo accipio te uxorem,quam scias esse corruptã quæ peperit.Rur/
sum non uideo,quur conditionem hanc habeant pro turpi: Accipio te in matrimonium,
si te comperero uirginem.Quum enim puella sibi conscia sit,non debet fallere excipien/
tem quod honestum est.Nam Deuteron.cap. 22. seuere quidem animaduertitur in eum,
qui quam pro uirgine duxit, fingit se comperisse uitiatam: conuictus enim & cæditur &
pecunia mulctatur:at multo seuerius in sponsam, cuius uirginitas nõ erat seruata sponsõ,
educebatur extra ciuitatẽ,& lapidabatur à populo. Nunc autem grauior est causa, quur
uirginitatem puellæ depeciscí posset sponsus,quod ut digamus arcetur in sacerdotio,qui
pro uirgine uitiatam duxerit etiam imprudens.Fortasse quotidianæ fierent redibitiones,
si dare/

si daretur stipulatio uirginitatis, cuius probatio nõ minus difficilis q̃ custodia, sed hãc corruptelã docuit legum indulgentia. Si placet igitur has odiosas quæstiones excludere, saltẽ ne obstet ad sacerdotium, quod insciens duxerit uitiatam. Nec enim urget nos hic autoritas Pauli, etiam si sciens duxisset uitiatam, etiamsi priore defuncta duxisset alterã, eo quod idem Apostoli præscriptũ complectitur alia multa, quæ nunc non submouent à sacerdotio: certe ratio naturalis non repugnat, quin si conditio, quã excipit contrahens matrimonium, sit eius momenti, ut uerisimile sit non coiturum fuisse matrimoniũ, nisi latuisset uitium, solui possit contractus. Veluti si quis se fingeret esse prędiuitis cuiusdã filiũ, quum esset mẽdicus: aut claro genere prognatum, qui natus esset ex incesto: aut sanũ, qui lepra, scabieq; quam Neapolitanã uocant: aut morbo comitiali laboraret, liberandus esset, qui conditionem apposuisset consensui, puniendus qui sacramento fraudem admiscuisset. Grauior enim pœna debetur illis, qui re sacra ad militiã abutuntur, ueluti qui per confessionem sacramentalẽ exercent lenociniũ, aut per eucharistiã magicas artes. Siquidem hic dolus cum impietate coniunctus est, nec solum afficit iniuria proximũ, uerum etiã Ecclesiæ dei contumeliã irrogat. Atq; adeo si nõ esset expressa conditio, constaret tamen esse fallum opinione, qui pactus est coniugiũ. Aequitas itaq; uidetur suadere dissolutionem per dolũ initi contractus, si qui falsus est, remittere fraudem nolit, præsertim si constat, ab altero contrahentium data opera procuratum, ut alter falleretur, quod genus exempla permulta iactantur popularibus fabulis, neq; tamen non uera. Non enim consentit qui addit consensui conditionẽ, si ea non extiterit. Iam uere dictum est hoc à iureconsultis, nihil minus cohærere cum assensu, q̃ errorem. Vbi enim error est, ibi consensus nõ est: & persona quidẽ error liberat eum qui circumuentus est, error uero qualitatis aut fortunę non item. Sed quid si grauius incommodũ adferat error qualitatis aut fortunæ, q̃ error personæ? Leuius enim esse potest nubere Ioanni quẽ putabas esse Petrum, q̃ nubere lunatico, aut leproso, aut morbo comitiali obnoxio, quẽ credebas esse sanum. Erit quidẽ destinantium matrimonium, quanta fieri potest cura prouidere ne capiantur: uerũ in his quæ magni momenti sunt, nec prouideri quibunt circumuentæ personæ, partim succurrere potest Pontificum autoritas, pronunciando non coisse matrimonium: partim ciuiliũ legũ seueritas, per quas nõ sit impune malis imponere matrimonij fuco. Non enim ad hoc instituũ est matrimonium, ut in fraudem illiciatur simplicitas, sed ut coniugum uterq; suo bono iungatur alteri. Captio est non coniugium quum alter habet prædam quam captabat, altera decepta plorat: nisi mauis hoc raptus appellare genus. Sunt autem hodie permulti, qui hoc nomine pro lepidis ac facetis habentur, quod subinde uertẽtes solum nunc hanc, nunc illam ducant uxorem, nonnunq; usq; ad duodecimam, nec alio quæstu uiuunt. Hos impios impostores & humani generis pestes oportebat in crucẽ tolli. Ac mea sentẽtia minus impeditũ esset matrimonij negociũ, si crimen alia ratione puniretur. Nunc dirimitur matrimonium, si sponsus stupro mixtus fuit sorori sponsę: quanq̃ hoc ad affinitatem pertinere uidetur. Poterat alia uia caueri, ne bono sit illi sua malicia, etiãsi maneret matrimonium libero legitimoq; consensu contractum. Sed has diremptiones facile tulerim, si liberentur ambo: in crimine capitali lex ciuilis alterũ liberauerit. In his alijsq; permultis potest autoritas Pontificum habiles & inhabiles reddere personas, sic ut aut nihil sit actũ contrahendo, aut simpliciter ratum sit quod contractũ est, ut uel utraq; persona teneatur obstricta, aut utraq; pariter liberetur. Recte quidem Ecclesiæ leges damnant clandestina cõiugia, sed utinam hisce temporibus sic damnarent, ut furtim contracta pro non cõtractis haberentur, nisi maiorum accederet autoritas, & solennis utrinque stipulatio, quod olim apud censores fieri solitum, nec sine iureiurando, supra demonstrauimus. Nullum opinor in sacris literis exẽplum inueniri, filiosfamiliâs, aut pupillos clàm ijs, in quorum potestatibus sunt, contraxisse matrimonium, quod illis reclamantibus ualuerit. Olim parentes etiam ius uitæ ac necis habebant in liberos. Et quanq̃ iniquum est, ut parentes liberos suos ad cœlibatum adigant, posteaq̃ pubuerint, tamen sacri doctores, in quibus est Ambrosius, æquum putant, ut inter complures procos deligendi ius sit penes parentes, qui si tam sint inhumani, ut liberos habeant pro seruis, aut iumẽtis, & aut nolint illis prospicere de matrimonio, aut alicuius commodi gratia obtrudant illos maritis aut uxoribus palàm indignis, designari poterunt qui talibus succurrant. Sunt patrui, sunt aui, sunt magi- *Crimen.*

ſtratus,ſunt Epiſcopi,quibus hoc negocij poterat delegari. Quum leges Cæſarum ſeruis ſubuenerint,durius apud dominos habitis,aut infami contumelia affectis, quanto magis oportet conſulere liberis ac pupillis,aduerſus parentum,tutorum & curatorum iniquitatem? qui ſi ſuum commodum uenantur ex incommodo liberorum,iam ex parentibus fiunt tyranni. Quid autem mirum huc degeneraſſe mores Chriſtianorum, quum & hodie reperiantur(dictu abominandum)qui ſuos liberos turpis quæſtus gratia proſtituant? In tutoribus & curatoribus alienis rarior eſt fides. Apud Britannos nobilium filij, orbati patre, ueniunt in poteſtatem tutorum. Id ius emitur aut impetratur à rege. Quod quoties incidit in alienos,ſic aliquando tractantur bona pupilli, ut ni uxorem ducat, quàm præſcribit tutor,haud multum fructus ſit accepturus è ſuis agris. Tempus autem tutelæ profertur uſq; ad annum uigeſimumſecundum. Et hæc uocantur matrimonia, quum iure ciuili cautum ſit,ne tutor aut curator pupillam fidei ſuæ commiſſam ducat uxorem,ne liberi quidem horum: quanquam hoc ius eccleſiaſticum non uetat. Nec tutorũ igitur,nec parentum tantum ualeat autoritas ut liberis aut pupillis obtrudatur uxor nolentibus: nec tamen uſq; adeo laxandæ ſunt habenæ licentiæ,inconſultæ ætati,ut furtim,ut temere,ut poti,ut incantati,ut dictis in ipſo corporum complexu tribus uerbis,contrahant matrimonium,hoc eſt,conficiant Eccleſiæ ſacramentũ. Vtinam uigeret illa priſca inter parẽtes & liberos pietas,ut nec illi ſecus conſulerent ſuis quàm ſibi conſultũ uellent, nec hi diffiderẽt maiorum ſuorum prouidentiæ. De uirgine loquens Paulus,totam autoritatem defert patri,de uidua dicit,Cui uult nubat,tantum in domino. De uirgine non dicit: cui uult nubat, ſed: ſi nupſerit uirgo, non peccat, quaſi nuptias uirgini permittat etiam inuitis parentibus,ſpõſi delectum non permittat. Aequiſſimum tamen uidetur, ne res tanta peragatur, niſi quorum periculum uertitur,conſenſus intercedat. Damnanda ſunt enim coacta matrimonia. Proinde ſi ſponſus uehementer abhorret ab ea quam parentes uolunt obtrudere,aut ſi ſponſa,non illico obtemperandum erit illorum affectibus,ſed dandũ aliquod temporis ſpaciũ,ſi forte corrigatur iuuenilis illa cupiditas, rebus ad rationis iudiciũ exactis. Verũ ſi durat affectus nõ omnino abſurdus,erit humanitatis parentũ, hic aliquid de ſuo iure concedere,quemadmodum apud Comicum Clitiphoni reſcienti quas mater offerebat,pater concedit illam ducere,quã filius malebat. Talis autẽ ſit tẽperatura,ut nec maiorum ſpernatur autoritas,nec liberis pereat ſua libertas. Valeat uincatq; contrahentium

Conſenſus liber.

conſenſus,ſed ſit conſenſus liber,uerus ac legitimus,præſertim in negocio, quum omnium difficillimo,tum immedicabili,ſi quid peccatum fuerit. An ibi liber eſt conſenſus,ubi metus urget,cadens in ætatẽ adoleſcentis teneram? aut in puellã,præter ætatẽ & ſexui imbecillem? Ingẽs telũ eſt paternarũ facultatum amiſsio. Quoſdam magis terret infamia q̃ pudor. In cohercenda pueritiæ laſciuia ualeat parentũ ſeueritas uſq; ad uerbera: in negocio matrimonij,perſuaſioni locus eſto,coactioni nequaq̃. Rurſum ubi per lenam,per uinum amentiq; parentem,per impudicos luſus,per noctem pudore carentem,per magicas epagogas,inter uix puberes intercedunt tria uerba: an illic eſt conſenſus,ubi nullus eſt ſobrius ſenſus, ſed totum pectus temulentia, libido, & maleficę uoces triplici occuparunt inſania? Nullus ualet contractus initus cum homine mente capto, non ualet cum impubere,aut cum annis minore q̃ oportet: & ratum eſt omnium maximum matrimonij fœdus,quum adſit ætas, cui leges ob rerum imperitiam inopiamq; iudicij ſuccurrunt in leuibus etiam contractibus: ubi præeſt temulentia,quę plus eſt q̃ inſania,adeo ut nonnunquam ebrietas continua ſit perpetuæ dementiæ? Ira breuis inſania dicitur, temulẽtiæ uix prolixus medetur ſomnus. Olim ita præibat iudex: Habésne uxorẽ ex animi tui ſentẽtia? At quam animi ſententiã mihi narras,ubi nõ uno modo excantatus eſt animus? Cum absente loquitur,ut habent prouerbia,cũ ebrio qui litigat: & præſens præſenti loquitur puer,qui temulentus cum temulenta paciſcitur matrimonium,quem ſi perconteris experrectum,quid dixerit feceritq;,non ſatis meminerit. Nihil habent ponderis uerba, quæ proferuntur ab homine parũ integræ mentis,niſi conſtat actum fuiſſe lucidis interuallis. Pro irritis habentur quæ metus expreſsit, quod mens nec libera nec ſui iuris ſit: & ualebunt per inſaniam cum ui coniunctam dicta? Nam artibus huiuſmodi expugnare puellarum aut adoleſcentum animos,non modo fraus eſt,uerum etiam uiolẽtia. Legimus quoſdam uoluptate ſuperatos,qui cruciatibus ſubigi non poterant. Et ad has fraudes inſtruuntur

puellæ,

puellæ,quo maritum locupletem inueniant: ijſdē & iuuenes inſidiātur bene dotatis. Etſi his machinis parū proficitur, adduntur magicę preces & ueneficia. Quot iuuenes noui ſummo loco natos, req; lauta, mulierculis irretitos, quibus tam nihil erat bonę famę q; rei. Quantus illic parentum luctus,quātus cognatorum meror? Tentabatur diuortium, utriuſque ablegatione,ſponſi in Galliam,ſponſę in Hollandiam: mulier ſollicitabatur ad uitam monaſticam,recuſanti parabantur uenena: ſponſus ne perderet Eccleſiaſticos fructus,quos habebat opimos,expectabat nouę nuptæ mortē,illa profuga ſequuta eſt uirum,parentes abdicabant ſponſum. Breuiter,omnibus fruſtra tentatis, erat indiſſolubile matrimonium. An in hoc matrimoniū congruit,quod ait dominus: quod Deus coniunxit,homo ne ſeparet? An ita magis dicendum: Quod diabolus per ſuos miniſtros,conIunxit,Deus per ſuos miniſtros ſeparet. Non poteſt Romanus Pontifex irritare conſenſum inter perſonas legitimas declaratum. Eſto,ſed pronunciare,ni fallor,poteſt talē conſenſum non eſſe legitimum,ne perſonas quidē eſſe legitimas,quæ mentis non ſunt cōpotes. Si Romanus Pontifex inhabiles reddit,inter quos interceſsit cognatio ſpiritualis,nimirū poterit & hos inhabiles ad contrahendum reddere, ut non ſolum non ratum habeatur matrimonium,uerum etiam pœnas dent,qui malis artibus tales conglutinant nuptias. Si dixeris: Diſcant ſuo malo cautiores eſſe: Audirem, ſi liceret uxores uel reuendere, uel permutare. Hæc ſi ſemel male ceciderit alea, non eſt quod arte corrigas. At leges ciuiles non grauantur pupillos & minores ſubleuare ſuo fauore, reſtituentes in integrum,ſi contractus incommodus eſt pupillis: ſi commodus,comprobatur. Cauetur ætati obnoxię dolo,& plectitur qui ſtruxit inſidias ſimplicitati,cui debebatur fauor. Oportet autem Eccleſiaſticas leges humaniores eſſe quàm ciuiles. Quod igitur controuerſiarum naſcitur ex uerbis præſentibus & futuris,ex matrimonio rato & conſummato, ex ſignis,nutibus,ex ſcriptis,magna ex parte tolletur,ſi dignarentur Eccleſię proceres ſtatuere,nullum matrimonium prius eſſe ratum, quàm apud magiſtratus ad hoc deſignatos, adhibitis teſtibus,clare conceptis uerbis uterq; ſobrius ac liber alteri condicat cōiugium, eaq; uerba ſcripto ſeruentur. Quod furtim inter ſeſe fecerant,ſi coitus ſit, pro ſtupro cenſeatur: ſi conſenſus qualibuſcunq; uerbis declaratus, pro ſimplicibus uerbis habeātur: matrimonium nō ſit,donec apud iudices ac teſtes à ſobrijs ac liberis,ſolennibus uerbis declaratus ſit matrimonialis conſenſus. Idem cenſeo de ijs,qui quum loqui non poſsint,ſigno aut nutu declarant animi uoluntatem. In alijs cōtractibus excipitur dolus malus, & reſcinditur pactum: hic in re tam ardua ſacraq; iuuat eſſe doloſum,et captioni patet ſimplicitas. Fruitur ſuo maleficio captator,& in damno hæret ætas innoxia. Nec dubito, quin his quæ proponimus tum meliora tum plura ſint diſpecturi proceres Eccleſiæ,ſi deus hanc curā,mea ſententia non minimam,immiſerit cordibus illorum. Neq; enim,quod ſępius mihi teſtandum eſt,hic propoſitū eſt,ullo pacto conſtitutiones aut cōſuetudines, in publicum uſum receptas,conuellere,ſed potius ex autoritate maiorum firmitati felicitatiq; coniugiorum conſulere. Quam ad rem cum primis conduceret,ſi impedimentorum laquei, quantum fieri poſſet, ſalua pietate tollerentur, & à præſcriptis diuinæ ſcripturæ quàm minimum recederetur: & ſi quid eſſet adijciendum ſacræ ſcripturæ, id potiſsimum eò ſpectaret,ut quàm expeditiſsimus eſſet coniugij contractus. Nunc,ut antea dictum eſt,alibi uehementer laxata eſt contrahendi facilitas, per ea quæ magis petita ſunt ex opinionibus iureconſultorum,quàm è ſacris literis: alibi quod ex ſacris literis laxari poterat,id contractum eſt. Pro digamo habetur,qui bona fide duxit puellam pro uirgine,quam poſt comperit furtiuo ſtupro fuiſſe cognitam, & arcet auidum à ſacerdotio digamiæ imaginatio: ſiue, ut melius dicam,inculpatiſsima rei ignoratio, quam nec præſcire potuit maritus,nec præſtare. Idq; ſi factum eſſet ante baptiſmum,arbitror ceu digamum reijciendum à ſacerdotio: quemadmodum imputatur uxor ante uiri baptiſmum mortuo, ſi poſt baptiſmum duxerit alteram,fruſtra reclamāte Hieronymo. Fateor, beatus Paulus uult epiſcopum eſſe unius uxoris uirum,uidelicet qui tum temporis cogebatur habere teſtimonium non ſolum à Chriſtianis,uerum etiam ab ethnicis & Iudæis, quos ſollicitabat ad Euangelij profeſsionem. Id autem ætatis idem erat epiſcopus, ſacerdos & presbyter. Quod igitur de illorum temporum epiſcopo, quem oportuit undiquaq; inculpabilē eſſe uelut impiorum iuxta ac piorum oculis expoſitum,ne quod offendiculum daretur Euangelio, dixit Apo- 2. Tim. 3

ſtolus, dilatatũ eſt ad omnes presbyteros, præſertim quum horũ paucitas, quæ fuit ante annos nongentos, ſic excreuerit, ut mundus undiq; ſcateat agminibus presbyterorum, ut iam periculum non ſit, ne quis alienetur ab Euangelio, ſi recipiatur in presbyterorũ ordinem, qui ſciens etiam antea maritus fuiſſet uiduę, modo cętera reſponderent ordinis dignitati. Nam hodie ſi quis epiſcoporum uulgus contempletur, lõge alia ſunt quàm uxor non uirgo, quę populo poſſent eſſe offendiculo, ſi ex illorum moribus æſtimet Euangelij doctrinam, ne quid interim commemorem de hæreticis, ſchiſmaticis, Iudæis, & alijs, qui ſunt à profeſſione Chriſtiani nominis alieni. Proinde quum mutata ſit ſeculorum ratio, ſublataq; prorſus ea cauſa, propter quam Paulus non uult epiſcopum eſſe digamum, ne repetita cõiunx ſuſpicionẽ præbeat incontinentis animi, tamen adhuc urgemus tria Pauli uerba, unius uxoris uirum: quaſi ſolũ hoc Apoſtolus præſcripſerit in epiſcopo deligendo, quum eodem in loco poſtulet ut ſit irreprehenſibilis, ſobrius, ornatus, prudens, pudicus, hoſpitalis, doctor, non uinolentus, non percuſſor, ſed modeſtus, non litigioſus, non pecuniæ cupidus. Ac mox, non neophitus, ne in ſuperbiam elatus, in iudiciũ incidat diaboli. Eadem fere exigit ab epiſcopis, ſcribens ad Titũ: Oportet enim, inquit, epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non uinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidũ, ſed hoſpitalem, benignũ, ſobriũ, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, ut potẽs ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui cõtradicũt arguere. Quur ex tam multis huius cõſtitutionis apoſtolicæ capitulis, ſola urgetur uxorcula, quũ ſcortorũ colluuies & concubinarum greges non imputentur? Si non admitteretur ad Epiſcopi ſiue ſacerdotis munus, niſi qui pudicitiam ſeruaſſet illibatam, uidebatur pulchre congruere, ut uirginitatis honos cum ordinis dignitate iungeretur, quo magis eſſet populo uenerandus epiſcopus: nunc pudicitia non exigitur, ſed imputatur uxor uel altera, uel non uirgo: & adeo imputatur, ut nec ineuitabili ignorantiæ fiat gratia. Digamus non arcetur à ſacerdotij functione, quod crimen admiſerit, qui nihil peccauit, ducens uxorem legitime: laudem etiam promeruit, caſte ſancteq; colendo matrimonium, & ad pietatẽ educandis liberis. Quur igitur arcetur? Nempe quia apud populum, ad calumniandum propenſum, magis autem apud Chriſtiani nominis hoſtes incontinẽtiæ ſuſpicioni patet, qui coniugium iterauit. Oportet autem epiſcopum nõ tantum à malo, ſed ab omni ſpecie mali cauere, ne doctor Euangelicę philoſophię, ne diſpenſator myſteriorum dei, ne lucerna candelabro impoſita ut luceat omnibus, qui in domo ſunt, quacunq; occaſione det offendiculũ uel impijs uel infirmis. Hæc ratio ualebat illo ſeculo, quum eximia puritas exigeretur ab epiſcopis. Nunc hoc quod leuiſsimum eſt exigitur, neglectis tam multis quę magis decent epiſcopũ. Qui adhæret meretrici, inquit Apoſtolus, unũ corpus efficitur. Qui imprudens duxit corruptã pro uirgine, dicitur diuiſiſſe corpus ſuum: et qui cum tot meretricibus habuit conſuetudinem, non diuiſit corpus ſuum, ſed tanq; purus ac putus, & ut Græci dicunt τέλειος, recipitur ad quatuor aut quinq;, ſi libet, epiſcopas. Si qui ſecundã uxorem extulit, non obſtat crimẽ admiſſum, ſed leuis ac popularis ſuſpicio, uel metus potius incontinẽtiæ, quod apud ethnicos etiã olim male audiebat digamia, quid eſt quod arcet eum qui duxit uiduam? an quod Moſi lex uetat, ne ſacerdos ducat corruptam aut uiduam, trahitur ad eum qui nondum cogitat de ſacerdotio? Auguſtino non obſtitit gemina concubina: & nunc imputatur uxor ab alio furto delibata, neſcio ſponſo. Si placet uigor apoſtolicę legis, ut arceatur ab epiſcopi functione, qui iugum iterauit: cur recipitur omni libidinum genere per omnem uitam conſpurcatus? Etſi Paulo uidetur ad gerendũ ſacerdotium idoneus, qui domui ſuæ bene præſit, qui liberos habeat morigeros ac pudice educatos, quur in quo hæc expetunt iudicatur indignus uel presbyteri nomine, nõ ob aliud niſi quod errauerit in uirgine? Romanus pontifex non relaxat apoſtolicæ conſtitutionis uigorẽ, etiam in ijs qui tantum pietatis ergò ſacerdotium expetunt, niſi fiant monachi. Tunc enim pro mortuis habẽtur, ac nomine commutato, pro Laurentio digamo renaſcitur Thomas monogamus. Verum ut hæc recte fiant, quur diſſimulatur primum huius legis capitulum: Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe? Non dixit, nullius criminis conuictum ac damnatum, ſed ἀνεγκλητον, hoc eſt adeo inculpatis moribus, ut in eum non cadat ulla probabilis mali facti ſuſpicio. Si dicent digamiam in propatulo eſſe, uitæ

Cap. 1

ſordes

sordes non æque patere, quid dicemus de neophyto? Eligi potest episcopus nondum baptizatus, quod accidit diuo Ambrosio: imò diui Hieronymi temporibus, ut ipse testatur, summa pietas habebatur esse neophytũ. Cõmendarat illũ uitæ integritas, ante baptismũ actæ, eoq; nõ metuitur ne neophytus elatus in superbiam, incidat in laqueum diaboli. Laxatur hic uigor Apostolicæ legis: in sola uxore non relaxatur. Quid autẽ dicemus de manifestis criminibus quorundã sacerdotũ & episcoporum? Admittitur ad multiplex sacerdotiũ, qui in multis prælijs ducem gessit: qui palàm ac populo teste homicidiũ, admisit: et qui prophanis legibus pœnas dare debuit, recipitur ad episcopi dignitatẽ. Quod si urget adhuc lex Pauli, iuxta quã incõtinentiæ suspicio, ex iterato matrimonio concepta arcet à sacerdotio: multo magis arcebũt nefariæ libidines. Rursus si crimẽ quod probabiliter obijci potest, obstat quo minus aliquis fiat episcopus, multo magis submouebit ab officio suscepto crimen manifestũ. Digamum igitur à sacerdotio non submouit uigor apostolici præscripti, quod ne Theologi quidem inficiantur, sed humana constitutio. Optarim legẽ à Paulo præscriptam, in omnibus partibus suis obtinere suũ uigorẽ: nunc ubi sublata est causa quæ Paulum mouit, tamen manet impedimentũ digamię etiã usq; ad semel ductam uiduam, aut corruptã pro uirgine ductam, idq; per imprudentiã: & cætera tam multa uel negliguntur omnino, uel facile relaxantur Romani Pontificis indulgentia. Quod si tantum potest hominũ autoritas, ut matrimoniũ contractũ dirimat, optarim ut eadẽ autoritas caueret, ut coniugia inter uix puberes, furtiuis congressibus & arte maleficarum conglutinata, rescinderẽtur, aut pro nõ contractis haberi iuberet: legemq; præscriberet, ad cuius regulã cõtracta matrimonia pro ratis ac legitimis haberẽtur. Hac ratione cõsuleretur tot hominũ milib. misere coniugiorũ pedicis irretitis. Deinde quẽadmodũ studio castitatis, quod olim uehemẽtius erat inter Christianos, cõstitutiones quasdã receptas esse, uelut de gradibus prorogatis & spirituali cognatione dictũ est: ita poterunt eædẽ pro temporum ratione mutari. Nam leges humanæ, quemadmodũ & pharmaca medicorum, ad salutem hominũ accõmodantur. Verum ea res erit curæ primoribus Ecclesiæ, quũ Christi spiritus hanc uoluntatẽ illis inspirauerit: nobis hæc tantum admonendi gratia dicuntur: quæ si præter rationem dicuntur, pro non dictis haberi uolumus. Nos enim haudquaq; præimus ijs quos duces sui gregis dominus esse uoluit: nec Ecclesiæ constitutiones asperandas ducimus. Si quid placet in his quæ pro nostra simplicitate contulimus, gaudebimus hominũ conscientijs explicandis aliquid adiumẽti dedisse: si nihil placet, certe uotũ charitatis & pia sedulitas ueniam promeretur, si nihil laudis auferat. Hæc tamen pluribus uerbis saltẽ in hoc disseruisse profuerit, ut cognita matrimonij difficultate circũspectiores fiant in cõtrahendo. Hactenus quæ dicta sunt à nobis, utcunq; caueri tum possunt tum debent. Cæterum ut cõtingat uxor apta, morigera, docilis, & in his quæ didicit perseuerãs, non est procis in manu, sed à deo, qui autor est ac prosperator omnis cõiugij, petendũ est, ut quod agimus uelit esse lętum ac felix. Huc nimirũ uocat nos Solomon dicens: Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autẽ proprie uxor prudens. Quo quidẽ in loco diuus Ambrosius notat Græcæ uocis emphasim, Sic em̃ ea lingua refert sententiam: οἶκον καὶ ὑπαρξιν μερίζουσι πατέρες παισὶ, παρὰ δὲ κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρὶ: id est, Domum & facultates distribuunt parentes liberis, cæterũ à domino adaptatur uxor uiro. Nec enim potest esse felix coniugiũ, ubi non est harmonia, quæ nascitur similitudine morũ & ingeniorum, ac mutuis obsequijs. Nam his rebus potissimũ gignitur aliturq; concordia. Eodem uerbo usus est Paulus scribens Corinthijs: Despondi uos uni uiro, ἁρμοσάμην. Triste iugum est, non coniugiũ, ubi dissidium est animorũ: & inamabilis cantio est, quę non habet harmoniã. Rursus Solomõ: Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatẽ à domino. Hic rursus pro eo quod bonam habet nostra translatio, Græci legunt χαρίτας, id est gratias, tametsi sensu consentiente. Bonum enim dixit pro insigni bono, ac ueluti mundo bonorũ: & qui uertit gratias, copiam bonorum expressit numero multitudinis. Si per tuam incuriam tibi contigit infelix matrimonium, agnosce culpam, & memento patienter ferre malum, quod ipse tuo iumento accersiuisti: si citra culpam, tolerato, quia sic domino uisum est ob causas occultas, qui te melius nouit quid expediat salutí tuæ. Sin obtigit prosperum ac felix, ne tribuas humanæ prudentiæ, sed agnosce, iuxta sapientis doctrinam, eam hilaritatem tibi profectam à domino. Huc igitur tuarum nupti-

2. Corin. 11

18

arum auſpici gratias agito. Confirmat Syrach, quod dixit Solomon: Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium deum, dabitur uiro pro factis bonis. A deo manat omne bonum, teſte Iacobo: is pro ſua inſcrutabili uoluntate partitur inter homines ſua dona. Vulgus autem exiſtimat, illos plurimũ debere deo, qui formoſi, aut diuites, aut generoſi
Cap.26 naſcuntur. Sed quid prædicat nobis Eccleſiaſticus? Cui contingit uxor bona, partem bonam ſortitus eſt. Ea pars non temere datur quibuslibet, ſed timentibus deum, quiq; ſibi be
Cap.14 nefactis deum reddidere propitium. Item Solomon parœmiographus: Sapiens, inquit, mulier ædificat domũ ſuam, inſipiens extructam quoq; manibus deſtruet. Ad hæc Eccleſiaſtes, luſtratis omnibus quæ ſub cœlo ſunt, cõperit amariorẽ morte mulierẽ. Si res tam acerba eſt uxor mala, cogita q; ingens ſit dei donum, mulier bona. Vbi ſunt igitur, qui cõſultis aſtris uenantur horam fortunatam ineundo matrimonio? qui magicis artibus illiciunt puellas aut iuuenes? His ſi contingit infelix coniugium, ut fere fit, non habent quod incuſent deum, ſed aſtris impoſtoribus ſcribant dicam, & mendacibus dæmonibus intendant crimen, uel potius ſibi ipſis, qui ſpiritibus impijs fidere maluerunt quàm deo longe benigniſsimo, diuiti in omnes qui inuocant ipſum. Veteres illi, quanquam ignari ueræ religionis, tamen pro ſua ſuperſtitione nihil rerum ſeriarum auſpicabantur, niſi à ſacris ac numinis alicuius inuocatione. Geſturi bellum immolabant Marti, nauigaturi Neptuno, negociaturi Mercurio, dicturi ſponſam Iunoni ac Veneri. & Chriſtiani ſic matrimoniũ ineunt, quaſi res ſit ludicra, & utcunq; lubitum erit reſcindenda, quum ab hoc fonte pendeat totius uitæ uel calamitas uel felicitas. Merces aliquò deportaturi uouemus aliquid muneris Nicolao, & ſponſam ducturi nullum appellamus numen? A quo uero potius petamus auſpicatum coniugium, q; ab eo qui inſtituit, qui conſecrauit connubium? Deprecamur aduerſam ualetudinem, & non deprecamur malam uxorem, morte triſtiorem? Precamur à deo felicem annonam, & non precamur fauſtum coniugium? Soli Chriſtiani nouerunt Eccleſiæ ſacramẽta, extra quam nulla eſt uera religio. Gentium autem ſuperſtitio in mille diſcrimina fuit diſſecta, nec defuit aliqua natio tam barbara, quæ uix ullum numen agnoſceret: nulla tamen fuit tam immanis & effera, quin religionis aliquid tribueret matrimonio. Ariſtoteles, Xenophon, Plutarchus Chriſtum non agnouerunt, tamen de nulla re ſcripſerunt ſanctius ac religioſius, quàm de matrimonio. Siquidem Peripateticus ille, quanquam alioqui non admodum memor numinis, de coniugio ſic loquitur: Exiſtimare debet mulier bene cõpoſita, mores uiri eſſe legem ſuæ uitę, impoſitã ipſi à deo per coniunctionẽ matrimonij, atq; cõſortij. Quis docuit hunc atheon, autore deo iungi matrimonia? Iterum aliquanto poſt: Quamobrẽ qui iſta negligit, & deos uidetur negligere. Propter deos igitur quibus præſentibus ſacra fecit, & uxorem duxit, &c. Qui negat mundum à deo conditum, fatetur matrimonium abſq; deo non coire. Quid autem Xenophon? apud quem quum Socrates interrogaſſet Iſchomachum, num ipſe ſponſam docuiſſet ea, quæ ſpectant ad bene gubernandum familiam, reſpondet hunc in modum: Minime, ſed rem diuinam feci, quum cæteris dijs, tum præcipue Ioui, ut mihi quæ forent optima docere contingeret, illi perdiſcere: et colligit ſimilia fuiſſe uota ſponſæ, uel hoc argumento, quod ſe mariti monitis docilem ac morigeram præbuiſſet. Meminit & Plutarchus de ſacrificio, quod ex more fiebat Iunoni coniugali. Quin & lectulum ipſum connubialem, genio cuipiam ſacrum habitum declarat Iuuenalis, ſic inuehens in adulteros:

Antiquum & uetus eſt, alienum Poſthume lectum
Concutere, & ſacri genium contemnere fulcri.

Apud ignaros ueræ religionis religioſum erat coniugiũ: & apud ueræ religionis pro-
Gene.24 feſſores, res eſt prophana ludicraq;. Si nos non mouent Ethnicorum exempla, certe uertamus oculos ad exempla patriarcharum, quos nobis proponunt ſacræ literæ. Iſaac quomodo iunctus eſt Rebeccæ? Num furtiuis congreſsibus? num ſortilegijs, aut maleficijs? Abrahæ patri conceſsit delectũ uxoris. Is ſpectatæ fidei famulo, ſed prius ſanctiſsimo iureiurando obſtricto, delegat hanc prouinciã, ut omnium maxime ſeriã: nec alijs tamẽ auſpicijs q; æterni numinis. Sic eñ loquitur: Dominus cœli & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui loquutus eſt mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet angelum ſuum coram te, & accipies inde uxorem filio meo. Rurſus ubi famulus peruenerat quò proficiſcebatur, orat iuxta puteum, & ad be-

ne for-

ne fortunandas nuptias implorat domini misericordiam: ubi uotis respondissent omnia, prostratus in terrã, adorat dominũ, agitq; gratias, quod illo prosperãte res euenisset ex sententia. Nec tamẽ abducitur puella nisi ex cõsensu parentũ, qui filiã lætis omnib. tradunt, dicuntq; A domino egressus est sermo, nõ possumus extra placitũ eius quicq̃ aliud loqui tecum. Sic, nimirũ, sic inire debent fortunata coniugia. Filius simpliciter obediens, unice diligit spõsam suã, ueluti per parentẽ à deo datã. Famulus fidelis ac pius, exequẽdis mandatis meminit & religionis & obedientiæ, familiæ suæ referens disciplinam. Abrahã non legitur consuluisse filiũ, quã uellet uxorẽ: nec Rebecca rogatur, num talẽ uellet maritum. Neuter alterum uiderat: & tamen inter eos uehemens & cõstans amor fuit, adeo ut Isaac obliuisceretur mœroris, quẽ ex obitu matris conceperat: uidelicet & matrẽ ipsam relictu rus, & adhæsurus uxori suę, si res ita tulisset: nũc matris memoria quodãmodo cessit amori cõiugis. Neutra ex parte fit mentio de ætate, de forma, de censibus. Sufficit socero & socruí, quod ita deo uisum est. Non hæc eò dicuntur, quod probẽ adacta coniugia, sed imagine proposita demõstrare uolui: quantũ absint à forma Christiani coniugij, qui furtim, insciis & inuitis parentib. libidinis & uini auspicijs, per malas artes conglutinãt incestas nuptias. Quanto plures sunt inter Christianos, qui propius accedũt ad exemplũ Sichẽ Euei, qui post raptã et constupratã Dinam filiã Iacob, per patrem Emor ambijt matrimonium, nihil non deferens. Quis fuit exitus uiolenti ac præposteri matrimonij? Post triduum interfecti sunt omnes eius ciuitatis mares, rebus cunctis in prædam abactis. Conueniebat inter puellam & iuuenem, at non conueniebat inter parentes. Noui quendam clarí generis, qui noctu appulsus nauigio, & furtim ingressus arcem, rapuit filiam unà cum patre sene, raptam abduxit quò uoluit, & uisum est aulicis facinus elegans. Sic ille temulentus, nepos, prædo, furiosus, habuit optimo genere sanctissimisq; moribus ac probe dotatam coniugem: illa crucem perpetuam, ac suæ pietatis materiam. Quid autem beatus Isaac, nónne formam ineundi matrimonij, à patre traditam, transfudit in filium Iacob? præscribit familiam, unde uolebat accipi cõiugem. Nihil recusat Iacob, suscipit longinquam ac periculosam peregrinationẽ, nec uim inferre cogitat, nec insidias struit puellæ, sed post uisionẽ angelorum, adorat dominum, & erecto lapide, quem capiti supposuerat dormiturus, obiter nostrorum temporũ procis suam exprobrans mollitiem, quorum ceruices uix durant innixæ plumis anserinis, uotum nuncupat deo. His auspicijs fretus adit puellam, nec illi clàm loquitur de matrimonio, sed pacisci tur cum Laban patre coniugium Rachelis septem annorum seruitio: nec interim attingit adamatam puellã, uersans in ijsdem ædibus, atq; adeo pascuis cõmunibus. Demum obtrusa per dolum Lia, nõ suscitat diuortiũ, sed renouata pactione, recipit alterius hebdomadis cõditionem, tanta uis erat amoris: sed rursus tãta pudicitia, ut intra tot annos nulla cõsuetudinis occasio perpulerit animum illius, ut ante legitimũ tempus furtiuo cõgressu delibaret coniugem suã. Quotusquisq; nunc inter Christianos celebrat nuptias, ut non ordine prępostero prius cognita sit coniunx q̃ ducta, imò sæpius cognita priusq; despõsata? Nonnullis sponsis tam impotens est ardor libidinis, ut corpusculo puellari uim adferant, nõ tam delibantes uirginitatẽ, q; ipsam uirginem in summum uitæ discrimen adducentes. Et miramur inter Christianos esse parum auspicata coniugia, quæ sic coeunt absq; deo? Vis audire exitum sancte initi cõiugij? Genuit Iacob duodecim filios, Israeliticarũ tribuũ principes, quibus ubi benedixisset, mandasset q; quæ uoluit, collegit pedes suos super lectulum, & appositus est ad populum suum. Cæterum Esau, quoniam non accepit uxorem ex patris sententia, sed opes ac formã sequutus, duxit uxores tres ex gente Chananitide, ex his suscepit filios, impiarum ac reprobatarum gentium, semperq; Israelitico populo rebelliũ autores. Vnde de disparibus fratribus dispar æditũ est oraculũ: Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui. Nam ad hoc quoq; ualet coniugium, diuinis initum auspicijs, ut piam deoq; gratam gignas posteritatẽ, non tantum in hoc ut suauiter ætatem cum uxore transigas. Eoq; toties uetuit dominus, ne Israelitici miscerent connubia cũ impijs ac prophanis gentib. Quin & Thobiæ filius, angeli ductu auspicioq; dei reperit uxorem, coit matrimonium fideiussore dei nuncio Raphaele, patre filiam in manum iuuenis tradente cum bonis omnibus: Deus, inquit, Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob uobiscum sit, & ipse coniungat uos, impleatq; benedictionẽ suã in uobis. Quoq; magis ratum esset coniugiũ, sumpta charta describitur initum

coniugium. Sponsus & sponsa tres dies ac nocles in eodem cubiculo peragunt in sanctis precibus, et pudicis cũ deo colloquijs. Quarta demũ nocte iungunt castos cõplexus, idq; iuxta monita Raphaelis, cũ timore domini, prolis amore potius q̃ libidinis, ut in semine benedictionem consequerentur: sic enim legimus in eo libro. Ea demum sunt auspicata coniugia quæ bene fortunat deus, quæ non ab astrologis, aut ineptis ominibus, sed à sanctis precibus sortiuntur auspicia. Vis audire quàm fuerit felix hoc cõiugiũ: Duas luctuosas domos uertit in gaudiũ, & abacto malo genio, liberata sponsa, illuminato Thobia patre, pijs gratulationibus resonant omnia. Quod autẽ unq; fuit coniugiũ felicius q; sacratissimæ uirginis & Ioseph? Id uero nũ coit clãcularijs cõgressibus? Nequaq;. Quid enim audis ex Matthæo? Quum desponsata esset: & iuxta Lucam audis, angelũ missum ad uirginem desponsatam uiro, cui nomẽ erat Ioseph de domo Dauid. A quibus despõsatam? nimirum à parentibus, qui teneræ uirgini sponsum ex tribu legitima, iuxta legis præscriptũ delegerant. Et in sanctis parentibus agebat uoluntas numinis. Viuebat sponsus cum sponsa, iungebatur eodem tecto, fortasis & cubiculo cõmuni, & incolumis fuit integritas. Thalamus non coitu, sed sanctis precibus dedicabatur. Cubiculum in templũ est uersum, ubi quotidiano piorum uotorum suffitu litabatur deo: expectabatur cœleste oraculum, nec prius iudicabant esse fas auspicari cõnubialem congressum. Quod autoribus parentib. iuncti sunt, erat obedientiæ, quã illis debebant: quod abstinent à cõgressu, religionis erat. Video plurimos beatissimę uirginis cultores, qui laudes illius decantent, qui statuas illius donarijs ornent, cereis adorent: uerum ubi sunt, qui uirginis exemplũ studeant æmulari? Atqui hic erat cultus illi longe gratissimus. Quur petitur coniugij felicitas ab astris aut sortibus? ab exemplis erat petenda. Aeditum est hoc exemplum, nõ ut assequaris in omnibus, sed ut sequaris pro uiribus. Audis despõsatam à parentibus: ne speres igitur felices nuptias, quas inuitis aut inscijs parẽtib. furtiuo cõgressu per uerba de futuro, et copulã de præsenti cõglutinas. Si parẽtes aut nesciũt, aut fungi nolũt officio: sunt alij cognati, sunt seniores, sunt magistratus & Episcopi, quorũ consilio felicius coire potest matrimoniũ. Audis sponsi & sponsæ domesticã consuetudinẽ absq; contactu corporũ. Hoc abs te quidem non exigitur, uerum in hoc ualeat exempli splendor, ut uxor habeatur gignendæ proli potius q̃ libidini, utq; parcus ac uerecundus sit usus coniugij. Talem prolem sic parere non nisi uni datũ est uirgini: & tamẽ si pro tua uirili fueris æmulatus exemplum legitime initi, pureq; culti matrimonij, sperare licebit liberos eius cultores, quem illa peperit. Genuit illa filium dei sine uiri concubitu: si legitime natos ad pietatem institueris, habebis & tu filios dei, cohæredes Christi. Hęc erit abunde magna felicitas. Verum ideo uidemus inter Christianos esse tam multa luctuosa coniugia, quod non solum recedimus ab exemplis sanctorum, quæ nobis sacris uoluminibus commendata sunt, uerum etiam ab Ethnicorum, qui coniugia, quæ nos approbamus, pro irritis ducebant. Detur hoc iuri liberorũ, ut inuiti non adigantur ad matrimoniũ: detur hoc autoritati parentum, ut sine his liberi non contrahant matrimonium. Et si desideratur in parentibus uel iudicium uel integritas, ut nunc prolapsi sunt hominum mores, designetur iudex, cuius ęquitas succurrat commodo liberorum. Sunt prætores qui probant aut rescindunt contractus uulgares: sunt ędiles, qui curant ne uini mensura sit æquo minor, & res tanta per leues & inter leues, nullis grauibus arbitris peragitur.

Ergo quoniam iudiciũ pendet utrinq;, partim è parentibus, partim è liberis, conuenit ea proponere, quę iudiciũ uitiant, aut syncerum reddunt. Nec enim ideo cessare debet industriæ nostræ sedulitas, quod omnis successus fiducia sit à deo, qui uoluit in omnib. actionibus nostris hæc duo coniungi, summã de ipso fiduciã, & nostrã pro uiribus, imò pro doni ab ipso dati modulo uigilantiã. Vult nos ab ipso pendere, nõ quemadmodũ pendet infans à matre, sed quemadmodũ dux à rege suo. Nauãda est opera strẽnue, sed ex illius præscripto, illi cõmittendus euẽtus, cuius auspicijs omnipotẽtibus res geritur. Primũ igitur fuerit, quẽadmodum diximus, iudiciũ rectũ ac felix à deo precib. flagitare. Deinde cõsiderandum quẽ scopum tibi proponas: hinc enim potissimũ pendet iudicij synceritas, aut corruptela. Qui in deligẽdo genero, aut nuru, ceu præcipuũ scopũ sibi proponũt formã, ætatẽ, opes, aut generis claritudinẽ, aut factionẽ præpotentẽ, sępenumero pro felicissimis conciliãt inauspicatissima matrimonia, quũ caput huius felicitatis in hoc situ sit, ut

Delectus

apta

apta sit coniunctio, & inter bonos & æquales sit perpetua concordia, Quod reliquum est procurabit dominus: & quod optimũ est faciet etiam felicissimum. Quanꝯ nihil potest infelix dici, quod approbante deo geritur, quicunq; sequetur euẽtus. Nam frequẽter summa, re uera, calamitas est, quam mundus appellat absolutam felicitatẽ. Fateor nõ sine causa celebratur literis eruditorum Pittaci dictum: Aequalem ducito, quandoquidem & iuxta prouerbium, pares cum paribus ut facillime congregantur, ita firmissime cohærent: uerum hæc æqualitas non ex opibus tantum, sed ex omni genere bonorum æstimanda est: in quibus rursum non est inuertẽdus ordo, quod uulgus hominum solet, protinus ad censum, de moribus ultima fiet quęstio. In hac supputatione primum ad calculum uocanda sunt bona animi, deinde bona corporis, post remo quæ uocantur externa. Atq; in ipsis animi bonis ordo quidam est: sunt enim animi bona, quę non statim reddunt bonos, uelut docilitas, memoriæ felicitas, eruditio, facundia, solertia, dexteritas, quod his ad turpitudinem abuti liceat. Cæterum pudicitia, sobrietas, temperantia, modestia, ueritas, prudentia, taciturnitas, fides, uigilantia, protinus ubi adsunt, reddunt hominem bonum: & si ad hæc indoles ipsa uidetur esse propensa, spem optimam præbent, puellam ad tuos mores fingi posse: certior etiam spes fuerit, si ad bonam indolem accesserit proba educatio. De uitijs eadem fuerit iudicandi ratio. Sunt autem quædam animorum dotes, quæ se statim in ipsa, quod aiunt, fronte proferunt, pudor, pudicitia, comitas, modestia, quanꝯ certissimus animi index est oratio. Loquere, inquit Socrates, adolescens ut te uideam: Philosophus enim oculos habebat in auribus, non in facie. Multi sat habent uidisse puellam, cuius nuptias ambiunt: si uere cupiunt uidere, colloquantur. Quoq; minus fallãtur, illud diligenter inquirendum, apud quos et quibus rationibus puella sit educata. Magni quidem refert bene natam esse, sed lõge magis, recte fuisse educatam: adeo ut non raro uideamus adolescentes, ac puellas ex optimis prognatas, & præclaris naturæ dotibus præditas, sic educationis indiligentia degenerasse, ut spurijs ac supposititijs uideri deteriores possint: rursus nothos apud probos liberaliter educatos, ingenuis etiam honestate morum antecellere. In his rursum, non tantum spectandum, quæ sint dotes naturæ, uerum etiã quæ sit ingeniorum harmonia: non enim semper similibus similia congruunt. Si iuuenis erit natura lentior, conueniet sponsa uigilantioris ingenij. Si sponsus erit profusior, congruet uxor frugalior, & ad rem seruandam attentior. Rursus si iuuenis erit ardẽtioris ingenij, accommodabitur puella temperantioris naturæ, quæ pro tempore norit & cedere, & obsequi. Quandoquidẽ huiusmodi differentiæ ingeniorũ etiã in bonis naturis reperiũtur, quę nisi apte cõmittantur, reddunt parum felix coniugium. Verum inter omnes animi dotes in primis spectandũ est, qua pietate se gesserint erga parentes, & quãtus sit affectus pietatis erga deum. Ad nullã enim uirtutẽ nõ erit docilis, qui pietatem didicit. Verum hic uigilãdum ne pro pia duces superstitiosam. Quemadmodũ enim uera pietate nihil tractabilius, ita superstitiõe nihil præfractius. Ea pestis fœminis cẽ uiris est familiarior. Est tamẽ aliqua leuis superstitio, ad quam æquum est uirum conniuere, donec proficiat uxor. Iam ut Paulus uxori Christianæ permittit, uti cum uiro, qui nondum uelit profiteri Christum, maneat, si modo ille non exhorreat diuersæ religionis consortem: cæterum non permittit nubere, nisi eiusdem religionis uiro: quanquam hoc à Christianis parum fuisse seruatum, declarat Tertullianus, ita temporibus hisce consultum uidetur, ut uir ferat uxorem, uxor uirum, si forte alter per alterum corrigatur, inter quos non omnino conuenit de dogmatibus, de quibus hodie feruet per uniuersum orbem disceptatio, nisi rabies impietatis eò processerit, ut abnegetur totus Christus cum sacris literis, & apostolorum symbolo, quæ manifesta est apostasia. Cęterum illud prouidendum, ne matrimonio iungantur, quorum alter uehementer infectus est improbatę factionis studio. Nam iuxta doctrinam apostolicam, impar coniugium ferri debet, si citra nostram culpam contractum est: at contrahi non debet. Porrò utrum sit consultius, uirginem rudem ducere, an uiduam iam instituta, pro suo quisq; animo statuat. Video quosdã eius esse sentẽtię, quę uidetur Ischomacho Xenophontico placuisse, ut satius esse putent ducere uirginẽ teneram, quæ è parentis ædibus nihil adferat ad sponsum, pręter pudicitiã, uerecũdiam, & mores ad omnia dociles. Quũ enim non sit eadem recte instituendi ratio, pro tanta ingeniorum uarietate, non quæuis institutio cuiuis accommoda est. Neque enim raro uidemus duos optimos

Iuuenalis

Sponsa rudis.

uiros

uiros, quorum neuter alteri sit accommodus ad perpetuam uitæ consuetudinem. Proin/de qui felicem quidem naturam, sed rudem elegit, si bonus artifex est, fingit ad suos mo/res coniugem, & succedet, auspice deo, si modo mores ipsius respõdeant ad honesti regu/lam. Contrà alij fugientes institutionis tædium, quod & longũ est, nec ubiq; succedit, ma/lunt uiduam, iam domitam ac formatam. Nec displicet horum sententia, modo reputent, qualẽ illa se præbuerit uiro priori, quibusq; rationibus et artibus fuerit ab illo docta. Con/fidendum enim est eam & tibi morigeram docilemq; futurã, quæ se præbuerit obsequen/tem marito defuncto. In his igitur non tam diſpiciendum est, an sit ęqualis uxor, quàm an sit apta: nam Pittaci dictum utrunq; complectitur, τὼ κατὰ σαυτὸν, id est tibi congruam. Congruunt autem nonnunquam quę nec ęqualia sunt nec similia. Stultissimum autem fuerit, studio male moratam uxorem domum ducere, quę tuam patientiã exerceat: quem admodum à Socrate factum legimus, qui cum duas haberet uxores morosas & intracta/biles, demirãtibus amicis quamobrẽ eas ferret, more suo εἰρωνεύομ᾽ respondit, se domi di/scere tolerantiam, qua foris esset utendũ. Et fortasse Socrates non in hoc duxerat: illud ta/men mirandum, hominem philosophum uel non delegisse sibi dociles, uel non instituisse quemadmodum oportuit: nisi forte studiosior fuit reip. quam rei domesticę. Atqui ut de/mus alicubi remp. anteponendam rei domesticę: certe pręcipuam curam sibi poscũt à bo/nis uiris uxor, liberi ac familia. Quod si sua cuiq; domus negligatur, nec ciuitas ex his con/stans poterit subsistere. Satis erit uiro bono, aut probę mulieri, si ferat quod nec mutari nec corrigi potest, malum accersere dementis est. Abunde multum malorum, etiã si nihil à nobis prætermissum fuerit, inuehunt casus rerũ humanarum, semper ad deteriora pro/cliuium, tantum abest ut oporteat ascisere.

Quemadmodum autem de arte non recte iudicat nisi artifex, ita de probitate non re/cte iudicat nisi uir probus, ac rerũ usu callidus. Itaq; qui cupit deligere probam sponsam, necesse est ut ipse prius se reddat uirum probum. In hoc iudicio potiores sunt tribuendæ maioribus aut parentibus, non tantum ob id quod iuuenibus ac puellis fere solet amor imponere, cæcus, ut aiunt, iudex: uerum etiam ob id quod ętas grandior, multa rerum ex/perientia callidior, rectius cõsulit quàm iuuentus, quę cupiditatibus ducitur magis quàm ratione: cuiq; rerum inscitia, iuxta laudatam ueterum sententiam, parit confidentiam, atq; hoc propior est periculo, quod non metuit periculum. Amori frequenter honesta uiden/tur quæ fœda sunt, quemadmodum scripsit Theocritus, sibiq; blanditur, uiolentiam ac ferociam in proco fortitudinis nomine donãs, profusionẽ appellat benignitatem, intẽpe/rantiam libidinis effrenem peculiari uocabulo γυναικοφιλίαν uocat: Item in puella me/retriciam dicacitatem appellat urbanitatem, oculorum, incessus, ac gestuum lasciuiam interpretatur comitatem. Sunt qui totos mores in hoc esse sitos existimant, si puella con/sueuit subinde flectere genua, componere manus, & os angustiore ictu contrahere, in conuiuio quàm minimum attingere potus aut cibi, sed corpore prius clanculum pasto, non porrigere sinistram ubi dextram oportuit, summis digitis attingere cibum, in risu nõ ostendere dentes: huiusmodi nugis edoctam existimant satis instructam ut ad sponsum eat. Immo penitus erat animis inserenda probitas, quæ se fronte, oculis, uultu, totoq; cor/poris gestu proferat citra fucum, sed quemadmodum bona corporis temperatura ultro se uero totius corporis colore atq; alacritate prodit.

Ad recte iudicandum non minimum habebit momenti famæ pręiudicium, non quod hæc non sæpe mentiatur, tam ficti pratiq; tenax, quàm nuncia ueri, sed quod non abs re dixit Hesiodus, non omnino de nihilo esse, quod populari fama iactatur. Ad hæc quem/admodũ arcet à sacerdotio etiã falsa infamia: ita qui connubium optat undiquaq; felix, cu rare debet ut talẽ deligat, de qua mentiri fama ueretur. Etenim si C. Cæsar merito repudi/auit uxorem ob adulteri suspicionem, quum ipse citatus testis, negasset se quicq; de uxo/re suspicari, quod existimaret Cæsaris uxorem non solũ uacare oportere crimine, uerum etiam omni criminis suspicione, quanto iustius abstinebit iuuenis ab eius coniugio, quæ licet innocens, tamen popularibus fabulis circumfertur. Quisquis repudiat, labem inu/rit famæ coniugis. Procus qui abstinet à coniugio, uidetur non assequutus quod petebat: & manet integrum puellæ nubẽdi ius. Iure notatus est ab Olympiade iuuenis ille, qui du/xerat uxorẽ eleganti quidem forma, sed fama parũ secunda: Demens, inquit, oculis duxit

uxorem

uxorem, non auribus. Nihil autẽ periculi sit, si quis simul & auribus & oculis ducat uxorem, modo oculos & aures habeat philosophicas, hoc est, aures habeat in oculis, & oculos in auribus. Oculus qui nõ uidet nisi formam corporis, & summam cuticulæ gratiam, non est oculus philosophicus. Oculus philosophi per ea quæ sunt corporis perspicit animi formam, & huc potissimum transfert amorem suum. Nam ipsa frontis modestia, oculorum simplicitas, uultus ipse, totiusq; corporis gestus, sermo quidam est uiro prudenti: Itaq; auditur etiam quæ tacita cernitur, quod contemplator in oculis habeat aures. Certius tamen iudicium est ex auribus oculatis, q̃ ex auritis oculis.

Erit & illud spectandum in sponso & sponsa deligenda, num quã artẽ didicerit atq; exercuerit. Si res est tenuis, necessarium erit artificium: sin ampla, tamen duplicẽ adferet cõmoditatem nouisse artem. Primũ enim si quis casus eripuerit facultates, ut hoc genus rerũ est fortunæ ludibrijs obnoxiũ, habebit quò fugiat inopiã & abstineat à malis artibus. Artem non solũ quæuis alit terra, iuxta prouerbiũ, sed quæuis etiam fortuna, aut ut rectius dicam, quamuis fortunam alit ars. Deinde minus indulgebitur ocio, quæ morum præcipua pestis est. Solon legibus cauisse legitur, ut filius quem parentes nullam artem docuissent, non cogeretur illos alere senio defectos, aut ad inopiam redactos. Atqui uetustissima lex erat inscripta mentibus omnium nationum, ut liberi, si parentibus hoc officij genus uentur impendere, quod pulli ciconiarũ reponunt suis parentibus, uelut impij conijcian tur in uincula. At Solon indignos iudicauit hoc officio parentes, quibus non fuisset curæ sic instituere liberos, ut esset quo possent ipsis succurrere. Impudenter enim uidetur officium reposcere, qui ipse cessauit in officio: nec æquum uidetur eum uelle metere, qui quum esset tempus non fecerit sementem. Quod si liberi à parentibus, quum essent minores, neglecti, post suapte industria parauerũt sibi fortunam, non prohibebat legislator humanitatis officium, sed tamen eos à succurrẽdi necessitate liberauit, quo magis excitarentur progenitores ad iuuentutem honestis artibus instituendam: quæ res uel ad hoc conducit, ut rudis ætas ad ocium ac libidinem procliuis, & ad uitium, ut inquit ille, cerea, minus pateat corruptelæ. Sunt autem artium uaria discrimina, Summa diuisione secantur in liberales & mechanicas. Liberales animi iudicio potissimum constant, quod genus sunt, Rhetorica, Arithmetica, Geographia, & Iuris scientia. Mechanicæ requirunt operã manuariã, qualis est architectura. Sunt quædam inter has mediæ, ut statuaria, pictura, et medicina: harum enim minima pars manibus peragitur, sed animi iudicio potius. Aduersus inopiam certissimum præsidiũ est ars medicandi, quæ longissime abest à necessitate mendicandi. Huic proxima est iuris prudentia, affinis politicæ.

Plurimos alit & Grammatica, sed alit tãtum: quæ complectitur & poeticen, & ut nũc sunt tempora, rhetoricen. Nam ab adytis Theologiæ coniuges arcẽtur, idq; non tam legibus põtificijs, q̃ Theologorũ conspiratione. Inter Politicas artes præstantiores sunt, aut certe quietiores, quibus in pace locus est, ut Rhetorica ac Iurisprudentia, q̃ quibus utendum in bello: non quod præclara res nõ sit, militaris rei peritia, uim hostiũ à ciuiũ capitibus ac fortunis propulsare: sed quod ut nũc uetus mos inoleuit, bellum ferè per homines barbaros & immanes geritur, qui Carum more uitam habent uenalem. Attamen tam peruersa sunt hominum iudicia, ut puellæ putent sese præclaras nactas esse nuptias, si Carum nupserint, qui uenalem habet animam, & ad quemuis odorem belli prouolat, relictis uxore liberisq́ue, conducendus ad lanienam: ac nobilitatis partem esse ducunt, commisceri uiro tot sacrilegijs, rapinis, cædibus, incestis, alijsq; sceleribus abominando. Expectent quidem à deo præmium, quæ tales uiros si corrigere non queant, perferunt. Cęterũ me quidem autore, nulla puella talibus nubet, si continget alius maritus quamuis humilis, modo peritus artis innocuæ. Inter artes quę corporis ualetudini simul & augendæ rei familiari conducunt, primam laudem ueterum consensus tribuit agriculturæ: quæ quum olim potentissimis regibus & clarissimis senatoribus fuerit honorifica, nunc ad abiectissimos homines relegatur, ad quos labor omnis redit, fructus ad ocioſos: eoq; rediere mores, ut puella prorsus abiecta uideatur, quæ locata est agricolæ. Atqui si corporum ualetudinem spectemus, quæ iure numeratur inter pręcipua bona, non est alia uita salubrior: si frugalitatem, nusquam minoris uiuitur: si quæstum, nõ aliunde lucrum innocentius: si, quod est præcipuum, uitæ integritatem, non est alibi minus corruptelæ. Verum non est

huius

huius instituti, decantare laudes uitæ rusticanæ. Factum est id eleganter, quũ ab alijs multis disertissimis uiris, tum præcipue à Xenophonte Græco, & Vergilio nostro. Nec error popularis tantum apud sapientes uiros ualere debet, ut quod per se melius est postha beatur deterioribus: quin illud potius agendum, ut exemplo laudabili suus honos restituatur. Cæterum quos ciuilia munia non patiuntur rurí perpetuo uitam agere, tamen poterunt sese uelut amphibĳ, utricꝫ uitæ instituto partiri. Id fiet, si, quoties datur ab urbanis functionibus uacatio, rus se conferãt: quod quo fiet crebrius, hoc melius habebunt agrorum prouentus: deinde ipse uegetior & alacrior redibit ad ciuilia negocia, atque hac uicissitudine nec urbis nec ruris unquam tædium sentiet. Vxor interim domi seruare ac distribuere curabit, quod maritus ex agro conuehi iusserit. Hoc uitæ genus longe tum felicius tũ innocentius, tũ deniꝫ tutius est hac negotiatione, quæ nunc uulgò exercetur, queꝫ uiros bonam anni partem procul arcens à penatibus, per montes ac maria, per loca latrocinijs infamia, magno cum incolumitatis discrimine, sæpe etiam rerum omnium iactura, uolitare cogit. Talibus quæ nuptæ sunt, non multum absunt à uiduis, nec unquam securo, uacuóque sunt animo, dum nunc maritis, nunc mercibus, frequenter utriſꝫ metuunt. Et ut omnia recte sint, tamen exanimantur uanis rumoribus, nonnunquam & insomnijs. Tutius & innocuum est cum fidelibus agris habere commercium, qui quod acceperunt multo cum fœnore reddunt. Nec male audit hæc fœneratio: quóque diligentius colũtur, hoc uberiorem reddunt prouentum. Et si quando uotis parum respondet annus, proximus sarcit prioris dispendium. Non solum autem accipiunt ac remittunt cultorem suum incolumem, uerum etiam ualentiorem reddunt, si sublanguidum acceperunt. Hæc negociatio nescit fraudem, quum uulgaris ista uix absque dolis agatur, nec temere felix est, nisi uafris ac uersipellibus. Christianis uero lucrum fraude partum, damnum est, non lucrum: neꝫ quicquam oportet esse dulce Christianis, quod arrodit conscientiã. Quemadmodum docet Solomon: Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena uictimis cum iurgio. Vbicunꝫ est animus sibi male cõscius, ibi perpetua rixa est, quam est fugere nõ possis quocunꝫ te uerteris. Et iterum: Melius est pauxillũ cum iustitia, q̃ multi fructus cum iniquitate. Cõcinit his & psaltes: Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorũ multas. Habẽt multa bona qui deum habent, cum quantulacunꝫ substantiola. Cęterũ ubi deus abest, & adest mala conscięntia, quid esse potest amplũ aut magnũ? Valeat possessor oportet, ait ille, at impĳs ea pars ægrotat, queꝫ si ualeat, etiã aduersa uertit in hilaritatẽ. Adde his, quod lucri male parti ferè infelix est exitus, iuxta Plautinũ illud: Male partum male disperit. Quoties enim uidimus opes usuris, monopolijs, alijsꝫ fraudibus diu congestas, semel in incendio uel tempestate perire, uel à principibus confiscari, qui dissimulantes uendunt illis monopoliorum ius, sinuntꝫ spongias implerí affatim: at ubi usum fuerit commodum, impletas exprimũt? Quid attinet hic cõmemorare de planis et impostoribus, uelut qui ex gemmis adulterinis, aut ex auro factitio quæstum faciunt, qui per Alcumisticam aut fictitiam magiam deludũt incautos: aut qui turpium uoluptatum ministri sunt, quales cupediarij, popinatores, lenones, tibicines, & funambuli? Quid de chartarijs & aleonibus? nam & hinc uiuunt quidam. Puella quæ sciens nubit talibus, digna est malo, quippe fautrix nequitiæ. Si dicat: Non possum cœlebs uiuere, nec obtingit alius maritus: felicius illi polliceor matrimonium, si uel infimo ueteramentario nupserit, quàm talibus artificibus.

Cap. 17

Prouer. 16. 36

Hactenus de uirorum artificijs. Cæterum puella, quæ sub parentibus didicit curare rem domesticam, artem didicit haud quaquam aspernandam. Huic enim nunquam defuturum est quod agat domi: quin & ad confirmandam corporis ualetudinẽ satis erit exercitationis, si domus partes frequenter obeat, nunc in culina, nunc in gynæcitide, nunc in andronitide, nunc in thalamo, nunc cœnaculis, aut ipsa componat quæ oportet, aut alijs præscribat quid facto sit opus. Fusus & colus omnium quidem fœminarum sunt instrumenta ad uitandum ocium idonea. Ocium autem quum omnibus pernicioſum est, tum adolescentibus ac mulierib. longe pernicioſissimũ. Sunt enim uiri qui res magnas tractãt sola mentis agitatione. Puellaris animus nisi detineatur occupatione, protinus in deteriora dilabitur. Et recte quidem faciunt, qui quod nolint suas filias ad opificium educari, uel ob facultatũ abundantiã, uel ob generis ac fortunæ dignitatẽ, tamẽ docent eas artem

texendi

texendi aulea, aut Serica, aut canere fidibus, ne desit quo fallant ocium: rectius tamen facturi, si eas bonis literis erudiendas curarent. Nam quæ texit, sic est occupata, ut tamẽ interim uacet audire iuuenum fabulas, & obiter respondere iocis. Cæterum quæ libris intenta est, totum illic habet animũ. Adde quod studia, si cœperint adlubescere, uehementiore quodam œstro percellunt animum, quàm ulla cæterarum artium: quibus ut maxime depellatur ocium, tamen hoc habent studia, quod quo magis exercentur, hoc magis dulcescunt, tum ad extremam usq; senectutem cultorem non deserunt. Postremo non solum excludunt ocium literæ, uerum etiam puellarum animũ optimis præceptis imbuũt, & ad uirtutem instituunt. Penelopen Telemachus interdum remittit ad colum & fusum, quæ tamen & auleorum texendorum perita fuisse legitur. Quin & alijs heroinis ferè artis huiusmodi scientiam tribuunt poetarum monumenta. Vbi sunt igitur isti parentes, qui liberos suos parum ingenuos esse credunt, si quid omnino bonarum artiũ didicerint præterq; ducendi choreas, conuiuandi, & ineptis facetijs altercandi? Cyrus ille magnus Persarum rex apud Lysandrum gloriatur, quod ipse suis manibus arborum ordinem in quincuncem digessisset, sic ut angulorum inter ipsos cõgruentia, & ambulationum apta series, ipso etiam prospectu delectaret oculos. Apud Rom. principibus uiris adeo nõ est sordida uisa cultura agrorum, ut uiri nobiles, quorum est Cato & Varro, nõ grauati sint hac de re diligenter libris æditis præcipere. Nunc plebei quoq;, quibus tantum est cẽsus, ut citra manuariam operam propemodum uiuere liceat, non patiuntur suos liberos artem innocuam discere, sed ad uoluptates & ocium illos educant, putantq; pulchrius esse bonum aleatorem dici, quàm bonum agricolam.

Igitur in bonis animi dijudicandis primũ illud est, ut norit ea de quibus iudicat. Virtutem autẽ ferè nec nouit nec amat, nisi qui possidet. Et hac quidẽ in parte, sicuti dictum est, potior esse debet parentum aut maiorum q; liberorum calculus. Præstat enim illis habere fidem, qui tum suo tum aliorum malo docti, sciunt quid sit expetẽdum, quid fugiendum, quàm cõmittere, ut ætas imperita suo malo prudentiam colligat. Proximum, ut ratio adhibeatur in consilium, non affectus. Et hic rursus expedit, ut liberi parẽtum iudicio deferãt, quod hi liberi sint ab œstro Cupidinis, qui frequẽter imponit ætati iuuenili. Tertium, ut inter animi bona distinguant. Sunt enim alijs alia præstantiora: summum autem locum tenet pietas. Sunt rursus quædam quæ non statim bonũ reddant possessorem. Potest enim esse bona textrix, quæ non sit bona mulier: & potest esse bonus iureconsultus, qui malus sit uir. Quartum, ut non solum spectetur quid pulchrum sit, uerum etiam quid sit aptum. Quemadmodum enim Christianis nihil aptum uideri debet, quod non sit honestum, tamen pulchrũ esse potest, quod huic aut illi non sit accõmodum. Harmoniæ uero tanta uis est, ut aliquoties inter dissimiles, sed apte iunctos firmior sit concordia q; inter similes, etiamsi rectissime dictũ est, similitudinẽ esse cõciliatricem beneuolentiæ: neq; enim ijsdem rebus capiuntur omnes, imò incredibilis est ingeniorũ uarietas. Quintũ, ut in explorandis animi bonis, non tam oculis fidat q; auribus, quin potius ex omnib. cõiecturis colligat puellæ mores & ingeniũ: ex maioribus, nam ferè fit, ut ex bonis nascãtur boni: ex educatione, quę plus habet momenti, q; genus ipsum: ex anteacta uita, ex fama, cuius oportet parentibus non minorẽ esse curã, q; pudicitiæ, quorũ hoc oportet præcipuum esse studium, ut integrã puellam tradant sponso. Verũ nõ tradunt integram, cui si corpus illibatum est, tamen est contaminata fama. Ex his itaq; rebus longe certior erit diuinatio, q; ex ullis præpetibus auibus aut solistimis tripudijs. Qui bene conijciet, hũc uatem puta optimum. Veruntamen, ut in obseruãdo uolo adhiberi diligentiã, ita nolim abesse ciuilitatẽ, quæ consulat pudori famęq;, præsertim uirginum. Quidã enim proci postea quam uident aliũ prælatum, fingunt ac spargunt dedecora puellarũ, ne uideantur præteriti, sed contempsisse magis quod assequi non poterant. Quãto illud humanitati Christianæ congruentius, etiamsi quid deprehensum sit infelicitatis in fortuna moribusq; uirginis elocãdæ, dissimulare ac tegere? Quemadmodũ turpe nõ est iuuenibus ambire sponsam, quod uirginibus sit indecorũ, ita nihil decedit illorũ famæ, si non assequuntur quod ambiunt: quandoquidem una non potest nisi uni nubere. Proinde quoties unius puellæ plures sint proci, consultum fuerit electionem sponsi deferre parentibus, quo minus inuidiæ recidat in uirginem. Quod si una uni displicere cœpit propius inspecta, non difficile

Epilogus

fuerit aliquid cõminiſci cauſæ, quod uirginis nuptijs non officiat. Inciuilis enim licitator habetur, qui gemmas uenales alijs teſtibus uituperat. Si precium placet, quid opus eras uituperare? ſin minus, liberũ eſt abire tacitum. Sed multo inhumaniſſimũ eſt puellæ, quæ tibi non cõtingit, fictis probris officere, quo minus nubat alteri. Ad hæc incõmoda uitanda conſultũ fuerit, ab huiuſmodi negocijs populum arcere, ſed clàm inter parentes tranſigere. Sic enim & minus erit rumoris aut inuidiæ, ſi quid fefellerit: & felicius cedet uenatus, ſi rumor non inuitarit æmulos. Interim dixerit quiſpiã, quũ inter mortales ſemper bonorũ magna fuerit paucitas, ſi boni cũ bonis tantũ iungantur, quid de malis futurum eſt? Habeant ſanè ſimiles labra lactucas: & qui ſimul peccarunt extra coniugiũ, ſimul agant pœnitentiam in coniugio. Certe qui malis artibus uirgines ſimplices illexerunt ad ſtuprum, deberent quidem bonorũ uirorũ ſuaſu ducere quas uitiarunt, ſaltem ad elocandum cũ dote, etiã legibus cogi oportuit. Quur hic adeo ceſſant Chriſtianorũ leges? quia hic magnatũ quotidianus luſus eſt, quorũ arbitrio leges rogantur & abrogantur. Atqui non ceſſabit lex diuina, quæ ſaltem apud Chriſtianos plus ualere debet ẽ lex humana.

Delectus ex corporis bonis

Hactenus quidem de delectu qui ex animi bonis ſumitur, ſatis dictum arbitror, nunc de corporis bonis nonnihil attingendum, nec interim litigabo cum Stoicis ac Peripateticis de uocabulo, bona ne ſint appellanda an cõmoda potius. Et in his ferè præpoſterũ eſt uulgi iudicium. Forma & ætas ſpectatur in primis, quæ duæ res ſi ſolæ concilient amorem, non poterit eſſe perpetua beneuolentia. Quũ enim ætatis flos ſit admodum breuis, & formæ gratia, non ætatis tantum acceſſione: uerum multis alijs de cauſis frequẽter intereat, neceſſe eſt ſimul & beneuolentiam perire, ſublatis fontibus unde manabat. Amicitiam igitur quam perpetuã eſſe uolumus, ex his rebus oportet proficiſci, quę nec caſibus expoſitæ ſunt, nec ætate marceſcunt. Audi Chriſtiane proce Sapientis conſiliũ: Fallax, inquit, gratia, & uana eſt pulchritudo, Mulier timens deũ, ipſa laudabitur. Te rapit flos ætatis, roſam adamas mox collapſuram, noli fidere, fallax eſt gratia. Stupes formã corporis: ſed audi, uana eſt puchritudo. Quare uana? quia nitet ad breue tempus. Quare uana? quia ſæpe mẽdax eſt. Etenim fucus eſt nõ uera ſpecies, quæ ſub cute formoſa tegit animũ deformẽ. Quid igitur hęrent oculi tui in ſuperficie? intende philoſophicos oculos, & perſpice formam animi. Ea uel ſola ſufficit ad conglutinandam perpetuam beneuolentiam, cui ſi accedat forma corporis, uelut aurũ additum gemmę, non ſunt reijcienda diuorum munera, ut inquit Homerus, modo ne præpoſtera ſit rerum æſtimatio. Ad eam igitur formam deflectas oculos, ad quã altera collata fucus eſt ac mendacium. Vbi nam ea? En tibi cõmonſtrat Sapiẽs, eo quẽ modo citaui loco: Mulier timens deũ, ipſa laudabitur. Hic eſt animi flos, hæc eſt ęterni hominis uere ſuſpiciẽda ſpecies, pietas ac religio. Animus enim qui deũ timet, nullum illius præceptũ uiolat, eoq; nec rugã habet nec maculã. Quid prodeſt, ſi cutis nęuũ nõ habet, quũ uitiorũ maculis totus ſordeat animus? Clamat itẽ Eſaias: Cap. 40 Omnis caro fœnũ eſt, omnis gloria eius quaſi flos agri: exiccatũ eſt fœnũ, & cecidit flos: uerbum aũt domini manet in æternũ. Hæc propheta iubetur non loqui ſed clamare, nimirum mortalibus ad iſta ſurdaſtris. Si quicquid corporeũ eſt, flos fœni eſt, quanto magis ætatis aut formę gratia? Sed audis aliã formã, perpetuo uernantẽ etiã in extrema ſenecta? Verbũ domini manet in æternum. Vbi uiget uerbũ domini, ibi perpetua gratia decoris. concilians amicitiã nunquã intermoriturã. Veruntamẽ quoniã matrimoniũ conſtat ex corporũ & animorũ coniunctione, nonnulla eſt habẽda ratio cõmodorum etiã corporalium, ut hac quoq; parte conſtet uel æqualitas uel ſimilitudo. Qui philoſophus eſt, omnino negliget formã quamuis infelicem, ſi modo dotes animi penſabũt huius rei detrimentum. Videmus inter decrepitos & decrepitas manere uigorẽ coniugalis beneuolentiæ, quum iam ueteris formę ne ueſtigiũ quidẽ ullum ſuperſit. Qui minus hoc in homine prudente præſtat ratio, quod in alijs efficit conſuetudo? Qui nõ ducit uxorẽ, niſi uel gignendæ proli uel refrenandæ libidini, huic ſexus abunde cõmendat cõiugem. Qui non tenebit tantũ philoſophiæ, ut poſſit animi bonis eſſe contentus, eligat formã mediocrẽ, quam alij ſtatã, alij uxoriã uocant, quæ nec tædiũ habeat abominãtis, nec illicis gratiæ tantum, ut adulteros inuitet, aut accerſat infamiã. Et ſi forte contigerit inſigne decus formæ, morum integritas, uitæ frugalitas, & cultus ſimplicior, hæc incommoda facile uel excludet uel mitigabit. Nuſquã autem tutior eſt formæ theſaurus quàm domi, nec uſquam magis

uerſari

uersari decet pudicã coniugẽ. Periclitata est Sara, sed peregre: rapta est Dina, sed apud exteros. Deus curã habuit pudicitię Saræ, quod maritũ dei iussu peregrinantẽ comitata est: Dina uiolata est, quod præter autoritatẽ patris obambularit in aliena ciuitate, spectatrix ac uicissim spectanda. De ætatis delectu certa præscribere haud quaquã facile uidetur: etenim qui rudem puellam quærunt quam ad suos mores forment, ijs magis cõuenit ætas tenera, & in quemuis habitũ flexilis. Qui malunt iam formatam, præferunt ætatem mediam, uelut in fœminis usq; ad annos triginta, quæ nondum emarcuit, & adhuc ad pariendum est idonea. Aristoteles in Politicis designat in puella annos octodecim, in sponso Libro 7
XXXVII. minores iungi nõ uult, ne liberis natis nulla sit erga parẽtes reuerẽtia, ob ętatis uicinią. Maiores iungi dissuadet, quod parẽtes citius deficiãt, q̃ ut possint frui liberis suis. Hanc ætatẽ q̃ dixi tribus de causis probat. Primũ, quod mediocre discrimẽ sit inter liberos & parẽtes, deinde quod illis annis maturuit tũ uiri tum fœminæ corpus. Postremo, quod sic iuncti fere pariter desinũt gignere, mulier circiter annũ quinquagesimũ, uir circiter annum septuagesimum, atq; id quidem in genere dictũ sic habet: alioqui quemadmodum multi gignunt diutius, ita non pauci citius desinunt. Quamobrem hic non tam numeranda est ætas, quàm expendenda corporis affectio. Sunt enim quædam tẽperaturæ, quas medici crases appellant, tam infelices, ut prius cõsenuerint quàm ad iuuentutẽ peruenerint, non dicam ad senectutem. Quanquã autem ea cura parentũ esse debet, ne sponsus sponsę iungatur, nisi iam ad plenum maturuerint, & ad iustam pubertatẽ peruenerint, non solum ob id ne præproperus congressus lędat, aut interimat etiã adhuc tenera corpora, uerum etiam ne partus inualidi & imbecilles nascantur, ob semen adhuc liquidius, minusq; concoctũ q̃ oportet: tamẽ existunt sæpenumero causæ, quæ suadent nõ expectare tempus, quod fortasse medicus aut philosophus prędscriberet. Paulus nullum certum tempus aususs est præscribere: Si se non continet, inquit, cui uult nubat. Cæterum ad hoc ne iuuenes aut puellæ præcoces euadant ad libidinem, plurimũ habebit momenti diligens educatio, disciplina parentum, uictus sobrietas, occupationes assiduæ, conuictus pudicus, præscripta doctrinæ Euangelicæ. Quid aũt nouũ aut mirũ, si qui summa parentũ indulgentia, uel neglectu potius, per ociũ & luxũ educantur ad lasciuiã inter iuuenes aut famulos intẽperantes, ociosos ac lasciuos, inter ineptos lusus, & obscœnas fabulas, ante tẽpus rapiantur ad libidinem? Verũ ubi monitis, alĳsq; lasciuię frenis nihil proficitur, tutius est indulgere matrimonio, ne quid accidat deterius. Hieronymus ut rem prodigiosam narrat, Solomonẽ adhuc puerũ genuisse filiũ, & nutricẽ quandã ex puero qui cũ cubitabat factã fuisse grauidã. Nunc rarũ exemplum non est, præsertim apud Gallos, puellã uix decẽ annos natã esse uxorẽ, undecimo anno iam matrẽ dici. Verũ hæc prodigiosa non oportet in exemplũ uocari. Quin potius omnibus remedĳs quoad licet frenanda est ætatis, ad dulcia magis q̃ ad salutaria pronę, lasciuia, sed ita ut continentiã persuadeas, nõ extorqueas.

Illud prodigiosum uidetur, quod tamẽ in nõnullis fieri uidemus, prędsertim apud Britannos & Italos, ut tenera puella nubat septuagenario. Certe Veneri, quod aiunt, litasse oportet tales spõsos, si feliciter cedit matrimoniũ. Sed multo etiã absurdius est, quod & ipsi uidimus, si mulier sexaginta sex annos nata nubat iuueni, uix uigesimũ annũ egresso. Nam uir quamuis senex ex puella potest suscipere liberos. Anus ex iuuene mater fieri non potest. In utroq; tamen fœda species est: nam talis sponsus nõ cum uxore, sed cum filia dormire uidetur, & talis sponsa filio nupsisse uidetur non coniugi. Sed huiusmodi nuptias si conciliat diuitiarũ amor, fœdæ sunt, si libido, fœdiores. Eas tamẽ leges ecclesiasticæ nõ rescindunt, quamuis populi salibus ac dicterĳs flagellentur. Sunt tamẽ qui nolint duas ætates æque florentes coniungi, eo quod dicant temperantiorem fore uoluptatis feruorem, si tenera puella spõso prouectiori iungatur. Nam ut sponsa sit uiro grandior, præter naturæ rationem esse uidetur. Etenim qui grandiorem duxit, etiam in coniugio diu cœlebs sit oportet. Verum hoc quoq; coniugiorum genus excusat partim incontinentia, partim obsequiorum mutuorum commoditas. Indecora est senilis intemperantia, cõcordia semper est fauorabilis. Inter bona corporis primum locum bonæ ualetudini tribuunt prisca prouerbia, proximum formæ. Proinde qui sapiunt, magis spectant, quàm salubri, quàm uegeto, quamq; temperato corpore sit sponsus aut sponsa, quàm ætatis modum. Seni nupsit, quæcunque nupsit ualetudinario. Anum duxit, quicunq; duxit morbis obnoxiam.

Sunt autem morbi temporarij, qui depulsi reddunt interdum firmiora corpora, ueluti febris, aut pituita: sunt qui nunquam relinquunt, quos semel cœperint, ueluti podagra, hydrops, aut morbus comitialis, apoplexia, paralysis. Sunt uitia morbis omnibus tristiora, lepra, & scabies uulgo dicta Neapolitana, quę uix ulli cedit lepræ. Sunt & animorũ morbi, phrenesis, paraphronesis, lethargus. Rursus sunt alia quę morbos dicere nequaquam possis, debilitates aut uitia possis, quod genus sunt, cæcitas, claudicatio, aut membrũ mutilum mancumq; . Nam strabi uitiũ formam lædit potius q̃ ualetudinẽ. Sunt & leuiora quædam uitia: quæ tamen offendunt si adsint, quale sit oris graueolentia, aut insignis linguæ balbuties, aures surdastræ. Nullum est horum tam atrox, quin ferendum sit in coniugio, si post initũ matrimoniũ acciderit (est em̃ cõmunis utriusq; sors) eo quod nemo mortaliũ nouit, quid ipsi sit euenturum. Aequum est aũt ut hoc ferat in cõiuge, quod coniugi fuerat ferendum in marito, si fors ita uisum fuisset superis. Sed parentum quorundã insaniam satis demirari non queo, qui purã ac sanã uirginẽ tradunt sponso lepra noua corruptissimo. Quid enim hæc scabies differt à lepra, nisi quod grauiores habet cruciatus, maius uitæ periculũ, & contagiũ præsentius. Et eiusmodi cadaueri iungitur innoxia uirgo? Quæso si parẽtem occidit puella, num excogitari poterat atrocius supplicium? Numerantur anni, spectatur forma, supputatur dos, & corporis sanitas non uocatur ad calculum? Quis unquã sciens leproso locauit filiam? Quid refert hunc morbũ nõ appellari lepram, quũ sit malum lepra detestabilius? Quæ charitas potest esse coniugis erga maritũ, à quo statim in ipsis nuptiarũ auspicijs tali monili donata est? Quæ pietas liberorũ erga parentes, unde uitã acceperunt morte tristiorẽ? Atq; adeo quum principibus ac magistratibus ea curæ debeant esse, quæ spectant ad fortunarũ & corporũ incolumitatem, uehementer admiror, quur tot annis ea pestis neglecta sinatur tam late serpere, præsertim quum præscriptum simul & exemplum habeamus è sacris libris de submouẽdis leprosis? An ideo parcitur malo, quod à proceribus ortũ credatur, quẽadmodum Elephãtiasis, de qua Plinius hunc in modum: Aegypti, inquit, peculiare malum, & quũ in reges incidisset, populis funebre. Lichen quamuis horrenda fœdaq; pestis pepercit fœminis, & infimæ plebi. Hæc nec genti, nec ætati, nec sexui, nec conditioni parcit ulli, nõdum etiã natos attingẽs. Submouentur ex urbibus quos leuiter afflauit lepra: & hij poculis, lectis, mensis, colloquijs, osculis, deniq; coniugijs permixti, terrarũ orbem inficiũt, uidelicet in procerũ gratiam. Habet hoc malum & illud peculiare, quod qui hoc affectus est, gaudet etiã alios in mali consortiũ pertrahere. Hoc nimirũ est diabolici cuiusdam liuoris. Nam ipse sua culpa prolapsus in calamitatem, nihil aliud agit, q̃ ut quoscunq; potest perpellat in societatem maliciæ. Verũ de his quomodo suo fungãtur officio, quibus incolumitas ciuiũ commissa est, uiderint alij. Certe parentũ erit, qui minuta permulta spectant in deligẽdis sponsis, nequaquam hoc tantũ malum negligere, quod nõ solum filiæ certũ minatur exitium, uerum etiã posteritati. Iam illud mihi respondeant uelim, si casu quopiam filia cõstuprata esset ab homine leproso, nonne curarent stupratorem exurendum, si possent? Quid igitur sanæ mentis habent, qui scientes ac uolentes uirginẽ innocentẽ leprosi tradunt amplexibus? Rursum si filiæ nuptijs destinatæ, lepræ morbus præter expectationẽ obtingeret, nonne luctus miserabilis totã familiam, totamq; cognationẽ occuparet, plorantibus ob misericordiã & alienis. Nũc quũ filia, nepotes ac pronepotes totaq; posteritas lepræ proditur, quasi re bene gesta, saltatur & canitur in nuptijs. Quis est sanæ mentis, qui non malit semel omnibus fortunis suis exui, q̃ ingens opum incrementũ lepra depeciscí? Felicius igitur collocaris filiã tuã, si tenui figulo, aut holitori sano, q̃ si satrapæ leproso nuptũ dederis. Et haud scio utri grauius impij sint, qui exponunt liberos suos, an qui sic elocãt? nisi quod illis ut res pessime cadat, uelox interitus est, hic mors lenta. Tum uidemus multis feliciter cessisse, quod expositi fuerint, hic quid potest esse felix, nisi hac in parte felicitatem ponimus, quod ob mẽtis insaniã, nonnunq̃ nostris malis ideo delectamur, quia non sentimus esse mala. Rescinditur matrimoniũ cũ eo contractum, qui ad congressum maritalem est inidoneus, & ualet contractũ cum eo qui pus habet pro semine, & scabiem gignit pro liberis? Quid, quod nec mẽs ualere potest affecta malis corporis? & talibus portentis obtrudunt, qui sibi sani uidentur, filias aut filios suos: & minore cura paratur gener q̃ equus. Hic enim excipiunt occulta uitia, diligenter obseruantur ea quæ uenditor

præstare

præstare nõ cogitur: in matrimonio contrahendo prudentes manifesta negligimus. Proinde sequundum morum expensionem, prima ratio debet haberi ualetudinis. Sunt aũt quædam corporis uitia, quæ contagij periculo uacãt, ueluti claudicatio, cæcitas, pars corporis mãca aut mutila, aut alioqui prodigiosa deformitas. Et in his æqualitas facit ad coniugij concordiam. Noui apud Britannos sacerdotem procero sanoq; corpore, uirũ probum, qui mihi narrabat sibi undecim esse fratres, quorũ nemo corpus haberet infelicius quàm haberet ipse: patrem fuisse tibijs contractis, ut sella uehendus esset, si locum mutare uellet, tum re tenui, duxit uxorem cęcam: & facti causam dixit: Sic melius, inquit, inter nos constabit amicitia, feremus nos inuicem pares calamitate, neutri futurum est quod exprobret alteri. Nec fefellit hominem suum iudicium. Nullus unquam inter illos sermo fuit non amicus & blandus. Pietati deus successum addidit. Tranquillus & innocẽs erat conuictus, felix fœcunditas. Supereſt ut de bonis externis dicamus, quæ partim talia sunt, ut nobis imprudentibus obtingant, quod genus est, ex claris aut opulentis maioribus nasci: partim eiusmodi, ut nostra quoq; industria parentur & augeantur. In hoc ordine primas tenet generis claritas, præsertim ea quæ uera uirtute parta sit. Vulgaris enim nobilitas sunt antiquæ diuitiæ. Atqui nõ raro fit, ut opes sceleribus parentur. Alioqui uera nobilitas si qua est præter ipsam uirtutis opinionem, certe domesticum habet exemplũ recte uiuẽdi ex maioribus: à quo si degenerarint, ad nihil aliud ualẽt stemmata, nisi ut famosior reddatur illorum improbitas. Nunc apud nonnullas nationes inane nobilitatis nomen impunitatem adfert scelerum. Etenim si piraticam aut latrocinium exerceat plebeius, in rotam subigitur: si eques, aut qui minimum nobilitatis possit fingere, & si quam habet turriculam, latronũ speluncam, bellum appellatur, quod aliquoties indicit is, qui pedẽ ubi ponat nõ habet. Vnde talibus ius indicẽdi belli: unde ius sub belli simulati prætextu, in publicis uijs, in alienis ditionibus spoliare quoslibet: Quoties ad aleam, scortationes, potationes deest pecunia, ad belli titulum confugitur, & hostis est, quisquis habet aliquid ad prædam idoneum. Principes ac præcipue Cæsar optime mereretur de rebus mortalium, si talia portenta tolleret de medio, cum suis equis & turribus, nec sineret illis in facinore deprehensis in aliud prodesse generis titulum, nisi ut uelut eminẽtes in altiorem rotam tollerentur. O parentum dementiam, qui putant rectius consultum filiæ, si tali equiti nupserit, quàm si bono agricolę, aut perito fabro. Et inani nobilitatis fuco decepti, malũt generum, qui bene parta male dissipet, quàm qui sua industria rem traditam seruet augeatq;. Hic puellis poterat ignosci. Sexus & ætas gloriæ cupientior est, nec ualet rerum iudicio, sed tantum quod in præsens delectat, spectat. Parẽtibus uenia dari non potest, qui postea turpiter deplorant calamitatem, quã excludere poterãt. Etenim quum tot extent exempla sic initorum coniugiorum, debebant ex alienis periculis sapere. Valeat igitur nobilitatis inane nomen uel facinoribus partæ, uel malefactis inquinatæ, uel emẽtitæ, uel asciticiæ. Ementiri nobilitatem impostorum est, quod tamen faciunt nõnulli, quo peccent excusatius tutiusq;. Emere nobilitatem stultorum est, ueluti fumo gloriantium, quum sapiẽs uerã etiã nobilitatẽ cõtemnat. Et tamẽ aliquid est è claris probisq; maioribus prognatũ esse: sed lõge plus iuxta maiorũ decora educatũ atq; institutũ esse. Proinde si ad calculum uocantur maiorũ imagines, simul expendatur ingeniũ, mores, & educatio, ne postea deplorent experti, quod prouerbio Græco dici solet, Heroum filij noxæ. Honesti generis habeatur ratio potius quàm clari. Neq; quicquã apud te ualeant isti proceres, quibus domi nihil est nobilitatis, præter maiorum imagines. Abunde nobilis est, qui uirtute præcellit: nec ignobilis uideri potest, qui ex legitimo coniugio prognatus est. De nothis autem aut spurijs semper in peiorem partem uergit suspicio: quanquam & fæpenumero fallit. Quemadmodum enim res ipsa docet, ex optimis parentibus nasci pessimos liberos: ita contrà ex illicito concubitu uidemus nonnunquam nasci præclaros uiros. Iepte nothi nomen apud Hebræos inter uirtute celebres habetur. Themistoclis gloriam non obscurat nothi cognomen, Socrates nullius nominis liberos reliquit. Cicero M. Tullij filius, uinosus, ineptus, multumq; patri dissimilis fuisse legitur. Commodus imperator omniũ illaudatissimus, ex Antonino omniũ laudatissimo prognatus est. Quod arbitror uxoribus imputandum, quæ gignunt & primam ætatem educant. Nam Socrates habebat uxores male moratas. Marci Tullij Terẽtia repudiari meruit. Antonini Cæ-

Delectus ex bonis externis

saris uxor, non unius adulteri familiaritate male audijt. Proinde conueniet utriusq; parentis non tantum stemmata, sed & mores æstimare. Si in cæteris paria faciunt nothus & ingenuus, patritius ac plebeius, præferendus est ingenuus ac patritius. Sin uera bona in plebeio præponderant, non tanti sit apud te nomen nobilitatis, ut malis filiam tuam apud illum uiuere, qui alienis decoribus illustris est, quàm apud eum qui talis est, ut ipse possit etiam obscurum genus suis decoribus nobilitare. Fateor, res est admodum plausibilis, maiorum imaginibus commendata probitas: sed quoniam nunc uulgo nobilium artes ferè sunt alea, chartæ, potationes, choreę, nugę, scortationes, qui filiæ optat felix sanctumq; coniugium, educationem ac mores expendat, hoc est propria bona potius quàm aliena. Et hic patiar aliquid dari receptæ gentium opinioni, modo discrimen in ueris bonis sit exiguum. Nam in Christianorum matrimonijs oportet hunc scopum semper esse præfixum, primum ut legitimum, deinde ut sanctum, postremo ut concors ac tranquillum sit matrimonium. Nec infelix haberi debet, in quo contigerint hæc tria. Olim fingebant cœlestes deos cũm nymphis aut cum hominibus commiscerí, unde semideos nasci credebant: quemadmodum ex Venere & Anchisa natus creditur Aeneas, ex Semele & Ioue Bacchus, Ioue & Alcmena Hercules. Nec desunt qui somniẽt talem esse mixturam patricij cum plebeia. Verum hanc opinionem, quam in ethnicis etiam ridẽt philosophi, oportet ab animis Christianorum quàm longissime propulsatam esse. Omnes per baptismum nascimur legitimi filij dei, omnes eadem manet hæreditas: ille nobilior est, qui melius exprimit imaginem conditoris, qui pater est communis omnium pie uiuentium: qui propius accedit ad exemplum unigeniti illius, qui nos omnes fraternocognomine dignatur. Si placet nobilitatis ratio, hic demum est uera nobilitas. Paulus ait maritũ infidelem sanctificari per mulierem fidelem, & contrà: quanto magis oportet uxorem nothamq; plebeiam nobilitari per uirum patritium, & contrà?

Seruitus quidem odiosa res est, quam & Paulus iubet effugere, si modo liceat. Verum hanc oportuit à Christianorum uita iam olim sublatam esse. Quid enim magis indecorum, quàm ut inter Christianos, quos omnes ex æquo Christus redemit precio sanguinis sui, alius alium non pro fratre, & cohærede regni cœlestis, sed uix pro homine ducat, ære mercans perinde ut iumentum, ac si libet, reuẽdens: nec aliter habens utensq; quàm brutis animantibus: imò durius aliquando tractans religione fratrem quàm equũ suum.

Cato Qui Christum non nouit, admonet, ut seruos homines esse memineris. Paulus apostolus seruum baptizatum transire uult in nomen fraternum. Sic enim commendat Onesimum suo domino, unde profugerat: Tu autem illum ut mea uiscera suscipe. Et paulo ante dixerat eum filium charissimum: Quem, inquit, genui in uinculis. Ac mox: Vt illum reciperes, iam non ut seruum, sed pro seruo charissimum fratrem. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut & me. Tantum hic ualuit communis baptismus, ut qui prius seruus esset, & seruus fugitiuus, Paulo fieret filius charissimus, domino frater charissimus. Apostolus non uult seruum à domino discedere, nisi manumissum, ne quod offendiculum daretur suboleſcẽti Euangelio: qua de causa nec uxorem Christianam uult a marito, licet ethnico, diuertere. Quod si leges hominum urgent dominij iura, certe uertantur animi, si minus uertitur conditio. Serui non iam metu fungantur officio suo, ad oculum, ut ait ille, seruientes, sed ex animo faciant omnia, in simplicitate cordis timentes dominum, gnari quod si homines impij sunt aut inhumani, quibus seruiunt, tamen à Christo, cuius amore seruiunt heri, recepturi sunt precium abunde magnum hæreditatis æternæ. Domini uicissim quod iustum & æquum est præstare debent humaniter, tanquam fratribus, & conseruis, & cohæredibus: fratribus, quod eidẽ patri renati sunt per baptismum: cõseruis, quod communi domino nihilo minoris constat seruus homo quàm dominus: cohæredibus, quod in distribuendis præmijs, quæ promisit Euangelium credentibus, nihilo potiores habebuntur heri quàm seruí: neq; cuiquam officiet conditio, sed proderit pietas. Verum aliàs fortassis hæc incident opportunius. Tantum hic admonere uolui, cautionẽ adhibendam, ne quis imprudens ancillam ducat pro ingenua. Rescindunt quidem & hominum leges hoc matrimonium: commodius tamen est uitare laqueum, quàm extricari posteaquam incideris. Serui uero aut ancillæ qui se pro ingenuis obtrudunt liberis, idq; dolo malo, deberent meritas pœnas dare legibus. Diuitiarum uero debet esse

leuissima

leuissima ratio, præsertim si sit alterutri tantum census, unde possint munde uiuere, aut artificium fundi loco. In Comœdijs quidem pronunciantur infirmæ nuptiæ, quæ pauperem sponsam iungunt diuiti sponso, quod ea detur in seruitutẽ uerius quàm in matrimonium. Cæterũ inter Christianos, quos tot modis æquauit Christus, non oportet tantum ualere dotis supputationem. Quanquam felicius ferè cedit, si sponsus, ut dixi, locuples asciscat sibi sponsam indotatam, quàm si contra. Proinde laudem meretur ille diues, qui puellam tenui fortuna, sed indole bona, sibi adoptat in matrimonium, cui tanto plus habebit honoris ex humanitate sua, quanto fortuna est iniquior. Quanquam inter infirmos nonnihil ad concordiam facit & opum æqualitas, quæ spernenda non est, si cæterorum item commodorum aut incommodorum ratio subducatur, ubiq; seruato quem indicauimus ordine. Hoc pacto si coeant matrimonia, uidelicet autoritate parentum, aut maiorũ matura deliberatione, uigilanti delectu, sano rerũ iudicio, sed super omnia in deum fixa spe: non habebit mundus tot infelicia perplexaq; coniugia, nec tam multa diuortia. Solus deus est qui mortalium animos perpetua charitate glutinat, qui nostras actiones suo fauore prosperat. Eum non alia re magis possumus emereri, quàm si iuxta illius præcepta uiuentes, fiduciam successus omnem in illum cõijciamus, qui solus nouit quid nobis expediat, qui nihil immittit suis, nisi felix ac faustum, etiam si iuxta uulgare iudicium uideatur ærumnosum. Proinde si contingit uxor ex animi sententia, deo gratię sunt agendæ: sin aliter, sic cogita, quemadmodum nonnullos per morbos & rerum iacturas ad se trahit purgatq;: ita tibi datam esse morosam uxorem, quæ uirtutem tuam exerceat, quod sanctissimis uiris Iob & Thobiæ uidemus accidisse. Qualis si tibi quoq; contigerit, subijce te uoluntati diuinæ: & si minus potes mederi uitijs uxoris, amplectere datam à deo tolerantiæ materiam, dicens cum Paulo: Virtus in infirmitate perficitur. Dabit ille finẽ malorum, qui tanquam sapiens medicus nouit tempora, & momẽta temporum. Illud scito, nullam ibi esse infelicitatem, ubi constat mentium ac uoluntatum syncerita. Iam præter hæc omnia quæ dicta sunt, est quidam arcanus ingeniorum consensus, aut odiũ: unde fit, ut aliquis in hunc aut illum propensus sit, nulla intercedente causa, quur illi melius uelit quàm alteri: rursus ab alio prorsus abhorreat, nec causam possit dicere, quam ob rem illum oderit. Veteres illi sophi fingebant hic cognationem aut dissidium geniorũ: uerum hoc commentum utcunq; habet, comperimus inter homines occultam naturarum affinitatem, aut dissidium, ut sæpenumero dicas illud epigrammatis:

Non amo te Volusi, nec possum dicere quare.

Hoc tantum possum dicere: nõ amo te. Huic affectui nequaquã fidendum est, præsertim in mulieribus, quod plerunq; temerarius sit ac tẽporarius: cæterũ si constat, si perpetuus est & inuincibilis, non expedit θεομαχεῖν, mea quidem sententia: sed indulgendum est arcano naturæ sensui, quem & in animantibus, & in herbis ac plantis uidemus.

Charitas mutua

Postea quàm igitur sano sobrioq; iudicio coijt legitimum matrimonium, proximum erit dare operam, ut inter coniunctos coalescat ac roboretur mutua beneuolentia. Nam inter nonnullos in ipsis statim initijs prius dissilijt amicitia, quàm cœperit conglutinari, aut quàm alter alteri uel notus fuerit, uel assueuerit. Quo quidem in officio primæ partes erunt parentum ac maiorum, uidelicet præmonere sponsum ac sponsam, ut deponant ferociam animorum, quæ solet rerum imperitis uirginibus, & adolescentibus ætate feruidis adesse: sed uterq; mansuetis animis commune iugum suscipiant, sesecq; uicissim alter alteri accommodent, donec assuetudine familiaritateq; contracta, uterq; alterius ingenium ac mores nosse cœperit. Quo facto, non magni negocij fuerit, mutuis obsequijs uitare offensas, ac beneuolentiam perpetuam alere, quæ si semel fuerit confirmata, haud facile rumpetur: fietq; quod in uasculis glutino commissis fieri uidemus, si mox ut iuncta sunt offendas, udo etiam num glutino, ilico rumpuntur: sin expectes donec durato uisco cohæserint, uix igni ferróue distrahuntur: citiusq; franguntur ea quæ natura iunxerat, quàm quæ glutino commissa sunt. Parentum itaq; monitis instruenda puella est, ut se nouo sponso commodam ac morigeram præbeat: & si quid offenderit, in meliorem partem interpretetur, aut certe ferat, nec temere ad rixas iurgiaq; prosiliat, aut ex ædibus sese proripiat, donec contracta fuerit conuictu familiaritas, quæ faciet, ut quæ prius offendebant, delectent, quæq; uidebantur intolerabilia, facillime tolerentur. Cæterum

ab offensis summo studio cauendum, quod iuxta fabulam Homericam, uelox sit Ate, segnes Litæ. Leuibus autem offensis ex altera parte recens ortis, non difficile fuerit mederi. Cæterũ si reciproca talione cœperint propagari, & altius agere radices, difficillimum fuerit reuellere, ut non resideant mali uestigia: quemadmodũ ruptura membrorum, aut altius actum uulnus, uix unquam ita tollitur arte medicorum, quin aut dolor per occasionem recurrens, admoneat ueteris mali, aut fœda cicatrix non sinat obliuisci plagæ. Perstricta cutis, aut leue uulnusculum facile sanatur, atq; etiam obliteratur. Quemadmodum autem nullum ingenium hominis tam felix est, ut nullum omnino næuum habeat: ita uix ulla natura tam est deplorata, quin aliquid habeat uitijs admixtũ, quod possis uel probare, uel certe ferre. Hic igitur Epictetus est audiendus, qui monet unam quamq; rem ea prendendam ansa, qua possit teneri, non ea qua teneri non possit. Est enim hominum genus, quibus omnia displicent in omni uita mortalium: nec mirum, quia non flectunt oculos nisi ad mala, rebus humanis admixta. Tales erãt Heraclitus ac Democritus, quorum alter, quoties in publicũ prodibat, flebat, alter ridebat: uter altero insanior, incertum. Talis erat qui dixit, optimum aut non nasci, aut quàm ocissime aboleri. Contrà Metrodorus quoniam ex omnibus quod inerat commodorũ excerpebat, nullam uitæ partem non probabat. At sapientis quidem est, commoda cum incommodis conferre, si quando libera est consultatio. Cæterum ubi mutare uitæ genus non est liberum, ab incommodis ad commoda flectendi sunt oculi. Ita commodius feres, quod mutari non potest. Ideo facilius erit, si cogites in te quoq; plus esse fortasse, quod sit alijs ferendum. Deus, in quo nihil est mali quod ferendum sit, tamen tanta lenitate fert errores & delicta nostra: & tu tot uitijs obnoxius, nihil uitij ferre potes in socia uitæ, quæ tibi ferenda sit, etiam si ferre nequeas? Si paria faciunt in uitijs uir & uxor, pensatio est non tolerantia, & hostimẽtum est non beneficium, ignoscere ignoscenti. Apud iureconsultos quatuor sunt cõtractuum formulæ: do ut des: do ut facias: facio ut facias: facio ut des. Quid enim meretur ille, qui dat ueniam, ut ipsi uicissim delinquenti uenia detur? Si tua mala superant, impudenter facis, qui non feras uerrucam in altero, quum tuis tuberibus postules dari ueniam. Quod si tu prudentia bonitateq; præcellis, hoc magis oportet, iuxta Pauli doctrinã, fouere quod infirmius est. Tuã firmitatem dei donum esse memento, datum in hoc uti proximi subleuet infirmitatem, præcipue coniugis. Nullus enim carnem suam odit aut horret, tametsi uitiosam, sed fouet magis ac nutrit eam. Et alioqui uir interdum cedere debet uxori, tanquã uasculo infirmiori. Vxor multo magis deferre debet autoritati capitis. Caput enim uxoris uir, autore Paulo. Hoc enim est maritus uxori, quod animus corpori. Præstantior est animus, sed bono corporis, cui semet accommodat ut prosit, non dominatur ut opprimat. Charitas, qua sponsus prosequitur sponsam, facile perficiet, ut puellæ mores ad tempus aut ferat aut corrigat: rursum puella si ad sponsum attulerit amorem cõiugalem cum decente reuerentia coniunctam, quæ uel iuxta naturæ leges debetur tum sexui, tum autoritati, non facile responsabit marito, sed obsecundans ac cedens, sibi deuinciet illius animum. Habent & dulcissimarum rerum initia quandam suam molestiam, uelut acerbitatem quandam, progressu temporis in dulcorem abituram. Quid uino suauius? At hoc ab uua uenit primum acerba. Proinde qui statim resiliunt à uirgine, cuius acerbitatẽ ferre non possunt, nihilo consultius faciunt, quàm si quis gustatam uuam immaturam, offensus acore, contemnat, alijsq; maturæ suauitatem relinquat. Expectas musta uina, donec tempore deponant austeritatem: expecta & tu paulisper, donec noua nupta maturescat. Seponis subacria mala, donec tempore fiant mitiora. Hæc acerbitas frequenter arguit ingenium uegetum minimeq; flaccidum. Minus enim uirium habent, nec ætatem perinde ferunt, in quibus precox est maturitas. Neq; mel, inquit prouerbium, neq; apes. Si quod dulce est expectas, ferendum est quod adiunctum est molestiæ. Sic enim habet natura rerum humanarum, ut nihil uoluerit esse tam suaue, quin aliquid aloes admiscuerit. Habent & adolescentes, nondum multo rerum usu formati, quiddam ferox & insolentius, quod paulatim ætate mitescit. Proinde puellæ quæ protinus offensæ resiliunt à sponsis suis & simultatem suscipiunt, non minus inconsulte faciunt, quàm si quis apis ictum perpessus, mel alijs relinquat. Gratissima rosa de spinis nascitur. Nullus excindit rosarium, offensus aculeo, sed fructus amore, quod molestum est dissimulat. Tradunt

apud

apud Bœotos hunc fuisse morem, ut sponsam opertã ad spõsum deducturi serto ex aspa/ragis cõtexto coronarent. Id quidẽ quo magis ridiculũ uidetur, hoc magis excitat spectatorem, quid sibi uelit. Nimirum ueteres illud intelligi uolebant, in congressu primo rudis & indomitæ uirginis ac iuuenis rerum imperiti, nonnihil futurũ asperitatis ac molestiæ, quæ si perferatur, ex ea molestia consequi suauissimam uitæ consuetudinem, quemadmodum asparagus herba spinosa est, uel potius tota spina: nihil enim habet foliorũ, & tamen hinc nascitur fructus & in cibis gratissimus, & ad multa utilis medicamẽta. Et asparagus quidẽ semper asparagus est, nec semper habet fructũ: at coniugũ asperitas uertitur in perpetuam dulcedinẽ, ac fructũ habet perennem, si semel coaluerit mutuis officijs uitæ coniunctio. Sunt & in bonis ac bene natis ingenijs quædam non uitia, sed tamen ita peculiaria, ut molestiam adferant nisi assueueris. Veluti sunt uina quædam, in quibus nec austeritatem, nec acorem possis incusare, sed suum quendam ac genuinum habẽt saporẽ, quem uulgo soli dicunt, submolestum ijs qui nondum assueuerunt, quæ tamen molestia paucorum dierum assuetudine pellitur. Quod facis in uino, facere grauaris in cõiuge? Rursum sunt uitia, ceu næui quidam, leuiora, ad quæ præstat conniuere. Vitiat enim omnẽ uitæ iucunditatẽ morositas, quam Græci μικρολογίαν appellant. Ea uel de lana, quod aiunt, caprina rixam mouet. Plurimũ autem faciet ad confirmandũ amicitiã perpetua quædam morum comitas, sic tẽperata inter blanditiem & austeritatẽ, ut nec reuerentiã tollat, nec consuetudinis iucunditatẽ uitiet. Hæc faciet, ut nec correptio, si res ita tulerit, offendat, si tempestiua, si cõmode adhibita, si laude blanditijsq; temperata. Ad uitandas igitur offensas, concordiamq; conglutinandam præcipuum erit, cuius aliqua pars etiã à parentibus tradi poterit sponso & sponsæ, ut uterq; studeat alterius mores & ingeniũ habere cognitum. Ipsa, inquit Maro, uiri molles aditus & tempora nosti. Item apud Comicũ seruus, sensum illius, inquit, pulchre calleo. Mores amici noueris nõ oderis, habet prouerbium. Id multo magis oportebit in coniugio facere. Vt suum cuiq; palatũ est, ita & ingenium. Alij alijs rebus capiuntur aut offenduntur. Hic citra uitium, obsequium amicitiã pariet. Verecundũ silentiũ, aut comis blandaq; responsio sæpe graues offensas excludit. Quur recusas hoc, quod interdum das famulo aut mercenario, dare coniugi, qui cum uelis nolis tibi perpetuo uiuendum est? Quanquã aũt oportet mutuũ esse obsequiũ, tamen præscribit hoc tum natura, tum sacrarũ literarũ autoritas, ut mulier obsecũdet uiro potius q̃ uir uxori. Paulus enim maritis charitatem & comitatem præscribit: Viri, inquit, diligite uxores uestras, & nolite amari esse ad illas. Mulieribus autem quid præcipit? Obediẽtiam & obsequiũ: Mulieres, inquit, subditæ estote uiris sicut oportet in domino. Eoq; natura toruum quiddam, ac ferorculum addidit maribus, blandum ac molle fœminis. Fortassis ridicula uidebitur collatio, sed tamen ad docendum, quod instituimus apta. Qui bestias, aut feras, aut equos indomitos tractant, nihil prius discunt, q̃ quibus rebus iritẽtur aut mitigentur. Leones aspici limis indignantur: tauri puniceo colore efferantur, Lynces sonitu tympanorũ in rabiẽ aguntur sic ut seipsas dilanient, elephanti suis stridore terrentur, & in coitu deprehendi indigne ferunt, equus ferociens palpo & popismate mitescit. Huius generis alia sunt innumera, quæ qui obseruant, facile uitãt quod offendit, & adhibent, quod iritatas bestias mitigat, itaq; tuto uersantur cũ natura noxijs ac feris animantibus. Idem si fiat inter coniuges, facile constabit conuictus tranquillitas, & si quid dissidij fuerit subortũ, haud magno negocio sopietur. Sunt quidã alioqui boni, natura celeriores ad iram, sed quæ mox euanescat si non repugnes. Quid facilius q̃ hic uel obticescere modeste, uel comi commodoq; sermone demulcere? Est qui responsantem non ferat, si quid offendit, ne consolantem quidem, donec est ægritudo recens. Hic facile paratum ac minimo sumptu remedium adferet in aliud tempus dilata oratio, dum uulnus admittet contactum. Est quem in cõuiuijs delectat hilaritas, hic uxor quãuis ingenio seueriore deponet supercilium, & marito obseruiet aliquantulum, incolumi tamen pudore matronali, & reuerẽtia marito debita. Est qui nec iocosum mendaciũ perpeti possit, est qui fucos horreat qui certo cibi genere aut colore figuraq; uestis delectetur aut offendatur: in hisce rebus quamlibet minutis, tamẽ obsequij cõmoditas excludet offensam, aletq; beneuolentiam. Sunt & fabulæ certæ, quibus pro suo quisq; ingenio delectatur aut offenditur. Interrumpẽdus igitur sæpenumero sermo molestus, et interijciẽdus qui delinit. Ipse noui quẽdam,

natura

natura ſubiracundum ſed ira placabili, qui nunquam adeo ſuccenſuit uxori, quin ſi quis ad canendum aut recitanda carmina quæ compoſuerat, prouocaſſet, illico uelut oblitus omnium quæ præceſſerat, canere ac recitare inciperet. Quo minus mirandū, ſi quibuſdam uxoribus cum uiris male conuenit, quū data opera diſcrepent ab illorū moribus. Si dolet uir, tum uultu ſunt hilari: ſi gaudet, illæ mœrēt: ſi ridet aut iocatur, loquūtur ſeria triſtiaq; ſi maritus uoluptatem appetit, ibi pudicæ ſunt plus ſatis ac tetricæ. Nimirum iſtud, ut ſcite dixit quidam, fortaſſis eſt cum uiro habitare, conuiuere nequaquam. Conuictus eſt, uoluptatem & curarum, iocorum ac ſeriorum, lætorum ac triſtium ſocietas. Non ſatis eſt uxorem eſſe probam ac pudicam, niſi ſit accōmoda uiri moribus. Nullus enim dixerit eſſe bonū ſpeculum, quatumuis auro gemmiſq; decoratū, niſi ſimilem reddat imaginem: ita fruſtra mulier opulenta, clara aut formoſa eſt, niſi uiro congruat. Quod ſi ſpeculum propridentis imagine reddat flentis, aut pro hilari mœrentis, nónne mendax & inutile iudicabitur? Vxor autē quæ uiro dolente gaudet, aut gaudente mœret, non ſolum non congruit, uerum etiam contumax in illum uidetur. Rurſus ſunt quædam, quibus abſente uiro nihil eſt lętius, eædem præſente uiro turbidæ ſunt ac putidæ, quas non diſſimiles dixeris lunæ, quæ quum ſoli proxima eſt, obſcuratur conditurq; quo longius abeſt, hoc magis eniteſcit. Atqui contra facere decet probam coniugē, quū eſt iuncta uiro, tum oportet eſſe ſociam hilaritatis: quum abeſt maritus, domi latitare, nec aliter quàm ſi uidua ſit agere. Peccant hic nō leuiter & mariti quidam, domi triſtes & auſteri, foris hilares ac feſtiui. Verum tales qui nolunt uxores domi ſuarum uoluptatum eſſe participes, docent illas alibi quærere riſus iocosq;. Quanquam non eſt probæ mulieris ſic ulciſci cōiugis uitium ut imitetur, ſed commoditate potius ac ſuauitate morum animum illius ad domeſticæ conſuetudinis amorem allicere. Qui ſtolones inſerunt in alienam ſtirpem, ſummam curam adhibent ut coaleſcant quæ commiſſa ſunt, argilla ſtupaq; oblinunt, & quemadmodum eleganter à Marone dictum eſt: Vdo docent inoleſcere libro: ne uel leuis iniuria uitiet recentem conſunctionē: ubi iam cicatrix uulnus obduxit, detrahunt illa fomenta, nec ullam peculiarem gerunt curam. Ita grauius eſt diſſidij periculum in primo ſtatim ſponſi ſponſæq; cōgreſſu, dum adhuc tenera recensq; coniunctio eſt, quam corroborat diutina familiaritas. Videmus enim nec eiuſdem generis animantia uelut equos ſeſe mutuo perpeti, priuſquā aſſuerint, cōtrà poſtquam contracta eſt familiaritas, uidemus cani cum felibus, & lupo cum agnis eſſe concordiam. Quanto magis id ſperandum eſt inter hominem & hominem, animal ad ſocietatem natum, & quod amplius eſt, inter uirum & fœminā, quos ita finxit natura, ut alter ſine altero uiuere nō poſſit, niſi uis quędā natura potentior eos afflauerit. Rectæ igitur conſulunt qui monent, ut primus ſponſæ cū ſponſo congreſſus careat omni moleſtia. Huc pertinere credunt ueterem cōiugiorum ritum, quo ſine lumine ſponſa in ſponſi thalamum inducebatur. Sic enim apparet fuiſſe deceptum Iacob patriarchā, pro Rachele, obtruſa ſorore Lya. Eius rei geminam cauſam adferunt ſcriptores, uel ut conſuleretur pudori ſexus, uel ne quid primo cōgreſſu, qui moroſiſſimus eſt, offenderet oculos ſponſi. Solon aūt non ſolum oculorum faſtidio uidetur conſuluiſſe, uerum etiam olfactus. Statuit enim, ut ſponſa priuſquā induceretur in thalamū ad ſecretum cum ſponſo congreſſum, malum cydonium arroderet, ne quid offenderet oris halitus. Hæc cura uideri poterat indigna legumlatore, niſi frequenter res nihili dirimerent mortalium amicitias. Et tamen illis lubens aſſentior, qui putant ſapientē uirū huius legis inuolucro ſpectaſſe quiddam altius, uidelicet in primis cauendū nouæ nuptæ, ne cōmittat, ut in primo ſtatim colloquio, quicquam ab ore proficiſcatur quod aures & animū offendat iuuenis. Nam ab ore proficiſcitur oratio, certiſſima tū imago tū teſtis animi, per quā euidentius intuetur qualis ſit puella, q̄ ſi totum corpus clariſſima luce contemplaretur. Quod ſi liberos ad honeſtum aliquem ciuem legatos inſtruimus, quibus uerbis ſint eos compellaturi, quibus modis ad ſingula reſponſuri, ne quid offendat eos quos cōueniunt: quanto magis hoc prouidendum eſt parentibus, ut prima coniugū colloquia careant offenſione, ſintq; cōdita pudica quadam urbanitate, eo quod quū inter notos ac familiares etiā cōuitia cū riſu excipiantur, in primis cōgreſſibus ignotorū offendunt & ſimpliciter dicta. Nullū aūt malū contoneum, nullū aromatis aut unguēti genus ſuauius fragrat cordato iuueni, q̄ ſermo pudicus, ſobrius, prudēs ac reuerēs, promanās ab ore nouę nuptæ, & amabilis ingenij ſimulacrū ſecum deferens

deferens. Porrò nulla res efficacior est ad conciliandã, retinendam ac stabiliendam inter homines beneuolentiam q̃ sermo mutuus: Hic homines ferarum ritu quondam palantes, contraxit in ciuitatis consortium: hic ciuitates cum ciuitatibus, nationes cum nationibus, regna cum regnis fœderauit: hic regem à tyranno distinguit. Tyrannus cogit, rex persuadet. Est aũt coniugium quasi regnũ quoddam, sed quod longissime absit à tyrannidis imagine. Nihil enim illic uigeritur, sed suasu ac beneuolentia geruntur omnia. Plato non uult legem quicquã præscribere, quod non persuadeat esse tum honestũ tum utile, nec uideo quur hãc opinionẽ impugnet Seneca. Est quidẽ maritus autor & caput fœminæ, & imperat, at non quemadmodum possessor pecudibus, sed quemadmodũ animus corpori. Suntq; huius mores ceu uiua lex uxori, quemadmodũ recte docuit Aristoteles: sed lex Platonica, persuadens uerius q̃ cogens, & spontaneam ducens potius q̃ trahens inuitam. Græci scriptores literis prodiderũt, apud priscos Veneri Mercuriũ adiungi solere. Hic statim miretur aliquis, quid Veneri cum Mercurio? Antiqui sapientes putant hoc esse significatum, beneuolentiam inter coniuges nõ tam coire uoluptate corporum, q̃ coniunctione animorum, atq; horum glutinũ est oratio comis & amica. Venus enim per se tum ebria est, tum uiolenta, multos ui cogit sub iugũ, ut ille dixit, aheneum: sed firma est beneuolentia, quam sanis bonisq; rationibus conciliauit oratio, quam Mercurio tribuit antiquitas: Nolite, inquit, fieri sicut equus & mulus, in quibus nõ est intellectus. *Psal. 31*
De quibus & apud Hieremiam queritur dominus: Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, unusquisq; ad uxorem proximi sui hinniebat. *Cap. 5*
Tales erant sponsi sine Mercurio sequuti Venerem, quos alium post alium occidit dœmon Asbodæus. Et utinã inter Christianos nõ laude etiam ueherentur huiusmodi mariti, qui sic auspicantur primos cũ uxore congressus, quasi ui raptã constuprent, discindunt indusium lineum, lacerãt uestes, aut si quid aliud moratur equinam libidinem: dicas sponsum furere non amare, neq; quicq; minus illic esse dicas q̃ congressum sacramentalem. Verecundius ineunt coniugium bruta quædam animantia. Nec hoc satis, numerantur & in uulgum sparguntur primæ noctis congressus. O coniugiũ inter Christianos minime Christianũ. Tametsi sponsa sponso debet obsequiũ, tamen adhibendus est Mercurius, qui prius iungat animos q̃ corpora, & usum corporis persuadeat nõ rapiat. Qua quidẽ in re monẽdæ sunt uirgines, ut neq; prouocent ultro sponsos suos ad coitũ, minuit ea res amorem: neq; petentibus nimiũ tetricas ac præfractas sese præbeant, quorũ illud, nescio quo pacto, reddit mulierẽ uiro uiliorẽ minusq; charã, alterũ amorẽ uertit in odiũ. Non prouocare, matronæ est, comiter negare pudoris, obstinate recusare perfidiæ est. Rursum uereor ne quis dicat mihi, quur tu Christianis auribus ingeris Veneres & Mercurios? Age mutentur deorũ nomina, seruetur bona sententia. Habemus & nostrũ Mercuriũ, sermonẽ dei patris, qui conciliat omnia quæq; in cœlis quæq; in terris. Hunc testẽ & auspicẽ faciamus Christiani coniugij, nequid impurũ geratur cũ coniuge, sed ex huius præceptis ac legibus maritus uxori persuadeat, ut uolens ac lubẽs faciat quod didicit domino placere. Hũc in primis comprecẽtur pariter cõiuges, ut suo fauore bene fortunet nuptias. Cõprecationi succedat sancta confabulatio. Deinde cõgressus pudicus, & reuerens, multumq; dissimilis stupro aut raptui. Scio nõ defuturos qui sibi belli uidentur ac festiui, quibus hæc absurda uideãtur, sed ualeant illi sine Christianismo belli. Nos bonis & Christianis hæc scribimus. Quibus Christi doctrina sordet, saltẽ audiãt senẽ Ethnicũ in comœdia loquentẽ filio: Abi domũ ac deos cõprecare, ut uxorẽ accersas. Ille prophanus nõ uult accersi spõsam, nec putat satis auspicatas fore nuptias, nisi sponsus deos cõprecetur: at tu tibi parũ elegans uideris, si priusq; sponsam contingas, cõpreceris eum, qui primus iunxit uxorẽ uiro, ut uelit tuum coniugiũ firmum, castum, ac felix esse. Si nõ pudet te Christianũ dici, ne pudeat id facere, quod maxime cõuenit homini Christiano. Quod si quis requirat precandi formam, nec hanc grauabor tradere. In hanc igitur fermè sententiã orare licebit: Gentis humanæ conditor, redemptor & propagator deus, qui primus in paradiso cõiugij fœdus inter generis nostri principes dedicasti, cuius filius unigenitus nobis hoc sacramentũ multis modis cõmendauit, primũ ineffabili modo sibi uelut in matrimoniũ adiuncta nostra natura, rursus in sponsam adoptata sibi sanctorũ omniũ Ecclesia, ad hæc è cõiugio nascens citra uirilem operam, deinde miraculorum suorum primitias in nuptijs auspicãs, aqua uersa in

uinum

uinum optimum: denicq; qui ſacroſanctum hoc fœdus, quo rebus myſticis reſponderet, prorſus indiſſolubile eſſe uoluit, dicens: Quod deus coniunxit, homo ne ſeparet: quæſumus ut quando mixta tua præcepta ſanctam hanc ſocietatem legitime pepigimus, digneris tuo perpetuo fauore proſperare quod tuum eſt, ut pari iugo ſimilicq; ſtudio tuæ uoluntati ſeruiamus. Exulet è noſtris ædibus omnis impuritas, omniscq; diſcordia. Da nobis pacem illam ueram, quam mundus dare nō poteſt: da rē quanta neceſſarijs uſibus ſatis eſt: da prolem in tui nominis gloriam educandam, ut hic in tuis præceptis ſimul perſeuerantes, ſimul ad uitæ cœleſtis hereditatē peruenire mereamur. Hac formula ſi quid habes melius, utere. Iam colloquij formā potes ex Thobiæ libro colligere. Filij, inquit, ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut gentes quæ ignorant deum. Atq; indidem potes & orandi formā mutuare, ſi minus placet noſtra. Cæterū colloquij forma huiuſmodi uidetur congruere ſponſis Chriſtianis. Sponſus hūc in modū exordiatur: Chariſſima mihi, religione ſoror, matrimonio coniunx, ita uiſum eſt deo, ut nos ſanctiſſimo coniugij fœdere copularet: mihi paratū eſt, quod parentibus etiā ipſis, quibus ſecundū deū nihil habeo charius, ſit anteponendū: tu quoq; ſortita es, quod charius habere iuberis cū progenitores tuos. Sumus enim parentib. ſanguinis propinquitate iunctiſſimi, ſed nos duo iuxta diuinæ ſcripturę uaticiniū, in unā carnē, hoc eſt in unū hominē, quodammodo per matrimoniū conflati ſumus: iugum accepimus, quod excuti quandiu uiuimus non poteſt: nec eſt quod ſpectemus diuortiū, ſed utrinq; danda eſt opera, ut ſit felix tranquillūcq; conſortiū. Si cōcordabimus inter nos, etiā in fortuna quāuis tenui ſuauiter hilariterq; uiuemus. Sin, quod deus auertat, corpora quidē iungat domus & thalamus, animos diſiungat diſcordia, quantūuis affluxerit opū, inſuauē ac miſerā uitā trāſigemus. Proinde ſit inter nos talis quædā charitas, qualis eſt inter animā & corpus, inter Chriſtū & Eccleſiā. Si noſtrā amicitiā nulla alia res conciliat cū ætas, aut forma, aut corporis uoluptas, aut opes, nec firma nec ſyncera futura eſt inter nos concordia. Sin animos noſtros inter ſe conglutinarit par erga deū pietas, ac ſimile religionis ſtudiū, nec paupertas, nec morbus, nec ſeniū, nec ullus caſus humanus poterit interrūpere iucundā uitæ ſocietatē. Ego conabor pro uiribus, ut tibi præſtem maritū non pœnitendū: nec dubito quin tu contrà pro uiribus ſis annixura, ut mihi officijs reſpondeas, aut etiā ſuperes. Ego te gignendis liberis duxi, non libidini. Quod ſi iuxta Pauli monita, uolumus noſtrū cōnubiū eſſe honorabile, & thorum immaculatū, ſit noſtra conſuetudo ſancta & pacifica, ſit congreſſus parcus & pudicus, ſit pia ſollicitudo in inſtituēdis ad pietatē liberis reliquaq; familia, ſic tamen ut ſummū præſidiū præcipuaq; fiducia ſit nobis in auxilio dei, qui res famulorū ſuorū etiā parum fortunatas bene fortunat. Abunde multū uoluptatis nobis ſuppeditabit concors animus, & bona conſcientia. Totius rei domeſticæ ſummā in duas partes diuidemus: ad te peculiariter pertinebunt quæ domi geruntur, ad me quæ foris gerenda ſunt, ſed ita ut inter nos nihil ſit propriū. Quoniam autem fieri non poteſt, ut homines omnibus horis ſapiant, ſi quando te monuero, ſic cogites uelim, me tuæ rei cōſulere potius cū meæ: & ſi quid à me ſecus quàm oportet geri uideris, non grauabor admoneri à fortunarū omniū ſocia. Cæterum autoritas, quam uiro natura tribuit, confirmauit autoritas apoſtolica, te nō grauabit: ſed mutua charitas condulcabit omnia. Ad hoc igitur ſanctū negocium, aſpirāte deo, concordibus animis, paribuscq; ſtudijs accingamur. Ita ceu par columborū tranquillam & innoxiam uitam agemus: tu ſeruabis nidum, ego prouolans circumagar, ut importem domum quod uictus neceſſitas exigit. Vnum ſimus, & quemadmodum ſcriptū eſt, miſerebitur deus duobus unicis. Ad hæc Chriſtiana ſponſa quid reſpōdebit? Fortaſſis hunc in modū excipiet: Optime ſponſe, mihicq; non minus uenerande cū amande, ego me cum primis felicem exiſtimo, cui contigit coniunx, præter alias dotes, tam pius etiam & cordatus. Equidem tibi à parentum ædibus corpus adfero caſtum & illibatum, animum uero polliceor tuis monitis obſequentem, ſi quid præſcribes, non ſolum in his quæ ſpectāt ad munia rei familiaris, uerum etiā ad ea quæ religionis ſunt ac pietatis. Tu uide tantum quomodo me fingas & inſtituas. Spem optimam habeo, deum bene fortunaturū quod amanter inter nos geſſerimus. A talibus exordijs, à talib. colloquijs auſpicari debet Chriſtianum matrimonium: eoq; multa uidemus coniugia, quæ nihilo plus habent honeſtatis quàm concubinarum conuictus, nec multo minus obſcœnitatis: quorum ut ſunt irreligioſi

ligiosi ingressus, ita progressus irrequieti, infelices exitus. Iam ipse sermonis cursus me propemodum appellat, ut aperiam quæ sint officia mariti, quæ uxoris. Id quidem aggrediar, si prius admonuero nonnulla, quæ pertinent ad solennes ritus, hoc est, præludia nuptiarum, in quibus Christianorum uulgus propemodum grauius peccat, & ulli fecerint aut faciant ethnici. Nec hic simplex est error: peccatur ambitione, luxu, intemperantia, lasciuiaq; Primum illud inciuilitatis est, sponsum & sponsam, quum rem tantã tamq; seriam aggrediantur, tot ridiculis cęremoniis grauari, quas aliàs alibi pro suo arbitratu cõminiscuntur homines, quasi parua ludicraq; res sit, iuuenem cum uirgine sancta pudicaq; copulari. Detur hoc sacramẽto, quod nupta deducitur in templum, ibiq; peractis ritibus deducitur domum: quorsum attinent publica tumultuosaq; conuiuia, mox à prandio lasciuæ saltationes usq; ad cœnam, in quibus tenera puella non potest cuiquam recusare: sed patet domus ciuitati? Cogitur ibi misera uirgo cum ebriis, cũ scabiosis, nonnunquam cum sceleratis, & qui furandi quàm saltãdi curiosiores ueniunt, iungere dextram, apud Britãnos etiã oscula. Rursus à tumultuosa cœna saltatio, mox repotia. Vix post nocti medium licet delassatis ire cubitum. Post exiguum interuallum ante thalamum insano tumultu perstrepunt omnia, irrumpitur in cubiculum, dicuntur obscœna uerba, redditur ad prioris diei uesaniam. Nam hic Corybanticus furor in quibusdam regionibus prorogatur in triduũ. Quid inhumanius aut inciuilius, & sollicitos animos, & corpora nouũ laborẽ aggressura, talibus ineptiis delassare? Quanto suauius inter parentes ac pauculos ex proxima cognatione, modeste, sobrieq; agitare nuptiale conuiuium? Verũ hic ut ubique, multa mala suadet ambitio, quæ luxum comitẽ trahit. Videntur mendicorũ nuptiæ, nisi magna turba procerũ, matronarũ, diuitũ, & honoratorũ uocentur ad eam pompam: & dicuntur honorificæ nuptiæ, in quibus per luxũ magna pecuniæ uis periit, in quibus quàm plurimi uomuerunt, ac febrim ex intemperantia ac delassatione contraxerunt: in quibus quàm licentissime indultũ est turpiloquiis & ineptiis. Præclara nimirũ auspicia ad uitam pudicam, frugalẽ, & sobriã, quam aggreditur sponsus, iam abiectis uitæ prioris ineptiis: & in hoc ducit sponsam, ut eam ad pudicitiã ac frugalitatẽ erudiat. Quis docuit sanctã cõiugii possessionẽ à Bacchanalibus auspicari? Hiscine modis initur sacramentũ? & in ipso limine matronalis instituti docetur puella luxũ, lasciuiã, ambitionem, cæteraq; quæ minime cõgruunt probis cõiugibus? Quid hoc est aliud ô Christiani, & in ipso templo Vestę agere Floralia? Hæccine sunt auguria quibus initur felix coniugiũ? Nefas erat olim in nuptiis uerba mali ominis dicere. Quod autẽ omen siniisterius & turpiloquii, & obscenitatis, & impudicarũ facetiarũ? Olim uirgo obtecta flammeo ducebatur ad sponsum. Quid enim opus erat eam ostendi populo, quæ uirũ inuenit? Satis est uni notã esse, quæ non debet nisi uni placere. Apud Italos magna cura uirgines innuptæ domi continentur: apud Venetos, si fors prodeunt, nec sine custode id faciunt, nec nisi caput ad scapulas usq; tegente uelo: Nonnas esse diceres. Atqui tolerabilius erat uirginẽ nudari, proferriq; in publicũ, cui sponsus est inueniendus. Sed obsecro, quo consilio puella, cui iam turpe est pluribus placere uelle & uni, nuda traducitur in publicum? Cui iam nudatur? Cui pingitur & colitur? Nec illud minus ineptũ, quod passis capillis uirginem discernũt ab ea quæ uirum cognouit. An nõ satis est, si marito sit probata uirginitas, nisi populum faciat testem? Quid aũt his nugis proficitur, nisi quod petulantes linguas in uirginẽ provocant frequenter innoxiã? Procliuis est ad maledicentiã populus, & exitiale malũ est inuidentia, quam excitat ostentatio. Quas enim uoces audimus nonnunq; iaci in uirgines, dum ea pompa ducuntur & reducuntur per ora mortalium, præcinente cantore, & uelut ad spectaculũ euocante multitudinẽ? Quorsum attinet uirginitatis decus exponere linguis & ludibriis hominum? Tutior est ille thesaurus, si recõdatur. Deinde quorsum attinet digamis exprobrare priores nuptias? Ante matrimoniũ sit aliquod sanè discrimẽ inter innuptã & nuptam, inter uirginẽ & uiduam: ubi iam coiit matrimoniũ, quid utilitatis habet hoc discrimen? Monogamis & digamis suus honos erit apud deum. Quanq; ignominia est non honos, teneram ac uerecundã uirginem passis crinibus, nudam, addito fucorum & uestium lenocinio, iuuenum intemperantibus oculis, & male loquacibus populi linguis exponere. An hoc honorificum uirgini, cuius præcipua dos est pudicitia, iuuenũ suspiria uocesq; post se trahere? Prostituendi genus est, non honorificẽtia. Qui

De celebrandis nuptijs

uidens mulierem concupiuit,adulteriũ commisit,iuxta sententiam euangelicã.Et nõ mínima uirginitatis pars est,fama illibata. Decessit igitur aliquid pudori uirginis, quæ tam multorũ oculos delectauit, quæ concupita est, quæ uocibus impudicis impetita, & quæ fortasse noctu quibusdã occurrit in somnis, & inanis imaginis ludibrio stuprũ, ut ita loquar,perpessa est. Atqui in poetarũ fabulis,indignatur Iuno, quod Ixioni nubẽ pro ipsa subiecerit Iupiter:nec satis habet quod ab adultero contacta nõ sit, sed adulterij genus iudicat,per imaginẽ & falsam opinionẽ fuisse stupratam. Tenera res est uirginitas,nec aliter q̃ rosa lactea,quamuis leui auræ flatu perdit aliquid genuinæ gratiæ. Sinite itaq; parentes,sinite sponsam uirginitatem totam adferre in sponsi sui thalamũ:sic futura est maríto charior,sic futura est fama uirginis integrior.Res sancta,res casta, puris sanctisq; ceremonijs peragatur,ut in his protinus discãt sponsus & sponsa,quàm sobrij,pudici,quietiq; mores deceant coniugiũ. Credis matrimonium esse sacramentum Ecclesiæ? Credis. Et credis ab ipso deo institutũ? Scio credis.Credis infundi sicut oportet hoc utentibus sacramento,donũ spiritus? Credis. Quur igitur res tam seria,tam sacra, prophanis ritibus peragitur? Age dic mihi,quum uirgo quæpiã accipit uelum diui Francisci aut Dominici, quis ferret si illic adhiberẽtur inepti lusus,risus,citharæ,fistulæ,moriones,choreæ? Quin potius illic confessione purgatur nuptura,orat,abijcit mundani fastus exuuiũ, prosternitur,uelatur,adhibetur sacrũ,interdũ & exhortatio sancta. Nihil ibi petulans aut ineptũ. Et tamen quæ sic nubit,non initiatur nouis sacramentis. Tu ad tantum sacramentũ,cuius deus autor esse uoluit,quod ipse dominus tot modis tũ per se,tum per apostolos suos nobis cõmendauit,uelut ad rem prophanã ludicris ineptijs, intemperantibus, parumq; pudicis ritibus accedis? Qui sacramentum accipit indigne, pro gratia reportat iram dei. Quin in ipsis etiam templis non abstinetur ab his ineptijs.In ingressu iuuenũ pugnis contunditur sponsus. Inter sacrum ineptitur gestibus & nutibus:iaciuntur impudicæ uoces. Quis credat illic rem seriam agi? An non turpe est apud ethnicos, idolorũ cultores, sanctiores fuisse ritus ineundi coniugij quàm apud Christianos? Nemo non optat sponsam frugalem,pudicam,& modestam:& in ipsis statim initijs docemus eas luxum,impudentiam,& arrogantiam. Qui diaconus ordinatur, expurgat conscientiam suam, componit sese ad pietatẽ,ut purus accipiat purum mysterium:quanto magis congruebat idem fieri in nuptijs,quàm ista quæ nunc fieri uidemus? Certatur pompa uestiũ:certatur apparatu conuiuiorum:certatur donarijs.Humanitatis speciem habet,quod nouis coniugibus datur aliquid supellectilis.Qui mos illud inuexit,ut sponsus exhauriretur donarijs,ex quibus ad ipsum plus odij redit q̃ gratiæ? Quod sic datur,alij redditum non datum,alij debitum existimant. Complures indignantur se posthabitos alijs, quibus datum est maioris pretij munus. Oritur inter ipsos qui acceperunt æmulatio: tum sponsus nonnullam gratiæ iacturam facit,alienans eos suo sumptu, quos studebat conciliare. Et hinc æstimatur inter Christianos nuptiarum dignitas, si q̃ plurimum rei perierit in donarijs. Adde his insanas impensas in sponsæ uestitum. Quur autem non dicam insanas, quũ sciam quosdam tantum æris alieni contraxisse, dum ad ostentationem adornant sponsam, ut intra duos menses coacti sint & uestes & uasa diuendere, sed iniquiore precio quàm emerant. Quid sibi uult talis ostentatio? An metuis ne sponsa tua mundi cultusq; sit futura negligentior? An times ne uideare plus habere mentis,quàm ille qui nuper tali magnificentia decoxit? An uero studio habes tenuioris fortunæ ciuibus exprobrare suã paupertatem? An per se parum graue onus est paupertas? Si turpe ducis uinci re mala,nihil agis: ut omnes superiores præcurras,succedet qui te quoq; superet insania. An opes parum obnoxiæ sunt inuidiæ,nisi iactes etiam & ingeras oculis hominum? Quanquã nihil omnium magis perit,quàm quod in esculenta poculentaq; prodigitur.Pro conuiuio publico nullus proprie gratiam habet:quidam etiam male precantur conuiuatori, quod per illum febrim & cruditatem contraxerint. Atq; in has ineptias interdum profunditur trium annorum census. Et apud Christianos nullæ sunt leges sumptuariæ, nulli censores, qui talia exempla coherceant? In hoc coeunt coniugia,ut etiam qui tenues sunt, laborent malis,quo,iuxta Pauli monita,sit quod suppeditent suis, deinde largiãtur etiam aliquid egestate pressis. Et Christiani quibus res est, in ipso limine matrimonij turpiter profunduntur,ut iam neq; sit quod erogent in egenos,neq; quo familiam alant. Iam quod pauper

culæ

culæ uirgines magnificõ cultu,sed uel conductitio uel commodatitio,nuptias celebrant, qui candidior est,interpretabitur solatiũ aliquod paupertatis,quæ nunc non tantum molestiam habet,uerũ etiam probrum. At quorsum attinet opulentas ostentare strepitũ fortunæ suæ,quã tamen nolunt tenuibus impartiri? Discruciare iuuat inopes, non subleuare. Sufficiat diuitibus sua felicitas,nec alijs paupertatis onus conduplicent exprobrãdo. Imò quo quisq; potentior est,ac locupletior, hoc magis exhibeat alijs exemplum frugalitatis:ita pariter fiet,ut & diuitibus minus inuidiosa sit ipsorũ felicitas,& tenuibus minus onerosa paupertas. Quid magni sit,si prępotẽs heroina,gemmis,auro,purpura,pellibus magno emptis conspicienda procedat? Licet his domi,quoties libet,frui. At uere magnificum uereq; splendidum fuerit,si mundo simplicíq; cultu redarguat mediocriũ ambitionem,ultra domesticæ rei modũ semet hisce rebus uenditantiũ. Vtra speciosior laudatio, stultæ ne plebeculæ,quæ stupens ad gemmarũ & auri splendorẽ,sic loquitur: Hui quantum fundorũ illa gestat in corpore? quod in cultu illius uilissimũ est,aurũ est: interim nec corpus laudatur nec animus: an cordatorũ,quorũ hæc auditur oratio: Quanta est huius præpotentis fœminæ probitas ac modestia, quamq; mores huius non sapiũt fortunam? Quanto decentius ornatur hac populari munditie,q̃ aliæ tota suæ fortunæ pompa? An non pudebit posthac plebeios homines,quibus uix suppetit cẽsus par necessarijs usibus, tam insolenter iactare diuitias,quas animo possident magis q̃ scrinio? In hisce rebus exempla sobrietatis ac frugalitatis non ab alijs utilius proficiscuntur,q̃ à uobis ô principes & heroinæ. Libenter enim inferiores imitantur quod à uobis fuerit ostensum: & mediocris fortunæ qui sunt,uel pudore cõtinebuntur,ne turpiter luxu diffluant, si cõspexerint uobis damnatã esse diuitiarũ ostentationem. Intelligent enim id iudicio fieri,quum alioqui fortunę magnitudo,uitæq; libertas posset apud multitudinẽ excusare luxum,nisi displiceret animo. Non oportet homines Christianos usquam obliuisci frugalitatis ac modestiæ,quibus adeo nihil per luxũ oportet perire,ut necessarijs potius aliquid detrahendum,quod subleuandæ proximorũ inopiæ seponatur. Quod si quibus alijs in rebus, fastui,luxui,lasciuiæq; locus esse uidetur,certe in nuptijs,unde uitæ coniugalis auspiciũ sumitur,procul abesse decet. Nunc hæc pestis irrepsit etiã in ipsa sacra remedia. Quid enim aliud professio matrimonij, q̃ abiuratio iuuenilium uoluptatũ,stuprorũ,comessationũ, profusionum,aleæ,& si quid est in puellis fastus,si quis amor cultus elegantioris, si quid lasciuiæ? Et his malis dedicatur inter nos coniugiũ. Quid est baptismus, nisi abiuratio satanæ? At nunc illic quoq; superbiæ certamen est. Deliguntur susceptores,uel pro dignitate,uel in spem munerũ. Atqui Paulus docuit,ut qui catechizatur suum catechistã participem faciat omniũ suarũ facultatum. Nũc præpostere dant qui catechistarũ uices gerũt, magis ex more q̃ ex re. Si placebat benignitas in pauperes,poterat clàm alioq; titulo dari,nunc quur sacramentũ ambitione contaminamus? Saltẽ mors quæ diuites æquat pauperibus,summos infimis, debebat nos docere frugalitatẽ ac modestiã. Quid aũt nostris funeribus ambitiosius aut minus frugale? Sed satis iam diu mihi uideor rixatus cum moribus uulgi,quos utinã corrigeremus, ut admonitionẽ uertere liceret in encomiũ. Nunc ad id quod intermiseramus nostra sese recipiet oratio. Satis enim ostensum esse uidetur, quibus modis sit ineundũ matrimonium,& initijs actionũ fere respondet exitus. Qui se met in puteos,ut dixi,præcipitant,aut qui incidunt imprudentes, grauiter offenduntur: qui paulatim descendunt in altissimos puteos, nihil patiuntur incõmodi: ita qui temere nulloq; iudicio ducunt uxores, hi solent deplorare,sero licet,infelix coniugiũ: raros aũt comperias,quos pœniteat contracti matrimonij,qui ex consilio maiorũ, qui maturo sobrioq; delectu tales ascíscunt,quas perpetuo queant amare. Quicquid enim affectiuũ arbitrio geritur,tẽporariũ est: quod ratione iudicioq; tractatur,firmũ est ac perpetuũ. Verum ne in cęteris uaga defluat oratio, ad tria capita cõtrahemus uniuersum sermonẽ qui supereſt: sic tamen ut ab initio proposita diuisione nõ recedamus. Paulus præcipua quædam bona recensęt,fidem,spem,& charitatẽ, quæ uoces uidentur & totius coniugij felicitatẽ cõplecti. Est enim & hic præcipua charitas,quæ si adsit, cætera prona sunt ac procliuia. Est huic iunctissima fides, sine qua non potest subsistere mutua coniugiũ beneuolentia. Est denicq; spes boni prouentus. Siquidem præmia sancte culti matrimonij sunt liberi dociles frugicq;. In primis igitur persequemur quod orsi fueramus de charitate. Pri-

mum cõciliãda, deinde fouenda confirmandaq́, postremo sarcienda, recõcinnandaq́; si cõtingat rescindi. Conciliatur autẽ, alitur, & cõstabilitur hisce fermè rebus, materia, similitudine morum, æqualitate, mutuis obsequijs officijsq́, sanctis monitis & adhortationibus, pignoribus, & contrarijs rescinditur. Charitas enim quæ leui de causa uertitur in odium, non erat syncera. Quẽadmodum ignis è pilis leporinis aut stipulis aridis emicans, subito desinit, nisi subsit materia solidior, quæ flammã conceptã alat: itidem amor, quem corporũ uoluptas, aut aliæ friuolæ causæ gignunt, etiamsi uideatur admodũ uehemens, tamen diuturnus esse nõ potest, nihilo magis q̃ hæ res unde nascitur. At res solidæ, uelut ferrũ, tardius quidẽ ignescunt, uerũ ignẽ semel cõceptum diutissime retinent. Rursum sunt materiæ quæ fumidũ & obstreperum, quędã etiã ingrati odoris ignẽ reddũt: talis est amor inter improbos ex turpibus causis cõciliatus, iurgijs ac rixis molestus, cõuictus intolerabilis, quẽ denicq́ sequitur fœdę buccina famæ. Huiusmodi strepitũ ac fumũ uidere licet inter nonnullos malis auibus cõiugatos, adeo ut sępe maritum, nonnunq́ & coniugem exigat ex ędibus, et uterq́ uertitur in uulgi fabulã. Purus aũt ignis nascitur ex lignis, quæ hinc uocantur acapna, ex cedris odoratus, trãquillus ac purus, si puro linteo ceram purã circũlinas: aut si lino quod uiuũ uocãt, eo quod igni nõ absumitur, suggeras oleum ætate depuratum, nec quicq́ aquei liquoris admixtũ habens. Talis nimirũ nõ est amor, quem in animis improborum ac stultorũ gignit uoluptas, aut ambitio, aut diuitiarũ admiratio, aut uitiorum similitudo, sed quem inter pios ac sobrios uirtus cõglutinat, qua re uera nihil pulchrius aut amabilius, quæ si cerni queat oculis corporeis, longe plures excitaret in amorẽ sui q̃ ulla forma aut ullum ornamentum. Sunt rursus materiæ quędam, quæ ignem citius extinguant q̃ cõcipiant. Huiusmodi sunt & hominũ ingenia quædam, sic ab omnibus gratijs abhorrentia, ut nec seipsos amare possint, tantum abest, ut amicitiã cum alijs diu tueri queant. Non mirum aũt si sunt & inconstantes & infelices amicitiæ quas gignit Cupido, quippe cæcus & uolucer. Hic est ille Cupido terrestris, Veneris terrenæ filius, qui temere immittit nunc in hos nũc in illos, impuros ac meretricios amores. Cæcus fingitur, quod talis beneuolẽtia nõ coit iudicio rationis, sed temerario carnis affectu: uolucer quod turpis amor facile uertitur in odium, & alterne nũc bellum habet, nunc pacem, nunc inducias, nunc rursum bellum, nihil constans, nihil tranquillum aut perpetuum. Eoq́ poetæ amantium impetũ furorẽ uocant non amorem. Nimirũ ubi ratio sepulta est, ibi quid esse potest nisi dementia? Verum philosophus ait, & alterum esse Cupidinem, è Venere cœlesti prognatum, quo nihil oculatius. Is non exoculat, quos attingit suis iaculis, sed ex cæcis reddit oculatos. Hic formas ostendit animorũ, qui summi illius pulchri referunt imaginẽ, quæ conspecta protinus rapit in amorẽ sui, iungitq́ puras, iunctas stabilit amicitias, semper in melius maiusq́ gliscentes. Nimirum omnis uerę pulchritudinis fons est ipse deus, in quo quicquid est, pura bonitas est, mera synceritas, pura sapientia. Nec inuidet alijs suã pulchritudinẽ, impartit largiter, quẽadmodũ docet Iacobus apostolus, omne donũ optimũ, & omne donũ perfectũ, nõ è terra proficisci, sed è sublimi à patre luminum. Spargit enim scintillas suæ lucis in animos electorum, ex quibus inter bonos oritur amabilis quidã & castus ardor mutuæ beneuolentiæ, suo fonti respõdens. Quẽadmodum enim illa lux nõ nouit nubilum, aut tenebrarum uices; itidẽ sic contractus amor, semper serenus est ac tranquillus, neq́ nouit rixarum ac simultatum uicissitudines. Quos igitur hoc glutinum cõmisit, inter hos nõ est opus pactis, testibus ac tabulis. Vera uirtus nescit interire. Interna igitur forma, internæ opes, interna nobilitas conciliare debet Christiana cõiugia: etsi fors alijs ex causis orta est beneuolentia, tamen huc transferenda est quo fiat perpetua. Est enim hic ordo naturæ, ut ab his quæ sensibus patent corporis, proficiamus ad ea quę nõ nisi mentis agitatione percipiuntur. Nec hũc ordinẽ in totum aspernatur Christiana pietas, quæ corporalibus rudimentis imbecilles homines paulatim euehit & manu ducit ad res animi. Proinde quos in amorem rapit forma corporis, ueluti somnio quodam admonẽtur illius uere summiq́ pulchri, cuius ideo Plato putat in nobis excitari reminiscentiã, quod insita sit ingenijs hoĩm propensio quædam ad honesta, quã in brutis nullam esse uidemus. Quod si discusso somnio, mẽtis oculos, amans intendat in latentẽ animi formã, tum uere pulchris cedunt illa uanę pulchritudinis ludibria. Quemadmodum fœtus æditi cognato liquore nutriuntur, & adultorum

etiam

etiam corpora cognatis elementis maxime uegetantur, ita uerus amor ijsdem fere rebus alitur quibus gignitur. Nam amor quē uoluptas, aut opes conciliarunt, tam nō est uerus amor, q̄ illa nō sunt uera bona. Qui coniugem bene dotatā ducit, non dicturus nisi dos inuitaret, nō amat uxorē, sed pecuniā. Qui libidinis causa ducit formosam, suijpsius amore ducitur, nō coniugis. Quis enim illos dicit amicos, qui senes orbos captant in spem hæreditatis? Nihilo iustius amans dicitur iuuenis qui puellæ struit insidias, erepturus illi si possit quod habet optimū, pudicitiā ac famā honestam. Quæso quid atrocius moliretur inimicus? An crudelius hostes sæuiunt in captas uirgines? Probitate conciliandus est amor, ac probis item moribus alendus. Efficax habet philtrū, quā uirtus facit amabilē. Vt ameris amabilis esto: nihil aūt uere præter uirtutē amabile. Quo magis insaniūt fœminæ quædā, quæ fucis, incantamētis ac ueneficijs illectant uiros in amorē sui. Eleganter apud Xenophontē Ischomachus hac isagoga castigat uxoris uitiū, quā animaduerterat cerussa, purpurisso, stibio, fucis cæterisq̄ pigmētis utentē, quo uideretur formosior, tū cothurnis altioribus, quo procerior uideretur, quales in tragœdijs gestantes inducūtur diuæ & heroinæ. Dic mihi, inquit, uxor, nonne his legibus iniuimus coniugiū, ut quod esset utrique facultatum, in cōmune conferremus? Annuit. Iam si posteaq̄ tu tuā portionē bona fide contulisses, ego pro ueris gemmis ficitias, pro auro gnesio darē adulterinū: pro toruis aureis, uitrū auri bracteis oblitū: pro monilibus solidis, ligna auro, argento & instrumentis obducta, num boni consuleres? Et utrū iudicares me plus tibi contulisse, si talibus technis tibi imponerē, q̄ si quod haberē ut est in mediū conferrem? Quū uxor respondisset, se non posse diligere maritū à quo talibus dolis deluderetur: ille sic perrexit: Atqui nos in hoc potissimū cōuenimus, ut alter alteri corporū nostrorū copiā faceremus. An non ita res habet? Quū hoc annuisset uxor: Sum ne, inquit, tibi gratior aut charior futurus, si corpus hoc ut est nullo medicamento uitiatū cōmunicem, aut si os oculosq̄ minio infectos tibi præberem? Vbi negasset illa coniugis oculos ullo minio pictos sibi graciores uideri posse, q̄ si eos puros intueretur: Et mihi, inquit, puta mentē eandem esse, nec me tam mētito, quē cerussa stibioq̄ inducis, delectari, q̄ natiuo tuo colore. Hoc tam commodo sermone correcta mulier, abiecit omnia tectoria formæq̄ medicamenta. Etenim fucata facies, persona est nō facies. Nullus aūt tā lenis est maritus qui ferat personatam uxorē. Cæterū quæ se pingit comitq̄ secus q̄ uiro gratū esse nouit, satis declarat sese pluribus uelle placere q̄ oportet mulierē pudicā: cuius præcipua laus est uni placuisse, cui desponsa est, cui tradita est, cui uelata est. Pingi uirginē nubilem, impostura genus est: fucari cōiugatam, adulterij genus est. Quis aūt est tam stultus maritus, ut fucis in uxore capiatur, si sciat? quis tam stupidus, ut non sentiat, uel mane dum comitur, uel in balneis, uel in sudore, uel alio quopiam casu decidente fuco, qualem fabulā memorat Galenus? Quum enim in conuiuio lusus agitaretur, quo quisq̄ cogeretur facere quod primus fecisset, ad quē ordo præscribendi ius deferebat: Phryne meretricula sentiens multas adesse anchusa, purpurissoq̄ pictas fœminas, iussit ut quisq̄ immissas in aquā allatam manus ilico sese mel ad faciē admouerent, moxq̄ linteolo detergerent aquā. Id ubi factū esset, fucatarum uultus uarijs maculis deformes apparebant, alibi delapso tectorio, alibi manēte, alibi conuulso, sola Phryne ueluti lota formosior etiā apparebat q̄ antea, quod nihil haberet fuci. Satis hoc erat pœnæ meretriculis, nam tales arbitror in eo fuisse conuiuio. Grauiora meretur uxor Christiana, quæ marito fucorū præstigijs conatur imponere: nimirū aut ipsa stultissima, aut maritū pro stultissimo ducens, si se sperat falsurā, pessime de mariti moribus sentiens, si credit illum ementitis coloribus delectari. Quid enim dicturus sit uir, cui coniunx osculum petenti, folliculum offerat oblitū bitumine? Aut quid interest per uitrum intueatur maritū, an per stibium? Iam si maxime maritus obtingat tam stupidus, ut fucorum mendacijs falli gaudeat, non est Christianæ, quæ coniugem professa est nō amicam, in eiusmodi mariti uotis obsecūdare. Corporis pudicū usum debet marito, nō scortorum delicias. Procul igitur absint à coniugio philtra, ueneficia, medicamenta, picturæ, tantū adsit mundicies in cultu, simplicitas in forma. Non amat qui deceptus aut coactus amat. Si maritus est candidus, sufficiet sexus cōmendatio. Sin est fastidiosior, efficacissimum incantamentū & ἐπαγωγὴν habet morum comitas & orationis iucunditas. Apud Olympiadem Alexandri Magni matrē delata est muliercula quædam, in quā deperibat

Philippus, quasi medicamentis animũ regis in amorẽ sui pertraheret. Itaq; iussit accersi, ubi uenit coràm, forma uisa est liberalis, mores cõpositi, sermo comis. Tum Olympias: Valeant, inquit, ueneficiorũ calumniæ, tu medicamentũ habes in teipsa. Quanto facilius uxor cõiugem, qui cũ assidue uiuit, pelliciet in amorẽ sui? Circe ueneficiorũ perita fuisse perhibetur, ea uiros ad se pertractos consueuit in uarias ferarũ formas uertere, quo facto nec ipsa potiebatur suo uoto, nec illi poterant amare quæ læserat, si mens reddita fuisset. Inter socios Vlyssis, quos in porcos uerterat, nihil erat iucundæ cõsuetudinis, nisi forte grunnitus illã delectabat. Solum Vlyssem, quẽ demẽtare nõ poterat diligebat, moribus ac sermone capta potius q̃ forma: at ille nec Circen, nec Calypso, quoniã ueneficijs utebantur, amare constanter potuit, cõstans in amore Penelopes, quæ pro fucis & medicamentis habebat pudicitiã. Inter Christianos uero ne mundus quidem operosior probandus est, ut animi sobrietas non tantũ in corporis simplicitate, non tantũ in uictus frugalitate, uerum etiam in uestitu reluceat. Nam ut corpus uestis quædã est animi, ita cultus tegumentũ est corporis: & quẽadmodum corpus ipso gestu, uultu, fronte & oculis mẽtis imaginẽ quandã præ se fert, ita cultus pudici, castiq; corporis uestigia quædam ostendit. Quanta uociferatio in eum, qui Benedicti aut Francisci profitetur institutũ, si uestis professioni non respondeat? Nec minus indecorũ, si, qui in baptismo renunciauit mundo & omnibus satanæ pompis, toto cultu mundũ & satanæ pompã præ se ferat. Quod si quã mulier esset nupta uiro nondũ professo Christum, fortasse Paulus illi daret ueniam, si ma-

Cap. 14 rito gerens morẽ paulo ambitiosius uestiretur, usurpans interim sermonẽ Hester: Domine tu scis necessitatẽ meã, quod abominer signũ superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meũ in die ostentationis meæ. At quæ Christiana nupsit Christiano, debet existimare nihil esse gratius oculis mariti, q̃ quæ professioni Christianæ congruunt. Et si forte maritus non meminit suæ professionis, admonendus est ut meminerit. Is si subito mutari non potest, temperandũ obsequiũ ut paulatim proficiat, & assiduitate flectatur qui uiolentia uinci non potest. Magna uis est uirtutis, si quis eã cõstanter urgeat. Monachus qui pro ueste Franciscana sumpsit chlamydẽ militis, apostata dicitur: Christianus homo, qui pro ueste modesta uestitur holosericis, quod Romanis etiã imperatoribus olim fuit inusitatum, imò holochrysis & gemmeis, suæ professionis habitũ abiecit: & hactenus quodammodo apostata est, nisi necessitati reclamet animus. Habet aũt uxor, quo mariti placet iracundiã, ob cultus modestiã obortam. Poterit enim illum his uerbis compellare: Mi charissime coniunx, nónne sic inter nos conuenit, ut paribus studijs seruiremus pietati, quã in baptismo professi sumus? Cõuenimus. At pietatis regulã unde potius petemus q̃ è sacris literis? Nõ aliũde melius. Nec postulas ut tibi morẽ gerã, si quid præcipias quod palàm aduersetur præceptis earum. Non sum tam impius ut quicquã tale postulem. Nec alia fuit unquã mea de te opinio, uerũ beatus Paulus scribens ad Timotheum, euidenter

1. Tim. 2 præscribit qualis debeat esse cultus matronarũ: Similiter, inquit, & mulieres in habitu ornato, cũ uerecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel ueste preciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Vult hic Paulus uxorẽ esse tectam, non nudam oculis populi, deinde tectã habitu decente fœminã, quæ profiteatur pietatem: Decorũ aũt cultum non esse in compositione aut tinctura crinium, nec in auro gemmisue collo circundatis, nec in purpura byssóue precio-

1. Pet. 3 sa: sed in ueris ornamentis animi, quæ sunt uirtutes. Quemadmodum euidẽtius etiam docet Petrus: Similiter & mulieres subditæ sint uiris suis, ut etiã qui non credunt uerbo, per mulierum conuersationẽ sine uerbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conuersationem uestram: quarũ non sit in capillatura aut circundatio auri, aut indumenti uestimentorũ cultus: sed qui abscõditus est in corde homo, in incorruptibilitate quieti & mo-

destí spíritus, qui est in cõspectu dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in deo, ornabãt se, subiectæ proprijs uiris. Si princeps apostolorum uestitus modestiã præcipit ijs, quæ maritis impijs nuptæ sunt, quo pertrahãtur ad Christianismũ: quanto minus cõuenit ab uxore Christiana cõiugem professionis eiusdẽ, exigere cultũ, nec decorũ pudicis fœminis, nec utilẽ ad tuendã pudicitiã? Quanto satius hoc sumptus, quod male periret ornando corpori, subleuandis pauperũ necessitatibus impendetur?

Similitudo Rectissime quidem dictum est ab antiquis, similitudinem præcipue morũ & ingenio-

rum

rum, amoris esse parentē: sed plurimū refert quæ sit materia similitudinis. Turpiter enim cohærent, quos cōmunia conciliant uitia: nec satis firmiter cohærēt, quos res fortunæ lubrijs aut casibus senióue obnoxiæ conglutinarūt, quod genus sunt uoluptas, ætas, forma, dos, ualetudo, uires. Solus uirtutū consensus nodum habet Herculanū, quē olim & in nuptijs sacrū fuisse legimus. Neq; tamen omnino falsum est, quod prouerbio Græco dici solet, homines conciliari malis, nō animi, sed fortunæ: ueluti nothæ cū notho melius conuenit, aut exuli cū exule, cum ancilla seruo, claudæ cum mutilo, deformi cum deformi.

In similitudine uero spectatur æqualitas. Quanq; potest incidere similitudo, inter quos non est æqualitas: rursus æqualitas, inter quos non est similitudo. Quū paupercula nubit prędiuiti, nec similitudo est nec æqualitas, & ideo dicitur in seruitutē dari potius q̄ in matrimoniū. Rursus quū summo loco nata nubit plebeio, nec firmæ sunt nec expertes infamiæ nuptiæ. Quū opibus, ætate, genere, forma pares coeūt, pariter & similitudo adest & æqualitas. At quū prædiuiti plebeio nubit claris maioribus prognata, licet re prætenui, similitudo quidē nō est, sed tamen adest æqualitas. Item quū eruditione præcellens ducit nobilē, aut insignis medicus bene dotatā, inter dissimiles est æqualitas, dum inter se paria faciunt, dissimili bonorū genere. Inter Christianos aūt non oportet esse morosam æstimationē æqualitatis, quos dominus Iesus, cuius auspicijs coeūt nuptiæ, tot modis æquauit, eadē morte redemit, eodē sanguine lauit, eadē fide iustificauit, eodē spiritu uegetat, ijsdē roborat sacramētis, eodē dignatur honore cognominis, fratres illos uocans ac filios dei, ad eandē hæreditatē uitę cœlestis uocauit omnes. Quid hic tu supputas reditus? quid generis imagines ex annalibus confers? Considera non quid nati sitis, sed quid renati. Ignobilis tibi uideri nō debet, quā deus agnoscit pro filia, Christus pro sorore. Pauper uideri qui potest, qui cohæres est Christi? Hic erit Christiani candoris, ut suā quisq; coniugem sibi cōmendet pensatione bonorū. Contigit infeliciore forma, specta decus animi. Abunde formosa est, quæ pudica est, quæ sobria, quæ modesta. Contigit indotata, sed industria, sed frugalis, ad rem parandam alacris, ad seruandam uigilans: sat habet dotis, quæ tali dotata est ingenio. Verū hic adhibendus est columbinus ille simplex & euangelicus oculus, non ille pharisaicus, iniquus & inæqualis. Sunt enim conspicilla, quæ res ostendunt maiores q̄ sunt, & sunt quæ minores uideri faciunt: sunt quæ lucē addunt, sunt quę caliginē: deniq; sunt quæ longius semota reddunt conspicua, propius admota obscurāt. At pharisaicus oculus sui dissimilis & inæqualis est, quū intuetur aliena mala, etiā quę minima sunt, uidentur maxima: rursum quū ad propria mala deflectitur, quæ maxima sunt, uidentur minima: imò uel cæcutit non uidens: uel hallucinatur, aut, ut Græco uerbo melius dicam, παραβλέπει, uirtutē esse iudicans quod est uitium: rursus in alijs ut uitium detestans quod est uirtutis: ad ea quæ procul absunt lynceus ac perspicax, ad proxima luscitus: quales feruntur oculi lamiarū, quæ domi nec ea uident in quæ impingunt: foris nihil tam abstrusum quod non perspiciant. Huic longe diuersus est oculus ille bonus & columbinus, ad quædā proximi uitia conniuens, quædā benigne interpretans, quædā eleuans, propriorū malorū iudex iniquior. Vbi tales adsunt oculi, non facile pariet dissidium inæqualitas. Et tamen iuxta sensum humanū, minus inæqualitas habet periculi, si uir prælatet, q̄ si mulier, quod in illo plus ualeat ratio, in hac magis regnent affectus: quibus si accedat materia, facile rapiunt ad mariti contemptū. Erit aūt hoc humanitatis Christianæ, si forte contigit uxor, multo inferior his bonis quibus uulgus æstimat homines, huic aliquāto plus honoris deferre, q̄ si paria cum marito faceret. Quibus res sunt minus secundæ, proniores sunt ad male suspicādum, adeo ut sæpenumero, quod casu iocóue factum est, rapiant in cōtumeliam. Si puellam felici forma prædītā, ludens appelles aniculā, non offendetur: offenderetur autē prouectior, ac forma parū secunda. Sic Paulus nos docuit, membris nostri corporis minus honestis plus addendum honoris. Id autem quum facimus, utiq; nobis ipsis honorem deferimus. Proinde maritus qui dehonestat coniugem suam, nonne seipsum dehonestat? Perpetuo quidem oportet utrunq; alteri deferre honorem, sed potissimum alijs præsentibus, aut altero absente. Nullus contemnet mulierem quāuis humilem, si uiderit eā suo marito preciosam & unice charam esse. Ne sic cogites: Hæc sic nata est, tantillum attulit: sed, uxor est. Multo minus hæc cogitatio congruit uxori: Indignus est cui cedam ac perferam. Sic potius cogitet: Maritus est, cui dū præsto

Aequalitas

officium, domino præsto. Rursum maritus sic obsecundet uxori, ut superciliũ aliquãdo deponat, autoritatẽ nunq̃: sæpe comem sese præbeat, abiectũ nunq̃. Hoc præscribit natura, idem docent sacræ literæ, deniq; sic expedit ipsis etiã mulieribus. Et in personis diuinis ordo est, licet nulla sit indignitas. Vbi nullus est ordo, ibi nec honor est. Cęterũ ubi currus bouẽ agit, hoc est, ubi prępositerus est ordo, ibi summa est infelicitas. Hic bifariã peccatur utrinq;. Sunt enim mariti, qui coniuges opulentas honestoq; loco natas, quoniã arte carent eas moderandi, deprimunt & abijciunt, quo dignitate detracta, facilius imperent submissioribus. Qui quidẽ, mea sententia, nihilo consultius faciunt, q̃ illi, qui quoniã ob humilitatẽ aut imbecillitatẽ corporis, siue ob imperitiã artis equestris, non possunt in equos generosos & altos cõscendere, docent illos flexis genibus submittere sese. Tales nimirũ uidere est & amicos & principes quosdã. Illi uiles ac depressos reddũt amicos, quo magis habeant obsequentes: hi populũ & finitimos lædunt attenuantq;, quo suã augeãt potẽtiam. Atqui quẽadmodum qui sic tractat amicos, iam & ipse ex amico transijt in dominũ, habetq; pro amicis seruos & adulatores: itidem princeps, qui non nisi malo suorũ ac finitimorũ nouit ornare potentiã suam, ex principe uidetur in tyranni nomen degenerasse: nec iam habet ciues aut socios, sed mancipia, & hostes dissimulatos. Cæterũ qui callet artẽ gerendi principatus, populum quẽ nactus est humilẽ, euehit ad dignitatẽ: sin nactus est præpotentẽ & illustrẽ, erigit animũ suum, ut præclaris uirtutibus industriaq; moderãdi, ditionis suæ splendorẽ æquet, aut etiã superet. Idem multo magis oportet fieri in amicitia: cui si desit æqualitas, iã amisit amicitiæ nomen. Proinde si quid habet uxor eximiæ dignitatis, ne deprime quod eminet, quẽadmodum agasones solent eminentẽ clitellarum partẽ impositis saxis ad æqualitatẽ redigere: uerum adnitere potius ut decoribus uirtute partis assurgas ad uxoris dignitatem. Certe non inuidebit uxoris splendori, qui semper cogitarit, id quod res est, omnia bona coniugis magis esse uiri q̃ uxoris. Eodem animo sunt erga familiam, perinde quasi singulis inuideant, non ferunt erectos animos, nec perpeti queunt nisi abiectissimos: tum deniq; agnoscũt pro suis. Tales, opinor, famulos suos uerterent in asinos, si possint, quo magis haberẽt obnoxios seruituti. Hic locum habet Mimus ille celebris: Male imperando summum imperium amittitur. Non est speciosa res imperare asinis, aut hominibus haud ita multũ ab asino differẽtibus: sed erectis, liberis, & excelsis ingenijs liberaliter imperare, præclarũ est. Hic uxor ita cedit uiro, ut socia sit imperij, ut latus uiro claudat. Peccãt igitur mariti, qui uxores, quantũ possunt, uertunt in ancillas. Nec minus peccant ij, qui suapte culpa uxores sibi uertunt in dominas: quẽadmodum crassa quidem Minerua, sed uerissime monet Epictetus. Dum enim uiret ætas & forma, uoluptatis amore nimiũ indulgent illarũ affectibus, captant muneribus, quod non sine causa prophanis etiam legibus uetitum est: permittunt illis in cultu, in uictu, in excursionibus, in fucis, breuiter, in omnibus animo suo morẽ gerere: adulantur illis abiectissime, se seruos, illas dominas appellando. Vbi defloruit ætatis gratia, iam uere dominas habent, & quidem imperiosas: de quibus tamen mariti iure queri non possint, quũ eas ipsi tales reddiderint. Deprimere dignitatẽ uxoris, quo uelut ancillæ quod libet imperes, tyrannidẽ sapit: abijcere te sub uxoris imperiũ, extremæ stultitiæ est. Qui frenũ moderari nescit, hunc frequenter excutit generosus equus, quũ peritus tuto premat tergum illius. His duobus modis non pauci peccant coniuges. Totidẽ modis peccãt fœminæ. Quædã enim sibi displicent, marito suã excellentiã uelut inuidentes, seseq; in seruitutẽ datas, non in matrimoniũ elocatas queritantur: quod nequaq̃ facerent, si subrectæ animis cogitarent, omnẽ mariti felicitatẽ uxori cõmunem esse. Cui igitur inuides ô mulier, quæ inuides marito? cui nisi tibi ipsi? Odiũ profitentur multi, nemo fatetur inuidiã. Minorẽ enim se profitetur quisquis inuidet. Si res tam execrabilis est, inuidere felicitati alienæ, quanto turpius est quenq̃ inuidere sibi? Ediuerso nonnullæ, quo cõiugibus suis imperent pro suo arbitratu, trahantq; ceu bubalũ naribus quò uelint, dementant eos uenefi cijs, quæ philtra uocant Græci, quod nolentes etiã in amorẽ pertrahant. Quid tandẽ his artibus proficiunt? Exemplo Circes cum suibus & asinis ætatẽ degunt. Quid enim aliud sunt, quibus uenena precesq; magicæ mentẽ excantarunt? Quanq̃ quid mentis habent tales fœminæ, quæ malũt imperare stupidis, attonitis, & mẽte captis, q̃ parêre sapiẽtib. ac sanis? In ꝓfectione uero q̃s sanus nõ malit seq uidentẽ & uiæ gnarũ, q̃ ducere cæcum?

Si

Si lethargus aut paraphrenesis, aut casus quispiã reddiderit maritũ mentis parũ integræ: nonne clamitaret uxor, se mulierẽ omniũ miserrimã, cui cum demente sit ætas omnis exigenda? Et felix sibi uidetur, quæ ex sano reddiderit insanũ? De obsequẽdo iam ante non nihil attigimus. Nulla est natura tã omnibus numeris absoluta, ut non aliqua ex parte sit quod mutatũ uelis. Nec temere reperias hoĩm par, tã cõpositum ad perpetuã uitæ cõsuetudinẽ, quin cõuictus satietas oboriatur, nisi uicissim alter alteri obsecũdarit in loco. Non necesse habet maritus, quẽadmodũ ait è comœdia pater, omnia pro suo iure agere, multo minus uxor. Quẽadmodum ingentes uentorũ tumultus nonnunq̃ sedat exigua pluuia: ita rixã in immensum exiturã, si quis repugnet, cõponit ac mitigat lenis cõmodaq̃ responsio, nonnunq̃ & iocus in tempore dictus. Sermo lenis cõponit iras, atq̃ idem facit interdum & silentium. Sunt qui facile & acriter cõmouentur, sed quorũ ira ut subito obortitur, ita mox subsidit si nullus instiget. Hic maximo malo facillimũ erit remedium, obticuisse tantisper, dum animus ad se redierit. Quod ubi factum fuerit, non solum manet incolumis pristina gratia, uerũ etiã accessit aliquid uigoris. Etenim qui sibi redditus est, agnoscẽs se præter causam fuisse cõmotum, iã ipse sibi irascitur, magisq̃ propitius est uxori, quæ frustra destomachantẽ sua lenitate perpessa sit. Itaq̃ si quid erit eius generis, ut referat admoneri maritũ, suo tempore tractabiliorẽ inueniet uxor sermoni necessario. Nec conuenit uxorẽ meminisse, si quid per iracundiã dictum est odiosius, maxime quum ipse non meminerit qui dixit. Sic potius cogitet: Hæc ira loquitur nõ maritus. Hic silentium, quod semper ornat pudicã matronam, etiã præsens adferet pharmacũ. Ne tamẽ eiusmodi sit silentium, ut tacente lingua uultus sit loquax, contumaciã & neglectũ mariti præ se ferens. Siquidẽ hoc loquax silentiũ peius est quouis sermone. Sit uultus reuerens ac submœstus, hoc est, animi præ se gerens imaginẽ, nihil habens toruũ aut superciliosum. Vt sunt autẽ qui responsantẽ non ferant: ita reperias qui non leuius offendantur silentio. Hic iuxta Græcorũ prouerbiũ, animi ægre affecti medicus adhibebitur lenis & salubris oratio, parca uerbis, sed accõmoda, ut media sit inter silentiũ & responsum. Dic rem melius habere q̃ delata sit, aut facillimum esse remedium, aut uociferando quod factum est infectum fieri non posse. Si periculum est, ne quamuis blandis dictis offendatur, tutissimum præsidium est silentium. Cæterum asperis uerbis ne tum quidem agendũ est cum marito, quũ maxime est placidus. Etẽ uxorẽ pugnare cũ uiro, cũ deo pugnare est, q dixit: Quia sub potestate uiri eris, & ipse dominabitur tui. Mitigat quidẽ hoc ius charitas: sed tamen nõ aufert autoritatẽ uiro. Paulus ideo mulieres iubet silere in Ecclesia, qd̃ potestatẽ habeant super caput suũ. Idẽ mulieris caput uirũ appellat. Pietas igit̃ hortatur, ut uiro mulier subdita sit. Quod si minus traditũ esset diuinis literis, tamẽ ipsa ratio suaderet, esse lenibus dictis aut silentio potius utendũ q̃ ferocia. Quid enim optat prudẽs mulier, nisi ut à marito quod uult impetret? Quod si plus impetrat sermo blandus ac modestus, q̃ ferox & asper, quid opus est experiri iurgijs, quæ ferè nihil aliud proficiunt, q̃ quod ex irato reddunt insanum? ut ne dicã interim, quod nonnunq̃ pro malis dictis referuntur mali pugni. Boreas uentus est omniũ uehementissimus, agitans nubes, ciens tonitrua, diffringẽs quercus, excitans terræmotum. Contrà Zephyrus est omniũ placidissimus, ad cuius auram flores exiliunt è terra. Et tamen quum Boreas conatur ui penulam auellere uiatori, quid proficit? Nimirũ ut ille magis ac magis astringat penulam, aut uestẽ sumat uillosiorem. Cæterũ ubi leui flatu spirare cœperit Fauonius, iam ultro ponit & penulã & tunicã. Saltẽ hoc exemplũ admoneat uxorẽ, quãto cõsultius sit cũ uiro blandius agere, q̃ iurgijs cõtendere. Ignẽ, inquit Pythagoras, gladio ne fodias. Ac recte monuit nobilis ille mimographus: Bona mulier parendo apud uirũ imperat. Honestissimũ uictoriæ genus, patiendo uincere. Fœminæ pulcherrimũ imperij genus, obsequendo imperare. Quod si molesta est toruitas, quã uirili sexui addidit natura: cogitet mulier hanc austeritatẽ, etiã si nonnunq̃ subamara est, esse salubrẽ familiæ. Est hoc germẽ quoddam fortitudinis. Vbi pro coniugibus ac liberis subeundũ est uitæ discrimen, quæ maritalis animi præsentia. An hic in cõiuge desideret uxor abesse masculam ferociã? Vbi petitur fama matronæ, quid non audet maritus? Feras igitur ô mulier, toruum illud genuinum tui coniugis in quotidiano conuictu, quod experiris tibi salutiferum, si quãdo res exigat fortem uirum. Vbi propulsanda est uis hostium, à fortunis, à capitibus tum tuo tum liberorũ tuorũ, utrum tum maritum

Obsequia

ritum ſimiū eſſe malles an leonē? Non dubiū quin leonē. Obſerui igitur leoni tuo cōmo-
dis moribus, cauens ne illius irā merito in te exaſperes. Plures te ueluti leam reuerebun-
tur, ſi tu leoni tuo detuleris reuerentiā. Præſtat eſſe leam amico leoni ſubditam, cȝ habere
colluſorem ſimiū. Olim ſponſa quum primū in ædes ſpōſi deduceretur, ex more talibus
uerbis alloquebatur illū: Vbi tu Caius, ibi ego Caia. Itidem & tu tecū cogita: Vbi tu leo,
ibi ego lea: ubi tu dominus, ibi ego domina: ubi tu herus, ibi ego hera: ubi tu domus gu-
bernator, ibi ego gubernatrix. Cæterū ſi pro Caia tentes agere Caium, iam nec domus e-
rit nec familia. Sunt tamen in quibus & maritus interdum cedere debeat uxori, uel quia
nullius momenti ſunt, uel quia proprie ad muliebrem functionem pertinent, uel quia ue-
hementer ad rem familiarē pertinent. Primi generis exemplū erit, ſi certo genere cultus
delectetur mulier, qui tamen nihil habeat dedecoris: aut ſi ſuis quibuſdā ieiunijs aut pre-
cibus teneatur. Ad hæc interdum conniuendū, tametſi tutius eſt uxorē ſic aſſueſcere, ut
in maximis pariter ac minimis obtemperet animo coniugis ſui. Proinde conniuendum
erit potius cȝ obſequendū. In his aūt quæ ſunt matronalis prouinciæ, quod genus ſunt,
cura rei culinariæ penuariæcȝ, cura infantiū & ancillarum, maritus non facile interpella-
bit uxorē, niſi uiderit aliquid admonitione dignū, & cedere non grauabitur, ſi uiderit il-
lam plus ſapere. Et in ſerijs rebus habet ille ſexus nonnunquam maſcula conſilia, ueluti
quū hortatur ad deponēdum ſimultatē. Tribuunt enim philoſophi muliebri ſexui ſoler-
tiam, hoc eſt dexteritatē quandam in conſilijs extemporarijs, quod multa cogitatione ne
gentur proficere, quēadmodum uiri. Et uiris nonnunquā uehemens affectus excuſſit iu-
dicium. Hic ſi bene monet uxor, ne pigeat audire uirum. Obtemperauit Abraham Saræ
coniugi, ac uariantibus ſententijs paſſus eſt uxoris ſuffragiū uincere. Eiecit ancillam cum
filio. Atqui primū durum erat audire: Eijce filiū tuum cum matre ſua. Sed audit à domi-
no: Ne tibi uideatur aſperum ſuper puero tuo, & ancilla tua. Omnia quæcunqȝ dixerit ti-
bi Sara, audi uocē eius. Puta & tibi marite idē dici à domino, quoties id quod admonet
uxor, ad famā ſalutémue tuā pertinet. Quicquid enim tibi dixerit ratio, hoc à domino di-
ctum exiſtima. Multis ſaluti fuit ſeruorum conſilijs obtēperaſſe, quo minus te pigeat ad-
mittere conſilium uxoris. Quorundam autē eſt tanta moroſitas, ut ſi quid alteri placuit,
ob hoc ipſum diſpliceat, quod illi placuit: nec ulla res tā friuola eſt, in qua dignetur alter
alteri concedere. Inter tales nō mirum eſt ſi friget charitas. Iam eſt hominum ingenijs in-
ſitum ἀνθίκορον quiddam, id eſt, faſtidium quoddā præſentium, quo fit ut nihil diu place-
re queat, ſed iucundiſſimarum etiā rerū illico ſuboriatur ſatietas. Cui malo duplex eſt re-
medium, intermiſſio & officium. Nam intermiſſio conſuetudinis quodāmodo renouat
amicitiæ iucunditatem, & officijs mutuis, non aliter cȝ ignis leni aura, alitur beneuolētia
mutua. Intermiſſione recte conſulitur amicitiæ uergenti in tædium. Cæterū interruptio
conuictus inter maritum & uxorem affectanda nō eſt: multis illam præſcribit neceſſitas,
ueluti negociatoribus & aulicis: eo quod beneuolentiæ connubiali plus imminet pericu
li ex diutina ſegregatione, cȝ ex perpetua coniunctione. Secubandi uero quis modus ſit
habendus, Paulus diligenter præſcribit, quæ res ſanè ſi commode adhibeatur & ex con-
ſenſu mutuo, multum attulerit adiumenti ad ſeruandam cōiugalis beneuolentiæ fragran-
Officia tiam. Munuſculis alere beneuolentiam ineptum eſt. Emptus amor non eſt amor, nili for
te talia ſint munuſcula, ut non precio, ſed ſymbolo quopiā aut ingenij monumento com-
mendentur, aut iocum habeant non illepidum. Quod genus ſunt, epiſtolæ, carmina, pri-
ſca nomiſmata, nouæ rei pictura. Quanquam in matrimonium non eſt tutū recipere ex-
emplum, quod lege uetitis feneſtram aperiat. Et officij quidem uocabulum cōplectitur
quicquid facere debet uxori maritus aut uxor marito: Qualia ſunt & inter liberos ac pa-
rentes, ſeruos ac dominos, de quibus ſuo loco nonnihil dicetur. Sine illis enim non con-
ſtat ulla familiæ concordia. Sed nos interim de leuiore quodam officiorum genere loqui
mur, quibus tamen alitur ſeruaturcȝ mutua charitas, ac mitigatur ſi quid forte ſubortum
eſt alienioris animi. Cuius generis ſunt illa, Maritum proficiſcentē cum oſculo fauſtiſcȝ
precationib. dimittere, redeuntē à peregrinatione cū ſuauio uultucȝ alacri excipere: Rur
ſus euntē ad forum aut in aulā, ad limen uſcȝ deducere: Redeuntem hilariter excipere, in
cōpellando nō prætermittere charitatis aut honoris uocabula. Nō decet uxorē de abſen
te marito multa uerba facere, ne in laudē quidē illius: ſi tamen ita res poſcet, ſit ſermo bre-
uis

uis & honorificus: si quid in marito uitij est, uel dissimulans, uel eleuans. Deinde si quid senserit marito charum esse, siue sit auicula, siue canis, siue aliud quiduis, eius curam præcipuam agat. Hæc leuia sunt, tamen non leue momentum adferunt ad retinendam inter coniuges beneuolentiã. Similibus officijs maritus certabit cum uxore. Si quid peccatum erit, officijs abolebitur offensa: si nihil erit, excitabitur ac reiuueneſcet beneuolentia. Iam & liberi cõmunes si cõtingant, adamantinis uinculis astringunt coniugalẽ amicitiã. Verum non ut officiosus esse potest qui uult, ita potest & liberos sibi dare. Illud tamen in nobis est situm, ut pietatis affectum in illos geramus. Porrò quo chariores erunt liberi, hoc minus offensarũ coalescet inter maritum & coniugem. Qui solo ductu naturæ uiuebant, liberos appellarunt pignora. Pignus aut datur ad confirmationem contractus, in quem usum dantur & obsides. Ac principes quidem dum conantur fœdus inire perpetuũ, eos quos habent chariſſimos, dant ac sumunt obsides, in quos sæuitur interdum, si fides alterutrius eluserit. At natura quanto sanctiora pignora cõmenta est? Quum uxor gignit marito, utercꝫ alteri dat obsidem, in quo spiret utercꝫ, ueluti duobus in unum conflatis, quod utricꝫ sit charius quàm ipse sit sibi. Hac arte natura maritũ uxori, ac uicissim uxorem marito dedit obsidem, ut iam distrahi nec uelint propter insitam erga liberos charitatem: neque possint, quod liberorum possessio sit indiuisibilis. Verba diuertentium sunt, tua tibi habe. Cæterum quum uentum erit ad liberos, cui dices, tua tibi habe? Hic neuter sua sibi habere poterit, nisi simul habeatis, quod ambobus ex æquo cõmune est. Atqꝫ hic cõtemplari licet miram naturæ sollicitudinẽ, in eodem uultu duos simul depingit, & in eodem corpusculo duos repræsentat. Illic agnoscit uxoris imaginem maritus, & uxor agnoscit mariti simulacrum. Nonnunquã relucet aliquod auitæ figuræ uestigium, interdũ & proprium aut proauitam expressam dicas, quo pluribus argumentis tibi commendaretur pietatis affectus erga liberos. Proinde qui ad hunc naturæ sensum obsurduerunt, non dicam quod iam desierint esse Christiani, homines esse desierunt, imò infra brutorũ naturam degenerarunt, & ultra leonũ ac tigridum feritatẽ efferati sunt. Equidẽ hanc esse causam arbitror, quod nullum extet speciale præceptum quo parentes iubentur diligere liberos suos, quemadmodũ nemo iubetur seipsum diligere. Solon rogatus, quur nullam pœnam statuisset in parricidas, quum leuioribus etiam commissis pœnas indixisset: respondit se nunquam fuisse suspicatum, in ciuitate sua exoriturũ tam impium facinus. Hanc legem sic inſculpsit intimis omnium affectibus natura, ut superuacanea uideatur humana lex. Atqꝫ illud interim mirũ, nusquã extare plura officiorũ exẽpla, cꝫ ubi nulla lex est officium exigens. Historici cõmemorant amicorũ paria nõ ita multa. Cęterũ uita mortalium scatet exemplis patrũ, quos nõ piguit suæ uitæ iactura, liberorũ uitã redimere. De Aenea legis. Omnis in Ascanio charistat cura parentis. Clamat apud Esaiã dominus: Nunquid obliuisci potest mulier infantẽ suũ, ut non misereatur filio uteri sui? Sed uæ malicíæ mortalium. Inueniuntur inter Christianos, quæ recens æditos infantes iugulant: quæ cientes aborsum, necant etiã nondum natos. Sed facessant ab hoc sermone rara quædã portenta uerius cꝫ exempla. Ergo si liberi contingunt, habetis obsides mutuæ charitatis: si nõ contingunt, non est orbitas ubi uiuit charitas. Sic enim Helcana consolatur uxorem suam: Quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filij? Pignora. Cap. 49.

Iam institutio cõiugis ut plurimũ adfert momenti ad conglutinandã charitatẽ, ita magna ex parte uiris in manu est. Etenim quod de liberis dixit Comicus, nõ minus cõuenit in uxorẽ: Vt suã quisqꝫ uult esse, ita est. Quemadmodũ igitur deligenda est coniugio quę docilem ac tractabilem indolem præ se ferat, ita post initum coniugiũ nulla debet esse potior priórue cura marito, cꝫ ut uxoris animũ imbuat philosophię Christianę decretis, paulatim instillans amorẽ studiorũ ac ueræ uirtutis. Si fortunę patiuntur ociũ, saluberrimum est puellã Greęcis Latinisqꝫ literis erudiri. Sin facultatũ tenuitas uocat ad operã manuariã, tamen hactenus erudienda est, ut expedite legat linguã populare. Ex libris enim aliunde uersis hauritur nõ minima pars sapientiæ. Verũtamen ne muliebris animus ad inania somnia delabatur, prius à marito certis dogmatibus ad lectionẽ præparãda est, & in ipsa lectione tam diu gubernãda, donec iam sine cortice nare cõsueuerit. Neqꝫ uero hæc eò pertinent, ut mulier negligat cõciones Ecclesiasticas, sed potius ut eas maiore cum fructu audiat. Audiet igitur illas & frequẽter et reuerẽter: sed plus eruditionis illinc domũ referet, si lectione Institutio.

si lectione prępparata accesserit. Quod si lectio desit, maritus instructor, lectionis uice fue rit, per hunc exercenda est uxor, non solum in hoc ut intelligat audita, uerumetiã ut me minerit. Multis enim inexercitatis sic elabuntur omnia, ut nihil referat audisse. Credunt autem supra uires humanas esse tam prolixam orationẽ memoria complecti, quum exer citatis nihil sit facilius. Ad intelligentiam igitur simul & ad memoriã conducet, si priusquam adeat concionem, argumenti summã, de quo uerba facturus est ecclesiastes, prædi dicerit uxor. Curabit obiter & illud maritus, ut eis audiendis assuescat qui dicunt quàm optime. Primum enim quod optimum eligendum est, id fiet assuetudine iucundũ etiam. Post auditam igitur communem concionem maritus, ocium & locum nactus, exiget ab uxore quod audiuit, nec oportet primam exactionem esse seueram, blanditijs & laude condulcanda est, donec proficiat rudis animus. Interim diligẽter indicabit maritus quo modo sit ingressus Ecclesiastes, in quot propositiones diuiserit concionem, quo quanq; modo propositionem sit prosequutus, quid in quaque dixerit dignum memoria, tum si quid parergum admiscuerit, aut si quid in peroratione noui adiecerit. Hinc nascetur mu lieri iudicium simul & memoriæ uis. Nec alienum fuerit quasdam argumentationũ for mas seu rectas seu uitiosas indicare, tum usum similium & exemplorum. Ad hæc enim, quoniã à natura proficiscuntur, nemo non docilis est, & possunt crassiore, quod aiunt, Minerua tradi. Vbi id erit unum atq; alterum mensem factum, iamq; certũ iudicium, cer taq; memoria parata fuerit uxori, tum expediet interdũ diuersas audire cõciones, hac le ge, ut uxor quod audiuit uiro cõmunicet, uir uicissim uxori. Hoc pacto fructus cognitio nis duplicabitur non absq; sancta confabulationis uoluptate. Sensim autem maritus exi met è pectore coniugis uulgares ac præposteras de rebus opiniones, proq; his ueras ac philosophicas inseret. Muliebre corpus nihil pręclari gignit, nisi maritus semen genero sum indiderit: & si quid gignit, informe quiddam est, è corruptis humoribus cõcretum, medici molas uocant. Id multo periculosius accidit in animis fœminarũ, nisi uir saluber rimas opiniones, ueluti semen efficax instillarit, unde mox pullulabit honestissimus uir tutum prouentus, pietatis, sobrietatis, pudicitiæ, modestiæ. Ast ubi mulier iam senserit sese ex institutione mariti transformatam, ac seipsam cõtulerit cum ea quæ prius fuerat, tum incipiet apud sese dicere: O me felicẽ quæ in talem maritũ inciderim. Qualis eram futura belua, nisi hic institutor obtigisset: Iamq; incipiet non solum diligere ut maritum, sed suspicere ut præceptorem, reuereri ut patrem: aut ut Christianius dicam, deũ in mari to uenerari. Hic nouo Cupidini cedet ille uulgaris amor, neq; in magna felicitate ponet, quod opera mariti mater facta sit. Agnoscet se debere coniugi longe meliorem fœcũdi tatem, quæ nõ consenescit ætate, sed annorum accessione magis efflorescit. Inter fortu natas numeratur Hecuba, regina erat Illij, compluriũ ac præstantium liberorum parens. Hæc omnia debebat marito Priamo. Sed quid? fortuna in diuersum cõmutata, præ do loris impotentia uersa dicitur in canem. Quod si à marito didicisset, nec rebus asperis o portere deijci, nec lætis insolescere, aut neminem esse felicem uel infelicem nisi bonis ac malis animi, plus illi debuisset, q; si totius Asiæ reginam fieri per eum contigisset. Apud Homerum sic Hectori loquitur Andromache:

Σύμοι ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ηδὲ κασίγνητος.

Quid adhuc magni dixit, pater, mater, frater, & maritus? Felicior est quæ dicere po test: Tuis monitis ex bestia facta sum homo, ex imbecilli fortis & intrepida, ex phariſæa uere Christiana. Rideo magorũ præstigias, nõ exanimor ad solis defectus, tonitrua seu terræmotus, docta hæc naturalibus è causis proficisci. Pro secundis pariter atq; aduersis gratias ago deo, sciẽs ab illo immitti quicquid obtigerit, & expedire nobis quicquid im mittit ille. Sedulo quidem adnitor ut omnibus bene faciam, nec patior dei gratiã in me uacuam esse. Cæterum nec in factis nec in meritis meis pono spem salutis, sed in immen sa misericordia domini Iesu, qui sibi toto pectore fidentes nõ destituet. Itaq; nec uitæ me tædet, & alacris supremũ expecto diem. Hæc qui me docuit, an non numinis habendus est loco? Officiosus sibi uidetur, qui donauit uxori uestem purpureã, aut anulum magni precij. Imò is dedit maleficium. Officium præstitit, qui huc prouexit uxoris animum, ut purpuram, aurum & gemmas cõtemnat, ut talium ornamentorũ pudeat: ut intelligat se

multo

multo precioſius ornari pudicitia, modeſtia, ſobrietate, benignitate in pauperes: ut dulcius iudicet immuſſare libris, ꝙ itare ad choreas, ad licentioſa tumultuoſaq; conuiuia: curſitare ad conciliabula loquacium mulierc ularum, unde nulla quantumuis proba matrona non redit deterior domum. Hęc nimirum ſunt officia quæ perpetuam & immortalem gignunt amicitiam inter maritum & uxorem. Verum hanc mentem ut gignas in uxore, neceſſe eſt ut in te ipſo prius conceperis, & ita demum iudicabit te ex animo ſuadere quæ doces, ſi conſpexerit in omni uita tua relucentem admonitionum tuarum imaginem. Efficaciſsimum docendi genus eſt, præſtare quod ſuades. Hac ratione nihil uetat quo minus & uxor doceat maritum. Etenim uitæ probitas, quum ſupercilium non habeat, tamen uehemens habet ad æmulationem incitamentum.

Hic locus admonebat ut philoſophiã œconomicã paucis explicaremus. Id quanꝙ à ueterib. non indiligenter factũ, tamẽ nõ abs re fuerit, ſi eadẽ Chriſtianus tradat Chriſtianis.

Primum igitur omnium illud perſuaſum eſſe debet utriſq;, quod deo uolẽte matrimonio coniuncti ſunt, nec poſſe coniugium infelix eſſe ſi perſeuerarint in præceptis dei, & in huius bonitate totam felicitatis fiduciam collocarint. Hic igitur ſit murus aheneus, & in hoc primus ac ſummus coniugum conſenſus. Iunguntur autẽ duo, mas & fœmina, non tantum ob id ut naturæ quod debent reſoluant, quod nec uir ſine fœmina, nec fœmina ſine uiro præſtare ualet, ſed ad aliud quiddam ſublimius. Nam & bruta animantia congregantur, gignunt, & adamant fœtus ſuos. In hoc iungitur Chriſtiana Chriſtiano, ut tutior ſit pudicitia, ut ex ſocietate maior ſit uirtutũ profectus, ut liberos educent non tam naturæ ꝙ deo, deniq; ut unam domum Chriſto lucrifaciant. Neq; uero rem mediocrẽ præſtat, quiſquis hoc præſtiterit. Eſt aliquid Spartam, quam tibi deus delegauit, ornare. Quemadmodum autem non multum laudis illi debetur, qui ciuitatem cõdere & augere potuit, gubernare non potuit: ita nihil magni faciunt, qui liberis, famulis & opibus augent rem familiarẽ, niſi quod partum eſt recte adminiſtrẽt. Iam ut ex multis ciuitatibus cõſtat regnũ, ex multis domibus ciuitas, ita domus ciuitas quędã eſt ac regnum. Quum regnũ dico, gubernationẽ dico, alieniſsimã ab omni tyrannide, in qua tamen ſumma rerum ab uno pendeat. Is eſt paterfamiliâs. Vt uero nec regnũ nec ciuitas conſtat abſq; concordia, ita res familiaris collabatur oportet, ſi adſit diſsidium, præſertim inter regni primates, maritum & uxorem. Nec poteſt eſſe perpetua concordia, ubi frequentes ſunt iniuriæ: neq; nõ poteſt eſſe ſeditio, ubi confuſus eſt ordo. Legibus igitur excludetur utrunq;. Harum condendarum autoritas ſic erit penes uirum, ut nemo tamen ſit in familia, ꝙ ipſe, legum obſeruantior. Iniuriarum autẽ grauiſsima eſt, ſi coniugum alter alteri faciat ſui copiam. Seditio capitalis, quoties liberi in parentes, aut uxor aduerſus maritũ conſpirat. Legibus igitur & ordine conſtabit res familiaris. Domus autẽ ſumma diuiſione ſecatur in hominẽ & poſſeſsionem. Hæc enim prima domus exordia notauit Heſiodus, iubens parari

οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε βῶν τ' ἀροτῆρα. id eſt,

Domum quidem primum, mulieremq; & bouem aratorem.

Mulier em̃ primum eſt ad propagationẽ liberorum, bos ad parandum uictum & ſubſtantiam. Ad operas præſtandas opus eſt famulis ac famulab. quæ olim ſic in bonis erãt, ut & hæreditate obuenirent, quemadmodum agri bouesq;, & uendere ius eſſet dominis. Nunc ferè conductitijs utimur. Domus igitur conſummata in has partes diſtribuitur, in maritum & uxorem, uelut in ſenatum: in liberos, uelut in ordinem equeſtrem: in famulitium uelut in plebem: & in poſſeſsiones. In his parandis primum utilis erit delectus, in tractandis ratio. De delectu coniugis iam dictum eſt: quantum autem in nobis ſitum eſt, ut liberi naſcantur probi, ſuo dicetur loco. Famulos autem & famulas aſciſcere oportet, non ſolum utiles præſtandis operis quas requirit familia, uerum etiam moribus incorruptis, aut certe qui uideãtur ad probitatem eſſe dociles. Quemadmodum autẽ parãda eſt iuſta ſupellex, nec ultra ꝙ ſat eſt ad uſum: ita non eſt oneranda domus turba famulorum aut famularum ocioſarum. Nonnullis enim hoc hodie magnificum uidetur, alere gregem inutilium, ac nihili hominum, haud multo ſapientioribus iſs, qui alendis ad uoluptatẽ equis aut auibus, properant ad inopiam. Quum autem ſint tot membra Chriſti fame pereuntia, quàm non eſt Chriſtiani pectoris, ſeruare tineis ac furibus reconditum aut ad nequitiam profundere, unde tot fratrum egeſtas poterat refrigerari. Iam de poſſeſsionibus

quæritur quæ sit firmissima: & talis creditur agrorum, proxima ædificiorum. Et interatites prima laus debetur agriculturæ. Et hic delectui locus erit. Sed tamen quæcunq; obtigerit ars, sine fraude exercenda est: atq; illud semper habendum in animo, lucrum fraude partum, damnum esse, non lucrum. Et, Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Hoc demum in tuis bonis numera, quod sine alterius iniuria tuum est. Multi se iactant ut opulentos, è quorum facultatibus si semoueãtur quæ debentur alijs, essent admodũ tenues. Fit autẽ duplex iniquitas, quũ quod male partũ est, peius perditur. Turpiter perit apud Christianos misericordiam professos, quod perit fucis, insolenti cultu, luxu, & alea, Sacrilegium facis ô professor, pauperum est quod prodigis: immo Christi est, qui in suis membris refocillari postulat. Oportet igitur in omnibus adesse frugalem munditiẽ: quæ sic excludat sordes, ut procul absit luxuries. Si quæstus fallit, magnum uectigal parsimonia est. Si quis casus auferet fortunas, leuior erit calamitas paruo assuetis.

Illud in primis cauendum, ne quid sit in possessionibs nostris, unde non aliqua capiatur utilitas. Nam in hoc aluntur & liberi, ut parentibus senio defectis uicissim opitulentur. Xenophon in possessionibus numerat etiam amicos, quos uel ipsis bubus anteponit, eo quod plurimam adferant utilitatem. Cum nemine quidem oportet habere simultatem: uerum cum quibuslibet habere familiaritatem non expedit. Sat habet amicorum, qui paucos habet synceros. Et Hesiodus notat uicinum, qui si malus est, ait noxam esse: sin bonus, magnum adiumentum. Qui cupit bonum uicinum, sit ipse bonus uicinus. Frequenter enim ipsi facimus uicinos malos. Quin & inimicos Xenophon numerat in bonis nostris. Vndecunq; enim nobis capitur utilitas, id in bonis nostris esse uidetur. Atqui ex inimicis, si quis norit uti, magna capitur utilitas, quemadmodum ex amicis frequenter summa nascitur pernicies, si quis secus quàm oportet utatur. Quibus autem rationibus fiat, ut utilitatem adferant inimici, perquàm eleganti libello docuit Plutarchus. Quod ad præsens argumentum attinet, geminam utilitatem præstant inimici: alteram exemplo, alteram nocendi studio. Vides inimicum omnibus inuisum bonis ob linguam effrenem, cogita tecum: Ne idem mihi ueniat usu. Vides quàm ingenerosa res sit inuidere cõmodis aliorum, cogita: Non committam, ut hæc lues irrepat in animum. Deinde quo magis aduigilat inimicus, ut lædat rem aut famam tuam: tanto magis aduigila, ne quid committas indignum bono uiro. Si conuicium in te dixit, corrige ne possit iterum obijcere. Si præter meritum obiecit, circunspice, num quam ansam imprudens dederis. Si uerum est quod obiecit, gaude te fuisse admonitum. Pro hoc officio debiturus eras amico: inimico nullam debes gratiam. Sin falsum est, gratulare tuæ innocentiæ, uitans occasionem, & augens uirtutem. Vbi te rapit affectus improbus ad calidum aliquod facinus, in primis tibi ueniat in mentem inimicus: propone tibi, quam ille uoluptatem capturus sit, quàm peruerse interpretaturus quod feceris, quid dicturus in te, quid facturus. Hæc consideratio moderabitur bona ex parte cupiditatem animi tui. Vxor quum paras ob dissidium abitum à marito, & in uulgus efferre domesticam tragœdiam, tum tibi in mentem ueniant, si quas habes insigniter maleuolas & inuidas. Quid fuerit auditu iucundius illi & illi, si hoc factum cognorint? Aut ubi me libentius uisuri sunt, quàm in domo ubi maritus non est? Quid autem non affingent huic fabulæ? Quanto consultius est, clàm cum marito redire in gratiam, q̃ inimicis tantum ex me præbere uoluptatis? Iam quando uindex dicitur mulierum genus, nulla speciosior ultio, quàm ut indies teipso euadas melior. Sic urendus, sic enecandus est, qui nobis male uult. Hæc cogitatio curam tuam acuet in educandis liberis, ac moderanda familia, ne sit quod merito calumnietur maleuolus. Quemadmodum igitur hominum ingenio noxiæ bestiæ multam adferunt utilitatem uitæ mortalium, quod harum pellibus uestimur, uiperarũ carnibus ad remedium utimur: sic tu quoque non mediocrem utilitatem feres ex inimicis, si recte noris uti. Supereſt igitur, ut in domo bene constituta omnia sint in officio: id fiet, si sua cuiq; tribuatur functio, ad quam uidetur accommodus. Summa autem officiorum diuisione, dicuntur alia domestica, alia externa. Quæ foris geruntur, ad uirum pertinent: quæ domi, fœmineæ sunt functionis, præsertim ea quæ ad rem penuariam & culinariam pertinent: Item quæ ad pensa distribuenda familiæ, & ad operam debitam exigenda. Quin & educatio liberorum uxoris prouincia est, dum adhuc tenera est ætas. Vbi iam ad hoc ætatis peruentum erit, ut instituendi

tuendi sint ad aliquod uitæ genus, ad maritum redit officium. Similiter & in puellis elocandis cura quidem amborum communis est, sed autoritas erit penes maritum. In his autem quæ sunt fœmineæ functionis, maritus non temere interponit autoritatem, nisi uiderit aliquid momenti maioris, quàm ut sit dissimulandum. Multo parcius id faciet uxor in mariti partibus. Et si quando res flagitabit ut id fiat, captandus est locus ac tempus idoneum, multaq; blanditie ac præfatione reuerētiæ mitiganda est monitionis asperitas. In fide coniugij lex eadem pariter astringit uirum uxori, atq; uxorem uiro. Cæterum autoritas in uirum nulla est uxori, quemadmodum præscripsit apostolus: Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirum: sed esse in silentio. In congregatione ne loqui quidem permittit: domi sermo non negatur discendi gratia: dominatus in uirum ubique negatus est. Iam multum quidem reuerentiæ mulier debet uiro, sed & uir uicissim aliquam reuerentiam debet uxori: quemadmodum & parentes, si uolunt habere liberos reuerentes, debent ipsi primum & illos reuereri, neq; quiduis apud eos uel dicere uel facere. Et hic igitur mutua lex est, quanquam non pariter obligat. Itidem quum omnia sint communia marito cum uxore, tamen ad uirum pertinet distribuendi autoritas, & huius censebuntur omnia. Quemadmodum si uinum diluas aqua, etiam si plus sit aquæ quàm uini, tamen uini nomen obtinet: ita tametsi plus attulit uxor quàm maritus, omnia tamen mariti dici debent. Absurdum enim sit, alia dici mariti, alia uxoris: absurdius autem, omnia dici uxoris. In reliquam familiam oportet secundum maritum primam esse autoritatem uxoris, præsertim cum ille degit foris. Quanq; & inter famulos discrimen est. Sunt enim nonnunquam marito peculiares in negocijs uirilibus. In hos non conuenit imperiosam esse mulierem. Quanquam illi tanto maiorem reuerentiam exhibere debent dominę suæ, ne cæteris præbeant exemplum contumaciæ. Operas igitur debent famuli: sed famulis debetur uictus ac uestitus, non ad luxum, sed ad usum. Segnes extimulandi sunt, alacres & industrij collaudandi. Et si perseuerent, aliquo præmio donandi, quo magis & cæteri ad industriam prouocentur. Multum conducet rei familiari mulier, si quanquam ipsa non laborat, tamen segnibus suas iniungat operas, commoneat officij, exigat præscriptum, commonstret quomodo quid sit agendum, comprobet quod recte factum est, indicet in quo sit erratum: ubi monita nō proficiunt, adhibeat obiurgationem, sed quæ salubrem habeat austeritatem, qualem habent medicorum pharmaca, non inutilem amarulentiam, quæ non excitat animos famulorum, sed alienat. Olim serui uerberibus castigabantur, nunc quoniam mercenarijs utimur, præstiterit à plagis abstinere, nisi sit ætas quę nondum iudicio duci possit. Adultus autem quum nec pudore nec blandis monitis, nec seueris obiurgationibus corrigitur, ne uerberibus quidem reddetur emendatior. Corrigi non potest, sed mutari potest. De filiorum eruditione suo dicetur loco. Hac igitur sedulitate si materfamilias totam domum subinde lustret, circunspiciēs quid desit in thalamis, quid in cœnaculis, quid in conclaui ubi uersantur liberi, quid in locis ubi operantur famuli famulæue, quid in corte, quid in hortulo, magnū opus præstiterit etiam si nihil operis fecerit ipsa. Phidias statuarum insignis artifex Elienſibus Venerem finxit insistentem testudini. Ac prima quidem frōte spectaculum absurdum uidebatur, deam tam teneram ac delicatam pro sandalijs ac rosis calcare deformem bestiam, cuius aspectum etiam horrent plerique. Atq; hæc absurditas excitauit omnes ut disquirerent quid sibi uoluisset artifex. Significabat autem illud uir prudens, duabus in rebus potissimum esse sitam laudem matrisfamilias, in silentio & cura rei domesticæ. Siquidem testudo uoce caret, nec unquā prorepit è domo, unde Græcis φερέοικος dicta: & si quid metuit, illico se totam intra testam contrahit: itidem & uxorem obrepere decet per totam domum, sed ita ut domum secum circunferat: & si quid prospicit, ne sit ultra cortem, aream, aut hortulum ædibus iunctum prospectus. Intra hæc pomeria matronæ regnum circunscribitur. Et si quid metuit mali, sciat se nusq; esse tutiorem q; domi. Atq; hactenus quod dixi uidebitur utcunq; congruere. Cæterū qui congruit mutam fingi mulierem? Testudini enim nihilo plus uocis est, q; cochleæ. Non uox adimitur uxori, sed clamor, sed loquacitas: & si qua seria sunt, rectius ea præcipiet uxor uoce mariti q̄ sua. Sic enim maiore cum autoritate loquetur: quēadmodum faciunt, qui per præconem grauiore sono loquuntur q; si loquerentur ipsi. Non est necesse ut clamet: Sic uolo, sic iubeo: placabilius erit hoc modo loqui: Sic placitum est do- 1. Timo. 2

mino. Nolim hæc scire maritũ, scitis quid uobis præscripserit dominus. Ita ne excidit uobis, quid præcepit pater uester? Si quid igitur dissidij natum fuerit uel inter famulos ac liberos, uel famulis aduersus matremfamiliâs, id protinus utriusq; dexteritate facile cõponetur. Non enim cõmittendum est ut offensæ neglectæ serpant ac radices agãt ἀρχὴν ἰάσεως πολὺ λώϊον. Quod si quid natũ fuerit inter uxorẽ ac maritũ, multo minus oportebit tegere. Hoc ibi fit, inquit ille, ubi nõ uere uiuitur. Filius desperãs profugerat in militiã. Senex desiderio filij semetipsum inclemẽter excruciabat: nõ ob aliud nisi quia neuter alteri aperuerat animũ suũ. Sit igitur uelox, sed amica expostulatio, sitq; reditus in gratiã plenus ac benignus. Quicquid aũt intra parietes natũ est, intra parietes cõponatur, sic ut offensę sensus nec ad famulos, nec ad uicinos perueniat. Prima uxoris querimonia sit apud maritũ: quod si quid erit grauius q̃ ut sine arbitris sedari queat, uxor querelã ad mariti cognatos deferat potiusq; ad suos, ne uideatur diuortium quærere. Xenophõ existimauit hoc multis uerbis inculcandum, ut tota supellex in suũ quæq; loca digesta sit. Sic enim & in promptu fuerit, quoties usus postulabit, & facilius dispicietur quid desit aut supersit. Nihil aũt refert utrum non habeas, an nescias ubi sit quod habes. Nascuntur & hinc nonnunq; offensæ superuacaneæ, dum perisse creditur, quod alicubi neglectum iacet. Prima igitur cura sit parare quicquid instrumentorum usus domesticus postulat, deinde quod paratũ est seruare, & in promptu reponere. Hæc præceptio uidetur humilior, sed plurimũ adferet cõmoditatis rei domesticæ. Plutarchus refert in Lepta, quæ Libyæ ciuitas est, patrium esse morem ut mulier postridie quàm ad sponsum deducta est, mittat ad socrum qui petat ollam cõmodato. Socrus autem ex more nõ mittit quod petitur, sed negat se habere. Huius instituti reddunt causam, ut puellam statim gustatis moribus socrus, tanto magis sibi conciliet beneuolentiam mariti, ac ueterem matris suæ beneuolentiam nõ negligat: præterea si quid in posterum durius dicetur fietúe à socru, mitius ferat, quòd id commune sit omnium socruum, male uelle nuribus. Mihi uidetur & illud significatum, eam oportere curam esse bonæ matrisfamiliâs, ut domi habeat quicquid ad usum domesticũ spectat, memor illius non inuiti prouerbij: Emere malo q̃ rogare. Beatius est dare q̃ accipere. Diriuentur, inquit, fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Abundet potius apud te, quod uicino egenti cõmodes, q̃ desit quod utendũ roges. Ad hunc modum oportet instructã esse domũ, cuius ornamentũ tale esse uolo, qualis debet esse cultus hominũ. Arrideat undiq; mundities, luxus absit. Absint aurea lacunaria, aulea magno empta, tabulæ fundorum aliquot æquantes preciũ, cortinæ Sericę, quũ lino nihil sit mũdius. Si supererit res, quicquid ambitioni periturũ erat, fœneretur in pauperes. Quemadmodũ non decet in familia audiri sermonẽ lasciuiũ, ita nec tabulas haberi cõuenit impudicas. Loquax eñ res est tacita pictura, & sensim irrepit in animos hominum. Quid autẽ turpitudinis est, quod hodie nõ repræsentent pictores & statuarij? Et his delicijs quidã ornant sua conclauia, quasi iuuentuti desint iritamenta nequitiæ. Membraq; uerecundiæ gratia celas ne uideantur, quur in tabula nudas? Et quæ non iudicares tutum ad tuendã filiarum filiorúmue pudicitiam intueri, si fierent, quur ea nunq; pateris abesse à conspectu liberorum? Nota est fabula de iuuene, qui in statua Veneris suæ intemperantiæ notas reliquit. Addunt artifices quidam etiã uerecundis argumentis de suo nequitiam. Etenim quũ pingunt aliquid ex Euangelica historia, affingunt impias ineptias: uelut quum exprimunt dominum apud Martham ac Mariam exceptũ conuiuio, interea dum dominus loquitur cum Maria, fingunt Ioannem adolescentem clàm in angulo fabulantẽ cũ Martha, Petrũ exiccantẽ cantarũ. Rursus in cõuiuio Marthã à tergo assistentẽ Ioanni, altera manu iniecta humeris, altera uelut irridente Christũ, qui nihil horũ sentiat. Item Petro iam uino rubicundũ cyathum admouere labris. Et hæc quũ blasphema sint & impia, tamen faceta multis uidentur. De rebus sacris, qualis debet esse sermo, talẽ decet esse & picturam. Si pictura caperis, quid potius conuenit ædibus Christianis q̃ gesta Christi? q̃ exempla sanctorũ? Et si quid ioci placet admiscere, sunt morales apologi, sunt innumerabiles arborũ, herbarum, florũ & animantium formæ. Nihil igitur sit in domo, quod uel corrumpat inhabitantẽ, uel exteris ingredientibus infametfamiliæ disciplinam. Verũ ubi uiderit hospes, omnia suis locis digesta, nihil omnino ocioſum, sed suo quemq; muneri intentum, nihil neglectum, munditiem absq; luxu, nihil lasciuium, nec in gestibus

Prouer. 5

bus, nec in sermonibus, nec in cultu, nec in picturis, optimã opinionem concipiet de ea familia, & si uir bonus est, exemplum in suam domum transferet. Vxor igitur ad hanc uitæ disciplinam erudita, posteaquam intelligit quanta sit felicitas recte iudicare de rebus, quanta sit quies, animus sibi bene conscius, quantum solatium habere familiam probe institutam: tum q̃ honestam etiam apud homines famam hæ res conciliant, an non maritum talis uitæ magistrum unice diliget? præsertim si contempletur in quas calamitates & in quod famæ dedecus complures familiæ deuenerint, quod similem gubernatorem nactæ non sint. Et maritus qui his omnibus cum uxore fruitur, nónne eam singulari charitate prosequetur, quam habuit in omnibus morigeram & adiutricem?

Verum hunc de charitate locum non absoluam, nisi prius pauca de fide dixero, quemadmodum pollicitus sum. Nam ex fide pendet charitas. Ad hanc igitur reuertemur, ubi quæ fidei sunt perstrinxerimus. Multa uxor debet uiro, multa uir uxori: quibus de rebus iam nonnihil attigimus. Sed illa fides est mutua, parq; inter uxorem & maritum, de qua loquitur Paulus 1. Corinth. 7. Vxori uir debitum reddat, similiter autem & uxor uiro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed uir. Similiter & uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu, & ad tempus, ut uacetis orationi. Tolerabilis erat sermo, si dictum esset: Mulier potestatem corporis sui non habet, sed uir. Cæterum quum uir apud nonnullas nationes habere soleat ius uitæ ac necis in coniugem, quum Paulo quoq; dicatur uxoris caput uir, illud dictum uidetur durum: Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor. Mollius autem fiet, si commode accipiatur. Non enim simpliciter potestas corporis uirilis est penes uxorem, & contrà: sed tantum quod attinet ad usum coniugij. Principalis enim coniugij finis est gignere prolem, secundarius est remedium incontinentiæ. In his ius est mutuum alteri in alterum: quia nihil magis uir gignere potest absq; uxore, quàm uxor absq; marito. Deinde quoniam non minus periclitatur imbecillis sexus fœminæ quàm uiri, non minus præsto esse debet obsequium uiri quàm fœminæ. Aliter maritus ius habet in corpus uxoris, aliter in ancillæ. Ancillam potest uenum producere, uxorem non potest. Nec quasuis operas oportet ab uxoribus exigere, si sint famulæ quæ idem præstare ualeant. Et tamen si res ita poscat, uxor non grauabitur præstare, quod famula non dignaretur. Rursus ab ancilla non potest exigere corporis obsequium ad remedium incontinentiæ, quod ab uxore suo iure exigit: quemadmodum nec uxor à seruo. In ueteri lege non uidetur idem fuisse ius uxori in uirum, quod uiro in uxorem: alioqui Rachel non redemisset noctem mariti à sorore precio mandragoræ, si potuisset suo iure poscere. Sed dilucidum est quod Apostolus præscribit, & ratio naturalis apostolicam legem confirmat. Sed hic existunt uariæ quæstiones de modo obsequij, de tempore, de numero. Et in his sunt casus quidam, qui uix sermone uerecundo tractari queant. Proinde ut simul & pudori studeam & breuitati, cum primis oportet Christianos meminisse dicti apostolici: Sit honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Quicquid igitur pertinet ad abominandas libidinum species, nec maritus ius habet ab uxore petendi, nec uxor tenetur obsequij lege. Immo ipse ille corporum cõtactus, qui uitari non potest, debet esse castissimus. Iam ad gignendam prolem rarus congressus utilior est quàm assiduus. Et remedium paratum est inuincibili naturæ infirmitati, non peruersæ libidini. Quemadmodum & famulis debetur uictus, non qualem aut quantum optaret quorundam cõcupiscentia, quæ finem nescit: sed qualis & quantus idoneus est ad satisfaciendum naturæ necessitati. Naturæ usus certis terminis circunscribitur: luxus & libido fertur in immensum. Quemadmodum igitur qui pietatem amant, corpus assuefaciunt, ut corpus nec exquisitos flagitet cibos, nec plus appetat, quàm propulsandæ fami sitiq; satis est. Itidem oportet consuescere in usu coniugij, ut matrimoniũ sit sobrium, uerecundum, & castum, & quantum licet, uirginitati simillimum. Domus autem quæ perstrepit frequentibus ac tumultuosis conuiuijs, impudicis fabulis, cantionibus, choreis, ineptis lusibus, non potest in cæteris esse moderata. Luxus & ocij comes est libido, frugalitatis & laboris comes est pudicitia. Nunc multi mariti suas uxores docent intemperantiam, & uicissim uxores suos uiros irritant ad lasciuiam: sic agitantes mutuam inter se consuetudinẽ, ut stuprum & adulterium dicere possis in cõiugio. Talis enim est sermo, talis lusus, tales gestus, talis nequitia, ut ille

imaginetur amicam non coniugem, illa amasium non maritum: pudet enim meminisse de turpi certamine nequitiæ. Docent hoc & gentium literæ, si quid est uoluptatis inter uxorem ac maritum, id clàm ac semotis arbitris peragẽdum esse. Titus Flamminius à Catone censore senatu motus est, quod quum tonaret, uxorem, quo illi metũ adimeret, amplexus sit præsente filia. Hic nihil erat nequitię. Mulierculæ timori subuentum est. Quod igitur crimen admissum, ut uir senatorius magno dedecore submoueretur ordine suo? Non est habita reuerentia uirginis oculis. Hoc peccatum tam graui pœna dignum uisum est ei, qui Christum non norat. Nunc plerique quę nõ dicunt, quæ non faciunt, uidentibus liberis? Tum in conuiuijs parum sobrij, quid reticetur de thalami mysterijs? At connubialium uoluptatum solum thalamum oportet esse conscium. Nec desunt beluæ, quæ nobis porrigunt exempla pudoris. Elephanti nesciunt adulteria, nec unquam coeunt nisi in abdito, idq; quinque duntaxat in anno diebus: nec à coitu redeunt ad agmen, nisi perfundantur amne. Tantus inest mutæ beluæ sensus uerecundiæ. Quid igitur decet hominem Christianum? Quorsum ista, dixerit aliquis? an in thalamo non licebit quicquid libet? & extincta lucerna, posita ueste, ponetur & uerecundia? Nequaquam. Nam stultissime scripsit quidam uxori:

Lucretia toto
Sis licet usq; die, Thaida nocte uolo.

Herodotus scripsit mulierem, quum uestem exuit, simul & pudorem exuere. Et mulier quædam quum inuita traheretur à rege Philippo: Omitte me, inquit, omnis mulier extincta lucerna eadem est. Fortasis utraq; sententia uera est in uulgo fœminarum: In bene institutis matronis contrà res habet: quæ posteaquam uestem deposuere, tum maxime sibi sumunt matronalem uerecundiam: & sublata lucerna reuerentius agunt cum maritis, cogitãtes se tum maxime in eorum esse potestate. Nec maritus putare debet, thalami locum nequitiæ consecratum, sed sobrietatis potius ac pudicitiæ templum. Idem lectulus conscius sit precum uiro cum uxore communium, uesperi quum itur cubitum, & mane quum surgitur, qui conscius est permissæ castæq; uoluptatis. De genere obsequij deq; moderatione uoluptatis hæc attigisse satis esto in præsentia. Operæprecium autem fuerit excutere, quid Paulus præscribat de secubando, hoc est, de intermissione iuris connubialis: Nolite, inquit, fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet uos satanas propter incontinentiam uestram. Vbi fraudandi uerbum audis, ibi intelligis esse debitum mutuum. Nam fraudare proprie est non præstare rem debitam: quemadmodum frustramur aliquem re sperata. Quanquam igitur res præclara est continentia, tamen neutri liberum est eam suscipere, nisi ex consensu mutuo. Non placet deo sacrificium, quod cum iniuria proximi coniunctum est: neq; quicquam bene fit in coniugio, quod fit absq; concordia. Si continentia placet uxori, remittat quidem suum ius marito: cæterum poscenti quod debetur, morigeram se præbeat. Permittit autem Apostolus secubitum, sed ex utriusq; consensu, sed ad tempus, sed orationis causa. Quàm pareus est Paulus in remittendo iure coniugij? Non recipit quamuis secubandi causam, sed deprecationis duntaxat. Et quasi parum fuisset dixisse ad tempus, repetit & infigit: Et iterum reuertimini in idipsum. Vnde hæc tam sollicita cautio? Ne tentet, inquit, uos satanas propter incontinentiam uestram. Nouit Apostolus quantus sit artifex Satanas, qui specie religionis solet plurimis imponere: nouit lubricum humanæ carnis: neque nescit quot sint libidinis insidiæ formæq;, si natum fuerit incendium. Ideo secubandi tempus uult esse breue propter imminentia pericula. Atq; hic locus fortasis peculiarius pertinet ad Corinthios, ad quos scribitur hæc epistola. Græci uidentur cæteris nationibus fuisse libidinis intemperantioris: uerum Corinthus erat omnium luxu libidineq; corruptissima. De luxu obiurgat eos: Alius esurit, alius ebrius est. Quanquam autem arbitror esse nationes moderatiores ad libidinem, tamen ubicunq; periculum est, ibi tenendum est Pauli cõsilium. Nec perpetuum continentiæ uotum temere suscipiatur, etiam si consensus fit mutuus. Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma: nec unquam dormit satanas. Tutius est absq; uoto præstare, quod dominus dederit. Nec episcopi faciles esse debent, ut ex uxore & marito fiat monachus & monacha, nisi senectus spem faciat perpetuę continentię: quan-

quam

quàm ne senectuti quidem tuto creditur. Habet ille corporum contactus crassius quiddam parumq; congruens rebus spiritualibus: eóque iuxta legem Mosaicam sacerdotes quandiu sacris operabantur, ne domos quidem, in quibus habebant uxores, ingrediebantur, sed in templo perseuerabant. Nec Dauid cum comitibus admittitur ad esum sacrorum panum, nisi præcessisset aliquot dierum puritas. Et quum ferretur ipsa lex, populus iubebatur ab uxoribus temperare. Omnis autem Christianus quodammodo sacerdos est: huius sacrificium est precatio. Hic enim est suffitus, hoc thymiama deo gratissimum. Dum igitur coniugati sacerdotis functionem suscipiunt, ac sacris operari cogitant, intermittunt usum coniugij, quo deo sit acceptius ipsorum sacrificium. Dixerit aliquis: quum Paulus iubeat nos sine intermissione orare, semper erit ab uxoribus temperandum. Id quidem optat Paulus, ut omnes sint ipsius similes: sed quod optat, non audet exigere, ne lubricis det occasionem grauioris ruinæ. Proinde quotidianæ preces non interrumpunt sobrium usum coniugij. Sed diuus Ambrosius existimat hic Paulum sentire de sumenda Eucharistia. Tum enim oportet preces esse purissimas, nec absq; iunio. Qui sensus an probandus sit, nescio. Nam ætate Pauli plericq; quotidie sumebant corpus & sanguinem domini, temporibus Ambrosij singulis fere dominicis. Nunc eò refrixit charitas, ut uix semel in anno fiat, idq; grauate ac detrectanter. Commodior itaq; sensus uidetur, quoties uel dies uel animus hortabitur ad purius orandum, ut id temporis ex consensu abstineatur ab usu matrimonij. Velut in his diebus, in quibus Ecclesia uetuit celebrare nuptias, uelut à dominica aduentus usq; ad octauam Epiphaniæ, à septuagesima usq; ad octauam Paschę, à primo die Rogationum usq; ad octauam Pentecostes, & si qui sunt alij festi dies, qui ad similem inuitant puritatem. Quanquam ne id quidem uidetur exigere Paulus, sed permittere uolentibus. Ius enim coniugij perpetuum est, relaxatio iuris non imperatur, sed conceditur. Porrò qui sunt imbecilles, implorare debent opem dei, qui solus largitur continentiam, ut illius dono proficiant. Quibus tantum obtigit à deo donum, ut coniunctionem corporum non expetant nisi prolis gratia, his abunde multum temporis superersit ad orandum, ad uisendos ægrotos, ad sacram lectionem, ad audiendas conciones, ad elargiendas eleemosynas. Posteaquam enim erit uxor grauida, quiescetur à congressu: rursus a partu diebus quibus purgatur. Iam in profluuio menstrui liquoris non religio, sed necessitas præscribit ut temperetur à congressu. Vetuit id deus Leuit. 20. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, illaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Quanquam hodie sublata est pœnæ seueritas: tamen ipsa naturæ ratio lege confirmata tantum habere momenti debet apud Christianos, ut eo tempore nec uir molestus sit uxori, & uxor excuset marito, si petat quod petere non decet. Ergo ubi constiterit fides coniugij, ibi nec adulterium erit, nec zelotypia.

Adulterium.

Quantum autē crimen sit adulterium, declarat ipsa pœna per Mosen in adulteros prę-scripta. Sic enim legis Leuitici uigesimo: Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetrauerit cū coniuge proximi sui, morte moriatur & mœchus & adultera. At inter Christianos, quoniam sacramentum est matrimonium, quisquis adulteriū cōmittit, præter perfidiam & intolerabilē iniuriam, etiam sacrilegio sese cōtaminat. Erat autem et apud ethnicos capitalis animaduersio in adulteros. Vnde igitur accidit, ut apud Christianos ludus iocusq; sit adulterium? Nec audeat faciem attollere qui semel furtū admisit: inter primatos habeatur, qui multis adulteriis nobilitatus est? Adulteram ædibus exigere permittunt leges pontificum: & idem ius est uxori, nisi quod hic mares usurpant tyrannidem. Maritus adulter non habet ius diuertendi ab adultera, quam docuit impudicitiam. Christianæ lenitatis fuerit & hic ignoscere, præsertim si lapsus est non malicia, si spes est correctionis. Atqui si post cognitum adulteriū uxoris, miscearis illi, perijt tibi ius omne repudiandi. Sic præscribunt humanę constitutiones. At non uideo, quur cuiq; fraudi debeat esse sua clementia. Qui semel atq; iterum ignoscit confitenti, & correctionē pollicenti, & redintegrata gratia non abstinet ab uxore, ne præbeat occasionem relabendi, quur is, ueluti fautor alienæ nequitiæ, spoliatur iure dimittendi, si compererit inemendabilem? At lex, inquies, sic interpretatur. Sed charitas in partem meliorem interpretatur omnia. Sit igitur Christiana moderatio contenta pœna repudij, sic tamē ut deinceps uiuat

ueluti cœlebs. Nondum enim liberatus est ab obligatione matrimonij, quamdiu uiuit uxor. Quod si poterit ferre coniugem impudicam, semper interim adhortans ad uitæ correctionem, primum tolerantiæ præmium referet à deo: deinde non carebit incontinentiæ remedio. Nam ius occidendi utrunq; corpus in adulterio deprehensum, quod priscæ leges concedebant dolori maritorum, oportet in totum esse sublatum è Christianorum moribus: præsertim quum lex Mosaica permittat adulteram accusare, priuato dolori occidendam non permittit. Iam zelotypia meretriciorum amorum comes esse solet. Inter quos igitur coaluerit Christiana charitas, haud facile pestis hæc orietur. Nam qui syncere amant inuicem, sedulo cauent, ne qua suspicio suboriatur ueluti nubilum amicitiæ. Quo grauius peccant quidam, qui fictos rumores ad uxores deferunt de maritis absentibus, ut suspicione muliercularum animos exasperent. Sed grauissime peccant ipsi mariti, qui dedita opera sponsarum suarum suspiciones iritant. Procul absint à matrimonio tales facetiæ. Quin potius ea sunt adhibēda, quę mutuam charitatem aluntaugentq; hoc est, iuxta Pauli doctrinam, quæcunq; sunt uera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua uirtus, si qua laus disciplinæ, hæc meditanda, hæc agenda. Quid præmij si fiat? Et deus, inquit, pacis erit uobiscum. Et pax dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiet corda uestra & intelligentias uestras in Christo Iesu. Abstinendum est igitur non solum à malis, uerum etiam ab his quæ speciem habent mali: quemadmodum Thessalonicensibus scribens docet Apostolus. Sunt enim, quæ licet simplici fiant animo, careantq; culpa, non tamen carent suspicione. Nutus lasciui, risus nequitiæ quiddam præ se ferentes, responsio petulantior, alacritas insolita, blanda epistolia, munuscula, clancularię confabulationes, etiam si casu aut simpliciter fiant: tamen quoniam speciem habent mali, studiose uitare decet. Medici iudicant formidabiliorem esse febrem quæ sensim adrepit, ex leuibus & occultis causis nascens, quàm quæ ex euidentibus ac grauibus casis orta est: ita nonnunquam minus est medicabilis suspicio, quæ ex huiusmodi minutis collecta paulatim glisci t in maius. Frequens & auidus ad choreas & compotationes excursus, longinquæ peregrinationes absque marito, parum idoneæ sunt ad excludendam zelotypiam: præsertim si forma & ætas & periculo & obtrectationi sit idonea. Matrona quemadmodum nusquam est uel tutius uel honestius, quàm domi, aut apud maritum: ita nusquam debet esse libentius. De latere sumpta est, non oportet à latere discedere. Iam uere quidem uulgo dicitur, familiam non administrari ridendo. Res interdum postulat admonitionem, interdum expostulationem, nonnunquam & obiurgationem: uerum ab his oportet omnem morositatem & amarulentiam abesse. Quin potius necessaria obiurgationis austeritas aliqua laude blanditiecq; lenienda est hunc in modum: Quum semper mihi placuerit hactenus tua in dicendo circunspectio, miror quomodo hoc uerbum tibi hodie in conuiuio exciderit. &: Erit hoc dignum reliquis tuis factis. Inter tot recte factorum tuorum decora, nolim conspici næuum istum. Si speculum tibi monstrare queat, quantopere te deceat modestia, nunquam hanc deponeres. Hæc uirtus quàm reluxit in matre tua muliere laudatissima? nolim eam in te desiderari. Huiusmodi monitis plus agitur, quàm clamosis obiurgationibus. Olim qui Iunoni pronubæ rem diuinam faciebant, non immolabant uictimam cum felle, sed exectum fel post aram abijciebant. Eam legem qui statuit, ipsa re monuit contrahentes matrimonium, ut simul uicturi deponerent omnem amarulentiam, quę non medetur erratis, sed exasperat odia. Clemens ille Samaritanus uulneribus infudit uinum & oleum. Vinum temperatam habet acrimoniam, emordentem pus ac saniem, quod tamen ipsum lenissimi liquoris accessione mitigatur. Talem oportet esse obiurgationem eius, qui uitio mederi cupit, non hominem lædere.

Admonitio.

Nunc quoniam uideor absoluisse quod de fide pollicitus sum, redeamus ad charitatē, quam oportet esse summam inter uxorem ac maritum. Ab Apostolo tamen nominatim uiro præcipitur dilectio, mulieri reuerentia. Quoniam enim autoritas ac potestas est penes uirum, ne ius exeat in tyrannidem, adiungitur autoritati summa charitas. Mulier aūt quoniam inferioris est personæ & sexus imbecillioris, iubetur reuereri uirum, quo ueluti cancellis coherceatur ab affectib. Hæc plenissime docet beatus Paulus, scribēs Ephesijs:

Cap. 5 Viri, inquit, diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit

didit pro illa, ut eam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in uerbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiã, non habẽtem maculã aut rugam, aut aliquid huiusmodi, ut sit sancta & immaculata: ita uiri diligere debent uxores suas. Suum corpus diligit, qui uxorem suam diligit. Nemo enim unquam carnẽ suam odit, sed nutrit ac fouet eam, sicut Christus Ecclesiam. Quoniam membra sumus corporis eius de carne ipsius & ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Verumtamen & uos singuli unusquisque suam uxorem ut se diligat, mulier autem ut timeat uirum suum. Quoniam non uno in loco beatus Paulus prædicat uirum esse caput & gloriam mulieris, multisq; nominibus præstantiorem, uel quod prior conditus sit uir, quod quẽ mulier ex uiro, non contrà: uel quod mulier decepta dux fuerit præuaricationis, eoq; mulierem uult esse subditam uiro, quod hoc ipso in loco paulo superius repetiuit. Cogitabit aliquis, si penes uirum est omnis potestas, qui & ferocior est, & uiribus superior, quid est uxor, nisi ancilla in seruitutem data? Protinus igitur Apostolus charitatem adiunxit autoritati. Vbi charitas est, ibi tyrannidi locus non est. Quum audis uiri, autoritatis uocabulum audis: quum audis diligite, seruitutem excluſam intelligis, In hoc ualet autoritas uiri diligentis, ut prosit uberius ei quam habet in sua potestate. Sic animus imperat corpori, ut non premat, sed ut seruet. Et ne putares uulgarem amorem à maritis exigi, proponit charitatis exemplum. Quod exemplum? non Penelopes, non Alcestidis, non Portiæ, aut si quas alias eximia charitas erga coniuges fecit celebres, sed sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam. Non potuit absolutius exemplum proponi. Christus Ecclesiæ sponsus est, Ecclesia Christi sponsa. Quicunque estis in Christo & in Ecclesia, sponsi ac sponsæ sequamini propositũ archetypũ, sequamini pro uiribus, si minus licet assequi. Quomodo Christus dilexit sponsam suam? Semetipsum tradidit pro illa. Tradidit in hius naturæ calamitates, in probra, in flagella, in crucem denicq;. Habes amoris magnitudinem. Debes eandem charitatem uxori tuæ, ut pro uita, pudicitia, famáue uxoris exponas corpus tuum uitæ discrimini. Ità ne satis est uxoris incolumitatem defendisse? Nequaq;. Qui uere diligit uxorem, hoc agit ut tota sit incolumis. Vix semiincolumis est, quum uiuo corpore mortua est uxoris anima: mortua est autem, quæ mundum hunc diligit. Vt eam, inquit, sanctificaret, mundans lauacro aquæ in uerbo. Adamauit immundam, ut puram & incontaminatam redderet, abluit illam suo sanguine: uirtus enim effusi sanguinis in elemento est posteaquam accesit uerbum uiuificum, hoc est, uerbum fidei. Si tibi contigit uxor ethnica, siue Iudæa, noli illam abijcere, sed da operam ut per uirum fidelem sanctificetur mulier infidelis. Quod si baptizatam quidem habes, sed quæ non sapit Christum, spirans mundum, summo studio aduigila, ut semper illius malis aliquid detrahas, uirtutibus apponas, donec & ipse tibi pares sponsam ex animi tui sententia, gloriosam apud deum, illibati nominis apud homines, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, ut sit sancta & immaculata. Talem Ecclesiam in terris nondum habet Christus, sed quotidie lauat ac purificat eam, ut aliquando habeat omnis expertem næui, quando iam nulla residebit ad peccandum procliuitas, nullus error, nullus lapsus. Tolerat Christus sponsam suam adhuc infirmitate carnis circundatam. Tolera & tu uir coniugem tuam, infirmus infirmam. Si marcescit in uxore forma uigorq; corporis, nihilo tibi sit iucundior, si mores nesciant rugam, & maculam. Hæc quidem uxori præstare non potes, sed per te præstabit dominus, qui uult sæpenumero sua dona per hominem homini largiri, ut alter salute gaudeat, alter accessione præmij ditescat. Puta enim in hoc tibi iunctam uxorem, ut tua cura seruaretur. Et ne tergiuerseris, cauſans nunc laboris tædium, nunc uxoris ingenium indocile: propius urget te sermo Apostolicus. Quid imaginaris duas personas, alteram conferentis, alteram accipientis beneficium? Vnum est maritus & uxor, qui uxori bene facit, sibi bene facit: qui negligit eam, seipsum negligit. Christus Ecclesiæ suæ caput est, Ecclesia corpus. Hinc enim fluit omnis in Ecclesiam gratia. Caput & corpus nónne idem sunt? Christus clamat: Saule, quid me persequeris? Et in Euangelio sibi uult imputari, quicquid cuilibet minimorum membrorum collatum fuerit officij. Similiter & uir caput est mulieris, illa corpus. Quis autẽ unq; carnem suam odio habuit? Imò potius nutrit egẽtem, & fouet infirmam.

Lenita-

Lenitatis & indulgentiæ nomẽ audis. Et adĳcit, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Conſidera quã lenitate deus tolerat infirma membra ſua, nunc admonens rebus aduerſis, nunc inuitans rebus proſperis, nunc alĳs atq; alĳs modis alliciens: nec te pigebit ferre coniugis imbecillitatem donec proficiat, ſi cogitaris, quicquid in illam cõfers, id in teipſum conferri. Quũ deus Euam obtuliſſet Adę, agnouit eandem ſubſtantiam: hoc, inquit, os ex oſsibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnẽ unã. Secundum deũ nulli plus debes pietatis q̃ patri & matri, & tamen ſuperat connubialis charitas arctiſsimos pietatis affectus. Agnoſcit Chriſtus corpus ſuum, agnoſce & tu marite carnem tuam. Chriſtus quodammodo reliquit patrem deſcendens in terras, reliquit ſynagogam matrẽ, & indiuulſus adhæret ſponſæ ſuæ, multa lenitate & indulgentia nutriens ac fouens illã, non ut alienam, ſed ut propriũ corpus. Quomodo uir & uxor ſocientur in unum & corporum & animorũ coniunctione, ſatis in aperto eſt. Cæterum quomodo per fidem ſibi Chriſtus adglutinarit myſticum corpus Eccleſiæ, ut ipſe quoq; unum ſit cum membris ſuis, multam habet caliginẽ, eoq; Paulus uocat magnũ myſteriũ, quod in præſentia quidẽ non aperit, ſed inde ſumit exemplũ, ut coniugibus cõmendet ſummã cõcordiam. Proinde enim quaſi dixiſſet: Nunc non explico quod hic reconditũ eſt myſterium, attamẽ docuiſſe, uirum & uxorẽ unũ eſſe, quemadmodum Chriſtus & ipſius ſponſa Eccleſia unũ ſunt, ſatis eſt ad cõmendandam ſummã charitatẽ coniugis erga coniugẽ, ut ſinguli ſuas uxores non aliter diligant q̃ ſeipſos. Item ad obedientiã uxorib. cõmendandam ſatis eſt, quod eccleſia ſponſo Chriſto ſubiecta eſt, quẽ ſic amat ut reuereatur, cui flectit genua quotidie, cui fert acceptũ quicquid habet bonorum: Eccleſiã aũt ſubiectã eſſe ſponſo, ſalus eſt Eccleſiæ. Qui enim Chriſto ſubiecti nõ ſunt, non ſunt illius membra. Sic & uxor debet ſubeſſe uiro tanq̃ capiti ſuo, à cuius cõſortio ſi ſe diſtraxerit, ſemetipſam conĳcit in multas calamitates & infamiã. Similiter ad Coloſſenſes ſcribens, uult imperium uiri charitate mitigari, ne poteſtas exeat in amarulentiam. Viri, inquit, diligite uxores ueſtras, & nolite eſſe amari ad illas. Quid enim eſt quod non æquet, quod non condulcet charitas? Ea facit ut qui dominus eſt, frequenter agat miniſtrũ. Quid enim Chriſto ſublimius? Vt miniſtraret uenit ad nos, non ut ipſi miniſtrarentur. Ea facit, ut quod ſuapte natura triſte eſt, fiat dulce. Autoritas itaq; præſcribendi, monendi, caſtigandi, tradita eſt uiris, ſed addita eſt regula charitatis. Charitas autẽ benigna eſt, nec inflatur, nec agit perperam. Nunc quid uxoribus præſcribat audiamus: Mulieres, inquit, uiris ſuis ſubditę ſint ſicut domino, quoniã uir caput eſt mulieris, ſicut et Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis. Sed eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres uiris ſuis in omnib. Prima lex à peccato: Paries in dolore filios, & ſub poteſtate uiri eris, & ille dominabitur tui: Quoniam uxor male præire cœperat uiro, dux et illectrix ad mortem, iubetur ſequi ducem ad uitæ reparationem. Aequo animo ferenda lex quã deus præſcripſit omnibus uxoribus. Nec ſimpliciter dixit, ſubditæ ſint, ſed adiecit, ſicut domino. Id quidã interpretantur, quorũ eſt ſanctus Hieronymus, hunc in modũ: Vt ancilla ſubdita eſt domino, ita uxor ſubdita ſit uiro. Quod ſi ſenſiſſet apoſtolus, dixiſſet: ſubditę ſint uiris ut dominis, nũc dictum eſt, ut domino. Proinde mihi uidetur rectius ad dominum Ieſum referri, ſicut domino, quod uxor obſecundans marito, non tam homini ſe ſubmittit, q̃ domino, cuius uicem gerit maritus, et cui dominus uult uxorẽ eſſe ſubiectam. Sic præceſsit: Subiecti inuicẽ in timore Chriſti. Et aliquanto poſt: Serui obedite dominis carnalibus cũ timore & tremore in ſimplicitate cordis ueſtri, ſicut Chriſto. Ac mox: Seruiẽtes domino & non hominibus. Fortaſſe maritus indignus eſt, cui ſe ſubmittat uxor: at non indignus dominus, qui præcepit ut ſubdita ſit, non ob aliud niſi quia maritus eſt. Fortaſsis ingratus eſt maritus: At obſequĳ præmiũ recipiet ab eo cuius amore ſeruiuit indigno. Vir eſt caput mulieris, quod huius origo ſit à uiro, ſicut et Chriſtus caput eſt eccleſię. A Chriſto eñ cepit originẽ eccleſia, & ab eo fluit quicquid habet chariſmatũ. Sed quale caput Chriſtus eſt ſpõſę ſuę, tale caput pro ſuo modulo deberet eſſe maritus uxori ſuę. Corporis noſtri caput principatũ habet in omnia mẽbra, q̃niam in ędito ſitũ ſeruat omnes ſenſus & animi uires, ſed hũc principatũ gerit bono corporis. Nõ eñ ſibi tantũ audit, uidet, olfacit, ſapit, intelligit ac meminit caput, ſed uniuerſo corpori. Eoq; addit de Chriſto, & ipſe ſaluator corporis. Non debet eſſe moleſtus principatus, qui cõfert ſalutẽ, nec ſibi diſplicere debet ſuo bono

Cap. 3

bono ſubiecta coniugi. Si dixeris, eccleſia merito ſubiecta eſt Chriſto: at mariti mores aliquãdo uix ancillæ poſſunt ferre. Habet quidem maritus exemplũ, quod imitetur in Chriſto, à quo ſi degenerat, non tamẽ perit autoritas, ne cõfundatur ordo, quẽadmodum Paulus uult obediri præpoſitis, non ſolum cõmodis ac modeſtis, uerum etiam iniquis ac difficilibus. Si tantũ moleſtum eſt quod imperat maritus, obtẽpera, non illius merita cogitãs, ſed domini præceptũ. Sin imperat, quod aduerſatur pietati ſeu bonis moribus, blande recuſetur obſequium, & ſi urget, ſcito magis obediendũ deo q̃ hominibus. Etenim qui obſequitur impia iubenti, non obſequitur deo in marito, ſed ſatanæ in membro ipſius. Et tamẽ Apoſtolus iubet eſſe ſubditas in omnib. Magna eſt uirorum autoritas, etiamſi excludas ab hac uniuerſitate turpitudinem. Sicut ego, inquit Paulus, per omnia omnibus placeo. At is nec immolando ſimulacris, nec commeſſationibus accommodabat ſe moribus hominum. Operæprecium autem fuerit cõſiderare, quibus uerbis Petrus Apoſtolorũ princeps inſtituit ſimul & maritum & uxorem, ipſe non imperitus coniugij. Et inſtitutionem quidẽ auſpicatur à muliere quẽadmodum & Paulus: Similiter, inquit, et mulieres ſubditę ſint uiris ſuis, ut & ſi qui non credunt uerbo, per mulierũ conuerſationẽ ſine uerbo lucrifiant, conſiderãtes in timore ſanctam conuerſationẽ ueſtram. Idem erat Pauli conſilium, ne mulier ad Chriſtũ cõuerſa diſcederet à uiro, ſi modo ille pateretur diuerſæ religionis uxorem. Qui ſcit enim mulier, an uirũ lucrifactura ſit Chriſto. Spem enim bonã de ſe prębet, qui non horret cum ea thalami conſortium, quæ ſe cruce ſubinde ſignat, quæ ad Ieſu nomen flectit genua, quæ ſacrum illũ panem adorat. Etenim ubi maritus uiderit uxoris mores in melius commutatos, eamq̃ factam magis q̃ antea pudicam, ſobriam, tollerantem, morigerã, reuerentẽ, nimirum ex uxoris uita incipiet bene ſentire de Chriſto. Non ferret maritus uxorem docentẽ, ſed huius uita ſermo eſt efficacior. Conſiderantes, inquit, in timore bonam conuerſationem ueſtram. Non eſt ſupercilioſa pietas Euangelica, magis reueretur impium maritũ honeſta mulier, q̃ pium improba. Reuerentiã enim Petrus timorem uocat. Obſeruat necubi uel imprudens offendat. Quod uxor pręſtat ethnico marito, idem præſtandum ijs qui nihil habent Chriſtianitatis præter baptiſmum. Noui ipſe tales aliquot uiros, qui profeſsi ſunt ſe ſalutem animarum ſuarum debere cõiugibus. Et rurſus noui, quos uxores nullis obſequijs, nulla tolerantia, nullis lacrymis ab impura uita reuocare potuerunt. Nunc Chriſtianæ matronæ Petrus nobis depingit imaginem: Quarum, inquit, non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti ueſtimẽtorum cultus, ſed qui abſcõditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in cõſpectu dei locuples. Duobus uitijs potiſsimum obnoxius eſt ſexus muliebris. Appetit placere cultu, is affectus naſcitur ex inanis gloriæ ſiti. Deinde impatiens eſt iniuriarum, auidusq̃ uindictę. Hoc malum proficiſcitur ab imbecillitate rationis & ignorãtia uerę celſitudinis. Nam uere excelſus eſt animus, qui laceſsitus iniuria negligit: commoueri, & ad ultionem currere, humilis eſt animi. Proinde mulier quoniam affectibus ducitur, rebus externis metitur honeſtatem ſuã, & in his uinci non patitur. Dolent enim quædam mulierculæ, ſi uicinam conſpexerint operoſius cultam, aut ſumptuoſius ueſtitam q̃ ipſæ ſint. Neq̃ contentæ ſunt naturali decore, corpus fucis pingũt, capillos medicamentis tinguunt, criſpant, & complicant: auribus gemmas, collo aurum geſtant, ueſtes byſsinas & holoſericas trahunt, ne quid dicam interim de pellibus quarum precium in immẽſum auxit mortalium ambitio. Hic eſt cultus externi hominis, qui quo ſplẽdidior eſt, hoc magis ſordet homo interior. Is uero quo cultior eſt, hoc neglectior eſt cultus corporis. Poſteaq̃ igitur maritus uidet contra naturam immutatum uxoris ingenium, odiſſe cultum et mundum ſuperbiæ, & hinc quicquid poteſt libenter in pauperes erogare, cõtentam ornamentis animi, quæ precioſa ſunt apud deũ, cui ſoli ſtudet placuiſſe, deinde prouocatam iniuria uiri, nihil remittere de charitate, nihil de alacritate obſequendi, ſed in morum integritate perſeuerare, ſpiritu leni tranquilloq̃ perferentem omnia, nimirum intelligit Euangelium non eſſe nomen inane, cuius ui ſic immutentur ingenia. Tandem æmulationis aculeis extimulatur, cogitans ſibi pudendum fore, ſi quod mulier præſtat, ipſe uir præſtare non poſſet. Ita ſine uerbo, ex domeſtico conuictu ſanctæ mulieris uir lucrifit deo. Et fortaſſe reperias mulieres, quæ cultum corporis ſuſtineant contemnere: at quæ, cum nemẽ lædat, omnibus benefaciat, poſsit inter contumelias & conuicia tueri tranquillitatem

1. Cap. 3

modeſti

modesti spiritus, uere spiritu agitur Christi. Et tales fœminæ permissu dei nonnunq; incidunt in maritos temulentos, prodigos, pauperum expilatores, adulteros, aleatores, ut uiros suos deo lucrifaciãt. Quo magis oportet probis ac modestis uiris esse morigeras in omnibus. Ad id quo reddat alacriores, proponit exemplum nobilissimæ fœminæ. Sic eñ aliquando & sanctæ mulieres sperantes in deo ornabant se, subiectæ proprijs uiris, sicut Sara obediebat Abrahæ: dominum eum uocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. Quum iam ageretur de circuncisione, & Isaac promitteretur, auctum est nomen uiro, qui pro Abram dictus est Abraham: mulieri contra diminutum, pro Sarai enim dicta est Sara. Quo magis uiget in nobis ratio, hoc minus uaalet affectus, & amputatis malis cupiditatibus, bene conuenit carni cum spiritu. Decet autem ut caro spiritus ductum sequatur, non contrà. Cæterum quod Sara maritum dominum appellarit, legimus Geneseos cap. 18. Postea quam, inquit, consenui, & dominus meus uetulus est, uoluptati operam dabo? Si coràm appellasset eum dominum, uideri poterat hoc tributum auribus mariti: nunc hæc secum loquitur, existimans sermonẽ à nemine audiri. Ex quo perspicuum est, quod talem habuerit eum qualem appellat. Sed quæret aliquis, ubi proditum sit exemplum obedientiæ huius mulieris erga maritum. Equidem arbitror Geneseos cap. 12. et rursus 20. Ingressurus enim Aegyptum, quum ob insignem uxoris formam suæ uitæ metueret Abraham, obtestatus est uxorem, ut dissimularet se esse cõiugem, & fateretur esse sororem. Hic mulier pudica non obmurmurauit dicẽs: Mihi mea pudicitia non minus chara est, quàm tibi tua uita: quære aliam rationem consulendi tuæ saluti, ne me prostituas impijs hominibus: Sed obtemperauit marito, malens suam pudicitiam periclitari, quàm illius incolumitatem. Peregrinationem Abraham iussu diuino susceperat, huius comes non grauata est esse Sara. Vir paruit deo. Caput enim uiri deus. Viro paret uxor. Caput enim uxoris uir est. Tutum obsequium est, quoties qui dux est, ipse dei spiritu ducitur. Et ideo supremo numine moderãte suorum actiones, & Abrahæ exhibita est non mediocris humanitas, & Saræ mãsit incolumis sua pudicitia. Excusatur Abraham, quod mulierem insigni forma per uarias ac Barbaras nationes circumduceret. Obtemperauit in uxore, quemadmodum obtemperauit in filio. Sic pariter & effulsit fides patriarchæ, & utriq; tutum fuit cui metuebant, alteri pudicitia, alteri uita. Sed quis color excusabit maritos, qui coniuges suas ambitiose cultas & uelut ad illaqueandos hominum oculos instructas, producunt in tumultuosa conuiuia, in mercatus, in publica balnea: quidam etiam Hierosolymam aut Compostellam proficisci patiuntur?

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra:

sed plura cadunt inter Hierosolymam & Hollandiam. Quemadmodum autem hic Sara morigerata est Abrahæ: ita dubitandum non est, quin illi in cæteris omnibus sit obsequuta cum omni reuerentia. Iudæi gloriabantur quod essent Abrahæ filij. Quorum arrogantiam refellit dominus, negans eos esse filios Abrahæ, qui ab Abrahæ moribus degenerarent. Latius enim patebat Abrahæ cognatio, nimirũ ad omnes qui fidem illius æmularentur. Sic & Petrus uult omnes mulieres haberi pro filiabus Saræ, quæ benefactis Saram matrem referrent. Dictus est Abraham pater multarum gentium. Sic & Sara mater est omnium piarum matronarum. Cuius, inquit, estis filiæ benefacientes. In spiritualibus igitur non propinquitas sanguinis, sed imitatio morum parit cognationem. Sed quid hoc sibi uult, quod adijcit beatus Petrus: Et non pertimentes ullam perturbationem? Muliebre est expauescere. At quæ se semel syncera conscientia tradidit uoluntati diuinæ, deiq; præsidio freta, nihil metuit: quemadmodum Sara intrepido pectore sequuta est maritum, per efferas ac immanes nationes peregrinantem. Qui bene facit, non est quod metuat à malis, deum habet protectorem, aduersus quem nihil ualet hominum aut dæmonum ulla potestas. Hactenus fœminis loquutus est Petrus, nunc ad maritos uertit orationem: Viri, inquit, similiter cohabitantes, secundum scientiam quasi infirmiori uasculo muliebri impertientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ uitæ, ut non impediantur orationes uestræ. Quid hoc est, similiter cohabitantes? Hoc est, cum integritate, cum contemptu uoluptatum & ambitionis, cum ornatu interioris hominis, cũ mansuetudine & modestia tranquilli spiritus, cum charitate & reuerentia, gubernantes uxores uestras, non ex imperio aut libidine, sed iuxta scientiam, nihil præscribentes nisi quod expedit, nihil indul-

indulgẽtes quod perniciẽ aut corruptelã adferat bonis moribus. Etenim penes quem est autoritas iubendi, penes eundem debet esse scientia fugiendorum & expetendorum. Tyrannus imperat quod libet, aut quod ipsi cõmodum est: maritus cõsulit id quod optimũ est, etiã illi cui præscribit. Nec ideo despiciat uxorem, quod in iugo matrimonij personam gerit inferiorem, & corpore & animo imbecilliorem: imò tãto plus honoris illi deferatur, ut quod deest naturæ, penset mariti charitas. Idẽ corpus est uir et uxor: sed quæ infirma sunt membra, his copiosiorem honorem addimus, quemadmodum docet Paulus. Quicquid autem honoris impenderis uxori, tibi ipsi impendis. Honoris autem uerbum non tãtum pertinet ad salutationis officia, aut accubitus honorẽ: uerum ad subministrationem omnium quæ postulat usus coniugis. Si deus tantum honoris habuit fœminis, ut in hæreditate uitæ cœlestis, quæ credentibus oblata est, eas æquet uiris: qui conuenit ut ab homine marito fastidiantur? Si deus impertit fœminis eundem spiritum quem uiris: quur maritus sic grauatur prouidere necessitatibus uxoris, quasi non sit facultatum corporalium communio? Est gratia fallax & uana pulchritudo: sed est gratia uitæ, hoc est, dei benignitas per Iesum filium, omnibus uitam æternam offerens, qui fiduciam in eo collocant. In re tanta cohæredem, & consortem uxorem qui potes negligere? Et adjicit: Vt non interrumpantur orationes uestræ. Vult igitur Apostolus assiduas esse preces, quas non patitur interrumpi. Interrumpit autem preces discordia. Oblatio Christianorum est precatio: quam deus non acceptat, si quid habet uxor iustæ querelæ aduersus maritum, aut contrà: Et si uxor non meminit iniuriæ, tamen maritus reconciliari debet, priusquam offerat munus suum. Sunt autem preces deo gratissimæ, quas concordibus animis communiter fundunt uxor & maritus. Quoniam de mulierũ ornatu, decq; precibus meminit Petrus, libet & Pauli super eadem re proferre doctrinam, ex epistola ad Timotheum prior: Volo, inquit, uiros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum uerecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, & auro, aut margaritis, uel ueste preciosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Vterq; commendat assiduitatem orandi. Paulus in littore flexis genibus orat, orat Philippis & in carcere. Quiuis locus sacer est orãti in spiritu. Samaritani adorabant in monte, Iudæi Hierosolymę. Christianus, quoniam scit deum nusq; nõ esse præsentem, orat in quouis loco. Locus non reddit precationem puram aut impuram, sed animus: eoq; dicit: Leuantes puras manus. Qui factis impuris inquinati sunt, non habent puras manus. Sic apud Esaiam audiunt Iudæi: Manus uestræ sanguine plenæ sunt. Qui uiuunt rapto, qui fraudant tenues mercede, qui spoliant inferiores, qui opprimunt innocentem calumnia, quoniam manus habent impuras, etiam si orarent in cubiculo in quo natus est dominus, ingratum esset deo sacrificium. Attollantur manus, sed puræ: sed magis attollatur cor purum. Qui læsit alium, manus habet impuras: qui læsus irascitur, nondum habet cor aptum precationi. Remitte proximo culpam de corde, & purum erit cor. Absq; ira, inquit, & disceptatione. Ira meditatur uindictam. Disceptatio leuior est ira: consultat enim an dignus sit cui ignoscatur, sic apud se loquens: Tantum officiorum in illum contuli, & hanc mihi rependit gratiam. Si hanc condonaro noxiam, mox repetet. Noli expendere delicti magnitudinem, et an dignus sit ille cui remittas. Tantum cogita: Proximus est, & dominus iussit ut proximo delinquenti remittamus ex animo. Nimirum hoc est quod scripsit Petrus, ut non interrumpantur orationes uestræ. Inutilis est oratio, quam tales cogitationes interrumpunt. Pactum est inter nos & deum: Remitte, & tibi remittetur. Impudens igitur est, qui cõtra pactum postulat sibi ignoscere deum, quũ ipse male cogitet proximo. Similiter uult & mulieres orare: nec addidit, in quouis loco. Non enim quiuis locus decet pudorem fœminæ. In habitu ornato cum uerecundia & sobrietate ornantes se. Habet hoc ille sexus, ut quũ in publicum prodit, ornari gaudeat. Est ne igitur sollicitus Paulus, ne uxores parum compte ueniant in templum? Plane est, sed aliũ præscribit ornatũ: Ornantes, inquit, se uerecundia & sobrietate: & has uirtutes ipse cultus præ se feret. Paulus scribẽs Corinthijs, præcipitut uxores in Ecclesia uelẽt caput suum, ac taceant. Quantum igitur absunt ab apostolica regula, quæ non aliter cultæ prodeunt in templum, q; heroinam quampiam acturæ in Tragœdia? adeo non uelato capite, ut capilli gratius luceant per reticulum, & pectus pene pateat usq; ad cingu- Cap. 2

lum. Reliquus item cultus theatricam quandã habet ostẽtationem. Facies cerussa & purpurisso tincta: oculi stibio picti. Et cultui respondent lasciuus incessus, & pedum, ut ait propheta, lusus, oculi procaces, & uultus nunc huc nunc illuc deflexus. Istuc non est ire ad orandum, sed ad spectaculum. O matrona, q̃ ista ornamenta, non decent tuam professionem. Dices: Quam mihi professionem narras? Non sum Benedictina, aut Franciscana. Imò professa es pietatem. Iste cultus decet mulieres quæ profitentur impietatẽ. Quæ mundi satanæq; pompas omnes abiurasti, quur eas circunfers & ostentas etiam in templis? Quur tibi placet cultus similis, quum religio sit dissimilis: Illa initiata est Veneri, tu Christo. In professione tam dissimili quur placet similis cultus? Et fortasse tu superas ethnicam uestitus insolentia. Profiteris pietatem ore: ostende pietatem per opera bona. Reluceat pietas in uultu, in incessu, in oculis, in toto corpore cultuque. Audio uocem Christianæ, & uideo facta ethnicę. Pudor & castitas uera sunt ornamenta matronæ. At hunc ornatum dehonestant intorti crines, aurum margaritæ, byssus, & Serũ uellera. Vertantur illa pudoris inquinamenta in subsidia pauperum: & abunde multum decoris apponent tibi bona opera, quibus decentissime uestitur mulier Christum professa.

Ad hunc igitur modum cultus pudicitiam ac sobrietatem præ se ferat, ut hoc ipso uideatur ornatissima, quod ornata non sit. Cui si accesserit silentium, nihil defuturum est muliebribus ornamentis. Mulier, inquit, in silentio discat cum omni subiectione. Id explanatius dixit, scribens Corinthijs: Si quid uolent discere, domi uiros suos interrogent. Si in cœtu uirorum mulieribus prohibetur, ne discendi gratia loquantur: quid cẽsendum erit de his, quæ in templis ineptis fabulis garrire non desinunt? Et adiecit: Cum omni subiectione. Quemadmodum uxor ornatur ornamentorum contemptu: ita dum se per omnia submittit, redditur excelsior, dum semet erigit, tum uere fit abiecta & humilis.

Superest extrema huius operis pars de liberis educandis, ad quam ipse sermo Paulinus nos deducit. Locum enim hunc ita cõcludit: Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide, & in dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate. Operosa functio est recte educare liberos: sed ingẽs præmiũ: Saluabitur, inquit. Dum liberorũ curat salutẽ, sibi salutẽ acquirit. An putabas uxor te defunctã officio tuo, si cũ dolore qualescunq; liberos parias? Non promittitur salus, nisi perseuerarint in fide & dilectiõe, & sanctificatione, cum sobrietate. Non eris tota mater, nisi hæc præstiteris in liberis. Dices: Vt mihi non est in manu formosos an deformes pariam liberos: ita non est in mea potestate pręstare ne recedant à fide, charitate, sanctificatione, ac sobrietate. Quur ego pœnas dem alienæ nequitiæ? Non hoc sentit Apostolus, matrem daturam esse pœnas ob liberos impios, si modo functa est officio: sed summã educationis curam exigere uoluit à matribus, quarum studio tantum tribuit, ut uix perire possint, qui diligenter educati fuerint ad pietatem: nec ferè sint impij liberi, nisi parentum culpa. Trifariam autem hic peccatur à multis, in concipiendo, in gestando, & in educando.

Primum uulgata sententia obtinuit, ex bonis progigni bonos, ex malis malos: quemadmodum ex formosis formosi, ex deformibus deformes ferè nascuntur. Quod autem raro uidemus nothos esse bonos, non unam esse causam arbitror. Primum enim ex impudicis mulieribus nati, ferè referunt aliqua ex parte maternum ingenium, etiam si pater cõtingat probæ indolis. Certe uterq; cum mala conscientia miscetur alteri. Atqui in illo arcano naturæ opificio plurimum interest, quæ sit corporum & animorum affectio. Proximum est, quod indulgentius educantur quàm legitimi. Tertium quod generis uitium nõ sinit illos animum ad res egregias attollere, eoq; ferè degenerant ad technas & fucos seruiles. Sic enim Euripides sapientissime scripsit:

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύσπλαγχνός τις ἦ, ὅταν ξυνειδῇ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά.

Contrà bonis parentibus procreatum esse, præclarus est thesaurus libertatis. Proinde quidam passim ex quauis muliere generantes prolem, indigni sunt qui amentur à liberis, ut quos afficiunt contumelia, priusquam in lucem prodeant. Excluduntur ab hæreditate, submouentur à dignitatibus, à sacris, à publicis functionibus: dicuntur probri causa spurij, & iubentur quærere patrem: uix habentur pro liberis. Quid multis? Vix datur ad uirtutem eluctari. Tantum pœnarum luunt innoxij pro parentũ incontinentia. Vnum Themistoclem Græci, Iepte Hebræi inter eximios uiros referunt. Primum igitur officium erga libe

ga liberos sit, ex uxore legitima eos suscipere. De uxore uero deligenda iam dictũ est. Superest igitur, ut quoties uir & uxor gignendæ soboli dare uolunt operam, nec uino, nec cibo, nec ira, nec odio sint perturbati: sed corpora sint sobria, animi tranquilli. Est enim occulta quædam contagio uitiorum animi in corpora, rursus corporum in animum. Sic ex morbo senióue corporis nascitur iracundia: & ex amore compertum est suboriri tabem corporis: quẽadmodum & ex liuore, ex ira calorem, ex metu frigus ac tremorem. Quas affectiones mutuas si uidemus in corporibus sanis ac ualentibus, quid fieri censendum est in liquidis illis rudimentis, unde natura fabricatur hominem? Itaq; Diogenes quum forte cõspiceret adolescentem uino delirantem, non ipsum incusauit, sed patrem: Adolescens, inquit, ebrius te seminauit pater.

Quod si nõ omnino præter rationẽ est, quod dicũt physici, ex ijs qui tenerę sunt ætatis, nasci prolem minus ualidam, quàm ex prouectioribus, quod semẽ in illis sit liquidius minusq; concoctum: consequens est, ut idem efficiat temporaria corporis affectio. Quanq; autem Christiana philosophia censet omnes animas esse pares, tamẽ magni refert in qualem corporis massam immergatur. Quod enim uidemus quosdam natura propensos ad iram, aut uindictam, aut inuidiam, plerunq; constat à corporis habitu proficisci.

Quare si naturalium rerum curiosis credimus, non solum aliquoties parentum uitio fit, ut cæci, claudi, mutili, aut alioqui morbidi seu prodigiosi fœtus ędantur: uerum etiam ut bruti stupidiq; & ad insignia mala procliues. Ebrij gignunt dementes, commoti iracundos, crapula sepulti comitiali morbo obnoxios: scurriliter ineptientes, leues & nequam. Simile gignit simile. Proinde Christiani coniuges operam daturi gignẽdæ soboli, in eum corporis animiq́ue statum uos componite, ut & optare possitis uestri similes liberos, & sperare. Non descendam ad illa minuta, quę tamen non piguit Aristotelem tradere, nõ nisi prouecta firmaq; ætate dandam operam soboli. Durat autem uigor corporis usq; ad quintam annorum hebdomadem, hoc est, annum trigesimum sextum: uigor animi usque ad septimam hebdomadem, hoc est, circiter annum quadragesimũ. Ab hoc tempore censet abstinendum à procreatione liberorum, quod nascãtur, ut putat, & corporibus & animis imbecilliores. Deinde tempus hybernum iudicat pro seminanda prole felicius quàm æstiuum: & inter uentos Boream iudicat utilissimum, Austrum inutilissimum. Illud certe constat, grauato crudoq; stomacho dare operam liberis intempestiuum esse: à concoctione peracta commodius. Rideat hæc ceu friuola, apud quem nihil refert, ualidos an ualetudinarios, ingenioſos, an stupidos gignas. Hæc cura communiter pertinet & ad maritos & ad uxores. Proxima peculiaris erit prægnantis. Dum enim fœtus adhuc fingitur in officina naturæ, dum augescit, ac formatur, omnem materni corporis & mentis affectionem, uelut uda materia trahit ad sese: non aliter quàm tenera plantula terræ in qua stat naturam ad se trahit. Prima igitur grauidæ cura sit, ut sit pura tranquillaq; conscientia. Siquidem ex hoc fonte nascitur uera uoluptas animi. Deinde caueat ab ira, odio, inuidia, cęteriscq; cupiditatibus, quæ ab animi morbo profectæ, corpus etiam inficiunt. Fugiat crapulam, uinolentiam, cachinnos, choreas, & quicquid æquabilem illam ac moderatam corporis temperaturam perturbat. Non exigitur à grauidis ieiunium: sed tanto magis oportet sobrietatem esse perpetuam. Est & hæc educationis pars. Nondum natus est infans, & tamen iam nunc intra materni corporis latebras ad pietatem, quâ licet, fingitur. Lędit inedia diutina, lædit & immodica cibi potusq; copia. Peccatur & in genere. Offendunt, supra modum frigida calidaq;, & quæcunq; subitam adfectionem adferunt corpori. Præsertim autem cauendum à subtilibus & acribus, quæq; deijciũt aluum aut cient urinam: medici diuretica uocant, hæc enim præcipitant aborsus. Quin & motus uitandus est uel immodicus uel incommodus. Neq; uero pigebit mulierem in his obseruandis circunspectam esse, si cogitet duas animas in uno corpore periclitari. Execraris eas quæ uenenis procurant abortus, aut fœtus recens ędítos interimunt. Merito quidẽ execraris: sed interim cogita, ab hoc crimine non ita procul abesse, quæ crapula, quæ tripudijs, reliquaq; uitæ intemperãtia causam dederunt abortus. A partu statim excipit lactandi cura. Atq; hic quidem erat omni machinarum genere pugnandum aduersus prauam consuetudinem, sed mirum q̃ uulgo receptam, qua matres infantulos suos conductitijs mulieribus tradunt nutriendos. Verum quoniam ea de re copiose disserit Phauorinus apud Au-

lum Gellíũ,nec prætermiſit hoc Plutarchus in líbellis de pueris inſtituendis, noſcq; quum aliâs,tum in colloquio cui titulus eſt,Puerpera,non patica diximus,nõ hic onerabo lectorẽ,inde petiturũ ſi uolet. Tantũ illud repetã,nihil tam prçter naturã eſſe q̃ ut mulier quod genuit recuſet alere. Nam expoſitionis genus eſſe,recẽs natum infantulũ ablegare ad,neſcio quas,mercenarias,nec omnino matris nomine dignas,quæ hæc facere ſuſtinẽt. Deinde,uix aliud æque facere uel ad bonã corporis temperaturã, uel ad indolẽ puerorum, uel ad mutuam inter liberos & parẽtes pietatẽ,q̃ ut infantes maternis uberibus alantur.

Quod ſi morbus,aut aliud quid obſtiterit,quo minus id poſsint,hoc certe ſummo ſtudio curandum erit,ut infans cõmittatur nutrici corpore ſalubri,ſobriæ,integrisq; moribus,ne tener fœtus malã ualetudinem & ingenij corruptelã ſimul cum lacte imbibat. Qui dicerunt curare mulos aut equos,profitentur artem ſuã:at nulla eſt ars difficilior q̃ fingere hominem,& hanc artẽ oportet omnes parentes ſcire. Quod ſi fieret, non eſſet tanta in orbe bonorum paucitas. Eſt aliquid bene naſci:uerum educatio ſuperat omnia:de qua merito dixeris,quod de pronunciatione dixit Demoſthenes:Rogatus enim,quid eſſet in rhetorica primum,reſpondit:pronunciatio:quid ſecundũ,pronunciatio:quid tertiũ,pronunciatio:uidelicet ſummã totius eloquentiæ tribuens pronunciationi. Id aptius tribuetur educationi, quæ naturã q̃uis alioquí potentẽ uertit in contrariũ. Et quum natura facile flectatur,uſus per educationẽ partus flecti nõ poteſt. In cçteris quidẽ diſciplinis tria põtiſsimũ adhibentur,ut eò peruenias quò deſtinaſti, natura,ratio, & uſus ſiue exercitatio. Naturam uoco aptitudinẽ quandã ad diſcendum quod traditur. Ratio præceptis iudicat quid expetendum,quid fugiendum. Vſus ducit in habitũ id quod præſcriptum eſt. Craſſius dicam,quo magis intelligatur quod dico. Finge puerũ noualẽ eſſe, præcepta uiuendi ſemen, uſum exercitationẽ in his quæ tradita ſunt. A primo igitur cõceptu uſq; ad annũ ſeptimũ,tantum noualis præparatur ad ſementẽ. Poteſt enim natura noſtro uitio ſeu culpa melior aut deterior fieri. Neq; uero hic mediocre ſtudiũ eſt agricolæ. Exiccat limoſa,rigat arentia,líberat opaca,æquat aſpera,execat frutices,extirpat radices,inuehit lætamen, macerat glebas. Hæc eadẽ facit mater in infantulo,dum uitat omnia quæ ualetudinem & indolẽ illius poſsint corrumpere. Proxima cura eſt agricolæ,ut ſemen q̃ optimũ iaciatur in noualẽ. Hæc cura matris incipit ab anno ſeptimo,ſed nõ abſq; patre. Verum uterq; labor fuerit inutilis, niſi accedens exercitatio prouehat adoleſcentem, ut iam & facile præſtet uirtutẽ,eo quod aſſueuit:& quoniã uidet honeſti tum fructum tum pulchritudinẽ,libens etiã ſequatur,quod intelligit eſſe optimũ. Quam uero præclarã meſſem metent parentes ex liberis ſuis,poſteaq; huc profecerint,tum uere fiet illud quod prædixit Solomõ:Filius ſapiens lætificat patrẽ:filius uero ſtultus mœſtitia eſt matri ſuę. Et ſi nihil metant ex filijs, nimirum uita defunctis,priuſq; ad maturã ætatẽ peruenìſſent,à deo tamen metent uitam æternam. Redeamus igitur ad curationẽ naturæ puerilis. Ea fere ſita eſt in cibo potuq;,in ſomno & motu,in ueſtitu locoq;,& in cõuictu. In alimonia bifariã peccatur,iuxta qualitatem,& iuxta quantitatẽ. Nonnulli parentes quaſi per luſum rem ſerio noxiã agentes, ingerunt infantib. ſuis uinum,aromata,ſalſamenta. Quidã dum metuunt ne nimiũ graciles euadant,nolentibus etiã plurimum alimentorum infarciunt:quemadmodum ſolent, qui capos ſubito uolũt obeſos reddere. Ac priore quidẽ modo formãtur infantes ad uinolentiã,ad cupedias et Attica bellaria. Poſteriore uero,ſi quid Ariſtoteli credimus,puerorum ingenium redditur íners,ſtupidũ,& hebes:quod idem facit ſomnus immodicus. Alantur igitur infantes cibis lactarijs,& aptis ætati:deinde ſic temperato modo,ut nec copia ſeperliatur ingenij uigor,nec inopia corpus reddatur flaccidum & imbecille. Quẽadmodum aũt ſomnus perpetuus ignauiã adfert tum corporibus tum ingenijs: ita motus debet eſſe moderatus,præſertim in grandioribus. Nam infantibus natura addidit agilitatẽ quandã, quo calore paulatim auctio grandeſcant oſſa,ac motu confirmentur. Rurſus circa ueſtitũ bifariã peccatur. Quidã enim puellos admodum teneros ſeminudos in ſummo hyemis rigore excludunt ab ædibus,ut aduerſus Boream & gelu dureſcant: haud multo mitiores illís Germaniæ populis,apud quos ut ferunt hiſtoriæ, pater infantem modo natum, clypeo impoſitũ,exponit in Rhenum,qui ſi ferat aquæ rigorẽ,ueluti natare meditans,ſuſtollitur pro gneſio:ſin minus,abijcitur pro notho. Etiã ſi Ariſtoteles mediocre frigus putat conducere infantiũ ualetudini,Et haud ſcio an magis etiã peccet nunc uulgus parentum, qui

Prouerb.10

qui tenera infantium corpuscula ijsdē uestib. onerāt, quibus se iactat adultorū ambitio. Et cranio adhuc palpitanti imponitur pileū duplex latis fimbrijs, quod pōdus ante annos nonaginta non tulisset homo sexagenarius. Additur thorax cū caligis à thorace relīgatis: thoraci inducitur interula, interulā premit summa uestis, multo panno lūbos & humeros tenellos onerans. Et hoc ornatu pueri iubentur sibi placere. Idem crudelius etiā fit in puellis. Caput oneratur uittis & caliendris, nōnunq; & pileis masculis. Addit epomis, induſio lineo inducitur subucula, nequaq; simplex. Subuculæ uestis præter omnē usum onerosa, primum à brachijs defluēs in terrā usq;, tanta laxitate, ut ea pars quæ tantū onerat, satis sit iustæ uesti: deinde à cingulo lacinīosa, multisq; rugis onerans ilia: & uelut hoc parum sit, additur ingens cauda, quæ replicata in cingulū à tergo, grauius etiā onus addit tenero corpusculo. Tales sunt & caligę, et calcioli grauib. soleis, et undiq; duplici corio, perinde quasi ad calciū certamen parārentur. Quid tandē his reb. fit? Læduntur onere mollia corpuscula: deinde constringuntur, ne mēbra libera dilatentur ad iustā magnitudinē. In re nihili prodigitur pecunia. Denicq; tenera ætas paulatim imbibit stultā ambitionē uestiū, quam grandiores difficile dediscunt. Si parentes capiuntur talib. delicijs, præstat in puppis aut simijs has ineptias exercere, q; in liberis. Neq; uero nō refert, in qualib. locis enutriantur infantes. In situ putridis cōtrahunt malę ualetudinis causas, similiter in uehemēter calidis. Quanq; apud Germanos fere nō aliter aluntur in hypocaustorū feruore, q; pyraustę, dicas nonnunq; assos igni. Obest & locus uentis obnoxius, aut etiā clamorib. ac tumultui. His lædītur infantis cerebrū. Balnea & unctiones prosunt pueris si recte adhibeātur. Fortasse quod addā, multis nō uidebitur ad rem pertinere, quum in primis mea quidē sententia pertineat, curandū, ut quantū licet, infantes educentur inter bonę tēperaturæ benignęque indolis pueros. Transit enim arcano quodā cōtagio in colluſorē, si quod est uitiū uel animi uel corporis. Quod si recte monēt etiā adultos medici ut consuetudinē agant cū his qui sunt felici corporis tēperatura, moribusq; placidis & comib. quod ex cōmercio natura hominis reddatur melior aut deterior: quanto probabilius est hoc fieri in udis ac mollibus corpusculis, & ob hoc in quēuis habitū sequacib. Cæterū ita natura cōparatum est, ut citius lædant mala, q; prosint bona: Item in uitijs oculorum, in hæsitantia linguæ. Ferūt in Aristotele subbalbū quiddā fuisse, in Platone subductionē scapularū, quorum utrunq; discipuli illorum referebāt. In plerisq; morbis uulgo cōfessum est, quid possit cōtagium. Verum quid prosit aut lædat tēperatura eius quicū agis cōsuetudinem, quoniā sensim ac minutis accessionib. serpit utilitas, ut noxa, nō æque sentitur ab omnib. Non sentis adrepere malum, sed ex interuallo sentis adrepsisse. Sunt aūt quidā infantes plorabundi, morosi, iritabiles, & nescio quid maliciæ iam tum in ea ætate præ se ferentes, ab horū cōuictu quantum potest semoue tuū infantulum. Dixerit aliquis, parū esse Christianū tam anxie præcipere de cura ualetudinis. Anxiā curā nō approbo, diligentē exigo, nō alio spectans, q; ut corpore bene cōpositō animus sit ad institutionē habilior. Hic quæsitum est à priscis ad quotū ætatis annum sit auspicanda institutio. Plerisq; uisum est usq; ad septimū annum nō esse uexādam eruditionis molestia tenerā ætatē. Aristoteles à quinto anno putat auspicandam disciplinarum traditiōem. Alij mox à tertio anno putant infantem esse docilem. Ac mihi quidē omnes uidentur recte sentire. Statim enim instillandū est aliquid tenellæ rudiq; testulæ, sed blande, tū cuius maxime capax est ætas illa: ita nec uexabitur ætas tenera, nec aberit eruditionis fructus. Noscitare literas tum Latinas tum Græcas, & harum elementa pingere, atq; exprimere sonos per lusum discunt pueri. Quæres diu moraretur adultū in discendis literis. Sunt enim quædā ad disciplinas præludia: quæ reddunt nos magis habiles ad discendū. Id nō solū fit in disciplinis, uerum etiā in moribus. Veluti flectere genua ad nomen Iesu, aut ad occursum honorati uiri, in templo cōplosis manib. adorare eucharistiā, exoscularī crucifixi signū, astare cōposite quum mensa cōsecratur aut agunt gratiæ, aliqua rudimenta sunt ad religionē. In his tamen annis oportet omnem acerbitatē abesse, quanq; nō oportet abesse reuerentiā. Fallendus est aliquādo puer ut discat credens se ludere. Deinde blanditijs, laudibus, promissis ac munusculis allectandus est potius q; minis, plagis & clamoribus cogendus. Hic uehementer peccatur à nonnullis literatoribus, qui morosa sæuitia nihil aliud docent pueros, q; odisse literas. Quin & matres aliquot noui, quæ quum sibi uiderentur miræ artifices formandæ puerītiæ, bene natam in-

dolem ſæuitia corrumpebãt. Puer uix octo natus annos obſtupuerat. Puella uix fari inci-
piens ſummo ſtudio fingebatur ad mores aulicos. Quorum hoc erat caput, ut ad ſingula
uerba, quibus cum matre loquebatur, repeteret madame mameſe: & ſi quid negaret, pro
nany reſponderet, ſalue uoſtre grace madame. Ob hæc puella nondum quintum egreſſa
annum, cædebatur uſq; ad ſyncopin. Id quũ crebro fieret in die, reſtabat alia diſciplina, ut
puella cæſa nec lacrymas, nec ſingultũ, nec ploratũ emitteret, ſed abſorberet hæc omnia,
quod ſi nõ faceret, mox rapiebatur ad carnificinã. Et erat alioqui puella bonæ indolis. Vi
dimus illã interdũ penè prẽfocatã, dum matre minitãte cogeretur abſorbere ſingultus ac
ſiſtere lacrymas. Quod ne fieret etiã legib. priſci uitandum iudicarunt: quanq; Ariſtote-
les à legib. diſſentiens, putat eam ſpirituũ cohibitionẽ ac repreſsionẽ facere ad robur in-
fantilis corpuſculi. Sit hoc ſanè uerum in moderata repreſsione. Hæc uiolẽtia naturę iam
tum relucebat in ipſis puellæ oculis, in quib. uidiſſes cõcretas lacrymas, & attonitũ quid-
dam, quale ſolet in his qui ſpectro territi fuere. Mater ipſa nõ maior erat uigintiſex annis,
ſed uidua, adeo ſuæ fidens prudentiæ, ut nec fratres nec cognatos ullos admonẽtes audi-
ret: Nec cędebat niſi ſerio cõmota. Ego iudicabam illam matrẽ digniorẽ uerberib. q; fili-
am. Neq; enim ſimpliciter ibi peccabat. Primũ ſi quid ſerium magnicq; momenti docuiſſet,
tamen ob ætatis tenerĩtudinẽ oportebat abeſſe ſæuitiã & acerbitatẽ, nunc ob aulicam in-
eptiam excruciabat infantẽ. Ita quidam parentes ſæuiunt in filios, ſi leuam manum porre
xerint, ubi dextra fuerit porrigenda, dormitantes in his quæ magis ad rẽ pertinent. Quod
ſi quid erit, quur expediat interdum uti uirga in puerũ, abſit tamen amarulentia, ſed dolo
ri ſuccedat aliquid quod puerilẽ animũ conſoletur. Iam ſub annũ ſeptimũ natura præbet
indicia quædam indolis, Apparet enim alius iracũdior, alius lenior, alius præfractior, ali-
us benignior, alius tenacior, alius ſimplicior, alius fucatior & callidior. Hic igitur ſtatim
aduigilandũ, ut quod eſt uirtutis prouehatur, quod uitq; corrigatur. Habes tenerã ac quo-
uis flexilem uirgulã, habes cerã molliſsimã, habes udam argillã, tu tantum age bonũ pla-
Inſtitutio ſten. Iam mihi de parando nouali ſatis dixiſſe uideor, quæ prima pars eſt inſtitutionis, eã
naturam uocare placuit, nunc de ſemente loquendum, quam appellauimus rationẽ. Pluri
mum autem refert, quid teneris animis infuderis. Nihil enim magis hęret in omnem uitã,
quàm quod illis annis imbibitur. Plurimis in ore eſt, paucis in animo dictum Horatij.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu.

Ac ferè uidetur optimum cui primum aſſueueris. Ariſtoteles in Politicis refert de Theo-
doro quodã hiſtrione, qui nulli uolebat cõcedere, ut ante ipſum ageret, quod exiſtimaret
eam actionẽ ſemper magis probari quæ prior occupaſſet oculos. Eſt autẽ duplex inſtitu-
tionis cura, altera quæ pertinet ad diſciplinarum cognitionẽ, altera quæ pertinet ad pieta
tẽ ac bonos mores. Nihil uetat utrunq; ſimul agi, niſi quod pietatis potior debet eſſe ratio.
De diſciplinis in ſuperioribus nõnihil attigimus, & in alijs lucubrationib. non pauca nobis
dicta ſunt, præſertim in libello de inſtitutione puerorum, item in principe Chriſtiano, tũ
in colloquijs familiaribus. Si quis quid præterea deſiderabit ex libris Platonis de repub. ac
de legibus: ex Ariſtotelis de rep. libris, præſertim ſeptimo & octauo petere licebit. Illi pu-
blicam inſtitutionẽ magis probant q̃ priuatã. Nunc omnis inſtitutio publica redijt ad lu-
dorũ literariorũ magiſtros, in quibus aſciſcendis quum oporteret eſſe ſummam curã, huc
allegãtur ferè ſordidi abiectiq; homines, interdũ & cerebri parum ſani. Locus datur ſordi
dus, & ſalarium datur exiguum, diceres illic porcos educari non inſtitui ciuiũ ingenuos li
beros. Atqui hic periclitatur ſeminarium totius reip. Sed peius etiam agitur cũ illis pue-
ris, qui in antris tenebrionũ quorundã ſanè quàm illiberaliter educantur. Nam hunc quę-
ſtum ad ſe trahunt monaſteria quædã, & genus hominũ medium inter monachos & pro
phanos. Quicquid enim eſt malarũ rerum, ferè prætextu religionis irrepſit in mundum.
Verum hæc miſſa faciemus, ea potiſsimũ perſequentes quæ faciunt ad pietatis inſtituti-
onem. Sint igitur prima religionis ſemina, Deum eſſe ſuper omnia metuendum & aman
dum, qui condidit, qui reſtituit ac gubernat uniuerſa, nuſquã nõ præſens, nihil neſciens,
nihil non uidens: hunc per filium ſuum Ieſum ſibi fidentibus, & ipſius præcepta ſeruan-
tibus detuliſſe uitam æternam, & utrunq; per ſpiritum ſanctum habitare in cordibus pio-
rũ: Deum autem, ut eſt remunerator omnium bonorum, ita & malorũ omnium ultorem
eſſe: Itaq; nulli perire præmiũ recte factorum, etiamſi apud homines pro benefactis red-

dantur

dantur mala: neminẽ rursus, quantũuis occulte peccet, dei uindictam posse effugere, nisi resipiscens semet illi reconciliet. Sic aũt inseratur nomen Iesu mentib. puerorum, ut quàm maxime fiat amabilis illorum affectibus. Deinde persuadeatur, & hoc, semper adesse pueris angelos testes ac spectatores omniũ quæ geruntur, aut etiã cogitãtur, hos delectari pudicitia, modestia, sobrietate, charitate, cõcordia, diuersis offendi: In quibus uero uiderint has uirtutes, ijs multa bona referunt à deo, quo magis proficiant. His proximũ est, ut de sacris scripturis quàm reuerentissime sentiãt. In his enim deum uelut ex oraculo perpetuo loqui mortalib. Hanc reuerentiã magis imbibit puer, si uiderit sacris codicib. haberi honorem, si consuescat exosculari codicẽ Euangelicũ, si de diuinis literis nunquã fiat sermo per iocum aut per contentionẽ, sed sobrie ac reuerenter. Discat contẽplari cœlorum ornatum, terræ diuitẽ prouentum, fontium scatebras, amniũ lapsus, maria uasta, animantiũ innumeras species, & hęc omnia in hoc condita, ut seruiant usibus hominũ, tantum ut homo seruiat suo cõditori deo. Discat & illa beneficia, quæ deus peculiariter largitus est electis suis per filium suũ unicum, & quotidie largitur per spiritum sanctum. Postremo quę præmia maneant pios, & quæ supplicia impios. Admoneatur quid sit professus in baptismo, ne descisca ab imperatore Iesu cui nomẽ dedit: ut uestẽ quã accepit candidã, seruet immaculatã. Admoneatur aũt, inter omnes Christianos esse cognationem arctissimam, qualis est inter eiusdẽ corporis mẽbra, quo uidelicet cõsuescat omnẽ Christianũ fraterna quadam charitate uenerari, ob hoc ipsum quod Christiani sunt, sciatq; Christũ & lædi in suis mẽbris, & refocillari. Discat neminẽ esse miserũ aut esse posse, qui manet in Christo, siue contingant aduersa siue prospera, siue mors siue uita: In rebus tristibus agendas esse gratias deo, qui nostræ salutis causa flagellat nos: in lætis non insolescendum, sed adorandam dei benignitatem: Admoneatur qualiter se gerere debeat erga parentes, erga seniores, erga æquales, erga inferiores. Assuescat non fastidire pauperes, comis erga pares, reuerens erga seniores, pius erga parẽtes. In horũ quẽuis quicquid officij præstiterit, sciat se deo fœnerari, cuius præceptis hæc faciẽs obtẽperat. Exẽpla uirtutũ potissimũ illi proponãtur ex uita Christi, deinde ex alijs, potissimũ ijs, quorũ sanctimonia sacrarũ literarũ testimonio cõmendata est. Admoneatur quàm turpe sit inuidere cuiq; aut irasci aut odisse: quàm honesta res sit habere linguã parcã, sobriã ac circunspectã, non temere loquentẽ nisi res postulet, nec respondentẽ ad quicquã quod nõ intelligat: Nihil autem turpius esse quàm falsa loqui, uel obtrectare famæ alienæ, præsertim absentiũ. Hæc aliaq; huius generis si instillentur teneris puerorũ animis, erumpent aliquando in morũ egregiã frugẽ. Vbi iam ad annũ peruenerint decimũquartum, scias optimã esse materiã, & omniũ quę digna sunt cognitu maxime capacẽ, quæ si negligatur, non continget altera similis. Hic igitur toto pectore incumbendum, ut & optimis opinionibus confirmetur & optimis disciplinis expoliatur. Plurimũ autẽ contulerit ad hoc, ut talis euadat filius qualẽ uolumus, si primũ ipsi nos tales præbuerimus. Imitandi uis peculiariter ineſt pueris. Si nihil uiderint in moribus parentum nisi pium, pudicũ, sobrium ac modestum, uel usu referent quod assidue uident, quemadmoũ balbo cõuiuens discit & ipse balbutire. Monita uero non multum adiuuabũt, si puer uiderit aliud in uita parentũ q̃ pręscripserãt: nec sibi persuadere poterunt illos hoc serio monuisse, quod ipsi nõ præstãt. Altera cura fuerit de præceptore siue pædagogo deligendo. Qua quidẽ in re mira parentum cessatio. Deligunt cui cõmittant curãdum equum, & filium cuius committunt. Et matres nonnullæ diligentius curant catellam Melitæã, q̃ filium: & pluris õducitur equiso, aut curator accipitrũ, q̃ præceptor liberorum. Nec alia in re infelicius est principum uulgus, q̃ quod statim non traduntur præceptoribus sanctis & cordatis. Nec tantum in præceptore spectanda est eruditio, sed multo magis morũ integritas. Hic igitur oportet liberum ac serium esse iudicium, nec accersendus ille qui semet ingerit, qui blandiens ambit, qui obtruditur ab amicis. Num ægrotus aut nauigatione periclitans audias amicos ita loquentes: Hunc adhibe medicum in meã gratiam: est em̃ mihi cognatus & amicus, aut, hũc admoue clauo, uehemẽter enim cupit: an potius responsurus es: Alibi seruiam uestris affectibus, hic perichtor, mihi commenda tissimus erit medicus, quisquis sanandi peritissimus fuerit, nauclerus asciscetur quisquis erit gubernandæ nauis peritissimus. Idem facere conueniet in deligendo cui filij tui primam ætatem formandam concredere destinas. Quod si contingit idoneus, ne tamen

ita curam in illum transferas, ut ipse solicitudinem omnem abijcias. Episcopũ age, ex interuallo uide quid profecerit filius. Quanq̃ probus tibi contigit colonus, tamen subinde uisis fundum, & si quid offendit, requiris officium. Si quid deest, expostulas quur hoc sit prętermissum quod nõ oportuit. Et si uideris colonũ nõ respõdere tuę spei, submoues cessatorẽ, & allegas aliũ magis idoneum. Id si facis in agello, nõ idẽ facies in eo quem omniũ tuorũ bonorũ destinas hæredẽ? Itáne uilior est filius q̃ agellus? Nihil nõ facis uti q̃ plurimum relinquas filio, nec curæ est ut filius is euadat qui norit uti relictis. Quod quidem nihilominus absurdum est, quàm si illi compares quàm pulcherrimas citharas, nec ullam interim curam adhibeas ut ille musicam discat. Nõ mediocris artis est instituere primam ætatem, ac præcipuæ uirtutis est instituere adolescentiam. Ex talibus enim potissimum pendet omnis uita mortalium, ex ijs qui formant pueritiam, ex his qui concionibus docent populum, & ex principibus. Diogenes quum in auctione uenderetur, rogatus à præcone, quo titulo deberet prædicari: Dic, inquit, esse hominem qui sciat imperare liberis. Audijt hoc præconium diues quidam qui teneros filios habebat domi, mercatus est Diogenẽ, eumq̃ suis præceptorẽ dedit. Qui uir malus est aut formandæ pueritiæ imperitus, etiamsi drachma cõducitur, magno cõducitur. Neq; em̃ quisquis uir doctus ac bonus est, statim accõmodus est erudiendæ pueritiæ. Multis deest lenitas, alijs laborũ patientia. Cæterũ qui cõpositus est ad tantã prouinciã, satis magno cõduci nõ potest. Quanti æstimas salutẽ filij tui, tanto pręmio dignũ existima bonum pręceptorẽ. Aristippus quo uix alius fuit philosophus in respõsis dexterior, quum prædiues quidã ageret de filio cõmittendo, rogaretq̃ philosophum quantũ mercedis posceret, poposcit mille drachmas. Quũ diues admiratus postulationis impudentiã, exclamaret. Hui ista summa seruũ emere licebit. At nunc, inquit, Aristippus, duos tibi seruos parabis, filiũ & eũ quẽ filio cõduxeris. Non improbanda uidetur illorũ sententia, qui domi pædagogũ alunt, donec tenerior est liberorũ ætas. Sic enim & melius consultũ est pueritiæ, & formatoris ingeniũ propius inspicere licet. Quæri solet à nonnullis, utrum cõducibilius sit, liberos ab uno priuatim institui, an in frequẽtissimo puerorũ numero educari, uelut in pædagogijs, quæ alibi collegia, alibi bursæ uocantur. Ad hæc est hominum genus medium inter monachos & laicos, de quibus antea diximus, qui ducentos nonnunq̃ adolescentes alunt in ijsdem ædibus. Vt uero negari non potest, solitudinem esse pueris inutilem, & ex frequenti cõuictu multum esse cõmoditatis: ita fatendũ est, in turba semper esse admixtos malos, quorũ contagio plurimi corrumpuntur: deinde fieri nõ potest, ut cura in tam multos distracta, in singulos intenta sit. Postremo tales eruditores nõ licet deligere, sed aliorũ arbitrio dantur ac mutantur. In collegijs autem illud est peculiare incõmodum, indiligenter instituuntur in Grãmatica, quod oportebat omniũ diligẽtissime fieri. In causa sunt duo. Primũ quod ilico rapiuntur ad eas disciplinas, in quibus dantur tituli baccalariorum & magistrorum. Nam & ad honorem ac libertatẽ est ætas ea propensior, & ea res magis conducit ad quæstum magistrorũ. Quo minoris aũt parẽt qui Grammaticã doceant, pręficiunt puerũ pueris aliquẽ, qui nudiustertius honore magistri donatus est, uix annos natus sedecim. Atqui Grammaticã nemo recte docet, nisi qui uersatus sit in omni genere scriptorũ ac disciplinarũ, qui stilũ exercuerit. Itaq; plerisq; placet media quædam ratio, ut apud unũ pręceptorem quinq; sexue pueri instituãtur. Ita nec sodalitas deerit ętati, cui cõuenit alacritas, neq; nõ sufficiet singulis cura pręceptoris, & facile uitabitur corruptela quam adfert multitudo. Huic proximum est, ut qui in collegio uiuunt audiúntue, peculiares tamen habeant institutores, qui priuatim illos exerceant. Dixerit hic aliquis: Recte consulis diuitibus, sed quid interim fiet tenuibus? Vtinam liceret omnibus consulere. Certe moneri diuites possunt, ut si quos uiderint pueros è pauperibus quidẽ, sed generosa indole natos, eos suis impendijs curent educandos, aut suis liberis adiungant, ut sub eodẽ pędagogo pari cura instituãtur. Multa quidẽ sunt eleemosynarũ genera, quib. opulẽti cõmercãtur regnum dei, uerũ sciãt hoc esse pręcipuũ deoq; gratissimum eleemosynæ genus. Quęcunq; uitæ ratio deliget illud cõmuniter omnib. pueris inserendũ, ut articulate explanateq; consuescãt pronunciare, deinde ut expedite legãt ac scribãt. Ex libris plurimũ est tũ solatij tũ utilitatis. At lectione delectari nõ potest, qui imprõpte legit. Expediet & eos quib. res ampla est, artẽ aliquã ex mechanicis sed honestiorẽ discere, qualis est ars pingẽdi, statuaria, plastice, aut architectonica

ctonica. Etiãsi uideo genus hoc artiũ nõ probari philosophis, nobis sordere nõ potest, qui Christũ adoramus fabrũ, fabri dictũ filiũ. Dum hæc discunt uitãt ociũ, & si deuolet fortuna, habẽt uiaticũ: sin minus uerũ est quod uulgo dicunt, neminẽ arte grauari. Sunt qui puellarũ absolutã educationẽ existimãt, si usq; ad nuptias sic inclusæ teneantr̃, ut nec aspiciãt, nec aspiciantur à uiris, quũ interim uiuant inter stultas & ineptas mulierculas, unde plus hauriunt corruptelæ, q̃ si cũ uiris ageret. Magnã fateor rem præstitit, qui uirginis suæ pudicitiã seruauit illibatã. Verũ ea demũ pudica est, quæ didicit quid sit pudicitia, quibusq; modis seruari possit. Sanctis opinionib. imbuendus est puellaris animus, ut quod facit, iudicio faciat & ex animo. Vulgus ineptũ existimãt puellas institui literis, at qui sapiũt, cõperiũt nihil esse uel cõducibilius ad bonã mentẽ, uel tutius ad pudoris custodiã. Verũ hac in re pro suo quisq; iudicio faciet, quod uel cõditio præsens, uel rerũ suadebit necessitas. Certe uigilantiorẽ custodiã requirit ætas puellæ iã grandescẽtis q̃ pueri: utriusq; uehemẽter est lubrica, sed puellæ plures tendũtur insidiæ, & animus est imbecillior, & si qs lapsus acciderit, fœdior est famę buccina. Rosa lactea facili cõtactu aut afflatu marcorẽ cõtrahit. Postremo preciosissimus ille uirginitatis thesaurus est irrecuperabilis. Hic, uti dixi, prima cura erit, ut animus puellæ sanctissimis opinionib. imbuatur, discantq; hosse primũ quid sit honestũ, deinde etiã amare. Proxima erit, ut ab omni cõtagio turpitudinis seruetur immunis. Diu uitia nesciat, amet nunq;. Tertia, ut ab ocio tanq̃ a peste nocentissima bonorũ morũ arceatur. Ad innocẽtis ingenij corruptelã plurimũ ualet cõuictus impudicus. Hic in primis requirã patris ac matris officiũ, ne quid nequiter dicãt, faciãntue præsente filia, quantũuis puella. Ad discendã nequitiã, nescio quo pacto, præcoces sumus omnes. Et si nondũ sentiãt, quod audiũt uidentq;, tamẽ hæret animis malũ semẽ, aliquando in noxiam herbã erupturum. Maxima debetur puero reuerẽtia, sed maior teneræ uirginæ. Proinde pater aut mater, si quid paras parũ pudicũ, ne tu uirgunculæ contẽpseris annos. Vbi uitabũt liberi conuictũ improbũ, si à parentib. discunt nequitiã? Apud nonnullas nationes hæc est aulica puellarum educatio: Mane feruet opera cõptricũ ac fucorũ, hinc ad sacrũ quo spectẽt ac uicissim spectentr̃, mox ientaculũ, deinde fabulæ. Post hæc prandiũ. A prãdio stationes, nugæ facetiæq;. Sparsim procumbunt puellæ, in harum gremium se cõijciunt uiri, Quæ neminem repellit, maxime laudatur à ciuilitate. Deinde lusus inepti, nonnunquam parum pudici. Sic transigitur interuallum pomeridianũ, donec redeat cœnandi tempus, A cœna rursus eadẽ ciuilitas, quæ fuit à prandio. Inter hæc exẽpla nutriuntur principũ pueri, teneræq; puellæ. Nec multo sanctius educantur in agris. Filij filiæq; nobilium totos dies agunt inter saturos & ociosos ministros, plerunq; sordidos & morib. impuris. Alioq; quo pacto fallerẽt tẽpus? At quãto rectius tẽpus hoc fallerẽt texẽdis auleis? Aristoteles nõ uult liberos cum seruorũ grege misceri, ob mores ac fabulas illiberales. Et habebãt ueteres andronitides in quib. uiri uersabantur, habebant gynæconitides in quib. mulieres, habebant parthenones in quibus uirgines solent uersari. Vis aũt audire, q̃ anxia custodia debetur pudicitiæ uirginis, docet hoc nos sapiens ille Sirach: Filij, inquit, tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarẽ faciem tuã ad illas. Quod tandem præceptum audio? Qui fieri potest ut pater non amet filias, præsertim morigeras piasq;, & si amat, quo modo potest illas tetrico uultu obtueri? Imò quoniã uere diligis filias tuas, ob hoc ipsum dissimulabis hilaritatẽ uultus erga illas. Quid periculi? Expedit eũ sexum & ætatẽ perpetua reuerẽtia contineri. Ab hac nonnihil remittit paterni uultus hilaritas. Si quid indecore fit à puellis, paterni uultus seueritate castigandæ sunt: si nihil peccant, tamen ne peccent serius sit patris uultus non amarulentus. Quid diceret Sirach, si cõspiceret quosdam horum temporum patres, qui præsentibus filiabus iam pubescentibus aut etiam puberibus, uino hilares iactant suas pristinas nequitias, & totam iuuentutis scenam aperiunt? Imò thalami mysteria effutiunt? Et tales patres in peccato filiorum parant abdicationem: & si quid acciderit filiæ, cœlum terræ miscent. Quid sæuis in liberos impie pater? De te ipso potius pœnas sumito. Ad hæc illos instituisti. Miraris si faciunt adolescentes, quod abs te factum toties audiere gloriãtem? Quo ore, inquit illa, obiurgabis filium? Turpius est iactare turpiter facta, q̃ facere turpia. Sed turpissimum est id facere apud liberos. Et miraris si tui parum reuerentes habes liberos, quum tu nullam erga illos habeas reuerẽtiam? Aut ubi futura est

tuta

tuta ſobolis tuæ pudicitia, ſi apud te periclitatur, quē oportebat eſſe cuſtodē incorruptiſſimum? Nonnulli ſiç aſſueuerunt uerbis obſcœnis, ut frequenter & imprudentibus excidant. Huius rei uidimus exemplū memorabile Bruxellis in æde, diuæ Gudulę ſacra. Quū eſſet illic denſiſsima hominum frequentia, ingreſſa eſt matrona quædam cum primis honeſta, claricq; nominis. Cum ſubito collapſa eſſet in pauimentum, ex inuecta pedibus niue lubricum, territa magna uoce exclamauit, nominās, quod pleręq; faciunt ex aſſuetudine, pudendū uiri membrum. Ingens omnium riſus obortus. Illa miſere erubuit. Lapſus erat, ſed quid opus eſt talibus aſſueſcere? Nónne eadē opera poſsint aſſueſcere, ut ſi quid ſubito fuerit obiectum quod metuant, Ieſum aut Mariā nominent? Similis eſt in quibuſdam aſſuetudo male precandi, ſi quid accidit moleſti: aut deierandi, ſi quid narrāt. Eadē opera qua dicunt, cētum diaboli, dicere poſſent: Deus ſit mihi propitius. Sunt qui non poſsint quatuor uerba dicere, quin admiſceant iuſiurandum. Hæc à teneris imbibunt pueri. Vehementer inficiunt teneros animos amatoriæ fabellæ, quibus ætas ea facile capitur. Harū bona pars non uacat obſcœnitate. Procul arceantur à uirgine tales confabulatrices, quæ malis colloquijs corrumpunt mores bonos. Venenum eſt quod inſibilant teneris auribus. Iam apud quaſdam nationes etiam ſolenne eſt, quotannis ædere nouas cantiones, quas ediſcunt puellæ. Quarum argumentum fere tale eſt: Deluſus ab uxore maritus, aut puella fruſtra ſeruata à parentibus, aut furtiuus cum amatore concubitus. Atq; hæc ita referuntur quaſi bene geſta, applauditurq; felici nequitiæ. Peſtilentibus argumentis additur tanta ſermonis obſcœnitas, per metaphoras & allegorias, ut ipſa turpitudo non poſsit loqui turpius. Et hic quæſtus alit multos, præſertim apud Flandros. Si leges uigilarent, talium næniarum artifices deberent cæſi flagris ſub carnifice, pro laſciuis lugubres canere cantilenas. Et hi qui publice corrumpunt iuuentutem, ex ſcelere uiuunt. Et inueniuntur parentes, qui putent eſſe ciuilitatis partem, filiam non ignorare talia carmina. Priſci iudicarunt Muſicam ad liberales diſciplinas pertinere. Sed quoniam numeroſi illi ſoni magnā uim habent ad afficiendos hominum animos, intātum ut quidam hinc collegerint, ipſam animam eſſe harmoniam, aut certe habere harmoniam, nam ſimile ſimili delectari, ſtudio ſe diſtinxerunt Muſicæ genus, Doricum cæteris præferentes. Et hanc rem tanti momenti iudicant, ut cenſeant oportere legibus caueri, ne recipiatur in ciuitatem Muſica, quæ corrumpat animos ciuium. In noſtra uero muſica, ut omittamus uerborum & argumentorum obſcœnitatem, quantum eſt leuitatis, quantum etiam inſaniæ? Erat olim actionis genus, qua ſine uerbis ſola corporis geſticulatione, repræſentabant quicquid uolebant. Itidem in huiuſmodi cantilenis, etiam ſi uerba ſileantur, tamen ex ipſa muſices ratione deprehendas argumenti ſpurcitiem. Adde hic tibias Corybanticas, ac tympanorum ſtrepitus, in rabiem agentium. Ad hanc muſicam ſaltant uirgines, huic aſſueſcūt, nec putamus ullum eſſe periculum moribus. Quid quod hoc muſices genus à choreis & comeſſationibus inuexímus in templa? Et quod eſt abſurdius, magno cōducuntur, qui ſacrorū maieſtatē ineptis garritib. contaminēt. Nō excludo Muſicā à ſacris, ſed harmonias requiro ſacris dignas. Nunc ſonis nequiſsimis aptantur uerba ſacra, nihilo magis decore, q̄ ſi Thaidis ornatum addas Catoni. Interdum nec uerba ſilentur impudica cantorū licentia. Hæc ſi leges negligūt, tamē oportebat aduigilare ſacerdotes & epiſcopos. Qui aſſueuerit turpiloquio, non abhorrebit à turpibus factis, inquit Ariſtoteles. Rogarit aliquis: Quid eſt turpiloquiū? Nam ſunt turpia factu, quæ tamē citra obſcœnitatē referunt, quod genus eſt furtum & homicidiū. Sunt rurſus quæ ſuapte natura turpitudinē nō habent: attamē ſi nudis uerbis proferas, habēt obſcœnitatem: uelut habere rem cum uxore, exonerare uentrem, reddere lotium. Nulla eſt corporis pars inhoneſta: Deus enim omnia creauit & bona & pulchra: & tamen quibuſdam hoc reuerentiæ debetur ut tegantur: nec ſolum hoc debetur, uerū etiā ne nudis uerbis nominentur, ſed uerecunda circūlitione ſignificentur. Vulua uerecundum eſt uocabulum, æque atq; matrix: & tamen apud imperitos infamatur. Naturam mulieris uerecūde dixeris, pudendum illius membrum indicās. Item pudenda uiri uerecunde dixeris. Eadem reuerētia ſeruanda in nominandis horum membrorū actionibus, de quibus modo diximus. Primū igitur obſcœnus eſt, qui nude nominat ea quæ uerecundiæ cauſa tecte debent ſignificari: Deinde qui turpiter facta, q̄uis non obſcœna dictu, ſic narrant, ut laudent faueantq; turpitudini. Veluti qui nominat adulterium, non

eſt

est obscœnus: cæterum qui cum uoluptate depingit, quibus artibus uxor deluso marito receperit adulterum, turpiloquus est. Si res poscet ut turpia facta narrentur, cum detestatione narrentur: quemadmodum & benefacta cum approbatione referenda sunt. Quanq̃ aliena malefacta nunq̃ referenda sunt, nisi suadeat utilitas. Qui res honestas uituperando narrat, turpiloquus est. Sed plus q̃ turpiloquus est, qui castos sermones ad res obscœnas accõmodat: qualis est cẽto nuptialis Ausonij, simpliciter indignus homine Christiano. Rursum ut nõ est obscœnũ dicere furtũ, aut homicidiũ: ita sunt prodigiosę quędã criminũ, præcipue libidinũ, species, quas nõ expedit audire pueros ac uirgines, nisi cõpellat necessitas, atq; id tũ quoq; multo cũ pudore, multaq; cũ detestatione faciendũ est. De hoc genere loquitur Paulus Ephes. 5. Quę aũt occulte fiũt ab ipsis, turpe est et dicere. Interdũ usus habet obscœnitatẽ, quæ nec in reb. est nec in uerbis: itaq; fit, ut eadẽ uox alio tẽpore locoq; sit uerecũda, alio nõ. Veluti bini apud Latinos uerecũda uox est, apud Gręcos obscœna. Ita patrare quondã fuit inuerecũda uox, hodie caret obscœnitate. Et apud nostrates amãdi uox, quę olim pudoris gratia fuit ascita, quo congressum uiri cũ muliere significarent, nunc sic infamata est, ut ne in pudico quidem sensu possis uti uerecũde, adeo ut obscœnitas offendat aures, si quis dicatur amare matrẽ. Ostendi species omnes turpiloquij quo facilius uitetur omnis obscœnitas. De picturarum obscœnitate iam antea nõnihil attigimus. Aristoteles adeo putat picturas statuásue lasciuas ad morum corruptelã facere, ut hoc uelit per magistratus publicis legibus caueri, ne quid imaginũ sit in ciuitate, quod admoneat turpitudinis. Lingua loquitur aurib. pictura loquitur oculis, multoq; loquacior est pictura q̃ oratio, & frequenter altius descendit in pectus hominis. Et pœnam atrocem præscribit Aristoteles, si quis quid turpiter dixit. Quam inquies? Si liber fuerit, nec adhuc ad honorẽ comessatorum admissus, ab honore repellatur: sin grandior, quoniã seruile facinus admisit, seruili ignominia afficiatur, hoc est, cędatur loris. Seruile crimẽ est linguæ petulãtia, quod ab ingenuis oportet procul abesse, sed multo lõgius ab ijs quos Christus suo sanguine redemit à seruitute peccatorũ in libertatem filiorũ dei. Hæc erat ethnici philosophi sentẽtia: & nõ pudet Christianos, homines spurcissimę petulãtiæ pro festiuis ac lepidis amplecti? Quid memorẽ quanta sit in signis ac picturis licẽtia: Pingitur, et oculis repræsentatur, quod uel nominare sit turpissimũ. Hæc argumenta prostant publicitus in tabernis ac foro, & uolentium nolentium oculis ingeruntur, quibus incendi iam frigidus æuo Laomedontiades & Nestoris hernia possit. O legum ac magistratuum oscitantiã. Philosophus undiquaq; profligat imaginum obscœnitatẽ, nisi si qui dij sunt, quibus leges attribuunt turpitudinem. Sentit opinor de Venere & Cupidinibus nudis, de custode hortorũ, de Satyris & Phallis Bacchi: in quorũ festis solẽniter turpia quædã agitabantur. O nouã philosophi religionẽ. In dijs permittit turpitudinem, ubi maxime conueniebat abesse turpitudinem. Decet enim numina à puris pure, à castis caste coli. Tantundem & Seneca tribuit receptis legibus, ut populus ineptis ritibus colat deos: non quod pium sit, sed quod præcipiat lex. Quanquam Aristoteles ab huiusmodi sacris uult arceri teneram ætatem. Agamus gratias deo, quod nostra religio nihil habet non castum & pudicũ. At tanto grauius peccant, qui rebus natura castis inuehunt impudicitiam. Primum, quid est necesse quasuis fabulas in templis depingere? iuuenem ac puellam eodem in lecto cubantem? Dauid contemplantem è fenestra Bethsabeam, & ad stuprum euocantem: aut amplectentem ad se delatam Sunamitin. Herodiadis filiã saltantem? Argumenta sumpta sunt è diuinis libris: sed in exprimendis fœminis quantum admiscent artifices nequitiæ? Hæc in altaribus ubi peragitur Eucharistia, quæ ne in ædes quidem pudicas sunt recipienda. Procul igitur absint ab ædibus tuis lasciui iuuenes, otiosi, saturiq;, nonnunquam & ebrij famuli, garrulæ mulierculæ, saltatriculę, & Atellanarũ histriones, mimi, ludiæ, turpiloquæ picturæ, breuiter quicq̃d per oculos, per aureis, aut quocunq; pacto teneræ pubis animos possit inficere. Quæ tantum abest ut sint aliunde in ædes accersenda, ut etiam si quis forte talis irrepserit in familiam, protinus sit exigendus cum pessima gratia. Obsecro quæ nam est ista Christianarum legum patientia? Quidam hoc quæstu nunc uiuunt, nanciscuntur alicunde puellam elegante forma: eam adhuc teneram flectunt ad saltus & lasciuas gesticulationes: ingerunt sese conuiuijs magnatum, atque etiam episcoporum. Vbi iam grandior est facta prostituunt. Itaq; unius miseræ uirgunculæ pernicies alit tres

ualentes

ualentes iuuenes cum muliere quæ se prædicat esse matrẽ. Et talibus gãneonibus datur unus aut alter aureus pro re bene gesta. Si qua cura morũ esset magistratibus, hic deberet adesse: Rogaret illos errones, unde puellam sint nacti: comperirent forte plagio sublatam ex ędibus boni uiri: Deinde, quum ualeant corpore, quur hoc turpe genus ociį sibi delegerint. Vt commodissime respondeant, saltem hoc honoris promerẽtur, ut publice cæsi uirgis pellantur è ciuitate. Suppetit quidem hoc loco copiosissima iurgandi materia: sed rixæ modus esto, quò tandem finiamus quod instituimus. Otium uero quum nulli non sit pestilens, tamen ætati lubricæ longe pestilentissimum est. Semper igitur prouidendũ est, ut aliquo negocio teneantur, uel lusu, si uidẽ, modo liberali. Periculosius est otiũ, si accesserit luxus & solitudo. Nec omnino uanũ est, quod habet Mimus celebris: Mulier quũ sola cogitat male cogitat. Nam paucæ sunt fœminæ, quæ ad masculum illud animi robur profecerunt, ut res egregias secum possint animo uersare, nec unquam minus solæ sint, quàm quum solę sunt. Certe pueris ac puellis inutilis est solitudo. Metuit adolescenti philosophus, quem quum uideret solum inambulantem & cogitabundum, rogauit quid ageret: Mecum, inquit ille, loquor. Tum philosophus, Vide ne cum improbo homine loquaris. Cæterum puella quæ uel precibus uel lectioni intenta est, nec otiosa est, nec sola. Si precatur, cum deo loquitur. Si legit sacros libros, audit deum sibi loquentem. Sed præceptionum nullus est finis, de quibus multa tradidere ueteres, multa recentiores. Ad compendium res conferetur, si parentes norint quid debeant præcipere, liberiq; parentibus obtemperent. Aetas enim illa nõdum patitur, ut in primum ordinem referri possint, in quo sunt qui & per se sapiunt, & obtemperant recta cõsulenti. Huic contraria genus prorsum est inutile, uidelicet eorum qui nec domi habent consilium, nec alienis consilijs duci possunt. Satis est si fuerint in medio genere, nimirum eorum, qui per se quidem nondum perspiciunt quid sit optimum factu, tamen libenter obtemperant bene monentibus. Proinde Paulus Apostolus nihil aliud præscribit filijs, cũ obedientiam: Filij, inquit, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est domino. Quod dixit per omnia, nõ complectitur impia iussa: sed per hyperbolen indicat summam obediẽtiam. Sunt aliquoties morosi parentes, qui præcipiunt quæ nihil ad rem pertinẽt: cædũt ubi nihil admissum est. In his obedient per omnia filij, donec uentum fuerit ad impietatem. Ibi pietas debita parentibus cedere debet meliori pietati quæ debetur deo. Respõsantibus & parentum iniquitatem allegantibus, compendio respondet Apostolus: Hoc enim placitum est domino. Sit hoc unum satis aduersus omnes respõsationes: Sic placitum est domino. Par est obediendi ratio seruis ac liberis. Optimum fuerit si utriq; suo fungantur officio: sin qui præditus est auctoritate uergit ad tyrannidem, præstat ut inferiores obsecundent maioribus. Nihil enim seditione pernicioſius. Fortasse non meretur pater temulentus ac stupidus obsequium filij, sed ita placitum est domino. Domino præstas istud obsequij, & ille reponet obedientiæ præmium. Idem præcipit scribens Ephesijs: Filij obedite parentibus uestris in domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in repromissione: ut bene sit tibi, ut sis longæuus super terram.

Quur obedientiæ præcepto subiecit in domino? In domino, id est amore domini, qui referet gratiam, & in his quæ non aduersantur pietati, quam docuit dominus. Prima tabula continet ea quę pertinent ad deum: secunda, quæ ad homines. Quoniam aũt secundum deum primus honos debetur parentibus, unde sumpsimus uitæ primordia, iure primum appellat præceptum, quod in suo genere cæteris antefertur. Adiecit aũt, in promissione. Siquidem huic uni præcepto adiectum est præmiũ etiam temporale, quo forent ad parendũ alacriores: quandoquidem ætas illa non perinde mouetur spiritualibus. Sic em̃ legis Exodi uigesimo: Vt sit lõgęuus super terrã, quã deus dominus tuus dabit tibi. Non semper longæui sunt super terrã, qui morigeri fuerunt parentibus, propterea quod interdum felicius est celerius hinc emigrare. Certe non fallet immortalitas promissa in terra uiuentium. Longum enim dici non potest, quod aliquando finem habiturum est. Mouere poterit aliquem, quid sequutus Ambrosius, hæc uerba promissionis. Vt bene sit tibi, & sis longæuus super terrã, referat non ad filios, sed ad parentes. Verba ipsius sic habent: Promissio hæc in Exodo continetur, ut honorifici sint parentes, & bene essent, & prouectioris fierent ętatis. Illud sentit opinor: Qualem te præbueris erga parẽtes, tales erũt in te

filij

filij tui. Sunt enim filij, qui suis moribus excruciant animos parentum suorum: interdum & ante diem cogunt è uita decedere: quod sane parricidij genus est. Rursus filij morigeri floridam ac longæuam reddunt parentum senectam. Nulla enim in re suauius acquiescit progenitorum senectus, quàm in liberis bene moratis. Sic enim ait beatus ille senior, plurimorum filiorum pater: Abundantius gaudium non habeo, quàm ut uideã filios meos in ueritate ambulare. Quod igitur officij præstiteris parẽtibus tuis, à liberis tuis uicissim expecta. Summam quidem autoritatem tribuit parentibus: sed hanc refrenat apostolus, iubens ut autoritas careat sæuitia: Et uos, inquit, patres nolite ad iracundiam prouocare filios uestros: sed educate illos in disciplina & correptione domini. Quidam sic reprehendunt uitia, quasi nolint homines correctos, sed exanimatos, & peiores etiam q̃ sunt. At qui paterna correptio sic admoueri debet, quemadmodum medicus ęgroto pharmacum adhibet. Porrigit catapotia subamara, sed interim consolatur spe sanitatis. Quod Latinus uertit educate, Græce dixit Paulus ἐκτρέφετε. Sunt enim patres, qui nihil indulgẽtes ætati, uolunt ilico filios suos nasci senes. At fouenda est imbecillis ætas, ut paulatim subolescat: hoc enim sonat ἐκτρέφειν. In disciplina, ἐν παιδείᾳ, quę proprie est institutio pueritię. παιδεύειν enim Græce à puero deductum est, quod ætas illa sit ad eruditionem com posi tissima. Vnde & indocti dicuntur ἀπαίδευτοι, quod fere quibus ætas puerilis per otium ac lusum effluxit, non perueniant ad ueram eruditionem. παιδεύειν non tam est docere, quod Græci dicunt διδάσκειν, quàm cum castigatione docere: ne dum proficiunt in litteris, degenerent in moribus. Cæterum quod addit νουθεσίᾳ, hoc est admonitione siue correptione domini, sciscitabitur aliquis: Quæ tandem est domini correptio? Paulus Hebræis scribens expedit: Quem diligit dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Talis sit ergo patris correptio, charitate temperata, & ex charitate profecta. Apparet hic Paulum de filijs natu grandioribus loqui. Vnde id potest conijci? Primũ quod totam autoritatem hic defert patribus, matrum non meminit: Deinde quod omnem parentũ castigationẽ circunscribit correptionis cancellis: de cædendo nulla mentio, quum Solomon dicat: Qui parcit uirgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Est igitur ætas cui uirgæ sunt utiles: est, cui pro uirgis sufficit obiurgatio. Phryx, ut aiunt, plagis emendatur. At ingenuus, quem nec metus dei, nec parentum reuerẽtia, nec pudor, nec conscientia mouet, ne uerberibus quidem fiet melior. Illud autem cauendum patribus, ne commoti uel cædant uel obiurgent. Mulier aũt, quoniam impotentius commouetur, temperabit à uerberibus, præsertim sexus masculini: marito potius hoc nego tium deleget. Similiter & Colossensibus scribens Apostolus, patrum autoritatem mitigat: Patres, inquit, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros, ne pusillo animo fiant. Quod Latinus uertit, ne pusillo fiant animo, significãtius dixit Paulus, μὴ ἀθυμῶσι, id est, ne despondeant animum, siue ne dejciant animum. Sunt enim patres quidam in obiurgando supra modum sæui, nec ullum faciunt obtundendi finem, donec uictus huiusmodi conuicijs adolescens clàm aliquò subducat sese, uel in militiã, uel in monasterium, uel in aliud aliquod præcipitium, suo malo parentis sæuitiam ulciscens. Patris imperiũ cum persuasione coniunctum esse debet. Adolescentes autem plerunq̃ delinquunt, uel insciitia uel incogitantia. Insciitiæ medetur παιδεία, incogitantiæ νουθεσίᾳ, cui repugnat ἀθυμία. Eruditio rationibus & exemplis propositis, demonstrat quid expetendum, quid fugiendũ: causasq̃ reddit, quare sic expediat ei qui formatur. Νουθεσία uox inde dicta est, quod reuocat in animum, quod per incogitãtiam exciderat, ac mentem quæ iam elapsa fuerat, reponit. Nihil proficiebat Demea uociferãs: O cœlum, ó terra, ó maria Neptuni. Quanto dexterius lenis ille pater, ubi ruborem & lacrimas excussisset adolescenti, adhibet paternam obiurgationem: In qua ciuitate tandem te arbitrare uiuere? uirginẽ uiciasti, quam tibi ius non erat tangere. Nolim cæterarum rerum te socordem eodem modo. Hac leni 1. Reg. 2. tate traxit adolescentis animum ad quoduis obsequium. Est tamen uiciosa quædam lenitas ac facilitas praua, cuius exemplum habes Heli sacerdotem, uirum pium, sed qui filios haberet insigniter impios, quos nihil mouebat senilis admonitio: Quia dominus, inquit, decreuerat occidere illos. In humanis erratis dandum est aliquid humanę fragilitati, cæterum ubi profecit eò malicia, ut nec à diuis nec ab hominibus abstineant iniuriã, qui peccat si corrigi non potest, tollendus è medio est, ne plus noceat. Brutũ qui filios securi per

cussit,quod Tarquinij dominationẽ expulsam reducerent,mirantur plericq;,laudant pau
ci.In pueris pluribus de causis maior celeriorq; docilitas est. Primum quod uacuũ habẽt
pectus,ueluti tabula complanata,in qua possis quod uelis exarare.Deinde quoniam mi
rantur omnia,tenacissime retinent quod impressum est.Postremo adest etiam infantibus
imitandi dexteritas,prima ingenij significatio.Occupãda est igitur ætas tenerior,priusq;
amoribus alijsq; cupiditatibus inficiatur,& utendum illius dotibus, quas in hoc addidit
deus,quo facilius ad uirtutem fingeretur.Quoniam autem semper tenẽt,quod primum
fuerit infusum,instillanda sunt optima.De præcipuis igitur uirtutib.colligendæ sunt pau
cæ,sed exquisitæ sententiæ.Eas potissimũ è sacris uoluminibus oportet decerpere,quan
quam & in ethnicorũ libris permulta sunt,homine Christiano non indigna.Rursus quo
niam facile quod uident imitantur,prouidendum est ne quid uideant quod imitari turpe
sit. Vbi iam uentum erit ad illud non Pythagoræ biuium, nam ab ipsa statim infantia uia
uirtutis amplectenda est, sed ad compitum, in quo de deligendo uitæ genere delibera
tur,cauendum est ne parentes filios filiásue suas ad aliquod uitæ genus,ad quod propen
si non sunt,compellant:præsertim si tale sit,ut semel ingresso non sit reditus,quale est ini
tiatorum sacris ac monachorum.Hic uarie peccatur à parẽtibus. Quidam onerati nume
rosa sobole,destinãt aliquot sacerdotũ & monachorũ instituto, quoq; facilius illaqueent
eos,curant ut adhuc impuberes initientur sacris,aut in monasteriũ abdãtur.Hypodiaco
nus resilire non potest:uinctus ille est, & sæpe non cogitat se esse uinctum, qui tenetur.
Quod si metuunt ne ætas adferens iudicium,mutet illorum sententiã,procurant à Rom.
pontifice bullam,ut liceat ante tempus initiari sacerdotio.Hi sic cogitant:Si facultates di
uidantur inter tam multos,peribit decus nostræ familiæ:nunc filius fortassis fiet Præposi
tus aut Abbas,tum nos cum illo bibemus,nobis non erit grauis. Alij non tam utilitatem
sequuntur,q̃ tutum.Considerantes enim effrenem uitam adolescentis,metuunt ne tur
piter occidatur,aut nequando pœnas det legibus. Ab hoc metu liberãt illos rasura & cu
culla.Alij religionis titulum prætexunt: Volo,inquiunt,ex liberis meis aliquot esse dica
tos deo,ut sint qui orent pro me uita defuncto.Itáne cæteri dedicati sunt diabolo,aut soli
sacerdotes ac monachi possunt orare? Tolerabilius hoc quoq;,si persuaderent, nunc co
guntur,negant se æquo animo morituros nisi impetrent quod imperant. Illud consultius,
ut si uiderint filium aut filiã propensam ad simile institutũ, non statim parentes applau
dant,sed explorent unde conceperint eum affectũ,ex sese,an ex instinctu alieno.Si sense
rint esse Pharisæos, qui sui cõmodi gratia uenantur proselytum, edicant illis ut abstineãt
ab alienis liberis.Sin ex sese conceperunt eũ affectũ, primũ obseruent an reliqua illorum
uita uoto respondeat.Si cõpererint mores undiq; luxu,uoluptatibusq; corruptos,sciant
eum affectum ex deo non proficisci. Hic quidam conniuent etiam ad filiorũ nequitiam,
dicentes:Expleat se semel,quo postea magis oderit uoluptates.O stultas uoces,sit homo
pessimus ut subito fiat optimus.Quod si uita respondet proposito,ne tamen ilico mos ge
ratur illorũ animo,sed,quemadmodum ad certamẽ Olympicũ iuueníli calore properan
tibus ponuntur ob oculos,q̃ multa sint tum facienda tum ferenda,qui uelint uincere:ita
conueniet his occinere difficultates & incõmoda eius uitæ, ac ueri sacerdotis uericq; mo
nachi proponenda imago. Deinde corporis & animi habitus conferendus est cũ eo uitæ
genere quod ambiunt.Quod si filius ad singula sobrie saneq; responderit,diuq; in eo per
stiterit affectu,bona spes est illũ bono duci spiritu,nec parentes perpetuo debent reluctari,
ne forte pugnent cum deo.Nunc complures sunt,tum uiri tum fœminæ,qui simulat
que per ætatem intellexerint se parentũ artibus ac uiolentia detrusos in uitæ genus, ad
quod non erant natura cõpositi,Diris deuouẽt illos,tantũ abest ut pro eis orent. Sic edu
candi sunt liberi,ut siue flectant animũ ad sacros ordines,siue ad statũ cõiugalem,puri ad
pura ueniant.Si iuuenis non amore religionis,sed ut licentius scortetur:abhorret à matri
monio,persuasione inducendus est,ut consulat animæ:sin uel natura uel certo iudicio ab
horret,non est repugnandum.Idem sentiendum de genere studiorum, deq; cæteris uitæ
institutis,quæ sunt innumerabilia.Felicius enim fere succedit, ad quod natura composi
tus es. Video circulum huius disputationis ad caput esse reuolutum.Ab ea cœpimus æta
te,quæ paratur fingiturq; matrimonio,& eodẽ deduxit nos disputationis periodus.Ha
ctenus igitur huis uoluminis modus esto.

FINIS.

VIDVA CHRISTIANA PER DES-

ERASMVM ROTERODAMVM, AD INCLYTAM quondam Pannoniæ Boœmiæq; reginã Mariam, Caroli Cæsaris, & Ferdinandi regis sororem.



INTER innumeras calamitatũ species Maria singulare principum fœminarũ decus, quibus undiq; cingitur uallaturq; uita mortalium, haud aliud esse malum uel grauius, uel perniciosius semper iudicaui, quàm bellum, hoc etiam nomine detestabilius, quòd ferè homini ab homine nascitur. Nam terræmotus, exundationes maris ac fluminum, fulgura, pestilentiæ, cæteriq; casus huiusmodi, quamlibet horrendi, calamitosos reddere possunt, impios facere non possunt: Deinde ut fatis imputari possunt, ita habent commune necessitatis, cui ne superi quidem repugnare dicuntur, solatium: ut autem lenit ægrimoniam rigida fatorum necessitas, cui mortales omnes ex æquo sunt obnoxij, ita grauius uulnerant animos, quæ nostra nobis culpa accidunt. Hæc igitur ut afflictos faciant eos, in quos irruerunt, infelices certe non faciunt. Nullus enim iure potest infelix dici, nisi qui suo uitio miser est. Cæterum quum funestum ac lugubre bellum, ingens malorum omnium agmen secum trahat, uix aliud habet atrocius crudeliúsue, quàm quod subito coniunctissimos affectus distrahit. Est enim aliquid omnino morte crudelius, quanquã huic inter ea quæ mentes hominum terrificant, primum locum tribuunt magni nominis philosophi, atq; hinc Mars uelut à nocẽtissima sui parte Græcis poetis dictus est βροτολοιγὸς, quod homines perimat. Quis enim hoc negat esse crudelissimum, quod homo trucidat hominem? Sed habet insuper hoc peculiare malum belli conditio, quod nullos frequentius tollat, q; optimos, uitaq; dignissimos: nullis frequentius parcat, quàm quos nihil referebat incolumes esse, imò quos in rem omnium erat interisse, ut iam falsum uideri possit, quod prisci Martem communem esse dixerunt, quum innocẽtissimo cuiq; sit infensissimus. An non miserandum est, quum subito perit iuuenis, ætate, forma, uiribus, ingenio, animi magnitudine, stemmatis, opibus, ac dignitate florens? Talis nimirum mors lachrymas excutere solet, etiam alienissimis, nonnunquam & hostibus. Tolerabilior casus foret, si simplex esset interitus. Sed hic unius hominis mors, quàm multos exanimat, quot parit funera, quot mortes gignit, hoc etiam acerbiores, quòd lentæ sunt. Nam illa quæ in prælijs accidit, hoc habet solatij, quòd subita uenit, quod cito cruciatu liberat: At dum parenti bus orbitatem, liberis solitudinem, coniugibus uiduitatem, fratribus luctum, amicis mœrorem, patriæ desiderium adfert, quid? an non una multos lenta morte discruciat? Quæ quidem hoc etiam est acerbior, quo charitatis nexus fuerit astrictior, quo sanctior iucundiorq; societas. Inter omnia porrò animorum uincula nullus affectus cõferri potest cum eo, qui maritum & uxorem legitimo castoq; fœdere copulat, uincitq; prorsus Herculano, ut prisci solebant loqui, nodo. Huic cedit & liberorum in parentes, & parentum in liberos pietas, qua secundum eam quam deo debemus, nihil habetur sanctius. Neq; uero necessitudinem hanc, naturæ tantum affectus, aut animi inductio tam arcto nexu commisit, sed summus etiam naturæ conditor ita præscripsit, ut homo relictis parentibus, si res ita tulerit, adhæreat uxori suæ. In cæteris enim necessitudinibus beneuolentia mutua sociantur animi, hic iuxta diuinæ uocis oraculum, duo conflantur in unum, non aliter quàm ex animo & corpore unus homo constituitur. Quid autem quum ad hanc animorum propensionem, qua natura rerum æternitati consulens, marem fœminæ, fœminam mari conciliauit, ad fœdus, quo una uni dicatur insolubili copula, accesserit matrimonij religio? Quid quum peculiaris quædam morum & ingeniorum cognatio, cum fortunarum æqualitas, cum intima familiaritas, quæ facit ut commori dulcius sit quàm superesse? Si parum humanus est, qui uetat matrem in filij funere lugere, quanto inhumanius sit non permittere lachrymas uxori maritum efferenti? Sentis opinor Maria clarissima, quorsum hæc spectent. Hinc nimirum non difficile coniiciet aliquis, quàm atrox uulnus animo tuo fortuna inflixerit, quum tibi Lodouicum maritum eriperet, & talem

maritum, iuuenem animo præclaro, uereq; generoso, nihil non eximium de se pollicentem, duobus opulentis regnis florentem, ab auis, proauis, abauisq; regibus longa serie genus ducentem, sed non alia re uel florentiorem, uel generosiorem, quàm animi dotibus summo principe dignis. Adde huc & cito raptum, & sic raptum. Pauculis annis tibi datum est illo frui, & subito iuuenem immortalitate dignum, sæua belli procella abripuit. Atqui æquiore animo dimittuntur ea, quorum usus fructus iusto tẽporis spatio nobis permissus est, nimirum temperat erepti desiderium, partim diutinæ consuetudinis memoria, partim pudor est, qui si minus tantum ualet, ut omni dolore uacemus, certe illud præstat, ut moderatius doleamus. Fortasse iure queratur aliquis de eo, qui creditum ante diem reposcat, at ubi nullus est præscriptus dies, & creditori ius est, quocunq; uelit die debitorem appellare: qua fronte quisquam queratur de creditore, cuius lenitas longi temporis usuram indulsit? Mutuum est, commodaticium est, quicquid habemus in hoc mundo. Quid attinet alia commemorare, hoc ipsum corpus quod circumferimus, hęc anima qua spiramus, commodaticia est, hac lege data, ut quocunq; momẽto reposcat qui dedit, sit æquo reddenda animo. Post diutinum rei commodaticiæ usum queri summa ingratitudo est: de mox repetita, si minus iusta, certe probabilior est querela. Tibi intra tam breue spacium, uxorem & uiduam, reginam & priuatam esse contigit, quasi fortuna ludibrij causa tantum in hoc dedisset tantæ felicitatis gustum, ut maiore cruciatu posset, quod dederat, eripere. Adde his, quòd est aliquod humanis affectibus in calamitate solacium, assedisse morituro, excepisse uoces ultimas, dedisse nouissimũ osculum, dixisse uale æternum, clausisse morientis oculos, præstitisse supremum funeris officium. Fit enim his rebus, ut & qui moritur, æquiore demigret animo, & qui deseritur doleat moderatius. Atqui hoc quoq; quicquid est lenimenti, tibi Mauortius furor inuidit. Restabat ultimum doloris leuamen, si quis paruulus aula luderet Aeneas, in quo tibi quodammodo & coniunx & regnum maneret incolume. Cõiugem uideres in filio, regnum tenereS cum filio. Et hoc solatij genus Maria tibi fatorum iniquitas inuidit. Optabilius erat animo tuo cum charissimo sponso perire, quàm extincto superesse. Et audio minimum abfuisse, quin te quoq; aut mors aut morte durior captiuitas abriperet. Tanta malorum procella, quẽ nõ uirtũ deijceret? At hæc tempestas tam sæua, tam impia, tam atrox in te puellam incubuit. Philippi patris præmatura mors, mox paterni maternicq; aui te paruulã ad huc pullatã reddidit. Nuper fleuisti Isabelã sororẽ, pro regina exulẽ, mox pro uiua mortuam. Vidisti sororẽ alteram pro regina uiduam. Hic opinor mihi dicet aliquis, quorsum ista pertinet oratio? An ut afflictæ lachrymas, quas abstergere debueras, prouoces, luctumq; renoues, quẽ fortasse iam uel ratio sopiuit uel tempus aliqua ex parte mitigauit? Consolatoris est, uel extenuare quod accidit mali, uel ab huius cogitatione lugentẽ auocare, uel philosophiæ præceptis animo robur addere: Tu malorũ scenã sic ponis ob oculos, ut alienos etiã ad fletũ possis excitare. Triste cõsolandi genus est malorũ aceruo mederi dolori, quanq; & hoc interdũ immodice dolentibus remedio fuit, quẽadmodũ sunt his quoq; rigidiores, qui iurgijs exigunt animi molestiã, quasi sectiones & usturas adcurationẽ adhibentes. Verũ hoc colore non excusabo quod facio. Merito illa mihi dicerentur Maria clarissima, si consolatoris personã suscepissem: Nunc longe aliud est propositum. Non enim hoc ago, ut tuo pectori mœrorem eximam, ut lachrymas abstergeam, ut gemitus reprimam, sed ut in aliarum uiduarũ consolationem, puellam inclytam, fortitudinis exemplar proferam. Fuit ista tibi procella cũ multis nobilibus fœminis cõmunis, quanq; nulli plus adimere potuit q; tibi, qua non erat ulla felicior. Quàm multas habet Pannonia, atq; adeo ipsa Ferdinandi regis aula, quibus illa funesta clades uel uiduitatem uel orbitatem, uel utrunq; conciliauit? Sed nullam omniũ arbitror esse, quæ suam calamitatem, simili ac tu tuã, pectoris robore perferat. Quæ uero tam muliebri est animo, quam non pudeat impotentius discruciari, miserandis lamentationibus indecoras uoces emittere, modo te conspiciat puellam, sic natam, sic educatã, atrocissimã sortẽ forti infractoq; animo perpeti? Non quod sensu mali careas, sed quod humanos affectus Christiana pietate superes. In te uelut è specula signum deus extulit, saluti futurũ omnibus doloris naufragio periclitantibus. Hoc exemplum quo magis in ædito est, hoc magis omnium oculos feriet. Magis in ædito locari uix potuit, lucem undiq; circũfundit tam numerosa pro-

genitorum

genitorum tuorum series, in qua nihil reperies præter summos orbis monarchas. Eos ne longius repetam, patrem habes Philippum, quo nō alius princeps fuit orbi gratiosior: auum paternum Maximilianum Cæsarem: maternum Ferdinandum regem catholicum, quorum uterq; nō minus animi dotibus rebusq; prudēter simul ac fortiter gestis q̄ ditione floruerunt: proauū paternum Fridericū Cæsarē, maternum Hungariæ regē: amitam Margaritā imperio dignā fœminā. Materterā Catharinā Angliæ reginā, mulierē ea doctrina, pietate, prudentia, cōstantia, ut in ea nihil muliebre, nihil nō masculum deprehendas, præter sexū ac formā. Hæc te præcedit pompa. A latere sunt duo germani, Carolus Cæsar, cuius tanta potentia est, ut multorū inuidiā cōtrahat, tanta benignitas, ut nullius mereatur: ad cuius benignitatē nō uideo quid possit adiungi, si tanto rerū splendori, tranquillitas orbis cōtigisset. Tum Ferdinandus præter tot egregios titulos, Hungariæ Boemiæq; rex, iuuenis tā magnis, tā multis excellens uirtutibus, ut inter illius decora minima portio sit, stemmatū claritas, aut ditionis magnitudo. Adde germanas tres, Isabelā, Leonorā, & Catharinā, omnes inclytis regibus aut nuptas aut nupturas. Nequid interim uaticiner de fratrum ac sororum liberis, quos iā aliquot in amplissimas spes natos gratulamur. De præteritis tutò gloriari licet, de præsentibus nō est tuta gloriatio, propter Nemesin quæ subito nonnunq̄ iactatā prosperitatē uertit in calamitatē, multo uero minus de futuris, quorū euentus nobis incertus est: certe bene precari licet, ut deus hūc generis uestri splendorē, orbi Christiano prosperū ac faustū uelit esse. Atq; ut nulla sit Nemesis, nō satis tuto iudicarē hæc apud te prædicari, nisi ex his qui te propius norunt didicissem ingenij tui singularē modestiā, ac pietatē, quæ te abūde docuit beatitudinē nequa q̄ in hisce rebus ponere, quas uidemus interdū & improbis obtingere, & quēadmodum sæpenumero obtingunt indignis, ita repente dignis eripit casus aliquis. Postremo eius esse generis, ut aliquando felicius sit his spoliari, q̄ ornari, plusq; laudis habeat ea contempsisse, q̄ habuisse. Animi bona perpetua propriaq; sunt, solaq; beatū reddunt si adsint, miserum, si absint. Hac philosophia quū scirē et imbutū & confirmatū pectus tuū, ausus sum de generis tui fortunæq; splendore nonnulla cōmemorare, quæ tamē ipsa paucis in hoc tantum attigi, ut ostenderē exemplum Christianæ tolerantiæ, numinis prouidētia, quo latius pateret, in ædito sublatū esse mortalib. ut unius puellæ magisterio mulieres uniuersæ, præcipue nobiles, hoc fere molliores, quo fortunā habēt indulgentiorē, discāt in secūdis rebus temperantiā, & in aduersis æquanimitatē. Id assequentur si prospexerint, quibus præsidijs armatus iste tuus animus tantis fortunæ tumultibus non cesserit. Verū illud interim mihi à tua modestia precibus impetrandum est, ut mihi liceat egregias tuas dotes, aut ut dicam Christianius, Optimi Maximi numinis in te benignitatē, omniū oculis subijcere, quod si meis precibus non dandū putas, certe patientiā istā abs te extorquebit, Christiana pietas & charitas, quæ nihil refugit, uel pati uel facere, modo q̄ plurimis liceat prodesse. Id autē tametsi iustum & æquū arbitror, tamen uix ausim mihi polliceri futurū ut permittas quod opto, nec aliud in te magis suspiciēdum arbitror, q̄ quod laudū tuarum q̄ calamitatum es impatientior, si tamen calamitas uocari debet, quicquid homini citra bonæ mentis iacturam accidit. Quid igitur faciam? Vt faciā, inuitat publica utilitas, ne faciam, deterret tua singularis modestia. Sequar temperamētum. Sic indulgebo tuæ modestiæ, ut tamen ad uniuersum fœmineū ordinē aliqua per te ueniat utilitas. Non onerabo Maria pudorem tuum, sic proponā exemplum, ut nullius uiuentis personā adducam in mediū, imago uelut in tabula subijcietur oculis, ut cuiuis liberū sit conferre, quū uolet. Qui faciē hominis coloribus expressam attente contēplatus est, protinus agnoscit cuius sit, si tamen hūc ipsum propius est intuitus: sic qui ex interiore cōuictu mentis tuæ simulachrū perspexit, agnoscet haud quaq̄ mendacē imaginem, nisi quod plus uidemus in homine uiuo, q̄ in picta tabula. Paucis igitur ostendā quibus rebus nobilem fœminā oporteat esse instructam, Primū aduersus aulæ delicias, deinde aduersus uiduitatē aut orbitatem, similesq; casus, qui multos sic animo consternare solent, ut aut dolore contabescant, aut sibi fatum consciscant. Nec mirum, si id accidat fœminis, quum ea res in uiris propemodum laudem publicā tulerit, magno quidē cōsensu, sed maximo errore, scriptorum. Quur enim hoc laudibus uehendum existimemus, quod impium est ac dei iussis repugnans? Sibi manus adferre, aut immanitas est, aut demētia, aut infirmitas. Iam ut fortissi-

mum sit spõtanea morte finire dolorem, certe fortius est, quicquid erit malorum fortiter perpetiendo uincere. Atq; aduersus fortunæ quidem sæuiciam, multi scriptis suis mortalium animos armare conati sunt, uerum haud scio, an acrior sit lucta aduersus fortunam blandientem quàm tonantem. Certe multos nouimus, quos aduersus tristissimos casus inuictos, rerum successus prostrauit. Hic fortassis expectas inclyta Maria, ut primum arma tibi porrigam aduersus fortunæ blandientis insidias, mox alia, aduersus sæuientis minas. Non faciam, ijsdem armis aduersus utrunq; licet esse tutos. Nauclerus alijs uelis utitur tranquillo mari, alijs quum urget tempestas. Dux alijs armis instruitur aduersus Parthos, alijs aduersus Gallos, aut Germanos. Hic quoniam res animo geritur, quisquis probe munitus est, ad omnem fortunæ uarietatem æque tutus est. Quanquã ne gubernator quidem bonus est, qui nõ nouit nisi secundis uentis & æstu nauem moderari. Nec bonus dux, cuius animus non ad omnia præparatus est, quæ solent in bellis accidere. Frequenter alijs atq; alijs pro re nata consilijs utitur, sed ars eadem est, & pugnanti & fugienti. Sic uirtutis habitus ille, qui solus reddit hominẽ uere beatum aut miserum, uarijs modis exerit sese pro rerum differentijs, at ipse tamen semper sui similis est, semper idem est. Quemadmodum Polycletus aliter atq; aliter operatur in ligno, marmore, gypso aut cera, quum ars sit eadem: sic animus uirtutis habitu instructus, quamcunq; materiam deus obiecerit, suo fungitur officio. Et in difficilibus quidem rebus magis elucet uirtus, quum in prosperis aliquoties admirabilior sit, si propius contempleris. Non hic repetam quæ stoici magno quidem ingenio uerbisq; magnificis de sapientis animo disputant, in quem unum nihil potest fortuna, quem dijs æquant, interdum & anteponunt. Quid enim aliud illi, q̃ somnium quoddam & umbram uerę uirtutis cernere potuerunt, qui deum uerum autorem non nouerant, qui de animorum immortalitate dubitabant, corporum resurrectionem ne per somnium quidem intellexerant, qui nec fontẽ nec finem sapientiæ deprehenderant. Si quæras ab illis quid est deus, respondent qui minime desipiunt, anima mundi, aut totum hoc quod uides & non uides. Si de numero deorum quæras, ambigunt, quum utiq; quod incomparabiliter summum est, non nisi unicum esse possit. Quum autẽ quicquid est homini boni, à deo uero proficiscatur, ab eodem seruetur, augeatur & consummetur, illi uirtutis habitum, quo metiuntur hominis felicitatẽ, humanis uiribus tribuunt, in tantum ut putent sapientem illum suũ ipsis etiam superis medium unguẽ posse ostendere, nec aliud tamen illi benefactorũ præmium pollicentur, quàm magnificum illud sapientis nomen, quo nihil alienius esse potest à modestia Christiana. Valeat igitur illa luscioſa pariter ac supercilioſa sapiẽtia, quæ tamen multas habet sententias, multaq; exempla, quæ Christianis suam exprobrent oscitantiam. Siquidem illi quum nec dei ueri certam cognitionem haberent, nec cœlestis regni spe ducerentur, nec agerentur spiritu dei, tamen humanæ mentis uiribus tam anxie de uirtute cogitarunt, tam multa subtilissime peruestigarunt, tot exempla perfectæ uirtutis, aut si mauis simulachra, factis prodiderũt, Contra bona Christianorũ pars sic uiuit, ut de uera hominis felicitate, ne leuiter quidem unquam cogitasse uideatur, quum ad huius cognitionem non sit opus operosa dialectica, nec multorum annorum studio, sed Christus certissimus autor, sic in compendium redactam philosophiam cœlestem nobis explanauerit, ut nulla ætas, nullus sexus, nullum ingenium hominis non huius docile sit, modo mentem adferat, mitem, obsequentem ac tractabilem. Atq; hoc ipsum deus præstat homini per quod docilis redditur, modo ne se subducat benignitati numinis. Proinde nequaquã audiendi sunt, qui ab hac philosophia submouent Principes, aliosq; rempublicam administrantes, submouent fœminas, præsertim in regum aulis uersantes, submouent ætatem adhuc uirentem, quum nulla sit ætas docilior, quàm ea quæ nondum uitiorum assuetudine, aduersus bene monentem obduruit. Istos uero qui negant Euangelicam doctrinam utilem ad gerendum principatũ, aut remp. administrandam, olim confutauit d. Augustinus, nos quoq; nõnihil attulimus, in Panegyrico, quem olim patri tuo Philippo, Rursus in Christiano principe, quem Carolo fratri, etiamnum adolescenti, & recens principatui inaugurato, tradidimus: adeo uero non est inutilis, ut ad bellum quoq; gerendũ, rem omniũ truculentissimã cõducat. Siquidem imbutus philosophia Christiana princeps, omnia tẽtabit ne ad bellũ ueniatur, deinde si uitari nõ poterit, quãta poterit humani sanguinis parsimonia geret. Curabit ut militi

quàm

quàm minimũ liceat, ad innoxios q̃ minimũ calamitatis redeat, denicq; dabit operã ne la-
tius serpat, ne in longũ tẽpus proferatur. Nemo diu belligeratur, qui belligeratur inuitus.
Nihil enim moror istas uoces, odi bellũ, sed iniurijs adigor, opto pacẽ, si detur æqua & ho
norifica. Simili modo tergiuersant̃ & latrones. Nulli deest causatio, qua culpã suã eleuet.
Nunc̃q; inter illos pax est, inter quos de summo iure cõtenditur. In pace uerò summa reli-
gione curabit, ut uiros integros et incorruptos admoueat ad publicas functiões. Breuiter
utroq; tẽpore sic administrabit ditionẽ, ut meminerit se post pauculos dies, Christo mo-
narcharũ monarchę, cuius potestas ineuitabilis est, de singulis redditurũ esse rationẽ. Tã
tũ abest ut Euãgelica doctrina officiat remp. tractãtibus, quę cũctis quidẽ ad recte uiuen
dum, sed nõ alijs magis q̃ principibus est necessaria. Iam quod ad sexũ & ætatẽ attinet: si
Christus pueros amãter cõplexus est: si Ecclesia pueros septẽnes catechismo iudicat ha-
biles, & ætati tam teneræ credit Euangelicæ philosophiæ mysteria, & quod tradidit exi-
git, quis hominũ audebit illos submouere? Idẽ si fœminas in priuatũ etiam colloquiũ ad-
misit, si in intimã familiaritatẽ recepit, ueluti Samaritanã & Mariã Magdalenã: Si idem
fecerunt Apostoli, quorũ Ioannes Euangelista quandã epistola dignatus est, dominã ap-
pellans, Si D. Hieronymus, Ambrosius & Augustinus, alijq; celebres Ecclesiæ doctores
non epistolis modo, sed iustis uoluminibus agũt cum uirginibus, uiduis, & cõiugatis, &
agunt nõ de rebus friuolis, sed de diuinarũ literarum enarratiõe, quur quisq; eum sexum
diuinæ sapientiæ iudicet indocilem? Iam si spectemus exempla, pudet dicere, sed tamen
res dilucidior est, q̃ ut inficiari liceat, plura propemodũ religionis ac pietatis exẽpla sup-
peditat fœminarũ ordo, quàm uirorum, si modo pietas est, puritate corporis & animi, ui
tam angelorũ æmulari, abdicatis mundi pompis & opibus in solo deo spem, solatium, ac
uoluptatem omnem reponere, pauperibus & ægrotis pecunia pariter & officijs opitu-
lari, in sanctis precibus, ieiunijs, ac diuinorum uoluminum meditatione indefesso studio
uersari. Probe faciunt qui plebeios monent, ut cum religione ac tremore uersentur in sa-
cris uoluminibus nec temere suo iudicio fidãt. Verũ qui simpliciter libros diuinos excu-
tiunt è manibus laicorũ, quo spiritu ducantur nescio, certe decretũ illorum pugnat cum
exemplo Christi & apostolorũ: & à quo deterrent isti, ad hoc exhortantur Ecclesiæ pro-
batissimi doctores, summa laude dignũ existimantes, quod isti uelut impium execrantur.
Exibilandæ sunt aũt istorũ uoces, qui dum faceti uideri student, impios sese declarãt, ne-
gantes Euangelicã Apostolicamq; doctrinã ad primarias & aulicas fœminas pertinere.
Nonnarũ hoc esse, nõ principum. Omittamus istius nominis inuidiã, quod apud eã gen-
tem unde ad nos dimanauit, nihil aliud sonat q̃ sanctas, quã appellationẽ olim Christia-
nis omnibus fuisse cõmunem declarant Apostolorũ litteræ, declarãt & recentiorum scri-
pta, quingentis à Christo nato annis, quicunq; Christũ profiterentur citra discrimen san
ctos ac sanctas fuisse uocatos. quemadmodũ fratres ac sorores. Quod si Christianorum
omnium professio est, iuxta Christi doctrinã, & Apostolicas traditiones uiuere, quos pu
det instituti, pudeat & cognominis, Sin contumeliã non ferendã existimant, si quis ipsos
neget uocandos Christianos, quur indecorũ putant iuxta Christi doctrinã uiuere. Imò si
contumeliã non tolerandam ducunt à Christiani cognominis honore submoueri: facile
colligunt q̃ non sit honorificum, uitam agere cum Christiana professione pugnantẽ, Et
si sordidũ abiectumq; putant pie innocenterq; uiuere, magnificum ac regiũ existiment à
cõsortio cœlitũ exclusos, cũ satana tradi sempiternis ignibus. Nõ est Christus tetricus ac
supercilioſus, qualẽ illũ fingunt hypocritæ, nihil illo popularius, nec minus cõmunis est
omniũ q̃ huius mundi sol. Præclare uero de principib. ac principum aulis sentiunt, si pu-
tãt illic uerę religioni locũ nõ esse, si quod in rebus humanis optimũ est, optimatibus adi-
munt, atq; ibi iudicãt fœdũ esse parêre Christi legibus, unde reipub. leges proficiscuntur.
Qui fieri potest ut bene regant populum suis edictis, qui Christi iussa spernunt? Aut qua
fronte postulant, ut sibi ueluti principibus populus honorẽ exhibeat, si ipsi non agnoscũt
summum omnium principem Christum? Imò quemadmodum fortasse uere dictum est,
non statim bonum esse principem, qui bonus sit uir, ita extra omnem controuersiam est,
non posse bonũ esse principẽ, qui uir sit non bonus: & quemadmodũ Plato dixit, non ali
ter ciuitates fore felices, quàm si principes haberẽt philosophãtes, ita uerissimũ est remp.
nunquã esse florentiorẽ, quàm sub principe Christiano, qui in omnibus quæ gerit, deum

omnium cognitorem, iudicem, uindicem, ac remuneratorem habet præ oculis: qui si con
tingat, cuius domus erit castior & à uitijs purior q̃ huius aula? Hoc tantum interest inter
principem & hominẽ priuatum, quod ille plurium malo, pius aut impius est, Ad mores
principis, omnes libenter uitã attemperant, & qui sunt improbæ mentis, tamen hos à sce
leribus principis integritas deterret. Itaq; cuiusmodi sint aulæ, potissimũ à principum in
genio pẽdet. Hic opinor agnoscis tuam felicitatẽ Illustrissima Heroina, huiusq; nomine
deo opt. max. gratias agis, quod utrunq; fratrẽ habes ea morum sanctimonia, ut illorũ au
la nihil aliud sit q̃ religionis ac pietatis exemplar. Dicas utrunq; ad religionis decus & na
tum & educatũ, atq; ut liqueat penitus insitum supremi numinis amorem, nulla fortunæ
indulgentia potuit hactenus pietatis ardorẽ extinguere: neq; uero ad aulę sanctimoniam
leue momentum adfert, principis uxor. Generosus atq; ut ita loquar leoninus est regum
animus, nec à quouis tutò solet tractari: leones & Elephantes uiribus inuictos arte miti
gant & ad obsequium pertrahunt, quibus illorũ compertum est ingeniũ. Vxor uiri mol
les aditus & tẽpora nouit, nec raro blandis precibus impetrat quod non impetraret acies
armata. Summa potestas, citius exoratur q̃ persuadetur. Nam cogi omnino non patitur.
Paulus scripsit, interdũ per mulierẽ fidelem sanctificari maritũ infidelem: ita non raro fit,
ut regem ferociorẽ aut dissolutiorẽ, regina, partim sanctimonia morũ, partim cõmodis ac
tempestiuis hortatibus, ad sanctiora consilia pertrahat, itaq; si totam aulam purgare ne
quit, certe peccandi licentiam magna ex parte contrahat. Habes & hic exempla domesti
ca, mirandam uiraginem & à laudatis omnibus laudatam Elisabetam auiam maternam,
quæ singulari religionis amore flagrauit, nec suæ tantum aulæ, sed totius etiam Hispaniæ
mores ad pietatis disciplinam inclinare conata est. Tum Ioannam matrem tuam hac in
parte matri suæ simillimam. Nam de Britanniæ regina matertera tua iam ante memini
mus. Ab illorum igitur opinione, qui credunt amplam fortunã pugnare cum studio pie
tatis, tãtum absum, ut existimẽ illam nõ modo nihil officere, uerumetiam plurimũ adfer
re momenti. Quũ enim omnis Christiana pietas, tribus præcipue rebus constet, afflatu
numinis, doctrina et officijs pietatis, primũ nescit deus personarũ respectũ, sed ut dives est
supra omnes, ita benignus est in omnes, cuiuscunq; status, aut cõditionis sint, imò si quid
interest, benignius impartit sua dona ijs, quos fortunæ splendor, uelut in theatro omniũ
oculis exposuit. Quũ enim ita uisum sit diuinæ sapientiæ, ut plerunq; munera sua per ho
mines largiatur hominibus, copiosius impartit his, quorũ pietas latius uberiusq; fructifi
cet. Sic Dauid afflauit opulẽte suo spiritu: sic Solomonem præ cunctis mortalibus ad po
pulum gubernandũ instruxit sua sapientia. Ad primã partem pertinet fides, cui comites
indiuiduæ sunt spes & charitas. Hic est fons, caput, radix & fundamentũ omnis pietatis,
atq; hæc ex æquo cõmunia sunt omniũ, siue reges sint, siue inopes, ut ille ait, coloni. Iam
nulli magis egent doctrina Christiana, q̃ hi qui latam tenent ditionem, & à quorũ autori
tate pendet summa rerum humanarũ. At bene natis ac liberaliter educatis ferè docilius
est ingenium & ad pietatis habitum sequacius: Tum plus ocij suppetit discendis ac medi
tandis ijs quæ conducunt ad salutem æternã: Ad hæc præceptorũ, codicũ, cæterarumq;
rerum, quæ parandæ doctrinæ sunt necessariæ, paratior illis est copia. Quanquam huius
philosophiæ, quam diximus omniũ esse cõmunem, nemo non docilis est, cuius mentem
illustrauit fides, instruxit charitas, excitauit spes. Per hæc enim deus reddit animum ho
minis docilem. Siquidem ab eodem uenit docilitas, à quo doctrina proficiscitur. Nec est
tam perplexa philosophia Christiana, quàm multi uolũt eam uideri, si submoueas ea quę
ad ostentationem ingenij quorundam inuexit ambitio. Demum ad officia pietatis nemo
magis instructus, quàm qui opibus, autoritate, splendore, dignitateq;, cæteris antecellit.
Hæc omnia quum principi nihil aliud esse debeant, quàm instrumenta charitatis, quàm
seges materiaq; uirtutis exercendę, cui magis in procinctu est subuenire egenis, adesse pu
pillis, subleuare uiduas, eripere oppressos, componere simultates, cohercere licentiam, le
gibus & exemplis ad recte uiuendum uel exhortari uel cogere, quàm ei qui principatum
gerit? Proinde multum aberrant à uero, qui putant religionis studium non conuenire
præcellenti fortunæ, quum nulli magis sit opus religionis studio, nullusq; sit ad hanc uel
discendam uel tradendam, uel exercendam instructior, quàm quibus muneris digni
tas summam adiunxit autoritatem, quibusq; procliue est uel metu terrere malos, uel
præmijs

præmijs allícere bonos. Habent denicq; & príncipes, quos ímitentur, ſi nõ Antonios aut Paulos, certe Dauíd, Solomonem, & Ezechiam, alioſcq; teſtimonio díuínorum uolumínum claros príncipes. Non ſunt apoſtoli, quanquam quíſquis publico fungítur munere, quodammodo apoſtolus eſt, hoc eſt legatus. Sícut enim deus mittit prophetas ac ſapientes, ita mittit & reges & ſatrapas, bonos ad ſubleuandos ſuos, malos ad caſtígandos. Verum ut non ſint apoſtoli, habent tamen magiſtros apoſtolos, qui ſpíritu Chriſti afflati, quum cæteris omnibus, tum príncipibus quoq; uíuendi normam præſcripſerunt. Quin & concionandi munus regale eſt, habet enim monarcha gladium ad uindictã malefactorum, ſed habet & línguam non minus gladio neceſſariã, multo magis efficacem. Hac hortatur multitudínem, ad legum obſeruatíonem, deterret mílitem à licẽtia uíolentiaq;, commonefacit iudíces ac magiſtratus officij ſui, cíues ad mutuam cõcordíam anímat, ſeditiones componit, finit lites, curat ut omnia ſint ín officio. Nulla potentior, nulla ſalubrior, eloquentia, quàm quæ cum autorítate ſuadet honeſta. Quum enim ípſa uis honeſti per ſe moueat anímos homínum, acres habet ſtímulos, ſi príncipali dignitate commendetur. Si legeris Exodum, Numeros, Leuítícum, Paralípomena ac Deuteronomiũ, perſpícies Moyſen tantæ multitudínis príncipẽ, níhil aliud fuiſſe quàm Eccleſiaſtem, & qui totum ferè príncipatum língua geſſerit, interdum & precíbus populi cauſam agens apud deum. Et ubi ſunt iſti craſſuli, qui ad huiuſmodi monita ſolẽt cachínnos tollere. Eadem, inquiũt, opera, rade príncipi uertícem, & da illi longam ueſtem, quaſi uirtus dedeceat regem. Huius generis exempla nõ pauca reperíes & ín príncipum ethnicorum annalibus. Aſſídue ſedebant in iudicijs, orabant apud multitudínem, uerſabantur in concilijs, ne in priuatis quidem negocijs elíngues, componebant uitam in exemplum reipublicæ, ducebant noctes inſomnes, ut populi rebus conſulerent. Conuenit autẽ ut princeps Chriſtíanus hæc omnia multo præſtet religioſius, cũ uel antíquæ legis alumni, uel ídolorum cultores præſtiterunt. Iſtis ígitur aſſentatorĩbus, qui regium eſſe putant, níhil habere cum euangelica religione commercij, qui eum demum regno dignum iudicant, qui ſit latroni ſimíllimus, quid ſupereſt niſi ut illis baptiſmi ſacramentũ & Chriſtiani nomen adimãt? Alioqui qualis eſt, nomen ínane Chriſtiani relínquere, rem detrahere? In aulam itaq; non oportet ímpietatis culpã reijcere, quũ hoc ipſum, ut díxi, magna ex parte ſit ín manu príncipi, qualem habeat aulam. Sed donemus aulam uulgarẽ, ín qua regnent delíciæ, luxus, choreæ, alea, chartæ, moríones, nugæ, fuci, laſcíuia, profuſio, opũ oſtentatio, faſtus, ambitio, adulatio, ſtultitia. Nam hæc eſt ferè ſumma uitiorũ, magnatũ aulis familiárium. Cæterũ ut ad morum íntegritatẽ plurimũ íntereſt, ínter quos uíuas, ita perfecta pietas magis eluceſcit ínter male moratos, & íritamentís nequítiæ magis accenditur ad ſtudiũ ínnocentiæ. Lot ſanctímoniã non inquinauit, ſpurciſſimæ ciuitatis cõſortium. Ioſeph pudícitiã nõ corrupit, ſed illuſtrauit aula Putifaris. Danielem cũ duobus æqualíbus ímpij regis aula nõ abduxit à cultu patriæ religionis, uterq; ín hoc elatus, ut per eam occaſionẽ illuſtrarent nomen dei ſui. Heſter inter aulæ prophanæ delícias nõ amíſit animi pietatẽ. Inter bonos bene uíxiſſe non tam mírum eſt, cũ deteſtabile eſt, ínter eos male uíxiſſe. At ueræ minimeq; fucatæ probitatis argumentũ eſt, ínter eos rectum tenere uitæ curſum, quibus uel ínuiſa uel ridícula res eſt morũ íntegritas. Quid olím urbe Romana ínquinatius? Illíc ſancte uíxit Paulus apoſtolus. Quid Corinthiorũ urbe effœmínatius? Et illíc pietatis ſcholã aperuit Paulus. Idem fecit Athenis, qua ciuitate níhil erat corruptíus. Idem Epheſi, quæ & ípſa nõ ſine cauſa male audíebat. Non ínquinat innocentẽ malorum conuíctus, ſed aſſentíre nequitiæ polluit hominem. Quanct; eſt ímpietas enormis & deplorata, quæ meretur excludi bonorũ cõſortio, ſi líceat, qualis eſt Iudæorũ, aut ſi quí ſunt alij, qui nõ uerẽtur ímpijs cõuícijs afficere glorioſum nomen domíni noſtri Ieſu Chriſti, aut qui publícis homicidijs, ueneficijs, latrocinijs, adulterijs cooperti ſunt, nec ípſos pudet ſui dedecoris. Ab horũ enim cõgreſſu tẽperandũ eſt, niſi uel urgeat neceſſitas, uel ad meliora reuocãdi ſpes ínuitarit. Nam uxorẽ facínoroſo cõíugi, filiũ ímpio parẽti aſtringit naturalis pietas. Rurſus ſpe profectus, & cũ hæreticis, Iudæis ac Turcis míſcere colloquia fas eſt. Iam eſt conſuetudo quædã ciuílis ac uulgaris, qua comíter ſalutamus obuios, etiam illos quorũ uíta nobis díſplicet. Eſt propior quædam, quã familiaritatẽ, ſeu domeſticam conſuetudínem appellare ſolent: Ad hanc non admittendi ſunt, qui grauibus laborant uitijs, nec de ſe

ſpem

ſpem præbuerũt melioris frugis. Quiſquis enim horum arcta neceſſitudine delectatur, aut fauet nequitiæ, aut certe pronus eſt in periculum. Taliũ igitur uitare familiaritatem, geminam habet utilitatem. Sic enim & tutior eſt innocentis integritas, & fieri poteſt, ut improbus ad ſe redeat, dum erubeſcit à bonis uitari. Quemadmodum autem uir bonus optaret in ea ciuitate, in qua uiuit, neminem eſſe ſceleroſum, ita mixtus malis bonisq́, ſic temperat uitæ ſuæ rationem, ut malos pro ſua uirili pertrahat ad uitæ correctionem, bonorum exemplo fiat ipſe quotidie melior. Ita nihil uetat pium inter aulicorum delicias luxumq́, uitam ſobriam & innocuam peragere, eo temperamento, ut erga cunctos ſeruetur comitas, cæterum in familiare contubernium non recipiantur, niſi uel uirtute prædíti uel ad uirtutem dociles: eorum uero mores, quorum uitijs mederi non poteſt, ſic ferat, ut uitæ diſſimilitudinem coarguat interdum & uultus triſtitia. Ad obtrectationes, ad aſſentationes indecoras, frontem obducat, ad iocos laſciuos, nec arrideat nec reſpõdeat, quantumq́ licet à talium familiaritate ſeſe ſubducat. At ſunt quædam in moribus hominum culpę, quas quoquò te uertas, feras oportet. Cum hominibus homines hic uiuimus, non angeli cum angelis. Rurſum ſunt quæ per ſe mala non ſunt, niſi placeant, & animum noſtrum auocent, Veluti ueſtitus ſplendidior, menſa lautior, ædificiũ magnificentius. Hæc non ſunt interdicta principibus, niſi modum in his excedant, nec his animum uehementer oblectent, ſed uel conſuetudini ſeruiant, uel in hoc adhibeant, ut autoritatem ſuam his quoq́ rebus commendent populari turbæ. Expedit enim hoc reipublicæ ut principum quàm grauiſſima ſit autoritas, quæ licet heroicis uirtutibus potiſſimum & paretur & alatur, tamen apud rude uulgus hæc quoq́ nonnihil habent momẽti. Odit Heſter ſuperbiæ ſignum, quod aliquando cogebatur in capite geſtare. Quid illi nocebat diadema, cui gratius erat cilicium ſi licuiſſet? Et ſi recentioribus exemplis magis tangimur, habet Germania ſuam Eliſabetam, dignitate Lantgrauiam, ſed pietate monacham, quæ ſic ſeſe partita eſt marito & Chriſto, aulæ & religioni, ut non ſolum ipſa malorum contagione, non ſit facta deterior, uerum etiam multos ad pietatis amorem inflammarit. Veſtis quæ tangit corpus, non inquinat animum, niſi tangat animum, quemadmodũ cibus non polluit animum, ſi tantum corpus tangat, Animus autem contingi non poteſt, niſi accedat affectus. Sæpe ſub ueſte cinericea ſordidaq́, ſæpe ſub pannis mendicorum latet animus faſtu plusquàm Satrapico tumens. Sæpe ſub Diogenico pallio latet animus delitijs effœminatus. Quid confert ſordida ueſtis, ſi holoſericis turget animus? Sub quouis amictu tegi poteſt mens pia. Opes habere non eſt uitium: ſed amare, uitium eſt. Eleganter habitare, ſplendide ueſtiri, lautis menſis accumbere non eſt crimen, ſed ad has res applicare animum crimen eſt. Plato quum apud Dionyſium Sicilię tyrannum ageret, iuuenẽ luxu diſſolutum, in aula delitijs corruptiſſima, ſuam tamen frugalitatem non dedidicit, quin potius illum à uoluptatibus ad diſciplinarum ſtudium inflexit. Anacharſis quanquam Athenis uiueret, in qua ciuitate difficillimũ erat probũ eſſe, nihil tamen de ſua ſeuerítate remiſit. Quanquam in his quoq́ quantum licet, Chriſtiana frugalitas locum habere debet, ſi licet, Sin minus, in quocunq́ uitæ habitu, animus deo approbandus eſt. Heſter in purpura, Martinus in militari chlamyde, pium animum præſtabit domino. Abeãt igitur in rem bonam, qui principibus adimunt id quod in uita eſt optimum, hoc eſt religioſe uiuere, puramq́ mentem exhibere domino. Rebus ſecundis pariter atq́ aduerſis illuſtratur ſyncera pietas, quia utręq́ ſollicitant ad uitia, ſed haud ſcio an ex aduerſis interdum ſit plus diſcrimínis. A quot commodis arcent, ad quæ dedecora plurimos impellunt, egeſtas, ignobilitas & inopia? Inuitant quidem ad luxum ac ferociam diuitiæ, uerum anguſtia rei familiaris docet uafriciem, adulationem, impoſturas, lenocinia, furta, rapinas, maleficia, reliquasq́ peſſimas artes: pudendum genus, deijcit animos, ne ſeſe ad res præclaras erigãt, & obſcuritas præbet latebras ad licentius peccandum. In ſumma, fortuna blandiẽs illicit ad uitia, ſæuiens cogit. Inſyncerus animus utraq́ fortuna corrumpitur: at quem fides & charitas imbuit, in omni uitæ ſtatu ſui ſimilis eſt. Faceſſant igitur iſtæ excuſationes in peccatis, Sileant linguæ in hoc tantum diſertæ, ut uirtutis ſtudium ad paucitatem relegent, nec ætas, nec ſexus, nec conditio, nec ſtatus, nec fortuna, nec locus, nec uitæ genus obſtat, quo minus pie uiuamus in Chriſto Ieſu, qui nec hic eſt, nec illic, ſed intra nos eſt, & ubicunq́ ille eſt, ibi eſt regnum dei. Quin potius cuncta iſta, quæ uulgus hominũ ſolet prætexere ſuis

uitijs

uicijs, his qui Christi spiritum hauserunt, cedunt in materiã incrementumq; pietatis. Ve
nio nunc ad uiduas, à quibus diuinæ literæ perfectius quiddam uidentur exigere. Nec in
hoc sumam operã, ut uiduitatis dignitatẽ oratione celebrem: fecit hoc iam olim ille melli/
tus orator Ambrosius, tã ornate, tam copiose, ut nihil possit accedere: nec ut te puellam
ad perpetuam uiduitatis professionem adhorter, quum Paulus apostolus id nõ ausus sit
facere, quin potius metuens ætati lubricæ uiduas adolescentulas uelit nubere, ac matres
familiãs fieri: non quod idẽ nõ liceat uiduis, quod laudatur in uirginibus, sed quod per/
petua continentia sit peculiare dei munus, Gratulamur ei cui datum est, non inducimus
in laqueum cui non contigit. Vt igitur coronatur uirginitas, non præcipitur, ita proxi/
mam laudẽ fert uiduarum castitas, non præscribitur. Quod si ideo à nemine exigitur per/
petua uirginitas, quia rara dos est, nec sine graui periculo tentatur quod arduum est, mi/
nus conuenit florentem ætatem, ad perpetuam uiduitatem impellere, quod plerunq; fa/
cilius est, in totum à uoluptate temperare, quàm expertam contemnere. Quod igitur do/
minus cuiq; liberum esse uoluit, id astringere non est hominis. Quanquam haud scio an
istam libertatem, quam Christus & ex Christi sententia Paulus reliquit omnibus, quam
& naturæ ratio & humanæ constitutiones comprobarũt, tibi tueri liceat, præsertim cum
ea sit fortunæ tuæ sublimitas, ut etiamsi gratior sit animo tuo uidualis continentia, tamen
publica utilitas uel inuitam sit ad coniugium adacturа. Scio quàm plausibilis fuerit etiam
apud ethnicos Monogamia, quàm detestabilis polygamia, nec me fugit, olim apud Ger/
manos fuisse receptum, ut non nisi uirgines nuberent. Nec immerito laudatur Cornelia
Gracchorum mater, quæ maluit Cornelia Gracchi nominari, quàm Aegypti regina.
Nã Ptolemæus rex huius fœminæ nuptias ambiebat: nec sine causa celebratur illud Por
tiæ dictum, Pudicam matronam nõ oportet nisi semel nubere. Applauditur & Sulpitiæ
Messalinæ responso, quæ rogata num post elatum Sulpitium maritum, uellet iterum nu/
bere, quod etiamnum florente esset forma pariter atq; ætate, Nequaquam, inquit. Nam
mihi semper uiuet Sulpitius. Laudatur & Carum regina Artemisia, & Carthaginis con/
ditrix Dido, aliæq; complures fœminæ, quæ sic maritos suos dilexerunt, ut adulterij ge/
nus iudicarent, illis alterum coniugem ascisсere. Sed non eadem licent omnibus. Hic par
tim animus tuus, partim Reipublicæ ratio in consilium adhibenda est. Eoq; non cona/
bor uerbis attollere, quantæ laudis sit apud Christianos, perpetuæ uirginitatis professio:
Nec tractabo comparationem uirginitatis, uiduitatis & coniugij, quod argumentum à
priscis nonnullis contentiosius tractatum uideo. Inuidiosum enim laudandi genus est, sic
efferre uirginitatem, ut matrimonij dignitatem eleues, aut sic mirari uiduitatem, ut se/
cundas nuptias suggilles. Quanto plausibilius est, ut hunc ceu trium gratiarum chorum
manibus consertis iungamus, quarum unaquæque suis dotibus sic eminet, ut sit quam
præferas, uix sit quam postponas. Habet horum quisque status ornamenta sua laudesq;
ex sacris literis. Prima quidem dignitas uirginitati defertur, si spontanea est, si cæteris
uirtutibus comitata. Proxima uiduitati, tertia coniugio. Ordinem uides, sed qui nescit
contumeliam, sed qui conglutinat charitatem, non officit dignitati. Non enim sic præfer/
tur uirginitas coniugio, quemadmodum præfertur aurum ærі, sed quemadmodum gem
ma præfertur auro, atque ita uiduitas cedit uirginitati, ut onyx cedit margaritæ, chry/
soprasius smaragdo, crystallus adamanti. Si conferas aurum smaragdo, dubitare pos/
sis utrum eligas: si smaragdum auro conuestias, mirum quàm utrunque alterum deceat.
Ad hæc habet quisque status peculiare quiddam, quo cæteris etiam antecellat. In coniu/
gatis ab Apostolo prædicatur liberorum procreatio, religiosaq; educatio. Huic enim me
rito, ne leue putes, salutem ille promittit. Hoc certe nomine uirginitas cedit coniugio.
Neq; uero mediocris est meriti, domino seruisse in marito, morumq; pietate uirum lu/
crifecisse Christo. Ea sanè res tanti momenti uidetur Apostolo, ut hac de causa nolit uxo
rem Christianam discedere à uiro nondum Christiano, si coniugium fuerit ante bapti/
smum contractum. Deinde è coniugio nascitur uirginitas, atque hoc quoque titulo uir/
gines debent honorem matribus familias. Adde quod coniugium in paradiso conse/
cratum est, ipso deo antistite. Proinde si quid dignitatis adfert antiquitas, hic potiores
tenet matrimonium. Virginitatem dominus in matre primum consecrauit, uirgo natus
ex uirgine. Cæterum ne quis hoc in matrimonij contumeliam possit interpretari, uir/

ginis

ginis filius esse uoluit, sed coniugatæ, ut si non ex coniugio, certæ in coniugio nascerétur. Iam si species Ecclesiæ iudicium: Primum quidem decus illa tribuit uirginitati, sed coniugium inter septem sacramẽta ueneratur. Postremo ut honoratior est uirginitas, ita tutius est matrimonium. Habet & uiduitas quo possit utrisq; præferri. Siquidem ut continentiam habet cum uirginibus communem, ita generationem educationemq; liberorum habet communem cum coniugatis, si modo liberos sustulit. Maioris autem uirtutis est à gustata uoluptate tẽperare, q̃ inexpertã negligere, quemadmodum diximus. Deinde maioris est humanitatis, habere curam liberorum patre orbatorum, quàm quum bonam huius sollicitudinis partem in se transfert maritus. Quod mater educat liberos, pietatis est, quæ naturæ quoq; debetur, quod pupillos instituit, misericordiæ est, quo sacrificio nullum potest esse deo gratius. Præterea autoritas ac magisterium penes uiduas est, erga uirgines simul & nuptas. Viduarum est enim nupturas, ac nuper nuptas edocere quomodo se gerere debeãt, erga maritos, erga liberos ac familiam, erga affines & cognatos. Earundem est, uirgines in disciplina continere, docere rationes, quibus & integritati & famæ debeant consulere. Atq; hoc sanè nomine, uirginitas simul & coniugium honorem debet uiduitati, cuius magisterio, consiliisq; iuuantur ambæ. Itaq; quemadmodum florem exosculamur in uirginibus, utilitatem probamus in matribusfamiliâs, ita autoritatem ueneramur in uiduis. Quibus ex rebus liquet, has tres uitæ species, non tam distare dignitate, quàm gradibus, quemadmodum primam in pueris ætatem, quoniã ueluti flos est æui humani, exosculamur, uirilem ætatem, quoniam rebus gerendis idonea est, honoramus, Senectutem uero, quæ quoniam utrũq; fuit, potest utriq; cõsulere, ueneramur & obseruamus. Habet enim omnis res initiũ, progressum & summam. Sic olim Romæ, uirgo uestalis primis annis decem, discebat mysteria, alteris decem exercebat, tertio decẽnio docebat: Omnibus tamen eadem erat dignitas, nisi quod in discẽtibus erat ætatis gratia, in proximis usus officij, in tertijs docentium autoritas. Ita unumquodq; uitæ genus sua dote commendatur, itaq; fit, ut sese mutuis honoribus præuenire debeant, non mutuo fastidio inuicem contemnere. Frequentissimus enim plausus datur uirginitati, uerum hæc quo magis antecellit dignitate, hoc plus honoris debet coniugatis ac uiduis: coniugatis, ut matribus: uiduis, ut magistris. Atq; huic inter humanos applausus illud Solomonis potissimum occinendum est, quo maior es, hoc te submissius geras in omnibus. Postremo laus harum rerum non tam pendet ab ipso genere, quàm ab animi pietate, cuius tantus potest esse uigor, ut alicuius mulieris secũdæ tertiæue nuptiæ deo sint acceptiores, quàm alterius uirginitas. Iam si res exemplis æstimetur, in uetere testamento paucę uirginitatis titulo celebrantur. In nouo quàm speciosus, quàm numerosus chorus uirginũ, quæ non solum uoluptatem, sed & uitam amore Christi contempserunt, & habent agminis sui ducem, Christi matrem, qua merito gloriantur, licet non solæ. Gloriantur de illa & coniugatæ, quæ uiro nupsit. Gloriantur & uiduæ. Non enim constat nobis an Ioseph ante coniugem suam decesserit, illud constat, quod sanctissima uirgo, si tum maritum habuit, sic habuisse quasi non haberet, assidue uersantem inter apostolos, atq; illis cum cæteris mulieribus ac uiduis inseruientem. Habent in uetere testamento coniugatæ principem ordinis sui Saram, habent in nouo Elisabetam Ioannis Baptistæ matrem. Habent & uiduæ præclaras fœminas agminis sui duces, egregiam illam uiraginẽ Iudith, quæ mulier geminum ex inuicto uiris hoste triumphum reportauit, uictoriæ uidelicet & pudicitiæ, quarum alteram peperit desperanti patriæ, alteram sibi seruauit illibatam. Nam & occidit fortissimum, & fefellit libidinosissimum. Habent certioris historiæ Debboram, quæ prudentia, animiq; fortitudine uiris præfecta, tot res præclaras gessit. Habent uiduam Sareptanam, Christianæ hospitalitatis exemplar. Habent Noemi, cuius pietas celebrata est sacris literis. Habent admirandi roboris fœminam matrem septem Maccabæorũ, quæ plus supplicíorum in filijs quam in suo corpore perpessa est. Et ecce tibi mox in ipso Euangelij uestibulo occurrit ueneranda anus Anna, quæ mature uidua, usq; ad extremã senectutem perseuerauit, nõ in delicijs, & otio, sed in precationibus & operibus pietatis, uelut in hoc seruata, ut uideret infantem, quem uenturum afflatu spiritus didicerat. Occurrit & Petri socrus, quam febri decumbentem Iesus erexit, & ad solitum ministerium restituit. Quid ego hic memorem tot uiduas, quæ de suis facultatibus ministrabãt apostolis, omnibusq; relictis

relictis affectibus, sequutæ sunt Euangelicum munus? Ad uiduarum preces Petrus uitæ reddidit Dorcadem. Quid referam tot recentiores illustriũ uirorum literis commendatas? Marcellam, Principiam, Paulam, Lætam, Blesillam, Fabiolam, Saluiam, Suniam, & Frotelam, quas insignis ille doctor ecclesiæ Hieronymus, libellis dicatis, æternæ seculorum memoriæ consecrauit? Quid Iulianam & huius, ni fallor, matrem, Demetriadis auiam Probam, quarum gloriam diuus Augustinus ab obliuionis iniuria uindicauit.

Quanquam autem in uetere testamento, quoniam adhuc fœcunditati corporum seruiebatur, ac perpetuæ uirginitati nondum suus cœperat haberi honos, uiduitas etiam probro dabatur, quemadmodum & sterilitas, sed apud homines duntaxat, non apud deum, tamen & illic multum honoris habitum est à deo uiduis, ut quarum curam sibi peculiariter uindicarit. Sic enim loquitur Exodi xxij. Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, uociferabũtur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; eos gladio, & erũt uxores uestræ uiduæ, & filij uestri pupilli. Quid hac prouidentia potest esse amantius? Qui princeps est uniuersorum, nominatim se profitetur uiduarum patronum atq; ultorem. Rursus Deuteronomij xxiiij. Non auferes, inquit, pignoris loco, uiduæ uestimentum. Et Iob xxiiij. ueluti præcipuum scelus, quo prouocaretur ira dei refertur, pignoris loco abegisse bouem uiduæ. Atq; eiusdem operis capite xxij. magni criminis uice memoratur, uiduas dimisisse uacuas. Quod si scelus est nihil dedisse uiduæ, quantum crimen est illas spoliasse? Atqui lex non uetat à debitore pignus accipere, sed hanc deus uiduarum prærogatiuam esse uoluit. Psalmo 67. Deus dicitur pater orphanorum, & iudex uiduarum. Quid? an non ille pater & iudex omnium? Est, sed peculiari quadam prouidẽtia iudex est & uindex uiduarum. Rursus Psalmo 131. Viduam, inquit, eius benedicens benedicam. Quid est benedicens benedicam? nisi copiosam peculiaremq; benedictionem uiduis impartiam, benedicam in hoc seculo multiplici spiritualis gratiæ solatio, benedicam in futuro, nunquam finienda felicitate, quia mihi præ cæteris curæ sunt. Quemadmodum testatur & Psalmus 145. pupillum & uiduam suscipiet. Quanta dignatio benigni numinis erga uiduas? Destituuntur præsidio solatioq; marito rum, & deus illarum tutelam ad se recipit. Rursus per os Esaiæ dominus inter præcipua pietatis officia commendat uiduarum defensionem. Concinit huic cap. xxij. quum uiduas ne contristari quidem uult. Eadem præcipit per Ezechielem, per Zachariam. In summa, toties recurrit, infigitur, inculcatur, in arcanis literis hæc sententia, ut ineptior uideri possim, si uelim omnia loca percensere. Si transeamus ad nouum testamentum, parem curam uiduarũ habitam reperiemus, imò plus honoris habitum huic statui. Apud Matthæum 23. Dominus minatur scribis & pharisæis, quod comederent domos uiduarum, simulatione prolixarum precum, quo dicto tacite commendatur uiduarum religio, quam nisi magno studio coluissent, non poterãt huius simulatione falli. Apud Marcum 12. Dominus delectatur spectaculo uiduæ pauperculæ mittẽtis duo minuta in gazophylacium, & huius pietatem, omnium muneribus anteponit. Apud Lucam 4. refricat memoriam uiduæ Sareptanæ, ad quam unam missus fuerat Helias fame periclitãs, ut ab illa pasceretur, subindicans in Helia fuisse personam ipsius, in uidua Ecclesiæ gentium. Dominus enim famelicus uenit in terram, esuriens ac sitiens humani generis salutem: In synagoga non inuenit famis solatium, quia non inuenit fidem: in paupercula uidua, quę sui nihil habuit, & hoc ipsum quod habuit totum Christo tradidit, refocillatus est. Nec latuit Iudæos quid sibi uellet exemplum uiduæ Sareptanæ. Siquidem eiectum è ciuitate duxerunt in supercilium montis, ut illinc eum præcipitem darent: Dominus autem nondum se præbuit illorum malitiæ, quia nondum uenerat tempus à patre præfinitum. Proinde ne uos uestri pœniteat ô uiduæ. Pharisæi insidiantur facultatibus uestris, fuco religionis deuorantes domos uestras: Superba ciuitas odit uos opprimitq;, sed habetis dominum patronum, iudicem, & uindicem, cuius potentiæ nemo potest resistere. Apud eundem cap. 7. non fert lachrymas mulieris uiduæ filium unicum exanimem efferentis, sed adolescentem euocatum in uitam, reddit matri, quæ marito desolata, totum uitæ solatiũ in unicum filium transtulerat. Apud eundem 18. sub imagine uiduæ, iudicem licet impium, improbitate sua ad uindictam propellentis, proponit nobis exemplar incessanter orandi, Nimirum & illud obiter indicans, proprium esse uiduarum, assiduis uacare precatio-

nibus. Nec Paulus qui Christi spiritum hauserat, dissentit à magistri doctrina. Nam Timotheo præcipit, ut uiduas honoret, quæ modo ueræ essent uiduæ. Quod Timotheo præcipit Paulus, id omnibus episcopis præcipit Christus, ut uiduis honorem deferant. Honorem autem appellat omne subsidij genus. Eidem scribens mandat, ut si quis Christianus, aut si qua Christiana habeat uiduas, suppeditet illis, Non erat satis Apostolo generali nomine pauperum & uiduas commendasse, nominatim & extra ordinem illarum curam gerit. Audistis ó uiduæ dignitatem ordinis uestri, ne despondeatis animum, quod in mundo uidemini abiectiores. Habetis solatium ac præsidium in Christo, ne ploretis uos esse desolatas. Ille uestri curam habet sine cuius prouidentia, ne passer quidem unus cadit super terram. Ille uestri patrocinium suscepit, qui unus plus potest omnibus. Ille se uindicem iniuriæ uobis illatæ profitetur, ne quærite uindictam ab hominibus, tantum omne gaudium, omnem gloriam, omne solatium, omnem fiduciã in illo collocate, qui uos sibi peculiariter asseruit. Hoc demum est in tuto, quod illius tutelæ creditum est. Quomagis æquum est ut officij uicissim uestri memineritis, memineritis autem, si uere sitis quod uocamini. Quum enim Paulus iubet honorem haberi uiduis, quæ ueræ uiduę sunt, significat esse quæ falso nominentur uiduæ, ad quas nihil pertinent ea, quæ de dignitate, cura, tutelaq; uiduarum diximus. Quemadmodum sunt & fatuæ uirgines, quas non agnoscit sponsus amator uirginum, Sunt pseudoprophetæ, sunt pseudapostoli, sunt falso nomine fratres, quibus usurpati nominis honor cedit ad grauiorem condemnationem, Ita sunt falso nomine uiduæ, quæ si uolunt in his quæ commemorauimus gloriari, dent operam ut uere sint uiduæ, suoq; nomini respondeãt. Videtur igitur ipse sermonis cursus hoc admonere, ut uiduarum institutum paucis describamus, cuius forma mihi uidetur optime peti, ex his quæ iam attigimus, si modo scrutemur quod latet in diuinæ scripturæ uerbis, quorũ ditissima uæna est, ut quò penetres altius, hoc reperias preciosiora. Alioquin non defuerunt qui uiduis humana quædam uiuendi præscripta tradiderunt, quæ ut non arbitror contemnenda, ita non est necesse illis astringi, ueluti præceptis diuinis. Non enim eadem congruunt omnibus. Ac primo quidem loco contemplemur illam uiduarũ decus gloriamq; Iudith, at non gloriam tantum, uerumetiam exemplum. Cuius si nomen excutiamus, à confitendo siue laudando dictum est. Nam iuxta proprietatẽ sermonis Hebręi, duplex est confessio, criminum nostrorum & laudum diuinarum. Qui agnoscit culpam suam, confitetur. Vtraq; confessio deo gratissima est, non ipsius causa sed nostra. Delectatur misericors confessione criminum, ut condonet. Delectatur benignus confessione laudum, ut uberiora largiatur. Hæc est enim hominis præcipua iustitia, suam confiteri iniustitiam, ac dei prędicare misericordiam. Id quum sit omnium Christianorum commune, tamen uiduis peculiariter competit, quæ nisi agnoscant imbecillitatem suam, nõ sunt idoneę quarum curam suscipiat dominus. Rursus nisi gratias agant diuinæ benignitati pro his quæ receperunt, etiam hoc quod receperunt auferetur ab eis. Totũ hoc Paulus Apostolus compendio complexus dixit, uiduam probam depingens, si sperauit in domino. Quæ totam spem fixit in domino, luctum habet in hoc mundo, nec aliunde solatium expectat quàm à domino. Itaq; uidua quæ uiuit in delicijs, non collocauit spem in domino. Nimirum ab his rebus quærens solatium, quæ domino displicent. Item quæ se parat nouo marito, nondum totam spem fixit in domino, sed ad coniugis solatium respicit. Quæ congerit opes, quæ ambit honores non est uera Iudith, nec cõfitetur domino, sed his quæ domino præfert. Quæ iuuentutis fiducia uiuit ut libet, non est Iudith. Lugere uiduarum est non maritũ tantum: hic enim luctus breuis est, datur humanę imbecillitati, non laudi. Etenim quę impotenter luget mariti mortẽ, qd aliud q̃ aliũ ambit coniugẽ, nec cogitat q̃ feliciter mutarit maritũ, cui pro mortali contigerit immortalis, nec agit domino gratias, quod ideo maritũ abstulit, uel quia sic expediebat marito, uel quia sic expediebat uxori, uel quia forsitan utriq;. Varijs enim modis ille uocat homines ad æternã felicitatem, & solus nouit quid cuiq; sit optimũ. Vnde igitur manãt uiduarũ lacrymæ? Deplorant culpas suas, & si has non habent, quis autem non habet? deplorant alterius. Flent huius exilij tædio. Plorant desiderio sponsi cœlestis, cui cupiunt iugiter & totæ copulari. Quæ sic lugẽt, audient cum Apostolis. Beatæ quæ lugent quoniam ipsæ cõsolationem accipient. Merito Iudith appellabitur quæ quicquid est mali, sibi tribuit, quicquid boni deo ascribit, quæ

quæ & in aduersis & in prosperis confitetur domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Interdū magis propicius et misericors est immissis tristibus quàm lætis. Erat aūt Iudith filia Merari, quod uerbum hebræis amaritudinem sonat. Initiū conuersionis ad deum, est pœnitentia, quæ luctum & amaritudinem habet. Pœnitentia gignit cōfessionem propriæ iniustitiæ. Verum hæc tristitia, quoniam secundum deum est, gignit salutē stabilem ut ait Paulus. Diabolus ferè per escam uoluptatis captat homines in exitium, Deus huic contrarius, per salutiferum dolorem, pellicit homines ad uitā æternam. Alter enim insidiator est, alter medicus. Ille per temporariam delectatiunculam pellicit ad perpetuum cruciatum, Hic per breuem amaritudinem perducit ad æterna gaudia. Ad hæc, nulla fit uidua nisi morte coniugis. Ita Iudith omnis est filia Merari. Necp raro fit, ut hæc amaritudo temporaria uiduam tradat Christo, in quo plus est uoluptatis, si toto pectore diligatur, quàm in sexcentis maritis quamlibet felicibus. Interim quę sit alea coniugij, nullus ignorat. Præterea professio uiduarum est, abdicatis omnibus huius mūdi uoluptatibus solatium omne ponere in domino. Huius propositi initium habet amaritudinem, quemadmodum omnis arduæ rei conatus, sed quæ progressu temporis aspirante domino, uertitur in gaudium spiritale. Erat autem inquit scriptura, Iudith opulenta, non ex quæstu, sed ex patrimonio: quid hoc ad uiduæ laudem attinebat, quòd abūdabat possessionibus, quum diuitiæ soleant etiam frugales animos ad luxum ac lasciuiā corrumpere? At huic Iudith nihil aliud erant opes relictæ, quàm instrumentum subueniendi pauperibus. Habebat tanquam non haberet, & alijs habebat potius, quàm sibi. Clari generis erat, sed cilicio tegebatur. Numerosam habebat familiam, sed sola cum paucis pueris orabat in cœnaculo. Insigni forma præminebat, sed hanc uiris obscurauit, animi formam sponso suo coluit. Adeste huc uiduæ, quæ in tenui quoq & angusta re familiari deliciamini, quas ne paupertas quidem docere potest sobrietatem. Ecce Iudith nobilis, ætate & forma florens, opulenta, tres annos & sex menses uidua uixerat, ad eum usq diem, quo pulcherrimum illud facinus animo cōcepit. An nobili, diuiti, formosæ difficile fuisset inuenire maritum? Imò non dubium est, quin à multis fuerit ambita. Quur igitur placuit uiduitas? An quia maluit uidua suo more uiuere, quàm seruire marito? Nam hac de causa uidemus nonnullis displicere secunda coniugia. Nequaquam. Quur igitur? Non legerat Paulum, sed hauserat eundem spiritū quem Paulus. Sciebat in matrimonio nonnihil esse seruitutis, quæ tametsi non tantum ualet, ut alienet à religione, tamen frequēter accidit, ut quæ nupta est uiro, cogatur ea cogitare quæ sunt huius mundi, quò placeat uiro: at uirgo uiduaq, quoniam soluta est à iure uiri, non habet quo distrahatur à domino, sed iugiter illi si uult adhæret. Vxoris continentiam crebro interpellat maritus inconsiderans: liberalitatem in pauperes astringit ad rem attentior: precationes interrumpit alijs addictus studijs. Excusatur hic obedientia, fateor, atq adeò præcipitur, sed interim abest illa felicissima libertas assidendi domino citra diuulsionem, Id enim sentit beatus Paulus quum ait, καὶ ἀπρόσκοπον τῷ κυρίῳ ἀπροσκάτως. Hoc quid sit, non intelligunt, nisi quæ se totas domino dedicarūt. Id quoniam animo fit, quouis loco licet cuiuis, si largiatur hunc affectum ille, qui solus potest. Vxor autem quoniam ex Apostoli præceptis, etiam malo coniugi debet obsequium, saltem in his quæ citra crimen consistunt, non potest cum Maria perpetuo sedere ad pedes Iesu, ut alatur mellitissimis illius colloquijs. At nostra Iudith tota libera in ædibus suis construxerat sibi secretum cubiculum, in quo sola loquebatur cum domino, iuxta doctrinam Euangelicam, orans in occulto, ac præmiū expectans non ab hominibus, sed ab eo qui cernit in occulto. Habebat numerosam familiam, & tamen ostendit in turba quoque solitudinem esse uere pijs. Quid aliæ faciant in suis cubiculis ipsæ uiderint: at Iudith orabat, Viduæ cubiculum nihil aliud quàm oratorium esse debet, ac templum quoddam nullius culpæ conscium, sed pudicitiæ, gratiarum actioni, sanctis cogitationibus, pijsq uotis consecratum. Id parauerat in cœnaculo, hoc est superiore domus parte: cōuenit enim ut cuius animus quotidie meditatur uolatum in cœlos, huius corpus quoq procul absit à terra. Nam spiritus sanctus in cœnaculo ieiunantibus ac precantibus missus est. Et Petrus orans in cœnaculo, uidit cœlitus demissam uisionem. Anna uidua Euāgelica, quoniam ætatis erat penè decrepitæ, perseuerabat in templo. Ac iuuencula uidua nusquā est tutior, q in secreto cubiculo. Ad hæc cilicio habebat circun-

datum lumbis ſuis, ieiunans cunctis diebus uitæ ſuæ, exceptis ſabbatis, neomenijs & reli-
quis feſtis, quibus apud Iudæos uetitū erat ieiunare: quod ieiunabat, erat affectus: quod
interdum cœnabat frugaliter, non carni datum eſt, ſed religioni. Si hoc exemplum nō tan-
tum apud nos ualet, ut quotidie ieiunemus, certe huc proficiat, ut pudeat uiduas quaſdā,
quæ nulli conuiuio non interſunt, quæ ientaculis, prandijs, merendis, cœnis ac recœna-
tiunculis totum conſumunt diem, & interim tutam arbitrantur ſuam pudicitiam, ac ſibi
uidentur uiduæ. Nunc mihi contubernia illius conſidera. Nam hinc licet intelligere mo-
res & ingenium dominæ. Morabatur in ſecreto cubiculo cum puellis ſuis. Erat ſuis ma-
giſtra ſanctimoniæ. Domus illius nihil aliud erat, quàm ſchola pietatis. Nō illic uerſaban-
tur iuuenes calamiſtrati, odoribus delibuti, oculis laſciuis, linguis impudicis. Non puellę
quæ uultu, cultu, & inceſſu, iuuenum animos ſollicitarent: non perſtrepebat domus opu-
lenta choreis, luſibus & opiparis cōuiuijs. De liberis nulla fit mentio: quo mirabilius eſt
in illa fœmina pudicitiæ ſtudium, quod apud Iudæos male audiebat uiduitas, peius ſteri-
litas. Puellas habebat famulas ac pudicitiæ diſcipulas, quarum opera non abutebatur in
admouendo ſpeculo, in componendis capillis, in fucanda facie, in aſpergendis odoribus,
in faciendo uentulo, ſed tempus omne aut precibus, aut ſacra lectione, aut ſalutiferis ſer-
monibus, aut opera manuum, aut officijs in pauperes cōſumebatur. Geſtabat ueſtem ui-
duitatis, quam non niſi ad breue tempus depoſuit, idq; non quamlibet ob cauſam, ſed ſer-
uandæ patriæ gratia: Tum demum induit ueſtem nitidam. Hanc ueſtem non ſumpſit il-
laqueandis procerum oculis, ſed occidendo hoſti extrema minitanti, tum ciuitati ſanctę,
tum diuinæ religioni. Itaq; quod hic fecit Iudith, in exemplum uocari non debet, niſi di-
uinus afflatus, & cauſa par, huc inuitet. Multo ſunt inexcuſabiliores, quæ nuptiarum aut
conuiuij gratia, ponunt cultum uiduitatis. Hæc ad tempus ſumpſit ſplendidam ueſtem, li-
berandæ patriæ, imò nō erat illa ueſtis, ſed laqueus ac decipula. Dignus enim erat hoſtis
qui falleretur, & conueniebat, ut immanis illa belua, quæ ſibi par deo uidebatur, fœminę
dextra concideret, mulieris ingenio caperetur, qui alienę pudicitiæ ſtruere ſolet inſidias.
Hanc igitur ueſtem ſumpſit, obeundo facinori multo omnium pulcherrimo. Alteram il-
lam geſtabat ad tutelam pudicitiæ ſuæ. Eſt igitur aliqua ueſtis quæ matronā nuptam de-
cet, uiduam non decet: Eſt omnino. Quanquā autem coniugatas quoq; decet cultus mo-
deſtus ac ſimplex, quiq; iuxta beati Petri dictū, religionis profeſſionē præ ſe ferat, quum
totus cultus Chriſtianæ fœminæ ſit abſconſus penes hominem interiorem, tamen in nu-
ptis amictus nitidior inuenit excuſationem, ornari dicuntur maritorum oculis: in uiduis
nequaquam. Et in illis laudatur ueſtis ſimplicitas: in his non tam laudi datur adhibita, q̄
probro datur neglecta. Dicet quiſpiam, quid ad rem facit ueſtis? Extima pars hominis eſt
ueſtis. Ex habitu corporis deprehenditur animus: Corpus enim animi eſt indumentum.
Ex habitu ueſtis colligitur caſtigatio carnis. Et ſi ueſtimenti ſimplicitas, non eſt neceſſaria
uiduæ caſtitati, certe conducit arcendis iuuenum oculis, quibus amictus ſæpe cōmendat
corpus, ut appetant, quod appetere fas non eſt. Ita fit, ut licet tuta ſit pudicitia, non ſit tuta
fama, & quamuis tuta ſit uiduæ pudicitia, periclitetur aliena. Iam fortaſſe rogabit aliquis,
quæ ueſtis deceat uiduam. Neque enim hic deſcribitur color aut forma. Sanè nec potuit,
quandoquidem non eadem eſt ęſtimatio colorum, aut ueſtium, apud omnes nationes, &
alijs temporibus, alia ſunt in pretio, alia contemptui. Sunt alicubi quædam indecora, quę
alibi maxime decēt. Apud quoſdā candida ueſtis adhibetur in luctu, apud alios in trium-
pho. Hodie apud Hiſpanos nigro nullus eſt color aut honoratior aut charior: Candidus
qui ſolet eſſe nuptialis ac triumphalis, nunc extremi contemptus eſt, niſi ſi quid adhibe-
tur in ſacris. Ita color Sandicinus olim inter purpuras primam obtinebat gloriam, nunc
nihil eo contemptius. Quam igitur ueſtem dabimus uiduæ noſtræ? Suo tempori locoq;
congruentem, quæ neq; ſordibus præ ſe ferat hypocriſim, neq; prodigioſa nouitate homi-
num oculos ad ſpectaculum inuitet, neq; nitore precioq; parum continentis animi ſuſpi-
cionem præbeat: quæ uelet eas corporis partes, quas non ſine periculo caſtitatis intuen-
tur uiri: Tū ſimplex, hoc eſt, neq; ſumptuoſa, neq; prodigioſæ uilitatis. Hic & fortunæ per-
ſonæq; habenda eſt ratio, certe quod ad precium attinet: decebit enim uiduā principem,
quæ non deceret pebeiam. Alioqui uiduam nulla ueſtis magis ornat, q̄ quæ nihil oſten-
tat ornatus, ſed tantum ad uſum ac uerecundiā adhibetur, ad uſum, quia depellit frigoris

iniuriam

iniuriam, ad uerecundiam, quia uelat ea, quæ irritant uirilem intemperantiã. Fortassis hic aliquis obstrepet mihi tacita cogitatione. Istam cãtionem cane, ijs quæ professæ sunt perpetuum cœlibatũ. Quid hæc ad illas quæ seruantur nuptijs? Imò quem admodum uirgo quæ alitur honesto castoq; matrimonio, non aliter instituenda est, q̃ si perpetuam uirginitatem decreuisset: & fortasse tanto sollicitius, ne quid siniſtri rumoris cõtrahat ante nuptias: ita uidua quæ se seruat secũdo coniugio, interea dum uiduã agit, nihil omittat quod ad uiduitatis honorem pertinet. Quis enim non detestetur istos, qui filias suas sic habent, non quasi parentes casto educent coniugio, sed quasi leno puellas alat ad quæstum? Quę bona uirgo non fuit, nec uxor erit bona. Quomodo pudorem seruabit apud maritũ, quæ apud parentes didicit impudentiam? Decet autem Christianorũ coniugium, iuxta Pauli monita, honorabile esse, & thorum immaculatum, uerecundiæ plenum ac uirginitati similimum. Nulla dos magis cõmendat fœminã, quàm pudor & pudicitia. Inter uiduam nupturam, & eam quæ perpetuam est professa continentiam, nihil interest, nisi temporis spacium. Non enim genere uitæ differunt, sed proposito. Si uidua abhorret ab iterandis nuptijs, citius inueniet probum maritum, moribus ornata potius, quàm amictu. Satis dotata uenit ad sponsum quę pudicitiæ, modestiæ, sobrietatis mundum secum adfert. Si decreuit perpetuo cœlebs uiuere, quur sollicitat uirorum oculos? Aut cui se colit, quę Christum sponsum adoptauit? Iam cõsideremus & cõmeatum huius opulentæ uiduæ Iudith. Vnicam Abram secum duxit, cui imposuit utrem uini, uasculum olei, polentã, lapathes, panes & caseum. Audis delicias rusticanas. At probabilius est illam multo frugalius uixisse domi. Hoc uictu ieiunabat quotidie. Et ubi sunt interim, quæ negant se posse pati ieiunium unius diei, nisi prandium habuerit sex piscium genera? Iudith polenta & holuscu lis quotidie soluit totius diei ieiunium. Quanquam, ut dixi, locus est & in medijs delicijs sobrietati, si qua causa cogit his interesse. Literis proditum est, clarissimam fœminã Elisabetam Hessię Lantgrauiam, arte quadam in medijs cõuiuijs dissimulasse ieiunium, Adderat uultus hilaritas, sermonum comitas, urbanitas in ministrãdo. Quibus rebus ita fallebat conuiuas, ut nemo sentiret illam non edere. Hic uero non solum habes frugalitatis, uerumetiam religionis exemplum. De cõmeatu sibi prospexit, ne quid attingere cogeretur, cuius esum uetuerat lex diuina. Exprobrat nobis hęc nostram rebellionem, qui cibos quos certis diebus interdixit ecclesiæ autoritas, hoc auidius deuoramus, quia uetiti sunt. Quemadmodũ excusandi sunt qui iustis de causis, sobrie mutant cibi genus, ita nemo uere pius probare queat istam contumaciam. Vitam Iudith habetis ô uiduæ, nunc famam æque illibatam accipite. Oportet enim & uirginem & matronam, sed præcipue uiduam nominis integritatem tueri, quod ut difficillimum est, ita pulcherrimum, nimirũ quo bonus odor sint deo & hominibus in omni loco. Melius est enim habere nomen bonum, q̃ unguẽta pretiosa. Hoc decus, hic ornatus est prȩcipuus fœminei sexus. Nec hanc dotem tacuit scriptura, addens Iudith fuisse celeberrimi nominis apud omnes, non quòd splendide epulabatur, sed quòd ualde timeret dominum. Hoc enim sermone, summam pietatis complexa est scripturæ lingua. Magnum est habere bonã famam apud omnes bonos, sed longe maximum est, habere nullis improborũ obtrectationibus contaminatã. Non erat inquit quisquam qui loqueretur de illa uerbum malum. Quid autem tutum est à linguis maledicorum? Hoc uix obtinet eximia constansq; uitæ probitas, quod tamen beatus Paulus requirit ab Episcopo, ut habeat bonum testimonium, non tantum à Christianis, uerumetiam ab Ethnicis ac Iudęis. Nec id siluit in uiduę dotibus, In operibus, inquit, bonis testimonium habens. Ingens thesaurus est bonum nomen, sed quouis uitro fragilior. Nihil enim facilius contaminatur, nihil difficilius reconcinnatur. Quibus autem rationibus seruatur bona fama? Non alijs profecto quàm quibus seruatur bona mens. Siquidem nullum cõpendium ad honestum nomen parandũ expeditius est, quàm ut talis sis, qualis haberi uelis. Prima uiduæ cõmendatio est, uitæ totius sobrietas. Ea sita est non solum in uictu, cura corporis, & cultu, uerumetiam in famulitio. Quis ausus fuisset in ædibus Iudith potare aut lasciuire, aut aleam ludere, quæ talem habebant dominam? Omnia linguam habent, præsertim in malũ. Frons, oculi, incessus, nutus, motus, risus, famuli, famulæ, liberi, cõtubernales loquuntur mores dominæ. Oportet igitur uiduã undiquaq; compositã esse, ne quà pateat maledicorũ linguis, tantaq; debet esse uitę totius integritas,

ut improbi quoq; uereantur de illa male loqui: nec satis est abstinuisse ab omni malo, sed iuxta Pauli doctrinam, cauendũ est etiam ab omni specie mala. At fama procax malum, interim nec innocentiæ parcit. Fateor. Sed rumor qui de nihilo nascitur, mox sua sponte euanescit, nec in aliud proficit uanitas, nisi ut omnibus spectatior fiat innocẽtia. Contra ubi ex uero nascitur rumor, semper in maius crescit, uiresq; acquirit eũdo, ut ait ille. Quarum cultus lasciuior est, sermo impudicus, quæ bonã diei partem, cerussa, purpurisso, stibio, chartis, aleaq;, conuiuijs, choreis, consumunt: quæ iuuenum comptorum consuetudine delectantur, quæ liberos habent perperam institutos, quæ famulicium male moratum, immerito indignantur siniſtro rumori. Quod si fieri nõ potest, quin aliquis male de nobis loquatur, saltem illud curandum, ne quis id merito nostro faciat. Decet autem hoc præcipue sexum fœminarum, ut famam habeat illibatam. De Christo multi male loquebantur, in uirginem matrem nullus ausus est ullum probrũ dicere. Nam stupri suspicionem, ipse dominus matrimonij titulo, & Ioseph falso crediti patris uelamento, excluſit. Ergo uidua quæ famam cupit incontaminatam, Iudith uiduæ sibi proponat exemplum, huius ingrediatur uestigijs. Quid hic commemorem reliquas huius uiduæ uirtutes: studium erga patriam, autoritatẽ erga seniores & principẽ, quos ad se accersitos, desperantes erexit in spem, inscios docuit, hæsitantes instruxit salubri consilio, deniq; uictoriam, quam tot armati uiri desperabant, una mulier sua pietate peperit. Retulit speciosissimum ab hoste trophæum, uerum omnem triumphum deo populoq; trãscripsit: Ipsa post peractum facinus pulcherrimũ, ad cilicium rediit. Agnoscas summã animi fortitudinẽ, cum summa modestia: summã prudentiam, cum summa pietate cõiunctam fuisse. Habet hoc egregia uirtus, ut homini cuius reuerentiam cõciliet & autoritatem. Iudith mulier erat, uidua erat, nullam obtinebat ditionem, nullo munere publico fungebatur, & tamen ad hãc non grauantur accedere seniores populi, nõ dedignatur ipse princeps Ozias: quam post simili honore dignatus summus pontifex Ioachim, qui eius uisendæ gratia, Hieroſolymis profectus est in Bethuliam. Iam oratio qua illos compellat quàm est autoritatis plena, & non muliebris: Quod est inquit, hoc uerbum in quo cõsentit Ozias, ut tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinq; dies non uenerit uobis adiutorium? Et qui estis uos qui tentatis dominum? Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accẽdat. Posuistis uos tempus miserationis domini, & in arbitriũ uestrum diem constituistis ei? Obiurgãtur à muliere seniores ac principes, & silent. Deinde quid illius consilio sanctius? Inuitat ad eius facti pœnitentiam, ostendit paratam domini misericordiam, docet totam fiduciam in illum transferendã, docet præteritas calamitates ipsorum peccatis imputandas, nec ad uindictam esse festinandum, sed cõfugiendum ad dominj misericordiam. Quis nunc ferret fœminam obiurgantem ac docẽtem? At rex & seniores non solum tulerunt, uerumetiam gratias egerunt. Sic enim habet historia, & dixerunt illi Ozias & presbyteri. Omnia quæ loquuta es uera sunt, & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniã mulier sancta es & timens deum. Verum illa tam admirandi facinoris laudem nulla ex parte sibi uindicat. Mandat senioribus ut precibus solicitẽt domini misericordiã, ut quod animo cõceperat, uellet esse prosperum, simulq; populum ad preces adhortentur, nimirum animas omnium in hoc præparans, ut totius negocij fiduciam non in suis uiribus, sed in omnipotẽtis bonitate collocent: peracto facinore ducis personam agit, præscribens populo, ut hostes consternatos opprimant. Deniq; parta tam speciosa uictoria, non sibi curat erigendas statuas, aut adornari triumphos, sed ipsa cum uirginibus ac mulieribus canit triumphale canticum domino, qui uictoriam dederat populo suo. Quicquid autem uasorum aut opum erat ex direpta Holophernis domo, populus honoris gratia donauit Iudith. Sed ut egregia uirago declararet se non minus cõtemnere diuitias, quàm humanam gloriam, quicquid opum acceperat, cõsecrauit anathema oblivionis. Ipsa nec insolentior, nec opulentior rediit in domum suam. Quanta uerborum pompa uiri disertissimi celebrarunt quorundam imperatorum uirtutes, qui ex rebus præclare feliciterq; gestis in bello, præter gloriam nihil retulerunt in ædes suas. At ingens tulit præmiũ, qui plausum & laudem tulit ab hominibus. Nam de his quoq; dixit dominus, receperunt mercedem suam. Quanto magnificentius est, quod hæc triumphatrix gessit, quæ sola benefactorum conscientia contenta, gloriam

paritet

pariter & diuitias neglexit, Postremo nec de nuptijs iterandis cogitauit, quum uixerit annos centum & quinq;. Vt autem in eadem agnoscas simul & clemẽtiæ & frugalitatis laudem, Abram quam habebat unicam manumisit. Qualis fuerat uita talem uolebat esse sepulturam, Sunt enim quorum ambitionem ne mors quidem extinguit. Tanta in rempublicam merita nonne requirebant aliquod insigne monumentum? At Iudith sepulta est, in sepulchro uiri sui Manasse. Vnicum amore casto fuerat complexa, nec mors hunc affectum extinxit: sciens meliorem mariti portionem superesse, & aliquando futurum, ut toti pristino conuictui restituerentur. Nec arbitror uiri nomen omnino uacare mysterio. Manasses necessitatem siue obliuioni datum sonat. Primum coniugium dederat necessitati, urgebat parentum autoritas, inuitabat publica gentis consuetudo, impellebat amor prolis, quæ sine marito non contingit. Quasdam etiã cogit feruor ætatis. Postremo quæcunque nubit, in uiri ius uenit, secq; necessitati submittit, à qua non liberat, nisi mors uiri. Hoc admonet igitur necessitatis cognomen. Sed qui congruit ut dicatur obliuioni tradi tus, in cuius ædibus perpetuo uixit, in cuius sepulchro condi uoluit? Et si nouimus, inquit Apostolus, Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus. Qui non nouit, quem ante nouerat, nimirum oblitus est, iuxta quendam sanè modũ. Ita Iudith prius iuncta uiro secundum carnem, mox ut defunctus est, non meminit carnalis contubernij, sed tanto ardentius amat iuxta spiritum, eiq; fidem quam uiuo promiserat, etiam mortuo seruat. Quantum ab hac absunt imagine mulieres, quæ nunquam possunt obliuisci coniugis defuncti, quibus ad quamlibet occasionem renouatur luctus, prorumpunt lachrymæ, iterantur lamenta. Sed impudentius etiam faciunt, quibus nec secũdus, nec tertius maritus prioris memoriam excutere potest. Ad quamuis offensiunculã exprobrant uiro suo defuncti coniugis mores, & quem uiuentẽ cõtempserant, prædicant extinctum, non quod gaudeant illius uirtutes meminisse, sed ut præsentem urant. Quãto, inquiunt, ille fuit blandior, quanto formosior, quanto eram sub illo cultior, quanto liberior, quanto nummatior. Nullæ melius meminerunt coniugum, quàm quæ eorum quæ carnis sunt obliuiscuntur. Satis meminit mariti quæ recusat alteri nubere, quæ pactam fidem præstat, nõ iam ut mortuo, sed ut absenti. Feliciter oblita est quæ perseuerat in castitate, postquam semel nupsit parentibus, naturæ, proli, simul atq; reddita est suo arbitrio, pristinæ uoluptatis obliuiscitur, seseq; totam confert ad delicias spiritus. Hęc est obliuio dignæ uiduis Christianis. Quædã enim prius oblitæ sunt cõiugum quàm extulerint, quædam lachrymis immoriuntur. Est inter utrunq; medium. Cito finiendus est luctus, sed uix unquam soluenda est fides, non ꝙ hãc debeat uxor extincto, sed quod hoc suadeat insignis pudicitia. Nonnihil nos docebit & patria Iudith, quandoquidẽ in scripturis diuinis, non est simplex rerum gestarum materia, quemadmodũ in humanis uoluminibus, sed in ipsis etiam apiculis latet aliquid reconditæ sapiẽtiæ, si quis pia curiositate scrutetur. In Bethulia uixit ac sepulta est. Quid aũt sonat Bethulia? uirginẽ domino castam. Multæ sunt uirgines castæ mundo, quæ domino pollutæ sunt. Olim parentũ arbitrio nubere uiro, obedientiæ laudẽ ferebat. Amore prolis iungi marito, pietas erat. In matrimonio nihil indulgere libidini, castitas erat. Hæc uirginitas quædam est, casta non hominibus, sed domino, qui non habitum corporum, sed animorum spectat affectum. Iuxta tropologiam autem, quicunq; mẽtem syncerã seruat domino, Bethulia est, hoc est, uirgo casta domino, quemadmodum loquitur Paulus, Despondi uos uni uiro, uirginem castã exhibere Christo. Ea castitas sita est in tribus, synceritate dogmatũ, puritate affectuum, & pietate operum. Primum est enim recte credere, nec usquam à placitis ecclesiæ catholicæ deflectere. Hic est omnis religionis fons & radix, qua uiciata, nihil inde syncerum proficiscitur. Proximum est ut affectus humani, submittant sese spiritui. Spiritus autem aduersatur carni. Fides scopum ostendit, Charitas dei & proximi, regula est, ad quã dirigantur affectus humani. Eadem impellit nos ad officia pietatis. His rebus fit, ut quod Paulus orat, & corpus & anima & spiritus integer inueniatur in die domini. Nam hic dies examinat etiam intima cordis humani: Et quisquis in hoc die probari meruit, is uere probatus est, ac Bethuliam habet patriam. Et si totius uitæ laudem uni ascribit domino, nec sibi, sed illi canit encomium, Iudith etiam appellari poterit: confitens imbecillitatem suam, & agnoscens domini benignitatem, operantis in unoquoque pro suo arbitratu quæcunque uoluerit.

Vide quantam dicẽdi materiam nobis ſuppeditarit hiſtoria Iudith, cuius tamẽ quotam attigimus portionem? Quod ſi cui uacet omnes huius loci ſinus, omniaq; recondita eruere, quæ nunc ſingulatim recenſere perlongum ſit, comperiet nullam eſſe uirtutem, cuius nõ eximiũ exemplar in Iudith propoſitũ ſit, ſiue caſtitatẽ ſpectes, ſiue pietatẽ, ſiue prudentiam, ſiue fiduciã erga deum, ſiue fortitudinẽ, ſiue modeſtiam, ſiue conſtantiã animi. Caput Holophernis enſe reſectum, magis propoſitum eſt, ut mirẽtur uiduæ, q; ut imitẽtur. Ad hoc certe ualet, ut uiduis omnib. excutiat puſillanimitatẽ, dum hinc perſpiciũt, quantum ualeat apud deum etiã mulierculariũ aſſidua deprecatio ſynceraq; fides. Nihil eſt in ſcripturis arcanis infrugiferũ. Si parum utilitatis habet hiſtoria, plurimũ habet allegoria. Neq; enim hoc imitandũ uiduis, ut periculo pudicitiæ ſuæ conſulant reipub. aut lenocinio uultus inſidias ſtruant hoſti. Verũ quod illa fecit Holopherni, hoc omnes uiduæ faciant ſatanæ, qui nunq; ceſſat extrema moliri ciuitati ſanctę quę eſt eccleſia, & populo dei, qui ſunt omnes cupientes pie uiuere in Chriſto Ieſu. Cum hoc hoſte uobis bellũ eſt perpetuũ ó uiduæ, hic fallendus eſt. Artẽ fallendi docuit ipſe dominus. Quiſquis ungit oleo faciẽ ne uideatur ieiunare, inſidias ſtruit Holopherni: Qui ſic dat eleemoſynas, ut ſiniſtra neſciat quid faciat dextra: qui ſecretus orat in cubiculo, bene decipit Holophernem. Huc adhibenda eſt ſerpentis euangelici prudẽtia. Huius igitur uiduæ uitã in cubiculis quidẽ, ſed in animis potius depictã habeant omnes uiduæ, ad hoc ſpeculum ſeſe cõtemplentur, quæ uiuunt in delicijs, inter comptas puellas, inter laſciuos iuuenes, conuiuijs, choreis, alea, fucis, parũ pudicis fabulis, maximã diei partem exigentes, aut, ut melius dicã, perdentes, ad hanc imaginẽ erubeſcant, ſic ſuo cũ animo loquẽtes. Hæc Iudæa, cui nondũ effulſerat Euangelij lumen, quã nondum illuſtriũ fœminarũ exempla, nondum apoſtolorum hortatus ad continentiã animarant: nondũ audierat Chriſtũ clamantem, Beati qui ſe caſtrauerunt propter regnum dei: tam inſigni pręminuit ſanctimonia, quid decet me facere Chriſtianã, quã tot erudiunt præcepta, tot excitant exempla, tanta ſollicitant præmia: Iudith ieiunat & orat in cilicio, & ego delicijs indormio. Iam ſi ſatis contemplatę eſtis hanc celeberrimã uiraginẽ, agedum producamus uobis huius ueluti germanã Debborã, quæ populo Iſraelitico triplicẽ uiri perſonã una mulier exhibuit, prophetæ, iudicis & ducis. Illa cognoſcit lites ciuiũ, illa ex uaticinio præſcribit quid ſit agendum, magna cũ autoritate loquens Barach: Præcipit tibi dominus deus Iſrael. Ipſa proficiſcens in bellum animos ipſis addit ducibus. Huius fœminæ dexteritas, nonne merito pudore ſuffundet uiduas quaſdam, quæ per ignauiã ne familiã quidem ſuã norunt adminiſtrare, & liberos ſuos illiberaliter educantes, & famulos famulasq; indulgenter habentes? Prodeat nunc illa Sareptena hoſpes & alumna Heliæ, noſq; doceat hoſpitalitatẽ erga proximos, ac fiduciam erga deũ. Illa non erat Iſrahelitis, ſed Sidonia, & tamẽ prophetæ Iſrahelitę, quũ forte occurriſſet, nõ negat officiũ hoſpitalitatis, rogata mox currit ad exhibendã aquã ſitienti, quũq; propheta clamaret à tergo ut in famis ſolatiũ, pauxillũ etiã panis adferret, ſimpliciter reſpõdet ſibi domi nõ eſſe farinæ, niſi quantũ pugillo capi poſſit & olei paululum, id ſe iam deſtinaſſe ſibi parare ac filio, ut eo quod ſupereſſet conſumpto, fame morerentur. Quum inſtaret Helias, ut ex hoc ipſo puſillo ſibi primũ exiguũ panẽ faceret, deinde pararet ipſi & filio, futurum enim ut nec thylacus, nec lecythus deficeret: non excuſauit, nõ tergiuerſata eſt, dicens, Quid habeam ſcio, quid habitura ſim neſcio. Primum mihi proſpiciam, ſi tu poteris alijs promittere thylacum non deficientem, tibi primum hoc præſta quod mihi polliceris, de pleno farinario liberalis ero: Nunc nos æque ac tu periclitamur, Ego mihi meiſq; charior eſſe debeo, quàm alieno. Nihil huiuſmodi reſponſauit mulier barbara: Confirmata pollicitis Heliæ, nihil hæſitans cucurrit domum, coxit panem, fortaſſe plorante puero, attulit prophetæ. Nimirum totum hoc uoluntate numinis actum eſt. Poterat enim undecunque deus aquam portigere prophetæ ſuo, qui illum tanto tempore coruorum miniſterio panibus & carnibus pauerat in ſolitudine. Sed in alienigena muliere uoluit hoſpitalitatis, ac fidei rarum exemplum exhibere, ut haberet uiduam quam poſt exprobraret dominus ſuo populo, qui prophetam unicum à Moſe promiſſum, & tanto meliora nunciantem quàm nunciabat Helias, non modo non refecit, ſed in crucem adegit. Ex ijſdem Sidoniorum finibus exierat illa mirabilis mulier Cananęa, quæ dum domi num improbis clamoribus, & fiduciæ conſtantia quodãmodo compulit ad ſanandam

filiam

filiam, nobis declarauit, quantum ualeant apud deum assiduæ preces, si nõ desit syncera fides. Et hanc fuisse uiduam probabile est, quandoquidem filiæ fit mentio, mariti nulla, quum magis conuenerit patrem pro salute filiæ procurrere, ac dominum interpellare. Vtraq; typo præluſit, Ecclesiam ex gentibus congregandam, quæ solo fidei merito irrupit in regnum cœlorum. Supereſt Noemi, cui fames exilium, mariti mors uiduitatem, filiorum interitus orbitatem attulerat. Huic triplici uulneri accesserat sarcina duplex, senectus ac paupertas, utrumq; graue onus, iuxta mũdum: sed inuenit officij mercedem apud Ruth nurum suam, quæ socrum loco parentis habuit, adeoq; dilexit, ut relicta patria, cognatis, amicis, deniq; dijs ac religione maiorum, anum ac pauperem sequuta sit. Noemi consilio, Ruth inuenit maritum, ac rursus puellæ beneficio Noemi repperit & domum & alimoniam, deniq; pro filijs nepotem dulcissimum nomine Obed, auum Dauid regis. Ruth enim puerum natum statim posuit in gremio Noemi, ne sibi uideretur sterilis, sed haberet solatium restituti generis. Nec aliter ex nuru sua suscepit filium, quàm Sara ex ancilla, sed felicius. Itaq; Noemi puero nato, nutricem ac gerulam præbebat, quẽadmodum habet historia. Nec uaticinio carebat mulierum gratulatio. Sic enim loquuntur, Benedictus dominus qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, & uocaretur nomen eius in Israhel, & habeas qui consoletur animam tuam, & enutriet senectutem tuam. Denuru enim tua natus est qui te diliget, & multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios. Quin & uicinæ mulieres, gratulantes illi dicunt, Natus est filius Noemi. Etiam charissimos affectus non grauabatur illi cedere Ruth. Quin & ante quicquid in messe collegerat, deferebat ad socrum suam, ciborum etiam reliquias illi seruans, suo genio nõnihil detrahens, ut sufficeret alterius egestati. Adeo deus non destituit uiduas quę ueræ uiduę sunt. Si non inueniunt genituræ præmium à liberis, reperiunt educationis & institutionis mercedem ab alienis. Non habebat Noemi coniugij spem, nec liberorum solatium, sed tamen Moabitidis humanitate factum est, ut nec maritũ, nec liberos desideraret. Minimo alitur uidua sobria. Proinde quæ uiduam adolescentiæ suæ formatricẽ nutrit, multo minus reponit quàm accepit. Præcepit Paulus, ut qui catechizatur, communicet catechistæ suo in omnibus bonis, nec putat esse magnum, ut qui seminarunt spiritualia, metant carnalia. Ruth pietatem merito prædicamus, quod potuit præmij retulit socrui, plura factura, si licuisset. Sed quanto plus est, quod accepit à socru? Illius magisterio didicit gentium deos esse dæmonia, didicit unum colendum esse deum, qui condidisset ac moderaretur uniuersa. Didicerat uenturum iuxta prophetarum oracula Messiam, qui destructis omnibus simulachris omnes orbis nationes uocaturus esset ad salutem æternã, itaq; ex oleastro insita est in oliuam, ex Moabitide facta est Israhelitis, ex cultrice dæmoniorũ, ancilla dei uiui, Postremo eò dignitatis euecta est, ut nomen illius in genealogia Christi decantet ecclesia, summiq; regis ac prophetæ proauia celebretur. Quæ merces huic officio par rependi poterat? Iam mihi huius uiduæ singularẽ prudentiã contemplare. Quum repetit patriam, utraq; nurus offert se comitem. Verum illa diu recusans, tentat illarũ constantiam, multum dissimilis scribarum & pharisæorũ, quos reprehendit dominus, quòd circumirent mare & aridam, ut facerent unum proselytũ, quumq; uenati essent, facerent illum duplo filium geennæ. Nullus humanis artibus aut promissis humanis alliciendus est ad religionem Christianam, nec ad professionem continentiæ, aut aliud simile uitæ genus, nec statim habenda fides primis mortalium affectibus, præsertim adolescentium aut puellarum. Sed diu suspendendi sunt, ut probetur spiritus an ex deo sit. Præstat enim non aggredi, quàm post manum admotam aratro ad relicta respicere. Nam humanæ cupiditates, aut refrigescunt mora, aut uertuntur in diuersum. Contrà sancta desideria, quæ immittit Christi spiritus, dilatione magis ac magis accendũtur, & calcis in morem, si dissuadeas ac repugnes, uelut infusa frigida, uehementius efferuescunt. Quo grauius etiam peccant, qui rudem ac simplicem ætatem, non solum blandicijs ac dolis, uerumetiam minis ac terriculamentis impellunt in nassam, unde non patet reditus. Quid euenit? Orpha, cui nomen à superbia, reuersa est ad deos suos. Ruth, quæ festinantis habet uocabulum, magis accensa dissuasione, redditaq; alacrior, properauit in Bethleem. Ostendit illis desperationem coniugij ex ipsa, ostendit tenuitatem suam magis etiam aggrauandam infelicium consortio. Non erat hæc dissuasio, cupiebat enim ambas ad dei ueri cultum

Noemi.

Matthæi

conuerti

conuerti,ſed exploratio.Reuerſa eſt quæ non fuerat perſeueratura ſi ueniſſet. Ea dimiſſa rurſus ad illius exemplum hortatur Ruth,nec recipit profectionis comitem,niſi ſatis perſpecta puellæ conſtantia.Hæc non uulgaris prudentiæ ſpecimen habẽt. Hic mihi rurſus contemplare ſingularem mulierculæ pietatem. Vt ſocrui ſuppeditet alimoniam, ultro ſe confert in meſſem alienam,collectura ſpicas poſt terga metentium. Id enim Moſaicæ legis humanitas indulſit pauperculis. Nõ ſe uertit ad improbum quæſtum, nec puduit extremam profiteri inopiam, nec piguit peregrinam inter ignotos colligere.Pudorem naturalem uicerat pietas.Id quantulum abeſt à publica mendicitate? Quę hoc ſuſtinuit facere,non recuſaſſet uel hoſtiatim rogato pane ſubuenire ſocrui. Nec id tamen auſa eſt, niſi petita uenia. Tanta erat iunioris erga maiorem reuerentia,tantus animorum conſenſus, quum hodie tam raro conueniat inter ſocrus & nurus,etiam uiuis maritis. Huius puellæ pietatem ne mors quidem coniugis aboleuerat. Dedit euidentius obedientiæ ſpecimen, quum iuſſa furtim ſe abĳcit ad pedes Boos dormientis in agro. Ne qua libidinis ſuſpitio hic obrepat animo cuiuſquam,tota res numinis diſpenſatione geritur,nec quæritur uoluptas,ſed generis poſteritas,quod ad Noemi quidem adtinet:quod ad Ruth aũt, captatur maritus,qui ſocrum alat:quæritur proles,quæ uetulam ſoletur ac foueat: quoq; longius abſit omnis ſuſpicio,ex hoc coniugio Chriſtus naſci uoluit. Non erat hæc humana callidĭtas,ſed dei uoluntas. Verum id facere iuſſa Ruth, quod improbitatis ſpeciem præ ſe ferebat, cuiusq; exitus poterat eſſe parum felix, ni in uirum bonum incidiſſet,nihil tamen reſponſat ſocrui. Sed quicquid,inquit,præceperis,faciam.Non interim pudet filias Chriſtianas immorigeras eſſe Chriſtianis matribus,quum hunc animum Moabitis præſtiterit ſocrui? Soluta erat affinitas,at uiguit charitas.Mors abrumpit cõiugĳ uincula,ſed uirus amor finem non habet,ſolus manens etiam poſt obitum. Non iam ut ſocrum,ſed ut matrem ac magiſtram obſeruabat. Perpetuum eſt, quicquid ſpiritus Chriſti cõglutinat. Temporarium eſt,quicquid humanum eſt. Tales oportet eſſe ſocrus omnes erga nurus ſuas,ut abducãt eas à Moabitis,hoc eſt,à iuuenilibus affectibus,et adducãt in Bethleem, id eſt,domum panis:Panis autem eſt ſermo diuinus,qui eſt ipſe Chriſtus Ieſus, hoc ſaturatæ feliciter parient fœtum Chriſto dignũ. Id uero ſocrus efficient, ſi ſic ſe geſſerint erga puellas,ut uirtutis ergò & amentur & timeantur. Vulgus autem hodie tales ſe præbent nuribus,ut merito deſpiciantur. Nam uitæ integritas conciliat autoritatem,officia beneuolentiam. At illæ quum exemplis diſſolutæ uitæ ad ſimilitudinem morum inuitent nurus,quoties iratæ uolunt quod libet imperare, tum demum ſe ſocrus & anus eſſe meminerunt,omniaq; miſcent iurgĳs, ſi minus dicto pareatur. Idem uſu uenit matribus, ſecus quàm oportet educantibus liberos ſuos.Impudenter exigunt pietatẽ ab his, quos diuerſa docuerunt.Quãmulta nos docuit hæc beata Noemi, ſed quo propius inſpicimus, hoc plura ſeſe aperiunt exempla uirtutum Ruth, nihil aliud ediſſe legitur in agro, præter polentam,quam ſibi fecerat: & ne putes omnino nihil fuiſſe deliciarum,permiſſu Boos intinxit buccellam panis in acetum, atq; huius epuli reliquias detulit Noemi. Nulla uirtus familiarior eſſe debet uiduis,quàm ſobrietas ac frugalitas. Habes huius uiduæ apparatũ, ſi potum quæris,Boos permittit illi ſitienti ire ad ſarcinulas,& bibere de eadem aqua,unde biberent illius pueri. Dicet mihi quiſpiam,hunc tam exilem uictum non conuenire omnibus.Fateor in quibuſdam aliud poſtulare cœlum,in alĳs corporis habitum, in nonnullis educationem,& uelut in naturam uerſam conſuetudinẽ, at nulli non licet ſobriam agere uitam. Quæ niſi adſit, periclitatur pudicitia ſimul cum fama. Paula mater Euſtochĳ,quũ & anus eſſet & ægrota,tamen ad bibendũ uinũ,nec Hieronymi monitis,nec auctoritate Præſulis perpelli potuit. Quid igitur frontis eſſe dicemus quibuſdã uiduis, quæ bonã diei partẽ opiparis cõuiuĳs & cõpotationibus cõſumunt, quarum faſtidĳs uix ulla coquorũ induſtria ſatisfacit? Non libet à Noemi diſcedere,uideo nõ fruſtra ſcriptum eſſe, quòd ipſa ſibi cõmutarit nomen, Quũ enim reuerſa in patriã,audiſſet populi uoces, hæc eſt illa Noemi: Quur,inquit,uocatis me Noemi,id eſt,pulchrã,rectius uocaturi Mara, id eſt,amarã,quoniã afflixit me dominus.Indecorũ eſt uiduis formæ laudẽ captare à populo. Quæ cõptæ prodeũt,quę fucis oblitę,quid aliud uenãtur,q̃ audire,hęc eſt illa Noemi? Quæ ſi profeſſæ ſunt cõtinentiam,turpiter pugnant cum uoto ſuo. Si non profeſſæ ſunt, tamen præter decorũ eſt,uiduã ambire uirũ,quã magis ambiri cõuenit. Vt affectus pares

ſint

sint inter sponsum & sponsam, tamen proprie decet eum sexum uerecundia. Virorum est ambire, mulierum ambiri uel rapi potius. Nam prisci quo succurrerẽt sponsarum pudori, solennem morem commenti sunt, ut sponsus uirginem è sinu matris ueluti raptam abduceret. Quod si uirginibus indecorum est ambire coniugem, quanto magis hoc dedecet uiduam? Ambit autem quæcunq; se colit uirorum oculis, quæ frequẽs in publico est. Quamdiu uiuit maritus licet esse Noemi, habet enim cuius oculis se comat. Mortuo uiro, nihil supereſt, nisi ut animi speciem commendet oculis dei, quibus nihil uidetur pulchrius, quàm facies ac uestis, modestiam, pudicitiam, mundicq; contemptum prę se ferẽs. Dicet quispiam. In luctu uiuere, non est uiuere. Immo si beato Paulo credimus, uidua in delicijs uiuens non est uiua, sed mortua. Deinde nullus Christianus excusate uiuit in delicijs, quum omnium uita nihil aliud sit quàm exilium, quàm militia laborum ac discrimínum plena, sed tamen si nõ tẽperat animus à delicijs, excusatius his indulgebit mulier, uiro nupta, quàm uidua. Et ad uiduitatis professionem nulla cogitur, quo fœdius est ab eo resilire, quod uolens tibi delegeris. Postremo Noemi quæ uerso nomine cœpit esse Mara, non tam abiecit delicias, quàm commutauit. Si relicta conferas cum receptis, bone Iesu, quàm ingens discrimen. Quanto corpore præstantior est animus, tanto suauiores, syncériores, cõstantioresq; sunt spiritus, quàm carnis deliciæ. Inæstimabile gaudium est, quod Christus sponsus inspirat mentibus, quæ se totas ipsi dedicarunt. Sed fingamus uiduarum luctum nullo interim solatio deliniri, quis sanus non fateretur exigui temporis luctu bene gaudium emi sempiternum? Iam si non pœnitet nos fructus quem ex Noemi contemplatione cepimus, age redeamus ad pulcherrimũ spectaculum fortissimæ Maccabæorum fratrum matris, cuius nomen ignotum est apud homines, sed multo felicius inscriptum est libro uitæ. Eaq; summa laus est apud Christianos, ex benefactis nullam uenari laudem. Quod si rerum uocabulis insigniuntur interdum homines, qui uirtute quapiam aut uitio præcelluerunt, optimo iure hanc uel Eusebiam, uel Carteriã dixeris. Ad este uiduæ, & auscultate quid hæc uos beata doceat uidua. Præcipua uirtus uel coniugatarum uel uiduarum est, recte educare liberos, quod quidem officium tanti æstimat Apostolus, ut eo declaret pensari primæ matris culpam, quæ uiro dux fuit ac magistra præuaricationis, ac prius mortem peperit omnibus, quàm fœtum. Sic enim scribit Timotheo, Adam nõ est seductus, sed mulier seducta, in præuaricatione fuit, salua tamen fiet per generationem filiorum, si permanserint in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. Habetis matres formam instituendi liberos, non ab Aristotele, aut Xenophonte, sed ab Apostolo, per cuius os uobis loquitur deus. Elementa Christianæ institutionis est fides, ut dictum est, quæ mox teneris animis à parẽtibus est instillanda, huic adhæret charitas, quasi fidei ministra. Mox quoniam in actionibus uitæ multa incidunt, quæ per occasionem inquinant hominem, adhibetur sanctificatio, quæ constat fuga uitiorum, & exercitatione piorum operum. Sanctum enim ac purum esse non potest quicquid non proficiscitur ab his fontibus, fide & charitate. At in bonis operibus nemo perseuerat, nisi adsit sobrietas, quæ comites habet, modestiam, ieiunium, & precationem. Medijs uirtutibus insidiatur arrogantia, cui si locus datur, collabuntur omnia. Luxus autẽ magister est malorum omnium, hunc excludit ieiunium. Nec ad precandum sumus idonei, si corpus habeamus grauatum crapula & somnolentia. Hæ sunt artes quas matres tradere debent suis liberis, si uolunt salutem æternam consequi, quæ tamen illis non promittitur, nisi in his perseuerauerint liberi. Prima cura est, docere quæ sunt optima. Secũda, curare ne improborum conuictu, & hortatu pellciantur ad deteriora. Euentus quidem rei, nõ est parentibus in manu, sed tantum habet ad hoc momẽti parentũ uigilantia, ut Paulus illis imputandum putet, si pietatis studium deseruerint. Qui fieri potuisset, ut septem adolescentes sua corpora, tanta animi præsentia traderent in omnẽ carnificinã, nisi hoc sanctissima mater illis à teneris annis instillasset, ac penitus infixisset, milies oppetendã mortem potius q̃ uiolandã Dei legem: felicissime mori, qui sic occiderẽtur: nec horũ perire corpora, quæ in resurrectione multa cum gloria sint recepturi. Hæc quoniã una cum lacte matris imbiberant, infractis animis tyrannũ detestantur, tormẽta contemnũt. Ad hoc exemplũ uocẽtur matres quæ sibi mire uidentur amare liberos, quũ re uera oderint, dũ liberos suos assuefaciunt cibis lautioribus, ut prius sapiant palato q̃ animo, prius linguę iudicio

ualeant

ualeant, quàm loquantur, docent superbire cultu, docẽt nequitiam, si quid nequiter fece rint, aut lasciue dixerint, excipientes osculo. Mox ubi ad pubertatem peruenerint, fa uent libidini, & ad nequitiam luxumq; sumptum suppeditant, abunde doctos arbitran tes, si belle saltarint, si lepide se gesserint in compotationibus, si nec aleæ, nec ullius ine pti lusus fuerint imperiti. O matres omnibus nouercis nocentiores. Quid aliud optaret hostis filijs uestris, quàm uos facitis? Non lubet hic commemorare quasdam, quæ, quod dictu etiam est abominabile, filias suas ad quæstum prostituunt, quæ è matribus transie runt in lenas: quas equidẽ nec inter matres, nec inter homines numerarim, sed inter por tenta. Nec satis est uerbis præscribere liberis, quod facto sit opus. Quicquid parentes fa ciunt testibus liberis, hoc illos docent. Natura rudem illam ætatem pronam ad imitatio nem finxit, Exprimet quicquid uiderit, etiam priusquam dignoscat, quid rectũ, quid pra uum. Sic igitur matres oportet omnem uitam suam componere, ut quicquid agunt, præ sertim in conspectu liberorum, pietatis sit exemplum. Quæ curant ut pueri siue puellæ li teris ac liberalibus disciplinis instituãtur, meo iudicio probandæ sunt. Varijs modis oc cupanda est ætas illa lubrica, &, ut ait Flaccus, cerea, ne prolabatur ad turpia: & humanę disciplinæ fingũt excoluntq; ingenium, & grauiorum rerum cognitioni præparant. Nec eas improbarim, quæ, licet res familiaris angusta non sit, tamẽ liberos opificium aliquod docendos curant. Hoc pacto excluditur ocium, res cum primis noxia, omniscq; turpitudi nis magistra. Deinde si quis casus ad egestatem perpulerit, artem quæuis alit terra, ut ue tus habet prouerbiũ: Sed nihil prius, nihil accuratius discendum est, quàm pietas, in qua per omnem uitam proficiendum est, cuius usus ad extremum usq; nos prosequitur hali tum. Huius mulieris adolescentes, mortem & morte duriores cruciatus poterant cõtem nere, & nostri iuuenes, quàm nihil habent animi masculi aduersus uoluptates, aduersus iram & reliquas cupiditates. Quid in causa? Quid, nisi diuersa institutio? Nũc si uidetur, fortitudinem huius fœminæ contemplemur. In annalibus repertum est, multos fuisse pa rentes, qui sui corporis cruciatus fortiter tulerunt, filiorum cruciatus ferre non sustinue runt. At hæc mulier toties torta, toties mortua in filijs suis, manet inuicta, quumq; iã pro ducendus esset ultimus natu minimus, flecti cœpit animus tyrãni. Mouit illum ætas, cui parcunt & feræ. Mouit indoles amabilis. Adhibetur mater: admonetur ut saltem unius saluti consulat, uel sibi parcat, uno incolumi, ne prorsus orba uiuat. Quid hic nostra uira go? Magis sibi metuit à regis clementia, quàm à sæuicia: uerita est ne mollior ætas uel ter rita fratrum horrendis exemplis, uel delinita tyranni blandicijs, uitam corporis factura pietatis pacisceretur, profitetur se pro uirili consulturam incolumitati adolescentis. Nec mentita est, uenit, fortissimis uerbis hortata est, ut fratrum exemplum imitaretur, & cor poris interitu salutem æternam mercaretur. Non potuit filio dare consilium melius. Ad hibita sunt exquisitiora supplicia, quæ nihil aliud effecerunt, nisi ut adolescẽtis uirtutem illustrarent. Hæc siccis oculis spectauit mulier, spectauit mater, spectauit uidua. An non amabat filios suos? Et maxime. Sed naturæ pietatem, uicit pietas in deũ: Clauus clauum pepulit, ferreum adamantinus. Amabat filium uehementer, sed prudentius, quàm ma trum uulgus solet. Si filij metu supplicíorum deseruissent legem, tum uere perissent, tum illa luctum inconsolabilem suscepisset. Nunc illorum salutem in tuto collocatam sciebat. Nunc demum sibi tutò gratulabatur quod tales genuisset. Quid ego nunc laudem, quod in se prouocauit tyranni crudelitatẽ, ut ipsis filijs adderetur? Vix credibile est fœminam diros cruciatus, ac mortem contẽnere. At multo plus erat quod passa fuerat in filijs. Vbi nunc sunt matres quæ lugendi filium extinctum nullum faciunt finem? Tum lugendum est, quum filius perit in pugna, in crapula, quum perit impœnitens scelerum: quum perit nec confessus admissa, nec absolutus à sacerdote, nec reliquis Ecclesiæ sacramentis instru ctus ad emigrandum, quum, iuxta uaticinium Hieremiæ, asini sepultura sepelitur putre factus & proiectus extra portas Hierusalem. Immo tum erat lugendus filius, quum per ditam ageret uitã: Tum enim uere mortuus ac sepultus erat. Si moritur adolescens, quan tus eiulatus? Indignum facinus, perijt ante diem, in ipso flore, & impia lamentatio uix à cõuicijs in deum temperat. O animos pluſquam ethnicos, Quum nequitiam discit ante diem, quum scortatur, quum ludit aleam, quum excurrit in militiã ante diem, tum quum res omnẽ postulet eiulatum, applauditur etiam. Mors corporis si fortiter Christiani su

mus

mus,omnino lugenda non est:Si quomodocunq; Christiani,breuis luctus dandus est infirmitati sortis humanæ. Huius igitur fortissimæ uiraginis exemplo,fœminæ deponite mentis imbecillitatẽ,sumite masculos animos,nec uos deijciat sexus infirmitas.In Christo enim nec mas est,nec fœmina,sed noua creatura:adolescentes erant & illi beati Maccabæi, sed uirile robur addiderat fides.Mulier erat & illa,sed ubicunq; adest Christi spiritus, ibi naturæ habitus naturæ cedit conditori. Hoc exemplum eo debet acrius habere calcar extimulandis animis ad religiosam liberorum educationem,quod Iudæa tale præstiterit. Non nouerat Christũ nisi prophetarũ uaticinijs per inuolucra promissum, audierat è pharisæis futuram resurrectionem, at nondum resurrexerat Christus primitiæ dormientium.Quid igitur facere decet mulieres Christianas,quibus tanto clarius per Euangelium illuxit ueritas,quibus tot præceptis, tot exemplis aperta est uia, quibus uberior domini gratia parata est,si se illi præbeant?Hæc abunde sufficiebant ad uiduarum institutionem, Maria uiduarum decus,sed lubet per singula recurrere,excerpturis quid in qua que comperimus eximium.Rursum itaque contemplemur beatissimam anum Annam Phanuelis filiam,senio luscioſam,sed oculis animi perspicacissimam:frigidam annis, sed spiritu feruẽtem,Habebat enim prophetiæ donum. Videtis esse uerum quod ait Paulus in Christo non esse discrimen personarum,sed nouam esse creaturam, quisquis Christo insitus est.Quid sublimius Prophetis? Horum dignitati æquata est mulier, quæ προφήτου, ut ita loquar, seruatoris præstitit,priuatim eum pronuncians,quem paulo post Ioannes publice prædicabat:septem annis uixerat cum marito à uirginitate sua. Eo defuncto perseuerauerat in uiduitate sua usq; ad annos octoginta quatuor.Primum illud animaduertẽdum,quod hæc Anna uirginitatem suam ad maritum pertulerat,id quod haud scio an hodie faciant omnes,quæ tamen passis capillis nubunt. Quumq; paucis annis marito conuixisset, nec ex eo suscepisset liberos, nam prolis nulla fit mentio, tamen puella non iterauit coniugium,sed totum animum ad amorem Messiæ uenturi transtulit, facile declarans,quòd primo marito nupsit,obedientiæ fuisse non propositi. Etenim si placuisset usus coniugij, repetisset etiamnum puella. Sed quare temperauit à repetendo coniugio? Num ut liberius uiueret, soluta à iugo uiri? Siquidem hæc ut dixi causa multas inuitat ad perpetuum cœlibatum, quas Paulus non agnoscit pro uiduis, sed mauult eas nubere ac matresfamilias fieri.Ea demum uere uidua est,quã amor pietatis retrahit à matrimonio.Quæ res igitur persuasit huic puellæ cœlibatum? Indicarat spiritus huic uiduę, futurum, ut ipsa uiua, nasceretur ille tot seculis expectatus infans. Huius expectatione negligebat quicquid habet hic mundus uoluptatũ,hac spe nec sensit iuuentutis titillationem, nec senectutis onus. Vbi interim uersabatur? Auscultate uiduæ. Non in nuptijs, non in conuiuijs,non in conciliabulis,non in alienis ędibus. sed ubi tandem? Lucas indicat,non discedebat,inquiens,à templo.Iam eam excesserat ætatem, quam Paulus Apostolus non excludit ab ecclesiæ ministerio. Sed quid illic? Num oscitabat,num garriebat aniliaʳ nequaquam, sed ieiunijs ac precationib.seruiebat domino,nocte pariter ac interdiu. Nouerat sanctissima mulier, cui rei dicatum esset templum, non prophanis fabulis, non ociosis deambulationibus, sed deprecationibus, iuxta illud quod Christus post è prophetis docuit, domus mea domus precationis uocabitur. Non potest precatio gratum esse sacrificium domino,nisi adsit ieiunium, ac uigilia. Et ideo additum est die ac nocte. Sacerdotes immolabant,oues,boues,agnos & uitulos, hæc immolabat spiritualem uictimam, thymiama uotorum, sacrificium laudis, seipsam hostiam rationalem, ac puram, &, si uis, holocaustoma cordis amore cœlestium flagrantis.Ieiunat anus octoginta quatuor annos nata,uigilat assidue,& non pudet uiduas quasdam corpore uegeto,ætate florenti,dormire in multum diem,ac ne his quidem diebus abstinere à cœna quibus autoritas Ecclesiastica indicit ieiunium? Et si quando ex more magis quàm ex animo templum adeunt,aut dormitant,aut garriunt,aut ociosis cogitationibus tempus terunt, Loquebatur & Anna, sed quid loquebatur? de uenturo Iesu. Quibus? Quibuslibet? Nequaquam. Sed omnibus qui expectabant remissionem Israel. Nondum erat tempus,ut prædicaretur Christus opportune & importune, nec id conueniebat & mulieri & anui. Et ecce iuxta promissionem Euangelicam præmium pietatis.Duo loquebantur de Iesu,

Anna Phanuelis

Simeon senex & Anna anus, & repertus est in medio ipsorum de quo loquebantur. Hoc erat quod illos tam diu remoratum fuerat in uita, ut uiderent Christum domini. Quantulum autem est quod Annæ contigit? uidit infantulum. At nostræ uiduæ quanto uberius solatium inuenient in Iesu, si huc totum uertant animum, quibus totum Iesum exoscular quotidie licet, conceptum, natum, prædicatum, docentem, sonantem, crucifixum, resurgentem, discipulis apparentem, ascendentē in cœlos, sedentem ad dexteram patris. Totus amabilis est, quacunque illum parte contrectas, senties illum nihil nisi meras esse delicias, si eum sinui cordis admoueas. Dixerit aliquis. Aderat Annæ prophetiæ donum quod nunc uix ulli datur. Nec enim opus est. At longe plus nobis patefecit Euangelium orbe toto coruscans, quàm illi prophetiæ spiritus. Et quisquis intelligit in scripturis sensum mysticum, habet prophetiæ donum. Quanquam nec hodie contractior est spiritus benignitas quàm olim fuit, si modo promereamur, & si res postulet. Paremus spiritui dignum hospitium, nec grauabitur adesse. Amat mentes castas, puras, tranquillas ac modestas. Age transeamus hinc ad uiduam illam pauperculam, ore domini laudatam, quòd exiguo munusculo, uicerit omniū diuitum magnifica donaria: spectemus & nos cum domino huius mulierculæ pietatem, non tantum ut laudemus, uerum etiam ut imitemur. Et ecce, quàm multa nos docet breuis narratiuncula. Primum commendat benignitatem in pauperes, nō in quoslibet, sed in eos per quos ædificatur templum domini. Templum autem domini est, ecclesia. Quicquid confertur in pios usus, mittitur in gazophylacium templi dominici, non solum quod datur in fabricam templi materialis, quanquam & hoc interdum recte confertur. Verum multo magis ad rem pertinent, quæ significabat illud templum Hierosolymitanum. Paulus laudat benignitatem erga omnes quidē, sed potissimum erga domesticos fidei. Et inter hos discrimen est. Primitiæ benignitatis debentur ijs qui nobis naturæ uinculis iuncti sunt, ut liberis, nepotibus, reliquisq; cognatis. Et hic quoq; pronior debet esse liberalitas, in eos qui pietati uacant, quàm qui carni indulgent. Dandum est aliquid improbis, sed ut hominibus, & ut uiuant, non ut luxurientur. Nec est periculum si quando erret in persona benignitas. Si perdit suū beneficium qui accipit, non perdit charitas suum quod dedit: quicquid amore Christi datur, templo datur. Quid præterea nos docet hæc uidua? docet nihil referre quātum largiaris, sed plurimum interesse quo animo largiaris: homines æstimant munus precio, deus ęstimat affectu. Non est ô uidua quod excuses rei familiaris angustiā, hæc præter duo minuta nihil habebat, & totum hoc conijcit in gazophylacium. Quid an nō timebat sibi famē? Nam hoc titulo nūc esse frequenter excusant & diuites, Non dabo, ne mihi meisq; desit. Et quis est tam opulentus, qui non aliquando possit egere? Ista causatione nullus quicquam dabit cuiquam. Noui tales aliquot, quibus quæuis excusatio sufficit in hoc, ne quid dent. Aedificio non possum esse benignus in pauperes. Vxorem habeo fœcundam. Malignus fuit huius anni prouentus, merx perijt naufragio: quidam etiam ex uaticinio petunt auaritiæ suæ patrocinium. Astrologi dicunt instare rerum inopiā. Non dissipabo quod collectū est. Si quid petunt amici, negant aliquid dandum amicis, quòd ea res uitiet amicitiæ syncēritatem. Si cognati, non est inquiunt eleemosyna quæ datur propinquitati. Si quid petitur indulgentiarum nomine. Non dabunt inquiunt alendis Romanensium delicijs. Si quid templo, dicūt se nolle alere luxum sacerdotum. Si quid petitur monasterijs, aiunt nihil pertius collocari, quàm quod datur illis ociosis, nec unquam satiatis uentribus. Si occurrunt mendici publici, negāt illos esse pauperes quos scriptura diuina nobis commendat, Illos esse sordidos homines & improbos, pleroscq; etiam sceleratos. His gradibus discimus nemini quicquam impartire. Quando dabit, cuius liberalitatem retundit quælibet causatiuncula? Quanto magis conuenit undecunq; dandi causas comminisci. Libentius dabo, quia sanguine iunctus est, mihi ipsi impendo, quod illi largior. Vir bonus est, sed egenus, aut bonæ spei puer est, aut probitatis causa redactus est ad inopiam. Postremo dabo quia Christianus est, & in illo dominum meum refocillabo. Sine Christianus quidem, tamen succurram periclitanti, si non ob aliud, certe quia homo est, & fieri potest ut aliquando resipiscat. Occidit qui non seruat, quum possit. Nec est Christianę clementiæ, uel Turcam occidere, nō ob aliud, nisi quia Turca sit. Sareptena redacta in extremū famis periculum,

nihil

nihil detrectans impartiit Heliæ quod habebat, haudquaquam factura, nisi uerbis prophetę credidisset. Hic si adsit fiducia, non excusabimus tenuitatem nostram, sed freti promissis dei, præsentem proximi egestatem alacres subleuabimus. Quid autem ille promisit? Vbertatem rerum, & cum multo fœnore redeuntem beneficentiam. Probabile est Euangelicam illam uiduam opera manuaria parasse quod cōferebat in gazophylacium, & fieri potest ut eo die sibi cœna interdixerit, ne nihil esset, quod decideret pauperibus. Non erat sollicita de crastino, sciēs domini benignitatem, quæ pascit etiam passerculos, & uestit agrorum lilia, non defuturam in ipsa sperantibus. Iam si res deest, est aliud eleemosynæ genus deo non minus gratum, quod plus adfert utilitatis accipienti, nec rem dantis facit deteriorem. Inseruire senibus aut ægrotis, bene monere puellas, consolari afflictas, extimulare segnes. Hæc qui præstat, plus confert, quàm si cibum impartiat, aut pecuniam. Felices uiduæ, quæ sic sese comparant, ut utroq; munificentiæ genere præcellant. Quanquam nullum munusculum tam exile tamque minutum potest esse, quod non ingens lucrum pariat apud deum, si bono animo datur, hoc est si Christi respectu detur, si alacriter ac prompte. Prętera nullum est officium tam sordidum, quod nō sit nitidum ac pulchrum in oculis dei, si fiat quemadmodum oportet. Quid sordidius cꝫ tractare paupertum hulcera, uomitum & putulentiam oris excipere, manu confouere stomachum ęgrotantis? At nullæ gemmæ, nullæ rosæ, nulla aromata pulchrius nitent, suauius olent oculis naribusq; dei. Hæ pro delitijs habebat nobilis illa uirgo Eustochiū, Romæ sub auratis laquearibus nata, in delicijs educata. Quur ita? Quia rem ut erat secum reputabat. Quicquid horum facio, Christo facio non hominibus, Christi membra tracto. Quid si ipse prę sens hæc pateretur, nū oporteret fastidire? Nunc professus est ipsi prętari quicquid membris eius prętatur. Eadē erat pietas Elisabet Hessorū Lantgrauiæ, quod iuxta sensum carnis abominabile est, pro delicijs habebat amore Christi. Hæc qui cogitat, & credit examo quæ cogitat, non nauseabit ad ullum obsequium pauperibus impendendū. Bonę sordes sunt, quibus expurgantur animarum maculæ. Nec perit officium pro quo Christus se sponsorem obstrinxit. Hoc pręcipue nos ad officia charitatis segnes reddit ac difficiles, quòd parum animaduertimus quibus illa prætētur. Aestimamus hominum merita, supputamus quid inde nobis sit rediturum. Atqui cū homine nobis nulla est ratio. Deo prætatur quicquid impenditur. Quid ille promeruerit, quæ præmia redditurus sit, uentat nobis in mentem. Occurrit & tertium quiddam, quod ab hac uidua discatis ô uiduæ. Huius pauperculæ pietas, apud homines pudorem retulit potius quàm laudē, soli diuites erant suspiciendi, sed habebant omnes spectatorem Iesum, sola hęc meruit habere applausorē, qui solus intuebatur corda. Bono animo estote uiduæ, si nullus hominum agnoscit uestram beneficentiam, si nemo probat, immo si complures suggillant, sitis unico spectatore contentæ, satis est si uidet ille, si probat. Illi uni feceritis, quicquid eius amore confertis in egentes, nec ulla sors tutius est deposita, quàm quæ absconsa est in sinum pauperetis: etiamsi is qui iuuatur beneficio, nescit unde proficiscatur. Tanto uberior ueniet tibi merces à deo, quanto minus præmij speratur ab hominibus. Hoc ipsum euidentius nos docet hæc uidua, si paulo interius subeamus adytum tropologiæ: Ad omne opus bonum duo simul agunt, liberum arbitrium hominis, & gratia dei. Porrò quod hic nostrum est tam minutum est, ut penè nihil sit, certe sine alterius auxilio nihil profit unquam, frequenter obsit quoq; liberum autem arbitrium duo complectitur: rationem & uoluntatem. Hæc sunt duo minuta quæ conficiunt quadrantem, extrema paupertas, si nobis seruemus, sed quæ pariant ingentes spiritus diuitias, si totum hoc quicquid est domino fœneremus. Ille sua maxima iunget nostris minutis. Illustrabit nostrum cæcutientem intellectum lumine fidei suæ, instruet uoluntatem ardore charitatis suæ, conflabiturq; mirabilis thesaurus, quem totum imputabit nobis illius benignitas. Tantum quicquid nostrum est, si quid tamen omnino nostrum est, cum uidua paupercula totum conijciamus in illius gazophylacium. Id quo minutius erit ex nobis, hoc magis dilatabitur numinis munificentia. Si minimum est æstimatione nostra, maximum fiet æstimatione dei. Diuites iactabant multa, sed horum precia non nouit Christus. uiduæ præcium nouit, quod eo charius est apud deum, quo uilius est apud homines. Hæc est indicatura bonorum ope-

rum,si illinc nihil sibi uindicet homo. Modestia est quæ commendat benefacta nostra do
mino. Quum omnia fecerimus, dicamus, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fe
cimus. Hoc si dixerimus ex animo, si quicquid nostrum uideri poterat, eleuemus ac pro
nihilo ducamus, dominus æstimator benignus pro charo accipiet. Hæc sententia locum
habet, non solum in naturæ dotibus, quibus & impij nonnunquam præcellunt, uerum
etiam in donis spiritus, quæ plerunq; uel minuit uel abigit arrogantia. Sunt qui ædificent
templa, marmore candido. Sunt qui extruant monasteria, magnificis impendijs: foris &
intus ad singulas columnas ac fenestras sculpta, pictaq; sunt insignia diuitis, cuius impen
dijs erectum est ædificium. Eius nomen inditur collegio, ipse ingens eo cultu procumbit
super monumento, quo solet in bello procedere. Quis non miretur tam effusam liberali
tatem? At uereor ne non perinde magno æstimet Christus, si hac uia cogitauit suum no
men posteritati cõmendare, potius q; cõsulere pietati. Quanq; & in copiosa munificentia
licet esse uiduam pauperculã, quando quidem res hæc non precio rerum constat, sed ani
mo. Si prædiues multa milia confert in alimoniam pauperum, sic apud se cogitans, nihil
de meo largior, etiam hoc quod mihi seruo pauperum est, nihil mereor gratiæ, bene ha
bet, si domini uindictam effugio, & utinã liceret hoc ipsum sic largiri, ut utilitas ad Chri
sti membra perueniat, ad me nulla redeat ab hominibus gratia, hæc nimirum uidua est
paupercula, uixq; mittit duo minuta, sed domino preciosa. Libẽret diutius in huius bea
tæ pauperculæ contemplatione morari. Quis enim non optet hanc pompam quàm len
tissime procedere? sed absoluendum est uolumen. Ab hac igitur digressis occurrit nobis
uidua filium unicum efferens ad sepulturam, quam fuisse locupletem uel hinc apparet,
quod multa turba ciuitatis ornabat exequias, Sic enim Lucas. Hæc uidua erat, & turba
multa ciuitatis cum illa: solet autem tenuium infrequens esse pompa. Plorabat autem fili
um adolescentem, quem habebat unicum. Attendite uiduæ si quid bonæ rei uos docet
hæc uidua. Nihil est noui si uidua mulier lachrymas impendit unico filio uita defuncto,
Nam mortem præproperam, flent etiam alieni. Quòd Iesus hunc uitæ reddidit, si spe
ctes historiam, semel duntaxat accidit. Sed aliquid frugiferæ doctrinæ condit allego
ria. Quot sunt matres quæ impotenter lugent filiorum corporalem mortem? At hæc ut
diximus non est admodum lugenda, quæ communis est omnium, multis etiam bono
est. Sed paucæ sunt matres, quæ lugent filium, iuxta spiritum exanimem, ac putre ca
uer circumferentem. An non misere mortuus est adolescens, qui totus ægrotat me
retricijs amoribus? qui delibutus est unguentis, qui pernox est in alea, in lusibus, in co
messationibus, qui nec timore dei, nec hominum reuerentia cohibetur, quo minus faciat
quicquid animo collubitum fuerit? Mortuus est, quisquis abiecit timorem dei, effertur
qui famam quoq; contemnit, suisq; cupiditatibus ueluti baiulis defertur extra ciuitatem,
defertur ad sepulturam. Ciuitas est Ecclesia, extra hanc sunt, Ethnici, Iudæi, schismatici et
insanabiles hæretici. Sepulti sunt, iam deploratæ impietatis, & ab omnibus conclamati.
Nullus enim inclamare pergit sepulchro conditos. At posteaquam iuuenilis anímus se
met in omne uiciorum genus præcipitem dedit, omnem absterſit pudorẽ, quid superest,
nisi ut uel à professione Christiani nominis desciscat, uel in hæresim prolabatur, quò uel
sic blandiatur suis flagitijs? Quid autem mentis habes ô uidua, quæ sic mortuum adole
scentem adeo non ploras, ut placeas etiam tibi tam eleganti filio, ut sumptus libenter ad
nequitiam suppedites? Non sentis te simul cum illo mortuam? Illius animam abs te exi
get deus, quæ tua indulgentia corruperis adolescentem, quæ sic institueris. Proinde quæ
cunq; uidua talem habes filium, imitare uiduam Euangelicam, plora defunctum tuum, si
forte occurrat tibi dominus Iesus, qui lachrymis tuis flexus restituat tibi filium tuum
pro mortuo uiuum. Solus enim ille potest uel è sepulchro reuocare putidos. Sic Pau
lus Apostolus summo cum dolore denuo parturijt Galatas, donec in eis formaretur
Christus. Sic Monica uidua lachrymis filium Augustinum Christo lucrifecit: quàm
multæ uero matres sunt, quæ filios habent multo perditiores, quàm tum erat Augusti
nus, nec tamen ullam lachrymam impendunt miseris, quum illis fuerint mortis causa.
Plorate matres, plorate uiduæ, quę iuuenes habetis, delicijs perditos, impijs opinionibus
infectos, iamq; periculo proximos. Ne extra ciuitatẽ Naum, in qua sola est peccatoribus
consolatio

consolatio, sepulchro desperationis obruantur: plorate donec obuius dominus qui non uult mortem peccatorum iubeat sisti loculum, erigat iacentes, ac uiuos restituat matri Ecclesię. Parturite denuo quos semel peperistis. Eamus nunc si uidetur ad uiduam è parabola, ab hac discamus orandi improbitatem. Vicit illa iudicẽ impium, qui nec deum metuebat, nec homines reuerebatur, multo magis nos flectemus dominum natura benignum. Differt interdum uota nostra, ut magis accendat desideria nostra. Ne cessemus opplorare, ne cessemus occlamare, donec misertus nostri, uindicet nos de aduersario nostro. Habemus omnes aduersarium satanam, qui nunc̃ capit somnum, tot laqueis captans nos, quot sunt carnis cupiditates. Aduersus hunc nulla certiora præsidia, quam assiduus clamor ad dominum, sed è corde proficiscẽs magis q̃ è labijs. Clamemus cum fiducia, non meritorum nostrorum, sed diuinæ bonitatis, etiamsi uidebimur aliquãdiu opplorare surdis auribus, tamen futurũ, aut hoc quod petimus, aut aliquid illo nobis expedientius. Hinc nos conferamus ad beatas illas uiduas, quæ ministrabant apostolis, Euangeliũ per uarias regiones disseminantib. & harum exẽplo discamus benignitatẽ erga illos præcipue, qui syncériter laborant in negocio pietatis, qui & uita & lingua docent Euangeliũ. Contemplemur uiduas quæ circũstant Petrum, lachrymantes & ostendentes uestes quas illis faciebat Dorcas. Tanta erat uiduarũ autoritas, ut Petrus harum lacrymis mulierculam uitæ restitueret, pristinoq̃ redderet ministerio. Nõ est necesse uiduã hodie per regiones circũagi. Nusq̃ nõ adest occasio prouehẽdi euangeliũ. In agris, in ciuitatib. tẽplis plena sunt omnia, sed pleraq̃ muta. Canitur et psallitur affatim, at quàm rarus, qui gregi Christiano ministrat sermonis euangelici pabulum, idq̃ pure & syncere. Huc uigilet uiduarum pietas ac benignitas. Margarita Henrici octaui, qui nunc Angliæ regnum tenet, proauia, quicquid opum congesserat huc conferebat, ut uiri probi doctiq̃ alerentur prædicando populis euãgelio. Est his quoq̃ temporibus messis multa, sed operarij nimium pauci. Italiæ felicitati, quum illic agerem, nihil magis iudicabam deesse, quàm concionatores Euangelicæ doctrinæ. Populus satis docilis est, sed cõcionum sacrarum incredibilis inopia: Hinc tanta macies animarum, tantus frigus charitatis, tantus fidei torpor. Adiuuistis uiduæ nascentis Euangelij primordia, tueamini functionem uestram, quam semel occupastis, adeste facultatibus pariter & officijs, laboribus illorum, qui nauant operã in excolendo agro dominico. Viduarum est non solum suppeditare apostolicis uiris, uerumetiam gignere. Viduæ debemus Timotheum apostolo Paulo charissimum, qui iuxta illius testimonium, matris optimæ cura fuerat à puero eruditus in sacris literis. Hunc tametsi iuuenẽ tãti fecit Paulus ut eum salutet γνήσιον τέκνον, hoc est, uerũ, germanũ, minimeq̃ degenerem filium. Et Philippensibus scribens, appellat illum ἰσόψυχον hoc est, paris animi, qualem negat alium esse quenquam. Adeo tenere dilexit illum uiduæ filium, ut quum esset imbecilli ualetudine, per literas illum monuerit, ut temperaret à perpetua hydroposia, sed uteretur modico uino. Atq̃ ut intelligas in huius uirtutibus nonnullam laudis partem dandam matri & auiæ, sic ad hunc scribit. Recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te nõ ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & in matre tua Eunice. Certus sum aũt quòd et in te. Vides ex uiduis educatricibus Apostolũ cõfirmare sibi bonam de Timotheo opinionem: quasi fieri non possit, ut qui puer nactus sit pias educatrices euadat in uirum impium, sed necesse sit, ut uelut hæres succedat in maiorum suorum religionem, quam unà cum lacte suxerat à parente. Idem indicat quum ad eundẽ scribit hunc in modum. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus uerbis fidei, & bonæ doctrinæ quam assequutus es. Audis quid hic puer imbiberit à parentibus suis: A sinu uiduæ uenit ad consortium tanti Apostoli. Et tamen hic erat græco patre natus, cuius mors profuit Timotheo, uidelicet tota educationis autoritate ad auiam & matrem deuoluta. Hoc titulo laudatur & Ioannis apostoli uidua, quòd filios haberet ambulantes in ueritate & charitate. Hoc illi titulo nominatim gratulatur apostolus. Habetis uiduę quo consolemini uestram conditionem, habetis formam ad quam componatis studia uestra. Ne conqueramini uos destitutas, quarum ille cui nemo potest resistere, curam, tutelam & patrocinium ad se recepit: ne formidetis humanam uiolentiam, habetis protectorem & uindicem deum. Ne mendicetis à mundo solatium, habetis omnis ueræ uolu-

ptatis fontẽ, si uos totas conieceritis in deum. Mundo uiduæ estis, in Christi thalamo deli
ciamini. Ne uos pigeat uiduitatis uestræ, uidetis quàm eximias habeatis duces, quantaq; sit domini ergo uos dignatio: Nihil supereſt, nisi ut & diuinę in uos benignitati, et ducum uestrarum exemplis, pietate morum respõdeatis. Solatium & dignitatem amplectuntur omnes: at officij nõ ita multi meminerũt. Summa fuit apostolorũ dignitas. Qui in horum locum succesſerunt, pronis auribus accipiunt autoritatis & sublimitatis mentionem. Ve rum officij si quis admoneat offenduntur plerique. Itidem principes auidis animis audiunt, si quis è literis sacris depromat ea quæ dignitatẽ et eminentiam ipsorum declarant, uideli cet quod omnis potestas sit à deo, & qui potestati resistit, deo resistit: at si quis incipiat de monstrare, quanta integritas, uigilantia, sollicitudo, requiratur ab his qui potestate præmi nent, non ita multos reperias qui sermonem æquis auribus accipiant. Attamen ita com paratum est, ut summus honos plurimum oneris habeat adiunctũ, cui ni respondeas, ho nos uertitur in ignominiã. Veluti præsules si de apostolorũ autoritate præcellentiaq; glo rientur, quum uita tota dissideat à moribus apostolorũ, nónne sibi plus dedecoris quam gloriæ cõciliẽt? Ita si princeps glorietur quod dei uicarius sit in terris, ut re uera est, à quo potestatem accepit in tot hominum milia, nónne simul illud meminisse debet, qui potesta tẽ mandauit, in hoc mandasse, ut ad ipsius, quãtum licet, formã, res hominũ administrando su um cõmodum spectat, sed hominum salutem, & quum plurimum possit, neminem tamẽ lædit. Quisquis enim lędit ur à seipso lædit ur. Quin si libet hoc quod dicimus, ex suo quis que animo æstimet. Si cui rex deleget administrationẽ prouincię, prędscriptis rationibus, quibus illam tractari uelit, atq; ille contẽptis domini prędscriptis, cõtrà faciat omnia, proq; sua libidine rem gerat, quam gratiam initurus est à principe suo? Aut quid decoris illi cõ ciliauerit præsidis uocabulum? Habetis antistites ac præsules uestri ordinis uiduæ, sed ex earum gestis liquet, quæ uita deceat uiduam. Nihil hic ex humanis constitutionibus de promptum est, ex diuinis uoluminibus protulimus omnia. Non fallet uos promissa conso latio, nec erroris periculũ est, si hinc cõmonstratã uiam ingrediamini. Itaq; uoluminis hu ius finem faciemus, si paucis delibauerimus quæ beatus Paulus de uiduarum statu literis prodidit. Christianã enim uiduam formamus, & ille de Christianis uiduis loquitur, quan quam ratio temporum immutata facit, ut hodie non omnia perinde respondeãt. Laudan tur in Euangelio mulieres, quæ dominum sequutæ fuerant à Galilæa, ministrantes illi de facultatibus suis, Laudantur quæ post missum cœlitus spiritum sanctum idem officij præ stiterunt apostolis, quod Christo præstiterant. Nunc indecorum habeatur, si uiduæ per ci uitates & regiones uagantes sequantur Ecclesiastas, quum ubiq; sint, qui bene docentem alant, & alia uia iam illis prouisum sit. Deinde refrixit illa prisca syncęritas ac robur spiri tus, ut iam nec tutum sit Ecclesiastis circũducere mulierculas, nec suspitione criminis cari turum, etiamsi crimen abesset. Adde quòd illis temporibus, quoniam plerique tenues erãt, & humiles iuxta mundum, qui euangelio adhærebant, summaq; erat euangelici nominis inuidia, nec congruum uidebatur, ut qui Christo nomen dedissent, ab his mendicarent alimoniam, qui Christi nomen detestabantur, qui præsidebant Ecclesiæ, uiduarũ, ac pue rorum curam ad se recipiebant. In eum usum conferebãt, quibus erat fortuna lautior, alij totas facultates, alij portionem pro modo rei familiaris, sic temperantes benignitatem, ut nec alijs deesset, quod requirebat necessitas, nec ipsi cogerentur grauare ecclesiã. Hinc est quod Paulus Timotheo scribit, Adolescentiores autem uiduas uolo nubere, filios pro creare, matres familiãs esse, nullam occasionẽ dare aduersario, maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt post satanam. Et paulo superius dixerat, Adolescentiores autem uiduas deuita. Posset aliquibus hoc apostolus uideri sensisse, non esse fas episcopo cũ ui duis iunioribus colloqui, nec his concessum ut in cœlibatu permaneant semel amisso ui ro. Nec defuerunt qui monogamiam requirerent etiam à uiris, quidam in totum coniugij ius à Christianismo submouerunt. Horum dogmata quoniam Ecclesiastica damnauit au toritas, absit ut tale quicquam de Paulo suspicemur, maxime, quum secum ipse pugnare comperiatur, si quid tale docuisset. Quum enim Corinthijs scribens hortetur uirgines ad perpetuam continentiam, licet non cogat, quum matrimonio iunctos eódem prouocet,

modo

modo fiat id tempus, ex consensu, quum de uiduis cuidēter scribat. Dico autem innuptis ac uiduis, si sic permanserint sicut ego. satis aperuit quid sentiat. Non igitur deterret uiduas iuniores à proposito continentiæ, sed ecclesiæ consulit ne grauetur simul & infirmetur, talium ministerio. De his enim uiduis agit quæ recipiebantur ad ecclesiæ ministerium, & huius sumptibus alebātur, quòd uel ob fortunæ tenuitatem, uel ob cognatorū uel affinium iniquitatem nō haberent unde uiuerent. Huc si uiduæ iuniores fuissent admissæ, duplex imminebat periculum, alterum ne tenues ecclesiæ facultates non sufficerent alendis omnibus: alterum ne pronior in uoluptatem ætas, si lapsa esset, ecclesiæ dedecus conciliaret: Si non esset, tamen obtrectandi materiam ethnicis ac Iudæis maleuolis præberet. Ad hæc, periculum erat ne quas uiduas, ocium & cibus alienus potius q̄ pietas ad ecclesiæ ministeriū inuitaret. Eoq̄ præcepit, ne recipiatur uidua minor annis sexaginta, quòd hæc ætas minus sit lubrica, minusq̄ obnoxia suspitioni. Nec ætati tamen satis fidit Apostolus, requirit totius uitæ testimonium: ut fuerit unius uiri uxor, repetitū enim coniugium, tametsi concessum est ijs quæ se non continent, tamen præ se refert incontinentiæ speciem: ut in operibus bonis habeat testimonium, ut filios suos ad pietatem & castitatē educarit, ut Christianis hospitalitatem exhibuerit, ut sanctorum pedes lauerit, ut afflictis pro nomine Christi, etiā cum suo periculo subministrauerit, deniq̄ ut in omnibus bonis operibus fuerit assidua. Aequum enim est, ut quæ suis facultatibus, quum suppeterent, iuuit ecclesiam, huius uicissim inopia sumptibus ecclesiæ subleuetur, & hospitiū illic inueniat, quæ dum licuit præstitit hospitalitatē: & perpetuæ castitatis bonā de se spē præbuit, quæ semel experta matrimoniū, prius habuit educare liberos, q̄ repetito cōiugio indulgere uoluptati: atq̄ adeo probabile est illā amore prolis, non libidinis nupsisse marito, quæ suscepti liberis, maritum alterum non desiderat: neq̄ cadit superbiæ suspicio in eam, quæ non grauata est lauare pedes, nec uerisimile est illā in fide non perseueraturā, cuius pietatem à subleuandis Christianis nec tyrannorū sæuitia deterrere potuit, nec simulauit charitatē quæ nusq̄ defuit officio. Res em̄ tēporaria est hypocrisis. Postremo insigniter proba sit oportet, de cuius integritate cōsentiunt omniū testimonia. Tales quidē oportet omnes esse uiduas excepta ętate, quā nemo sibi potest nec dare nec adimere: sed hęc nominatim & expressius exiguntur ab ea, quæ in ecclesiæ tutelam ac ministerium sit admittenda. Quid est autem quod ait, Adolescentiores uiduas deuita? In hanc classem, uidelicet ecclesiæ stipendijs alendarum, ne recipito uiduas iuniores. Ne eas quidem quæ egent, ac dotibus prædictis omnibus commendantur? Non. Quamobrem? Quia est uitæ genus quod magis illis congruit. Aetas & forma facile inueniet illis maritum cuius impendio uiuant, cui pariant liberos. In his educandis abunde magnum sacrificiū præstabunt deo, nec interim grauabitur ecclesiæ census, nec periclitabitur uel mulieris uel ecclesiæ fama. Nec hanc diffidentiam temere suscepit Paulus, euentus illum docuit, quantum sit discriminis. Quum enim iuniores receptæ in ecclesiæ alimoniam lasciuire cœperint, aduersus Christum quem sibi sponsum delegerant, tum demum uolunt nubere cum iniuria sponsi, cum dedecore ecclesiæ, cum animarum suarum damnatione, quia primam fidem reliquerunt. Hoc ipsum enim graue discrimen. sed huic accedit aliud, quòd liberæ ab imperio mariti, rum, & otio corruptæ, discunt circumire domos alienas non solum inutiles, uerum etiam molestæ alijs, quibus obstrepunt garrulitate sua, & curiositate, dum ea loquuntur, quæ turbant tranquillitatem Christianorum. Quisquis enim uicio curiositatis laborat, idem laborat & garrulitatis, & quisquis delator est alienarum actionum ad te, idem de te non silet apud alios. Aduersus hæc omnia mala remedium est matrimonium. Nam sexus & ætatis leuitatem, regit mariti autoritas, Tum familiæ cura uix unquam dat locum otio. Quemadmodum autem omnibus uiduis præstanda pro uiribus sunt, quæ Paulus requirit in proba uidua, ita cunctis uitanda sunt, quæ notat in reijcula. Nec omnes tamen, licet anus ac probas recipit ecclesia, sed eas duntaxat quæ nec maritum inueniunt per ætatem, nec cognatos habent, à quibus alantur. Eóque subijcit. Si quis, aut si qua fidelis habet uiduas, subministret illis, ut non grauetur ecclesia, & his quæ ueræ uiduæ sunt sufficiat. Apostolus itaque nec aniculæ præcipit monogamiam, nec puellas uiduas dehortatur à continentia, modo adsit animus spontaneus, & res suppetat familiaris ad uictus

ſufficientiam. Satis tamen declarat eas ad profeſsionem continentiæ non facilè recipiendas ob ætatis ac formæ lubricum. Præclara quidem continentiæ uirtus, ſed ſi minus magnificum, certe tutius eſt nubere. Sic & in matrimonio ſuadet intermiſsionem uſus connubialis, ut uacent precationi, ſed ex utriuſque conſenſu, ne non præſtetur fides, quam uterque debet alteri, tum ut ex interuallo redeant in idipſum, ne tentet illos ſatanas propter incontinentiam carnis. Atque in ſumma, ut præclarius ſit profiteri perpetuam continentiam, certe tutius eſt eam præſtare libera uoluntate, nec tamen interim quicquam omittere, quod ad pudicitiæ cuſtodiam pertinet. Hic fortaſsis roget quiſpiam, quæ ſit ætas idonea profitendæ pudicitiæ. Non me clam eſt ueteres deſignaſſe ætatem omnem aptam profeſsioni, quæ ſit apta coniugio. Nunc quidem nec pubertatem expectant. Verum ſi Paulum à recipiendis uiduis iunioribus deterret ætas, & exempla multarum, quæ deſciuerant à ſancto propoſito, quanto contantius nũc agendum eſt, quum infelicibus exemplis plena ſint omnia, & diſcedentium & manentium. Quidam enim ſic manent, ut longe ſatius ſit abiiſſe. Fortaſſe tutiſsimum ſit, in totum à uotis humanis ac perpetuis abſtinere: Nullus enim uotum ſuſcipere cogitur. Proximum huic, non nectere nodum inſolubilem ante annum trigeſimum, præſertim in ſexu fœmineo, qui natura mobilior eſt, niſi peculiari gratia fulciatur, quæ ſanè non omnibus data eſt. Illud tamen omnibus Chriſtianis curandum, ut à primis ſtatim annis pueri ſimul ac puellæ ad caſtitatem, ſobrietatem, ac pietatem educentur. Ita fiet, ut uirtus adſit, nec laqueus cuiquam iniiciatur. Atq; hic ſermo duntaxat ad illos illásue pertinet, qui qúæue libertatem ſuam hactenus ſeruarunt. De his qui iam uincti ſunt nihil temere citraq; maiorum autoritatem agendum cenſeo, quo ſimul & fama ſit tutior, & conſcientia tranquillior, atq; interim ſummo ſtudio cauendum, ne libertas cuiquam quæſita ſit ad indulgendum carni. Porrò uiduam ſic oportet dum cœlebs eſt uiuere, quaſi perpetuã continentiam eſſet profeſſa. Ad profitendum autem nulla perpellenda eſt, immo ne recipienda quidem temere. Relinquatur ſuo arbitrio, quod illi conceſsit dominus, oſtendatur præmium, ſed eadem opera oſtendatur & periculum. Quemadmodum beatus Paulus ingenue profitetur libertatem denuo nubendi, modo in domino, uerum ſimul indicat incommoda quæ libertatem hanc comitentur. Afflictionem, inquit, carnis habebunt huiuſmodi. Vulgo quidem male audit polygamia, iocis ac dicteriis hominum expoſita, tamen apud deum nullum eſt crimen. Tria igitur ſunt quæ uiduis, quibus liberi ſublati ſunt, diſſuadẽt iteratum matrimonium, Rumor, ætas & pietas. Virginum nuptiis bene ominantur omnes, uiduarum non item. Cæterum rumorem ac loquacis popelli fabulas, nec apud fœminam tantum oportet ualere ut malit uri q̃ nubere: rumoris autem conuiciũ magis ſequitur proue ctiorem ætatem, præſertim ſi eò progreſſa eſt, ut prolis iam nulla ſit ſpes: parũ enim plauſibilibus auſpiciis coit matrimoniũ, quod conciliat incontinentia, & cuius uſus nũquam uacat culpa, etiam ſi uacet crimine. Quanq̃ ne his quidem coniugij remedium negat eccleſia, ſic interpretans, quaſi cõuictus ſolatiũ petatur ætati laſſæ, non libido. Cæterũ pietas gemina eſt, erga deum & erga liberos, quæ diffunditur & in proximũ quemlibet. Prior pietatis ſpecies conſtat fide & charitate, exercetur aliturq́ue deprecatione, gratiarum actione, ac meditatione rerum cœleſtium. Hęc requirunt ſobrietatem, ieiunia, puritatem uitæ, uigilantiam, ac ſtudium euangelicæ philoſophiæ. Ea paratur frequenter audiendis concionibus ſacris & colloquiis hominum pietate ſimul & eruditione præcellentium: & ſi quando deſit horum copia, (Nam, ut talium magna raritas eſt, ita non adeo ſæpe fit copia) ſacrorum uoluminum lectione paſcendus eſt animus, in quibus pia curioſitate, ſed cum debita diuinis oraculis reuerentia uerſari par eſt, ut nec contemnas quicquam, nec ad tuum affectum ſcripturam attemperes, ſed tuos affectus magis ad ſcripturæ legem accommodes. Procul abſit iudicandi temeritas, & inutilium quæſtiuncularum ambitio. Ea potiſsimum diſcenda ſunt, quæ fidem & charitatem in nobis excitant, quæ uitam corrigunt, quæ cœleſtis uitæ deſiderium inſpirant, alunt, perficiunt. Id tametſi nuſquam non facit ſcriptura, tamen ſunt in ea quæ alia aliis magis congruunt, ueluti quæ principibus ac ſacerdotibus, aut coniugatis accommodata ſunt, non perinde conueniunt uiduis. Sunt & difficultates quędam, quę tutius eſt eruditis & in diſciplinis exercitatis relinquere. Nec

inutile

inutile fuerit piorum hominum libros euoluere, undecunque decerpentes aliquid quod conducat ad profectum pietatis. Et in his habendus delectus, Primum personarum, deinde rerum. Quidam enim à paucis legi uoluerunt, uelut Hilarius, quidam stilum ad simplicium captum attemperarunt, ut Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus, Quidam tantum docent, nec mouent affectus, ut Thomas & Scotus, Quidam utrunque alteri miscent, ut Ioannes Chrysostomus, & Basilius. Tantum ab his cauendum qui prauis dogmatibus uiciant fidei synceritatem, præstat enim quædam nescire quàm cum periculo discere, Quomodo uero sit orandum, & nos alio libello commonstrauimus, & ante nos celebres ecclesiæ doctores plenius docuerunt, ut nihil necesse sit hic repetere. Nec audiendi sunt, qui unde præcipuum Christianis solatium est & profectus, ab eo mulieres submouendas existimant, nisi forte dementes appellabimus, Principiam, Marcellam, Paulam, Probam, Iulianam, Demetriadem, Suniam & Fretillam, aliasque pietate nobiles fœminas, & cum his insanisse probatissimos ecclesiæ doctores, qui uoluminibus æditis sacrarum literarum studium in fœminis & laudarunt & aluerunt. Tantum illud cauendum, ne in uos cadere possit illud Apostolicum conuicium, semper discentes, & nunquam ad ueritatis scientiam peruenientes. Hic oportebit uiduam columbinæ simplicitati adiungere serpentis prudentiam, ut cum delectu asciscat quos audiat, quorúmque consilijs uitæ rationes cõponat. Habet enim hoc sexus ille, ut in alicuius uiri autoritate gaudeat acquiescere. Fuerunt autem olim non pauci, sunt hodie plurimi, qui iuxta Christi sermonem deuorant domus uiduarum, prætextu longe precationis, quique iuxta beati Pauli doctrinam, penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur uarijs desideriis. Atque huic periculo uiciniores sunt, quæ pro fortunæ suæ magnitudine possunt quibus bene uolunt, ad mitras & Galeros euehere. Quem enim non doceat hypocrisim & adulationem præda tam opima? Porrò ne fallaris imagine pietatis, ita caueris, si primum de delectu iudicium adhibeas incorruptum, deinde mentis oculum intendas, ne præstigijs sanctimoniæ fallaris. Est enim uarius artifex satanas, subinde se transfigurans in angelum lucis, nec usquam nocentior, quàm quum sub umbra religionis fallit incautos. Animum igitur purum ac syncerum ad delectum adhibeas oportet, ne fiat quod idem scribit Apostolus, ut quum aures habeamus male prurientes, asciscamus nobis magistros, qui delectent potius, quàm erudiant. Subaustera sunt enim quæ sanant. In his itaque deligendis ne spectes frontis tristitiam, supercilij toruitatem, ne pallia & phylacteria, reliquasque præstigias, quibus Pharisæi uiduis deuorandis insidias struere solent, sed interius introspice, priusquam te illi committas. Veniunt enim interdum tecti uellericus ouium, quum intus sunt lupi rapaces, quos similiter denotat Paulus. Speciem quidem, inquiens, pietatis habentes, ueritatem autem abnegantes. Semel autem recepti, semet ingerunt in intima domus penetralia, nec quicquam est tam arcanum, quod non perscrutentur, ut hinc etiam timeantur, si forte cœperit obolere fucus. Itaque fit, ut quoniam recepisti ante quàm probares, non possis etiam improbatos excludere. Hoc hominum genus procul ab ædibus suis abigat uidua si suam, si filiarum ac filiorum, si ancillarum pudicitiam uelit esse in tuto, si nolit deuorari suas facultates. Tutissimum autem est, cum nullo talium habere domesticam consuetudinem, ut unum syncerum reperias, hominem tamen habes, qui per familiaritatem possit corrumpi. Atque ut id non fiat, non ueniet incomitatus, nunc hunc nunc illum secum adducit. Alienam autem integritatem quis præstare potest? Porrò quæ in occulto fiunt ab istis, ut ait Paulus, turpe est & dicere. Nec difficile fuerit istorum fucos deprehendere, si modo libeat adhibere mentem. Vbi largius adbiberint, ubi sese obtulerit opportunitas, emicat quod latebat in pectore. Quòd si uicerint, eoque processerint ut notæ deprehensæque nequitiæ faueat, iam non magistrum pietatis mulier, sed tyrannum asciuit in domum suam. Non hæc eò spectant, ut de omnibus male sentiamus, qui uestitu profitentur sanctimoniã. Potest enim sub quouis pallio latere pietas: sed ut caueas, ne talibus præstigijs capiaris, & quũ agnum in ædes recepisse uidearis, lupum aut uulpem, aut simiũ, aut suem, aut aliud animal receptum esse comperias.

Nec ſatis eſt,uiduæ domum omni carere crimine,debet & omni carere criminis ſuſpicio ne. Fabulas autem quæ uulgo de his iactantur etiam referre pudet. Quanꝯ illud uiduis omnibus curandum eſt,ne ſola cum ſolo colloquatur, niſi teſte graui quapiam matrona. Nec arcanis confeſsionibus ſubinde repetitis abuti conuenit ad alia quàm inſtitutæ ſunt. In medio laqueorum ambulamus,uix ulla cautio tuta eſt. Tutior eſt igitur cum libris familiaritas. Nam & ſanctiora loquuntur, & ubi uelis præſto ſunt, & ſolitudinis tædium ſalutifera uoluptate leniunt. Quoniam otium & ſolitudo multa mala docent, præſertim fœminas,habet Chriſtiana uidua, quo nec otio det locum, nec unquam ſit ſola. Etenim qui fieri poſsit,ut tam ſanctis, tam ſublimibus, tam mundis ſtudijs aſſueta, ſuſtineat uagari per domos alienas,aut ineptis fabulis diem terere. Non enim otioſa eſt Maria, cuius ocio inuidet Martha:ſed aliter occupata eſt, quum aſsidet pedibus domini. Iam ſi ueniamus ad alteram pietatis partem, adeo nihil erit otij, ut audituri ſimus frequenter Martham querentem aduerſus Mariam. Nihil autem uetat ambas ſorores in eadem ponere fœmina. Atqui hoc murmur Chriſto gratiſsimum eſt. Deus quidem ſolus eſt & propter ſe, & ſuper omnia diligendus,homines uel propter illum diligendi ſunt, uel in illo. Propter illum diligimus & inimicos, in illo diligimus amicos. In his primas tenent parentes ac liberi. Ergò quid otij poteſt eſſe uiduæ, quæ domi habet filios ac filias, ac familiam, ab ipſius cura pendentem? Quid eſſe poteſt operoſius, quàm primæ ætatis formare mores & ingenium? Vidua quæ relictis domi teneris liberis cœnitat foris, ſubinde curſitat ad nuptias,ad ſpectacula,ad choreas, crebro peregrinatur, non eſt mater liberorum, ſed nouerca. Rurſum uidua quæ ſub prætextu religionis,neglecta liberorum cura, uacat ijs, qui modo apoſtolicæ functionis titulo ſeſe uenditant, ac fraudatis hæredibus,aliorum luxum facultatibus ſuis alit, plurimum abeſt à uera pietate. Iactant deo dari, quod ipſis impenditur,& omnino quod amore dei datur cuilibet,deo impenditur, ſed in diuinis literis reprehenſus eſt, qui bene quidem offert,ſed male diuidit. Non raro fit, ut quod illis datur,detur otioſis,detur robuſtis ac ualidis,qui ſibi manibus poſſunt parare uictum,niſi dulcius eſſet otium labore: detur abundantibus,& quod accedit,in luxus materiam inſumentibus. Atque ut horum nihil ſit,tamen prima pietatis cura debetur liberis, & in his eſt deus,& deus ſibi patietur imputari,quod illis amore dei impenditur. Si quis forte mihi uolet indignari,quòd hæc auſim docere,audiat Paulum auſterius loquentem, & huic prius indignetur quàm mihi. Sic enim ſcribit ſuo Timotheo. Si qua autem uidua filios aut nepotes habet,diſcat primum domum ſuam regere,& mutuam uicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum eſt coram deo. Audis Apoſtolum? Diſcat,inquit,primum,& addit,hoc enim eſt acceptum coram deo: quum ait primum, indicat ordinem: quum adiungit,coram deo,iubet hominum cõſtitutiones cedere iuſsis diuinis. Et ubi ſunt iſti phariſaici, qui docent filium reſponſare deſtituto patri aut matri: donum quodcunꝯ ex me tibi proderit: & illis autoribus,quod alendis parentibus debebatur,confertur in corban, ac uiolatur præceptũ dei propter traditionẽ hominũ. An non hoc quoꝯ notauit Apoſtolus,quum adijcit: Hoc enim acceptum eſt corã deo. Semper & ubiꝯ acceptũ eſt deo,ſubuenire parentibus ac liberis,quia ſic dictat natura,ſic deus diligenter præcepit. Mittere in Corban,non dicitur acceptum deo. Quid? num igitur ingratum deo iacere nummum in gazophylacium? Non, ſed fraudatis parẽtibus,liberis ac nepotibus augere cenſum templi ingratum eſſe declarat ipſe dominus, qui reprehendit. Iam non erat difficile ad unius tẽpli,quod erat Hieroſolymis, ſtructurã ſuppeditare ſumptus: quanꝯ ea pecunia partim in pauperum alimoniam conferebatur,licet ſacerdotes,quod egenis ſubleuãdis dabatur, in luxum ſuum inſumebant: nunc in ſingulis uicis & oppidis,quot ſunt templa,quot gazophylacia,unde nihil redit ad pauperes, ſed totum fere uertitur in faſtum, luxum ac libidinem eorum,qui ſicut in phariſæorum locum ſucceſſerunt, ita utinam nõ ſucceſſerint & in uitia. At de phariſæis non agit Apoſtolus,ſed de apoſtolis miniſtris ſermonis euangelici. Quis neget pium officiũ,ſi uidua egẽtibus ſuppeditet? Sed quid nos docet Paulus? Si qua uidua ſuorũ,ac maxime domeſticorũ curã non habet,fidẽ abnegauit,& eſt infideli deterior. Quid durius? fidẽ,inquit,abnegauit,nec eo cõtentus conuitio,addit et infideli deterior eſt. At hodie qui Chriſti fidẽ abnegant, traduntur incẽdio. Quid igitur fiet huiꝰ

uiduꝰ

uiduæ? Nisi resipuerit, æternis ignibus addicetur. Verbis profitetur fidem, factis uero negat. Quum enim naturæ legem non abroget, sed confirmet Euangelium, an non abnegauit sanctiorẽ legem, quæ ad naturæ legẽ obsurduit? Et infideli deterior est. Quamobrem? Quia quum ethnici obtemperantes affectui naturæ, curam habeant & parentum & liberorum, nónne paganis deterior est, qui nec naturali instinctu, qui beluas etiã impellit ad curandos fœtus, non euãgelico præcepto cõmouetur, ut sanguine proximis prospiciat? Paulus enim in epistola ad Romanos inter horrenda crimina, propter quę deus tradidit ethnicos quosdã in reprobũ sensum, cõmemorat & hoc, quòd uacarint affectu naturæ erga cognatos, ἀστόργους illos appellans. Quando aũt subueniet alienis qui sua negligit uiscera? Hæc quũ sic habeant, qua fronte persuadent mulierculis, quod nobis datis, deo datis: quod filijs impendit, datur carni & sanguini? Vę uobis, qui docetis uiolari præceptũ dei, ut aluis uestris, ne dicam luxui uestro, consulatis. Iam si uidua damnatur a Paulo, quæ neglectis liberis, facultates suas erogat specie studioq; religionis, quo loco ponendæ sunt illę quę facultates suas delicijs turpiter prodigũt, & liberos neglectos ad egestatẽ redigunt, nonnullæ etiam adulteris donant, quod filijs debebatur. Verum hæc solicitudo quam uiduæ debent liberis ac propinquis, non solum pertinet ad alimoniam, sed multo magis ad omnem educationis disciplinam. Est quidem necessaria corporis cura, sed multo crudelius est, sinere ut liberi uacui sint ab omni pietatis affectu, quàm si patiantur illos fame laborare. Si filij non sunt, in horum locum succedunt nepotes ac neptes, deinde reliqui propinquitatis & affinitatis gradus. Tertio loco fratres ac sorores sunt omnes qui membra sunt Christi. Insignissima Christi Paula, nõ prius secessit Bethleem, quàm liberos ad eam ætatem, eumq; uitæ statum perduxisset, quæ parentum cura non eget. Naturæ primum satisfecit, quod supererat subleuandæ pauperum inopiæ dicauit, & pro paucis liberis, ingẽtem filiarum numerum collegit, quas & aluit, & in disciplina domini instituit, ut omnium tota mater esset. Nec uero aluit ocioſas, hoc eñ corrumpere est, non alere. Quod exemplũ oportet omnes imitari uiduas, ut nec cognatas, nec quoscunq; pauperes alant in otium, si modo sint tales, ut operi sufficiant: sed cuiq; prospiciant quod agant manibus, nec horum inopiæ pecunia tantum succurrant, sed adiungatur uel admonitio, uel adhortatio ad bene uiuendum: frequenter enim hoc hominum genus magis eget animi quàm corporis subsidio. Vides quàm nõ otiosa sit res Christianam agere uiduã? Tali nimirum uiduæ dominus benedicens benedicet & pauperes illius saturabit panibus. Prima itaque uiduæ laus est, quæ ob hoc potissimum temperat ab iterando coniugio, quò tota uacet studio pietatis, citraq; distractionem fruatur sponso suo Christo. Id quidem arduum esse non negamus, sed bona pars huius negocij est, bona uoluntas, quæ datur quidem à domino, sed datur ambientibus, datur orantibus ac sobrijs. Vulgus enim nimium bene meminit illius Paulinæ sententiæ, melius est nubere quàm uri. At complures uruntur quia uolunt uri, quia sibi fomitem ac materiam accersunt incendij. Cæterum ut optimus est spontaneus amor perpetuæ continentiæ, ita tutius est aut in totum uoto non obstringi, aut pedetentim ad id accedere. Primos animorum impetus, oportet habere suspectos: diu uarijsque modis explorandum est mentis robur. Hæc est prima pietatis pars de qua diximus. Proxima uiduæ laus est, cui liberorum charitas dissuadeat secundas nuptias. Decet enim ut uidua mariti sollicitudinem in se recipiat, & in curandis liberis patrem simul & matrem præstet. At quæ filijs suis inducit uitricum, uix dimidiatam matrem præstare potest liberis ex priore marito susceptis, quippe iam non sui iuris & fortasis offensura maritum si paulo propensior fuerit in sobolem priorem. Nam ut rarum est, nouercam non odisse mariti liberos, ita non frequenter accidit, ut uitrici diligant ex animo priuignos suos. Itaq; fit, ut qui prius erant semiorphani, iam sint bis orphani, pro matre nacti nouercam, pro patre hostem. Deinde, ut nihil horum eueniat, præter naturam hominis est, ut maneat amoris uigor, in diuersa distractus, quemadmodum leuior est amnium impetus, si in riuos diducantur, Quæ decreuit perpetuam uiduitatem, bis amat liberos suos, & quia liberi sunt, & quia coniugem in illis ueluti superstitem uidet. Ast iterum nupta, primum magnam beneuolentiæ portionem transfert in nouum sponsum, Rursum si prouenit soboles, in hanc diducitur quod erat reliquum beneuolentiæ,

Postre-

Postremo, ut maxime perseueret illa pietatis in liberos flagrantia, nec uacat, nec licet exe
rere pietatis officia. Atq; hic cœlibatus hoc laudatior erit, si non huc tantum speciabit, ut
liberos locupletet, ac magnificentius elocet, sed ut illos ad sanctimoniam, ac morum inte
gritatem instituat. Quemadmodum igitur primæ laudis est, si uidua puella & orba, stu
dio pietatis erga deum negligit iterare coniugium, ita repetit excusatius nuptias, cui nihil
supereſt ex marito pignorum. Siquidem prolis amor excludit captatæ uoluptatis suspici
onem. Ad tertium ordinem pertinent, quæ suæ imbecillitatis cõscíæ, repetito coniugio ui
tant incendium, ne pereant in Sodomis, fugiẽtes cum Loth, in ciuitatem Segor, magnam
& non magnam, magnam numerositate incolentium, non magnam eminentia uirtutis.
Hæ laudem non auferunt, sed ueniam tantum impetrant, quibus tamẽ negatum non est,
hoc quicquid est infirmitatis humanæ aliis pensare benefaciis, ut cum primæ quoq; lau
dis uiduis, aut etiam uirginibus paria faciant. Cæterum quæ nec amore pietatis, nec stu
dio prolis abstinent à coniugio, sed in hoc tantum, ut licentius pro suo uiuant arbitratu,
liceatq; quod libet, adeo nullam continentiæ laudem ferunt, ut nec ueniam mereantur,
nec crimen effugiant. Nec enim hoc est continentiam amplecti, sed habenas laxare con
cupiscentiæ. Nunc ad te redeo Maria regum stemmatis inclyta, studio pietatis illustrior,
cuius fortunæ fortasis hæc præcepta non perinde uidentur congruere. Quanquam hæc
ita scribuntur ad te unam, ut tamen uni non scribantur, sed ideo tuo nomini inscribun
tur, ut & præceptorum & exempli tui ad plures dimanet utilitas. Liberi quidem tibi non
sunt opinor, at non desunt nepotes ac neptes, non desunt famulæ, non matronæ, quas au
toritas tua ad pietatis disciplinam erudiat. Imò quo sublimiore loco te collocauit deus,
hoc latius patebit officij tui benignitas, hoc plures homines lux tuę pietatis, ad uitę synce
ritatem inflammabit, Quicquid in principibus conspexit populus, libenter imitatur. Pu
debit uiros non facere, quod uident à fœmina fieri, tum pudebit inferioris nobilitatis fœ
minas non id præstare, quod à puella tot regum ac Cæsarum filia, sorore, nepte, fieri ui
derint. Postremo uiduitas hæc non tam in rebus externis sita est quàm in animo. Fœmi
nas enim quibus deus ademit maritos, uidetur speciatim ad suum ambire coniugium. Cu
pit enim omnes homines sibi propius iungi, sed nisi mortalium omnium animæ uiduæ
fiant ac desolatæ, non inuenient consolationem in futuro seculo. Desolata autem non est
quæ quicquam habet in hoc mundo, in quo fixit ancoram spei suæ, quodqúe uehemen
ter amat, miseram se clamatura, si quis id casus eripiat. Anima quæ confidit in diui
tijs, in honoribus, in stemmatibus, in potentia, in uoluptatibus huius seculi, uidua
non est, sed habet maritum quem optaret esse perpetuum. Item anima quæ spem suam
reponit in parentibus claris, in liberis, in robore, iuuentaúe corporis, uidua non est, &
ideo deus propitius frequenter hæc commoda nobis adimit ut ab illorum amore distra
ctos ad se pelliceat. Zelotypus est, solus ac toto pectore uult amari. Ita fœminæ, quæ
maritis iunctæ sunt, nisi uiduæ fuerint, non possunt sperare in domino. At quæ non repo
suit spem suam in domino, non regnabit cum domino. Sine spe enim impossibile est pla
cere deo. Si roges qui fieri potest, ut eadem sit uxor & uidua, facile expediam. Quæ mari
tum mortalem sic amat, ut illius amore, neglígat ea quæ sunt pietatis, unicum tantum ha
bet sponsum sed mortalem, quem tamen amat ut immortalem. Hoc quandiu fruitur, ui
dua non est, nec Christo sponso digna est. Sed quæ iuxta doctrinam Pauli maritum ha
bet, tanquam non habeat, nec in homine mortali & fortasse peccatore, felicitatis suæ præ
sidia ponit, sed in deo, cui sanctiore fidei conglutinata est animo, etiam in matrimonio ui
dua est & desolata. Neq; uero sponsus ille cœlestis admissus in coniugij societatem, adul
terio uitiat matrimonium, sed hoc ipsum corporale fœdus, sanctius reddit & auspicati
us. Immo nisi ille recipiatur in consortium, stupro cohærebunt uerius quàm coniugio.
Neq; enim uiduæ proprium est, quod dicit Paulus, quæ sperauit in domino, quasi uirgi
nes & coniugatæ probandæ sint, nisi sperent in domino, sed iuxta spiritum ad uniuersos
pertinet, nec ad quenquam pertinere potest, nisi uiduus sit, & quod habet in hoc mundo,
sic possideat, quasi non possideat. Leue enim ac momentaneum est, quicquid ostentat hu
ius mundi scæna, & quantumuis magnum ac perpetuum uidetur, æternarum contem
platione rerum humile quiddam est, & euanidum. Viduarum tamen nomine proponit
nobis

nobis hæc ſcriptura, quod ſexus ille ferè totus pendêre ſoleat à uiri præſidio, priuſquam Chriſti ſpiritu conflatur in nouam creaturam. Nec hæc eò ſpectant ut Chriſtiana minus amet coniugem ſuum, minus obtemperet uiro ſuo. Immo hoc magis ac uerius amabit, ſi amarit in domino, hoc religioſius obtemperabit, ſi quod marito præſtat obſequium, ſciat ſe non homini præſtare, ſed deo. Præterea non tantum huc ſpectat ſcriptura myſtica, ut exemplo uiduæ mulieris doceat, omnibus qui uolunt pie uiuere in Chriſto Ieſu, fiduciam auocandam à rebus temporarijs ad æternas: uerumetiam conſolari uoluit fœminas adamatis coniugibus orbatas. Siquidem uellenti capillos & muliebriter uociferanti, heu me deſolatam, ad quid uiuo, ſcriptura ueluti conſolatrix adeſt, immo, inquiens, ſola non es. Adſum enim quæ ſexcentis maritis potior eſſe debeo, Non eſt quod poſthac te diſtrahas in hominis obſequium. Tota mihi uacare potes, hoc futura minus deſolata, quo magis adhærebis illi, in quo bona ſunt omnia. Et ideo maritum auulſi, ne ſit quod nos à ſuauiſſimis complexibus ſeparet. Sponſum ſuum uidua complectitur & exoſculatur animo, quotiens orans, glorificans & gratias agens, cum illo loquitur, quoties ſacræ uacans lectioni, ſermonem illius tranſmittit in uiſcera ſua. Ab his non in totum diſtrahit humanum coniugium, ſed tamen plerunq; conſuetudinem hanc cum deo propiorem uel interrumpit uel refrigerat. Quanquam non omnis uidua ſic copulatur domino, ſed tantum ea quæ uere uidua eſt. Sic enim beatus Paulus: Quæ autem uere uidua eſt & deſolata, ſperat in deo, & inſtat obſecrationibus & orationibus nocte & die. Illud nocte & die, neſcio an ullis contingat matrimonio iunctis, niſi qui ſunt, qui ex mutuo conſenſu ſibi in totum interdixerunt uſum coniugij. Quemadmodum itaq; nihil uetat in matrimonio uiduam agere, ita nihil prohibet in quocunq; uitæ genere Chriſtianũ agere. Quiſquis enim per lauachrum myſticum regeneratus eſt, renunciat huic mundo & omnibus delicijs ac pompis eius. Sed quemadmodum affectus ſeparat nos ab hoc ſeculo, non diſceſsio corporis, ita à delicijs ac pompis ſeiungit harum rerum contemptus. Nec enim raro fit, ut quos habet eremus, quos premit extrema paupertas, ditiores ſint ac delicatiores, quam alij quos uel fortuna uel affinitas, uel alia quęuis neceſsitas detinet in delicijs. Multum enim opum ac uoluptatum in animo gerat oportet, qui ne tũ quidem poteſt earum amorem ponere, quum neceſsitas ſubtraxit copiam. Rurſus illuſtrior eſt illius temperantia, qui præſenti rerum copia non corrumpitur, ſed ueluti piſces marini, ſuauiores etiam ſunt fluuialibus, neq; quicquam trahunt de ſale marino. Itaq; uidua quamuis inclyta, quamuis opulenta, quamuis in palatio uiuens, deſolata eſt & ſpem ſuam fixit in domino & inſtat precationibus & obſecrationibus die noctęq;, ſi mentis fiduciam abduxit à rebus temporarijs, & in deum tranſtulit, ſi circumſpiciens non inuenit in quo ueram requiem, in quo uerum gaudium inueniat, niſi in domino, ſi quoties datur opportunitas, gaudet cum domino colloqui, gaudet de domino audire, breuiter, quæ quicquid agit, quicquid cogitat, quicquid amat, ad deum refert. Nec illud ad uiduas proprie pertinet quod apud Apoſtolum ſequitur. Vidua quæ in delicijs agit, uiuens mortua eſt. An uxor in delicijs agens mortua non eſt? An uirgo in delicijs agens mortua nõ eſt? prorſus quiſquis hominum in delicijs agit, uiuens mortuus eſt. Nam uoluptuarijs iſtis hoc demũ dicitur uiuere, quod genialiter agere. Atqui iſta mortua eſt uita, ſi Paulo credimus. Contrà uera uidua quæ mortua eſt huic ſeculo, non corpore ſed affectibus, ob hoc ipſum uere uiuit, quòd ſic mortua eſt. Itidem de cæteris diſſeri poterit, Niſi & orba ſit mulier, & orphani filij, non ſperant in domino. Orba eſt autem, non quæ extulit liberos, ſed quæ uelut à deo datos habet, æquo animo reddítura, quãdocunq; ille repoposcerit. Et orphani ſunt qui ſalutis ancoram non poſuerunt in parentib. ſed in patre cœleſti. Hic reclamabit populus. Quis eſt qui non ponit ſpem ſuã in deo? Sic quidẽ loquimur omnes, rebus tranquillis: At ereptis his quæ diligebamus, apparet ubi fuerit fixa ancora. Si enim in marito tuo non collocaras arcem tuę felicitatis, quur eo defuncto laceras capillos, percutis pectus, infelicẽ ac mortuam te clamitas? Amaſti tanquam immortalem. Atqui mortali nupſeras mortalis. Amaſti tanquam qui beatitudinem conferre poſſet, quum id ſolus præſtet deus. Si maritum amaſſes in deo, ſi deum infinitis partibus amaſſes ſuper omnia, ſi non alacriter ob carnis infirmitatem, certe æquanimiter ferres illum ereptum ab eo qui dederat, ſic tecum cogitans.

Laude-

Laudetur deus in omnibus, fortasis expediebat marito tolli ex hac uita, fortasis expedit & mihi. Nouit ille solus, quid cuiq; conducat ad salutem æternam. Nec aliter loquendum in funere parẽtum, fratrum, aut liberorum. Laudantur uoces duorum ethnicorum, quibus quum nunciaretur mors filij, nihil commoti responderunt, genueram mortalem. Sic cogitet sponsus, duco mortalem. Sic spõsa, nubo mortali. Sic pater, gigno morituros. Sic mater, pario morituros. Non exigimus ut mulier in morte coniugis rideat, non cohibemus gemitum, non retundimus lachrymas, detur aliquid humanis affectibus: uerum diuturnus ille & inconsolabilis luctus, præterq; quòd & inanis est & noxius, unde proficiscitur nisi ab impietate? Quid uero uelut nouum deploratur, quod nulli non accidit quod nunquam abest oculis? Sed hæc tibi non dicuntur inclyta puella. Scio tuum dolorem pietate moderatiorem esse, quàm ut uel obiurgari mereatur, uel egeat obiurgatione. Nec enim dubito, quin hæc aut his etiam fortiora remedia soleas aliis adhibere, præter modum indulgentibus dolori suo. Tuus uero animus sic robore fidei confirmatus est, ut illius præsidio, quibuslibet fortunæ casibus par esse queat. Ea uero fortunæ felicitas est, ut si tristium ac lætorum rationem subducamus, multo plura sint quæ tibi gratulari debeam, quàm quæ consolando lenire. Ex isto tamen genere bonorum, quantumuis multa accesserint, nulla tamen re felicior eris, quàm laude pietatis. Cætera uel aliena sunt, uel in potestate nostra nõ sunt, uel temporaria sunt. Hoc sic tuum est, ut nec ulla aduersitas possit eripere, & in futura uita perpetuo tecũ maneat. Perge igitur mulier clarissima signum pietatis omnibus uiduis, omnibus magnatibus extollere, & laudatissimarum fœminarum uestigijs ingressa, principum aulis esto magistra, simul & exemplar euangelicæ synceritatis. Ita tibi contingat cum Iudith cæterisq; nobilissimis matronis, quas cõmemorauimus, perpetuo frui sponso Iesu Christo. Ante complures annos Principem Christianum dicaui Carolo, nunc Cæsari, nuper Paraphrasim in Ioannem principi Ferdinando, nunc Hungariæ Bohemiæq; regi, quibus & priuatim & publice debeo omnia. Nuperius etiam Christianum matrimoniũ inscripsimus materteræ tuæ Reginæ Angliæ, non quòd meis egerent monitis, sed ut illorum titulo si quid ineset illic fructus, omnibus commendaretur: ut autem hunc libellum tibi nuncuparem, nec semel nec frigide per literas hortatus est, singulari pietate uir Ioannes Henkellus, cuius egregiam industriam prædicandi ueritatem Euangelicam alit tua benignitas. Quod si ille non dedit uerba, operam hanc nostram, & si tibi non necessariam, aliis tamen ni fallor, non infrugiferã futuram, comiter accipies. Extrema linea fuerit studij, ueniam impetrasse, quam sane triplici colore flagitabimus. Feci iussus, feci pro uiribus, feci bono animo. Dominus tuam Celsitudinem cum omnibus uiduis impleat omni gaudio spirituali, Amen.

VIDVAE CHRISTIANAE
FINIS.

CLARISSIMO PRINCIPI ET AMPLISSIMO PRAESVLI CHRISTOPHORO à Stadio, episcopo Augustæ Vindelicorum Des. Erasmus Roterodamus S. D.

REIPSA comperi Christophore præsulum huius æui decus, nec quaquam esse uanum, quod priscis oraculis proditum est, sponsionis comitem esse noxam. Ante cõplures annos pollicitus sum opus aliquod de ratione cõcionandi, nec serio, ut ingenuè quod res est fatear, nec satis ex animo. Dein quum nõ serio promissum serio flagitaretur, nec esset ociũ ad præstanda de quibus appellabar, cœpi obiter in chartis quædam annotare, uelut usui futura, si quãdo forte daretur uolũtas & facultas opus aggrediẽdi. Verum id factũ est nec diligenter, nec ordine, sed sparsim, ut quicq; sese cogitationi per occasionẽ offerebat. Postea quũ magis etiam urgeret flagitatio, cœpi schedas recolligere, non dissectas modo, uerumetiã laceras iam & situ corruptas. Quibus excussis, magis ac magis meus animus à negocio abhorrebat, cũ antea semper arcano quodam sensu mentis abhorruissem. Videbam argumentum uariũ pariter ac uastum, quod in immensum uolumen esset euasurum, si iusta cura tractaretur, tum ut nunc quidem est temporum status, non caritum inuidia. Cæterum quum non esset appellandi finis, ne uiderer omnino malæ fidei sponsor, reluctante genio calamum admoui chartis. Quum nihil succederet, reieci quod orsus eram. Iterum atq; iterum reiecta ex longis interuallis recepi in manus, si forte incalesceret animus: quẽ non aliter uinculis tenacibus strinxi, q̃ apud Maronem Proteum strinxit Aristæus. Sed illi succesit conatus, mihi nõ succesit. Sperabam interim in tanta mora aliquẽ exoriturũ, qui sibi materiam hanc sumeret, præsertim in tanto prouentu felicium ingeniorũ quæ producit hoc seculum, tantoq; studio cudendi noua uolumina. Quum nullus existeret qui uices meas susciperet, & indies acrius multorũ tum uocibus tum literis appellarer, nec iam sine conuitio, propemodum inuita minerua syluam operis congessi, rudem quidẽ illam & indigestam, sed quæ testari possit mihi uoluntatem præstandi promissi nõ defuisse, si par animo fuisset facultas. Nec hoc ipsum tamen licuit perpetuo labore peragere. Sed nunc aduersa ualetudo, nunc alij labores transuersim incurrentes cõpulerunt orsa de manibus deponere, uixq; datum est post longa interualla ad instituta redire. Hinc est quod eruditus lector fortasse deprehendet quædam hiulca, quædam inchoata, quędam repetita, quædam loco alieniore dicta. Dicet hic aliquis, quin igit extrema manu quæ displicebãt emendasti? Ne dicã dolo, piguit uastũ opus retexere, quãdo hoc ipsum quod præstiti, ægre licuit per ualetudinem in dies afflictiorem. Neq; quisq; facile credat, q̃ misere animus iamdudum afsectet ab his laboribus in tranquillum ocium secedere, quodq; supereſt uitæ, supereſt aũt uix breuis palmus siue pugillus, solũ cũ eo solo colloqui, qui clamauit olim, nec hodie mutat uocẽ suam: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. quandoquidem in tam turbulẽto ne dicam furente seculo, in tot molestijs quas uel ipsa tempora publice inuehunt, uel priuatim adfert ætas ac ualetudo, nihil reperio in quo mens mea libentius conquiescat q̃ in hoc arcano colloquio. Has ob res magis etiam cõfido fore, ut lector æquus hoc qualecunq; est quod damus, boni consulat. Qua de re tecũ non ago prę sul ornatissime, cuius scio tantum esse candorem, ut ad Erasmi tui neuos amanter connuere soleas, & sicubi conatum nostrum uires destituunt, promptam uoluntatem pro officio interpretari. Summam argumenti in quatuor libros digessimus. In primo demõstramus muneris dignitatem, & quibus uirtutibus oporteat esse præditum Ecclesiasten. In secundo ac tertio quæ sunt in præceptionibus rhetorum, dialecticorum ac theologorum, ad usum concionandi accommodamus. Quartus uelut elenchus commonstrat Ecclesiastæ, quas sententias ex quibus scripturæ locis petere debeat, quem tamen hactenus absoluimus, ut studioso lectori uiam modo cõmonstrauerimus, alioqui res erat nec unius nec exigui uoluminis. Hanc operis syluam, sic enim appellare malim q̃ opus, non quidem

promiseram, sed tacita duntaxat cogitatione propemodum destinaram Ioanni Phiscero episcopo Roffensi, uiro singulari pietate atq; eruditione, qui cũ mihi uetus & arcta intercessit amicitia. Is enim potissimum me literis suis ad hoc laboris impulit, significans se in celeberrima schola Cantabrigiensi, cuius perpetuus erat tutor, illi Cancellarium uocãt, tria instituere collegia, unde prodirent Theologi, non tam ad λογομαχίας armati, quàm ad sobriè prædicandum uerbum dei instructi. Erat ipse singulari linguę gratia præditus, atq; hoc nomine olim egregiè charus regis Henrici qui nũc Angliam moderatur, auiæ paternæ. Inspirarat deus ei mulieri cogitationẽ minime muliebrẽ. Quum enim aliæ principes opimos census extruendis monasterijs legare soleãt, idq; ut uereor, gloriæ causa magis q̃ pietatis: hæc omne studium suum ad rem omnium sanctissimam contulerat, uiuens etiamnum ac ualens, adeo nihil inde captans auræ popularis, ut hęc propemodum furtim ageret. Compluribus in locis non mediocribus salarijs cõstituebat, si quos reperisset idoneos ad populo tradendam philosophiam Euangelicam: atq; etiam in hunc usum ingentem pecuniarũ uim Ioanni episcopo tradidit, quam omnem uir integerrimus uel in prouehendos Ecclesiastas, uel in solatium egenorum impendit, adeo nihil inde sibi detruncans, ut suas etiam facultates largiter adderet. Rectè iudicauerunt & heroina illa sancta, & Episcopus uerę pietatis unicum exemplar, nihil esse quod ad emendandos populi mores plus habeat momenti, quàm si per idoneos concionatores spargatur semen Euangelicæ doctrinę. Vnde enim in plurimorum pectoribus adeo friget Christus, ne dicam extinctus est: unde sub Christiano nomine tantum paganitatis, nisi ex inopia fidelium Ecclesiastarum? Mihi uisus est etiam Italiæ populus, de principibus nihil dicam, docilis ad pietatem, nisi deessent doctores. Sed hęc aliàs tempestiuius. Nunc ut pergam quod cœperam, quando præsul Roffensis mihi infelici fato ademptus est, uisum est hoc quicquid est laboris felicibus tui nominis auspicijs in manus hominum emittere, cuius insignis humanitas meum animum in tanta amicorum iactura præcipue consolatur. Deflentur merces naufragio amissæ, at quæ merx tam preciosa, ut cum syncero amico conferri queat? Quid igitur hac tẽpestate crudelius, quæ me tot spectatissimis amicis spoliauit? Pridẽ Guilhelmo Varramo archiepiscopo Cãtuariensi, nuper Guilhelmo Montioio, Episcopo Roffensi & Thoma Moro, qui fuit eius regni supremus iudex, cui pectus erat omni niue candidius, ingenium quale Anglia nec habuit unquam nec habitura est, alioqui nequaquam infelicium ingeniorum parens: In tanta calamitate duæ mihi res præcipue dolorem leniunt. Primum dum cogito nos breui felicius apud Christum iungendos esse. Deinde dum reputo q̃ insignẽ amicorũ chorũ mihi dederit Augusta Vindelicorũ, cuius tu ut primus es, ita longe syncerissimus, nisi quod tecum paria facere tendit magnus ille Ioãnes Paungartnerus, cui proximus est Antonius Fuggerus benignissimus studiorum altor. Hic est funiculus triplex, quẽ Solomon negat facile rũpi: sed is fit firmior accessione Ioãnis Choleri, qui ceu quartus funiculus tribus illis circumuolutus, coniunctionem reddit prorsus indissolubilẽ. Vestra igitur beneuolẽtia mihi præstat, non quidem ne doleã, sed ne dolori succumbã. Orandus deus est, ut tam preciosum thesaurum mihi seruet incolumẽ. Porrò quod ad operis spem attinet, si minus contingat eruditorum calculis approbari, illud fortassis efficiet, ut doctior aliquis hoc exemplo prouocatus, id præstet quod nos præstare uoluimus, proq; sylua proferat opus numeris omnibus absolutum, ac tandem fiat, ut dominus plures ac synceros operarios mittat in messem suam. Etenim quemadmodũ iuxta ueteris prouerbij iocum, multi sunt boum stimulatores, sed aratores pauci: ita facile pares qui loquatur apud populum, at qui ex animo, qui instanter, qui bona fide dispenset uerbum dei, non perinde facile reperias. Dei munus est, ut sementis per fideles ministros facta bene proueniat. Mundus uidetur iamdudum parturire Christum, qui si uere formetur in animis nostris, multis indicijs sese proferet syncera radix cordis. Neq; enim euangelium uerba sunt, ut lucus ligna, quemadmodũ ait Flaccus: sed quoties semen efficacis uerbi exceptum fuerit à terra bona, multiplices edit fructus, ac uelut herbescẽs mentis occultam synceritatem uarijs argumentis foras profert. Populus fit magistratui obsequentior, legum tenacior, pacis amantior, à bellis alienior. Inter coniuges maior est concordia, fides integrior, maior adulterij detestatio. Maritus fit erga uxorem mitior, uxor erga maritum reuerentior. Liberi maiore cum tremore parentibus obsequũdant, serui magis ex animo

Ioannes Phiscerus episcopus Roffensis

parent

parent dominis suis, famuli inseruiunt alacrius. Opifices & qui debent operas, meliore fi de eas præstant. Qui negociantur, nemini faciunt quod sibi fieri nolunt. Atq; ut summatim dicam, omnes fiunt ad bene merendum proniores, ad uindictam ac lædendum tardiores, minus auidi, magis sobrij. In quorum moribus hæc non apparent, sed his diuersa potius, periculum est, ne nondum bonum semen hæserit in cordibus ipsorum. Sed desino concionari, quo iam uacet tibi cõcionatorem meum legere, si tamen tuis oculis auribusq; dignus uidebitur. Vale. Basileæ postridie Nonas Augusti, Anno à Christo nato M D XXXV.

ECCLESIASTES SIVE CONCIONATOR EVANGELICVS

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM

DE DIGNITATE, PVRITATE, PRVDENTIA cæterisq; uirtutibus Ecclesiastæ,

LIBER PRIMVS.

ECCLESIA Græcis est, quæ latinis concio, hoc est, populus euocatus ad audiẽdum de reipub. negocijs. Nam qui multitudinem ad nugas conuocant, ἀγύρται circulatores & circumforanei uocantur: qui aduersus rempublicam, seditiosi nominantur. Ἐκκλησιάζειν est apud concionem uerba facere: Ἐκκλησιαστὴς qui publicitus orat apud multitudinem, quod munus apud Ethnicos etiam semper & arduum in primis, & honorificum est habitum. Quemadmodum autem duplex est politia, prophana, quam quidam externam malunt appellare, quod inter Christianos Deo consecratos non conueniat quicquam esse prophanum: & sacra, quam ecclesiasticam hodie uocant: ita sunt duplices Ecclesiastæ, prophani, qui principum leges ac magistratuum constitutiones profe runt suadéntque plebi: & sacri, qui summi principis edicta, promissa ac uoluntatem exponunt suadéntque promiscuæ multitudini. Hæ functiones licet titulo diuersæ, haud quaquam inter se pugnant, sed utraq; subseruit alteri, & ad eundem spectant scopum: uidelicet ut respub. sit quieta ac tranquilla, eaq; tranquillitas impendatur non uoluptatibus aut luxui, sed Christianæ pietati. Nam hunc scopum oportet Christianis uniuersis in omni actione unice propositum esse, quum priuata, tum publica. Alioqui frustra ciuitas tuta est ab hostibus, aut inundatione maris, aut pestilentia, si ciuium animi prauis cupiditatibus infecti tumultuẽtur. Nec est aliud omnino bellum intestinum exitialius, q̃ quum homo secum ipse dissidet. Frustra item pax cum finitimis, si cum deo bellum est. Attamen quemadmodum corporis habitus & ualetudo frequenter impedit studium pietatis: ita externæ calamitates reipub. frequenter officiunt religionis disciplinæ, grauemq; morum inuehunt pestẽ, quod genus sunt bella, incursiones barbararũ gentium. Externæ igitur reip. primus ac summus Ecclesiastes est rex, siue princeps in sua quisq; ditione: & sub hoc præfecti, legati ac magistratus: sacræ, episcopus, & sub hoc pastores alijq̃e ad hoc munus obeundũ legitime delegati. Videmus aũt interdũ & hic, sicut in alijs pleriscq; rem præposterè geri. Ad externã concionẽ faciẽdam de reipub. negocijs nemo se temere ingerit, nec quiuis in suggestum admittitur, sed ex infinita hominum turba seligitur idoneus: & qui suscepit dicendi prouinciam, ingenti solicitudine discit causam de qua uerba facturus est, omnẽ curam admouet, ne quid excidat quod discrepet à uolũtate principis, aut non conducat reipub. cõmodis. Verum ad conciones sacras admittuntur, interdum etiam asiliunt, quilibet adolescentes, leues, indocti, quasi nihil sit facilius quàm ad popu-

Ecclesiastes quid proprie

Politia duplex ut Ecclesiastes

Externa mala impediunt interna bona.

Rex Ecclesiastes

Ecclesiastes inidoneus

lum exponere diuinam ſcripturã,& abunde ſufficiat perfricuiſſe faciem,& abſterſo pu/
dore linguam uoluere. Hoc malum ex eo fonte manat,quod non perpenditur quanta ſit
Eccleſiaſtici concionatoris tum dignitas,tum difficultas,tum utilitas,ſi recte ſuo funga/
Diuiſio tur officio. Nos igitur Hierarchicum Eccleſiaſten aſpirante Chriſti ſpiritu,inſtituere cu/
pientes,hinc ſumemus exordium.

Eccleſiaſtæ hierarchici dignitas

PLurima ſunt uariaq; chariſmata,quæ diuina bonitas,ut eſt auida noſtræ ſalu/
tis,humano generi prouidit ad parãdam uitam æternam,ſed nullum in his eſt
magnificentius aut efficacius,quàm gregi dominico diſpenſare uerbũ ipſius:
nec eſt aliud munus in uniuerſa hierarchia eccleſiaſtica,uel dignitate præcla/
rius,uel ad præſtandum difficilius,uel uſu copioſius,quàm diuinæ uoluntatis ad popu/
Chriſtus lum agere præconem,ac cœleſtis philoſophiæ diſpenſatorem. Proinde ſummus ille Ec/
Eccleſiaſtes cleſiaſtes dei filius,qui eſt imago patris abſolutiſſima,qui uirtus & ſapiẽtia genitoris eſt
ſummus. æterna,per quem patri uiſum eſt humanæ genti largiri,quicquid bonorum mortaliũ ge/
neri dare decreuerat,nullo alio cognomine magnificentius ſignificantiusue denotatur
ὁ λόγος in ſacris literis,quàm quum dicitur uerbum,ſiue ſermo dei. Hic enim titulus nulli crea/
ſolus Chriſtus turæ communicabilis,proprie competit in diuinam illius naturam,quum Chriſti Ieſuq;
uocabulũ magis congruat humanæ naturæ quam aſſumpſit. Nam Ieſu nomen cum mul
tis habet commune,& unctio ſpiritus non cadit niſi in hominem: quod ipſum cognomẽ
illi cum regibus ac ſacerdotibus commune eſt. Quin & filij dei dicuntur omnes in Chri
ſtum renati & in illo pie uiuentes.

Lux mundi An non præclarum elogium eſt,appellari lucem mundi? Huius cognominis honore
dominus dignatus eſt apoſtolos ſuos: Vos eſtis lux mundi,uos eſtis ſal terræ. Atqui hu/
ius tituli gloria debetur omnibus,qui ſicut in apoſtolorum locum ſucceſſerunt,ita uices
Angelus illorum fideliter obeunt. Sublimius etiam eſt,appellari Angelum dei. Hoc titulo Mala/
Eccleſiaſtes. chias cohoneſtat ſacerdotem peritum,& exercitatum in lege domini: Labia,inquit,ſa/
Malach. 2 cerdotis cuſtodiunt ſcientiã,& legem requirunt de ore eius,quia Angelus domini exer
cituum eſt. Sed hoc quoq; elogio glorioſius eſt,appellari filios dei,atq; etiam deos. Au/
dierunt hoc homines pij,ad quos ſermo dei factus eſt,& qui quem acceperãt,bona fide
Filij dei ac dij tradiderunt populo: Ego dixi,Dij eſtis,& filij excelſi omnes. Neq; uero phas eſt de hoc
tergiuerſari teſtimonio,quod in Pſalmo octuageſimoprimo prophetico ſpiritu dictum
eſt,ipſe dominus Ioannis decimo,ut ſcripturam irrefutabilem adducit & interpretatur.
In horum deorum medio,ſtat ipſe redemptor ſummus Eccleſiaſtes,iudex eorum qui re/
cte ſecusue diſpenſant uerbũ dei. Sic enim habet Pſalmus: Deus ſtetit in ſynagoga deo/
rum,in medio autem deos dijudicat. Quemadmodum per myſticam regenerationem
unum natura efficimur cum capite Chriſto,ita ſimul transferimur in cognominis hono/
rem ac titulorũ conſortium. Ille filius dei nos ſibi aſciuit in ius fratrum,patrem habemus
communem,ut iam & ipſi merito dicamur filij dei,præſertim ſi in prædicando Euange/
lio,dei filium imitemur. Ille deus ex deo,in quo ſi permanemus,recte & nos appellamur
dij. Quod enim ex deo natũ eſt,quod unum & idem factum eſt cum deo,id deus aliqua
Chriſtus ſin/ ratione ſit oportet. Hæc ita dicta ſint ad oſtendendã Eccleſiaſtici muneris ſublimitatem,
gulari modo ut tamẽ meminerimus,quo diſcrimine nobis & Chriſto tribuatur filij deiq; cognomen:
filius dei Ille natura filius eſt,nos adoptione. Ille ex dei ſubſtantia ſine initio genitus eſt deus,nos
per illum in immortalitatis conſortiũ miſericorditer aſciti ſumus. Sunt item & alia per/
multa honoris cognomina,quibus ſcriptura dignatur homines diuinæ uoluntatis inter/
Cœli apoſtoli pretes,cœlos illos appellans,qui enarrant gloriam Dei. Dicuntur prophetæ, de quo
poſtea dicemus.

Verbum dei nemo dictus eſt præter Chriſtum,qui ſolus natura eſt deus,iuxta quam
naturam hoc titulo deſignatur uerbum dei,cuius præcones ſunt Eccleſiaſtæ. Sermo ho/
minis uerax imago eſt mentis,ſic oratione quaſi ſpeculo reddita. Ex corde enim proce/
Verbũ increa dunt cogitationes,ait dominus. Chriſtus autem eſt ſermo dei omnipotens,qui ſine ini/
tũ omnipotẽs tio,ſine fine ſempiternus,à ſempiterno corde patris promanat: per hunc pater condidit
uniuerſa,per hunc gubernat omnia condita,per hunc reſtituit prolapſum hominum ge/
nus,per hunc ſibi conglutinauit eccleſiam,per hunc ſingulari & inenarrabili modo uo/
luit innoteſcere mundo,per hunc uiuificat mortuos,per hunc dilargitur dona ſancti ſpi/
ritus

ritus, per hunc arcanam energiam addit ecclesiæ sacramentis, per hunc iudicabit orbem terrarum, quum hædi separabuntur ab agnis, fietq; cœlum nouum & terra noua, non interitu substantiæ, sed ademptione corruptelæ: per hunc inebriabit saturabitq; pater Angelos & uniuersam ciuitatem Hierosolymæ cœlestis, ubertate domus suæ. Filius enim sapiẽs gaudium & gloria est patris. Hic est ille incõprehensibilis sermo, diuinæ mentis certissimus enarrator, & ab archetypo summæ ueritatis nusquam discrepans: per hunc æterna illa mens loquuta est mirabiliter condito mundo, per hunc loquuta est nobis multifariam in prophetis: per hunc euidentissime nobis loquutus est, missum in terras, hominem ex homine natum, ut iam non aures uelleret tantum, sed omnibus etiam sensibus percipi posset, manibus etiam ipsis contrectabilis. At uerbum hominis non profertur absq; spiritu. Cęterum qualis est sermo noster, talis est spiritus noster. At in diuinis quem admodum proferens uerbum est omnipotens, & uerbum prolatum æquè omnipotens, ita & spiritus est omnipotens, pariter ab utroq; procedens. Vt autem supra mentis illius diuinæ sublimitatẽ nihil cogitari potest, si tamen illã ullo modo consequi potest humana cogitatio: ita nihil est in homine prętantius mente, qua parte longissime absumus à natura pecudum, referimusq; quandam diuinæ mentis imaginem. Hoc nimirum admirati philosophorum præcipui, suspicati sunt humanas animas esse ueluti scintillas quasdam lucis illius incommutabilis, quos imitatus Flaccus dixit: Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ: in hoc quidem turpiter errantes quod perinde quasi deus sit res corporea, sectilis, aut propagabilis, existimarunt ullam rem creatam posse dei portionem esse: sed tamen illud recte perspexerunt, hominem non alia re propius accedere ad naturam æterni numinis quàm mente & oratione, quam Græci νῦν καὶ λόγον appellant. Mens fons est, sermo imago à fonte promanans. Quemadmodum autem unicum illud dei uerbum imago est patris, adeo nulla ex parte promenti dissimilis, ut eiusdem sit cum illo indiuiduæ quæ naturæ, ita humanæ mentis imago quædam est oratio: qua nihil habet homo mirabilius aut potentius: unde & Hesiodus eam appellat præstantissimum hominis thesaurum, quæ si dissideat ab animo unde proficiscitur, ne orationis quidem meretur uocabulum, nihilo profecto magis, quàm persona meretur dici facies, aut fucus hominis color. Quẽadmodum autẽ uentus spirans à loco pestilenti aut salubri, uim eius loci secum defert: ita sermo promanans è corde, qui fons est orationis, mirabili uigore refert uim & affectum illius, ut homo homini non alia sui parte sit uel utilior uel pernicios ior.

Verbum incarnatum

Pater, Verbũ Spiritus

Mens sermonis fons

Sermo uerus non discrepãs à mente

νλώσσης θυρεὸς ἀρίστος

Porrò quibus duplex est cor, cuiusmodi notat scriptura: In corde, inquiẽs, & corde loquuti sunt. Item Ecclesiasticus: Væ duplici corde: ijs omnino nullum est cor, nec loquuntur, etiam quum loquũtur maxime. Sermonis enim usus est, proferre uerbis, quod animo conceperis. Iam ut è quibusdam fontibus scatent aquæ ebrietatem, insaniam, morbum ac mortẽ adferentes, rursus ut è specubus quibusdã efflantur exhalationes, quæ uicinis prę sentaneum adferunt exitium, contra quæ corporum morbis medeantur: ita nihil salubrius oratione, quæ à mẽte sana piaq; proficiscitur, ediuerso nihil pernicios ius sermone, quẽ exhalat cor, impijs opinionibus, prauis cupiditatib. ac uitijs corruptum infectumq;. Horrent homines serpentis sibilum, moxq; sese propipiunt, metuentes ne quid afflet ueneni, nam sic quoq; lædunt serpentes, non morsu tantum: sed multo magis exhorrescẽdum est uiri pestilentis colloquium, qui nihil afflat nisi letale uirus animæ. Rectè monẽt medici, ne propius colloquamur cum infectis scabie, quam uulgus Gallicam appellat, quum ea lepræ species ab Italia profecta sit, proh dolor omnium nationum ex æquo communis, quod non alia uia facilius serpat contagium, quàm hausto halitu hominis hac lue corrupti. Sed infinitis partibus est periculosius, haurire sermonem ex infecto corde profluentem. Qualecunq; est cor hominis, talis est oratio. Qui cor habet terrenũ, terrena loquitur, qui cor habet carneum, carnalia loquitur, qui diabolum habet in corde, diabolum loquitur, & eum alijs afflat: qui Christi spiritum habet in corde, cœlestia, pia, sancta, casta dignaq; deo loquitur. Est illud quidẽ cõmune Christianorũ omnium, habere Christi spiritum cordis inhabitatorem: sed præcipuè competit Ecclesiastæ, cui nõ aliud exemplar absolutius liceat proponere, quàm illius summi concionatoris, qui dictus est sermo, hoc est, imago & uox dei. Nec aliter efficax esse potest lingua concionatoris quàm si Christi spi-

Cor duplex Psal. 11

Sermo pestilens

Christus Ecclesiastæ exemplar

ritus inhabitans cor eius, moueat oris plectrū, & uim arcanam uerbis promanātibus ad-
dat. Vox concionantis aures audientium ferire potest: solus autē deus est, qui secreto af-
flatu mentes transformat. Suam tamen operam sedulo præstat Ecclesiastes, plantans, ac
rigans, à Christi spiritu postulans ut det incremētum, deniq; in omnibus summum illum
Ecclesiasten pro uiribus imitans. Quid autem ille de se prædicat? Ego, inquit, sum uia, ue-
ritas & uita. Satanas per serpentem loquens seduxit humanum genus, deus per filium lo
quens reduxit oues erraticas. Ille mentiēs decepit gentis humanæ principes, Christus ue
Diabolus con cionator ra loquens liberauit mundum errore. Ille cœlo deiectus orbem pertraxit in ruinam, inuol
uit in defectionis cōsortium, ac in mortis societatem implicuit: Christus è sinu patris de-
scendens in terras, alienatos reconciliauit ac mortuos uitæ restituit. Ille sibi credentes ex-
pulit paradiso: hic sibi fidentes subuehit in cœlum. Habet Ecclesiastes exemplum quod fu
giat, habet quod sequatur: fugiat serpentem & hodie loquentem per eos, qui Satanā ac
Apostoli Ec cleſiastæ mundum habēt in pectore: sequatur Christum in apostolis, qui non ipsi loquebantur, sed
per eos ueluti per organum uiuum loquebatur spiritus ille diuinus. Quisquis igitur se
Ecclesiastæ quæ necessa ria. præparat huic tam excellenti muneri, multis quidem rebus instructus sit oportet, sacrorū
uoluminum recondita intelligentia, multa scripturarum exercitatione, uaria doctorum le
ctione, iudicio sano, prudentia non uulgari, syncero fortiq; animo, præceptis usuq; dicen-
di, & parata linguæ copia, qua dicendum est apud multitudinem, alijsq; quæ suo loco cō
memorabimus: mea tamen sententia, nihil illi prius aut maiore studio curandum est, qui
tam excellenti muneri sese præparat, q̄ ut cor orationis fontem q̄ purgatissimum reddat.
Cor purum Hoc ut facile numeroq;, quod aiunt, præcipitur, ita præstare longe omniū est difficillimū,
multamq; requirit ac lōgi temporis meditationem. Est aūt cum primis necessarium, non
solum ad erudiendos & inflammandos auditorū animos, non tantum ad constanter tuen
dam ueritatem aduersus oblatrantes, uerumetiam ad parandam cognitionē cœlestis illi-
us philosophiæ quam alijs sit traditurus. Humanæ disciplinæ percipiuntur & ab impro-
bis: hæc autē diuina sapientia non ingreditur animum uitijs contaminatum, nec habitare
dignatur in corpore peccatis obnoxio. Vt autem facilius discimus ea quæ credimus esse
uerissima, et ad perennē hominis felicitatē necessaria: ita efficacius alijs persuademus, qui
bus ipsi uehementer afficimur: deniq; fortius tuemur, reputātes nos nihil aliud esse q̄ di-
spensatores mysteriorum dei, deum esse qui robur addit, ac felicem euentum humanæ lar
1. Cor. 4 gitur industriæ. Huc igitur futuro Ecclesiastæ à teneris statim annis enitendū est, ut de scri
Cor nouum pturis diuinis quā magnificentissime sentiens, cor nouum & spiritum rectum impetret à
domino. Cor nouum in quo nihil, aut quam minimum sit ueteris Adæ: & spiritū rectum
aduersus omnes Satanæ machinas infractum & erectum. Solus enim ille est, qui prēstare
Ezech. 36 potest, quod per Ezechielem promisit deus: Dabo uobis, inquit, cor nouum, et spiritū no
Matth. 9 uum ponam in medio uestri. Nouum uinum non capiunt nisi utres noui. Quod Eze-
Cor mundum chiel appellat cor nouum, Dauid cor mundum appellat. Hoc instāter à domino petit, præ
conis officio functurus: Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectum innoua in ui-
sceribus meis. Hoc accepto pollicetur officium Ecclesiastæ: Docebo iniquos uias tuas, &
impij ad te conuertentur. Oculo purgato certius cernimus rerum externarum differenti-
as: corde mundo rectius uidemus deum in scripturarum inuolucris latentem. Prius petit
cor mundum, deinde spiritum rectū. Inuictus enim spiritus uigor è cordis synceritate na-
scitur, sed utrunq; innouat deus. Quale cor, talis oratio: qualis fides, talis fortitudo. Noua
Acto. 2 to corde, protinus & nouæ linguæ sonare incipiunt, nō iam ea quæ sunt huius mundi, nō
Sapien. 1 iam ea quæ sapiunt terram, sed magnifica dei. Quid enim est tam sublime in rebus huma-
nis, quod nō uidetur luto uilius, si conferatur ad illa sublimia diuinę philosophię? Spiritus
autem ille cœlestis ac uerè igneus non solum scrutator est cordium, uerumetiam creator
et innouator, idem habens uocis quoq; scientiam. Errat itaq; uehementer, qui credit se cō
sequi posse ueram canonicæ scripturæ intelligentiam, nisi afflatus eo spiritu, quo proditę
sunt. Nec minus errat, qui se credit uerum Ecclesiastē agere posse, nisi hausto cœlesti spiri-
Cor et lingua ignea. tu, sine quo nemo potest dicere dominum Iesum. Ille largitur cor igneū, ille linguas igne-
as. Quid frigidius Apostolorum linguis, priusquā hausissent toto pectore cœlestem
illum nouorum cordium opificem? Petimus, inquiunt, ut alter tibi sedeat dexter, alter si-
nistēr

piſter in regno tuo. Ita Iacobus & Ioannes. Quid Petrus futurus Apoſtolorũ princeps? Domine propitius eſto tibi ne facias rem iſtam. Sed quid audiuit? Non ſapis ea quæ dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. Veteris & humani cordis eſt, horrere mortem, in hac uita regnum & felicitatem quærere. Ab eodem corde ueniebat illa uox in monte. Domine bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula. Illa frigidior etiam, licet omnium Apoſtolorum communis quum aiunt: Quis noſtrum erit primus in regno cœlorum? Illa uero frigidiſsima, quum aiunt: Vis iubeamus ignem deſcendere de cœlis, & exurere ciuitatem? Sed quid audiunt? Neſcitis cuius ſpiritus ſitis. Illa uerba erant Iudaici ſpiritus & uindictam ſitientis, quum ſe profiterentur Chriſti manſuetiſsimi diſcipulos. Sunt aliæ complures Apoſtolorum uoces in literis Euangelicis, quæ prorſus hominem & carnem ſapiunt, quum nondum eſſent idonei Euangelij præcones. At ſimul atq; ſpiritus ille nouator omnium delapſus in illorũ pectora cœlitus, finxerat cor in eis nouum, cor mundum, cor æthereum, cor igneum, protinus cœperunt loqui nouis linguis, uerba non iam humana qualia prius, ſed digna ſpiritu quem hauſerant. Si requiris fortitudinem, piſcator ille qui prius ad uocem mulierculæ toties abiurauit dominũ, nunc audet apud infinitam hominum multitudinem è uarijs gentibus ac linguis cõflatam, eamq; tumultuantem, prodire in concionem intentis in turbam oculis, ſublataq; uoce prædicare Chriſtum, eumque crucifixum. Si quæris euentum, ad piſcatoris extemporariam & illaboratam orationem, circiter tria milia hominum eo die conuerſa ſunt ad Euangelicam fidem. Ergo qui cupit iuxta Paulum eſſe διδακτικὸς, hoc eſt, ad tradendam dei doctrinam idoneus, det operam ut prius ſit θεοδίδακτος, id eſt, diuinitus doctus. Dominus Ieſus non egebat noua unctione ſpiritus, nec innouatore cordis, quem pater unxerat omni plenitudine ſpiritus ab ipſo ſtatim exortu: ſed tamen à baptiſmo deſignatus imagine columbæ uertici inſidentis ac manentis, in ſeipſo nobis formam exhibuit, ne quis ad docendi munus proſiliat, niſi cœleſti afflatus ſpiritu.

Luc. 9

Spiritus rectus

Eccleſiaſtes afflatus

Habet autem in nobis ſpiritus energia gradus quoſdam, ut non ſatis ſit futuro Eccleſiaſtæ qualemcunq; ſpiritus aurulã hauſiſſe, ſed proficiendũ eſt uſq; ad ſpiritũ principalem. Triplicẽ enim ſpiritũ Dauid petit à domino, docturus uias illius. Spiritum rectum aduerſus incurſus tentationum: ſpiritũ ſanctum ad inflammandos ac ad ſanctimoniam addu-cendos etiam aliorum animos: & ſpiritũ principalem, ſiue ut Hieronymus uertit, potentem, alius munificum ſeu liberalem, ad perfectiõis opulentiam. Inſpirauit dominus Ieſus in faciem Apoſtolorum ſuorum priuſquam aſcenderet in cœlum dicens: Accipite ſpiritum ſanctum. Sed tamen adhuc reſidebat in illis aliquid humanæ infirmitatis quũ aiunt: Domine num hoc tempore præſentaberis, & quando regnũ Iſrael? Adhuc exprobratur illis duritia cordis, & ad credendum tarditas. At ſimul ut hauſerunt ſpiritum illum munificum, qui torrentis in morem ſic inundauit, ut impleret totam domũ, iam cunctis rebus humanis longe ſuperiores tanta fiducia prędicabant Euangelium, ut cæſi uirgis gauderes abirent à concilio, gaudentes autem non quod eſſent dimiſsi, ſed quod eximiæ gloriæ ſibi ducerẽt pro nomine Ieſu ignominia affectos eſſe. Iam ſpiritu principali cõfirmati, nec ullis impiorũ minis terrentur, nec ullis afflictionibus deijciũtur, nec ullis honoribus efferuntur, aut inſoleſcunt: nam & hæc non leuis eſt machina. Quemadmodum enim ſyncere prædicantibus uerbũ dei, uariæ tentationũ procellæ ſunt excipiendę: ita ſemper ſummus honos habitus eſt dignè prædicantibus Euangelium. Ingens utrinq; periculũ, hinc minitantur Scyllæ ſcopuli, ad inſolentiã ſolicitãtes, hinc Charybdis afflictionũ magnitudine mentẽ abſorbẽs, & in deſperationẽ pertrahẽs. Aduerſus utrunq; diſcrimẽ Eccleſiaſten pulchre munitum eſſe oportet: & haud ſcio, an plus ſit periculi ab ijs quæ blandiuntur, quàm ab ijs quæ territant. Paulus gloriatur in afflictionibus ſuis & infirmitatibus, ut in ipſo inhabitet ac regnet uirtus Chriſti. De reuelationibus metuit gloriari. Illic nomen ſuum profitetur, hic ἀνώνυμος eſt: Scio, inquit, hominem. Paulus eſt, quum cæditur uirgis, quum uincitur cathenis, quum obijcitur beſtijs, quum lapidibus obruitur: at quum rapitur in tertium cœlum, nomen ſupprimit. Idem apud Philippos laceris ueſtibus, uirgarum uulneribus lacero corpore, uinctus, in imo carceris, ieiunus, noctu canit cum Sila collega. At rurſus Lyſtris cum collega Barnaba, quum ob claudum erectum rudis ac ſu-

Periculum duplex Eccleſiaſtæ.

Modeſtia Eccleſiaſtæ.

2. Cor. 12

Act. 16

Act. 14

perstitiosus populus appararet diuinos honores, profilijt conscissis tunicis, profitens se
Acto.10 nihil aliud esse quàm hominem mortalem illis similem. Apud Cæsaream uero Petrus nõ
fert Cornelium procidentem & adorantem: sed erigens eum dicit, Surge, & ego ipse ho/
mo sum: æquans semet illi, cui mox erat daturus spiritum sanctum. Adeo mens illius erat
ab omni gloriæ affectu libera. Quanta ueneratione credentes soleant Paulum excipere,
Galat.4 quanto cum honore dimittere, satis liquet ex apostolorum Actis. Quin & ipse satis testa
tur hoc scribens Galatis. Sicut angelum dei accepistis me. audis insignem honorem. Sed
addit aliquid sublimius: Sicut Christum Iesum. Ac mox inibi: Testimonium perhibeo
2.Cor.10 uobis, quòd si fieri posset oculos uestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ob hos tamen ho/
nores, quos in omnibus ecclesijs promeruerat, nullum sibi sumpsit superciliũ, sed ijsdem
per infirmitatem carnis Euangelizat, præsentiam exhibens infirmam, quum armatus es/
set spiritu aduersus omnem celsitudinem erigentem sese aduersus scientiam dei. Idem de
1.Thess.2 se testatur scribens Thessalonicensibus. Neq; aliquando fuimus in adulatione, sicut sci/
tis, neq; in occasione auaritiæ, deus testis est: neq; quærentes ab hominibus gloriam, neq;
à uobis, neq; ab alijs, quum possemus autoritatem, & grauitatis dignitatem nobis uindi
1.Cor.2 care, tanquam apostoli Christi: sed facti sumus paruuli in medio uestri, tanquam si nu/
trix foueat filios suos. Idem studio prædicandi, se seruum fecit omnibus, quum esset liber
ab omnibus. Non erat hoc adulationis, nec hypocriseos, id arguit scopus: Vt plures, in/
quit, lucrifacerem: domini lucrum captabat undiq;, non suum.

Multi mirantur beati Pauli perpetuam in tot curis, periculis, afflictionibus, ignomi/
nijs, mortibus, fortitudinem & alacritatem, & optimo quidem iure mirantur. At ego ma
gis admirandam arbitror cõstantem ac perpetuam in tantis uirtutibus, tantaq; rerum ge/
2.Cor.4 starum gloria, animi modestiam ac submissionem. Ad huius igitur exemplum Christia/
nus Ecclesiastes, posteaq; omni charismatum genere fuerit instructus, semper meminerit
habere se thesaurum illum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtus dei, & non ex hu/
manis uiribus. Habenti dabitur: non habenti etiam quod habet auferetur. Nescit habere
dona spiritus, qui suum inde quærit emolimentum, aut propriam uenatur gloriam, Ille
demum uerè habet qui sedulo dispensat talenta sibi credita, non in lucrum suum, sed in
rem domini, cui debetur & sors & usura: non hic expectans præmium, sat habens, quod
opera fideliter nauata auditurus est beatam & optabilem illam uocem: Intra in gaudium
domini tui. Sic igitur habenti addetur: secus habenti quàm oportet, hoc ipsum quod gra/
tis datum est eripietur. Si habes ut alienum, non ut tuum, iam uerè fit tuum. Si habes ut
tuum quod alienum est, non habes quod habes, eo quod habeas in tuum ipsius malum.
Etenim si merito laudata est à uiris eruditis illa Mimi sententia: Tam deest auaro quod
habet, quàm quod non habet: eo quod nihil referat habere, si nullam inde capias utilita/
tem: multo magis dicetur non habere, qui quod habet in suam ipsius perniciem habet.

Fortitudo Ecclesiastæ. Histriones qui populo saltant fabulam, posteaquam nullum studij curæq; genus omi/
serunt, quo theatro placeant coguntur tamen habere fortem animum aduersus multitu/
dinis sibilos ac supplosiones, cui nõ semper placent optima. Est enim uerè, ut ait ille, belua
multorũ capitum omnis populus, non Romanus tantum. At Ecclesiastes non solum ad/
uersus sinistra populi iudicia, aduersus malitiam etiam pie dicta calumniãtium, aduersus
simultates illorum, quibus ob uitam corruptam inuisa est ueritas, sed etiam aduersus ac/
clamationes & applausus hominum laudantium, debet habere solidum & immobilem
spiritum, quem Dauid principalem appellat. Regum est, quum facias bene audire male:
dixit quidam excelsæ mẽtis Ethnicus. Actor hoc agit, ut quę facit, populo sint gratissima,
applausu alitur, sibilis deijcitur. Ecclesiastes huc spectat, ut quæ per se sunt optima, ea po/
pulo fiant gratissima. Hæc præstare non poterit, nisi qui cor habeat mundum, purum ab
amore diuitiarum, purum à siti gloriæ mundanę, purũ ab ambitione cæterisq; cupidita/
tibus, quæ frequẽter efficiunt, ut nec discendæ philosophię Christianæ simus idonei, nec
ad eam constanter prædicandam satis firmi, quippe nondum corroborati spiritu princi/
pali, qui sic fiduciam omnem collocat in domino, ut nec mundum metuat, nec Satanam
formidet, nec mortem horreat ob Euangelium intentatam, si modo id syncera cõscientia
prædicet. Hic igit̃ præcipuus est fons eloquentiæ Ecclesiastę, cor mundũ & triplici cõmu

nitum

nitum ſpiritu. Vidit hoc ceu per nebulam uir acutus Horatius, quum ait:

Dicendi recte ſapere eſt & principium & fons

Sapere & ſcire differunt

Aliud eſt enim ſcire, aliud ſapere. Multa ſciunt & dæmones, hinc nimirum & nomen ſortiti, ſi Grammaticis credimus, dicti dæmones quaſi δαήμονες, hoc eſt, ſcientes, nemo tamen illos dicit ſapere. Sapiens eſt qui didicit non omnia, ſed ea quæ ad ueram felicitatem pertinent, & ijs quę didicit afficitur, ac transfiguratus eſt. Hoc fit quoties cibus Euangelicæ doctrinæ cum plena fide ſumptus, traiectus eſt in animi uiſcera, & in habitum acrobur ſpiritus tranſijt. Hoc igitur ſicut eſt præcipuum, ita par eſt ut prima ſit ipſius cura. Id uero nec humana præſtat philoſophia, nec domeſticæ homínis uires cuipiam dare poſſunt, ab eo petendum eſt, qui ſolus largitur uera bona. Petendum autem non oſcitanter, ſed aſſiduis ſimul & ardentibus precibus. Nec uotis modo poſtulandum eſt ut detur, ſed bonis etiam operibus ambiendum, ut quod datum eſt ſeruetur, & indies augeſcat. Qui tantum bonum frigidè petit, indignus eſt qui accipiat: & ingratitudinis genus eſt negligenter habere, quod & precioſum & gratis acceperis. Ingratus autem dignus eſt, etiam cui adimatur quod datum eſt. Largitur quidem dominus cor nouum, largitur ſpiritum confirmantem, idem ſeruat & auget quod dedit, uerum non oſcitantibus, non duplex habentibus cor. Habent autem cor duplex, qui ſimul mundo militare ſtudent & Euangelio: hoc eſt, qui cor uetus cum nouo miſcere conantur, ſpiritum Adæ cum ſpiritu Chriſti. Qui Cæſari militant, homines homini, non implicantur curis, ut ait Apoſtolus βιωτικοῖς, omittunt negociationem, agriculturam, fabricam, aliaq; huius generis opificia, quibus conſueuerant ſibi parare uictũ, quò liberi à curis rei familiaris toto pectore ſeruiant imperatori, ſuo contẽti ſtipendio. Quanto magis oportet eos qui deo præclarã hanc militiam militant, habere cor ſimplex, & immunes eſſe, non ſolum à luxu, uoluptatibus & cæteris huiuſmodi uitijs, uerumetiam à curis iſtis humilioribus, quæ ut non pertrahant hominem ad crimen, tamen auocant animum ab illa ſublimitate, quæ requiritur in Eccleſiaſta. Militat quidem Chriſto, quiſquis illi dedit nomen in baptiſmo, ſed is præcipuè, cui in alios commiſſus eſt gladius ſpiritus, quod eſt uerbum dei.

Oratio

Cor duplex

Vacuitas à negocijs mundanis.

2. Timoth. 2

Ad cordis mundiciem & illud pertinet, quod uerbi diuini præconi nõ ſatis eſt eſſe putã ab omni crimine, niſi iuxta beati Pauli monita ſeſe abſtineat etiam ab omni ſpecie mala, ne quà incurrat in ſuſpicionẽ criminis. Apoſtolus em̃ in epiſcopo, cuius præcipuę partes ſunt docere populum, requirit tantam uitæ puritatem, tantamq; cautionem, ut eorum quoq; qui foris ſunt teſtimonio comprobetur. Habet enim hoc eximia uirtus, ut propius inſpecta, malis quoq; ſit uenerãda. Sic Balaam impius propheta uidit & laudauit Iſraelitarum caſtra, conductus ut deuoueret. Sic Pilatus reuerítus, ac quoad potuit tutatus eſt Chriſti innocentiam toto uultu relucentẽ. Sic populus Hieroſolymitanus reuerebatur Chriſti diſcipulos, ut nemo ſeſe auderet illis adiũgere, quod utiq; dictum eſt de ijs qui nondum crediderant. Et tamen iam tum populus eos magnificabat, non tantum ob miracula, ſed multo magis ob admirandam in tanta potentia modeſtiam, ob ſtupendam in tantis afflictionibus alacritatem, ob animum nullum auaritię aut gloriæ ueſtigium præ ſe ferentem, ſed gratis ad benemerendum de omnibus expoſitum obuiumq;. Quin & in Ethnicorum hiſtorijs frequenter legimus, propter imaginem egregiæ uirtutis, honorem eſſe habitum quibuſdam. Diogenes in Philippi Macedonum regis caſtris pro exploratore captus, non tantum impune exprobrauit armato regi dementiam, uerumetiam cum præmio dimiſſus eſt. Eidem impune fuit, Alexandro Philippi filio, iuueni tam ambitioſo ut totius orbis imperium animo concepiſſet, nec aſſurgere, nec quicq; honorifice reſpondere. An non magna fuiſſet humanitas, ſi monarcha tantus pro uindicta uicíſsim contempſiſſet Cynicũ? Non cõtempſit, ſed huc prouocantibus reſpondit, Niſi Alexãder eſſem, Diogenes eſſe uellem: proximum ſibi dignitatis locum Cynico mendico tribuens. Si tantam uim habet umbra fallax, ac mendax imago uirtutis, quantum ualebit heroica ueraq; uirtus diuini ſpiritus relucens in ſermone, uita, uultuq; concionatoris? Vnus eſt qui ſumma fiducia dixit. Quis ex uobis arguet me de peccato? Et rurſus. Venit princeps huius mundi, & in me non inuenit quicquam. Et tamen ille puriſsimus agnus, obambulans, & gratis benefaciens omnibus, tanta manſuetudine docens, non effugit hominum calumnias, audiuit, ſocius publicanorum, uini potator, ſeductor populi, Samaritanus &

1. Theſſ. 5

1. Timoth. 3

Virtus eximia

Num. 24.

Ioan. 8 & 14

nus & dæmoniacus, blasphemus, & lapidatione dignus. Quo minus hoc sperandum est homini, qui dum ex officio suo reprehendit aliorum uitia, ipse non est omnino purus à uitijs. Huc tamen quantũ fert humana imbecillitas enitendum est, ut Ecclesiastes sicut ad Christi puritatẽ & innocentiam, sic ad eiusdem patientiam quàm potest proxime accedat. Ille patri fuit obediẽs usq; ad mortem crucis, Ecclesiastes item obfirmet animum aduersus omnes Satanæ machinas, quas nullis alijs intendere solet uel plures uel acriores, quàm ijs qui synceriter administrant eam rem, quæ quam plurimos retrahit ab ipsius tyrannide, et Christi acquirit ditioni. Vt Ecclesia Christiana nihil habet salubrius, nihil utilius, nihil efficacius quàm uerbum dei, ita nulli Satanas est infensior. Sed non est quod animum despondeat Ecclesiastes: Dominus est qui dat uerbum Euangelizantibus uirtute multa. Ille dat, ut bonum semen bona fide iactum suo tẽpore proueniat. Ille dat, ut impiorum conatus illustrẽt dei gloriam, eiusq; doctrinam cõfirment. Ille de suo corroborat humanam infirmitatem, ut par sit, aut, ut melius dicam, superior omnibus tentationum procellis. Dominus quidem ab omni leuissimarum culparum næuo fuit purissimus. Hoc ut ab omnibus Ecclesiastis optandum est, atq; etiam conandum pro uiribus, ita nõ arbitror à quoquam præstari posse (Virginem matrem semper excipio, cuius nusquam oportet mentionem facere, ubi de uitijs agitur) saltem illud ope diuina præstabit, ut sit purus à criminibus, uitijsq; capitalibus.

Fortitudo Ecclesiastæ.

Quòd si nec ista semper uitauit humana fragilitas, proximum est ut caueat ab ijs, quæ ad populum traducat fœdę buccina famæ. Quod genus sunt, luxus, & quotidiana temulentia, notum adulterium, manifesta scortatio, pugnæ, rixę. Hæc enim omnem fidem atq; autoritatem adimunt cnocionatori, etiam si recta doceat. Quis enim credat illum ex animo suadere uirtutem, qui sic uiuit? Non est leuius uitium seruire Mammonæ quàm habere concubinam, sed tamen hoc magis adducit in contemptum. Pernicios̃ius malum ambitio quàm ebrietas, uerum apud homines quàm illa magis hæc attenuat hominis existimationem. Quin & ante actæ uitæ crimina, doctoris eleuant autoritatem, nisi quod ante baptismum commissa nec defendi solent, nec imputari, nisi quis ad eadem fuerit reuolutus. Et quæ in adolescentia patrata sunt, facilius obliterantur, si iuuentus adolescentiam exceperit sobria ac seuera.

Autoritas Ecclesiastæ quibus reb. amittitur.

Quin & illud Ecclesiastæ perpendendum, quædam eius esse generis, ut cẽuis absint à crimine, tamen quoniam præ se ferunt malam speciẽ, nõ absint à criminis suspicione. Ab his quoq; circũspecte cauendum est Ecclesiastæ ueluti possidere diuitias, splẽdidius ædificare, uestiri nitidius, conuiuari lautius, uino hilarescere, consuetudinem habere cum fœminis, per se non sunt crimina, tamen maligno uulgo, & ad obtrectandum quàm obtemperandum procliuiori, præbent male suspicandi, maleq; loquendi materiam. Has ob res Paulus non admittit ad episcopi munus, qui defuncta uxore quam ante baptismum duxerat, post baptismum duxerit aliam: non quod hic ullum sit crimen, aut culpa, sed quod cum pudicitia summam autoritatem conciliet doctori, repetisse coniugium nonnullam incontinentiæ præbeat suspicionẽ. Mirum non est, si matrimoniũ ambit, qui cõiugij miserias non est expertus: & honesto colore quærit uxorem, qui liberos & hæredes desiderat. Sed quemadmodum ait Comicus, Improbe Neptunum accusat qui iterum naufragiũ facit: ita qui coniugium expertus, & susceptis liberis repetit matrimoniũ, quodãmodo profitetur incõtinentiam suam, ut periculum sit, ne tertiam aut quartam ducat, fiatq; sine crimine populi iocus & fabula, quandoquidem & apud Ethnicos semper male adijt polygamia: aut si uxor abierit in fastidium, ab alienis uenetur incontinentiæ remedium. Paulus quidem omnibus Christianis præcipit, ut abstineant ab omni specie mala, quoniã id temporis Christianorum nouitas ac raritas, uelut in theatro collocata, totius orbis oculos in se habebat intentos. Itaq; tum cuiuslibet Christũ profitentis mala uita nõ leue damnum erat Euangelij. Et hodie profecto nõ leue damnũ est, Christiana religione in tãtas redacta angustias, quũ Turcę & Mahumetani, Iudęi aliæq; natiões, quę Christũ uel ignorãt prorsus uel ex parte sunt amplexæ, nostris moribus redduntur alieniores ab ecclesię catholicę cõsortio. Atq; utinã in his regionib. quæ ex professo sunt ditionis ecclesiasticę, pauciores essent qui nomine uerius quàm re sint Christiani, ne quid interim commemorem de tanta ferè omniũ imbecillitate. Has ob res oportet Ecclesiasten ad hoc theatrũ prodeuntẽ, &

Species mali uitanda.

omnium

omnium oculos in sese conuertẽtem, Argo oculatiorem esse, ne quid per incogitantiam cõmittat, quod minuat usurã domini, huius lucri auidissimi, sed quod per seruos suos uult quotidie crescere. Potest ille quidẽ ex ipsis uiarũ silicibus sibi excitare filios Abrahæ, nec quisq̃ dubitat quin hoc quoq; maiora possit, sed ita uisum est illius incomprehẽsibili sapientię, per homines hominib. largiri sua dona: nec quisq̃ pius rogat, cur ita uisum sit, si modo credat huius autorem consilij, infinitam esse sapientiam, infinitam potentiã, infinitam bonitatem: ut phas non sit addubitare, quin quicquid optimus uult sit optimũ, quin quicquid sapientissimus statuit, sit sapientissimum, quin quicquid omnipotens statuit, quocunq; modo id statuit, sit præstaturus. Talis itaq; domini talenta dispensans Ecclesiastes, liber ab omnibus curis priuatis totus intentus esse debet ad lucrum illius cui debentur omnia. Nec est quod dicat, docebo indociles, laborabo ingratis, canã surdis, benefaciã maleuolis? Ille profecto te partib. infinitis maior hoc fecit, extẽdit manus suas tota uita sua ad populum incredulum & reclamantẽ, nec desijt unq̃ seminare bonum semen, quanq̃ sciret non prouẽturum in omnium cordibus. Ille coluit uineã quæ pro dulcibus uuis produxit amaras labruscas. Tu cur id facere pigritaris, qui nescis sementis euentũ? Iaciendi seminis, plantandi, rigandiq; tibi negociũ traditum est, prouẽtus in manu dei est, qui qualiscunq; erit, nihil decedet tuo præmio, qui bona fide nauasti operam debitã fundi domino, quum nihil ipse aliud sis q̃ colonus alienum semen in alienum agrum iaciens.

Deus homini per hominem largitur sua dona.

Ingratitudo populi.

Esaiæ 95

Esa. 8

1. Cor. 3

Inter dispensatores illud unum quæritur, quemadmodũ ait Apostolus, ut quis fidelis inueniatur. Si hoc requiritur inter homines ab ijs qui rerum uilium dispensationem susceperunt, quanto magis hanc fidem requiret deus ab ijs quibus mysteriorum suorũ dispensationem concredidit? Qui dispensatorem profitetur, nouit se tractare rem alienã; ex herilis animi sententia dispensandam in usum familiæ. Si non præuaricatur à mandatis domini, sed sedulo bonaq; fide peragit quod præscriptum est, etiam si non succedat quod agit, ipsi tamen sua merces in tuto est, damnum omne domini est, quod sedulo œconomo non potest imputari. Sin quod accepit erogandum, non erogat, aut secus impendit q̃ habet in mandatis (par enim utrunq; uitium est) adeo nihil feret præmij, ut uocandus sit ad pœnas. Si euangelizauero, inquit Paulus, non est mihi gloria. Rem alienam ago domini auspicijs, effugi pœnam, non merui laudem, si metu supplicij tantum ac uelut necessitate coactus dominico gregi doctrinam impertio euangelicam. Væ enim mihi, inquit, si non euangelizauero. Si aũt uolẽs hoc ago, mercedem habeo: sin secus, dispẽsatio mihi credita est. Quis autem dispensat uolens? Qui alacriter, qui instanter, qui nõ mercedis amore, sed charitatis impulsu totus in hoc incumbit ut quamplurimos ad Christum uel alliciat blandiens & consolans, uel impellat territãs & arguens, uel adducat erudiẽs: qui lucro domini sui non minus gaudet q̃ suo priuato, si quod tamen est peculium nostrum, qui Christi serui sumus, nec id simplici iure, primum ab illo conditi, deinde ab eodem redempti, è cuius gratuita munificentia uenit quicquid uel possidemus uel sumus.

1. Cor. 4

Dispensator fidelis.

1. Cor. 9

Euangelista uoluntarius

Olim seruis qui cæteris ingenio fideq; præstare uidebantur, committebatur rei familiaris œconomia. Atq; hoc uerbo sacræ literę gaudent designare doctorem ecclesiasticum, Ita Paulus de ecclesia loquens, quæ est domus dei, Cuius, inquit, factus sum ego minister secundum dispẽsationem gratiæ dei, quæ data est mihi in uobis, ut impleam uerbum dei, Rursus alibi. Si tamen audistis dispensationem gratiæ dei, quæ data est mihi in uobis. Ad Titum autem describens imaginem boni doctoris: Oportet, inquit, episcopum sine crimine esse, sicut dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non uinolentum, non percussorem. Atqui inter homines magnatum œconomi hoc ferociores sunt, quo potentiores sunt ij quibus inseruiunt. Nimirum homo imponit homini, & interdum pro fideli habetur qui perfidiosus est: at deo nemo potest imponere, qui scrutatur intima cordium. Adhęc potentes interdum metuunt suos œconomos, ut omnium domesticarum rerum conscios, & ab his nonnunquam subuertuntur: Deum autẽ ut nemo potest fallere, ita nemo potest lædere, nec illius uindictam quisquã potest effugere, quum hic infidi dispensatores sæpe fuga sibi quærant salutem. Sed quo te proripies ut effugias manum dei? si ascenderis in cœlum, illic est: si descenderis ad inferos, & illic adest. Non est igitur quod quispiam dispensator sub tali domino cristas tollat ac ferociam sumat. Si uis esse tutus, agnosce te nihil aliud esse quàm alienæ rei ministrum, quantóque muneris

Oeconomi uerbum conuenit Ecclesiastis.

Ephes. 3

Titum 1

dignitate

dignitate maior es inter homines, tanto te geras submissius, non cauponans, sed syncere tractãs uerbum dei. Sin optas habere laudem, cum alacritate & gaudio pasce gregem domini tui, ex abundantia charitatis, multa insuper erogans, ad quæ te nõ adigit necessitas. Itaq; dispensatoris titulus placuit Apostolo, suadens modestiã, deterrens ferociã, admonẽs debitæ fidei. Sic & beatus Petrus loquitur, Vnusquisq; sic accepit gratiã, in uos inuicẽ administrantes, tanq; boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Vt aũt intelligas dispensatoris titulum inculcari ad deterrendam arrogantiam, audi quid mox inibi sequitur apud Petrũ: Si quis loquitur, loquatur tanq; sermones dei: si quis ministrat, ministret tanquam ex uirtute quã suppeditat deus, ut in omnibus honorificetur deus, per Iesum Christum cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Rursum Paulus Corinthijs scribens: Sic nos, inquit, æstimet homo, ut ministros Christi ac dispensatores mysteriorum dei. Animus ille cœlestis, ministri ac dispensatoris titulo cõtentus est. Quin & apud Lucam euangelica parabola sub dispensatoris appellatione, fidi & infidi doctoris imaginem proponit. Quis putas est fidelis dispensator ac prudens, &c. & suo fungentem officio beatum appellat: alter qui pro ministro gessit tyrannum, & quos dominico frumento pascendos susceperat, fame enecat, nec hoc contentus, ipse satur & ebrius iurgijs ac uerberibus sæuit in conseruos & conseruas, celerius expectato reuertente domino dissecatur in duas partes, & in hypocritarum sortem addicitur. Nam hypocrita est, qui alius est absente domino cũ præsente. Non quod deus uncq; absit, sed homines impij dei lenitate sic abutuntur ad quiduis audendi temeritatẽ, quasi aut nesciat quid homines agant, aut impunitum sinat quod aduersus ipsius imperata committitur. Vtinam autem hodie nullos uideremus huiusmodi dispensatores πλήκτας, ut appellat Apostolus, hoc est in reprehendendo sæuos & asperos, non alio spectantes, quàm ad opes, ad galeros uirides ac purpureos, in gregem domini lupis cũ pastoribus similiores.

1. Pet. 4

1. Cor. 4

Luc. 12

Ecclesiastes ferox.

Illud animaduertendum quod euangelicus sermo in dispensatore non fidem modo requirit, uerum etiam prudẽtiam. Fides ad columbinam simplicitatem pertinet, prudentia ad serpentis cautionem. In hoc præstatur fides, si præter ea quæ dominus mandauit, nihil doceamus populum, si ubiq; syncero corde ad illius gloriam, & sacri gregis cõmodum spectemus. Prudentiæ partes sunt, ex temporum, locorum ac personarum circumstantijs dispicere, quid, quibus, quando, qua moderatione sit adhibendũ. Paulus in quo uidemus summam simplicitatem cum pari prudentia fuisse coniunctam, ut sese uertit in omnia, nõ semper expendens quid liceat, sed quid expediat, ut interdum abijcit sese. Rursus ut attollit suam in Christo sublimitatem. Interdum exerit apostolicam uirtutem, ac minitatur uirgam seueritatis, sed sæpius obsecrat, blanditur, ac matrem se nutricemq; præbet potius cũ Apostolum. Interdum obiurgat, rursum lenit quod durius dictum uideri poterat: quædam differt, & in commodiorem locum dicenda reijcit. Quàm porrò circunspectè inuitat ad ea quæ sunt consilij & perfectionis, cauens interim ne cui laqueum inijciat. Interdum præceptum domini non habet, habet tamen consilium utile, tanquam fidelis dispensator. Quàm dextrè ad præsentem causam accommodat scripturarum testimonia, quàm sapienter aperit allegoriæ nubilum, ubi litera parum habet momẽti ad pietatem. Idem inter perfectos loquitur sapientiam reconditam in occulto, apud infirmos nihil nouit nisi Iesum Christum, eumq; crucifixum. Habet lac quo foueat infantes, habet solidum cibum quem porrigat adultis. Audet Petro Apostolotum principi resistere in faciem, & Philemoni supplex est, secq; sponsorem facit, ut Onesimum seruum fugitiuum recipiat. Aduersus eos agens qui Mosaicis cæremonijs plus æquo tribuebant, sic uerbis attollit fidem in Christũ & Euangelij gratiã, ut uideatur opera charitatis negligere. Rursus eos reuocans, qui putantes satis esse baptismo tinctos esse & Christi nomen professos, non innouabant uitam, hortatur ad opera pietatis, charitatem omnibus præferẽs donis, etiam fidei, toties tam magnificè prędicatę. Apud Areopagum Athenis differẽs, ab aræ inscriptione sumit exordiũ, & Callimachi citat testimonium elegantissimi quidem sed Ethnici poetæ, Christũ sic prædicans, ut uirum tantum appellet. Cęterum quum ad eos scribit, qui iam Euangelicã doctrinã receperãt, cũ omnia sunt sublimia plenaq; diuinæ maiestatis, quæ de Christo loquitur. Denicq; dum omnib. sese accommodat, tam uarius est ut interdum uideatur sibi contrarius, ac pugnantia loqui, quum sibi maxime constet undicq;. Sed hæc est fidelis

Prudentia dispensatoris

dispensa-

dispensatoris prudentia,&, ut ita dicam,cœlestium opum promi condi.

Simili prudentia dominus uetat sanctum dari canibus,& margaritas obijci porcis,ip- *Veritas interdum suppri-menda*
se populo loquens in parabolis,quas discipulis propioribus aliquando non grauatus est exponere:quin & post resurrectionem ita mandauit Euangelij gratiam dispẽsandam, ut primum prædicarẽt Hierosolymæ,deinde in Samaria,tandem inter gentes usq; ad extrema terræ. Postremo dum scriptura ueteris instrumenti sermonem suum ad populi rudis affectus attemperat, modo minitans externa incommoda, modo pollicens huius seculi commoda:quid aliud quàm prudentis dispensatoris exemplum nobis proponit? Nunc si reputemus,in eodem populo quanta sit uarietas,sexuum,ætatum,cõditionis,ingenio- *Difficultas ex parte populi*
rum,opinionum, uitæ institutionis, consuetudinis, quanta oportet esse præditum prudentia Ecclesiasten,cui sic temperãda est oratio, ne dum aliquorum medetur erroribus, alijs errandi præbeat ansam,& dum uitia persequitur,uitia doceat, aut dum scelera fortiter coarguit,seditionem excitet. Rhetores negant quenquam bene dicere, nisi dicat aptè, etiamsi alioquí dicat ornatè,copiosè & splendidè: & artis præceptiones iubent prudentiæ cedere,quam illi diuidunt in iudicium & consilium, quæ præceptis tradi nõ possunt, sed ex oratoris petuntur ingenio,& è negocij circumstantijs sumuntur. Inter iudiciũ au- *Iudicium, Consilium*
tem & consilium haud ita multum existimant interesse, nec mirum quum priscis consulere fuerit iudicare: inde Senatus consulta, & ni fallor etiam Consulum nomen. Nunc si quid interest,hoc est, quod iudicium adhibemus obuijs & expositis, consilio utimur in retrusioribus ac dubijs, quæ nonnunquã extra causam è longinquo petuntur. Velut ars præcepit,ut ante causam exordio præparet auditoris animum,sed consideratis causæ circunstantijs orator uidet aut omnino supersedendum exordio, aut per insinuationem exordiendum. Id iudicium dicas licet. At quod M. Tullius in Verrem maluit dicendi tempora contrahere,quum alioquí expedierit ad causæ instructionem ea proferre, quàm in eum annũ quo Hortensius erat consul futurus incidere, consilio tribuunt. Cõsulis enim patrocinãtis autoritas subleuasset causam Verris. Verũ hæc obiter attigisse sat est in præsentia: dabitur plura dicendi locus,quum ad artis præcepta uentũ erit. In tantũ uero non prosunt artis præcepta sine prudentia,ut quidã Rhetoricen nihil aliud esse putarint,cẽ dicendi prudentiam: Prudentia uero quanẽ tum institutione tum usu confirmatur,tamen *Prudentia naturalis*
à natura potissimũ proficiscitur. Hinc est quod uerè dicunt, dicendi artẽ aut cito discí aut nunquã. Si adsit naturalis illa prudentia,præceptiones agnoscuntur potius cẽ discuntur. Si non adsit,ars efficit ut peius ac molestius dicamus. Quemadmodum enim nulli ratiocinantur ineptius,quàm ij qui natura stupidi dialecticen superstitiosè didicerunt: ita nulli dicunt ineptius ijs, qui inuita,ut aiunt, Minerua præcepta Rhetorum religiosè obseruant: quum sæpe summa sit ars,artem negligere. Hanc prudentiam quum in causis prophanis requirant homines prophani, quanto magis requirenda est in Ecclesiasta. Illic oratoris imprudentia perit fundus,aut unius hominis status, hic innumeræ periclitantur animæ. Nunc mihi quæso perpendas,quantum sit periculi, quum citra delectum in sug- *Inidoneus Ecclesiastes*
gestum admittuntur,iuuenes interdum natura plusquã semifatui,rerum imperiti, nullo iudicio,nec humanis,nec sacris literis eruditi,interdum,quod nõ raro uidimus,cibo potuẽ onusti,atẽ ut absit crapula mentis uigorem obfuscans,nihil adferunt ad dicendum, nisi ueftem religiosam & impudentiam. Audiui quosdam cõcionantes, qui iam nõ multum aberant à manifesta deliratione,sic ut à populo cum risu deserentur. Non igitur satis est scire quid dicendum sit,nisi consilio dispexeris quando,apud quos,quomodo,quibus uerbis,quo ordine,quibus figuris,quo uultu,quo gestu sit dicendum. Hæc prudẽtia tantum habet momenti,ut eadem causa ab hoc acta mereatur applausum,ab alio acta explodatur. Nec tamen inficior hanc prudentiam in oratore sacro, spiritus sancti donum esse. Verum ille spiritus energiam suam temperat iuxta quod nactus est organum,præ- *Naturæ aptitudo*
sertim nunc posteaquam miracula propemodum desierunt, ut non solum exercendus sit futurus Ecclesiastes,uerũ etiam deligendus qui natura uideatur ad hoc muneris compositus. Nullus ignorat, deum & asinæ posse dare uocem hominis: nemo tamen est, qui hominem spirituosum,exili uoce,infirmis lateribus, hæsitanti & impedita lingua,aut etiam prodigiosæ deformitatis,nulla memoria,ad concionandum instituat. Sed hæc uitia, quæ tamen ex parte possunt emendari,quoniam externa sunt, uehementius mouẽt nos:

animi ſtuporem, inopiam iudicij, iracundiam, intemperantiam, ſtultitiam, memoriam rebelle
moſam ac perfluentem, & huius generis alia, quoniam non perinde ſunt oculis expoſita, ea
negligimus, quũ in his multo plus ſit momenti quàm in illis. Diuus Chryſoſtomus multo
tus in hoc eſt ut ubicũq; commonſtret prudentiam & conſilium beati Pauli, quam uim illa
à natura inſitam ſpiritus ſanctus non abſtulit ſed abſoluit.

In Eccleſiaſta igitur hæc in primis ſpectanda ſunt, ut cor habeat ab omnibus uitijs &
humanis cupiditatibus mundum, ut uitam habeat non tantum à criminibus, ſed & à ſu-
ſpitione ſpecieq; criminum puram & inculpatam, ut ſpiritum habeat aduerſus omnes
Satanæ machinas firmum, adamantinum, & inconcuſſum, ut mentem habeat igneam &
ad bene merendum de omnibus flagrantem, ut animum habeat ſapientem ad condien-
dum populi ſtultitiam, cor habeat prudẽs & oculatum, ut facile diſpiciat, quid ſilendum,
quid dicendum, & apud quos, quo tempore, quomodo ſit temperanda oratio, qui cum
Gal. 4 Paulo ſciat mutare uocem ſuam, & omnia fieri omnibus, utcunq; uiderit auditorum ſalu
ti expedire. Nam hunc oportet unicum eſſe ſcopum, ad quem Eccleſiaſtes rationes ſuas
omnes dirigat, à quo ſi deflectas oculos, continuo fit, ut quo magis inſtructus fueris ad
dicendum, hoc maiorem inuehas perniciem in gregem dominicum. Nam linguæ uolu-
bilitas, plectri uocalitas, laterum firmitas, memoriæ fidelitas, ſcripturarum cognitio, ſi de
Vinũ cicuta temperatum ſit animi ſynceritas, nihil aliud ſunt quàm uinum cicuta temperatum. Hac enim mixtura
uenenum fit præſentius. Vt igitur, quemadmodum ante dicere cœpi, non aliunde fru-
ctus uberior eccleſiæ uenit, quàm à pijs Eccleſiaſtis: ita non aliunde maior pernicies
Precationi addenda bona opera. quàm ab impijs. Sed hanc eximiam facultatẽ nec homo dat homini, nec quiſq; dat ſibi: à
deo poſtulãda eſt, nec uotis inſtanter poſtulanda tantũ, uerũetiã pijs operibus ambiẽda.
Operum bonorum duplex genus Eſt autem bonorum operũ duplex genus, unum quod affine eſt cęremonijs, & ad cor-
poralem exercitationem pertinet. Nam Paulino uerbo libẽter utimur. Alterum propius
ad ſpiritualem pietatem ſpectat. Prioris generis ſunt, abſtinere à cibis lautioribus, ieiuna-
re frequenter, cubitare humi, peruigilia, cilicia, uilis amictus, æſtus ac frigoris tolerantia,
prolixæ preces, ad hominis præſcripta uiuendi neceſſitas, & alia his ſimilia, quæ quodã-
modo frenum inijciunt carni, ne ferociat aduerſus ſpiritum, quam oportet in Eccleſiaſta
uehementer eſſe domitam ac ſubactam, &, ut Paulus loquitur, in ſeruitutem redactam.
Poſterioris ſunt illa, quibus optimus ille diſcipulorum formator ſuos potiſſimũ inſtituit,
& ex quibus præcipue cognoſcitur arbor bona. Quæ ſunt autem iſta? Vt obfirmetur ac
muniatur animus aduerſus iram & odium, aduerſus uindictæ cupiditatem, aduerſus o-
mnem humanam gloriam pariter atq; ignominiam, denicq; aduerſus omnes Satanæ ma-
chinas ſpirituales, quibus inſignes etiã uiros frequenter deijcit. Hęc igitur præcipue me-
ditanda ſunt Eccleſiaſtæ, priuſquã in hoc theatrũ prodeat. Primo ut ſit aduerſus omnem
inanem gloriam pauper ſpiritu, non hic uenans laudem ab hominibus, ſed contentus ſo-
lo præmio, quod dominus talium pronunciauit eſſe regnũ cœlorum. Deinde ſit aduerſus
omnes improborũ iniurias mitis, non huius mundi ſpectans emolumenta, ſed omnibus
neglectis properans ad id mercedis, quod talibus pollicetur Chriſtus, affirmans fore ut
poſſideant terram: non hanc quam habemus cum pecudibus & ſerpentibus cõmunem,
ſed ſolidam illam, nec ullius mutationis capacem beatam immortalitatẽ. Nec ſat habeat,
ſic cõfirmaſſe animum, ut nec pro meritis gloriam exigat ab hominibus, nec pro iniurijs
ultionem repoſcat, niſi & in afflictionibus ſit alacer, contentus ſolatio ſpiritus, cuius be-
nignitas etiam hic interim mitigat tentationum acerbitatem, ut poſſint ſuſtineri, donec
ueniat illud gaudium, quod nulla doloris amaritudine fermentatum eſt. In hac uita nihil
eſuriat, nihil ſitiat, niſi iuſtitiam, hoc eſt, optet Euangelicæ pietatis fructũ quàm latiſſimè
proferri, ſciens futurum ut breui cœleſtibus epulis, ac uino nouo quod bibitur in regno
cœlorum, affatim ſaturetur. Excelſi cuiuſdam animi eſt, nullo tangi gloriæ affectu, nulla
hominum petulantia à mentis tranquillitate dimoueri, in exilijs, expilationibus, carceri-
bus, tormentis ac mortibus, non modo non deijci, uerumetiam partim bonæ conſcientię
ſecuritate, partim æternæ felicitatis expectatione ſemper alacrẽ eſſe, nec ullis prorſus hu-
manæ uitæ uel illecebris uel terriculamentis à curſu pietatis, ac feruẽtiſſimo de omnibus
bene merendi ſtudio retardari: Sed excelſioris animi eſt: pro maleuolentia reponere be-
neuolentiam, pro conuicijs ſermonem amicum, pro deuotionibus bene precari.

Dixerit

Dixerit hic aliquis: Quis ista nescit? Adfer aliquid noui. Scio ista quotidie cani in templis, recitari in monasteriis, audiri in concionibus, legi in Euangeliis. Sed heu nimium rari sunt, qui serio ac sedulo semet ad ista bene decantata exerceant, quum hæc demũ sint, quæ uere magnum reddant Ecclesiasten Apostolorum similem, quum in priore genere non paucos uidere sit, qui se gnauiter gerant. Multos reperias esu leguminum ac piscium pallidos, inedia macilẽtos, uigiliis ac laboribus attenuatos, uili cultu sordidos, duris cilicinis & cilicijs strigosos: Sed quotumquenq; reperies, qui gratis Euangelizet, qui contumeliam æquo ferat animo, qui lacessitus iniuria, lacessentem uincat beneficentia. Hæc nimirum est illa pietas, quam D. Paulus ad omnia utilem prædicat, quum exercitatio corporalis exiguam adferat utilitatem, At non simpliciter exiguam, ne quis illa quibus carnis domatur lasciuia putet negligenda. parum habent utilitatis, nisi ad illa ueræ pietatis argumenta, ueluti subseruientia adhibeãtur: plurimum uero si huc spectent ac præparẽt. Qui tantum in hoc austeram ac parcam agit uitam, ut assuescat paucis esse contentus, nihil magni facit: fecerunt idem Philosophi Christum ignorantes. at qui in hoc corpus ad tolerantiam exercet, necubi spiritum remoretur ad illa sublimia Euangelicæ pietatis munia properantem, rem sanè quàm utilem facit. Tantum absint illa quatuor, supercilium, superstitio, præposterũ iudiciũ, & obliuio mediocritatis. Videmus & olim factum esse, & hodie fieri ut non aliunde magis intumescant homines, quàm ex illis externis iustitijs, quæ se uenditãt oculis hominum. Superstitio uarijs obrepit modis: ueluti quum hæc animo Iudaico obseruãtur, quasi cibi genus per se purificet aut inquinet hominẽ: aut quum ista sibi quisq; præscribit, non ad usum sed ad superstitiosum affectum: ueluti fuerunt qui dam olim, qui pro uino & aqua succum herbarum non bibebant, sed sorbebant, idq; non è poculo, sed è concha, quum & simplicius & utilius sit simplicem aquam pro uino bibere: Nec aberat à superstitione quod à quibusdam numerabantur ieiuniorum dies, in triduum, in hebdomadam, in quadraginta dies, à nonnullis in omnem etiam uitam. Nec enim ieiunium adhibendum est ad præscriptum numerum ut in rebus magicis, sed ad utilitatem corporis & spiritus. Itaq; qui sic ieiunant, haud multo minus inepte faciũt ijs, qui non ad modum sitis, sed ad præscriptum numerum cyathos hauriant, nunc quinq;, nunc tres, nunc nouem, quum cuiq; tantum bibendum sit, quantum siti sedandæ satis est. Præpostero iudicio peccatur, quoties plus tribuitur ijs quæ leuioris sunt momenti, minus ijs quæ propius ad rem pertinent. Huius rei exempla quoniam undique sunt obuia non opus est referre. Vnum tamen indicabo, quo dilucidius sit quod dico. Multi ualde perturbantur, si die Veneris per imprudentiam gustauerint carnes. at ijdem sibi non displicent, si calumnijs & famam proximi læserunt, & animum contristarunt. Misere trepidãt, si per occasionem sacrum amictum posuerunt, at non trepidant si per temulentiam, auaritiam, odium, inuidiam, abiecta ueste candida animi, quam Christus in baptismo tradidit, nigrum Satanæ pallium induerunt. In modo uero fortasse non ita multi peccãt, quod hominum uulgus ad dulcia quàm ad amara sit procliuius.

1. Tim. 4.

In externis operib. quatuor uitandа sunt

Basilij & Nazianzeni seueritas

Peccatur tamen & hic non leuiter, interdum & à magnis uiris, quorũ de numero sunt Magnus ille Basilius & Gregorius Nazianzenus. Si quidem ut hic narrat, uterq; sibi ieiunijs, hydropotijs, uigilijs, chameunijs, reliquaq; uitæ austeritate parum moderata, uale tudinẽ miseram accersiuerat: ut Basilio uita fuerit acerba, mors optabilis: Gregorius cogeretur episcopi munus deponere, quod obeundis episcopi partibus corporis uires deessent. Nec diuus Hieronymus dissimulat, inter monachos fuisse quosdam, qui humore cellularum, assidua recitatione psalmorum ac parum moderatis ieiunijs sic offenderent ualetudinẽ, ut Hippocratis fomentis potius opus haberent quàm ipsius preceptis. Quin ipse noui quum alios multos, quos immoderata uitæ austeritas ad omnem egregiam functionem reddidit inutiles, tum præcipue Theologum quendam uirum alioqui bonum, nec uulgariter eruditum: cui quum post lauream theologicam Parisijs acceptam, in ecclesia quadam celebri ac metropolitana datum esset sacerdotium, siue ut nunc uocant, præbenda concionatoria, statuisset q; uir pius, licet mutata fortuna, de pristina austeritate in qua fuerat educatus nihil remittere, adeo factus est inutilis, ut intra paucos annos in lepram inciderit. Noui & alterum quendam, qui è paupertate ad similem fortunam euocatus, subito mutatis moribus, cœperit conuiuari, uenari diuitias, concubinã alere, sedi-

nem excitare in episcopũ à quo fuerat euectus, uix etiã aulæ principis tolerabilis ob arro
gantiã. Peccauit uterq;, ille honestiore specie cẽ hic, sed in utroq; pariter perijt fructus pie
tatis, nisi quod magis etiã in priore. Verũ est media uia inter Scillã & Charybdim. Olim
è desertis, in quibus durã agebant uitã monachorum examina, plerunq; solent ad episco
pi cathedram arcessi, præsertim ij quos insignis actæ uitæ austeritas commẽdabat: ex his
enim rebus imperita multitudo potissimum æstimat pietatem. At diuus Chrysostomus
ingenuè fatetur, frequenter accidere ut qui ex eo uitæ genere uocati sunt ad episcopi par
tes, reperiantur cęteris ineptiores, dum ad delicias resoluuntur, ad laudes & adulationes
hominum intumescunt, ad leues etiam iniurias conturbantur, difficiles aditu, morosi &
asperi, ad omnem uitæ consuetudinem incommodi, in reprehendendis uitijs amarulen
ti: quum beatus Ambrosius nondum sacro lauacro renatus, à profana præfectura ad epi
scopi functionem uocatus, tum mitem, tum laboriosum, tum fortem, tum constantem &
inuictum egerit sacerdotem. Quemadmodum & Chrysostomus à causis forensibus, Au
gustinus ac Cyprianus non è cellis Anachoritarum, sed è scholis rhetorũ atq; è uita com
muni ad regendam ecclesiam uocati, quales se præstiterunt, res ipsa loquitur. Non hæc
eò mihi dicuntur, quasi è secessibus ac cœnobijs non queant euocari, quibus docendi po
pulum munus recte committatur, reperiũtur nimirum & illic animi uerè spirituales: sed
ut ostendam, quantum interfit inter institutionem Ioannis baptistæ, & domini nostri Ie
su Christi. Ille præparans ad doctrinam Euangelicam discipulis suis præscripsit ieiunia,
longas preces, uictum parcum & austerum, ipse nemorum alumnus, ferarum socius, ue
ste non è lana, sed camelorum pilis contexta, quæ cilicij quoq; uinceret asperitatem, cin
ctus non zona serica byssináue, sed rudi loro. Si uictum requiris, locustis uescens, & a
quam bibens: & tamen huius discipuli Christi gloriæ inuident, eiusq; discipulis obtre
ctant. Quid autem Christus? nec Ioannem nec illius institutionem reprehendit, sed suis
discipulis hoc præ cæteris inculcauit, ut omnem fiduciã in ipso collocarent, ut mundum
contemnerent, cum omnibus suis uel blandimentis uel terriculamentis, ut per ignomi
nias, afflictiones, ac mortes ad cœleste præmium anhelarent. Hæc uidelicet est fidei uis:
charitatis illa sunt, ut ab ira, odio, liuore, uindicta, ambitione tam essent defecati, ut malis
prouocati bona reponerent, inimicos diligerent, ut dignis iuxta & indignis bene uellent,
ut quo maiores essent, hoc magis semet amore Christi omnibus summitterent. Verum,
inquies, discipuli Christi diffugerunt ac latitarunt capto & occiso domino, unus eum ab
iurauit, cæteris idem facturis si similis incidisset tentatio. sed hæc ante hausturn spiritum
principalem, & subito obiecto terrore, qui solet fortibus etiam uiris mentem adimere.
At probabile est ex Ioannis discipulis fuisse, qui clamarint, tolle tolle, crucifige crucifige.
Multo aliud est metuere malum repente obiectum, aliud innocenti infligere mortẽ. Hæc
non temere gesta sunt, sed in his nobis forma proposita est quã imitemur. Qualis autem
erat baptismus Ioannis, talis erat & doctrina. Qui Ioannis baptismo tincti fuerant, bapti
zantur denuo in nomine Iesu, Act. xix. qui doctrina Ioannis fuerãt imbuti, egent exactio
re doctrina, sicut Actorum xviij. Apollo genere Alexandrinus, quum à Ioannis discipu
lis esset edoctus uiam domini, ac feruens spiritu loqueretur apud Corinthum, ac doceret
diligenter ea quæ sunt dei, magnaq; fiducia sese gereret in synogoga, tamen à Prisćilla &
Aquila seorsum arripitur, atq; è doctore factus discipulus, accuratius exactiusq; discit
uiam domini, atq; ut est probabile, retinctus etiam est. Et proximo capite duodecim disci
puli quos Paulus reperit Ephesi, qui baptismo tantum Ioannis tincti fuerant, ab Aposto
lo rogati num accepissent spiritum sanctum, ingenue fatentur se ne id quidem didicisse,
esse aliquem spiritum sanctum. Hunc à Christi discipulo non discũt modo uerum etiam
accipiunt. Et nos igitur ut ueri germaniq; Christi discipuli ne præpostero ducamur iudi
cio, sed agnoscamus quid interfit inter elemẽta pietatis ac cœlestem philosophiam, inter
initium ac fastigium, inter fundamentum & colophonem: & illa quidem pro temporis
ratione non negligamus, sed ad excellentiorẽ uiam, quam dominus ipse strauit, toto pe
ctore festinemus: ut tales uerbi præcones euadamus, quales fuerunt apostoli, foris qui
dem decẽter ornati, pudicitia, sobrietate, ieiunijs, uigilijs, orandi assiduitate, eleemosynis
reliquisq; bonis operibus, sed intus solidi munitiq; robore spiritus Euãgelici. Hic est ani
mi succus, illa ueluti flores sunt ac frondes. Audit sponsa in cantico mystico, Nisi cogno

Institutio Christi & Ioannis quid differant

Doctrina Christi & Ioannis quid differant

ueris

ueris te ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post greges sodalium tuorum. Idem Ecclesiastes suę quisq; animæ dictum existimet, nisi cognoueris quam sumpseris personam, noli esse dux gregis dominici, sed sequere magis gregarios homines. Vt longe difficillimum, ita multo splendidissimũ est munus quod suscipis. De utroq; iam antea nobis multa dicta sunt, Vt autem per eosdem locos recurramus, quanta sit Ecclesiastæ dignitas, quantumq; differat à cæteris functionibus, euidenter pronunciat diuina scriptura Danielis xij. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Habet enim ipsum firmamentum nonnihil luminis, sed in hoc insigniter eminent stellæ, inter se quoq; claritate differentes, quemadmodum docet Apostolus. Fons omnis luminis est sol, qui unus illuminat uniuersum orbem, quum aliæ stellæ alijs regionibus appareant aut abdantur. Inter minores autem stellas maximi gratissimiq; luminis est hesperus, quam eandem Venerem ac luciferum appellamus. Doctos autem hic appellari puto, quotquot crediderunt Euangelio. Quur enim indocti debeant appellari, qui, ut nihil aliud, è symbolo apostolorum discere runt illam ultramundanam philosophiam, quam non Pythagoras aut Plato, sed ipse dei filius tradidit hominibus: qui tenẽt præcepta legis utriusq;, qui à Christo docti sunt, quo modo debeant orare, qua uia ad quem felicitatis scopum tendere. Qui hæc non discerunt, quomodo credunt: qui didicerunt & credunt, qua fronte dicuntur indocti, & rusticitatis cognomine digni uidẽtur? Si uerum fateri uolumus, nulla est sancta rusticitas, sicut nulla est rusticana sanctitas: ubicunq; est uera sanctitas, ibi est magna philosophia, minimeq; uulgaris eruditio. Sed tamen inter hos egregie doctos excellunt, quibus peculiari spiritus munificentia datum est, ut ad iusticiam erudiant multos, quibus dominus dedit cor undiquaque mundum, spiritum principalem & inuictum, prudẽtiam serpẽtinam cum columbina simplicitate coniunctã, linguam similem calamo scribę uelociter scribentis, labia non in quibus residet illa gentium πειθὼ flexanima, sed in quibus ex unctione spiritus diffusa est gratia cœlestis. Aequum autem est, ut qui cæteris antecellit honore gradus, præcellat & uirtutibus: nec satis est, si inter malos sit bonus, nisi & inter bonos appareat melior, inter lucidos lucidior. Infelix enim reipub. status est, ubi locum habet illud Esaiæ: Et erit sicut populus sic sacerdos, & sicut seruus, sic dominus eius &c. Ecclesiastarum autem sublimitatem admiratur idem propheta exclamans: Qui sunt hi qui ut nubes uolant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Nubes in sublimi uolãt, ut terram subiectam irrigent reddantq; fœcundam. Doctores autem Euangelici procul à terrenis cupiditatibus sublati, cœloq; uicini, cœlestis pluuia uerbi, mentes hominum humiles ac steriles imbuunt, ut euulsis uepribus producãt fructus deo dignos. Per hos enim præcipue nostra terra aut fertilis est, aut sterilis. Volitant ut nubes ubiq; spargentes Euangelij gratiam, sed ijdem uolitant ut columbæ ad foramina sua. non enim nidulantur humi, sed in petrarum sublimium cauernis iugibus suspirijs ac precibus omnes humi repentes prouocant ad amorem uitæ cœlestis. Vidit & Iohel ab his nubibus uenientem ecclesiæ fœcunditatem, gratulans terræ nostræ, quum ait: Noli timere terra, exulta & lætare, &c. Ac mox: Filij Sion exultate & lętamini in domino deo uestro, quia dedit uobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad uos hymbrem matutinum ac serotinũ in principio, & implebuntur areæ frumẽto, & redundabunt torcularia uino & oleo. Ab ijsdem nubibus uenit ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Nimirum à monte in mõtem, siquidem in monte est quisquis est in ecclesia, sed qui huc effundat euangelicæ doctrinæ rorem, in altiore monte sit oportet. Is est mons Hermon ab anathemate dictus. Anathemata autem dicuntur, quæ in sublimi fixa cum ueneratione seruãtur, nec iam contrectantur hominum manibus, nec in plebeios adhibentur usus, ueluti iam numini cõsecrata, procul modo uisuntur, & spectatores ad religionem prouocant. Huiusmodi decet esse uitam Ecclesiastæ. In poetarum fabulis est, Prometheum in monte Caucaso affixum, iugiter cruciari aquila iecur arrodente: uerum in hoc monte cessat tristicia, quam in hominum animis gignit humilium rerum solicitudo, dum alius luget filij mortem, alius pecuniam furto amissam, alius aduersam ualetudinem, alius senectutem à uoluptatibus submouentem. Nam his omnibus affectibus superior est, qui philosophiæ cœlestis doctorem profitetur, si modo hoc est quod profitetur. In hunc montem ascenderat Abraham, qui sine contatione, sine

1. Cor. 15

Nemo Christianus indoctus

Esa. 24

Esa. 6

Iohel. 2

Psal. 132

Montes

ſuſpiriſs,ſiccis oculis immolabat unigenitum ſuum quem diligebat Iſaac. Quãquam de his montibus quorum frequenter meminit ſcriptura myſtica declarans nobis uirtutum eminentiam,fortaſſe dabitur aliàs dicendi locus.

Dignitas à deo

Nunc ad inſtitutum ſeſe recipiat oratio. Agnoſcat dignitatem ſuam Eccleſiaſtes,uerum meminerit etiam atq; etiam,quicquid hic magnificum eſt,dei donum eſſe,non hominis uirtutem. Inter ueteris teſtamenti prophetas longe facundiſſimus eſt Eſaias,ſed is

Eſa.50

agnoſcit tãti muneris autorem. Dominus,inquit,dedit mihi linguam eruditam,ut ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt uerbo: nec inficior,nec ignoro,uaticinium hoc in Chriſtum præcipue competere,ſed nihil uetat quominus hæc uerba congruant in prophetam,& ſub illius perſona uaticinium habeant de Chriſto: de quo quicquid ſcriptum eſt,utique nobis erudiendis ſcriptum eſt. Hoc autem capite ueluti depingitur nobis probati Eccleſiaſtæ forma,ut non abs re fuerit in huius loci cõtemplatione pauliſper commorari. Dominus dedit mihi,audis protinus autoritatem irrefutabilem,dein modeſtiã ab omni tumtam arrogãtia: quis enim ſibi uindicet quod dominus dedit gratis? Quid dedit? mentem bonam? id quidem omnium piorum cõmune eſt. Quid igitur? linguam eruditam,quod Eccleſiaſtarum peculiare donum eſt: nec dicit linguam inſtructam philoſophorum ſyllogiſmis,aut rhetorum floſculis ornatã,ſed eruditam in ſermonibus domini,quemadmodum de Eſdra ſcriptum eſt. In quem uſum dedit? ut ſciam,inquit,ſuſtentare eum,qui laſſus eſt,uerbo. Quum audis ut ſciam,intelligis Eccleſiaſtæ prudentiam,de qua iam nonnihil diximus: ut ſciam ſuſtẽtare eum qui laſſus eſt uerbo: neq; enim eadem eſt ſuſtentandi ratio,ſed aliis aliter adhibetur ſermo diuinus. Ergo non in hoc data eſt lingua Eccleſiaſtæ,ut ſibi famam,opes,ac dominium paret,ſed ut quamplurimis proſit. ſuſtentare,non deprimere,contra Phariſæorum ſupercilium,ſuſtentare laſſum iuxta illud, Facundus comes in uia pro uehiculo eſt. Non habemus hic manentem ciuitatem,ſed temporarij uiatores ſumus,properantes ad cœleſtem patriam. Anguſta eſt uia quæ ducit ad uitam. Per deſertum huius ſeculi,per myſticas manſiones tendimus ad terram illam repromiſſam, interim multa occurrunt quæ laſſitudinem adferunt proficiſcentibus,planè defecturis,

Gal.6

ni aſſidue lingua erudita ſuſtentemur. Tot Hebræorum milia Moſes eduxit ab Aegypto,uix ullus peruenturus erat ad terram fluentem lacte & melle,niſi idem lingua erudita ſubinde fulſiſſet eos. Laſſitudo enim corporis,aiunt medici,morbi imminentis,animi laſſitudo defectionis præſagium eſt. Qui linguam habet eruditam,nouit ueniẽti morbo occurrere,nouit infirmum in fide ſuſcipere,nouit infantes fouere lacte,nouit eum qui occupatus eſt delicto reſtituere in gradum ſpiritu lenitatis.

Pſal.39

Sequitur apud Eſaiam: Erigit mane,mane erigit mihi aurem,ut audiam quaſi magiſtrum. Quid ſibi uult illa ἀναδίπλωσις, erigit erigit,mane mane? Hominum aures naturaimmobiles ſunt,cerui quum erigunt aures acutiſſimi ſunt auditus,quum demiſere ſurdi: ſed animus noſter habet aures maxime mobiles,quas oportet uehementer eſſe arrectas,ut audiat uocem ſpiritus. Itaq; cõduplicatio emphaſim habet,ſicut in illo mane mane. Ad humanas diſciplinas ſufficit utcunq; aures habere arrectas,ad hanc eruditionem oportet habere aures ſingulariter arrectas,nec eas tamen quiſquam arrigere poteſt niſi deus,à quo magiſtro niſi docenda didiceris,fruſtra te magiſtrum profiteris,quemadmodum inquit Pſalmiſta: Aures autem perfeciſti mihi: tunc dixi,Ecce uenio. Fruſtra habemus aures,niſi eas perfecerit deus,Perficiuntur autem fide & obedientia. Hæ ſunt aures de quibus dominus in Euangelio loquitur,Qui habet aures audiendi audiat. Nemo dicit,Ecce uenio,niſi tractus ab aure. Dominus autem non uellicat aurem,niſi mane mane,hoc eſt primo diluculo. Qui profitentur humanas diſciplinas,ſi quid ſubtilius docere parant,matutinas horas eligunt,quod id temporis & corpora commodius habeant,& animus crapula liberior magis idoneus ſit ad rerum ſubtilium perceptionem: eoq; Stagiriten illum nobilem ferunt non niſi matutinis horis diſſerere ſolitum de phyſices difficultatibus,pomeridianis autem docuiſſe rhetoricam,idq; inambulantem. Sed eximium

Rom.13

mane ſit oportet,quod nos reddat dociles cœleſtis illius philoſophiæ. Nox,inquit Apo-

1 Theſ.5

ſtolus,proceſſit,dies appropinquat,abiiciamus opera tenebrarũ. Ecce ſummum mane. Qui dormiunt,inquit,nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt,nocte ebrij ſunt. Si præceptor homo grauatur homini diſciplinam humanam committere,puta dialecticen,aut arithme-

ticen

ticen,somnolento,oscitanti,aut crapula grauato,quanto magis sapientia cœlestis dedignabitur loqui,uoluptatum huius mundi amore temulentis, cœlestium rerum negligentibus? Sic & apud Salomonem loquitur illa sapientia preciosior cunctis opibus,Ego diligentes me diligo,& qui mane uigilauerint ad me,inuenient me. Et aliquanto inferius,Beatus homo qui audit me,& qui uigilat ad fores meas quotidie,& obseruat ante postes ostij mei. Hoc faciunt amantes ad fores amicæ,damnosam uoluptatem aucupantes mox in pœnitudinem abituram: & dormitãtes expectamus illam qua nihil amabilius est sapientiam? Quid autem promittit hæc amatoribus suis? Qui me inuenerit,inquit,inueniet uitam,& hauriet salutem à domino. *Prouer. 8*

Adde quod illud mane mane,hoc quoq; nos admonet,ut Ecclesiastes futurus ab ipsa statim pueritia meditetur in lege domini,ne eueniat quod multis uidemus euenire,qui posteaquàm in externæ philosophiæ disciplinis,aut in politioribus literis consenuerũt, si de rebus sacris uel disserere apud populum,uel aliquid mandare literis tentent,mire frigeant. Nihil felicius agimus,quàm quod à pueris didicimus agere. Laudat hoc in Timotheo Paulus,quod ab ipsa statim infantia sacras literas didicisset,hoc est mane mane. Præcipiendũ igitur & hoc,ut concionatorio muneri destinatus,& mane,hoc est mature,mane mane,hoc est ualde sobrius,& quotidie uigilet ad fores arcanæ sapientiæ,ut dominus dignetur illi arrigere aurem,ut ipsum audiat quasi magistrum,non ut circulatorem,aut fabulatorem audit otiosus,sed ut uerus discipulus audit sublimis sapientiæ magistrum,cum tremore,cum attentione,cum obedientia. Vis audire tremorem? Dominus,inquit,deus aperuit mihi aurem. Quis talem magistrum non metuat? Vis attentionem? Ego autem non contradico,retrorsum non abij. Quando enim præstabit quod audit,qui indiligenter auscultat? Nunc accipe obedientiam. Corpus meum dedi percutientibus,& genas meas uellentibus,faciem autem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Ecce cor paratum ad omnia,cor obediens usque ad mortem. Nunc audi fortitudinem: Dominus deus auxiliator meus,& ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam,& scio quod non confundar. Iuxta est qui iustificet me,quis contradicet mihi? stemus simul,quis est aduersarius meus: accedat ad me. Mira fiducia,non modo non metuit aduersarios,uerum etiam prouocat ad congressum,sed quibus fretus præsidijs? Suis? Nequaquam. Ecce,inquit,dominus deus auxiliator meus,quis est qui condemnet me? Itidem quum ait beatus Paulus: Omnia possum,non ædidit confidentiæ uocem,sed fidei: protinus enim addidit,In eo qui me corroborat. Sic demum magnanimum esse tutum est. *Ab infantia discenda pietas* *Phil. 4*

Similem linguã,similemq; fiduciã dominus dedit & Hieremiæ ad populũ cõcionaturo: Et misit,inquit,dns manũ suam,& tetigit os meum,ecce mundum cor,unde nascitur mundum os,quod non dat nisi manus dñi. Sequitur: Et dixit dns ad me,Ecce dedi uerba mea in ore tuo. Ecce ego constitui te hodie super gentes & super regna,ut euellas & destruas & disperdas,& dissipes & ædifices & plantes: Summam pastoralis officij complexus est,quod totum in hoc situm est,ut primũ reuellat ab animis auditorũ prauarum opinionum radices,malaq; dogmatũ impiorũ semina,unde pullulãt fructus acerbi: ac malo fundamẽto superstructũ ædificiũ demoliatur,zizaniam enatam dissipet,structurã male cœptam disperdat,proq; reuulsis & dirutis inserat bonã plantationẽ & structurã erigat, nulli cessuram tempestati. Ad hæc omnia uerus Ecclesiastes non utitur nisi linguę instrumento,sed instructæ uerbo dei,quæ est scriptura diuinitus inspirata,utilis ut ait Apostolus,ad docendũ,ad arguendũ,ad corrigendũ,ad erudiendũ in iustitia,ut perfectus sit homo ad omne opus bonũ instructus. Sed qui polluto corde pollutoq; ore tractat cœlestẽ scripturã,audit in Psalmis: Quare tu enarras iustitias meas,& assumis testamentũ meum per os tuum? Tu uero odisti disciplinam,os tuum abundauit malitia,&c. *Hier. 1* *2 Tim. 3* *Psal. 49*

Præcipuum igitur ad persuadẽdum est,amare quod suades: amanti pectus ipsum suggerit orationis ardorem: & ad doctrinæ efficaciam plurimum adfert momẽti,si quæ docemus alios,in teipso præstes. Pulcherrimũ elogiũ quo à uiro longe omniũ laudatissimo laudatus est Ioannes Baptista,cõpetit in bonum Ecclesiastẽ: erat lucerna ardens & lucens. Ardere prius est,lucere posterius. Ardor mentis est,lux doctrinæ. Habẽt & opera lucem suam,teste domino: Luceat lux uestra coram hominibus,ut uideant opera uestra bona. *Amãdum tibi qd' alijs suades*

Verum ut lux operum ſine ardore hypocriſis eſt, ita doctrina diluta eſt & inefficax, niſi ab ardenti ſpiritu proficiſcatur. Quis enim credet laudãti pudicitiam ac ſobrietatem, qui concubinas alit domi, qui frequens eſt in compotationibus parũ ſobrijs? Aut qua fronte quáue fiducia, reprehendet aliorũ uicia, qui ijſdem aut etiam deterioribus madet? Talis obiurgatio etiamſi ſæua ſit, nihilo plus habet uirium, quam fulgur ex uitro, ſicut eſt in Græcorum prouerbijs. leuiter præſtringit oculos fulmen imitatitium, non proſternit aut interimit. Proinde cor mundum, & uita inculpata, fiduciam ſimul & autoritatẽ præſtat concionatori. Trepidat & Eſaias donec labijs erat pollutis: at ſimul ut ardenti carbone unus è ſeraphim purgarat os illius, domino dicenti, quem mittam, & quis ibit uobis? intrepida fiducia reſpondet: Ecce ego, mitte me. Sed ut falſa mundicies eſt, quam homo parat ſibi: ita falſa eſt fiducia, quam gignit humana mundicies. Cedit enim, ubi ingruerit tentationis procella. Falſa mundicies eſt quam quidam ſibi uendicant ex operibus externis, ieiunijs, abſtinẽtijs, uigilijs, miſſis, precationibus, eleemoſynis, amictu & ſimilibus quum cor habeant impurum & infectum ſtudio pecuniarum, ſiti gloriæ, amore ſui, odio proximi & inuidia, appetitu uindictæ, interdum & hæreſeos lepra, Sed is demum uere mundus eſt, quem igneus ac uiuus carbo non è foco prophano, ſed ex altari dei ſumptus ſuo contactu purgauit. Charitas enim uera fidei ſynceræ comes, operit multitudinẽ peccatorum, quia dei donum eſt, ac neſcit fucum & ſimulationem. Hanc mundiciem non præſtat aqua infuſa corpori, ſed is qui ſolus baptizat mentes hominum ſpiritu & igni. Vt impurum deoq; inuiſum eſt omne ſacrificium quod igni uulgari prophanoq; adolebitur: ita ingratum eſt deo omne opus hominis, quod igni cœleſti non fuerit repurgatum. nam eſt & humana charitas, quæ gignit opera peritura, ſi per ignem cœleſtem examinentur. Hoc igni purgauit dominus apoſtolorum labia in die pentecoſtes, ut digne loqueretur magnifica dei myſteria. Quemadmodum autẽ apud Iudæos animal quod mundum erat eſui, non ſtatim erat mundum ſacrificio: ita nõ quiſquis mundus eſt ad innocẽtiam, continuo mundus eſt etiam ad Euangelizandi munus. In corpore noſtro aliud eſt eſſe oculum, aliud quoduis membrum. Eximiæ dotes requiruntur in doctore Eccleſiaſtico, ex quiſita mundicies, magnum fidei robur, ſingularis ardor charitatis: eoq; dominus à Petro ter requiſiuit charitatem, non quamuis, ſed ipſius, Amas me, amas me, amas me plus his, in Petro docens omnes qui ſacerdotis munus ſuſcipiunt. Non audemus ad dominicam menſam accedere, niſi ieiuni, idq; merito facimus, ſed maior ſobrietas neceſſaria eſt concionatori. Non aggredimur ad ſacrificandum, niſi ſemel atq; iterum accurata cõfeſſione purgauerimus conſcientiam. Quod facimus probo, at quod tractaturi uerbum dei ſimilem curam non adhibemus haud probo. Quoniam uero nobis perſuaſiſſimum eſt, ut eſſe debet, legem eſſe ſpiritualem, & quicquid in uetere teſtamento uel ſcriptum eſt uel geſtum, ad nos erudiendos ſcriptum geſtumq; eſſe, & iuxta eundem Paulum ſpiritualia ſpiritualibus comparanda ſunt: omnes Eccleſiaſtæ dotes, uelut in tabula nobis depinxit ſcriptura myſtica in Aaron ſacerdote, qui Moſi additus eſt ut loqueretur apud multitudinem, non hominum fabulas, ſed præcepta dei, populique ſequeſtrum ac patronũ ageret apud dominum Sabaoth. Quamquam ipſe Moſes quàm eſt ubique concionabũdus, docens, exhortans, arguens, blandiens, minitans, lingua potiſſimum tam numeroſam multitudinem eamque durę ceruicis moderans, nihil tamen afferens niſi ex autoritate domini. Idem fecit Ioſue & Samuel. Sed ut ad Aaronis imaginem redeam, hęc niſi ſenſum haberent myſticum, frigida curioſaque uideri poterãt illa, quæ tam multa tã exquiſita diligentia tradidit Moſes de cõſecrandi modo, de ornatu ſacerdotis, de ritibus ſacrificiorum, & quid ex quoque animante rediret ad ſacrificum, deq; tota ſacerdotalis uitę ratione: quæ tam accurate deſcribuntur in Exodo, aliiſque ſcripturę uoluminibus, ut niſi ſpectemus recruſiorem ſenſum, uix abſque tędio legi poſſint. His omnibus nobis imago propoſita eſt, quę doceat ſpiritualem noui teſtamenti ſacerdotẽ omnibus animi ornamẽtis longè uulgus antecedere oportere, mundicie cordis, caſtitate corporis, ſanctitate morum, eruditione, ſapientia, ſed in primis eloquẽtia digna diuinis myſterijs. Verum horum ſingulis ad allegoriam accommodandis hic remorari lectorem non eſt animus, præſertim cum extet ueterum commentarij, unde liceat iſta cognoſcere. Nos in trãſcurſu uelut aliò properantes, quædam ſummatim attingemus. Principio quum totus populus deum colens iure dicatur

Mundicia Eccleſiaſtæ exi/mia

Rom. 7

Aaron exem/plar Eccleſiaſtæ

Puritas Aaronis & conſe/cratio

dicatur sanctus, tamen Aaron peculiari ritu consecratur: ut intelligas eum qui partes Ecclesiasten susceptur us sit ante omnia à mundanis negocijs seiunctum, toto pectore diuinis rebus addictum deditumq; esse oportere. Decebat enim, ut per quem omnium uictimæ consecrabantur, ipse in primis esset consecratus: ita qui in hoc constitutus est, ut omnium animos à mundi curis ad cœlestium amorem auocet, sit ipse purus à prophanis cupiditatibus. Consecrabantur autem manus sacerdotis, quarum contactus uictimam reddebat mundam sacrificio: & apostoli per impositionem manuũ dabant spiritũ sanctum: & hodie sacerdos confessum absoluens manum imponit capiti, quasi qui prius erat seruus peccatorum, manumissus asseratur in libertatem. Non decet autem deo consecratas manus, uel sanguine pollutas esse, ut bello militent: uel impuras esse, ut impudicitiæ seruiant: uel rapaces, ut auariciæ sint intentæ. Nam hæ sunt duæ præcipuæ pestes sacerdotum. Impudicitiæ magister est luxus, auaritia mater & radix est malorum omnium, cuius primogenita filia est execrabilis illa Simonia, olim quidem execrabilis, quæ nunc penè in iocum abijt. Consecrabantur & filij illius, quod sicut præcepit beatus Paulus, non sat sit ipsum episcopũ uacare crimine, nisi liberos totamq; familiã habeat inculpatam. ex horũ enim uitijs interdum uulgus concipit sinistram de doctore opinionem, ita cogitans: si tam male morati sunt quibus cum assidue uiuit, & in quos priuatim habet imperiũ, quosq; facillime poterat ad suos mores fingere, & quos parat suæ functionis hæredes: aut hypocrita est, qui faueat nequitiæ suorũ, aut indiligens moderator. Quando aũt is bene præerit ecclesiæ, qui domi suæ nequit bene præesse? Sic & hodie non satis est episcopo, si ipse purè & inculpatè uiuat, nisi curet ut presbyteros ac diaconos habeat sui similes, & idoneos, qui uel in societatẽ sacræ functionis ueniant, quoties id res postulat, uel in demortui locum succedant. Consecrabantur autem non manus tantum, sed & caput & pedes. In capite ratio est, in pedibus affectus. Nec corpus tantũ unctione consecrabatur, cõsecrabatur & uestes, ad significandũ, Ecclesiasten uitã adeo à uulgi inquinamentis purã esse oportere, ut in externis etiam actionibus, uelut in cibo, potu, cultu, uultu, incessu, domicilio, famulitio, nihil appareat quod non præ se ferat sanctimoniã, ut omnia quæ facit in gloriam dei faciat. Oleum aũt quod hilaritatẽ addit, excludit hypocriseos tristitiã. Alacris est enim non tristis uera sanctimonia. Porrò nihil horum absq; sacrificio peragitur, quod absq; diuino præsidio nullus præstare ualeat hanc uitæ integritatem: & si quid præstatur, non nostris arrogandum est uiribus, sed cœlesti munificentiæ tribuendum, quæ dat ut mortificatis pecuinis affectibus, puro spiritu seruiamus domino. Consecrantur & hodie sacerdotum manus, contrectaturæ corporis ac sanguinis dominici sacramenta, consecrantur uestes acuasa, cõsecratur & ipsum templũ: partim ut externis huiusmodi cęremonijs populus ad reuerentiam prouocetur: partim ut qui sacris initiãtur, externis ritibus admoneantur, quanta uitæ puritas requiratur ab ijs qui sacris functionibus admouentur. Septẽ diebus peragebatur consecratio, idq; in tabernaculo dei, quo tempore capitale erat ab eo loco progredi. Execrati sunt non cõsecrati, qui extra templum per Simoniã consecrantur, aut seipsos domi consecrant, quod faciunt schismatici. Quin & per omne tempus quo sacris operatur sacerdos prohibetur à sancto discedere, nec fas habet uel ad uxorẽ, liberos, aut cognatos accedere, non quod locus aut coitus licitus inquinet hominẽ, sed hæc omnia ueluti symbola quædam ad animi puritatẽ referẽda sunt. Quisquis uerbũ domini statuit syncere prædicare, perpetuus & assiduus sit oportet in sancti propositi meditatione, ut sibi constent omnia uitæ studia. Recedit aũt à sancto non qui templum egreditur, sed qui peracto sacro aut perorata concione, ad humanas ac prophanas curas cõfert sese, ad conciliandas aut dirimendas nuptias, ad quæstũ ac negociationẽ, ad apparanda cõuiuia, ad hercisscundas hæreditates, ad prophanas legationes, ad obeunda diuitum negotia, ad uenatum & aucupia, ut ne addã, ad comessationes, ad aleam, ad amicas, ad bella. Sunt in his quæ rectè geri possunt, fateor, sed non omnis functio decet sacerdotem: quemadmodum in corpore, aliud agit oculus, aliud auris, aliud manus, aliud pes. Dominus rogatus ut inter fratres diuideret hæreditatẽ, cum stomacho recusauit: non quod crimen sit, inter hæredes possessionem diuidere, sed quod uerbi præconem sublimiora deceant. Idem nec imaginem nec inscriptionem Cæsaris agnoscit, non quod iura principum sint omnino reprehendenda, sed quod in his multa insint, quæ pijs hominibus toleranda sint magis

1. Tim. 6

1. Tim. 3

A sacro recedere quid

Ocium à negocijs secularibus

Luc. 14

quàm

quàm approbanda, quædam uero dissimulanda ac uelut ignoranda. Quemadmodum Christus à Petro scisciatur, utri penderent tributũ regibus, filij regni an alienigenę. Christum nihil omnium rerum latuit, sed suis indicare uoluit, tantam esse dignitatem Euangelici muneris, ut ad humi repentia negocia non debeat se temere demittere. Qui susceptit prouinciam docendi Christianos, necessum est ut ipse prius sit Christi discipulus. Dominus autem negat quenquam discipulum esse se dignum, qui non ipsius causa oderit, patrem, matrem, uxorem, liberos, propinquos, denique & animam suam: odit autẽ qui hæc
2. Corin. 5 omnia pietatis amore negligit, si per occasionem ab ea reuocant. Aaron itaq; perseuerãs in sancto, non agnoscit carnis propinquitate coniunctos, quando Paulus professus se neminem omnino nosse secundum carnem, addit ne Christum quidem secundum carnem iam nosse, etiamsi quando nouisset aliàs. Affectus autem humani, ut absit crimen, tamen si quis illis indulgeat, frequenter auocant ab ea synceritate, quæ requiritur in episcopo. Mosaici quidem sacerdotes quoniam per uices ministrabant, non semper in templo uersabantur: tamen iuxta sensum spiritualem, episcopo perpetua necessitas est ministrandi sacris, nec unquam phas est à sancto recedere: licet sit in aula principis, licet in conuiuijs, licet in nauí, aut curru, si uita, si dictis prouocat ad studium pietatis non recedit à sancto:
Luctus sacerdotum Illic demum sacerdos in tuto est, alioqui periturus. Eodẽ pertinet, quod in luctu filiorum uetatur admisceri, nec sinitur nudare caput, neq; quod in acerbo luctu solent Iudæi, uestimenta sua scindere. durum est, parenti in morte filiorum interdicere lachrymas, durũ est
Leuit. 10 fratribus in tristi fratrum exitio non permittere gemitum, & tamen tacuit Aaron, & cum reliquis filijs Mosi iussis obtemperat, quia sic præceperat dominus. Insuper Leuit. xxi. sacerdoti summo perpetua lex præscribitur, ut ne matris quidem aut patris aut ullius omnino defuncti exsequijs interfit, sed in templo maneat nõ intermissis sacris functionibus. Additur causa quod oleum sacrum infusum sit in caput illius. Non decet enim ut caput per unctionẽ spiritus deo uitæ autori consecratũ, nudetur aut radatur ob carnales affectus. Quo maior est muneris dignitas, hoc maior requiritur uitæ puritas. Vera mors peccatũ est, oportet autem Ecclesiasten etiam ab alienorum criminũ cõtagio purum & incõtaminatum esse. Hæc lex inhumana uidetur, si iuxta literam accipiatur. sepelire mortuos charitatis opus est: at lugere mortuos quemadmodum lugebant Iudæi, illorum est qui non credũt resurrectionem corporum. Dignissimum uero sacerdote est, ad spiritu mortuum accedere, at non ut conclamatum inutili ploratu lugeat, ut exanimem lachrymis, ut aiunt, le, decoret, sed ut uerbo uitæ ad uitam reuocet si queat, Hoc non est plorare mortuũ, sed dormientem uellicare, & ægroto medicinam adhibere. Christo dormiebant etiam mortui, nobis quoniam incertum est an futurum sit ut aliquando resipiscat peccator quamlibet magnis criminibus insepultus, uox quidem salutifera semper admouenda est, contactus uero non nisi reuiuiscenti. contactus autem est familiaris uitæ consuetudo. Hanc qui
Morticinum contingere quid impendit impie uiuentibus Ecclesiastes, uidetur illorum fauere uitijs. Imò sacerdos iubetur in totum ab omnis morticini contactu abstinere, hoc est ab omnis peccati contagio, etiam à specie mali. Alioqui leuiter lapsis, & aliquo delicto præuentis, nõ est omnino negandus contactus. nam & dominus cõuiuium agitabat cum peccatoribus, & archisynagogi filiæ manum porrigit, at non sine uoce, Puella tibi dico surge, idq; eiecta turba,
Luc. 7 ipsus erat puellæ, mors erat recens, eoq; pudori consultum est, eiecta turba duobus tantum discipulis cum patre & matre admissis. hæc est prima correptio, quam dominus iubet priuatim fieri erga proximum. Adolescentem uero qui iam efferebatur, cuius luctus non intra domesticos parietes constiterat, sed extra ciuitatem peragebatur, non legitur contigisse: sed tantũ loculũ attigit, ut sisterentur baiuli. primus enim ad correctionem gradus est, à uitijs desistere, priusq; consuetudo callum obducat, & mali sensum auferat. uiuũ demum contigit, tradens illum matri suæ: peccator enim resipiscens benigna comitate fouendus est, quemadmodum beatus Paulus Corinthijs mandat, ut eum quem ob incestum eiecerant, amanter recipiant, & afflictum cõsolentur, ne grauiore tristitia absorberetur. Quod eiectus est incestus, datum est ecclesiasticæ disciplinæ: quod benigne receptus est pœnitens, charitatis est, quã oportet in eiusmodi comitijs ualere plurimum. La-
Ioan. 11 zarum amabat Iesus, funeri tamen interesse noluit: fleuit autem non perinde mortuũ, qui illi dormiebat, ut Iudæorum incredulitatẽ, cui tot miraculis mederi nondũ poterat. Non

nouit

nouit amici sepulchrum: iam enim illos figurabat Lazarus de quibus dictum est, Qui ig- 1. Cor. 14
norat ignorabitur, & qui in sordibus est sordescat amplius. Non attingit saxū funestum, Apoc. 22
uocem tantum sonoram adhibet: ac ne rediuiuum quidem cōtigit, sed ab alijs solui iubet,
dariq; protinus cibum, ut motu corporis naturali, atq; esu daret euidens redditæ uitæ ar-
gumentum. Atq; ita demum legimus Lazarum in cōuiuio accubuisse, in quo erat Iesus.
Qui in manifestis & atrocibus criminibus consenuerunt, ijs nō statim fidendum est, sed
obseruandi sunt donec certis indicijs correctæ mentis fecerint fidem. Quin & illa ad de-
clarandum insignem uitæ mundiciem pertinent, quod si quis de stirpe Aaron teneatur
profluuio sanguinis, uetatur ad sacerdotis mensam accedere sacrisq; uesci panibus: item
quod quicūq; uitio maculáue corporis essent deformati, submouētur à sacris ministerijs:
rursus quod ipse pontifex iubeatur uirginem suæ gētis ducere, à uidua, repudiata, ac pro *Coniugium sacerdotis*
stituta, abstinere. Non statim quod plebi licet, licet & sacerdoti: multitudini multa conce *Sobrietas*
duntur, à sacerdote summa requiritur puritas in omni uitæ portione. Nec sacerdoti tan- *sacerdotum*
tum sed & filijs ipsius præcipitur, ne sacris ministraturi uinum bibant aut siceram: non
enim conuenit, ut qui se cœlestis philosophiæ magistros profitentur, cor habeant crapu
la ac temulentia grauatum. & hic additur causa: ut habeatis, inquit, scientiam discernen-
di inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Israel om- *Iacobi 3*
nia legitima mea. Qualis est philosophia, talem decet esse professorem. Hæc sapientia te
ste Iacobo, pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, bonis cōsentiens, plena amore & fru-
ctibus bonis, iudicans sine simulatione. At ebrietas & luxus gignit impudicitiam, parit ri
xas, docet uiolentiam, effutit silenda, admit omne iudicium.

Sed ne singula quæ plurima sunt, discutiens, fastidio sim lectori, pauca perstringam de *Vestes Aaron*
ornatu sacerdotali: qui totus, & lini candore purus est, & colorum uarietate picturatus,
& gemmarum insignium splendore stellatus, & auri fulgore lucidus, & undiq; artificis
ingenio mire cōtextus. Conueniebant hęc illi populo, nobis quibus illuxit ueritas Euan
gelica declarant interna spiritus ornamenta, quæ non præstringant imperitorum oculos
earum rerum precio, quas dominus iussit contemnere, sed quæ mentes intuentium ad a-
morem inæstimabilis illius opulentiæ inflamment. Cultus Aaron fuit plusquam regalis, *Cultus Aaronis*
at nihil horum gestauit ille uere summus sacerdos secūdum ordinem Melchisedech, nec
huius discipuli: sed intus habebant hæc omnia, multo splendidiora, non artificio Besele-
hel, sed energia spiritus sancti. Vt autem commodius ostendamus totum sacerdotis or-
natum, à medio corporis, hoc est ab intimis exordiemur, hinc ad ima summaq; peruentu
ri. In primis non ipse summus pontifex tantum, uerum & alij sacrificij, siue sacrorum mi-
nistri iubentur habere campestria linea, quæ à lumbis astricta, sic tegunt uerenda corpo-
ris, ad fœmina usq; porrecta, ne forte dum in sacris ministerijs ad uarias operas corpus ac
commodant, aliquid appareat oculis populi, quod uelatur decentius. supra hæc fœmina
lia, erat ποδήρης tunica non dissimilis, ut opinor ei, quam nunc uulgo camisiam appella-
mus, duplici sindone, colore hyacinthino, quę superne erat aperta ut inserto capite posset
indui, nullam tamen habens cucullam, sic astricta toti corpori, ut nullam haberet rugam,
ne lacinijs impedirentur, qui sacris ministrabāt. Hæc & brachia tegebat. Circa summam
eius tunicæ oram addita erat textura, qualis esse solet in oris ac fimbrijs uestium, ne faci-
le rumpantur: demittebatur autem longius q̄ fœminalia, nimirum usq; ad crura siue ta-
los. Hanc tunicam infra pectus ad umbilicū stringebat baltheus, uarijs coloribus ac flos-
culis picturatus, opere firmo, palmi latitudine, gestamē militare. Tiara, id est rotundum
pileoli genus, ex bysso contextum, sic reliquum caput tegebat, ut supra frontem nonnul-
lam partem nudam relinqueret: ab occipitio stringebatur, ne facile excideret.

Quæ hactenus de cultu Aaronis dicta sunt, erant reliquis sacerdotibus cū summo pon
tifice communia. nam huic erant quædam peculiaria: uelut illud, quod circa imam oram
tunicæ quam toti corpori adhærere diximus, addita erant mala punica ac tintinabula,
ijsdem coloribus uariegata, qui erant supra cingulum. Tintinabula autem erāt aurea, sic
digesta, ut inter duo mala punica intercederet unum tintinabulum: ut quocunq; se moue
ret pontifex, uocalis incederet, morte plectendus si absq; sonitu ambularet. erant autem
tintinabula numero septuaginta duo, ac totidem mala punica, quo clarior esset sonitus,
& crebrior. Humeros tegebat epomis, quod uertunt superhumerale, id à tergo demis-

sius

sius uelabat & aliquam scapularum partem: in pectus minus porrigebatur, quo locus est omnium sacratissimo ornamento quod rationale uocant Hieronymus existimat pallíolum fuisse non dissimile caracallæ, nisi quod cucullã non haberet: si quis quærit ex his/ce temporibus exemplum, arbitror non omnino fuisse absimile epomidibus, quibus hodie decenter teguntur fœminæ Germanorum, nisi quod superhumerale pontificis erat catenulis, anulis & uncinis aureis miro opere connexũ, quatuorq; coloribus, hyacintho, cocco, byssо & purpura picturatum, in utroq; humero habens gemmam onychinam auro inclusam. De onyche autem dubitatum est à priscis, an inter gemmas censeri debeat: inuenitur enim tantæ magnitudinis, ut hinc pocula & unguentaria uascula sculpantur. In dextro lapide insculpta erant sex nomina filiorũ Iacob maiorum, in sinistro totidem minorum. & addit scriptura: ponebatq; Aaron nomina eorum coram domino super utrumque humerum ob recordationem. Epomidi super pectus catenulis & anulis aureis annexum erat indumẽtum cæteris magnitudine minus, sed omnibus alijs sacratius: λόγιον uertêre septuaginta, Hieronymus rationale. Textum erat ex auro, ijsdem picturatum coloribus quibus superhumerale. Erat autem duplex ob firmitudinem, & quadrũ, undiq; palmi siue quatuor digitorum spatium habens. in hoc erant quatuor ordines pretiosissimarum gemmarum, quas nominatim recenset scriptura: quisq; uersus habebat tres lapides, ut essent numero duodecim, in singulis gemmis insculpta singula patriarcharum nomina. Arbitror hoc ipsum pectoris uelamen appellari δήλωσιν siue ἀλήθειαν, hoc est, declarationem & ueritatem, ob admirabilem gemmarum fulgorem, in qua putãt & diuinationem quandam fuisse. Super est Tiara, quæ hoc in põtifice habet proprium, quod supra frontem hyacinthino filo alligatam ostendebat laminam auream, in qua scriptũ erat nomen domini tetragrammaton: eoq; pontifex uetatur cuiquam nudare caput, ne dei cuius personam gerit, homini submittere uideatur.

Operosum uero fuerit quid horum quodq; iuxta sensum moralem nobis declaret explicare, quum hoc ipsum negocij plurimum habeat, referre singula, quemadmodum à Mose describuntur. illud perspicuum est, hunc plusquam regalem amictum, in diaconis quidem ac presbyteris significare mentem omni uirtutum heroicarum genere exornatam summamq; uitæ mundiciem: sed ab eo qui munus Ecclesiastæ suscepit, his etiam excellentiora requiri charismata spiritus. In hac autẽ ratione omnes presbyteri, episcopiq; pontifices sunt: sed posteaquam refrigescente hominũ charitate, quod unius erat in plures cœpit distribui, id quod in pontifice præcipuum erat, uidelicet populum docere præcepta domini, id nunc Ecclesiastis delegatum est. Aequum est igitur, ut qui primariã pontificum functionem sibi uendicant, ijdem uniuersum Aaronis ornatum non ad literam, sed secundum allegoriam exhibeant, ut quocunq; se uertãt, luceat lux illorum coram hominibus, resonet spiritualis doctrina, totaq; illorum uita nihil aliud sit quàm egregiũ pietatis exemplar. Cidarim gestat in capite hyacinthino lineo obtectam, quum mens quæ summa pars hominis est, nõ spectat nisi cœlum & cœlestia: id declarat color ceruleus uitæ. Caput aperit sacerdos, qui studet placere hominibus, qui metu potentũ deserit Euangelicam ueritatem, qui sacras literas ad hominum affectus detorquet. gestat nomen domini in fronte, cuius mysteria dispensat: ut turpe sit oblitum eius quem dominum & autorem profitetur, submittere sese cuiquam hominum, quum Paulus neget se uel angelo
Gal.1 de cœlo prædicanti cessurum. Idem inibi: Quid? utrum deum suadeo an homines? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nõ essem. Prodit ac prophanat unctionẽ suam, qui prophetiæ donum quod à cœlesti spiritu accepit, uel in funere nudat, adulando peccatis hominum: uel hominibus aperit, metu potentum ac diuitum adulterans uerbũ dei. Primus honos primaq; charitas debetur deo, cuius nomen in summa fronte præfert: proxima gregi dominico, eoq; summis humeris portat nomina filiorum Israel: quæ portat non ad ostentationem humanam, sed coram deo, ut habet scriptura, cui pro cõmissis ouibus redditurus est rationẽ. Hoc est illud egregiũ onus, quod Pauli quoq; grauabat humeros, solicitudo omniũ ecclesiarũ. Portat eos in humeris, dum agnoscit sibi impositã Euangelizandi necessitatem, iniunctamq; uerbi diuini quod est animarum pabulum dispensationem: portat in pectore, ne possit obliuisci, quos in filiorum uicẽ adoptauit, & in quos
Philip.4 parentis affectum debet gerere. Omnes in pectore gestabat Apostolus, qui sic exultat, quoties

quoties conspicit filios in pietate Euangelica proficere, ut illos appellet gaudium & coronam suam in domino, gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus, dum uritur si quis offendatur, dū cruciatur si quis infirmetur, dum iterū parturit filios suos ad Iudaismum prolapsos, donec Christus formetur in illis, dum cupit impendi & superimpendi pro animabus illorum, & anathema fieri à Christo modo aliquos Christo lucrifaciat: dum mutat uocē suam inter illos ac submittit sese, quasi si nutrix foueat filios: dum omnes, ut ipse scribit, gestat in corde & in uisceribus suis. Non est igitur quod dicat pastor, quid mihi cū sordido coriario, aut cum abiecto mendico, aut triobolari muliercula? Nulla anima uilis debet uideri, pro qua dominus gloriæ mori dignatus est: nec pigeat te gemis inscriptos circumferre, quorum nomina scripta sunt in cœlo. Tibi uero quoniam incertum est, quę nomina scripta sint in libro uitæ, quæ non, sic pro omniū salute uigilabis, quasi sint inscripta. Tibi non imputabitur quorundam interitus, si delegatā functionem bona fide obieris, debes operam domino tuo, euentus ipsi in manu est non tibi. Vnctio in capite est, λόγιον in pectore: quia ratio qua iudicamus, quam Paulus spiritum appellat, si fuerit imbuta cœlesti afflatu, fons est, unde manat quicquid in nobis boni est. A capite uenit ut sapiamus ea quæ sunt sanæ doctrinæ, è pectore prodit uox & oratio. neq; enim sacerdoti sufficit scire quid rectum piumq; sit, nisi adsit alios docendi facultas. ea quoniam comple ctitur utriusq; testamenti scientiam, geminum est λόγιον: ueteris quod figurarum & ænigmatum inuolucris opertum est: & noui, quod aperit mysteria, pro umbris manifestam proferens ueritatem: quanquam hoc potest & ad geminum scripturæ sensum pertinere: quorum alter humilior est, alter allegoricus & sublimior: utrunq; callere debet Ecclesiastes. In his explicandis adesse decet ἀλήθειαν, ne quid erroris habeat Ecclesiastę doctrina: ex peruersis enim opinionibus nascitur peruersa uita. deinde ἀπλωσις accedat oportet, ut quod in scripturis opertum est, cōmoda interpretatione sic explicetur, ut rudibus etiam fiat perspicuum: quo uidelicet sublato uelamine quod positum fuerat super faciem Mosi, qui in Christum credunt retecta facie gloriam domini speculentur.

Nondum autem audimus aureorum tintinabulorum sonitum, quem reddit ima uestis: non enim statim ad docendi munus prosiliendum est: nisi prius multo tempore docendi facultas parata fuerit in pectore: nec alijs præcipiendum est, quid oporteat credere, quemadmodum oporteat uiuere, nisi prius in uita moribusq; nostris illuxerit, quod alijs sumus persuasuri. Primum cœpit Iesus facere, dein docere: & hoc efficacissimum doctrinæ genus est, ipsa uita declarare, quid sit pie uiuere. In medio sunt fœminalia linea, quæ sic lumbos ac pudenda cohibent, ut nec in animo lateat, nec in uita appareat ulla turpitudinis macula. Accedit tunica duplex linea siue byssina, corporis ac mentis innocentiam figurans, quam in baptismo accepimus, in quo datur nobis candida uestis agni immaculati, pro pellicea ueste quam acceperamus ab Adam. Hæc à mortuis animalibus detracta est, illa è terra progenita, uitæ candore nitens lucensq;, nihil habens affine morticinis: qui enim ex deo natus est non peccat. Hanc stringit baltheus, quo Christi miles succinctus stat in ueritate, constringens tunicam ne qua diffluat, & rationale pectoris ornamentum annectēs ne fluctuet: nam rationale superne annexū est superhumerali, inferne baltheo. Duæ res sunt quæ custodiunt uitæ innocentiam in pastore: timor & amor summi pastoris à quo reputat sibi gregem esse commissum: & perpetua uitæ sobrietas, quæ secum ducit uigiliam & precationem: eoq; Apostolus Ephesiis scripsit, State succincti lumbos uestros in ueritate, indicans orationi castæ conuenire uitam castam. Nam ubi simulatio est, ibi non est ueritas: hoc Thessalonicensibus uelut explicans ait: Non sumus noctis neque tenebrarum: igitur non dormiamus sicut cæteri, sed uigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt nocte ebrij sunt: nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis &c. Quod Moses appellauit tunicā, Apostolus appellat loricam: quod ille dixit baltheū, hic appellat sobrietatem & uigilantiam in ueritate. Milites in zona portant uiaticum, in timore dei superne imminente, & perpetua uitæ sobrietate seruatur integritas. Timor initium est sapientiæ retrahens à malis, sobrietas cingens hominis mollia, cohibet cōcupiscentiam ne diffluamus per luxum ac negligentiam: ita demum resonant aurea tintinabula mixta malis punicis. mala punica cortice habent amarum, sed intus succum grate refrigerantem; hæc est fraterna correptio,

Philip. 1

2. Cor. 11

Ephes. 6

Ephe. 6

1. Thes. 5

reprehensionis austeritatem Christianæ consolationis succo temperans: hæc non resonant quoniam tegendum est proximi uitium, quãtum fieri potest. Sic Paulus supprimit pseudoprophetarum nomina: ne incesti quidem nomen nos scire uoluit. Dominus uero nec proditoris nomen prodere sustinuit, quia correctum malebat quàm perditum. Tinnabula resonant, quoniam doctrina generalis prodest omnibus, neminem lædit.

Non dubito, quin in uestitu sacerdotum longe plura lateant mysteria, quàm à me sunt hic obiter perstricta. præsertim quum ea scriptura mystica locis aliquot tam accuratè depinxerit, ut in his explicandis præcipui doctores ecclesiæ nõ grauati sint peculiarem operam sumere, Origenes, Tertullianus & Hieronymus, quanquam Tertulliani uolumen desiderauit ipse etiam Hieronymus: sed quod ad præsens institutum attinet, si in ueteris instrumenti sacerdote typis huiusmodi requiritur tanta mẽtis, ac uitæ totius mundicies, tantus auri fulgor sapientiam significantis Euangelicam, tantus gemmarum splendor, quibus eximiæ uirtutes quas heroicas uocant indicantur, tanta colorum pretiosissimorum uarietas, quibus uirtutes illæ morales indicari uidentur, quatuor enim recensentur, & ne longior sim, tantus animi uitæq; ornatus tam operose concinnatus, quanto maiora requirenda sunt ab Ecclesiasta Euangelico?

Gal. 6

Functio sacerdotis Mosaici & Euãgelici quid differat

Quanto functio sublimior est, tanto maior exigitur à fungente perfectio. Aaron imponebat consecratas manus macłandæ uictimæ, filij Aaron macłabant pecudes, astabãt lebetibus, fuscina sublaturi carnium portionem quæ sacrificis debebatur, apponebant ac reportabant uasa, purgabant altaria, in summa species illius negocij non ita multum aberat à similitudine lanienarum, culinarum aut popinarum, & tamen earum rerum ministris tantus honor est habitus. Quanta uero dignitas decet noui testamenti ministros, qui quotidie immolant illam cœlestem hostiam angelicis quoq; spiritibus adorandam, qui contrectant manibus carnem agni immaculati. Tantum de ministeriis, nunc doctrinæ discrimen uideamus.

Doctrina Aaronis & Ecclesiastæ Euãgelici quid differant

Quid docuit Aaron? legitima dei, quæ sunt illa? ut populus sciret quid interesset inter animal mundum & immundum, rursus quid inter mundum ad immolationem & inter mundum ad esum, quod animal, quando, quo more, quibus ritibus immolari deberet, quo tempore, & quibus modis coquenda lagana, quibus ex rebus conficiendum thymiama, hoc est suffitus. Hæc aut certe huiusmodi sunt præcepta quæ Aaron iubetur docere populum Israeliticum. Quid autem promittebat? fore ut bene esset illis ac diu uiuerent super terram, ut uxores haberent fœcundas, ut uiderent filios filiorũ, ut haberẽt agros fertiles. Crassa crassis conueniebãt, & tamen in his obseruandis tam severa erat disciplina, ut duo filij Aaron, quod præter Mosi præscriptũ ignẽ prophanum adhibuerint sacris, cœlesti incendio fuerint absumpti. Ozias rex ob similem facinus lepra percussus, Oze qui labentem arcã manibus non unctis fulcire conatus est subita morte periit. Quantam igitur oportet esse religionem eorum qui populo tradunt illam inenarrabilem philosophiam: quam filius dei è sinu patris detulit in terras, & quam spiritus ille cœlestis inspirauit Apostolorum animis, sapientiam quam mundus capere non potest: nec promittunt longam uitam in terris, nec regionem lacte & melle fluentem, uxores fœcundas, gregem numerosum, agros fertiles, sed in hac uita pollicentur remissionem omnium peccatorum per fidem in Christum Iesum, & in resurrectione promittunt in cœlis uitam æternam. Hanc sacram functionem qui sibi uel usurpant temere, uel administrant indignè, non exuruntur igni cœlesti, non obruuntur subita morte, non lepra suffodiuntur, sed cum corpore simul & anima conijciuntur in ignem æternum. Quo sublimior est dignitas, hoc grauius est supplicium delinquentis.

2. Paral. 26
2. Reg. 6
1. Paral. 13

Hic fortassis dixerit aliquis: si tantũ est periculum & tam multa humanis uiribus maiora requiruntur ab Ecclesiasta, satius est eam camarinam non tangere. Audirem ista, si res humanis uiribus esset gerenda: nunc ipse suggerit uires qui delegat officium, & pro difficultate muneris auget dona sua, tantum ut toto corde fiduciam in illo collocemus, & assiduis precibus spiritũ illius appellemus. Et hic rursus alicui ueniet aliud in mentem, meq; compellans dicet: si ista facultas pendet ex benignitate numinis, desine, iam tuo munere defunctus es, qui admonueris unde petenda sit. nihil etiam opus tuis præceptionibus. Is sibi rursus hoc responsum habeat, planè cœlesti spiritui acceptum ferri oportere, si quis habeat uel mentem uel linguam Ecclesiasta dignam, ne tamẽ hoc nunc quisquam

Industria adhibenda

expectet

expectet, quod olim in Apostolis exhibitum est. Conueniebant prodigia nascentis eccle-
siæ primordijs, quanquam nec apostoli subito ex idiotis facti sunt Euangelij præcones,
annis aliquot attentissimas aures præbuerunt doctorum omnium doctori Christo: ieiu-
nant & orãt diebus decem accepturi spiritum sanctũ, quod idem assidue post acceptum
faciebant, & probabile est in sacris uoluminibus aliquam temporis partem collocare so
litos. Certè Paulus petit sibi mitti libros, præsertim in membranis descriptos: hos non ar
bitror fuisse Platonis aut Pythagoræ: aut Cabalisticos Talmudicósue, sed ueteris instru-
menti. Paulus qui scripsit, puto quod & ego spiritum dei habeam, sciebat sibi illius opem
non defuturam: sed idem sciebat spiritum illum odisse segniciem, amare mẽtes industrias
ac uigilantes: eoq; Paulus non dedignatur esse discipulus Ananiæ, neq; grauatur cum Pe
tro & Iacobo conferre suum Euangelium. Vt horum nihil fuerit, tamen nostrorũ tem
porum diuersa ratio est: nec enim quisquam nunc audiretur, qui diceret. Ego Euãgelium
meum non accepi per hominem neq; ab homine, sed à Iesu Christo: quanquam & hodie
sint præsertim apud Italos, qui propalam apud populum sibi uindicant spiritum prophe
tiæ. Vnũ certè his auribus audiui Romæ magna populi celebritate id aperte facientem.
non hæc eò dico quod sit abbreuiata manus domini, potest æque nunc atq; olim asinæ
dare uocem humanam, operatur Christi spiritus & hodie in prophetis: nam prophetas
appello, qui explanãt arcanæ scripturæ mysteria, & hoc prophetiæ genus inter præcipua
dona spiritus commemorat Apostolus: sed requirit industriam nostram, quo per illam
non minus sed occultius in nobis operetur. Quod si tum temporis quum tempestiua es-
sent miracula, hortatur Petrus ut intendant prophetico sermoni, quasi lucernæ prælucen- 2. Pet. 1
ti in loco caliginoso, & Paulus admonet quæcunq; in sacris uoluminibus scripta sunt ad Rom. 15
nostram doctrinam esse scripta, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem
habeamus: quanto magis oportet hoc tempore, non dormitantes aut oscitantes expe-
ctare dona spiritus. Vult enim ea, quod crebro repetendum est, flagitari precibus, nec ra-
ris nec frigidis: uult ambiri bonis operibus, uult ut ita loquar, emi laboribus, partim ut
det dignis, partim ut det copiosius. Sic ille largitur quibus uult, & quatenus opus esse no
uit, & plane donum est gratuitum quod dat, ut inde nobis nihil arrogare ualeamus, ne in- 1. Tim. 3
flati incidamus in laqueum diaboli: sed hanc munificentiam suam non impartit oscitanti
bus, non auersis, non aspernantibus, sed instanter cum fide postulantibus, secq; totos pro
sua uirili accommodantibus diuinæ benignitati.

Clamat Propheta: Cor mundum crea in me deus. sed si nullam hic industriã nostram
requireret dominus, non admoneret per Ezechielem prophetam: Facite uobis cor no- Ezech. 19
uum & spiritũ nouum. Corde sapimus, spiritu loquimur. Nec Salomon diceret: Homi-
nis est præparare cor, & domini gubernare linguam. Nec Roboam scriptura uitio uerte-
ret: quod cor suum nõ præparasset ut quæreret dominum. Nec baptista Christi πρόδρο-
μος iuxta uaticinium Esaiæ clamaret in deserto: Parate uiam domini, rectas facite semi- Esa. 40
tas eius. A patre luminum proficiscitur omne datum optimum & omne donum perfe- Iacobi 1
ctum, à quo uelut à summo fonte manant omnia quæ sunt: sed quemadmodum ille dici-
tur sibi peperisse morbum, qui medico admonenti non obtemperauit: & quẽadmodum
morbo mederi dicitur, qui medici implorauit opem, eiq; sese curandum tradidit: ita quo-
dammodo facit sibi cor nouum, qui se non subtrahit gratiæ diuinæ ad meliora uocanti,
qui stanti ante ostium & pulsanti aperit: & is præparat domino uenienti uiam, qui agno-
scit morbum, ac medicum uenientem comiter excipit, qui pharmacum admouẽti semet
obedienter accommodat. nam hoc est quodammodo iuuare iuuantem, & operanti coo-
perari. Sicut qui medicum reiecit, se perdidisse dicitur: ita qui medico fideli sese cõmisit,
uitam suam seruasse dicitur, non quod ipse sibi salutem præstare potuerit, sed quod præ-
stare uolentem non reppulit. Neq; uero hæc nostra uel obedientia uel industriola, si qua
omnino nostra est, tantum habet momenti, ut non totum acceptum ferre debeamus nu-
minis munificentiæ: sed nisi accedat hæc quantulacunq; est opella nostra, fit ut totum ma
lum imputetur inertiæ nostræ, qui tot modis undiq; prouocanti bonitati diuinæ defueri-
mus. Olim quum dominus consultus iuberet Iudæos impetere hostem, pollicens uicto-
riam, ipsi nihilo segnius armabant sese, & quicquid ad uictoriam parandam pertinebat
præparabant, nec diffisi promissis oraculi, nec in suis uiribus uictoriæ spem collocantes,

sed hoc agentes, ne per socordiam suam dei promissis redderentur indigni. quemadmodum enim Niniuitæ submittentes sese ad pœnitentiam, coegerunt, ut ita loquar, deũ canere palinodiam, ac mutare promulgatam sententiam, ira uersa in misericordiam: ita qui promptam & inuitantem dei benignitatem uel reiiciunt, uel ingrati tenent, cogunt illum præter naturã suã, sua dona uel negare, uel reposcere, ac pro liberalitate spreta minas intentare: siquidem dei natura est omnibus benefacere. Quòd si prisciis illis seculis quibus uel Iudaicæ gentis duricies, uel ecclesię adhuc lactẽtis infantia miracula requirebat, Israelitæ suam operam non subtrahebant promissis diuinis, & Apostolus, ut dictũ est, prouocat ad studiũ scripturarum, ingenuè profitens, quod spiritus prophetarũ prophetis subiecti sunt: quanto minus hisce temporibus posteaq; Euangelica fides iam adulta, & ad perfectam ætatem confirmata, nec oracula moratur nec prodigia, pro oraculis habens scripturam canonicam, pro miraculis fidem, ac iuxta prophetam Esaiam: Lex domini ligata & signata in cordibus nostris, nobis potior est omnibus uiuorum ac mortuorum responsis: conuenit, ut somnolenti expectemus donec gratia spiritus oscitantibus illabatur. Nostra industria nõ minuet energiã spiritus, tantũ absit nostri fiducia, sed successum omnem illi tribuamus, qui solus prosperat actus hominũ. Imò si cœlestis gratia superueniens perit in nobis, siue naturæ dotes aliquas, puta corporis salubritatẽ, os uocale, linguã artificulatã, ingeniũ uelox, memoriã fidelem: siue facultatem aliquã humana partã industria, ueluti colligendi argutiã quã præstat dialectica, dicendi uim quã cõfert rhetorica, naturalium rerũ cognitionẽ quã præstat physica: eas non adimit, sed perficit uertẽs in usum pietatis & gloriã Christi. Paulus ecclesiæ persecutor, magno studio didicit legẽ ad pedes Gamalielis, hanc cognitionẽ prius exitialem, spiritus superueniens absoluit, & uertit in uberrimum Euangelij fructum. Idem uidetur natura fuisse compositus ad dicẽdum, præsenti animo, feruenti ingenio, lingua expedita unde Barnaba tacẽte, qui Iuppiter creditus est, ipse dictus est Mercurius, quod esset dux uerbi. At spiritus accessio, nec Barnabæ minuit autoritatem, ac dignitatem quam uultu præ se ferebat, nec Paulo suas dotes ademit. Cypriani facundia, non mediocriter illustrauit ecclesiam Christi: at eam sibi pararat, etiamnum Idolis pro deo seruiens: hanc igitur non ademit spiritus, sed perfecit. Similiter diuus Augustinus rhetoricam ac philosophiam in paganismo didicit, in hæresi Manicheorum exercuit, Neutrũ illi ademit spiritus, sed quod erat imperfectum, absoluit, illud etiam ipsum quod in eo sceleratum erat, uertens in lucrum ecclesiæ. Nisi enim aliquando cũ Manicheis insaniisset, nec tã euidẽter ꝓ didisset, nec tã efficaciter redarguisset illorũ insaniam.

Dotes humanas perficit spiritus

1. Cor. 14

Act. 14

Est igitur parentum aut educatorum, si quem Ecclesiastæ muneri destinarũt, à primis statim annis organum spiritui sancto præparare, moribus ac disciplinis instituere, ijs præsertim quæ propius ad docendi faciant facultatem. Quemadmodum enim non inscite dixit quidam, eum eruditum appellandum esse, non qui didicerit plurima, sed qui optima maximeq; necessaria: ita non est necesse, ut futurus Ecclesiastes in quibuslibet consumat operam atq; ætatem, quæ fugax est ac breuis, etiamsi contingat senectus, quæ nõ ita multis concessa est: sed ea primum ac potissimum discat, quæ ad docendi munus sunt accommodatissima. Ea cuiusmodi sint partim aliàs cõmonstrauimus, partim in hoc opere, quũ erit opportunum indicabimus. neq; enim ijsdem rationibus educantur, qui instituuntur ad palæstram, & qui ad agriculturam, ad nauticam: qui ad militiam, & qui ad gerendum magistratum. Rursus qui ad medicinam, qui ad forenses causas, & qui ad aulica ministeria. Quod si filij huius seculi tam uigilanter ac prudenter instituũt suos ad uulgares ac sordidas functiones, & si populari sibilo explodituꝛ, qui ad has sese ingerit imperitus: quanta cura oportet ad hoc munus omnium ut pulcherrimum ita difficillimum præparari. Si quis nunc stiuæ manum admoueat, eius artis indoctus, nonne statim irrisus abijcitur? Si quis oborta tempestate clauum arripiat artis nauclericæ rudis, nonne protinus à uectoribus iratis impetitur, periclitans ne in mare deturbetur? Docendi gratia ueniam ad meliora. Si quis ad choream accedit ignarus saltationis gallicæ apud Gallos, germanicæ apud Germanos, italicæ apud Italos, nonne protinus omnium risu excipitur? & impudẽs habetur, qui ludit aleam ignarus legum ac morum quos habet ea disciplina. Et occiditur interdum, qui gladiatorium ludum ingressus per imperitiam peccat aduersus eius artis præcepta.

Optima ac necessaria discenda non omnia

Quàm

Quàm igitur sunt prępostera mortaliũ iudicia, qui quoslibet admittunt ad munus angelicum uerius quàm humanum, homines nec domitis affectibus, nec puros à uitijs, nec instructos literis, nec afflatos spiritu, nec fide stabiles, nec charitate feruentes, non addam nec sobrios, nec sani cerebri. Satis est habere uestem cineraceam, pullũ aut candidum pallium. Atqui non statim ad militiam ascribitur, qui gestat galeam aut loricã, nec protinus clauo admouetur, qui uestem habet nauticam, nec domũ extruendam committimus ei quisquis habet serram aut securim: sed diligenter inquirimus qualis sit artifex, & quę sint illius opera. Nunc in suggestum, hoc est in cathedram plusquã regiam, insiliunt nulla institutione ad hoc munus præparati, qui perfricta fronte uoluãt linguã, intendant uocem detonãtes quicquid in buccam uenerit, aut quicquid eis præscriptum sit ab indoctis, aut quicquid humanus dictauerit affectus: ut ne interim eos cõmemorẽ, quos heu nimium frequenter audimus, ita loquentes, ut illorum oratio nihil spiret nisi adulationem, gloriam, ac quæstum: & quod his deterius est, odium & liuorem proximi: idq; tam euidenter, ut populus interdum quamuis crassus & rudis surgat, ac dicentem deserat. *Ecclesiastes inexploratus*

Nec mirum, in theatro explodituir histrio, qui gerens personam Agamemnonis, Thersitem gestu repræsentet. Hoc enim nunc tantum licet multitudini, iam olim sublato more applaudendi, acclamandi, exibilandi, atq; explodendi, qui à prophanis gentium concionibus, ac theatris ductus, diu hæsit in concionibus ecclesiasticis. Quo magis detestandi sunt qui non uerentur abuti, & sacri loci reuerentia, & plebis religioso silentio, & uerbi diuini autoritate. Multo aliud est de plaustro aut de mensa loqui, aliud è sacro suggesto cœlestem docere philosophiam. Quo sacratior est functio, hoc maior est fungentis dignitas: at quo maior est dignitas, hoc maiore circumspectione peragenda res est.

In politica hierarchia prima est regum dignitas, inter munia uero regia nullum est magnificentius, quàm quum pro tribunali sedens cognoscit causas, aut pro concione sua/ det ea quæ pertinent ad reipublicæ tranquillitatem. In ecclesiastica hierarchia summa est episcoporum dignitas, quorum quum multæ sint functiones, in queis præcipuę sunt administratio sacramẽtorum, & doctrina spiritualis, in fastigio dignitatis uersatur, quoties animos populi pascit carne & sanguine Christi quod est uerbum dei. Olim baptizabant Apostolorum discipuli, quemadmodum dominus Iesus non ipse baptizabat, sed Apostoli in eius nomine tingebant, ipse per se docebat: & suboleſcente ecclesia, aliquandiu in templis nemo concionabatur præter episcopum: pòst docendi uices in presbyteros delatæ sunt, sed eximios, nec id perpetuò, sed si quando cõtigisset episcopus sermonis uulgaris parum peritus, alioqui uir pius & doctus, quod accidit Augustino sub Valerio, natione Græco, & ob id Latino sermone minus expedito: sed Augustino ob muneris dignitatem tantus est habitus honos, ut uiuente adhuc episcopo, desideret in episcopi cathedra: aut si negocijs urgentibus absentia morbúsue episcopi postulat operam uicariam. Nunc tametsi pars hæc passim monachis ac presbyteris delegatur, tamen quisquis ad eum locum conscendit meminisse debet, sese uersari in munere, quod longe superat regiam dignitatẽ, & quod in episcopo, regibus omnibus maiore, sane quod ad officij pertinet sublimitatem, primarium est. Hæc oratio illuc spectat, non ut sibi cristas sumat qui concionatur: sed ut sepositis humanis affectibus, ingenti religione ac synceritate respondeat muneris amplitudini. Epaminondas uilem & contemptum magistratum sibi populi suffragijs contumeliæ gratia delegatum ita gessit, ut post cœperit pro magnifico ambitimunere. Merito laudatur ab Ethnicis Ethnicus, qui contemptæ functioni, suis uirtutibus dignitatem addidit, Sed quid laudis mereatur Christianus, qui munus per se honorificentissimum male gerendo uile reddit & contemptibile? Post ipsum deum nihil habet ecclesia sanctius, salubrius, uenerabilius, ac sublimius quàm uerbum dei, hoc est scripturam canonicam. Quemadmodũ autẽ dominus in prophetia queritur nomen suum ignominiosum fieri ac male audire inter gentes, ob impios mores profitentium: ita iure optimo queri posset, Ecclesiastarum uitio munus illud sacrosanctum aspernabile. Quin & huius seculi reges ad suam existimant contumeliam pertinere, si legati præter decorum aliquid admiserint: proinde quo maior est is à quo mittũtur, quoq; grauius est negocium quod mandatur, hoc illi diligentius aduigilant, ut & principis dignitati, & delegatæ cause magnitudini respondeant. *Ecclesiastæ summa functio docere*

At quod sæpe dicendum est, inter omnes humanæ uitę functiones, nulla grauior, nulla splendidior, adde nulla periculosior quàm Ecclesiastæ. Si quæris unde missus sit: ab eo principe, qui condidit, sustinet & gubernat uniuersa. Quid habeat in mandatis: ut illius populum doceat philosophiam cœlestem. Nec igitur de matrimonio cõciliando, aut de ditione uindicanda, nec de pangendo inter duos potẽtes fœdere: sed hoc agitur, ut quam plurimæ animæ despondeantur Christo, tam feruido amatori, ut pro his mori non dubitauerit: agitur ne quod Christus redemit suo sanguine, occupet sibi Satanas, ne lupi deuorent gregem domini, ne populus Christianus desciscat ab imperatore suo, cui semel nomen dedit in baptismo. Hæc autem legatio sic cõmissa est pastoribus, ut si nil præterierunt officij sui, nihil tamen hic laudis arrogent sibi, quod quicquid gerunt, alieno nomine, alienis præsidijs atq; auspicijs gerant. Contrà si perperam obierũt legationem, omne
Ezech.3 damnum ipsis imputetur. Hanc legem dominus per Ezechielem præscripsit Euangelistæ, ut si ipso in officio delegato cessante, uel impius nõ fuerit conuersus ad pœnitẽtiam, uel iustus auersus fuerit ad impietatem, quũ illum allicere debuerit, hunc retinere, ambo simul moriantur, & impius ob admissam impietatem, & Ecclesiastes ob neglectum offi-
Ezech.34 cium. Et apud eundem prophetam minatur se requisiturũ oues suas de manu pastorum, qui neglecto grege seipsos pascebant, tondentes, emulgentes, ac laniantes oues, quum earum nullam habeant curam. Quam igitur paradisum sibi promittunt isti, qui multorum ouilium susceptа cura, quatuor, aut quinq; episcopatibus onusti, ne cogitant quidem de pascendo, sed pro pastoribus agunt depastores, ac de prouẽtu ouium erigunt satraparum palatia, apparãt quotidie mensas Siculas aut potius Sybariticas, alunt equos militares, alunt concubinas, alunt famulicium ipsis prophanis principibus ambitiosius.

Legatus trifariam peccat

Trifariam autem peccat legatus, si uel non peragit ea quæ accepit in mandatis, uel obiter aliud agit, quod commissum non erat, uel alioqui in moribus aliquid ostendit, quod leganti pariat ignominiam, qui tali oratori negocium suum commiserit. Qui doctoris locum occupat, & censum accipit, nec docet, iuxta primũ modum peccat: qui sic docet uerbum dei, ut humana quædam admisceat dogmata, aut qui professus se militem ac ducem Christi, implicatur secularibus negocijs, colens principum aulas, non ut eis impartiat salubria consilia, sed ut omnium horarum socium præbeat, in conuiuijs, in alea, in choreis, in uenatu, in nugis, is peccat iuxta secundum modum. Qui sat uigilanter citraq; errorem prædicat Euangelium, sed impure uiuendo fidem abrogat doctrinæ suæ, peccat iuxta tertium modum. Qui primi ordinis sunt, eos prophetícus sermo uocat canes mutos non ua-
Esa.56 lentes latrare. In externis rebus, aliud est pastor, aliud canis: in hac materia idem sunt. Vi-
Canes muti dent prædonem noctes ac dies obambulantem, & uenantem quem deuoret, uident lupos irruentes in ouile domini, cum nec habent uocem qua furem abigãt ac prodant, qua lupos absterreant, atq; utinam interdum non habeant uocem, qua prædones ac lupos in-
Zach.11 uitent. Huiusmodi pastores Zacharias appellat idola, hoc est statuas ac simulachra, speciem modo summam pastorum præ se ferentia, cæterum nec mẽte, nec uoce prædita. Si cultum inspicias, si titulum intueare, si decimas exigẽtes uideas, pastores esse dicas: si pro conscientiæ medicina requiras salubre animæ consilium, si admonitionem, si consolationem, si sacræ doctrinæ pabulum, plusq; statuas esse dicas, quæ adorari uolunt, benemere
Pastor malus non pastor ri nesciunt. At paulo antè apud eundem prophetã dominus negat esse pastorẽ in Israel: nec enim pastoris meretur nomen, qui gregi nihil adfert utilitatis. Inutilem pastorem his uerbis describit propheta: Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta nõ uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. Ac protinus in tale mõstrum exclamat uox irati dei: O pastor & idolum, & derelinquens gregem. Huic pastori stulto nihil obiicitur nisi silentium & neglecta cura gregis, cum è prouentu gregis ipse pascatur, pro pastore depastorem agens. Et tamen audi grauissimas domini minas: Gladius, inquit, super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur.

Hunc pastorem propheta stultum appellat, qui sibi uidetur esse aliquid, quum nihil sit nisi simulacrum: arrogat sibi potentiam, dum effulminat in subditos, arrogat sibi prudentiam huius mundi, sed utroq; priuabitur, amputato brachio, & obscurato oculo.

Secunda

Secundæ classis sunt in quos competit actio πρεσβείας, id est, secus quàm oportet obitæ legationis. Nec hic uno peccatur modo, quemadmodum paulo antè dicere cœperam. Primum si qua pars ex mandatis prætermittitur: dein si quid legatus præter mandata de suo addit: preterea si recepta legatione principis, obiter aliquid agit, siue quod sit indignum eo qui regis personam sustinet, siue quod alienum sit, & à curando eo quod legatum est auocet. Inter πρεσβείας crimina commemoratur & illud, si munus ab his ad quos missus est acceperit, præter illa mediocria, quæ honoris gratia solita sunt dari legatis: ueluti si acceperit ditionẽ aliquam, aut opimum sacerdotium, aut census annuos non exiles. Primo modo peccant qui tenuibus seuerè prædicant legem dei, potentibus muti, aut, quod turpius est, adulantes: in quos destomachatur Esaias ix. sub ænigmate capitis & caudæ incuruantis ac deprauantis. Apud plebeculam clamant obediendum constitutionibus principum & episcoporum sub pœna gehennæ: apud principes aut muti sunt, aut loquuntur ad gratiam. Princeps, inquiunt, est supra legem: princeps ex certa scientia & plenaria potestate nihil nõ potest: omnia bona ciuium sunt principis si exigat, nec est populi disquirere quare exigat. Atqui Christus in nullos uociferatur seuerius quàm in diuites, in scribas & pharisæos populi moderatores, non ignarus & in populo esse adulteros, auaros, ebrios & ganeones. Non hæc dixerim, quod eos probandos existimem, qui seditiosis & intempestiuis clamoribus exasperant principum animos. Aliud cõueniebat ueteris legis prophetæ, aliud decet euangelicum doctorem: nec eadem congruunt homini euangelistæ, qui peccator admonet peccatores, quę Christo, in quem nullus omnino delicti reuus hærebat. Alijs aliter aperienda ueritas, pro temporum ac personarum ratione, nulli tamen subtrahenda est, quum res postulat, ut cum Paulo liceat gloriari, qui sic testificatur apud Ephesios: Scitis quod nihil subtraxerim utilium, quo minus annunciarem uobis, & docerem uos publice. Nec leuior est eorum culpa, qui de suo addunt, quàm qui de diuinis subtrahunt: Nam interdum cœlare uerum phas est, uel quum indignus est auditor, uel quum nondum est docilis mysterij. Cæterum humana miscere diuinis quasi paria, sacrilegij genus est, toties hoc prohibente scriptura: uelut Deuteronomij quarto: Non addetis ad uerbũ quod uobis loquor, nec auferetis ex eo. Dira minitatur & in Apocalypsi spiritus sanctus, qui adiecerit aut detraxerit aliquid uerbis propheticis. Non diminuit autem, qui quædam in præsens tempus referuat, dispensandi prudẽtia: nec addit, qui scripturam suapte natura fœcundam ad uarios sensus accommodat (qua de re suo loco nonnihil dicemus) modo pios & utiles. Nec addit, qui è uerbis scripturæ sensum interpretatur, pium quidem illum, sed quem forte spiritus sanctus illis uerbis nõ expressit, modò adsit simplex animus facile cessurus, si quis germanum intellectum docuerit. Quis igitur addit? Qui constitutiones merè humanas æquat præceptis diuinis, qui scripturæ uerba sciens detorquet ad sensum impium aut hæreticum, qui apud imperitos citat è canonica scriptura quod illic nusquam reperitur, qui Platonem aut Aristotelem non minore supercilio citat quàm Esaiam aut Paulũ: non quod ueritas non sit Christi ubicunq; reperta fuerit, sed quod de uerbis humanis dubitare licet, de diuinis non item. Aristoteles docet uxorem oportere morigeram esse uiro, uerum hoc non eo rectum est, quia præcepit Aristoteles, sed quia sic dictat lex naturalis pariter & diuina: at quicquid deus præcipit, ideo rectum est, quia præceptum à domino est. Seruus audit in Comœdia: quis te isthæc iussit loqui? Quod si legibus agitur cum ijs, qui tempore legationis uel principis uel reipub. nomine susceptæ, negociantur aut simile quiddam agũt: quid dicendũ de ijs, qui suscepto Ecclesiastæ munere, quod totum hominum pectus totasq; animi uires requirit, non negociantur modo, sed & fœnerant & belligerãtur, atq; ad sordida etiam ministeria semet abijciunt, pudet referre, dum exigua mercede cõducti præsunt culinis diuitũ, dum canum uenaticorum, et auium aucupum assiduam curam gerunt. At, inquies, isti nõ sunt Ecclesiastæ, tantum presbyteri sunt. uerum olim omnium presbyterorum erat docere Euangelium, huc certè omnes debent incumbere, ut si res poscat, ad docendi munus ascisci possint. An igitur rem tantam molienti supereſt tempus, quod impendat negocijs superuacaneis, quæ ut iam turpia non sint, certè hoc ipso pernicioſa sunt quod auocant à curis necessarijs, indecora, quod huic personæ non conuenit ea saltatio, criminalia, quod his inuoluti, non præstant operam domino quam debent, audituri serui nequam, quum

Actio πρεσβείας

Actio. 20

Addere ac diminuere quid

Terentius in Phormione

ad exactam illam rationem uentum fuerit. Quòd si in humanis legationibus tanta requiritur integritas, ut in crimen uocetur accepisse munus amplum ab ijs ad quos mittuntur, quid dicendum de ijs, qui populum quem docent expilant, qui testamenta captant, qui opes, qui mundi gloriam uenantur, quum Paulus tam insignis Ecclesiastes dicat: Habentes uictum & uestitum, his contenti sumus. Quanquam ille apud Corinthios ac Thessalonicenses plus hoc præstitit, suis manibus sibi parans uictum, quo gratis doceret Euangelium. Scriptura uetat obligari os boui trituranti, & Apostolus agnoscit æquũ esse, ne
Gal. 6 quis militet suis stipendijs, fatetur operarium esse dignum mercede sua, & Galatis scribens iubet, ut qui catechizatur ac docetur catechizanti communicet, sed addit, in omnibus bonis. Cæterum ditari in hoc seculo seruum dei, bonum non est, & mundi gloria deliniri bonum non est, & splendidis conuiuijs saginari bonum non est. Hæc igitur accipere à populo crimen est. In plerisq; locis præscripta sunt concionatoribus sua salaria, quæ ad munditiem uitæ sufficiunt, modo frugi sint & sobrij: datur stipendium Ecclesiastis non conuiuatoribus, non satrapis, nõ scortorum aut equorum altoribus, hoc oportet eos esse contentos, præsertim quum expectent inæstimabile stipendiũ ab eo cuius negocium gerunt, uitam æternam. Quanquam dominus pollicitus est se & illa adiecturũ, quæ ad corporis necessitatem pertinent, ijs qui toto pectore quærunt regnum dei. Dei regnum est Euangelij prouentus.

Postremo inter mundanos si qui prius parum frugi fuerãt, & dissolutius uixerant, susceptа legatione componunt sese, omnes ingenij uires aduocant, ac uelut aliam sumunt personam, quo muneri delegato respondeant: quanto magis oportet eandem adhibere
2. Cor. 5 solicitudinem, qui legatione fungitur pro Christo, ut per illum mundum reconciliet patri, quemadmodum ad Corinthios scripsit Paulus: Omnia autem ex deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam deus erat in ipso mundum reconcilians sibi, non reputans delicta ipsorũ, & posuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos. Quum audis omnia ex deo, agnoscis dignitatem legantis: quum audis, qui nos reconciliauit sibi per Christum, audis sublime legationis argumentum, atq; etiam plausibile: quum audis, & posuit in nobis uerbum reconciliationis, agnoscis ineuitabile mandatum. A patre deo mitteris, pro filio dei, adfers nuncium multo lætissimum, de pace tata cum deo filioq; eius: tuæ partes sunt persuadere singulis & uniuersis, qui in Christo collocarunt fiduciam, per eum gratis condonari peccata uitæ superioris omnia, uocari insuper ad hæreditatem uitæ cœlestis cum Christo, modo per illum resuscitati, posthac
Ephe. 6 ambulent in nouitate uitæ. Similiter scribit Ephesijs: Vt detur mihi, inquit, sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena hac. Et qui tam arduam, tam magnificam, & tam plausibilem suscepit legationem, nõ se componet, & omnem solicitudinem aduocabit, ut bona fide, ut decenter, ut feliciter delegatum munus obeat: aut committet etiam, ut suis moribus, & sibi fidem abroget, & functionem dedecoret, & legantis iram in se prouocet, & Christo suum lucrum interuertat: An potius hoc aget, ut uitæ sanctimonia, delegatam functionẽ commendabilem reddat. Paulus honorificat Euangelium suum: Vobis enim dico gentibus, quatenus sum gentium Apostolus, ministerium meum honorifico, si quomodo ad æmu-
Honorificare Euangelium quid sit landum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Sed quomodo Paulus glorificat functionem suam: non numero equorum, non strepitu apparatuq; famulorum, quod solent huius mundi legati: sed quod studio lucrifaciendi quàm plurimos omnia fit omnibus, omnium se seruum facit, quod gratis, hoc est, ut illius utar uerbo, ἀδιαφόρως administrat Euangelium, quod undiquaque circumspectus est, ne quod offendiculum ponat Euangelio, quod inter tot afflictiones, carceres ac mortes, constanti alacritate prædicat Christum. Ad hoc egregium exemplar oportet omnes Ecclesiastas properare pro sua quenque uirili, & huc à teneris educandi sunt, qui huic muneri de-
Ecclesiastæ munus desiderare non est uitium stinantur. At non est, inquis, ambienda dignitas, nec quisquam eam prouinciam debet capessere nisi uocatus tanquam Aaron. Sed aliud est ambire dignitatem humano affectu, aliud ardere desiderio benemerendi de plurimis: rursus aliud est sese præparare pulcherrimæ functioni, si forte uocetur, aliud est, nullo delegante prouinciam inuadere

dere. Apostolus ait: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Si quidem offi- 1. Tim. 3
cij nomen est nõ dignitatis episcopus, & militare uerbum episcopus, hinc dictum, quod
qui se profitetur ducem exercitus, ἐπισκοπεῖν, id est, dispicere debet, ne quid desit sui ue-
xilli militibus. Vnde & Homerus Hectorem ἐπίσκοπον, Agamemnonem Imperatorem
ποιμένα λαῶν appellat, id est, populi pastorẽ. Laudatur igitur ore Pauli, qui officium egre
gium desiderat, modo simul & illa curet, quæ requiruntur ad gerendũ officium. Horum
enim protinus subtexitur catalogus, oportet episcopum irreprehensibilem esse &c. Bo-
nũ opus desiderare charitatis est, dignitas comitatur ultro, non affectatur, & ea ipsa quæ
contigit, tota uertitur in Christi gloriam. Qui sacerdotium ambit, ut quotannis accipiat
quindecim milia, ut equis quadraginta stipatus incedat, ut ciuitates & arces occupet, ut
Dux aut Comes appelletur, non desiderat opus, sed opes: sed qui in hoc mortificat car-
nem suam cum uitijs & concupiscentijs, qui pijs studijs in hoc colligit robur spiritus, qui
in hoc instruit pectus suum salutifera doctrina, ut citra reprehensionem annunciet popu-
lo ueritatem ac legem Euangelicam, is reuera desiderat opus omnium maximum deoq;
gratissimum, sed idem omnium difficillimum.

Difficillimum est autem, non ob id tantum quod ardua sit philosophia quam docet,
quod populus bellua sit multorum capitum, quod in omni hominum genere plures ma-
li quàm boni, quod multi uocati pauci electi: uerumetiam multo magis quod Ecclesiastæ *Ecclesiastes*
totum hoc negocium, non armis, non tormentis aut carceribus, sed lingua gerendum sit, *lingua rem*
non sæuitia sed mansuetudine, non uiolentia sed persuasione, non infligendis malis sed *gerit*
perferendis, non occidendo sed mortem oppetendo pro uiribus. Nimirum hæc prouin-
cia sublimem animum, ac pectus eximia quadam philosophia instructum requirit. Hoc
uidelicet est illud quod propheta uocat linguam eruditã, beatus Paulus διδακτικὸν εἶναι,
id est, ad docendum appositum esse. Ad docendum diuina nemo idoneus est, nisi doctus
diuinitus. Sed lugendũ est, quod præposterè rebus humanis ac leuioris momenti lon
ge maiorem curam adhibemus, quàm ijs unde pendet hominum æterna felicitas. Qua
de re sæpius queri cõpellor, quia sine fine modoq; peccatur hoc uitio. Scio dictum à do-
mino, filios huius seculi prudentiores esse in sua generatione quàm filios lucis, sed nos
Christiani, quibus illuxit sol iustitiæ Christus, quibus effulsit ueritas Euangelica, non su
mus filij noctis neq; tenebrarum, sed filij diei: quo turpius est, in nobis inueniri non mi-
nus præpostera iudicia. Quis locat arandum agrum colono, ni prius cognouerit illum *Deligendus*
ad agricolationem exercitatũ? Quis conducit uinitorẽ uitis colendæ rudem? Quis com *Ecclesiastes*
mittit currum aurigandi imperito? Quis cõmittit equos suos huius artis ignaro? Quid
loquor de equis? porcorum gregem non cuiuis committimus, sed fidelem, uigilantem,
ac peritum requirimus subulcum. In rebus friuolis tam solicitè deligimus, & domini gre
gem nullo delectu cuilibet concredimus. Simili socordia fit, quòd maiore delectu plerisq;
potentes eligunt, quibus committant equos suos alendos, quàm quibus liberos educan
dos. Principes sæpe negligentiore cura committunt magistratũ quàm aucupiũ. sed quod
de delectu diximus, ad principes, episcopos, ac sacerdotiorum patronos magis pertinet.
Verum aliorum in suscipiendis functionibus diuinis præposterus est pudor. Si quis gla-
diatori dicat: Esto nauclerus, Respondebit: Qui possum? Mare nunquam uidi, nõ est res
harenæ meæ. Si quis nauclero dicat: Esto medicus, cura ciuium morbos: recusaturus sit,
negans sibi lectum Hippocratem aut Galenum. Si quis agricolæ dicat: Extrue mihi do-
mum. Respondebit: Ego aratrum ducere didici, nõ ascia, securim aut amussim. Et ta
men ingerunt sese ad sacerdotium, ad pastoris dignitatem, qui multo minus idonei sunt
ad prouinciã quam suscipiunt, q̃ subulcus est ad regendam nauim, aut calcearius ad dan
dum pharmacum. Quis est tã impudens, ut pro architecto uelit haberi, qui nunq; celtem
sumpsit in manum? Quis audet pictorem profiteri, qui nec colores terere nouit, nec peni
cillum ducere? Quis sibi sumit citharœdi personã, qui musices planè rudis est? Et tamen
inueniuntur, qui pastoris officium suscipiunt, qui sibi uindicant episcopi munera, nihilo
aptiores, q̃ si sambucam caloni aptaueris alto, ut inquit ille. Hic uideo quosdam respon *Vicarij con-*
suros, qui per alios facit, per se facere uideẽ: sic reges nauigant, sic diuites ędificãt. Fateor, *ducti*
uerũ nec illi uocãtur naucleri, nec hi architecti: at quidã sacerdotes quũ nihil habeãt sacer
dote dignũ, tamẽ hoc titulo se iactant, honorẽ ac censum sacerdotib. debitũ exigunt, dici
uolunt

In caput secundum

uolunt & haberi quod nõ sunt. Tales diuus Hieronymus alicubi exponens Malachiam admonet his uerbis: Sacerdos qui ignorantiam in cæteris diligentẽ, in scripturis sanctis obtenderit negligentem, frustra iactat dignitatem, cuius opera nõ exhibet. Sed hisce temporibus episcopi quidam aliquo colore sunt excusandi, qua de re paulo post nonnihil dicemus: uix tamẽ inuenio quo colore possint excusari, qui sacerdotia sacerdotijs accumulant: item pastores qui per uicarium redemptorem, rursus uicarius qui per uicariũ, usq; ad tertium aut quartum uicarium præstat officium suum: immo ne præstat quidem, quo ties, ut ferè fit, postremus uicarius omnium est deterrimus. Sed hæc de episcopis ac sacerdotibus uetus querela est, quam hic renouare non est huius instituti, præsertim hisce temporibus, quibus adeo malis sacerdotibus nullus habetur honos, ut boni quoq; contemnantur à laicis. Si proficit admonitio, satis admoniti sunt in scripturis canonicis, ac ueterum doctorum scriptis, in ipsis denicq; pontificum decretis.

Illud hodie magis suadendum est, ut uniuersus populus uita in melius commutata, precibus assiduis à deo flagitet, ut principum & sacerdotum animos ad ea cõuertat, quæ tum Christo grata sint, tum populo salutifera. Si populus præbeat se docilem, deus non patietur deesse doctores. Fit enim frequenter, ut ob duram populi ceruicẽ, deus pro principe immittat tyrannum, pro episcopo hypocritam, per quos flagellentur potius quàm curentur. Sic populo Israelitico pro Samule iudice mitissimo flagitanti regem, dedit Saulem tyrannum. Nec improbatur quod in sacris literis sub persona non probata dicitur: Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quod hic appellat hypocritam Zacharias uocauit Idolum & stultum pastorem, quem dominus profitetur se excitaturum, nimirum ob populi rebellionem. Et iuxta uaticiniũ Micheæ mittitur à domino spiritus mendax, qui decipiat Achab regem. Digni sunt ut per malos afflicti discant stultitiam suam, qui bene monentibus auscultare nolunt.

Datur ob rebellionẽ populi malus pastor

Iob 34.

3. Reg. 22

Qui ueterum scripta torquent in sacerdotes & episcopos, meminisse deberent nunc in quibusdam nationibus alium esse statũ ecclesiæ, fortasse necessarijs de causis inductum. Germanorum feritas effecit, ut episcopi aduersus populi rebellionem, opibus, armis, arcibus, ac mundana ditione munirentur, quo multitudo quæ monitis salubribus parere nollet, ui metuq; mali coerceretur. Apud Anglos nulla quidem episcopis aut abbatibus prophana ditio est, sed tamen bona pars opum est penes Ecclesiasticos. Arbitror idem esse apud Hispanos. Græci ueterem adhuc seruant frugalitatem, cuius non obscura uestigia & hodie uidere est in Italia, utcunq; iam olim irrupit ambitio strepitusq; prophanæ ditionis, idq; per eos potissimum, per quos aliorum cupiditates oportuit corripi. Optandum quidem esset ut omnes episcopi, nihil aliud essent quàm episcopi, spiritualibus armis instructi, spiritualibus diuitijs opulenti, & quo quisq; esset dignitate maior, hoc esset à curis mũdanis liberior: uicissim populus esset tractabilis, ac talibus episcopis morigerus.

Episcopi Germaniæ

Verum Germanorũ episcopis par est hoc nomine æquiores esse, quod istud exemplum non ipsi repererunt, sed à priscis usq; seculis traditum acceperunt: adde quod multorum præsulum ditio tam latè patet, ut si quàm maxime forent expediti omnibus mundanis negocijs, non possent tamen in omnibus oppidis concionari, quũ hodie una ciuitas complures requirat Ecclesiastas. Quo magis admiror si Mediolani, aut Cõstantinopoli non fuit nisi unus episcopus ac doctor, illic Ambrosius, hic Chrysostomus.

Et quemadmodum expedit ad arcenda schismata unum esse pontificem Romanum, qui præsideat ecclesijs omnibus: ita eadem ratione expedit, ut multæ ciuitates uni pareãt episcopo, quem tamen deceret esse instructum sacris literis, ut & ipse nonnunquam concionetur, & alios ascisceré ualeat ad hoc munus idoneos. Exemplum excitabit alios, iudicium submouebit inidoneos. Ac mea quidem sententia, talis episcopus maius operæpretium fecerit, si sedulo per se suosq; aduigilet, ut singulis ecclesijs idonei pastores ac diligentes præficiantur, palàm autem inutiles ab eo munere submoueantur, quàm si ipse concionandi negocio totus incumbat. Vt autem suppetat talium uirorum copia, illa conducent plurimum, si curet adolescentes bonæ spei in Academijs publicis erudiendos, & si neminem ad presbyterij gradum admittat, nisi qui de se nõ obscurũ specimen dederit, fore ut aliquãdo bonũ Ecclesiasten possit agere. Hic enim fons est, unde scatet maxima pars calamitatũ ecclesiæ. Episcopus in omnib. ecclesijs cõcionari nõ potest, unus tamẽ potest omnibus

Episcoporum præcipuæ partes κτιποὶ

omnibus de fideli pastore prospicere: id licet subito fortasse non potest fieri, tamẽ sensim ac paulatim fieri poterit. Quod si quis contingat episcopus, qui magis idoneus sit ad administrandum quàm ad docendum, hac cura facile pensarit quod diminutũ est. Huc autem maiore studio incumbet, si reputarit summum illum pastorem ipsi imputaturũ, quic quid illi deliquerint, quibus suas uices delegauit. Inter omnes igitur curas hanc decet episcopis esse primam ac præcipuam. Cordati principes nihil diligentius accurant, quàm ut sibi parent fidos ac peritos belli duces quibus committãt exercitum, quippe persuasi, ab his pendere belli fortunam: nec existimant grauem esse iacturam, si gregarius miles cadat & sine nomine uulgus, modo strenui duces sint incolumes: quanto magis aduigilandum, ut grex dominicus idoneos habeat pastores. non agitur res ludicra, sed periclitantur tot animarum milia, pro quibus liberandis Christus sanguinem suum fudit, pro quibus uiuificandis semet in mortem tradidit: sed in primis periclitatur ipse episcopus, de singulis ouibus domino rationem redditurus. Proinde si usquam sibi permittat episcopus cessare, alibi cesset potius: si delinquere, ubiuis delinquat potius quàm in hoc negocio longe omnium periculosissimo. Nec satis ad excusandum est argumenti, si dicat episcopus, isthuc uicarijs meis & officialibus delegaui, quandoquidem & horum integritas ipsi præstanda est: in quos si animaduertit, in peculatu deprehensos, quanto iustius puniendi sunt, qui hanc rem mala fide gesserunt. Non abre fuerit hoc loco referre quid accidit Dauidi quondam episcopo Traiectensi, ducis Philippi cognomẽto Boni filio: Vir erat apprimè doctus, reiq; Theologicæ peritus, quod in nobilibus & illius præsertim dictionis episcopis prophana ditione onustis perrarũ est: audierat inter tam multos qui sacris initiabantur, paucissimos esse qui literas scirent. Visum est rem propius cognoscere: in aula, in quam admittebantur examinandi, iussit sibi poni cathedram, ipse singulis proposuit quæstiones pro gradus quem petebãt dignitate, hypodiaconis futuris leuiores, diaconis aliquanto difficiliores, presbyteris theologicas. Quæris euentum? Submouit omnes exceptis tribus. Qui his rebus præesse solent, existimarunt ingens ecclesiæ dedecus fore, si pro trecentis tres tantum initiarentur. Episcopus, ut erat feruido ingenio, respondit: maius fore dedecus ecclesiæ, si in eam pro hominibus admitterentur asini, & omnib. asinis stolidiores. Instabant ij quib. hinc aliquid emolumenti métitur, ut moderaretur sententiam, reputans hoc seculum non gignere Paulos aut Hieronymos, sed tales recipiendos quales ea ferret ætas. Perstitit episcopus, negãs se requirere Paulos ac Hieronymos, sed asinos pro hominib. non admissurũ. Hic confugiendum erat ad extremã machinam. Admota est. Quænam? Si quà cœpisti, inquiunt, usum est pertendere, salaria nobis augeas oportet, alioqui sine his asinis non est unde uiuamus. Hoc ariete deiectus est erectus ille præsulis animus. Atqui hic aries multis modis retundi poterat, Salaria uobis dantur non ad luxum & ambitionem, sed ad sobriam uitam, ad hanc sufficiunt quæ damus. Verum hoc dictum fortasse retorqueri poterat in episcopum, cui census Ecclesiasticus datur ad mundum uictum, non ad satraparum strepitum. Generosius igitur erat dicere: si quid usibus uestris deest, aliunde sarcietur, uel de meo censu, modò ne ecclesia talibus ministris contamínetur. Periti belli duces malunt educere mediocrem manum, sed ad conflictum idoneam, cq; numerosam inutilium militum turbam. Quid autem refert utrum ecclesia pauciſſimos habeat sacerdotes ad ecclesiasticã functionẽ idoneos, an infinitã inutilium turbã, qui citius onerẽt ecclesiam cq; subleuent? Omnes ecclesiæ census desiderant, opus ecclesiasticum pauci aut nulli desiderant: pasci desiderant non pascere: subtrahe pabulum, & uidebis perpaucos ambire gradus ecclesiasticos. Quid quod ecclesia paucioribus haberet opus, si singuli necessarijs ac proprijs tantum fungerẽtur officijs. Diaconi recitarent sacram lectionem, presbyteri docerent Euangeliũ, & administrãdis sacramentis adessent episcopis. Nunc ad canendum consecrantur sacerdotes, quod olim erat laicorum, & ad missandum: utrunq; tolerabilius, si hæc tantum intra publica templa consisterent. Nunc in nonnullis regionibus singulæ domus priuatim habent sacellũ ac sacerdotes: & passim, sicuti creantur à suffragijs episcopi, qui possint à quouis conduci episcopo, ita consecrantur presbyteri, nullo certo censu, sed qui uel à coriarij cuiuspiã uxore cõducãtur, ut dñæ in templũ deductæ codicẽ porrigant ter flexo genu, & eandẽ simili cęremonia domũ reducãt. Atq; in hũc usum creãtur, per saltũ ut aiũt, idq; ante legitimã ætatem,

Dauid epũs Traiectẽsis

Turba sacerdotum

modo

1. Tim. 3 modo numeretur aliquid. Paulus uult adolescentiores uiduas nubere, nec quaslibet recipi, sed eas modo quæ uere uiduæ sunt, ne grauetur ecclesia. Quod in muliebribus ministeriis statuit Apostolus, cur non fiat idem in sublimioribus ordinibus, qui magis grauat ecclesiam: ut non recipiantur diaconi nisi qui uere diaconi sint, hoc est, ecclesiæ ministri, non admittantur presbyteri, nisi qui uere presbyteri sint, uita puri, autoritate graues, eruditione salubres. Nunc in nonnullis locis, si cadauer ambitiosi diuitis sit efferendū, quam uidemus presbyterorum turbam. Videas sexcentos ad manum esse qui canant lugubria, qui celebrent parentalia. Si prædicandum Euangelium, quanta eorundē paucitas, ibi uix unum reperias. Qui bellum mouent ob negatas decimas, indigne ferentes ac fulmen etiam torquentes in illos qui fraudant ecclesias: quanto iustius in eos commoueren tur, qui quum luxurientur ecclesiæ stipendijs, grauant ac dedecorant ecclesiā uniuersam, non tantum apud populum Christianum, uerum etiā apud illos qui sunt extra ecclesiæ cōsortium. Nam hi ex ministris ecclesiæ uniuersam æstimant ecclesiam. Igitur episcopus qui ex animo fauet ecclesiæ commodis, hic in primis deberet uigilare. Quod si fecerit, facile condonabitur quod ipse non docet euangelicam philosophiam, & admittetur illud apud iurecōsultos decantatum: qui per alium facit, per se facere uidetur. Nec absurdum uidebitur illud Comici senis cōsilium, qui quum uideret uicinum senem in agro assiduē portantem aliquid, fodientem, arantem ac sarrientem, sic illum admonuit: quod in opere faciundo operæ consumis tuæ, si sumas in illis exercendis plus agas. Itidem episcopus cuius late patet ditio, plus attulerit fructus, si totus in hoc sit, ut idoneos pastores præficiat singulis ecclesiis, ac præfectos in officio contineat, quàm si ipse unam aut alteram ecclesiam diligenter administraret. Hæc cura non tantum impēdenda esset oppidis, sed etiam uicis ac monasterijs. Vicorum ac pagorum sacerdotes, arbitror in priscis canonibus appellari Corepiscopos. Nam scribendum opinor Chorepiscopos, quod χώρας Græcis interdum rus aut agrum declaret. Quo rudior est agricolarum populus, hoc magis eget à quo sale condiatur Euangelico. Et antiquitus monachi ac sacræ uirgines in templis communibus quotidie audiebant episcopum docentem. Nunc quoniam domi tenentur inclusæ, curandum esset, ut domi habeant à quibus sacra doctrina doceantur, extimulentur, consolentur & admoneantur. Vnde alioqui uidemus in monasterijs etiam bonæ disciplinæ, pro uera pietate tantum superstitionis, pro charitate tantum frigoris ac languoris, nisi quod non pascuntur assidue uerbo dei. Hinc roboratur fides, hinc incalescit charitas, hinc efferuescit uitæ cœlestis desiderium: sine his ciborū delectus, uestis, cantiones, cæteræq; cæremoniæ, ad superstitionem tendunt uerius quàm ad pietatem. Hic quæso tecum cogites, an cuius humeris tot ciuitatum, tot ecclesiarum cura incumbit, ocium habeat ad uenatum, aucupium, aleam, operosa conuiuia &c. Hoc quale sit domi quisq; poterit æstimare. Modicæ domus paterfamilias, cui sit uxor, liberi aliquot & famuli, quot curis distrahitur ut paucos contineat in officio, quum in hos habeat summum ius, nō imperandi tantum, sed & includendi, & uerberandi, & abdicandi: quum episcopus quatenus est episcopus nullum ius habeat nisi docendi, monendi, obiurgandi, obseruandi, & consolandi. Quod si nunc quoq; singulis ciuitatibus singuli præessent episcopi, tamē hoc etiam negocium quàm sit difficile, copiose pariter & erudite declarat diuus Chrysostomus in libris quos conscripsit De sacerdotio. Scripsit ille quidem nondum episcopus, at iam pertractus ad hoc munus, uaticinium suum esse uerissimum, ipsa re expertus est. Vtinam hodie minor esset principum uiolentia, clericorum rebellio, populi durities, hæreseon tumultus. Quantum igitur negocij credimus esse, cum præter uicos & pagos, uigin ti frequentes & amplæ ciuitates uni parent antistiti. Sit hoc leue, unius humeris imponuntur quatuor aut quinq; tales episcopatus cum aliquot abbatijs annexis. Quis non fateatur hanc sarcinam esse maiorem humanis uiribus? Atq; hæc quoq; conduplicatur prophanæ ditionis accessione. Cum primis arduum est præstare bonum regem, multo difficilius est præstare pium præsulem uel uni ciuitati. Quàm igitur grauem sarcinam portat, qui tot ciuitatibus, tot regionibus simul debet & bonum episcopum, & bonum principem? Hæc non ob id mihi commemorantur, ut suggillem nostri temporis episcopos, sed ut commonstrem, quanta ab illis requiratur sobrietas ac uigilantia. Quędam enim ex his honesto colore possunt excusari. Vt uni Metropolitano plures ciuitates committerētur, persuasit

Vicani pastores

Virgines inclusæ

Sacerdotiorū pluralitas

persuasit concordiæ studium ac seditionis metus: ut adderentur opes ac prophana ditio, compulit gentis feritas. Quales & hodie feruntur Hyberni, & olim fuit Germania ad arma promptior, quàm ad philosophiam, priusquam Christi iugo ceruicem submitteret, ac liberalibus disciplinis mitesceret, Atq; utinam nunc nulla extarent ueteris ferociæ uestigia. Hactenus igitur quod receptum est, & excusari potest, & ferri debet. Cæterum quòd unus plures ambit episcopatus, unus sacerdos plura sacerdotia, uix inuenio colorem quo excusem, nisi dixerimus, hoc non ex auaritia, non ambitione, sed ex abundantia quadam charitatis proficisci, qua desiderant quamplurimis prodesse. Verum hęc quoq; iam & palàm & cum applausu fiunt. Nec ignoro, quàm uiolenta, quàm tyrannica res sit mos semel in publicum receptus usum. Proinde quando præstat hæc numini fatisq; relinquere, saltem illud omnibus cordi esse deberet, ut inter prophanas curas hæc non sit in postremis, ut munia quæ per se præstare non possunt, idoneis uiris delegent. Verum in hæc comitia non sunt admittendi pessimi consultores, priuatus affectus et auaritia. Cognatus est qui petit ἀλοίκυσιν, uincat propinquitatis affectum charitas sponsæ Christi. Si princeps obtrudit illum cui fauet, sit tibi prior summi principis ratio. Denicq; & huc ualeat potestatis magnitudo, ut irrumpere conantes arceas, ingressos expellas. Huc ualeant opes, ut de tuo si necesse fuerit quibusdam ecclesijs prouideas, ut generosam indolem præ se ferentes, benignitate prouehas, ut collegia studiorum in hoc peculiariter instituas, collapsa instaures, in quibus selecta ingenia formentur, non tantum ad disputandum, sed multo magis ad concionandũ. Nunc em̃ fieri uidemus, ut ex ijs qui in diatribis theologicis diutius exercitati sunt, q̃plurimi prodeant ad disputãdum arguti, ad cõcionandũ accõmodi perquam pauci. Hic mihi succurrit uir omni memoria seculorum dignus Guilhelmus Vuaramus archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ primas, non ille quidem titulo, sed re theologus, erat enim iuris utriusq; doctor, legationibus aliquot feliciter obeũdis inclaruit, & Henrico regi eius nominis septimo, summæ prudentiæ principi, gratus charusq; factus est. His gradibus euectus est ad Cantuariensis Ecclesiæ fastigium cuius in ea insula prima est dignitas. Huic oneri per se grauissimo additum est aliud grauius. Coactus est sustinere Cancellarij munus, quod quidem apud Anglos planè regiũ est, atq; huic uni honoris gratia quoties in publicum procedit, regia corona sceptro regio impositio gestatur. Nam hic est uelut oculus, os, ac dextra regis, supremusq; totius regni Britannici iudex. Hanc prouinciam annis compluribus tanta dexteritate gessit, ut diceres illum ei negocio natum, nulla alia teneri cura. Sed idem in his quæ spectabant ad religionem et ecclesiasticas functiones tam erat uigilans & attẽtus, ut diceres eum nulla externa cura distringi. Sufficiebat illi tempus ad religiose persoluendum solenne precũ pensum, ad sacrificandũ ferè quotidie, ad audiendum præterea duo aut tria sacra, ad cognoscendas causas, ad excipiendas legationes, ad consulẽdum regi si quid in aula grauius extitisset, ad uisendas ecclesias, sicubi natum esset aliquid, quod moderatorem postularet, ad excipiendos conuiuas sæpe ducentos, denicq; lectioni suum dabatur ocium. Ad tam uarias curas uni suffi ciebat & animus & tempus, cuius nullam portionem dabat uenatui, nullam aleæ, nullam inanibus fabulis, nullam luxui aut uoluptatibus. Pro his omnibus oblectamentis erat illi uel amœna quæpiam lectio, uel cum erudito uiro colloquium. Quanquam interdum episcopos, duces, & comites haberet conuiuas, semper tamen prandium intra spatium horę finiebatur. In splendido apparatu, quẽ illa dignitas postulat, dictu incredibile q̃ ipse nihil delitiarum attigerit. Raro gustabat uinũ, plerunq; iam tum septuagenarius bibebat pertenuem ceruisiã, quã illi biriam uocant, eamq; ipsam perparcè. Porrò quum q̃ minimum ciborum sumeret, tamen comitate uultus ac sermonum festiuitate omne conuiuium exhilarabat. Vidisses eandem pransi & impransi sobrietatem. A cœnis in totum abstinebat, aut si cõtigissent familiares amici quorum de numero nos eramus, accumbebat quidem, sed ita ut penè nihil attingeret ciborum: si tales non dabantur, quod temporis cœnæ dãdum erat, id uel precibus, uel lectioni impendebat. Atq; ut ipse leporibus scatebat mire gratis, sed citra morsum atq; ineptiam, ita liberioribus iocis amicorum delectabatur: à scurrilitate & obtrectatione tam abhorrebat, quàm quisquam ab angui. Sic ille uir eximius sibi faciebat dies abunde longos, quorum breuitatem multi causantur. Et tamen isti qui subinde queruntur ad seria negocia sibi deesse ocium, bonam diei partem, interdum & noctis

Sacerdotia syncere conferenda

Guiliel. Vuaramus

perdunt in rebus non neceſſarijs. Verum ut eò redeam, cuius gratia interieci hunc ſermonem: erat illi iuxta morem horum temporum neceſſum præter familiam, quam alere cogebatur numeroſiſsimam, aulæ regiæ, totius regni negocijs etiam prophanis dare operã, nec ibi moribus hodie receptum eſt, ut ſummi præſules concionentur: tamẽ quod in hoc officij genere diminutum erat, abunde penſabat gemina uigilãtia, partim proſpiciens ne quis inutilis ad dominici gregis curam adhiberetur, partim multos ſua liberalitate fouẽs in literarũ ſtudijs, quos ſperabat ad bonam frugem euaſuros: in hos erat tam expoſita liberalitas, ut moriens nihil omnino reliquerit præſentis pecuniæ, ſed æris alieni nonnihil, tametſi non deerat unde id diſſolui poſſet. Hæc nequaquam loquor ad gratiam, amaui uiuum, nec minus amo mortuum. Quod enim in illo amabam nõ perijt. Si ſupputem, quicquid ille mihi dare paratus erat, immenſa fuit eius in me liberalitas: ſi ad calculum uocemus quod accepi, ſanè modicum eſt. Vnicum modo ſacerdotium in me cõtulit, imò non dedit ſed obtruſit cõſtanter recuſanti, quod eſſet eius generis, ut grex paſtorẽ requireret, quem ego linguę ignarus præſtare non poteram. Id quum uertiſſet in penſionẽ, ſentiretq; me eam pecuniolam grauatim accipere, quòd è populo cui nihil prodeſſem colligeretur, ſic me conſolatus eſt uir egregiè pius. Quid, inquit, magni faceres, ſi uni agreſti populo prædicares? Nunc libris tuis omnes doces paſtores fructu longè uberiore, & indignum uidetur, ſi ad te paulum redeat ſtipis Eccleſiaſticæ? Iſtam ſolicitudinem in me recipio. Prouidebo ne quid illi deſit eccleſiæ. Idq; fecit. Nam ſubmoto cui reſignaram ſacerdotium, is erat illi à ſuffragijs, homo uarijs diſtractus negocijs, alium præfecit iuuenem rei

Io. Roſſenſis theologicæ peritũ, probatis & integris moribus. R. D. Ioannem Fiſcherum Roſſenſem epiſcopum, quod cum alijs omnibus officijs præſule dignis, tum præcipuè ſtudio docendi populum uerũ præſtaret epiſcopũ, ſic amabat, ſic uenerabatur, quaſi ille fuiſſet Metropolitanus, ipſe ei ſuffraganeus. Hoc teſtimoniũ defuncto patrono citra adulationis ſuſpitionẽ præbere licet. Nec ille meis eget laudibus, nec ego ullum adulationis præmium ab eo expecto. Sed hæc ea gratia commemoraui, ut oſtẽderem exemplar, quod ſecuti huius ætatis antiſtites facile poſsint penſare detrimentũ officij, quod uarijs diſtenti negocijs ad concionandum non habeant uacuũ tempus: tum quibus rationibus ſibi poſsint dies reddere longiores, ut ad uarias curas & tempus & animus & ualetudo ſufficiat. Agilis & negocioſa res eſt Chriſtiana charitas, ea quem ſemel occupauit, is dictu mirum, quàm multis, quàm uarijs curis obeũdis par eſſe queat. Vereor enim ne uulgus hominum, qui ſemper cauſantur ſibi deeſſe ocium, ſi uerè ſubducant rationem diurnarum actionum, compe riant, meliorem ac maiorem temporis partem, uel uoluptatibus ineptis, uel friuolis nugis impenſam eſſe: ad quas quum ampliter ſuppetat ac ſuperet illis ocium, turpe eſt in eo officio excuſare ociũ, cui uel ſoli cæteris omnibus negocijs excuſsis, toto pectore uacandum

Gregorius erat. Sed præſto eſt exemplũ, hoc etiã illuſtrius, D. Gregorius Romanus põtifex, eius nominis primus: qui quũ infirmo eſſet corpuſculo, afflictaq; ualetudine, tamẽ tot munijs obeundis ſufficiebat unus, peragebat ſacra ſolennia, cõcionabatur ad populum, interdum in die ſæpius, ſedebat audiendis cauſis, ſcholæ literariæ curam gerebat, componebat ritus ac cantiones eccleſiæ, tot uolumina, tot epiſtolas conſcripſit: erudit catechuminos, erudit os examinat, ſacris initiat, initiandos excutit num ſint idonei: regum tumultus compoſit, ſchiſma molientibus obſiſtit, ſingulis eccleſijs præficit idoneos paſtores nec hoc contentus in longinquas regiones delegat apoſtolico ſpiritu præditos, qui gentes efferas & agreſtes componant ad philoſophiam euangelicam ac diſciplinam eccleſiæ, nihilo ſegnior interim in priuatis officijs, dum inuiſit ægrotos, dum increpat delinquentes, dum exstimulat ceſſantes, dum conſolatur afflictos, dum erigit puſillanimes, dum opitulatur oppreſsis, dum diſsidentes redigit in concordiam, dum adeſt morientibus. Qui factum

Diſpenſatio temporis eſt ut tale corpuſculum tot functionibus adminiſtrandis par eſſet? Nimirum ignea charitas ſuppeditabat uires, & tempus uerè ſumptus, ut quidam dixit, precioſiſsimus tanta parſimonia diſpenſabatur, ut nulla inde periret portio. Sic beatus Baſilius corpore morbido, ſic Chryſoſtomus, ac D. Auguſtinus delicata ualetudine iam & ſenio grauis, tot arduis eccleſiæ negocijs ſuffecit. Scitè dictũ eſt à priſcis, ingẽs eſſe uectigal parſimoniã. Hæc enim facit, ut homini frugi licet modicæ facultates etiã ad liberalitatẽ ſufficiant, quum prodigo nec ad uictũ mundiorẽ ſint ſatis. Ille largitur ex re modica, huic ex amplis facultatib,

non

non suppetit quo placet creditorem. Cõuenit autem ut quemadmodũ in rebus humanis nihil est tempore preciosius, ita nulla res circumspectius dispensetur, quæ nunc à plerisq; sic prodigitur, quasi nihil sit omnino uilius. Vtinam omnes pastores ad hanc imaginem sese componerent. Scio quod hisce temporibus, quoniam nimium refrixit illa uiuida & operosa charitas, atq; exundauit uoluptatum amor, prophanæ ditionis ac pecuniæ studium, uariæ sacerdotis functiones in multas distributæ sunt personas, idq; interdũ præposterè, ut quæ summa est delegetur infimo, quæ infima est summo reseruetur, Is in cuius humeros tota domus inclinata recumbit, uenatur, aut belligeratur: ab hoc conductus aliquis consecrat, ordinat. Consecrat parietes, uasa, uestes, lapides & nolas, Parochus cantat & administrat sacramenta. Seorsum conducitur Ecclesiastes, qui certis diebus & horis unius oppiduli loquatur populo, quum olim unus his omnibus sufficeret ministerijs, nulla in re uigilantior aut frequentior, quàm in docendo populum. Væ delicijs nostris, & horum temporum moribus. Sic quoq; uix paratur, qui tolerabilẽ præstet Ecclesiastẽ, quum hæc quota portio sit muneris sacerdotalis. Illud igitur primorum uotorum erat, ut dominus suo gregi præficiat pastores sui similes, hoc est uerè bonos, quos non pigeat & uitam ouibus suis impendere, qui & ipsi norint uelintqúe præstare munus delegatum, & alios asciscere studeant, qui possint ac uelint curarum partẽ capessere. Si non datur primus cursus, ad secundarium, ut aiunt, confugiendum est. Quãquam hoc ipsum uix quisquam recte præstiterit, nisi uir sit et prudens, ut sciat eligere: & pius, ut commodo gregis nihil habeat antiquius: & integer, ut quod rectum est uelit: & fortis, ut nec fauorib. nec odijs, nec metu, nec spe rerũ humanarũ à recto mẽtis iudicio depelli possit. Audimus quotidianas querimonias deplorãtiũ collapsam Christianã religionẽ, eamq; ditionẽ quæ quondã cõplexa est uniuersum terrarũ orbẽ, in has angustias esse contractam. Hoc igitur quibus ex animo dolet, eos decet ardentibus assiduisq; uotis flagitare à Christo, ut operarios dignetur mittere in messem suam, aut ut melius dicam, seminatores mittere in segetem suam. Deum immortalẽ, quantũ in orbe patet agrorum, in quibus aut nondũ iactum est semẽ Euangelicũ, aut ita iactũ est, ut plus sit zizaniarum q̃ tritici. Orbis minima pars est Europa, omnium florentissima pars est Græcia, & Asia minor, in quã magno successu primũ à Iudæa demigrauit Euangeliũ, & hęc ferè tota nónne tenetur à Mahumetanis, & ijs qui Christi nomen habẽt inuisum? Iam in Asia maiore, qua latissime patet, quid obsecro nostrũ est? quũ ipsa Palæstina, unde primo effluxit lux Euangelica, seruiat Allophylis? in Africa uero quid nostrũ est? Nec dubitandũ est, quin in tanta uastitate regionũ sint populi rudes ac simplices, qui facile possent ad Christũ allici, si mitterentur qui facerent bonã sementẽ. Quid quòd quotidie regiones hactenus incognitæ reperiũtur, ferunturq; superesse, quò nullus adhuc nostratiũ peruenit. Omitto nũc infinitã Iudæorũ uim nobis admixtã, omitto plurimos qui titulo Christi tegunt Ethnicos, omitto tantas schismaticorum ac hæreticorũ phalanges. Quantus in his esset prouentus Christo, si gnaui ac fideles mitterentur operarij? qui iaciant semen bonũ, qui reuellant zizaniam, qui plantent plantulas bonas, ac malas extirpent, qui extruant domum dei, demoliantur structuras non innitentes petræ Christo, deniq; qui metãt maturam segetem, sed Christo metant non sibi, & animas domino colligant, non opes sibi. Nuper Aethiopiæ rex, quẽ uulgus appellat Presteian, per oratorẽ suum submisit se sedi Romanæ, nonnihil expostulans cũ pontifice, quòd ea gens quũ à fide Christi non sit aliena, tam diu fuerit à totius orbis pastore neglecta. Quidã uiri boni, & propagandæ religionis studiosi queruntur, Pilapios Scythiæ septentrionalis populũ mire simplicẽ ac rudẽ, à nescio quib. principib. Christianis teneri ditione, sed ita duro premi iugo humano, ut eis nõ imponatur suaue iugum Christi, atq; ita spoliari bonis externis, ut nõ ditentur opibus euangelicis. Pulcherrimũ deoq; gratissimũ erat dare potiusq̃ eripere ijs, quos studemus Christo lucrifacere, ac sic eos in ditionẽ nostram recipere, ut gaudeant se subiectos esse principib. sub quorũ imperio cõmodius degant, q̃ ante degebant. Nouimus cicurare bestias feras & horribiles, uel ad uoluptatẽ uel ad usum uulgarẽ, & non nouimus mansuefacere homines ut seruiãt Christo? Monarchæ alunt, qui doceant elephantos ad saltandum, qui doment leones ad lusum, qui domẽt lynces ac leopardos ad uenatũ, & monarcha ecclesiæ nõ inuenit qui homines alliciat ad amabile Christi seruitium? Scio uix ullã reperiri beluam domitu difficiliorem q̃ est Iudæus

ὁ δεύτε πλοῦς

Angustia Christianæ ditionis

Rex Aethiopiæ

Pilapij

obstinatus, & obduratus hæreticus, quanq̃ nullum est animal tam immite, quod non ci-
curetur beneficentia & suauitate: sed nunc loquor de gentibus quę uelut oues errant non
habẽtes pastorẽ, quia nullus ad eos mittitur qui doceat philosophiam Christianã, et adeo
non mittitur, ut, si uera narrant qui lustrarunt eas regiones, illi ipsi Christiani principes
qui gentem eam occuparũt, obstent ne quis accedat doctor Euangelicus, ueriti ne si pau
lo plus sapiant, excutiant iugum graue quo premuntur. Malunt enim illi Satrapæ impe-
rare asinis quàm hominibus. Quid autem dicam de ijs qui classe præteruehuntur ignota
littora, & ciuitates nihil hostile expectantes diripiunt ac uastant. Huius generis facinora
quo tandem titulo celebrantur? Victoriæ dicuntur. Atqui tales uictoriæ nec apud Ethni
cos laudem merebantur, quum de improuiso opprimũtur, quibus bellum indictum non
est. At fauebant, inquiunt, Turcæ, hæc causa demum affertur euersis oppidis. Quam ex-
cusationem an ipsi accepturi sint nescio, si Turca per occasionem uastata ciuitate dicat, fa
uebat Christianis. Plurimum interest inter latrocinium & bellum Christianũ, inter pro-
pagantem regnũ fidei, & proferentem tyrannidem huius mundi, inter quęrẽtem salutem
animarum, & inter uenantem prædam Mammonæ. E repertis regionibus euehitur au-
rum & gemmæ, sed triumpho dignius erat illuc inuehere Christianã sapientiã auro pre-
ciosiorem, ac margaritum euangelicum, quod omnibus diuenditis bene cõparatur, apud
nos nimium est earũ rerum quæ corrumpunt animos nostros. Dominus iubet suis ro-
gare dominũ messis, ut extrudat operarios, quod messis esset ampla, operarij pauci. Non
minus opus & nunc rogare deum, ut in tam latè patentes agros eijciat operarios. Sed ex-
cusant omnes, alius aliud. Atqui Christiana ditio tot habet myriadas Franciscanorum, in
quibus probabile est quamplurimos esse, qui uerè flagrant igni seraphico: nec pauciores
sunt myriades Dominicanorum, & in his consentaneũ est permultos esse Cherubici spi-
ritus. Ex his cohortib. eligantur uiri, mundo uerè mortui, Christo uiui, qui syncerè apud
barbaras gentes doceãt uerbum dei. Excusatur linguæ imperitia. Atqui principes ob hu-
manas legationes inueniunt, qui uarias linguas perdiscant, & Themistocles Atheniensis
uno anno sic didicit sermonem Persicum, ut absq̃ interprete cũ rege loqui posset, an idem
non studebimus in tam sublimi negocio? Inter barbaras & ignotas nationes Apostoli
inuenerunt uictum & amictum, & deus pollicitus est, nihil defuturum quærentibus re-
gnum dei. Quòd si inciderint in gẽtem tam ingratam, ut panem, aquam & tectum perne-
gent: superest optimi Ecclesiastæ Pauli multo pulcherrimum exemplum, qui suis manib.
consuebat coria, ne cuiquam esset onerosus. Illis inquam ipsis manibus consuebat pelles
caprarum, quibus dabat credentibus spiritũ sanctum, quibus consecrabat corpus & san-
guinẽ domini. Ne miracula quidẽ defutura sunt, si res postulet, modo adsit syncera fides
cũ Seraphica charitate. Aut certe pro miraculis erunt, animus ab omni rerũ humanarum
cupiditate liber, perpetua uitæ sobrietas, studium gratis benemerendi de omnibus, pati-
entia nullis iniurijs labefactabilis, perpetua spiritus alacritas in afflictionib. modestia co-
mis, nihil prę se ferens supercilij. Neq̃ em̃ Apostoli passim edebant miracula, sed ijs quas
dixi rebus longè plures pertraxerunt ad ditionem Christi q̃ miraculis. Hæc enim magię
tribuebantur à multis, illa declarabant dei spiritum agere per homines. Restat ultima cau
satio, uitæ periculum. Verum posteaq̃ est omnibus semel moriendum, quæ mors cõtin-
gere possit speciosior, quàm ob Euãgelium, aut quæ felicior. Qui petunt Hierosolymam
ex ultimis mundi regionibus, exponunt se uitæ periculo, nec omnes domum redeunt in-
columes ex ea peregrinatione, & tamen quotannis tanta hominũ multitudo currit Hie-
rosolymã, ut uideat loca nescio quæ, & hic excusatur uitæ discrimen? Videre ruinas Hie-
rosolymæ quid obsecro magni est? sed spiritualem Hierosolymam ædificare in mentibus
hominum uerè magnum est. Quot sunt milites qui intrepide cõmittunt se prælio, uitam
habentes uilem in gratiam hominis principis? Et summus ille monarcha, qui pro stipen-
dio pollicetur coronam æternæ gloriæ, non inuenit milites simili præditos animo? Quan
to optabilius sic mori, quemadmodũ mortuus est Paulus, q̃ phthisi exarescere, podagra
multis annis discruciari, paralysi torqueri, calculo toties mori? Iam ut accidat mors, nõ ac
cidet ante diẽ, quẽ pater suis præstituit. Apostoli in tanto mũdi fremitu uixerunt, & ad iu-
stam senectutẽ peruenerunt: Non est igitur quod mortẽ metuat protectore Christo, qui
non patietur ullum pilum cadere in terram, nisi patre uolente. Postremo qui conuenit ut
qui

Mors ob Euangelium

qui uitam apostolicam profitentur, amore uitæ ab apostolico munere deterreãtur. Id em̃ uel in primis apostolicum est, Euangelio uitam impendere. Nam opes & Crates Thebanus & Socrates Athenienſis, & Diogenes Sinopenſis cum alijs pleriſq; cõtempſere, qui nec Chriſtum nec Apoſtolos nouerant. Agite igitur uiri fortiſsimi, eximij Chriſtianę militiæ duces, induite uos galeam ſalutis, loricam pietatis, aſſumite ſcutum fidei, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbũ dei, ac ſuccincti lumbos baltheo pudicitiæ, calceati pedibus, qui ſunt affectus, tota denicq; panoplia myſtica præparati ad prædicandum euangelium pacis, intrepidis animis ad tam præclarũ facinus accingimini, deijcite, iugulate, mactate, non homines ſed ignorantiam, impietatem, cæteraq; uitia. Sic enim occidere ſeruare eſt. Non hoc agite, ut ab illis ditiores redeatis domũ, ſed ut illos locupletetis diuitijs ſpiritualibus. Opimam prædam exiſtimate, ſi tot animas à Satanæ tyrannide ereptas redemptori uindicaueritis, ſi illi numeroſam captiuitatem in cœlum triumphandam adduxeritis. Arduum eſt ad quod adhortamur, ſed idem eſt facinus omnium pulcherrimum atq; optimum. Vtinam dominus mihi dediſſet talem ſpiritum, ut in tam pio negocio mortem oppetere mererer, potius quàm in his cruciatibus lenta morte conſumi. Sed ut non eatur ad barbaras nationes, nullus eſt idoneus Eccleſiaſtæ officio, qui non parauerit animum diuitijs, uoluptatibus, ac morte etiam uitáque ſuperiorem. Nuſquam deeſt crux uerbum domini ſyncere prædicantibus. Sunt hodie magnates quidã Herodi nõ diſsimiles, qui Chriſtum eiuſq; doctrinam habent ludibrio. Sunt Annas & Caiphas, ſunt Scribæ & Phariſęi, qui cœlum terræ miſceant citius q̃ patiantur aliquid ſuæ autoritati quæſtuiq; decedere. Sunt opifices non diſsimiles illis, qui apud Epheſios concitarunt turbam in Apoſtolos, quòd horum prædicatio minueret ipſorum quæſtum. Nec deſunt Iudæ, qui quum uideantur Chriſto familiares cauponantur illum ac produnt extinctum cupientibus. Nec deſunt in plebe, qui uerſo pollice clament, crucifige, crucifige. Quod dico uerũ eſſe fatebuntur, qui libertatem hanc & libertatis comitem crucem ſunt experti. Difficillimũ igitur eccleſiaſtæ munus eſt, ſed idem pulcherrimum. Certamẽ eſt haud uulgare, ſed inſignia præmia. In principum ludis inueniuntur, qui pileolum in ſumma malo ſuſpẽſum per fumum & ignem ultro petunt, qui ob tauri precium prodeunt ad periculoſam monomachiam: et Chriſtus agonothetes, qui feliciter certantibus perpetuũ triumphum promittit in cœlis, non inuenit generoſos certatores? Atqui agonothetes homo hoc ipſum præmium, quod admodum uile proponit, non ſemper ei decernit qui meruit, ſed ſæpius in eum transfert, cui magis fauet. Et ut abſit omnis in decernendo corruptela, qui præmijs propoſitis inuitat ad certamen, non addit certanti uires: at noſter agonothetes, qui prouocat ut uincas, dat etiam robur ut uincas. Nec hic concertator uictus pro præmio aufert ignominiã, ſed ſua cuiq; merces eſt integra. Siquidem in Euangelio non ille tantum, qui quinq; talenta in ſortem data conduplicauerat, audit, Euge ſerue bone & fidelis, uerumetiam qui duo conduplicauerat: idem auditurus erat & qui unicum acceperat, niſi defodiſſet in terrã, quum ſe ſciret habere dominum, huiuſmodi lucrorum auidiſsimum. Vbi ſunt igitur qui perfectionem apoſtolicam profitentur? quur non præſtant animos apoſtolicos? Quur ex tam multis nullus exoritur, qui Paulinã affectet gloriã, ut gratis ſuoq; uictu doceat Euãgeliũ? Si præmijs accendimur ad uirtutẽ, nihil ſunt omnia quæ promittit mundus, præ his quæ pollicetur Chriſtus. Quiſquis uerè credit paratũ tale brauium, quiſquis anhelat ad illam immarceſcibilẽ gloriæ cœleſtis coronam, facile contemnet laborem nec diutinum (Momentaneum enim eſt, quicquid hic geritur) nec ſine temperamento præſenti. Inſidiantur mali, ſed propugnant boni: deteſtantur impij, ſed bene precãtur pij: calumniantur improbi, ſed laudant probi, atq; ea demum uera laus eſt, quæ à probis uirtuti datur. Contemnũt quorum animos occupauit mundus, ſed ſuſpiciunt & adorant, qui diligunt gloriam domini Ieſu. Quanq; hic interim non expedit gloriari niſi in domino. Pro neglectis autẽ externis oblectamentis ſatis eſſe debet Eccleſiaſtæ, uel præmij ſecura mens, quaſi iuge conuiuium, uel internum gaudium ſpiritus, quod Euangelica facta comitatur. Ea nec oculus hominis uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: ſed arcano mentis ſenſu præcipiuntur ab ijs, qui promeruerunt guſtare q̃ ſuauis ſit dominus. Qui nihil aliud eſt quàm homo, quantum ſit hoc gaudium, ne cogitationis quidem imaginatione conſequi poteſt. Homine maior ſis oportet, ut intus uideas, intus audias, intus corde percipias. Quam

Eccleſiaſtæ patientia

Actor. 19

Matth. 25

Præmij magnitudo

as. Quam lætitiam, quam exultationem, quod tripudium credimus esse in pectore fidelis Ecclesiastæ, dũ reputat, quot animas ipsius ministerio dominus Satanæ tyrannidi subtractas sibi uindicarit? Quanta Pauli gratulatio, quantus triumphus, quoties meminit ꝙ late propagarit Euangelium, præsertim his locis, in quibus non fuerat seminatum? Verum hic non perinde reor Christianis deesse robur animi atq; iudicium. Quandoquidem alijs in rebus multos uidemus fortiter contemnere & opes & uoluptates, & his diuersa mala, usq; ad uitæ contemptum. Quàm multi sunt, qui per tot rerum discrimina proficiscuntur Hierosolymam, domi relictis dulcibus liberis & uxore charissima? Quot sunt non uiri tantum sed fœminæ quoq;, qui neglecta patria, parentibus, cognatis, sodalibus, facultatibus, cum omnibus uitæ oblectamentis, semet abdunt, uelut in perpetuum carcerem, professentes austerum institutum Brigidensium aut Cartusianorum, siue ut admissorum suorum remissionem consequantur, siue ut ampliorẽ gloriæ thesaurũ sibi recondãt in cœlis? Est monachorum genus, quod pro cilicio ferrea lorica cutẽ nudam terat, quod nudis tibijs ac pedibus incedat, quod frigidam humum pro culcitra habeat, quod pro uino bibat aquam, pro ciborum delicijs siccum edat panem. Nec desunt qui spõte flagellis corpus suum lacerent. Rursus alij, qui tantum uestẽ canabea tecti, nudo capite, nudis pedibus obambulent, nulli culcitræ incubent, nullis palljs noctu uelentur, sed eodem cultu quo interdiu incedunt solo indormiant, nec uinum nec ceruisiam gustent: in cibo nihil attingant præter panem, holera ac mala cruda. Nam pomum assum illis Paschales sunt delitiæ. Nec attingunt pecuniam, nec usquam domum habent aut monasterium, nec procuratores unde petant aliquid: ieiunant omnib. diebus quibus indixit ecclesia, & ita ieiunãt, non quemadmodum nos ieiunamus diebus quadragesimæ, sed ut toto die quo indictum est ieiunium, nihil neq; cibi neq; potus attingant usq; ad prãdium diei proximi, neq; quicquam unquam remittũt de austeritate uitæ, ne tum quidem quum uersantur in regionibus frigidissimis. Quum tot homines ista tam aspera non recusent suapte sponte suscipere, ut sibi Christum demereantur, quur tam pauci capessunt Ecclesiastæ munus, quo non aliud Christo gratius, nec ad abolenda peccata, nec ad coronam insignẽ parandã efficacius? Dominus enim non promisit hydropotis, aut canabe uestitis, nec impexis, nec hircosis consessum super duodecim cathedras, sed Apostolis, ac apostolicas uices gerentibus, & ijs qui talem prophetam in nomine prophetæ exceperint, prophetæ mercedẽ pollicetur. Si eleemosyna extinguit peccatum, nulla deo gratior eleemosyna, ꝙ agere bonũ pastorem, Si tolerantia malorũ meretur augmentũ gloriæ, nulli labores deo gratiores ꝙ qui perferuntur ob Euangelium, qui satis multi sunt tolerandi, etiam si nullos arcessas. Quur obsecro in his quæ sibi præscribunt homines, tam multi fortes reperiuntur: & in eo quòd summis præmijs prouocat deus, adeo pauci sunt qui præstent uirũ perfectum, præsertim quũ mundus undiq; plenus sit apostolicæ uitæ & Euãgelicæ perfectionis titulo sese uenditantiũ? Si uerè mortui sunt mundo, in hoc pulcherrimo negocio declarent se uerè mundo mortuos. In urbibus non desunt qui prædicent uerbum domini. Illic sementem facere pulcherrimum est, ubi nemo seminat, in pagis desertis, in regionib. barbaris, ubi seges ampla, nullus agricola. Nec hic deerunt, qui purè uiuentibus ac syncere docentibus præbeant, si non delicias, certè uictui necessaria. Sobriorum natura paucis contenta est. Quem enim quamuis tenuem agricolam grauet hospes, aqua simplici, pane cibario, & pro obsonio betis aut rapis contentus? Si diues suapte sponte inuitat, eant quidem, sed inter apposita delicias proferant sobrietatis exemplum. Si pauper inuitat, & illuc eant pari cum alacritate. Si nullus inuitat, nusquã sese ingerant, sed ieiuni petant alium uicũ. Dominus non sinet suos famulos perire fame. Postremò si fames obtenditur, quibus nõ est phas ferre ęs in zona, concessum est panem & caseum gestare in sacculo. Non hæc est indignitas, sed deo gratissima præconum superbia. Hæc de his qui dicuntur secum non circumferre pecuniam. Qui zonas habent, eos decet non solum non grauare uel tenues uel parcos, sed de suo quoq; tenuibus impartire. Nam id demũ est ueri pastoris, trifariam pascere, sacra doctrina, sancta uita, & subsidio corporali. Scio nõ esse magnũ si qui seminãt sua spiritualia metant aliorũ carnalia. Scio mercede sua dignũ operariũ, si aliunde nõ suppetat: sed ut hanc mercedem largiter à uolentibus datã legimus, ita nec à Christo, nec à quoquã Apostolorũ exactã legimus, neq; dominus eis quicq̃ tale mãdauit. Zachęo dixit: Hodie uolo

Frugalitas apostolica

Nec Christus nec Apostoli leguntur mendicasse

tecum

tecũ manere. Zachæus non inuitauit ore dominũ, sed dominus audiuit cor illius, & amauit modestiam, qua non ausus est petere, quod ardentissime cupiebat. Ibi igitur dominus nõ ingessit sese in hospitiũ, sed uehemẽter amãtis pudori succurrit. Iudas accipiebat quæ sponte dabantur ab amicis, sed hinc dabatur pauperibus. Verũ hodie, inquiunt, refrixit hominum liberalitas, nec mirum posteaquam in Euangelistis & decreuit synceritas, & accreuit luxus. Recipiant illi sese ad pristinam synceritatem, populus facile redibit ad pristinam liberalitatem. Agnoscant igitur Ecclesiastæ functionis suæ dignitatem, & cũ Paulo studeant honorificare ministerium suum, non ut ipsi sibi gloriã pariant apud homines, sed ut Christus ditescat lucro animarum, & in famulorum suorum sanctis moribus glorificetur deus. Orandus autem est dominus ut tales operarios mittat in uineam penè uastatam hisce temporibus. Hæ partes sunt omnium cõmunes: sed à principibus & episcopis potissimum pendet multitudinis uel salus uel exitium. Principum integritas dabit ut q̃ minimum sit bellorum, aut latrociniorum, nec patietur ut magnatibus liceat quicquid libet, dabit magistratus ac iudices incorruptos. Episcopi dabunt clericos uitæ compositæ, dabunt Ecclesiastas Euangelicis præditos uirtutibus, dabunt adolescentiæ formatores, eruditos iuxta ac pios, qui teneris annis instillent semina Christianæ pietatis. In his personis præcipue situm est, ut reflorescat in populo uigor euãgelicus. Pro his igitur in primis orandum, ut deus impartiat illis spiritum principalem, ut suum quisq; glorificet ministerium. Quemadmodũ aũt deus horum ministerio utitur ad seruandũ populum, ita bonos aut malos principes interdum dat, populi meritis aut etiã uotis. Ipse Paulus tam insignis Apostolus frequenter postulat discipulorum precibus apud deum adiuuari. Fratres, inquit, orate pro nobis ut sermo dei currat, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Quoniam crassus populus nescit, quid aut quomodo petendum, præscribit Apostolus quid per illos cupiat à deo flagitari. Nempe id quod est omnium maximum, ut currat Euangelium, hoc est, ut celeriter ac late diuagetur Christiana pietas. Magnis clamoribus flagitamus à deo felicẽ annonæ prouẽtum, sed maioribus petendum esset ut copiose proueniat seges Euangelica. Vulgus principi optat longæuitatẽ, uictorias ac triumphos, quę deus non rogatus daturus erat, si sic expediret Reipub. Rectius est monarchis ea petere à deo, quæ sibi postulauit ille regũ sapientiss. Solomon, & ob hanc prudentem postulationem collaudatus est à domino, & quod nominatim petijt accepit abundè, opes & gloria cæteraq; cõmoda quæ non petiuerat adiecta sunt. Salus populi princeps sapiens, ait scriptura. Quin in omni genere rerũ semper quod præcipuũ est, in primis orandum est. Qui Rempub. externã deo precibus suis cõmendat, postulet principi, throno cœlesti assistentem sapientiã, iudicium, animi rectitudinẽ, dei timorẽ, Reip. charitatẽ, cæterasq; uirtutes quæ principem reddunt uerè magnum ac populo salutarem. Sed multo instantius orandum est, ut dominus det gregis sui pastoribus cor purum ab omnibus terrenis cupiditatibus, animum sitientẽ lucrũ & honorẽ domini Iesu, spiritũ aduersus omnia terriculamenta intrepidũ, linguã eruditã, pectus cœlestis doctrinæ thesauro cõfertum, breuiter ut toti undiq; mystico Aaronis ornatu sint instructi, utq; sub his cæteri prophetæ fideles inueniantur. Prophetas appello quicũq; è scripturarũ oraculis domini uoluntatẽ annunciãt populo, ut uerè possint illo prophetarũ uti procœmio, hæc dicit Dominus. Nam pseudoprophetæ importunius etiam clamabant, hæc dicit dominus, q̃ ueri prophetæ: & semper fuere numero plures. Quisquis scripturæ sensum bona fide interpretatur, iure præfari potest, hæc dicit dominus. Hi pręcipui cardines sunt, unde pẽdet status Reipub. Christianę. Proinde conueniebat ut in uotis hæc principem haberent locum, in delectu primam solicitudinem. Vix ullis uerbis consequi possit aliquis, quantum ad publicos mores uel corrigendos uel deprauandos momenti adferat princeps. Sed multo plus adferunt ecclesiæ primates, qui & principum doctores sunt, in ijs duntaxat, quę ad religionem ac pietatem pertinent. Cæterum euenit interdum, ut expediat populo ferre principem durum & improbum, quo uidelicet unius sæuitia multos coherceat, & afflictos rebus externis ad pœnitentiam adigat. At pastor impius non potest nisi summo multitudinis malo cõtingere, & tamen is quoq; nonnunquam datur propter obstinatam populi rebellionem. Hinc illa frequens domini indignatio, hinc atroces minæ in malos prophetas, qui prophetiam adferunt de suo corde, dicẽtes hæc dicit dominus, quũ dominus ipsis non sit loquutus. Qui *Ezech. 13*

ſcripturam detorquent ad affectus humanos, quantumuis clament, hæc dicit dominus, mentiuntur: quia titulum quidem habent ſcripturæ, ſed ſenſum adferunt adulterinũ. Hoc genus hominum eo periculoſius eſt, quod humanis cupiditatibus prętexunt autoritatem dei, & ſub imagine pietatis inuehunt pietatis exitiũ. Proinde dominus in Euangelio non iubet hos uitari, non iubet occidi, ſed ab his cauendũ admonet. Sic admixti ſunt ueluti zizania tritico, ut non expediat prorſus euelli. Cautio ſatis eſt ne quem fallant. Proſunt eñ & illi per occaſionem, dum electos in fide confirmant, dum pios ad ſcripturarum cognitionem acuunt. Si non eſſet ignis, nõ eniteſceret aurum. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio afflictionis. At quum in publicis ac priuatis functionibus magna in

Delectus Ecclesiastæ

deligendo adhibẽda eſt ſollicitudo, tum uero multo maxima in ſeligendis qui populũ doceant. Ab his comitijs, ut dictũ eſt, oportet procul abigi cunctos affectus humanos, quibus excęcatur animi iudiciũ. Per hos enim fit, ut aut nullum ſit iudiciũ, aut præpoſterum. Sæpius enim inculcandum eſt, quod nunquam oportet obliuiſci. An non præpoſterum eſt, explorare fidem ac peritiam eius cui deſtinaſti boues aut equos tuos cõmittere, & nihil habere penſi cui cõmittas animas hominũ pro quibus mortuus eſt Chriſtus? Submoues colonũ negligenter aut imperite colentem arua tua, & non ſubmoues paſtorem, malum ſemen iacientem in bonam domini ſegetem? An non præpoſterum eſt, in nauigatione non cuiuis committere remos, nõ quemlibet admouere clauo, ſed eum qui gubernandi ſit peritus, & eccleſiæ curam nullo delectu cuiuis committere? Si quis ibi dicat, hic aſſideat gubernaculo, bene natus eſt, prædiues eſt, & habet quod det, & dat liberaliter, gratioſus eſt apud principem, denique tibi cognatione propinquus eſt, & amicus: nónne protinus reclamares, quid mea refert qualis ſit in cæteris, hæc tempeſtas peritum ac ſtrenuũ nauclerum requirit, alioqui periclitantur omnes: Et iſta nulli ueniunt in mentem, ubi longe grauius eſt periculum? In naufragio periclitãtur merces, periclitantur corpora, quanquam fracta naue, multi enatant incolumes, & ipſum mare multas merces in littus eiicit: in hoc naufragio in extremum periculum ueniunt animæ, merx Chriſto chariſsima. Hęc igitur cura potiſsimum ad monarchas, ſummos pontifices, epiſcopos, & canonicorum collegia pertinet, aut ſi qui ſunt alij, quibus eſt commiſſa cura conferendi præfecturas Eccleſiaſticas, quando ius eligendi præſulem, iam olim abrogatum eſt populo. Non improbo quòd abrogatum eſt, perſuaſit præſens temporum ſtatus, modo hi ad quos deuoluta eſt eligẽdi poteſtas, in delectu corde ſyncero ſpectent dominici gregis utilitatem. In nonnullis enim regionibus ſola principis uoluntas creat epiſcopos aut abbates, Nec perinde refert à quibus creentur, atq; quo iudicio, qua ſynceritate creentur. Multi reges exiſtimant ſe magno beneficio demeruiſſe deum, ſi miſſas aliquot fundarint: ſi monaſterium nouum exſtruxerint. Non inficior, eſſe pium opus quod faciunt, ſi recta mens eſt: at mea ſententia non minore merito ſibi deum deuincirent, ſi in deligendis eccleſiæ præfectis & animum & iudicium adhibeãt Chriſtianum, ſicq; his rectè fungentibus officio ſuo, & debitum impendant honorem, & obedientiam præſtent, quo facilius & populus illis obtemperet. Operæprecium eſt autem, ut delegans pariter ac ſuſcipiens intelligat muneris dignitatem, difficultatem ac periculum. Qui digno cõmiſit ſacerdotium, ſibi gratuletur, ſuoq; cum animo gaudeat, tanquam ardua magnificaq; re feliciter peracta: cui demanda-
ta eſt prouincia, ſecum reputet, quàm magnificam receperit functionẽ, quàm ſublimem & excellentem, ſed ſimul quàm arduam ac difficilem. Expendat q; ampla præmia parata ſint ei qui in adminiſtratione domino, cuius uices gerit, fidem & operam ſuam approbarit. Rurſus quàm graue iudicium, quàm atrox pœna maneat illos qui poteſtatem Eccleſiaſticam uertunt in tyrannidem: qui neglecto lucro domini ſuum uenantur compẽdium. Quicquid autem hic dictum eſt de epiſcopis, nam hi ueri primiq; paſtores ſunt ouium: idem in eos competit, qui nunc parochi dicuntur, hinc ducta uoce, quòd curam ſuſceperint prębendi laicis ſpiritualem alimoniam. Nec ideo negligentius agant, quòd exigui gregis, aut ruſticani, aut muliebris curam ſuſceperint. Magnum eſt etiam puſilli pecoris

Exigui gregis bonus paſtor

eſſe bonum paſtorem. Alij fortaſſe titulis, mitris, pedis, ac pallijs magis ſunt epiſcopi, ſed ita demum præcellunt, ſi quod externo cultu profitentur, re ipſa præſtent. At nõ eſt eadẽ dignitas, fateor, apud homines, apud deum maior eſt dignitas eius qui quamuis puſillum & humilem gregem bona fide curat, quàm qui gemmatis coronis, qui pedis aureis, pallijs

pallijs gemmatis, reliquoq; strepitu sese uenditant oculis hominum. Audi igitur pastor exigui rusticanique pagi, audi Prior aut abbas unius monasterioli gubernator, audi pater cui paucarum uirginum inclusarum cura obuenit, agnosce dignitatem tuam, non ut intumescas, sed ne muneris tui gloriam, rerum humiliorum admixtu contamines. Non refert q̃ numerosus aut splendidus grex tibi obuenerit, sed illud refert, ut pro sorte credita domino fœneratori lucrum adferas. Nec tam spectato quid commissum sit, quàm quis commiserit. Illius est æstimare quod concredidit. Amplius præmiũ ferent, qui numeroso gregi bene præfuerint, sed neminem suæ mercedis pœnitere debet, qui uitam æternam lucrifecerit. Audi igitur dignitatem, ne te abijcias: uerum idem audi difficultatem & periculũ, non ut despõdeas animũ, sed ut attentius aduigiles. Eximiæ cuiusdam philosophiæ est, nec dignitate muneris attolli, nec difficultate deijci. Si titillat honos, cogita te nihil aliud esse q̃ dispensatorẽ: si terret difficultas cogita etiamnũ uiuere summũ illũ pastorẽ, qui non deest gregi suo usq; ad cõsumationem seculi: cuius fiducia Paulus alioqui demissus, gloriatur sese posse omnia. Postremo magni cuiusdã animi & illud est, è pusillo grege facere magnum, ex humili præclarum: istud siquidem est honorificare ministerium tuum. Nemo rex sibi uidetur humilis, & si minus late patentẽ ditionẽ sortitus est: hoc ipso magnus est, quòd Spartam quæ contigit regaliter administrat. Mirificus quidẽ splendor est regiæ sublimitatis, quæ uoce diuinum quiddam & homine maius significante dicitur maiestas. Eam quocunq; modo uiolasse capitale est. Nihil hinc diminuo. Iubet Apostolus regibus deferri debitum honorem tanq̃ præcellentibus. Cæterum si res ipsas iusta pensemus trutina, nullus est rex tam magnificus, quatenus rex est, quin sit infra dignitatẽ, non dicã episcopi, sed uicani pastoris quatenus pastor est. Quod si paradoxon uidetur, in promptu est probatio, si utriusq; functionis materiam & scopũ cõsideres. Quid spectat regum cura? Vt legibus coherceantur sceleroſi, cæteris liceat tranquillam agere uitam: hoc est, ut facultates & corpora ciuium sint in tuto. At quanto sublimior pastoris Euangelici scopus, qui hoc agit ut in singulorum animis sit tranquillitas, consopitis aut refrenatis huius mundi cupiditatibus. Rex procurat ut pax sit cum finitimis: sacerdos præstat ut cuiq; pax sit cum deo, cui quisquis reconciliatus est, & secum ipse pacem habet, neq; cuiquam meditatur malum. Rex agit ut à latronibus in tuto sint mœnia, domus, agri cum pecoribus, Audis humilem materiam regiæ functionis. Quid Ecclesiastes? Vt à satanæ incursu tuta sint bona mentium, fides, charitas, sobrietas, pudicitia, quę seruata felices reddunt, amissa miseros. Regia liberalitas quid donat? Stipẽdia, census, titulos honorificos, fluxa omnia, & fortunæ ludibrio exposita. Quid Ecclesiastes? Per ecclesiæ sacramẽta subministrat cœlestem gratiam: per baptismum ex filijs gehennę facit hæredes regni cœlestis: per sacram unctionem, addit animi robur aduersus uim dæmonum: per sacram Eucharistiã & homines inter sese, & eosdem concordia conglutinans deo copulat, ut iam unũ cum illo fiant: per pœnitẽtiæ sacramentũ è mortuis reddit uiuos, è seruis liberos. Deniq; è penu scriptu rarũ quotidie depromit escas doctrinæ salutaris, quibus saginantur & uegetantur animę, profert uinũ spirituale quod uere exhilarat cor, profert medicinã, qua sanãtur morbi mentium uere letales, profert antidota aduersus uetusti serpentis uenenũ efficacia. In summa, terrenum ac temporarium est quicquid propriè cadit sub curã regiam: at diuinũ est, cœleste est, æternum est, quod tractat sacerdos. Proinde quãtum est interuallum inter cœlum & terram, inter corpus & animum, inter temporaria & æterna, tantum interest inter regium munus & pastorale. In hac ęstimatione nolim spectes quid homo deferat homini, sed quid ipsa functionis natura promereatur. Scio pluris fieri sceptrũ regium q̃ Episcopi pedum, coronã q̃ mitram. Quanq̃ quod hodie uidemus ferè pastores haberi uulgò cõtemptui, si uerum fateri uelimus, maxima ex parte fit ipsorum uitio. Ex ueterum monumẽtis liquet, olim episcopos non tantum apud plebem, uerum etiam apud monarchas summo in precio fuisse, ac tantum non adorari solitos. Testantur hoc manuum, genuũ, ac uestiũ oscula. Nam pedum apud ueteres scriptores non memini legere, licet euangelica peccatrix fixerit oscula pedibus Iesu, & post resurrectionem piæ mulieres tenuerint pedes redíuiui. Non erat illud honoris officium, sed ardentissimæ charitatis affectus. Tametsi dominus nullo non maior est honore. Declarat hoc Theodosius senior, quum Ambrosio à templo excludenti paruit, in pœnitentium locum abire iussus obediuit, deposita regia maiestate

Ecclesiastæ & regis comparatio

Olim honorati sacerdotes

maiestate publicitus solo procubuit, squalidus lachrymis ueniam petijt, satisfactionis le/ges præscribenti non est reluctatus, denicq; è cancellis excedere iussus morem gessit, mo/deste sese excusans. Sed unde tanta unius urbis episcopo autoritas? Quia uerus erat epi/scopus, nec illa seueritas ullum fastum aut arrogantiam præ se ferebat, sed autoritatem sa/cerdote dignam, adeò ut imperator non erubuerit hoc apud alios testari, se non reperisse/ nisi unum episcopum Ambrosium, à quo didicisset quantum esset discriminis inter Impe/ratorem & sacerdotem. Qui dictabat orbi leges, à sacerdote legem accepit, ne ullũ Cæsa/ris ædictum ualeret, ante diem triceſimum. Ea lex profuit Antiochenis grauiora ausis, q̃ ausi fuerant Thessalonicenses. Nec Theodosius tantum, sed alij quoq; complures mo/narchæ regale sceptrum sacerdotis autoritati submiserunt. Quid ita? Quoniam uidebant in illis relucentes episcopo dignas uirtutes. Habet enim eximia uirtus uim admirabilẽ ra/piendi mentes hominum in amorem & admirationem sui. Hac diuus Basilius Mode/stum Cæsaris præfectum impune contempsit, nec impune tãtum, sed hominem ferocẽ ra/puit in admirationẽ Christianæ fortitudinis: hac Eusebiũ Ponti præfectũ ira tumidũ deie/cit, ac mox deiecto est opitulatus: hac Imperatorẽ Valẽtem catholicis infensum, & Aria/nis fauentẽ, quum esset ingressus ecclesiam, ipsa rerũ specie, uultus cõstantia, & oris digni/tate primũ in stuporẽ adegit: mox sapienti colloquio à cõcepta crudelitate deterruit, atq; etiã ab Ariana factione in quã demẽti studio deperibat, reuocarat, nisi post, quod episcopi/ persuaserat autoritas, aliorũ pertinax subuertisset improbitas. Iulianũ impiũ ac subuertẽ/dæ religioni Christianæ natũ, adeo cõmouit Christianorũ quos securi percuti iusserat, in/trepida cõstantia, ut ædictũ crudele reuocarit. Quid quòd Allebichus, Cæsareæ aulæ ma/gister, Macedonij monachi uiri monticolæ simplicis & omniũ literarũ rudis sanctimoniq; tantũ tribuit, ut liberrime monentẽ audierit, atq; omissis sæuitiæ mãdatis Cæsarẽ in diuer/sam sententiã pertraxerit. Quod splendidus ac facundus legatus nõ impetrasset, impetra/uit, aut imperauit uerius, despicabilis seniculus, idiota, rusticanus, ac pannis uilissimis ob/situs. Quid Allebichũ, quid Cęsarẽ cõmouit? Syncera ueritas, omnisq; fuci nescia pietas. Eam si præstarẽt hodie sacerdotes, & præstarẽt cõstanter absq; fuco, nondũ usq; adeo de/generarunt ingenia mortalium, ut egregiæ pietati non sint habituri honorem. Iam si iuxta Græcorũ prouerbiũ, quo quicq; difficilius est, hoc est pulchrius, uide quãto procliuius sit,

Regem agere facilius est quàm agere episcopum.

bonum regem q̃ bonum episcopum agere. Rex quibus persuadere non potest, eos nutu/ supplicijsq; cõpellit ad officium. Habet armatum satellitium, habet legiones, habet carce/res, culeos, gladios, & mortis sexcentas formas, potest metu quẽ uelit occidere. Sed mul/to facilius est ui cogere, q̃ oratione persuadere: procliuius est interficere corpus, q̃ ani/mum ad bonã frugem conuertere. Et tamen hoc ipsum quod per se difficillimum est, lin/gua potissimum gerit Ecclesiastes, pro armis habet sacrã doctrinã, lachrymas, preces, ac uitã inculpatã. Quemadmodum docet Esaias: Et percutiet terram uirga oris sui, et spiritu

Esaiæ 11

labiorum suorum interficiet impium, & erit iustitia cingulum lumborũ eius, & fides cin/ctorium renum eius. Hæc sunt arma iustitiæ, quibus à dextris pariter ac sinistris cõmuni/tus Ecclesiastes res tã arduas gerit, ducens magis q̃ cõpellens. Corpora cogi possunt, ani/mi, quoniã cogi nõ possunt, flectendi sunt. Quantũ putas hic sudoris exhauriendũ esse sa/cerdoti, ut non uno sed pluribus morbis laboranti, uerbo medeatur, ut labantem fulciat, ut exanimẽ, ac sensu quoque mali carentem, in uitam reuocet. Rex dato auro facile quem uult reddit diuitem. Cæterum auaro persuadere cõtemptum auri, rapinis assueto persua/dere benignitatem in pauperes, denique efficere suadendo ut qui prius non tam possideb/bat opes, quàm ab illis possidebatur, spontanea libertate paupereſcat, quo spiritualibus bonis fiat locuples, id demum plurimi diutiniq; laboris. Rex furem innectit laqueo, ani/mi uicium non adimit: latronem erigit in rotam, rapiendi morbum non sanat, punit adul/terium & incestum, non inserit castitatis amorẽ. Sacerdoti non est ius occidendi, sed agit ut animos iamdudũ uitijs insepultos, nõ quadriduanos, sed quadragenarios interdũ ac se/xagenarios efficaci uoce ad uitã reuocet: cui sæpe cum aspidibus res est obturantib. aures suas: auersantur docentẽ, nõ ferunt monentẽ, minãtur increpãti. Hic sapiens incantator efficacib. incãtamẽtis utaꝫ oportet, ut ex aspide faciat agnũ. Quod si quis exaggeret prin/cipũ dignitatẽ, quã ego certè nõ attenuo, is cogitet, quod sacerdos etiã monarcharũ et pa/ter est & altor & doctor & cẽsor: per hũc illi Christiani sunt, per hũc imbuti sunt ecclesiæ

sacra

sacramentis, per hunc didicerunt legẽ domini ac uiam salutis, per hunc reuocantur ab errore, si quando tendunt ad inconsulta consilia. Idq; oportere fieri uetustæ quoq; legis exemplis demonstratum est. Siquidem IIII Regnorũ XXII. Helchias pontifex per Saphan scribã mittit Iosiæ regi librũ: qui coram eo recitatus admonuit quid esset præteritũ. Rursus Paralipomenon XXIII Ioiada pontifex in templo regi ungendo tradit librũ legis. Fit idem quod paulo ante cõmemorauí, II. Paralipomenõ XXIIII. Si rex Christianus non est, nisi qui iuxta leges diuinas regnũ administrat, sacerdos est qui tradit, recitat, & exponit uolumen. Si unctio facit regẽ, sacerdos est, qui eam administrat. Quod si summæ dignitatis habẽtur, qui regi ministrant externã unctionẽ, quanto sublimius est, mentes principũ impertire unctione spiritus? Vter igitur præstãtior, qui gignit, an qui gignitur, qui alit, an qui alitur, præceptor an discipulus, qui corripit, an qui corripitur, qui cutẽ ungit an qui mentẽ? Rex honorẽ debet ijs, à quibus iuxta corpus natus est huic mũdo: at quãto plus honoris debet, per quẽ spiritu deo ac cœlo renatus est? Quod princeps iuxta meliorem sui partem habet optimum, hoc debet sacerdoti, & huic iuxta nobiliorẽ sui portionem subiectus est. Quid quod hoc ipsum regnũ quod sortitus est, quomodo recte administret discit à sacerdote. sicut modo dictum est. Vel hinc collige q̃ difficile sit Ecclesiastæ munus, qui non populo tantum, sed & monarchis debet consilium, doctrinam & correptionem. Est enim, ut apostolus loquitur, sapientibus & insipientibus debitor, imò pueris & puellis, iuuenibus & iuuenculis, uiris ac matronis, senibus & aniculis, magistratibus & negociatoribus, nautis & calcearijs, militibus & agricolis, postremò lenonibus ac prostibulis imis ac summis debitor est. Qui pastor est ouium, unũ modo genus animantis curat, cuius ingenium nosse non ita difficile est. Bubulcus facile discit armenti sui ingenium, quemadmodum et subulcus & opilio. Qui curant elephantos, non magno negocio discunt unius animantis naturam. Sed in hoc grege tot sunt animalium species, tot mixturæ, ut uix Africa gignat plures. Omnium autẽ naturam deprehendere, & cuiq; quod est accõmodum adhibere, non mediocris est negocij, præsertim quum nullũ sit animal homine uafrius ac uersatilius: habet cor specubus inuolutum ac sinuosum, & polypi seu chamæleontis in morem se in omnem uertit colorem, ipso etiam Proteo mutabilior. Tauri colore rubro efferantur, elephanti albo, tigres strepitu tympanorum aguntur in rabiẽ, leones irritantur si quis ipsos limis intueatur oculis, equi ferocientes popysmo mitescũt. Hæc in singulis obseruare non est admodũ difficile, quæ suo cuiq; generi sint cõmunia: at in uno homine reperies quicquid est in omnibus animantiũ generibus, addas licet & Libyę monstra. Quid quod ursi septis, leones cancellis includuntur, & quæ prona sunt ad lædendũ ui cohercentur: pastor hic noster tantũ habet persuadendi potestatẽ. Verum ad principes redeo, quorum aures plerunq; teneræ sunt, blandimẽtis assuetæ, ne dicã adulationibus corruptæ, liberi monitoris impatientes, animi indulgẽtia fortunæ tumidi, deliciis elumbes. An igitur mediocris artificij credis, eiusmodi tractare ingenia, & quæ cogere nõ possis, persuadendo sub iugũ Christi mittere? Non cuiuis liberũ est, equo generoso ac natura feroci admouere manũ: sed multo maioris est artificij, sic docere principem ut persuadeas optima, sic admonere ut obtemperet, sic increpare ut nõ excandescẽs ira sese uertat ad deteriora: deniq; sic in publico notare uitia principũ, ut populum non irites ad seditionem ac rebellionem. Eximiam quandã laudẽ olim promeruerunt, qui mundo cum omnibus suis pompis ac uoluptatibus contempto, procul recesserunt in horridas solitudines, in ferarum lustris aut in speluncis asperam agebant uitam, ab omnium hominũ cõmercio semoti, sibi duriora imperantes q̃ patiuntur qui in desertas deportantur insulas. At iudice Chrysostomo rem præstat ut multo difficiliorem, ita multo sanctiorem, qui populo bonũ præbet pastorẽ. Monachũ à multis uitiorum irritamentis ac tentationibus tutũ reddit ipsa solitudo, nec ita magnum est unius animalis curam agere, quanq̃ & hoc magnum est: cæterum pastor dum unus uigilat omnibus, dum gregem curat ex tot animantium generibus conflatum, dum cum probis pariter & improbis habere cõmercium cogitur, dum adesse conuiuijs, dum quotidie uidere quæ non licet concupiscere, dum aliorum contumelijs impetitur, aliorum assentationibus delinitur, aliorum criminationibus incessitur, aliorum minis territatur, aliorũ largitione solicitatur, dum uiolẽtię principum obsecundat, breuiter dum tot undiq; machinis quatitur, nisi animũ habeat adamantinum

Difficultas

Ecclesiastes bonus excellit Anachoritam

multa

multa eruditione, multa philosophia, multis arcani spiritus charismatibus undiq; cõmunitum, qui quæso posset subsistere? Itaq; quum sacerdos tam grauem sarcinam humeris

Ingratitudo populi erga Ecclesiastas

sustineat, quum tam præclarum gerat munus, quanta est quorundam populorum ingratitudo, qui eum per quem sunt Christiani, quem habent pietatis magistrum, cuius interuentu deo reconciliantur, cõtumeliæ gratia plebanum appellant? Quantum absunt à uero iudicio principes, qui episcopis contemptim pro famulis abutuntur? Rursus quàm dignitatem suam ignorant episcopi, dum mirificam quandam felicitatem arbitrãtur, si possint esse regũ mancipia, quorum esse deberent doctiores ac moderatores. Deniq; quantus habet error monachos quantumuis rigidos, qui suum institutum episcoporum ac pastorum ordini præferunt. Vnius oppiduli, unius uici pastor, qui rectè suo fungitur munere,

Anachoritis præstantior

multis Carthusianis, Brigittanis anteferendus est. Nemo rapiat hæc in contemptum monachorum, non est contumelia posthaberi melioribus, sed arrogantia quum sis inferior, æquari uelle præstantioribus. Quanquam quod honoris populus debet parocho, hoc monachorum greges debent præpositis suis. Nec oportet inter eiusdem corporis membra fastum esse aut superciliũ. Suum quisq; donum habet ab eodem spiritu, idq; incõmunem utilitatem: ob uitandam tamen seditionem inter membra corporis oportet ordinem esse, dominatum, ambitum, ferociam, & hinc nascentem seditionem procul abesse decet.

Honos non affectandus

Qui maior est, honore præueniat inferiorem: qui minor est, reuerenter agnoscat superiorem. Siquidem iuxta Christi doctrinam in Ecclesiastica hierarchia, qui dignitate primus est, is maximè minister est omnium. Qui quo semet inferius demittet amore Christi studioq; iuuandi proximum, hoc reuera maior est: & quo sibi minus usurpat honoris, hoc illi plus debetur honoris. Ille certè mos probãdus non est, quem apud Italos uidimus: priuatus monachus, nullius precij neq; doctrinæ, in conuiuio, non inuitatus primum occupat locum, etiam cum elogio ciuili. Boni consuletis, scitis hunc esse locum meum, ostendens uestem. Quid, an ideo geris amictum uilem, ut pluris fias? Rursus nec ille mos probandus, quem in quibusdam potentium familijs uidemus: sacerdos mantili iniecto humeris cherniba sustinet, & pransuris infundit aquam, totoq; conuiuio stans aperto capite ministrat laicis accumbẽtibus. Sed ut ad hunc modum euiluerint sacerdotes, ipsi magna ex parte sunt in causa, qui dum se præbent laicis quàm sacerdotibus similiores, à laicis con-

Osee 4

temnuntur, iuxta illud Osee: Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Est autem non uulgaris prudentiæ, sic esse mansuetum erga omnes, ut tamen autoritatem officij tuearis: sic esse familiarẽ, modestum & comem erga subditos, ut familiaritas ac lenitas non pariat contemptum. Monẽdus est igitur sacerdos ut susceptæ personæ decorũ seruet. Monendus est populus, ut meminerit quid illis debeat quibus animarũ cura cõmissa est, nõ respiciat quanti precij sit Conradus aut Galterus, sed quã sustineat functionẽ, cuiusq; uices gerat. Christo defertur non homini, quicquid honoris homini Christi respectu impẽditur. Sed audio reclamãtes, non rectè gerũt uices Christi. Istuc homini iudicare difficillimũ est, et ut liqueat, tamẽ ob publicã tranquillitatẽ ipsi muneri debetur aliquid honoris: quandoquidẽ Apostolus præcipit præpositis etiã idololatris suũ honorẽ persolui, donec ipse dominus euidens signum dederit, eos esse submouendos. Quod si-

Et malo sacerdoti debetur honos.

gnum non semper datur miraculo per bonos, frequenter etiam per malos, quemadmodum per Titum aboleuit Iudæorũ sacrificia, funditus destructo templo, & abductis monumentis quibus illorum nitebatur religio. Iactabãt tabulas Mosi, arcam sacram, uirgam Aaron, & huius generis alia quædam. Itidem per Gottos, aliasq; barbaras nationes declarauit abrogandum Romanis imperium: quod tamẽ initio per occasionẽ seruiuit Euangelio, sed post expediebat tolli, quòd alioqui non poterãt funditus extirpari ueteris paganitatis reliquiæ. Verum his quæ transuersum sese ingerunt omissis, ad explicãdam Ec-

Dignitas

clesiastici muneris dignitatem nostra sese referat oratio. Ad numinis autoritatem proxime accedit prophetarum sublimitas, quos deus suo peculiari dignatus est alloquio, et per

Prophetarum genera

quos interpretes suam inscrutabilem uoluntatem mortalibus referari uoluit. Est autem, ut antè dicere cœpimus, duplex prophetiæ genus, alterũ quod aperit præterita, aut prædicit euentura: alterum quod explicat arcana præsentia, aut citra temporis discrimen occulta pandit. In Euangelio Ioannis audit dominus, Propheta es tu: quòd mulierculæ Samaritanæ sua prodidisset arcana. Hoc uero nomine Iudæi non dignabantur quenquam, nisi

nisi in quo relucerent uirtutes humana cõditione maiores: ita tum temporis qui de Christo præclarissimè sentiebant, prophetico nomine illum decorabant. Quin ipse dominus uolens Iudæorum animis, qui de Ioanne Baptista magnifice sentiebãt, inserere eximiam quandã et homine maiorem opinionem, pronunciauit illum esse plusq; prophetã. Quòd si dij uocati sunt ad quos sermo dei factus est, nimirũ prophetæ, quanta laus est, dici plusquam prophetam. Quanq; infinitis partibus hoc quoq; maior erat, qui minor erat in regno cœlorum: quippe qui prophetarũ omnium gloriam suo splendore obscurauit, tametsi sic obscurari illustrari est. Sed quemadmodum post hunc cœlestem prophetam miraculorum uis non nisi ad tempus floruit, ita ueteris prophetiæ genus paulatim ad Euangelij lucem non sublatum est, sed refrixit, aut ut rectius loquar, in aliud genus sublimius mutatum est. Olim currebatur ad oracului & Ephod, requirebatur signum: nunc scripturæ sunt pro oraculis, fides pro miraculis. Monet hoc Esaias VIII. Ad legem, inquit, magis & ad testimonium. Si credimus scripturis rectè intellectis, quid opus est miraculis? Vt autem scripturas intelligamus præstant Noui testamẽti prophetæ, qui scripturarum mysteria iuxta sensum spiritualẽ eruũt, proferẽtes de thesauris suis noua & uetera, docti spiritualib. spiritualia cõparare. Quid em̃ prodest Iudæis quod suos prophetas tenẽt memoriter? Istis prophetis alijs prophetis opus est, alioqui de Iudæis uerè dici potest, quod de philosophis mũdi scribit D. Paulus: quod quũ se profiterẽtur sapiẽtes, stulti facti sunt, & euanuerũt in cogitationib. suis. Stultiores facti sunt Iudęi, qui quũ de Christo tot figuras, tot prophetias quotidie legãt, tamẽ nõ solũ non agnoscũt illis designatũ, sed implacabili etiã odio persequũtur. Quid in causa? Quia deest illis nouũ hoc & sublimius prophetiæ genus, quod mysticũ scripturæ sensum aperiat. In hoc prophetiæ genere principatũ tenuit Christus, post hũc Apostoli Christi spiritu afflati, et in his prẽcipuè beatus Paulus, deín cæteri doctores ecclesię. Iam quum in confesso sit, spiritum sanctum post dominum in cœlos receptum, largius ac latius effudisse sua dona, quàm fecerat in ueteri testamento; Paulus tamen inter omnia dona spiritus primã laudem tribuit prophetiæ, quę nisi adsit, existimat propemodum inutilem Christianorũ conuentum. Prophetiã aũt dicit, nõ futurorũ præsensionẽ, sed peritiã eruendi sensum mysticum, qui latet & quasi defossus est in scripturis diuinis. Huic muneri nemo potest uerè idoneus esse, qui uacat spiritu Christi. Vt em̃ de artificio nemo iudicat nisi artifex, ita de spirituali scriptura nemo uerè pronũciat, nisi spiritualis. Est quidẽ minus caliginis in nouo testamẽto, tamẽ hic quoq; prophetis opus est, eritq; opus usq; ad mũdi consummationẽ. Perhos floret, aut languet, crescit aut decrescit ecclesia. Nunc illud mihi expendas uelim, utrũ prophetarũ genus sit suapte natura sublimius: In priore fuit Balaã, homo reprobus, & Saulẽ fuisse in prophetarũ numero, prouerbijs quoq; Hebræorum testatum est. Quin & in Euangelica parabola, qui in nomine Iesu prophetias ædiderunt, audiunt ab eo: nescio uos. Insuper & in ipso Euangelio uaticinium de Christo uerum pronunciat Caiphas. Quid loquor de Caipha, quum in literis Euangelicis dæmones uera de Christo prædicẽt: & in Actis Pythonica puella uerum testimonium perhibeat Apostolis? Demum hodieq; astrologi, chiromãtes, uentriloqui, ac magi multa prædicant euentura, cuius præscientiæ non admodũ magnus est fructus. Etenim si euenturũ est quod prædicunt, miseriæ cumulus est præscire quod uitari nõ potest: sin secus, metus ipse mali, magna pars mali est. Sed ualeant illaudati, de laudatis agamus. Sedecim illi prophetç, quos recipit scriptura canonica, qui sine dubio de Christo uaticinati sunt, tantis obscuritatibus inuoluti sunt, ut ne tum quidẽ fuerint intellecti, postea q̃ tam euidenter exhibitum est oculis quod illi prædixerant. Aenigmata uel somnia poti us uidebantur illorum uaticinia, priusquam largius sese infudit in animos nouorum prophetarum spiritus ille cœlestis, qui suo afflatu deduxit in omnem ueritatem, exponens typorum ænigmata, & uaticiniorũ inuolucra explicans. Vtrum præstãtius, quod temporarium est an æternum? Lex, inquit dominus, & prophetæ usq; ad Ioannẽ: legis uocabulo typos designans, prophetarum nomine prodita de Christo uaticinia. Vt igitur ante redemptoris aduentum, necessarium erat illud prophetiæ genus, ita post emicantem Euangelij fulgorẽ maxima ex parte cessauit, non quod hoc dono priuata sit ecclesia, sed quod alia sit tẽporum ratio. Exhibita sunt omnia, sensib. omnibus expositа sunt, quæ prophetæ uentura promiserãt: Nihil supereſt, nisi supremus ille dies, quo consummabitur ecclesia,

Miracula

Prophetia summa, scripturarũ enarratio

1. Reg. 10

Acto. 16

Prophetæ sedecim

& pro ſuo quiſq; merito præmia recepturus eſt. Ad id perſuadendũ nõ egemus prophe-
tis, quum ipſe dominus hæc omnia tam euidenter prædixerit, ut nemo poſsit ambigere,
niſi qui diffidit ſcripturis canonicis. Rem uoluit nobis eſſe notiſsimã, ij qui uiuentẽ uide-
rãt, audiunt: Sic ueniet quemadmodũ uidiſtis illum euntem in cœlũ: diẽ incertũ eſſe uo-
luit, ut ridiculi ſemper fuerint qui in hoc præſcij uideri conati ſunt, quod dñs præſciri no-
luit, & ſi præſciri poſſet, meliore fructu neſcitur. Sed alterũ hoc prophetiæ genus uſq; ad
extrema mũdi tempora neceſſariũ erit uniuerſis orbis partib. ſine quo nihilo magis dura-
re poſſunt mortalium animi, q̃ abſq; cibo potuq; corpora. Myſtica ſiquidem ſcriptura pa-
nis eſt uiuus de cœlo deſcẽdens, qui ſumentib. confert uitã æternã, ſed opus eſt qui ad ex-
emplum redẽptoris panẽ hunc cõmodè frangat ac diſtribuat. Eſt fons aquæ ſaliẽtis in ui-
tã æternã, ſed opus eſt qui hanc è uenis hauriãt, ac ſitientib. iuſtitiã porrigant. Deniq; eſt il-
Hiere. 2 *Caro & ſanguis Chriſti ſcriptura ſacra*
la caro Chriſti uerè cibus, eſt ſanguis Chriſti uerè potus, unde niſi quotidie per Eccleſia-
ſtas ſaginentur ac reficiantur populi corda, uitã tueri nõ poſſunt, uitã inquã uerã. Nam ui-
ta corporis, umbra uitę potius eſt q̃ uita: uerã uitã nihil dare poteſt niſi uerus cibus ac po-
tus. Vtrunq; diſcumbentibus diſpenſant eccleſiæ doctores & ijdem miniſtri. Nam conui-
uator eſt ipſe dominus, qui per manus diſcipulorũ multitudini famelicæ largitur cibum,
Hoc eſt uerbum uitæ, cuius promicondi ſunt epiſcopi, & qui uices epiſcoporum gerunt,
Per hoc qui non ſunt gignuntur deo, per hoc infantes in Chriſto lacte alũtur, donec gran-
deſcant, fiantq; ſolidi cibi capaces, per hoc corroborantur aduerſus huius uitæ mala, per
hoc eriguntur ad ſpem uitæ cœleſtis, per hoc languidi cõfirmantur, ægroti ſanantur, mor-
tui reuiuiſcunt. Hoc eſt Eccleſiaſtarum miniſterium, quod quis nõ uideat eſſe non iam re-
Angelo maior Euangeliſta
giæ, ſed pluſquam angelicæ dignitatis? plus enim eſt Euangeliſtam eſſe quàm angelum.
Angelus tantum nunciat, nunciantur autem & mala, Euangeliſta læta pacificaq; nunci-
at. Ille dicit: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, et mane ibi donec ad-
monuero te: hic porrò quid agit? efficit ut in nobis gignatur Chriſtus, ut adoleſcat, ut re-
tineatur, ut conſummetur, quæ uera perfectaq; eſt hominis felicitas. Qui linguis loque-
bantur, prophetæ erant & ipſi. Nam in his ſpiritus loquebatur myſteria, ſed tamen in ec-
cleſia genus hoc adeo per ſe nullum habet uſum, ut ſi quis in cœtum infidelis ingrediatur
1. Cor. 14.
aut idiota, continuo dicturus ſit, inſaniunt iſti. Hoc idem opinor diceremus nos, ſi uidere-
mus Saulem nudum inter nudos prophetas tota die ſaltantem ac prophetantem. Con-
trà, ſecundi generis propheta loquente, irriſor ille transformatur in admiratorem, & pro-
cidens in faciem ſuam agnoſcit deum in illis loqui, qui ſcripturæ myſteria prudenter ac
ſynceriter enarrant. Idem ſpiritus eſt qui ſua dona pro conditione temporum ad generis
humani ſalutem diſpenſat. Si autorẽ ſpectes, par eſt dignitas: ſi temporum qualitatẽ, ma-
ior eſt huius prophetiæ neceſsitas & uberior utilitas. Plurimũ intereſt inter ſynagogam
& eccleſiam, ita non parum intereſt inter ſynagogæ prophetam & prophetam eccleſiæ.
Quàm paucos filios ſynagoga peperit domino, at q̃ numeroſam ſobolẽ genuit eccleſia,
gignitq; quotidie: p quos? niſi per Eccleſiaſtas. Olim ante baptiſmũ catechiſmus erat, idq;
ex inſtitutione domini: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos. En in ipſo ſtatim exor-
dio Euangeliſtæ munus. Catechiſta docet, traditq; rudib. fidei elementa, et per hũc quaſi
fœtus concipit mater eccleſia, quos eiuſdẽ miniſterio gignit in baptiſmo, Nunc expende
materię diſcrimen. Quid pollicetur propheta ſynagogæ? Bene diuq; uiues in terra quã do-
minus daturus eſt tibi. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuę. Vxor tua ſi-
cut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Quid eccleſiæ propheta? Si crediderís in do-
minũ Ieſum, gratis tibi cõdonabuntur omnia peccata, ſpiritũ illius accipies, inſereris in or-
dinem filiorũ dei, iam factus frater Chriſti, & cohæres regni cœleſtis, interim pro relictis
centuplũ accepturus in hoc ſeculo. Neq; uero centuplũ tantũ eſt, ſed centies millecuplũ,
gaudium puræ beneq; ſperantis cõſcientiæ, ſi conferat ad omnia cõmoda quę pollicetur
mundus, ac ne id quidẽ bona fide. Rurſus quid minitatur uetus propheta? Niſi ſeruaris
legitima domini dabit dominus uxori tuæ uuluã ſterilem & ubera arentia: coles agrũ, &
alius ex eo colliget fructũ, plantabis uineã, & ex ea uinũ non guſtabis. Quid nouus? Niſi
renatus fueris ex aqua & ſpiritu ſancto, & hic uiuens mortuus eris, & in futuro ſeculo ge-
hennæ mors æterna manet animã & corpus tuũ. De diuerſo uero doctrinę genere iam an-
te nonnihil attigimus, Quòd ſi tantus honos habitus eſt ſynagogæ prophetis, qui ueluti è

longin-

longinquo uenturã felicitatẽ præcinebãt, idq; sub inuolucris, quid debetur ecclesiæ prophetis, qui præsentẽ ostendũt, nec ostendũt tantũ, sed tradunt etiã quà fas est, idq; diluci de, nullis inuolucris aut ænigmatib. Quid est expeditius q̃ dicere, fiduciã habe in dño Iesu: quid porrò præsentius, q̃ per aquę lauacrũ ex irę filio facere filiũ dilectionis, hęredem æternæ uitæ, unde non prophetæ tantũ, sed plausibiliore uocabulo dicuntur Euangelistę.

Euangelista maior Ioanne Baptista

Ioannes Baptista, domini testimonio prophetarum ordini prælatus est, quod Christũ non uenturũ ambiguis oraculis p̃dixerit, sed uenientẽ digito cõmonstrauit. Sed quẽ demõstrauit? Mariæ et fabri filiũ, mortalẽ inter mortales uelut unũ è multis degentẽ, nondũ miraculis ac doctrina clarũ, nondum Satana deiecto rediuiuũ, nõdum ad cœlos receptũ, nondũ misso spiritu patris, cœlestiũ donorũ missilia è sublimi liberalissime spargentẽ, non dum sedentẽ ad dextrã patris in pari cõsortio regni & gloriæ. Si magnũ fuit quod ostẽdit Ioannes, maius est quod ostendunt ecclesiæ prophetæ, qui iam ostendunt triumphantẽ in cœlis, ostendunt regnantem in animis fidelium, præsidentem ecclesiæ suæ. Baptista Christum adhuc carnalem ostendit oculis hominum corporeis, at nũc prophetæ eundẽ ostendunt spiritualem oculis fidei. Plurimi tunc uiderunt, & offensi externa specie, contempserunt aut etiam oderunt uisum. At hi sic demonstrant, ut intuentes in illum uiuificẽtur. Baptista hoc ostendit, quod quodammodo contempsit Paulus: Etsi nouimus, inquit, aliquando Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Iudæus dominum noluerat secundum carnem, factus spiritualis multo felicius nouit eum fide. Galatæ non uiderant Christum, & tamen ante horum oculos Apostolus affirmat Christum fuisse depictum, quoniã cõmonstrantib. eum crediderant. Euidentius est quod spiritu contrectatur, q̃ quòd manibus: & felicius indicat lingua, q̃ digito corporali. Nec ideo minoris æstimari debent horum temporum prophetæ fideles, quòd hæc uis non uideatur ut olim, donaria afflatu spiritus, aut euidẽte miraculo, sed multis sudoribus. uelut ematur. Imò quo plus est laboris, hoc amplius est præmiũ. Miracula suum habuere tempus, nec tamen ideo minus est miraculi, quod tacitus sit spiritus afflatus: postulabat hoc mutata temporum ratio, nec ideo minus est gratuitum dei donum, quia sic dare placuit. Eiusdem spiritus idem est donum, sed pro conditione temporum aliter datũ, nec dubitandum est, quin perfectiore modo datum. Ad fidei perfectionem expediebat externa signa adimi sensibus, quæ data fuerant incredulis & infirmis: uter autem perfectius munus administrat, pædagogus qui puerum uerberibus metuq; cohercet, an qui iuuenem sui iuris factum consilio regit? Lex erat pædagogus ad Christum: huius ministri sunt ueteres prophetæ: Inter ueteres ac nouos medius Ioannes Baptista. Veteris prophetię iam senescentis uestigia quædã aliquandiu remanserunt in ecclesiæ suboleſcentis primordijs, donec per uniuersum orbem irradiante ueritatis Euangelicæ sole, paulatim obscurata sunt illa minorum corporum lumina. In cœlo nulla fiunt miracula, ubi miraculũ est quicquid uidetur. Nos enim miracula uocamus, quæ præter cõmunem rerum humanarum naturam accidunt. Quotidiana nemo miratur, etiam si plus habeãt miraculi. Ingens miraculum dicitur quod dominus paucos exanimes reuocauit in uitam, & quotidie ex liquore mortuo gigni uiuos homines nemo miratur. Dominus semel atq; iterum manibus suis multiplicauit panes, ut perpauci multis sufficerent milibus: & quod quotidie ex uno tritici grano mortificato surgit arista sexaginta granis grauida nemo miratur. Idẽ dixit Matthæo telonio præsidenti: Sequere me, & illico mutatus paruit uocanti. Hoc miramur omnes, quia sensibus exhibitũ est, Magis autẽ miramur, quod Lazarũ iam quatriduo defunctum euocauit ad uitam, mox iterum morte commutandam. Quanto mirabilius est quod ad unius uocem tot zizania uertuntur in generosum domini triticum, quod quotidie per ecclesiæ ministros arcana spiritus energia sexagenaria cadauera uitæ perpetuę restituit? Quod externis sensibus exhibetur, suspicimus ac stupemus: quod interius agitur multo præstãtius, nõ admiramur. Orat Petrus, et corpore reuiuiscit Dorcas, obstupescimus: Cõcionatur bonus Ecclesiastes & multas animas excitat à morte, nec perinde miramur. Idẽ est qui excitat Dorcadẽ, & qui convertit peccatorẽ: sed maius est quod in resipiscẽte peccatoris anima deus operatur, quàm quod in reuiuiscente cadauere. Quod Petrus omnium linguis concionabatur, prodigiũ uidebatur omnibus, & erat: quãto mirabilius quod ad unam piscatoris orationẽ circiter tria milia hominũ transformata sunt in nouam creaturam? Hoc longè magis stupendũ,

Miracula ad tempus

quàm quod Nabuchodonosor ex homine uersus est in figuram bouis, rursus ex boue re-
uersus in hominẽ. Sed uulgaris crassæq; mentis est, quæ oculis, auribus, contactuq; per-
Plus est cõuertere peccatorẽ, quàm excitare defunctũ cipiuntur magis admirari. Qui spiritualis est, aliter iudicat. Itaq; si Petrus flexis genibus,
diu orauit, ad multarum preces excitaturus unam mulierculã ad uitam corporis, cui reuo-
cari quid aliud erat q̃ bis mori: quid faciendum est pio Ecclesiastæ, qui hoc agit ut q̃plu-
rimas animas in peccatis uelut in sepulchro putrefactas ad ueram reuocet uitã? Num ui-
dentur ista perpendere, qui à prandio semitemulenti, aut mane nocturna grauati crapula
prodeunt in suggestum, & abrupta uerius quàm absoluta concione properãt ad compo-
tationem? Age igitur si quis concionatorem æquiparet priscis illis prophetis, nónne fate
antur omnes egregiam dignitatem illi tributam esse? Atqui res ipsa nobis persuadet, mul
tis nominibus excellentiorem esse qui gregi dominico subministrat pabulum Euangeli-
cæ doctrinæ, si modo syncere bonaq; fide suum administret munus. Id si cui nondũ per-
suasimus, dabitur crassius argumentum unde id colligat. In ecclesiæ primordijs utri erãt
in maiore precio, Agabus cũ suis comitibus aut filiæ Philippi, an Petrus & Paulus? Ar-
bitror & lapides confessuros nihil esse simile. Tum ab utris ecclesiæ uenit maior utilitas,
non opinor obscurum esse. Quid contulit Agabus? prædixit uẽturam famẽ, monuitq; ut
illi necessitati matura prouisione occurreretur, non admodũ iuxta perfectam Christi do-
ctrinam, qui uetuerat suos esse solicitos de crastino. Rursus quum idem apud Cæsareã de-
tracta Paulo zona stringeret sibi pedes, prædicens fore, ut is cuius esset ea zona Hieroso-
lymis uinciretur à Iudæis, ac gentib. traderetur, quid profecit? Nimirũ ut Apostolus à tri
stioribus tristior discederet, non quòd ipse formidaret catenas, qui paratus erat & mori
pro nomine Iesu, sed q̃ amicorum lachrymis discruciaretur illa beata anima, tota flagrãs
charitate proximorum. Cæterum ad prophetiã, id est prædicationẽ Petri & Pauli quan-
tus ecclesiæ fructus? At Agabus & Agabo similes in ueterum prophetarũ uicem succes-
serant. Tu paroche, tu Ecclesiasta in cuius locum successisti? non in Agabi, sed Apostolo
rũ, imò uerius ipsius Christi, in quẽ potissimũ cõpetit apostolici nominis dignitas. Sit pe
nes alium titulus domini apostolici, legati apostolici, res & dignitas in eum cõpetit, qui ex
delegata autoritate enarrandis scripturis Christũ annunciat: hoc qui præstat, non prophe
ta simpliciter est, sed prophetarũ propheta. Siquidẽ nobis frustra scripserũt prophetæ, ni
si sit hoc prophetarũ genus, quod illos interpretetur. Est enim uere liber signatus, quem
nec literatus iuxta mundũ intelligit, quia signatus est, nec idiota, quia literas nescit. In hoc
ordine principatũ obtinuit Christus Iesus, qui orsus à Mose & prophetis aperuit disci-
pulis scripturas, & sic inflammata sunt illorum corda quæ prius in prophetarũ uerbis fri-
gebant. Est autem in uetere lege duplex prophetiæ genus, uocalis ac mutæ, ad mutã pro-
Propheta allegorias explicat phetiam pertinent typi ac figuræ, ad uocalem uaticinia de Christo. Mutam prophetiam
aperit dominus in Euangelio, cum ait: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita ex-
altari oportet filiũ hominis. Item: Sicut fuit Ionas in uentre balenę tribus diebus ac tribus
noctib. ita filius hominis erit in corde terræ. In altero crebrius uersabatur: in genere, quũ
ait: Si crederetis Mosi, crederetis utiq; & mihi, de me enim ille scripsit: nominatim, quum
Lucæ 4 Scribis & Pharisæis tectè indicat, psalmi uaticinium, Dixit dominus domino meo, nõ in
Solomonẽ sed in ipsum cõpetere. Rursus quum in templo lecto scripturæ propheticæ lo
co qui est Esaiæ ca. lxi. subijcit: Hodie scriptura hæc impleta est in auribus uestris. Manna
quod Hebræis defluxit in deserto, demonstrauit fuisse typum cœlestis doctrinæ quam è
sinu patris detulit in terras, aut esse corpus et sanguinẽ suum quo reficimur in Eucharistia:
postremo in cruce recitãs Psalmũ xxi. declarat in eo prædicta, quæ tum gerebantur. Simi
liter & Euangelistæ demonstrant multa uaticinia de Christo prodita, uelut quũ Ioannes
indicat quę de agno Paschali scripta sunt in Exodo, de Christo prædicta esse: quod genus
illud, Os non cõminuetis ex eo. uerũ hæc persequi non est huius loci. Sed in utroq; pro-
Galat. 4 phetiæ genere nemo plures explicuit allegorias, quàm beatus Paulus ueluti quum histo-
riam Agar ancillæ cum filio eiectæ, deq; Isaac Saræ filio, item de monte Sina & Sion ac-
Actor. 13 cõmodat ad uetus ac nouum testamentũ: petrã unde Hebræis sitientibus profluxit aqua
in deserto, docet fuisse figurã Christi. Petrus in concione declarat prophetiam, Non da-
bis sanctũ tuũ uidere corruptionẽ, nequaq̃ cõpetere in Dauidẽ, qui corruptus est in sepul
chro aliorum hominum more, sed in Christum qui integro corpore surrexerit. Idem in-

dicat

dicat, diluuiũ fuisse typũ baptismi, arcã ecclesiæ credentis. Paulus uero uitam omnẽ Christi cõmonstrat mysticis typis esse refertã, exponẽs quid sit illi cõmori, quid cum illo sepeliri, quid resurgere, quid in cœlũ ascendere. Habes Ecclesiasta muneris tui dignitatẽ, habes onus & præmiũ, supereſt ut illa uox Pauli, quã Archippo iubet renunciari, semper tinniat in auribus tuis: Vide ministeriũ quod accepisti à dño ut illud impleas. Fideli prophe- ta nihil honorabilius, pseudopropheta nihil detestabilius: synceris Euãgelistis nihil apud deum preciosius, pseudeuãgelistis nihil abominabilius. Si agnoscis dignitatẽ, da operã ut glorifices susceptã functionẽ: si difficultatẽ, abijce socordiã, & uigila: si periculũ intelligis, caue ne declines ad dextrã siue ad siniſtrã: si præmiũ cõsideras, ne te pigeat ullius difficultatis. Quocunq; uerteris oculos, est quod excitet solicitudinẽ tuã: si sursum aspicias, uides quis sit qui tibi munus istud delegauit, uides paratum stipendium: si circumspicias quæ te circumstant, uides oues Christi tuæ concreditas fidei: si deorsum demittas oculos, uides horribilem malè gesti muneris uindictam: si in te ipsum descendas, agnoscis quantam animi puritatem, quantam eruditionem, quantam prudentiam, quantum charitatis ardorem, quantam fortitudinem exigat ista functio, quo uel abstineas si te cognoueris parum instructum, uel ea pares quibus est opus. Qui destinauit ad olympicum certamen accedere, quid non tum facit, tum patitur, ut palmam auferat? Quanta solicitudine præparat omnia? Atqui totum illud quid aliud est quàm ludus? quemadmodum & ludicra sunt præmia, stultæ multitudinis applausus, corollæ quernæ quæ fatuum declarent citius q̃ uirum cordatum aut fortem. Et cum in rebus friuolis tam simus solicíti, tamen ad Ecclesiasticæ munus audet aliquis accedere, nihilo magis instructus, q̃ arator ad citharam, nauta ad aratrum? proq; tot eximijs uirtutibus quas officij postulat dignitas, nihil adfert præter perfrictam egregiè frontẽ & impudentiã, nihil habens pensi quæ præmia maneant uictorem, quæ pœna uictum? Parũ est exibilari ab uno populo, sed explodi ab uniuerso cœtu sanctorum angelorũ ac piarum animarum summa est infelicitas. Itaq; qui hoc certamen suscipiunt, Apostolum audiant adhortantem: Sic currite ut apprehendatis: ut cum eodem gloriari possint, cursum consummaui, fidem seruaui, nunc mihi reposita est corona iustitiæ. Iam si satis constat sacerdotis dignitatẽ multis parasangis, ut aiunt, anteire si cũ quocunq; mortalium genere conferatur, & ipsis angelis aliqua ex parte superiorẽ, superest ut ipsum sacerdotem secum conferamus, quo perspicuum fiat qua parte sui sit maximus. Quinq; sunt sacerdotum, hoc est episcoporum, munia præcipua: administrant nouæ legis sacramenta, orant pro populo, iudicant, ordinant, & docent. Nihil horum non superat regiam excellentiam. Nullum enim sacramentũ confertur nisi per sacerdotes, excepto baptismo, qui non repetitur, etiã à laico ritè collatus, sed hoc factũ, licet non rescindatur, tamen nihil excusat nisi necessitas, quæ excusatio in alijs locũ non habet. Videtur aũt baptismus in locum circũcisionis substitutus esse, circũcisio uero nec sacerdotẽ nec le uitã requirebat. Verum olim aqua sacramentali tincto per impositionẽ manuum dabatur spiritus sanctus. Hoc solis episcopis seruatũ est. Dein progressũ temporis baptizatis etiã infantibus dabatur corpus & sanguis domini, & hęc res requirebat os & manus sacerdotis: pro uictimis pecudum cæterisq; cęremonijs inducta sunt sacramẽta magis spiritualia, baptismus, eucharistia, cõfirmatio, pœnitentia, & extrema unctio, nihil aũt horũ fit absq; deprecatione. Deprecatio uero nouæ legis sacerdotib. cũ ueteris testamenti sacrificis cõmunis est. Nam quũ incẽdiũ irato deo sæuiret in populũ, Aaron accepto thuribulo medius stetit inter mortuos & uiuos, & interuentu suo domini furorẽ uertit in misericordiam. Orat sacerdos pro puerpera, & mundat: orat pro domo lepræ uitio cõtaminata & purificatur: orat pro peccatis immolantiũ, & remittuntur illis: ad hæc iudicat inter causam & causam, inter leprã & non leprã: inter mundũ & immũdũ. Etsi quid cõtrouersiæ incidisset grauioris, iubẽtur ire ad sacerdotẽ, qui iudicio suo litem dirimat. Nunc si quæstio difficilis oriatur, utrũ fas sit suscipere bellũ an non, utrum ratum sit matrimonium an non, utrum hoc aut illud liceat principi ac magistratui an non, quo potius eundum est, q̃ ad sacerdotes peritos in lege domini? Per hos dirimi conueniebat regum tumultus, coniugum dissidia, per hos reconciliari simultate conflictantes. Id si fieret, ad bellum non esset opus tot militibus, ad lites cõponendas nõ esset opus tot procuratorib. & aduocatis, nec esset tanta querimonia de corruptis iudicijs. Summa trãquillitate uiuebãt Hebræi annis quadra-

1. Petr. 3

Colos. ult.

Præparatio ad munus Ecclesiasticum

Functiones sacerdotis inter se collatæ

ginta sub Samuele iudice & propheta. Sed quo sanctiora sunt mysteria nouæ legis, quo uberior est gratia, hoc maior est dignitas hæc administrãtis. Itẽ quo maiora sunt quę petũtur, quoq́ certior est per Christũ inpetrãdi fiducia, hoc maior est intercedentis autoritas: rursus quo plenior est nunc dominicę legis cognitio, hoc splendidius est iudicãdi munus. Adde his, quòd quo sublimior est Ecclesiastica functio, hoc excellentior est ordinandi potestas, præsertim quum adiuncta sit facultas per sacramentũ conferendi donum spiritus. Populus creat magistratum, rex creat præfectum, at nec hic nec ille largitur uires ad rectè gerendum. Quum igitur in his quæ hactenus commemorauimus, nouæ legis sacerdos longè superet & Mosaicorum sacerdotum dignitatem, quæ tamen id temporis erat in summo precio, & regum excellentiam, in ultima functione multis partibus superat seipsum: ea constat in docendo gregem domini. Docendi uox complectitur & doctrinã sanam & admonitionem, & increpationem, & cõsolationem, et redargutionẽ oblatrãtium Euangelicæ ueritati. Baptizat & laicus, orat uicissim pro sacerdote populus, nõ difficilis est reliquorum sacramentorũ administratio: at docendi munus implere, ut longè difficillimum est, ita idem est longè pulcherrimũ, quippe cuius utilitas latissimè pateat. non semper tingit, nõ semper ungit aut absoluit sacerdos, sed docẽdi munus perpetuũ est, sine quo cætera sunt inutilia. Quid em̃ prodest adultis tinctos esse, nisi per catechistã docti fuerint, quam uim habeat baptismus, quid oporteat credere, quomodo iuxta professionẽ Christianã uitam instituere? Quid prodest sumptio corporis & sanguinis dominici nisi didicerint, quomodo sacramentũ hoc institutũ, quid in nobis efficiat, qua fide quaq́ puritate debeat sumi. De cæteris similiter sentiendũ, ne singula commemorando fiam prolixior. Ergo quẽadmodum actor, quũ in singulis fabulę scenis dat operã ut placeat populo, tum uero in extremo actu profert quicquid habet artis: ita Christianus Ecclesiastes, quũ in cæteris functionib. magnã adhibere debeat sollicitudinẽ ut placeat dño, cuius negociũ gerit, in hoc extremo docendi munere debet seipsum uincere. Regum multa sunt munia, eaq́ præclara, licet omnia sacerdotalibus functionibus inferiora, sed hi nunq̃ in magis regali uersantur officio, q̃ quũ pro concione loquentes, suadent pacẽ, cõponunt seditionẽ, hortantur ad legum obseruationẽ, aut pro tribunalib. sedentes audiunt causas, & ius æquum reddunt populo: ita præsul in omnibus egregius, prorsus in fastigio dignitatis est, quum è suggesto doctrina sacra pascit gregem dominicum, eiq́ dispensat thesaurum euangelicæ philosophiæ. Quo magis deplorandum est quorundam præposterum iudicium, qui ius ordinandi relegant ad factitios quosdam ac mercenarios episcopos, baptizandi absoluendiqúe potestatem committunt inexploratis, consecrandi corporis & sanguinis dominici facultatem permittunt ijs quos interdum nec conuiuio nec alloquio dignarentur. Quod omnium est excellentissimum, docendi munus reijciunt aliquoties in sacerdotes abiectissimos & monachos, quibus fortasse nollẽt stabuli aut culinæ suæ curam committere, Non reprehendo monachismũ neq́ sacerdotiũ, sed delectũ præposterum. Ipsi uero quid interim sibi reseruant põtificiæ dignitatis? Curant equitatũ, incolunt arces, alunt satellitia, præsunt rationibus, seruiunt monarchis, atq́ ita demũ sibi uidentur egregij præsules. Verũ ut ista reprehensionẽ nõ mereãtur, tamen erãt potius abiectissimis cõmittenda famulis, indigna quæ uel hypodiaconis delegẽtur. pudet eorũ quæ sunt honestissima, in his gloriantur quæ sunt sordidissima. Non hic tantũ, sed in omni ferè parte uitæ prępostera iudicia fontes sunt unde scatet omnis morũ pernicies. Quotusquisq́ est hominũ qui nõ pluris faciat externa bona, quæ fortunæ tribuuntur, q̃ corporis? Quid non perpetiuntur homines ut locupletes euadant, ut honores consequãtur huius mundi? nauigãt, peregrinantur, belligerãtur, nullũ est periculi genus quod nõ cõtemnunt. At quãto pauciores sunt, quibus priora sunt bona corporis q̃ animi, temporaria q̃ æterna? Quẽ reperias, qui non magis metuat principem hominẽ q̃ deum, qui non pluris faciat cognatum aut amicum iuxta carnem, q̃ Christum? Quid in causa? nisi quòd carnales sumus, eoq́ propius accedimus ad naturam animalium, quæ sensibus regũtur q̃ angelorum, nec agnoscimus cõditionis nostrę dignitatẽ, nec suscepti muneris sublimitatẽ. Vetus ac profanũ oraculũ admonet, ut se quisq́ norit. Philippus Macedonum rex uir alioqui cordatus, quodã tempore cum temulentis bene potus ipse per medium exercitum discurrens agebat choreas, quem Demadès Atheniensis orator ad hunc increpuit modum, Quid facis ô rex? Fortuna tibi

Præpostera iudicia hominũ

Personæ decorum nosse

na tibi imposuit personam Agamemnonis, & tu tibiipsi sumis personam Thersitæ. Auiro illaudato rex prophanus admonitus ad meliorem frugẽ recepit sese, utinã sacerdotes audiant uocẽ Christi minitantis in Cantico mystico: Si ignoras te ô pulchra inter mulieres egredere, et abi post uestigia gregũ tuorũ. Hoc puta dictum animę pastoris, qui quum se ducẽ ecclesiarũ profiteatur, oblitus susceptæ prouinciæ, ad quæstũ, ad ociũ, ad uoluptates semet abiicit. Is nimirũ iubet mutare locũ, & quoniã pro ductore gregis seductor est, abire post gregum uestigia, ut ex doctore factus discipulus parẽre discat priusq; imperet. Hoc ignorantia sui facit, ut homo conditione proximus angelo, cõparetur iumentis insipientibus, & similis fiat illis. Facit ut quod in ministerio summũ est, deleget infimis: quod infimum, sibi pro summo reseruet. Dic mihi quisquis es sacra tiara insignis, pudet te dum audis confitentes, dum consolaris afflictos, seruire principi Christo in membris suis: & non pudet in aulicis negocijs, ne dicam in castris, seruire homini principi? uideris tibi abiectus, si è suggesto doceas populum uiam domini: & tibi places, dum inter armatos milites, pene dixeram nebulones, armatus equitas? Laudata est in sacris literis humilitas, damnata superbia. Sed est humilitatis genus, quo nihil detestabilius: est superbiæ genus, quo nihil laudabilius. *Superbia bona*

Male humilis erat filius ille prodigus, qui relicta domo diuitis ac benigni patris, factus est subulcus hominis alienigenæ, è ciue exul, è libero seruus, pro delicijs uescens porcorũ siliquis, sed bene rediit ad superbiã postq; cœpit suã agnoscere dignitatem: cũ multi mercenarij sunt in domo patris qui abundant panibus, & ego hic fame pereo. E regione est laudabilis quædam superbia, quæ facit ut homo memor ad quam dignitatẽ sit per dei misericordiam euectus, sese iudicet indignum, qui ad inhonesta se deijciat, ut adoptatus in sortem filiorũ dei, Satanæ fiat seruus: ut sacro lauacro purificatus, uitijs semet inquinet: ut ad cœleste præmium uocatus, uenetur terrena commoda. Hæc superbia præcipue decet sacerdotem & Ecclesiasten: uix enim arbitror alios hoc dignos titulo. Audi uulgaris superbiæ exẽplum apud Paulum, neq; enim illic sub sua persona loquitur: Tollens membra Christi faciam membra meretricis? Sed rursus audi uocẽ animosi doctoris: Melius est mihi mori, cũ ut euacuẽ gloriam meã, quã habeo in Euangelio Christi. Non gloriatur in palatijs, opib. satellitio, equitatu, sed ob id erigit cristas, q; laboribus & erumnis suis illustrasset Euangelium, quod Christi triumphũ circũferret in omni loco. Quapropter à tergo relictorum oblitus, ad ea quæ à fronte erant properat, ut coronã apprehendat: tantum abest ut ad humiliora degeneret. Nunc quantus pudor est, si quis ex medico fiat chirurgus aut pharmacopola, aut si ex aulico agricola, aut ex œconomo potentis hominis, plebeius coquus? ad quæ si quis adigatur, existiment rem laqueo dignam. Tam excelsi spiritus sunt, tanta animorum generositas in rebus humilibus, tanta uero humilitas & abiectio in ijs quæ sunt excellẽtissimæ dignitatis. Cũ primis optandũ est à Christo, ut omnes episcopi dignitatem suã agnoscãt, ut apostolicã superbiã imitẽtur. Tu certe pastor, cui curandi gregis uicariã solicitudinẽ delegauit episcopus: tu Ecclesiasta, cui docẽdæ plebis officiũ demandatũ est, agnosce muneris tui dignitatẽ, agnosce quod in omnib. episcopi functionibus maximũ est atq; pulcherrimũ, in te deriuatũ esse. Sume igitur, sume tuo magistratu dignã superbiam, ac uehementer erubescendum existima, si quæstui, si luxui, si pudendis uoluptatibus, si cęteris plebeiæ fecis uicijs seruias, sed honorifica ministerium tuum, memor cuius oues curandas susceperis, cuius thesauros dispenses, cui sis officij gesti mox redditurus rationẽ, quæ præmia maneant fidelem dispensatorẽ, quæ supplicia infidelem. Hæc qui secũ reputet, quonã pacto possit esse securus? Si quis non animaduertit, quid eo stupidius? Si quis intellecta negligit, quid eo deploratius? Ab humi repẽtibus curis erigat animũ tuũ cõsideratę functionis dignitas, à pręuaricatione deterreat delegantis seueritas, socordiam excludat susceptæ muneris difficultas, industriã ac uigilantiã extimulet præmij magnitudo, quod non ab hominibus sed à deo erit expectãdum: illi militas, ille reddet perenne stipendiũ: Ne dixeris, quid? gratis seruiam populo? Nõ populo seruis ô bone, sed Christo seruis in populo. Et ne quẽ è plebe cõtemnas, Christi membra sunt omnes, aut si qui nõdum sunt, hoc agitur ut fiant. Puta tibi nominatim dictum quod per Esaiam iubet dominus: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine uocem tuam qui euangelizas Hierusalem. Magnifica legatio tibi commissa est, argumentũ difficile persuasu ijs qui mundum diligunt. Quodnam? Omnis *Esaiæ 40 Mons Sion*

caro fœnum, omnis gloria eius quasi flos fœni. Quid igitur supereſt nisi ut carnẽ abiicia/
mus, & uertamur in ſpiritum? Exareſcat fœnum noſtrum ad exortum ſolis, qui illuminat
omnem hominem uenientem in hunc mundum, decidat flos noſter ad emicantem Euan/
gelij gloriam, quia ſequitur: Verbum autem domini manet in æternũ. Huius uerbi præ/
dicatio tibi commiſſa eſt, noli loqui humilia, noli repere humi, è ſublimi ſublimia loquere.
Sion eccleſiæ typum habet. Siquidẽ & ipſe mons eſt ſuſtinens templũ dei quod eſt eccle/
ſia. Huic qui euangelizat, iubetur in alium excelſiorem montem aſcendere. Sic dominus
doctурus illa ſublimia aſcendit in montem, & ſedit. Mons heroicas uirtutes deſignat in
Euangeliſta, ſeſsio conſtantiam ac pectus ab omni carnalium cupiditatũ tumultu trãquil
lum. In Sion ſpeculamur cœleſtia, in Hieruſalẽ eſt pacis uiſio: Ergo quiſquis doces cœle/
ſtiũ bonorũ amorẽ, ac terrenarũ rerũ contẽptum, qui annũcias bona, qui prædicas pacẽ,
quę exuperat omnẽ ſenſum, aſcende in montem, inde clama. Clamoris uerbũ hic non uo
cis intentionẽ, ſed ardorẽ affectus & prędicationis inſtantiã declarat. Non eſt pax impĩs
clamat prophetia. Qui pietatẽ docet, ad pacẽ uocat. Magna trãquillitas eſt habere deum
propicium, magnum oblectamentum ſemper præ oculis habere pacem illam cœleſtem
quam nec improborum malicia, nec Satanæ inuidia, nec ulla iniquitas turbare poteſt.
Hæc eſt illa cœleſtis eccleſia ſanctorum omnium, quæ ædificatur ut ciuitas, cuius partici/
patio in idipſum. Videtur & hic pax illa, ſed procul ex parte & in ænigmate, illic perfecta
uidebitur coram. Eccleſia militans ciuitas eſt in monte poſita, quemadmodum habet eu/
angelicus ſermo. Sublimis eſt euãgelica philoſophia, quã attulit is qui uenit è cœlis, & ut
ſuper omnes eſt, teſte Baptiſta, ita cœleſtia loquitur. Itaq; qui fieri poterit, ut aliquis ſubli
mibus ſublimia prædicet, ipſe immerſus cœno uoluptatũ, ſomnolẽtiæ luxus & auaritiæ?
Aſcende igitur in montẽ quiſquis es Euangeliſta, non pedibus ſed affectibus: nam aſcen/
dere ad dignitatis gradum, & non aſcendere ad ſublimes uirtutes, deſcẽdere uerius eſt q̃
aſcendere. Hunc aũt prophetiæ locũ ad paſtores pertinere manifeſtè declarant ea quæ ſe/
quuntur: Sicut paſtor gregẽ ſuũ paſcit. Idẽ propheta cap. lij. propheticis oculis uidit tales
Euangeliſtas: Quam pulchri, inquit, ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pa
cem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem. Quid ſunt pedes ſpecioſi? affectus ab hu
milium rerum cupiditate puri. Quid pedes ſuper montes? Quid niſi cõuerſatio in cœlis,
& animus quæ ſurſum ſunt ſapiens, quæ ſurſum ſunt quęrẽs. Quid ſibi uult illa repetitio,
annũciantis, annũciantis & prædicãtis? pacẽ, bonũ, & ſalutẽ? Quid niſi inſtantiã & aſsi/
duitatẽ in negocio euangelico, quod diuus Paulus uult annũciari opportunè & importu
nè. Annũciamus noua, prædicamus publica: noua lætaq; nunciãtis uox meretur applau
ſum, præconis uox ad omniũ aures penetrat. Exilis erat uox ſynagogę, uix unã regionem
perſonuit, quum de euangelicis præconibus dictum ſit: In omnẽ terram exiuit ſonus eo/
rum, & in fines terræ uerba eorum. Lex uni populo data eſt, gratia Chriſti ad cunctas or/
bis nationes porrigitur: præconi euangelico dicitur: Clama ne ceſſes, noli timere. Rurſus
LVIII. Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta uocem tuam. Ad huiuſmodi tubarum concen
tum conciderunt muri Hiericho, quæ uox Hebręis lunam ſonat. Luna terrę proxima eſt,
ipſa uaga ac mutabilis, quales ſunt qui rebus humilib. ac fluxis ſunt affixi. Sed huiuſmo/
di lunaticæ cupiditates corruunt concentu tubarum ſacerdotalium. Sacri ſunt qui perſo/
nant, ſacræ ſunt tubæ, quarum uſus erat in iubileo, quẽadmodum legis Ioſue VI. Diru/
tis terrenis affectibus, qui nos in ſeruitutem adigunt, ſequitur libertas ſpiritus. Hæ tubæ
non ſonant prophana, non humilia & lunatica, ſed ſublimem illum iuſtitiæ ſolem Chri/
ſtum qui nunquam mutatur. Eſt enim iuxta Paulum heri & hodie, idem in ſecula. Certa
uictoria eſt, quum ad ſacerdotalium tubarum clangorem acclamat armata multitudo. Id
fit quoties energia ſpiritus uox Eccleſiaſtæ penetrat in auditorum præcordia. Quemad/
modum apud beatum Paulum, idiota qui audit prophetam in ſenſu loquentem, procidit
in faciẽ ſuã, glorificatq; deum. Et in Euangelio Iudæi commoti tuba Ioãnis Baptiſtæ
acclamãt, quid faciemus ut ſalui ſimus? Et in Actis ad primam Petri buccinam, legitur
enim ſuſtuliſſe uocẽ, cõpuncti corde acclamant: Quid faciemus uiri fratres? Et amplexi
ſunt Euangeliũ homines fermè ter mille. Verũ ut ad priorẽ Eſaiæ locum redeã. Vox, in/
quit, ſpeculatorũ tuorũ, leuauerũt uocẽ, ſimul laudabũt. Quiſquis euãgelicus pręco uelit
haberi, in ſpecula ſit oportet, ut è ſublimi nõ ſibi tantũ, ſed & alijs uigilet. Septuaginta pro

Eccleſiaſta ſpeculator

ſpecula/

speculatoribus uerterunt custodes, uidelicet qui agunt excubias super ecclesiæ mœnia. Memineris igitur quisquis es Euangelij præco, tibi iuxta prophetæ sermonem standum super custodiam die ac nocte, ut si sonuerit uox ex Seyr, custos quid de nocte, custos quid de nocte, in promptu sit quod respondeas. Quid est laudabunt siue lætabuntur simul? declarat Ecclesiastarũ in sua doctrina concordiã, quam hisce temporibus proh dolor in multis desideramus: Audimus clamorem exultantium, sed dissonũ ac discordẽ. Quid autem sonat præco legis? Anima quæ peccauerit, morietur. Et nisi perstiteris in his quæ scripta sunt in libro hoc, omnes imprecationes euenient tibi. Præcepta denũciat, & minis terrorẽ incutit præco Mosaicus: quid præco Ecclesiasticus? Annũciat omnibus gẽtibus sub quo cũq; cœlo degentibus paratam esse per fidem in Christum Iesum remissionem omnium peccatorum. Annunciat cum angelis pacem hominibus in terra, non per legis opera, sed per dei liberam uoluntatem ac benignitatem gratuitam, qui erat in Christo mundum reconcilians sibi, annunciat pro uindicta bonum, pro exitio peccatis hominum debito salutem. Cui prædicantur ista? Sion quæ nunc est ecclesia per uniuersum orbẽ sparsa, sic enim habet prophetia dicens: Sion regnabit deus tuus. Vbi regnat peccatum, ibi nõ est regnũ dei: ubi regnat caro, ibi non regnat spiritus: ubi regnat superstitio, ibi non regnat uera pietas. Itaque quotidie precatur ecclesia, Adueniat regnum tuum. Si deus regnat in nobis, & nos cum illo regnamus in libertate spiritus. Hoc regnum illustratum est, quum in die pentecostes superuenit spiritus in apostolos. Fuerat eodem die data lex in monte Sina, audita sunt tonitrua, uisa sunt fulmina, horruerunt omnes montem fumigantem ac Mosi faciem quasi fulgurantem, sed in neminem descendit iste spiritus, qui gratis per fidem condonat peccata, confert iustitiam ac libertatem. Vtranq; uero prophetiam loqui de gratia per Christum facta, illud declarat quod una sic habet: Consolatus est dominus populum suum, redemit Hierusalem, parauit dominus brachiũ sanctũ suum in oculis omnium gentium, & uidebunt omnes fines terræ salutare dei nostri. Altera sic ingreditur: Cõsolamini consolamini populus meus, loquimini ad cor Hierusalem. Corde creditur ad iustitiã, quę per fidẽ in Christũ promittit salutẽ, & quoniam spiritualia loquitur, loquitur ad cor. Nullus autem potest loqui ad cor populi, nisi loquatur ex corde. Lex autẽ à Iudæis exigens opera, territãs ea non præstantes, nec addens gratiã, nõ loquebatur ad cor, sed ad corporis aures tantũ. Post eã uero prophetiã, quam primo citauimus loco, sequitur euidẽs de Christo uaticinium: Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus: omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Alia scripturarũ loca ad alios pertinent, dum alia præcipiũtur maritis, alia etiam uxoribus, alia uirginibus, alia plebeis, alia regibus, alia sacerdotibus: hoc præconium ad uniuersos pertinet, quod nisi peruenerit ad cor hominis, nulla cuiquã est spes salutis. Apud eundẽ prophetã pręcipitur & illud speculatori, ut quodcũq; uiderit annunciet. Quid annunciat speculator externus? è turri procul uidet equitatum, aut classem, illico dat signum tintinabulo, ne periculum inopinantes opprimat. Est igitur boni pastoris officium, uidere procul, uidere per tenebras, in omnem partem habere intẽtos oculos, ut non tantum præsentibus medeatur malis, sed procul imminentibus uitiorum periculis occurrat, schismatum, hæreseon, bellorum, paganismi, iudaismi. Quisquis prudenter de futuris conjicit, propheticos habet oculos, & nisi clare tinnitu det signum dormitãtibus, quicquid malorum acciderit, ipsius imputabitur silentio. In turri excubanti capitale est, si hostem aduentantem aut non præuiderit, aut non prædixerit: sed nulli periculosiores sunt hostes, quàm uitia capitalia, quæ perimunt animas, quæq; Christum occidunt in membris suis. Quę igitur pœna manet speculatorem si hic fuerit mutus? Speculator crassus uidet hominem insidias molientem, & capitalis est nisi maturè denunciauerit: & tu uides Satanam suffodientem cuniculos, & taces? uigilantissimus speculator erat Abacuc, qui ait: Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor ut uideam, quid dicetur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Ecclesiastas appellat & illud uaticinium quod est apud Esaiam: Super muros tuos constitui custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini dominum, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Audin concionator? non in popinis, sed in mœnibus sis oportet

Esa. 21

Loqui ad cor

Esa. 52

Abac. 2

Esa. 62

Assiduitas Ecclesiastæ

sis oportet, si uelis officio tuo fungi: nec phas est tibi ullo tacere tempore, neq; nocturno neq; diurno. Vtrinq; enim populo dei imminet periculum: in aduersis per afflictionē sollicitatur ad blasphemiam, desperationem, & defectionem à deo: in prosperis per blanditiē carnis illicitur ad obliuionem dei. Aut noctem accipe, quum Satanas absq; fuco sollicitat ad ebrietatem, luxum, adulterium, & scortationes, quæ sunt opera nocturna actenebrarum: diem, quum sub persona religionis ac pietatis insidiatur dæmonium meridianū: uteūq; hoc habet, omnino uigilandū est custodi Hierusalē. Nec audiendus est, si quis respondeat, hæc omnia quadrant in prophetas primi generis, qui redemptoris aduētum prænunciabāt, quid opus est nūc tot clamorib. quū cōstet illū iam uenisse? Imò Christus nondū omnib. uenit: nondū uenit Iudęis, qui Messiā suū etiā nū expectāt, nō uenit ijs, qui nō credūt illū morte sua redemisse mundū: nō uenit ijs, qui aliū eū fingūt q̄ est, uelut Arianis, Eunomianis, Sabellianis: denicq; nondū uenit illis, qui illū ore profitētur, factis abnegāt: ijs demū uerè uenit, qui spiritu illius uiuunt agunturq;, & quisquis cū Apostolo dicere potest: uiuo autē iam nō ego, uiuit uerò in me Christus. Erāt qui reclamabāt Christum uenturū annunciantib. nec pauciores sunt qui resistunt illius Euangelio. Erāt qui Christū in carne uersantē occiderunt, utinā nō essent qui periculosius illū occiderent in animis hominū. Quicunq; bene credentē pertrahit in errorē hæreticū, Christum occidit: qui puellā simplicē à pudicitiæ studio pellexit ad libidinem, in ea Christum occidit: proinde nec minus negocij, nec minus est hodie periculi syncerè Christum annunciantibus, q̄ olim fuit. Per linguam potissimum occiditur Christus, per linguam nascitur ac renascitur in nobis. Corrumpunt mores bonos colloquia prauа. Rursus nascitur in ijs qui regenerantur uerbo uitæ, & quoties erudita correptione denuo formatur in hominum mentibus. Etiam tum quum in terris mortale corpus gestaret dominus, linguis cōfossus est & interfectus. Qui accusabāt apud pōtifices, apud Pilatū, qui clamabant tolle, crucifige, pro gladijs acutis usi sunt linguis. Quicquid tūc gestū est iuxta sensus humanos, id quotidie fit iuxta spiritum, & hoc maiore pernicie, quo spiritualia potiora sunt corporalibus. In his igitur præcipuè locum habet, quod in Prouerbijs dixit Solomon: Mors & uita in manibus linguæ. Sunt qui in lingua gestant uirus, aspidum ueneno præsentius: sed rursus sunt qui lingua medentur lingua saucijs, & lingua medica sanant pestilente lingua infectos, sicut idem docet: Lingua sapientis sanitas. Quin & gentium prouerbijs testatum est, animæ ægrotanti medicum esse sermonē. Psalmus item habet: Emisit sermonem suū & sanauit eos. Quanta uis sit linguæ humanæ, & ueterum monumentis abunde testatum est, & quotidie uidemus, dum unius hominis lingua ciuitatem uniuersam, imò totam regionē prius tranquillam ad bellum concitat, rursus instructas acies ac sanguinem sitientes cogit arma deponere, euertit Respub. pernicioso consilio, & easdem si uelit seruat salubri consilio, conciliat fœdera principum, & conciliata dirimit, conglutinat matrimonia, et cōglutinata dirimit. Si tantum ualet lingua hominis, quanto præsentiorem uim habet ecclesiastæ lingua, quæ organum est spiritus sancti. In huius linguę manibus uerè mors est & uita. uita est quum peccatores conuertit ad pœnitentiā, mors est quū iugulat in eis ueterē Adam cū actibus suis. Hic nimirū est thesaurus, unde diues paterfamilias profert noua ac uetera, uidelicet instructus utriusq; testamenti literis. Sunt canes quos detestatur Paulus, iubetq; caueri, quippe operarios iniquitatis: & sunt laudati canes, qui latratu deterrent fures nocturnos conātes irrūpere in domū, unde Græci uocant οἰκουρούς, id est, custodes domus & excubitores, cuiusmodi canis non erat ille quē redarguit Psalmus. Si uidebas furē, currebas cum eo. Quemadmodū aūt fures, solēt obiecta esca canibus uocem adimere, ita quibus charius est priuatū emolumentū q̄ gregis dominici publicū, ij Ecclesiastis latrare incipientibus, pecuniam aut sacerdotium uelut offam in fauces injiciunt ut sileant, & furibus prodant domū dei. Atqui fideli excubitori, qui stat super muros Hierusalē, neq; noctu neq; interdiu tacendum: nec ut solent ingenerosi canes, ad proiectum cibum uocē cōtinet, nec pro frusto panis sustinet à cœlesti excidere præmio. Huiusmodi canes apti sunt ad uenatū animarum, qui norunt quando debeant mutare uocē, et quibus ambagibus ferā in casses domini protrudere. Postremò dicitur hoc animal uulneribus medendi uim in lingua habere. Elingunt saniem, nec sinunt saucium locum exputrescere. Talem oportet esse linguam boni concionatoris, ut nullus ab huius colloquio discedat, nisi purior: bonis per

Christus nondum omnibus uenit

Galat. 2

Christus quo modo occiditur

Prouer. 15

Lingua medica

Lingua uis

Canes boni et mali

infirmi

infirmitatem prolapsis, blandis monitis lenicq; correptione medeatur, insanabiles fideli latratu submoueat. Ne quem pigeat huius cognominis, magna est horum canum apud deum dignitas: Nam in mysticis literis qui uocantur canes, ijdem appellantur dij, appellantur prophetæ, quemadmodum docuimus, appellãtur & reges, si quem tituli maiestas delectat. Constat enim Psalmũ LXVII. agere de præconibus Euangelij, in quo legimus: Pluuiam uoluntariam segregabis deus hæreditati tuæ: Hæc nimirum est illa pluuia cœlestis doctrinæ quæ fœcundat terram nostram. Et sequitur: Dominus dabit uerbum Euangelizantibus uirtute multa. Hi sunt qui dormiũt inter medios cleros, in utriusq; testamenti literis per fidem securè conquiescentes: qui pennas habent columbæ deargentatas, Euangelicam uidelicet simplicitatem cum puritate uitæ morumq; nitore coniunctam, non sine grato tinnitu salutaris doctrinæ, non terrena tinnientis, sed cœlestia. Quanquam autem & nitet argentum si rectè exerceas, & tinnitu delectat, tamen si negligas, obnoxium est rubigini. Si concionator assideat literæ, rubiginem ducit illius doctrina. Sequitur igitur & posteriora eius in pallore siue uirore auri. prior est litera, posterior est sensus mystica, is non corrumpitur, sed perpetua uiret autoritate. Cæterũ à quo autore proficiscuntur hæc omnia? Nimirum à rege uirtutum dilecti dilecti, qui dat uerbum Euangelizantibus uirtute plurima: à rege exercituum, quem Paulus appellat regem seculorum. Iudæi tinnitum habent argenti, sed multa erugine uitiatum: nos aurum habemus, spiritualibus spiritualia comparantes. Summus Euangelista fuit dominus Iesus, hunc pater unicè dilexit, tanq; unigenitum. prius est quod carnale est, deinde quod spirituale: Sed quod spirituale est, longe præstantius est. Siquidem & iuxta Græcorũ prouerbia, τὰ πνευματικὰ ἀμείνω dicunt. Vel hęc imago nobis depingit Christianũ Ecclesiasten. Pennis opus est, ut spiritu subuolet ad cœlestia, atq; eodẽ cęteros subuehat. Sed colũbę pẽnis est opus, uel quod nulla auis in uolatu sit pernicior, uel quod nulla simplicior aut innocẽtior. Sed duplici tinnitu est opus, argenti & auri: uidelicet ut in explicãdo sensu humiliore, cãdidus sit & apertus: mox prouectioribus, aperiat aurum reconditæ sapientiæ, quam Paulus loquitur in mysterio, non quibuslibet, sed perfectis. Mundana sapientia prima frõte magna quędam & admiranda profitetur, sed si penetres altius, planè carbones pro thesauro reperias. Diuersa est Euangelicæ philosophiæ natura, longè plus habet in recessu, quàm fronte præ se ferat, & quo penitius fueris ingressus, hoc spiendidiores ostendit opes. Quàm igitur fuerit indecorum, si Ecclesiasten professus sis pro columba sus in cœno uulgarium deliciarũ uolutatus, pro argento habeas lutum in pectore, pro auro carbones? Luteũ uas nihil crepat nisi lutum, & qui terrenus est, terrestria loquitur. Sunt alia multa in sacris literis, quæ declarant dignitatem, utilitatem, difficultatem, ac præmij magnitudinem paratam ijs qui bona fide gerunt commissam prouinciam: sed plura sunt quę dira minantur ijs, qui pastoris gerunt personam, re lupos aut proditores agunt gregis dominici: nos tamen ea colligere maluimus, quæ allíciunt, cq; quæ territant. Vix enim fieri potest, ut syncerè gerat Ecclesiasten Euangelicum, qui metu compellitur ad officium. Fides est, quæ nullum refugit periculum, charitas est quæ nullum refugit laborem. Quæ duo si adsint, nihil opus est terroribus: si non adsint, non multũ conducunt terriculamenta, & si conducũt, conducũt rudibus. Ecclesiasten non oportet esse rudẽ, qui rudes suscepit erudiendos. Ostendimus rationem, quę facit ut nec dignitas adducat supercilium, nec difficultas desidiam, nec periculũ desperationẽ. Huic itaq; uolumini propemodũ satis datũ uidetur argumẽti, si paucis admoneamus, quib. rationib. Ecclesiastes sibi possit apud populum gratiã simul & autoritatẽ parare, partamq; tueri. Siquidẽ hi duo præcipui stimuli sunt ad docilitatem, amor & autoritas docentis: amor facit, ut libenter citraq; tędium auscultemus: autoritas, ut quę traduntur uera esse credamus. Quum amorem dico, Christianum intelligo, non uulgarem: quum autoritatem, eam intelligo quæ uirtute non fuco paratur. Quòd si forte hæc aliunde contigerunt, prudẽtis est humanis populorum affectibus, qui nec immodici, nec cum uitio coniuncti sunt, ad pietatis profectum abuti. Multis formæ gratia cõciliat fauorem, aut patria cõmunis, aut affinitas, aut alius quispiam affectus humanus: hanc occasionem arripiat Ecclesiastes, quod humanum est, uertens in profectum spiritualem. Sunt qui miro studio prosequũtur diui Francisci discipulos, sunt qui impẽsius faueant Dominicanis: hic affectus merè humanus est, & inter æque pios sæpe diuersus, coq; ut hic fauor captan-

Tinnitus auri & argenti

Quæ res Ecclesiastæ conciliant fauorẽ & autoritatẽ

captandus non est, ita, si sponte adsit, est in auditorum commodum accommodandus. Itidem multis autoritatem conciliat ipsa corporis species, atq; oris dignitas, generis claritas, sacra uestis, titulus, ętas: aut aliud quippiã his adsimile. Non est quidẽ Christianæ perfectionis quenq̃ è rebus huiusmodi externis æstimare: tales enim obiurgat beatus Paulus quòd ea modo uiderent quæ secundũ faciẽ sunt, eo quòd qui hisce ex rebus magni faciũt hominẽ, è diuersis contẽnunt: sed quoniã Ecclesiastes cogitur omnia fieri omnib. propter hominum imbecillitatẽ, hoc affectu simpliciũ uelut esca abutetur ad illiciendos imperitorũ animos, donec proficiant ad meliora. Euenit hoc domino Ecclesiastarum principi: humanæ naturæ species, & uitæ humilitas offendit pleroscq; Iudęorũ, crucis infirmitas offendit etiam intimos discipulos: dominus tamẽ passus est, à suis aliquandiu iuxta carnẽ amari, donec proficerent ad ea quæ sunt spiritus. Itidem Pauli uincula multis fuere scandalo, eoq; firmioribus gratias agit, quòd non resiliissent ab Euangelio, doctoris sui afflictionibus offensi. Dominus iubet doctorẽ ex operib. æstimare. Sub sordido pallio, despicabili turpiq; corpusculo latet interdũ animus cœlo dignus: & tamẽ Moses uetat ne cæcus, aut
Leuit. 21 claudus, aut gibbo deformatus, aut hernioſus, aut alia quacunq; corporis macula notabilis accedat ad altare, q̃uis genitus è stirpe Aaron, nec ingrediatur intra uelum: non quod ista contaminent tẽplum domini, sed externa species frequenter offendiculo sit infirmis. Quid quod post abolitas legis umbras, Romani Pont. statuerunt ne claudi, lusci, debiles aut mutili aut minores ætate præscripta recipiãtur ad ministeriũ ecclesiasticũ: nõ quod sit respectus personarũ apud deũ. Nam in Euangelica parabola, mẽdici, cęci & claudi cõpelluntur ad conuiuiũ regale: sed quod uulgus hominum ex his quę patent oculis corporalibus, ducitur in contemptũ rerum spiritualiũ. Huic multitudinis affectui sic indulgendum est ad tẽpus, ut paulatim tamẽ allíciatur ad perfectiora: ita præceptor tolerat discipulum etiamnum rudẽ, ueluti lactãs illũ munusculis ac laudibus, ne resiliat ab instituto. Alioqui nihil erat opus hac de re ullã facere mentionẽ. Quisquis enim ijs uirtutibus præditus est, quas ante cõmemoraui, hũc facile et autoritas et fauor plurimorum comitabitur, si modo in his perseueret. Nam omniũ suffragijs approbari, hactenus nulli mortaliũ contigit. Huc quatenus licet enitendum Ecclesiastæ, ut omnibus placeat per omnia, bonumq; testimonium sibi comparet, etiam apud illos qui foris sunt, Paulinum illud semper habens in animo: Omnia mihi licent, sed nõ omnia expediũt. Vt igitur autoritas & maturius & apud plures contingat Ecclesiastæ, diligenter ea uitet quæ conciliant homini contemptũ, eaq; in se declaret, quæ uulgus suspicit. Luxus, temulentia, somnolentia, uoluptates, præcipue libido, inepta ac stulta loquacitas, futilitas, & nimia familiaritas, uanitas, incõstantia, adulatio, captatio munerũ, leuium uulgariumq; rerum admiratio, reddunt hominẽ cõtemptibilem, eleuantq; autoritatẽ. Contrà conciliant autoritatẽ, sobrietas, uictus parsimonia, uigilãtia, pudici mores, sermo parcus ac sale conditus, silentij fides, grauitas in moribus, in dictis ueritas, comitas decenti grauitate temperata, conuictus cum grauissimis quibusq;, cũ perditis ac prostitutæ famæ hominibus aut nullum cõmercium, aut rarũ, idq; mònendi gratia, nõ cõpotandi, si non aliter cum illis agat q̃ sicut medicus cũ ægrotis, cũ diuitib. talia sint colloquia, ut nec importuna austeritate prouocet illos ad iracundiã, nec ad gratiam loquens incidat in speciẽ adulationis. Munera ne temere à quoq; recipiat, sed in recusando adsit comitas, seruet undiq; integram libertatẽ suã. Quisquis enim accipit munus, nescio quo pacto perdit aliquã fiduciæ suæ partẽ: & qui donat, minoris illum facit qui accipit. Hoc uitium arguit occasio. Quum Ecclesiastes liberius admonuerit eum qui dedit, tum incandescit stomachus, & ingratus uocat qui pro uili beneficio reponit multo præstantius. Hoc perspiciens Apostolus, nõ dignatur à Corinthijs accipere, sed maluit coria consuere, quàm aliquam apostolicæ libertatis partẽ amittere, non quod uenaretur gloriam ab hominib. sed quòd hoc expediret Euangelio. Itaq; male consulunt autoritati suæ, qui sponte currunt ad mensas diuitũ, ac uenãtur magnatũ opipera cõuiuia: sed multo peius consulunt, qui magnã diei partẽ desident in publicis cauponũ diuersorijs, inter homines parum sobrios, simulq; cũ illis nugantur de rebus quibuslibet, ebibentes & ipsi præscriptũ uini modũ, ac uicissim inuitãtes alios. Interdũ & in multã noctẽ luditur chartis ac tesseris, & saltatur incondítis motib. denicq; domum redit pastor ouiũ sic affectus, ut eorũ brachijs suffulciẽdus sit quorũ animos oportuit ab eo fulciri. Adde iam huc concubinam uxoris

uxoris loco, nec eam unam, & si una est, procacem atq; imperiosam. Quis illius dictis audiens erit, aut quis eum reuerebitur, cui cõspicit imperare mulierculam? Obsecro qui sic perpetuò uiuit ut sit unus è fece plebis, ut inter abiectos abiectissimus, quid autoritatis habiturus sit in docendo, quid grauitatis in admonendo? Aut quis audebit illi uitæ suæ scenam in confessione detegere, quem uideat quotidie uino ceruisiáue uuidum & sua ipsius effutire arcana? Hæc scio dictu parum esse decora, sed utinam non maiore dedecore passim fierent, nec iam in uicis tantum, sed in urbibus quoque. Verum hoc ueniæ mihi uelim in hoc argumento perpetuò concedi, ut si quid admonendi gratia per occasionem dicetur, nec bonos offendat ad quos non pertinet, nec his uitijs obnoxios iriteret, quos cupimus non traducere, sed Christo gratiores reddere. Iam quum populus habeat ubiq; suas quasdam peculiares ineptias, ueluti sodalitates & compotationes in templis, superstitiosas circumlationes diuorum, uelut apud Flandrios Liuini & Vuinochi, ludosq; ridiculos, qui sic diutina consuetudine inualuerunt, ut absq; tumultu non facile queant abrogari, & si abrogentur, periculum est ne abrogatis succedant ineptiora, pastor ab huiusmodi spectaculis sese subducat, uel hoc modo significans sibi non probari quæ geruntur. Quoniam autem in diuersis regionibus diuersæ sunt huiusmodi ludorum formæ, ut lector intelligat quid uelim, unam atq; alteram exempli causa proferam. Apud Anglos mos est Londini, ut certo die populus in summũ templum Paulo sacrum inducat longo hastili impositum caput feræ, (damas illic quidã appellãt, uulgus capros, quum re uera sit hircorum genus cornibus palmatis, in ea insula abundans) cum in amœno sonitu cornuum uenatoriorum. Hac pompa proceditur ad summum altare, dicas omnes afflatos furore Deliæ. Quid hic faciat pastor? Si reclamet, uiolenta res est consuetudo, ac citius aliquid seditionis excitet, quàm medeatur malo. Alibi per segetes circũfertur corpus domini, hoc indecentius quod gestatur à sacerdote equestri. In pagis atq; etiam oppidis quibusdam, opificum ordines habent pompas suas. Mali erecti gestantur à multis sudantibus ac defecturis, nisi subinde potu reficiantur, in summo est diuus, cuiusq; opificij præses. Habet populus & alios ludos pompasq;, in quibus circumferunt spectacula, circunducuntur uirgines mirè cultæ, dicũtur fiuntq; multa dissimulanda magis quàm probanda. Huius generis apud Italos sunt Taurea certamina, & cursus asinorum, bubalorum & equorum. Huiusmodi spectaculis non decet eos interesse, quorum autoritas deberet populum à talibus ineptijs reuocare. Idem sentiendũ de similibus spectaculis, quæ fortuitò incidunt: ueluti quum ducitur opulenta sponsa, quum principes agunt suas comœdias, uel funebres, uel triumphales, ad quas inepto studio currit imperita plebecula. Aegrè à Christianis sublata sunt pugilum & gladiatorum certamina. Verum hoc malum quando funditus extirpari non potest, Ecclesiastes prudens, si queat, tẽperabit licentiam, certè spectando non præbebit multitudini probantis speciem. Porrò ut nimia familiaritas parit contemptum: ita patria nonnunquam eleuat autoritatem, id quod euenit domino Iesu, qui quod prouerbio dici solet, prophetam minus esse acceptum in patria, non esse uanum, ipse comperit experimento. Aduersus hunc hominum affectum, geminum est remedium, ut Ecclesiastes idem faciat quod fecit dominus, relictis propinquis & cognatis alio se conferat, docturus Euangelium: aut in procul dissitam regionem secedat, præcipuè religionis & studiorum nomine celebrem. Illic diu commoratus, tandem ceu peregrinus redeat, excitata iam & erecta multorum expectatione. Præterea & ætas utraque parit interim contemptum, iuuentus, & admodum prouecta senectus: illa negligitur uelut imperita rerum, hæc despicitur tanquam delirans: utrique malo remedium aliquod adhibebitur, si iuuenis apostoli consilio pareat: nemo adolescentiam tuam contemnat. Quopacto id fiet, inquis. Si uitam, si sermonem, si uultum ac gestus omneis ita componat ad sobrietatem, ad pudicitiam, ad grauitatem & constantiam, ut in se declaret esse uerum quod dixit ille sapiens, senectus uenerabilis est non diuturna, neq; numero annorum computata. Capitis caniciem & rugas frontis, etiã fatuis ac morionibus adfert ętas, sed ea demum uenerabilis est canicies, quæ renidet in moribus ab omni specie leuitatis ac iuuenilium desideriorum alienis. Senes ita tuebuntur autoritatem suam, si perpetuò sobrij sint, si minimè difficiles aut iracundi, si uitent inutilem garrulitatem, sed parci circumspectiq; sint in uerbis, ut non loquantur nisi præmeditati uel necessaria uel utilia, nec

Superstitiosi populi ritus

Aetas contemptum pariens

1. Tim. 4.

quicquam excidat ineptum aut futile dictu, aut omnino indignum canicie, præsertim inter iuuenes agenti: neq; asper sit aut morosus in obiurgando, si quando res postulat increpationem, sed admonitionis acrimoniam Christiana lenitate temperet: neq; quibuslibet sese negocijs admisceat, non omnes fabulæ partes omni conueniunt actori, quædam in alios reijciat. In summa, sic moderetur omnes actiones suas, ut illi senectus nihil attulisse uideatur nisi maiorem rerum usum, iudicium perspicacius, consilium fidelius, animũ placabiliorem. His rebus fiet, ut quemadmodum Paulus iubet honorari uiduas quæ ueræ uiduæ sint, ita populus ueneretur senes qui uerè senes sunt.

Gratuita prædicatio

Verum ut redeamus ad id quod de largiendo diximus, fatemur esse æquissimum, ut qui ministrant altari, uiuant ex altari, sed uiuant tantum non luxurientur. Vehementer tamen optabile sit, si plures imitentur præclarum apostoli Pauli exemplum, qui gratuitò prædicabat Euangelium, non ignarus quid deberetur, sed magis perpendens quid expediret ad propagandam Christi religionem, & ad tuendam apostolicam autoritatẽ, præsertim apud Corinthios, ut opulentos, ita quæstus auidos. Sed utinã nõ ita passim essent hoc seculo Corinthiorũ similes, quũ Pauli similes nullos reperias. Dixerit aliquis, exemplũ hoc inutiliter inducendũ esse, propterea quod quũ populus seminanti spiritualia debeat sua carnalia, ac perpaucos uideas qui bona fide qd debẽt exoluãt, quid futurũ esset, si per gratuitũ Ecclesiasten discerẽt nihil dare? Ab his intestinis semel gustatis nunq; abigerentur: itaq; breui fieret, ut abrogatis salarijs, nec ullis existentibus qui uellent gratis docere, in totum pastoribus destituerentur ecclesiæ. Verum ista ratio nihil cõmouit Paulum, quo minus gloriaretur se gratuitum agere Euangelistam, neq; metuebat ne deessent uerbi præcones, sed magis uerebatur ne populi liberalitas pro pastoribus inuitaret lupos: nam ad emolumentum properant omnes, ad gratuitum laborem nullus accedit nisi uerè pius. Quod si temporibus illis, quum tanta esset Christianorum paucitas, nec ulla præscripta salaria quæ possent exigi, non defuerunt qui ultro suppeditarent apostolis ac senioribus, quomodo nunc metuimus, ne bonis ac fidis pastoribus desit uictus ac uestitus? non dabunt Corinthiorum similes, sed tanto largius dabunt Macedonum similes: nullus est populus qui non sit ex utroq; genere mixtus, & Paulinum exemplum semel atque iterum æditum fortassis alliceret plureis ad æmulãdum. Quid ni hic idem speremus, quod quotidie uidemus in cæteris accidere? Apud priscos aliquis cœpit pallio semicinctus cum baculo obambulare, ac mendicato uiuere, & obuijs maledicere: adeo nõ defuerunt qui institutum hoc imitarentur, ut hinc orta sit philosophorum familia, quæ Cynicorum dicitur. Sic inter Christianos fuit aliquis, qui ferrea lorica indutus incederet, cætera nudus, adeo non defuit imitator, ut hinc ordo nouus monachorũ exaministibus accesserit. Erat alius, qui canabea tunica tectus reliquo corpore nudus obambularet per æstatẽ pariter atq; hyemem, crucem ligneam gestans, nec domum habens quò se reciperet, nec pecuniam attingens, nec alia re uescẽs quàm pane & herbis aut pomis crudis, nec aliud bibens quàm aquam crudam, uidemus non defuisse qui imitarentur. Quis credidisset fore qui beati Francisci institutum imitarentur? Mundus his undiq; plenus est. Equidẽ arbitror fore, ut si quis existeret qui siculnis folijs pro campestrijs pudenda tegens, cætera nudus, obambularet soleis æreis, sicut fecit Empedocles, pro tritico uescerentur fabis, pro holeribus uulgari gramine aut fœno, non defuturi sint qui imitentur: quanto magis sperandum est fore, ut si quis tam celebris Apostoli reuocet exemplum, sint complures qui æmulentur, præsertim quum hodie nulla sit necessitas, Ecclesiasten per diuersas mundi plagas diuagari, nec quisquã sit, qui sacerdotes suo spoliet patrimonio, aut facultates eripiat industria quæsitas. Quod si uidetur inhumanius ultroneam bonorum liberalitatem reijcere, utatur hoc temperamẽto: comiter excuset sese ijs, qui domi habent eiusmodi subsidijs magis egentes, aut ijs qui non uidentur ex animo dare, sed uel ad ostentationẽ, uel aliam ob causam humanam, fortassis ut iniecta offa obturent os syncerè prædicantibus Euangelicam ueritatem. Talis erat benignitas Balaac regis Moabitarum, qui mercede conduxit Balaam ut malediceret populo Israelitico. Illis commonstret, in quos melius conferri possit, quod destinarunt mittere in corbonam: his adimat spem corrumpendæ linguæ, quæ Christo prędicando dicata est. A cæteris ultro oblata si uidetur accipiat, sed accipiat in alios dispensaturus, ipse ne amittat gloriam suam, qua glorietur non iuxta carnem

nem,sed in domino.Scio nobis obijciendos leuitas & sacerdotes ac pontifices ueteris testamenti,qui uiuebant ex decimis,uictimis ac donarijs. Verũ illis hac ratione prouisum est,quia non habebant aliam sortem in partitione terræ promissæ. Sed hãc prouisionem sustulit uerius quàm comprobauit,nouæ legis autor, qui suos uocat ad exemplum passerum ac liliorum.Illud nimirum est Euangelicę perfectionis,plus promereri & minus exigere, & in tantum abstinere à specie cauponandi uerbum dei, ut & diuitibus impertias gratis doctrinam sacram,quo maiore fructu id facias,& pauperibus addas etiam de tuo subsidiũ.Adde his quod Mosaicæ religionis ministri ex his quæ concesserat Moses,non solum alebant seipsos cum diaconis,sed uxores quoque & liberos, & seruos & ancillas. Nũc uero sacerdotes,quo minus onerati sunt huiusmodi sarcinis,hoc paucioribus egẽt. Illi posteros suos alebant, successuros in ministeriũ: nostri pro uxoribus ac liberis alant, sed alant spirituali doctrina magis quàm pecunia, quos cognouerint euasuros idoneos Euangelicæ philosophiæ præcones. Non est efficax quorundam syllogismus, si qui mactabant uitulos & hircos uiuebant de decimis,quanto magis hoc debetur ijs, qui tractãt sacratiora.Quid debeatur nunc non disputo,sed quid deceat exigere.Quo sublimius est munus Euãgelicum,hoc purius esse decet à lucris temporalibus. Alioqui si placet enthymema à Leuitis ad Euangelistas,eadem opera sic ratiocinabuntur: illi habebant uxores, multo magis idem licet nobis.Inuerte enthymema & ualebit.Nõ licuit ueteris testamenti sacerdotibus possidere diuitias,multo minus licet nostris.Non licuit illis habere cõcubinam,multo minus idem licet nostris.Nõ licuit illis cum uxoribus habere cõmercium, duntaxat id temporis quo templo ministrabant,multo minus licet nostris.Quæ olim dabantur Euangelij præconibus,quoniam sponte & alacriter dabantur εὐλογίαι dicebantur,hoc est benedictiones,quod donans sibi magis gratularetur,quàm accipiens. Nunc in quibusdam regionibus,quum decimæ personales,prædiales & fortunales anathematibus ac minis extorquentur ab inuitis & male precãtibus, κακολογίαι uerius sunt quàm εὐλογίαι. Id quum per se sit odiosum,conduplicatur inuidia,si qui sic exigũt ad unguem quod putant deberi,ne minima quidẽ ex parte meminerunt officij sui. At fieri uidemus, ut nulli molestius exigãt, quàm quibus minime debetur. Debetur enim presbyteris duplex honos,ut ait Apostolus,sed adijcit,ijs qui bene præsunt. Est laicus qui excusat inopiam,uxorem ac liberos alendos,non auditur.Est qui excusat naufragiũ aut incendium, aut similem calamitatem,non auditur,sed audit,Deus nihil uult amittere. Hæc exempla nec apud Iudæos ædita legimus . In præsentia non patrocinor ingratis, sed Ecclesiasticæ consulo autoritati. Posterioribus seculis episcopi quidam accipiebant quæ offerebãtur, sed ut dispensaturi in subsidium egenorum,quod sobrio uictui superesset . At diuus Cyprianus de suo iubet subueniri pauperibus. D.Basilius è propriis facultatibus aluit pauperes.Augustinus ab apostolica libertate minimũ recessit,nihil sibi ferens obtrudi,quod in communem usum transire non posset.Quibus porro uerbis mendicat à populo? Fratres non habeo quod dem pauperibus, subueniat illis charitas uestra . Quædam oblata ab ijs,qui uidebantur habere domesticos egentes subsidio,recusauit:quædam iam donata,& in ecclesiæ ius transcripta reddidit ei,quem liberalitatis ceperat pœnitentia,non ignarus quod semel deo dicatum est,repeti non debere.Sed uir excelsi animi maluit immi nuere ius ecclesiæ,quàm uideri petax,aut larus.Longius abest à sordibus, quod in nonnullis regionibus pastor nihil exigit à populo,sed aliunde census illi designatus est,quantus homini frugali sobrioq; sufficit.Habet domum commodam,hortulum qui uarias delicias subministrat mensæ,uiticulam quæ tantum gignit uini, quantum satis est, & bene dilutum & parcè bibenti.Habet cortem,quę suppeditat ouum & interdũ etiam pullum, Si his accedunt duodecim ducati,iam supereſt etiam ultra mundam uitam , quod subleuet aliquorum inopiam.Sed quò sordium nunc deuentum est apud nonnullos? Mendicatur in ipso sacrificio,& ædituus tinnitu uasculi stannei,atq; etiam clara uoce subinde repetita,populum inuitat ne dicam cogit ad dandum. Sacrificus interim indecorè stat circumspiciens qui dent,qui non . Idem fit à quibusdam in concionibus. Circumfertur tabella,& subsidium petitur,immo efflagitatur Ecclesiasticæ.Non ista reprehendo,si urgeat necessitas,sed ostendo quantum absint ab illa superbia apostolica , cuius optarim quàm plurimos esse imitatores.Repertus est unus absq; literis pius qui scripsit, Vadãt pro elee

mosyna confidenter, nec oportet eos uerecũdari, quia dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo: & ecce uidemus orbem plenum mendicitatem ultro profitentium. At insignis ille Euangelista qui dicit: Volo oẽs esse sicut ego sum, qui toties gloriatur, q manibus suis sibi pararit uictum ut gratuitò doceret Euangelium, quod nocte dieq; laboraret, ne quem grauaret, uix ullum reperit imitatorem. Excusatur à multis necessitas, dura re uera telum. At uidendum est unde ueniat illa necessitas: qui uerus est pastor, delegat uices suas alteri, paululum quiddam aspergens è decimis: ille rursus locat alteri, nihil aliud illi relinquens quàm spicilegium demessa iam segete. Eadem querela est de nonnullis monasteriis, decq; collegiis quæ curas habent incorporatas, sic enim illi loquuntur: censum hoc est lanam sibi reseruant, oues tradunt famelico, frequenter indocto iuxta ac improbo deglubendas. Et miramur pastorem non esse in ea autoritate apud populum, qua deberet? Hic episcoporum aut principũ partes erant, eos qui percipiunt emolumentum,

Fauor quŏ conciliatur

compellere ad officium. Hactenus de autoritate. De beneuolentia concilianda quid attinet dicere? Verus amor nulla re paratur efficacius, quàm gratis & hilariter benemerendo de omnibus. Beneficentia cicurantur & ad amicitiam alliciuntur etiam immanes fe-

Forma perfecti Ecclesiastæ

ræ. Iam mihi finge talem Ecclesiastem qualem nos quærimus, qui se totũ exponat iuuandis omnibus, plusquam paterna maternáue solicitudine pro singulorum uigilans salute, docens ignaros, blandè reuocans errantes, erigens ægrotos, consolans lugentes, opitulans afflictis, subleuans oppressos: nascentes Christo tradat, morientibus assideat, mortuos sepeliat, egenos foueat, oret sacrificetq; pro salute omnium, in summa nullum prætereat expertem suæ beneficentiæ, atq; hæc faciat tum constanter, tum alacriter, pro his meritis nihil omnino petens mercedis à quoquam, non pecuniam, non obsequium, non gloriam: quis obsecro tam duræ mentis est, ut eiusmodi uirum, non ut numen quoddam è cœlo delapsum & amet & ueneretur? Tanta charitas etiam malos compellit ad amorem mutuum. Quod si qui sint, qui talem constanter odisse sustineant, quid aliud lucrifecerint, nisi ut ab omnibus iudicentur omnibus feris efferatiores. Hæc sunt incantamenta multo efficacissima, hæc philtra præsentissima ad conciliandum, nec conciliandum tantum, sed etiam ad extorquendum hominum beneuolentiam. Cætera leuiora sunt, quæ tamen his adhibita non parum habent momenti. Virtutes enim heroicæ non reijciunt obsequia, si quas dotes humanas, uel indit natura, uel addit institutio atque industria, sed eas comiter amplectuntur, purgant, ac perficiunt. Accidit tamen interdum, ut homines eximijs illis uirtutibus præditi, in his leuioribus uideantur parum attenti, sicut in rebus mor-

Ingeniorum habitus uarij

talium nihil est ab omni parte beatum. Socrati uiro inter Ethnicos laudatissimo, non parum inuidiæ conflauit in omni sermone familiaris ironia, quæ tamen in illo non erat uitium, sed natura. Platoni fastus est obiectus, quũ hic fuerit in eo non τῦφος sed σεμνότης, melius enim dicitur Græce quod sentio. Irrisa est à multis Diogenis dicax ac faceta libertas. Molesta fuit nonnullis Xenocratis austeritas. Parum digna philosopho uisa est Stilponis comitas omnia in bonam uertens partem, etiam illa quibus hominum uulgus grauiter offendi solet. Naturalis fuit in Scipione Africano maiestas. In L. Crasso oratore pudor non offundens tenebras ingenio, sed dictioni gratiam addens. M. Tullio nõnihil autoritatis ademit iocandi studium. Catoni seniori non mediocrem inuidiam conflauit censoria in omnes seueritas. Quin & Vticensis ille uisus est æquo præfractior. Similes ingeniorum uarietates reperias, & in uiris religionis commendatione claris. Ambrosius ubique placidus est, ac iucundus magis quàm uehemens. Augustinus blandus & hærens. Hieronymus uehemens, liber, interdum etiam austerior. Chrysostomo uitio uerterunt æmuli, quod amaret solus cibum capere. Quod erat sobrietatis, inhospitalitatis nomine reprehensum: phrasis indicat hominem fuisse ad docendum pulchre compositum. In Basilio sentias eximiam animi celsitudinem, prudẽti comitate temperatam: Gregorius Nazianzenus argutior est. Athanasio fuit in rebus gerendis admirabilis quædam solertia. In Cypriano mireris naturalem dicendi facultatem. Quid plura? Non est minor uarietas in hominum ingenijs, quàm in uultu ac uoce. Nec semper tutum est in diuersum habitum demigrare, quemadmodum in comœdijs subito fit sui dissimillimus Demea: sed cornandum est, ut quod natura penitus inseuit, si cum uitio coniunctum est, ad uirtutem corrigatur: si simplex est naturæ habitus, cauendum ne in uitium confine degeneret: utputa,

ne grauitas

ne grauitas à natura addita exeat in sæuitiam, asperitatem & toruitatem, lenitas in negligentiam & contemptum, blandicies in assentationem. In his autem corrigendis oportet abesse fucum. Perpetuum esse non potest quod fingitur, & infeliciter ferè cadũt quæ tentes inuita Minerua. Cui si non repugnamus, fit ut diuersis moribus par tamen autoritas & gratia comparetur. Qui natura comis est ac festiuus, caueat à specie adulationis ac leuitatis. Qui loquacior est, studeat nunquam loqui nisi quũ suadet utilitas. Qui taciturnior est ac tristior, ad præsentem proximorum utilitatem, natiuam austeritatẽ affabilitate temperet. Qui lenior est, huic charitas & pietatis zelus addat aculeum. Naturæ uitium consuetudo non diutina facile corrigit. In his tamẽ prodest admoneri. Nam aliena quàm nostra rectius perspicimus. Iam & ætas & patria adferunt non paruam ingeniorum differentiam. Adolescentia nisi refrenetur, diffluit in uoluptates ac lasciuiam. Iuuentus præceps est & incogitans. Senectus ferè tristior est, iracundior, ad rem attentior, & ad ignoscendum difficilior. E singulis quod utile inest oportet excerpere, quod ad uitium tendit corrigere. Teneræ ætatis lasciuia liberalibus studijs edometur: iuuentutis ardor philosophiæ præceptis temperetur: senectutis imbecillitas ratione, consilio & cura fulciatur. Itidem Germanus dabit operã, ut uitata immanitate sit fortis, & ad impia illabefactabilis. Hispanus Christi gloriam sitiat. Italus sobrietatem, quam in cibis potuq; præstat, in cæteris etiam adhibeat: Gallus natiuam facilitatem flectat in obsequiũ dei: Gelrius natiuam astutiam uertat in Euangelicam prudentiam: Hollandus natiuam simplicitatem Euangelica prudentia condiat. De cæteris similiter apud suum quisq; animum æstimet, ne singula persequens fiam molestus. His itaq; ingeniorum, ætatum & regionum cognitis & animaduersis differentijs, sibi quisq; leges præscribat, quibus & ad uitium tendentia corrigat, & uirtutis indolẽ præ se ferentia prouehat. Hæc leuiora sunt fateor, & ad humanam imbecillitatem accommoda, sed tamen si sublimibus illis spiritus sancti dotibus subseruiant, non negligenda, quoad homines cum hominibus, infirmi cum infirmis uersamur: quibus utinam efficaciora dominus dignetur inspirare pastorum suorum animis, ut omnes despectis huius mundi uilibus emolumẽtis ad hanc omnium pulcherrimã militiam toto incumbant pectore, post breue tempus (quid enim hac uita fugacius?) sempiternam accepturi coronam beatæ immortalitatis. Et si quid hic laboris deuorãdum, (nihil enim præclarum absq; negocio geritur,) cogitent quantum solatium futurum sit audire beatifi cam uocem: Euge serue bone & fidelis intra in gaudiũ domini tui, accede ad triumphum cœlestem strenue dux, esto particeps gaudiorum, qui particeps afflictionũ esse mea causa non recusasti. Quod erit illud tripudium, qui plausus, quàm læta acclamatio, quum illic multos uidebis qui tibi suam felicitatem, suam salutem ferent acceptam, quos ad pietatem instituisti, quos ab errore reuocasti, quos ad cœlestium bonorum amorem inflammasti. Imò quoniam illic perfecta charitas facit omnibus omnia communia, quid erit te felicius, splendidius aut illustrius, quum innumeræ cœlestium ordinum myriades, uno ore, consona uoce undiq; tibi gratulabuntur, & Christo principi gratias agent, qui per te dignatus est augere beatam illam sodalitatem, cui nil deest ad consummatam beatitudinem nisi ut expleatur electorum numerus, ac resuscitatis corporibus omni ex parte plena erit & absoluta felicitas. Eorum uero quæ supra memorauimus consideratio non doctores tantum ad docendum, sed auditores quoq; merito deberet extimulare ad discendi studium & obtemperandi promptitudinẽ. Vt enim uigilanter alacriterq; doceat aliquis, non minima ex parte situm est in discipulis. Quotum enim quemq; reperias tam patientis stomacho, qui diu retinere possit in docendo studium, alacritatem atq; ardorem, si conspiciat è tam multis tam paucos uenire ad concionem, tum in his paucis tam paucos esse in quibus non ludatur opera, dum alij crapula graues, audientes nõ audiunt, alij toto uultu totoq; pectore tædiũ præferunt, oscitantes, screantes, ructantes, obtussientes, alij non alia facie concionantem auscultant, quàm solent histrionem in Theatro saltantem, plerique dormitant, nec desunt qui altum etiam stertant, quod distento uentre ueniant in concionem. Qui non ob aliud eò ueniunt, nisi ut diem fallant, domusq; tædium excutiãt, ad cætera surdi, tantum expectant si quid festiuum aut ridiculum excidat, quod in cœna recitent combibonibus. Quanquam his quoq; peiores sunt, qui non ueniunt ut discãt, sed ut captent quod calumnientur, nec hunc animum dissimulant, sed risu ricturq;, interdũ & sibilo

Ætatum habitus

Præmium æternum Matth. 25

Populi docilitas

sibilo produnt & murmure. Omitto nunc pueros obuagientes, canes oblatrantes, con-
fabulones obturbantes. Et miramur si concionatores habemus parũ diligentes? An non
meminimus & illos esse homines? Comœdiarum actores queruntur de spectatoribus,
orantes ut illorum attentione & silentio ad recte agendum adiuuentur, alioqui frigere a-
ctionem. Quod histrio suo iure postulat, hoc negatur uerbi salutiferi præconibus? Prodis
in theatrum, ut spectes nugas, & auscultas: at in concione dormis, auditurus quæ & te ti-
bi reddant meliorem, & deo chariorem faciant. Si Ecclesiastes fabulam ordiatur de lana
caprina, aut de umbra asini (Nam sunt qui studio quædam admiscent huiusmodi) exper-
giscēris, defricas somnum ab oculis, arrigis aures, aduocas animum: & ad ea quæ faciunt
ad ueram perpetuamq; felicitatem aures non habes? Merito frigeat Ecclesiastes, si cōspi-
ciat populum attentè quidem audire quæ docentur, sed in moribus nullum apparere do-
ctrinæ fructum: quanto iustius frigeat, si conspiciat tantum multitudinis fastidium, ut nec
uerba salutiferæ doctrinæ perferre ualeant? Audiunt alacres circulatorem in foro ridicu-
las, interdum & obscœnas nugas garrientem: & cœlestis philosophiæ doctori non præ-
stant eandem audientiam? Fauemus histrioni, ne si explodatur frustra fabulam edidice-
rit: quanto iustius fauendum Ecclesiastæ, qui per omnem uitam summis uigilijs ac labo-
ribus parauit, quo populum redderet meliorem? Adde huc, quod etiam fractior exibile-
tur, nullo spectantium id fiat detrimẽto: cõtrà uero, si Ecclesiastes surdis narret fabulam,
ad populum redit omne damnum, ipse excusatus habebitur apud deum, qui munus dele
gatum pro uiribus obierit. At quale damnum? non pecoris aut pecuniæ, non ualetudinis
aut sensuum corporis, sed quod est omnium damnosissimum, ueri ignorantia, mentis cæ
citas, impietas, lætiferę pestes animæ. Si quis missilia spargat in uulgus, puta nummulos,
aut crustula, quàm alacer, quàm frequens undiq; concursus. At quanto sunt preciosiora
quæ è suggesto spargit Ecclesiastes è cœlestis philosophiæ thesauro deprõpta. Spargun-
tur opes illius sapientiæ, qui iuxta Solomonis testimoniũ preciosior est cunctis opibus.
Sparguntur gemmæ uirtutum Euangelicarum, quæ locupletent ornẽtq; mentem tuam
in æternum, & tu non accurris, non arripis quod iacitur, præsertim quum hic potior sit
colligentium conditio quàm illic. Illic, quod alius prærripuit tuum esse non potest: hic sin
gulis integrum est, si uelint, quod in commune mittitur. Alterius lucrum nõ fit tuum de-
trimentum, sed singulorum lucrum fit omnium gaudium. Videmus si quis circumfora-
neus posita mensa, polliceatur artem eximendi maculas uestibus inlitas, aut remedia ad-
uersus dolorem dentium, lippitudinem, febrim quartanam, miro studio, frequentem ac-
currere populum: & eum qui commonstrat quibus modis eluantur animorum maculæ,
quibus propellatur auaritia, impudicitia, amor insanus, odium & inuidia, præsentaneæ
mentium pestes, audire grauamur. Beatus Paulus destomachatur in eos qui in conuentu
Christianorum præter decorum epulabantur, contemnentes ecclesiam dei, rogatq; illos
an non habeant domos ubi pro suo arbitrio uescantur, bibantq; uel usq; ad ebrietatem, si
libeat. Arbitror illum grauius etiam destomachaturum, si conspiciat nostras conciones,
exclamaturumq;: Quid ita ecclesiam dei contemnitis? Si crapulam eructare, si temulen-
tiam edormire libet, priuata domus & cubiculum ad ista magis sunt accommoda quàm
templum. Si cessare uisum est, sunt sphæristeria ubi id fiat absq; cõtumelia ecclesiæ: si nu-
gari iuuat, sunt tonstrinæ, fora, & porticus, ubi ista fiant non dicam decenter (nusquam
enim decet quod ineptum est,) at certe minus indecore. Ad conuiuium uocatus compo
nis temetipsum pro dignitate conuiuatoris, præparas orexim, ne uideare conuiua fasti-
diosus, multaq; ciuilitate subleuas inuitatorem, qui pecuniam & curam impendit, ut lau-
tum exhiberet conuiuium: & eum qui pascit animum tuum pane cœlesti, qui propinat ti
bi uinum exhilarans cor, fastidio nauseaq; tua contristas? Vnde hæc in nobis tam præpo
stera rerum æstimatio? Saltem ab infimis proficeremus ad sublimiora. Venit uere dariũs
ad oppidum, dicens se missum non iam dicam à Cæsare, sed à Satrapa quopiam, auditur
reuerenter, non ob sua merita, sed ob legantis autoritatem: & Ecclesiastes dei legatus de-
spicitur in contumeliam legantis? Noli secundum faciem iudicare. Homo tui similis est
qui loquitur, sed deus tibi per illius os loquitur, & uerba dei non sua loquitur. Dignus igi
tur est quem ut Christum audias, qui Christum docet. Audis hominem legatum ab ho-
mine, recitantem edicta quæ te grauent, fortunasq; tuas attenuent: & nõ audis exponen-
tem

tem mandata dei, quæ te beatum reddant? Si par est, in oratore uenerari mittentis perso-
nam, nihil est deo sublimius: si par est cũ applausu fauoreq; excipere quæ dicũtur in rem
nostram, nihil est animarum salute præstantius, nihil Euangelio gratiosius. Diligenter au
scultas profitentem quomodo colendus sit ager corporis altor, & non audis docentem
quomodo excolendus sit animus, qui fructum adferat sempiternæ felicitatis? Medico
mercedem exacturo pro tristibus remedijs præbes attentas aures ut à corporis morbo
conualescas: & eum piget audire, qui gratis, qui blando sermone medetur animi mor-
bis? Quis autem est nostrum, qui non multis uulneribus sauciam habeat animam, aut
qui non multis laboret morbis capitalibus? aut si non laborat, certè periculum est om-
nium commune. Optimum est à medico discere quomodo uitandus sit morbus priu-
quam incidas. Quicquid unquam peccarunt homines, hoc in te cadere potest. Itaque
si laici reputẽt, quanta sit Ecclesiastæ dignitas, quàm laboriosam, quamq; discriminis ple
nam prouinciam sustineat, cuius uices gerat, quod agat negocium, quantas adferat utili-
tates, quàm sublimia doceat, quàm magnifica polliceatur, nimirum & uenerabuntur reli
giosius, & auscultabunt attentius, & obtemperabunt libẽtius. In quo si quid offendet hu-
manæ imbecillitatis, non statim est insolenter fastidiẽdus, sed humaniter magis subleuan
dus. Quomodo inquies subleuandus? Si alacriter audias docentem, patienter audias cor
ripientem, si teneas quod docuit, si emendes quod reprehẽdit, si sub illius disciplina quo-
tidie euadas teipso melior. His quasi stimulis excitabitur ut fiat in studio sacrarum litera-
rum uigilantior, in docendo feruẽtior, in admonẽdo liberior. Quin & precibus omnium
subleuandus est. Orandus est deus, ut per suum oratorem indies largiatur gregi suo me-
liora. Hoc quum orat populus, pro se orat, & quoniam petit in nomine Iesu, deus non se
præbebit surdũ uotis huiusmodi. Ecclesiastes uicissim orat, ut spiritus Christi reddat do-
ciles omnium animos, præparetq; segetem, ut bonum semen iniectũ feliciter proueniat. *Hiere. 4*
Clamat dominus per Hieremiam: Nouate uobis nouale, uiri Iuda & Hierusalem, & noli
te serere super spinas. Circumcidimini domino, & auferte præputium cordium uestro-
rum. Viri Iuda sunt, quicunq; confitentur & agnoscũt suam iniustitiam: uiri Hierusalem
sunt quicunq; perseuerantes in ecclesia Catholica, sectãtur ea quæ sunt pacis, erga deum
simul & erga proximum. Nam hi demum dociles sunt Euãgelicæ philosophiæ. Qui non
agnoscit morbum suum, non est medicorũ arte tractabilis, & si quis contentiosus est, nos
inquit Apostolus, talem consuetudinẽ non habemus. Amat noua doctrina nouos agros,
amat sobria sobrios animos, amat pura puras mentes. Excide spinas terrenarum solici-
tudinum, extirpa frutices inutiles malarum cupiditatũ, euelle lappas, carduos, tribolos,
& quicquid noxiorum affectuum occupauit animum tuum, ita bono semini præparaue
ris bonum aruum: Circũcide præputium cordis tui, amputatis uoluptatibus, luxu ac de- *Oseæ 10*
licijs. Hortatur item per Oseam spiritus sanctus: Seminate, inquit, uobis in iustitia, & me
tite in misericordia. Innouate uobis nouale. Tempus autem requirẽdi dominum, quum
uenerit, qui docebit uos iustitiam. Seminat in iustitia, qui sitit iustitiam: metit in miseri-
cordia, qui quod sitijt ampliter assequitur, non suis uiribus, sed domini benignitate. Inno
uat sibi nouale, qui pectus suum præparat Euangelicæ doctrinæ. Hoc est enim uinũ no-
uum, quod dominus non uult immitti in utres ueteres: hic est nouus pannus, qui male co
hæret in ueste ueteri. Vtranq; partem uideor satis admonuisse. Quod si utraq; suo funga
tur officio, Ecclesiastes quidem bona fide, diligenter, alacriter, amanter, cõstanter dispen-
set thesauros domini sui: populus uero pijs & auidis animis quod datur excipiat, haud
dubium est quin cœlestis ille agricola daturus sit uberem lætumq; prouentum. Quod igi
tur de dignitate, de difficultate, de puritate, de fortitudine, de utilitate, de præ-
mio fidelis Ecclesiastæ dicendum uidebatur, hoc uolumine com
plexi sumus: cuius quoniam satis creuit magnitudo,
quod supererit in proximum librum
reijciemus.

LIBRI PRIMI FINIS

ECCLESIASTAE SIVE DE RATIONE CONCIONANDI AVTORE DES. Erasmo Roterodamo, liber secundus.

Vera pietas suggerit facundiam

SICVI munificentia numinis adsint ea quæ superiore libro commemorauimus, huic non magnopere fuerit opus præceptis ac monitis uerbosioribus, quod habitus ille mentis syncerus ac perfectus, facūdiam rebus sacris dignam, & pronunciationem appositam, & gestus decentes ultrò suppeditet, etiam non affectanti. Fit enim, nescio quo pacto, ut interna species animi migret in hominem exteriorem, totumq; ad suā transfiguret imaginem, non aliter q̄ sanguinis & intestinorū occulta uitia sese proferunt externo corporis habitu. Pallent hepatici, nigrescunt aut flauescunt icterici, contrahuntur podagrici, tremunt spasmatici, & ἀκροπλήκτικοι. Necq; enim minus certa sunt peritorum medicorum iudicia ex oculis, uultu totiusq; corporis specie, q̄ ex lotio pulsúue. Necq; raro fit, ut cordis affectus reluceāt in externa hominis imagine. Non iam loquor, de furore, de ira, de odio, de amore, de pudore, metu, spe, gaudio, dolore, cęterisq; crassis affectibus, qui se uel inuitis nobis toto pectore proferunt, sed de his quoq;, de quibus, quoniā sunt retrusiores, difficilius est iudiciū: quod genus sunt, modestia, aut arrogantia, timor dei aut contemptus, neglectus aut amor diuitiarum, constantia aut leuitas, pudicitia aut impudicitia: doctrina aut imperitia, denicq; illa ipsa maxime spiritualia, fidei synceritas, spes & charitas. Si tantū ualent habitus humani, ut totū hominē uelut in aliā speciem transforment, quanto magis Christi spiritus inhabitans cor hominis totā illius imaginē cōponet? An non uidemus in quorundam oculis ac fronte quasi relucere spiritū sanctū placidū, mitē ac fuci nesciū? Agnoscas in illis iam nunc meditari uim numinis, quod in resurrectione perficiendū est, ut spiritus potentior corpus ipsum quodāmodo in se transformet. Quēadmodū è diuerso, qui prorsus abiecto timore dei semet ad omnem impietatē omneq; scelerum genus dedidere runt, ipsa corporis specie diabolum uidentur exprimere. Proinde uereor ne cui uideatur ineptum hic de rhetorum præceptis meminisse, quod artis significatio fidem dicentis eluet in tantum, ut summus ille orator existimet caput artis esse, artē dissimulare. Quisquis enim credit eum ex arte dicere quē audit, quoniā sibi putat strui insidias ab artifice, cauet ab assentiendo, & huc potius intēdit animū, ut obseruet, q̄ ingeniose aut q̄ callide dicat, non q̄ salubriter. Quod si probatur ueterū quorundam sententia, qui dixerūt rhetoricen nihil aliud esse, q̄ dicendi prudentiam, quum uideamus permultos fuisse facundissimos, qui artem prorsus ignorarunt, non uideo quid utilitatis sint allatura rhetorum præcepta Ecclesiastæ, quem & uirū insigniter bonum, & diuinitus eruditum, & Euāgelica prudentia præditū esse uolumus. Sed eadem ratione non esset Ecclesiastæ discēda dialectica ars sic rhetoricæ cognata, ut penè sit eadem, si Zenoni credimus, qui manu contracta & exporrecta, notauit utriusq; discrimen. Et tamen hac nulla omnium traditur in scholis exactius magisq; serio, quū præter captiosas argutias & paralogismorū insidiosos laqueos, uideatur etiam cogere, atq; hominem ceu uinculis astrictū in suā pertrahere sententiam: quis autem fidem habeat insidianti, aut quotusquisq; est, qui non malit duci q̄ trahi? Sed has disciplinas Ecclesiastē didicisse oportet, nō discere, & didicisse potius q̄ perdidicisse: ne, quod multis euenit, indies magis ac magis adlubescente studio, illic uelut ad firenum scopulos consenescat. Primæ adolescentiæ congruunt hæc studia, quanquam ut magni interim refert, quàm sobria tradentur, ita plurimum interest, qualis sit exercitatio. neque enim parum officiunt puerorum ingenijs, qui dialecticen reliquasq; philosophiæ discipli nas tradunt, non perinde spectantes ad discipulorum utilitatem, quàm ad proprię eruditionis ostentationem: tum eos magis exercent ad palæstram, q̄ ad bellum. Itaq; dum teneros animos torquent difficultatibus & gryphis non necessarijs, triplici illos afficiūt incommodo. Primum ingenia generosiora frequenter deterrent ab his disciplinis, deinde frustra conterunt ætatem, ut optimam ita fugacissimam, quum interim licuisset alia quædam utilia cognitu discere. Postremo efficiunt ut quum ad seria uentum fuerit, ineptiuerius

Mentis habitus relucet in corpore

Ars obest nisi dissimuletur

Rhetorica nō ars, sed prudentia

Dialectica cogit

Artes perætatē modice gustandæ

Artes quō tradendæ

uerius quàm inſtructi uideantur: quemadmodum uix alij ſunt ad uerũ prælium ineptiores, quàm qui per omnem uitam artem dimicandi gladijs didicerunt ac docuerunt. In ludo norunt ſagittam in ſe miſſam enſe diſſecare, priuſquam eò quò miſſa eſt perueniat. At in bello qui parat mittere, non præmonet illum quem petiturus eſt, nec ibi ſeruantur ludi gladiatorij leges. Profuerit tamen his diſciplinas à primis ſtatim annis ſobrie didiciſſe, & exercitationem adhibuiſſe ad eam functionem, ad quam deſtinatus eſt adoleſcens. Neq; enim in eadem licet diſciplina eodem modo exercendus eſt, qui deſtinatus eſt agẽdis causis forenſibus, aut obeundis principum legationibus, & qui præparatur ſacris concionibus. Quemadmodum in dialectica aliter exercendus eſt qui ſcholæ educatur, aliter qui theologiæ. His porro diſciplinis ſobriè traditis & appoſitè exercitatis paratur quædam ingenij dexteritas, tum ad rectè iudicandum, tum ad commodè differendum. Eam facultatem humana partam induſtria, ſuperueniens uberior ſpiritus gratia, non diſſoluit ſed abſoluit, nec adimit ſed adiuuat: qui ſicuti naturæ dotes egregias nactus magnificentius per eas exerit ſuam energiam, non aliter quàm inſignis artifex libentius & accuratius oſtendit artem ſuam in ſplendida tractabilíq; materia: ita noſtram induſtriam adeo non aſpernatur ſpiritus ille cœleſtis, ut exigat etiam, nec indignatur ſua dona noſtro uicíſſim ſtudio adiuuari, tantum abſit impia noſtri fiducia. Iam ut donemus fuiſſe nonnullos tam felici natos ingenio, ut abſq; cognitiõe dialectices & perſpicacíter iudicarint, et acute collegerint, & abſq; rhetorum præceptis eloquenter dixerint: tamen quoniam per quam rara eſt iſta inter homines felicitas, naturæ imbecillitas non mediocriter adiuuatur præceptis & exercitatione, præceptis ad iudicandum, exercitatione ad agẽdum. Similiter quoniam non omnibus, fortè etiam nullis, ea donorum ubertas obtingit à ſpiritu, quæ Apoſtolis, nulla fuerit impietas, quod donis illius diminutum eſt, ſupplere diſciplinarum adminiculis. Rurſus ut donemus uſu quibuſdam hoc contigiſſe, ut quod ars docet, præſtẽt experientia, tamen præceptorum acceſſio facit, ut & certius ea contingat facultas, & maturius. Tardior enim eſt ſtultorũ, ut ait ille, magiſtra experientia. Et quẽadmodum inauſpicatus eſt medicus, qui occidendo homines didicit mederi: ita non eſt optanda prudentia, quæ lædendo didicit prodeſſe. Hoc perſpiciens Philippus Macedonũ rex filium Alexandrum à prima ſtatim puerítia Ariſtoteli philoſophiæ decretis imbuẽdum tradidit, mirum intelligens plus uno die diſci præceptis, q̃ multorum annorũ experientia, præſertim quum in ipſis præceptis inſit experientia. Sunt enim ab ijs tradita, qui præter egregias naturæ dotes diutino etiam rerum uſu ſibi prudentiam eam collegerunt. Iam ſi quis in negocijs priuatis multũ putet tribuendum experimentis, cum hoc nõ admodũ pugnabo. Cæterũ in functionibus publicis, in quibus leuis error haud leuem perniciem adfert populo, non oportet ſæpius audire uocẽ illam, non putarã. Inter eos aũt unde reipub. uel plurima ſalus, uel plurima pernicies proficiſcitur, præcipui ſunt princeps & Eccleſiaſtes, & inter hos duos, Eccleſiaſtes plus habet momẽti, ut à quo pendet etiam ipſa principum inſtitutio. Verũ ut præceptiones plus adferunt utilitatis, ſi ingenio per ſe felici adhibeantur: ita plenius operatur ſpiritus ſanctus, ſi reperiat pectus liberalibus diſciplinis præparatum. Rurſus artis præcepta non ita multum iuuant, niſi per frequentem uſum tranſierint in habitum quaſi in naturam: ut quemadmodum muſices perito præſto eſt quod recte moduletur, etiam ſi de modis & harmonijs non cogitet: ita Eccleſiaſtæ dicturo ſponte occurrat, quod præſens argumentum exigit, etiam ſi de rhetorum præceptionibus ne cogitet quidem. Ad bene dicendum expedit artem contemnere, ſed poſteaquam ex eius uſu parata eſt dicendi facultas. Sic qui exercentur ad artem pingendi, circino explorant membrorum συμμετρίας: uerum ubi iam præceptis & uſu collegerint habitum, melius abſq; circino pingunt: quod maioris ſit artificij efficere, ut membra quædam minora uideantur quàm reuera ſint, rurſus quædam ſubſidere aut prominere uideantur, quæ nec ſubſidunt, nec prominent. Hoc enim agit artificis prudentia, ut res exprimat non quales ſunt, ſed quales apparent intuentibus: apparent autem eædẽ diuerſa ſpecie, è propinquo, aut è longinquo, ex alto, aut ex imo, à latere tergóue, aut à fronte contẽplantibus. Quemadmodum autem in ſcholis non indecenter in explorandis ſyllogiſmis aut enthymematibus, fit mentio figurarum, quas in analyticis prioribus, ac ſolide colligendi rationum, quas in poſterioribus tradidit Ariſtoteles, aut collectionum topicarum, nec intempeſtiue

Vtilitas diſciplinarum

Experientia tarda

Præcipuæ perſonæ in re pub. princeps et cõcionator

Ars quõ contemnenda

ſtiue produntur captiones elenchorum, excutitur difficultas modalium ac mixtorum: ita frigidum fuerit eadem apud iudicem aut populum inculcare, quum tamen interim his omnibus utatur Eccleſiaſtes, ſed occultans artem, & ratiocinationum argutias ſic explanans, ut multitudo ſentiat uerè dici potius quàm ingenioſe, utq; obſcura fiãt dilucida, inuoluta explanatiora, moleſta facilia. Quibus aũt modis id efficiatur, ſuo dicetur loco. Expedit tamẽ in illis per ætatẽ exercitatũ eſſe, ſed ſobriè, quo uidelicet certius ac promptius ſit iudiciũ. Neceſſe eſt eñ ut prius ſit iudiciũ, q̃ eloquiũ, prius ſapere, q̃ dicere: quẽadmodũ in natura prior eſt fons q̃ fluuius, & in artibus prior eſt deliniatio q̃ pictura. Cæterũ quoniam, ut diximus, oportet Eccleſiaſten pro dignitate muneris uariis dotibus eſſe inſtructum, quemadmodum non eſt meæ facultatis, ita nec huius inſtituti, hic docere quid illum oportet didiciſſe, ſed obiter circa ſingula quædam admonebimus, ad hoc argumentum propius facientia. Primum illud conſtat, grammaticen eſſe diſciplinarum omnium fundamentum, ex cuius neglectu quanta bonorum autorum ac diſciplinarũ uel interitus uel corruptela ſit profecta, notius eſt, quàm ut hic ſit oſtendendum. Quum autem grammaticam dico, non ſentio inflexionem nominũ ac uerborum, & appoſiti cum ſuppoſito congruentiam, ſed rationes emendate proprieq; loquendi, quæ res non contingit, niſi ex multijuga ueterum lectione, qui ſermonis elegantia præcelluerunt. Ac noſtro quidem ſeculo iure gratulamur, quod è ludis literarijs penitus ſublatum eſt illud literatorum genus, qui dum inculcabant modos ſignificandi, aliasq; commentitias difficultates, idq; uerbis illotis ac ſophiſticis, nihil aliud docebant pueros quàm barbare loqui, quum grammatica ſit ars emendate loquendi. Videbatur hoc eſſe compendium, quum reuera maximum eſſet diſpendiũ. Rapiebant pueros ante tempus ad dialecticam, atq; adeo ad ſophiſticam. Atqui dialectica cæca eſt abſq; grammatica. Quicquid enim agit dialectica, per ſermonem agit, per hunc enunciat, definit, diuidit & colligit. Ad ea requiritur uocabulorum cognitio, quibus ſingulæ res declarantur, tum eorum compoſitio: quorum utrunq; pendet non ab arbitrio diſputantium, ſed à conſuetudine ueterum, qui caſtigate loquuti ſunt. In utroq; non mediocris eſt difficultas, quod multæ res in quibuſdam regionibus aut prorſus non ſint, aut diuerſa ſint ſpecie: hinc in uocabulis piſcium, auium, quadrupedum, arborum, herbarum, fruticum, gemmarum, tanta uarietas. Nos quid ſit ſpinus aut urtica, aut mytilus piſcis ignoramus, contra Veneti neſciunt quam nos aſellam aut ſturionem uocamus, quidam Silurum eſſe putant. Eodem errore fit quod noſtri pictores pro palma pingunt buxum, ac Paulum Eremitam ueſte è buxeis ramis contexta amictum producunt, quum ex buxo nihil poſſit contexi, è palmæ ramis aculeatis corbes contexi poſſint: tegebatur corpus, ſed pungebatur. Quin & in Dominica quadrageſimæ poſtrema, quæ palmarum dicitur, pro palmeis buxeæ frondes conſecrantur, quum plus diſcriminis ſit inter palmam & buxum, quàm inter urticam & betam. Vt omittam interim, quod ne inter ueteres quidem ſemper conueniunt rerum uocabula. Id liquet ex Plinio, Dioſcoride & Hermolao Barbaro, qui præter alios in hoc argumento ſtrenue deſudarunt. Maior autem ambiguitas eſt in his rebus, quæ ſubinde per artifices mutantur in ijſdem etiam regionibus, uelut in ueſtibus, armis, ædificijs, nauigijs, organis muſicis, uehiculis, monetis, ponderibus ac menſuris. Interdum autem incidit, ut niſi priſcam harum rerum formam teneamus, ſcripturæ locus non ſatis commode poſſit explicari, quæ tota ſcatet huiuſcemodi uocabulis: ut ne quid interim commorem de uocibus apud eandem gentem in eadem lingua uaria ſignificantibus. Similis difficultas eſt in ciuitatum, montium, fluminum, fontium ac lacuum uocabulis, quæ uel hominum inſtitutio, uel ætas, uel conſuetudo nouauit, idq; non ſemel. Accedit huc illa difficultas, quod idem fluuius, aut idem mare, alijs locis alia atque alia ſortiatur nomina. Rurſus quod in diuerſis regionibus reperiantur interdum complures eiuſdem nominis ciuitates, & flumina. Accedit huc quod tanta uis eſt ætatis, ut non ſolum illa quæ conſtant artificum arbitrio, uerum ea quoque quæ per ſe ſolida ſunt uertat in aliam ſpeciem: quaſi naturæ inuidia cauerit, ne qua poſſet eſſe certa rerum notitia, quæ literis ad poſteros indubitabili fide tranſmitti poſſet, ſed exigat experientiam peculiarem omnium. Nec ſolum ibi nunc campi ſunt, ubi olim fuit mons, ibi lacus, ubi olim fuit ciuitas, ibi uia ſtrata ubi olim fuit palus, ſed in ipſis arboribus atque herbis ſæpe non reſpondet uetera-

Explanata concionantis oratio

Grammatica

Rerum uocabula

rum

rum descriptio. Atq; adeò si quis obseruet picturas ac statuas, non iam dico priscas illas, sed ante annos nonaginta factas, animaduertet, non in cultu tantũ, sed in ipsis hominum uultibus esse speciem ab horum temporum forma diuersam. Ipsa denicq; natura quotidie gignit nouas rerum formas, uel occulta siderum ui, uel mixtura generum, quemadmodum de Africa non falso iactat prouerbium. Auget hanc uarietatem hominum callidi-tas, multiplicatis aut admixtis medicatis arborum aut herbarũ seminibus. Quod si quis hanc grammatices partẽ contemnit, eadem opera contemnat tot egregia uolumina, quæ Aristoteles, Macer, Dioscorides, Theophrastus, Nicander, Oppianus, de animantium, arborum, herbarum ac gemmarum formis uiribusq; conscripserũt. Verum ubi Ecclesiasticæ tractãda erit similitudo, aut allegoria, nõ satis uidebitur scire, quod ea uox est nomen arboris, aut piscis, aut gemmæ, aut fluminis. Talium enim schematum tractatio nõ sumitur à simplici nomine, sed à forma, natura, ui & effectu rei, à qua similitudo ducitur. Exempli gratia, palmarum mentio frequens est in literis, uelut in Hebræorum XLII mansionibus, aut in cantico mystico: Ascendam in palmã, & apprehendã fructus eius. Quid hic dicturus est, qui prorsus ignorat qualis sit hæc arbor, aut qui putat buxũ esse palmã? quum buxi natura per omnia dissideat à palma, nisi quòd utraq; perpetuo uiret. At qui didicerit laudatissimas huius nominis nasci in Iudæa, unde & regioni Phœnice nomen, procera stirpe, ramis in altum tendentibus, tanta naturæ ui, ut dicãtur aduersus onus impositum erigi sursum, fructum non inter folia latere, sed in summo cacumine uuarum in morem sibi cohærere, longè omnium dulcissimum, quum radix amet terram fabulosam ac salsam, folia pungant aculeis, sed quæ nunquam decidant semperq; uireant, eoq; dicata triumphis: arborem autem nusquam esse fœcundam nisi in regionibus feruidis, intantum ut nec Italia ferat palmas: truncum cortice orbiculato uelut gradum præbere uolentibus ascendere: fructum ipsum & ad esum, & ad conficiendum panem, & ad conficienda uina esse idoneum. Hæc inquam & alia qui cognorit, & ipse accommodatius tractabit collationem, & populus libentius audiet. Nam hoc ipsum magnam habet uoluptatem, formas ac naturas rerum insignium discere. Alioqui frigent collationes & allegorię, si prorsus ignorentur earum rerum naturæ, unde similitudo ducitur. Huc conducit diuersarum peritia linguarum, qua nimirum in re laborauit Dioscorides. Siquidem hic rursus existit alia difficultas an eadem sit arbor, quam Hebræi sic, Græci sic, uulgus sic appellat. Roget interim me quispiam. Quid igitur? Túne autor sis, ut adolescens Theologiæ destinatus, hic inexplicabilibus difficultatibus discrucietur? Nequaquam, sed grãmaticum adhiberi uolo, qui hæc & pulchrè calleat, & commodè doceat. Vnius labor multis laborem adimet. Tantum de nudis ac propriis rerũ uocabulis, quibus accedũt uoces translaticiæ. Quid autem habebit gratiæ sermo hominem auarum appellans Larum, si lari naturam ignorem? Aut alba uocans, quæ felicia lætaq; sunt, si nesciam tranlationis causam Quum Græci paulo diuersius translata uoce λόγον λευκὸν appellent orationem claram & euidentem. Sic & Mæandros appellamus perplexas ambages & inuolutas rationes. Hominem inconstantem Euripum dicimus. Gratiam amittit metaphora, si nesciam fluminis ac maris naturam. Superest compositio. Quid mihi proderit grammaticæ præceptio, de congruentia suppositi & appositi, si credam sic dici, do tibi fidem, quemadmodum dicimus, do tibi pecuniam. Qui putat simili forma dici, faciam tibi scrinium, & faciam tibi fidem. Hoc exempli gratia propositum esse sufficiat, quum res alioqui sit infinita. Aut quid proderit regula dialectica docens geminam negationem haberi pro affirmatione, quũ sæpe reclamet Græci Latinicq; sermonis consuetudo? Apud Matthæum capite uicesimo sexto, quum dominus dicit, nõ bibam à modo de hoc genimine uitis &c. quoniam Græce est ἀμὴ πίω, num dialecticus dicet, proloquium affirmantis? Et quum Latinus dicit, non dabo, ne teruncium: quidem: utrum dicet, teruncium esse promissum, an negatum? Rursus quum Latinus dicit, Non potest non bene mori, qui piè uixerit, Vtrum proloquium hoc dicet affirmantis an negantis? Adeo negantis non est, ut sit rem ueluti necessariam asseuerantis. Sed ne pelagus hoc ingrediar altius, infirmum, ut dicere cœperam, ædificium superstruit, qui ad dialecticam prosilit non prius solidè iactis grammaticæ fundamentis: hæc autem grammaticæ pars ex omni quidem autorum genere petenda est, sed eorum præcipuè, qui nec uetustate obsoleti, nec nouitate sordidi,

Rerum naturæ in allegoriis

Translata

Compositio uocum

sed

sed inter utrunq; medij, sermonis elegantia præcelluerunt. Nec hic rursus onerarim adolescentem, ut per omnes omnium scriptorum libros circumagatur. Degustet optimos: reliqua suppeditet præceptor. Nondum excessimus è grammatica, quæ & historiam & poeticen, & antiquitatis notitiam, ad hæc trium linguarum peritiam complectitur. Historia porrò sine cosmographia & arithmetica cæca est. Iam poeticen appello, non quomodocunq; claudere uersum pedibus, sed rationem quę sermoni dignitatem, grauitatem, iucunditatem, picturæ lenocinium, ac (ut ita dixerim) diuinitatem atq; ἐνθουσιασμὸν quendam adiungit. Atqui hæc facultas nulli contingit, nisi qui pectus omni disciplinarũ genere expleuerit. Siquidem uera poesis nihil aliud est, quàm ex omnium disciplinarum delicijs ac medullis condita placenta, aut (ut melius dicam) ex electissimis quibusq; flosculis compositum mellificium. Hæc olim erant grammaticorum rudimenta, quæ quibus modis compendio tradi possent, quoniam alias sæpe disseruimus, non est operæprecium hic repetere. Hæc per ætatem discere, ludus uerius quàm labor est. Cæterum ut quorũdam desidiæ consulamus, multum adfert compendij, si ex optimis præcipua tradantur, idq; commodissime, si quæ ad ostẽtationem aut superstitionem tendunt resecentur, si singulæ disciplinæ ad mediocritatem percipiantur, non ad curiositatem. Mediocritas enim finem habet, curiositas semper incipit. Velut astrologia quatenus docet situs ac motus orbium cœlestium, & facile discitur, & plurimam adfert utilitatem. Iudiciorum autem ac genethliacorum curiositati, ne tota quidem hominis ætas suffecerit. Itidem geometriam ac perspectiuam degustasse profuerit futuro Ecclesiastæ, sed nonnullis sic adlubescunt hæ disciplinæ, ut per omnem uitam nihil aliud meditentur, semper magis ac magis adblãdiente studio. Verum ut alijs concedamus in his porticibus desidere, ad tam egregium munus, quo de nunc agimus, properanti non est concedendũ. Qui magnis de rebus legationem obeunt, multa obiter discunt in itinere, uariamq; capiunt uoluptatem, sed in transitu, nusquam hærentes, nisi si quid occurrat quod ad suscepti muneris confectionem eximiam aliquam afferat utilitatem. Ad omnem uitæ partem plurimum tum fructus, tum oblectamenti affert rerum naturalium cognitio, sed peccant qui ad magiam & alcumisticam παραφέρονται: neq; multo minus peccant, qui per uniuersam ætatem de materia prima, de principijs, de infinito, de mundi generatione disputant, quum interim ignorent quod animal sit cicada, aut quæ sit arbor sorbus. In omnibus autem plurimum afferet leuamenti, præceptoris dexteritas. Nemo breuius aut dilucidius docet, quàm qui rem exactissime tenet. Incommode docet, qui docendo discit. Sint sanè quamlibet ingeniosa, quæ Scotus tradidit, de ultra mundanis, sed quid hæc ad Ecclesiasten? Haud quaquam in postremis habenda est Iurisprudentia, præsertim sacri, quod appellant Pontificium. Verum hinc quoq; multos deterret, uoluminum ingentium turba, indiligenter digesta rerum congeries, interpretum non tantum loquacitas, sed inexplicabilis etiam opinionum turba. Sunt & in rhetorum præceptis non pauca magis ad ostẽtationem, quàm ad usum accommoda, neq; mediocris est turba tum apud Latinos, tum apud Græcos, eorũ qui de ratione dicendi conscripserunt, ac de suo quisq; conatus est aliquid aliorum inuentis addere. Neq; uero parum difficultatis attulerunt, qui in tradendis artis præceptionibus innouant uocabula, quod insigniter studio fuit Quintiliano, quiq; inuertunt ordinem, ne nihil noui afferre uideantur. Præceptionum igitur multitudinem præceptor in compendium contrahet, moxq; ad usum uocabit discipulum, in ipso interim argumento commonstrans, quid ex arte dictum sit, quid secus. Quatuor autem præcipua sunt ad dicendi facultatem consequẽdum accommoda: natura, ars, imitatio siue exemplum, & usus siue exercitatio. Naturæ tanta uis est, ut omnium suffragijs laudetur illud Flacci dictum: Tu nihil inuita dices faciés ue Minerua. sed non alias plus habet momenti, quàm ad poeticen & rhetoricen. Eoq; ueteres poesim non arti, sed numinis afflatui tribuerunt. De rhetorica dictum est, quòd aut cito discitur, aut nunquam. Cito discitur ab ijs quos natura huc finxit, nunquã ab ijs quorum Minerua abhorret. Arripitur enim protinus quicquid cognatum est. Sic naphtha flammam attrahit, magnes chalibem, succina paleam. Hæc autem indoles in primis statim annis sese nonnullis prodit indicijs, si quis aduortat animum. Velut Athanasius è lusu puerili deprehensus est esse natus ad gerẽdum sacerdotium. Nec inscite Naso, patris iussu datus ad agendas causas forenses. Quicquid, inquit, tẽtabam dicere uersus erat. Certe docilitatem ingenij

Grammatica multa complectitur

Historia Poetice

Compendium disciplinarum

Astrologia

Physica

Iurisperitia

ingenij, ex imitandi facilitate iam tum deprehendas in infantibus, quemadmodũ in pau/
lo grandioribus linguæ organum expeditum atq; articulatum, ac mox animum præsen/
tem. Multos enim impotens pudor, aut naturalis timiditas reddit ad dicendum inutiles,
quod de Isocrate proditum est literis, quum alioqui scripta hominis mirẽtur eruditi. Sed
mediocria naturæ impedimenta studio usuq; uinci possunt, quædam adeo sunt enormia,
ut illis repugnare nihil aliud sit, quàm aduersus torrentem iactare brachia. Est & illud à ui
ris sapientibus animaduersum ac proditum, pueros qui serius incipiunt fari, firmiore lin/
guæ plectro solitos euadere. Mox in adultioribus ostendit se & laterum firmitas, & pe/
toris robur, & uocis qualitas, mentis acumen ac memorię fides. Denicq; Venus illa in di *Gratia dicen/*
cendo peculiaris, quam natura paucis addit, nec adhuc nomen inuenit, sentitur tamen ab *di peculiaris*
obseruantibus non absq; admiratione. Videre est sæpenumero ad quorundã orationem,
mox omnes oculos, aures atq; animum adhibere: ad alterius narrationẽ, multo tum me
liora, tum melius etiam dicentis uix ullum esse attentum. Ad dicendum uero magis ap/
positi sunt, quibus sedatius est ingenium, quàm quibus ad iram præceps. Hos Plato pu/
tat ad perdiscendas disciplinas idoneos, illos ad gerendam rempub. Sublucent interim in
adolescentulis & aliarum uirtutum scintillæ quædam, ueluti pudicitiæ, sobrietatis, pieta/
tis, lenitatis erga proximum, amoris benemerendi de republica. Quèmadmodum in Ca
tone etiamnum puero emicuit infracta uis animi, ac tyrãnidis odium. Ad has naturæ in/
clinationes si accesserit apta, diligens rectaq; institutio, magna spes est fore, ut præsidio
sancti spiritus euadant idonei præcones uerbi dei. His autem quæ de linguarum peritia *Linguæ uul/*
diximus, illud adijciendum est, non satis esse si concionandi muneri destinatus discat tres *garis peritia*
linguas, Græcam, Latinam & Hebraicam, quæ non in hoc ualent, ut loquamur populo,
sed ut ueterum libros rectius intelligamus, & si quid in diuinis libris occurrerit ambigui/
tatis, ad fontes eorum recurramus. Primi uero scripturarũ fontes sunt lingua Hebraica,
& his cognatæ Chaldaica ac Syriaca. Ab hac gente manauit ueræ religionis disciplina,
primum in proximas regiones, Samariam & Arabiam, mox in Asiam minorem & in
Græciam, qua lingua constat nouum testamentum, hinc in Italiã, ex Italia in longe dissi/
tas nationes. Hæ tres linguæ uulgo olim erant communes. Nunc eò processit corruptio
uulgi semper omnia uertentis in deterius, ut nec Hebræi sacros libros Hebraice scriptos
intelligant, nisi docti, nec Græci Græcè uersos scriptó sue, nec Itali aut Hispani Galli aut
Afri Latine uersos. Ex his porrò tribus ut prima est Hebraicæ linguæ dignitas, ita utilitas *Linguarum*
arctissimis finibus circumscripta est. Græcanici sermonis latissime patet usus, non modo *comparatio*
quod in hunc primum transfusum est uetus testamentum, quodq; eodem conscriptũ est
nouum, uerum etiã quod omnes ferè disciplinæ liberales, omnisq; philosophia per Græ/
cos Græco sermone ad nos permanauit. Ad iudicium igitur parandum ualet harum lin/
guarum peritia. Cæterum ut apud populum agenti præsto sit sermonis copia, curandum
est, ut futurus Ecclesiastes inter eos educetur, qui uulgari aut eius gẽtis uernaculo sermo/
ne diserti sunt. Eam rem magni rhetores existimant uiris quibusdam eloquẽtia claris ma
gno ad bene dicendum fuisse adiumento. Atq; hæc commoditas nullo paratur negocio.
Ac dictu mirum quàm hæreat quicquid puerilibus auribus instillatum fuerit. Neq; uero
satis est uerbi gratia Gallo si norit resalutare Gallicè, aut de rebus communibus utcunq;
loqui. Suggestum ubi de rebus maximis disseritur, requirit splẽdidam, aptam, significan
tem ac paratam uerborum copiam. Quæ nisi multo usu in promptu ac uelut in procin/
ctu sit, frequenter hæret Ecclesiastes. Iam sunt uoces aliquot suapte natura uerecundæ,
quas tamen uulgi consuetudo subinde nouans aliquid, uel in ludicrum uertit, uel in sen/
sum obscœnum. Has expedit concionatorem non ignorare, quo nimirum uitentur, &
quærenda ratio, qua uel alijs uerbis uerecundioribus, uel periphrasi saltem explicetur,
quod oportet intelligi. Veluti apud nostrates si amare dicas uulgata lingua, sonat obscœ
nitatem, non natura uocis, sed stulta uulgi usurpatione. Idem accidit, si nuptias interpre/
teris, uoce uulgo recepta. Profuerit igitur adolescentem concioni destinatum frequẽter *Exercitatio*
ad eloquentium hominum conciones adducere, ac paulatim consuefacere, ut memine/ *futuri concio*
rint ac reddant quæ audierint. In hoc ubi profecerint, deinceps admonendi sunt, si quid *natoris*
in ea concione dictum fuit annotatu dignum. Si aptè sumptum exordiũ, si noua & com/
moda diuisio. Siquis nodus scitè dissolutus, si quis scripturę locus accuratè explanatus, si

quod πάθος tractatum grauiter. Si qua sententia dicta est arguta & elegãs. Super his admonitus puer, ipse per se consuescet animaduertere similia. Contra si quid excident reprehensione dignum, ut excidunt sæpe permulta, & illa profuerit indicare adolescenti, sed citra petulantiam, ne per hanc occasionem obrepat maledicentiæ uitium, & Ecclesiastæ contemptus. Indicanda sunt Ecclesiastæ errata, sed excusatione ciuili mitigãda. Quanquam autem illi potissimum sunt audiendi, qui dicunt optimè, tamen expedit interdum & indoctè dicentes audire, quo magis appareat quid deceat, quid nõ. Hoc uidelicet consilio Lacedæmonij solent Helotas suos ebrios adhibere conuiuijs, & ad Barbaricas cantiones ridiculasq; saltationes adigere, quo magis adolescentes ingenui conspecta turpitudine, à seruilibus moribus abhorrerent. Primũ igitur erit, inter eos uersari, qui purè compte q; loquuntur: proximum audire concionantes, qui linguæ gratia pollent. Tertium euoluere libros eorum, qui linguæ uulgaris eloquentia polluerunt. Quales celebrantur apud Italos Dantes & Petrarcha. Nec est ulla tam barbara lingua, quin habeat suam peculiarem elegãtiam, & emphasim, si fuerit exculta. Qui callent Italice, Hispanicè & Gallicè, constanter asseuerant, in his linguis utcũq; corruptis, ineſſe gratiam, quam Latina lingua nõ assequatur. Idem affirmãt de lingua Britãnica, licet ex multis cõflata, deq; lingua Saxonica. Et in singulis linguis extiterunt, qui libris æditis non uulgarem dicẽdi laudem promeriti sunt. Ne pigritetur igitur futurus Ecclesiastes huiusmodi uoluminibus aliquã temporis portionem impendere. Quamuis eruditis iucundior sit Latinorum aut Græcorum lectio, tamen charitati Christianæ non uidebitur sermo barbarus, per quem proximus ad Christum allicitur. Tantum hic uitetur inepta quorundam affectatio, qui relictis propriis linguæ uocibus peregrinas admiscẽt, uel à Gallica uel à Latina lingua detortas, ut quum apud Brabantos loquantur, tamen non intelligantur, nisi ab ijs qui Latine quoque aut Gallice norint. Vbiq; seruãdum est illud Tiberij Cæsaris, ne moleste loquamur. Quod si quem labor deterret à linguarum peritia, cogitet Mithridatẽ Ponti regẽ, unam & uiginti linguas ita perdidicisse, ut cuiq; gẽti citra interpretem ius diceret. Cogitet Themistoclem Athenienſium ducem, Persicam linguam sic uno anno assequutum, ut cũ rege absq; interprete colloqui posset. Vix credas ad quàm multa discenda sufficiat hominis ingenium, nisi primam ætatẽ, quæ longe optima est, in ocio nugisq; consumeremus.

Qui libri potissimũ legẽdi Ecclesiastæ

Hic si quis me consulat, ex doctoribus prophanis & Ecclesiasticis quorum libri potissimum sint euoluendi futuro concionatori, nullus est quem Demosthenì ac Ciceroni præferamus, uix etiam quem cõferamus, sanè quod attinet ad dictionis uirtutes. Aristoteles ad iudicandum & cognitionem conducit plurimum, ad popularem dictionem non ita multum. Plato longè ad hoc accommodatior, fusus ac iucundus, & per similitudines uelut manu deducens ad ueri cognitionem. In Liuianis tamen orationibus, aut si eas non explicet, in proponendis consilijs plurimum est tum prudentiæ tum eloquentiæ. Idem in mitioribus affectibus, quos Græci uocant mores, iucundus est, quemadmodũ & Virgilius. Acriores affectus petuntur à tragicis, quanquam Latini qui quidem extant, plus hic habent uehementiæ quàm Græci. Sed de his erit dicendi locus, quum de mouendis affectibus tractabimus. Cornelius Tacitus alioqui duriusculus, in orationibus acutus est & copiosus. Seneca in traducendis uitijs falsus est, & elegans ac uehemens etiam. Sed de moribus nemo felicius scripsit quàm Plutarchus, cuius libelli digni sunt qui ad uerbum ediscantur, è quibus Basilius & Chrysostomus multa uidentur hausisse. Inter Ecclesiasticos nemo mihi uidetur D. Basilio felicior. Dilucidus est, pius, sanus, suauiter grauis, & grauiter suauis, nihil habens affectatæ loquacitatis. Athanasius in docẽdo mirus est, nec dubito quin sui similis fuerit in concionando, si extarent illius orationes. Basilio proximus est Chrysostomus, cuius omnia ferè scripta sunt popularia, & ad imperitæ multitudinis aures animosq; accommodata. Quanquã in huius uiri nomen multa congesta sunt quæ non referunt illius genium. Facile est ex eo imitari, quod fusior est, quod quædã repetit & inculcat, quod crebris percontatiunculis excitat dormitantẽ auditorem, sed Chrysostomum ipsum exprimere nequaq; facile est. Proxima laus debetur Gregorio Nazianzeno, cui multum est acuminis, uehementiæ satis, quoties id postulat res. Origenes primum merebatur locum, qui omnium Græcorũ ingenia excitauit, quod fatetur & Athanasius, nec excitauit tantũ, sed etiã instruxit. Et huius scripta pleraq; popularia sunt. Verum

Autorũ Ecclesiasticorũ comparatio

rum ut hic suas orationes homilias appellat, id est colloquia, uix usquam assurgit, sed totus est in docẽdo, nihil attingẽs affectuũ, nisi si quos ipsa mouet res, quod est Atticorum. Ex hoc tamen diligenter lecto multa dicendi facultas accedet Ecclesiastæ. Iam ut ad Latinos ueniam, Tertullianus durus est, tametsi salsus in cõfutandis hæreticis, nasutus in traducendis uitijs, in quo tamen optarim illum interdũ longius abesse à scurilitate. sed Aferat. Hilarius parum utilis est ad parandam sermonis, præsertim popularis, gratiam. Vtilior Cyprianus, apertus, uehemens & serius, nec infeliciter fluens. Dicendi genus quod sequutus est Ambrosius, non admodum congruit huic tempori: habet enim argutias & sententias affectatas, sæpe etiam subobscuras, ut ad illud genus accedant, quas Græci uocant νοήματα. Hieronymus ad omnem dicendi facultatem parandam appositus est, ardens in concitandis affectibus, sed quoniam presbyter tantum erat, nõ episcopus, in concionãdo sese nunq; exercuit. Augustinus in hoc genere extemporali felix est & argutus. Quod autem dulcior est quàm grauior, quod numeris ac similiter desinentibus gaudet, quodque crebris digressionibus moratur auditorum animos, suæ gentis ingenio tribuit uir pius & humanus. Gregorius pontifex Romanus simplex & pius est in concionibus, uerum pro temporum illorum ratione gaudet membris & incisis, similiter cadẽtibus, ac similiter desinentibus, quemadmodum & Augustinus, quæ sic nunc affectet Ecclesiastes ineptus uideatur. Prudentius licet carmine scripserit, tamen multum spirat Christianæ facundiæ. Bernardus concionabundus est, natura magis quàm arte, festiuus & iucundus, nec segnis in mouendis affectibus: sed apparet pleraſque illius conciones apud cœtum monachorum habitas, in quorum usum ferè scripsit quæcumque scripsit. Fuerunt & alij qui non infeliciter tractarũt hoc dicendi genus, uelut Leo pontifex, Maximus & Fulgentius. Ioan. Gersonensis minimum iuuabit Ecclesiasten, duntaxat ad dicendi facultatem. Dissecatoia, & hinc frigus: frequẽter affectat affectus, sed eos in se sensit magis q̃ mouet in alijs. Thomas ad dicendum nõ fuit natura ineptus, si sese perinde hic exercuisset, ut exercuit in philosophia, & in argumentando, Scotus & huius similes ad rerũ cognitionem utiles sunt, ad dicendum inutiles. Sequutum est postea concionatorum genus, fortassis aptum suo theatro, sed prorsus ignarum artis, nec ita multum præ se ferẽs prudentiæ. Ab his prodierunt nobis sermones de paradiso, sermones Iordanis, sermones uoraginis, sermones Roberti de Licio, & cæteri, qui nunc suapte sponte abierũt in obliuionem, ut iam nihil sit opus quenquam ab horum imitatione deterrere. Verè quidem dictũ est, nullum librum esse tam malum, qui non prosit aliqua ex parte, sed quoniam nec ætas, nec ingenium hominis ad omnia sufficit, consultũ est ab optimis exemplum petere. Admonet nos ipse sermonis cursus, ut ex Rhetorum præceptis aliqua delibemus, quæ uidentur ad Ecclesiastæ munus accommoda, quod ante nos ex parte tentauit beatus Augustinus in opere de doctrina Christiana. A quo etiam si nihil esset prætermissum, tamen longè alia temporum ratio postulat, ut quædã crassiore minerua explanatiusq; tradãtur. Primum igitur ex his quæ Rhetores statim consideranda proponunt, quid sit ars, quis artifex, quale opus, nos artis nomen libenter relinquimus, quando illi ipsi qui de præceptis eloquentiæ conscripserunt, ambigunt num Rhetorice sit ars, & ille summus eloquentię parens fatetur, caput artis esse dissimulare artem. Qualis autem est ars illa, quæ nocet nisi dissimuletur: Proinde ut donemus sacri concionatoris eloquentiam non constare arte, fateamur tamen oportet aliquam esse dicendi rationem ac prudentiam, quæ iudicio consilioq; constat: Et spiritus cœlestis, cuius afflatu loquitur Ecclesiastes non aspernatur hominis industriam, modo sobriam, quẽadmodum scribit ille diuinus orator Paulus: Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. De artifice, qui est Ecclesiastes, satis nobis dictum est libro superiore, sane quod ad mores & eruditionem sacram attinet. De officijs illius in dicendo, tum de operis partibus hic nonnihil attingemus, si prius de materia paucis egerimus. Forense genus semotum est ab officio Ecclesiastæ, cui cum conscientijs hominum res est, non cũ iudicibus, nec tractat leges humanas, sed oracula diuina, nec agit causas certorum hominum, sed omnium conscientias accusat in genere, qui male uiuunt, & omnium conscientijs patrocinatur, qui simpliciter errant, aut mœrent, aut oppressi sunt aliqua graui afflictione. Nec huc spectat ut hominem iudicẽ, huic aut illi reo cõciliet, sed ut omnes pariter deo conciliet. Multa tamẽ in hoc genere precipiũtur, quæ in suasorio quoq; genere

De rhetoricis præceptiõib.

Causarum genera.

Cõmunia generi iudiciali & suasorio.

cæterisq; sunt usui. Velut illud, quod sit argumẽti caput, quem Rhetores statum uocãt. Hæc consideratio præstabit, ut oratio nostra sibi constet, & ne quid extra rem dicamus, & quod nonnunquam incogitãtibus usu uenit, nobisipsi contradicamus, ut cordatus auditor illud Flacci merito secum commurmuret, Amphora cœpit Institui currente rota, *Status* cur urceus exit? Alioqui puerile est absq; scopo iaculari, & ut ait Persius, passim coruos sequi testaq; lutoq;. Vsui fuerint & illa quæ tradunt de circumstantijs rerum & personarum, è quibus & argumenta sumuntur, & amplificationes in quouis argumenti genere. Incidit interdũ controuersia, de scripto & sententia, de scripturæ locis inter se in speciem pugnantibus: sicut de uocabulo rei, quod definitione quæritur, ut quum quæritur quid *Gen.25* sit usura, quid lex, quid gratia: aut de qualitate rei, iusta sit an iniusta, Veluti quum quæritur, num recte fecerit Abraham, quod peregrinans in Geraris, Saram uxorẽ suam dixerit sororem, atq; hoc sermone quodammodo prostituerit coniugem suã regi Geraræ. Atque hic obiter incidet status coniecturalis, quo animo id fecerit Abraham. Similiter an filiæ Loth peccauerint, è patre temulento suffuratæ partum. Hic est status qualitatis. Et si peccauerunt, an commiserint incestum. Constat enim Adæ posteritatẽ non potuisse propagari, nisi per coniugium fratris & sororis. Hic est status definitiuus. Hoc genus innumera sunt in literis diuinis. Incidit & ratiocinatio, quum nulla scriptura extat quæ liquido definiat id de quo quæritur, sed ex uarijs scripturæ locis inter se collatis, ratiocinando colligitur diuina uoluntas. Similiter incidunt cæteri status, præcipuè comparatiuus, frequentissime in oratione, quæ nullam certã personam respicit, nõ raro tamen & quum certa persona designatur. Attamen Ecclesiastes potissimum uersatur in docendo, in suadendo, in exhortando, consolando, consulendo & admonendo. Non me fallit, docere esse omnium causarum & statuum commune, ad præsens tamen negocium, uisum est seorsum parare. Docemus enim ut intelligat auditor: ueluti quũ per scripturas et rationes demonstramus, deum esse incorporeũ, animam hominis esse immortalem. Suademus ut quod honestũ & utile est, auditor uelit amplecti: ueluti quũ suademus auaro diuiti, ut opes suas impartiat egenis. Exhortando, persuasis sed segnibus aut timidis addimus animũ, ut audeant aggredi quod probant: ueluti quum extimulamus solicitos, ut contemptis huius mundi præsidijs, tota fiducia sese deo committant. Consolamur, ut huius uitæ molestias patienter atq; etiam alacriter ferant. Cõsulimus perplexis, quum uiam ostendimus, qua sibi parent conscientiæ tranquillitatem. Admonemus uel obiurgando, uel obsecrando. Hæc erant priscorum Christianorũ inter ipsos colloquia. Restat genus encomiasticum, quod partim consumitur in doxologia & gratiarum actione, partim in laude piorũ, præsertim martyrum, qui morte sua deum glorificauerunt. Olim enim certis diebus popu- *Doxologia* lus conueniebat, ad nihil aliud quàm ad δοξολογίαν, sic enim appellant Græci & gratiarum actionem. Illic propheta aut Episcopus magnificis uerbis attollebat diuinam in omnes creaturas bonitatem, populus psallebat hymnis & cãticis spiritualibus domino. Cuius generis extant aliquot Psalmi, & hos imitatus hymnus trium puerorum in camino, quædam item cantica à posterioribus facta, quorum est illud quod ad imitationẽ puerorum Hebræorũ canitur in die palmarũ, & aliud quod canitur ferijs uernis, deniq; quod nunc fermè quotidie canitur in missa, ad imitationem Angelorum, qui Christo nato cecinerũt, gloria in excelsis deo. Additi sunt hymni, qui nũc omnes precibus admixti sunt. *Hymni* inter hos primam laudem obtinent Ambrosiani. Vtinam non accessissent complures indocti, ne dicam deliri. In hoc genere nonnulli sunt, qui nihil habent nisi precationem. Accessit huc prosa, quam appellant Sequentiam. Quo quidẽ in genere fateor esse quasdam eruditas ac pias, sed multo plures ineptas, ac diuino indignas cultu. Quanquam hãc partem non recipit Ecclesia Romana, Germanis & Gallis canendi studiosis concessit. Quibus adeo placent hæc accessoria, ut horũ gratia prætermittantur præcipua. Symbolũ decurtatur, precatio dominica non auditur, & prosæ cantio nulli intellecta totã semihoram moratur populum. Adduntur caudæ uocũ ipsi cantioni pares aut longiores. Videmus & illud receptum apud priscos Christianos, ut quẽadmodum insignes uiri, oratione funebri publicitus laudabantur apud populũ, ita præsul defunctus aut princeps, ore sacerdotis publicitus in templo laudaretur. Declarãt hoc duæ funebres orationes Ambrosij, altera in laudem Theodosij imperatoris, altera in laudem Valentiniani: declarat monodia

dia Nazianzeni in laudem D. Basilij, & aliquot homiliæ Chrysostomi. Et si credimus libello de excessu beatissimæ uirginis, omnium apostolorum qui aderant, encomijs celebrata est. Item liber qui Ecclesiasticus inscribitur, laudes insignium uirorum deprædicat, sed eorũ duntaxat, quorũ pietas sacris uoluminib. est cõmendata. Quin & ipse dominus exemplũ Abrahæ Iudæis obijcit. Petrus ad Saræ imitationẽ matronas inuitat. Beatus Augustinus rumore de Antonio, qui tũ recens omniũ linguas & aures occuparat, ad Christum inflammatus est. Sunt enim sancti bonus odor deo in omni loco, sed ijdem improbis odor letalis: quemadmodũ amaracinũ homines mire delectat, quũ idem subus sit acre uenenũ, ut ait ille. Quãobrem ut non omnino damnãda censeo quorundã celebriũ encomia, modo absit affectus humanus, & ambitiosa contentio, addo etiã uanitas: ita puto exemplum quod ueteres episcopi hauserũt ex publico ethnicorũ more, nostris Ecclesiastis parcius imitandũ esse. Illud in genere præcipiendũ, ne concionator in eo fine consistat, quẽ præscribunt rhetores, uidelicet ut auditores tantũ magnifice sentiant de eo quẽ prædicamus: sed ad hunc scopũ omnia dirigat, ut ad recte factorũ imitationẽ excitentur. Verum de materijs quas recipit Ecclesiastes, satis dictũ, quod quidem ad præsentẽ attinet locum. Nam de singulis suo loco tractabimus aliquanto fusius. Consequens est ut de officijs Ecclesiastæ simili compendio differamus. Sed priusq; ad partes descendamus, illud in summa spectet qui dicit, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Docendo efficimus, ut res intelligatur ac persuadeatur. Id potissimũ fit in narratione & argumentatione, atq; item in epilogo. Quod nisi fit, cætera sunt superuacua. Nullus enim delectatur, aut mouetur ijs quæ non intelligit, aut nõ credit. Quod de delectando dictũ est, bifariã accipitur. Est enim quædã iucunditas seu gratia potius orationis, quæ non aliter q; sanguis per totũ corpus fusa est. Ita iucundior est homo sanus, q; ualetudinarius, iuuenis q; senex, formosus q; deformis. Ad hæc quibusdã ipsa natura peculiarẽ quandã & morũ & orationis iucunditatem addidit. Velut in Bernardi scriptis sentias molle quiddã atq; facetũ, in Hilario seuerius ingeniũ. Simile discrimẽ animaduertere est, inter Hilarionẽ & Benedictũ. Ille ubiq; festiuus, hic tetricus. Est alia iucũditas quã peculiariter requirit ipsum argumentũ. Nam læta quibus debetur gratulatio, amœnioribus uerbis explicanda sunt, q; tristia. Veluti si quis suscepisset explicandũ quanta sit felicitas Angelorũ ac piarũ animarũ in cœlis contemplantiũ faciem patris Christi & spiritus sancti, aut quæ uita futura sit pijs post resurrectionem, aut si quis populo diutinis bellis afflicto nunciet certã ac firmam pacem. Est tertiũ genus quod facetijs ac lepide dictis delectat auditorẽ, interdũ & risum mouet, unde γελοῖα dicuntur Græcis, de quibus multa præcipiunt, M. Tullius libro de oratore II & Fabius capite de risu. Verum an hoc conueniat Ecclesiastæ nostro, uiderint alij, in lite ris sacris nullum tale extat exemplũ, nisi uelimus ironiã inter iocos referre, quemadmodum in libris Regũ Helias sacerdotibus Baal loquitur: Clamate uoce maiore, deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Verũ hic non est iocus, sed manifesta insultatio. Similiter fortasse nõnulla reperias in nouo testamento, iocos nusq;. Velut illud quod dominus ait discipulis tribus, dormite nũc & requiescite, quidã per ironiã dictum putant. Item quod Pharisęis, datis eleemosynam, & omnia mũda sunt uobis. Tale uideri potest, quod Paulus scribit Corinthijs: Nos stulti propter Christum, uos aũt prudentes in Christo. Nos infirmi, uos autẽ fortes: uos nobiles, nos aũt ignobiles. Tale iocandi genus est, quo Cyprianus utitur in idololatras, cęteriq; qui gentiũ uanitatẽ exploserunt ac traduxerunt, ut Tertullianus, Lactãtius, Prudentius, & Augustinus. Sunt enim quæ melius refutantur irridendo, q; argumentãdo. Plus etiã sibi permittit D. Hieronymus in hæreticos, sed non in hos tantum, hac in parte similior Tertulliano q; uellem. Nec; uero obscurum est, ueteres Ecclesiastas multũ in hoc incubuisse, ut delectarent populũ. Queruntur prophani rhetores, præsertim Fabius & Tacitus, ita fuisse corruptos olim hominũ mores, ut iudices ab oratore requirerent delectari, non contenti didicisse quæ ad causam pertinebant. Quod ni fieret, interpretabantur se contemni, nõ sine periculo causæ. Ad hæc multitudo tum erat assueta theatricis fabulis, ac mimis, quæ omnia uoluptatis causa gerebantur: Ibi populus spectator, sibilis, supplosionibus, pollicibus, applausibus, & acclamationibus iudicem agebat. Huius moris magna uestigia diu resederunt apud Christianos, ut episcopi cogerentur multa dare auri-

2. Cor. 2

Officium Ecclesiastæ

Docere primum

Delectare

Ioci quatenus deceant Ecclesiasten

3. Reg. 18

1. Cor. 4

bus multitudinis. Notati tamen sunt, qui confictis fabulis, aut ineptis iocis excitarunt im
peritæ multitudinis applausum. Nũc aũt quũ theatrici mores è templis eiecti sint, tamen
non desunt, qui nimiũ frequenter, ne dicã impudenter imitãtur fabulam, quæ iactatur de
Demosthene, qui iudices dormitantes in causa capitali excitauit, ex trãsuerso inducto io
co de umbra asini. Vt uerũ sit quod narratur, semel hoc fecit Demosthenes in foro, quod
isti penè quotidie faciunt in templo. Nec ridicula tantũ adferũt, sed interdum inepta, ani
lia, parũq; uerecunda, nec habita ratione eorũ apud quos loquuntur, nec sui, nec loci, nec
argumenti. E plurimis unũ atq; alterũ proferã exemplum, cuius ipse fui testis. Quidam
Franciscanus, uir ob uitę sanctimoniã omni populo uenerãdus, in monasterio uirginum
à prandio disserebat de pudicitia. Is quũ uideret aliquot è plebeis dormitantes, Rogo, in
quit, expergiscimini, narrabo uobis lepidã fabulam. Maritus quidã ruri uiuens, peregrè
abiturus mandauit uxori, ipso absente curaret, ut reuersus domũ omnia reperiret ex ani
mi sententia. Tum illa, mi uir, manda quicquid uoles, senties uxorem morigerã in omnib.
Hic uir. Nihil, inquit, præscribo mea lux, nisi unũ quiddam, idq; factu facillimum. Quod
nam? Ne unq; abluas faciem ex hac aqua, ostẽdens lacunulam in fimario, aquę tetræ ma
leq; olentis. Absente marito, quoties muliercula præteribat, solicitabat animũ illius admi
ratio, quã ob causam hoc unũ diligenter uetuisset maritus. Neq; enim aliud sibi persuade
re potuit, q̃ aliquid esse rei seriæ. Quid multis, uicit tentatio, latuit, hoc est, contaminauit
faciem: cõsuluit speculum, displicuit sibi, & fœtorem atq; tinciurã uix diebus aliquot po
tuit eluere. Maritus reuersus reperit uxorẽ subtristem, & iratæ similẽ. Rogat, ecquid ma
li? Illa tandem non continens stomachum expostulat, quod de aqua monuerat, & narrat
euentum. Quid igitur? lauisti? Atqui ob istuc ipsum uetuerã ne lauares, ne tibi quod eue
nit eueniret. Hac denarrata fabula redijt ad laudem pudicitiæ uirtutis angelicæ. Errabat
uir bonus, sic doctus ab aliquo, mutaturus, opinor, morem, si quis amicus admonuisset,
q̃ non deceret quod agebat. Neq; enim erat hypocrita. Puer audiui quendam Dominica
nũ, eximia ac natiua linguæ gratia præditũ. Is ut excitaret dormitantes hanc retulit fabu
lam, non absq; specie nequitiæ. Nonna, inquit, quædã uteri tumore prodita est, habuisse
rẽ cũ uiro. Conuocato uirginũ cœtu seueriter obiurgata est à pręposita, quã Abbatissam
uocant, quod ad eũ modum dehonestasset sanctũ collegium. Illa excusat uim, iuuenis, in
quiẽs, uenit in cubiculũ meũ, me robustior, cui frustra fuissem reluctata. Porrò uis nõ im
putatur pro crimine. Tũ præposita. Excusari poteras si clamasses, quẽadmodũ admonet
scriptura. Hic uirgo. Id quidẽ fecissem, sed res acta est in dormitorio, ubi soluere silentiũ
erat religio. Sed desino, ne reprehendẽdo ineptias, ipse fiã ineptus. Tolerabilius est, quod
quidam dormitantes strepitu aut uoce excitant, quidã totius populi screatu, quẽ ad sin
gulas orationis partes fieri iubent. Sed impudentius est, quod ferijs paschalibus quidam
uelut ex more populo risum mouẽt, idq; fabulis manifestè confictis, plerunq; etiã obscœ
nis, quales ne in conuiuio quidem uir probus sustineat absq; pudore cõmemorare. Ne
quaq; ad hoc lætitiæ genus inuitauit psalmus paschalis, quum ait: Hic est dies quem fecit
dominus exultemus & lætemur in eo. Id eo quoq; fit absurdius, quod ista non incidunt
per occasionem, sed ex abrupto inseruntur, uel impinguntur potius. Sunt enim aliquot
ueterũ ioci seriam ac salutarẽ habentes sententiã, qui per occasionem interdũ apte pote
runt inseri, modo parcius ac citra speciẽ affectationis, nec sine mitigatione, quod diuinis
admisceantur humana. Sed de his quæ laudatã ac templo dignã uoluptatẽ adferãt, suo di
cetur loco. Illud obiter hoc loco tantũ admonebo, ut si quid delectationis adhibendũ pu
tat Ecclesiastes, non sat habeat risu diducere rictum, ut ait Flaccus, sed omnia conferat ad
auditorũ utilitatẽ, illud omnibus modis agens, ut quæ sunt saluberrima, eadem reddãtur
Flectere auditoribus iucundissima. Præcipuã aũt eloquẽtiæ uim in hoc sitam existimãt, ut flectat,
hoc est, ut quò uelit, rapiat affectus auditorũ: qua de re dicetur, quũ ad affectus uentũ fue
Orationis officia quinq; rit. Nunc per oratoris singula officia decurremus, sed ita ut memineris nos non patronũ
forensem, sed diuini uerbi præconẽ instruere. Sunt aũt ab omnibus decantata, inuentio,
dispositio, eloquutio, memoria ac pronunciatio. Inuentio quæ res suppeditat, tametsi re
uera cõplectitur & eloquutionẽ & ordinẽ, hoc est in oratione, quod ossa in corpore ani
mantis, quæ nisi solida sit, cætera omnia collabuntur. Dispositio siue ordo, hoc est in ora
tione, quod nerui in corpore animantis, partes orationis aptè inter se connectens, Siqui
dem,

dem ordo non solum reddit orationẽ concinnã, sed adiuuat etiã docilitatẽ auditorum, ac dicentis memoriã. Nam ut facilius discimus, ita melius meminimus, quæ congruo dicuntur ordine, ꝙ quæ sparsim & confusim. Quin & ad persuadendũ magni refert, quid quo loco dicatur. Sunt enim quæ nõ rectè cõmittuntur animis, nisi iam præparatis. Præterea eloquutio quæ uerba & figuras ad rem appositas suggerit, hoc est in oratione, quod caro & cutis in corpore, decenter conuestiens ossa & neruos. Habẽt & sacræ literæ decorem ac speciẽ suam, licet fucũ & lenocinia nesciant. At quid, inquies, respõdet memoriæ? Spiritus, id est, uita, quæ nisi adsit dilabuntur omnia. Pronunciatio denique uelut actus ac motus est animantis, qui nisi accedat, minimũ aberit à statua animal. Actus itaq; & motus quasi uitæ uita est. Nam ut fateamur nimium esse quod Demosthenes actioni tribuit, primum, secundũ ac tertiũ, quasi uniuersa eloquentiæ uis sita sit in pronunciando: tamen negari non potest, orationẽ eadem uoce, eodemq; gestu, uel nullo potius gestu pronunciatam, rem semimortuã esse. Nec ita multum iuuerint Ecclesiastes, quæ traduntur de partibus operis, Exordio, narratione, diuisione, confirmatione, confutatione & cõclusione, nisi quod hæc quoq; sapienti dabunt occasionẽ, ut fiat sapiẽtior. Nam ipsa scripturarum maiestas, quas enarrat Ecclesiastes, & utilitas non uulgaris, agitur enim de sempiterna felicitate, ultro sibi cõciliat attentionẽ, docilitatẽ, ac beneuolentiã, præsertim inter Christianos. Quod si forensis orator exordio supersidet, quoties causa nõ postulat, sed ultro adest quod captatur procœmijs, ineptè faciunt quidã horũ temporũ qui nunc ꝙ cõscendunt suggestum, nisi cũ accurato exordio, eoq; quod absurdissimũ est, ab argumento alienissimo, ut potius sit noua oratio ꝙ exordium. Atq; hoc existimant esse melius exordiũ, quo fuerit alienius. At qui doctis laudatur exordiũ, quod è media causa sumptũ, & quoad fieri potest, argumento sit propriũ, certè appositũ & congruens. Non est opus hic exempla referre uitiosi exordij. Nimis obuia sunt, & abunde cuiq; sua suggeret memoria, qui modo conciones frequenter audire consueuerit. Ipse audiui quendam, cui quotidie per totum quadragesimæ tempus concionanti fuit idem exordiũ. Tribus nominibus laudabatur uirgo mater, uerbi causa, quod sancta, quod uirgo, quod prophetica: et quisq; dies nouum habebat ternionem, unde necesse fuit accersere multos terniones, nec fieri potuit, quin in his essent aliquot frigidi & coacti. Piũ erat adorandã Christi matrẽ laudibus uehere, sed quid hoc ad pœnitentiæ tempus? Non est absurdum, quod recentiores à scriptu ræ sententia quapiã sermonẽ auspicantur, Thema uocant, modo ea sit huiusmodi, ut argumẽti summam complectatur, ex ipso loco quem interpretatur decerpta. Debet enim cuiuslibet orationis aliquod esse initium. Velut si quis ex Euangelij loco, dehortaturus populum à temeritate iurandi & periurio, exordij loco proponat illud, Sit sermo uester, est, est, non, non. Huc enim tendit uniuersa disputatio, ut inter Christianos tanta sit fides tantaq; simplicitas, ut nusquam sit opus iureiurando. Aut si quis reprehensurus eos, qui ob humanas cęremonias uiolant præceptum charitatis omniũ maximum, decerpat hæc Christi uerba: Sabbatum hominis causa factum est, non homo propter Sabbatum. Aut si quis admoniturus populum, ut caueat ab hypocritis & hæreticis, qui falsa specie sanctimoniæ imponunt incautis, desumat illud, A fructibus eorum cognoscetis eos. A talibus enim exordijs facilis gradus ad totius argumenti tractationem. Verum hic quoque sunt, qui indoctũ existimãt, quicquid simplex est & inaffectatum: eoq; studeant comminisci sententiam quàm maxime alienam ab instituto, aut certè è longinquo petitam, interdum uerba ad alienissimum sensum detorta, quæ suo loco longe aliud declarant. Primi exemplum esto, ut si quis hortaturus ad cautionem & prudentiam Christianam, alleget illud ex epistola beati Petri: Estote prudentes, & uigilate in orationibus: neque enim ille locus commendat prudentiam, sed sobrietatem, ac damnat luxum crapulamq;, cui comes est somnolentia, utraque res inutilis ad precandum. Aut si quis ad uitam monasticam adhortaturus, proferat illud Paulinum: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Apostolus enim non erat monachus, certe quales nunc sunt, sed omnes Christianos uult esse mundo mortuos, quæ res in affectibus sita est, non in cultibus, cibis aut alijs externis obseruationibus. Aut si quis dicturus encomium uirginis matris addicat: Ab initio & ante secula creata sum. Locus enim ille sentit de sapientia diuina, qui est filius dei: qui creatus dicitur, non quod aliquando non fuerit, sed quod ad liberan-

Partes orationis

Exordium

Exordium alienum

Exordium è scriptura seu Thema

Marc. 2

Thema alienum

Gal. 6

dum genus humanum ab æterno fuerit destinatus. Secundi sit hoc exemplum, si quis ex hortaturus, ut obediamus præceptis diuinis, proponat è Psalmis, Cœli enarrant gloPsal.18 riam dei. In hoc enim condita sunt omnia, ut in his homines contemplentur potentiam, sapientiam ac bonitatem dei. Porrò quũ illa obtemperent legibus diuinis, totq; seculis præstent hoc ad quod condita sunt, turpe est hominem qui proprie in hoc conditus est, ut cognoscat, amet, timeat, glorificet conditorem suum, non obedire iussis illius. Tertiũ exemplum quidam suggessit, qui de Barptolemæi martyrio dicturus, præfatus est illud ex Abacuc capite III. Turbabuntur pelles terræ Madiam. At propheta de pellibus castrorũ, hoc est, de tabernaculis loquitur, nõ de cute humana. In quo bis peccatũ est, & q scripturæ uerba detorsit ad sensum alienissimum, & quod ea accõmodauit ad confictam historiã, quã Ecclesia reiecit. Nõ libet hic referre fabulas, quibus traducitur quorundam Exordia scur temeritas, qui scurriliter in exordio lusisse dicuntur. unũ attingã, ex quo spectentur cæterilia ra. Quidã à nocturna cõpotatione semisomnis prosilijt in suggestũ, expositurus mortem dominicã. Nam & hoc quibusdã uidetur eruditũ & ingeniosum. Auspicatus est his uerbis, tanq; è Paulo desumptis, Ebrij sunt & ego, de se & cõpotoribus loquens. Apparet fuisse Gallum uel ex hoc, q ea gens Hebræi pronunciat prima acuta, ut minimũ absit ab ebrijs. Sed dũ repetit ex more exordiũ, cœpit expergisci, sensitq; errorẽ suũ, ac protinus mira solertia quod temere dixerat huc detorsit, quanta ebrietas habuit infelices Iudæos, quũ Christo dño mortẽ moliebãtur. Cæterũ oportet ab Ecclesiasta nostro, non tantũ abesse omnẽ scurrilitatis speciẽ, uerũ etiã quicquid ineptũ, affectatũ ac uiolentũ est. Cui libet facetũ esse, in alijs peccet potius, quanq; oportebat scurrilitatẽ prorsus ab omni uita Christianorũ secluſam esse. Porrò hæc à scripturæ uerbis exordiendi ratio nõ caret uetethema è scri rũ exẽplis. Sic orsus est D. Basilius, populũ adhortaturus ad placandũ deũ iratum. Leo pturis, ueterũ rugit, & quis nõ timebit: deus locutus est, & quis nõ prophetabit? Similiter ad ieiuniũ ad exemplum est hortaturus, sic incipit, Canite tuba in Sion in insigni die solennitatis uestræ. Facit idẽ interdũ Origenes et Chrysostomus. Nec semper necesse est, ut quod exordij loco sumitur, sit in eo loco scripturæ, quẽ interpretandũ suscipit Ecclesiastes, satis est si quadret: quẽadmodũ Basilius locũ qui est apud Iohelẽ cap. 2. & Psal. 80. de ieiunio Iudaico, accõmodat ad ieiuniũ solenne quinq; dierũ, quod tũ uidetur ab Ecclesiis quibusdã fuisse receptũ, ac tubis Iudaicis licet clarè resonantibus longè præfert uocẽ propheticã, quæ nunc resonat non tantũ in Sion, uerũ etiã per uniuersum terrarũ orbem, ad uerũ & Christianũ ieiuniũ inuitans. Illud tamen interdũ expedit ad auditorẽ excitandum, ut scripturæ locus propoThema cum natur cũ laude autoris, & cõmendatione sententiæ. Verbi gratia: summus ille doctor eclaude clesiæ Paulus, imò non Paulus, sed spiritus sanctus per os Pauli facilem & cõpendiariam uiã nobis ostendit, ad æternã felicitatẽ. Si deus pro nobis unicũ filiũ tradidit, qui fieri potest, ut nõ omnia simul cũ illo nobis donaturus sit? Aut ita. Quicunq; uel peccatis grauati, uel afflictionibus attriti mœretis, audite non hominem consolatorem, sed ipsum dominum amabili uoce clamãtem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Quemadmodũ igitur rectè faciunt, qui scripturæ locũ adhibent pro exordio, modo id faciãt appositè: ita nequaq; est illis assentiendũ, qui putãt nõ esse phas aliter exordiri. Frequenter enim incidunt occasiones ut expediat aliter exordiri. Quemadmodum M. Tullius dicturus pro Milone, non statim conciliat attentionem, docilitatem ac Act.2 beneuolentiam, sed prius eximit metum iudicibus. ita Petrus in Actis apostolorũ, multiExordium tudini tumultuanti Christum annunciaturus, non statim ordiur à prophetia Iohelis, Petri sed prius amouet falsum rumorẽ à quibusdam sparsum, eos qui uarijs linguis loquebantur musto onustos sic delirare. Quanquam ipsa statim appellatione captat beneuolentiam. Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem. Quemadmodum enim gratum erat auribus Athenienſium, τὸ ἀνδρες ἀθηναῖοι, Romanorum Quirites, quod sibi uiderentur cæteris urbibus excellentiores: ita Iudæis plausibilis erat appellatio, uiri Iudæi & Hierosolymitæ, quod ea natio multis nominibus cæteris antecellebat, lege diuinitus data, prophetarum gloria, cultuq; ueri numinis. Tum quod addit, hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea, attentionem cõciliat & fidem. Quisquis enim sic ordiTur, hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea, uidetur de re comperta dicturus. Adidem facit Exordium ab historia uox protinus in initio sublata, magnã dicentis fiduciã præ se ferens. Nec illa displicet exordiendi

ordiendi ratio, quam uidemus & oratoribus ethnicis usurpatã, ut ab insigni quapiam historia, nec inamœna sumentes initium, auditorem ipsa alacritate reddamus attentũ, modo ad id quod acturi sumus sit accommoda. Sic enim M. Tullius secundum librũ de inuentione rhetorica exorsus est, cognitu iucundam ac festiuam historiam fusius ac uerbis amœnis prænarrans, de pictore Zeuside, quam mox eleganter applicat ad suum negotium. Id Ecclesiastæ hoc fuerit cõmodius, quod scripturæ peculiaris sit allegoria. Quod genus fuerit, si quis hypocrisim damnaturus præfetur historiam non iniucundam exodi, quomodo magi Pharaonis præstigijs imitati sunt quæ dominus operabatur per Mosen & Aaron. Proiecerũt enim & illi uirgas suas, & uersæ sunt in dracones, sed uirga Aaron deuorauit dracones illorum. Simili artificio uerterunt aquas in sanguinẽ, immittebant ranas & cyniphes: sed quemadmodum uirgarum præstigijs terrorem incutere potuerunt, ita non potuerunt adimere: & quẽadmodum sanguinẽ, ranas, aliaq; incõmoda potuerũt immittere, ita tollere non potuerunt. Coactiq; sunt tandem fateri, in his quæ gerebat Aaron esse digitum dei. Hæc rerũ olim gestarum imago depingit nobis naturã hypocriseos. Externa specie ueluti præstigio imitatur ueram pietatem. Orat prolixè, uestitur sordidè, ieiunijs pallet, & chameunijs: sed animorum uitia non depellit, nec deum iratum placat, quod sola potest uera pietas, sed irritat potius. Vulgo narratur de maleficis artibus, mouẽr tonitrua, immittunt cruciatus & morbos horrendos: quum rogãtur, ut auferãt quod immiserunt, negant se posse. Aut si quã uoluptatem adferunt, fallunt: ueluti quũ efficiũt ut homines sibi uideantur in opiparo conuiuio uarijs epulis refici, qui domũ reuersi fame cruciantur. Dæmonum miracula, aut noxæ sunt aut fraudes. Christi miracula beneficia sunt. Simulata pietas & fallit intuẽtes & lædit utentes. Vera pietas uim habet solidã, deuorans hypocritarũ præstigias, & animũ sibi bene consciũ uero satiat gaudio. Simile fuerit, si quis admoniturus, ut qui dogmate quopiam hæretico cõtactus fuerit, statim excutiat uenenũ, priusq; ad cor penetret, præfetur historiam exactis, Quomodo Paulus uiperam, quæ è sarmentis prorepens manũ ipsius arripuerat mordicus, protinus in ignem excusserit, & extincta bestia manserit incolumis. Viperam statim in ignem excutere, est sententiã hæreticam ut præsentaneam animæ pestem detestari, ac gehenna dignam ducere. Suppeditant & Euangelici libri nonnullas historias nequaq; inamœnas, si cõmodè narrentur, uelut illam, Quod dominus esuriens procul conspecta ficu pulchrè uirẽti accurrit, quærens in ea fructus: quos quũ non reperisset, iratus illam execratus est, quã paulo post apostoli mirãtur exaruisse. Fames & mora bilem in nasum cõciunt, ait Comicus. Deus pro sua immensa erga nos charitate uehementer esurit in nobis fructus iustitiæ, clementer tolerans imperfectos, ut proficiant, aut peccatores donec resipiscãt. Erant enim id temporis multæ arbores infrugiferæ, quarum nulli tamen maledixit dominus, sed eos præ cæteris odit, qui procul intuentibus, titulis, cultibus, ac simulatis operibus, mirã sanctimoniæ speciem ostentant, quũ introspecti non solum uacui sint omni pietate, uerum etiam similes sint sepulchris dealbatis. Eadem est parabolarũ natura, quæ historiarũ. Narrantur enim ibi quædam tanq; facta, etiam si facta non sint, sed eius generis, ut frequẽter accidere sit probabile. In his igitur, prima cura Ecclesiastæ est, electio, (est enim alia historia seu parabola, alia ad narrandum amœnior.) Proxima, ut quod adest in ipsa re de suo adiuuet narrãdi commoditate. Vehementius autem afficit narratio, si sit probabilis, hoc est, si naturæ ac mori respondeat, si ordine texatur, si sit euidens, rem ueluti depictam oculis subijciens, si decorum seruet in personis, & in sermocinationibus ac dialogismis, hoc est in affingendo suum cuiq; sermonem: ueluti in historia cæci nati, alius sermo congruit Christo, alius pharisæis inuidentibus, alius cæco audaci, alius parentibus timidis. Qua quidem in parte ut aliquid concedendum est sacro concionatori, ita non est phas ut sibi permittat, quod sibi permiserunt in rebus prophanis nobiles historiarum scriptores: qui sibi ius publicum fecerunt, ut pro suo quisq; ingenio affingat, non quod dictum est, sed quid quàm accuratissimè dici potuerit. Id autem coniectant partim ex qualitate personę, quam faciunt, aut sustinent loquentem, partim ex ipsius rei circumstantijs. Verbi gratia, si quis Phocioni sermonem affingat, breuem, sententiosum, serium, sanctum, liberum, minimeq; adulantem tribuat oportet, multoq; alium q; Demosthenì, Themistocli, aut Alcibiadi. Item si quis Catonẽ seniorẽ loquentem facit, liberum, submorosum, ac iurgabundum

Act. 28

Matth. 21

Exordium à parabola

Narratio

dum inducat oportet, multoq; alium, quàm Ciceronem, aut Cæsarem. Super omnia uero commendat narrationem, affectuum obseruatio, quos Græci uocãt ἤθη, id est mores: qui quum simpliciter expositi delectent ac moueant, multo magis id faciunt arte tractati. Quoniam enim secundum naturam sunt, ab omnibus agnoscuntur. Huius generis sunt affectus parentum erga liberos, liberorum erga parentes, maritorum erga uxores, uxorum erga maritos, senum erga adolescentes, adolescentũ erga senes. Parium in pares, affinium erga affines, fratrum erga fratres. Nec satis est in genere nosse hęc atq; obseruare, eò quod sunt peculiares ingeniorum differentiæ, quas in comœdijs, non secus atq; in speculo licet intueri. Nam in Andria alius erat Simo in filiũ, quàm in seipsum excruciante Menedemus. Et in Hecyra alius in uxorem Laches, alius in eadem Phidippus. Atq; ibidem alia Sostrata in Lachetem, alia in Phormione Nausistrata erga Chremetem. Est quidem iuuenum amantium aliquid commune, attamen aliter amat Phædria, aliter Chærea, aliter Pamphilus in Andria, aliter in Hecyra. Nec omnes uxores tales fuerũt erga maritos, qualis fuit uxor Iob, aut Thobiæ, aut Michol Dauidis. Commune erat apostolorum diligere dominum, & tamen Petrus erat liberior & ardentioris fidei quàm cæteri, Ioãnes familiarior & quietior, Iacobus & Ioannes ambitiosiores, Thomas ad credendum difficilior: Paulus facundia mirabilis, Barnabas maiestate reuerendus. Adhæc nõ idem sermo conueniret Apostolis post acceptum spiritum sanctum, qui conueniebat eo nondũ hausto. Neq; enim iam erant ijdem, sed in nouam creaturam transformati.

Affectus in narratione exordiali

Animantium naturæ

Quod de historia & parabola diximus, idem sentiendum de exemplis aut naturis animantium, plantarum, gemmarum, aut aliarum rerum quarumlibet. Hic non remorabor lectorem exemplorum turba, tantum attingam, quantum ad intelligẽtiam rei satis est. In hominum ingratitudinẽ dicturus, nõ inepte præfabitur quod Plinius refert, haudquaq; pro fabula, sed pro re gesta. Quidam draconẽ habuit in delicijs, uerum ubi iam in immanem magnitudinem excreuisset, exhorruit alumnũ suum ac deposuit in syluam, Multo post euenit, ut per eã syluam facturus iter, cinctus sit à latronibus. Expectabat mortem, & quod unum potuit exclamauit. Ad agnitam nutricij uocẽ accurrit draco, latrones metu territi diffugere. Sic beluæ beneficio seruatus est homo. Simile quiddã narrãt ex Apione grammatico de leone, cui seruus à domino profugus, ac metu latitãs in profunda spelunca, spinam exemerat è pede, ac uulnus repurgarat. Animal natura ferũ medicũ suum illic aliquandiu aluit, adferens carnem ferinam, quam ille ad solem coctam in regione feruentissima edebat. Tandẽ eius uitæ pertæsus homo, relicto specu cœpit uagari, & captus est deniq;, & à domino ad bestias dãnatus est. Stetit miser in cauea, crudele spectaculum exhibiturus populo. Forte fortuna captus fuerat leo, cui uulnus sanauerat. Is immissus in caueam primum horrendo impetu ferebatur in hominẽ, mox quasi notitiãs restitabat: tandem & blanditus est medico suo. Seruus uicissim agnoscit altorem suum: ac securus astabat, populo nouitate rei supra modum attonito. Rogatus seruus quid esset monstri, confessus est quod acciderat. Quid factum? Dominus populo flagitante donauit fugitiuum non uita tantum, uerum etiam libertate. atq; ut esset unde uiueret, populus stipẽ contulit, seruo molli funiculo in leonis collum iniecto per totam urbem, non aliter quàm placidum ac familiarem canem circumducente, acclamante multitudine, Ecce homo medicus leonis, ecce leo seruator hominis. Nimirum delectauit turbã gratitudinis exemplum in belua. Quo turpior est hominis in hominem benemeritum ingratitudo. In fera naturam uicit tantillum beneficiũ, homo præter naturã ingratus est homini multis magnisq; nominibus benemerito. Parũ est pro benefactis nullã referre gratiã, pro summa beneuolentia reponit odiũ, pro meritis iniuriam. Hoc exordiũ non incõmodum opinor fuerit in hominũ ingratitudinẽ declamaturo. Porrò quod exemplũ sumptũ est ab animante bruto, sic mitigari potest, si dicat hoc nõ esse alienũ à consuetudine scripturarum, quum Solomon nos mittat ad formicam, ut ab ea discamus industriam: & dominus in Euangelio reuocat discipulos suos ad exemplum passerum, liliorum, & grani sinapis. Magis aũt mouent exempla imparia: ueluti exemplum pudicitiæ, à iuuene translatum ad senem, fortitudinis, à muliere ad uirum, fidei coniugalis, ab Ethnicis ad Christianos. deniq; à brutis traductum ad homines. Vt quod Elephanti non coeunt nisi in occulto, & forte interuenientem occidunt, exemplum est uerecundiæ: quod religiosa diligentia educãt seruantq; fœtus

Prouerb. 6

Exempla magis mouent imparia

Plin. lib. 8 ca. 5

fœtus suos donec adolescant, quemadmodum & de delphinis proditum est, exprobrat parentibus incogitantiam suam, qui nulla disciplina formāt, seruantq; teneram ætatem, sed filios ac filias suas tantum non prostituunt. Sic asina, per medios ignes transcurrens ad fœtus, exprobrat quibusdam impietatem suam, qui infantes suos statim abijciunt ab sese, ac propemodum exponunt, dum eos cōmittunt quibuslibet nutricibus exigua mercede conductis, frequenter etiā & morbidis & male moratis, & procul in agro quopiam agentibus. Fidē uero poterit hoc pacto conciliare, si dicat hanc non esse anilem fabulam, sed à uetustis, grauibus & pluribus autoribus literis proditam historiam, quæ nulli uideri debet incredibilis, quum id quotidianis experimentis uideamus, animantia natura fera, beneficijs hominum cicurari, & ad obsequium redigi. Diuus Basilius, Gordij Martyris Encomiū dicturus, ab apum politia sumpsit exordium. Hac in parte quidam peccāt, qui ficta pro ueris narrant. Velut is qui commentus est Adam in monte Caluariæ fuisse sepultum sub ipsa cruce, qui contactus sanguine domini reuixerit, Christo sepultum his uerbis appellante, huc detorquens quæ loquuntur apud Paulum incerto autore: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & continget te Christus. Sic enim habent quidā Græci codices. Alij bis peccant, qui non solum impudenter & indocte conficta narrant, uerum etiam ἀπροσδιόνυσα, ut aiunt, neq; quicquam ad præsens argumentū facientia. Interdum ipsa res subministrat exordium, aut certè ab ipsa arripitur. Quale est Aiacis apud Ouidium. Quum enim causa ageretur eo loco, unde in prospectu erat classis Græcorū, quam Aiax sua uirtute seruarat ab incendio, hinc arripuit proœmium. Agimus proh Iupiter, inquit, Ante rates causam, & mecum confertur Vlysses. Eiusdem generis est quod apud Liuium quartæ Decadis libro nono Posthumius Consul uersiculos quibus ex more diceturi apud populum deos suos precabantur, ut felix faustumq; esset quod agebatur, accommodauit ad exordium, dicens nunquam magis fuisse necessariam eam deorum comprecationem, ut quæ admoneret, hos esse deos quos illorū maiores colere, uenerari precariq; instituissent, non illos qui externis ac prauis religionibus mentes hominum furialibus stimulis ad omne scelus impellerēt &c. Erat enim detecturus nefanda mysteria quæ in bacchanalibus peragebantur. Item apud eum scriptorē decadis 3. lib. 8. Scipio Aphricanus castigaturus legionem quæ defecerat, posteaquam aliquandiu ueluti cogitabundus siluisset, sic orsus est, ut diceret se licet ab ipsa prope puerilia in castris habitum, ac militaribus ingenijs assuetum, præter solitum non inuenire, quomodo sermonis exordium caperet, atq; adeò hæsitare, quo nomine suos milites compellaret: Corpora, inquit, ora, uestitum, habitum ciuium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium uideo. Nota est fabula de Leone Byzantino sophista: qui quum Athenis prodisset in concionem suasurus concordiam, quoniam erat insigni corporis obesitate, mox populi risus obortus est. Hinc ille solers arripuit exordium, Quid inquit, ridetis? Est uxor mihi me multo obesior, & tamen concordes unus capit lectulus, discordes ne tota quidem domus. Quod sophista fecit, artis & affectationis uideri potest: quod Scipio fecit, prudentiæ erat nō artis, aut certè naturæ, quam fortitus erat ad res maximas feliciter gerendas appositam. Adsimilem prudentiam Paulo suggessit spiritus cœlestis, quum Athenis in Areopago iussus dicere, exordium arriperet à statua eius ciuitatis, nominatim ab ara, quæ titulum habebat, Ignoto deo, ab hoc gradu paulatim perueniens ad Christum. Neque raro sic ordiri Chrysostomus, præfans se gaudere bonamq; spem concipere, quod ipsius oratio non sit caritura fructu, quum uideret multitudinem frequentiorem solitoq; alacriorem adesse. Probabile siquidem est, eundem spiritum, qui eam ad audiendum dei uerbum alacritatem dedit, & sermonis energiam additurum. Hic quidem à laude personæ quæritur benevolentia, uerum sic laudare non est adulari, sed potius ad diligenter auscultandum exhortari. Quemadmodum beatus Paulus ab Agrippa rege iussus dicere, sic orsus est, ut sibi gratularetur quod apud illū causam dicturus esset, cui religio omnis ritusq; Iudaicæ gentis essent probè cogniti. Neq; enim hoc proœmium delinit aures regias, sed declarat magnam in reo fiduciam, qui uictoriā in hoc sitam existimet, si iudex causam penitus intelligat. At quemadmodū Chrysostomus à laudata multitudinis alacritate, ita Basilius à subito mutatis populi moribus auspicatur obiurgationem, dicens se ad dicendum segnem ac frigidum reddi, quod conspiciat populū post tot exhortationes, post quadragesimę ieiu-

Narratio ficta

Ephe. 5

Exordium à re præsenti arreptum

Act. 17

nium

nium ac uigilias, protinus in ipsa statim paschæ uespera, ad lu-
xum uestitus & crapulam reuolutum. Ad poeticam licentiam propius accedit, quod Pru
dentius hymnum de natali Iesu auspicatur ab incremẽto dierum: Quid est quod arctum
circulum Sol iam recurrẽs deserit? Christus ne terris nascitur, Qui lucis auget tramitem?
Et Cassiani martyrium celebraturus prooemium arripuit à pictura fortè conspecta. Petri
& Pauli triumphum celebraturus exordium sumit à conuentu hominum solito lætiore
Exordium à similí ac frequentiore. Interdum exordiuntur à similitudine ad argumentum congruente. Ve-
luti si quis populum admoniturus, ut in rebus aduersis prudentia animiq; fortitudine se-
se sustineat, in prosperis ne insolescat, sed ad modestiam sese contrahat, non ineptè sic ex-
ordietur. Periti naucleri, quum uentis & æstu destituuntur, quicquid hab ẽt uelorum ad
paululum auræ captandum deflectunt, adhibent remos, & obliquo cursu quantum licet
promouent. Rursus quum uento nimium secundo feruntur, uela cõtrahunt, ne si nauim
desierint habere in potestate sua, uel demergatur, uel in rupes aut uoraginem abripiatur.
Intelligunt enim plus esse periculi, à tempestate uehementer secunda, quàm ab aduersa.
Multo magis decet nos hanc adhibere prudentiam, qui in hoc procelloso seculo nauiga-
mus, lõge maiore periculo, quàm qui sulcant Hadrię aut Aegei fluctus &c. Atq; hic pro
tinus sese aperit campus, comparandi utriusq; nauigationis discrimina, ac spes si succe-
dat. Item si quis adhortaturus populum ad pœnitentiam sic sumat initium. Quoties cor-
pus aut grauiter uulneratum est, aut periculoso morbo tenetur, quanta solicitudine, uel è
longinquo si nõ adsunt, peritos chirurgos ac medicos arcessimus, nihil deterriti sumptu,
quando de uita periculum est. At si reputemus, quanto formidabiliores sint morbi uul-
neraq; animarum quàm corporum, quantoq; mors æterna sit horribilior morte carnis,
nonne magnæ demẽtiæ sit, ibi medicum accersere precio precibusq;, corpus ad usturam
sectionẽq; præbere, amara deuorare pharmaca, spe sanitatis, quæ an contingat incertum
est: (Neq; enim raro accidit, ut medicorum pharmaca pro sperata sanitate mortem adse-
rant, aut certè malum exasperent) & animæ tot letalibus uulneribus saucíæ, tot capitali-
bus morbis ægrotæ, nullam quærere medicinam, sed quod infelicius est, ultro & gratis
oblatam respuere. An medici potio febrim depulsura sit, incertum est: at certo certius est,
per ueram pœnitentiam tolli peccata, quæ sunt animarum uulnera morbiq;, ne dicã mor
tes. Homini sanitatem temporariam pollicenti, nos totos committimus: ac deo medici-
nam offerenti, quæ salutem æternã pollicetur, diffidimus. Quisquis enim sibi crimínum
conscius, non amplectitur pœnitẽtiam, aut deo diffidit, aut propriæ salutis hostis ac pro-
ditor est. Deus clamat, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Au-
scultamus homini uel ignoto, & ad dei uocem surdi sumus. Ad hunc modum frequẽter
exordítur Chrysostomus, uelut in sermone aduersus Iudæos, nec hic solus tamen. Exem
plis referendis, quoniam passim obuia sunt, non morabor lectorem. Nonnunquam exor
Exordium à transitione diuntur à transitione. Quod genus sit: Superiore sermone didicistis, quid officiorum pa-
rentes debeant liberis suis, & quatenus ea præstari cõueniat: nũc uicissim accipite, quam
pietatem liberi debeant parentibus. Hoc exordij genus cõuenit ijs, qui tractatibus, quos
Græci tomos uocant, perpetuo sermone uolumen aliquod exponunt Canonicæ scriptu
ræ, quemadmodum Chrysostomus enarrat Euangelium Matthæi, aut epistolam ad Ro
manos, Augustinus Psalterium & Euangelium Ioannis. Quanquam & aliàs poterit inci
dere, ueluti qui pridie enarrasset Euãgelij locum: Qui amat animam suam in hoc seculo,
seruabit eam: postridie Laurentij aut alterius martyris certamen expositurus populo, hũc
in modum poterit exordiri. Heri fratres charissimi audiuistis summũ martyrum ducem
& coronatorem nobis præscribentem, quibus rebus instructus miles, qui uictoriam &
coronam cœlestem ambit, debeat ad conflictum accedere: hodie spectaculum uobis æde
tur, quàm inuicto animo iuxta domini præscriptum egregius martyr hostem uicerit, pro
strauerit ac proculcauerit & tyrannum dira minitantem, & cruciatus immanes & mor-
tem tam acerbam, ut ipsa etiam commemoratio possit animis hominum terrorem incute
re. Nec mirum, Christus inuictus est, qui pugnat in membris suis, ut cum Paulo dicere
possint: Omnia possumus in eo qui nos corroborat &c. Sed de transitionibus mox plu-
Exordium à sententia ra tempestiuius dicentur. Nihil porrò uetat, quo minus Ecclesiastes comminiscatur sen-
tentiam modò aptam argumento, cuius exemplum esto. Ad benemerendi de omnibus
studium

ſtudium adhortaturus, ac inuidiam & maleuolentiam deteſtaturus, ſic ordiri poterit, Deus natura benignus & candidus eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Contrà diabolus ſuapte natura inuidus ac maleficus, qui & pios ſolicitat ad impietatem, & impios pertrahit in gehennam. Omnes autem Chriſtiani filij dei ſunt, qui quotidie clamant, Pater noſter qui es in cœlis. Quòd ſi uerè filij dei ſumus chariſſimi, imitemur patrem noſtrũ beneficum in dignos pariter & indignos, potius q̃ illum impiorum patrem, quẽ in baptiſmo ſumus execrati, qui non gratis tantum, ſed ſuo etiam malo ſtudet omnib. malefacere. Huiuſmodi ſentẽtia poterit & cũ amplificatione proponi, hoc pacto. Si gentes eorũ memoriã, qui pro patria fortiter occubuiſſent, ſolẽni cõuentu celebrabant: quanto magis nos decet publica lætitia celebrare martyrũ uictorias, qui pro Chriſto & eius ſponſa eccleſia ſemet in omne mortis genus tradiderunt, ſuoq̃ ſanguine cõſtabilierunt eccleſiã. Verũ ut omniũ martyrũ memoria nobis debet eſſe celebris & læta, ita huius inter omnes eminẽtis religioſiore gaudio celebranda eſt. Sed nõ eſt quod torqueat Eccleſiaſten proœmij inuẽtio, quæ ſæpe difficilior eſt ipſo argumẽto. Satis enim erit quod tractaturus eſt, cũ breui cõmendatiuncula proponere: ueluti pſalmum expoſiturus, ſic præfari poterit: Adfero ad uos theſaurum ſpecie exiguũ, precio magnum, pſalmũ, inquã adfero breuem quidẽ, ſi uerba numerentur, at cœleſtis doctrinæ copia fœcundũ, quẽ ut digne uobis poſsim exponere, adiuuate me precibus ueſtris, & implorate mihi auxilium ſpiritus illius qui ſcrutatur omnia, etiam profunda dei. Ille loquutus eſt myſteria per os Dauidis prophetæ, per me dignetur ad utilitatẽ ueſtrã ſua reſerare arcana. Interdum ipſa qualitas argumenti quodammodo flagitat proœmium. Quod genus, ſi ſcripturæ locus, quem enarrãdum ſuſcepit, habeat hiſtoriam in ſpeciem abſurdam: puta de Iacob, cui noctu ſuppoſita eſt Lya, pro Rachele, ac poſt pro adamata iuniore ſeruiuit alterum ſeptennium: deq̃ artificio, quo decepit ſocerum ſuum, uariatis uirgulis: de Rachele furata deos patris. Rurſus de Lya mandragoræ malis à ſorore ſtipulãte noctem unam mariti. Item de concubina Sampſonis, de meretrice uerſa in uxorem Oſeæ. De puella Sunamitide, quæ Dauidem ſenio frigidum ſuo cõplexu calfaceret, deq̃ alijs innumeris, quorũ quædã imperitis uidentur inepta, & indigna diuinis literis, quædam cũ uicio coniuncta, quædam abſurda & impoſsibilia, Veluti ſerpẽs colloquens cum Eua. Deus ambulans ad auram in meridie. De tot animalium generibus concluſis in arcam Noe. Nonnulla moleſtam habent obſcuritatem, qualia permulta ſunt in Ezechiele ac Daniele. Quædam tædio ſunt, ut quum locus habet longam nominum Hebraicorum ſeriem, aut altè repetitas genealogias. His incõmodis expedit in exordio mederi. Medebimur autem his fermè rationibus, ſi præfemur, hanc eſſe conſuetudinem ſcripturarum, ut ſæpe numero ſub uili operimento claudãt adoranda myſteria. Diuerſam enim eſſe naturam humanorum uoluminum ac diuinorum. Illa prima fronte præclarum quiddam præ ſe ferunt, At ſi introſpicias, ſæpe fit ut lector cordatus clamitet ſe pro theſauro reperiſſe carbones. Hęc contra ſub contemptibili ſpecie, cœlant diuinã ſapientiã, ut quo altius penetres, hoc magis ac magis obſtupeſcas, ſi quis modo ad ſpiritualẽ ſcripturam ſecum adferat oculos ſpirituales. Nec hoc temere factum eſt, decuit hoc diuinã ſapientiam, ut à prophanis oculis cœlaret myſteria, tantum irridenda, & pijs daretur aditus ad recondita. Sic ipſe dei filius uenit in mundum humani corporis inuolucro diſsimulans impijs diuinam naturam, & populo loquutus eſt per parabolas, quarum myſticum ſenſum non grauatus eſt Apoſtolis ſeorſum exponere. Interdum ſpiritus ille diuinus quædam admiſcet abſurda, mini meq̃ cohærẽtia, iuxta literam, quo noſtrum ingenium depellat à ſenſu hiſtorico, cogatq̃ in illis uerbis aliquid retruſius quærere. Quòd ſi non piget nos perfodere mõtes, ut in puteri terra reperiamus aurum et argentum, multo minus nos pigere debet aliquid deuorare tędij in literæ ſuperficie, ut ad theſauros ueniamus, longè præcioſiores auro & argento. Nec oportet Hebraica nomina q̃uis non intellecta cum tædio audire, quum in canonicis literis ne apex quidẽ unus temere poſitus ſit: ſed quẽadmodũ thecas rerum ſacrarũ ueneramur, ignari quid intus ſit, modò perſuaſum habeamus ſacrum eſſe quod occultatur: ita decet ea nomina, quorum omnia myſteria non poſſumus ad liquidum explicare, cum reuerentia uel audire uel recitare. Nec ea religio ſuo carebit fructu. Etẽm ſi ad Magorum uoces ab ipſis non intellectas, adſunt impij ſpiritus, ac prodigioſa quædam efficiũt: quan-

Exordio non ſemper opus

Exordiũ quãdo neceſſariũ

to magis credendum est,bonos spiritus ad huiusmodi uoces cum fide pronunciatas ad futuros,ac per eas boni quippiam à deo impetraturos.Danda quidem est opera,ut quantum humana fert infirmitas scripturarum mysteria percipiamus, non carent tamen suo præmio,qui scripturæ uerba nondum ad plenũ intellecta religiosa ueneratione pronunciant. Obscuritatis aut difficultatis tædium sic præfatione poterit excutere, si rogabit ut quod à spiritu sancto tam diligenter proditum est,utiq; nostra causa,non grauentur attentis animis audire:simul polliceatur se rem in compẽdium redacturum, ut cito facileq; possit cognosci:discusso nubilo,lætam serenitatem consecuturam.

Quæ uitij speciem habent,quum reuera cum uitio cõiuncta non sint,excusanda sunt: uelut quòd Abrahã paratus erat immolare filiũ suum, & quòd Hebræi spoliatis Aegyptijs fugerunt.Dei siquidem uoluntas regula est certissima iusti atq; iniusti.Quicquid deus uetat fieri,hoc ipso impium est,quia deus uetuit: & quicquid iubet, hoc ipso rectũ est, quia deus iussit. Porrò nihil obstat,quo minus in his quę cum uitio coniuncta sunt late at mysterium. Quòd enim Dauid occiso Vria,duxit Bersabee,ex qua genuit Solomonẽ, non habet exemplum nobis imitãdum, quia dei iniussu cõtra legem factum est,subest tamen adorandum mysterium.Quemadmodum & ipse dominus ex illaudatis hominũ factis parabolam ducit, ad pietatis studium. Veluti infidi dispensatoris astutiam accõmodat ad studium de omnibus bene merendi. Et Paulus ab exemplo certantium in agone, ducit exhortationem ad pietatem toto pectore exercendam.Iis quæ uidentur fieri nõ potuisse, sic præfari poterit Ecclesiastes: in rebus naturæ innumera esse,quæ nemo creditu rus sit,nisi fidem faceret experientia sensuum. Veluti magnes altera parte attrahens chalybem,altera depellens.Stultum itaq; sit in his quæ naturæ dominus facit,quærere an fieri potuerit. Interdum sunt & humanæ rationes, quibus fit ut fieri posse uideatur, quod prima specie uidebatur impossibile.Sicut quod legimus de arca Noe, quã Apelles contendit esse confictam fabulam,hoc argumento, quòd iuxta rationem totius arcæ in Genesi expressam,ea pars quæ tributa est animalibus, uix tres elephantos capere potuisset: præsertim quum Noe iussus sit ex immundis inducere bina & bina,hoc est,duo paria,ex mundis septena & septena,hoc est,quatuordecim paria,atq; his omnibus pabula reponere in annũ sufficiura.Atqui hoc minus uidebitur absurdum,si doceamus illic cubitũ accipi non uulgarem,sed geometricum. Geometriam autem præcipue callebant Aegyptij, & scriptura testatur Mosen in omni sapientia Aegyptiorum fuisse eruditum. Hebraicarũ autem antiquitatum periti,quemadmodum refert Origenes, tradũt secundum Geometricam rationem quam Aegyptij uirtutem appellant,cubitum ex solido & quadrato, unum uel in sex deputari si generaliter accipias,uel in trecẽtos,si minutatim deducas. Ad hanc rationem spacium fuerit omnium generum capax. Præterea quod ait bina & bina, septena & septena,iuxta sermonis Hebraici proprietatem non sonare duplicationem numeri,sed distributionem,uidelicet è singulis immundorum generibus unum par,ex mundorum septem paria. Veluti quũ Mar.cap.6.scribit Apostolos missos δύο,δύο,non sentit quatuor esse missos,uerum per iuga. Adde huc ea tantum animalia recepta, quæ perfecta non propagãtur nisi coitu.Pręterea id temporis fuisse pauciores animantiũ species, quæ post mixtura creuerunt. Postremo ut homines tum erant maiores, ita cubiti modũ fuisse maiorem.Nam & Pythagoras è stadio quod erat Pisis Herculanis pedibus metatum,collato cũ alijs Greciæ stadijs pari numero pedum,sed breuiore spacio,collegit modum Herculani corporis. His affine est illud exordiendi genus, quo proœmium ad argumenti qualitatem accõmodamus. Veluti si læta sit materia,de qua dicturi sumus,puta de triumpho Christi resurgentis,de celebrando festo beatissimæ uirginis, exordium recte sumetur ab huiusmodi sententijs.Quemadmodum imperatores militibus suis,quo facilius ferant castrenses labores, interdum ferias quasdam ac ludos concedunt ad relaxandos animos præsertim re bene gesta: ita deus suos milites frequenter exhilarare dignatur festis diebus,tristia lætis temperans ut possint sustinere.Sed oportet plurimum interesse inter lætitiam mundo militantium,& militantium Christo.Illorum lætitia quoniam luxu constat ac temulentia,frequẽter exit in rixas ac pugnas, & ut horũ nihil accidat,non raro fit, ut unius diei hilaritas multorum dierum adferat cruciatum,febri aut cephalalgia è crapula contracta, Christianorum festa, sobriam ac pudicam habent lætitiam. Tripudiatur enim

Exordium respondẽs materiæ lætæ

nim spiritualibus gaudijs, ducunturq; choreæ nõ ad aulœdi tibias, sed ad sancti spiritus afflatum. psallitur domino in cordibus psalmis, hymnis & canticis spiritualibus. Hæc demum uera est hilaritas, ac digna Christianis, quæ in multos etiam dies exhilarat conscientias, nec ad medicos, sed ab obeunda pietatis munia remittit alacriores. Nimirũ hoc sentit propheta, quum ait, Hæc dies quã fecit dominus, exultemus & lætemur in ea: quodq; canit Ecclesia sancta, Gaudeamus omnes in domino. Conuenit enim ut in die quam fecit dominus, exultemus & epulemur, sed in domino. Nec decet, ut ex die quam fecit dominus, faciamus diem Satanæ. Rursus si materia habuerit aliquid molestum humanis affectibus, puta adhortationẽ ad pœnitentiã, aut reprehensionẽ uitiorum, ab huiusmodi sententijs poterit exordiri. Optandum esse atq; adeo studendum, ut nullus egeat medicorum pharmacis. Verum ubi morbus urgeat, grata debẽt esse remedia, quæ tametsi dulcia non sunt, sunt tamen salutaria. Beati qui nihil commiserunt pœnitendum, sed qui gerunt conscientiam capitalibus morbis æstuantem, multa cum alacritate debẽt amplecti pœnitentiæ remediũ, tam lene, tam efficax, quod etiam si ad tempus cõtristat hominẽ, tristitia hæc mortem non adfert quemadmodum tristitia seculi, sed salutem stabilem operatur. *Exordium respondens materiæ tristi*

Aut sic. Qui uomicis & apostematibus laborant, ultro rogãt ac mercede conducunt chirurgum, ut mordacia admoueat emplastra, aut si res postulet, ferrum & ignem adhibeat. Quam igitur leuæ mentis sunt qui indignantur si quis non lædendi, sed medendi studio contrectet hulcera conscientiarum. Medicum secantẽ fers toleranti animo, & scripturam arguentem uitia, aut pastorem amicum gratis conantem sanare mentis uulnera, ferre non potes. Si deterret dolor, perpetuum atq; etiam multo acerbiorẽ adfert animus sibi male cõscius, quàm correctio, quæ ut breuem habet molestiam, ita perpetuam adfert mentis tranquillitatem. In uitia dicam, non in homines: qui puram habent conscientiam deo gratias agant: qui sibi conscij sunt, non traducentur sermone nostro. Tantũ agnoscãt sese, & correcti simul cum alijs deo gratias agant, illi pro seruata innocentia, hi pro restituta. Vtrunq; diuini muneris est. Proinde non oportet efferri, qui se sentiunt immunes ab his peccatis, quæ redarguuntur, fortasse peiora fuerant admissuri, ni misericordia numinis seruati fuissent. Pharisaica uox est, non sum sicut cæteri homines, ac uelut hic publicanus Domino charior est peccator sui pœnitens, quàm iustus sibi placens: ac sæpenumero fit, ut qui festucam uidet in oculo proximi, ipse trabem gestet in oculo suo. Non est quis temulentiæ uitio obnoxius, sed alio quopiam deteriore affectu temulentus est, ut odij, inuidiæ, auaritiæ. Cæterum quando sumus omnes unius corporis membra, par est ut dolor & gaudium sit omnium commune. Qui stant uideant ne cadant, orentq; dominum pro lapsis, qui adeo non est inexorabilis ut ultro inuitet ad resipiscentiam, paratam ostendens ueniam: Conuertimini, inquit, ad me & ego conuertar ad uos. Verum hæc præceptio latius patet, & ad omne genus exordiorum pertinet. De exordio dicendi finem faciam, si illud adiecero, procœmij loco sumi posse propositionem cum diuisione. Quod genus: tria præcipuè cognitu necessaria uobis hodie constituí deo opitulante explicare. Quàm grata deo, quamq; efficax res sit eleemosyna. Tum quàm latè pateat eleemosynæ uocabulum: Postremo qua moderatione distribuenda sit eleemosyna. Atq; hacce nus de procœmio satis dissertum arbitror ut sapienti Ecclesiæ detur occasio, similia aut his etiam meliora excogitandi. *Exordij loco propositio & diuisio*

Verum priusquam ad cæteras partes ueniamus, uidemus à plerisq; receptum, ut exordio subijciatur inuocatio numinis: qui mos à poetis sumptus uidetur, quibus solenne est proposito argumento continenter adijcere inuocationem numinis, eius præcipuè, in cuius potestate sit ea res, de qua dicturi sunt. Veluti Maro auspicaturus libros de agricultura, posteaq; proposuit argumenta quatuor librorũ, inuocat omnes deos, ad quos frumentorum, aut uitis, oleę, aliarumúe arborũ, aut boum equorumúe cura pertinere putabatur. Sic & Aeneidem orsus est. Et Ouidius opus Metamorphoseon, licet uerbis paucioribus. Quanquam Homerus utrunq; opus ab inuocatione orditur, admiscens propositionem, Iram pande mihi Pelidæ diua. Et dic mihi musa uirum. Hoc imitatus est Statius, Magnanimum Aeacidem, formidatamq; tonanti Progeniem, et patrio uetitam succedere cœlo, Diua refer. Quanq; pro illius temporis ratione, quũ iam priscam simplicitatem uitiasset declamandi studium, obscurius id facit. Quemadmodum & Lucanus in ipso statim exor *Inuocatio*

dio captat argutiam declamatoriam. Homerum imitatus est Prudentius in Ψυχομαχία, Christe graues hominum semper miserate labores, Dissere rex noster, quo milite pellere culpas Mens armata queat nostri de pectoris antro. Similiter descripturus martyrium sancti Vincentij, Beate martyr prospera Diem triumphalem tuum. Vtraq; exordiendi ratio conueniet Ecclesiastæ nostro, siue proposito themate subijciat inuocationem, siue inuocationi admisceat propositionem. Prioris exemplum erit: Psalmus quem hodie sum charitati uestræ expositurus, abditis diuinæ sapiētiæ mysterijs intus scatet: iunctis precibus inuocemus Christi spiritum, ut nobis ea suggerere dignetur, quæ & ipso digna sint, & uobis salutaria. Posterioris hoc erit, Ante omnia dilectissimi, imploremus auxiliū diuini spiritus, ut qui quondam Apostolis dedit igneis loqui linguis, nobis de charitate dicturis adesse dignetur, ac mihi quidem linguam, uobis autem simul & mihi mentes charitatis igni inflammet: Sed unde potius auspicemur charitatis encomium, quàm à discipuli uerbis, quem singulari charitate complexus est dominus Iesus. Ait enim: Deus charitas est, & qui manet in charitate in deo manet &c. Quanquam expedit admiscere inuocationem, quoties id suadet utilitas, ueluti quū occurrit locus explicatu difficilior. Pulsemus illius aures, ut aperiat huius scripturæ mysterium, qui dicit pulsate & aperietur uobis. Siquidem id præterq; quod congruit pietati Christianæ, hoc insuper habet utilitatis, quod sic renouatur auditoris attentio. Excitatur enim tanquam ad rem non uulgarem, & cognitu dignam. Decet aūt & propositionem & inuocationē esse breuem ac dilucidā. Mirū uero unde mos inoleuerit, quo nunc plericq; perorato exordio, salutant beatissimam Christi matrem, idq; maiore religione, q̄ inuocāt Christum, aut illius spiritum, appellantes eam omnis gratiæ fontem. Equidem non arbitror acrius insectādum, quicquid pio simplicicq; geritur animo. Sed tamen hoc meminisse debent, qui nimium urgēt eam cōsuetudinem: Primum esse præter scripturæ autoritatem: Iacobus enim præcipit, ut qui indiget sapientia, postulet non à sanctis, sed à deo, Dein esse præter omnium ueterum exemplum, quos magis oportuit imitari, q̄ istos nescio quos, qui haud scio an blandientes sexui fœmineo, perperam imitati poetas Ethnicos, pro musa substituerunt uirginem matrem. Hoc fit etiam ineptius, quoties argumentum non congruit personæ uirginis. Puta si quis expositurus sit libidinis species, aut quot modis perdatur uirginitas. Congruentius est quod Prudentius Vincentium celebraturus non inuocat pro deo, sed tantum orat, ut prosperet diem suū triūphalem. Ita tolerabilius esset, si dicturus laudes uirginis, imploraret auxilium uirginis. Adde his omnibus, quod isti admonito populo, ut inuocet beatam uirginem, nihil petunt ab ea, sed tantum salutant uerbis Angeli & Elizabethæ. Id quum non sit caritatum ineptia, etiam si quis deum inuocandum præfatus, nihil ab eo petat, sed laudet eū cantico Angelico, gloria in excelsis deo: multo ineptius est pro precatione salutationē offerre beatæ uirgini. Piū quidē est laudare deum, sed cuiq; rei suus est locus, & ineptum uidetur quicquid non fit in tempore. Indignantur conuelli laudabilem consuetudinē. At alij iustius indignentur tolli laudabiliorem. Ioannes Gersonensis uir pius, concione quadam in ipsa inuocatione mouet quęstionē, an uirgo mater senserit primos motus ad uitia. Scio repertam à quibusdam rationem, qua uirgo mater dici possit fons omniū gratiarū. Quia genuit Christū fontem omnis gratiæ. Hic nobis opinor, occinent ex Aristotele: propter quod quicq; tale & illud magis. Vocemus igitur Aristotelis patrem summum philosophum, quod summum philosophum genuerit. Quanq̄ ne in Christum quidem competit hic titulus, fons omnis gratię, iuxta naturam humanā, quam assumpsit ex uirgine. Sed quid opus est præter scripturæ autoritatem, præter ueterum patrum exemplum, consuetudinem inducere quæ egeat excusatione. Congruentius erat ut Paulinam epistolā expositurus, Paulum imploret, ut sibi impetret dicturo spiritum, quo ipse scripsit. Et tamen is mos ab Ecclesia receptus non est. Postremo non est necesse semper inuocare, præsertim quum ipsa statim oratio ab obiurgatione uiciorū sumit initium. In sacro conuentu semper tacita est inuocatio. Supereſt Narratio, de qua mihi uideor admonuisse, quantum Ecclesiastæ satis est. De diuisione quædam admonebimus, quæ uox bifariam accipi potest. Primum ut declaret nobis unam modo orationis partem, cuius gemina functio est. Non solum enim ostendit auditori in quod debeat esse intentus, uerum etiam certo numero & ordine promittit, quibus de rebus sit dicturus. Huius exemplum esto, De Christiano con-

Inuocatio pro positiōem cōplectens

Propositio breuis ac dilucida

Inuocatio uirginis

Diuisio bifariam accipitur

iugio

iugio dicturus, tria cognitu necessaria, quàm potero paucissimis expediam. Primo loco docebo, quibus modis ac ritibus legitimum coniugium sit ineundum, & quot de causis sit dirimendum, si perperam contractũ fuerit. Secundo loco, quanta sit cõiugij religio, & q̃ uenerandũ in Christo & Ecclesia sacramentum. Tertio loco, quàm abominabile flagitium sit adulterium. Sed latius patet diuisionis uocabulum, quoties pro dispositione siue ordine usurpatur. Quæ per omnes orationis partes sparsa est. De priore nunc agemus, de posteriore suo loco. Promissio certarum partium, ut plurimum habet utilitatis, ita nonnihil habet incommodi. Magnopere conducit ad docilitatem ac memoriam auditorum. Et hactenus prodest dicenti, quod habet certos gradus in quos se recipiat à digressionibus. Cæterum in hoc potest officere, quod interdum quædam inter dicẽdum ueniunt in mentem, quæ nec expedit prætermittere, nec alicui promissarum partium congruunt. Ita fit, ut aut cum argumenti iactura sint omittenda, aut durius ac uiolentius in locum aliquem insulcienda. Ne cõmemorem quosdã tam parum felici memoria, ut quod de Curione, ni fallor, scribit & M. Tullius, tribus partibus promissis, aut unam è tribus oblitione prætermittant, aut quartã addant. Proinde qui diffidunt suæ memoriæ, ijs tutius est summam modò argumenti proponere, aut certè capita sermonis in charta notata habere ad manũ. Quod in psalmos aliquot feciſſe uidetur Augustinus, et haud scio an in omnes. Habet em̃ ille crebras ac longinquas digressiones, pleraq; loquens ex tempore, quanquam uir memoria ad prodigiũ usq; felici. Semper quidem dicturo aliquis ordo pręparandus est, non tamẽ protinus necesse est, ut quod animo cõcepit polliceatur. Cogitatio facile corrigi potest, pollicitatio non perinde libera est. Itaq; in materia, quæ nec ex sese præbet partitionis occasionem, nec causam habet adiunctam, quæ postulet diuisionem, affectare in diuidendo subtilitatem, nõ tantum inutili labore torquet Ecclesiasten, uerum etiam fidem dicẽtis & gratiam orationis attenuat. Libentius enim illis credimus, quibus pectus potius q̃ ars suggerit dictionis copiam: et gratiora sunt, quę uelut ex tempore nata nouitate commendantur, q̃ promissa & expectata.

Diuisio promittens certas partes

Diuisio quando necessaria

Quòd si tractandum est argumẽtum obscurius, aut perturbatius, ibi multum lucis adferet commoda & recta partitio, nec parum iuuabit auditoris docilitatẽ, uidelicet rerum capitibus uelut è turba extractis, & sub oculos positis. Itẽ si materiæ ratio partes habet distinctas, & si nihil est causæ quur uitanda sit partitio, cauenda erit concisa diuisio, quæ causam in articulos & in frusta secet, potiusq; in membra. Vitãda enim semper est, quantũ fieri potest, partium turba. Nam ea caliginem offundit causæ, etiam non obscuræ natura, officit docilitati ac memoriæ auditorum. Absurda uerò partitio est, quæ hoc ipsum incommodũ affert, augetúe, cui tollendo aut leniendo adhibetur. Huiusmodi ferè sunt sectiones Nicolai Lyrensis, Thomæ in enarrandis scripturis Canonicis, & Ioannis Gersonensis in suis lucubrationib. qui subtilitatis affectatione nonnunq̃ dissecant in multa, quę sunt singularia, aut certe sic cohærentia, ut ægre dirimantur. Quem morem plerique obtinent scholastici. Proponunt turbam propositionum, ex his declaratis eliciunt conclusiones. Tandem sic quoq; re magis inuoluta q̃ explicata, eliciunt sententias. Hoc diuidendi genus ut concedatur scholis propter materiæ subtilitatẽ, certè suggesto non conuenit, in quo tales argutiæ aut tractãdæ non sunt, aut si quid erit quur attingendæ sint, danda est opera, ut absit omnis subtilitatis ostentatio, & res ipsa quãtum fieri potest dilucide & expedite proponatur multitudini. Vt autem recte diuidas, dispiciendum est quæ sint totius argumenti columnæ præcipuæ. Hæ in diuisione promittendæ sunt, non plures tribus, ut quibusdam placet. quod tamen obseruandum non est, si argumẽtum pluribus capitibus distinctum est, aut si cui respondemus certa capita proposuit. Illud obseruari potest, ut promittantur quàm fieri potest paucissima.

Diuisio confusa

Quod si quæ partes sunt minutiores, non est necesse eas in diuisione promittere. Satis erit eas in tractando per subdiuisionem adiungere generalibus illis. Verbi gratia, Diuicuiuspiam encomion dicturus, ita partiri poterit. Exponam uobis, qualis fuerit erga deum, qualis in seipsum, qualis erga proximum. Prima pars multas habet partes subiectas, sicut pietas erga deum uarijs officijs distinguitur, quemadmodum & gubernatio proprij corporis & moderatio cupiditatum in multas partes diduci potest. Iam proximi uocabulũ cõplectitur, parentes, uxorem, liberos, præceptores, cognatos, ciues, amicos & ini-

Subdiuisio

micos, & harum partium singulæ multos habent articulos. Item si ad ieiunium exhortaturus in diuisione commemoret nominatim omnia cõmoda quæ nascuntur ex ieiunio, turbam adferet potiusquam partes. Sunt enim innumera. Satis erit in genere proponere hoc modo. Declarabo ieiunium, quod uulgus hominum ut rem noxiam ac tristem horret, esse multis nominibus amplectendum. Primum pietate nihil melius, ad hanc conducit animo. Quidam inter bona primas tribuunt prosperæ ualetudini, & huic haud uulgariter confert ieiunium. Denicp bona pars hominum magnam felicitatis partem ducit habere diuitias, et horret paupertatem. Etiam facultatibus confert sobrietas, quas minuit luxus. In tractando uero distinguendum est, quot modis ieiunium conducat ad pietatem, quod extenuato corpore reddit mentem & ad sacram doctrinam & ad prędicandum & ad contemplationem rerum cœlestium magis idoneam. Pijs auget pietatem, pœnitentes deo reconciliat. Corporibus item multiplicem parit utilitatẽ, uel quod ab innumeris morbis quos gignit luxus seruat, uel quod morbos iam prementes aut tollit aut reddit leuiores, frequenter efficacius cp medicorum pharmaca. Nam peritissimi quique medici, præsertim in Italia, nihil prius præscribunt quàm ieiunium. Hoc utilius esse ducunt cp quod faciunt Germani, qui mox aut incidunt uenam, aut ad calida mittũt balnea. Præterea eas ipsas uoluptates, quas expetunt homines, reddit suauiores. Post ieiunium enim & somnus dulcior & refectio iucundior, & congressus cum uxore gratior atcp etiam fœcũdior. Nam crapula nõ solũ obruit sensum illius uoluptatis, uerum etiam corpora reddit ad gignendum minus idonea. Quin & colloquium cum amicis dulcius est ieiuno cp crapulato. Denicp quũ per quinque sensus externos uoluptas percipiatur, quo quisq; sensus est ad suam functionem magis aptus, hoc plus adfert delectationis. Oculi cernunt clarius, aures audiunt acutius: lingua minus hæsitat, & sapores melius dijudicat. Naribus olfactus est sagacior: in omnibus membris contactus iudicium exactius. Inepta itacp partitio fuerit, si quis beati Francisci dicturus encomium ad hunc promittat modum. Ostendam in Francisco sexaginta uirtutes, quibus cæteris sanctis antecelluit: eascp nominatim in diuisione recenseat: quum satis sit promittere se declaraturum, beatum illum in multis magnisq; uirtutibus primarijs sanctis esse conferendum aut etiam præferendum: Aut dissuasurus ne mater infantem mandet alteri lactandum, sed propris uberibus alat quod genuit, non promittet omnes propositionum species. Primum ostendam infantem à matris uberibus depellere, præter naturam esse, quæ cuicp animanti addit alimẽtum, quo fœtus suos educet. Secundo ostendam præter diuinæ scripturæ doctrinã & exẽpla piorum esse. Tertio demonstrabo, ne matris quidem nomine dignas, quæ partus suos alere recusant: aut si matres sunt, uix dimidiatas esse. Quarto dicam absurdũ esse, quæ in utero aluit nescio quid, iam hominem ac matris opem implorãtem nolle alere. Quinto docebo non multo minus impium esse, infantem recens natum ab se ablegare, quàm nondum natum pharmacis per abortum eijcere. Sexto declarabo expositionis genus esse, quod genueris nolle alere. Expositi sæpenumero uiuũt, at culpa conductarum nutricum, plurimi infantes pereunt. Septimo demõstrabo per hanc infantium ablegationem uigorem ac flagrantiã natiuæ pietatis, quæ summa uirtus est, inter parentes ac liberos magna ex parte extingui, & in nutrices transferri. Octauo dicam alienum lac frequenter officere corporib. infantiũ, si quæ conducta est parũ prosperæ ualetudinis sit aut lac habeat uitiatũ, aut quoniam mercedis gratia plures alit uberibus, parcius infundat liquorem lactis, cp opus est. Nono probaturus sum non esse uerisimile mulierculã quæ mercede conducitur, eandem curam gesturã infantis alieni, ac ueram matrẽ, quam affectus naturæ excitat ad officiũ, ut non modo tędiũ non sentiat, uerum etiam cum delectatione peragat omnia, quæ alienis uidentur molesta. Decimo docebo, ut horum quæ commemorauimus nihil sit, tamen fieri non posse, ut alienum lac æque iuuet corpusculum infantis, atcp maternum. Cognatis enim & assuetis melius alimur etiam adulti. At infans materno liquori iam in utero assuescit. Nam idem est humor, quo alitur in matrice, & quem haurit è papillis maternis, nisi cp hic cõcoctior est, ac proinde candidior. Vndecimo docebo, cõductas nutrices nõ solum officere corpusculis infantium, uerumetiã ingenijs ac moribus, propterea quod harũ non sit libera electio: neq; enim omnes lac habent, nec omnes locare uolunt operam suam. Ita fit ut plerunq; adhibenda sit improba, temulẽta, aut impudica. Quorum uitiorũ indolem

infans

infans cum ipso statim lacte cõbibit. Duodecimo docebo, hoc modo fieri ut minor sit reuerentia atq; obedientia liberorũ iam adolescentium erga parentes, Vix enim agnoscunt eas pro matribus, quarum lacte nutriti non sunt. Decimotertio loco docebo non sine grauissalutis suæ discrimine puerperas alijs mandare lactandos infantes, quod liquor ille retentus atq; auersus non raro gignat graues morbos. Itaq; fit, ut quæ metuebat ne lactãdo mammæ flaccescerent, in capitis periculum ueniat, ac longe plus senij morbus adferat, cui lactãdi labor fuerat allaturus. Hæc partitio bis uitiosa est, & quia uerbis redundat, et quia totũ argumentum nõ in membra, sed in frusta dissecat. Ista quidẽ omnia dicturo meditata ac disposita esse debẽt: sed singula in diuisione pollicerí frigidũ sit. Quod si liberet uti partitione, satis erat dicere. Quod matres infantes suos elocant alendos, pugnare docebo cum lege naturæ, ac diuina, præterea inutile esse & sanitati, & ingenijs puerorum. postremò ne matrí quidem esse tutum. Ad has tres propositiones, cætera omnia poterant reduci. Porrò quum argumentum ex se habet numerosas partes, satius erit in summa pollicerí, quàm enumerare singulas, in partitione duntaxat. Veluti quoniam circa Christí personam uarijs modis insaniuerunt hæretici, non expedit in diuisione singulorum errores enumerare. Satis erit ita proponere. Quo firmius teneamus ueritatẽ Catholicam, paucis exponam, cui uarijs erroribus ab ea deliraruntur hæretici. Symbolum Apostolorum in multas partes distributum est, quarum generales tantum complecti debet partitio. Velut has Primus articulus pertinet ad deum patrem, Complures ad deum filium, Vnus ad spiritum sanctum. Postremi ad corpus Christí mysticum Ecclesiam. Speciales quí his quatuor generalibus comprehenduntur, non sunt in diuisione promittendi, sed suis locis inserendi. Quod si pigebit nimis frequentium partitionum, transitiunculæ non sinent oratorem esse confusam. Habetis quanta pietate fuerit in parentes, nunc accipite qua fuerit in liberos. Atq; item de cæteris.

Diuisio principales tãtum partes promittens

Transitiunculæ loco diuisionis

Quidam ita partiuntur, ut bis eadem dicant: & ita promittunt quę sint dicturi, ut simul dicant quæ promittunt. Vnde recte præceptum est à uiris eloquentissimis, ut partitio sit dilucida, ac breuis, nec obscuris inuoluta uerbis, nec onerata superuacaneis. A nonnullis reprehenditur & illa partitio, quę quum plura promittat unum adijcit, quod efficit ut cætera uideantur superuacanea, Qualis hęc fuerit. Docebo huic non fuisse causam perpetrandi facinoris, docebo non fuisse uoluntatem, docebo non fecisse. Nam si doceat, nõ fecisse, reliqua uideri possunt superuacua. Item declarabo nullam fuisse causam, declarabo in huius mores & ingenium eiusmodi suspitionem non hærere, declarabo etiam si uoluisset, non fuisse facultatem. Declarabo eum hoc tempore fuisse Romæ, quũ homicidium Florentiæ perageretur. Extremum argumentũ quoniam necessariũ est, si persuadeat, reliqua uidentur supereſſe. Plinius tamen in dicendo omnia tẽtanda putat, quod uaria sint hominũ iudicia, agricolarũ exemplo qui copiosius spargunt semina, ut aliqua saltẽ proueniant. Verum hæc ad ecclesiasten non admodum pertinent. Notatur & illa partitio, quæ generi subijcit speciem. Dicam de huius uirtute, dicã de modestia, de prudentia, iustitia, ac fortitudine. Nam has species generale uirtutis nomen complectitur.

Partitio uitiosa

Duræ sunt & illæ partitiones, quum partes inter se non cohærent. Sic enim audimus nonnullos promittere. Primo loco exponã uobis parabolã Euangelicam, secũdo proponam quæstionẽ theologicã, tertio referam uitã sancti Christophorí, postremo adijciã moralem historiam ex gestis Romanorum. Sic enim appellãt opus quoddam ex manifestis mendacijs conflatum, à quodam ut suspicor, quí uoluerit irridere theologicas allegorias, ad moralem sensum detortas. Hoc tamen fit tolerabilius, si quæstio ex Euangelij loco nascitur, & diui uita cum Euangelij loco congruit, alioquí etiam digna quæ narretur in templis. Anilibus fabulis nusquam debet esse locus. Sed in hoc peccatur à quibusdam, quod hanc diuisionem putant perpetuò obseruandam. Hac superstitione sæpenumero fit, ut quæstio friuola sit, aut magis apta diatribis scholasticis, quàm concioni, & uita narretur indigna suggesto ecclesiastico. Porrò usq; adeò non est facile rectã partitionem inuenire, ut Marci Tullij partitiones ab eruditis quædam improbatæ sint, quædam in dubium uocatæ, una tantum sine exceptione laudata. In causa est difficilis partium principalium inuentio, & inuentarum in ordinem cõmodũ digestio. Qua de re nunc esset dicendi locus, priusquam ad argumentationem ueniamus. Sed quoniam huic argumento

Propositiones nõ cohærẽtes

Diuisionis difficultates

Status adhæret ſtatuum cognitio, quo res tota melius intelligatur, uiſum eſt hic prius attingere paucis, quæ rhetores de genere ſuaſorio & laudatorio præceperunt, quãdo in his potiſſimum uerſatur Eccleſiaſtes. Obiter adijciemus quæ exhortationi, conſolationi, aut obiurgationi peculiaria uidentur. Quiſquis enim exhortatur, ſuadet ut audeat. Qui conſolatur, ſuadet ut moderatius doleat. Qui obiurgat, ſuadet ut agnoſcat culpam ſuam & reſipiſcat. Nec enim aliud ſpectat quiſquis obiurgat Chriſtiane. De genere ſuaſorio illud in ſumma præcipitur, ut dicturus expendat, quid & quale ſit quod perſuadere deſtinat, qui ſint, quibus conſulit, & quis ſit ipſe qui ſuadet. Quanquã enim Eccleſiaſtes non ſuadet niſi honeſta, tamen aliter ſuademus honeſta pijs, aliter improbis ac ſeditioſis, aliter prauis opinionibus corruptis, aliter dubijs. Honeſtis enim facile perſuadentur honeſta. Improbi, tractandi ſunt ut equi feroces. Corruptis eximendus eſt error, dubijs oſtendendum quid ſit optimum. Eſt & in natione diſcrimen aliquod. Non enim cõueniret, apud Germanos eodem modo dicere, quo apud Gallos, aut Italos: nec ſimiliter loquendum apud uiros eruditione & dignitate præſtantes, atq; apud imperitam plebeculam. Rurſus apud monachos aut ſacras uirgines, atq; apud coniugatos, aut coniugio deſtinatos. Ad hæc, quæ æquis auribus acciperẽtur ab epiſcopo, aut alioqui doctrina, ætate ac uitæ ſanctimonia commendato uiro, non acciperentur a diſſimili. Quod Fabius ſuaſorium appellat, alij uocant deliberatiuum. Verum ubi nulla eſt ambiguitas, ibi nulla eſt deliberatio. Dubitari poteſt, an expediat coniugatos continẽtiæ uotum recipere uirente etiamnum ætate. At nemo deliberat, an caſtè bonaq; fide ſit colendum matrimoniũ, hoc tamen ſuadetur, ut quod expetendum eſſe conſtat, alacrius expetatur. Ita uenire poteſt in quæſtionem, an phas ſit profiteri uitam monaſticam, inſcijs aut inuitis etiam parentibus, quibus liberorum officio ſit opus, ſed nullus ambigit, quin liberi parentibus debeant honorem & obedientiam. Quoties igitur ſuademus quæ citra cõtrouerſiam pia ſunt, exhortamur uerius q̃ ſuademus, niſi q̃ eſt quorundam tanta ruditas, ut de manifeſtis quoq; dubitent.

Genus ſuaſorium, in hoc quid ſpectãdũ

Suaſorij generis partes

Iam de ſuaſorij generis partibus, unde ſumitur diuiſio, & totius orationis propoſitiones: Stoici qui putant nihil eſſe utile, quod non ſit honeſtum: & quicquid honeſtum eſt, hoc ipſo eſſe utile, quod honeſtum eſt: contenderẽt non eſſe niſi unicam propoſitionem ſuadentis. Rurſus qui ſeparant utilitatẽ ab honeſto, putant tamen cæteras partes ad utile, tanquam ad genus, poſſe reduci. Quorum utrũq; ut acutè uereq; dici fateamur, tamen ad inſtruendum oratorem, utilius eſt iſta ſeparari, craſſiore (ut aiunt) Minerua. Nec ſimplex eſt honeſti nomen: poteſt enim intelligi, quod per ſe rectũ eſt: & poteſt accipi, quod pulchrum ac decorum. Neq; ſtatim quod natura rectum eſt, cuilibet eſt decorum. Sub recti genere multa comprehẽduntur, ſecundũ naturam, phas, pium, iuſtum, æquũ, magnanimum, manſuetũ, breuiter omnes uirtutũ ſpecies. Adde huc, legitimũ, hoc eſt, legibus ac præcipuè literis diuinis præſcriptũ, celebrium uirorũ exemplis commendatũ, & diuina conſuetudine receptum. Quanquam aũt honeſtũ factum natura cõſequitur honeſta fama, turpe factum inhoneſta, tamen aliæ uirtutes alijs ſunt uulgò plauſibiliores, quẽadmodum alia uitia alijs ſunt magis obnoxia infamiæ. Peius enim uulgò audit fur, q̃ adulter, quum hoc crimen illo ſit grauius: & fauorabilior eſt clementia q̃ iuſtitia, & pietas in parentes clariores fert plauſus, q̃ frugalitas ac ſobrietas. Hanc ob cauſam quidam laudabile ſeparârunt ab honeſto, q̃ pleriq; mortales citius commouentur laude aut infamia, q̃ ipſo honeſto aut turpitudine, non q̃ in hoc affectu relinquẽdi ſint homines, ſed q̃ eo ceu pædagogo ad uirtutem ducendi. Nec eſt alienum à pietate Chriſtiana metuere infamiã, qua plures alliciuntur ad peccandum & obtrectandum, quaq; dei nomen & eccleſiæ dignitas dehoneſtatur, quemadmodum per honeſtam famam bonorum glorificatur. Igitur ad honeſti genus pertinebunt phas & nephas, ſiue ſecundum naturam aut præter naturam, pietas & impietas, in deum ac diuos, in patriam, in parentes ac liberos, in præceptores & eos quorum beneficio ſeruati ſumus, omnia uirtutum ac uitiorũ nomina, quæ ſunt innumera: quibus adiungendum eſt legitimum, cui adhæret æquitas, quæ eſt legum moderatio, conſuetũ, & grauium hominũ autoritate exemplisq; probatum, aut contrà. Turpe enim uidetur, Chriſtianos cõmittere quæ gentiũ quoq; legibus puniũtur. Porrò diuinis legibus non obtemperare, eſt deo rebellem eſſe. Quod autem præter morem fit, etiamſi cum uitio coniunctum non ſit, tamen ipſa nouitate turbat publicã tranquillitatẽ.

Tanta

Tanta autem est consuetudinis autoritas ut huic sæpenumero cedant Pontificum ac Cæsarum leges. Dicta item factaq; hominum, quorum memoria religione quadã occupauit mentes hominũ, oraculorum instar habẽtur. His omnibus, ut dixi, adhæret decorũ & laudabile. Ad utilitatem quæ propriè sita est in parandis commodis aut depellendis incommodis, puta diuitijs, honoribus, amicitijs, ocio & tranquillitate, & si qua horum sunt similia, referuntur tutum ac iucũdum, necessarium, possibile, facile, quomodo huc referri possint non uideo. Tutum consistit in tuenda incolumitate sui ac suorum, puta uitæ ac ualetudinis. Ab honestis sæpe deterret molestia, allicit iucũditas. Multis enim persuasum est, eos qui pietatis studio sobriè & continenter uiuunt, inamœnam ac tristem uitã agere. Hic concionator docebit, eos qui uerã pietatẽ ex animo colunt, multo hilarius uiuere, quàm eos qui iuxta mundum uidentur omni genere uoluptatum affluere. Necessariũ bifariã accipitur, partim pro eo ad quod maioris metu mali adigimur, partim pro eo quod simpliciter uitari non potest: ueluti si mulier adducta sit in eam angustiam ut aut stuprũ admittendum sit, aut mors, minus malum uidetur admittere stuprũ, quod necessitatis nomine excusatur. Sed hic dubitari possit, utrum potius sit admittendum. Verum si res in eum articulum redacta sit, ut aut stuprum potius admittendum sit, aut occidendus stuprator, Augustinus putat stuprum potius admittendũ. Alterius necessitatis exemplũ erit, ut si quis, suadeat ut mala, quæ deus nobis immittit patienter feramus, quãdo siue uelimus siue nolimus ferẽda sunt. Aut si suadeat auaro, ut diuitias suas egenis impartiat, quas uelit nolit breui sit uniuersas relicturus. Aut si sacerdoti suadeat, ut libenter sit quod est, quando aliud esse non potest. Nimirũ hinc est quod prouerbio dicitur, ex necessitate facere uirtutẽ. Quanq̃ autem quod nullo modo fieri potest, non cadit in genus suasorium, tamẽ in primis spectandum, an hoc de quo deliberatur possit fieri. Quædã enim nonnullis uidentur ἀδύνατα, quæ non sunt. Exempli causa, multis uidetur impossibile iuuenẽ cõtinenter uiuere, quod tamen non est impossibile, uel hoc signo, quod multi adolescentes ac uirgines continentissime uixerunt. Impossibile est diuitem intrare in regnum dei: non simpliciter sed cum exceptione, nisi desinat fiduciã habere in diuitijs. Simpliciter impossibile est eum, qui post babtismum relapsus est in crimẽ, per baptismum ad innocentiã restitui. Vt aũt stultè tentantur quæ fieri non possunt, ita studiosius seruantur, quæ semel amissa reuocari non possunt, ueluti iuuentus & ætas retroacta, & amici defuncti cõsuetudo. Multos deterret à cultu uirtutis illud undiq; iactatum, eam circa difficilia uersari. Hoc quoniam in totum negari non potest, eleuandum est, si dixerimus, magnam difficultatis partem abesse si toto pectore uelimus esse boni. Amanti enim nihil difficile. Tum quod initio submolestum est, breui assuetudine primum fit leuius, mox etiam iucundũ. Quoniam porrò in rebus humanis incommoda commodis permixta sunt, qui suadet excerpet cõmoda, atq; uerbis exaggerabit: incommoda, si neq; negari possunt neq; dissimulari expedit, extenuanda sunt: cõtrà qui dissuadebit. Negãtur quum id quod uidetur esse incõmodum docemus esse cõmodum, aut contrà. Veluti si quis infamiam à malis ob benefacta profectã, neget esse infamiam sed ueram gloriam: quemadmodum à turpibus aut ob turpia laudari, non est gloria, sed uera infamia. Item litem aduersario cedere non esse damnum, sed lucrum. Pluris enim est animi tranquillitas, quàm pecuniola. Dissimulantur quæ non sunt insignia, aut quæ non multum habent momenti ad persuadendum. Quibus autem rationibus fiat utrunq;, dicetur quum ad amplificationes uentum fuerit.

Vtile

Tutum

Iucundum

Necessarium duplex

Possibile

Heb. 6

Facile

Nemo tamen putet his omnibus partibus quas commemoraui semper utendum esse, uix enim inuenias argumentum in quod incidant omnes, sed ipsa causa docebit, quę sint adhibẽdæ. In diuisione uero, ut ante dictum est, aut nullæ promittendæ, aut præcipuę tantum: Idem hic faciendum quod in locis argumentorum. Pulsandi omnes, sed eligẽdi qui possint esse usui. Veluti qui suaderet matrimonium iuueni, uarias habet partes. Prima, quia maxime secundum naturam fit, ut quoniam indiuidua non possunt, species singulorũ propagatione fiat immortalis quatenus licet. Deinde honestũ est, quod ipse conditor instituit, Christus honorauit. Tertia, pium est, quod approbant sacræ, literæ quodq́ue ab Ecclesia inter sacramenta commemoratur. Quarta, utile est habere coniugem pro ancilla, quæ domesticas curas magna ex parte in se recipiat, ac fideliter obeat, habere liberos, qui ex animo parẽti inseruiant. Quinta iucundũ est habere indiuiduã omniũ fortunarum

Partiũ delectus

rum ſociam, habere dulces liberos in quibus quodãmodo repubeſcat, ac ſibi ſuperſtes ſit homo. Sexta, iuſtũ & ęquũ eſt, ut ciuis rempublicam bonis ciuibus augeat, cui debet ipſe quod natus eſt. Septima, iuueni decorum eſt operã dare liberis, quod ſenibus nõ perinde decorũ eſt. Octaua, legitimum eſt, quod ethnicorum etiã leges honorarunt, maximè ſi ſoboles prognata declaret uerũ & caſtũ fuiſſe matrimoniũ. Nona laudabile etiã eſſe, quod à laudatiſsimis uiris tum dicto tum facto comprobatum eſt. A tuto quoq; poteſt ſumi propoſitio, quod iuuenis cõtinens exponit ſe periculo uetitarũ libidinum. Aut à neceſſario, quod impoſsibile ſit iuuenẽ diu cõtinenter uiuere, aut quod genus humanũ alia ratione propagari non queat. Poſſet & ab utili ſumi hęc propoſitio, quod uxor adferat dotem, & per affinitatẽ plures amici fiant. Nam utilitatis nomen latè patet, multasq; propoſitiones ſuggerit, quemadmodũ & iucunditas, & cæteræ partes. A facili & poſſibili nihil ſumetur. Cõtra qui monacho diſſuadet matrimoniũ, huic nõ ſuffragabit, quod eſt iuxta naturã, niſi torqueas præter naturã eſſe, ut mundo mortuus gignat mũdo. Ab illegitimo & pugnãte cũ diuinis literis ſumet propoſitiones. A decoro ſumet & à laudabili: ut enim liceat monacho alicui ducere uxorem, ſequitur tamen fœdæ buccina famæ. Sumet ab impoſſibili: neq; enim iam habet fidem, quam promittat, quam ſemel addixit deo. A cæteris partibus non eſt opus aliquid ſumere. Item qui diſſuadebit iuſiurandum, dicet inhoneſtum eſſe quod Chriſtus accuratè uetuit. Præterea non eſſe tutũ, quod quiſquis homo iurat, exponit ſe periculo periurij, ſiue quod iurandi conſuetudo, paulatim ſuadet periuriũ, ſiue quod uoluntas hominis mutabilis eſt, ſiue quod frequenter accidit, ut quod iuraris præſtare nequeas. Sed de Suaſorio genere ſatis, quod ad hunc quidem locũ attinet. Laudatorium genus Eccleſiaſtæ, quem hic inſtituimus, ferè conſumitur in extollendis laudibus dei, aut diuorum. Nam funebres orationes non perinde ſunt in uſu Eccleſiaſtis nunc atq; olim fuerunt. Quin & doxologiæ magis hodie canuntur in templis, quàm oratione prædicantur. Frequenter tamen incidit, ut dei maieſtas ſit attollenda: ueluti quum deterremur à peccando, conuenit exaggerare maieſtatem illam, quæ infinitis partibus excellit omnium hominum intellectum, non modo eloquentiam: quo crimen deteſtabilius uideatur illum peccando contemnere, aut ullam rem creatam illi præferre, cuius tanta eſt magnitudo, ut nihil uſquam ſit neque in cœlo neq; in terra, quod cum illo poſſit conferri, etiamſi creaturas imagineris longè præſtantiores Seraphicis ſpiritibus. Sic prædicatur unico ſimplicíq; intuitu perſpiciens omnia, præterita, præſentia & futura, ne quis tacita cogitatione uel in abdito delinquens, ſperet ſe poſſe latere. Prædicatur ſummè iuſtus, ne quis ſibi promittat impunitatẽ ſuæ malitiæ. Prædicatur infinitæ miſericordię, ne quis deſperet ueniam commiſſorũ ſi redeat ad cor: prædicatur ſummè uerax, ne quis diffidat illius promiſſis. Græci genus hoc appellarunt ἐπιδεικτικόν, uidelicet ab oſtentatione. At Eccleſiaſtes non hoc tantum ſpectat ut dei magnitudinem intelligamus, uerum undique uenatur quod ad bene uiuendum conducibile eſt. Videlicet ut ſummè potentem reuereamur, ſummè bonum ſuper omnia diligamus. Hæc prima pars erit orationis laudatoriæ.

Laudatorij partes

Altera erit de beneficentia numinis erga genus humanum, quod tam excellenter condidit pater, cuiusq; gratia condidit mundum, & quicquid mundo continetur. Quod collapſum tam miſericorditer reſtituit filius, quod in hac miſera uita tot donis ac ſolatijs fulcit ac ſuſtinet ſpiritus ſanctus. Hinc oritur non modo gratiarum actio, uerũ etiam imitandi ſtudium. Ille ſic dilexit inimicos, diligamus nos proximos. Ille beneficus eſt in omnes, ſtudeamus & nos de proximis bene mereri. Ille gratis condonauit nobis omnia cõmiſſa, cõdonemus & nos fratribus noſtris. Itidẽ de cęteris, ne fiam prolixior. Quin & Chriſtianæ precationes ferè habent admixtã doxologiam, quum ſic ordiuntur. Deus à quo bona cuncta procedunt. Deus cui proprium eſt miſereri & parcere. Ita clauduntur, Qui uiuis & regnas, &c. Tertia pars ſumetur, quomodo ſumma potentia, ſapientia, ac bonitas dei reluceat in omnibus rebus conditis, ut quocunq; uertamus oculos aut mentem, in omnibus celebremus opificẽ. Quarta erit, quàm mirabiliter deus operatus ſit in ſanctis hominibus, quos maximè in hoc ſelegit, ut in illis & per illos glorificaretur apud homines etiã impios. Hæc ſpecies generis laudatorij nũc frequentior eſt in templis, quàm ille ſuperioribus, nec apud ueteres fuit infrequens. Indicant hoc orationes panegyricæ Baſilij, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Ambroſij & Auguſtini. Hic nonnulla ſunt uſui futura, quæ rheto-

Loci partium laudatoriarũ

Tempus

re-

res literis prodiderunt. Ducuntur enim à tempore præterito, ueluti quũ referuntur oracula, miracula aũt præsagia, quæ natiuitatem præcesserunt. Vt Isaac promissus est Saræ, cui iam defecerant muliebria, Oracula, sicut Rebecca sensit geminos colluctantes in utero, & ex oraculo discit quales essent futuri qui nascerentur. Itidem Zachariæ promissus est Ioannes Baptista, Et Elizabetha sensit fœtum ad Virginis salutationem gestientem in utero. Ac Bernardi mater audiuit, Optimi catuli mater eris. Tempus prẽsens totam uitæ seriem, ab exortu usque ad uitæ finem respicit. Nisi quod ea quæ infantibus accidunt magis uidentur esse præteriti tẽporis, & si quid insigne accidit, præsagium magis est quàm uirtus. In adolescentibus laudari potest indoles, quia potest & uituperari. Ad insequens tempus pertinent, prodigia mortem consequuta, & fons salubris aquæ illic exiliens ubi martyris caput amputatum terram contigit, aut oleum medicamentis efficax sponte resudans è monumento, aut ad martyrum monumenta profligati dæmones, quæ pro diuinis testimonijs haberi debent. Obseruãdum & illud, ut externa bona sic in sanctis laudemus, *Bona externa* ut ostendamus ea uirtute & industria parta: aut si forte obuenerint, sine fraude contigisse, & contemptim habita, & in pios usus dispensata. Quædam enim pulchrius est abiecisse, quàm parasse. Idem præceptum esto de bonis corporis, forma, bona ualetudine, sagacita- *Bona corporis*
te sensuum, dignitate oris, facundia, & si qua sunt alia huius generis. Commendant quidem ista uirtutem per se, sed speciosa sunt, si hæc parauit aut auxit animi probitas. Nam animus placidus ac modestus, natiuam corporis formam commendat, quam dehonestat inuidia, iracũdia, luxus ac temulentia: quæ res officiunt frequenter & ualetudini: nimirũ internis uitijs in externum corporis habitum demigrantibus. Itaque nõ satis est Ecclesiastæ laudare iuuenilem ætatem in martyre, cui natura fauet affectus humanus, nisi eam trahat ad miraculum pudicitiæ, sobrietatis, mansuetudinis, prudentiæ, grauitatis, cõstantiæ, quæ res in florẽti ętate raræ sunt, & ob id ipsum habere pulchrius ac plausibilius est. Itaq; dicemus in eo nihil fuisse iuuenile præter annos. Formã ita laudabimus, ut dicamus deum pulcherrimam mentem in pulchro domicilio collocasse. Sic diuus Hieronymus formę decus laudat in Paula Eustochij matre, quã nec morbus, nec mors extinxerat, Sic in Paulo Concordiensi laudat floridam senectutem, immortalitatis imaginẽ, ac resurrectionis simulachrum, Similiter in bonis externis non simpliciter laudanda est patria, sed hu- *Patria*
ius quoque qualitatem ad ueram laudem accommodabit. Ideo deus uoluit hunc nasci in ciuitate longè celeberrima nobilissimaq; quo uelut in excelso theatro positus latius sua uirtute diluceret. Fauorabile est ex bonis nasci bonos, sed pulcherrimum progenitorum *Parentes* uirtutes non tantum referre, uerum etiam superare. Et illud ueræ laudis est, parentum nobilitatem, nihil detraxisse sancti uiri modestiæ ac sobrietati, qui magis gloriabatur, quod in Christo renatus, factus sit frater humilium, quàm quod è claris parentibus ortus inter proceres locum sortitus sit. Nemo sibi parentes eligit. Proinde nõ est solida laus ex opulentis, claris, aut potentibus prognatum esse: sed gentis imagines amore pietatis contemplisse, id demum ueræ laudis est. Ac ne singula persequendo fiam molestior, illud in summa spectãdum est, ut persuadeamus quicquid huius generis cõmodorum in eo fuit, non sibi habuisse, sed totum in alienam utilitatem effudisse. Simili ratione tractanda sunt quę- *Bona animi duplicia*
dam animi bona, quę tamen malis cum bonis sunt communia, ut docilitas, celeritas ingenij, solertia naturalis, quę laudatur in Athanasio, natiua in dicendo gratia, fidelis ac tenax memoria. Iam in tractandis animi bonis, quæ cũ improbis cõmunia non sunt, duplex potest esse ordo: unus ut per omnes ętatis gradus referam⁹ quid in quaq; gesserit, dixerit ue: alter, ut uirtutes quæ fuerint in eo præcipuæ prædicemus, puta pudicitiã, tolerantiã, modestiam, liberalitatẽ in egentes. Nam in alijs aliæ clarius eluxerunt: Velut in Iob insignis est patientia, in Abrahã hospitalitas, fides & obediẽtia. In Mose mansuetudo, sicut in Dauide. In Paulo flagrãtissima charitas, ac feruor mirus propagãdę Christi gloriæ, in Ioseph pudicitia, atq; eundẽ ad modum de cæteris. Porrò quod à quibusdã præcipitur, ut in laudando uitia quædã ad uicinas uirtutes deflectamus, uerbi causa, ut sordes interpretemur, frugalitatẽ, austeritatem, grauitatẽ, blandiloquentiã, comitatem. Rursus in uituperando, uirtutes ad proxima uitia deprauemus, Nam liberalitati uicina est profusio, & splendori luxus: nõ arbitror Ecclesiastæ cõuenire, Posterius tamen hoc nullo bono uiro dignũ est. Alterũ fortassis excusari posset, si apud parũ ęquos iudices periclitẽ reus, aut si quis esset feroci

feroci reconciliandus, aut consolaturus desperatione periclitantem. Quanquam hoc in diuis ueteres quidam facere studuerunt, eleuantes eorum peccata, aut tropologijs crimina uertētes in uirtutes. Veluti quū extenuatur adulteriū Dauid cū homicidio coniunctū, aut Christus à Petro ter abiuratus, hoc colore defenditur, quasi pie sit locutus, tantū ambiguitate sermonis fefellerit impios. Atqui scriptura ob hoc ipsum cōmemorat quædam enormia scelera sanctorum, ut omnibus æderet exemplum, nullis quantumuis enormibus admissis intercluſam esse domini misericordiam, modo sese conuertant ad pœnitentiam. Itaq; reges qui sibi blandiuntur in adulterijs, quòd Dauid fuerit adulter, quē sequuti sunt errantem, sequantur & pœnitentem. Sic Petrus & Magdalena plurimos habent criminum imitatores, lachrymarum ac pœnitentiæ, perpaucos, Itaq; sanctorum crimina, quæ scriptura canonica cōmemorat, nec sunt exaggeranda temere, nec ultra q̄ æquū est extenuanda. Legimus Magdalenen quæ unxit caput domini, fuisse peccatricem in ciuitate. Hoc prædicare satis est. Nec oportet eam facere publicam meretricem. Fuisse parum secundi rumoris, indicat pharisæus indignans quòd Iesus se ab ea contingi pateretur. Habet tamen locum exaggeratio aut eleuatio commissorum in consolando & in obiurgando, modo ne quid ueris affingatur aut detrahatur. Prioris exemplum erit. Dauid rex qui in alijs puniebat adulterium, ipse uiri fidelis & amici coniugem pertraxit ad adulterium, & turpi facto addidit crudelitatem. Dolo curauit occidendum maritum, non subito animi calore sed destinato consilio: & tamen duobus uerbis Peccaui domino, meruit ueniam: tu quur desperas, qui contumelijs prouocatus & præiracundia parum tui compos lacessentem ac impetentem interfecisti. Posterioris illud, Petrus abnegauit, sed insperato terrore attonitus, abnegauit mortalem, cuius gloria nondū inclaruerat hominum mentibus. Abnegauit Iudæus nōdum hausto spiritu cœlesti, & tamē quàm mox ille resipuit, ad intuitum Iesu, quàm fleuit amarè, subducens sese à conspectu domini. Quid tibi Petri exemplo blandiris, qui spōte procurris ad Turcas, Christum iam orbi prædicatum, iam in cœlis regnantem, cui in baptismo dedisti nomen, cuius spiritum hausisti, abiuraturus? Magdalena nihil aliud quàm Iudæa, sua sponte uenit ad Iesum, nec erubuit in pharisaico supercilioso q̄ conuiuio, pœnitentis agere personam. Tu qui longè grauioribus commissis onustus es, pertinaciter recusas occultā Ecclesiæ medicinam: et qui non erubuisti turpia publice committere, erubescis commissa in occulto confiteri, tam facili parato remedio. Admonebitur & hoc, ea bona seu cōmoda potius, quæ bonis cum improbis sunt cōmunia, posse per occupationem cōmemorari, hoc pacto, Non laudaturus sum in hoc diuo, generis inclytum decus, parentum gloriam ac dignitatem, opes, & honores iuxta mundum magnos: quur enim hæc in eo laudem, quæ ipse propter Christum uel abiecit, uel contempsit: à ueris bonis potius est prædicandus, quibus ille non sibi sed Christo placuit, & uniuersæ Ecclesiæ Christi bonus odor fuit ad plurimorum salutem.

Occupatio in laude

Cæterum quoniam animi quoq; uirtutes ambitiosius prædicatæ mouent inuidiā, admiscenda est modestiæ laus, qua factum est, ut ipse sibi quodāmodo fuerit ignotus, quūq; bonis omnibus egregiè placuerit, sibi uni nō placuerit, nihil sibi uindicans in tantis uirtutibus, sed omnem laudē deo transcribens, cuius gratuitæ munificentiæ tribuebat, si quid habebat uere laudandum. Id multo magis obseruandum est, si inciderit, ut uiuus aliquis sit laudandus. Nam fato functos tutius est laudare, & minus obnoxium inuidiæ. Hic igitur ita laudationem moderabimur, ut magis in illo prędicemus dona dei, quàm ipsum hominem: adulatrices autem illæ orationes, quibus apud præpotētes utuntur legati aut oratores, uelut in epithalamijs, in gratulationibus & encomijs, à templis in forum aut in satraparum aut diuitum aulas relegādæ sunt. Quanq; hodie proh dolor eò uentum est impudentiæ, ut & sacerdos in ipso sacro, & Ecclesiastes frequenter in cōcione publica, pontificibus ac principibus abiectè adulentur: idq; nulli faciunt indecentius, quàm qui talē uitæ genus profitentur, ut nulli minus cuiquam debeant assentari. Nusquā oportet locum esse adulationi, non dicam inter Christianos, sed nec inter uiros eruditos, attamen si quid ineptiendum, ad eam rem theatrum aptius est, quàm templū, aula quàm ecclesia. Verum hæc ad mores. Illud ad artem pertinet, externa bona, quo nomine & corporis commoda complectimur, quandoquidem iuxta Stoicos, & hæc extra hominē sunt, in utranq; partem ualere, siue laudes siue uituperes. Vt em fœda est paupertas ei qui per luxum ac dissi-

Inuidiosa laudatio

Bona externa utroq; ualent ut & mala

diam

diam sibi eam accersiuit, aut qui eius impatiẽs inhonestis rationibus rem quærit, ueluti le nocinio calumnijs & assentando: ita res honesta est ei, qui sponte uel liberalitate in paupe res, uel alio qui pietatis amore paupertatẽ accersiuit sibi, aut qui eam fert hilariter, quum possit si uelit ditescere. Ille dicetur turpiter esse pauper facultatibus, sed lõge turpius pau per uirtutibus. Hic dicetur hoc ipso ditior ueris bonis, quod falsa contempsit. Item turpis est opulentia, ei qui fraude & rapinis ditatus est, aut cui diuitiæ nihil aliud sunt q̃ alimen ta uitiorum, ac sibi tantum diues est, in coquos ac scorta prodigus, in egena Christi mem bra sordidus. Contrà honestæ illi, cui non affectanti sponte obuenerunt, qui possidet tan quam non possideat, qui magis habet eas alijs q̃ sibi, egenis diues, sibi egenus: qui sic in duxit animum, ut existimet se dispensatorem esse uerius q̃ dominum, & in hoc à deo da tas interpretatur, ut earum sit promus condus erga membra Christi: qui per opes nec ad insolentiam, nec ad ferociam, nec ad luxum, nec ad ullas uoluptates corrũpi potuerit. Sic inhonesta est generis claritas ijs, qui maiorum gloriæ benefactis partę suis uitijs tenebras offuderunt, & qui nihil habent nobilitatis præter imagines, & quibus familiæ lux ad ni hil aliud ualet, nisi ut cum maiore infamia sint improbi. Sic & progenitorum infamia gra uat improbos filios. Itaq; Ioannes Baptista in Euangelio Iudæos malos è malis progna tos appellat progeniem uiperarum: & dominus per ironiam iubet, ut quoniam progeni tores illorum occiderant prophetas, ipsi implerent mensuram patrum suorũ, occiso pro phetarũ domino. Similiter exprobrari potest obscuro genere natis, quod sibi sceleribus peperint nobilitatem. E diuerso laudabitur bene natus, quod sua uirtute plus decoris ad iunxerit suis maioribus quàm ab illis acceperit, et quod illorum lucem suo splendore non aliter obscurarit, quàm ad solis fulgorem absconduntur stellæ minores cum ipsa simul luna. Et quod maiorum stemmata semper contempserit, hoc se gerens submissius, quo iuxta mundi æstimationem erat maior, ueram nobilitatem arbitratus per fidem esse fi lium dei, fratrem Iesu Christi, cognationem propinquam habere cum omnibus sanctis. Contrà qui fuit obscura aut infima gente, patria, parentibus ue natus ignotis aut illauda tis, ob hoc ipsum laudandus erit, quod rem ut raram ita præclarã præstiterit, ut ex impijs natus euaderet pius, propria uirtute suis maioribus præluxerit. Insigniter enim bonus sit oportet, qui nec ex gentis barbarie, nec è corruptis parentum moribus, quicquam conta gij traxerit. Laudabilior est Ionathæ fides ac synceritas, quod ex impio patre natus, fue rit illi dissimillimus. Hoc colore Diuus Bernardus laudat Malachiam, quod apud Hiber nos natus, gentem ut tum erat efferam, ingenio fuerit minime immani, nihiló que plus traxerit de gentis barbarie q̃ pisces de sale marino. Et inter philosophos hoc illustrior est Anacharsis, quod Scytha natus esset non Athenien sis. Nec Onesimus ob conditionis hu militatem uilior fuit Paulo, quem peculiari epistola sempiternæ memoriæ commenda uit. De forma superius nonnihil attigimus. Quæ si contigit infelix, in uituperando di cetur, quod natura turpissimæ mentis simulachrum in ipso corpore repræsentarit. In laudando dicetur, quod corporis uitium, egregijs uirtutibus abunde pensarit, quem si quis propius introspiciat, reperiet sub contemptibili corporis inuolucro latere mentem pulcherrimã, & quæ neminem non rapiat in amorẽ sui. Misere deformis est, quem horret deus & angeli eius. Bene formosus est quẽ amat deus. Cætera lectoris ingenio relinquo, ne fiam uerbosior. Est quædam laudandi ratio per comparationem, Græcis q̃ Latinis usitatior. Sic apud Platonẽ Alcibiades laudat Socratẽ, cõparans eum Satyris Marsiæ ac Silenis. Equidem ut fateor comparationem in encomijs posse incidere; ita mihi uidetur ineptum, si tota oratio constet comparatione. ut aũt lector intelligat, quid sit per collatio nem laudare, dabo exemplum, ut si quis Maximilianum Cæsarem laudaturus cõponat cum uiris aliquot omnium consensu summis, puta cum Alexandro Magno, cũ Iulio Cæ sare, cum Traiano, cũ Probo, cũ Antonino, ac decerpens quod in singulis fuit eximium, ostendat Maximilianum in omnibus fuisse parem aut etiam superiorẽ. Hoc genus cen seo parcius utendum ecclesiastæ, uel quia ignauum est, uel quia inuidiosa est omnis cõpa ratio, teste prouerbio. Quo tamen nostris temporibus quidam immodice sunt usi, non si ne graui multitudinis offendiculo. Accidit ut dum Ecclesiastes D. Franciscũ ad omnes cœlestis hierarchiæ ordines deduceret confessores, doctores, uirgines, martyres, prophe tas, & prophetis maiorem Ioannem Baptistam, deniq; ad ipsos seraphicos spiritus, atque

Laudatio per cõparationem

ille ubiq; audiret, Ascende superius: uentum sit denicq; ad sacratissimam Virginem quæ filio assidet dextra: & hic audiuit, Ascende superius. quum nihil supereſſet, nisi filius dei, non ausus est uir pius Christum è suo throno depellere, et tamen clamabat nondũ esse repertum locum illo dignum. Hic quum hæreret laudator, & subinde rogaret, ubi collocabimus patrem nostrum, quidam è turba morosior. Si deest, inquit, locus, colloca illum in locum meum: simulq; abijt è cõcione. Nec ulli laudibus inuidiosius extulerũt Franciscũ, q̃ qui illius erant dissimillimi moribus & uita. Contrà qui se uocant Augustinenses efferebant Augustinum suum: nec à conuitijs in Franciscum temperantes: Dominicani Dominicum ac Thomam & Catharinam Senensem ultra æquum efferebãt. Nimirũ hic est affectus humanus, quo quæq; prouincia fauet suí patroni laudibus: ut Romani fauẽt Petro, Græci Paulo, Parisienses Dionysio, Heluetij Gallo, Germani Henrico imperatori, Angli Georgio, atq; item de cæteris. Nam hęc exempli gratia tantũ uolo dicta. Interdum rixa exit in pugnam. Non amant ad istum modum laudari sancti.

Laudatio per cõficta miracula

Iam illud non est recentis exempli diuos conflictis miraculis affectibus imperitæ multitudinis commendare. Et hac arte quidam magis inclaruerũt. Verũ hæc gloria diuis ingrata est, qui hoc ipsum quod habẽt ueræ laudis deo transcribũt. Deforme exemplum est pharmacopolarum, qui mensa in foro posita ostentant dentes eductos, lapides è uesicis exectos, diplomata magnatum quos à morte reuocarint, magnaq; uanitate denarrãt sua præclara gesta quæstus gratia. Horum non dissimiles sunt, quos nimium diu tulit mundus, qui circunferunt reliquias ac statuas sanctorum, summa impudentia iactantes miracula quæ nunc̃ gesta sunt, & interdum plus c̃ scurrili impudentia, fœnum aut stramenta ex latrina fortasis aut horreo sumpta, offerunt simplicibus osculanda, ostendunt carbones è foco sumptos, mentientes his assum fuisse Laurentium. Ab his exemplis oportet uerum Ecclesiasten quàm longissimè abesse. Plurimum enim decet interesse inter pastorem & impostorem. de sanctis rarius loquetur populo, pręsertim ijs qui diuinarũ literarũ testimonio non sunt commendati. Christus abunde fœcundus est, ut Ecclesiastæ nõ possit deesse dicendi argumentum, etiam si singulis diebus quater uelit concionari. Quod si quando tempus postulet ut de sanctis quoq; dicendum sit, maxima tamen concionis portio detur Euangelio & Epistolæ: si historia fabulosa est, ne attingat quidem: si uerisimilis & celebris est, atq; à graui quopiam autore profecta, non est necesse totã referre. Præcipua decerpat, quæ proponat, imitanda magis quàm laudanda. Velut in uita Nicolai annotatu dignum est, quòd auro suo trium uirginum pudicitiæ consuluit: docens hanc esse deo gratã eleemosynam, quum uulgus hominum nõ putet esse eleemosynã, nisi quod monasterijs aut publicis mendicis datur. Præterea quòd non prius redijt ad benignitatẽ, c̃ uidisset unam elocatam filiam. Bene utentibus, addendum est. Postremò, quòd furtim dedit à solo deo mercedem expectans, iuxta doctrinam Euangelicam, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Miracula non temere admisceat, si qua tamen insignia sunt, ab autoribus non leuibus prodita, præsertim si contineant aliquid quod non solum miremur, sed imitemur etiam, sic commemoranda sunt, ut simul agantur gratiæ deo, & populus ad exemplum prouocetur. Tale est quod refert beatus Augustinus, quendam grauiter pereclitantem ob fistulas in postica corporis parte enatas, orasse amicos qui officij causa aderant, ut precibus implorarent auxilium numinis, simulq; ipsum procubuisse, post preces omnem protinus morbi cruciatum abscessisse. Hoc miraculum docet quanto satius sit in malis grauioribus c̃ ut ferri possint, ad dei præsidium, c̃ ad magicas artes confugere: tum quantã uim habeat multorum unanimis deprecatio. Videtur olim fuisse moris, ut si quod recens miraculum accidisset, sacerdos apud populum referret. Sed quoniam episcopis pijs magis c̃ eruditis aut cautis, est enim credula simplicitas, multa obtrudebãtur conficta & inepta, iamq; diffusa per uniuersum orbem Euangelica doctrina, non perinde opus erat miraculis, paulatim exoleuit ea cõsuetudo. Ne cõmemorẽ quod miracula quædam ędunt & magi, & impij dæmones, qui se transfigurãt in angelos lucis. Et in his quæ à ueteribus prodita sunt nõnulla leguntur, quæ non usq; quaq; quadrant sanæ doctrinæ. Testãtur hoc Dialogi beati Gregorij, & uita Martini à Sulpitio descripta, quæq; referuntur in actis beati Francisci, uita Catharinæ Senensis, & aliorũ cõplurium. Non tamẽ desunt ecclesiæ miracula, nec refrixit uigor spiritus, si modò uigeat in nobis fides. Sed spiri-

Historiæ diuorum quatenus attingendæ

Miracula quatenus commemoranda

tus

us miracula, fere sunt beneficia, qualia fuerunt Christi. Ac de genere quidem laudatorio hactenus. Restat exhortatio, quae pars est suasorij potius ꝙ diuersa species, nisi quod qui suadet, docet argumentis: qui exhortatur, stimulat affectibus. Hic praecipuas tenent, laus, expectatio publica, spes victoriae, spes gloriae, metus ignominiae, magnitudo praemij, & horror poenae, exemplorum illustrium commemoratio; & maxime domestico rũ. Laus gemina est, rei & personae. Rei magnitudine extimulabimus, si ostenderimus facinus esse summopere pium, magnificum, & hactenus à paucis aut à nullo tentatũ. A persona cohortabimur, si dixerimus unius quẽ hortamur uirtutem esse talí parẽ facinori, et si quae prius egregie gesit, in animum reuocabimus, exigentes ut pulcherrimis coeptis, dignum imponat colophonẽ. Ita Paulus Galatas exhortans ad perseuerãtiam. Currebatis, inquit, bene. Et, Ante quorum oculos Christus Iesus praescriptus est crucifixus. Rursus, Testimonium perhibeo uobis, quòd si potuissetis, oculos uestros eruissetis, & dedissetis mihi. Turpissimũ autẽ est, à uirtute degenerare, in qua oportet hominem semper seipsum uincere. Et foedum est, laudem uirtute partam dissimilibus factis perdere. Egregios animos olim praestitistis in profligãdis Turcis, nunc eosdẽ aut illis generosiores praestate aduersus haereticos certũ exitiũ uniuersae Reipub. Christianae molientes. Hanc tamen partẽ aliter tractaret Imperator exhortãs milites suos, aliter Ecclesiastes. Hic enim loquetur religiosius: Sitis animo forti ac fidenti, imperator uester Christus, qui uobis tum suggessit mentẽ intrepidã, ut supra humanas uires auderetis, idẽ nunc profecto aderit, & hoc quidẽ praesentius, quo grauius est periculũ. Maior aũt est de illis expectatio, qui superioribus factis egregiũ aliquod sui specimen dederũt. Vt Christi praesidio uicistis in tormẽtis, quid aliud expectat populus ecclesiae, nisi ut facillime contẽnatis fallaces delicias. Item, uidetis quantum alacritatis addat his qui nihil aliud sunt ꝙ homines, quũ magnis & multis spectaculis facinus aliquod aggrediuntur: quanto magis oportet uos erectos animos summere, qui iuxta Paulũ spectaculũ facti estis deo & hominibus. In uos intenti sunt totius ecclesiae oculi, uestri certaminis spectatores habetis deũ cum uniuersa coelesti militia. Fauẽt uestrae victoriae, nec fauent tantum, sed uotis adiuuant quoq;, dolituri si succubueritis. Nec mediocre calcar habet certa victoriae spes. Nolite dispicere uires proprias. Ex uobis ipsis nihil potestis, sed cogitate eum omnipotẽtem esse qui pugnat in uobis. Nec uos terreant uires aut artes Satanae, cũ hoste iam olim fracto prostratoq; uobis res, illa uox ducis uestri semper insonet auribus uestris, Confidite, quia ego uici mundum. In hoc si totam fiduciam uestram collocaueritis, uicistis & uos, mihi credite, Ad eundem modum tractabit locum de gloria & ignominia. Homines ethnici nihil periculorum refugerũt, quidam etiam in certam mortem semet uolentes tradiderunt, ob inanem gloriam: uidelicet ut audirent strepitum applaudentis turbae, aut in foro starent aenei, saxeiue: aut quam illi dijs proximam gloriam ducebant, curru triumphali, miniata facie ad Capitolium ueherẽtur: & nos quibus propositus est applausus totius ciuitatis coelestis, quibus in tuto est sempiternus triumphus cum imperatore nostro Christo, leuibus etiam incõmodis fracti uirtutem deserimus? Illi prius habent mortem oppetere, ꝙ apud unum populum ignominiam conflare: nos ad pietatem non extimulat ueraе ac sempiternae ignominiae metus? Horrenda ignominia est, à dei cõtubernio, ad satanę partes deficere. Vera gloria est, audire à deo, Venite benedicti. Vera ignominia est, displicuisse deo & omnibus sanctis. A nobilibus historiographis proditum est, Decium Syllanum Manlij Torquati filium parentis iudicio condemnatum, nec ad aliam poenam adactum, nisi ut à patris conspectu recederet, sibi laqueo conscisse necem. Et nos aequo animo ferimus, à supremi patris oculis submoti in aeternum. Gloria poterat sub praemij nomine comprehendi, docendi tamen causa seorsum parauimus, quoniam mercedis uocabulum latius patet. Qui mundo militant, quid non ferunt, ut censum aliquẽ aut magistratũ praefecturámue sibi parent, temporariã ac mox auferendam. Quanto praestantiora sunt quae noster dux promittit suis militibus? Centuplũ in hoc seculo, & uitam aeternam in futuro. Incomparabile bonum est, tranquillitas animi sibi bene conscij: & secura mens, ut ait ille, quasi iuge conuiuiũ. Summa dignitas est, esse filium dei: summus honos est, cooptatum esse in ordinem omnium sanctorum, esse templum sancti spiritus. Summae diuitiae sunt, haeredem esse regni coelestis Vera solidaq; felicitas est, contemplari uultum supremi numinis. Haec tam multa, tam eximia bona nobis

Exhortatorium genus

Partes exhortatorij

Laus rei

Laus personae

Expectatio

Spes successus

Gloria ignominia

Praemij magnitudo

pollicetur deus, cumq; his omnibus seipsum, si hostem bonorum omnium deuicerimus

Exhortatio à misericordia

A cæteris item affectibus licebit admouere stimulos, uelut à miseratione, ab odio, ab amore, inuidia, siue æmulatione. A misericordia subdentur stimuli, si periculum, si calamitatem & innocentiam eorum ad quos tuendos hortabimur, ob oculos posuerimus, præsertim si quos nobis naturalis etiam commendat affectus, ueluti parentes, liberos, uxorẽ, patriam: quibus tamẽ potentiores decet esse spiritus affectus. Ethnici pro sibi charissimis nec ferrum timent nec ignẽ: uos putate uniuersos senes uobis esse patres, uniuersos æquales esse fratres, uniuersos iuuenes esse filios, hos omnes una uoce simul cũ ipsa matre Ecclesia, in extremis constitutos uestrum implorare præsidium. Qui fieri potest, ut horum opploratu nõ cõmoueant uiscera uestra?

Ab odio & amore

Ab odio, si ponamus ob oculos, quantã quamq; miserandam animarũ in ecclesia stragẽ ædant hæretici. Ab amore simul & odio sic. In uestra uirtute situm est, uter gloriam auferat: Deus, cui uos totos debetis, an Satanas, perpetuus & capitalis hostis. Nec uos extimulat alterius tanta benignitas, alterius tanta malevolẽtia?

Ab inuidia

Inuidiam quidem oportet abesse à Christianorũ moribus, tametsi est quędã æmulatio laudata in bonum, quæ maxime locum habet in exemplis, præsertim insignibus, imparibus, ac celebratis: de quibus suo dicetur loco.

Exhortatio quomodo mitiganda

Si res postulat, ut exhortatio lenitur, ne quid offendat (nam quidam sic exhortantur, quasi exprobrẽt timiditatẽ aut socordiam) id incommodi uitabitur, si specie gratulationis adhortabimur, nõ ut extimulemus cessantes, sed ut sponte ad honesta currẽtibus gratulemur, agamusq; gratias deo, qui tam egregiam uoluntatem inspirauerit illorum animis, ut nullius egeant exhortatione. Hoc temperamento potissimum egent animi principum ac diuitum, quibus interdum ob publicam utilitatem obsequendum est, sed citra adulationem. Nec segnes aculeos habet ob-

Obsecratio

secratio, & obtestatio, qua non infrequenter utitur & diuus Paulus, uelut ad Romanos duodecimo, Obsecro uos fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra, hostiam uiuam, sanctam, ac deo placentem, &c. Rursus Ephes. quarto, Obsecro igitur uos ego uinctus in domino, ut digne ambuletis in uocatione qua uocati estis, &c. Similiter ad Thessalonicenses, Rogamus & obsecramus uos fratres in domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis quomodo oportet uos ambulare & placere deo, si & ambuletis. Et Philemonem pro Onesimo seruo obsecrat triplici nomine, & quod Paulus, & quod senex, & quod uinctus ob euangelium. Itidem ad Timotheum, Obtestor coram deo & Iesu Christo qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica uerbum. Iterum ad eundem, Testor corã deo & Christo Iesu, & electis angelis eius, ut hæc custodias sine præiudicio. Hæc obtestatio fieri posset per epilogum, hoc pacto:

Obtestatio per epilogum

Obtestamur uos per egregiam laudem antehac apud deum pariter atq; homines uestra pietate partam, per calamitatem & pericula fratrum indigna patiẽtium, per fidem quam imperatori Christo, per charitatem quam ecclesiæ, quæ uos in Christo genuit, debetis, per æternam felicitatem quæ uos pro rebus bene gestis manet in cœlesti patria, ut in hoc pulcherrimo negocio animos uobis dignos præstetis.

Personæ admixtio mitigat

Mitigat & illud exhortatiõem quemadmodum & admonitionem, si exhortator suam personam admisceat, hoc pacto: Agedũ fratres charissimi, satis hactenus indulsimus carni, posthac è luto rerum mundanarum erigamus animos, militemus bonã ac fidelem militiam, quam Christo in baptismo professi sumus, & cõtemptis huius uitæ falsis iuxta ac fallacibus bonis, toto pectore ad ęternum illum triumphum feramur. Tantum de genere exhortatorio. Restat consolatorium, cuius frequens usus incidit, cũ priuatim, tum publice, ueluti in persecutione impiorũ & in bello & obsidione, in pestilentia & fame. Quo de genere illud in summa præcipi potest, duplicẽ esse consolandi rationem: alteram, qua simpliciter ostendimus aut omnino non dolendum, aut moderatius esse dolendum: alterã, qua fatemur esse iustissimam dolendi causam, eumq; affectum in nos ipsos transferimus, quẽ alteri conamur eximere. Vehemens enim dolor respuit omnẽ medelã, & odit dissentientem. Cum his igitur arte agendum est, quod solent periti medici cũ ijs qui certo dementiæ genere laborant, ut existiment se mortuos esse, eoq; nolunt cibum capere, neq; cum quoquam uiuo colloqui, aut qui sibi uidentur habere nasum prodigiosę longitudinis, aut taurina in capite cornua. His nõ aliter mederi queas q̃ si te quoq; fingas mortuum, & hoc fuco ad colloquiũ admissus, cibũ in conspectu laborantis capias, aut ingrę-

ius si

sus simules te mirari tam immania cornua. Fictus assensus facit fidē, & qui laborat uicissim in recipiēdo remedio assentitur. Non hęc est hypocrisis, sed Christiana charitas, quæ omnia fit omnibus, ut aliquos Christo lucrifaciat. Bona spes sanitatis est, quū uulnera patiuntur medicæ manus contactum. Hoc impetrato primū lenienda sunt mala, mox ostendendum, quæ mali specie discruciant non esse mala sed bona. Hic prudenti Ecclesiastæ dispiciendū est, quæ res efficiant, ut molesta æquiore feramus animo. Moderatius ferimus, quæ nobis sunt cum omnibus, aut cum quàm plurimis communia, ueluti mortē quæ neminem habet eximium, siue humilem siue regem, siue senem siue iuuenem. Hanc igitur impotenter ferre, quid aliud est quàm indignari hominem quod homo sit natus, non angelus. Item morbū, pauciss imis enim cōtigit nō ægrotare. Præterea, quę licet atrocia sint, tamen diuturna esse nō possunt. In hac aūt uita nihil potest esse diu, quū ipsa uita nihil sit, nisi temporis punctum, Sed illa præcipue, quæ non solū finē accipiunt, sed pro breui mœrore diutinam adferūt uoluptatem. Talis est pœnitentiū dolor, & martyrum in tormētis certantiū, aut animam agentium. Quin & illa minus grauiter ferre decet, quæ nobis ipsis accersiuimus, nostra sponte, propriáque culpa, ueluti febrim è crapula contractam, aut è scortatione sacram scabiem. Latronis uox est in euangelio. Nos digna factis nostris recipimus. Quidam indignius ferunt, quod præter meritum accidit. Imò hoc moderatius cōueniebat dolere, quod in malis magnum habet solatiū recta conscientia. Quod enim innocēs patitur, cedit in cumulum pietatis. Interdū & necessitas minuit dolorē. Ita seipsum consolatus est Dauid, extincto puero quē adamabat: Ille ad nos redibit nunq̄, nos ad illū properabimus. In his igitur quę nec uitari possunt, nec reuocari, frustraneo dolore discruciari, quid aliud est q̄ sibi ipsi cōduplicare miseriam. Iam & cōsueta patimur æquiore animo, quemadmodum ait Comicus, Nota mala, mala non sunt. Ad omnium molestiarum alleuationem plurimum habet momenti, si nobis persuadeamus sicuti res habet. nihil horum temere accidere, sed diuinitus immitti, siue ad purgandos nos, siue ad reuocādos ad uitam correctiorem, siue ad exercendam patientiam nostram, & augendam coronam nostrā, ut in omnib. oporteat gratias agere deo, tantū abest ut debeamus obmurmurare. Etenim quæ nostræ imbecillitati uidentur mala, uera sunt bona: & absurdum est amara medicorum catapotia fortiter deuorare, dei medicantis manum ferre non posse. Lenit & cōparatio ægritudinem. Ita Teucer apud Flaccum,

O fortes peioraq̄ passi Mecum sæpe uiri uino nunc pellite curas.

In tanto grauioribus malis fortem & inuictum animū pręstitisti, nō decet ut in hoc incommodo tui sis dissimilis. Item cōparatio aliorum malorum: quēadmodum narrant de philosopho, qui immoderatius dolentē iussit in locum æditum ascendere, unde totius urbis esset prospectus, et è singulis ædibus quod erat malorum in unum aceruum conferre, ac secum expendere, num ex eo aceruo in partes æquales diuiso uellet suam accipere portionem. Quod si nollet, moderatius ferret suam fortunā. Itē illa quæ grauibus honestisq̄ de causis patimur, uelut quæ pro tuenda fide catholica, aut reparanda rei Christianæ tranquillitate, aut pro patria, uxoribus ac liberis. Ad hæc iuxta Sapientis dictū, spes præmij minuit uim flagelli. Hic locus erit illi Paulino, non sunt cōdignæ passiones huius temporis ad futurā gloriā quæ reuelabitur in nobis. In summa nō minimū mali leuamē est uoluntas perpetiēdi mala, quēadmodū ait Comœdia. In re mala bonus animus dimidiū est mali. Ab his ferè partib. sumitur cōsolatio, præter eas quas cū cæteris generib. habet cōmunes. Reliquum est ὑπομνητικὸν, siue quod mollius est uerbum νουθετικὸν. Conuenit enim hoc euangelicæ māsuetudini, ut Ecclesiastes admoneat uerius q̄ obiurget. Quanq̄ interdum enormitas scelerū exigit, ut Ecclesiastes faciat, quod facere iubetur Esaias, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuā, & annūcia populo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorū. Idem præcepit beatus Paulus Timotheo, ut arguat & increpet, sed euangelicæ mansuetudinis memor, uino admiscet oleum: Obsecra, inquiens. Et, Cum omni mansuetudine. Rursus ad eundē, fatetur scripturā diuinitus inspiratā utilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigēdum, & ad eruditionē quæ est in iustitia. Nimirum indicans quem oporteat esse scopum reprehensionis ecclesiasticæ, & quo temperamento debeat esse mitigata. Si scopum quæris, ut integer sit homo dei ad omne opus bonū apparatus. Nec satis est arguere uitia, sed doctrina præmittēda, quę persuadeat esse nepharium

Molesta quæ res mitigent

Admonitorium genus

2. Cap. 4.

quod reprehenditur, Simul ostendenda ratio qua possint corrigi scelera, postremò reuocatis ab errore cõmonstrandum quanto rectius atq; etiam iucũdius sit per uiam uirtutis hominem deo dicatum ambulare usq; ad perfectionem. Hac quidem in parte non leuiter peccatur à quibusdam, qui sanctimoniæ speciem apud imperitam multitudinẽ de se præbent, libere ne dicam licenter, taxandis hominum uitijs, quicquid enormium criminum didicerunt in arcanis confessionibus, effutientes apud promiscuam multitudinẽ, ac tum sibi uidẽtur egregiè detestati uitia, si subinde furiosa uoce exclamẽt, Quo abibitis miseri? In culum diaboli, ad triginta milia cacodæmonũ in ignem æternum: haud perpendentes quasdã esse scelerum species, quas nõ expedit apud populũ traduci, sed expedit ignorari. Quod genus sunt, prodigiosæ libidinum formæ, artes magicæ, aliaq; quæ nimis accuratè reprehendisse est docuisse. Et enim curiosum ingeniũ hominum. Quorundam flagitiorũ etiã ipsa cõmemoratio contagiũ habet. Quàm igitur ineptũ est in concione quæ pueros habet & uirgines ac uiros etiã fœminasq; cẽplurimas simplices & huiusmodi monstrorum imperitas, describere quomodo maritus cum uxore triginta modis cõmittat crimen capitale, quid sit præcidere, mastrupare, irrumare, crissare, aliæq; innumeræ species abominandarum immundiciarum, usq; ad coitum cum brutis animantibus. Quanto satius est eorum consulere simplicitati, & innocẽtiæ, qui nunq; erant suspicaturi, tam horrenda monstra inter Christianos inueniri. Est his redarguendis locus tempestiuior, uelut in secreta confessione aut semotis colloquijs.

Vitia quatenus arguenda publice

Quod si scriptura præbet occasionẽ de his faciendi uerba, nihil necesse est ea sic depingere, quasi propositum sit non tam detestari cẽ docere. Audiui quosdam, qui uidebantur hinc etiam laudem captare, quod ista mysteria tam exacte nossent. Satis est in genere crimen proponere, nec id absq; horrore & abominatione: exempli causa, si tractandus esset locus epistolæ ad Romanos, ubi Paulus differit quomodo deus tradiderit philosophos Græcorũ in reprobum sensum, aut quamobrem subuersa sit Sodoma: Satis fuerit apud populum dicere, Erat scelus abominãdum, quod uix ausim nominare, quomodo præter naturam masculus habeat rem cum masculo, fœmina cũ fœmina. Huc turpitudinis olim peruenerat Gentium impietas, à qua spero Christianã gentẽ esse immunem, licet alioqui libidinum sit plus satis. Similiter qui detestabitur magicã impietatẽ, nõ est opus describere, quib. modis fiat diuinatio ungui aut cribro, aut quid terant, misceant dicantúe maleficæ, quum excitant tempestates, aut quibus uerbis euocentur impij spiritus, aut defunctorum animæ. Satis erit cum abominatione dicere, sortilegia, incantamẽta, uentriloquia, necyomanticen, pyromanticen, cæterasq; maleficiorũ species, quoniã auxilio dæmonũ exercentur, habere, si non expressam, certe tacitam cum illis conspirationem, ac summæ trinitatis abiurationẽ. Idẽ faciendũ in leuioribus criminibus, quæ sic reprehendenda sunt, ut uitentur, non ut doceantur. Rectè arguentur qui in mercibus imponũt emptori, similiter qui farinam, qui uinum & ceruisiã uitiant: quos ostendet non solũ fures esse, sed etiam ueneficos. Furti genus est, pro purpura uendere quæ nõ est purpura, aut uitrum pro gẽma uendere. Veneficij genus est, uinum ita medicatum uendere ut bibentib. morbũ aut mortẽ conciliet. Quibus uero modis corrumpant, non expedit docere, ne eueniat quod apud Brabantos accidit fœminæ cuidã ceruisiariæ. Ecclesiastes declamarat in eos qui sic imponerent populo, quod ceruisię iam uapescenti, quo uideretur recens, addito sapone moueret, atq; ita spuma dissimularet uapam. Illa reuersa domum negabat se unq; audisse concionem commodiorem. Nam antehac, inquit, multo mihi damno fuit, quod euanidam ceruisiã nemini potuerim obtrudere. Alius acceperat in exomologesi, se uicino ceruisiario (nec em̃ figulus tantũ inuidet figulo) hac arte corrupisse ceruisiã, ut scobinæ, quæ solet alueo canalis imponi, quo per eam liquetur aqua hausta à flumine, admisceret saponẽ. Qua re factum est, ut uniuersa coctio cederet infeliciter. Atq; ita miser ad pauperiem redactus est. Hoc apud concionem tacuisse præstiterat. Satis erat dicere, hoc facinus multo dignius esse suspendio cẽ furtum. Aduersus furem cautio est, aduersus hæc nequaq;. Expedit in mulieribus detestari fucũ, sed quot quibusq; modis rugarũ sulcos cõplanent, quibus inducant candorẽ, ac ruborẽ in genis, quibus addant lucem, quibus tingant capillos, quo puluere pingant oculos, non expedit docere populum.

Iam sunt qui friuola ac ridenda magis cẽ insectanda, magnis tragœdijs exaggerãt, prętermissis

termissis ijs, quæ uerè horrenda sunt crimina. Me iuuene omnia suggesta perstrepebant clamorib. in latas crepidas, in lõga rostra calceis addita, in flãmea mulierculariũ cãdidata ac durata liquamine, ex alumine ni fallor, & similagine temperato, aut in suffuscata fuligine. Audiui pastorem quendam sub Paschæ diem minitantem populo, sed non præbiturum corpus domini gestãtibus latas crepidas, ni abijcerent. Alius clamabat in plumas, alius in magnas rugas, quibus inepti uestiarij cœperãt onerare miseros fœminarũ lumbos. Quidam excogitarat acre salsumq; dictum, cõparabat eas fistulis organorum musicorũ, addens istas fistulas inflabit diabolus. Nec deerant qui uociferarẽtur in caudas, quas uulgares fœminæ magnatũ exẽplo prouocatæ, cœperant à tergo trahere, clamantes illis inquitare cacodęmones. Interdum admonendus est populus, ut uestitus sit Christianis dignus, nec specie, nec precio notabilis. Sicut beatus Petrus hortatur matronas, ut uerũ cultum existiment, animum modestia, pudicitia, cæterisq; uirtutibus ornatum, potius quàm capillos arte complexos, aut aurum gemmasue, aut alioqui uestes pretiosas. Rectum est eas admonere ut in publico tegant ea, quæ possint eorum oculos sollicitare, quibus placere uelle flagitium est. Satis est, si uiris suis domi pulchrę sint. Porrò quum multus luxus sit in uestib. multaq; etiã inepta, tamen quidã pueros ac puellas eodem cultu ornant, quo utuntur ipsi. Puellas onerãt caliendris ac uittis, duplici interula, quarũ exterior habet caudam fibula ad cingulum à tergo reuolutam. Addũt caligas & calceos suppacios. At quid inutilius ad ualetudinem, q̃ tenera corpuscula ad istum onerare modum, ne possint succrescere? Sic & puerorũ capita onerãt pileo duplici, latis marginibus, quod uirili quoq; capiti possit esse molestum, bis peccantes, & quod officiunt ualetudini infantiũ, & quod ante tempus docent eos luxuriem & superbiam. Hæc & huiusmodi multa sunt quidem admonenda, sed amanter ac placide. Ac sæpenumero plus efficit sobria moderataq; admonitio, q̃ furiosa uociferatio. Illud potius admonẽdum, quod in quibusdam Germaniæ ciuitatibus mulieres incedunt erectæ ac propemodum resupinatæ, sinuntq; sibi à uiris aperiri caput, flecti genua, ipsæ nihilo plus honoris exhibent, q̃ si infimæ famulæ loquerentur. Quid hoc exemplo deformius? Multo aliud suadet scriptura, atq; etiã ipsa natura, quæ uiris addidit autoritatẽ, fœminis uerecundiam ac modestiam. Verum in hunc campum altius ingressus sum q̃ destinaram.

Obiurgatio adulans

Sunt qui reprehẽdendo adulantur præsertim mulierculis delicatis, quæ tacita cũ uoluptate audiũt prelõgas caudas, quas à tergo sustinet aliquis bene natus, alioqui nephas est tam splendidum occupare munus. Item latas manicas ad terram usq; porrectas, nec in aliud utiles, quàm ut onerent brachia, lautas mensas, elegans famulitium, pedisequas fuco pictas, cœnas in multam noctem productas, somnos in multum diem, multum temporis & operæ consumptum in comendo. Tandem progreditur magna stipante caterua, tum oculos lubricos, fractum incessum, & pedum lusum, aliasq; id genus nænias depingunt non sine specie nequitię. His admiscent dicteria quædam festiua, quę risum moueãt citius q̃ pœnitentiã, quæq; reuersæ domum heroinæ commemorent in conuiuijs ut ridetur. Nam hoc genus hominum quemadmodũ gaudet depingi in tabula, ita amat & lingua depingi. Rursus alij sic reprehendunt uitia, quasi inuideãt: uelut quũ depingunt q̃ molliter ac suauiter uiuant diuites. Rursus alij quasi homines oderint, non uitia. Verum oportet Christianam admonitionem procul abesse à supercilio Pharisaico. Id fiet, si in reprehendendo dicamus nos dolere uerius q̃ irasci, si quædam mitigemus: quemadmodũ Petrus Iudæorum, qui dominũ crucifixerant, impietatẽ eleuat, dicens eos per ignorantiam peccasse, & culpæ partem in ipsa reijcit tempora: Cõuertimini, inquit, à generatione ista praua: sicut et Paulus apud Areopagitas, dementiam idola pro dijs colentium, reijcit in tempora ignorantiæ hactenus à deo dissimulata. Sic quædã admissa sunt eleuãda, nũc ætatis, nunc sexus obtentu, nunc magnitudine tentationis. Minus aũt sęuiet in reprehendendis alienis, qui secum reputarit, se si non ijsdem, certè paribus aut fortasse grauioribus uitijs obnoxium esse: aut si non est, hominem esse, & fortasse grauiora cõmissurum, si similis incideret tentatio. Deniq; si res poscet indignationem, talis sit qualis est patris filiũ, non qualis hostis in hostem. Sentiat qui obiurgatur, iram non ex odio, sed ex amore nasci, nec queri uindictã, sed correctionẽ. Sic deijciatur increpatione qui peccauit, ut mox erigatur. Hoc enim est quod Apostolus uocat ἐπανόρθωσιν. Hac moderatione Petrus obiurgauit

Simonẽ. Docet pernicioſam eſſe pecuniã, quæ datur pro donis ſpiritus. Quoniã, inquit, donum dei exiſtimaſti pecunia parari. Dein increpat, Non eſt tibi pars neq; ſors in ſermone iſto, ſed mox erigit: Pœnitẽtiam itaq; age. Vix quiſquam æquo animo fert obiurgari ab eo, cuius uita palàm contaminata eſt aut infamis: ſed intolerabilius eſt ab eo reprehendi, qui ſibi ignoſcit in his quæ caſtigat in alijs. Hanc inuidiam mitigabit Eccleſiaſtes, ſi ſuam perſonã admiſceat, quemadmodum admonuimus in exhortatione, hoc pacto. Homines ſumus omnes, nemo nõ aliquando labitur, licet alios alia uitia magis infeſtent. Ipſe peccator, peccatores admoneo. Simul errauimus, ſimul emendemur, ut quorum cõmunis nunc eſt dolor, ijs reconciliatis ſit communis omnium gratulatio. Minus offendit obiurgatio à ſenibus, aut publica autoritate præditis profecta, qui quod faciunt, ipſo officio quod gerunt, coacti facere uidẽtur. Principũ aut magiſtratuum aut epiſcoporum ſcelera apud populum acrius inſectari ſeditioſum eſt. Sæpe minore malo tolerãtur horum uitia. Vtilius eſt his imaginẽ boni principis ob oculos ponere, et admonere ut ſe quiſq; ad hoc ſpeculũ intueatur. Quod ſi uidebit utilis reprehẽſio, ſit generalis: quod oportet eſſe perpetuũ, quoad fieri poteſt, ut nec certa perſona nec certus ordo uideatur impetitus. Hęc mihi uiſum eſt de genere obiurgatorio admonere, q̃d ad Eccleſiaſtæ munus pertinet. Nunc ad id quod intermiſimus, redeamus. De ſtatib. ſiue cõſtitutionib. quas Græci στάσεις uocãt, prolixa ſimul & perplexa eſt tũ apud Græcos tũ apud Latinos ſcriptores diſputatio, nũc breuiter ea tantũ attingemus, quę uident uſui futura cõcionatori noſtro. Status eſt caput generale cauſæ ſiue quæſtionis, ad quod qui dicit, omnia confert, & quod auditor præcipue ſpectat: uelut in cauſis forenſibus præcipue ſpectatur, an ſit factum quod obijcitur, quale ſit, & quid ſit. Primus ſtatus dicitur coniecturalis, ſiue inficialis: ſecũdus qualitatis, ſiue iuriſdicialis: tertius finis, ſiue definitiuus. In primo, uerũ quæritur cõiecturis: in ſecundo, quoniã de facto conuenit quęritur an iure factũ: in tertio, quoniã de utroq; conuenit, definitione quæritur nomen facti. Quanq; interdum mutato nomine, crimen quoq; tollitur. Veluti ſi Milo cædis reus negaſſet à ſe Clodium occiſum, fuiſſet ſtatus coniecturalis: nunc quoniam id fatetur, ſupereſt alia coniectura, uter utri fecit inſidias, quæ includit ſtatum qualitatis. Nam in confeſſo eſt, per inſidias adorientẽ iure occidi. Sic Oreſtes non inficiatur matrem à ſe occiſam, ſed nititur ſtatu qualitatis, affirmans iure occiſam. Item ſi reus confiteatur ſe ſuſtuliſſe pecuniam prophanam è loco ſacro, furti crimen agnoſcat, ſacrilegij non agnoſcat, dicẽs tum demum ſacrilegium eſſe, quũ res ſacra tollitur de loco ſacro. Aut ſi quis rem habuit cũ uxore aliena in lupanari, ſtuprum fateatur, adulteriũ neget. Aut ſi quæratur utrũ quæ amatoriũ odijue potionem dedit, teneatur ueneficij, an iniuriæ tantum nomine. Hęc è rhetorum literis delibaſſe ſatis eſt, ad declarandum quid ſit ſtatus.

Perſonæ proprię admixtio in reprehendendo

Status cauſarum

Coniecturæ

Qualitatis

Roget aliquis quid hæc ad præconẽ euangelicũ? Primum ad hoc ualent, ut circunſpecto argumento de quo dicturus eſt, ad caput uelut ad ſcopũ omnia conferat, nec ſuperuacaneis ambagibus à re digrediatur, aut deliranti ſimilis oratione uagetur, uel aliena uel etiam pugnantia loquens. Et quanq; ſtatuum præcipuus uſus eſt in cauſis forenſibus, quiſquis tamen loquitur populo, ſuadendi, exhortandi, conſolandiue gratia, certum aliquid ſibi proponit quod uelit efficere. Id utiq; ſtatus loco eſt. Deniq; & hæc frequenter incidũt in argumentis concionatorijs, frequentius in priuatis colloquijs aut cõſultationibus. Veluti ſi quæratur, ubi terrarũ ſit paradiſus, in quo Deus collocarat Adam. Et ubi locorum ſit purgatoriũ, in centro terræ, an alibi? Item quo animo Iudas tam exigua pecunia uenderit dominum, num hac ſpe, ut crederet illũ elapſurum è manibus eorũ, quẽadmodum alias fecerat aliquoties? nam probabile nõ eſt, hoc illum egiſſe, ut occideretur: alioqui nec reddidiſſet denarios, nec ſeipſum laqueo præfocaſſet: ſtatus eſſet coniecturalis. Quemadmodum ſi quæratur quo conſilio Satanas toties tentarit dominum. Item ſi concionator hortaturus populum ad placandã iram dei, dicat peſtem aut aliam calamitatẽ ob impiam hominum uitam ab irato deo immiſſam. Similiter quo tempore & quibus ſignis intellectum fuerit, deum uoluiſſe Iudæorum cęremonias prorſus abolitas eſſe, ſic ut crimen iam eſſet eas ſeruare. Præterea quo conſilio filiæ Loth, patrem ad inceſtũ ſolicitarint. Item an defunctorum animæ uerè appareãt, an totũ hoc fiat impoſturis dæmonũ. Ad hæc, quum cauſa legis inquiritur, puta quur in lege Deus uetuerit arari in boue & aſino, aut uti ueſte ex lana linoq; cõmixta. Hanc Auguſtinus appellat ętiologiã. Qualitatis ſtatus nuſquam

non

nõ fecidit, quum dubitatur an phas sit clericis aut monachis gerere bellũ. An permissum sit Christianis repudiũ, quẽadmodum Iudæis. An liceat sponsam legitime ductam, licet nõdum cognitã, inuitam relinquere propter monasticæ uitæ professionem? An æquum sit, ut illa maneat innupta, donec sponsus fuerit professus, etiam si mutato monasterio aut religione in annos aliquot differat professionem? Iam innumeri casus sunt, in quibus definitione quæritur, usura commissa sit nécne. Item an qui in diplomate põtificio correxerit literam perperam à notario scriptam, commiserit crimen falsi. Et an qui principi, populi libertatem tyrannide opprimenti obstiterunt, admiserint crimen læsæ maiestatis. *Definitio*

Præterea quum scriptura cum scriptura uidetur collidi, status est à contrarijs legibus, ueluti quum Mosi tabulæ dicũt, Honora parentes. Et Christus dicit. Qui non odit patrẽ & matrem nõ est me dignus. Quũ ambiguitas aut obscuritas est in scripto, status est à scripto & sententia, ueluti quum quæritur quo sensu Paulus dixerit, Cupio anathema fieri pro fratribus meis secũdum carnem. Et quo sensu Franciscus interdixerit fratribus suis, ne reciperent pecuniã, neq; per se neq; per alios. Sunt cõplura loca in scripturis canonicis, quæ uel ex ambiguitate uerbi, uel ex cõpositione uerborum, uel ex uaria lectione patiũt ambiguitatẽ. Cæterũ quomodo dissoluenda sit scripturarũ contrarietas aut explicanda ambiguitas, suo dicetur loco. Denicq; quũ in quæstionẽ uenit, utrum magis expediat, autoritate publica sacerdotibus concedere matrimoniũ, an cõcubinas reliquasq; immundicies perpeti. Et utrũ sit leuius malum sacerdotẽ qui non cõtinet, concubinã alere, an cõtra pontificum leges uxorẽ ducere. Et utrum utilius sit religioni Christianæ cũ Turcis pacẽ licet iniquã habere, an iusto bello cõfligere. Nec ulla res uetat in eodẽ argumẽto, si plures habeat partes, uarios incidere status. Velut in argumẽto quod ante retuli, quũ proponemus esse præter naturã nõ alere proprio lacte matrẽ quod peperit, status est qualitatis. Rursum quum proponemus, non esse matrẽ, quæ tantum gignit & abiicit, status est definitiuus. Quum proponemus improbæ nutricis ingenium per lac transire ad infantẽ, status erit cõiecturalis. Nam dubitari potest an hoc uerũ sit, & à dissentiente potest negari. *Contrariæ leges* *Ambiguum et obscurum* *Comparatio nis status*

His igitur breuiter delibatis ueniendum est ad inuentionẽ partium siue propositionũ, de qua supra dicere cœperamus. Hanc Fabius putat omnium esse difficillimam, & reuera non minima difficultatis pars in hoc sita est, nisi quod maiore periculo dicit patronus apud iudicem q̃ Ecclesiastes apud populum. Adde quod nõ est semper necesse, ut quemadmodum ante dictum est, concionator exprimat quot quibusq; partibus sit utendũ. Rarum est autem concionatorem in genere iudiciali uersari, sed tamen ab hac specie nõ multum abest, quum è suggesto disserit aduersus Iudæos, hæreticos, aut schismaticos aut etiam paganos. Hic interdũ aduersarij ministrãt defensuro propositiones. Veluti si quis ita proponat, quũ alia multa, tum tria præcipue nobis intendunt Christiani nominis hostes, infanticidium, maleficium, & rebellionẽ aduersus principes ac magistratus. In his tribus erunt tres status: quũ dicet, nihil alienius à Christianorũ moribus q̃ infanticidium, status erit inficialis. Rursum quum ad secundã obiectionẽ respondebit, non est rebellio, sed pietas, non obtemperare principibus impia iubẽtibus, status erit qualitatis aut finis. Ad tertiam si dixerit, nõ est maleficiũ, sed sacramentũ, quũ uerbis per Christi fidem efficacibus consecramus aquam, panẽ & uinũ, ac peccata remittimus, dæmones profligamus, Maleficia, dæmonium auxilio fiunt: status erit definitiuus. Aut si quis aliquorũ calũnijs respõsurus, ita partiatur. Tribus potissimum nominibus nos insimulãt aduersarij. Primum q̃ fidei parum, operibus plus æquo tribuamus. Deinde quod peccati originalis uim nimium attenuemus. Postremo quod Pontificum constitutiones æquemus præceptis dei. Hic partes non excogitantur, sed ab aduersarijs subministrãtur. Qualis est illa partitio Marci Tullij pro Murena, citra exceptionem laudata. Intelligo iudices treis totius accusationis partes fuisse, & earum unã in reprehensione uitæ, alterã in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse uersatam. Nihil hac parte lucidius, neq; quicq̃ est superfluum, quum uniuersam causam cõplectatur. Quod si cõfusa sit aduersariorum criminatio, qui defendit ingenij laudem merebitur, si criminũ aceruum in certos ordines digerat partibus ita distributis, ut nil omittatur quod ad rem pertinet, neq; quicq̃ redundet. Redundat autem, quod seperatim ponitur, quum in aliqua partium sit cõprehẽsum, nisi causam reddat, quur cohærentia separarit. *Propositionũ inuentio* *Diuisio propositionum*

Cæte-

Diuisionis partes nõ semper eodem ordine repetẽdæ in respondendo

Cæterum ubi aduersarius orationem suam digesserit in partes, non semper cõuenit eas eodem ordine repetere, præsertim in partitione quæ per fictionem gradibus peruenit ad summum. Quod genus, si quis tyranni filium occidit, cuius pater doloris impatiens seipsum interemit, ita diuidat. Si tam egregium facinus uoluissem tantũ & animo concepissem, nónne præmio dignus uiderer? Si tantum aggressus fuissem, & hoc animo tyranni arcem ascendissem, etiam si defuisset successus, an putaretis negandum esse præmium? Si uel unum satellitem interemissem, an non uiderer præmio dignus, Si filium tantum occidissem, patre tyranno crudeliorem & tyrannidis paratum hæredem, an negaretis præmium? Nunc præter hæc omnia ipsum etiam tyrannũ occidi crudelius, quàm si mea manu trucidassem. Sed fingite hunc exitum non fuisse consequutũ, an non sustulit tyrannidem, qui tyrannũ omni satellitio nudauit, ut iam nihil possit aduersus reipublicæ libertatem. Si pepulissem tyrannum in exilium, an negaretur tyrannicidæ debitum præmium, Exul ciuitati bellum mouere poterat: nunc senem filio in quo tota spes erat, omnicq; satellitio nudatum uobis inermem tradidi, ut impune possit à quouis occidi. Si non præuidissem quod euenit, an ideo uiderer indignus præmio, quod uirtuti meæ fauit fortuna? Nunc præuidi, studioq; peperci tyranno, ut morte filij discruciatus periret crudelius. Hic partium ordo non conueniret contradicenti, ac ne partibus quidem ijsdem utendum esset. Sed de hoc genere partitionis mox dicemus. In alijs commodissimum est eodem ordine respõdere, quo proposuit aduersarius, nisi si qua causa peculiaris diuersum suadeat. Aeschinus laudauit Philippum Macedonum regem, triplici nomine, quod esset formoso corpore, quod eloquens, quod ferret multum uini. Has partes sic elusit Demosthenes, ut diceret primã laudem esse fœminarum non regis, alteram esse sophistarũ, tertiam spongiarum, in quibus pro optima habetur, quæ est bibacissima.

Propositiones unde inuenien dæ

Ordo propositionum

In argumentis igitur in quibus non aliunde suppeditatur partitio, aut non expedit ijsdem uti partibus, & tamen materiæ uel difficultas uel uarietas requirit diuisionẽ, quomodo ea sit reperienda nunc tractandum est. Qua de re illud in summa præcipi potest, propositiones optimè reperiri ex totius causæ partibus ac circumstantijs diligenter circũspectis. Ex omnibus aũt consideratis nõ magni negocij fuerit perspicere quæ sint in his præcipua, quibus uniuersum nitatur argumentum. Quibus animaduersis, superest dispicere qui sit ordo partium commodissimus: Est autẽ commodissimus, quando prior pars quasi gradum præbet sequenti, atq; ut ita loquar, subseruit, uidelicet præparans auditorũ animos ad facilius credendum ea quæ sequũtur. Verbi gratia, si dicturus aduersus hæreticos hunc in modum partiatur. Primo loco uitæ scenam aperiã, cq; sint fucatis & impijs moribus: secundo refellã dogmata erronea: tertio schismatica: quarto hæretica. In his extrema pars summum argumenti caput est, cui cæteræ partes ordine subseruiunt. Error enim intellectus facilius creditur in his quorum uita est impura. Et qui in multis turpiter hallucinãtur, in his facilius creditẽ schismatis improbitas, & schisma ferè aut cũ hæresi coniunctũ est, aut gignit hæresim. Sic in homine præferoci, qui multos pulsauit, facilius creditur homicidium, in luxurioso adulterium, quod illa scelera ad hæc quasi gradus quidam sunt. Hoc cõsilio diuus Hieronymus irridet ineptã & prodigiosam phrasim Iouiniani, quo uerisimilius sit illum in dogmatibus in eundẽ modum delirare. Nec parũ obfuerit in dogmatibus Vigilantio, si prima pars diuisionis, exponat quæstũ cauponariũ in sacerdote, tum hominis impudentiam, qui in terræmotu territus, ab uxore nudus in templum prosilierit, nonnulla etiamnum libidinis uestigia secum deferens. Aut Manichæis, si primo loco abominanda uitę illorũ mysteria detegantur, sicut & Marcionitis, quod illis fecit diuus Augustinus, his Irenæus, licet extra partitionem utercq;. Contrà, si quis laudare statuisset uitam monasticam, ipsa propemodum argumenti natura præbet diuisionẽ, quod illius instituti summa in tribus præcipue consistit, in cõtinentia, paupertate, & obedientia. In quibus exaggerandis tota consumetur oratio. Quod si hęc partitio non uidebitur complecti omnia illius uitæ commoda, ex partibus generis suasorij de quibus dictum est, reperietur alia. Non aliud uitæ genus esse magis secundũ Euangelicã pietatẽ, neq; tutius neq; iucundius. Nihil est in eius instituti commodis, quod his tribus partibus nõ comprehendatur. Nam præter tria uota, multa alia continentur in prima propositione. Tuti tractatio dure reduceretur ad obedientiã, præsertim quũ hæc homini promittat nõ deo. Iucundi nusq; poterit

poterit referri. Et tamen si possent hæc ad illa tria aliquo pacto referri, quoniam tutũ multas habet partes, multas item iucundum, cõmodius est separari, ne turba propositionum particularium adferat confusionem. Particulares appello, quæ propriæ sunt singularum argumentationum. Admonendus est enim lector uocem hanc apud eos qui de dicendi facultate conscripserunt trifariam accipi. Nam propositio dicitur interdũ, quæ statim in initio totius argumẽti summam complectitur, ac tituli uicem habet, ut quum Ouidius sic orditur: Si quis in hoc artem populo non nouit amandi, Me legat & lecto carmine doctus amet. Hanc quidam uocant expositionem. Ecclesiastes item: Beatæ Agnetis purissimam ac fortissimam mortem, ad uos adfero. Hæc unica potest esse. Interdum declarat partes præcipuas, & columnas quasi argumenti, quæ promittuntur in diuisione, in qua si ponatur unica, iam non est diuisio. Nonnunquam propositio dicitur cuiuslibet argumentationis initium, quæ post argumentationem repetita dicitur conclusio siue collectio. Quisquis enim aggreditur argumentationem, ostendit quid destinarit probare, probatione peracta repetit & infigit animis auditorum quod probauit. Eadem si proponatur ut dubia, quæstio uocatur. Exemplum erit, Optimum est primam ætatem salubribus imbui præceptis. Hæc est propositio, Sequitur probatio. Propterea quod ea tenacissimè hærent quæ rudibus puerorum animis sunt impressa. Qemadmodum olla fictilis diu seruat odorem, quo primum fuit imbuta. Adde quod non solum tenacius hærent honesta, uerũ etiã facilius imbibũtur animis uacuis, nec adhuc prauis opinionibus uitijsue occupatis, quemadmodum tabulæ uacuæ facilius quod uolumus inscribimus. Alioqui plus est negocij in dedocendo q̃ in docendo. Hic repetitur propositio probata, iam conclusio, Itaq; sapiunt qui pueros suos ab ipsa statim infantia curant liberalibus disciplinis ac rectè uiuendi præceptis erudiendos. Ergo qui singulas argumenti propositiones, quæ incident in argumentando, diligenter perspectas habuerit, atq; eas etiam quas aduersari us aut tacita auditorum cogitatio uideatur obiectura, facilius ex his seliget generales, quæ causam uniuersam contineant. Ad hoc adiuuabit statuum cognitio, & quæ his cognata sunt, intentionis, depulsionis, rationis, firmamenti, continentis & iudicationis. Quæ res facillimè elucent, in exemplo quo utuntur omnes, licet de uerbis pariter ac rebus mira dissensio est. Orestẽ parricidij reum ago, quia occidit matrem, intentio est. Depulsio, occidit sed iure. Cui protinus additur ratio, illa enim occiderat Agamemnonem Orestis patrem, suum maritum: nec hoc contenta, pro occiso induxit adulterum. Huic actor opponit firmamentum. Non ideo tamen oportuit matrem à filio indemnatam occidi. Poterat enim pœnas dare legibus. Firmamẽto reus opponit continens. Illa hoc animo erat in liberos, & in totam familiam, ut non decuerit eam ab ullo magis occidi quàm à liberis. Nec id citra autoritatem fecit Orestes, sed admonitus oraculo Apollinis. Ex his commissis nascitur iudicatio. Quum Clytemnestra occiderit Agamemnonẽ, & induxerit adulterum, ac tali animo fuerit in suos, tum quum Apollo id admonuerit, an Orestes iure occidit matrem, Hæc rhetorum præceptio nihil aliud agit, nisi ut dicturus uigilanter circunspiciat quid pro se faciat, quid pro aduersario aut dissentiente. Et iudicatio nihil aliud est, quàm extremus causæ status, quo reperto nihil supereſt nisi ut iudex pronunciet. Quod autem in foro facit aduersarius, id in concione facit tacita dissentientis cogitatio. Veluti si quis susceperit laudandam uirginitatem, animo præcipere debet, quid dissentienti aut ambigenti sit uenturum in mentem. Puta, Virginitas præter naturam est. Virginitas non adiuuat rempublicam. Virginitas multis incontinentiæ periculis exposita est, ut tutius sit habere maritum. Similiter quum prædicabit ieiunij laudes, reputare debet multos apud se dicturos, ieiunijs exhauriri cerebrum, debilitari uigorem mentis, reddi homines morosos & iracundos, attenuari uires corporis, esu pisciũ gigni morbos innumeros, denicq; ad hoc ipsum esse inutile, cui iuuãdo adhibetur. Adhibetur em̃ ut animus expeditior sit et alacrior ad exercitamenta spiritualia. At ieiunium unica refectione magis aggrauat mentem, q̃ si tantundem duabus refectionibus sumeretur. Aduersus has propositiones aliæ sunt inueniendæ.

Propositio trifariam accipitur

Intentiõ, depulsio, ratio &c.

Ad partitionis inuentionem conducet & partiũ cognitio quas in genere suasorio, latu-
datorio, exhortatorio & cõsolatorio mõstrauimus. Cõducet & locorũ cognitio, de quib. mox dicemus, quemadmodũ & uocum prædicabiliũ & prædicamentorũ, quod per hęc sub

*Ad inuenien-
dam diuisionẽ
quæ conducã*

ſub oculos uenit quicquid ad cuiuſq; rei naturam & qualitatem attinet. Conducēt & circunſtātiæ rerū ac perſonarū, deniq; quicquid ad argumentationē utile eſt, idem aliqua ratione ad partitionem conducibile eſt. Cum primis aūt conducet multarū artiū peritia, Iuris, Philoſophiæ, ac Theologiæ. Veluti dicturus aduerſus uſuras ita partietur. Primo loco dicam quid ſit uſura: ſecundo, qui contractus ſapiant uſuram: tertio deplorabo inter Chriſtianos frequentem eſſe uſurā, quam ethnicorū quoq; leges prohibent: quarto, detegam fraudulentas negociationes, omnib. uſuris deteriores. Has propoſitiones facilius reperiet ac tractabit melius, qui Iuris utriuſq;, qui philoſophiæ ac theologiæ fuerit peritus. Nam Ariſtoteles quoq; ſcripſit, præter naturā eſſe, ut pecunia pariat pecuniā. Et ueterū leges certa moderatione probarūt uſuras, ultra uetuerūt. Iudæis permiſſum erat alienis ad uſurā dare mutuū, ſuis popularib. nequaq;. At Chriſtianæ leges in totū damnant uſuras. Ad hæc externis pariter ac ſacris legibus definitur, qui cōtractus ſint legitimi, qui nō. Illicitorū aūt cōtractuum cū uſuris cōparatio rectè fieri nō poteſt, ſine Iuris ac theologiæ cognitione. Similiter de matrimonio uerba facturus apud populum, ſi ita diuidat: Primo loco dicam, quibus modis matrimoniū legitimè contrahatur: ſecundo, in quibus caſib. non rite cōtractum dirimi oporteat, in quibus nō: tertio quas ob cauſas dirimi poſsit, etiā legitimè cōtractum: quarto, quibus rebus ſit opus, ut maritus cū uxore caſtè, tranquillè, ac iucunde poſsit ætatem agere: uix hæc diſſerere poterit abſq; diſciplinarū quas dixi, cognitione. Tantū fere de inueniendis propoſitionibus præcipi poteſt, cætera ſunt ingenij & excitationis. Illud ſuperioribus adijciendum, eſſe propoſitiones primarias & ſecūdarias, quarū altera principalis eſt, altera per fictionem aſſumitur, ac uelut præiudicij loco extra cauſam adiuuat alterā. Sic Cicero defendit Milonē, ut principalis propoſitio ſit: iure occidit, quia per inſidias adorientē interfecit. Subſidiaria ſit, etiāſi quocunq; modo occidiſſet peſtilentiſsimū ciuē, honorē merebatur uirtus nō pœnā. Huic propoſitioni quoniam nō erat tutū inniti, redītur ad alterā. Non occidit per inſidias, ſed inſidiantē. Nec tamē altera prorſus eſt otioſa. Iudex em̄ æquior ſit principali defenſioni, ſi uiderit illā quoq; poſſe aliqua ratione obtineri. Huius generis eſt, quū fictione per gradū aut plures gradus ad caput cauſæ peruenit̄, ut ſi eccleſiaſtes populū rebellionē aduerſus principē molientē hortet̄ ad obedientiā, ita proponat. Etſi princeps improbus atq; adeo ethnicus cōtigiſſet, tamē ſcriptura damnat rebellionē. Hic gradus eſt, nūc quū habeamus principē Chriſtianum, atq; etiā piū et clementē, cogitate ipſi q̄ indignū ſit Chriſtianis illi nō obedire. Cōtrà, aduerſus principes tyrannos ita poterit uti propoſitione: Si ethnici in ethnicos imperiū teneretis, dictat hoc naturæ lex, præcipiūt ethnicorū edicta, ut principes nō ad ſuā libidinē, ſed reipublicę cōmodum gerant imperiū, alioqui tyrannos fore nō principes, & tyrānicidæ gentium leges pollicētur præmiū. Nūc quū Chriſtiani imperetis Chriſtianis, quos cōmunis dominus, cōmunis religio, uobis pro ſeruis fecit conſeruos, communis hæreditas fratres reddidit, quanto magis oportet abeſſe ab omni ſpecie tyrannidis. Item contra filios inobediētes: Si uobis cōtigiſſent parētes idololatrę et impij: tamē offenderetis deū, niſi illis dicto eſſetis audiētes ob hoc ipſum quod genuerūt et educarūt, Nūc quāto magis obtēperandū eſt Chriſtianis, qui uos nō genuerūt tantū, uerū etiā ad pietatem inſtituerūt, ut merito bis genuiſſe uideri poſsint. Hic unicus tantū gradus eſt, potuerūt aūt eſſe plures, Vt ſi ueniat in cōſultationem, an Iulius pontifex debeat mouere bellū aduerſus Venetos, ob ditiūculas aliquot ab illis occupatas, hos gradus habere poterit diuiſio. Primū magnis autoribus nec leuibus argumētis docere poſſem, ſacerdotibus Chriſtianis nulla de cauſa fas eſſe bellū gerere, quorū profeſsio eſt debellare uitia, & armis ſpiritualibus pugnare cū aeris ſpiritibus. Sit hic primus gradus. Quem excipit ſecundus: ut demus eſſe fas arma mouere, non licet ob prophanas ditiones, quas nec habere conuenit uiris eccleſiaſtica dignitate prædītis, utpote ſublimiorē ſortītis prouinciam, nec eſt ex uſu Chriſtianæ religionis. Hunc excipit tertius: ut demus conuenire alijs ſacerdotibus, non conuenit pontifici Romano, qui quo uicinior eſt Chriſto cuius uices gerit, hoc oportet eſſe puriorē ab ijs rebus quas Chriſtus & contempſit & cōtemnendas docuit. Huic obſeruit quartus gradus. Vt alijs pontificibus cōueniat non cōuenit Iulio, iam ſeni ac morti uicino, natura clementi, & hactenus pacifico. Hinc ad quintū proſiliet, Verū hæc non urgeo in præſentia, demus cōuenire, nō decet ſummi ſacerdotis clementiā, cuius arma ſunt preces & lachrymæ, ob mun-

Propoſitiones primariæ & ſecundariæ

Propoſitiones per fictionem

Diuiſio per plures gradus

mundanam ditiunculam orbem Christianum tumultu,cæde,ac sanguine miscere. Poterat enim negocium non graue per arbitros transigi. Hinc transibit ad sextum gradum,ut liceat, ut deceat, minime tutum est: periculum enim est ne dum unam atque alteram ditiunculam armis uindicare conatur, non solum amittat eas quas tenet, uerumetiam uniuersam ecclesiam pernitioso schismate concutiat,ut uarius est euentus belli, & malum ex malo seritur. Charior autem esse debet summo pastori Ecclesiæ tranquillitas, quàm paucorum oppidulorum possessio. Septimus gradus erit: ut horum nihil sit, tamen haud æquum est, ob causas leuiculas in eam gentem concitare reges Christianos, quæ toties optime merita sit nõ solum de sede Romana, uerũetiam de tota republica Christiana, quę nisi sua uirtute Turcam propulsasset, ac nũc etiam arceret, fortasse nec Romam suam haberet pontifex. Ab his gradibus uenietur ad principalem propositionem. Hęc dicere poteram etiam si Iulius iustam haberet causam inuadẽdi Venetos. Nũc docebo negocium esse eius generis, ut Iulius magis debeat agere gratias Venetis pro instauratis, auctis & locupletatis oppidis, quæ negligentia pontificum perierant, quàm bello lacessere. Hæc autem propositio multas particulares in se complectitur, quemadmodum & singulæ superiores: Veluti, Venetos non ui, non armis occupasse aliena, sed in derelicta tanquam ua cua uenisse. Deinde quod occupatũ est, præscriptionis iure cessisse in alienũ dominium, Postremo tot seculorum silentium, nihil aliud esse quàm põtificum assensum, quum res nec ui, nec clàm gereretur: cum eo quod necessitatis etiã erat, Venetos ea loca in suam recipere ditionem, quod fines suos tueri non possent, si finitimos haberent derelictos, & à nullo gubernatos. Impudẽtiæ insignis uideri, magnis sumptibus alienis instaurata pro suis repetere, quæ quum frigerent pro suis non habuerant. Hoc exemplum tantum docendi causa propositum esse uelim, non ut de re sacerdotum pronuncíem. Posset enim similibus agi gradibus pro Iulio. Raro tamen incidit, ut in concione propositionibus, quæ ex singularibus personæ circunstantijs petuntur, sit locus, nisi forsitan in Diuorum encomijs, aut in exhortando populum, ut nouo præsuli, nouóue principi obediat. Sunt enim propositiones nudæ, quæ nullis circunstantijs inuolutæ sunt, ut si quis suadeat concordiam in genere, docens quantum bonorũ hinc nascatur reipublicæ, quantum malorum è discordia. Et sunt quæ ex certæ personæ circunstantijs sumuntur: ut si quis coniugium dissuadeat Socrati aut Platoni, non tantum quod philosophi sint, sed quod tales philosophi. Sunt mediæ, quæ nec plane simplices sunt, nec ex singularis personæ circunstantijs sumptæ, Quod genus sit, si quis dissuadeat, ne clerici se bellicis negocijs admisceant, aut ne sacerdotes inuoluantur matrimonijs. Primi generis exemplum erit, si quis dissuadeat omne bellum: secundi, si quis dissuadeat Iulio bellum in Venetos: tertij, si quis episcopis & sacerdotibus dissuadeat bellum. Primi generis & ultimi frequens usus incidet Ecclesiasticæ, ut dixi: secundi, per quàm rarus.

Propositiones simplices & inuolutæ

Id magis liquebit ex argumento, quod in scholis declamatorijs olim iactatum uidetur, Seneca confictum asseuerat, alijs dissentientibus. Antonius promittit uitam Ciceroni, si Philippicas quas in ipsum scripserat exureret. Prima & principalis propositio sumi potest à coniecturis, si dissuadens assumat, Antonium hoc callidè agere, ut totũ Ciceronem interimat, prius adempta nunquam intermoritura gloria, quam illæ orationes illi conciliaturæ sunt, si superstint. Hæc probabilis reddetur argumentis, quæ utriusq; personæ singulares circunstantiæ suggerent. An homo leuissimus, temulẽtus & natura crudelis hic seruabit fidem, qui nec Octauiæ, nec reipublicæ, nec ulli unquam hominum aut deorum fidem seruauit? & parcet hosti, quem sic odit, & à quo tam atrociter sit lacessitus, qui in innoxios ac socios tam fuit truculentus? Huic subseruiet altera: ut Antonius uelit ignoscere quod tamen uerisimile non est, nõ patietur Fuluia, in cuius ille potestate totus est. Tertia potest esse generalis: ut demus nihil esse periculi, tamen uitæ citius facienda iactura q̃ famæ perennis. Hæc enim uerior est hominis uita, per quam fit immortalis. Corporis enim uita perbreuis est, honesta fama cum ætate magis ac magis inclarescit. Excellentius enim nunc uiuit Demosthenes toto terrarum orbe celebris, quàm quum Athenis ageret, multis ignotus nationibus. Huic subseruient tres, quarũ duæ sumentur à propria personæ circunstãtia, tertia rei. A persona, prior sumetur hoc modo: Etsi alijs condonãdum sit, uitam fama potiorem ducere, Ciceroni non est integrum, qui tot uoluminibus egre-

Quæstio circũstantijs inuoluta

gijs eloquentiſſime docuit ac perſuaſit, corporis uitam non eſſe uitam, ſed curſum potius ad mortem, nominis immortalitatem eſſe ueram hominis uitam, qua ſibi ſuperſtes eſt etiam à rogo. Poſterior ita: ſi iuuenis eſſes, tamen iniqua foret permutatio, famæ iactura ſexaginta annorum uitam redimere. Nunc ſexaginta quatuor annos nato quantulum eſt hoc æui quod ſupereſſe poteſt: puta iam uitam tibi peractam, nec aliud ſupereſſe, quàm uitæ portionem, ut breuiſſimam ita miſerrimam. Tertia ſumetur à re, hoc pacto. Si conditionem offerret, ut alia ingenij tui monumenta aboleres, nequaquam eſſet admittenda. Nunc Philippicas iubet exuri, in quibus relucet omnibus numeris abſoluta eloquentia, & in quibus teipſum longo uiciſti interuallo, quum in alijs ceteros omnes ſuperaris. His adiungetur alia generalis. Durum eſt debere uitam cui nolis. Teſtantur hoc quũ alij complures, tum Scipio, Petreius & Cato Vticenſis, qui leuius duxerunt ſibi mortem conſciſcere, quàm Iulio Cæſari debere uitam. Huic ſubſeruiet alia à proprijs utriuſq; perſonæ circumſtantijs ſumpta. An Cicero uir optimus, qui ſemper odit tyrannos, uitam debere poterit Antonio crudeliſſimo & omnium hominum teterrimo, huic poterit ſupplex agere gratias, ac ſeruatorem appellare: poterit ſceleratiſſimo latroni ac publicę libertatis oppreſſori ſuã incolumitatem acceptam ferre? qui inter pocula exprobret quod dediſſe uideri uult quia per ſcelus non eripuit, qui leuiſſima cauſa prouocatus, quod dedit, eripiat. At quanto honeſtior erat perſona Iulius Cæſar, cui Cato ſalutem ſuã debere noluit. His gradibus conſtitutis redibitur ad propoſitionem omnium firmiſſimam, Antonium non hoc agere, ut Ciceronem ſeruet, ſed ut totum perimat crudelius, quàm ſi ferro trucidaret.

Vtor prophanis exemplis, ut hinc Eccleſiaſtes æmuletur ſua, Quale ſit, ſi exhortans ad innocentiam ſumat has propoſitiones, quarum prima ſit generalis ac ſimplex. Si nullum præmium eſſet uirtutis, nulla pœna ſcelerum, tamẽ adeo uirtus eſt ſecundum hominis naturam, uitium contra naturam, ut illa eſſet amplectenda, hoc fugiendum, non ob aliud, niſi quod homines ſumus. Rurſus alia generalis huic ſimilis. Tanta eſt pulchritudo uirtutis, tanta turpido uitiorum, ut illa uel propter ſe ſit expetenda, hæc propter ſe deteſtanda. Virtus enim abunde magnum ſui prẽmium eſt. Nullus enim ſuſtineret habere figuram ſuis aut urſi, etiamſi nihil inde caperet incommodi. Nec aliã ob cauſam niſi quod homo eſt. Quanto autem abſurdius eſt, animum humanum habere, formã bruti animantis? Tertia ſumetur hoc pacto, non ſine circunſtantia. Chriſtianus aliquid habet ſupra hominem, cognatus angelis. Quo deteſtabilius eſt, hunc habere mentem diaboli figura deformem. Quarta ſic: ſi nulla eſſet gehenna, ſi nullæ leges minantes ſupplicium, ſi cõmiſſa fallerent & hominum oculos & deũ: addo, ſi nulla eſſet poſt hanc uita: tamen tanta eſt interim tranquillitas mentis ſibi nullius mali conſciæ, tantus cruciatus & carnificina conta minatæ conſcientiæ, ut felices futuri ſint qui uiuunt innocenter, miſeri qui ſceleratè. Poſtrema erit: nunc eiuſmodi præmia manent pios, ea ſupplicia impios, ut ſi piè uiuẽtibus, in hoc ſeculo nihil propoſitum eſſet, præter graues ac perpetuos cruciatus, impiè uiuentibus omnia iucunda ac proſpera, tamen ingẽs lucrum eſſet amplecti pietatẽ, ingens damnum ſequi uitia. Quid igitur nobis faciendum eſt, qui certiſſimo autore Chriſto perſuaſum habemus, piè uiuentibus & in hac uita parata eſſe quæ in cor hominis non aſcenderunt, hoc eſt quæ ſuperant omnem humanum intellectum, & poſt hanc uitam, beatiſſimam illam cum Chriſto & omnib. ſanctis immortalitatem. Scio de propoſitionibus alia multa tradi à rhetoribus arguta, nec iniucunda cognitu, uerum hic Eccleſiaſten inſtituimus, non patronum cauſarum, aut ſophiſtam, aut declamatorem. Repertis igitur propoſitionibus, ſupereſt argumentatio ſiue probationes, Græci πίστεις appellant, quod rei dubiæ faciant fidem. De quibus illud in genere præfandum eſt, quod indicat Ariſtoteles, treis eſſe res, quæ dicenti fidem conciliant, φρονησιν, ἀρετὴν, καὶ εὔνοιαν, id eſt, prudentiam, uirtutem, & beneuolentiam. Quarum prima niſi adſit, fieri poteſt ut qui dicit, per ignorantiam praua ſuadeat pro rectis. Dein non ſatis eſt perſpectũ habere quid expediat, niſi ſit uir bonus, qui ſciens nolit fallere auditorem. Iam ut adſit rectum iudiciũ, ut adſit probitas, niſi adſit beneuolentia, fiet ut aliquis quo noceat, ſciens ac prudens ſuadeat perniciоſa. Diabolus quum perſuaderet eſum pomi uetiti, nõ ignorabat quid eſſet optimum, ſed illæ duæ res aberant, uirtus ac beneuolentia. Poteſt autẽ incidere ut uir bonus ſciens, pro utilibus nocitura ſuadeat, puta hoſti patriæ, aut tyranno rempub. opprimenti. Verũ hoc

Probationum loci

nihil

nihil ad Ecclesiasten, quem oportet ea uirtute præditum esse, ut & amicis & inimicis be/ ne uelit. Illud igitur studio erit concionatori, primum ne quid horum absit: dein ut popu/ lus intelligat ipsum ea sapientia eruditum, ut nō fallatur iudicio: præterea meliorem esse uirum, quàm ut quenquā sciēs uelit fallere: postremò, tantæ charitatis, ut inimicis quoq; cupiat prodesse. Tantum præfatus redeo ad probationes à rhetoribus traditas. Ha/ rum duplex est officium, confirmare nostra, & refellere contraria. Constat summa diui/ sione probationes distribui in ἀτέχνους, quas inartificiales posses dicere: & ἐντέχνους, id est, artificiales. ἄτεχνοι

Prioris generis sunt, præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iusiurandum, te/ stimonia. Præiudicia sunt, ab aliis iudicibus in simili causa, aut in pari, aut in eadem pro/ nunciata, quibus continentur & consulta senatus, & principum decreta. Rumores sunt, quasi publica populi consentientis testimonia. Tormenta sunt, quibus corporis crucia/ tu extorquetur ueri confessio. Tabulæ quasi scripta sunt testimonia, quæ syngraphis, chi rographis & codicillis continentur. Iusiurandum accedit ad naturam tormentorū, quod ut hæc dolore cogunt, ita illud metu. Olim enim iureiurando solet addi execratio, Me meo sc̄q; omnes deuoueo, si quid sciens fefellero, Et hodie quū additur, Sic me iuuet deus: tacitam habet execrationem, quasi dicas, Ne iuuet me deus, si peierauero. Testimoniis subiiciuntur oracula, quæ sunt diuina testimonia. Hæc licet ab arte semota sint, tamen ar/ te confirmantur aut refelluntur aut eleuantur. Verum hæ rationes sic à nobis tractandæ sunt, ut aliquam utilitatem afferant Ecclesiastæ.

Præiudicia confirmantur autoritate eorū à quibus profecta sunt. Refelluntur eorum manifesta culpa, aut corruptela iudicij, aut dissimilitudine causæ. Exempli causa, quod Moses censuit falsum testem capite plectēdum, præiudicium est, qua pœna dignus sit iu/ dex, qui corrupte pronunciauit. Item quod censuit mulierem adulterā lapidibus obruen dam, de uiro nihil tale statuerit, præiudicium est in diuortio nō esse par ius uxori ac uiro. Hic quoniam contra personam dicere phas non est, aliquid inueniendum est, quod per/ suadeat, diuersam esse causæ conditionem: uel quia Mosi lex quædam permisit duritię ui rorum, quæ lex noua non concedit, uel quia diuersa est temporum cōditio. At si quid sta tuatur legibus ethnicorū, non protinus ualere debet apud Christianos. Item si quid prin cipum legibus decretum est, quod pugnet cum Iure pontificio, aut diuino, par est Cæsa/ rum leges cedere. Sunt porrò quarundam ciuitatum scita quædā & consuetudines, quæ iure possunt reprehendi. Nec enim ideo nō est usura aut simonia detestabilis, quod utra/ que apud multos abijt in consuetudinem, nec punitur legibus. *Præiudicia*

Ita rumores quasi quædam præiudicia sunt multitudinis. Qui si pro nobis faciunt, di/ cemus famam uix unquā temere nasci, aut si quo casu falsa nata sit protinus euanescere. Et uocem populi, uocem esse dei. Ideoq; Paulus non uult ad episcopi munus recipi quen quam nisi honesta fama commendatum, non tantum à Christianis, uerum etiam ab Eth/ nicis. Simili prudentia non admittebāt in numerum clericorum, qui fama sinistra graua/ rentur. Cæsar etiam cum uxore fecit diuortium, non ob crimen, sed quòd adulterij suspi/ cione esset aspersa. Si rumores contra nos faciant, dicemus, minimè tutum esse credere famæ populari, quæ ut nonnunquam uera dispergat, sæpe tamen mentitur. Ea primū ex loquutulei cuiusquam aut inimici fabula nascitur, incrementum addit uulgi credulitas. Hoc modo constat c̄p plurimos innocentissimos fuisse oppressos. Proinde nō statim pro rectis amplectenda, quæ populi sermonibus feruntur. Semper optima paucis placuerūt, Exempla passim obuia sunt. Quæ res tot milia martyrum ad mortē adegit, nisi rumores populi? Imò quid Christum egit in crucem, nisi populi rumor, qui primum à paucis Pha risæis ortus est? Et à seculo Hieronymi usq; ad hæc tempora pessimè audiunt monachi, quum pium sit illorum institutum, si quod profitentur, seruēt. Contrà, uitam aulicorum uulgus miratur, quum nihil sit miserius. Vix ullum egregium uirum reperias, cuius meri tis popularis fama responderit. Sub rumorum nomine comprehendūtur prouerbia, sen/ tentiæq; uulgo iactatæ: de quibus suo dicetur loco. Tormenta quid ad Ecclesiasten perti neant non uideo, nisi forte tractet dæmonum cōfessionem, qui inuiti uerum cōfessi sunt: aut tormenta conscientiæ, quæ si non uoce, uultu tamen & habitu corporis extorquent animi secreta: iuxta illud, Conscientia mille testes. Incidit fortassis locus dicēdi aduersus tormenta, quod quidam prætores nimium parati sunt ad quęstiones, quemadmodum in *Rumores* *Tormenta*

actis Lysias tribunus, quoniam ob tumultum populi non quibat certum cognoscere, Hebraici sermonis ignarus, centurioni mandauit, ut cruciatu uerũ extorqueret. Atqui oportuit prius cum ipso priuatim agere quid esset rei, quod sic in illum furerent Iudæi. Et nostris temporibus frequenter emergunt exempla, tum eorum, qui impatientia dolorũ falsa confessi sunt, & perierunt innocentes: tum eorum qui uel naturæ duritia, uel assuetudine cruciatuum uera pernegarunt, & uixerunt nocentes, delatis & extinctis innocẽtibus. Tormenti autem genus est carcer, in quem apud quasdam nationes, ob quamuis leuem delationem aut suspicionem detruduntur homines, atq; ibi uel pudore prætorum uel negligentia uel ob quæstum aliquorum computrescunt: Hac ratione maxime peccatur in bellis, aut in latrocinijs quæ se belli nomine uenditant. Capiuntur quicunq; habent aliquid, nec dimittuntur nisi magno se redimant. Atq; hæc uocantur pacta militaria.

Tabulæ Minus etiam ad concionatorem pertinent, quæ de tabulis præcipiunt, nisi huc detorqueamus, certissimis tabulis nos obligatos ad præstandum ea quæ deo, quæ proximo debemus. Aduersus tabulas hominis manu cõscriptas uaria est tergiuersatio, aduersus eas quas natura & spiritus sanctus scripsit in cordibus nostris, nulla est tergiuersatio.

Iusiurandum De iureiurando sæpe dicendũ est Ecclesiastæ, licet secus q̃ dicũt patroni, Veluti quoties detestabitur temerarium iusiurandum, aut periurium, aut quum exaggerandi gratia dicet omne crimen cum periurio coniunctum esse. Omnes enim in baptismo abiuramus Satanam cum omnibus pompis & uoluntatibus ipsius. Iurat princeps populo, populus uicissim principi. Vterq; periurium committit, nisi præstet ea quæ iurauit. Sic & omnis iudex corrupte iudicans periurus est: & quũ ita præfatur, Nos in cathedra iustitiæ sedentes, & solum deum præ oculis habentes, periurium pronunciat si præter æquum pronunciat. Eadem est ratio soluẽtium uota. Postremo decebat eam esse Christianorum synceritatem, ut sermo simplex debeat esse pro iureiurando.

Testimonia De testimonijs iam ex parte dixi. Aduersus testimonia autorum quorundam tergiuersari licet, uelut aduersus placita philosophorum quantumuis grauium, aduersus doctores Ecclesiæ probatos, cum præfatione tamen honoris & reuerentiæ. Aduersus oracula scripturæ canonicæ nulla est tergiuersatio. De germano tamen sensu potest esse dissensio. Nam hæretici sua dogmata confirmant testimonijs scripturæ canonicæ, sed perperam intellectis, Nec uerẽtur quibusdam libris autoritatem adimere. Aduersus responsa angelorum, aut animarũ aut dæmonum, quæ canonicis literis prodita non sunt, fas est excipere. Interdum ista cõfinguntur aut simulãtur, interdũ secus narrãtur q̃ gesta sunt, interdũ impostores spiritus se trãsfigurãt in angelos lucis, ut credulos ac simplices alliciant in errorem. Potest tamen horũ omnium rectus usus incidere, ueluti si quis Athanasium, Hieronymum, Chrysostomũ defendat aduersus hominum calumnias. Sunt enim & hisce temporibus qui Chrysostomi autoritatẽ conẽtur eleuare, quod delatus sit de stupro, quod dictus sit fauisse Origenistis, quod duris & improbis fuerit moribus, quod illi male cõuenerit cũ Theodosio religioso principe, quod à Theophilo uiro docto, ac Epiphanio sancto sit depulsus àmunere suo, quod Cæsaris iussu in durum ac longinquum exilium deportatus. Aduersus delationem excipi potest, quod hi rumores ab inimicis studio sint sparsi, quũ nihil horum de eo probari quiuerit. Hic locum habet quicquid contra rumores aut contra testes adferunt rhetores. Aduersus præiudicium Cæsaris adferri potest, quod licet ipse sit habitus orthodoxus, tamen uxorem habuit nomine Eudoxam, re cacodoxam, uidelicet Arianã: item quod aula Cæsaris Arianis proceribus fuerit differta: quorũ improbis instigationibus magis indulsit Theodosius, q̃ suo ductus est iudicio. Aduersus Theophili præiudicium opponi potest, quod ut fuit uir eruditus, ita insyncerus, ambitiosus, amans pecuniarũ. Præterea, quod non egerit aduersus Chrysostomum legitimis rationibus, ut oportuit Episcopum cum Episcopo agere, sed fraude & uiolentia. Epiphanij iudicium sic potest eleuari, ut dicatur fuisse uir indoctus & simplex, nimirum per omnem uitam in solitudine uersatus, cuius opinione & bonitate Theophilus abusus sit ad tegendã astutiam suam. Postremo si nunc sanctus habetur, non protinus rectum est quicquid sancti gesserunt in uita. Nam ut nihil aliud, falluntur etiam boni. Porrò quòd Hieronymus Epiphanium appellat sanctum, non est sanctimoniæ titulus, sed professionis, quemadmodum hodie Romanum pontificẽ appellamus sanctissimum. Postremo hæc omnia præiudicia sustulit omnium

Episcoporum

Epiſcoporum iudicium, qui non paſſi ſunt Chryſoſtomi nomen è catalogo eradi, & delatorum rumores abunde refellit totius orbis teſtimonium. Item hodie ſunt quidam iniquiores Hieronymo, quod rumore ab inimicis ſparſo grauatus, ipſum teneri amore Paulæ, compulſus ſit ſeruum cubiculariũ ad quæſtiones tradere: præterea quod ſenſerit cum Origeniſtis: cuius rei ut orbi facerent fidem ſparſa eſt epiſtola, ſub Hieronymi titulo conficta, qua deplorat ſe aliquando cum Origene ſenſiſſe, Rurſus quod contra iuſiurandum legeret Ciceronem & Poetas. Denicq; quod eſſet monachus. Videmus quoſdam & hodie parum æquos eſſe Hieronymo, qui contemnunt eum cum ſuo monachiſmo. Sic & Athanaſio multa horrenda crimina ſunt obiecta per Arianos, etiam libris illius corruptis. Et quoniam Arianorum hæreſis tentat rurſus attollere caput, incidere poteſt, ut Athanaſius quoq; ſit aduerſus iſtorum calumnias defendendus. Origenis quidam uix nomen ferunt, quum Athanaſius, uir & doctrina & pietate tantus, honorificis uerbis illum excuſet, ingenuè confitens illum omnium Græcorum ingenia ad diuinarum ſcripturarum ſtudium excitaſſe. Errores autem qui reperiuntur in monumentis illius, quidã hoc colore excuſant, ut dicant ab impijs admixta: alij ſic, ut dicãt illum pleraq; tantum in hoc proponere, ut lectori præbeat diſpiciendi materiam. Porrò quod obijcitur, non eſſe fas de fidei dogmatibus dubitare, ſic excuſant. Temporibus illis, quibus nondum expreſſe ſuam ſententiam oſtenderat eccleſia, licuiſſe de multis ambigere, de quibus poſtea non licuit. Sed uereor ne de his plus ſatis dixiſſe uidear. Itaque reliqua quæ uidentur alieniora ab hoc inſtituto celeriore pede percurremus.

His quæ dicta ſunt proxima ſunt inartificialia, quæ rhetores σημεῖα, id eſt, ſigna uocãt, quod & hæc fere non adhibentur ex ingenio dicentis, ſed aliunde ſubminiſtrantur, ut uestis aſperſa cruore prodit homicidam. Proprie uero ſigna ſunt, quę ex ipſa re de qua quæritur nata, ueniunt ſub hominum ſenſus: ut minæ, quæ ſunt temporis præteriti, ut clamor exauditus è loco, quod eſt tẽporis præſentis, & expalluiſſe eum, qui de cæde rogabatur, quod eſt temporis conſequentis, aut cruorem exiliſſe à corpore recens occiſi, accedente eo qui dicitur perpetraſſe cædem. Qui ſignorum appellationem uolunt patere latius, ijs ſignum eſt, Atalantam non fuiſſe uirginem, quod cum iuuenibus per nemora uagaretur: & parum uirum eſſe qui cultior eſt, aut mollius incedit, quod hæc animi corrupti ſint indicia. Rurſus ſigna quædam neceſſaria ſunt, quæ rhetores τεκμήρια uocãt, ut uiuere eum qui ſpirat: quædam non neceſſaria, quæ Græci uocant εἰκότα, id eſt, probabilia, ut cruor in ueſte, qui potuit è narib. profluxiſſe, aut ex mactata pecude, alióue caſu. Hinc aliquis erit uſus Eccleſiaſtæ, ſi contra temeritatem iudicandi dicẽdum erit. Nam uulgus è ſignis non neceſſarijs iudicat. Si quem uiderint non ieiunantem aut ueſcẽtem carnibus diebus, quibus interdictum eſt, ilicò pronunciant hæreticũ. Atqui fieri poteſt, ut quis bona conſcientia ueſcatur, & hæretici ſint, qui ieiunant & abſtinent etiam à piſcium eſu. Quales erãt Manichæi, & Anthropomorphitæ, & in hunc uſq; diem Iudæi. Qui plumam geſtat in galero, aut aulico more cultus eſt, eum pronunciant arrogantem, & ſuperbum, quum ſæpenumero ſub uili tritoq; palliolo lateat animus Thraſonicus. Contrà ſi quem ſimplicius uiliusq; cultum conſpexerint, aut leguminibus ueſcentem, hypocritam uocant. Atqui hęc poſſunt eſſe religionis, non ſimulationis. Ex huiuſmodi itaq; ſignis quoniam ambigua ſunt, nemo debet iudicari, niſi certioribus ſignis aut argumentis confirmentur. Vt ſi qui cultu inſigniter uili utitur, prolixè orat, frequenter ieiunat, & tamen obtrectat innocentibus, pronus eſt ad uindictam, inexorabilis ad ignoſcendum, attentus ad rem, certò colligitur eum eſſe hypocritam. Quidam natura ſunt auſteriores, nec ideo tamen ſuperbi. Alij natura blandiores, nec ideo ſtatim adulatores. Hic eſt in cæremonijs negligẽtior, ille ſuperſtitioſior, nihil tamen prohibet utrunq; eſſe bonum uirum. At malitioſa obtrectatio, turpiloquium, uindictæ cupiditas, neceſſaria ſigna ſunt corruptæ mentis. Quod ſi iudex Ethnicus ex ambiguis ſignis non audet pronunciare in reum, multo minus decet nos pronunciare de proximo, quibus in totum interdictum eſt de quoquam iudicare. Tantum de ſignis.

ἄτεχνα ſcũdi generis

Priuſquam autem ad argumenta ueniamus, illud præfandum eſt, quaſdam eſſe propoſitiones adeò confeſſas ut nulla egeant probatione, præſertim apud Chriſtianos, quod genus eſt, deum ſuper omnia diligẽdum & colendum eſſe. Nam qui dubitat, an ſit deus, & an ſit ſummè bonus Ethnicus eſt, non Chriſtianus. Et hunc

Propoſitiones per ſe notæ

mundum à deo factum per se notum est Christianis, & tamen huiusmodi propositiones interdum probandæ sunt, si docendi aut redarguendi sint Ethnici. Etiam illa quæ sensibus exposita sunt, Academici uocant in dubium, sed nemo dubitat an quinque sint plura tribus, & an senarius contineat quaternarium cum eius dimidio. Rursus quædam in genere proposita, quæstionem non habent, ad speciem arctata habent. Vt, nemo dubitat an uirtus sit expetenda, sed an uirginitas sit uirtus fortassis dubitarit aliquis. Et nemo negat honestum esse coniugium, sed an sacerdotibus sit honestum, ambigi potest. Ieiunium esse rem laudatam à pijs, negari non potest: sed an hoc ieiunij genus, quo discruciantur corpora minusq; salubria redduntur, sit laudandum, in dubium uocari potest. Hæc ideo uisum est admonere, quod animaduerterim quosdam in confessis probandis multam operam sumere, quum frigeant in his quæ controuersiæ sunt propria. Veluti quum multis argumentis docent notorios hæreticos non esse audiendos, sed puniendos. Verum illud probandum erat, qui talia aut talia docent, esse notorios hæreticos. Item quum uerbosius disputant, in controuersis scripturam oportere iudicem esse ac litem dirimere. Sed illud erat caput, docere quid de præsenti quæstione scriptura pronunciarit. Sæpe tamen quæ probatione non egent, egent exaggeratione. Verbi causa, Nemo nescit ebrietatem esse uitiũ, at quibusdam incognitum est, quàm deforme sit uitium, quantumq; malorum agmen secum ducat. Illud etiam in uniuersum præcipi potest, nihil per se probari, sed aliunde accersendum quo probetur quod eget confirmatione. E diuerso nihil refutari simplici negatione. Et tamen audiuimus quosdam apud populum ita loquentes. Quidam negant confessionem, & satisfactionem esse partem sacramenti pœnitentiæ, nec esse necessariam ad remissionem peccatorum. Id si uerum esset, nostrum sacramentum confessionis nihil esset. Atqui hoc ipsum erat, quod proponunt aduersarij. Similiter, Quidam aiunt non esse necesse confiteri sacerdoti, satis esse confiteri deo. Hoc falsum est. Atqui negare, non est refellere, opus erat argumentis. Non me clam est assequutionem interdum habere uim argumenti, sed si sola non sit.

Sublatio Argumentationis initium

Sic nonnihil est momenti in ea quam quidam sublationem uocant tum in confirmando, tum in refutando. Ea uelut exordium est probationis, excitans auditorem ad auscultandum. Sit hæc propositio. Nullam ætatem quamuis teneram esse indocilem ad uirtutem. Subijcitur sublatio. Euidens argumentum in promptu est. Deinde argumentũ, quia nulla non docilis est ad uitia. Mox confirmatio. Facilius discimus ea quæ secundum naturam sunt, quàm quæ contra naturam. Virtus autem secundum naturam est, uitiũ contra naturam. Item si hæc propositio sit refellenda, stuprum simplex non esse crimen letale. Sublatio: Ethnicorum ista uox est non Christianorum. Argumentum, quum B. Paulus omni tuba clarius nobis resonet: Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Christi & dei.

Argumentorum inuentio

Cæterum ad probationem inuentionum haud parum cõducet & natiua uis ingenij. Alius enim alio facilius uidet, quid ex quo consequatur, & quid cui repugnet. Omnis autem confirmatio constat aut ex consequentibus, aut ex repugnantibus. Quædam aũt necessario consequuntur, ut coĩsse cũ uiro quæ peperit, aut morituram cui cor sit uulneratum. Quædam probabiliter: ut esse impudicam, quæ iuuenum conuiuijs delectatur. Eadem de repugnantibus differentia est. Necessariò repugnãt, spirare & mortuũ esse: Probabiliter, odisse filium quæ mater est. Interdum ex ijs quæ concessit aduersarius conuincitur, si doceamus inde consequi palàm absurda, aut ea repugnare manifestæ & omnibus cõfessæ ueritati. Quemadmodum Ctesippus apud Platonẽ cum Euthydemo disputans, ex ijs quæ ille concesserat, colligit, ipsius patrem esse canem, & eundem canẽ esse patrem omnium etiã gobionum echinorum & porcellorum, hosq; esse fratres omnium. Facultas ratiocinandi fuit ante proditam artem dialecticam. Est enim de numero animaduersorum, quemadmodum omnes disciplinæ mathematicæ, non ex eorum ordine quæ hominum arbitrio sunt instituta, ut Leges & loquendi ratio. Non parum tamen cõducet in

Dialecticæ utilitas

Dialecticis à puero fuisse institutum, tantum ne quis ibi tanquam ad scopulos Sireneos, ut inquit ille, consenescat, & ut Augustinus admonet absit libido rixandi. Cui uicio prior est quam hodie uocant sophisticam, qua statim rudis ætas apud quosdam inficitur. Ea magis docet nunquam silere, quàm disserere. Conducunt omnes libri, quos Aristote-

les

les scripsit de logicis, de quinque uocibus prædicabilibus, qui liber Porphyrij quidem est sed ex Aristotele decerptus, de decem prædicamentis, de enunciatione, de analyticis priores ac posteriores, de Elenchis, qui tamen omnes ad iudicandum aut in scholis disputandum appositiores sunt, quàm ad concionandum, quò magis conducent quæ de topicis scripsit & rhetoricis. Exercitatio differẽdi in utramq; partem, quæ Carneadi placuit, aut tractandi infames materias, quas Græci uocant ἀδόξους, quemadmodum Glauco Platonicus uituperat iusticiam, & nostra memoria quidam laudauit ingratitudinem, alius ebrietatem, nescio an expediat futuro Ecclesiastæ. Ad hanc facultatem quoniam instructi sunt, qui nimium operæ posuerunt in dialectica, aut quę huic cognata est, rhetorica, Plato non uult eos qui gubernandæ reipub. destinati sunt has disciplinas attingere ante annum trigesimum. Causam adfert, ne nullas solidas habeant de honesto & honesto opiniones, assueti quiduis probare & improbare. Oportet autẽ ciuitatis gubernatorem de expetendis & fugiendis habere persuasionem adamãtinam, firmamq; apud multitudinem: Sed multo magis Ecclesiasten, qui uerus est Demagogus. Quomodo aũt confirmabit alios qui uacillat ipse, aut quis credet suadẽti honesta, qui sciat illum pari facultate posse dissuadere quod suadet? Officiunt autem iudicio, qui dialecticam superuacaneis difficultatibus reddidere spinosam & inuolutam, perinde quasi ea ars nõ sit reperta ad recte iudicandum de ueris & falsis, sed ad ostentationem ingenij. In his tricis immodice exercitatis ferè usu uenit quod solet ijs, qui sub tecto profitentur artẽ dimicandi gladijs: Res autem agitur certis legibus, ad solam ostentationem. Tãtaq; est artis fiducia, ut sagittã arcu in se missam, gladio dissecet, si modo steterit qui missurus est, quo iubetur loco, nec nisi iussus mittat. Verum aiunt hoc hominum genere nihil ineptius ad seriam pugnam, uelut in bello. Quin frequẽter accidit ipsis in diatribus suis, ut quoties ira excusserit legum obseruationem fiat cruentum spectaculum. Ita qui in scholis per omnẽ uitam exercitati sunt argutationibus, secundum placita Thomæ, aut Scoti, secundum uiam nominalium aut realium, si quando uocantur ad seria suadendum populo, aut ad seriam pugnam aduersus Iudæos uel hæreticos, tyrones hic esse dicas qui illic erant inuicti duces. Sobrium dialectices studium, adiuuat naturæ uim, immodicum officit. Vt sunt machinæ quædam tantæ subtilitatis ac difficultatis, ut plus negocij sit in apparanda machina, q̃ in re conficienda, etiã si nulla adhibeatur machina. Veluti quũ ratiocinatio cõficitur ex mixtis, citius explicari quæstio poterit, q̃ deprehendatur ex mixtis argumentatio. Atqui ut machina, sic ars adhibetur, ut per eã citius atq; cõmodius expediatur quod uenit in quæstionem. Argumẽta igitur ut dictũ est partim ingenio reperiũtur, partim ex arte petuntur. Citius aũt ac facilius inuenias, si ex præceptis loca noris unde argumẽta petẽda sint. Omnis autem probatio sumitur ex circunstantijs. Quarum hæc est summa diuisio, quasdam à persona peti, quasdam à causa siue re ipsa. Si quis adhortans ad obedientiã dicat: Fœminas quoniam natura magis sunt obnoxiæ affectibus, minusq; ualent iudicio & ratione, periculose suo permitti arbitrio, sed uirorũ ductu gubernari oportere: Similiter adolescentes quoniam ob rerum imperitiam nondum ex sese sapiunt, & ob ætatis mollitiem ad uitia proniores sunt, seniorũ iussis obedire oportere: Hic à personis sumitur probatio, fœminæ & uiri, adolescẽtis & senis. Rursus, si quis dicat ad pudicitiæ custodiam necessariam esse sobrietatem, & honestas occupationes, eo quod luxus naturæ stimulos acuat, uelut oleũ additum camino, & uinolentia pudorẽ excutiat, præcipuum castitatis custodem, & ociũ lubricis cogitationibus uelut fenestrã aperiat: hic argumẽtatur ab ipsa re, luxu temulentia & otio. Profuerit igitur quid cuiq; personæ propriũ sit, & quid quæq; res efficiat, in primis habere cognitũ. Ad utrunq; conducet Comicorũ et Historicorũ lectio, Philosophiæ cognitio, & rerũ plurimarum experientia. Et hi loci uocantur à rhetoribus, nec prorsus diuersi ab ijs quos tradidit Aristoteles, nec prorsus ijdem: quædã enim conueniunt, quædam in illos recidunt, quædam diuersa sunt. Tradendi ratio diuersa est, q̃ rhetores patronum instruant, Philosophus in genere iudiciũ adiuuat. Quæ personis accidunt hæc ferè sunt, genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio siue disciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, studia, affectatio, antedicta & facta, cõmotio, consilium, nomen. Genus admonet ut consideremus quibus quis maioribus sit prognatus: Decet enim & ferè fit, ut filij maiorum suorum similes sint, quod hinc interdum ad ho-

Dialectica inutilis

Argumenta unde petenda

Circunstãtiæ personæ, rei

Genus

Natio neste turpitérue uiuendum cauſæ proficiſcantur. Natio admonet, quod ſit cuiq; gẽti pẽculiare ingenium aut mores proprij, Nec enim eadẽ eſt natura, Græci & Scythæ, Romani & Germani, Galli & Angli. Itidem ſuæ cuiq; ciuitati leges ſunt, conſuetudines, ingenium ac mores: Plurimum enim intereſt inter Sybaritam & Maſſilienſem, Athenienſem & Thebanum. Sexus differentia nulli incognita eſt. Et alijs annis alia conueniunt. Magis autem refert, à quibus & quibus rationibus inſtituãtur homines, quàm à quibus progenerentur. Habitus corporis complectitur ſpeciem, aut deformitatem, robur aut imbecillitatem. In formoſo credibilius eſt adulterij crimen quàm in deformi, & in robuſto credibilius eſt uiolentum facinus quàm in imbecilli. Fortuna pertinet ad opes, propinquos, amicos, clientelas, dignitatem, honores, & his contraria. Conditio multa complectitur, clarus ſit an obſcurus, magiſtratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrinus, liber an ſeruus, maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus, digamus an monogamus. Animi natura multiplicem in hominibus habet uarietatem: Alij timidi, alij fortes, alij lenes, alij uehementes, caſti, libidinoſi, glorioſi, modeſti & cætera. Studia: Nam alij ſunt mores ruſtici quàm forenſis, negociatoris quàm militis, nautæ quàm medici. His addunt affectationem: refert enim qualis quiſq; uideri uelit, ſiue ſit, ſiue non ſit: ut locuples an diſertus, iuſtus an potens, pius an aulicus, feſtiuus an grauis, popularis an principum fautor. In perſona ſpectantur & antedicta & antefacta. Nam ex præteritis æſtimari ſolent præſentia, atque etiam futura. Commotio hoc differt ab animi natura, quod hæc perpetua eſt, illa temporaria, ut ira ſit commotio, iracundia natura animi. Et timor ſit commotio, timiditas ſit natura. Ebrietas ſit commotio, ebrioſitas ſiue uinolentia ſit natura, hoc eſt animi habitus. His addunt nomen perſonæ, unde tamen raro ducitur argumentum apud Iudices, niſi ex cauſa ſit datum. Ariſtides dictus eſt iuſtus. Alexander mammea, quod nimium obſequundaret matri: aut niſi nomen occaſionem dediſſe uideatur aggrediendi facinoris, ueluti quod ex libris Sibyllinis aruſpices reſpondiſſent, tribus Cornelijs dari dominatum. Hac fiducia Lentulus poſt Syllam & Cinnam auſus eſt affectare tyrannidem, quod crederet ſe tertium eſſe Cornelium, quod ipſe quoq; Cornelius eſſet quemadmodum & illi. Fabius putat ex nomine ſumi materiam iocorum, potius quàm argumenta, quemadmodum Cicero multa iocatur in Verris nomen, quod homo furax omnia conuerreret. Sic iocatur in teſtem Phormionem, & Plinius maior in hiſtoricum quendam, qui bibaculus dicebatur, & erat inquit. Nunc ſi uidetur per ſingula recurrentes tentemus oſtendere, quomodo poſſint hæc Eccleſiaſtæ conducere. Nam exempla quæ ab alijs proferuntur, propria ſunt iudicijs forenſibus, quæ nihil ad Eccleſiaſten faciunt, niſi nobis permittimus quod ſibi permittit diuus Hieronymus in hæreticum deploratum, qui ex Vigilantio facit Dormitantium, & patriam uocat in crimen, & quod uicinus eſſet Hiberis, ideo illum ſcribere hiberas nænias. Quin & Auguſtinus putat Manichęum ita rectè dictum, quod inſana effunderet dogmata.

Antedicta & facta

Commotio

Nomen

Genus ſine controuerſia ualet in genere demõſtratiuo, ſuaſorio, exhortatorio & conſolatorio. Eadem enim laudamus in genere demonſtratiuo, quæ ſuademus in deliberatiuo, & ad eadem exhortamur. Turpe eſt à progenitorum laudatis moribus degenerare, pulchrum eos gloria ſuperaſſe. Hic ſi recipimus anagogen, quicunque per fidem & lauacrum regenerationis Chriſto inſiti ſunt, filij dei ſunt. Quo turpius eſt in horum uita conſpici facta Satanæ. Et dominus Iudæos hinc criminatur, negans eſſe filios Abrahæ, cuius fidem nollent imitari: ſed filios eſſe diaboli, quem factis exprimerent, necem molientes innocenti. Ille enim primus omnium fuit homicida, & huius inſtinctu Cain occidit Abelem fratrem ſuum. Poterit igitur ſic exhortari, Si qui iuxta mundum è claris magnæq; opinionis uiris progeniti ſunt, nihil non faciunt, ut maiorum gloriæ reſpondeant, nos qui filij dei uocamur & ſumus, tueamur huius nominis honorẽ, & priuſquam aliquod turpe facinus aggrediamur, circumſpiciamus progeniem noſtram, intueamur generis noſtri decora. Declaremus nos eſſe ueros ac germanos dei filios ut libera fronte poſſimus illi dicere, quod quotidie dicimus, Pater noſter qui es in cœlis. Secundum deum patres habemus patriarchas & prophetas, diuino teſtimonio laudatos, progenitores habemus Apoſtolos, Chriſtum ipſum fratrem, dominum, ac parentem, cumq; hoc tot martyrũ milia propinqua cognatione cõiuncta. Deniq; ut cuiq; ſanctorũ pietate ſimilio-

Generis tractatio

res

res sumus, ita quemcq; propinquiore gradu cognationis contingimus. Quod ad natio nem attinet, non est in Christo neq; Græcus neq; Barbarus, Thrax aut Romanus. Omnes si uolumus sumus eiusdem nationis, de qua scriptum est in Deuteronomio: Non est alia natio tam grandis, quæ deos habet sic appropinquantes sibi, quemadmodum deus noster adest nobis. Item Sapientiæ quarto: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud deum nota est, & apud homines. Hanc nationem alloquitur B. Paulus Philip. secundo: Vt sitis sine querela simplices filij dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo uerbum uitæ sustinentes. Quanquam citra tropologiam habenda est gentis ac patriæ ratio. Aliter enim Paulus agit cum Romanis imperio tumidis, aliter cum Corinthijs opulentis & auaris, aliter cum Galatis stupidioribus, quos liberius obiurgat, aliter cum Ephesijs, curiosarum artiũ studiosis. De patria similiter dici potest, omnes esse ciues illius Hierosolymæ quæ construitur in cœlis è uiuis lapidibus, de qua Psalmographus: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas dei. Similiter in Christo nõ est mas neq; fœmina. Plusquam uirile robur præstiterunt teneræ uirgunculæ. Spiritus uigor marem facit, non corporis habitus. Nec ætas annis æstimanda est, Senectus enim uenerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata: adulti sunt quicunq; peruenerunt ad mensuram plenitudinis Christi, & scriptura detestatur puerum centum annorum. Quàm multos uidemus, adhuc infantes in Christo, quibus cæremoniarum lacte sit opus, quum annum iam excesserint quinquagesimum. Valet interim & ad obiurgandum: turpe est enim nos secundum exteriorem hominem adultos esse, secundum interiorem uerò pueros & infantes. Et pręposterum est senes, quorum autoritate iuuenes ad seueritatem erãt reuocandi, ea committere quæ in iuuenibus reprehendunt. Valet etiam ad admonendum: Aliud enim præcipitur senibus, aliud iuuenibus. Petrus seniores obsecrat consenior, ut pascant gregem in quo uiuunt, prouidentes ei non coactè sed sponte ac secundum deum, non turpis lucri gratia &c. Ex ætatis ratione ostendit, quid deceat seniores, & quid sit uitandum illi ætati. Officium senectæ est recte instituere iuuentutem: periculum est ab auaritia, quod ætas illa sit ad rem attentior. Sic & Paulus Titum instruit, qui admoneat senes, ut sobrij sint, ut uenerandi ac modesti, ut sani in fide, charitate & patiẽtia, quod hæc ætas sit uinolentior, ineptior ac delirantior. Similia præcipit aniculis, ne sint uinolentæ, ne calumniatrices, ut cultus talis, qui præ se ferat religionem, ut sermo talis ac mores qui doceant alias sobrietatem. Dedecet anum fucus & cultus iuuenilis, ac pleræq; gemino uitio garrulæ sunt & obtrectatrices, sexus & ætatis, futiles sunt. Vnde & aniles nugæ dicuntur. Paulus igitur iuxta circunstantias ætatis iubet temperari admonitionem. Mox docet, simili prudentia quid puellis, quid iuuenibus sit præcipiendum. Quoniam puellæ recens nuptæ, ob formam & adolescentiam ferociores sunt aduersus maritos, interdum ob iuueniles lusus ac uoluptates liberos ac familiam negligũt, ideo præcipi iubet, ut uiros suos diligant, eisq; subditæ sint: liberos ament, reliquæq; familiæ curam habeant: erga omnes benignæ sint & affabiles. Iuuenibus quoniam illa ætas se rapitur affectibus & luxui indulget, ad uim & iram pronior, præcipi iubet, ut sobrij sint. Sobrietas autem omnium cupiditatum moderationem complectitur, amoris, iræ, odij, uoluptatum. Idem Timotheum iuuenem admonet, ut fugiat iuuenilia desideria, & ita se gerat in officio sacerdotali, ne quis adolescentiam ipsius iure possit contemnere. eum dẽ docet qua moderatione sese gerere debeat erga seniores, quorũ ætati uult iuuenẽ hoc habere honoris, ut si quid admonẽdi sint, nõ obiurget, sed obsecret ut patres: quomodo erga anus, quomodo erga puellas, quo modo erga uiduas. Et alicubi distinguit uiduas. Iuuenculas uult nubere. Sexagenarias recipit in Ecclesiæ ministeriũ. Deniq; obsecrãdo Philemonem, argumentũ sumit ab ætate, quod iam senex esset. In encomijs uero, ut turpius est si quid præter ætatis decorum gestum est: ita pulchrius est, si quid supra ætatis rationẽ gestum fuerit. Vt scortatio turpior est in sene, quàm in iuuene, & prudentia plus habet laudis in adolescente quàm in sene. Ioannes item ex ætatum congruentia sumit argumentum laudis. Scribit filiolis adolescentibus, gratulans illis de fide, per quam consequuti sunt peccatorum remissionem. Scribit senibus quos patres appellat, gratulans quod ante mortem agnouissent eum, qui quum ab æterno sit, nunquam tamen senescit.

Nationis tralatio

Patriæ tralatio

Sexus tralatio

Aetatis tralatio

Scribit

Scribit iuuenibus, gratulans quod fide robusti uicerint Satanam. Scribit infantibus, quod agnoscant patrem cœlestem. Ad multa itaq; conducet Ecclesiastæ nosse quid cuique ætati congruat. Iam & educationis consideratio copiosam dicendi materiam sæpe numero præbet. In encomijs diuorum, quædam insignia facta uix inuenirent fidem, nisi cognita esset illorum accurata educatio. Proinde de matre beati Bernardi legimus, quod filium sic educarit, quasi illum eremo non aulæ instituret. Sic Athanasiũ legimus apud Episcopum fuisse educatum. Olim enim Episcoporum domus erãt scholæ pietatis, unde & monasteria uocabantur. Hinc copiosa exhortandi materia, quantum habeat momenti recta aut peruersa educatio à teneris annis. Hoc nomine Paulus matronis pollicetur salutem, si filios suos religiose educarint, & in fide continuerint. Et in eligendo Episcopo præter alia illud etiam spectari iubet, an filios habeat bene institutos. Quid multis? Videmus uniuersam fere morum corruptelam ex corrupta educatione prouenire. Nec ulla in re magis cessatur à Christianis. Quid bonæ frugis sperandum est ab adultis, qui pueri inter lasciuas famulas & improbos famulos educantur ab infantia? Nihil audiunt, nihil uident, nihil discunt, nisi molliciem, luxum & superbiam. Sed hoc etiam nocentius est contagium, si uitia ab ipsis imbibant parentibus, Sinunt adolescentulos in bellum procurrere, quid illic discant pudet hic commemorare: sinunt illos suo arbitratu uiuere, potare, uagari, ociari, chartis & aleæ assuescere, deniq; amare, pulchrè plumis ornatos incedere, cultu uti militari, donec omnibus uitijs imbuti aduersus bene monentes obduruerint. Quidam serò expergiscuntur, & iam uiginti natos annos, emandant ad scholas, ubi ipsi citius sint alijs nequitiæ magistri, quàm probitatis discipuli. Alij teneros etiamnum relegant in aulas principum, ut discant ciuilitatem ac mores aulicos. Sed qui tandem sunt mores aulici? Nihil addam, æstimet apud se quisque. Supersunt monasteria, præsertim ea quæ recipiunt ætatem teneram, quod maxime faciunt Benedictini. Nec enim hoc uetuit Benedictus in regula. Et olim quum in monasterijs uigeret pietas, erant quasi pædagogeia & scholæ adolescentulorum ad eruditionem ac sanctimoniam. At nunc in quibusdam mera tyrannis est, assidue uapulant, non ob uitia, neq; enim accipiũt uirtutis præcepta, sed uelut ex more, ad libidinem priorum, quasi hæc ipsa sit magna religio, inclementer cædi. Quid ergo discũt primis annis? Cantiones, easq; ediscunt etiam, flexiones corporum, merasq; cæremonias. De studio pietatis uerbum nullum. Nam qui doceant, quod ipsi nunquam didicerunt. Vbi uentum fuerit ad annum decimũ sextum, iam ut iudicij compotes, habentur pro professis, hoc est, pro seruis ac deditijs. Quid autem iudicent ad istum educati modum? Toleratur hæc tyrannis spe maioris libertatis. Ea contingit, si quod officium delegetur. Hoc assequuti, pensant licentia retroactam seruitutem, atq; etiam ulciscuntur, sæuiores in pueros, quàm in ipsos fuerant seniores. Vacare sacris literis, aut ad sinceriorẽ pietatem aspirare nec licet, si fors alicui liberet. Mox audiunt, utere consuetis, si uis esse benedictinus. Huic tyrannidi Benedictus ipse quadantenus dedit occasionem, qui iubet adolescentes, si non pareant monitis, acerrimis uerberibus esse cohercendos. Verberandi morem exactè tenent, at benè monendi consuetudinem omittunt. Nec hæc noua est querela, questus est hac de re ante annos mille diuus Chrysostomus, ex monachorum gregibus qui desertis in locis uitam agebant, ac citra doctrinam ueræ pietatis, ieiunijs tantum, saccis, & leguminibus ac chameunijs, ad religionem exercebantur, plerosq; quum ad episcopi munus accerserentur, prodisse, morosos, iracundos, omnis impatientes iniuriæ, ac planè furiosos. Verum hæc non persequar longius: Sufficit enim admonuisse sapientem.

Habitus corporis tractatio

De habitu corporis uideor in genere demonstratiuo satis attigisse, quemadmodum & de fortuna quum de bonis externis ageremus, ad quæ ferè pertinent, quæ conditionis uocabulo comprehenduntur. Illud tantum addam, ex his multam sumi admonendi materiam. Qui corpore ualent, ad industriam & officia charitatis sunt extimulandi. Qui minus ualent admonendi sunt ut tanto magis intenti sint officijs, quæ uiribus animi præstantur. Vt reprehendendi qui corporis forma sibi placent, mox senio aut morbo defluxura, quum animum gerant uitijs deformem, ac mentis forma cum ætate magis afflorescat, ac ne morte quidem marcescat: ita laudandi, qui corporis deformitatem animi pulchritudine pensant.

Quoniam

Quoniam autem splendidiorem fortunam uitia quædam comitari solent, ut diuitias luxus, & uoluptatum amor, nobilitatem ac potentiam, fastus ac uiolentia: contra pauperatem & ignobilitatem pusillanimitas: adhæc temperanda est admonitio. Ad has circunstantias uult Paulus Timotheum suam attemperare doctrinam: Diuitibus huius seculi præcipe, non altum sapere, nec spem figere in incerto diuitiarũ, sed in deo uiuo, qui præstat uobis omnia abunde ad fruendum: ut benefacientes ditescant bonis operibus, quæ ueræ sunt diuitiæ, ut facile communicantes opes externas reponant sibi solidum thesaurum in futuro seculo, & pro contemptis huius uitæ diuitijs apprehendant uitam æternam. Idem alibi pauperes ignobiles & impotentes consolatur, quod tales elegerit deus præcæteris. Et Iacobus admonet, ut mutatis rerum uicibus dives glorietur in hoc, quod qui iuxta mũdum sublimis erat, religionis causa demissus sit ad æqualitatem eorum, qui iudicio mundi uiles sunt & abiecti. Contrà pauper glorietur in hoc, quod quum mundi iudicio contemptus & humilis sit, dei iudicio sit regibus ac Satrapis æquatus. Similiter iuxta ea, quæ conditionem solent comitari, Paulus attemperat admonitionẽ suam. Maritis præcipit, ut diligant uxores suas. Nihil adhuc noui dixit, sed addit: sicut Christus dilexit Ecclesiam. Et quoniam pronunciauit uirum caput esse mulieris, iubetq; eam uiro subditam esse, temperat imperium mariti: Et nolite esse amarulenti erga illas. Similiter quia filij sunt in potestate patris, & hanc autoritatem moderatur, admonens ne prouocent illos ad indignationem, atq; ita temperent castigationem ut emendentur, non ut animum despondeant, existimantes sese inuisos esse parenti. Nam extant exempla in externis historijs, filios amarulentius à patre obiurgatos sibi conscisse necem. Filijs præcipit ut parentibus obediant. Ita, inquiet aliquis, si æqua præcipiant, sed habeo patrem morosum & asperum: ideo addit, per omnia. Et ne hoc uideatur iniquum, adijcit, quia sic placitum est deo. Non debet iniquum uideri nobis, quod deo uidetur æquum. Iam quoniam summa potestas dominorum exit frequenter in sæuiciam, adeo ut prophanæ etiam leges coactæ sint eam refrenare: quidam enim uix eos habent pro hominibus, parciusq; ac uilioribus eos alunt quàm canes suos: Paulus admonet, ut heri seruis quod iustũ & æquum est præstent, meminerintq; sese communem cum illis habere dominum in cœlis, ut iam conserui sint uerius quàm domini, quod illi ex seruis facti sint fratres. Eadem inculcat scribens Ephesijs, ut remittant minas, memores, licet apud homines habeantur abiectioris conditionis, tamen apud communem dominum cœlestem, nihilo pluris esse herum quàm seruum, nisi fuerit fide & charitate superior. Rursus quoniam seruile est, respondere dominis, aut si id non ausint, clàm odisse, queriq; de illorum sæuicia, nec ex animo parere iussis, sed ad oculum seruire: admonet illos, ut heros suos omni honore dignos iudicent, eisq; ex animo obsequantur, quasi officium hoc non præstent homini sed deo, unde mercedem expectare debeant, si fors inciderint in heros iniquos & ingratos. Consimilem ad modum admonet priuatos, ut ijs qui sunt cum imperio soluant ea quæ debentur, tributum, uectigal, honorem: eisq; obtemperent, non metu supplicij, sed propter conscientiam, quoniam qui legitimæ potestati resistit, deo resistit. Nec dubito quin admoniturus fuerit principes & magistratus officij sui, si tum temporis ciuile imperium fuisset penes Christianos. Plus officiorum debetur ciui quàm peregrino, multum tamen humanitatis debetur peregrinis, & hinc toties ab Apostolo prædicatur hospitalitas. Et reuera quotquot sumus Christiani, eiusdem ciuitatis sumus, imò domus eiusdem, quæ est ecclesia. Item omnes peregrini & aduenæ sumus in hoc seculo. Quod si apud Ethnicos Paulo profuit esse ciuem Romanũ, quanto magis oportet Christiano prodesse apud Christianum, quod utercq; alteri ciuis sit, & ambo domestici dei. Adde his quod latius patet, personæ qualitatem non modo facere ad laudis aut uituperationis exaggerationẽ: uerum etiã facti mutare speciẽ. Atrocius est pulsare patrem, q̃ alienum: illa iniuria est, hæc impietas. Et occidere alienum cædes, occidere fratrem parricidium est. Lædere priuatum iniuria est, lædere principem aut magistratum, maiestatis læsæ crimen est. Contrà, multa licent patri in filium, quæ non licẽt in alienum: multa item marito in uxorem, quæ in alienas inconcessa sunt. Et solutam cognouisse stuprum est, alienã uxorem adulterium, mulierem deo dicatam, incestus. Verberasse laicũ iniuria est, sacerdotẽ aut monachũ sacrilegium est. Item indignius est circumuenisse tenerã ætatẽ, aut oppressisse pupillũ, uiduã ac destitutam

Fortunæ tractatio

1. Tim. 6

Conditionis tractatio

Generis et patriæ tractatio

destitutam, quàm aliam personam. De conditionis uarietate plura dici poterant, sed tan-
Animi naturæ tractatio tum admonuisse satis est. Ex his facile similia atq; etiam meliora reperiet, qui pollet ingenio. Porrò animi naturam pernosse, priuatim ad plurima conducet. In hoc autem tanta est uarietas, ut citius inuenias, quorum uultus ac uoces discernere nequeas, quàm naturæ proprietatem. In hunc locum pleraq; recidunt, quæ de natione, patria, sexu, & ætate
Peculiares animorum notæ dici poterant. Verum præter illa communia, sunt quædam peculiares ingeniorum uelu-ti notæ, quæ non nisi à peritis ac propius intuentibus deprehenduntur: quemadmodum autem medici nisi quæ sunt cuiusq; corporis peculiaria sagaciter animaduerterint, interdum pro remedio dant uenenum, quin & animorum naturam nosse sæpe medico necessarium est, quod hinc aliquoties fluant corporum morbi: sic & spiritualis medicus, ingeniorum peculiares affectus nosse debet, quo commodius medicinam singulis accommodet, non manu sed lingua. Quod ut melius intelligatur, expedit intueri quantam uarietatem Comici ueteres, homines citra controuersiam acutissimi, & in obseruandis mortalium naturis uigilantissimi, personis tribuerint. Scripserunt fabulas, sed tales fabulas quales scripsit Menãder, nemo scribet nisi Philosophus. At ne lectorem morer ambagibus, una Andria nobis ad id quod agimus fuerit satis. Tres ibi senes inducuntur, Simo, Chremes, & Crito. Simo uehemens & submorosus, qui tamen affectet uideri callidus. Chremes placidus & nusquam incandescens, huc tantum intentus quid res postulet, nec ipse tantũ placidus, uerũ alios etiã quãtũ potest placãs. Crito pauper ac uir probus, & ob hoc ipsum cõtumeliarũ impatiẽs quia probus. Duo itẽ iuuenes multũ dissimili ingenio. Pamphilus uehemẽter amãs, sed dissimulãter, & in amore quoq; cordatus. Carinus simplicis ingenij, nullius calliditatis, aut cõsilij. Duo serui. Dauus uersutus ac ptinacis cõsilij. Byrria nullius cõsilij, sed tantũ desperãdi autor. Hoc satis ad specimẽ rei, quæ prorsus infinitę uarietatis est. Simile discrimẽ inuenias, in uiris sanctimonia claris. In Athanasio admirabilis quędã fuit solertia, & œconomia. In Cypriano fidei ardor. In Basilio sublimis animus mira comitate tẽperatus. In Chrysostomo docẽdi studiũ, ambitionis & ostẽtationis odiũ. In Hieronymo feruor animi & uitæ seueritas. In Augustino ciuilitas, & disputandi libido infatigabilis. In Ambrosio natiua suauitas etiam in reprehendendo. In Benedicto rusticanæ uitæ amor, & hinc seueritas: In Bernardo ueræ religionis admirabile studium, & hinc tantus amor in locis desertissimis ædificandi monasteria. In Francisco mirus omnium rerum, quæ ad mũdum pelliciunt, contemptus, adeò ut nec ipse literas discere uoluerit, nec fratribus suis discendas permiserit, si prius eas non didicissent. Solitudinem autẽ non affectauit, uel quia cupiebat omnes ad muudi contemptũ allicere, uel quia non instituebat agricolas, sed qui docerent populum, quibus esset data sermonis gratia, aut manuarijs operis uictum pararent, aut si nihil horum sufficeret, ad mendicitatem tanquam ad sacram ancoram confugerent. Si quis cæteros ad hunc conferat modum, reperiet omnes deo fuisse charos diuerso uitæ genere, cum animorum natura fuerit diuersa.

Quorsum autẽ profuerit hæc nosse? Primum, ne quem temere iudicemus, ignari discrimen esse non in studio pietatis, sed in animorum natura. Antonius amabat solitudinem, Basilius monachos in ciuitatem uocabat. Hieronymus aquam bibebat & leguminibus uescebatur. Augustinus bibebat uinum licet parcissimè, nec delicias ciborũ respuebat, si fors adessent, nec moleste ferens si deessent, nec minus sobrius quoties aderant. At nũc si quis paulo nitidius uestiatur, aut cibis utatur lautioribus, aut si quis minus austerus sit, sed comis, ilicò damnamus proximum, omnia deprauantes in crimen. Si cui placet solitudo, inhumanus & ferinus dicitur. Si est affabilis, ad communem uitæ consuetudinem appositus, assentator dicitur. Si quis natura tristior, hypocrita & supercilioſus uocatur. Si quis hilarior, leuis dicitur. Tantum de iudicio. Iam in consolando obiurgandóue, eandem sermonis formam adhibere omnibus quid aliud est, quàm quod dici solet, omni pedi eundem inducere calceũ, aut cuiuis corpori eandem adhibere curam. At Christiana charitas ubiq; spectat quid cuiq; expediat: & quemadmodum aucupes ac piscatores non eadem esca captant quodlibet animantium genus, sed obseruatum habẽt, quibus rebus quodq; genus delectetur aut offendatur, & quod cuiq; conuenit admouẽt: ita illa cuiusq; indoli studet ea admouere, quibus ad ueram pietatem ualeat allici. Felicius cedunt ea studia, quæ congruunt cum ingenij proprietate. In pueris deprehendas ingenia quædã immodice

modicè uerecunda, putidula, ac meticulosa: his cõuenit blandior admonitio. alia sunt im proba ac subagrestia, his iugum asperius est imponendum. Quædam sunt erectiora, sed generosa tamen, quæ mollioribus habenis ad pietatem fingenda sunt. Quædam subira cunda, sed minimè stupida, & placabilia: Hæc natura genuit ad liberales disciplinas. Alia sunt placida ac lenia, ad gerendum magistratum, aut aliud publicum munus nata. Et ne singula persequar, ad omnium naturas attemperanda est admonitio. Quosdam si acrius obiurges aut uerberes etiam emendas, alios ad desperationem adigas, quosdam ad con tumaciam, & omnis admonitionis impatientiam. Sic alijs consulendum ut ducant uxo res, alijs ut monasticam uitam amplectantur, alijs ut ad Theologiæ studium semet appli cent, nonnullis ut agriculturam, aut artem manuariam perdiscant.

Studiorum tractatio

Studia uocant rhetores uitæ institutum, cui se quis addixit. Horum proprietates dili genter animaduersæ, efficient ut doctor habeat, quid quibus præcipiat, & quos à quibus deterreat. Aulicis præcipiet, ut in delicijs sobrietatis meminerint, ut simplices sint mini meq; fucati, ut caueant ne fallantur, ipsi fallant neminem, ne principibus turpiter adulen tur, ne suggerant illis inauspicata consilia, ne sibi plus existiment licere, quod aulici sint, sed hoc incorruptius uiuant, quod omnium oculis expositi sunt. Militibus, ne rapinis in dulgeant, ne præter belli ius quenquam occidant ac spolient, ne plus noceant amicis q; hostibus, ne transfugæ sint aut collusores. Sacerdotibus, ut sobrie casteq; uiuant, sacros libros pro uenatu, chartis ac tesseris habeant, laicis bona uita præluceant, uerbo dei sint instructi ad docendum alios. Monachis, ne uentri indulgeant, ne cui obtrectent, aut ob murmurent, ne se alijs præferant, ob uestem ac titulum, a magicis ineptijs abstineant, li bris sacris ocium suum oblectent. Negociatoribus ut sine fraude mercentur, ab usuris ab stineant, opum affluxu ne insolescant, defluxu ne deijciantur ad desperationem aut blas phemiam, nec in fortuna sed in deo ponant fiduciam. Singulis item opificum generibus præcipiendum est, ne quid suffurentur, ne quid uitient, ne ex conspiratione mercedem æquo maiorem exigant, ut operam promissam bona fide præstent, nec sibi blandiantur huiusmodi causationibus. Nihil noui facio, idem faciunt omnes homotechni, & si per gam omnia bona fide gerere, ad mendicitatem mihi redierit res: Sed id quod est secum re putent, apud deum peccata non excusari peccantium multitudine, & mendicitatem ex cludet frugalitas. Debetur opifici uictus, non debetur quod profundat, in uinolentiam luxum, ociũ, tesseras & chartas, aut fortassis in adulteria.

Affectationis tractatio

Affectatio nihil ad Ecclesiasten, nisi ut hunc hominis affectum arripiat in occasionem admonendi, ut hoc sit, quod se ui deri studet. Nam uideri uelle quod non sis, aut uanitas est, aut hypocrisis. Est tibi cordi ut inter nobiles habearis, noli emẽtitis imaginibus, plumis aut rapinis, id agere, sed eximias uirtutes amplectere, quæ ueram adferãt nobilitatem. Gratũ est haberi religiosum: Com pendiaria uia ad istud est, si sis quod haberi uis.

De antedictis, & antefactis, iam dictum est nobis superius. Nomen autẽ quod non nisi ad iocandi materiam recipiunt quidam. Ecclesiastæ ad plurima ualebit, quod in scri pturis canonicis nomina ferè diuina prouidentia creduntur indita. Quemadmodum in poetis nomina ex ipsa re uidentur afficta. Veluti qui commentus est fabulam de Hippo lyto ab equis dilacerato, idem affinxit nomen Hippolyti. Idem liquet in Bellerophonte, Aiace, alijsq; innumeris. Quemadmodum & in deorum nominibus, qua de re copiose disserit Plato in Cratylo. In scripturis non est fictio, sed prouidentia numinis, quæ uoluit nomen esse sequuturæ uitæ præsagium, præsertim si persona typũ gerebat eius in quem nominis quadraret ratio. Vt Solomon pacificus dictus, non tantum ob id quod uir san guinum non esset, quemadmodum pater, sed quod figuram gereret Christi pacificatoris dei & hominum, quiq; nobis æternum templum ædificauit Ecclesiam, in qua iugiter in habitet deus. Abigail autem, quo placaret Dauid iratum, factũ illius reijcit in stultitiam uiri: qui, inquit, secundum nomen suum stultus est. Quibusdam legimus immutata nomi na, uelut Abraham dictus est pro Abram, Sara pro Sarai. Item in Genesi Iacob Benino mi uertit in Beniamin. Et Simon dictus est Cephas, quod Græcè sonat Petrum, Latinè petram siue lapidẽ, quo typus esset nullis malis cessuræ fidei. Item Saulus dictus est Pau lus. Nec dissimile ueri est uiris egregijs nomina nõ fuisse fortuito indita. Basilius quidem in moribus habuit regale quiddã. Athanasius nunc est quod dicebatur, immortalis. Gre

gorius à uigilãtia dictus est, fuit enim pastor uigilantissimus. Quin & uitijs & uirtutibus ac plerisq; alijs rebus non sine certa ratione nomina sunt indita, unde peti poterunt argumenta hortandi & dehortandi. Sic Hieronymus Heliodoro. Quid facis in turba, qui monachus es. Monachus enim solitudinis nomen est. Quin & Episcopi uocabulum admonet illos officij sui, & sacerdos non à saccis, sed à sacris tractandis dictus est. Itidē rex, non à rapina dictus, sed à regēdo. Deniq; homo Græcis est ἄνθρωπος, quasi dicas ἀνάτροπος, ut ipso uocabulo admoneantur, dissimiles esse brutis animantibus, quæ natura prona ac uentri obedientia finxit, & ad cœlos attollere uultum ac mentem. Pudicitia à pudore dicta est, quod pudor optimus sit pudicitię custos. Luxus à laxando, quod laxet & eneruet omnem mentis uigorem. Sed rem infinitam non ultra persequar. Admonui, prudens lector intelliget, quantus hic pateat campus, & ad suadendum & ad exhortandū, & ad obiurgandum, eos qui nomini suo non respondent, & qui uocabulis rerum supra modum offenduntur, quum à factis nihil abhorreāt. Quis enim princeps ferat se dici tyrannum? Sed utinam omnes æquè à tyrannicis factis abhorreant. Nec hunc campum altius ingrediar. Ad reliqua festino.

Circumstantiæ rei

Demonstratum est, quantam dicendi materiam Ecclesiastes ducere possit, ex his quæ accidunt personis: nunc indicandum quid suggerant ea quæ accidunt rei siue causæ: qui loci sic tractantur à Fabio, ut ea locis quos Aristoteles octo libris complexus est admisceat.

Causa

Ac primo loco ponit causam, nimirum finalem sentiens,

Causæ quatuor omnium rerum

cū alioqui causæ cuiusq; rei sint quatuor, Efficiēs, materialis, formalis ac finalis. Nihil est enim præter unū deum, quod nō habeat autorē, à quo factū sit. Filius & spiritus sanctus habent autorem, licet à nullo facti sint. Deus igitur est uniuersalis ac primaria omnium rerum causa, efficiens ac finalis. Item nulla res est, quæ non constet his duobus, materia & forma. Materia quæ ueluti receptaculum est omnium formarum. Forma quæ efficit ut hoc sit non aliud. Velut anima rationalis dat humano corpori ut sit homo, & ipsa anima quoniam substantia est, habet suam formam innominatam, per quam anima est non Angelus. Quicquid autem conditum est, ad certum finem conditum est. Quanquam nihil uetat eiusdem rei diuersos esse fines: Vt natura fœminis dedit mammas ad usum lactandi, atq; etiam ad decorem corporis. Quemadmodum lingua ad multos usus data est homini. Neq; quisquam sanæ mentis suscipit aliquod negocium, nisi expetens aliquid. Nihil autem expetitur, nisi sub ratione boni, commodiúe. Adulter uoluptatem bonum aliquod esse iudicat, & latro dum iugulat homines, habere pecuniā, sub ratione boni expetit, quanquam re uera sic habere pecuniam malum est ac fugiendum. Finis igitur qui in euentu ultimus dicitur, in intentione primus, spectat commodorum acquisitionem, incrementum, aut confirmationem. Incommodorum item uitationem, diminutionem, aut depulsionem. Verum in his eligendis frequenter imponit multis falsa persuasio, dum errore delusi credunt hoc esse pium, quod est impium, ueluti si quis in errorem inductus credat Arianos bene sensisse de sacra triade. Alijs imponit animi commotio, uelut ebrietas, & ira, quorū utrunq; furoris genus est, aut inuidia, odium, amor immodicus.

Hic igitur locus ad plurima ualet, ad eleuandum aut exaggerandum crimen: ut si quis impetens hostem, interficiat amicum. Aliud enim destinarat & fecit. Rursus atrocius est occidere hominem dolo, ut uxorem eius abducas, & si occidas eum à quo grauibus iniurijs lacessitus es. Aliquā facinoris partem attenuat prouocatum esse. Nec Petrus excusatur de homicidio, si quod est probabile, hoc animo petijt Malchum, non ut amputaret auriculam, sed dissecaret illi cranium. Nec enim ab euentu, sed ab animi destinatione fit scelerum æstimatio. Verū è diuerso subleuatur, quod non spectarit prædam, aut aliquid simile, sed tantū ut innocentissimū dominum liberaret à periculo, paratus illi uel cōmori. In genere suasorio præcipuas partes agit finis, proponens quid sit expetendū boni, quid uitandum mali. Tantum autem momenti habet finis, ut cōmutet facti nomen. Dauid reprehenditur quod occiderit Vriā, quia scelus erat quod appetebat, At Phinees duobus occisis laudem meruit, quia nec odio, nec liuore, nec prędę gratia occidit, sed ut populum à turpi exemplo deterreret, & legi diuinæ suā uindicaret autoritatē. In admonendo præterea & obiurgando non mediocrē dicendi materiam suppeditabit finis. Ad quid factus est homo: ut cognoscat, timeat, ametq; conditorem suum. Quicquid igitur agit homo, ad dei gloriam referendum est. Quàm igitur detestandi qui sic uiuunt, quasi luxui ac temulentiæ

lentiæ cæteris q; uitijs nati sint, Non enim dicam, diabolo. Quàm enim turpe est, cætera omnia fungi his muneribus ad quæ obeunda sunt creata, solem lucere, nubes irrigare, boues arare, asinos gestare onera, solum hominem non agnoscere cui rei sit natus. Sic regi suus finis est ingerendus, Episcopo suus. Ad quid factus es sacerdos? Non ut molliter uiuas, aut census censibus cumules, sed ut sacris rebus uaces. Quur factus es scholasticus? Non ut licētius lasciuias, sed ut liberalibus disciplinis animū excolas. Quur porrò discendæ sunt disciplinæ? Nimirum ut bene uiuas, patriæq; & amicis possis esse usui. Quur factus es monachus? Non ut uiuas in luxu & ocio, sed ut mortuus mundanis affectibus, totus rapiaris ad cœlestia. Quur factus es iudex? Nō ut expleas scrinia tua, sed ut innocentes tuearis, malos coherceas, lites inter ciues dirimas. Magna felicitas accederet rebus humanis, si suum quisq; scopum intueatur, nō quem proposuit cupiditas, sed quem deus & honesta ratio præfixit. Tantum autem momenti habet finis, ut hinc æstimētur omnia, atque ex hoc petatur cuiusque rei felicitas. Ieiunare, ut corpus animo ad pietatis munia obtemperet, sanctum opus est. Ieiunare ut sanctus habearis, hypocrisis est. Ieiunare ut rē augeas, auaritia est. Ieiunare ut corpore rectius ualeas, nec aliud species quàm bonam ualetudinem, medicina est. Idem dicendum, de orando, de dandis eleemosynis, deq; cæteris operibus laudati generis. Ad eandem trutinam æstimantur fines secundarij, quos uocant. Das eleemosynam, ut egentem subleues. Quur subleuatum cupis? Vt tibi gratias agat, aut refocillatus inseruiat. Humanum est opus tuum. Vt Christo obedias, eumq; in suis membris reficias. Scopum attigisti. Spectant hoc & Ethnicorum leges, prēmium negant ei, qui tyrannum occidit, aliò spectans, quàm ad liberandam rempublicam. Et peregrinum absoluunt qui contra uerba legis murum ascēdit, & hostem depulit. Quin etiam legum intellectus ex fine colligitur, quem qui præstitit, uidetur legem impleſſe. *Finis secundarius*

Extremus autem finis adfert felicitatem, ultra quam nihil desideras. Velut ouis quum uestit ac pascit hominem, suam attigit felicitatem. Ad id enim natum est hoc animal. Flosculus decerptus, quum oblectat oculos & nares hominis, si loqui posset, gratias ageret conditori, quod felix esset, finem ad quem conditus esset assequutus. Errant igitur uehementer qui felicitatem quærunt in his rebus quæ non explent animum hominis, neque tranquillum reddunt. Qui uult habere quietum animum, in deo conquiescat necesse est.

Altera rei circumstantia est locus, cuius cōsideratio non tantum ualet ad probationes cōiecturales. Quisquis enim facinus aggreditur, locum ad id opportunum deligit. Sed loci qualitas sæpenumero grauat aut subleuat factum, interim & rei nomen cōmutat. Tractantur hæc & à theologis, qui docent quasdam circumstantias tantū aggrauare factum, quasdam etiam mutare speciem. Circa locum spectatur, sacer sit an prophanus, publicus an priuatus, tuus an alienus, frequens an solitarius, pauperis an diuitis, honesti nominis an infamis. Turpius erat Antonio pro rostris in conspectu populi Rom. uomere, quàm si domi uomuisset. Nec indecorum est bono grauiq; uiro, domi in nuptijs saltare, quod in foro faceret indecēter: aut in balneo nudare corpus, quod in cōuiuio turpiter fieret. Itē grauior culpa est in templis garrire friuola, aut oculis licitari puellas, quàm in foro aut theatro. Pecunia priuata sublata est, furtum erat: sed quia de templo, sacrilegij crimen intenditur. Occidisti adulterum in uxore deprehensum, permissum est legibus: Sed occidisti deprehensum in lupanari, cædes est. Effractæ sunt fores priuatæ, iniuria est: effractæ sunt fores publicæ, crimen est læsæ maiestatis. Euulsisti arbores in tuo fundo, licuit. In alieno iniuria est. Reclamasti sacerdoti in conuiuio, Licuit. Reclamasti in templo concionanti, seditionis est actio. Domi licet tuo arbitratu loqui ac silere. Apud tribunal ex quæstoris præscripto loquendum aut silendum est. In Italia temulentū esse turpius est quàm apud Germanos. Et Athenis sedentariam artem exercere honestum est, apud Lacedæmonios seruile. Rursus apud Lacedæmonios Sophisticam aut oratoriam callere cōtemptum habetur: apud Athenienses pulcherrimum. M. Tullius pro Milone stulticiam uocat, Romæ dicere, non esse fas uiuere eum qui fateatur hominem à se occisum, quum in urbe tam multi laudati sint, quod seditiosos occiderint. Hinc ad tropologiā licet assurgere. Si pudor est in ciuitate bene morata dissolutius uiuere, quāto turpius est, in ciuitate dei quæ est Ecclesia, uiuere legib. Satanicis. Et si quouis loco Christianis indecorū sit, gulæ & uētri seruire, quāto id absurdius est in monasterio, sobrietatis & castimoniæ schola. *Locus*

His modis loci ratio ualet, ad ſuadendum, ad exhortandum, ad obiurgandum, & æſtimandum. Interdum ualet & ad affectus, puta inuidiam, aut commiſerationem. Qui Milonem accuſabant, hoc ad inuidiam impingebant, quod Clodium non quouis loco, ſed in monumentis maiorum ipſius occidiſſet. Et apud Ouidium indignatur Aiax, quod in conſpectu claſſis, quam ſua uirtute defenderat ab incendio, de uirtutis præmio, cum imbelli Vlyſſe cogeretur decernere. Et crudelius eſt hominē domi ſuæ occidiſſe, q̄ in uia publica, in ciuitate quàm in agro. Hactenus de loco. Nec minorem argumentandi materiam ſubminiſtrat temporis qualitas. Vox autem hæc tempus, duabus Græcis dictionibus diuerſa ſignificantibus reſpondet, χρόνῳ καὶ καιρῷ. Prius illud ſimpliciter tempus ſignificat, cuius tres ſunt differentiæ, præteritum, inſtans, & futurum, Vt quondam, nunc, olim. Annus, menſis, dies, hora: ſub Alexādro magno, ſub Caligula. Poſterius indicat etiam oportunitatem ad rem gerendam. Itaq; Græci quū ſentiūt aliquē oportunè ueniſſe, nō dicūt, ἐν χρόνῳ ἦλθεν, ſed ἐν καιρῷ ἦλθεν. Nihil omnino fit, quod nō fiat ἐν χρόνῳ, at plurima gerūtur quæ nō fiūt ἐν καιρῷ, hoc eſt oportune. Et Ioan. 7. Quū referēs uerba domini dicit, tempus meū nondū aduenit, non dicit ὁ χρόνος ὁ ἐμός, ſed ὁ καιρὸς ὁ ἐμός. Et Paulus Galat. 6. Itaq; dum tempus habemus, ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχωμεν. At Ioan. 5, de paralytico decumbente ad piſcinam probaticam, quod iam multum tempus haberet, non dicit, ὅτι πολὺν ἤδη καιρὸν ἔχει, ſed πολὺν χρόνον. καιρὸς igitur cōplectitur has differentias, hyeme, æſtate, nocte, interdiu, tempore meſſis, tēpore uindemiæ. Hæ ſiquidem ſpecies aliquid opportunitatis aut difficultatis adferunt ad rem gerendam ex ſeſe. Quod idem interdum fit acceſſione fortunæ: ut in tempore peſtilentiæ, belli, aut conuiuij. In huius loci tractationem ex parte recidunt, quæ prius cōmemorata ſunt inter attributa perſonæ, ut antedicta, antefacta: ex his enim ducitur coniectura, quæ certior fit ſi triplex temporis differentia reſpondeat, antecedentis, adhærentis & inſequentis: ut mortem minatus es, Ex antedictis eſt. noctu exiſti: ex antefactis eſt, & ex temporis oportunitate. proficiſcentem antecelſiſti, & hoc ex antefactis. Sonus auditus, clamor ſublatus, tēporis ſunt adiuncti ſiue adhærentis. Latuiſti, profugiſti, liuores & tumores apparuerunt, temporis ſunt inſequentis.

Tempus

Dicet aliquis, Patronum inſtruis, non Eccleſiaſten. Oſtendam igitur quis hinc uſus ſit concionatori. Ad probationem hæ coniecturæ ſæpe ualēt: ueluti ſi quis aduerſus impios diſputans doceat Chriſtum ſua ſponte ſuſcepiſſe mortem crucis: ex antedictis ſumet argumentum, quod ipſe Dominus hoc toties diſcipulis prædixerit, & Petrum dehortatem ſit auerſatus: ex antefactis, quod ſe non ſubduxerit, nec occultarit, ſed in locum ſolitum abierit: ex adiunctis ſiue adhærentibus aſſumet, quod nec ipſe ſe defenderit: & Petrum defenſionem parātem cohibuerit: Item quod tanquam ouis ad mortem ductus eſt, & in cruce pro inimicis ſuis orauit. Ex inſequentibus, quod rediuiuus nec per ſe nec per apoſtolos Iudæis exprobrarit immane ſcelus, nec quenquam ultus ſit, ſed omnibus iuſſerit prædicari pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum. Quomodo uero tempus ualeat ad conſulendum, ſuadendum, exhortandum, conſolandum, ac monēdum, ſatis antea demonſtratū eſt in tractatione ætatis. Iam temporis differentia ſæpe iuris & qualitatis quæſtionem explicat. Multa enim licuerunt ante legem proditam, quæ ſub ea nō licebant Iudæis, ut ueſci quibuslibet. Et Iudæis ſub uetere lege licuerūt, quę nobis ſub lege noua non licent, quod genus ſunt uxorum pluralitas, repudium, & ſacerdotum coniugia. Contrà nobis multa requiruntur, quæ à Iudæis non requirebantur, ut baptiſmus, & certior cognitio articulorum fidei. Quin & hodie nephas eſt dubitare de nōnullis, de quibus in eccleſiæ primordijs dubitare non erat impium. Et grauius peccant, qui poſt acceptum baptiſmum delinquunt. Ac leges etiam prophanæ grauius puniunt furem nocturnum, q̄ diurnum. Sic tempore famis ſceleratius eſt diuitē claudere granaria ſua, aut ultra iuſtum pretium intendere, quàm quum annona eſt uberior. Et in publico eccleſiæ luctu, in quali nunc eſt, turpius eſt comeſſationibus & pompis indulgere, quàm tranquillis temporibus. Et grauior eſt culpa in quadrageſima ueſci carne, quàm alijs temporibus: & turpius eſt ſcortari, aut inebriari, aut ludere aleam die feſto quàm die nō feſto. Item ſanabilius malum eſt, quod recens eſt. Difficilius ſanātur uitia, quibus multo iam tempore aſſueuit homo. Vulgus autem hominum à tempore frequenter arripit occaſionem peccandi, ueluti quum ſibi perſuadent nihil non licere diebus, qui quadrageſimam antecedunt, quaſi

tum

tum non essemus Christiani. Itidem alij sibi persuadent, tempore belli nihil non licere. Quod pacis tempore sacrilegium erat, in bello uocatur ius militare. Rursus sunt qui turpe ducunt, in nuptijs non inebriari. Durat in hunc usque diem Romæ, mos omnium absurdissimus. animam agente pontifice (nam expectare mortem perlongum est) quicunque possunt, inuadunt ac diripiunt bona cardinalium, ciuium ac peregrinorum, quibus est domi quod prædonem iuuet. Rem tam sceleratam, stultissima ratione prætexũt, quoniam pontifice mortuo leges omnes cum illo mortuæ sunt. Tam sceleratã ac plus quàm barbaricam cõsuetudinem principes deberent omni supplicíorum genere coercere. Imò pontifice moriente magis conueniret, ieiunijs precibus & eleemosynis solicitare deum, ut Ecclesiæ suæ de bono pastore prouideat. Christianæ mentis est omnem temporis rationem ad bene agendi occasionem accommodare. Nox imminens admonet silentij & quietis, admonet ut odium aut iram erga proximum ante solis occubitum ponamus, admonet ut deo reconciliemur, si quid eo die peccatum est. Sol oriens admonet, ut tanquam filij lucis, in die honeste ambulemus, nemini dantes ullum offendiculum. Et pium est quorundam studium, qui Christi uitam ac mortem, in singulas diei ac noctis partes distribuerunt, quo facilius occurrat illorum memoria. Pios dies festus inuitat, ut se deo proximisq; reconcilient, ut animum erigãt à curis humilibus, ad contemplationem rerum cœlestium, ut quemadmodum cæteris diebus externis lucris dederunt operam, ita per festias spiritualibus lucris ambiant ditescere: impios inuitat ad luxum, libidinem, temulentiam & aleam. Sic temporum tranquillitas ac prosperitas bonos inuitat ad gratiarum actionem, ad cultum religionis, ad beneficentiam in pauperes. Malos ad obliuionem dei, ut incrassati & impinguati negligant deserantq; deum conditorem suum, & ipsius prosperitatis largitorem, erga deum ingrati, erga seipsos crudeles, qui sibi quod ad pietatem datum est, uertunt in materiam impietatis. Contrà, quum tempora sunt tristiora, bellis turbulenta, pestilentia mortifera, fame cruciantia, qui pię mentis sunt, intelligunt se prouocari ad placandum deum sceleribus innumeris offensum, ad pœnitentiam & uitæ castigatioris studium. Qui improbæ mentis sunt, ad murmur & blasphemiam conuertuntur. Beatus Paulus frequenter à tempore sumit exhortandi materiam, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et alibi, Nox processit, dies appropinquat. Item Corinthijs commendans cœlibem uitam: Tempus, inquit, breue est. Et hanc uitam, tempori sementis comparat: futuram, messis. Omnia suum habent tempus. Quamdiu sumus in corpore, sementis gnauiter est facienda, non parcè, ut admonet Apostolus, sed copiose. Post hanc uitam non erit tempus seminandi, sed quod quisque seminauerit metendi. Quid est copiose, siue ut Apostolus loquitur, in benedictionibus seminare? Est operari bonum erga omnes quidem, sed maxime tamen ad domesticos fidei. Et Ecclesiastes ille sapiens multis uerbis declarat, quid cuiq; tempori conueniat, ut homo pius ad omne tempus sese accommodet, modò illud sit perpetuum, quod nullam admittit exceptionem, nimirum ut perseueret in timore & amore dei.

Tempori rhetores subijciunt casum, quod exitus rei ad tempus insequens pertineat. *Casus* Verum hac de re tempestiuius dicetur paulo post, quum locum tractabimus, qui dicitur ab euentu. Facultas est potestas perficiendi quod suscipitur. Nullus enim sanæ mentis opus aggreditur, cuius perficiendi nulla spes sit, nisi dixerimus, odium, iram, temulentiam illi iudicium ademisse. Impotens enim affectus non concedit moram inspiciendi. In cõiecturis autem illa duo spectantur in primis, an uoluerit, an potuerit. Voluntas multis è rebus colligitur, præcipuè ex causis de quibus dictum est, è spe perficiẽdi. Nam spes interdum uoluntatem parit. Probabilior fit coniectura, quũ animi natura cum causis consentit. Ambitiosus & inuidus est, non ferebat officientem suæ gloriæ. Et homo natura formidolosus uirum fortem ferro aggredi non est ausus, ueneno sustulit. Porrò quam utilitatem hic locus suppeditet ad suadendum, iam indicatum est, quum de facili & impossibili loqueremur. Ecclesiastes non solum ad suadendum, uerum etiam ad consolandum & ad obiurgandum accommodabit, ut quum iubebit inanem luctum ponere. Quid enim sibi uolunt lachrymæ lugentium, nisi ut reuiuiscat qui mortuus est. Atqui stultum est optare, quod fieri non potest. Item bis stultè faciunt, qui in rebus externis & in hac uita quærunt felicitatem, quum in illis nulla sit ueræ felicitatis pars, nec in hac ulli cõtingere possit

perfecta felicitas. Item ad increpandum eos, qui negligunt eximias uirtutes, ut continentiam, martyrium & uoluntariam paupertatem, quod negẽt esse in potestate hominis eas seruare. Stultum uero esse tentare quod non possis efficere. Diuerso uitio peccãt, qui sibi persuadent ueram pietatem humanis uiribus præstari posse. Omnis hominũ facultas ab ope diuina proficiscitur, quæ si adsit facilia sunt, quæ sensui humano uidentur impossibilia. Tantum de facultate, cuius pars esse uidetur instrumentum. Nam instrumẽta præstant interim facultatem, ut arma, copiæ, naues, machinæ. Ex instrumento frequenter expẽditur factum. Glorioſius Dauid funda deiecit Goliath, quàm si hasta fuisset aggressus. Et sceleratius est occidere ueneno q̃ ense. Vtroq; sceleratius est occidere lingua. Quod homicidarum genus his temporibus heu nimium frequens habet mundus. Excutias illos, inermes reperies, inquiras attẽtius, nullum reperies aconitum aut cicutam. Et tamen scelerati sunt homicidæ. Qui potest fieri? Non gestant hastas, non ballistas, non gladios, aut secures. Non habent ullum ueneni genus. Imò habent præsentissimum uenenum. Vbi? Non in pyxide, sed in lingua circunferunt. Hoc impune occidunt innocẽtes quàm plurimos. Os, inquit Sapiens, quod mentitur occidit animam. Hoc aconito inficiunt animos simplicium, hoc instillant auribus principum, ac per hoc occidunt quibus malè uolunt. Ipsi interim lauant manus suas, & dicũt, Puri sumus ab homicidio. Adde his, quod corpus animi instrumentum est. Quod alijs felicius obtigit, alijs minus ad obsequia honesta tractabile. Quibus obtigit felix, his enitendum est, ut alios uirtute præcurrant. Quibus incommodius, cura supplendum erit quod naturæ deest, & in primis cauendum, ne naturali inclinationi suppeditent materiam aut occasionem, Verbi causa, est aliquis ad iram pronior, ne quid sibi fidat, aut ne quid agat iratus, atq; omnia fugiat, quæ mentis impetum exasperant, ut uiolentia, contentio cum rixosis. Ac sæpe suo cum animo philosophetur his remedijs, quæ nos olim in Enchiridio militis Christiani cõmonstrauimus. Eadem ratione admonendi sunt, qui naturam corporis habẽt, ad superbiam, libidinem, aut aliud uitium proniorem. Quod si Socrates potuit animi destinatione atque exercitatione naturam ad magna uitia procliuem, in diuersum flectere, quid ni idem possit Christianus Christi adiutus gratia, totq; insignibus exemplis prouocatus? Iam artifices norunt instrumenta sua non tantum ad suum quæq; officium accommodare, uerum etiam corrigere & ad usum adaptare. Quo turpius est non idem facere animum nostrum corpori suo. In summa ad hoc corpus additum est animo, ut per illud deum colat, & proximum iuuet. Singuli item corporis sensus ac membra ad certum usum data sunt, ueluti oculi non ad lasciuiendum, sed ad prospiciendum omnibus membris. Aures non ad delectationem inanium fabularum, sed ad cognitionem rerum necessariarum. Lingua nõ ad obtrectandum, ad rixas aut turpiloquium, sed ad laudandum deum, ad benemerendum de proximo. Manus datæ sunt, non ad uiolentiam, sed ad honestam operam. Pedes non ad saltandum, sed ad iter necessarium: membra genitalia, non ad immundiciem ac lasciuiam, sed ad legitimam generationem data sunt. Nec uenter datus est ad crapulam & luxum, sed ad concoctionem cibi necessariam. Qui uero membris suis ad inhonesta abutuntur, nihilominus absurde faciunt, quàm si quis ense proscindat agrum, uomere scindat ligna. Expedit autem & iuxta corporis aptitudinem uitæ genus eligere. Quidam immodicè propensos ad libidines, ducant uxorem: qui ad crapulam, adiungãt se in conuictum sobriorum. Nunc multi corrumpunt organa sua, & quę natura dedit apta, faciunt inepta. Ingenium corrumpunt ocio, somnolentia, memoriam obruunt uino, corporis uires exhauriũt uigilijs Venereis ac immodica libidine. Hinc tam multi ante tempus luscioſi lippiq;, ante tempus surdastri, incurui, contracti & tremuli.

Vides quantam dicendi materiam Ecclesiastæ suppeditabit hic locus, quem Rhetores appellant instrumentum, cui tam uicinus est modus, ut prope sit idem. Veluti si quis adulterum deprehensum ferro necauit, non punitur ueterum legibus, qui ueneno, cogitur causam dicere: ex instrumento nascitur quæstio. Illa magis proprie ad modum pertinent, quæ uoluntate excusantur aut aggrauãtur. Bona mente fecit quia palàm: mala, quia ex insidijs, noctu in solitudine, Sic excusatur medicus, qui mulieri pharmacum petenti quod cieret aluum, quo illa fœtum excussit utero, dedit: quod palam dedit, utiq; non fecturus, si scisset illam esse grauidam. Refert item plurimum quo uultu, quo animo, quid dicas

dicas. Si per iracũdiam aliquem appelles ganeonem, iniuria est: si idem amico dicas per iocum, familiaritas est. Similiter in æstimatione commissorum, non parum momenti habet modus. Hic constuprauit uxorem alienam in quam forte incidit, aut etiam solicitatus fuit ad adulterium, aut ignarus fuit esse cõiugatam: alter malicioſis artibus, per lenas, per uinolẽtiam, per ueneficia deniq; ſtruxit inſidias illi cui inuidebat pudicitiæ laudem, quo gloriari apud ſuos congerrones poſſet laudatiſſimę matronę pudicitiã à ſe expugnatam. Vterq; commiſit adulterium, ſed huius adulterium centuplo grauius eſt adulterio alterius. Quod exempli gratia dictum eſt de adulterio, per omnes ſcelerum ſpecies duci poteſt, ſtuprum, furtum, ebrietatem, crapulam, homicidium, hæreticum errorem. Verum hæc perſequi nunc non eſt animus, uel quia eſt infinitum, uel quia nobis aliãs ſuper hac materia ſatis admoniſſe uidemur, & expedit admoneri ſæpius, quod in hoc ſupra modũ uulgo peccatur. Iam priuſquam ad communes illas argumentorum ſedes ueniamus, quas & dialectici τόπους appellant, Latinè locos poſſis dicere, admonendus eſt lector, locũ uocabulum quadrifariam accipi. Loci dicuntur communes, quod ab utraq; parte tractentur, licet non in eadem cauſa, Veluti qui teſtimoniis grauatur, ſuadet non eſſe fidendum teſtimoniis. Contrà, qui iuuatur, dicit pro teſtimoniis: atq; item de cæteris quæ ſupra retulimus, quum de inartificialibus ageremus. Huic generi finitimæ ſunt ſententiæ, quas uelut extra cauſam exaggeramus, ſed ita ut cauſæ quam agimus ſeruiant. Quod genus ſunt amplificationes uirtutum, & exaggerationes uitiorum. Veluti quũ accuſamus aliquem quod per improbos conuictores pertractus ſit ad ſceleris conſortiũ. Locus communis erit, uerbis exaggerare, quantum ad innocentiam tuendam habeat momenti cum bonis uerſari. E diuerſo quantam perniciem moribus adferat improborum conſuetudo. Sed de his quoq; poſtea. Tertio ſenſu loci dicuntur, ſedes argumentorum quas rhetores ad ſingula cauſarum genera accommodarunt, uelut in ſuaſorio, honeſtum, utile, iucundum, facile, neceſſarium, &c. In demonſtratiuo, genus, patria, bona corporis, & bona animi. In iudiciali præſertim inficiali genere, quæ modo commemorauimus. Quarti ſorti ſunt generales, qui declarant quid omnino cuiq; rei accidat, et quemadmodum è ſingulis ducãtur argumenta, partim neceſſaria, partim ueriſimilia. Hi ſunt oratoribus cũ dialecticis communes, quanquam de his Ariſtoteles ſeparatim conſcripſit in topicis, in rhetoricis non attigit. Plurimum autem conferunt & ad iudicandum & ad dicendum. Sed horum tractationem uarietas autorum reddidit inuolutiorem, quod inter hos nec de uocabulis, nec de numero, nec de ordine ſatis conuenit. De his accuratiſſime noſtro ſeculo ſcripſit uir immortali gloria dignus Rodolphus Agricola, ſcripſit autem exactiſſima cura, phraſi uero qua nihil eſſe poteſt expolitius, ſed acumina quædam affectata, ueluti de prima materia, ac digreſſiones, quibus nunc à Boetio, nunc ab Ariſtotele, nunc ab aliis magna quidem ſubtilitate diſſentit, ſatis declarant illum hoc opus nõ cudiſſe pueris ediſcendum, ſed eruditis uiris admirandum. Themiſtium, cuius perſpicuitatem laudat Boetius, nobis uidere non contigit. Ariſtoteles uero ſic tractat hoc argumẽtum, ut uix aliud accuratius. Itaq; factum eſt ut ipſa diligentia qua minutiſſima quæq; perſequitur, nonnihil obſcuritatis offuderit lectori. Iam ſatis deſudat Boetius, ut Themiſtium, Ariſtotelem & M. Tullium redigat in concordiam. Nos quàm ſimpliciſſimè rem trademus, nec lectorem ullis ſalebris difficultatum remorabimur: neq; enim hic rhetorem aut dialecticum inſtituimus, ſed concionatorem. Generalis autem omnium quæſtionum diuiſio hæc eſt. An ſit, quid ſit, quale ſit. An ſit aliquid, cõiecturis queritur. Veluti ſi quis ambigat an ſit deus, Eſſe autem deum, etiam Ethnicis philoſophis fuit compertum, non è ſcripturarum autoritate quemadmodum nobis, ſed è coniecturis rerum conditarum, eo probato ſupereſt quærere, quid ſit deus? Hoc quoque conſtituto, an hoc aut illud ſit. Fuerunt enim qui cœlum omnia complectens putauerint eſſe deum. Alij naturam rerum conditarum ſomniarunt deum eſſe. Alij etiam magis delirantes putarunt animam mundi uniuerſalem eſſe deum. Nos credimus deum eſſe ſubſtantiam incorpoream ac ſimpliciſſimam, qua nihil maius neque melius ſit aut eſſe poſſit. Non quod in deum cadat ullum accidens, ſed quod hæc de deo uerè prædicantur, ſiue concretis ſiue abſtractis uocibus. Deus eſt immortalis & immortalitas, Deus eſt ſapiens & ſapientia, bonus & bonitas, æternus & æternitas, atque eundem in modum de cæteris. Hæc exempli gratia propoſita

Loci quadrifariam dicũtur

An ſit, quid ſit, quale ſit

sciat lector, nō quod fas sit de his ambigere Christianum. Quoniam autem nemo quę rit naturam eorum quæ non sunt, ideo primum locum obtinet ὅρος, quē quidam finem
Definitio aut finitionem, alij definitionem appellare maluerunt. Hæc paucis explicat rei naturam, iuxta rationem substantiæ, ac formæ substantialis. Substantiam hic appello, nō eam cui opponitur accidēs, sed generalius solidam ac principalem cuiusq; rei naturam, Non solum enim quærimus quid est homo, uerum etiam quid est iustitia: nō quod uirtus substantia sit, sed quod sub ratione substantiæ proponatur. Quemadmodum rhetores quærunt, quid sit status, quid schema, quid tropus: Iureconsulti, quid actio, quid iniuria: quū nihil horum uere sit substantia. Et tamen sicut homini additur rationale, non in eo quod quid est, sed sub ratione qualitatis: ita iustitiæ prudentiæq; addūtur suæ formæ, per quas ab alijs uirtutibus distinguuntur. Sic interdum substantiæ uoces, sub ratione accidētium ponuntur: ueluti quū Seneca dicit, Quoties inter homines fui, minus homo redij. In priore parte, homo substantiæ nomen est: in secunda qualitatis.

Definitio unde constet Et uerum est quod tradunt dialectici, ueram definitionem constare ex genere & differentia speciem constituente: ut animal est substātia sensibilis. substantia est genus, animal species, sensibilis additur loco differentiæ, quam si quis exactius excutiat, proprium sit magis quàm differentia: & tamen absoluit definitionem, eo quod cum uoce definita conuertatur, ut animalis uocabulum in nullam rem competat, in quam non cadat sensu præditam esse, neq; quicquam sit sensu præditum, in quod non congruat animalis uocabulum. Ad hoc autem ut aliquid dicatur animal sufficit unus sensus, quum alioqui sint quinque sensus animalis perfecti. Sunt enim in quibus unicus tantum sensus deprehenditur, ut in affixis siue adhæsis, quæ dicuntur animalia, licet imperfecta. De spongijs & urticis dubitant autores an sensum aliquem habeant: & Pythagoras arboribus etiam & herbis tribuit sensum, licet stupidum. Aegyptijs ignis habetur pro animali, quod humore consumpto emoriatur. Nec dubium est, quin unaquæq; res habeat formā internā, per quam
Forma substātialis est id quod est, & nō aliud. Verum ea quoniam ferè proprio nomine caret, abutimur ijs quæ proximè ad differentiæ naturam accedunt. Nam cuiusq; genus inuenire non est difficile. Veluti si quis quærat, quid sit homo, facile occurrit animal. Sed quid est hoc quod facit, ut hic homo sit non asinus aut simius? Si respondeas rationale, animalia erunt angeli & dæmones: ut enim corporibus careant, non tamen sunt expertes rationis. Quanq; Platonici tribuunt illis & corpora naturalia.

Definitio uitiosa Vitiosa autem est definitio, quæ quadrat in aliud quàm quod definitur. Aut definitū uocabulum in aliquid competit, in quod non cōpetit definitio, Veluti si dicas, homo est animal erecto corpore bipes. Est enim simiarū genus quod incedit erecto corpore. Rursus periclitabimur, ne multa animantia bruta affectent haberi pro hominibus. Constat enim in multis, & simplicium agnitionem esse, & simplicium compositionem, & discursum ut dialectici uocant syllogisticum, quum aliud ex alio colligunt. Adde his memoriam & reminiscentiam, quæ singula in brutorum genere comperiuntur experimentis. Porphyrius addit, mortale, cuius uocis accessio, ut nos separet ab angelis, non separat tamen à brutis animantibus. Rursus si hæc definitio esset absoluta, Christus & qui cū eo surrexerunt, iam desijssent esse homines. Porrò risibile quod homini ceu proprium tribuitur, uidetur & canibus & simijs commune. Sed nihil propius accedit ad uim differen
Proprium tiæ, quàm ἄνθρωπον εἶναι, id est, fandi compotem. Nullum enim animal propriè loquitur præter hominem. Vbi igitur uera differētia nos destituit, ad ea quæ sunt illi proxima confugimus, puta ad accidens aliquod, quod soli adest homini, & nulli hominum non adest, quatenus est homo. Quod si his quoq; destituimur, multarum circumstantiarum congerie idem efficimus, quod paucis, sed efficacibus uerbis facere non licet. Huic M. Tullius
Descriptio non indidit nomen proprium, quidam descriptionem uocant, Græci extenuantes appellant ὑπογραφήν. Quod genus sit illud, abutar enim exemplo Ciceronis. Hereditas est pecunia: hic pecunia genus est, modo priscorum more accipiatur, ut non nummos tantum, sed omnem possessionem complectatur. Constat enim à pecu dictam pecuniā, quòd olim diuitiæ fermè in gregibus & armentis erant sitæ: sed genus non absoluit definitionem, quod multis sit pecunia, quibus nulla est hæreditas. Astringendū igitur genus: quæ mor
te alicuius ad quempiā peruenit. At ne sic quidē absoluta est definitio. Multis em̄ modis

res

res defunctorum sine hæreditate ad aliquem peruenire possunt. Addatur unũ uerbum, iure: alioqui furtum dici posset hæreditas. Videtur iam propemodum suis numeris absoluta definitio. Hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiã peruenit iure. Deest adhuc aliquid, Nec ea aut legata est testamento, aut possessione retenta. Nunc perfecta est. Pluribus exemplis non remorabor lectorem, cui facile erit ad hanc imaginem alia confingere. Porrò uix reperias ullam descriptionem tam accurate cõmunitam, ut non aliquà pateat contradictioni, si contingat parum cõmodus ac morosior interpres. At oportet sermonem ad materiam præsentem accommodare. Iureconsulti sic definiunt furtum. Est contrectatio rei alienæ fraudulosa inuito domino. Poterit aliquis cauillari, num adulterium sit furtum: nam illi fraudem appellant damnũ. Aut num si quis inscio domino contrectet rem illius: aut si non contingat, sed intactam alicui uendat, tradátue. Aut si quis cantellam melitæam alienam manu demulceat inuita domina. His cauillationibus nequaq; oportet esse locum, inter ueritatis studiosos, non contentionis. Richardus quidam cui cognomen à sancto Victore, quem non in postremis habent Sorbonici, hũc in modum definit articulum fidei. Articulus est ueritas indiuisibilis de deo, arctans nos ad credẽdum. Hæc definitio commodo auditori satisfacit, per quam intelligit rei naturam: quemadmodum in corpore hominis natura diuisit brachium à manu, & ipsum brachiũ in plures partes diuisibile est: at digitorũ articulos ita cõiunxit, ut articulus quisq; amplius diuidi non possit, nisi frangas. Frangere autem non est diuidere. In hac tamen definitione cauillator multa reperiet, quæ calumnietur. Quomodo indiuisibilis, quum hic articulus, Qui cõceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, à recentioribus theologis in duos articulos diuisus sit? Et quum ueteres duodecim tantum articulos numerarint, recẽtiores autem alij tredecim, alij quatuordecim, in confesso est aliquos posse diuidi. Si quis respondeat, indiuisibiles dici quosdam, quod diuidi quidem possint, sed diuisi non sint, gemina est contradictio. Primum indiuisibilis aliud significat Latinis quàm indiuisus, & à recentioribus aliqui diuisi sunt, ante Richardum ni fallor. Quis porrò illos diuisit, aut coniunxit, nisi pictor, qui singulis apostolis suum attribuit articulum? Rursus, de deo, non uidetur in omnes articulos competere: uelut Ecclesiam sanctam, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, de deo non loquuntur. Hic si quis respõdeat, & illos ad deum reduci cuius uirtute sanctificatur ecclesia, & cuius spiritu remittuntur peccata, & cuius potentia reuiuiscunt mortui: Respõderi potest, omnes uirtutes esse articulos fidei de deo, quod absq; dei gratia nulla sit uirtus. Postremò quod additur, arctans nos ad credẽdum, sic potest conuelli. Fides fundatur in intellectu, intellectus autẽ liber est, nec cogi potest, persuaderi potest. Nec hic deest quod respondeatur, sed mea sententia friuolum est. Commodius ita definisset. Articulus fidei, est irrefutabilis ac diuinitus reuelata ueritas, paucis uerbis comprehensa, necessario credenda ijs qui student æternam salutem amplecti per fidem in Christum Iesum. Quanquam hæc particula Per fidem, &c. poterat omitti.

Etymologia

Iam quibusdam etymologia uidetur habere speciem definitionis, quod pleraq; nomina ab ipsa rerum natura sumpta sunt. Inde enim nomen habet etymologia, quod uera sit aptaq; rei nota quam significat. Vt rex dicitur à regendo, lex ab eligendo, quæ conducũt reipub. reijciens quæ officiunt. Et cõiuges uocãtur, quod in lætis pariter ac tristibus communicantes, uelut idem ducunt iugum. Et Posthumi dicuntur, qui post humatũ patrem nati sunt. Vt Cæsones, qui uiui ex utero matris excti sunt. Quid autem differant iter, actus, & uia: Item prospectus & lumen, ipsæ uoces indicant. Sed de his antea nonnihil attigimus, quum de circunstantia nominis tractaremus, dicturi plura, quum per singula recurrentes usum cuiusq; cõmonstrabimus. Quum Plato sic definisset hominẽ, Homo est animal bipes implume: Diogenes in scholam illius immisit gallum gallinaceum reuulsis plumis, En inquiens homo Platonis. Hic iocus fortassis in Platonem confictus est. Sunt tamen qui non minus absurdè definiunt, dialectices imperiti.

Definitionũ formæ

Iam sunt quædam elogia siue sententiæ, quæ nonnullam definitionis speciẽ præ se ferant quũ reuera non sint. Huius generis uariæ sunt formæ. Nam quũ nomen obscurũ exponitur notiore uoce, uidetur etymologiæ species: ueluti si quis batuit interpretetur, percutit. Paucioribus enim notũ est quid sit batuere. Est & typus, quũ definitionis loco ponitur exemplum, uelut si quis rogatus, Quid est substãtia, dicat, homo, equus, lapis. Quod

definitionis

definitionis genus ridetur à Socrate: quũ quidam interrogatus quid esset uirtus, respondit, Iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia, & cætera. Tũ Socrates suo more εἰρωνεύεται, Papè, inquit, hic nobis pro una uirtute examen uirtutũ producit. Fit & ex accidentibus descriptio: ut homo est, quod ad pietatem ac disciplinas liberales docile est. Fit ex pluribus coniunctis, quum nullum per se sufficiat. Vt luxuriosus est, qui uictu delicatior est, cultu sumptuosior, in libidinem effusior. Ducitur à fine diuerso. Rex est, qui in gubernando spectet reipublicæ commodum, non suum: Tyrannus, qui ad suum priuatum cõmodum gerit principatum. Item per similitudinem, ut adolescentia est flos ætatis, senectus est occasus uitæ. Peccatum est mors animæ. A contrarijs, damnum est lucro contrarium. Pater est qui habet liberos. Filius est, qui habet parentem. Mortuus est, qui non uiuit. Interdum enim alterum è contrarijs est alterò notius ac magis in confesso. Per analogiam, ut homo est minor mundus. A causis, dies est, sol supra terram: nox est, sol infra terram. Sonus, est duorum corporum collisio. Iam & ænigmata ambiunt in definitionum ordinem recipi: ut homo est animal, primum quadrupes, mox bipes, deinde tripes. Et ne formas omnes persequar, quæ infinitę confingi possunt: est quę laudis causa sumitur, ut lex est mens & animus & consilium, & sententia ciuitatis. Veluti quum Paulus dicit, Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Encomium fidei uerius est quàm definitio. Laudaturus enim fidem, hoc elogio præparat auditorem. Tantam uim habet fides, ut per eam illa quoque quæ nec ingenio nec sensibus comprehendi possunt, certius credamus quàm si sensibus haberemus comperta, eaq; speremus, quorum interim nullum apparet uestigium. Alioqui si uoluisset definire fidem, dixisset, Fides est habitus diuinitus infusus, per quem sine ulla uacillatione credimus omnia quæ ad salutem æternã necessaria sunt. Sic qui dixit, Comœdia est humanę uitæ speculũ: non definiuit, sed elogio notauit quod illa habet eximium. Similiter qui diceret, Aurũ est pater adulatorum, curarum filius: nõ definit, sed elogium dicit. Sumitur & à uituperio, qualis est illa Platonis, Voluptas est esca malorum. Sententia est definitionis speciẽ habens.

Sequuntur genus & species. Genus quidam malunt appellare totum, speciẽ formam. Genus est quod latius patet, & plures species sub se continet, de quibus prędicatur in eo quod quid est: ut percontanti quid est homo, aptè respõdetur animal: & percontãti quid est iustitia, rectè respondetur uirtus. Nam animal sub se continet asinum, equum, aquilam, piscem & hominem. Virtus continet iustitiam, liberalitatem, prudentiam, fortitudinem & temperãtiam. Nihil autem uetat eandem uocem ad superiora relatã esse speciem: ad inferiora, genus. Quemadmodum idem potest huic esse filius, illi pater. Exempli gratia, Animal si referatur ad substantiam corpoream species est: si ad equum, asinum, hominem, &c. genus est. Ita uirtus si referatur ad habitum, species est: si ad iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, &c. genus est. Hæc uocantur ὑπάλληλα, quod alijs subsint, alijs præsint. Porrò genus ultra quod progressus non est, genus generalissimum appellant: ut speciem extremam quæ in alias species diuidi non potest, sed tantum in individua, speciem specialissimam appellant: quæcunq; in medio sunt, ὑπάλληλα sunt. Vt si à corpore animato transcẽdas ad substantiã, ad genus generalissimũ peruenisti, nisi mauis ad ens, quod accidentia quoq; cõplectitur. Et si ab animali descẽdisti ad asinũ, aut hominẽ, non est quò descendas ulterius, nisi ad hunc & illum asinũ aut hominẽ. Homo autem ab homine non differt specie, sed numero siue modis individualibus. Ita si ab habitu transcendas ad qualitatem, ad summũ genus peruenisti, nisi mauis ad accidens. Rursus si descendas ad liberalitatem, ad sobrietatem, &c. non est quò descendas amplius, nisi ad hanc & illam. Sunt tamen in his quæ uocãtur individua tam insignes differentiæ, ut dubites species distinguantur an numero tantũ, ut sunt asini cornuti, & equi prælongo collo, homines unico pede, sed prælato, Sciopodes dicuntur: aligeri, monophthalmi, auribus utrinque ad terram demissis. Quidam pro sermone stridorem habent, nec aliter fugiunt cæterorum hominum consortia quàm feræ. Si dicas, ratio separat hominẽ à brutis, Iam dictum est & in brutis esse rationem, in alijs stupidiorem, in alijs euidentiorẽ. Eadẽ diffi-cultas est in herbis & plantis & gemmis. Illud admonendum, apud scriptores genus frequenter usurpari pro specie, interdũ & pro differentia accidentali. Veluti quũ distinguunt genera aquilarum, aut genus dicunt pro specie, si tamen ulla aquila ab aquila differt

differt specie: Aut genus appellant accidentalem differētiam. Sic medici diuidūt apium in uaria genera. Et Vergilius dicit, quod genus hoc hominum, quum loquatur de moribus inhumanis. Genus igitur & species non hoc suapte natura significant, ad quod usurpant dialectici, sed docendi gratia ad hanc significationē à dialecticis sunt accōmodata. Id quod necessariò factum est in omnibus disciplinis: ut στάσις, apud Græcorū populum significat seditionem, apud rhetores caput causæ, quod idem sonat apud Latinos rhetores constitutio: quum alioqui constitutio sit lex aliquid præscribens autoritate publica.

Ad definitionem faciunt differentia & proprium, de quibus iam per occasionem dictum est. Differentia est forma substantialis, quæ addita generi constituit speciē, atq; eandem ab alijs speciebus distinguit. Vt rationale (sit hoc interim differentiæ loco) additum animali cōstituit hominem, distinguēs eum ab alijs brutis. Eandem uim habet proprium, quod perfectissima ratione proprium est, hoc est, quod conuenit uni tantū speciei, & omnibus sub ea contentis, & semper: ut homini potestas sermonis. Nec obstant impedimenta, quæ præter naturam hominis sunt. Est proprij genus quod omnibus sub specie constitutis conuenit, at non solis. Quemadmodum ignis proprium calfacere, sed calfaciunt & alia, ut motus, uinum & aromata. Ita nullus est ignis, qui non habeat lucem, sed nō solus ignis lucet. Lucent enim in tenebris & gemmæ quædam, & insecta, ut lampyrides, & pisces nonnulli & ligna quædam putrefacta. Iam sunt quædam propria non speciebus siue formis (Nam M. Tullius horret speciebus & specierū dicere) sed nationibus, ut nigror in Aethiope, candor in Germanis, perfidia in Pœnis, militiæ studium in Caribus, stolidi tas in Phrygibus, lepos in Atticis, barbaries in his qui sunt ultra Silesiam. Item in personis, ut periurium in lenone, blandicies in meretrice. Deniq; sunt quædam singulorū hominum propria: ut in Catone seueritas, in Hortensio comitas & elegantia. Sed de his suprà dictum est. Valent enim ad argumenta probabilia. De proprijs autem ac differētijs non eodem modo differunt rhetores atq; dialectici. Etymologiæ quā M. Tullius uult esse definitionis genus, subijcit coniugata, quod utrobiq; ex ipsa uocum affinitate ducitur argumentum: sed hoc interest, quod in etymologia est expositio nominis, in coniugatis ex similitudine ac deriuatione uocum ducitur argumentum. Neuter locus uidetur Fabio multum ad probationem habere momēti: ut si quis assiduum interpretetur diuitem, quod dictus sit ab asse dando, aut philosophum sapientiæ studiosum, notatio est. At si dicas, si ager compascuus est, licet compascere, coniugatio est: quoniam compascuus & compascere, uoces sunt sibi cognatæ. Et si philosophus est sapientiæ studiosus, nihil aliud est philosophari, quàm sapientiæ dare operam.

Differentia

Coniugata

His adiungitur locus qui appellatur diuisio & partitio. Hæc enim docēdi gratia distinguntur, ut diuisio sit generis in formas, ut animal diducitur in hominem, auem, asinum & piscem. Nam genus hæc omnia in se complectens quasi totum quoddam, cui quæ subiecta sunt, ueluti membra sunt. Vnde & Cicero fatetur, species quas ipse maluit appellare formas, interdum & partes uocari. Partitio uero, quum totum, siue (ut quidam appellare malunt) integrum, diducitur in suas partes, uelut in mēbra, tum in corporalibus, tum in ijs quæ intellectu tantū percipiuntur, Vt quum corpus hominis diuiditur in caput, humeros, brachia, thoracem, uentrem, ilia, crura & pedes: aut domus in tectum, fundamentum, & parietes. Hæc sensu percipiūtur. Rationis sunt illa. Ius diuiditur in legem, morem & æquitatem. Si rempub. diuidas in monarchiam, democratiam, oligarchiam & aristocratiam, diuisio erit, qua totū in formas diducitur. At si rempub. diuidas in partes, equestrem ordinem & populum, partitio erit. In summa tamen omnis diuisio aut est substantiæ in substantias, ut animalis in hominem, & cætera bruta: aut substantiæ in accidentia, ut animalium aliud bipes, aliud quadrupes, aliud pedibus carens: aut accidentis in substantias, ut si uolatilia diuidas, in aquilam, noctuam, & alias species. Aut accidentis in accidentia, ut eruditorum alius ex se doctus est, alius à præceptoribus institutus.

Diuisio
Partitio

Diuisioni Fabius subijcit locum ab exordio, incremento, & summa, quod omnis res in hæc tria diuidi possit, initium, progressum, & consummationem: uelut in prælio iurgium est exordium, quod Iuuenalis appellat tubam rixæ, incrementū cædes, summa stragis. Ex initijs summa colligitur, ut, non possum totā prætextā sperare, quū exordiū nullum uideam. Rursus è summa colligitur exordiū, ut, Syllā nō sumpsisse arma dominatus

Exordium
Locus

causa

causa, argumentum est, deposita dictatura. Similiter ex incremento ducitur rei ratio in utranq; partem, ut quum quæritur, an ei cædes imputanda sit, à quo iurgium cœpit. Cædes enim incrementum est, medium inter exordium & summam. Verũ hæc magis pertinent ad tractationem temporis, de quo iam dictum est, & euentus de quo mox dicetur.

Similitudo Similitudo quam Græci uocant ὁμοίωσιν, quoniam non solum facit ad probationem, uerum etiam plurimum lucis ac dignitatis adfert orationi, inter schemata quoq; refertur à rhetoribus. Cui subest fictio, analogia, exemplum & imago. Quanquam extremũ hoc nihil facit ad probationem, sed tantum ad euidentiam & grauitatem orationis. ὁμοίωσις erit, Vt grauissime peccant qui fontem publicum unde hauriunt omnes, ueneno inficiũt: ita pessime merentur de republica qui principis animum pernicios is consilijs deprauant. Item: quemadmodum in periculosa nauigatione non ei committitur clauus qui opibus aut nobilitate præcellit, sed qui gubernandæ nauis peritia cæteris præstantior est: ita non oportet principatum tradere ei qui cæteris ditior sit aut genere clarior, sed qui prudentia

Fictio & fide cæteros anteeat. Fictionis exemplum erit: ut stultus sit qui nauim in qua uehitur perforet, ita stulte faciunt qui patriæ moliũtur exitium, qua subuersa nec ipsi possint esse incolumes. Huius usus latissime patet, in similibus, exemplis & comparationibus: aptissima est concionanti, quod ex confessis ac manifestis ratiocinatur, & rem mire subijcit oculis. Si Christus uisibilis adesset, quomodo reuereremur illius præsentiam, qua religione terræ quam calcasset figeremus oscula? At is nobis adest in sacris literis, nobis loquitur, nos hortatur, & illic eum improbè contemnimus. Quis illo præsente auderet quicq; indecens uel loqui uel facere? At nunc illius oculis conspicua sunt omnia, & perinde quasi cæcus sit ac surdus, quod homine teste nõ auderemus, illo spectatore audemus. Si Christus in terris uersaretur, quid est in rebus nostris quod illi non gaudentes impartiremur? Et ecce is tibi adest in proximo egente, & grauaris illi uestem aut panẽ porrigere. Quàm abominandus tibi uideretur, qui Christum in corpore apparẽtem, conuicijs impeteret, aut colaphis cæderet. At hæc non uereris illi facere in membris ipsius. Quicquid iniuriarum ingeris in proximum tuum, in Christum ingeris. Hic iuuatur, hic lædítur, quum ipse nec egeat ullius beneficio, nec ulli pateat iniuriæ. An non hoc ipse manifestò profitetur in Euãgelio: Quod unicuilibet ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. Christus est in cœlo, Quid refert? posteaquam ille non minus uidet, audit, sentit quæ facis, quæ loqueris, quæ cogitas, quàm si astaret proximus. Si qua esset saga, quæ magicis artibus etiam illa sciret quæ gereres in occulto, nonne solicite caueres ne quid admitteres quod maleficam in te iritaret? Et tanta securitate deum contemnis, cuius conscientiam fallere non posses, etiãsi te in intima terræ abderes. Videt ingeniosus lector, quàm multa possent ad hanc rationem confingi.

Paragoge Inductio Erit autem paragoge, si quis multis similibus siue ueris siue cõfictis, in medium adductis, assensionem eius qui cum agit eliciat, ac deinde inferat id quod concessis simillimum est, quod genus argumentandi Socrati fuit familiarissimũ. Exemplum erit, Si in tempestate esset è multis admouendus aliquis clauo, utrum admoueres genere proximum, aut formosiorem, aut opulentiorem, an gubernandæ nauis peritissimum? Responderetur, peritissimum. Si periculoso morbo laborares, utrum cõmitteres te medico formosiori aut ditiori aut propinquiori, an medendi peritissimo. Vtiq; peritissimo. Si liberos instituendos haberes, utrum eligeres moderatorem genere proximum aut nobilissimum, an eruditione fideq; præcellentem. Haud dubium quin instituendæ pueritiæ peritissimum. Si equos egregie pulchros & charos haberes, utrum eos curandos crederes, propinquitate aut nobilitate commendato, an curandi arte spectatiori. Vtiq; spectatiori. Si domum ædificare uelles, utrum eam locares nobiliori an fabricãdi artem melius callenti? Nimirum fabricãdi doctiori. Huiusmodi similibus propositis, adderet id cuius gratia id adhibuit. Stultè igitur faciunt, qui in eligendo magistratu, magis spectant opes, claritatem, aut propinquitatem, quàm administrandæ reipublicæ peritiam cum fide coniunctam. Eandẽ uim obtinent ficta similia: ut, si quis nauim perforet in qua uehitur, nonne uideatur insanus? Si quis domum conuellat, cuius ruina sit ipse quoq; perituru, nonne demens habeatur? Cæteris item ad hunc modum confictis inferat. Dementes igitur qui quo quosdam ulciscantur, patriæ exitium moliuntur, quæ nisi sit incolumis, ipsi incolumes esse non possunt. Idem tamen efficiet una similitudo quod plures, modo quadret.

Hac

Hac arte Nathan illexit Dauidem, ut aduersus seipsum pronunciaret, proposito simili de paupere & ouicula abducta. Simile quiddam narratur accidisse apud Zelandos. Taurus prętoris occiderat uaccã rustici cuiusdã. Is adijt prętorẽ, ac precatus pauca dicendi ueniã, ea permissa dixit, Meus taurus transilijt fossas, & occidit uaccam tuã, quid iuris? Prætor nihil metuens insidiarũ, Solues, inquit, hoc ius est. Mox rusticus, Domine prętor, licétne pauca? (nam illic mulcta præsto est, si quis in iudicio loquatur, non præfatus ueniã. Id factũ est ne ex multiloquio uel rixa nascatur, uel tẽpus superuacuis teratur) Cõcessa igitur dicendi uenia, Lapsus sum, inquit, lingua: uolebam dicere, Tuus taurus occidit uaccam meam. Hic prætor cõmotior. Isthæc, inquit, alia res est. Tum rusticus impetrata dicendi uenia. Imò, inquit, eadẽ res est, Et recte pronunciasti. Exempla idẽ efficiunt quod similia, nec quicq̃ interest, nisi quod hęc sumũtur à factis cũ autoritate. Vt, quemadmodũ equus si paulatim exerceas, redditur ad ferendos summos labores tolerantior: ita corpus hominis si per gradus assuescat maioribus, tolerat quę alius nõ auderet attingere. Simile est. Exemplũ erit Milo Crotoniates, qui singulis diebus ad aliquod stadia gestando uitulũ, eundẽ post taurũ factũ ad tantundẽ spatij facile gestauit. Et fictio locũ habet in exemplis, quẽadmodum & in similib. Veluti si fingamus aliqua similia facta à Milone, aut ab alio quopiã. Ad exẽplorũ genus pertinere uidẽtur, multa quæ sumũtur à brutis & inanimis. Vt, Elephanti nõ coeũt nisi in semotissimis locis, & forte interuenientẽ occidunt. Quãto magis decet in cõgressu cõiugum, tametsi licito, multũ adhibere pudoris. Et delphini minores non sinunt uagari in comitatos, quanto magis oportet hominẽ liberis suis adhuc teneris adhibere pędagogum. Et una quæq; arbor alit quod genuit, decet igitur et matres suo lacte nutrire filios suos. Analogia uix distinguitur à similitudine. Vt, quæ ratio est ternionis ad dyadem, eadẽ ratio est senarij ad quaternarium. Hic analogia est: an simili tudo dici possit, nescio. Id quod oculus est in corpore, princeps est in repub. Par est igitur ut quẽadmodum oculus prospicit toti corpori, ita princeps cõsulat reipub. uniuersę. Hic fortasis utrunq; uidebitur, et analogia & similitudo. Iam & illud cõmune est similibus & exemplis, quod sumuntur aut ex pari, aut ex minore, aut ex maiori. A pari uidetur quod adfert Cicero: Si tutor fidẽ præstare debet, si socius, si cui mãdaueris, si qui fiduciam acceperit, debet etiã procurator. Nam omnes in hoc uidẽtur pares, quod fiduciarij sint. Quid aũt sit fiduciã accipere, ne quẽ hoc remoretur, Boetius exponit, Si quis dubio tẽpore amico potentiori fundũ mancipet, ut eũ amoto periculo remãcipet, cui mãcipatur fundus, si ducia accipere dicitur. Sed ambigat interdũ aliquis, quid sit maius aut minus. Maius est gubernare regnum, q̃ domum. Illud igitur qui potest, & hoc poterit. Rursus maius est regere ciuitatẽ q̃ nauem: & tamen non quisquis ciuitatẽ gubernat, poterit & nauim gubernare. Et maius est callere philosophiam, q̃ sutoriam: nec tamen statim hanc præstare poterit, qui illam potest. Nec semper oportet argumẽtari per posse. Consequẽs est, ut si nauta arte & cura regit nauem, multo magis oporteat principem consilio & uigilantia moderari rempublicam. Item maius uidetur quod deus facile gubernat uniuersum mundum, quàm si quis regat ciuitatem: nec tamen consequens est, hominem facilius pręstare quod minus est. Oportet enim & in personis & in rebus esse analogiam. Si Semiramis extruxit ac rexit Babylonẽ, consequens est & uirum idem posse. At nõ cõsequitur: si mulier parit, idcirco & uir. Iam accessione negationis quod maius erat fit minus, & contrà. Nec enim consequens est eum non posse gubernare domum, qui non potest rempublicam. Sed qui nescit regere domum suam, multo minus sciet rempublicã. Sic argumẽtatur Paulus. Qui domui suæ præesse nescit, quomodo prouidebit ecclesiæ dei? Illud igitur in genere maius est, quod iuxta sensum communem probabilius est adesse. Itaq; deum sine negocio gubernare mũdum, minus est eo quod est principem facile moderari rempublicã. Porrò quum sic argumentamur, mundum deus regit prouidentia: igitur princeps debet prouidẽtia regere ciuitatem, ab exemplo uerius quàm à simili colligimus. De exemplis suo dicetur loco. Argumẽtatio quæ fit per similia, dissoluitur per dissimilia. Ea Marco Tullio differentia dicitur. Fallit enim sæpenumero similitudo, uelut Quemadmodum argentum uetus præferẽdum est nouo, ita amici ueteres spectatiq; pluris habendi sunt quàm noui. Simile est. Dissimile illud, Non ut domus aut uestis noua melior est uetere, ita amicus nouus prę ferendus est ueteri. Similia uidentur, seruire, & seruum esse, quum multum interſit discri-

Exempla

Exempla à brutis

Analogia

Par, impar

Etymologia

Differentia

Dissimile

minis. Nam addicti ad tempus seruitutẽ seruiunt, & tamen in eos non conuenit ius quod in seruos proditum est. Ciceronis exemplum hoc est, Non quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore autore soluas: ita quod pupillo aut pupillae debeas, recte possis eodem modo soluere. Hic similitudinis species est, quod mulier & pupillus æque sub tutela sunt, ut idem ius uideatur cum utroq; agendi: sed interest, quod mulieres olim sub perpetua tutela tenebantur, pupilli non nisi ad certum tempus, & pupillis non permittitur quicquam agere sine autoritate tutorum, quod per ætatem nondum idonei sint ad expendendũ quid expediat rei familiari, quod mulier adulta potest. Itaq; dissimilitudo magis conuenit refutanti quàm probanti. In exemplis igitur pariter, atq; in similibus uidẽdum est ne falsa specie uel fallamus uel fallamur. Si patres carnis eruditores habuimus & reuerebamur eos, multo magis obtemperabimus patri spirituum et uiuemus. Recte adhibita est similitudo. Vtrunq; dei præceptũ est, obedire parentibus & obedire deo. At si quis ad hunc colligat modum: Præceptores, animorum quodammodo sunt parentes: quod si carnis genitori phas nõ est filiam suam uxorem ducere, multo minus licet præceptori discipulam ducere: Vides fallere similitudinẽ. Et tamen ex hac natæ sunt tot perplexæ cõstitutiones de affinitate spirituali, quum tale nihil uetuerit deus. Marítus qui uxorem catechismo conuertit ad Christum, illi quodammodo pater est, & tamen sine scelere dormit cum illa. Qui sic ratiocinatur, Quoniam anima partibus infinitis præstantior est corpore, magis metuendum est peccatum quod mortem adfert animæ, quam pestilentia quæ corpori mortem minatur, is recte colligit. Verum qui hoc pacto, Si mors corporalis liberat alterum cõiugum à uinculo matrimonij, multo magis mors spiritualis, an recte colligat nescio. Prius illud euidenter docet scriptura, hoc posterius nequaquam. Iam si spiritualem mortem interpretamur mortificationem affectuum mũdanorum, ualde metuo ne perpauci sint, qui hac mente monachorum profiteantur institutũ. Sin ipsam professionem accipimus pro mortificatione, hæc nimirum est omnium Christianorum communis: & tamen si duo coniugati baptismum accipiant, neuter fit liber ad nouandum matrimonium, quum iuxta similitudinem uterq; alterius spirituali morte debeat esse liber. Quod si dicamus mortuos non cõtrahere matrimonium, incidimus in hæresim quæ inter Christianos damnat omne coniugium. Præterea si quis ita colligat: ut ei cui cor uulneratum est frustra adhibetur remedium, quoniam malum est insanabile, ita qui mẽtem habet capitali culpa sauciam, non est uocandus ad pœnitentiam, mortuo enim frustra adhibetur medicina: perperam ratiocinetur à simili. Sed de his incidet aliâs plura dicendi locus. Illud animaduerti in quibusdam scholis pleroscq; argumentari à similitudine, quum in serijs argumentationibus parum efficax sit collatio. Id primum inde suspicor natum, ut quoniam in solennibus theologorum disputationibus inuitãtur & iureconsulti & medici, aliquid aspergeretur, quod & diuersæ professionis auditores agnoscerent.

Nunc quod instituí persequar, quædam non solum dissimilia sunt in aliqua parte, ue-

Opposita rum etiam contraria & inter se pugnantia. At hæc in genere Aristoteles appellat ἀντικείμενα, quę rectius dixeris oppositа. Varijs enim modis aliquid alteri opponitur siue aduer-

Contraria satur. Est oppositorum genus quæ contraria dicuntur. Et horum quædam sic inter se pugnant, ut nihil admittant medium, uelut luxus, & frugalitas, sanitas & morbus, integritas & debilitas, diligentia & socordia. Alia ut recipiant medium, ut albus et niger: neq; enim ut qui stultus non est consequitur esse sapientẽ, ita qui niger non est cõsequitur esse albũ. Potest enim esse rubidus, pallidus, aut croceus. Vtrunq; est eorum quæ sub eodẽ genere continentur, ut sapientia & stultitia sub habitu, album & nigrũ sub colore: mutato enim genere soluitur contrarietas. Velut si de uoce aut sono loquaris, acuta & grauis contraria sunt: si de gladijs aut similibus, acutum & obtusum contraria sunt. Sunt rursus quæ contraria uidentur, quum nõ sint. ut amicis benefacere, inimicis male, uidẽtur inter se pugnare, quum utrunq; conueniat in bonum uirum: sed amicis benefacere & amicis malefacere reuera contraria sunt. Quædam sibi aduersantur per priuationem habitus, unde &

Primatiua στερητικὰ uocantur. Qualia sunt uidens & cæcus, audiens & surdus, uiuus & mortuus, lux & tenebræ, & si Marco Tullio credimus, omnia quæ habent particulam priuatiuã, qualis est ἀ Græcis: in, Latinis: ut ἔμπειρος peritus, ἄπειρος imperitus, & humanus in humanus. Alia per relationem, ut pater & filius, dominus & seruus, duplum & simplum: debi-

Relatiua

tor,

tor,creditor,conducere locare, Rursus alia per contradictionem, quæ Tullius appellat aientia & negantia,Dies est,non est:uidēs,non uidens. Inter hæc irreconciliabile bellum est.Eoq; Marcus Tullius appellat ualde cōtraria. Reperias enim quod neq; sapiens neq; stultum appelles,item neq; mortuum neq; uiuum, neq; patrem neq; filium:nihil autē reperias,quod non aut uiuum sit,aut non uiuum:album aut non album. Sequitur locus triplex,ab adiunctis,antecedentibus & consequentibus iuxta triplicem temporis differentiam. Quoniam autem de argumentis quæ à tempore ducuntur satis dictum est, inter ea quæ accidūt rei, nō est consiliū illis repetēdis onerare lectorem. Sequuntur repugnantia, quæ sic distinguūtur à cōtrarijs,quod ex illis cōsequantur:uelut cōtraria, uel cōtradictoria potius sunt,recte accipere,et non recte accipere:ex horum tamen priore consequitur, non posse ab inuito auferri:ex posteriore,posse auferri. Quod autē testamento acceptum est,recte acceptum est,non potest igitur ab inuito auferri. Quidam repugnantibus adiungunt consequentia,siue, ut quidam appellant plerunq; contingentia: ut repugnans sit,si mater est non odit filium, quod præter communem naturam sit matrem odisse filium, quemadmodum præter naturam ac morem seruilem est, seruos ex animo bene uelle dominis. Consequens uerò, Qui amat non lædit sciens. Nam hoc exemplum adfert Fabius,quum sit ex repugnantibus,quod genus est illud. Quod quis non habuit, non perdidit. A consequentibus erit, Si nouerca est,male uult priuigno. Verum hic locus unus est, negatio addita mutat titulum.

Contradictoria

Adiuncta

Repugnantia

Communiter accidentia

Sequuntur causæ efficientes, & effecta. Ex quibusdam necessaria argumentatio est, ex quibusdā probabilis tantū. Si sol est supra terram, necessariò sequitur esse diem. Si dies est,necessario consequitur esse solem supra terram. Et ubicunq; corpus est in lumine, ibi umbra est: & ubicunq; umbra est,ibi corpus est in lumine. Rursus senectus adfert prudentiā,at nō statim prudēs quisquis senex est,neq; senex quisquis prudēs est. Hic locus cognatus est ei qui dicitur ex cōsequentib. Aristoteles refert locum à generatione,quē Boetius putat eundem cum causa efficiente. Iam quum argumentamur, cuius generatio bona,eius corruptio mala est,à contrarijs argumentamur uerius quàm à causis. Themistius hoc loco inserit causam materialem, formalem & finalem. De finali iam nobis dictum est inter circumstantias personæ. Si quid de formali dicendum est, continetur in his quæ diximus de definitione & differentijs substantialibus. Materia est ex qua fit aliquid, aut circa quod uersatur aliquid:ut ex argilla fit uas, ex puero rudi fit philosophus. Et circa honestum & inhonestum uersatur philosophia, & circa Reipub. gubernatiōem uersatur politica. Fit autem ferè ut quæq; res respiat id unde cōfecta est,ut olla lutum,homo terram: & alimonia mutat ingenium,& decet ut illi quisq; respondeat circa quod uersatur ipsius professio. Quidam euenta separant ab effectis, quum illa etiam sub consequētibus & antecedentibus comprehendi possint. Vt Scipionem fuisse meliorem ducem q̄ fuit Annibal,argumentum est quod Annibalē deuicerit. Et peritus nauclerus habetur, qui nunq; fecit naufragium. Et pro malo medico habetur, sub cuius curatione multi perierunt: & falso delatum fuisse Catonem, quem aiunt quadragies dixisse causam, arguit quod semper fuit absolutus. Causæ affinis est occasio: atq; ut factum imputatur ei qui causam dedit, ita frequenter imputatur ei qui prudens magnam occasionem dedit. Nec immerito dubitatur, uter grauius peccarit, qui persuasit facinus, aut qui peregit. Sic multi mariti præter æquum moliuntur diuortium cum uxore, quum ipsi uel adulterijs suis uel intemperantibus conuiuijs huc ueluti sollicitarint uxorem. Hic oritur inexplicabilis quæstio, quomodo nec præscietia nec uolūtas dei adigat hominem ad peccandi necessitatem, ut quicquam malorum ipsi possit imputari. His adijcitur comparatio, quæ fit ex pari, maiore,& minore:ea,ut dictum est, præcipuè locum habet in similibus & exemplis, de quibus iam nonnulla dicta sunt nobis, & postea plura dicentur. Quanquam ea latius etiam patet,uelut in coniecturis. Si quis audet fallere patrem, tanto magis audebit & cæteros. Qui facit sacrilegium, faciet & furtum. Qui non ueretur committere furtum, non uerebitur abiurare furtum. Hæc ex maiori. Et ex minore illud. Qui facile ac palam mentitur, peierabit. Non perinde urget argumentum à minore, sed adfert tamē aliquam probabilitatem, quod nemo repente turpissimus fit,ut ait Satyricus, sed à leuioribus uitijs homines proficiunt ad grauiora, quemadmodum facile ac temere iurando, discimus peierare. Ex pari

Causa efficiēs

Euenta

Occasio

Comparatio

erit. Qui ob reum iudicandum pecuniam accepit, & ob dicendũ falsum testimõniũ accipiet. Conducit & ad iuris cõfirmationem, quæ pertinet ad statum qualitatis. Ex maiore: Si adulterũ licet occidere, licet & loris cædere, Si furẽ nocturnũ occidere licet, quid ni latronẽ? Ex pari: Quę pœna aduersus interfectorẽ patris iusta est, eadem aduersus matris. Hęc tractatio pertinet ad syllogismum. In statibus enim ratiocinatio uocatur, quum de re quam agimus nulla certa lex prodita est, sed ratiocinando ex alijs legibus probationem arcessimus. Cæterum idem erit usus in his, de quibus scriptura nihil expressit. Postremo ualet & in definitione & qualitate. Si corporis robur bonum nõ est, minus sanitas. Si furtum scelus, magis sacrilegium. Horum prius ex maiore, posterius ex minore: Ex pari: si abstinentia uirtus, & continentia. Super est ut omnium catalogo proposito per singulos recurramus, adijcientes si quid peculiarius ad ecclesiasten pertinebit.

Sunt igitur in summa hi loci.

Inartificiales
- Præiudicia
- Rumores
- Tormenta
- Tabulæ
- Iusiurandum
- Testimonia
- Diuinatio
- Oracula

Quibus nihil addendum arbitror, quod mihi uidear satis indicasse, quis hinc usus esse possit Ecclesiastæ

De signis quæ media sunt, nonnihil attigimus.

De exemplis, suo loco dicetur

Inter artificiales locos sunt accidentia

Personæ
- Genus
- Natio
- Patria
- Sexus
- Aetas
- Educatio
- Habitus corporis
- Fortuna
- Conditio
- Animi natura
- Studia
- Affectatio
- Antefacta &
- Antedicta
- Commotio
- Nomen.

Rei
- Causa
- Locus
- Tempus trifariam consideratum
- Casus
- Facultas
- Instrumentum
- Modus

Nec his opus est quicquam addere.

Sub-

Subijciam locos quos ex Aristotele decerpsit M. Tullius ac Themistius.

Sunt hi,

Definitio	Exempla
Descriptio	Dissimilia
Etymologia	Pugnantia
Coniugata	Opposita
Genus	Contraria
Species	Priuatiua
Differentia	Relatiua
Proprium	Contradictoria
Diuisio	Repugnantia
Partitio	Consequentia
Inductio	Casus siue euenta
Fictio	Causæ
Exordium	Effecta
Incrementum	Generatio
Summa	Corruptio
Similia	Comparatio

Per horum seriem quanta poterimus celeritate recurrentes, si quid sese offeret, ad concionatoris usum accommodabimus, si prius illud admonuerimus, locorum obseruationē non tantum ualere ad probationes, uerum etiam ad docendū. Porrò docendi uerbum bifariam accipitur, ut ante dicere cœperam. Nam docet qui probat argumentis, quæ prima est oratoris uirtus. & docet qui tradit artis rei cuiuspiam absolutam cognitionem, ueluti qui laudat agricolandi studium, docet argumētis: & qui tradit rationē colendi agros, aut qui præcipit de officijs iustitiæ, docet, sed alio modo. Ille docet ut persuadeat: hic, ut intelligas. Ad utrunq; dicendi genus confert locorum cognitio. De posteriore paucis obiter dicemus, mox ad alterum redituri.

Definitionis tractatio

Docendi ratio

In hac ratione primas tenet definitio, cū ijs quæ illi sunt affinia, descriptione, etymologia & notatione, quæ uocem minus notam, exponit notiore. Primus em̄ docilitatis gradus est, scire quid sit illud de quo sermo futurus est, & quo nomine proprie uocetur: uerbi causa, Qui præcepturus est de temperantia, primum definitione explicat quid sit temperantia. Quod si uox est uariæ significationis, aut obscurior, aut uarie usurpata, aut similium nominum uicinia ambigua, obscuritas explicatione tollenda est: cætera incommoda, distinctione sunt amouenda. Qui profitentur geographiam, distinguūt eam à cosmographia. Quale sit, Euangelium in ore habent omnes: at quid sit Euangelium, non omnibus perinde notum est. Dein apud Græcos uariè usurpatur Euangelium. Interdum pro præmio quod datur læta nuncianti, interdum pro monumento in lætæ rei memoriam erecto. Ab his igitur distinguendum est, & indicandum quid nobis proprie sit Euangelium, Promissio uitæ æternæ per fidem in Christum Iesum. Atque hic protinus existit distinctio Euangelij à lege uetere. Similiter symbolum apostolorum nemo non loquitur, uerū non omnes intelligunt quot modis hæc uox usurpetur, & quid nobis proprie sonet symbolum. Item eucharistiam omnes dicimus, sed tantum Græce periti norunt quid sonet eucharistia. Proinde uidemus Aristotelem omnium philosophorum διδακτικώτατον quū ubiq; tum præcipue in Moralibus fuisse diligentissimum in explicandis ac distinguendis rerum uocabulis. De quibus nisi conueniat, cæca est disputatio, ac propemodum quod dici solet, Andabatarum pugna. Expedit interdum eiusdem rei diuersa explicare nomina, quod aliud sit alio significantius: uelut usura, nobis ab utendo dicitur, & ad alias quoque res accommodatur, quibus ad tempus utimur, quū aliud sonet usura quum uetamur proximo dare ad usuram. Ea Græcis τόκος dicitur, id est, partus, quod pecunia mutuo data, pariat lucrum ei qui dedit. Fœnus autem dicitur à ferendo, quæ uox magis quadrat in terram, quæ plus reddit in messe, quàm acceperat in semente. Consimilem in modum encænia, non perinde à multis intelligitur ac dedicatio: Græca uox dicta est ab innouando siue initiando: Latina dicitur hinc, quod res aliqua toto iure destinatur in certum usum: quemadmodum nos, dum in baptismo initiamur & innouamur, utiq; dedicamur Christo &

sto & eius cultui. Hinc translata uox ad consecrationē templorum, qua cultui diuino dicantur. Cæterum quum baptismū dicimus, Græca uox notior est Latina, tinctura. Vtraq; uox ambigua est, ad lotionem siue mersionem & colorē. Vnde Græcis herba quædam dicitur ἄβαπτον, quod in eam non hæreat humor aquę, si ui immergatur: at quum dicunt, βάμμα σαρδονικόν, de colore sentiunt, unde & bis tincta βάμματα uocant. Vtraq; nominis ratio congruit in eos qui renascuntur lauacro. Siquidem mersione abluuntur à peccatis, & consepeliuntur cum Christo, reuicturi in uitæ nouitatem: & qui prius erāt Aethiopes nigri criminibus, exuunt ueterem hominem, & Christum induentes candido agni uellere amiciuntur. Ergo per Etymologiā, notationē, descriptionem ac definitionem cognoscitur ratio nominis, quid proprie declaret in præsenti argumento, & quomodo differat à finitimis, & cui generi subsit, & quā habeat formam qua à genere ad certā speciē arctatur, quid habeat proprium. Per diuisionem aūt cognoscitur quas sub se contineat species, & quibus notis differat species à specie, quibus accidentibus eadē species differat à seipsa, aut indiuiduum ab indiuiduo. Neq; parum lucis adferunt admota contraria. Fit enim facilius enumero, ut alterum contrariū sit altero notius. Veluti malignus est contrariū candido, si de animi rebus loquaris: si de rebus externis, candidum nigro opponitur: at in liquoribus, acri contrarium est lene, dulci amarum, blando austerum: in rebus animi, lene opponitur iracundo. Interim una uox utrinq; contrario contingitur, ut frugalitati contraria sunt, luxus & sordes, liberalitati profusio & auaritia. Verum ne singulis hunc in modum commemorandis fiam prolixior, in uno exemplo demonstrabo quot in eādem sententiā incidant loci, qui sapienti ministrent occasionem ut fiat sapiētior. Sumatur in hoc baptismus, cuius si requiras genus, est primum è septem nouæ legis sacramentis. Si quæris genus astrictius, est de numero eorū sacramētorum, quæ semel rite collata nō possunt iterari. Huius sit differentia, Vis per fidem in Christum gratis abluendi omnia peccata cuiuscunq; generis. Proprium uideri poterat, quod est initerabile, nisi recentiores theologi uoluissent hoc & alijs quibusdam esse commune, in quibus cōstituunt characterem indelebilem, uelut in confirmatione, unctione suprema, et ordine: arrepta occasione ex Augustini uerbis, an recte intellectis nunc nō disputo. De nominis interpretatione duplici, iam diximus. Ex genere, differentia, & proprio, constituitur definitio. Diuiditur autem iuxta accidentia in tres species, in baptismū sanguinis, fluminis, & flaminis. Quanq; potest & aliter diuidi secundum accidens, ut sit unus qui datur morientibus, quos olim per iocum clinicos uocabant: in aspersionem, unde & aspersi uulgo dicebantur potius q̄ baptizati, in baptismum infantium & adultorū. Si causas excutias, finis est uita æterna. Materia est aqua & uerbū, nisi mauis hæc instrumenta uocare. Materia in quam agit uis sacramenti, est anima hominis: forma, est actus sancti spiritus. Efficiens, est sacra trinitas. Nam sacerdos aut alius baptizans nihil aliud est q̄ instrumentū uiuum, siue minister. Effectum, est innocētia gratis data per fidem, siue homo renatus. Exordium est, perceptio elementorū fidei: incrementum, perceptio reconditioris doctrinæ. Summa est, perfectio in euangelica pietate. Ex antecedentibus est pœnitentia uitæ prioris, ex adiunctis siue cōtinentibus plena fiducia de promissis Christi. Ex consequentibus, uitæ innocentis progressus. Generatio & corruptio est, quia moritur uetus homo, exurgit nouus. Similitudo est, quemadmodum in mari rubro perierunt deo rebelles, & incolumes euaserūt Hebræi: ita in baptismo peccator occiditur, & existit innocens. Dissimilitudo est. Nō ut in baptismo gratis citra confessionē, etiam si non adsit contritio, remittuntur omnia peccata etiam originis: ita per sacramentum pœnitentiæ sine contritionis nitro, & lachrymis abolētur omnia cōmissa. Possunt aūt ad eandem rem multa similia ac dissimilia accōmodari. Analogia fuerit, quod in ueteri lege præstitit infantibus circuncisio, hoc in noua præstat baptismus. Cōparatio, Vtrū res efficacior, baptismus nobis, an circūcisio ludæis. Et an idē possit pœnitentiæ sacramentū quod baptismi. Et an professio uitæ monasticæ æquet aut superet baptismum. Consequentia sunt, leuius amare terrena, uehementius aspirare ad cœlestia, & huius generis cætera. Repugnantia sunt, militare mūdo & seruire Satanæ eum qui Christo imperatori dedit nomen. A casu siue euētu ita duci poterit argumentū, Baptismū non esse rem simpliciter humanam illud arguit, quòd tanto studio ab uniuersis nationibus iam olim expetitur, quodq; huius summos etiam monarchas non pudet esse candidatos.

Diuisionis tractatio

Loci complures circa rem eandem

Compara

Comparationes innumeræ possunt adduci. Si miles ob exiguũ cõpendium imperatoris iussa facit, usq; ad uitæ iacturã, quãto magis oportet obtẽperare Christo duci nostro, qui pro breui leuiq; militia promittit uitam æternã in cœlis. Cõiugata erũt, Si quis per baptismum fit miles Christi, æquũ est sub illius signis bona fide militare. Contrariũ est seruum esse Satanæ: rem magnã præstat baptismus, qui nos ex hac seruitute restituit in libertatẽ filiorum dei. Priuationis erit: sed detestanda res est animus sceleribus maculatus, expetendus est baptismus, qui creat in nobis animum immaculatum. Contradictio fuerit, Si filius dei est, quisquis cum fide baptizatus est: filius dei non est, quicunq; baptizatus non est. Relatio fuerit: baptizatus si recte patrem appellat deũ, par est ut illi præstet obsequentem filium. Aut si dei filius es factus, abnegandus est ille pater impiorum. Arbitror me in uno exemplo locos fere omnes indicasse.

Verum his contentus non est qui docet, sed omni ex parte accersit quæ iuuant rei cognitionẽ. Velut à tẽpore antecedenti, quibus modis deceat hominem ad baptismũ prępa rari, A præsenti, qua reuerentia, quibusq; ritibus sacerdotes hoc oporteat administrare sacramentũ, cũ qua religione deceat catechumenũ suscipere. Mox ad ea ueniendũ quę seruant & augent baptismi gratiam. Contrà, quæ uitiant aut irritam faciunt: & hic aperit se campus de baptismatibus inefficacibus aut improbatis. Quod genus erãt baptismi gentium, quæ noctem, ut ait ille, flumine purgabant, Item de lotionibus Pharisæorũ, qui à foro reuersi lauabant corpus, domi subinde calices & æramenta proluebant. Habent & hodie Iudęi sua baptismata sabbataria. Hic incidit locus de baptismo Ioãnis, quid præstiterit, Item de baptismis nõ rite peractis, de baptismis hæreticorũ, rursum de anabaptismis, qua peste nunc turbatur ecclesia, deq; quorundã opinione, qui putant baptismũ non esse necessariũ ad salutem, tantum esse signũ honorificũ adoptionis. Item an fides aliena sufficiat infantib. ad salutem. Dicendũ interim & de officio susceptorum, & unde hic mos ad nostram ætatem deuenerit. Adhæc, de uitijs ministrantium baptismi sacramentum, de uitijs ac negligentia susceptorum, de culpa eorum qui male uiuendo baptismi gratiam sibi uertunt in augmentum damnationis, aut qui ficte & absq; fide baptismũ accipiunt, tum his malis quod sit remediũ. Adducet baptismũ internũ et externum, quę ratio locũ habet fere in omnib. quę tractat ecclesiastes. Quo quicq; recõditius est, hoc pstantius est & efficacius. Velut in homine præstantior est anima q̃ corpus, & ut quæq; uis animæ maxime remota est à sensib. externis, hoc est excellẽtior. In externis crassissimus sensus est tactus, præstantiores sunt auditus & uisus. Internorũ maxime diuinus est intellectus siue mens, quod à materia corporis sit purissima. In uniuerso nihil est ipso deo retrusius minusq; sensibus expositum, quum nihil maius aut melius. Est quædam docendi ratio per gradus incedens ab extremis usq; rei primordijs repetitos. Veluti de religione cultuq; numinis dicturus, illinc exordiri poterit, quod adeo secundum naturam est religio, ut huius manifesta uestigia deprehendant & in brutis animantibus, uelut in elephantis, Nec ulla reperta sit natio tam immanis & effera, quę nõ aliqua religione cõmoueretur. Priscus cultus qualis fuerit declarat Geneseos cõmemorãs sacrificiũ Abelis & Caim. Superstitio gentiũ, quoniã ueri dei notitiã non habebant, in uarios ritus degenerauit, quosdam etiam prodigiosę absurditatis: à quibus ut populũ Israeliticum reuocaret Moses certas colendi dei cęremonias prescripsit, primum in tabernaculo, donec Hierosolymis extrueretur magnificum illud templum, cuius religio quoniam umbris constabat, ad coruscantem Euangelicæ pietatis lucem paulatim cessit. Quanq; aũt immobilis est Euangelica ueritas, tamen in ritib. progressu temporũ multa nouata sunt, nõnulla etiã pro nationũ diuersitate. Nam in hodiernũ usq; diẽ alius est cultus apud Gręcos, alius apud Indos, alius apud Romanos: per huiusmodi gradus decurret qui totã rei naturã uolet ob oculos ponere. Itidẽ de confessione dicet, qualis fuerit sub lege naturæ, qualis inter gentes. [Nam apud eas quoq; ab initiãdis exigebatur criminum confessio. Qualis sub lege Mosaica, qualis in primordijs Ecclesiæ subolescentis, qualis hodie. Hæc aliaq; permulta considerat, qui docendi munus suscipit. Quanquam autem hoc doctrinæ genus magis usui est ijs qui scribunt libros, aut in scholis profitentur, tamen profuerit ecclesiasten in hoc quoq; exercitatum esse, etiamsi nõ utatur: incidit tamẽ aliquoties ut utatur, uelut quum explicandum est populo quid sit usura, & qui contractus ad usuræ speciem accedant. Frequẽtius aũt incidit ijs qui argumentum

Docendi ratio

aliquod perpetuo tenore exponũt,ueluti decalogum aut ſymbolum apoſtolorum. Huíc dicendũ quid ſit Eccleſia,& quot modis accipiatur. Quid fides,atq; item de cæteris. Similiter quum tractabit de coniugio,de uotis,de iureiurando,& illa proferẽtur ex quibus initijs hæc nata ſint,& quæ his finitima,aut cõtraria ſint,aut cõducibilia aut noxia,quem admodum medici,quum de bona ualetudine diſſerunt,non ſat habent docere,quid ſit bona ualetudo,ſed quibus rebus ea uel ſeruetur uel uitietur. Ariſtotelicũ eſt,primũ rei ſummam & quaſi capita deponere,dein per eadẽ ueſtigia recurrendo ad ſingulas partes quæ ſunt exactioris ſciẽtiæ adiungere,exẽplo artificũ, qui prima manu deformãt rude ſtatuæ ſimulachrũ,mox ad ſingula mẽbra redeunt iterũ atq; iterũ,donec ſummã imponunt manũ. His igitur breuiter expeditis recurro ad ſeriẽ locorũ. De definitione,quę theologis cũ primis eſt neceſſaria,itẽ de genere & ſpecie,differentia,proprio,ſatis opinor dictum,ſane quod ad eccleſiaſten attinet. Nam definitionẽ conuerti cum uoce definita tum in tribuendo tum in remouendo,quemadmodum differentiam & proprium cum ſpecie,nemo puerorũ neſcit. Genus aũt uere prædicari de partibus ſingulis, & quicquid ſub his cõprehenditur,non contrà. Vt quicquid eſt homo, idem eſt animal: at nõ ſtatim quod eſt animal, idem eſt homo. Hæc ratio uertitur in diuerſum in remouendo:ut quicquid nõ eſt animal, homo non eſt: at non ſtatim quod homo non eſt, animal non eſt. Præterea de quocunq; prædicatur genus proximum, de eodem prædicantur & ſuperiora: ut quicquid eſt iuſtitia,idem eſt uirtus,habitus & qualitas. Hic cauendum ne nobis imponat homonymia & polyſemia. Quum dicimus candidam ueſtem & candidum animum,prius candidũ, proximum genus habet colorem,poſterius habitum. Vtrunq; tamen continetur ſub genere qualitatis. Similiter quum dicimus,canẽ marinum,& canẽ terreſtrẽ,& canem pro ſidere. Priores duę uoces differunt ſpecie,quum in animali conueniant. tertia,nec cũ piſce cõuenit,nec cũ animali latrabili. Tantũ eſt ſubſtantia corporea, quanq; non defuerũt qui ſtellas iudicarunt eſſe animalia. Et haud ſcio,an omnia diuerſi generis ſint quæ de deo & rebus conditis prædicantur,ueluti quũ deus dicitur,pœnitere,odiſſe,amare,iraſci,miſereri. Similiter uaria dictionis uſurpatio,ſæpe tenebras offundit intellectui,ſicuti Paulus multifariã utitur his uocibus,lex,caro,ſpiritus. Partitio remotis partibus principalibus remouet totum,tributis ijſdem colligit totum:ut qui nec tecũ dedit,nec parietes, nec fundamẽtũ,utiq; domum non dedit:qui hæc dedit,domũ dedit. Item qui ne corpus habet humana ſpecie,nec mentẽ ratione prædítam,homo non eſt. Rurſus qui corpus habet hominis, mentẽ pecudis,pecus eſt non homo. Præcipua enim pars hominis eſt animus. Diuiſio ſubminiſtrat uberiorẽ argumentandi materiã. Remotis enim omnibus formis, remouet & genus,ut ubi nõ eſt monarchia,nec democratia,nec ariſtocratia,nec oligarchia, ibi nõ eſt ciuitas: Item ſi deus nec loco mouetur,nec generatur,nec corrumpitur, nec alteratur, cõſtat omnino nõ moueri. Hic cauendum,ne qua pars aut ſpecies omittatur, quæ ſi proferatur uel cum riſu ſoluitur ratiocinatio. Notatum eſt ab eruditis dilemma Theophraſti, ni fallor, diſſuadẽtis matrimoniũ, Si duxeris formoſam, habebis communẽ: ſin deformẽ, habebis moleſtiã: quod in medio ſit forma ſtata, quæ nec tędio ſit marito, nec expoſita omniũ concupiſcẽtiæ. Interdum propoſitis duobus cõuincitur eſſe totũ falſum, quod aſſumit aduerſarius: ueluti, ut ſit ciuis Romanus, aut natus ſit oportet, aut factus. At quũ nec natus ſit, nec factus, qua fronte ſe prædicat ciuem? Idem fit interim propoſitis pluribus partibus, quemadmodum in ſuperiore liquet exẽplo. Velut in illo, quod à Cicerone refertur: ſi nec cenſu, nec uindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber. Hic ſi proferatur quarta ratio, qua quis ſit liber, concidit argumentatio. Interdum duobus aut pluribus propoſitis, remotis cæteris, unũ relinquitur uerũ. Vt hic ſeruus quem tibi uendicas, aut uerna tuus eſt, aut emptus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus. Remotis ſuperioribus, probatum erit eſſe alienũ. Tertius modus eſt, quum duo proponuntur inter ſe contraria, quorũ utrũcunq; elegeris, conſequitur id quod probare aut ſuadere nitimur, Veluti mẽtietur in tormẽtis qui cruciatus ferre poterit, mẽtietur qui nõ poterit. Rurſus quó ſchema ſi intelligitur? quó ſi nõ intelligitur? In priore argumẽtatione utrũcunq; cõceſſeris, ſequitur nõ eſſe credendũ tormẽtis: in poſteriore, ſchematibus non eſſe utendũ. Quoniã ſi intelligitur, caret gratia nouitatis: ſi non intelligitur, fruſtra dicitur quod non intelligitur. Item, ſi tibi ſcelerum conſcius es, quur tibi blandiens in alios ſæuus es?

Recurſus per loca

Definitionis tractatio

Partitionis tractatio

Diuiſionis tractatio

es? Si non es conscius, cogita tibi posse accidere quicquid homini accidit. Ex utroq; colligitur moderatius emendandos qui peccant, Scitum est illud Antigoni regis, qui fratrem petentem, ut lis quam habebat cū quodā, nō in foro, sed domi cognosceretur, hoc dilemmate reppulit: Si causam habes iniustā, quur litigas? si iustā, quur fugis publicū & hominū conscientiam? Rursus aut uera prædicūt astrologi, aut falsa, aut ambigua: si ambigua, perinde est ac si nihil p̄dicant: sin falsa, cōtumelia est deludi mēdacio: sin uera, aut læta sunt quæ p̄dicunt, aut tristia: si læta, solicitaberis spe, & quæ eueniēt, amiserint gratiā nouitatis: sin tristia, miser eris ante tempus, & conduplicabitur malū: frequenter enim metus est ipso malo grauior. Consequitur igitur inutilem esse futurorum præscientiam. Item si parum amicus est, stultum est illi committere arcanum, sin amicus, memento posse fieri inimicum: consequitur nullum committendum arcanum. Consimiles formæ sunt, in quibus duobus aut pluribus propositis è singulis colligimus quod nobis cōmodum est. Vt, si uir bonus est, demus uirtuti: sin malus est, demus homini. Item in primis discendæ literæ, quæ in rebus aduersis erunt solatio, in prosperis ornamento, in uita priuata honestam adferent oblectationem, in magistratu dabunt salubria consilia, adolescentiæ concilia, bunt honestam famam, senectuti autoritatem. Interdum proponuntur duo, quorum alterū, sit magis eligendum: Si non litigas, perdis argentum: si litigas, perdis animi tranquillitatem, sed pecuniæ leuior est iactura. Est uitiosum dilemma, quod Græci uocant ἀντιστροφον, quod in aduersarium retorquet utrunq; cornu: quale est illud Euathli, qui cū Corace sic erat pactus, ut tum solueret mercedem posteaq; artē rhetoricam perdidicisset: uocatus in ius, ita proposuit. Rogat Coracem, quis esset artis finis, quum audisset persuadere dicendo: Nihil, inquit tibi do Corax: nam si persuasero iudicibus, nihil debeo ex iudicū sententia: si non persuasero, nihil debeo ex pacto, quod nōdum assequutus sim finē artis. Id ex pari retorsit Corax, Imò si uiceris hanc causam, debebis ex pacto: sin uictus fueris, debes e iudicum sententia. Ad hoc genus pertinēt, quos Soritas, crocodilitas, & pseudomenos appellant. Sorites enim colligit ex remotione partium. Velut unus nummus non facit diuitem, nunq̄ igitur ex accessione nummi quisquam fiet diues. Velut unus dies non facit senem, nullus igitur fiet senex. Hunc syllogismum Latine dicere possis acerualem. Pseudomenos siue mētiens est in quo utrumcunq; elegeris, falsum erit quod dicetur. Cretenses esse mendaces dicit Epimenides ipse Cretensis. Si Cretenses nō sunt mendaces, mentitus est Epimenides: si uerum dixit, quoniam Cretēsis est qui dixit, falsum est Cretenses esse mendaces. Verum hęc argumentatio non consistit, nisi propositionem indefinitam accipias pro uniuersali. Nam ut falsum est omnes Cretenses esse mēdaces, ita uerū est, aliquos Cretenses esse mēdaces. Eiusdem generis est crocodilites. E fictione dialecticorum nomen inditū est. Crocodilus rapuerat filium mulieris, cui supplicanti sic respondit Crocodilus, Reddam si uerum responderis. Dic igitur: Reddam an non? Non reddes, inquit, et ideo reddes quia uerum dixi. Atqui si reddidero uerum non dixisti, et ideo nō reddam. Verum hæc sunt Chrysippi sophismata, lusus non illepidi adolescentulorum.

Dilemma uitiosum

Ad Antistrophorum genus pertinet quod Græci uocāt βίαιον, Latine uiolentū possis dicere, quoties argumentum retorquetur in aduersarium, quasi quis ab hoste missum telū arripiat, & in ipsum remittat. Huius & frequēs & serius usus incidet Ecclesiastæ, præsertim in refutando. Exemplum aptissimum est in Euangelio: Seruo causanti austerita- tem domini sui, herus ita respondet, imò tanto magis oportuit meam pecuniam deponere ad usuram, quia sciebas me esse hominē austerum & lucri auidū. Succurrit hic quidam non infacetum, quod olim ex Thoma Moro tum adolescente, nunc uiro omnium quos multis seculis habuit Anglia ingeniosissimo, accepi. Rex Hēricus eius nominis Septimus proposuerat exactionē precariā, mutui nomine. Richardus Episcopus Vintoniensis, cui cognomen Vulpi, uir minime stupidus, apud clerū agebat principis sui negocium. Contra, sacerdotes hoc agebant, ut q̄ minimū darent. Idq; ut efficerent, duplici uia captabāt. Alij ueniebāt magnifice culti, ne uiderētur esse pecunioſi. Splendidus em̄ uictus exhaurit opes. Rursus alij ueniebāt sordide culti. Vtriq; se pariter excusabant. At episcopus utrisq; retorsit argumentū. Tibi, inquit, non deesse pecuniā declarat iste tuus amictus tam splendidus. Et, te colligere pecuniam declarat, quod tam misere cultus es. Verum hoc illi natura non ars rhetorum dederat. Simile est quod Plutarchus Alexandri Magni dictū

βίαιον

dictum torsit in diuersum. Is à Diogenis colloquio digressus, amicis admirantibus, quòd sordido Cynico hoc honoris habuisset, Imò, inquit, ni Alexander essem, Diogenes esse uellem. At eo magis optandum erat ut esset Diogenes, quia Alexander erat. Idem hodie responderi posset quibusdam negantibus decoram aut utilem principi esse philosophiam. Imò neminem magis decet aut iuuat philosophia quàm principem, cuius officium est tot hominum millibus consulere, cuiusq; pectus tot negotiorũ procellas sustinet. Horatius frequenter hortatur ad uoluptates hoc argumento, quòd hominis uita tum breuis est, tum incerta. Imò hoc minus aliqua uitæ pars luxu perdenda est, sed ob id ipsum tota uirtuti danda quod breuis est & incerta. Quidam admiratus est cantoris improbitatem, quod quũ artis esset imperitus, tamẽ musicam profiteretur. Id alius detorsit in laudem, quòd quũ talis esset mallet canendo q̃ latrocinio uictũ quærere. Quidam Catoni seniori uitio uertebant quòd quadragies fuisset uocatus in ius. Hoc ad laudẽ hominis retorqueri potest. Sẽper inuisa fuit plurimis eximia uirtus, quia pauci boni, & simile gaudet simili. Rursus è proximo potest arripi quo retorqueas. Imo hoc arguit insignem Catonis integritatem, quòd toties accusatus, semper iudicum sentẽtijs absolutus est. Atque ut domo quoq; nõnihil adferam: Amicus quidã à me rogatus quur tam magnificè ędificaret, Vt, inquit, æmulis meis ostendam mihi non deesse pecuniam. Immo, inquam, isto pacto declarabis, tibi deesse pecuniam. Sed hic iocus erat. Addam aliud serium, Quum Romæ agerem, quidam nõ optimè sentiens de dogmatibus fidei Christianæ quibusdam coniuronibus ostenderat in Plinio libri VII. caput LV. in quo uir ille miserandus deridet eos, qui putarent animas hominũ à morte superesse, secus q̃ aliorum animantium. Accitus sum, nam aderã in eodẽ conclaui cũ alio confabulans. Veni. Rogatus sum, Ecquid haberem, quo tantũ autorem refellerẽ. Respondi me nulla re magis confirmari ad credendum immortalitatem animarũ quàm illo capite, quo nihil esset in eo autore stupidius aut indoctius. Existimat enim uehementer absurdum, si quis credat aliter spirare hominem, quàm ranas aut asinos. Deinde ait esse quędam animantia uiuaciora homine, quibus nemo tamen tribuit immortalitatem. Ad hæc, rogat, quomodo animæ exuræ corporibus, cogitent, uideant, audiãt, gustent, olfaciãt, tangãt, quæ si desint, putat nihil esse boni reliquũ. Et quod est omnium stolidissimum, solicitus est, ubi sedeant tot animarum milia. Nullum autem plausibilius uincendi genus, quàm quum hostis suo iugulatur gladio.

Contraria falsò

In contrarijs illud est annotandum, quod prius attigi, non semper esse uere contraria quæ prima fronte uidẽtur, siue in singulis uocibus, siue in proloquijs. Velut, acutũ & graue contraria sunt, sed duntaxat si de uocibus aut sonis loquaris: si de solidis corporibus, acuto cõtrarium est obtusum, graui leue. Nec uero semper opponitur falsum, sed uerum interdum sonat perfectionẽ et eminentiam: ut quũ pater de filio bene morigero dicit, hic est uerus filius meus, nõ sentit reliquos esse falsos, sed hunc esse eximiũ. Nec ueritati semper opponitur falsitas. Lex habet umbras, Euangeliũ ueritatẽ. In lege tamẽ nulla erat falsitas, sed in Euangelio dilucida ueritas. Nathanael dictus est uerus Israelita, nec ob id alij erant falsò Israelitę: Sed hic eximiè, qui & genere & morib. referebat patriarchã Iacob. Ac de se dominus: Ego sum uitis uera, quod solus ex se daret membris suis, quod radix & stirps uitis dat palmitib. Ita dominus cõparatus uiti naturali, uera uitis dicitur. Rursus uitis in agro nascens Christo comparata uera dicitur, quia sine tropo dicitur, nec ideo Christus falsa uitis est. Verus deus est qui cõdidit uniuersa, nec tamẽ falsò dij sunt, de quibus scriptũ est: Ego dixi, dij estis, sed mutata est appellationis ratio. Itidẽ solus, nõ semper excludit comitẽ, sed aliquoties declarat eminentiã. Quemadmodũ singulare et unicũ dicimus, nõ quod solũ sit, sed quod egregiũ. D. Augustinus huiusmodi uocibus offẽsus inuertit ordinẽ sermonis dominici, sed mea sentẽtia durius, Vt te pater & quẽ misisti Iesum Christum cognoscant solum uerũ deum. Sed interim iuxta istos excluditur spiritus sanctus, si solus excludit socios: & spiritus sanctus nõ erit uerus deus, si uerus semper opponitur falso. Non me fugit, hunc locũ rectè exponi ab orthodoxis, ut nihil faciat pro Arianis: citra mutationem ordinis quam induxit Augustinus uidelicet ut solus & uerus nõ excludant filiũ & spiritum sanctum, sed gentium deos. Nam pater, filius & spiritus sanctus, unus deus sunt, & solus ac uerus deus sunt. Potest tamen locus & aliter habere sensum catholicum, ut prima persona dicatur solus uerus deus. Pater enim solus est pater & solus uerus deus, quia

quia solus est fons deitatis, nec ab alio habet ut sit deus, quemadmodum filius & spiritus sanctus, eoq; in solo patre est perfectissima principij ratio, quã illic designat nomen uerus, nec tamen ex hac patris eminentia cõsequitur naturæ inæqualitas. Hoc dictum uelim, ut dictum non sit, si non probet ecclesia. Tantum de singulis uocibus. In proloquijs hoc erit exemplũ. Amicis benefacere decet, inimicis male. Contraria uidẽt quod ex uerbis contrarijs constent, quum reuera contraria nõ sint, quum utraq; cõpetant in bonũ uirũ, iuxta sententiã Aristotelis. Sed amicis benefacere & amicis malefacere, reuera cõtraria sunt. In cæteris locis nõ est magnopere quod addamus, & si quid erit, post incidet opportunitas. Illud in genere admonedũ est, Ecclesiasten hos locos ad usum latiorẽ accõmodare, q̃ faciunt dialectici, quorũ exemplа ferè suffrigida sunt: non enim magnum est, si persuadeamus nõ esse hominẽ quod nõ est animal, sed huius occasiõe loci submouebit ab hominis cognomine, quicunq; non gubernãtur recta ratione, sed prauis cupiditatib. agũtur in omne flagitij genus. Hos dicet ipsis mutis pecudib. esse magis brutos. Nam illæ iuxta naturã suã moderate uiuũt. Hi rapiunt ad ea quæ præter naturã sunt. Salsum est quod de Diogene legimus, qui in foro conscenso suggesto clamauit, audite homines, audite homines. quum accessissẽt frequẽs multitudo, flagitaretq; ut quæ uellet diceret, iam adesse quos uocarat: Ego, inquit, turbam uideo, homines nõ uideo. Idem accensa in meridie lucerna obambulabat per forũ, quærẽti similis. Rogatus, quid quæreret, hominẽ inquit, quæro, sentiens in tam frequẽti turba nullũ esse dignũ hominis cognomine. Scitũ est illud Socratis, quem quum adolescens adijsset, dicens, pater iussit me cõuenire te, ut me uideas: Loquere igitur, inquit, ut te uideam: sentiens uerum hominem intus esse, qui non cernatur oculis corporeis, sed in oratione tanquam in speculo reluceat. Similiter negabit nobilitatis titulum competere in eos, qui pudenda committunt, quum uera nobilitas sit honesta fama uirtute parta. Dicet non esse ingenuos, sed turpissimam simul ac miserrimam seruire seruitutem, qui militant Satanæ, qui se mancíparunt mãmonæ, & Veneri, alijsq; uitijs, quũ uera libertas sit habere pacem cum deo. Negabit esse diuites: qui rebus externis ac mox perituris opulenti sunt, quibus aut non utuntur ob auaritiam, aut turpiter abutuntur ob nequitiam. Negabit esse sanos, qui falsas bonorum imagines, pro ueris bonis amplectuntur. Negabit esse uirgines, quæ corpore intacto, mentem habent pollutam, quum uera uirginitas sit, corporis simul & mentis integritas. Negabit esse matrimonium, ubi non est castus pudor, ac religiosa charitas, sed tantum studetur libidini, intemperantius, quàm faciũt animalia rationis expertia. Negabit esse Christianos, qui non aguntur spiritu Christi, utcunq; baptismo tincti sunt. Negabit hanc esse uitam, quæ tot malis obnoxia, nihil aliud est q̃ cursus ad mortem. Negabit esse principem, qui ad suum commodum tenet Remp. Negabit esse sacerdotem, qui nihil habet sacri præter unctos digitos & rasum caput. Huius generis infinita exemplа possint adduci. Ex his tamen colliget concionator, quantam dicendi materiã suppeditet definitio. Dialecticus unam modo sententiam adducit, de quo prædicatur definitio, de eodem prædicatur definitum, & contrà, At Ecclesiastes circa quemq; locum plurimas inueniet sentẽtias. Nec illud modo spectabit ad descriptionem, ut ea quadret ad rem descriptam, sed totam rei speciem uelut in tabula depictam ponet ob oculos, ut spectatorem, uel in amorem rapiat si uirtutis imago describitur, uel in odium, si uitium depingitur: ueluti si quis describat, q̃ sit egregium animal uerus monachus ac φερώνυμον, aut quàm fœda res luxus.

Definitio latius tractata

Descriptio plenior

Iam nominis etymologia, tametsi non multũ habet ponderis in causis forensibus, non mediocrem tamen usum adfert ad suadendũ, laudandum & exhortandum. Homo iuxta quosdam à Græca uoce deducitur ὁμοῦ. Itaq; ubi nõ est mutua charitas, ac societas amica, ibi non sunt homines. Ecclesia dicitur congregatio siue concio, quæ cõuenit ad audiendũ uerbũ dei. Proinde ubi nõ uacat doctrinæ sacræ, ubi sunt discordes animi, ibi nõ est ecclesia. Hæreticus dicitur ab ἀιρέομαι eligo, quia mauult id sequi, quod ipse suo sensu elegit, q̃ quod per scripturas Ecclesia tradidit. Schismaticus dicitur à σχίζω, id est, à secando: quis quis igitur inter bene coniunctos, quippe unius corporis membra, serit discordiam, schismaticus est. Theologus hinc dicitur, quod de deo loquatur. Itaq; theologi non sunt, qui nihil crepant nisi philosophos & sophismata: Dominus in Euangelio, definitione retundit Iudæorum arrogantiam, iactantium sese quod essent filij Abrahæ, negans eos

Etymologia

esse

esse legitimos Abrahæ filios, qui iuxta carnem ex illius stirpe genus ducerent, sed qui fi/dem eius ac pietatem imitarentur, Itidem cohibet suorum audaciam, negans eos sibi co/gnatos esse qui tantum sanguinis propinquitate ipsum contingerent, sed eos demum ue/re fratres ac sorores esse, qui parerent uoluntati patris cœlestis. Impios Iudæos appellat diaboli filios, quem factis exprimerent, calumniantes innocentem, ac bene merentem co nantes occidere. Consimilem in modum beatus Paulus deiicit Iudæorum arrogantiam, pronuncians non Iudæos tantum, sed omnes homines esse filios Abrahæ, qui ad illius exemplum fidem Euangelicam complecterentur, hoc est, crederent promissis dei per fi/lium Iesum Christum, Veros esse Iudæos, qui mente essent circuncisi, non præputio. Ve ros esse Israelitas, qui patriarchæ Iacob mansuetudinem ac pietatem æmulentur.

Definitio
Descriptio

Definitio fuerit. Hypocrita est sanctimoniæ simulator. Descriptio est quum dominus illos depingit suis coloribus. Dilatãt phylacteria sua, prolixe orant in angulis platearum, & hoc fuco deuorant domos uiduarum, exterminant facies suas, dant eleemosynam pre/cinente tuba, subinde lauant, nõ solum corpora, uerum etiam discos, sellas & æramenta.

Roman. 16

Itidem Paulus describit pseudapostolos. Huiusmodi dño nostro Iesu non seruiũt, sed uen tri suo seruiunt, & per dulces sermones ac benedictiones seducunt corda innocentium.

Philip. 3

Et alibi, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus uenter est et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

Etymologia

Ab etymologia ductũ est, quod angelus uirgini interpretatur nomen Iesu. Item quod dominus ait Petro, tu es Cephas, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Non nisi super lapidem fundata est domus nunquam ruitura. Tu es lapis, super te igitur. Ab eodẽ loco sumptũ est, quod Paulus non Apostolos, sed pseudapostolos appellat, qui se/met in eius muneris titulum ingerebant, quum nec à domino essent missi, nec Christi ne/gocium agerent, sed suis seruirent commodis. Apostolus enim sonat missum siue legatũ. Vides lector quàm non parcam dicendi copiam suggerat definitio cum locis affinibus. Cæterum etymologiæ tractatio admonebit Ecclesiastẽ, ut interdum exponat idioma seu emphasim uerborum, quod sæpenumero faciunt ecclesiæ doctores, præcipue Hierony/mus. Idioma est, quod Paulus prodesse uocat ædificare, lædere, destruere. Emphasis est, quod idem fraudulentam persuasionem qua Galatæ fuerant inducti in Iudaismum, ap/pellat fascinationem.

Genus & Totum latius

A genere ac toto admonebitur, ad exhortandum, ut animos nostros ab his minutis ac singularibus, quæ sensibus expositа sunt, attollamus ad ea quæ semper eodem modo sunt, & ratione non sensu percipiuntur, usq; ad immensum illum omnium rerum fontem & autorem, in quo sunt æterna cunctorum exemplaria. Ea res dilatabit angustias animi nostri, qui contemplatione singularium contrahitur ac deiicitur. Sublimius est mundum hunc uniuersum tanq; unam ciuitatem contemplari, cui præsidet monarcha deus: To/tam ecclesiam esse unum corpus, aut unam familiam, quæ nescit interire. Consimilem in modum dicendum est de cæteris, ne fiam longior.

Differentia et proprium latius

Nec satis habebit concionator dicere, rationis esse compotem esse differentiam homi/nis, aut risibile esse proprium hominis, eoq; non esse hominem qui rationis sit expers aut qui non sit risibilis: sed altius spectans, dicet eos demum esse homines, qui pro ratione gu bernantur spiritu dei, per fidem erga Christum Iesum. Homini proprium, esse condito/rem suum agnoscere, & Euangelicæ philosophiæ docilem esse.

Exordium, incrementũ, summa, latius

In quouis argumento iuuabit perpendisse, exordium, incrementum & summam. Ex/ordium humani generis fuit in paradiso: incrementum, sub triplici lege, naturæ, Mosi & Euangelica: summa, seculi consummatio. Similiter ex rebus minoribus, exordiũ pietatis est odisse peccata: incrementum, profectus in fide & charitate: summa perfectio. Item ex/ordium Christianismi est in baptismo: incremẽtum in pietate uitæ: summa in morte. Con tra in uitijs exordium est lapsus per incogitantiam: incrementum, progressus ad deterio/ra: summa, animus obfirmatus in malum, ac traditus in reprobum sensum. Sic institutum monachorũ habuit exordiũ à prophetis in deserto parabili cibo uiuẽtibus, incrementum accessit ex his qui primum Thebaidẽ, mox alia loca solitaria occuparunt, donec ad hanc summam peruenirent. Eadem consideratio potest per omnes rerum species obambulare. Velut unde cœperit obseruatio dierum festorum, unde dedicatio templorum, unde con/

fessio

fessio sacramentalis, unde dignitas episcoporũ, unde primatus Romani põtificis. Quemadmodum Plato docet, unde primum nata sit ciuitas, unde principatus: & iureconsulti docent, unde nata sit seruitus, & quibus gradibus uentũ sit ad ius ciuile scriptũ. Hic locus non tantum ualet ad cognoscendam penitus rei cuiuslibet naturam, uerum etiam ad amplificandam laudem, si quid à prauis aut paruis initijs ad egregium statum processit, tum ad exaggerandum crimen, si quis à leuibus ac laudatis primordijs ad summam iniquitatem profecit. A leuibus ac moderatis initijs nata est monarcharum exactio, uectigal ac tributum, quæ res quò nunc prouectæ sint rectius intelliget, qui legerit acta cẽtum aut ducentis annis antiquiora. A bonis initijs natũ est, quod princeps aut huius uices gerẽs occupat bona apud furem reperta, quòd maris præfectus occupat nauem ac merces è naufragio reliquas. Id enim agebat ea constitutio, ut publica autoritate singula iusto domino restituerentur. Telonia ad hoc sunt instituta, ut si quid à latronibus uiatori fuisset ereptum, præsidio principis uindicaretur. Nunc telonarum nullus est modus, quũ ab his nihil sit præsidij, molestiæ permultũ, & adeo nihil reuindicent spoliatis, ut ipsi interdum præter omne ius merces eripiant, & ab ijs exigant uectigal, à quib. princeps uetat exigi. Iusta de causa cõstitutum est, ut hospitis bona princeps occupet, nimirum in hoc duntaxat, ut ad iustos hæredes perueniant, nec ab alijs diripiantur.

Dedicatio templorum unde

Sed prophanis omissis ad sacra redeo. Templorũ dedicatio à Iudæis pariter atq; ethnicis ad nos defluxit, sed apud nos res eo deuenit, ut minimũ absit à superstitiõe. Quàm superstitiosis ritibus cõsecrantur nolæ, exorcizantur, catechizantur, induntur nomina, adhibentur susceptores ac susceptrices, baptizantur, unguntur, respondere iubentur tinnitu. Nec solũ euocant populum in quem usum primitus receptæ sunt, sed salutant episcopum peregre redeuntem, obstrepũt tonitruis, in quibusdam regionibus cantillant totos dies, obturbant cultui diuino bombis suis, obturbant concionanti. Apud quosdam Corybanticis sonis ita complent omnia, ut non solum ægrotis morbum augeant, uerum etiam sanos in furorem aut in morbum comitialem adigant. Quid nunc loquar de consecratis uasculis, lapidibus ac linteis? Nihil erat necesse in huiusmodi cæremonijs Mosen imitari. Nec ista fiunt gratis, Verum hic est episcoporum à suffragijs quæstus præcipuus. Olim ecclesiæ nihil recipiebant nisi recitantis aut docentis uocẽ. Deinde irrepsit cantus, sed simplex & loquentis pronunciationi proximus, qui uerba non obscuraret, sed efficacius insigeret auditorum animis. Nunc res eo deuenit, ut templa lituis, fistulis ac tubis, atq; adeo bõbardis personẽt, uixq; aliud audiatur q̃ uarius uocũ garritus, ac musices genus tã operosum atq; lasciuum, ut simile nunq̃ habuerint ethnicorũ theatra. Idem accidit in pontificum condonantibus. Principio pauci dies relaxabantur de satisfactione ab ecclesia præscripta, nec id nisi pia grauiq; de causa, puta sicubi basilica necessario foret extruẽda. Grata erat relaxatio, nec ingratus quæstus. Extructa basilica relaxationes cœperunt esse anniuersariæ. Hic pontifices cohibuerunt licentiam, ne flaccescceret ecclesiastica disciplina. Verum res paulatim inundauit, ut quamuis leuissimis de causis maius spatium relaxaretur, imò nulla de causa, si uel conductitius episcopus moueret manum. Postremo relaxationes dilatatæ sunt usq; ad purgatoriũ. Hinc iam quæstus uberrimus, ac per falsos prophetas persuasum est populo, nummo in rubrum scrinium coniecto, omnes absterfas esse maculas, Romanoq; pontifici esse in manu, animas quas uelit, aut quot uelit, ex igni purgatorio in cœlum eximere. Satis est paucis exemplis indicasse rationẽ, ad quam lector prudens cætera examinet.

Diuisio

A diuisione dictum est illud Esaiæ: Si dominus uester sum, ubi est timor mei? Si pater sum, ubi amor mei? Dilemma est, utrumcunq; concesseris, colligitur illos delinquere. Quanq̃ hic subest alius locus, à repugnantib & consequentibus. Dilemmate Christus occludit os pharisæis, rogans utrũ baptisma Ioannis esset à deo, an ex hominibus? Senserunt illi dilemmatis cornua. Si dixerimus à deo, protinus obijciet, quare igitur non creditis illi de me testificanti? si dixerimus ab hominibus, turbam in nos exasperabimus. Eiusdem generis est illud, Vtrum licet sabbato bene facere an male? Obticuerunt. Si dixissent male, nemo tulisset impium responsum: si bene, hoc ipsum erat bene facere, quod illi calumniabantur. Rursus illud, Si per Beelzebub eijcio dæmonia, corruet regnum illius, si dæmon eijcit dæmonia. Sin in digito dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in uos regnum dei. Vtrumcunq; concesseris, consequitur instare regnum dei. Ad

dilemma pertinet illud Pauli, Mihi uiuere Christus est & mori lucrum. Vtrumcunq; accidat colligit commodum. Si uiuo, Christi negocium ago: si morior, uocor ad coronam.

Inductio Iam inductio non est proprie locus ab alijs diuersus, sed est ratio quædam tractandi similia & exempla, quæ nisi plura numero adhibeantur ad eliciendum assensum, non erit inductio. Quemadmodũ nec fictio locus est specie differens à cæteris, sed tractãdi ratio, dum fingimus esse facta, quæ facta non sunt. Similiter nec comparatio locus est sui generis, sed similibus & exemplis tractandis adhibetur. Itaq; nihil prohibet in eadem argumentatione esse similitudinem, exemplum, inductionem & comparationem, atq; etiam fictionem. Velut in hoc exemplo. Si te asinus aut mulus calce percussisset, num referires? Nequaquã. Si infans ungues in faciem iniecisset, num referres talionem? Minime. Quid si ebrius te contumeliose compellasset, utrum cederes an contenderes? Nimirum cederes. Quid si fatuus aut mente captus colaphum impingeret, num referires? Non opinor, At qui uehementi ira percitus est, minus habet mentis quàm asinus, aut mulus, aut infans, aut ebrius, aut fatuus, aut mente captus.

Consimilem in modum tractari posset locus, qui est apud Paulum primæ Corinthiorum nono, ubi rem eandem probat uarijs similibus, militis, uinitoris, pastoris, bouis triturantis, arantis, sacrario et altari deseruientis, & quod alibi addit, operarij: quę si Paulus in suam transferat personam, erit fictio. Possunt enim omnia, nisi forte excipias bouẽ, quanquam & colonus qui circumagit bouem, uiuit è frumento quod excutit. Potest & comparatio quæ nunc intelligitur explicari. Si militaremus uobis externam militiam, nónne daretis stipendium? Nunc spiritualibus armis tuemur non domos aut agros, sed animas uestras. Si uinitores uestri essemus, & uineam plantaremus, sineretis nos participes esse fructuum. Nunc plantamus in uobis Christum, qui est uitis uera effundens uinum spiritus. Si mercenarij pastores essemus, æquũ duceretis nos de lacte gregis uestri pasci. Nunc non oues uestras, sed animas uestras pascimus cibo cœlesti. Si lex uetat boui obligare os, dum in tritura circumagitur, quanto minus conuenit nobis obligari os, qui uobis excutimus bonum semen Euangelicæ doctrinæ, quod Christus seminauit. Si coloni uestri essemus, & agros uestros proscinderemus, utiq; sineretis nos ex agrorum prouentu ali. Nunc Euangelico uerbo præparamus animos uestros ad percipiendum semen, quod si proue nerit confert uitam æternam. Si in templo lapideo mactaremus aut coqueremus hostias uestras, æquum iudicaretis, ut iuxta præscriptum legis ex immolatis uictum caperemus. Nunc hoc agimus Christi sacerdotes, ut pectora uestra templa sint spiritus sancti, ipsi sitis hostiæ deo uiuenti gratæ & acceptæ. Si fabri essemus à uobis conducti, ut maceriem, aut uillam extrueremus, nónne pro opera numeraretis mercedem? Nunc hoc præstamus, ut ipsi sitis domus spirituales Iesu Christo, in quibus per gratiam inhabitet. Hãc æquitatẽ si ethnicis præstant ethnici, quanto magis decet idem facere Christianos. Quod si nos maiore periculo pugnamus pro uobis quàm ullus miles, si maiore labore & instantia quàm ullus colonus aut opifex, si tanto præstantius est quod nostra opera præstatur, ut nulla sit comparatio, si quod recipimus minus est quàm quod illi: Præter sobrium enim ac simplicem eumq; diurnum uictum nihil requirimus, quum illi frequenter & diuitias colligant: nónne æquissimis conditionibus uobiscum agimus? Vides in eadem argumẽtatione, similia, inductionem, fictionem, & cõparationem, quorum omnium fundamentum est similitudo. Hæc à me uerbosius dicta nõ debent esse molesta lectori studioso. Conducent enim ad eruendas opes, quas in se scriptura habet reconditas rudiq; populo ob

Similia latius oculos ponendas. Inter similitudines illa summa est, qua filius dicitur similis patri: proxima, quomodo homo dicatur conditus ad dei similitudinem, & quomodo illius imagini conformetur per gratiam. Rursus quomodo corrupta fuerit imago, in qua conditus fuit homo, & quomodo male uiuendo quidam pro imagine Christi sumant imaginẽ satanæ. Quum hominem pium amamus, nihil aliud in eo amamus, nisi hanc imaginem. Item quum odimus malos, non oportet aliud odisse, quàm imaginem satanæ. Quanquam autem deo iuxta summam naturam nihil proprie simile dicitur, tamen reperiuntur tenues quædã uelut umbræ præsertim in his quæ deus in creaturis operatur. Deus æternus est. Et spiritualis homo meditatur æterna. Deus omnium summus est. Et homo pius humilia negligit, in cœlis uersatur animo. Deus est omnium communis. Itidem qui perfectus est

studet

studet de omnibus bene mereri. Deus immẽsus est. Et spiritus dilatat piorum animos. De us omnis mali expers est, ad hanc imaginem pro sua uirili enititur mens pia. Deus à nullo lædi potest. Neq; quicq̃ est damnationis ijs qui sunt in Christo Iesu. Deus omnipotens est. Et Paulus omnia potest in eo, à quo corroboratur. Deus omnium dominus est. Et Paulus pijs ita scribit: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mun dus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia uestra sunt, uos autem Christi. Audis diuitias pluſquam regales. Nam quod philosophus non inepte collegit, bonos ui ros esse amicos deorum, amicorum autem omnia esse communia, dijs porrò adesse o mnia bona: Viris igitur bonis nihil bonorum deesse: multo rectius quadrat in eos, qui per fidem in Christum unum cum deo facti sunt. In deum nulla cadit immutatio aut pertur batio. Perpetuam mentis tranquillitatem meditatur pius, qui nec successu rerum effer tur, nec afflictionibus dejicitur. Deus immortalis est, & immortalitatem meditatur pius, non animo tantum, sed & corpore. Siquidem pleraq; corporum corruptio ab animorum uitijs fluit. Cætera hunc in modum conjcienda relinquo lectori, ne fiam longior. Ob has tenues similitudines omnia per metaphoram prædicantur de deo. Sol, uita, leo, agri cola, & cætera. Rursus quoniam illi uere nihil simile est in rebus conditis, omnia negan tur de deo Idem sentiendum de analogijs. Quod deus in uniuerso, hoc princeps in re gno suo, hoc paterfamilias in domo sua, hoc episcopus in ecclesia sua, hoc animus in cor pore. Nihil autẽ necesse est ut similitudo aut analogia quadret per omnia, satis est ea par te cõgruere, qua admouetur. In suadendo mire ducit similitudo, in urgendo nõ habet tan tundem momenti. Proinde cauendum est, ne falsa similitudinis imagine fallamur aut fal lamus. Sunt enim qui confessionem sacramentalem hac asserant imagine: Iudex non pro nunciat de causa, nisi cognitis omnibus causæ circunstantijs. Sacerdos iudicis locum te net, confitens duas personas inter se pugnantes gerit, rei & accusatoris. Sed interim ab est patronus. Adhæc apud tribunalia damnatur confitens reus, hic absoluitur. Præterea qui confert baptismum, absoluit ab omnibus peccatis quamlibet incognitis. Tum si sa cerdos non absoluit nisi à cognitis, manent igitur irremissa quæ confitens oblitus est, aut ignorat. Vt ne commemorem quod sacerdos, quantumuis cognita causa incertus est an absoluerit, an non. Nescit enim an adsit contritio uera. Contritis autem uerisimile iam condonata esse peccata priusquam confiteantur. Sacerdos tantum confirmat dei do num, ac uelut obsignat. Simili ratione probant satisfactionem. Princeps dat diploma con donationis, indicit satisfactionem. Proinde nec absoluendus est quisquam, nisi indicta sa tisfactione. Atqui infinitis partibus largior est dei clementia quàm hominis. Et Chri stus quum dicit paralytico, fili remittuntur tibi peccata, Itẽ quum mulieri peccatrici, re missa sunt tibi peccata, uade in pace, Rursus quum adulteræ, Vade & noli amplius pec care: nullam indicit satisfactionem. Dum hæc commemoro, non damno satisfactionem, sed de probationis efficacia disputo. Vitãdę sunt insuper similitudines, & falsæ uel obscu ræ & incertæ. Falsæ exemplum fuerit, Quemadmodum magnorum fluminum & fontes nauigabiles, ita magnorum ingeniorum indoles statim perfecta præstat. Falsum enim est ullos fontes esse nauigabiles. Obscurę uideri possunt, quas quidam adferunt ad pro bandam unicam essentiam in tribus personis, de mente & amore & notitia: de intellectu, uoluntate & memoria. Euidentior est quam adfert Origenes, de sole, radio & calo re. Eiusdem generis est, quam adferunt è triangulo mathematicorum disciplina, ac om nes ferè quæ ducuntur è numerorũ subtilitatibus. Hęc frigent apud imperitam multitu dinem. Exemplum omnium pulcherrimum & absolutissimum est nobis ędítum in Christo Iesu. Ad hoc exemplar ut quisque proxime accedit, ita maxime est imitandus. Proxime ad Christum accedunt exempla Apostolorum ac martyrum, qui nascẽtem ac suboleſcentem ecclesiam constabilierunt, & quod Christi passionibus deerat quadante nus suppleuerunt. Quanquam & in uetere lege sunt exempla perfectionis Euangelicæ nonnulla. His autem exemplis potissimum est utendum, quæ nobis diuinis uolumini bus sunt commendata. Porrò quoniam exempla imparia plus habẽt energiæ, uel ad pro bandum, uel ad suadendum, uel ad exhortandum aut arguendum, omnia exempla, quæ petuntur à Christo, multis modis imparia sunt, in uniuersum quoniam καθ' ὑπερβολὴν sunt insignia. Aliorum charitas friget, si ad illam pluſquam igneam Christi charitatem

Analogia

Exemplum la tius

conferatur. Aliorum modestia pene dixerim superbia est, si rationem ineamus unde, quò se demiserit. Deinde quicquid in alijs eleuare solet benefactorum laudẽ, id totum à Christo longissime abfuit, ueluti necessitas, casus, meritum, spes redituræ gratiæ: innocens, uolens, pręsciens, gratis uel passus est, uel præstitit omnia. Impar exemplum est quod adducit Esaias: Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognouit, populus meus non intellexit. Primum nõ parum discriminis inter bouem asinúmue, & inter homines. Subest autem emphasis & in nomine Israelis, qui populus erat electus, ac lege diuina eruditus. Dein multum interest inter hominem & deum. Homo iumentum fœno pascit ad sordidam operam. Deus in hoc ipsum condidit hominem, ut conditorem suum agnosceret, ac uitam æternam consequeretur. Vehementer impari exemplo retundit dominus Archisynagogi superstitiosam uocem: Hypocritæ, unusquilibet uestrum nónne sabbato soluit bouem aut asinum à præsepe, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit ab isto uinculo solui die sabbati? Primum ingens discrimen est inter asinum & hominem. Verum hanc inæqualitatem etiam exaggerat dominus quum eam uocat filiã Abrahæ, quod elogium perquàm honorificum erat apud Iudæos, apud deum honorificentius, quod ad exemplum Abrahæ crederet. Illa non legitur quicquam proloquuta, sed tacitum animi uotum uiderat Iesus. Adhæc nonnulla epitasis est in unusquilibet. Quod quiuis è media plebe sibi permittit, uobis approbantibus, in me reprehenditis. Accedit inæqualitas ex modo uinculi: bouem alligauit homo fune canabeo, hanc alligauit satanas misero & cruciabili morbo. Denique è temporis spatio. Non finitis bouem aut asinum uno die alligatum esse, & hanc quæ tot annis alligata fuit, non finitis solui. Simile est de bue & asino delapso in puteum. Hic simile est quod uterq; periclitatur aqua, bos delapsus in puteum, & hydropicus. Nec illis obstabat religio sabbati, quo minus ilico brutum animal extraherent. Hic causabantur sabbatum, ne fas esset hominem diu de uita periclitantem eripere. Extrahere bouem aut asinum, longe seruilius opus est, quàm simplici uerbo sanare hominem. Et illo non putabant uiolari sabbatũ, ut succurreretur asino: hic putabant, si seruaretur homo. Impar est & quod adfert Matthæus XII. Niniuitæ populus barbarus, & à dei religione alienus, ad comminationem Ionæ prophetæ ignoti conuersi sunt ad pœnitentiam: Iudæi lege edocti, prophetarum uaticinijs instructi, prophetarum dominum, apud ipsos natum, tot miraculis celebrem, tam efficaci doctrina prouocantem ad pœnitentiam, non modo contempserunt, uerum etiam occiderunt. Similiter regina Saba, mulier, & mulier barbara, tantum audita fama Solomonis, ab extremis Austri finibus profecta est Hierosolymam, ut coram audiret sapientiam Solomonis, & audítum immensis muneribus honorauit: Iudæi ad ipsos ultro uenientem tam admirabilem cœlestis sapientiæ doctorem conuitijs & omni contumeliarum genere prosequuti sunt.

Luce 13

Contraria latius

Pugnantia siue contraria medium non recipientia sunt, seruire mundo & seruire Christo, quæ duo quidam miscere conantur. Nulla conuentio inter lucẽ & tenebras, inter Christum & Belial. Ita pugnant amor deliciarum, & amor castitatis. Sunt quædam ipsis uocibus palam pugnantia, ut nocens innocens, placere displicere. Quædam tectius, ut opera & gratia, lex & Euangelium. Si ex operibus, inquit Paulus, iam non est gratia: si ex gratia, iam non ex operibus. Aperte pugnant gratuitum & debitum, siue debitum & indebitum. Lex minatur pœnam, Euangelium pollicetur remissionem. Pœna & gratuita condonatio pugnant aperte. Tecte pugnant caro & spiritus, Mundus & deus, fides & operatio, à quibus beatus Paulus frequenter ducit argumenta.

Priuatio latius

A priuatione negant esse reditum ad habitum. Hoc apud physicos fortasse uerum est, apud Christianos falsum. Christus enim ut aliquot uita defunctos reuocauit in uitam, ita resurrexit ipse, nobisq; reuiuiscendi certam spem fecit. Infelicius autem cæcus est, qui caret lumine fidei, quàm qui oculis corporeis capti sunt: & miserius mortui sunt, qui carẽt gratia dei, quàm qui corpore sunt exanimes, & tamen qui fidem amisit, ad fidem reuocatur, & qui gratia priuatus est, gratiam recuperat, sed neutrum absq; miraculo, si miraculum accipimus, pro peculiari numinis energia. Minus quidem euidens, sed longe maius miraculum est, peccatorem in uitijs inueteratum, ad bonam mentem reuocare, quàm cadauer quatriduanum excitare ad uitam.

Relati-

Relatiuorum consideratio latius patet, per omnes enim locos discurrit relatio, uelut inter definitionem & definitum, inter genus & speciem, inter totum & partes, inter simile, & id à quo ducitur similitudo, inter quocunq; modo oppositа, inter consequentia, et id cui comes est res aliqua, est relatio. Similiter nihil repugnat, quod non repugnat alicui. Sic euenta spectant id unde extiterunt. Item inter efficiẽtia & effecta reciprocatio est. Inter materiam & formam, & id cuius est materia ac forma. Inter finem, & id cuius est finis. Iam inter paria, maiora & minora nemo nõ uidet esse relationem. Neq; tamen statim ubi relatio est, ibi & argumentatio est à relatiuis: ueluti quum dicimus, si dominus est, debes illi timorem, si pater debes honorẽ, non est proprie argumentatio à relatiuis, sed à consequentibus. Iam multa sunt tectius relatiua, uelut in dicto cuiusdam regis Lacedæmonio rum: cui neganti quod promiserat, quum flagitator diceret, promisisti ô rex, ita respondit: si iustum est, inquit, promisi, si iniustum, dixi. Quum urgeret flagitator, atqui decet regis simplex promissum æque firmum esse atq; aliorum iusiurandum, Non hercle magis, inquit, quàm uos expẽdere decet, quid à regibus petatis. Mutuus respectus est, inter petere & promittere: nec minus peccat qui temere petit, quàm qui temere promittit. Sic tecta pugna est inter filium & dominum, quod non consistat, ut quis sit dominus illius, cuius est filius. Sic colligit dominus: Si Christus est filius Dauid, quomodo Dauid in spiritu loquens uocat eum dominum, Dixit dominus domino meo. Adsimilem in modum Socrates refellit crimen quod deos negaret, quum diceretur habere familiarem dæmonem. Illorum opinione dæmones erant filij deorum. Non consistit igitur, ut dęmonem se fateatur habere, qui deos negat. Tacita relatio uidetur, & in argumentatione domini: Si crederetis Mosi, crederetis utiq; & mihi. De me eñ ille scripsit. Inter prædicentẽ & prædictũ est relatio. Itidẽ relatio est inter orationẽ & animi sensum. Nam sermo mentis est signum, unde qui ficte loquuntur, non promunt orationẽ, sed uoces tantum. Ita inter uocabula rerum & res ipsas est relatio. In quo præpostere facit hominum uulgus, à uocabulis abhorrentium, à rebus ipsis non abhorrentium. Quis non excandescat ad furti conuitiũ? at quotusquisq; est qui non furto rem suam augeat? Atrox conuitium uideatur, si quis diabolus aut sycophanta appelletur, at quàm multi sunt, qui obtrectationibus traducunt proximum? Ediuerso principis aut episcopi titulum ambiunt omnes, rem tituli fortiter contemnunt. Sic sacra uestis signum est uitæ purioris, quemadmodum & rasus uertex. Absurdum autem est signo gloriari, rem signi negligere. τὰ πρός τι latius

Consequentia sunt quæ dominus commemorauit. Eos qui crediderint, signa hæc sequentur, linguis loquentur nouis, serpentes tollent &c. In quibus si hæc secundum allegoriam non adsint, colligitur eos non credere. Ex consequẽtibus ratiocinatur dominus: Si Abrahæ filij essetis, opera patris uestri faceretis. Item si de mundo essetis, mũdus quod suum erat diligeret. Nunc odit uos mundus. Ex pugnantibus locus erit, si negemus illos uere credere, qui adhuc loquuntur quæ sapiunt ambitionem, auaritiam, uindictam & lasciuiã, qui adeo non medentur aliorum moribus, ut ipsi potius inficiant alios, quicq; tantum absunt ut non corrumpãtur improborum colloquijs, ut alijs sua propinent uenena, atq; adeo ex bene dictis sugant occasionem maliciæ. A repugnantibus ratiocinatur Paulus: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Seruus & liber contraria sunt. Testimonij dictio consequens est libero, seruo repugnans, & si qua alia cõsequuntur ingenuitatem, quæ pugnant cum seruitute. Consequentia latius

Repugnantia latius

A causa efficiente siue generatione, sic ratiocinabitur. Peccatũ gignit mortẽ ęternam, proinde qui mortem horret, prius horrere debet peccatũ. Crapula gignit morbos corporis, si à morbis abhorremus, quur ea sectamur ultrò quæ illos pariunt? Multi detestantur infamiam, at malam uitam non detestantur, quæ gignit infamiam. Iam deus est omnium causa efficiens uniuersalis. An sint aliquæ secundariæ, nihil ad hunc pertinet locum. Sed ubi causa est omnipotens, ibi non oportet de effectu disputare: & ubi summe bona, colligendum est in rebus conditis nullum esse malum. Idem est uniuersalis omnium finis, ut nihil in bonis esse possit, quod alio quàm ad ipsum dirigatur. At sæpenumero res præpostere geritur, quum finis inuertitur, uelut sunt qui uiuunt ut bibant edantq;, quum ideo bibendum sit atq; edendum ut uiuamus. Item præposterum est, quum animus seruit corporis Causæ latius

Finis latius

pori, quum corpus in hoc datum sit, ut seruiat animo. Iam quidam sic gerunt imperium, quasi respublica sit principis causa instituta, quũ contra princeps sit reipublicæ causa institutus. Hoc nomine Christus reprehendit pharisæos, quod ob sabbati religionem sinebant perire hominem, quũ sabbatum hominis causa esset institutum, non cõtra. Idem sentiendum de constitutionibus cæteris, duntaxat externis. Ieiuniũ certis diebus indixit ecclesia, ut corpore extenuato animus aptus sit rebus diuinis: quod si ieiunium debilitato corpore, animum quoq; reddit ad res diuinas minus idoneũ, ad rixas, iram ac uindictam promptiorem, proferendum est illud Christi, Ieiuniũ propter hominem institutũ, nõ homo propter ieiunium. Ab effectis ratiocinatur Paulus, ex lege nõ esse iustitiã, sed ex fide: quoniam irã lex operatur, quum iustitia sit pax cum deo, quam per fidem assequimur. Item ad Galatas. Hoc tantum à uobis uolo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? De forma nihil dicam, nisi quod in deo sunt omnium rerum exẽplaria. Homo iuxta sensum mysticum, nihil aliud est deo cũ materia informis, aut lutum in manu figuli. Ille in nobis agit quicquid est boni, nos per fidem & obediẽtiam tantum præbemus obsequentem materiam, ut nihil sit laudis, quod nobis proprie uendicare possimus.

Forma latius

Iam si res humanæ comparentur humanis, reperias paria ac certis gradibus maiora ac minora, uelut si purpuram cõponas purpuræ. At si res animi conferas cum rebus corporis, uix ulla comparatio est ob immensum in medio interuallum, adeo ut quod per se uidebatur aliquid magnum, collatione nomen suum amittat. Exempli causa, si mors aut uita animæ componatur cum morte aut uita corporis, aut si præsentis uitæ longæuitas conferatur ad æternitatem. Tum enim quod longum uidebatur, uix punctum dici potest. Id magis etiam accidit, si nostra conferantur ad diuina. Sic humana iustitia comparata diuinæ iustitiæ fit iniustitia, aut humana sapientia collata cum increata sapientia, fit stultitia, quemadmodum lucerna in sereno meridie non est lumen. Tametsi & hæc cõparatio longe est inæqualis. Inter finitum & infinitum, nulla est proportio, quemadmodum nec inter creatorem & creaturam. His rationibus Ecclesiastes potest dialecticã subtilitatem ad multitudinis captum accommodare, & quæ uidentur humiliora, ad sensum altiorem euehere.

Comparatio latius

Adhæc sunt quidam loci sic inter se confines ut ijdem uideantur: ueluti contraria & repugnantia uidentur eadem, ut effecta, euenta & consequentia, causa efficiens & generatio, causa efficiens, & finis. Nam finis quoniam impellit hominem ad aliquid agendum, uelut effector est operis. Subtiliter tamen distinguntur, licet admodum tenui discrimine. Verum his minutijs non morabor lectorẽ, nec enim refert, si in locum finitimũ incidas, modo data occasione hoc inueneris quod opus erat. Interdum accidit ut idem argumẽtum diuersis locis tractari possit. Vt filiũ non obedire parentib. absonũ est. Argumentum est à repugnantibus, sed idem tractabitur à definitione. Filius qui rebellis est parentibus, nõ est filius. Quæ mater est gaudet alere quod genuit. Argumentũ est à cõsequentibus. Erit à definitione si dicas, Mulier quę abijcit quod peperit, nec dignatur alere fœtum suũ, mater nõ est, aut matris nomine indigna est. Non alienũ fuerit ab hoc instituto locorum exẽpla in diuinis literis indicare, uerum ea res infiniti sit laboris, fortasse ne magnopere quidem grati ob rerum subtilitatem, nec admodũ necessarij, quod ex his quæ monstrauimus, lector nõ stupidus ea facile deprehendet. Nec magni negocij fuerit, plerasq; argumentationes quæ sumuntur à locis, redigere ad eas formas, quas in prioribus Analyticis tradit Aristoteles: uerũ id neq; necesse est, neq; satis conuenit apud promiscuã multitudinem: in scholasticis diatribis hoc fit tẽpestiuius, si res postulet, Tametsi puerile est non intelligere uim argumẽtationis, nisi ad formã analyticã redigatur. Sit hęc apta adolescẽtulis exercitatio, an doctoribus ac senibus decora sit, alij iudicent. Rhetores putant breuissimã argumentationẽ, cõstare tribus partibus, longissimã quinq;, mediocrẽ quatuor. Ingressissima ponunt propositionẽ, rationẽ, confirmationẽ, exornationẽ et cõplexionẽ. Propositio est quod assumitur ad probandũ. Ratio quæ probat quod propositũ est. Cõfirmatio est ipsius probationis probatio. Exornatio est, quæ locupletandæ rei gratia adhibetur. Cõplexio, quæ superioribus cõpendio repetitis, iterat propositionẽ. Exempli causa. Sit propositio: Optima primũ discenda. Ratio, quoniã prima ętas ut est docilior, ita tenacior est eorum quæ percipit. Cõfirmatio, quoniã ingeniũ nondũ est prophanis curis aut uitijs occu-

Locorum confinia

Argumentationum formæ

Argumẽtatio quinq; partiũ

occupatũ. Quemadmodũ enim in uacuis tabellis cõmodius scribis quicquid libet, & ut argilla, ceraq; mollis facilius sequitur fingentis manum, & noua testa diutius seruat odorẽ quo primũ fuit imbuta: ita tener animus & facilius percipit honestas disciplinas, & melius per omnẽ uitã meminit, quod à teneris unguiculis percepit. Porrò quoniã eiusdem propositionis possunt esse uariæ rationes, & singulæ uariis modis possunt cõfirmari, tum exornatio uariã supellectilem secum adducit similium, exemplorum, sententiarum, prouerbiorum, prolixa nascetur argumentatio, ut merito complexio uice epilogi fungatur. Quod si omittatur exornatio, quod fit cõmodius in causis humilioribus, quatuor partibus constabit argumẽtatio: sin cum exornatione simul omittatur confirmatio, puta quũ ratio per se firma non eget alia fultura, tres partes habebit ratiocinatio, & breuior erit complexio. In breui uero ac dilucida argumentatione, & complexio potest omitti, ut quã quisq; sibi uelut è proximo repetit. Exẽpli gratia. Principi impia præcipienti non est obtemperandum. Hæc propositio. Ratio: quoniam quoties eius generis res est, ut aut dei præceptum sit negligendũ aut hominis, par est ut diuina autoritas præferatur humanæ. Hoc dialectici uocãt Enthymema, quæ est sententia cũ adiuncta ratione. Nec refert utrũ priore loco ponas propositionem, an rationem. Quoniam nemo certus est, an sit in crastinum uicturus, non est differenda uitæ correctio. Hic ratio proponitur. Non est tutum cuiq; homini fidere, quia animal mutabile est omnis homo. Hic ratio sequitur. Interdum idem proloquium commixtum habet utrunq;. Vt nulli inuidet sapiẽs. Nulli inuidere est propositio, sapiẽs habet inclusam rationẽ. Ideo nõ inuidet, quia sapiẽs est. Item mater non odit filiũ, nouerca non amat priuignum. Explicueris si dicas, Hanc odisse filium, non est probabile, quia mater est: aut, hanc bene uelle huic, nõ est credibile, quia nouerca est. Aut hunc cuiq; inuidere, non est uerisimile, quia sapiens est. Nemo enim sapiens, nisi uir bonus, Malus aũt est quisquis inuidet. Interdum & confirmatio commiscetur, ut, Sapiens, quoniã uir bonus est, nemini inuidet. Hunc in modum rhetores. Aliter dialectici, quibus perfectus syllogismus, constat maiore, minore & conclusione. nec minor semper est ratio maioris, sed assumitur aliquid, quod concessum cũ maiore, euincit quod probandũ erat: Vt, Quisquis sapiens est, idem uir bonus est, sed uir bonus nemini inuidet, igitur nec sapiens. Tamen hic syllogismus constat ex propositione, ratione & cõfirmatione. Propositio est conclusio: ratio est, quia sapiens est. Confirmatio est, quisquis sapiens est, idem uir bonus est, Ilicò palàm est malum esse quisquis inuidet.

Argumẽtatio unius prologi

Vereor ne cui uidear in his locis diutius æquo desedisse, proinde de argumẽtatione dicendi finem faciam, si prius illud admonuero, nonnunq; asseuerationem probationibus admixtam habere pondus ac uim argumentorum, eò quod ostendat miram dicentis fiduciam, ut auditorem pudeat dissentire: uelut in confirmando. Euidens argumentum in promptu est. Non postulo, ut quisq; mihi credat, nisi hoc manifestis scripturę testimoniis docuero. Id quum notius sit q̃ ut egeat ulla probatione, tamen ob morosiores non grauabor & rationibus & euidentibus scripturarum testimoniis quod dixi confirmare. Hoc si cui uidetur ambigẽdum, faxo sit luce clarius. Quis est tam cæcus, ut hoc non uideat, quis tam impudens ut neget? Perfrica frontem, & aude negare. Elegans est illud Cypriani: Audi non diserta, sed fortia. Qui hoc nõ uidet, nihil uidet: qui dissentit, nihil sentit. In refellendo. Quis non protinus uidet hoc esse stultius quàm ut sit refellendum. Nunc audi quàm friuolis rationibus hæretici suum tueantur errorem. Quid hoc somnio uanius? Nunc ad aduersariorum uenio non rationes, sed meras blasphemias. Stultiora! sunt quæ adferunt, quàm ut absq; risu possint commemorari, sed rursum tam impia, ut animus à cõmemoratione abhorreat. Nunc accipite aduersariorum pugiones plusquam plumbeos, quibus inuictam ueritatem iugulare conãtur. Si propius intuearis, comperies meros esse fumos, quæ isti aduersum nos iactitant. Venio nunc ad aduersariorum non argumenta, sed deliramenta. Huiusmodi fexcentæ formulæ confingi poterunt, quibus & probationem nostram adiuuemus, & aduersariorum obiectiones eleuemus.

Assẽueratio

Apud quosdam plus ualet deprecatio, obtestatio, aut iusiurandum, aut aliquid his adsimile, quàm argumentatio. Exempla frequẽter obuia apud Paulum. Velut 1. Timoth. 5. Testor corã deo, Christo Iesu &c. Item cap. sexto. Præcipio tibi coram deo, qui iustificat

Obsecratio, obtestatio, iusiurandum

omnia &c. Et ad Philemonem: Ita te fruar in domino, obtestatio est. Quoties citat testem deum, aut ita loquitur, Coram deo, Dominus nouit, Et, per uestram gloriam, iusiurādum est. Velut 2. Corin. 1, Testem inuoco deum in animam meam. Obsecrandi uerbum apud hunc frequens est. Quod si nostra propositio prima fronte uidebitur absurdior, aut parum plausibilis, contra aduersariorū probabili specie blandietur, expedit præfatiunculis occurrere. Interdum enim hæretici è philosophia proferunt argumēta ualde probabilia, & è scripturis adferunt testimonia, quæ prima specie uidētur irrefutabilia. Orabimus igitur auditorē, ne protinus assentiatur primæ fronti, sed propius oculos admoueat. Interdū enim usu uenire in argumentis, quod accidit in rebus externis. Quædā enim eminus conspectæ, multo aliud præ se ferunt ꝙ sunt. Nonnunꝙ quod procul homo uidebatur, propius accedenti arbor est. Et mulier quæ procul formosa puella uidebatur, propius intuenti deformis anus est. Quod adferunt hæretici uenenū est phalerno admixtū. Proinde suspendant tantisper assensionē, donec amota fallaci specie, uera rei facies appareat. Adde, nec impijs, nec Iudæis, nec hæreticis esse scripturas, quæ sunt Ecclesiæ, cuius illi sunt hostes. Libros habent, scripturas aūt non habent qui spiritu carent, sine quo scriptura nō intelligitur. Quemadmodum Iudæi frustra memoriter tenēt legis uolumina, quum uerum legis sensum non teneant. Et Celsus & Porphyrius quoties adducunt scripturā, nobis ridiculi sunt. Similiter hæretici pugnant scripturis nō intellectis. Hoc genus exordiolis ad causæ rationem commodè affictis præmuniendus erit auditor.

Propositio dura

Argumentatio quomodo exhilaranda

At ne frigida aut somniculosa sit argumentatio, commodis interiectiunculis est excitandus auditor. Quod frequentissime facit Augustinus, non infrequenter Chrysostomus. Id autem fit uarijs modis. Tropo, ueluti quum per interrogationem effertur, quod simpliciter dici poterat. Vt qui totus ad priuatum suum spectat cōmodum, qua fronte sibi uindicat principis titulum? Simplicius ac frigidius erat. Qui ad suum cōmmodum spectans gubernat rempublicam non est princeps. Item qui gregē suum deglubit, nec ullam illius curam gerit, utrum hunc pastorem dicemus, an prædonem? Interdum per apostrophen. Vt, quid ais os impudens? Ita Chrysostomus aduersus Libanium, τί φῂς ὦ παμμιαρὲ, Et Paulus: ὦ homo, tu quis es qui respondes deo? Interdum exclamatione. O uocem stolidam. O linguam ferro execandam. O sermonem pecudis non hominis

Postremo percontatiunculis illis, quibus subinde excitatur auditor. Quis hoc dixit? non homo, sed deus per prophetam, Quomodo explicabitur hic nodus? Vtrum hæc sufficiunt, an quæritis argumēta solidiora? Et huius generis alia, quæ res ipsa melius suggeret dicturo. Poterunt & affectus & ioci nonnullis locis aspergi, ad exhilarandum disputationis molestiam. Eodem conducent crebræ transitiunculę. Audistis uenena hæreticorū, accipite nunc antidota. Audistis quæ suis pollicetur satanas, nunc accipite, quanto melior a promittat rex noster Christus. Verum de his pluris dicēdi locus incidet, quū de scheматibus agemus. Supereſt epilogus cōpendio renouās auditori, quod fusius dissertum: Latini quidā appellant enumerationē, gręci ἀνακεφαλαίωσιν. Ea res triplicem adfert utilitatē. Prima est quod renouat auditoris memoriā. Altera quod totā causam simul oculis subijcit. Tertia quod quædā argumenta per se tractata uidentur imbecilliora, ea tamen ualent in turba, solidioribus admixta. Hic obseruandum ut epilogus quàm paucissimis uerbis absoluatur, ne non tam uideatur epilogus, ꝙ noua oratio. Eoꝙ Græcis dicitur ἀνακεφαλαίωσις, quod capita modo rerum repetantur. Hæc pars frequenter etiam necessaria est, ui delicet quoties argumentatio pluribus constat partibus, aut habet ex subtilitate rerum nōnihil obscuritatis: præsertim si uerba fiant apud imperitam multitudinem, quæ quoniam non habet sensus exercitatos, & ad percipiendū tardior est, & ad obliuionē procliuior. Hic igitur expedit summatim repetere quod dictum est, rogareꝙ ut dicta penitus infigant animis, quo possint & alijs communicare quod didicerunt, & ad cætera quæ traden tur sint dociliores: ita futurum ut ipse quoꝙ concionator reddatur ad docendum alacrior, si conspexerit seminandi laborē non fuisse inanem, sed inde germinare fructum spiritualem. Nec hic multum est periculi, ne recte dictorum iteratio pariat fastidium, quando non agit patronus solicitus apud ferocem iudicem, sed apud beneuolam multitudinem doctor uenerandus. In foro autoritas est penes auditorem, hic penes dicentem.

Epilogus

Conue

Conuenit tamen ut in Epilogo, cum breuitate seruetur perspicuitas, & sermo sit uiuidior alacriorq; tanquam parta iam victoria, tum eadem non eadem facie referãtur. De perspicua breuitate nihil est præcipiendum. Dabit hocusus ac dicentis prudentia. Viuidior erit sermo, si cum asseueratione proferatur, uerbis Emphasim habentibus, non sine schematibus ad alacritatem facientibus. Varietatem adferent figuræ, ueluti si quæ dicta sunt simplici sermone, repetãtur per apostrophen, aut prosopopœiam, aut interrogationem, ut ante dictum est. Est alterum perorationis genus fusius, quod generali nomine dicitur conclusio. Id potissimum constat affectibus, qui facilius excitantur auditore iam persuaso, ac suapte sponte propenso, uel ad misericordiam, uel ad indignationem, uel ad pœnitentiam, uel ad aliam animi commotionem. Porrò Stoicorum dogma nullos prorsus affectus, non à Christianis modò, uerum etiam ab ipsis Stoicis paulò æquioribus, reiectum atq; explosum est. Nam quod Athenienses ab actionibus causarum secluse rũt affectus, potest aliquo colore defendi. Tum ad clepsydras dicebatur, nolebant aquam non necessarijs absumi, nec iudicem nimium diu detineri cognitione: præterea quoniam à iudice religione astricto requirebatur incorrupta pronunciatio, maluerunt abstineri à mouendis affectibus, quod ij sæpe nubilum offundunt iudicio, interdum eò rapiunt cognitorem, ut non ex iure, sed ex animi commotione ferat sententiam. Verum longe alia ratio est dicentis apud populum Christianũ, qui non in aliud mouet affectus, nisi ut ad ea quæ sunt pietatis incalescant auditores: ueluti quum laudata concordia, rapiũtur ad unanimitatis amorem, ac schismatis odium. Laudata eleemosyna, inflammantur ad liberalitatem in egenos, ac detestationem auaritiæ. Laudata innocentia accenduntur ad studium pietatis, & amorem uitę correctioris. Postremo uerum est quod Platonem imitatus dixit Augustinus, nihil amari nisi quadantenus cognitum, rursus nihil cognosci nisi aliqua ex parte amatum. Sic præceptoris amor docilem reddit discipulum, & admiratio disciplinę facit ut lubentius ac celerius eam percipiamus. Ad theologiam docilior erit, cui persuasum fuerit diuinorum uoluminum autorem esse spiritum sanctum, cuiq; persuasum fuerit, solam esse Theologiam, quæ hominem uerè doctum, sapientem, atq; etiam beatum reddat. M. Tullius prius in Hortensio laudata philosophia accendit ad illius amorem, ęq; eam docuit. Et qui disciplinam aliquam profitentur, prius inflammant auditorem, per amplificationem ostendentes quanta sit illius dignitas, à quibus uiris exculta, quid magni promittat, quantam adferat utilitatem. Hæc cui persuasa sunt, non prorsus expers est eius disciplinæ, & tamen docilis est potius illius quàm doctus. Hic igitur locus erat explicandi, quæ sint affectuum differentiæ, & quibus rationibus excitentur in animis auditorum. Sed cõmodius arbitror prius hunc orbem quem instituí absoluere, tempestiuius ad hanc partem accessurus, quum de amplificationibus & orationis iucunditate uehementiaq; dicendum erit.

Conclusio

Affectus an mouendus

ECCLESIASTAE SIVE DE RATIONE CONCIONANDI, AVTORE DES. Erasmo Roterodamo, Liber Tertius.

EX quinq; artificis officijs unum per omneis operis parteis absoluimus, inuentionem. Nunc per eadem recurremus, additurí si quid uidebitur omissum. Inuentioni proxima est eloquutio de qua mihi uideor admonuisse, quod ecclesiastæ satis est. Tertia est dispositio, siue ordo, qui ut dicere cœperam, quum agerem de diuisione, quadrifariam intelligitur. Est enim commoda uerborum dispositio, quæ non tantum facit ad perspicuitatem & modulationem orationis, uerũ etiã ad acrimoniam: incommodus ac perturbatus uerborum ordo sentẽtiã obscurat, & interdum inuoluit hyperbatis, aut ἀναστροφοῖς molestam reddit orationem. Vt aũt apte modulata sit oratio, prẹstat compositio, de qua M. Tullius accuratissime scripsit, & post hunc Fabius. Verum hæc pars curiosior est, ęq; ut cõueniat Ecclesiastę. Tametsi D. August. adeo non uitauit comparia, similiter cadentia, similiter desinentia, adnominatio,

Dispositio quadruplex

minationes,& alias id genus figuras,ut ingenue fateatur à se affectatas, nec psalmum modo aduersus Donatistas,sed iustum uolumen huiusmodi schematibus floridum conscripserit.Dedit hoc auribus suæ gentis, cui uix quicquam simplex placebat. Cæterum uoces quæ emphasim habent,rectius initio aut in fine collocantur,quàm in medio, Veluti, tu ista audes in me: In utroq; pronomine emphasis est.Sus doces Mineruam: Acrius est, quàm si dicas,sus Mineruam doces.Ita Paulus,O homo tu quis es,qui respõdes deo: Vehemẽtius est quàm si dicas, Quis tu es homo,qui deo respõdes.Est altera ordinis functio, per quam commode disponuntur principales orationis propositiones: id fit in diuisione,de qua diximus.In his quemadmodum ante admonui, maxime probandus est ordo, quum propositio præcedẽs, uelut ex se gradum præbet ad sequentem. Quod genus sit, Primo loco dicam,quanta sit uirginum dignitas,quantaq; felicitas.Mox quantis periculis hic thesaurus sit expositus. A re laudata ad eiusdem rei custodiam commodus est gradus,incommodus si inuertas ordinẽ. Item, Primum dicam, quibus uirtutibus summum pontificatum promeruerit.Dein,qua integritate susceptum gesserit. Præposterum erit,si prius dixeris quomodo gesserit,post quomodo sit assequutus.Interdum propositio præmollit sequuturam, suapte natura duriusculã. Velut hanc. Milo insidiantem Clodium interfecit,præmollit illa,etiam si ciuem adeo reipub.pestilentem per insidias esset adortus, præmium merebatur, non pœnam. Tertius ordinis usus est in singulis argumentationibus:frequenter enim eadem propositio pluribus argumentis confirmatur,quæ nõ oportet nullo delectu uelut in aceruum congerere,sed ordine quodã uelut in aciem producere. Cæterũ quæ quibus locis magis conueniant,dicentis iudicio consilioq; relinquẽdum est.Non improbatur quum ab infirmioribus itur ad firmissima. Probatur,quæ primo ac postremo loco collocat efficaciora,infirmiora ueluti gregarios milites in medium agmen conijcit. Sola improbatur, quæ à firmioribus pergit ad infirmiora. Ita natura comparatũ est,ut ad ea maxime simus intenti,quę primo dicũtur loco,quæ si arrident cætera cum fauore audimus: quæ uero postrema sunt, maxime hærent animo.Quæ in medio sunt, etiam si per se parum ualent,uelut in monomachia, tamen numero & Synathrœsmo ualent.Quartus ordinis modus est,quo tota diuiditur oratio:ueluti qui libros conscribunt, hos prima cura torquet, ut totum argumentum ordine commodo sit digestum. Veluti si quis de rebus Romanæ urbis paret scribere,hunc sequitur ordinem. Vt primo loco referat urbis primordia,deinde Romam florentem,postremò deficientem. Idem ordo seruari posset,si quis describeret ecclesiæ statum. Ante diximus de exordio, incremento & summa. Hæc tria in utraq; parte locum habere poterunt. Veluti quibus exordijs cœperit ecclesia, quibus modis inualuerit ac propagata sit, deniq; quomodo effloruerit & ad pietatis fastigium peruenerit. Rursus quomodo primum cœperit degenerare, deinde quomodo magis prolapsa sit,postremò quomodo sic in angustum coarctata adeo refrixerit religio,ut uix dicas eandem esse ecclesiam.

Ordo argumentorum

Olim quoniam Ecclesiastes ferè uersabatur in enarranda scriptura sacra, ipsa scripturæ series suppeditabat ordinẽ. Verbi causa.Psalmus proponebatur.Primo loco titulus explicabatur, deinde psalmus. Si martyr laudabatur,ordo sumebatur ex præceptionib.generis demonstratiui,ueluti quũ Chrysostomus celebrat Babylam, Basilius Quadraginta martyres.Beatus Paulus hunc ferè seruat ordinem, ut primum doceat ac dissoluat difficultates quæstionum. Dein subijcit,monita de moribus, quæ minus torquent lectorẽ:postremo,salutationes,cõmendationes ac precationes.Hoc uidetur imitatus Chysostomus qui post explanationẽ scripturæ,excurrit in locum moralem,ex ijs quæ dicta fuerãt occasione arrepta,In his uelut in uiridarijs amœnioribus requiescit ac reficitur auditor.Facit idem nonnunq; Hieronymus,ut quum è scopulis ac locis confragosis enauigauit oratio, ad amœniora deuenit,uela pandens,& quasi celeuma canens,sic enim ille loquitur.

Recentiores quoniam à ueterum exemplis recesserunt, uarias ordinis formas cõmenti sunt,de quibus ante nonnihil attigimus.Quidã primum orant tacitè,mox erecti signãt se cruce,præfati nomen patris filij & spiritus sancti.Deinde recitant thema,ut uocant, de quo quædam generalia proloquuntur,quod improbandum non est,si modo quæ præfantur auditorem præparent,uel beneuolentia,uel attentione,uel docilitate. Posthæc cõperio morem apud quosdam fuisse,ut recitaretur Euangelium lingua,ut opinor uulgi. Deinde

inde pro impetranda gratia, salutabatur illa gratia plena. Hinc repetebatur thema, mox diuisione facta, sermo peragebatur. Vicani & qui hos imitantur quibusdam in locis, primum attingunt nonnihil ex Euangelio, deín recensent diuos, qui uel in eum diem, uel in sequentes incidunt, decꝫ eorum laudibus nonnihil attingunt, postea denunciant, si quæ feriæ, aut si qua ieiunia in eam incidunt hebdomadē. Deniq; si quid monendū est admonēt, ueluti si subleuādi pauperes, aut si quis quid amisit, aut si quid mali premat imminéatue, ut pro illius depulsione deum deprecentur. Compluribus peracta concione recitatur alia qua pars symboli, cū exomologesi & absolutione. Quod apud Italos fit post recitatū Euangelium, in quo agnoscas aliquod pristinæ cōsuetudinis uestigium. Nam olim posteaꝙ diaconus ad populum progressus, eoꝙ salutato iussu episcopi pronunciarat Euāgelium, Episcopus enarrabat quod lectum erat, mox reuersus intra cācellos peragebat mysteria. Simile uetustatis uestigium uidimus in ecclesia Anderlacensi, haud procul à mœnib. ciuitatis Bruxellanæ: collegium est canonicorum, pastor extra cancellos sacrificat populo, sic moderato tempore, ut canonicorum cantiones finitæ sint, anteꝙ ipse recitauit Euangelium. Mox eodem cultu quo astabat altari conscendit suggestum, docetꝙ populum: eo facto redit ad altare, peragitꝙ sacrificiū, nec prius dimittitur populus. Hæ sunt prisci moris reliquiæ, Post ubi iam sacerdotes imperiti occupauerunt ecclesias, ne nihil referrēt uetustæ consuetudinis, pro enarratione scripturæ, recitant exomologesin, & absolutionē. Quod merito superuacuum uideatur, quum exomologesis peracta sit ante missæ exordium, quem introitum appellant. Sunt qui concioni & alteram addant Coronidem. Recitant multa nomina defunctorum uel ægrotantium, uel parturientium, uel alia quapiā de causa periclitantium, & pro singulis nominatim expressis exigunt Pater noster & Aue Maria, ipsi pro singulis accipiunt assem aut drachmam. Quis neget esse pium, orare pro laborātibus: Sed quid opus est tot nominibus: Quid necesse est ita uiritim partire precationes: Tum quid opus est concionem tot appendicibus extendere: Audiui qui proposito themate, præfationis loco quædam narrarēt, quæ à themate erant alieniſsima: his peroratis, & inuocata uirgine matre, thema repeterēt, quod ipsum erat uulgare, id est, ad quod uis argumentū æque quadrans: post hæc exponebant eius diei Euangelium, sed in transcursu, uelut obiter. Tum proponebatur ex abrupto quæstio Theologica: postremo loco addebant, narrationes uel miraculorum, uel fabularū, quibus imperite fictis, afficiæ sunt similes allegoriæ, dignum, ut aiunt, patella operculum. Hic scilicet est illorum excursus, ad reficiendos iam lassos auditorum animos. Hic ordo tametsi non est concionis, ueluti corporis, tamē tolerari poterat, si nihil esset ineptum aut frigidum, & si qua ratione inter se congruerent, thema, Euangelium, quæstio, & exhortatio. Quæstionis accessio uidetur è scholasticorum ostentatione orta, unde & illud inductum arbitror, quod quidam rei de qua dicturi sunt, summam Latine præfantur, admirante turba non intellectam eloquentiam: hoc dicunt se tribuere auribus eruditorum, in quo bis peccant mea sententia. Quid enim opus est lingua Latina, quum docti qui adsunt, calleant etiam uulgatam. Præterea plerunque frigida sunt, quæ præfantur, nihil habentia ponderis neque subtilitatis, tantum ut consuetudini satisfiat. Aliquid esset, si quæ Latine proloquuntur eius generis sint, ut lingua populi uix possint exprimi. Audiui qui illud præscripsisse sibi uidebātur, haud scio unde haustum: intermiscebant orationes quasdam elaboratius, & exquisitis uerbis compositas, multumꝙ dissimiles reliquæ dictioni, non aliter quàm in Græcorum tragœdijs admiscetur chorus, ut hinc ducta uideri possit imitatio. Alijs hoc studio est, ut concionem è uarijs disciplinis uelut emblematibus contexant, partē adferentes è theologia uetere, partem è scholastica, partem è philosophia, partem è iure pontificio, partem è iure Cæsareo, nonnihil aspergentes è poetis: quæ res præterquam quod habet speciem inanitatis, inconcinnam reddit orationem, præsertim quum id affectatò fieri uel illud arguat, quod perpetuo fiat. Apud Italos quidam partiuntur orationem, nō eodem modo, sed non minus inepte. Prima pars datur exponendo Euangelio, altera Iudæis confutandis si adsint, tertia prophetiæ, quam sibi complures illic publice uindicant. Quorum de numero fuit Hieronymus Sauonarola: & ipse Romę quendā audiui tum quidem primi nominis, qui palam quū religiosa testificatione, sibi assereret prophetiæ donū. Nonnulla pars dabatur Danti aut Petrarchæ, quorū rythmi uoce canora, plenisꝙ, ut aiūt tibijs, & insigni

corporis

corporis gesticulatione pronunciabantur. Dixisses aliquid dici sacratius Euangelio. Huiusmodi commentic̃is nouitatibus magis indulgent, qui religionis titulo cõmendantur, quàm ij quos ideo seculares appellant, quod monachi non sint, nimirum gratificãtes affectui multitudinis potius quàm iudicio consulentes. Nihil est indocta multitudine fastidiosius, cui si quis conetur morẽ gerere, subinde esset nouanda concionandi forma. Consultius igitur est Ecclesiasten quod optimũ est sequi, idem fiet assuetudine populo quoq; gratum. Audiui quosdam, qui paradoxa in speciem absurdissima, proferrent apud concionem: & in his inuoluendis uerius quàm explicandis uenditabant acumen ingenij, quo negociatoribus, quorum liberalitatem sollicitabant, fidem facerent, se in scholis non omnino lusisse operam. Est quidem aliquo usq; morigerandum multitudini, sed hactenus ut à synceritate uerbi diuini non recedatur, semperq; meminerimus plurimum interesse inter Euangelicum Ecclesiasten, & inter patronum forensem, nihil non facientem ut causam uincat, aut histrionem solum hoc spectantem, ut theatro placeat actio. Quis autem ordo sit optimus, partim ex illis quæ supra de diuisione propositionum diximus, partim ex his quæ nunc adiecimus, liquebit.

Memoria

De memoria quoq; uideor admonuisse, quod ad hoc institutum satis est: artificium, si quis exactius perdiscat, & anxie respiciat ad locos & imagines, meo quidem iudicio plus adfert impedimenti quàm adiumenti. Primum enim hebetius reddit ingenium, aut dicendi calorem refrigerat anxia cura, deinde natiuam memoriæ uim, quæ plurimarum rerum est capacissima, præsertim si ad naturã felicem accedat intelligẽtia, cura, exercitatio & ordo: quum ijs qui anxiè obseruãt artem, interdum eueniat quod solet illis, qui machinis nimium operosis aliquid moliuntur, ut plus sit negocij in apparanda machina, quàm futurũ erat in opere uulgari more conficiendo. Ita citius ediscas quæ uelis meminisse, quàm singula in locos & imagines digeras, ut iam duplici sit opus memoria, rerũ de quibus paras dicere, & locorum atq; imaginum, quas subinde nouas fingere oportet. Ad studium igitur infigendi, accedit labor inueniẽdi, non mediocris. Hæc incommoda magis sentiũt senes, qui iuuenes hoc artificio ualde delectati sunt. Quod si usu ueniat ut plura nomina sint recitanda, aut prolixior scripturæ locus citãdus, & memoria uel natura, uel senio fuerit imbecillior, non est turpe concionatori de scheda pronunciare turbam nominum: scripturæ uero prolixius testimonium plus habet ponderis ac fidei, si de scheda aut è codice recites, quàm si memoriter. Idem censeo de testimonijs doctorum celebrium, maximè si locus sit insignis, & animaduersione dignus. Nec semper necesse est psalmi capitis siue numerum addere, atq; in principio sit an in medio, an in fine designare, quod interdum iure consulti faciunt ad ostentationem, titulo addentes legem & paragraphum, interdum & uersum. Quanquam illi hoc faciunt excusatius, quàm si faciat Ecclesiastes. Habet hoc illa professio, exigunt auditores, quo facilius loca cõferant. Priscis satis erat dicere, Quemadmodum docet Paulus scribens Romanis, aut sicut in Euangelio Matthæi loquitur dominus. Quod si sententia talis est, ut fide sit caritura, nisi confirmata certo scripturæ testimonio, tum haud intempestiuum fuerit eam citandi diligentiam adhibere. Hic nonnulli bis peccant, qui nihil dicunt absq; scripturæ testimonio, etiam si res eius generis sit, ut nullo egeat testimonio, nusquam non addunt capitis numerum. Quæ res non solũ habet speciem ostentationis, uerum etiam orationis fluxum intersecat, & caliginem quandam rebus inducit. Id esse uerum sentiet qui legerit commentarios Aquinatis in epistolas Pauli. Quanquam id non erat Thomæ peculiare, sed cum omnibus aut certe plerisq; illius seculi scriptoribus commune. Res è bono fonte nata abijt in uitium affectatione. Vnde quidam eruditi malunt numerum marginibus asscribere, quàm addere in cõtextum, non ob aliud, nisi quod impedit dictionis cursum, & nonnihil adfert frigoris. Ad memoriam cõfirmandam nonnihil opis pollicentur & medici, & secundũ hos Marsilius Ficinus, sed præter ea quæ diximus plurimum confert perpetua uitę sobrietas. Nam crapula aut ebrietas ut ingenium hebetant, ita memoriam prorsus obruunt. Officit etiam curarum uarietas ac turba negociorum. Officit & tumultuaria diuersorum uoluminũ lectio, Hanc præcipuã arbitror causam, quur senectus sit obliuiosa, quod ea uis animi multitudine rerum obruitur. Officit memoriæ pudor immodicus, auditorum nouitas & anxia cura. Pudor & nouitas uincitur assuetudine. Demosthenes apud Philippum regem orans excidit sibi, quod

quod illi apud Athenienses nunquam acciderat. At Aeschines orator multo Demosthene deterior, apud eundem regem dicens, sibi nō excidit: Nam anxium studium officit ad hoc ipsum, quod impendio affectat.

Pronunciatio

Superest actio siue pronunciatio, quæ est apta ad rem, uocis, uultus, ac totius corporis moderatio. Ad hęc quemadmodum & ad alia format hominem natura, ratio & usus perficit. Siquidem & ijs qui prorsus sunt rudes artis, alia uox, alius uultus, alius reliqui corporis gestus est, iratis & propitijs, comminantibus & blandientibus, admirātibus & contemnentibus, mœstis & gaudentibus, quod de cæteris affectionibus ad eundem modum lector intelliget. In his igitur optimum est naturam sequi, sed adhibita cura, ut si quid ea habeat uitij, aut si quid praua imitatio & usus adiunxerit, corrigat, si minus ad ingens illud Demosthenis speculum, certe ad liberi amici iudicium. Frequenter enim fallunt hominem, quamuis alioqui doctum, quæ cæteris uehementer indecora uidentur, & sunt. Interdum & placemus nobis ipsis, ob ea quæ merito displicent auditoribus. In quibus non mediocre præstabit officium amicus admonitor. Sibi quisq; pulcher est, neq; quisquam sibi satis notus esse potest, nisi se contempletur oculis alienis. Sed optimum erit ex alijs exemplum sumere, & quod decorum conspexeris, imitari, quod indecorum uitare, habita tamen semper ratione personæ: neq; enim eadem decent omnes, uel ob ingenium diuersum, uel ob qualitatem adiunctam. Neq; enim eadem decuissent Catonem & Ciceronem, quod ille natura rigidus ac seuerus esset, quippe Stoicus, hic popularis & iocis salibusq; gaudens. Ita non statim decet iuuenem quod senem, simplicem sacerdotē quod Episcopum, monachum quod non monachum.

Vocis moderatio

Quibusdam uox est natura exilis uitio arteriæ & musculorum, quibusdā rauca, alijs infirmior laterum debilitate, alijs interrupta & concisa pulmonis aut pectoris uitio. Hos medici spirituosos uocant. Nonnullis parum est articulata, linguæ faucumq; uitio, unde blesi, balbi, titubantes ac hæsitantes. His incommodis si mediocria sint, medetur exercitatio, nonnullis uitæ sobrietas: nam raucitas interdum è uinolentia nascitur, exilitas aut asperitas uocis interdum è ieiunio aut uigilia. Quātum ualeat exercitatio etiam in magnis naturæ uitijs, luculento exemplo est Demosthenes: qui quum lingua esset parum expedita, ut artis quam profitebatur primam literam sonare non posset, sed pro rhetorica lectolicam diceret, hoc uitium emendauit lapillos sub lingua uoluens, atq; ita pronuncians. Spiritus concisionem ita correxit: aduersus montem conscendens, cōplures uersus continua uoce sine respiratione pronunciabat. Vocis autem infirmitatem deuicit, ad mare quum maximè fremeret declamando. Vultum ad grande speculum, cuius modo meminimus, composuit. Iactationem humerorum hac arte correxit: In angusto pulpito stans dicebat, hastę ex alto pendentis cuspide humero imminente, ut si dicēdi calore excidisset id uitare, offensione admoneretur. Denicq; memoriam scripto confirmauit. Ad hunc modum uir ille natura penè inuita, summus oratorum euasit. Hac in parte nōnullam opem adfert & medicorum ars. Incommoda quæ praua cōsuetudine ascita sunt, diuersa corriguntur. Sunt enim qui uocem faciūt exilem, qualis est mulierum, spadonum aut ægrotantium, quod uitium etiam nationibus quibusdam familiare est. Contrà sunt qui dilatatis faucibus grandem sed pressam & grauem emittant uocem, qualis est musicorum infimam cantionis partem sustinentium, non dissimilis asinorum rudentium. Atqui hæc uocis granditas, uel ὀγκηθμὸς uerius, adeò placet quibusdam, ut eam rupturis sibi accersant, non sine ualetudinis periculo. Idq; potissimum faciunt in transcursu à pueritia ad adolescentiam, quum natura ipsa mutat uocem: in qua ætate ut nocet non exercere, ita oportet moderatissimam esse exercitationem. Alij toto pulmone distento uocem edunt immanem potius quàm magnam, quam megalophoniam Demosthenes obijcit Aeschini. Quidam per nares efflant, Alij quum uolunt intendere uocem, gannitum indecorum edunt, non dissimilem cantui gallinaceorum, Alij præcipitāt uerba uerius quàm promūt. Nonnullos uidi qui ex gentis, ut suspicor, more conuoluunt uerba, ac magnam syllabarū partem deuorant intra fauces. Vidi qui dicturi quippiam prius ædebant gemitum: admonenti mirabantur, nimirum ignari se huic uitio obnoxios esse: adeo assueuerant. Sunt qui sermonem subinde uocibus aut friuolis, aut nihil significantibus intersecant, his interuallis ueluti quærentes quid sint additurí. Quidam affectatione grauitatis singulis penè uerbis

interponunt silentium, quo nomine Hieronymus notat Grunnium quendam: singulti re, inquit, hominem dicas, non proloqui. Audiui qui quoties citabant uerba scripturæ di uinæ, canerent. Quod tamen tolerabilius uitium est, quàm quod alij sic eadem recitarent, quasi singulæ syllabæ singulæ essent dictiones paribus interuallis inter se distinctæ. Atqui isthuc quiduis est potius quàm loqui. Nam in cantu seruantur accentus, & uocum distinctio: hic crepitus est potius quàm sermo, ubi nec seruantur accẽtus, nec syllabarum quantitas, nec uerborum distinctio, nec sensuum interualla. Sed multi sunt hoc ingenio, ut fastidiant quicquid est multorum commune: & quicquid insolitum est, idem existimẽt esse pulchrum. Sunt innumera huius generis incommoda, quæ si aduersum usq; ætatem inueterauerint, ægrè dediscuntur, eoq; consultius est occupare teneriorẽ ætatem. Quæ cura priscis fuit præcipua, puerorum os ad rectam formare pronunciationem.

Optima uox est, quæ leniter ac procul articulata uerba trãsmittit in aures auditorum, qualis fuisse dicitur Thracalo, qui causam agens in tribus consistorijs facile audiebatur, atq; etiam intelligebatur. Nam est quædam uocis granditas, quæ sonum procul emittit, uerba non emittit: At concionator frustra auditur, si non intelligitur. Rursus est quibusdam uox exilior, sed quæ facile penetrat in aures auditorum, cum facili intellectu uerborum. Nullus autem est tam infelici uoce, quin eam possit aliquo pacto ad eorum quæ dicuntur rationẽ immutare, quod animaduertimus & in equis & canibus, quibus alia uox est iratis, alia blandientibus, alia gaudentibus, aut dolentibus, alia timentibus aliquid. Verum hic mediocritas seruanda est Ecclesiastæ, ut nec mortua somniculosaq; sit pronũciatio, nec rursus ad histrionicam uarietatem immutetur. Olim fabularum recitator ad personæ sententiæq; qualitatem uocem attemperabat, & ad huius uocem gestus attemperabat histrio. Mimus utrasq; partes obibat, & recitatoris & histrionis. Est imitatio quæ deceat Ecclesiasten, est quæ non deceat. Rursus est æqualitas quæ deceat, est quæ non deceat. Quidam perpetuo uocis tenore uelut eadem chorda perficiunt orationẽ, quem morem fuisse Pio secundo loquenti apud populũ, & Guarino profitenti, testati sunt qui eos audierunt. Ipse audiui quendam doctrina pariter ac religionis opinione non uulgariter commendatum, qui immotis oculis, eodem uultu, eadẽ uoce ueluti de libro recitabat totam concionem. Statua uideri poterat, nisi uox ac rictus utcunque declarasset hominem. Atqui isthuc ne loqui quidem est, quum oporteat concionatorem aliquid habere supra sermonem quotidianum. Nec minus molesta est quorundam æqualitas in arsi aut thesi uocis, quam deuoluunt per ditonium, donec extremum membrum deprimant, ut ima uox ad summam relata faciat diapente. Cęterum apta uocis mutatio, non tantum ad mouendos affectus, uerum etiam ad fidem faciendam adiuuat. Non parum interest, utrum in Comœdia Dauus, utrum ex animo quid, an de industria facias. Quum enim ipsa natura iuxta affectus mutet uocem ac uultum, non uidentur ex animo loqui, qui res uehementer diuersas, eodem uultu ac uoce pronunciant. Rectè notatus est à M. Tullio Callidius quidam, qui res atroces frigidè pronunciarat. Nisi fingeres, inquit, Callidi, tu ista ad eum modum narrares? somnum me Hercule isto loco uix tenebamus. Legimus deminũ quædam clariore uoce dixisse, & uerisimile est acriore pronũciatione usum quum diceret, uæ uobis hypocritæ, quàm quum in conuiuio Simoni loqueretur de muliere peccatrice, aut quum Apostolis explicaret parabolam. Rursus quum indignatus ait, O natio peruersa & incredula, quousque uobiscum ero, quamdiu uos patiar. Et quum diceret: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Quin & Paulus optat mutare uocem suam apud Galatas, si liceret adesse, nunc terrendo, nunc obsecrando, nunc blandiendo. Est igitur secundum naturam aliqua uocis mutatio, non inde cora grauibus uiris. Qua quidem in re naturam sequi optimum est, modò quod naturæ deest, aut supereſt, aut uitiatum est, cura corrigatur. Quicquid autem notabiliter à natura recedit, ut delectet, tamen fide caret. Ediuerso uitanda est Mimorum imitatio, ut si uerba mulieris referas, mulierem loquentem exprimas, si pueri pueriliter balbutias, si senis seniliter, si ebrij temulentum agas, si irati, iratum, si plorantis plorantem, atque item de cæteris, quod imitationis genus & in scenicis improbatur. Sentias tamen in oratione facundi concionatoris facetam quandam ac modestam imitationem, quæ sic delectet ac moueat, ut nihil tamen habeat Theatricum aut simulatum. Iam sunt plurima rerum uocabula

Imitatio

tabula data opera sic ficta, ut ipso sono rem exprimant, ut gannire, garrire, barrire, sibilus, fulmen, tonitru, fluctus, turbo, murmur, de quibus in Cratylo disputat Plato. Atqui ridiculum fuerit, si quis quum grunnire dicit, uoce rauca per nares emissa, porcorũ grunnitum imitetur. Alicubi tamẽ decebit modica uocis ac gestus accessio. Apud Italos quorundam Ecclesiastarum pronunciatio multum accedit ad pronunciationẽ mendicorum aut circulatorum, qui mẽsa in foro posita mira uocis dexteritate cõmendant nugas suas. Vox autem canora est, lenis & explanata, procul resonans, mendicorum blandior est. Quod si modicè fiat non improbarim. Multiplicem enim ea res adfert utilitatem. Primum dilatato uocis meatu ac musculis, uox exit grandior, si natura sit exilis: dein lenior, si sit aspera. Adde quod hac ratione tollitur, aut certè minuitur uitium titubationis, cui narrant obnoxium fuisse Pomponium Lætum in priuato sermone, quum de cathedra pronuncians, linguam haberet expeditam. Præterea latius diffunditur ad aures, postremò minus laborat qui loquitur. Apud Anglos est simile genus hominum, quales apud Italos sunt circulatores, de quibus modo dictum est, qui irrumpunt in conuiuia magnatum, aut in cauponas uinarias, & argumentum aliquod quod edidicerunt recitant, puta mortem omnibus dominari, aut laudem matrimonij. Sed quoniam ea lingua monosyllabis ferè constat, quemadmodum Germanica, atq; illi studio uitant cantum, nobis latrare uidentur uerius quàm loqui. Quod incommodum me nonnihil offendit in quibusdam inibi concionatoribus. Verum oportet uocem lenem esse magis quàm notabiliter canoram, ne quis illud in concionatorem iaciat, quod audiuit canorus recitator: si loqueris cantas, si cantas male cantas. Quidã utuntur perpetua contentione uocis, quam Græci μονοτονίαν uocant. Cui uitio se M. Tullius fatetur affinem fuisse, quum primum se ad dicendum contulisset. Nec hodie desunt qui pulchrum existiment, Stentorem Homerici cum nobis referre, atq; hunc in modum prædicãt se beatum Dominicum imitari, quem narrant adeò fuisse uocalem, ut ab ijs qui septem milibus passuum aberant posset audiri, quod prorsus incredibile uidetur ijs qui nesciunt, Hispanorum miliaria multo esse breuiora Germanicis. Nec leuius peccant qui uocem subinde tollunt clamore subito, ac repente demittunt, quum res nihil habeat uehementiæ. Quæ res non caret specie dementiæ. Videmus in quorundam homilijs scripto æditis locum deligi, quo quantũ possunt exclament, non quod res postulet exclamationem, sed quod sic animum induxerint, exclamationem esse concionis partem: ac tum sibi uidentur mire uehementes, si sexies aut octies quanta possunt uoce clamarint: O detestandum uitium auaritiam, ó fontem ac radicem malorum omnium, ó morbum pestilentem, ó filiam diaboli, ó cæcitatem mentis, ó subuersionem religionis. Atq; his clamoribus interdum excitantur lachrymæ pueris ac mulierculis, sed quæ simul cum clamore exarescant. Cæterum quoniam cordatis perspicuum est eos clamores non proficisci ab affectu dicentis, nihil commouentur, sed offenduntur potius. Siquidem ea demum uox gignit affectum in animis auditorum, quæ ab animo bene affecto uenit, præsertim uultu gestuq; conueniente adiuta. Damnata est à rhetoribus nimia uocis intensio, quia nec à dicente, nec ab auditoribus diu tolerari potest. Damnatur item nimium grauis, quod obscurior est, minusq; ferit aures.

Mediocritas decet Ecclesiasten, quanquam in hac quoq; multa uarietas est, uel quia id postulat sententia, uel quia nihil diu ferri potest, quod non aliqua uarietate commendetur. Quæ res non fefellit cantores, qui organis nunc dant uocem clariorem, nunc susfuscam, nunc subraucam. Sunt autem præter acutam, grauem & mediam innumeri uocis flexus. Interdum est concitatior, uelut in membris & articulis, ac singulis dictionibus per se aliquid addentibus uehementiæ: interdum lentior ac porrectior, quum admiramur aut expostulamus, submissior quum rogamus, aut misericordiam quærimus, clarior quum indignamur, atq; item de cæteris, ne quæ natura sunt infinita persequar. Huius uarietatis uestigia deprehendas in cantu, qui recitationi simillimus à priscis ad hanc usq; ætatem peruenit, uelut in precatione Dominica non est prorsus eadem uox, sed uarietas non excedit diatessaron, nisi quod in ne nos inducas, deprimit uocem, nec id præter artis præcepta, quæ docent submissiorem sonum conuenire metuentibus. Quum recitatur in templis mors Christi, summa uox tribuitur Iudæis ac cæteris, ima Christo, media narranti Euangelistæ, Quod & ipsum admonet Fabius, medium sonum conuenire

sermonibus. Totus autem cantus uoluitur per diatessaron, quæ est harmoniarum obscurissima, minimeq; exultans.

Quibusdam hic imponit praua artis imitatio, quod Græci παπζήλου uocant. Audierunt à rhetoribus præcipi, exordiũ oportere sedatius esse, nec clamosum, nec acrioribus affectibus concitatum, eoq; sic ordiuntur, ut ipsi uix intelligant quid dicant. Quasi referat dici, quod nullus intelligit. Mox eadem uerba paulo clarius efferunt, donec perueniant ad sonum iustum. Alij quoniam legerunt, inter rhetorum schemata positam exclamationem, statim à clamore incipiunt, quod est Aiacis, & ad insaniam tendentium. Quo uitio notabiles sunt aliquot sermones, quos rabula quidam indoctus & impudens Augustini titulo conatus est nobis obtrudere. Res autem ipsa loquitur, fuisse ex eorum grege, quos hodie uulgus appellat Augustinẽses. Hoc fuco studuit suum sodalitium orbi commendare, si persuasisset tantum uirum eius instituti fuisse autorem, ipsumq; ab Ambrosio cucullam nigram, ac baltheum coriaceum accepisse, apud hos filiolos diu uixisse, ad hos uehementer adamatos Eremitas scripsisse regulam, hos ut religionis columina frequenter inuisisse, apud hos toties fuisse concionatum, ad hos scripsisse morientem. Illud debebant affingere, quoniam apud idiotas Eremitas loquebatur, illum nec doctè, nec Latinè uoluisse loqui, quemadmodum in alijs homilijs loquitur apud ciues. Quam in quodam sermone loquitur hunc in modum: O fratres mei, licet grossi sitis, & subtilia non capiatis &c. Vbi sic solœcisat Augustinus, ut grossos appellet crassos? Sed arbitror eos ideo fuisse grossos, quia bibebant ceruisiam. Nam in his sermonibus ceruisiæ quoq; meminit Flandricus, ut suspicor, Augustinus, qui quosdam sermones sic ordiatur: Scire nanq; debetis fratres dilectissimi. Et, Legimus enim, fratres charissimi. existimauit, nanq; & enim coniunctiones esse expletiuas, quæ quouis loco possent inseri ornatus gratia. Ibidẽ Augustinus modernos dicit pro huius ætatis hominibus. Et, bene scio, pro facile intelligo, saporosum pro suaui. Sed ineptus sum qui hic solœcismos quæram, hoc est, in mari aquam. Omnia miram barbariem crepant, exceptis ijs, quæ ex alijs scriptoribus assuta sunt. Etenim ut quædam argumenta artifex ille sumpsit è uita Augustini, ita materiam è uarijs diuersorum autorum locis attexuit, licet indoctè & impudenter omnia. Vide autem quot fucis studuerit hoc quod destinauit persuadere. Primum conficta est oratio D. Ambrosij, qui tradiderit nouo militi nigram cucullam, & baltheum coriaceum eiusdem coloris, illud etiam addiuinans, ex eo multas religiones exorituras. Tum pro una regula quam fœminis scripsit, treis fecerunt ad uiros. His succedunt uenerandi sermones, adeò flagrantes, ut appareat Augustinum impotẽti amore istorum ægrotasse. Sic enim orditur: Fratres mei, & lætitia cordis mei, corona mea, & gaudium meũ quod estis uos. Et mox se facit matrem fratrum suorũ, quos iterum parturit, quum modo tantopere laudarit, Paulum imitatus scilicet. Ac ne quis esset reliquus dubitandi locus, sic orditur sermonẽ quendam, Vt bene nostis, fratres charissimi, tria monasteria apud Hipponam dei gratia merui laudabiliter ad honorem sanctæ trinitatis construere. Quorum primum hoc est, in quo iam annis multis modico pabulo contenti hilariter commorami ni, bestijs associati, auibus ministrati. Ac mox: Et ideo non ego miser, sed uos sæpe angelorum assueti estis colloquijs. Aliud quoq; monasterium in horto, quẽ sanctus noster pater Valerius mihi dedit, ædificatum est. Et quoniã presbyter Episcopus factus sum, nec semper hic uobiscum habitare potui, nec cum fratribus, qui in prædicto monasterio positi sunt, propterea infra domum Episcopi mecum habere uolui monasteriũ clericorum &c. Hæc ibi. An non insigniter uidetur Augustinus mutasse linguam suam apud illos Grossos fratres? Concederem uitio scribarum Hipponam dictam pro Hippone, & infra domum pro intra domum, nisi reliquus sermo totus eiusdem esset ueneris. Veluti quod dicit, eos auibus ministratos, quos sentit auium ministerio pastos, alludens ad Paulum, quem faciunt Eremitarum principem. Sed ubi est illa uasta solitudo apud Hipponem, in qua ob hominum inopiam auium ministerio fuit opus? & quis nouit illam mirificam sodalitatem, quæ frequenter confabulabatur cum angelis, quum idem misero Augustino esset negatum? Præterea qui factum est, ut Augustinus nec in libris confessionum, nec alias usquam commemoret hæc tria monasteria in honorem trinitatis constructa? Possidonius scribit illum plura sodalitia instituisse, non monachorum, sed Christo concorditer seruientium

seruientium, uerum ea uocat diuersoria. Est alius sermo numero XXI. in quo citatur sanctus pater Hieronymus, qui scripserit tria fuisse monachorum genera, quorum duo probarit, Eremitarum & Cœnobitarum, tertium improbarit, quo duo trésue sine patre uiuebant in commune. At primum genus Hieronymus non uocat Eremitas, sed anachoritas. Nam Cœnobitæ non minus uiuebant in deserto, quàm Anachoritæ, nisi quod plures sub communi patre, ac decanis uiuebant. Verum isti ex Anachoritis fecerunt Eremitas, ut titulum quem adoptarunt redderent honorabiliorem. Et ab his sanctis monachis Augustinus fuit ad pietatem illuminatus. Tam insulsi sermones inter tractatus Augustini principem obtinebant locum, cum operoso indice, marginarijs annotamentis diligenter illustrati, ex his quædam citantur in pontificum decretis. Accedunt huc mendaces picturæ, in quibus Augustinus barba ad pubem usque demissa, cuculla & ueste nigra, coriaceo cingulo treis digitos lato, tenet librum dextra, cuius initium, Ante omnia fratres charissimi diligatur deus: circumpedes chorus est Augustinensium simili panoplia. Non insector monachi uocabulum, quod apud bonos omnes gratiosum esset, nisi plurimorum mores fecissent illud inuidiosum: tum facile patiar, quod monachorum sodalitia confictis exordijs commendant institutum suum, alijs Helisæum autorem iactantibus, alijs Brigittam, alijs Augustinum, alijs Brunonem, modò æmulentur illorum pietatem, quorum titulis gloriantur. Sed nimis multa sunt, quæ similibus præstigijs irrepserunt in Christianismum. Perniciosa uerò fuit, siue ciuilitas, siue negligentia, eorum, qui primum ad ista conniuebant. His enim debemus quos præcipuos ecclesiæ doctores habemus mutilos, deprauatos, confusos, & indoctis nugamentis contaminatos, tum Græcos, tum Latinos. Nec intra hos tamen constitit ista temeritas. Ad ipsos usque libros diuinos processit impunita audacia. Nec his impostoribus quisquam indignatur, nos calumnijs proscindimur, si quid recte monemus. Sed longius rapior. Vt ad compendium redeam, Augustinus licet aliquando secesserit, quod eruditi pleriq; solent studij gratia, nunquam fuit monachus Eremita. Tametsi finxerunt illum in quodam sermone id profitentem, nec ipse ullum certum uestitus genus præscripsit alijs. Tantum mulierculas, quæ uiuebant sub cura sororis, monet ne se notabiles præbeant in cultu, cui uitio genus hoc affine est. Et addit, nec affectetis uestibus placere, sed moribus: nec ipse sibi quicquã nouauit in habitu episcoporum, nisi quod pileum pyrrhon, hoc est, rubrum modestiæ causa gestare noluit, quemadmodum ipse testatur in quadam apud populum oratione. Decet, inquit, Episcopum, at non decet Augustinum. Si monachus fuisset dixisset, decet Episcopum, at non decet monachum. Quin etiam ex ipsis Augustini monumentis perspicuum est, eam regulam quam sibi uendicant pleraque monachorum sodalitia, quæ nec Benedicti, nec Francisci regulam profitentur, non fuisse scriptam, neque clericis, neque Eremitis, ac ne uiris quidem, sed mulierculis, quæ, ut dixi, sub cura sororis deo seruiebant. Hanc aliquot uerbis immutatis ad uiros accommodarunt. Eas uero mulieres non fuisse monachas, uel illud arguit, quod liberum erat illis ab eo contubernio discedere, & si qua esset inemendabilis cogebatur migrare. Nec omnes erant uirgines, quædam habebant liberos. Nec has usquam monachas, nec clericos suos monachos appellat, quibus & ipsis permisit ad alios episcopos commigrare, apud quos clericis maior erat libertas. Malo, inquit, debilem, quàm mortuum. At qui nunc recedit à uotis monasticis, non debilis est, sed plusquam mortuus est, & reuera mortuus est, qui non necessitatis causa, sed amore mundi recedit. Porrò monasterium olim dicebatur omnis locus, siue in agris, siue in urbibus, à populi frequentia semotus.

Sed ut ad rem redeam, Qui cõfinxit eos sermones Augustini titulo, non solum in medio uociferatur, O, O, O, sed frequenter sic exorditur, O fratres charissimi, quàm timendus ille dies, O fratres charissimi, O si sciretis quantum uobis in solitudine demorantibus necessaria sit obedientia. O fratres charissimi, gaudium meum & corona in domino. Extant tot orationes huius ad populum habitæ, quando unquam sic orsus est uir ille & sanus & sedati ingenij. Immo ubi sic temere exclamat, uel in medio sermone? Satyricis fortassis istud conuenit, quanquam Horatius omnium laudatissimus, à moderata incipit admiratione, Qui fit Mœcenas, ne nihil haberet ueteris comœdiæ in cuius locum successit Satyra, Sic Aristophanes ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστιν. Sumit hoc interdum &

noua comœdia. Quid igitur faciam? Occidi, perij. Id nimiũ bene imitatus Persius: O curras, inquit, hominum, ó quantum rebus inane est. Aliquanto moderatius Iuuenalis, qui tamen Satyram corrupit & uertit in tragicam inuectiuam. Semper ego auditor tantum? Sunt & alia uitia, in quæ quidam incidunt, infeliciter affectantes artis præceptiones seu schemata, quæ nunc referre non quidem inutile, sed per longum fuerit, ac fortassis etiam inuidiosum. Quanquam quæ hactenus attigi, citra cuiusquam personæ contumeliam, non debent quenquam offendere, si prosunt omnibus, lædunt neminem. Hactenus de

Distinctio in pronunciãdo prolatione uocis. Superest distinctio, quæ & ipsa iuxta sententiarum naturam uariada est. Ea seruatur & in scriptura. Breuissima respiratio habet hypostigmen. Paulo longior stigmen, quam nos duobus punctis signamus. Hac quoque longior, unicum habet punctum. Longissima tale signum habet; inferiore puncto ad leuam inflexo. Tametsi de notis uariant scriptores, nec magni refert. Hypostigme conuenit singulis asyndetis, quorum unaquæque uim habet articuli, siue incisi. Vt. Hic totas noctes, editur, bibitur, uomitur, saltatur, luditur, subatur. Itẽ habes in uno multos quos imiteris, Philosophum, sacerdotem, monachum, episcopum. Hæc amittunt gratiam, si continenter pronuncies. Parenthesis non solum respiratiuncula, uerum etiam uoce paulo depressiore à contextu separanda est. Vt, narrant Circen (ut aliquid è fabulis admisceam) ueneficijs homines uertere solitam in sues, aliasq; brutorum species. Idem fit post uocandi casum. Vt, Tityre, tu patulæ. Quæ Fabius tradit hic subtilius ac minutius, Grammaticis relinquam. Nobis cum Ecclesiasta res est. Nec multo plus interualli postulant incisa, præsertim si absit coniunctio, quæ omissa nonnihil addit acrimoniæ. Veluti, Patrimonium prodegit, pudicitiam prostituit, famam amisit, parentes offendit, amicos abalienauit. Membra paulo longiore respiratione distinguuntur. Quale sit: Quum hæc uita tota sit breuis, quum omnibus incerta, quum tot malis obnoxia, demiror esse tam multos, qui sic mortem horreant, congerant diuitias, differant uitæ correctionẽ. In his tamen aliqua est differentia. Principalius membrum paulo longius silentium requirit, hoc est, ante demiror. Fortassis hoc totum uidebitur alicui unum membrum, reliqua esse commata. Verum esto ut libet, quando eadem est ratio in incisis, in quibus est unum cæteris principalius. Certe periodus requirit prolixius interuallum. Quod idem concedit frequenter & interrogatio. Velut, Audistis inuolutam quæstionem. Sed quomodo difficultatem hanc explicabimus? Hac quoq; in parte peccatur à multis, qui studio affectant, ut oratio continuo tenore uoluatur, quasi turpe sit unquam silere, eo usq; continuantes uocem, donec defecerit spiritus, tubicinum more. Itaq; crebro fit, ut illic respirent, ubi sententia non dat respirandi spatium. Nec leuius peccant, qui, ut ante dicere cœperam, singulis aut binis seorsum uerbis interponunt moras, non sine auditorum tædio. Quidam perorata sermonis parte, tussiunt expuúntue, quos citius probes, quàm eos qui ex praua consuetudine subinde tussiunt aut expuunt. Sunt qui in simili interuallo, ex imo uentre ducunt clarum suspirium, quasi dicẽdo lassi. Atqui suspirare, ubi res nihil habet gemitu dignum, ineptum est. Notantur & ij qui spiritum non recipiunt, sed resorbent per dentes. Quum oratio longam uocis continuationem exigit, prius est recipiendus spiritus. Idem tacite faciendum est, quoties commata & cola dant respirandi spatium.

Vultus De uoce hactenus, ueniam ad uultum, in quo est tanta mentis significatio, ut sæpenumero pro sermone sit. Nam moto capite annuimus, renuimus, interdum & salutamus, minamur, aduocamus: Erecto significamus fiduciam, depresso uerecundiam, aut dubitationem. Indecorum tamen est uiro graui, crebro capitis motu loqui. Comam uero ro-

Frons tare phanaticum est. Neque mediocris est in fronte mentis significatio, unde prouerbijs quoque qui sunt hilariores, frontem exporrigere dicuntur, qui tristes corrugare: & ef-

Supercilia frontes appellamus, qui carent pudore. Nec minus agunt supercilia, sublata declarant arrogantiam, unde in supercilioso conuitium, demissa uerecundiam, adducta toruitatem, inæqualia seueritatem cum lenitate coniunctam: quo habitu in comœdijs inducuntur seueri patres, altero supercilio sublato, altero composito: qui tamen gestus Ecclesiastæ fuerit indecorus, quando M. Tullius Pisoni exprobrat, quod in senatu altero supercilio ad frontem sublato, altero in oculos depresso dixit, sibi non placere crudelitatem.

Oculi Verum hic primas partes agunt oculi, in quibus animus dictus est habere sedẽ, eò quod

nullus

nullus sit affectus, qui non exprimatur oculis, amor, odium, gaudium, mœror, tædium, solicitudo, metus, spes, simplicitas, fraudulentia, suspicio. Frequenter & in scripturis diuinis exprimitur oculorum qualitas. Dominus in monte sedens, intuens turbam, requirit attentionem, quasi de rebus arduis dicturus. Adolescentis diuitis responso delectatus, intuitus est eum. A Petro ter abiuratus intuitu oculorum admonuit nõ præstiti promissi: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Idem patri gratias agit, sublatis in cœlum oculis. Petrus item in Actis, sedaturus confusam turbam, defigit in illam oculos, autoritatem ac fiduciam præ se ferẽs. De sancta Paula refert Hieronymus, si quam è gregue uirginum conspexisset segniorem ad officia, aut lasciuius cultam, eam non obiurgatione, sed oculis ac uultus tristitia corrigebat. Ipse apud Italos interfui conuiuio, ubi qui inuitarat, ne monẽdis aut obiurgandis famulis interrumperet sermonum hilaritatem, oculis omnia peragebat, siue uellet mutari tabellas, siue addi uinum, siue nouari cibum, intuebatur famulum, mox deflectebat oculos ad cyathum aut ad quadram, aut aliud quod fieri uolebat. Verum & hac in parte oportet quàm minimum à natura recedere. Damnantur enim oculi rigidi, extenti, languidi, torpentes, stupentes, lasciui, mobiles ac ueluti nantes, quasi quadam uoluptate suffusi, quod in recitatore notat Persius: Patrãti, inquit, fractus ocello. damnantur & limi, hoc est, semiclusi, quibus aspici sese indignãtur leones. Item quos Fabius appellat Venereos. Nam prisci Venerẽ petis oculis fingebant, quod uitium & hodie in nonnullis deprehendas, qui quoties student uideri blandiores, limos ac petos fingunt oculos. Contrà nimium diducti, stoliditatem arguunt. Nam quod Itali quidam, si quem uideri uolunt reuereri, eum oculis attonitis intuentur, nihil ad Ecclesiasten. Indecore quidam in latus detorquent oculos. Sed indecentius faciunt, qui quum loquuntur, claudunt oculos: quales ipse nonnullos uidi, hoc pacto, ut opinor, pudori medentes, qui dicitur in oculis esse, & si immodicus est, caliginem offundit animo, modicus & gratiam & fidem addit dicenti, qualem fuisse ferũt in L. Crasso oratore. Is potissimum se prodit in genis & buccis suffundente se sanguine, qui refugiẽs inducit pallorem, quod in metu, nõnullis & in uehemẽti ira, solet accidere. Iam est & in naribus aliqua affectuum significatio, unde flatus emissus indicat iram. Hinc illud Theocriti de Pane, φυμεία χὠ λὶ ἐνὶ κάθυτα. Item Plautinum illud, fames & mora bilem in nasum conciunt. Corrugantur ab irridentibus. Vnde Plinius hanc uultus partem irrisioni dicatam dicit. Et Horatius: Naso suspendis adunco. Quidam ronchos ædunt irati aut comminantes. Verum in his nihil est quod deceat Ecclesiasten. Nec multo plus in buccis, quæ inflatæ declarant arrogantiam, demissę tristium sunt animumq; despondentium. Vnde audit Cain, quare concidit uultus tuus? Quin & risum oportet in concionatore esse rarum ac moderatum, multum à cachinno, & ab eo quem Græci uocant συγχάσιον distantem. Nec minus decet risus Sardonius, qui nudat dentes. Quibusdam hoc uel natura uel praua consuetudo addidit, ut nihil dicant absq; risu. Ipse noui uirum omnibus numeris laudatum, in quo uix quicquam potuisses reprehendere, nisi quod ad singulas orationis clausulas adderet risum. Noui alterum, quem arbitror adhuc in uiuis esse, qui noui quippiam dicturus in concione, ridere solet, ut qui morem illius obseruarant, expectarẽt aliquid insolitum. In diductione aut contractione labiorum, quemadmodum & in ictu, ea moderatio est obseruanda, ut motus non sit maior quàm exposcit explanata uerborũ pronunciatio. Qua quidem in re quosdam uidi immodicos, qui longius æquo porrectis labris emugiebant literam u. Contrà quidam è labijs semiclusis emittunt uocem, quod uitium deprehendas in Hollandis, ijs duntaxat, qui natiuam pronunciationẽ non dedidicerunt. Quidam toto uultu loquuntur, unde & uultuosos dicimus, etiam auriculas moturi, nisi natura dedisset immobiles. Pleraq; muta animantia aurium motu produnt affectus.

Nares

Buccæ

Os

Descendo nunc ad reliqui corporis gestus. Attollere ceruicẽ modice si fiat in loco non dedecet, quemadmodum nec ad humeros demittere: in alterum humerum deflectere, inceptum est, licet hoc quidam pietatis indicium esse uolunt. Ineptius etiã nunc in dextram, nunc in leuam partẽ distorquere. Brachiorũ prolatio non improbatur, quoties id exegit sententia. Et notantur qui semper manum habent sub pallio, quod nunq; incalescant dicendo. Quosdam uidi qui subinde brachiũ utrunq;, quantũ possent, in leuũ ac dextrum extenderent, uel proijcerent uerius, manibus explicatis, mox eodem impetu adductis,

Corpus
Ceruix

Brachia

clarum ſonum complosione palmarum æderent, uoce interim clamosa, ac totius corpo-
Manus ris gesticulatione. In gestibus corporis loquacissimæ sunt manus, quorum aliquot sunt
omnium gentium communes. Veluti dextra mota silentium poscimus. Item quum de
nobis loquentes, manum pectori admouemus, quum de alijs, ad eos de quibus uerba fa-
cimus. Velut in Euangelio dominus de discipulis dicturus: Hi sunt fratres mei & ma-
ter & soror, manum in eos extendit: & indice pronominum uice utimur, hic, iste, ille.
Manu allicimus, manu auersamur aut depellimus. Digito ori appresso silentium indici-
mus. Commune forsitan & illud, quod in pœnitentiæ signum manu pectus tundimus,
in admiratione percutimus femur. Iudicum decimo quinto legimus quod Philistæi stu-
pentes, suram imposuerint femori. Vetus est, quod hodie quidam manum osculando ad-
orant. Sunt rursus olim usitati gestus, nunc ignoti. Quis enim nunc agnoscit gestū, quem
Fabius testatur fuisse ætate sua maxime cōmunem omnium, quo medius digitus in polli
cem contrahitur, explicitis reliquis tribus: quem ait conuenire exordijs, si leui motu mo-
dice in utranq; partem feratur, simul capite atq; humeris sensim in id quò manus fertur
obsecundantibus. Eundem cōuenire ad fidē narrationis, si motus sit paulo productior:
idem acer atq; instans, in exprobrando atq; arguendo decet, si longius ac liberius exera-
tur. Sit unum hoc exempli causa positum: nam Fabius innumeros manuū ac digitorum
gestus immodica penè diligentia prosequitur, quos hic commemorare nihil refert. Con
stat olim fuisse uulgatissimum pollice presso fauorem indicare, quos testes ac memo-
res esse uolebant, eorum aurem contingere, quibus supplicabant genam ac genua con-
tingere, quum nihil nunc sit ab hominum usu remotius. Sed quemadmodum hæc exo-
leuerunt, ita quædam recepta sunt, quæ nesciebat antiquitas, ueluti quum manu dextra
in crucis figuram contra faciem mota, miramur, abominamur: ad alios mota, bene preca
mur, aut ualere iubemus. Partiri in digitos causam, quod solet Hortensius, non semper
dedecebat. Nam adorare aut inuocare deum iunctis ac sublatis manibus, arbitror uetu-
sti fuisse moris. Nec semper conueniet indicem in cœlum tollere, quoties cœlum nomi-
natur, aut demittere quoties terra, decebit tamen aliquando, quum id poscet affectus. Mi
mus quidam dictus est manu feciſſe solœcismum, quod cœlum nominans digito osten-
dit terram, terram nominans ostēdit cœlum. Illud indecorum, leua perfricare faciē, qua-
si pudorem abstergeas, aut resupinare nares, aut emungere citra necessitatē, aut scabere
caput. Qui gestus ob hoc ipsum uitio dantur, quod sint ocioſi ac supini, & rem & audito
rem contemnentis, cuiusmodi est spectare lacunar, aut suspicere basilicæ testudinem, aut
statuam aliquam, & his similia quæ singulorum fere sunt peculiaria, adeò ut uix quenq;
reperias tam natura aut arte compositum, quin aliquem ceu neuū deprehēdas, quo non-
nihil offendaris. Quod autem Fabius ait quosdam subito nunc in tergum, nunc in latus
projicere brachia, ut tutum non sit proximū astare, ab eo periculo nunc Ecclesiasten libe
rat suggestum editius. Illud ad Ecclesiasten pertinet, quod præcipiunt ne manus ultra si-
num erigantur, aut infra cingulū deijciantur. Ipse tamen uidi quendā utranq; manū lon-
ge supra caput porrigentē in altū sublatis oculis, quum deū testem eorū quæ dicebat cita
ret, atq; interim uestis defluens nudabat brachia. Quanq; nihil non decet, quoties uehe-
mens ac tempestiuus affectus postulat. Manū dextrā in altū porrectā uibrare in signum
Pedes læticiæ, militare est. Corporis motus qui sunt infra cingulum plerosq; suggestum occul-
tat, quod genus est immodica pedum diuaricatio, aut uenter contractior aut porrectior.
Quosdam prohibet, uelut ambulationes aut procursiones. Nec opus est hic linea, quam
Cassius Seuerus popoſcit aduersus eos qui calore immodico in aliena tribunalia pro-
currerent. Prohibet & ferire femur in indignatione aut dolore, quod primus apud Athe
nienses fecit Cleon referente Fabio. Id à Romanis receptū nō improbatur eruditis. Qui
gestus uidetur ab Hebræis profectus. Sic enim Hieremias capite 21. Postquam conuerti-
sti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Decentius
nunc pro femore uerberant suggestum. Nam percutere frontem erat olim receptum, te-
ste Cicerone, licet improbet Fabius. Interdum se in latus dextrū aut siniſtrum uertit con-
cionator, quo commodius ab omnibus audiatur, & omnes reddat attētos. Verū id per-
petuo facere dedecet. Nam quidam dum oratorios gestus affectāt, in metentiū habitum
se componunt, Sentitur etiam à populo uacillatio corporis, nunc dextro pedi, nunc
siniſtro

sinistro innitentis, quasi è lintre, ut ait quidam, concionarentur. Dedecet item immodica totius corporis erectio aut incuruatio. Nec enim necesse est, ut si sublimia loquimur, ipsi protinus fiamus sublimes, aut si quid narramus, quod corpore fit inflexo, statim ad eum habitum nos componamus. In utroq; tamen peccant quidam, quum utrunq; sit mimicum. Notatus est mimus, qui quum recitaret in carmine, magnum illum Agamemnonem, quantum potuit corpus erexit in summos pedum digitos. Cui præceptor qui aderat in theatro reclamauit, longum facis non magnum. Is populo flagitãte, ut ipse gestum accommodatiorem adderet, fecit Agamemnonem cogitabundum. Quanquam & hoc scenicum, neq; enim conuenit Ecclesiastæ, ut si quem narret cogitabundum, ipse se fingat in habitum cogitabundi. At ipse uidi qui regi blandientes, adulanter corpus inflecterent: in episcopos, quos uideri uolebant contemnere, aliquid dicentes, corpus attollerẽt. Quendam audiui qui quum narraret, quomodo dominus onustus cruce incesserit, in gestum onus graue baiulantis corpus incuruauit, pedum quoq; strepitu quantum potuit imitans ambulantem. Idem me audiente, quum exaggerasset uerbis, quàm horribilis fuisset ille totius populi strepitus, quum omnes una uoce clamarẽt, crucifige, crucifige, iussit uniuersam concionem quantum posset uociferari, crucifige, crucifige. Cuidam ἰδιοτρόπῳ ridiculum quiddam accidit. Ipse grandi proceroq; corpore dicebat è suggesto minus profundo, unde alij solent dicere sedentes: cumq; uehemẽs uideri studeret, erectoq; in altum corpore iactaret brachia, superiore corporis parte, quoniam plus habebat pondoris depressa, deuolutus in turbam uicinam, ostẽdit ea fœminarum ac uirorum oculis, quæ uerecundius teguntur. Inepta & indecora sunt & illa, quæ quidam affectant ad mouendos affectus. De uitæ contemptu deq; mortalium fastu dicturi, duo mortuorum capita è polyandrio sublata, sub ueste in suggestum deferunt, quæ postquam incaluit oratio proferunt, magnoq; fragore collidunt, ut excussi dentes in populum dissiliant, uociferantes, Quid uobis uidemini? Hoc estis miseri. Et hæc sane mouent affectus simplicibus, sed non quicquid quocunq; modo mouet affectum, statim decet Ecclesiasten. Tolerabilius quod quidam exaggeratis Christi doloribus, quo maiorem excitaret commiserationem, subito prompsit signum crucifixi. Ecce, inquit, Christum indigne tractatum. Quam quam hoc & huius generis alia non conueniunt graui Ecclesiastæ. Alioqui probandum esset, si quis multa loquutus quàm tetra belua sit diabolus, cuius imperio se mancipant peccatores, subito proferret hominem diaboli specie personatum, quales discurrunt in ludis uulgaribus. Ridetur is qui pupillum cuius causam agebat, sublatum in ulnas deportauit in tribunal, quo iudicibus moueret misericordiam, uerum idem admodum frigide, nec sine populi risu reportauit puerum suum.

Est momenti nonnihil in cultu, de quo illud in genere præcipi potest, ut bono grauiq; concionatore dignus sit. Verum hoc decorum, pro loco, tempore, personis ac more uariat. Audio nunc quosdam in ueste lupina concionari apud populum, quo corrigant aliorum superstitionem. Atqui istuc non est corrigere uitium, sed mutare. Itali decentius uestiuntur quàm Germani. Nonnulli religionem professi nolunt tegi uestem ordinis sui, quasi nulla sit sacratior, sed ijdem tegunt in sacrificio. Quod si diaconus recte sumit uestem sacram Euangelium recitaturus, quanto magis decet idem sacerdotem Euãgelium enarraturum, præsertim quum olim Euãgelij enarratio pars fuerit missæ. Nec enim Episcopus alia ueste docebat populum, quàm qua peragebat mysteria. Neq; uero nouũ est, in sacris functionibus uti sacris uestibus. Fluxit is mos ab ipso Mose in Ecclesiam, & ab huius primordijs ad nos usq; demanauit. Porrò quemadmodum uestis modesta decẽsq; commendat concionantem, ita dedecet indecora uestis iactatio, submissio, sublatio, reuolutio. Vidi ipse Romæ primi nominis Ecclesiasten, qui simul atq; partẽ orationis absoluisset, utraq; manu in tergum reflexa, uestem à postica corporis parte in utrunq; latus reuoluebat, quo gestu quum nihil esse possit fœdius, tamen arbitror hoc illum inscientem fecisse. Illud mirabar, neminem illi fuisse amicum, à quo admoneretur. Nam mihi cum eo semel atque iterum duntaxat fuit colloquium, nondum intercesserat familiaritas. De pronunciatione dicendi finem faciam, si illud adiecero, ante omnia spectandum quid quem deceat. Quibusdam enim natura peculiarem addidit gratiam, ut deceat quic quid agũt, quod de bonis uiris prouerbio iactatum est: id nec arte tradi potest, nec uerbis enarrari

Decorum peculiare

enarrari. In his etiam uitia decent ac delectant, quæ in alijs essent fœdissima, quum contrà quibusdam arcana quædam addita sit infelicitas, ut uirtutes etiam displiceant. Oportet igitur Ecclesiasten sibi notum esse, nec artem modò, uerum etiam naturã suam in consilium adhibere. Ab eruditis probatur mora mediocris initio dictionis, quod ea res expectationem auditorum excitat: sed indecorum est quod in eo silentio quidam ter inflant buccas. Decet autem cogitantis habitus.

Vehementia Loci communes amplificandi gratia triplices

Redeo nunc ad illa, quæ paulisper distuli, ac paucis ostendam quibus rationibus fit, ut oratio sit uehemens, iucunda & copiosa. Ad uehementiam simul & copiam faciunt loci communes. Locos communes hic appello sententias frequenter incidentes, quæ si per amplificationem adhibeantur, siue in laudem, siue in uituperium, adiuuant ad persuadendum id quod destinauimus. Frequentius tamen incidunt in genere demonstratiuo. Veluti si quem principem laudes ob clementiam, per locum communem amplificabitur, quàm eximia uirtus sit clementia, quàm detestanda sit crudelitas. Rursus si quem episcopum laudes ob pudicitiam, exaggerandum erit, quanta uirtus sit pudicitia, quantumq; bonorum pariat in homine. Item si suadeas quempiam accersendum ad episcopi munus, quod castus sit, quod pecuniarum contemptor, quod ad docendum propensus, amplificandum erit quanta uirtus sit castitas, quantam infamiam sacerdoti concilet impudicitia, quantam corruptelam secum adferat amor pecuniæ, tum quàm sublime munus sit, quàm deo gratum, ad pietatem erudire populum. Si quem à uindicta deterreas, locus communis erit neminem lædi nisi à seipso. Similiter in obiurgando & consolando. Si quem obiurges, quod obtrectationibus indulgeat, exaggerandum erit, quantum crimen sit, linguæ uirulentia proximi famam lædere, quod est homicidij genus. Si quem ægrotum consoleris, amplificandum erit, quàm hæc uita sit breuis, incerta, malis innumeris obnoxia, breuiter, quàm non sit uita, si ad illam uitam, ad quam mors transmittit pios, conferatur: amplificandum quanta sit fides, quæ sola præstat, ut nec mortem, nec inferorum regnum timeamus. Atq; hi loci primum ab omnibus uirtutum uitiorumq; generibus ac partibus duci poterunt. Partes appello species, in quas uirtutis genus diducitur. Vt iustitia genus est, cui subsunt uariæ partes. Nonnunquam genus generi, aut species speciei adminiculatur. Prioris exemplum erit, ad suscipienda pro republica discrimina, frequenter opus est prudentia, quæ docet, quid uerè timẽdum, quid non; & ad constanter tuendam iustitiam aduersus potentes, frequenter opus est fortitudine. Posterioris hoc. Pudicitiam alit uitæ frugalitas, corrumpit luxus: igitur ad castitatem adhortanti profuerit amplificare laudem frugalitatis, & odium luxus. Illud perpetuum est, quod contraria contrarijs admotis illustrantur. Deinde à sententijs hinc deriuatis, & huc adiuuantibus. Quod genus sunt, nemo lædit nisi à seipso: Et grauius lædit qui iniuriam facit, quàm qui patitur. Et fortior est qui negligit illatam iniuriam, quàm qui infert. Et lucrum facit non mediocre, qui perpeti mauult iacturam, quàm lite aut bello persequi. Lucrum fraude partum, damnum est, non lucrum. Nulla speciosior uictoria, quàm si quis imperet affectibus. Iram uincere speciosius est quàm urbem capere. Nullum certius excelsæ mentis argumentum, quàm iniuriam negligere. Qui malum malo pensat, odio mali fit ipse malus, & odio dignus. Qui contemnit hostem, uir fortis & sapiens est. Qui pro iniuria reponit beneficium, uir Euãgelicus est. Quisquis uindictam meditatur, homicidio proximus est. Nullo officio citius flectitur deus ad ignoscendum nobis commissa nostra, quàm si in gratiam illius ignoscamus proximo. Iniuriarum reciprocatio finem nescit. Simultas optime finitur patientia. Ira furor est, hoc tantũ differens, quod brevior est. Stultum est, ab equo conspersum, aut calce percussum ferre, ab homine stulto & improbo nil posse pati. Ebrio nemo fidit, at quũ iræ temulentia multo periculosior sit q̃ uini, stultè facit, qui sibi irato quicquam credit. Ebrio conuenit somnus, iræ quies & mora. Quod ira suadet, mox abit in pœnitudinem, quod ratio suadet semper placet. Beneficiorum oportet immortalem esse memoriam, iniuriarum breuissimam. Hæc aliaq; quæ innumera uel ex autorib. peti, uel apte ad causam excogitari possunt, cõueniunt hortanti ad pœnitentiã, et à uindicta deterrenti. Item, Dei est iuuare mortalem, Beneficiũ dando accepit, qui digno dedit. Bis dat, qui cito & alacriter dat. Liberalitatis est interdum & perdere beneficium. Qui dat male usuro, non dat beneficium sed noxam. Nihil tutius

deponitur

deponitur, quàm quod confertur in bonos uiros. Serere ne dubites. Qui dat ut plus recipiat, non est beneficus, sed negociator. Nil tam perit quàm quod confertur in ingratum, at qui in proximum amore Christi liberalis est, non fraudatur gratia. Qui miseretur pauperis, deo fœnerat. Nemo sibi natus est. Indignus est qui habeat, qui quod habet sibi uni habet. Hæc omnia iuuabunt hortantem ad beneficentiam. Tertium genus est, quod sumitur à communi uita, hoc est, ab his quæ uulgo dicuntur, aut quæ accidunt, præsertim insignia. Nam quædam & dicuntur & accidunt, ut nouercas male uelle priuignis, matrum indulgentia corrumpi liberos, seruos heris clàm obmurmurare. Et cuicq; tot hostes esse, quot habet seruos. Ex improbis nasci improbos, ex malo coruo malum ouum. Male partum male disperire. Quæ subito grandescunt, non esse durabilia. Sat cito, si sat bene. Magistratus arguit uirum. Quædam dicuntur ut fiant, aut uitentur. Ne quid nimis. Sponsori præsto est noxa. Nosce teipsum. Præcipuum senectutis solatium est, bene uixisse in iuuentute. Optimum senectuti uiaticum eruditio. Frustra sapit, qui sibi non sapit. Obscurus est qui nihil habet nobilitatis præter imagines. Turpiter pauper est, qui nihil habet uirtutis. Plus uident oculi quàm oculus &c. Insigniter & paucis accidentium sint hæc exempla. Insignis longeuitas, uiuida uiridisq; senectus, senilis iuuenta, admiranda fœcunditas. Rara felicitas, insigne corporis robur, insignis memoria aut obliuio. Rara facundia, insignis opulentia aut paupertas. Varia & insignis utriusq; fortunæ experientia, subita fortunæ commutatio. Formæ præstantia, deformitas insignis. Egregius animus in deformi corpore. Deformis animus in specioso corpore. Insignis polygamia, insignis πολυγλωττία. Magnæ prosperitatis, tristis exitus. Vitam plus aloes habere quàm mellis. Mors subita, mors spontanea, mors præmatura. Nihil est horum quod non ad uehementiam & copiam orationis possit accommodari. Veluti si quis consoletur senem aut ægrotum, ad huius uitæ contemptum, ex loco de præmatura aut subita morte arripiet, quot infantes pereunt inter latebras uteri materni, quot in ipso exortu, quot in cunis? Tum quot adulti subita morte pereunt, & quàm paucis contingit ad senectæ limen peruenire. Ex insigni longeuitate sumet, Iam ut contingat longeuitas, quanta cõtigit Matusalem, quid habet hęc uita, quur quisquam optet eam esse longam, quum multi fuerint qui tædio malorum mortem asciuerint. Aut quid est ætas centum annorum ad æternitatem, nisi punctum temporis. Hoc exempli causa positum esto, ad cuius imitationem lector de cæteris facile iudicabit. Huiusmodi sententiæ, per amplificationem tractatæ adiuuant id quod agimus, & orationem accessione non inani locupletant.

Casus insignes in uita

Quibus autem rationibus constet amplificatio, à uetustis rhetoribus abunde explanatum est, nec ea res nostram desiderat operam, nisi ut forte quædam crassiore, ut aiunt, Minerua declaremus. Non minima pars eloquentiæ sita est in augendo ac diminuendo, præsertim Ecclesiastæ, cui fere dicendum est apud imperitam & oscitantem multitudinem. Hoc tantum interest, quod forensis orator amplificando conatur efficere, ut res maior appareat quàm est: eleuando, ut minor quàm est. Vtrunq; præstigij & impostoræ genus est. Ecclesiastæ satis est efficere, ut res tanta uideatur quanta est, maior aut minor quàm multis uidetur. Nam uulgi de rebus ferè præposterum est iudicium, pessima pro optimis eligit, leuissima bona pro maximis amplectens, rursus summa ueraq; bona pro minimis negligens. Quis enim est, qui non pluris faciat bona corporis quàm animi, temporaria, quàm æterna? Tum odium, dolor & ira facit, ut aliena mala nobis grauiora uideantur quam reuera sunt. Contrà amor sæpe facit, ut quæ mala sunt nobis bona uideantur, & quæ bona sunt, maiora uideantur quàm re uera sunt. Id magis accidit in nobisipsis. Quotum enim quemque reperias, qui sibi non sit adulator, uitia sua extenuans, uirtutes plus æquo attollens? Omnis autem amplificatio ac diminutio petitur, aut ex rebus, aut ex uerbis. Ex rebus petuntur affectus, ex uerbis modi, quos nunc proponemus.

Amplificatio

Prima augendi aut extenuandi ratio consistit in commutando rei uocabulo, quod atrocius addimus in augendo, mitius in diminuendo. Prioris exemplum erit, si occisum dicamus qui cæsus sit: si pro improbo appellemus latronem, si pro impudica meretricem, si pro fure sacrilegum. Si splendidius uiuẽtem uocemus ebrium, si iratũ furentem. Si iocis assuetum scurram, si uiolentum carnificem, si obtrectatorem ueneficum, si scelestum scelus & cætera. Nam uulgatissimum est, ut qui molestior est, occidere aut enecare

Vocabuli mutatio in amplificando

care dicatur, qui dicto silentium imposuit, iugulasse, qui discruciauit exanimasse dicatur. Præterea quum delicatius uiuentes, semiuiros, euiratos & effœminatos dicimus. Huius generis est, quod Saul Ionathæ matrem pro adultera appellat, mulierem ultrò uirum rapientem, significans eum non esse legitimum filium, sed suppositititium. Posterioris exemplum erit, si qui pulsauit attigisse dicatur, qui uulnerauit lęsisse, qui ęgrotat sibi displicere. In summa, quoties uitium uicinæ uirtutis nomine eleuamus. Veluti quum crudelem appellamus paulo seueriorem, imprudentem simpliciorem, adulatorem comem & affabilem, Corruptam licentia ciuitatem liberam appellamus. Hæc species affinitatem habet cum loco qui est à fine. Cõmutatur enim rei uocabulum, nec id tamẽ falsò: ueluti si quis omne bellum quod Christiani gerunt cum Christianis, appellet bellum ciuile, quod omnes inter se fratres sint & ciues. Aut si quis omne stuprum quod Christianus cum Christiana committit, uocet incestum, quod omnes sint dicati Christo. Aut si quis omnẽ quæstum non expertem fraudis appellet furtum, aut peculatum, aut sacrilegium. Item, si quis quemuis errorem hæreticũ appellet blasphemiã, quod aduersetur Christo, qui est summa ueritas, aut si quis cum Paulo, auaritiam uocet idololatriam. Atq; hoc fit uehemẽtius acriusq; ferit animos, si per correctionem ampliora uerba cum his pro quibus ponũtur, conferantur. Exemplo est illud Ciceronis in Verrem. Non enim furem, sed raptorẽ, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq;, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumq; in uestrum iudicium adduximus. Huic generi affinia sunt illa, si quis testimonij pondus amplificare uolens, ita adaugeat. Non hæc uerba sunt hominum fabulis iactata, sed literis prodita, nec quibuslibet literis, sed totius orbis consensu comprobatis, nec sunt cuiusuis hominis, sed Ecclesiastici doctoris, nec cuiusuis theologi, sed Apostoli, nec cuiuslibet apostoli, sed omnium excellentissimi Pauli, immo non Pauli, sed spiritus sancti ore Pauli nobis loquẽtis. Item si quis obtrectationis crimen exaggeret hunc in modum. Non spoliasti illum pecunia, sed fama, quæ charior est uniuersis opibus, nec hostem traduxisti, sed fratrem & amicum, bene de te meritum, immo non traduxisti, sed occidisti. Fama enim uita est hominis. Nec occidisti gladio, sed linguæ ueneno, ut iam ueneficium sit, nõ simplex homicidium. Nec unum hominem occidisti, sed omnes, in quibus linguę tuæ ueneno fraternam extinxisti charitatem. Postremo non hominem occidisti, sed ipsum Christum in membris suis, quod quidem in te est, occidisti. Ab hac specie non abhorret hyperbole, quæ plus dicit q̃ res habet. Nec hoc statim mendacium est, quum sacri doctores toties in libris canonicis indicent hyperbolen. Nullus enim hic decipitur, sed omnes intelligunt exaggerandæ minuendæue rei causa dictũ quod fidem excedat: ut si quis de rabula clamoso dicat: hic sua loquacitate postes & marmora posset rumpere, auditor nihil aliud intelligit, nisi loquacitatem insigniter immodicam. Aut si quis de homine præter modum sibi placente dicat: hic sibi uidetur cœlum digito attingere, auditor nihil aliud animo cõcipit, quàm uix enarrabilem hominis arrogantiam. Itidem quum Psalmus dicit, fluctus ascendisse usq; ad cœlos, ac descendisse usq; ad abyssum, hoc est, inferos, nihil aliud intelligimus quàm immanem tempestatem. Item quum Paulus Philippensibus scribit, se omnia habuisse pro stercoribus, ut Christum lucrifaceret, nihil aliud accipimus significatum, quàm extremum rerum humanarum contemptum. Sed de hoc in sequentibus plura dicendi occurret opportunitas. Est alia augendi species per incrementum, quum exaggeratis inferioribus per gradum unum aut plures peruenitur ad summum. Vehementer enim increscit extremum, si inferiora quoq; uidentur egregie magna. Præsto est euidens exemplum è Ciceronе in Verrem. Facinus est uincire ciuem Romanum, scelus uerberare, parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Duobus gradibus auxit parricidium, quo quum nullum atrocius uerbum posset inueniri, extremum gradum auditoris cogitationi reliquit. Est alter incrementi modus, quum summo aliquid additur præstantius. Velut apud Vergilium: Quo pulchrior alter non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. Summum erat, Quo pulchrior alter non fuit. Vltra summum est, excepto Laurentis corpore Turni. Si mile fuerit, Salustius omnium facile eloquentissimus, unum excipio Ciceronem. Diomedes Grecorum omnium longe fortissimus, Achillem semper excipio. Inter uniuersos homines nihil Ioanne Baptista sanctius, Christũ semper excipio. Tertius modus est, quum non

Correctio in amplificando

Hyperbole in amplificando

Incremẽtũ in amplificando

Incremẽti modus secundus

Incremẽti modus tertius

non per gradus itur ad id quod est pluſquam maximum, ſed ad id tantum, quo nihil maius dici possit. Velut matrem tuam occidisti. Quid dicam amplius? matrem tuam occidisti. Quartus incrementi modus est, quum citra distinctionem in orationis cõtextu & cursu semper aliquid priore maius additur, & ad summum peruenitur, non nixu, sed impetu. Velut Cicero in Antonij uomitum. In cœtu uero populi Romani negocium publicum gerens, magister equitum. Singula habent augmentum. Per se fœdũ erat etiam non in cœtu uomere, in cœtu etiam non populi, etiã non Romani, etiam si nullum negocium ageret, etiam si non publicum, etiã si non id faceret magister equitum. Ad hanc formam haud quaquam difficile fuerit similia fingere, uelut illa. Non puduit illum aleam ludere, cum scurris in popina publica, sacerdotem, pastorem, theologum, monachum. Non puduit insigniter mentiri, in sacra concione, frequentissimo auditorio, senem, Euangelij præconem, Theologiæ professorem, candido pallio uenerabilem. *Incremẽti modus quartus*

Est aliud amplificandi genus, quod constat comparatione, & petit augmẽtum ab inferioribus, quæ si magna sunt omnium opinione, maximum appareat necesse est, quod amplificatum uolumus. Id plerunq; fit per fictionem, de qua superius dictum est. Interdum uno gradu, interdum pluribus. Nec refert, quod fictionem & comparationem inter locos argumentorum commemorauimus. Nihil enim uetat ex ijsdem locis peti amplificationem aut ornatum, ex quibus petitur probatio. Neq; nouum est res easdem ad diuersos usus accommodari. Velut ex omnibus circunstantijs tum rei tum personæ ducũtur argumenta, sed ex ijsdem petuntur affectus, siue exaggerationes, quod manifestum est in genere demonstratiuo. Velut quum in iuuene laudamus pudicitiam, nõ hoc agimus, ut persuadeamus eum fuisse pudicum, sed ut ea uirtus maior appareat in florente ætate. In eundem usum adhibentur interdum & genus, & species, & differentia, & proprium, & similia, & exẽpla, & causæ, & definitio & euenta, & consequentia & repugnantia, & contraria. Quod genus est illud apud Esaiam: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognouit. Bouis & asini exemplum non in hoc adhibetur, ut probet Hebræos non agnoscere deum suum, sed ut amplificetur illius gentis impietas ac stoliditas. Ad probationem hoc ipsum accommodari poterat, hoc modo: si bos & asinus agnoscunt dominos suos, à quibus aluntur ijsq; inseruiunt: quanto magis conuenit, ut homo agnoscat deum conditorem & altorem suum, eiq; corpore pariter atque animo inseruiat. Contrà, Paulus quum ait: Nemo militãs implicatur secularibus negotijs, à simili probat, non decere ut qui militãt Euangelio cogantur esse soliciti de uictu. Ad amplificandum accommodasset, si sic proposuisset. Qui militant homini duci, non sunt soliciti de uictu, sed ab imperatore expectantes alimoniam tantum hoc studeant, ut illi fidelem ac strenuam nauent operam. Quanto turpius est quosdam, qui Christo militant professi sunt in Euangelio, de tali imperatore diffidere, & congerendis opibus incumbere. Simile est illud quod ex M. Tullio refert Fabius de uomitu Antonij. Si hoc tibi inter cœnã & in immanibus illis poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu uero populi Romani &c. Hic à minore captata est amplificatio. Quemadmodum & in illo quod dixit in Catilinam. Serui me Hercule mei si me isto pacto metuerẽt, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam mihi relinquendam putarem. Et hoc à minore ductum est. Pauci serui comparantur uniuersis ciuibus, & liberis non liberi, & herus Catilinæ, qui ciuium suorum non erat dominus, & domus comparatur ciuitati. Hactenus uno tantum gradu increuit oratio. Plurium illud erit exemplum. Si quis homo gratis tibi donaret in singulos annos reditus mille drachmarum, non hunc ex animo diligeres, ac pro uirili tua gratiam referre studeres? Si quis hospes te suo ære redemisset è misera seruitute barbarorum, aut è tetro carcere liberasset, an non eum uirum adamares, ac per omnem uitam coleres? Si quis in prælio, aut in naufragio periturum sua uirtute seruasset, an non eum hominem numinis loco coleres, professus nullam unquam parẽ illi gratiam abs te referri posse? Quæ igitur ingratitudo est, Christum deum & hominem, qui te condidit nobilissimam secundum angelos creaturam, cui totum debes quicquid habes, qui tibi præter corporis alimoniam gratis donauit iustitiam, gratis impartit sui spiritus dona, qui pro te cum satana depugnauit, qui te captum non ære, sed suo sanguine redemit, qui superhæc omnia ad cœlestis regni consortiũ inuitat, sic negligere, auersari, sic quotidie cri- *Comparatio in amplificando*

Ex ijsdẽ locis diuersa petuntur

minibus offendere, ac pro tanta beneuolentia tantam contumeliam reponere? Hic plurib⁹ gradibus increuit oratio à minoribus. Interdum & paria comparantur, sed tum uerbis efficiendum est, ut quod exaggeramus maius esse uideatur, quàm prima fronte appareat. Paria uidentur, si mulier accepta pecunia procurauit abortum, & alium dedisse pharmacum quod cieret abortū. Atqui hoc posterius Cicero facit atrocius hoc modo. Quanto est Opianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus. Siquidem illa cū suo corpori uim attulisset, seipsam excruciauit. Hic idem illud fecit per alieni corporis uim, atque cruciatum. Paria uidebantur, quod fecit mulier, & quod fecit Opianicus, nisi Cicero uerbis effecisset inæqualia. Inæqualitas autem sumitur ex omnibus locis ac circunstantijs. Hic frequenter incidet, ut qui dicit abutatur opinione uulgi. Quis enim non existimat turpe facinus, furto tollere pecuniam alienam? Aut quis tam patiens est, ut ferat furis conuitium? Sed obtrectatio aut non habetur pro crimine, aut pro culpa leui habetur. Ecclesiastes igitur hic abutetur opinione populari, & ordinem inuertens declarabit longe sceleratius esse, obtrectare famæ alienæ, quàm alienam pecuniam furto tollere. Id efficiet uarijs circunstantijs & argumentis. Primum à loco definitionis ostendet, & obtrectationem esse furtum, & obtrectatorem esse furem & prædonem. Vterq; tollit alienum. Mox addet, obtrectationem quouis furti genere deteriorem esse. Primum hoc argumento, quod bona fama multis partibus melior sit pecunia. Deinde quod pecuniæ damnum facilè recuperabile est, famæ damnum non ita. Quin ipsi furi in manu est quod eripuit reddere. At obtrectatori in manu non est, famam quam eripuit restituere. Ad hæc qui furatur uestem aut pecuniam, unum tantum hominem lædit: at obtrectator omnium animos inficit, ad quos dimanat malus rumor ab ipso sparsus. Item aduersus furem cautio est, aduersus obtrectatorem nulla est. Ea porrò facinora legibus puniuntur atrocius, quę clam peraguntur ac dolo. Veluti ueneno occidisse grauius est, quàm ferro: & per insidias occidisse grauius est, quàm aperta ui. Ab instrumento siue modo sumetur augmentum. Fur manu peragit scelus, obtrectator lingua telo muliebri. Præterea omnium consensu turpe facinus est uenefícium, sed qui prauis consilijs inficiunt animos principum, turpius uenefici sunt: quippe qui idem faciunt, quod solent qui fontem unde hauriunt omnes, ueneno corrumpunt. Iam grauius est animum inficere, quàm corpus. Vulgare est, nec habetur pro scelere, uina infecta pro syncerís uendere, quum in uno facto multa sint atrocia crimina. Furtum: nihil enim refert manu an dolo tollas alienam pecuniam, nisi quod turpius est, fidentem fallere. Veneficium: siquidem eiusmodi uina plurimos homines in graues morbos conijciunt, ualetudinarios autem & senes etiam in mortem: unde & homicidium est longe crudelissimum, uel quia multorum, uel quia sæpe tollit eos, quibus debetur honor & pietas. Nonnunquam hæc comparatio fit, inter ea quæ prorsus eadem uidentur. Veluti coitus soluti cum soluta, quemadmodum loquuntur iureconsulti, stuprum appellatur. Verum circumstantiæ faciunt, ut huius stuprum fiat grauius alterius incestu: si unus per occasionem lapsus est in impudicam, alter blanditijs, muneribus, uino, denicq; per lenas insidiatus est simplicitati pudicæ uirginis. Siquidem hoc etiam uenefícij genus est. Ad hanc amplificandi speciem pertinet, quum contraria inter se componuntur, quo fit ut utrunque maius appareat, aut euidentius: ueluti si purpuram insignem admoueas purpuræ deterioris tincturæ, & illa uidebitur ardentior, & hæc languidior: aut si puellæ insigniter formosæ adiungas deformem, & illa uidebitur formosior, & hæc deformior. Ita si Ecclesiastes cupiens attollere frugalitatem, ex aduerso subijciat oculis, quàm fœda res sit luxus & temulentia, mox uitij deformitas exaggerata, uirtutis decus augebit. Item si adhortans ad placabilitatem, amplificarit iracundiæ ac truculentiæ uitium. Ad liberalitatem inuitans ostendet quàm deforme uitium sit auaritia. Ad studia literarum extimulans, è regione demonstrabit, quàm miserum sit animal homo, immo quàm homo non sit homo, & uita non sit uita absq; literis. Similiter ad pacem exhortans, ostendet quàm fœda, quàm misera, quàm scelerata res sit bellum. Idem fit in conferendis similibus, exemplis ac personis, quæ uirtute quapiam, aut huic contrario uitio nobiles sunt. Velut imago constantiæ est in sole, palma, quadrato lapide: inconstantiæ, in luna, arundine, & Euripo mari. Rursus in ciconijs est exemplum pietatis erga parentes. In uiperis exemplum impietatis. In gallinis exemplum solicitæ educationis, quo

Comparatio parium

Ex inferioribus superiora

Amplificatio à locis & circunstantijs

Contraria in amplificando

usus est dominus in Euangelio: in aquilis diuersum, quæ oua protrudunt è nido, si plura sunt tribus, idq; tædio nutricationis. Itidem in Iacob exemplum est mansueti & patientis ingenij, in Esau ferocis ac uiolenti. Ad comparationem mihi quidem pertinere uidetur, & illud quod subijciam. Paulo ante ostendi quædam increscere, quum quæ paria uidentur, aut etiam inferiora, demonstrantur esse maiora. Cui diuersum est, quum quæ omnium opinione grauia sunt, & à nobis exaggerata, rursus extenuãtur, collata cũ eo quod augemus. Ad huius rei intellectum nullum exemplum accommodatius confingi potest, quàm quod adfertur è Cicerone in Verrem. Leuia sunt hæc in hoc reo. metum uirgarum nauarchus nobilissimæ ciuitatis pretio redemit, humanum est: alius ne feriretur, pecuniam dedit, usitatum est. Atrox quoddã & immane facinus expectat auditor, ad quod collata quæ per se sunt crudelissima, humana dicuntur & usitata. De personis hoc erit exemplum. Omnium iudicio laudatissimus imperator fuit Traianus, laudatior Antonius philosophus, quorum uirtutes non sunt extenuandæ (Nam id est inuidum laudandi genus, quæ clara sunt obscurare, ut clarius appareat quod admoueris, quod solent pictores) sed attollendæ potius, tum eum quem ornandum suscepisti facere illis superiorẽ. Domitius Nero omnium consensu princeps sceleratissimus fuit. At plusquam sceleratissimus uidebitur, cui collatum Neronem dicas bonum principem posse uideri. Eadem ratio ualet in amplificandis uirtutibus ac uitijs. Velut si quis ad pietatem adhortetur, posteaquam extulit cætera commoda, quæ pietatem comitantur, tranquillitatem mentis sibi bene conscíæ, libertatem spiritus, habere pacem cum deo, communionem cum omnibus sanctis, pro seruo diaboli, factum esse filium dei, solatium spiritus, quod propheta negat ab homine posse concipi, subijciat: Quid his maius, quid honorificentius? quid felicius cogitari optariue potest? Et tamen hæc leuia uideri possunt, si conferantur ad illam beatam immortalis uitæ hæreditatem, quæ certò manet omnes qui hic pietatem colunt. Eadem ratione poterit augeri impietas, imò quicquid est fugiendum aut expetendum.

Cõparationis in amplificando aliud genus

Est rursus alia amplificãdi ratio, quam Fabius appellat ratiocinationem, quum ex his quæ sequuntur, ac antecedunt, aut coniuncta sunt, colligit auditor, quãtum sit hoc quod amplificatum uolumus. Ex antecedentibus est, quum Homerus in bellum armat Achillem, Hectorẽ ac Martem, ex quo apparatu ratiocinamur quàm atrox sit futura pugna. Quod genus est illud Maronis de uentis ab Aeolo emissis: Ac uenti uelut agmine facto, Qua data porta ruunt, ac terras turbine perflant. Ex tam uiolenta omnium uentorum eruptione colligimus quàm sæua sit futura tempestas in mari. Ex insequentibus est, quod est apud M. Tullium de uomitu Antonij: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. Videntur hæc ociose dicta, quum fauces, latera, & gladiatoria corporis firmitas nihil faciant ad ebrietatem: sed nequaquam ociose sunt addita. Siquidem hinc ratiocinamur, quanto uino se ingurgitauerit in Hippiæ nuptijs Antonius, quod illa totius corporis firmitate non potuerit concoquere, sed ubi minime decuit uomitu coactus sit reijcere, idq; postridie. Nam recentem cibum aut potum erumpere, non usq; adeò rarum est. Ex cõiunctis uidetur illud Maronis de Polyphemo, Truncã manum pinus regit. Hinc enim colligimus animo quanta fuerit totius corporis magnitudo, quum manus pro scipione haberet pinum arborem. Quod si quem magis delectant exempla Ecclesiastica, unum illud erit. Ad genus humanum à satanæ tyrannide liberandum, deoq; uindicandum, dei filius factus homo, crucis supplicium pertulit. Hinc enim ratiocinamur quàm horrenda res sit peccatum, quàm misera seruitus, mancipium esse satanæ, quàm metuenda ira dei, quanta dei charitas erga genus humanum, quod tam admirabili ratione seruare uoluerit. Verum hoc exemplum si referatur ad nos, est ex antecedentibus, si ad eos qui præcesserunt aduentum seruatoris, erit ex consequentibus. Velut illud quum exaggeramus gehennæ supplicia nunquam habitura finem, auditor non imprudens animo colligit, quàm tetra res sit peccatum, quod deus natura clementissimus tam acriter punit. Ex coniunctis erit, quod Euangelica peccatrix inuocata irruperit in conuiuium superborum Phariseorum, illisq; spectantibus, unxerit pedes Iesu, ac lachrymis rigatos, capillis suis extersérit. Hinc æstimamus, quanta fuerit illius pœnitentia, quæ pudorem ac metum omnem excusserit fœminæ. Ex insequẽtibus erit, quod Dauid tam dolenter defleuit interitum Absolonis. Hinc ratiocinamur, quanta fuerit illius

Ratiocinatio in amplificando

Ex antecedentibus

Ex coniunctis

Ex insequentibus

erga filium pietas, quem impium, & patri exitium molientem sic desiderauerit. Est ratiocinationis species, qua aliud ex alio augetur hoc pacto. Homerus attollit in immensum uirtutem Hectoris, ut maiorẽ faciat Achillem, qui solus illum potuerit occidere. Et Virgilius amplificat uirtutem Turni, quo fiat illustrior uirtus Aeneæ uictoris. Et historici dum exaggerant, quantus in rebus bellicis fuerit Annibal, attollunt Scipionis gloriam, qui illum deuicit. Interdum augmentum petitur ex alijs per ratiocinationem, hoc pacto: ueluti si Bassum dicas uentris onus excipere auro, unde colligitur quanta fuerit in conuiuijs cæterisq; rebus luxuries: aut si quẽ dicas in soleis calcare gemmas. Tale est illud Ciceronis in luxum Antonij, quum ait, in huius seruorum cellis lectos stratos conchyliatis peristromatis Cn. Pompeij. Hic protinus auditor colligit, quàm prodigiosa fuerit Antonij luxuries in rebus cæteris, quum in cellis, & in cellis seruorum, non mensæ, sed lecti strati essent peristromatis, non quibuslibet, sed conchyliatis, ijsq; Cn. Pompeij tanti principis, quem omnia eximia decebant. Singula faciunt ad augmentum, & quæ diminuuntur, & quæ augentur.

Amplificatio ab instrumẽto

Iam si recipimus & illas amplificandi formas, quoties ab instrumento & occasione et persona petitur augmentum, uereor ne eatur in infinitum. Ab instrumento, ut quum ex Aiacis clypeo, quem narrant septẽ boum tergoribus fuisse contextum, & ex hasta Achillis, quam nemo Græcorum ferre potuit, præter unum Patroclum: colligimus quantarum uirium fuerit ipse. Ex arcu, quem nemo procorum tendere potuit, colligitur robur Vlyssis. Sic in libris Regum, describitur pondus loricæ Goliath & clypeus æreus, & pondus ferri, quod additum erat hastæ, ex quibus animo concipimus quãti roboris fuerit uir ille, quem deiecit Dauid. Et rursus Dauidis uictoria fit illustrior diminuẽdo, quod adolescens fuerit, quod non assuetus gestandis armis, quod modica statura, quod nulla re instructus, nisi funda & quinq; lapillis.

Amplificatio ab occasione & cæteris circunstantijs

Ab occasione, ut quum Socratis inuicta continentia colligitur, quod tam obuia uoluptate, quam plerique ambiebant, flecti non potuerit. A persona, ut quum quàm insignis fuerit Helenæ forma, ex eo conijcimus, quod Priamus apud Homerum appellat eam filiam, negans illam sibi causam tam funesti belli. Nec hoc dixit Paris, aut alius iuuenis, sed Priamus senex tot afflictus cladibus tot liberis orbatus. Sic à loco sumi poterit augmentum, ueluti si quis dicatur Athenis fuisse probus, & in aula principis frugaliter uixisse. A tempore si quis dicatur triginta annis in sacris literis feruenti studio uersatus, quod de se scribit Hieronymus, unde conijcimus quanta fuerit illius in diuinis uolumi-nibus experiẽtia. Ab ætate, quod admirabilior est in iuuene pudicitia, quàm in sene. A sexu, plausibilior est in fœmina fortitudo, quàm in uiro. A conditione, admirabilior est in seruo fidelitas erga dominum, quàm in amico erga amicum, & laus ab inimico profecta plus habet ponderis. A difficultate, exaggeramus quàm difficile sit in carne angelorum more uiuere, quo speciosior appareat uirginitas. A uarietate, quemadmodum M. Tullius hinc colligit, quanta res sit eloquentia, quod quum in cæteris disciplinis tam multi extitissent absoluti, in hac tam pauci excelluissent. Breuiter ab omnibus circunstantijs peti poterit amplificatio, de quibus antea dictum est: aut si quæ præterea reperientur. Velut illustrius est præclarum facinus, quod quis solus peregit, aut primus, aut cum paucis, aut in quo præcipuas egit partes, aut quod idem crebro cum laude gessit. Tum enim eo magnum uidebitur, quod non casu, sed uirtute prudentiaq; gestum est. Speciosius omnino est, quod non tam fortunæ fauore, quàm consilio animiq; præsentia geritur. Laudatur Enos, quod primus inuocauerit nomen domini. Laudatur Christus, quod solus ab omni labe fuit immunis, Prædicatur Noe, quod cum paucis seruatus sit. Prædicantur Lacedæmonij, quod trecenti infinitam Xerxis multitudinem apud Thermopylas remorati sint. Auget Pauli gloriam, quod toties grauissimis casibus afflictus, nihil refrixerit in promouendo Euangelio. Iam in contrarijs eadem est ratio. Abominabilior est Cain, quod primus induxerit exemplum parricidij, quem admodum notatur Lamech, quod primus uiolauit monogamiam. Et Paulus crimen eius, qui patris uxorem duxerat, hac nota exaggerat, quod solus tale flagitiũ perpetrasset, quale nec inter gentes audiretur, quanquã hic & à personæ qualitate αὔξησις est. Grauius punitus est Ananias cum uxore Sapphira, quod e discipulorũ numero ausus sit mentiri spiritui

ritui sancto. Nec è circunstantijs solum, uerum etiam è locis, nisi quod ipse circunstantiæ loci sunt. Velut Cato senior, quadragies scribitur uocatus in ius, & semper iudicum sententia absolutus. Ab hoc euētu duo colligimus, & quàm incorrupti fuerint Catonis mores, & quantæ inuidiæ fuerit obnoxia illius seueritas.

Augmentum addit & emphasis, quod fit uerbis significantibus, quæ plus tradunt cogitationi, quàm si res simplicibus uerbis exprimeretur. Qua quidem in re regnat metaphora, & quæ hinc constabant schemata, parabola, allegoria, abusus, imago. Quū enim audimus, frendebat homo, plus animo concipimus, q̄ si dixisset indignabatur. Et quum audimus: Hic nulli bono non oblatrat, plus intelligimus quàm si dictum esset obtrectat. Emphasis est in illo Vergiliano, dum Cæsar ad altum Fulminat Euphratem. Plus enim animo concipimus quàm si dixisset bellat. Rursus Hieremias exprobrās Iudæis adulteria, non sine emphasi dixit: Emissarij facti sunt, unusquisq; ad uxorem proximi sui hinnie bat. Et Paulus quum ait, Quorum deus uenter est, significantius loquutus est, quàm si dixisset, qui seruiunt suo quæstui. Verum de his & supra diximus nonnihil, & post incidet dicendi locus, quandoquidem hæc schemata fere primas tenent in omni uirtute dictionis, siue copiam spectes, siue euidentiam, siue probabilitatem, siue uehementiā, siue splendorem & amplitudinem, siue iucunditatem & gratiam. *Emphasis in amplificando*

Fabius addit συναθροισμὸν, siue cōgeriem, quam tamen distinguit ab eiusdē nominis figura. Est autem hic congeries, multiplicatio uerborum aut sententiarū rem eandem uelut inculcantium, hoc differens ab incremento, quod illic per gradus increscit oratio, hic uelut aceruo, qua forma mirifice usus est M. Tullius in Oratione quam apud Cæsarē habuit pro Ligario: Quid em̄ tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? Qui sensus erat armorum tuorum? Quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? Ad hanc orationis partem tradūt Cæsarem immutasse colorem. Quàm multæ uoces hic sunt idem significantes, gladius, mucro, arma, sensus, mens, animus, cupiebas, optabas. Tum quot sententiæ eodem spectantes, distringere in acie gladium, latus petere, sensus armorum. Mitius est, sed tamen eiusdem generis, quod est apud Vergilium, Quid puer Ascanius superat ne, & uescitur aura Aetherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris? Nihil aliud quærit, nisi an adhuc superst Ascanius, sed affectus est quod rem eandē ter expressit, Superát ne satis erat, sed addit, & uescitur aura Aetherea. Nec hoc contentus adiecit, nec adhuc crudelibus occubat umbris. Hoc genus amplificandi frequenter usui erit Ecclesiastæ, quoties res poscit affectum. Non moror lectorem exemplis, quod ad hanc formam sibi quisq; facile cōfinget similia. Et frigent hoc genus exempla, nisi præcedant quæ auditorem affectui præparent. Consimile quiddam nobis euenit in præceptis, quod alijs in declamādo. Siquidem ambuiatio, procursio, dextri brachij rotatio, aliaq; quæ in causis agendis decebant, in declamatione speciem habebant insaniæ, & ridebantur. *Congeries in amplificando*

Quicquid autem hactenus dictum est de augendo, idem ualet ad diminuendum. Efficacissimum uero amplificādi genus est, quum aucta ac diminuta inter se componuntur, seq; uicissim illustrant. Veluti si amplificatis dei in nos beneficijs, extenuemus nostrum in illum cultum. Quanquam omnis fere diminutio secum adfert incrementum, licet non eiusdem rei. Velut eleuatus cultus noster erga deum, auget ingratitudinem, atq; idem efficit amplificata erga nos dei beneficentia. Est alius usus contrariorum ad uehementiā faciens, ueluti si quis malos sacerdotes taxans, quod uiuant in ocio luxuq;, quod concubinas alant, quod aleam ludant, quod uenentur ac belligerētur, quod auaritiæ seruiāt, idem faciet acrius si his adiungat contraria. Pro studio pietatis ac sobrietate illis est luxus, pro macerationē carnis, concubinæ. Pro nocturnis precibus, alea, pro concionibus uenatus & arma, pro scrutinio scripturarū auaritia. Huius formæ est illud Esaiæ 3. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. Ad hæc è uerbis pariter atq; rebus petitur diminutio, quemadmodū amplificatio, Vtriusq; exemplum uno Ciceronis sermone potest ostendi. De oratione Rulli ita loquitur: Pauci tamen qui proximi astiterant, nescio quid illum de lege Agraria uoluisse dicere, suspicabantur. Quod ait pauci, & proxime astantes, è rebus petit diminutionem. Rursus quod ait, nescio quid, & uoluisse dicere, & suspicabantur, è uerbis petita est diminutio. *Contentio in amplificando*

Amplificatio simul & è uerbis & ex reb.

diminutio. Atq; eadem diminutio, auget obscuritatẽ orationis. Sunt & aliæ figuræ complures quæ faciunt ad augmentũ aut diminutionem, sed id tempestiuius fiet, quũ breuiter ostendemus quæ schemata, ad quas orationis uirtutes conducunt.

πάθη siue affectus

Nunc ipsa rerũ uicinia monet, ut de affectibus aliquid dicamus: de quibus & quomodo distinguantur, & quibus modis moueantur, quoniã accuratè copioseq; tum à Græcis, tum à Latinis præceptũ est, non est consilium huc uulgata repetere, tantũ per summa rerũ capita decurrentes admonebimus, quod Ecclesiastæ nostro conducat. Rhetores huic parti palmam tribuunt, posse dicendi uiribus iudicibus uim facere, eosq; sibi ipsis eripere, ut lacrymis totoq; uultu iam de causa pronuncient, anteq; pronuncient. Hoc in iudicijs Aristoteli non probatur, pronunciaturo tenebras offundere, præsertim quũ qui dicit, raro uir bonus sit, hoc unũ spectans, ut causam uincat. Atqui apud rudem & imperitam multitudinẽ dicenti hæc facultas penè necessaria est. Primum quod crassam & oscitantẽ turbam citius inflammes q; doceas, trahas q; ducas. Deinde quod bona pars uulgi magis peccet affectu corrupto q; ignorãtia ueri. Velut ebrietatem, adulteriũ, lucrum fraude partum, esse crimina nemo nescit, sed prauæ cupiditates transuersos rapiunt ad ea quæ non probant. Hic conueniet affectus affectibus, ueluti clauũ clauo pellere. Præterea plurimi sunt, qui suis uitijs blandiuntur, & pro leuibus culpis ducũt, quibus assueuerũt. Hic erit usui amplificatio. Postremo nonnulli uix dociles sunt, ad omnia dormitantes, nisi uelut excitentur affectu. Vnde non absurdum est quod scripsit ille peripateticus. Affectuum stimulos, ceu pædagogos à natura nobis additos ad uirtutem, uelut iram ad fortitudinem, amorem & misericordiam ad beneficentiam, pudorem ac metum ad innocentiam. Hinc est quod patronus, si modo uir bonus est, statim initio sibi reoq; comparat beneuolentiam, non ut fallat iudicem, sed ut affectus ueluti lenocinio reddat eum ad causam magis attentũ ac docilem. Hac ratione Ioan. Baptista terrore præparauit Iudæorum animos: Progenies uiperarũ, quis uos submonuit fugere à uentura ira? Et, Iam securis ad radicẽ arboris posita est. Similiter exorsi sunt discipuli: Pœnitentiã agite, quoniã appropinquat regnũ cœlorum. Et dominus: Omnis arbor quæ non fecerit fructus bonos excidetur, & in ignem mittetur. Hinc est quod pueros primũ dolore, gaudio, pudore, laude, spe metuq; ad uirtutem instituimus. Docendo cõsequimur ut auditor intelligat, affectu ut amet aut oderit: uerum iuxta beatum Paulum: scientia inflat, charitas ædificat. Intelligentia si nihil accedat, ad nihil aliud ualet, nisi ut homo sciens nec faciens uoluntatem domini, plagis uapulet pluribus. Adde huc quod ad iudicandum nemo cõstituitur, nisi mediocriter peritus legum ac negociorum. Sed apud quos dicendum est cõcionatori? non iam loquor de turba uicanorũ & agricolarum, sed de ciuili cõcione, è pueris, senibus, uiginibus ac meretricibus, nautis, aurigis & sutoribus permixta, inter quos sunt qui quod ad docilitatẽ attinet, non ita multũ absunt à pecudibus. Ad hos corrigendos aut erudiendos plurimũ momẽti adferent adfectus.

Affectuum duplex genus

Constat aũt imprimis duplex esse affectuum genus, alterum mitius & quasi comicum, alterum uehementius ac tragicum. Nec quicq; uetat inter hoc collocare medium, quod à Fabio factum uideo. Prius illud Græci uocãt ἤθη, Latini mores. Posterius hoc Græci πάθη uocant, Latini quoniã propriam uocẽ non inueniunt, alij generali nomine abutentes pro specie uocant affectus, alij perturbationes aut motus animorum, alij cupiditates, alij morbos. Quãq; nec πάθος Græcis, nec mores Latinis hoc proprie sonant, quod hic sentimus. Siquidem ἤθη Græcis mores sunt, à quibus boni maliue dicimur & sumus. Sed ea uox ut illis ita & nobis deflexa est docẽdi gratia, ut declaret affectus cõmunes ac moderatiores, quibus nemo non afficitur, quod sint secundum naturã, & ab omnibus agnoscantur, ac delectẽt uerius q; perturbent. Mouẽt tamen interdum uel usq; ad lacrymas. Huius generis sunt, quod parentes amant liberos, matres tamen indulgentius ut & auiæ nepotes, unde delicatius educati uulgò dicti sunt mãmæthrepti. Patrui seueriores in nepotes. Socrus iniquiores in generos q; soceri, Nouercæ in priuignos. Fœminei sexus incõstantia futilitas & infirmitas. In uirili ferocia. In meretrice rapacitas & blãdicies. In seruis furacitas & odiũ in dominos. Fauor omnium erga pubescentem ætatem. Senum morositas, parsimonia & in reprehẽdendis iuuenum moribus censoria seueritas, in milite profusio & iactantia, in lenone periurium. In Italo ciuilitas & eruditio, in Germano belli studium, atq; item de cęteris, quæ sunt infinita. Ta-

tes

les affectus commodè aſperſi quum reliquis orationis partibus, tum præcipuè narratio-
nibus, reddunt eam & probabilem & iucundam, & ſi minus concitatam, tamen nec lan-
guidam. Non enim in tragœdijs tantum, uerum & in comœdijs ſi bene moratę ſint, uide
mus interdum ſpectatoribus erumpere lacrymas. Quod ſi accidit in argumentis quæ ſci
mus arte conficta, quãto magis id uſu ueniet in ueris & indubitatis, atq; adeò ad nos per
tinentibus. Hoc affectuum genus plane regnat in comœdijs, tametſi frequenter incidit &
in tragœdijs, Græcorum præſertim: in quo tractando felix eſt Homerus nominatim in
Odyſſea, unde putant nouam comœdiam eſſe deſumptam. Huius tamen non leues acu-
leos agnoſcas & in ſacris uoluminibus, uelut in hiſtoria quæ refertur Geneſeos cap. 42.
& aliquot ſequentibus. Similiter in parabola filij prodigi reſipiſcentis apud Lucam. Ex
quo quidem argumento poſſet non inelegans texi comœdia. Ad declarandam ἠθῶν καὶ
παθῶν differentiam, charitatem Fabius ponit inter ἤθη, qualis eſt inter parẽtes ac liberos,
inter amicos & affines: amorem inter πάθη, qua uoce putat declarari uehementem affe-
ctum, qui nos diſcruciet, ac iudicium mentiſq; tranquillitatẽ eripiat, qualem fingũt Phæ
dræ in Hippolytum, Medeę in Iaſonem, Didonis in Aeneã. Quod figmentũ quũ D. Au
guſtinus ſciret falſò à Vergilio de muliere pudica compoſitũ, tamen fatetur ſe iuuenem,
abſq; lacrymis non potuiſſe legere. Huius generis affectus præcipui ſunt, miſericordia, in
dignatio, amor & odium. Vtriuſq; generis affectus plerunq; petuntur ex ijſdem locis
de quibus antè per occaſionem nonnulla diximus, hoc eſt, ex omnibus circũſtantijs tum
rei, tum perſonæ. Nec ex his modò, unde petuntur probationes, uerum ſimpliciter ex o-
mnibus. Nam ſunt circunſtantiæ, quæ quum nihil faciant ad probationem, ad affectus
tamen conducunt. Velut indignior eſt contumelia in bene meritum, quàm in nihil pro-
meritum, & miſerabilior eſt afflictio innocentis quàm nocentis, & deteſtabilius eſt falle-
re ſimpliciter fidentem, quàm fallere cautum ac diffidentem: quum tamen meritum eſſe,
aut innocẽtem eſſe, aut confidere, non faciant ad probationem. Horum omnium ſi quis
requiret exempla, petat à rhetorum libris, præcipue ex Macrobio, qui libro Saturnalio-
rum quarto ea diligenter exequitur, quum ex aliorum monumentis, tum Vergilij Ma-
ronis: quem locum unde Macrobius hauſerit demiror, niſi fortè è libris, quos de rhetori-
ca ſcripſit Plinius maior, Nam Macrobio mos eſt, quum nihil adferat ex ſeſe, tamen mi-
ro ſtudio cœlare autores. Conſtat illum multa ad uerbum decerpſiſſe ex noctibus atticis
A. Gellij, ſed citra nomenclaturam ut omnia. Porrò quemadmodum utilius eſt Eccleſia-
ſtæ ſolicitare affectus auditorum, quàm patronis, ita non paulo facilius eſt, eò quòd ple-
ræq; res, de quibus illi dicendum eſt, primũ ſint indubitatæ ueritatis, his quoq; certiores,
quæ oculis & omnibus ſenſibus percepta tenemus: Deinde tam magnæ, ut præ his om-
nia, quæ uel accidunt in rebus humanis, uel à facundis hominibus in hoc ipſum conficta
ſunt, ut moueant affectus, frigeant, meræq; nugæ uideantur. Primum quæ de dijs Ethni-
corum prodidit theologia, quid aliud ſunt quàm ſomnia, ſi ad euidentẽ ſacræ triadis co-
gnitionem diuinitus nobis patefactam conferantur, Ad Chriſtum uero generis humani
ſeruandi gratia factum hominem, natum ex uirgine, mortuum in cruce, ſepultum, à mor
tuis rediuiuum, aſcendentem in cœlum, ſedentem ad dextram dei patris, quid illa ſunt ni
ſi anicularum fabulæ? Iupiter Amphitryonis ſpecie cum Alcmena cõcumbens, & fabu
loſum gignẽs Herculẽ, ſupparaſitante Mercurio, aut hominis falſa imagine tectus, apud
Lycaonem diuerſans. Illorum uerò myſteria quid ſunt niſi impia deliramenta, ſi ad eccle
ſiæ ſacramenta ritusq; conferantur, uelut ad baptiſmum, aut ad cœnam dominicã. Quid
Cereri aut Baccho initiandis præſcribebatur, nonne mera ſuperſtitio? Quid autem in il-
lis myſterijs peragebatur, nonne præſtat ſilere? In noſtris uero præſcribitur ſuperioris ui
tæ pœnitentia, & per fidem confertur innocentia, adduntur uaria dona ſpiritus, nõ aliò
ſpectantia quàm ad gloriam dei & ſalutem hominũ. Quid Pythius Apollo ſuis uatibus
inſaniam immittens, ad cœlitus emiſſum ſpiritũ ſanctum, qui diſcipulos nõ in furorem e-
git, ſed aucta mentis ſanitate cœleſtium arcanorum conſcios, & aduerſus omnia mundi
Satanæq; terriculamẽta inuictos reddidit. Tum quid Sibyllæ folia, aut uerſiculi magna
ex parte conficti, ad irrefutabilem autoritatem prophetarũ, apoſtolorũ, ac totius ſcriptu
ræ canonicæ? Iam confer philoſophorũ ſapientiã ad Euangelicã prophetícãq; doctrinã,
nonne tantum intereſt, quantum inter lucẽ & caliginem? Exaggerẽt quantũ uolent ſuos

Codros, Decios & Curtios, quid sunt nisi frigidæ narrationes, ut iam fabulæ non sint, si componas cum tot martyrum milibus, qui magna alacritate per immanes cruciatus, per mille mortis genera, Christi rempub. Ecclesiam constabilierunt. Confer illorum prodigiosa mendacia cum nostris miraculis. Daphne mutata in arborem laurũ, Apollinis delicias, Io mutata in iuuencam, Cadmus in anguem, Rustici in ranas, Arachne in araneam, quid sunt nisi puerilia ludibria, si cõferantur ad tot mortuos excitatos, tot morbos ac dæmones impios uerbo profligatos. Dubitant illi num omnino sint dij, & qui credunt, dubitant an illis curæ sint res humanæ. Nobis persuasum compertumq; est, ne passerculum quidem cadere in laqueũ sine numinis prouidentia. Quid porrò promittunt illi deorum cultoribus? Saturnus certis diebus dat uincere talis. Iupiter quo nihil maius meliúsue, ut fingunt, largitur opes & imperium, Ceres frugum copiam. Quanquam nihil horũ dant illi, sed omnia bona fluunt ab uno deo, uerũ ut dent, quid ad illa quæ suis promittit deus per filium suum? Centuplum in hoc seculo, & uitam æternam in futuro. Longe minus dixit ipsa re, qui dixit centuplum. Minus dixisset etiam si dixisset millecuplum. Tanta res est mens sibi bene conscia, & æternæ felicitatis spe semper alacris ac secura. Diana irata immisit aprum Calydonium, Iuno Troianis infensa tempestatẽ, ut ista uera sint quid ad gehennam? Quid multis? In his quæ tractat concionator, tam grandia, tam certa, tam insignia, tam ardentia sunt omnia, ut uel citra exaggerationem simpliciter narrata, quamlibet duris excutiant lachrymas. Adde quod in his nihil est quod non ad unumquemq; nostrum pertineat. Omnia enim nostra sunt, nos autem Christi. Quum agitur Alcestis mariti sui uice parata mori, erumpunt lachrymæ. Atqui ut hæc uerè acciderint, quid ad nos attinet? Mulierculæ charitas erga maritum sic mouet, & Christi seruatoris erga nos charitas nõ perinde mouet? Atqui is noster totus est, & nos illius, Dominus est, frater est, caput est, amicus est, qui quum tantus esset, se totum nobis impendit. Olim plorabant mortem Adonidis ab apro extincti, & Carthaginis Reginam sibi uim adferentem siccis oculis uix legere possumus, & ijdem tot innocentium uirorum, tot piarum uirginum duros cruciatus, nimiumq; ueros absq; fletu legimus & audimus, nec cogitamus, istos omnes esse fratres ac sorores nostras in Christo, & eiusdẽ corporis membra, quibus cũ in cœlis speramus beatã societatem. Nec hoc tamen agẽdum Ecclesiastæ, ut uel Christi mortem, uel sanctorũ duros agones uulgari more deploremus, qui iam uictores triũphant in cœlis, sed ut illorũ admiratio nos rapiat in æmulãdi studiũ. Frequẽter insignis hominis in hominẽ pietas narrata cõpellit nos ad lacrymas, ueluti puellæ, quæ matrẽ captiuã diu aluit lacte suo, non quod illa sit miserabilis, sed fauor & gaudium quoq; suas habet lacrymas.

Misericordiæ affectus

Misericordiæ quidem affectus crebro tentandus erit Ecclesiastæ, siue quum exhortabitur ad subueniendum egenis, siue ad subleuandos aut consolandos uel morbo, uel hominum iniuria, uel alia quapiam calamitate afflictos, siue criminum conscientia de desperatione periclitantes. Christus fleuit Lazarum, & misericordia motus est, cõspiciens plebeculam imperitã ouium more dissectam ac palantẽ inopia pastoris, Cæterũ hic affectus latius patet q̃ uulgus existimat. Quũ uidemus hominẽ morbo luridum, ulceribus plenũ, egentẽ, eiulantẽ præ cruciatu, merito indolescimus ipso naturæ sensu. Sed hoc longè miserabilior est qui mentẽ habet hæreticis erroribus leprosam, uirtutũ omniũ inopem, amore, auaritia, inuidia, odio, cæterisq; capitalibus morbis emortuã, infamia ulcerosam, conscientiæ stimulis discruciatam. Videmus hominem captũ oculis, & miserescimus, reputantes q̃ acerba res sit in perpetuis tenebris uiuere, imò non uiuere sed degere, nec unq̃ intueri lumen solis: at infinitis partibus miserabilior est, qui carnis cupiditatibus excæcatus impingit in tenebris, nec attollere potest oculos ad lucẽ æternæ ueritatis. Item si conspicimus hominem in tetro carcere ferro uinctum, illachrymamus, reputãtes quàm dulcis sit libertas, quantum ille tædij perferat. At quanto miserius captiui sunt, quos detinet Satanas inexplicabilibus peccatorum cathenis alligatos ac gehẽnæ destinatos. Et quem admodum nulli ægrotant insanabilius, quàm qui se nesciunt ægrotare, quod accidit mente captis ac phanaticis, eò quòd hi utroq; laborẽt homine: ita nulli miserabiliores, quàm qui traditi in reprobum sensum, sedent in cathedra pestilentiæ, conquiescũt in uitijs suis, aut etiam exultant in rebus pessimis: quorum typum gerit Lazarus ille quatriduanus, quẽ deflens dominus nos admonuit q̃ sint miserandi, qui peccandi assuetudine obdu-

xere

xere callum, ut mali sensu careant, aut qui dogmatibus impijs infecti, sibi uidentur piè sapere. Cæterum ut est quædam crudelitas hominis erga seipsum, ita est & misericordia. Qui negligit famam suã crudelis est, inquit sapiens Hebræus. Et, miserere animæ tuę placens deo. Quod si crudeles dicimus, qui corpori suo uim adferunt, quanto crudeliores sunt, qui se totos tradũt Satanæ, corpus & animam præcipitantes in sempiternũ exitium. In hoc igitur Ecclesiastes proferet ἀλάνωσιν suam, ut qui tam misere miseri sunt, sui misereantur, & à crudeli domino profugi, confugiant ad domini misericordiam. *Crudelis in seipsum*

Hic autem affectus potissimum mouetur ab innocentia, ab ætate, ab impotentia, à magnitudine calamitatis, à propinquitate, à potentia uiolentiaq; & crudelitate eorum qui lædunt, à priore fortuna. Vehementius nos commouẽt mala eorum, qui præter culpam dira patiuntur, aut etiam pro benefactis referunt afflictionem. Ita puerorum aut senum malis facilius indolescimus, quemadmodum & pupillorum, inopum ac destitutorum, deniq; fœminarum magis quàm uirorum. Itidem si noua, si subita, si enormis calamitas, citius ad misericordiam flectimur. Vnde fit, ut facinorosorum etiam atrocioribus supplicijs illacrymemus. Est & illud natura nobis insitũ, ut quo quisq; uel cognationis uel amicitiæ gradu propinquior est, hoc uehementius commoueamur, adeò ut liberorum, uxorum, aut fidelium amicorũ afflictionibus grauius afficiamur quàm nostris. Ab innocentia amplificata concionator mouebit misericordiam erga eos qui non per luxum ad inopiam deuenerũt, sed uel bello, uel naufragio, uel morbo, uel alio simili casu. Magis etiam si à liberis, cognatis, aut ab ijs de quibus fuerant benemeriti, affligantur. In senes item liberter est conferenda liberalitas, quoniã ætas naturæ uiribus destituta, alieno eget præsidio. Libentius in teneram ætatem, quæ uarijs iniurijs obnoxia, nondum intelligit sua pericula. Ita Paulus indulgentissimè tractat ac denuo parturit Galatas adhuc infantes in Christo. Solitudo autem & impotentia facit, ut propensiores simus ad opitulandum orphanis, uiduis & aduenis. Sic exaggerata peccatorum calamitas, efficit ut illis facilius ignoscamus, ac maiore studio subuenire conemur. Non poterit autem aliorum malis non commoueri, qui secum reputet omnes Christianos inter se fratres esse, omnes eiusdem corporis membra, omnes eiusdem domini conseruos, & innumeris amicitiæ titulis fœderatos. Eorũ uero qui uel erroribus inuoluti sunt, uel criminibus implicati, citius misereb imur, si consideremus quàm astutus sit, quàm potẽs, quot artibus instructus satanas ad illaqueandos homines. Nusquam enim ille non insidiatur imbecillitati naturæ humanę. Adiuuat huc prioris fortunæ consideratio. Quemadmodum enim magis patent inuidiæ, qui ex humili loco ad summam dignitatem euecti sunt, ita citius cõmiseramur eos, qui è magna felicitate ad magnam calamitatem deuoluti sunt. Ab omnibus autem his locis solicitamus dei misericordiam, præterquam ab innocentia, quam apud illum nullam allegare possumus. Citius id effecerimus amplificantes nostra commissa. Deprecationis status apud rhetores omnium est infirmissimus, confessio periculosa. apud deum non alius est status efficacior. Ab ætate, quod hominis uita sit breuis ac fugax: ab impotentia, quoniã nullam habemus spem salutis, nisi in sola dei misericordia, quum homo ex se nihil ualeat nisi ad gehennam. A magnitudine calamitatis, quod hæc uia tot malis undique tunditur. à propinquitate, quod illius figmentum sumus, illius serui licet inutiles, illius filij licet immorigeri. A uiolẽtia aduersarij, quod nostra imbecillitas undiq; oppugnatur, à carne, à mundo, à satana. A carne, per innatam nobis ad uitia procliuitatem. A mundo per improborum uexationem, ac uexatione nocentiores illecebras. A satana per impias suggestiones. A priore fortuna, quod è tanta amœnitate paradisi, in hoc luctuosum exilium aliena culpa sumus eiecti. *Misericordiæ unde mouetur*

Misericordiæ affectus à circunstantijs

Porrò ira, odium & indignatio non tam sunt excitanda in homines, quàm in ipsa uitia & uitiorum parentem satanam. Hæc indignatio parit uitæ correctionem, quum in alijs, tum in nobisipsis. Sic medicus indignatur morbo, quum hominem saluum cupiat. Quod si quando usu ueniat, ut Ecclesiastes indignetur homini, talem esse decet obiurgationem, qualis est parentis in filium: ut qui reprehẽditur, intelligat illam ipsam iram, non aliunde quàm à beneuolentia proficisci. *Iræ affectus*

Cæterum Charitatis affectus omnibus modis inflãmandus est. Charitatis inquã Christianæ, qua deus tanq; summũ bonũ super omnia diligitur, & huius causa diligitur, quic- *Charitatis affectus*

quid

quid omnino diligitur in rebus conditis, ut ipse deus ametur & glorificetur in omnibus. Quicquid autem excitat amorem in nobis, id in deo summum est & inenarrabile. Natura quod eximiè bonum est amatur, ille est summa bonitas. Quod egregiè pulchrum est allicit ad amorem. Nihil illo pulchrius, quem intueri felicitatis summa est, ipsis etiam angelis, quibus secundum deum nihil est pulchrius. Iam iuxta prouerbia, simile simili amicum est: homo ad dei similitudinem conditus est, iuxta meliorem sui partem, & quo plenior esset similitudo, ipse deus homo factus est. Corpus & animam humanam assumpsit ex uirgine, non ut phantasma aut inuolucrum, sed re uera iuxta naturam, quo uel hominem amaremus homines, carnem nostram & spiritum nostrum. Nulla uirtus uehementiorem populi beneuolentiam conciliat principi, quàm clementia. Ille nobis gratis condonauit omnia peccata, pro nobis ipse dependit. Amor gignit amorem, & gratia gratiam parit: ille sic prior dilexit nos, non tantum alienos, uerum etiam inimicos, ut filium suum daret pro nobis. Charitatem etiam conciliat cognatio & familiaritas. Ille nobis bis pater est, quos primũ genuit ut essemus, dein uerbo uiuifico per unigenitũ suum regenerauit ut essemus filij regni. Nos illius serui sumus, Christi fratres & amici, domestici dei, qui per spiritum suum habitat in nobis. Super omnia uero conciliat amorem beneficentia, quæ tantam uim habet, ut animantia natura fera & inimica, præter naturam reddat amica. Quæ porrò lingua proloqui, quæ mens hominis ualeat cogitatione cõsequi, quanta sit benignissimi dei in nos munificentia, quantũ largiatur in hoc seculo, quantum promittat in futuro. Hoc quantum sit tam nemo potest pro dignitate comprehendere, cẽ nemo potest comprehendere quantus sit ipse deus, qui se totum nobis donauit: pro his omnibus nihil ille reposcit gratiæ, nisi ut ipsum uicissim amemus. Quisquis autem amat deum, deũ habet. Nihil igitur aliud ille quærit, nisi ut in illo beatè uiuamus. Quisquis autem flagrat igni charitatis erga deum, non potest non ardere erga proximum, tot nominibus coniunctissimum. Sed est improbus, est hæreticus, est Iudæus aut paganus. Ama in eo quod homo est, quod eiusdem gratiæ capax, qua tu donatus es. Ama uel hostem, ob hoc ipsum quod ille iussit, cui debes teipsum.

Affectus affi-cit

De cæteris affectibus concitandis non extendam orationem ne fiam prolixior. Tantum repetam quod in superioribus dictum est, & quoniam huius rei caput est, expedit frequenter repetere: nihil esse efficacius ad concitandos pios affectus, quàm si ipse fueris pie affectus: neq; quicquam utilius ad sedandos improbos affectus, quàm si ipse fueris ab his alienus. Scitè dictum est, nihil incendere nisi ignem. Mens ignea linguam facit igneam. Nec ignis aliud potest, quàm urere, si propius accedas. Nemo efficaciter inflammat ad pietatem, nisi qui uere pius est. Nemo potẽtius reuocat à uitijs, quàm qui ipse ex animo odit uitia. Per hunc enim spiritus ipse loquitur, suumq; donum transfundit in auditores. Nec id mirum, quando uera pietas in oculis, uultu, totoq; corporis habitu relucens, etiam si non accedat quasi uehiculum oratio, rapit & afficit intuẽtes. Habitus enim qui semel fixit radices in animo, nusquam se non profert, siue loquaris, siue taceas, siue quid agas, siue quiescas, siue edas aut bibas, siue dormias, siue uigiles, denique siue ludas, siue tractes seria. Dixerit hic aliquis, qui fit igitur, ut quidam palàm improbæ uitæ, in concionibus dicendi uehementia lachrymas extorqueant etiam inuitis, quidam & ipsi col-

Roberti Licietis facundia

lacryment? Non alienum fuerit hic referre, quod de Roberto Licensi narrant Itali, qui illum audierunt. De uita hominis nihil effutiam, tantum illud dicam quod ad hanc rem pertinet, si uera sunt quæ de illo rumore publico iactantur, nihil aliud erat quàm homo, miris naturæ dotibus ad dicendum instructus. Ac primo fuerat de sodalitio eorum, qui se plausibili obseruantium titulo secernunt à cæteris: quibus cum posteaquam illi parum conueniebat, demigrauit ad eorum contubernium, qui uulgo dicuntur conuentuales, quod horum uita uideretur esse liberior. Is quum in conuiuio, in quo simul accumbebat uicarius quidam de grege obseruantium, uir eruditus, pius & grauis, iactaret se posse, quoties uellet, auditoribus excutere lachrymas, ex eo refutare cupiens quod alter obiecerat infrugiferas esse cõciones illius, quod nec oratio ex animo proficisceretur, nec uita congrueret cũ oratione, Quibus, inquit uicarius, tu excuteres lachrymas, nisi fortè pueris, aut ineptis mulierculis. Ad quæ Robertus, tu igitur uir tãtus, cras adsis cõcioni meæ, eo loco cõsistens, quẽ tibi designabo, ut mihi sis in conspectu, si nõ excussero lachrymas,

uictus

uictus dabo lautam cœnam: sin excusseris, tu uictus nobis eam parandã curabis. Nam illi generi contingere æs signatum religio est. Et commodum repertus est inter conuiuas Franciscus bene uolens, qui uicarij nomine fide iuberet. Conuentũ est: Adfuit uicarius, stetit ubi iussus erat. Ibi Robertus quũ multis modis amplificasset dei erga homines charitatem ac beneficentiam, rursus hominum erga deum ingratitudinem duriciemq; , qui nullis inuitamentis e molliri possent ad pœnitentiam atq; amorẽ mutuum, fecit apostrophen ad cor hominis dei nomine. O cor plusquam ferreum, ó cor adamante durius: ferrum igni liquescit, adamas sanguine hircino uincitur: ego quum nihil non faciam, non possum ex te uel unam extundere lachrymulam. Nec desijt hãc urgere apostrophen magnis clamoribus donec uicario erumperent lachrymæ. Id simul ut uidit Robertus, porrecta dextra, uici, inquit. Hoc populus sub persona dei dictũ existimabat, quod aliquot essent in ea concione, qui lachrymas non tenerent. In conuiuio uero epinicio, quum Robertus iactaret suam uictoriam, non insciè tergiuersatus est uicarius. Non tua, inquit, facundia mihi excussit lachrymas, sed mea misericordia, reputanti quàm indignum esset, quod tam felix natura mundo seruiret potius quàm Christo. Hos affectus temporarios qui mox refrigescunt non captat Ecclesiastes. Non enim est histrio aut patronus forẽsis. Histrioni satis est si stet actio, & auferat populi plausum. Patrono sufficit, si tantisper commotum habeat Iudicem, donec pronunciarit, minime solicito, quid animi postea sumat ponátue domi. At pius Ecclesiastes illud spectat, ut tenaces aculeos relinquat in animis auditorum, & in eos uelut in bonam terram bonũ semen inspergat, quod paulatim uim suam exerat, donec erumpat in fructum pietatis. Hoc citius efficiet incondita, sed ab animo flagranti proficiscens oratio, quàm omnibus rhetorum machinis instructa, sed è labijs non è corde profluens. Fortasse non absurdum fuerit hic referre quod narratur in historia Ecclesiastica. Aliquot episcopi pulchrè docti conferebant cum quodam insigniter erudito, hoc agentes ut illi persuaderẽt baptismum. Quumq; in longum proferretur disputatio, nec philosophicis illis & acutis rationibus quicquam proficeretur aduersus hominem ijsdem armis instructum, quidam ex episcopis uir pius sed imperitus assurgens, sermone indocto breuiq; flexit hominem. Quid, inquit, credisne dominũ Iesum pro nobis factum hominem, & crucifixum? Quum respondisset se credere. Quid igitur hic, inquit, terimus tempus superuacaneis cauillationibus? Quin potius imus ad basilicam, & illic accipis insignia principis ac redemptoris tui. Assensus est, itum est ad baptismum, & disputatio uersa est in professionem. post rogatus, quomodo tam facile cessisset uni imperito, qui à tam multis eruditis flecti non poterat, Donec, inquit, audiebam rationes humanas, humanis rationibus repugnabam. Cæterum simul atq; audiui spiritum loquentem, cessi spiritui. Proinde nihil potentius ad excitãdos bonos affectus, quàm piorũ affectuum fontem habere in pectore. Expedit tamen interdum mentis habitum ueluti dormitantem expergefacere, quo maior sit orationis energia, quãdoquidem qui spiritus domino afflati sunt, habent quidem preciosum thesaurum, sed in uasis fictilibus, id tribus potissimum modis effici poterit. Primum per imaginationẽ siue phãtasiam, qua sibi rerum, de quibus uerba facturus est, imagines attenta cogitatione repræsentat. Vehementius nos commouent quæ spectamus oculis, quàm quæ tantum audimus. Quis enim non acrius animo perturbetur, si conspiciat hostem ardentibus oculis, districto gladio, immani clamore irruentem, supplici ac pauitãti, ferrum in pectus impingere, collabi saucium, & magno gemitu efflare animam, quàm si tantum audiat hominem crudeliter occisum? Scio esse uirtutem orationis quam Græci hypotypoſin, siue enargiam, M. Tullius euidentiam appellat, quæ totam rei speciem ita subijcit auditoris animo, ut geri sub oculis, non narrari uideatur: sed plurimum interest, inter uisa dormientium, & conspectum uigilantium: ut dissimulẽ, quod hæc ipsa uirtus euidentię, ab imaginatione proficiscitur. Nec opus hic est, ut Ecclesiastes sibi fingat quæ fieri potuerint, etiam si facta non sint, quod solent causarum patroni, sed ipsa scripturarum propior ac fixior inspectio ueras species abunde suppeditabit. In historijs tamen humanis, uelut in martyrum agonibus explicandis, ut licet sermones aptos affingere personis, modo id fiat uerecundè, ita non est nefas quasdam circumstantias addere, quas uerisimile est in negocio gerendo adfuisse. In utroque mirus est artifex Chrysostomus. Siquidem scriptura similis est insigni picturę, quam quo

Affectus temporarij

Sibi quisq; quõ excitet affectus

Secundus modus per euidentiam

quo diutius contemplere, hoc plus uideas quod admireris. Ad hanc qui artifices & exercitatos admouerit oculos, longè alia uidebit quàm uideret imperitus aliquis parũ attente contemplans. Proinde concionator ubi singulas partes attẽta cogitatione lustrarit, & ipse magis cõmouebitur, & alios uehementius inflammabit. Ante quorum oculos Christus crucifixus est, ait Paulus. Atqui Galatæ nunquam uiderant Christum in cruce, sed ex euidenti prædicatione Pauli, sic erat repræsentatus animis illorũ, quasi uidissent quod audierunt. Sic Chrysostomus ex omnibus circunstãtijs amplificat hospitalitatem Abrahæ, mansuetudinẽ Dauidis erga Saulem, aliaq; fere omnia quæ tractat. Atqui isthuc non est affingere nostra phantasmata scripturæ, sed ipsam scripturam, uelut insigne peristroma explicare & oculis subijcere. Plusculum ueniæ datur humana narrantibus. Velut Basilius non sat habet narrare quadraginta martyres frigore interfectos, sed ob oculos ponit quid accidat talibus qui frigore pereunt. Neq; quicquam omnino prætermittit, quod uel ad euidentiam, uel ad amplificationem facit. Milites erant & iuuenes erant, hic protinus personæ qualitas admirabiliorem reddit ardorem fidei. Nec unius regionis omnes, sed ut in delectibus alij aliunde asciti, atq; hoc mirabilior erat tantus in professione Christianismi consensus. Eodem facit, quod non erant duo trésue, sed numero quadraginta, uno ore, eademq; mente. Erãt in rebus bellicis eximij, suaq; uirtute primos honores promeruerant apud imperatorem. Nec protracti sunt ad professionem, sed ultrò sese Christianos esse professi sunt: nec unus loquebatur pro omnibus, uelut ex conspiratione, sed singuli suum nomen professi sunt, idq; quum uiderent ad terribile Cæsaris ædictum, paratos ignes, gladios, cruces, foueas, rotas, flagella. Quorum terrore complures profugerãt, quod est abnegandi genus, nonnulli perstiterunt in professione. Aliquã multi certamen ingressi quum impares essent perferendis cruciatibus, coronam amiserunt, ac iam portui uicini fecere naufragium. Nihil horum deterruit egregios iuuenes, atq; adeò nec blandis præfecti dictis, nec splendidis promissis flecti potuerunt. Spreta ut fit, præfecti humanitas in furorẽ uersa est. Excogitauit immane mortis genus. Regio erat natura frigida, tum boreæ exposita, ad hęc præcipitijs ac rupibus inæqualis. Electa nox est, qua ut quum maxime sæuiebat boreas. Inter præcipitia lacus erat in media ciuitate, adeo gelu concretus, ut tutum esset super glaciem non aliter quàm in terræ solo ambulare, atq; etiam equos & plaustra agere. In eum lacum iussi sunt milites descendere, ibiq; nudi totã noctem sub dio agere. Quo cruciatu nihil horribilius, Corpus enim congelascens rigore primum fit totum liuidum, uidelicet concrescente sanguine. Mox corrumpitur ac reruescit, cum dentium cõllisione, uenarumq; ruptura, donec tota corporis moles inuitis cõtrahatur. Atq; hinc dolor acris, & cruciatus inenarrabilis ad medullas penetrãs, sensum gignit in frigore concretis minimè tolerabilem. Post hæc tendit corpus in fastigium, summis partibus uelut igni crematis. Siquidem calor depulsus ab extremis corporis, & uniuersus refugiens ad intima, quemadmodũ eas parteis unde discedit relinquit mortuas, ita ad quas fertur grauiter excruciat, morte paulatim ex rigore accedente. Nec ista solum ponit oculos, uerum etiam attribuit sermonem cum decoro, quid dixerit præfectus blandiens, quid martyres blandienti responderint minitanti, quibus uerbis sese inuicem cohortati sint lacum ingredientes, quid deprecati sint in ipso cruciatu. Verum ne singulis repetendis fiam molestus: sic uir ille facundissimus exaggerat ac depingit omnia, ut plus uideas in illius narratione, quàm si coram spectasses. Sed hãc miserandam rerum faciẽ ipse prius repræsentauit animo suo, & ante seipsum cõmouit, quàm alios ad misericordiam accenderet. Itidem Chrysostomus in Babyla, quanta euidentia depingit imperatorem sæuum ac præpotentem cum suo satellitio magno fastu ingredientem, Episcopum non alia re armatum quàm uerbo, ire in occursum uultu intrepido, manum apponere in pectus tyranni, denunciare ut impius à sacris se subducat. Hæc exempli gratia produxisse sufficit. Ad concipiendas autem phantasias alij natura sunt propensiores, alij usu promptiores: uelut pictores quidam faciem semel uisam exprimunt coloribus, si diligentius fuerint intuiti, quod totam uultus imaginem secum animo deferunt: Sic in obseruandis scripturis alius est alio oculatior, aut etiam exercitatior. Audimus enim quosdam sic exercitatos in huiusmodi contemplatione rerum, uelut Christi sudantis in horto, aut distẽti in cruce, ut affirment se similia quædam pati, qualia perpessus est ille: quidam illud etiam assequerant,

tantam

tantam esse uim imaginationis, ut res in ipsum etiam corpus transeant. Verbi gratia, uesti gia uulnerum dominicorum in manibus, pedibus & pectore. Hic tamen affectus naturæ in nonnullis usq; in uitium procedit. Sunt enim quibus ad alterius uomitum conspectum ilico uomitus stomachi obortiatur, aut audita uoce morbo comitiali laborantium, corripi antur eodem. Quosdam & mentio rei immundæ, aut morbi atrocis, aut sectionis sic offen dit, ut grauiter afficiantur. Hæc imbecillitas non conuenit Ecclesiastæ, quemadmodũ nec medico. Neq; enim idoneus est ad medendum, qui statim morbo corripitur: nec aptus ad dicendum, cuius uocem singultus interrumpunt, uultum distorquet impotens ploratus. Quemadmodum Paulus ait prophetarum spiritus prophetis esse subiectos, ita affectus oportet esse in potestate concionatoris, ut norit erumpentes lachrymas reprimere, & im modicos animi motus pro re præsenti temperare. His igitur duobus modis excitatur ar dor animi temporarius. Tertius est, ut concionaturus si senserit animum languidiorem, locum aliquem scripturæ legat quàm maximè appositum ad inflammandũ, ei immore tur donec sentiat animum incalescere, & priusquam calor ille refrigescat, conscendat sug gestum. Quartus est, mea sentẽtia omniũ efficacissimus, ut sub horam concionis Eccles astes det se profundæ deprecationi, & ab eo postulet sapientiam, linguã & orationis euen tum, qui linguas infantium facit disertas. Incredibile dictu, quantum lucis, quantum ui goris, quantumq; roboris & alacritatis hinc accedat Ecclesiastæ, imò cunctis hominibus ad quodcunq; negocium arduum peragendum. Dexterius loquentur cum hominibus, qui prius tota mente cũ deo fuerint colloquuti. Nec alia res potentius excutit pudorẽ aut trepidationẽ humanã, qui affectus frequẽter obstant dicenti. Quod si ad id non datur spa tiũ, saltẽ dum ascendit, dum se cõponit, preces eiaculetur ad deũ, & deprecatio quæ ex more fit in suggesto, fiat ex animo, potius cẽ ex more, & fiat uotis breuibus, sed ardenti bus. Absit autem ut pio Ecclesiastæ placeat quorundam ambitio, qui quo uideantur inge nioſi, à laicorum fabulis & risu, nonnunquam & è parum sobrio conuiuio procurrunt in suggestum, hoc fuco, extemporalitatis gloriam captantes. Boni Ecclesiastæ unicum stu dium est, unica gloria, si senserit spiritum sanctum per ipsius organum aliquos inflam masse ad amorem pietatis. Illud etiam huius mundi rhetores sapienter perspexerunt, acri bus illis affectibus, qui totum hominem concutiunt non esse diutius immorandum, sed quemadmodum non oportet ad illos subito prorumpere, ita sensim ab illis ad modera tiores descendendum. Nec enim natura fert, ut quæ summa sunt, sint diutina. Ne expe dit quidem frequenter et immodice concitare animos auditorum, ne quemadmodum ad assidua uerbera corpus seruiliter obdurescit, ita mens nimium acribus, nimiumq; crebris commotionibus obrigescat. Repetendum est hic, de quo iam ante cœpimus dicere, non esse boni Ecclesiastæ, quouis modo concitare affectus, non immodica distortione uul tus, non scurrili corporis gesticulatione, sed potissimum uerbis, nec tam uerbis quàm rebus. Res enim quædam eius generis sunt, ut simpliciter ac dilucidè narratæ, aut etiam lectæ, ex se moueant affectus. Narrant qui uiderunt, hunc Hieronymo Sauonaro læ fuisse morem, ut interdum sic excandesceret in populi scelera, ut subito se proripe ret è suggesto, & imperfecta concione, suspenso que populo domum abiret. Quàm hoc illum decuerit nescio, non arbitror tamen arripiendum in exemplũ. Improbius est quod narrant de Roberto Licensi, qui magna dictionis uehemẽtia principes ac populum ad hortatus aduersus Turcas alios q; Christiani nominis hostes, ubi ad summũ impetũ effer buisset oratio, deplorare cœpit, quod nulli se ad rem tam piã duces offerrent. Si istuc, in quit obstat, ecce me, qui nihil uerebor hanc Francisci uestem abijcere, & uel militem, uel ducẽ uobis exhibere. Simulq; cum dicto summã uestẽ abiecit, intus planè miles erat by sino sago, accinctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidium horæ sub persona ducis cõ cionatus est. Accitus à Cardinalibus, quibus cum habebat familiaritatẽ, quid hoc esset noui exempli, respondit id esse factum in gratiam amicæ, quæ familiariter fuerat cõfessa, nihil in Roberto displicere, præter uestem fraternam. Tum ille, in quo cultu sum tibi to tus placiturus. In militari, inquit. Cras igitur fac adsis in concione. Simili nouitate fertur Cardinalibus ac summo pontifici exprobrasse fastũ ac delicias. Erat apud illos dicturus, quos quum uideret strepitu plusquam regio ingredi, deniq; & pontificem gestari hexa phoro, & omnibus adorari, ubi tandem consedissent, iamq; exspectaretur uox homi

Tertius mo dus sibi conci tandi affectus

Affectus ad cres breues

nis,is nihil aliud proloquutus,phy sanctum Petrũ,phy sanctum Paulum, subinde cũ exe-
crãtis uoce expuẽs,nũc in dextrũ,nunc in siniſtrũ,nec aliud addens è medio proripuit se,
ſe relinquẽs omneis attonitos,alijs ſuſpicantibus eũ eſſe uerſum in furorẽ,alijs dubitãtib;
nũ in hæreſim quampiã,aut Iudaiſmũ paganiſmũue prolapſus in eas blaſphemias erum
piſſet. Quumq; ageretur de homine cõijciendo in uincula, Cardinalis quidam qui propi
us nouerat eius ingenium,atq; etiam amabat,perſuaſit ut prius ad põtificem euocaretur,
paucisq; Cardinalibus teſtibus audiretur. Rogatus quomodo in tam horrẽdas blaſphe-
mias erupiſſet,reſpondit ſibi longe aliud argumẽtum fuiſſe præparatum, & paucis ſum-
mam orationis expoſuit. Cæterũ ubi ſpectarem, inquit,uos tãto ſtrepitu tantisq; in deli-
cijs uiuere,ſimulq; reputarem quàm humilem,laborioſam et amœnã uitam egerint Apo-
ſtoli,quorũ uices geritis,colligebam aut illos fuiſſe dementes,qui tam ſpinoſo itinere con
tenderint in cœlum,aut uos recta ad inferos proficiſci. Sed de uobis qui tenetis claues re-
gni cœlorum,nihil malæ ſuſpitionis in animum inducere potui. Supererat ut illorum ſtul
titiam deteſtarer,qui quum licuiſſet ad iſtum modum ſplendide ſuauiterq; uiuere,malue-
runt per omnem uitam ieiunijs, uigilijs ac laboribus diſcruciari.

Antonius quum oratione funebri C. Cæſarem laudaſſet apud populum,eiusq; præcla
re geſta quantum potuit uerbis extuliſſet,oſtendit ueſtem illius multis uulneribus pertu-
ſam,multoq; ſanguine contaminatam. En,inquit,qualem uirum, quàm crudeliter neca-
runt coniurati. Orationem ſat æquis animis audiebat multitudo,ſed conſpecta ueſte tan-
tus exortus eſt tumultus,ut coniuratis qui aderant fuerit profugiendum,ne diſcerperen-
tur. Verum huiuſmodi rationibus nõ decet Eccleſiaſten ſolicitare multitudinis affectus,
quod hic conatus ſæpe uertatur in riſum. Vt is qui multa loquutus de dementia eorũ qui
ſeruirent ſatanæ,ſubito oſtendit hominẽ diaboli ſpecie perſonatum,flammeis oculis, ad-
unco roſtro,dentibus aprugnis,oculato pectore,aduncis unguibus,uncina terribili,uocẽ
immanem emittentem. Talis eſt,inquit,dominus,cui uoſmetipſos,contempto Chriſto in
ſeruitutem tradidiſtis. Expauere cõplures, ſed mox ea trepidatio uerſa eſt in ludibrium.
Populus eſt admirator rerum nouarum,et externa ſpecie facilius cõmouetur quàm uerę
pietatis exemplis,aut ſana doctrina. Nec hac in parte magnates, multũ à uulgo differunt.
Hoc humano naturæ uitio quidã præter modum abutuntur, ad ſuã gloriam uerius q̃ ad
multitudinis ſalutẽ. Suſpectũ enim eſſe debet, quicq̃d prę ſe fert peregrinã & affectatam
nouitatem, præſertim quum nullum huiuſmodi exemplum nobis porrectum ſit à Chri-
ſto & Apoſtolis. Vidi qui per turbam ad ſuggeſtum euntes cuculla tegerent faciem,qua-
ſi uir pius non poſſet habere uultum & oculos compoſitos,niſi tegantur utrinq;: quemad
modum equis petulantioribus aurigæ ſolent affigere coria,nequid uideant niſi uiã à fron
te. In ſuggeſto ſic procumbebant oraturi, ut illiſione genuum æderent clarum ſtrepitum.
De alio audiui qui ſuggeſtum petens pallio totum cõtexit caput,nec huic quicquam pla-
cebat quod eſſet cum alijs commune. Non dignabatur in templis cõcionari,ſed ſub dio,
nec cuiquam faciebat ſui copiam priuatim, etiam ſi à principibus rogaretur. humi cuba-
bat; nec uictus erat diſsimilis, nempe panis & aqua, corpus macie confectum, cadaueri
quàm uiuo homini ſimilius: per interpretem loquebatur, miriſq; geſtibus & clamoribus
territabat multitudinẽ, interdũ fune diſtringens collum, oculiſq; ſtupẽtibus præfocatum
imitans,pectus ſubito nudatum pugno tundebat, inclamans miſericordiã, miſericordiã,
miſericordiam, nam Italus erat. Ad tam inſolitum ſpectaculũ etiam è longinquo conflu-
ebant,nõ amore pietatis,ſed ſtudio nouitatis. Acerrima uociferatio erat, in aleas,in char-
tas,in tympana & plumas. Hæc igni cremabantur. Cuidã aulico qui forte proximus aſta
bat ſuggeſto,plumam è galero detraxit,& dilaceratam ſparſit in populũ, horribiliter uo-
ciferans in ſuperbiam. Hunc quidam nimium bene imitatus, poſteaq; ſtrenue clamarat
in hominum ſcelera,quibus Chriſtũ iterũ crucifigerẽt, proferebat imaginẽ crucifixi,ſed
affixis folliculis, è quibus attactis ſanguis erũperet,& in turbã ſpargeretur. His & huiuſ-
modi geſtibus,ne dicam præſtigijs,mouentur quidem affectus ſimplicibus,ſed fere tem-
porarij. Ipſe familiariter noui quendam eiuſdem ordinis, qui nec ambulabat nudis pedi-
bus,nec humi cubabat,nec pane & aqua uiuebat,nec ulli negabat ſui copiam,pariter ex-
poſitus omnibus magnis & puſillis, bonis & malis,ubiq; uenans lucrum Chriſto, breui-
ter nihil habebat in rebus externis eximium, Is tamen doctrina non clamoſa ſed Euange-
lica

Affectus ex rei nouitate

lica, tum moribus ab omni uitio puris, innumeros uiros innumerasq; fœminas perduxit ad uerum mundi contemptum. Hic si quis excuset, quosdam esse tam brutos, ut alijs rationibus non queant cõmoueri, huic respondeo, multo aliud esse plebem erudire, aliud irridere. Nec est ullus populus tam crassus, quin assidua doctrina proficiat, Huic affine est, quod quidam per imagines mouent affectus, aut per ostẽsas sanctorũ reliquias, quorum neutrum conuenit grauitati loci, in quo cõsistit Ecclesiastes: neq; enim legimus unquã tale quicq̃ factum, uel à Christo, uel ab Apostolis. Alibi plurimũ utilitatis habent imagines, uel ad memoriam, uel ad rerum intelligentiam, quædam enim uix percipiuntur, nisi depicta, uelut in descriptione uestitus aut locorũ, aut arborum, uel ad infigendas animo phantasias, de quibus modo diximus: qua nimirũ in parte conducunt & concionaturis. Verũ ea dignitas est concionis, ut eiusmodi adminicula grauatim admittat. Idem sentiendũ arbitror de reliquijs sanctorũ. Vtrobiq; cauendum est à superstitione, quia par utrobiq; periculum. Video quosdam ad affectus concitandos abusos narratiunculis quibusdam, plerisq;, ut arbitror, in hoc ipsum cõfictis, de quibus fortasse post incidet dicẽdi maior oportunitas. Et hactenus quidem de affectibus uideor admonuisse satis quod quidẽ ad Ecclesiasten attinet. Restat indicare digito, quę schematę, ad quas orationis uirtutes cõducunt. Pręcipuę uirtutes sunt, probabilitas, perspicuitas, euidẽtia, iucũditas, uehemẽtia, splẽdor siue sublimitas. Quoniã aũt inter artis scriptores non satis cõuenit de generibus ac uocabulis figurarum, ne quid hic lectorem frustra torqueamus hac uarietate, utemur ferè nominib. quibus usus est is qui de rhetoricis scripsit ad Herenniũ, siue is Cornificius fuit, siue quis alius. Tametsi uix alius de figuris scripsit negligẽtius. Ac primũ quę faciũt ad orationis acrimoniam ac uehementiã, illam Græci γοργότητα uocant hanc δεινότητα, nos res inter se finitimas mixtim tractabimus. Tres primæ figuræ, Repetitio per quam eadem dictio iteratur in initio, Conuersio per quam in fine, Complexio, per quam in utraque parte, ad acrimoniam faciunt. Primæ exemplum est: Quum nudus sisteris ante tribunal supremi iudicis, ubi tunc diuitiæ tuæ, ubi deliciæ, ubi superbum famulitium, ubi stipatores armati, ubi splẽdida ædificia, ubi latifundia? Posterioris illud: Solus Christus est qui condidit hominem, redemit hominem, patri reconciliauit hominem, hominis causa induit hominem, uarijs spiritus sui dotibus instruxit hominẽ, breuiter solus beat hominem. Tertiæ exemplum: Quid eras priusquam te conderet deus? Nihil. Quid eras priusquam redimeret Christus? Minus quàm nihil. Quid nunc futurus esses, si tibi subducat gratiam suam? Nihil. Quid est autem ad ueram felicitatem conducibile, quod tibi non largiter subministrarit? Nihil. Quid habes aut potes ex teipso? Nihil. Quid igitur est, quod aliunde speres boni? Nihil. Hæc tria schemata potissimum faciunt ad orationis uehementiam, uidelicet ad obiurgandum, exhortandum & exprobrandum. Frigebunt autem si adhibeas in oratione simplici, quæ nihil habeat affectuum.

Affectus ex fictis narratiunculis

Schemata

Repetitio

Exclamatio mouet acriores affectus, sed in loco adhibita. Nam statim, ut dictũ est, ab exclamatione ordiri, aut in re frigida tollere uocem, demẽtium est. Verũ ubi res magnas persuaseris, ubi iam animos auditorum inflexeris, tum locus erit exclamationi, quã tamẽ nec frequentem esse oportet, nec diuturnã. Scite Paulus, qui multa loquutus de inuincibili carnis imbecillitate, tandem exclamat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore hoc morti obnoxio. Neq; ibi tãtum exclamatio est, ubi auditur ó, neq; satis est ad exclamationẽ figuratam quantũ potes inclamare ó, quæ uox est asinorum: sed quoties impotẽs affectus erumpit, ibi demum est exclamatio. Ea nonnunq̃ inseritur per parenthesim, uelut, heu piget ac pudet. Aut, deum immortalẽ, q̃ nihil usq̃ tutum in rebus humanis. Horresco referens. O tempora, O mores. Et me miserũ. Et, uę duritię cordis humani. Et, ó lutum, ó labes. Tale est illud Maronis: Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames. Cõduplicatur aũt uehementia, si accesserit apostrophe, uelut in hoc quod modo retuli. Non inscite D. Bernardus, quũ asinũ quẽ cõscendit dominus, interpretatus esset carnem nostram indomitam, ac spiritui rebellem, exclamat: conscende ac preme hunc asinum nostrum domine Iesu.

Exclamatio

Et interrogatio tempestiue adhibita multum uigoris & aculeorum addit orationi. In tempore aũt adhibetur, in re uel perspicua, uel argumentis iam euicta, unde peculiariter cõuenit epilogis. Quanq̃ in alijs quoq; reddit orationem uiuidiorẽ. Eadem enim senten-

Interrogatio

tia per interrogationē prolata plus habet uigoris q̄ſ ſimpliciter enunciata. Velut illud ex Ouidij Medea: Seruare potui, perdere an poſsim rogas? Ardentius eſt q̄ ſi dixiſſet: Si potui ſeruare, potero & perdere. Item illud Ciceronis in Catilinam: Quouſq; tandem abutere patientia noſtra &c. Nam totus ille locus ardet percontatione. Nec omnis interrogatio ſchema eſt, eoq; diſtinguūt quidam has uoces: ut interrogatio ſit uolentis diſcere, & expectantis reſponſum, percontatio urgentis, ad quod reſponderi nō poſsit. Huius ſchematis exemplum cōmode reddi non poteſt, eo quod pendet è ſuperioribus. Vt ſi quis exaggeraſſet obſtinatam malitiam hominum aduerſus deum ad pœnitentiam inuitantem, commode ſubijciet. Quid eſt ſi hæc ingratitudo non eſt? An non iſta mentis extrema cæcitas eſt? Et, Vtrum iſthuc eſt contemnere deum an non? Seruit autem hæc figura uarijs affectibus. Aſſeuerationi, miſerationi, inſtantiæ, indignationi, admirationi, dubitationi, quæ Fabius exacte perſequitur, ut non ſit operæpreciū hic repetere. Illud è tragœdia ſumptum eſt, quod tamen aliquoties imitatur Hieronymus, Quid agimus animæ? Interdum & reſponſio figuram habet, quū aliud reſpōdetur q̄ expectabatur. Veluti teſtis in reum rogatus, an ab eo fuſtibus uapulaſſet, & innocens inquit. Reſponſionis ſchemate auxit crimen. Alius rogatus an non occidiſſet hominem, reſpondit latronem, declinans crimen. Eadem gratia ſeruari poteſt, etiam quum ipſi nobis reſpondemus. Indignationi ac tædio ſeruit in Euangelio: O generatio incredula & peruerſa, uſquequo uobiſcum ero? Quam diu uos patiar?

Membrum Membrum & articulus faciunt ad acrimoniam orationis, quod uelut crebris uulneribus feriunt animū. Hoc aūt intereſt, quod ſingula membra paucis uerbis conſtructionē quidem abſoluunt, at ſententiam non item. Articulus idem acrius efficit ſingulis uerbis, breui reſpiratiūcula diſtinctis. Exemplū prioris erit: Vide quantū infelicitatis uno crimine tibi conſciuiſti. Patrimoniū prodegiſti, parētes in luctum cōiecīſti, amicos abalienaſti, famam contaminaſti, deū ad iram prouocaſti. Poſterioris hoc: Rem, famam, parētes, amicos, deū amiſiſti. Nec unum membrum, nec unus articulus facit ſchema. Maxime probantur quæ tribus conſtant, quanq̄ nihil uetat, & duobus uti, uel pluribus. In membris perit gratia ſchematis ſi ſint longiora, numero & breuitate cōmendātur. In utriſq; gratiam addit diſiunctio, quod Græci uocant ἀσύνθετον, omiſſa coniunctione: tum enim uidentur cū ſtomacho erumpere, ut patet in exemplis quæ retuli; quibus ſi addas coniunctionem, erit oratio dilutior. Patrimonium prodegiſti, & parentes in luctum coniecīſti &c. Ardentior tamen erit oratio, ſi primo quoq; membro aut articulo addas coniunctionem: & patrimonium prodegiſti, & parentes in luctū coniecīſti, &c. Item & rem, & famā, & parentes etc. In utriſq; illud obſeruandum, ut per gradus increſcat oratio, nimirum ut quod grauiſsimum eſt ſit poſtremo loco. Quod ſi non fit, erit congeries, de qua diximus in amplificationib. Nam ea, turba premit magis q̄ incremento. Membris gratiam addit partium æqualitas, Græci πάρισον, Latini cōpar appellant, quæ tamen non digitis, ſed auriū ſenſu quodam dijudicāda eſt. Pueriſe ſiquidem eſt numerare ſyllabas, quum pauciores ſi producīæ ſint, frequēter æquent numero plures. Quanquā hoc rythmorum genus præter modum irrepſit in ritus Eccleſiaſticos, quemadmodum ſimiliter cadentia, & ſimiliter deſinentia, de quibus ſuo dicetur loco.

Compar

Subiectio Subiectio qua nobis ipſis obijcimus, quod ab auditoribus obijci poterat, & quaſi ſit obiectum reſpondemus aut aduerſarios appellamus ut reſpondeant, & quaſi reſponderint, refellimus, aut, quum quaſi deliberantes uaria proponimus, ac ſingula refellimus. Primi generis exemplum hoc erit: Dixerit hic aliquis, Scio, quid hic reclamaturi ſint, Non me fallit quid hic pleriſq; uenturum ſit in mentem. Deinde illa ſubnectat ac refellat. Ardentius eſt quum iuxta ſecundum modum compellamus aduerſarios. Velut nunc appello uos Iudæi, quibus freti perſiſtitis in ueſtra dementia? Prophetarū oraculis? Oſtendimus eos omnes pro nobis facere. Moſe? declaratum eſt illū non de alio quàm de Chriſto noſtro ſcripſiſſe. Typis ac figuris? Omnes ad unguē in Chriſtum quadrare demonſtratum eſt Miraculis? Maiora nemo potuit deſiderare. Numero cōſentientium? Vos pauci muſſatis in angulis, Totus orbis Chriſtum adorat. Euentus uos ſpe lactat? Videtis iam olim euerſum templū, ſublata ſacrificia, diſsipatam ciuitatem, diſperſam & abiectam gentem, nec eam alio præſidio ſuperſtitem q̄ Chriſtianorum clementia. Quid igitur ſupereſt, niſi ut reſipiſcatis, & nobiſcū Meſsiam uerum amplectamini? Ter-

tius

tius modus hic erit. Dic mihi quæso, quid habet mũdi cultor quo turgeat, & in quo spem suam figat. In diuitijs? Neminem reddunt magnum aut beatum, sæpe uiuum deserunt, tantum abest ut morientem comitentur. In liberis? Possessio est ipsis opibus incertior. In uxore, famulitio, cæterisqúe commodis? Nihil in his neq; stabile, neq; tale, ut animum hominis tranquillum efficiat. Ad deum confugiet? Eum habet iratum. Ad suum ipsius animum? Illic inueniet carnificem conscientiam. Primus modus conuenit argumentationi. Secundus epilogo, quo & nos usi sumus in declamatiuncula de morte. Vterque conuenit inductioni. Tertius aptus est ad deliberandum. Habet autem hoc schema nonnihil affinitatis cum interrogatione, de qua paulo ante dictum est, cum sermocinatione, de qua dicemus, cum occupatione, & cum dubitatione. Nec ad unam orationis commoditatem utilis est. Facit ad perspicuitatem, & ad uehementiam siue grauitatem, & ad docilitatem. Est enim subiectionis species, qua dum ipsi quæstionem proponimus, ac mox ad eam respondemus, reddimus auditorem attentum ac docilẽ, fitq; ut linguam nostram animo sequatur. Ita & Paulus ad Galatas tertio. Quid igitur lex? propter transgressiones posita est. Et ad Romanos tertio. Vbi est gloriatio tua? Excluſa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Quanquam hæc figura tam frequens est apud Paulum, ut nusquam non occurrant exẽpla. Qua tamen aliquoties usus est & dominus in Euãgelio. Velut Lucæ septimo: Quid existis uidere in desertum? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestimentis indutum? & cætera. Ac mox in eodem capite. Cui autem assimulabo homines generationis huius. Aut cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro & cætera. Item Matthæi septimo. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei & cætera.

Correctio quæ uerbum aut sententiam commutat in aliud commodius aut signifi- *Correctio*
cantius, auget orationis uehementiam. Cuius schematis exemplum retulimus ex Cicerone inter species amplificationis. Eleganter Terentius sub persona Menedemi: Filium unicum adolescentulum habeo. Ah quid dixi habere me? Immo habui Chreme. Item, Christus nos gratis redemit, immo non gratis, sed precioso sanguine suo. Summam in nos præstitit charitatem, qui pro amicis suis uitam impendit. Immo plusquam summam, qui pro inimicis mortem oppetierit. Item. Peccatum morbus est animi, aut ut melius dicam, mors est animæ. Item: tota hominis uita quid aliud est, quàm temporis pugillus, nimium est quod dixi, Quid aliud est quàm temporis punctum. Et hoc quoq; nimium est. Nihil est, & nihilo minus est hæc uita, si ad æternitatem conferatur. Fit interdum correctio absq; uerbi mutatione. Vt, excanduit homo, si illum hominem appellare conuenit, qui mentem habet beluinam.

Huic finitima est occupatio, quæ in transcursu dicit, quod se negat uelle dicere. Et *Occupatio*
hæc figura pertinet ad eam speciem amplificationis, quæ fit per comparationem. Nam si per se magna sunt quæ dicimus nos nolle commemorare, ut citius ad id quod grauius est perueniamus, increscit illud, cuius comparatione illa negligimus. Velut, non hic commemorabo quàm breuis, quàm incerta, quot malis hæc uita sit obnoxia, quot exposita periculis, ut horum nihil sit, quid est nisi somnium, si ad illam cœlestem uitam comparetur? Rursus non est mei pudoris occultorum scelerum lernam mouere, sinam domesticas illorum sordes in tenebris latere, satis est ipsos sibi conscios esse, de manifestis autem loquar, quæ nemo nescit, & de quibus ipsi tantum non gloriantur. Item, Pudet me dicere, quod istos non pudet facere. Ad leuiora ueniam, Venit ad nos pastor, penè dixeram depastor. Hæc sunt ædicta regis, nolim enim dicere tyranni. Vertit Aristotelem, ne dicam peruertit.

Conduplicatio, qua uerbum aut plura uerba iterantur, non habet locum nisi cum *Cõduplicatio*
feruet oratio. Alioqui frigeret battologia. Nihil autem uulgatius, quàm in dolore, aut asseueratione simili ue affectu, bis eadem dicere. Vnde illud Ouidianum: Omnia bis dices uera fuisse mea. Et terq; quaterq; beatos dixit Vergilius, quos egregie beatos uoluit intelligi. Verbi conduplicatio est apud Homerum:

Ἀρὲς ἄρες βροτολοιγέ. Plurium apud Terentium in Phormione, Proh deum immortalem negat Phania esse hanc sibi cognatam Demiphonem: hanc Demipho negat esse cognatam? Item odio parricidiali fratris pollutus audes Deum appellare patrem? Patrem inquam audes appellare Deum, fratris odio pollutus? Ab hac figura minimum abest interpretatio, hoc tantum distans, quod in hac eadem iteratur sententia uerbis commutatis. Cuius usus frequentissimus est in literis propheticis, in quibus plerunq; sensus idem alijs uerbis accinitur. Veluti, Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Id fit uel in uno uerbo, uelut apud Ciceronẽ de Catilina. Abiit, excessit, erupit, euasit. Vel in pluribus, ut, Non te pudet manifestæ uanitatis? Non erubescis mentiri palam? Permissio simplex non est schema, uerum quoties aut exprobrationem habet, aut dissimulationem, aut asseuerationem, aut fiduciam, fit schema. Veluti quum in Adelphis adolescentes dicunt, immo pater permittimus tibi & cętera, sermo figuratus non est. At quoties concedimus aduersario per ironiam schema fit: ut is qui in causa liberali dicenti de quodam, ne faciem quidem habet hominis liberi, quum ipse esset deformi facie, respondit patronus, Ex animi sententia dixisti, qui non habet bonam faciem, non est liber. Asseuerationem habet illud Calui in Vatinium, Perfrica frontem, & dic te digniorem qui Prætor fieres quàm Catonem. Fiduciam habet quod Petrus Apostolus respondit concilio interminanti, ne postea uerba facerent de Iesu: An oporteat magis obedire hominibus quàm deo, uos ipsi iudicate. Vehementer enim cõfidit causę suæ, qui nõ ueretur aduersario permittere iudicium. Tale est illud Esaiæ 1. uenite & arguite me, dicit dominus: Et dñs in Euangelio: Quis ex uobis arguet me de peccato? Schema quidem non est, sed tamẽ efficacissima permissio, si homo se totũ permittat arbitrio numinis. Quemadmodum Dauid eiectus: Si non placeo, dominus est, faciat quod bonum est in oculis ipsius. Eadem res interdum non leue momentum habet & apud hominem iudicem, uel ad beneuolentiam inclinandum, uel ad misericordiam, si demonstremus nos omnem fiduciam in ipsius æquitate collocasse. Ad affectum facit & dubitatio, non simplex sed figurata, uelut illud: Eloquar an sileam? Item illud Maronis: Crudelis mater, magis an puer improbus ille? Rursus illud Terentij: Vbi quæram, ubi inuestigem, quem perconter, quam insistam uiam, incertus sum. Item, Quo me uertam? quos appellem? unde implorem opem? Item, Copia rerum facit ut dubitem, unde exordiar, quę primo aut ultimo loco dicã? Vtrum illi his malis erepto gratulari debeam potius, quàm nostram uicem deflere, qui tantum Ecclesiæ lumen amiserimus, nondum statui. In hoc quid potissimum admirari debeam hæsito, maliciámne, an impudentiam, an uecordiam. In ipso statim dicendi initio dubius sum, quo nomine uos alloquar, Commilitonũ, an hostium. Vtris potius indignandum, ijs qui te ad hoc facinus instigarunt, an tibi qui talium improborum consilijs, quàm bonorum uirorum monitis obtemperare malueris.

Interpretatio

Permissio

Dubitatio

Cõmunicatio Huic finitimum est schema, quod à quibusdam appellatur cõmunicatio, qua cum iudice aut aduersario ueluti deliberamus, quid faciendum sit, aut quid factum oportuerit? Nam id utroq; ualet. Si idem casus tibi incideret, cedo quid faceres? In hoc turbulentissimo rerum statu, date consilium, quid mihi censetis faciendum? Te appello inexorabilis, cui nunc nulla uindicta satis, quum ipse paria, aut etiam atrociora peccas in alios, quàm facile tibi ignoscis, quàm extenuas peccatum. Hic tuã appello conscientiam, an ferres hoc ab alio factum, quod tibi nunc uis esse impune? Hæc figura ualet ad obiurgandũ. Disiunctio, quæ coniunctionibus sublatis cõtinuat orationis partes, hoc ipso facit ad sermonis acrimoniam, quòd uelut impetu fertur, de qua nonnihil ante diximus in membris & articulis, Grauitatem addit præcipienti. Deum time, Regem uenerare. Parentibus obedi, erga maiores esto reuerẽs, erga pares comis, erga inferiores modestus: bonos æmulare, malos tolera. Præcisio est, quam Græci uocant ἀποσιώπησιν, Cicero reticentiam, quũ abrupto sermone, quod reticemus auditorum animis æstimandum aut suspicandũ relinquimus: hac ratione sæpe res fit atrocior, si proloqueremur. Id fit interdum aliò digrediendi studio, ut apud Vergilium: Quos

Disiunctio

Præcisio

ego

ego, sed motos præstat coponeres fluctus. Sed potissimum conuenit indignationi, ut apud Terentium. Ego ne illam, quæ illum, quæ me, quæ non, Sine modo. Ardentius est hoc, quàm si dixisset: Ego ne illam feram, quæ illum admisit, quæ me exclusit, quæ me non admisit. sine modo cõminantis est, nec eas tamen minas exprimit.

Interdum religionis aut pudoris gratia. Quale est illud Maronis: Nouimus & qui te & quo sacello. Quàm multi sunt, qui membris ad pios usus datis turpiter abutuntur, ad luxum, ad rapinas, ad scortationes, ad, pudet reliqua proloqui.

Pronominatio uerum nomen reticet, idq; uerbis alijs circumloquitur, aut alienum usurpat, uel indignationis, uel emphaseos, uel laudis causa. Veluti si quis pro Scipione dicat, Carthaginis expugnatorem, quemadmodum pro Paulo dicimus gentium doctorem, pro Petro Apostolici ordinis principem. Pro Maria, uirginem matrem. Pro Iesu, generis humani redemptorem. Similiter si quis turbatorem Reipublicæ appellet Catilinam, principem immitem Neronẽ aut Phalarim. Denominatio & intellectio species sunt synecdoches, quũ aliud ex alio intelligitur, quæ nõ ad ornatum modo, sed frequenter etiam ad uehementiam faciunt. Ardentius enim est, si quem dicas deditítium esse Mammonæ, aut Veneris, quàm si dicas auaritiæ aut libidini deditum. Ita uehemẽtius est, si quem appelles Mauortium, quàm si bellacem. Item si quem delicijs luxuq; corruptum, appelles uentris gulæq; mancipium. Similiter acrius est, si dicas, huic Mauors in lingua est, Huic Pallas in palato est, Et acrius est, ferro accinctus, q̃ si dicas, ense accinctus. Ita quum dicimus, nos gloriari in cruce dñi nostri Iesu Christi, sentimus nos esse redemptos morte crucifixi. Interdum hoc schema ualet non ad uehementiam, sed ad explicandas quæstionum difficultates. Veluti quum Christus scribitur resurrexisse post tres dies, & octo animæ seruatæ in arca, quum octo homines intelligantur. Et Christus assumpsit carnem, quum totum hominem assumpserit. Similiter panis & uinum intelligitur corpus aut sanguis domini. Verum hæc quoniam & apud Grãmaticos, & apud rhetores iactata sunt, nec exemplorum turba, nec distinguendi formas diligentia lectorem remorabor.

Pronominatio

Denominatio Intellectio

Hyperbole uel ipso nomine declarat augmentum, superans fidem ueri. Nec in tempore adhibetur, nisi quum ipsa res superat modum: Veluti quum Cicero dicit Antonium totum tribunal impleuisse uomitu, quod fieri non potuit, sed hinc intelligimus immensam fuisse crapulam. Verum non est quod dicitur, sed quoniam nemo fallitur, non est mendacium. Fit interdum per similitudinem. Veluti Vergilius:

Hyperbole

Credas innare reuulsas Cycladas. Interdum per comparationem, ut quum dicimus, niue candidior, uento instabilior, fulmine ocyor, oculis & uita charior, morte tristior. Fit & per translationem, ut quum ardere dicimus qui uehemẽter amat. Volasse, qui magnopere festinauit. Frendere, qui supra modum indignatur. Fulminare, qui minas intentat. Nonnunquam duplicatur hyperbole, quum per correctionem ei quod excedit ueri fidem, additur quod magis etiam excedit. Exemplum est apud Ciceronem: Quæ charybdis tam uoxax, charybdim dico, quæ si fuit, animal unum fuit. Oceanus medius fidius uix uidetur, tot res tam dissipatas, tam distantibus locis posi tas, tam cito absorbere potuisse. Hyperbolen habebat rapacitas hominis charybdi collata. Huic accedit maior hyperbole, totius oceani cõparatio. Idem fit per incremẽtum, ueluti quum Pindarus in hymnis, impetum Herculis in Meropas, nõ igni, nec uentis, nec mari, sed fulmini similem fuisse dicit, Hic nimirũ tribus gradibus increuit hyperbole. Eadem est minuendi ratio. De inualido dicimus, uix uiuit. Et teruncium habere negatur, qui supra modum pauper est. De hoc schemate nonnihil dictum est in modis amplificandi. Illud hoc loco pluribus testimonijs confirmandum uidetur ob theologos quosdam in argumentationibus quàm in sacris literis exercitatiores, quibus absurdum existimatur in exponendis scripturis hyperboles meminisse, quasi non omnes tropi, quos grammatici è poetis colligunt, reperiantur in diuinis uoluminibus, primum quod Geneseos decimotertio dominus promittit Abrahæ se æquaturum posteritatem illius puluerí terræ, nisi tropum admittas sermo non consistit, siue inter-

preteris de ijs qui iuxta carnē prognati sunt, aut nascentē è stirpe Abrahę: siue de ijs, qui propter imitationem fidei dicuntur filij Abrahæ. Etenim si uel uniuersum hominū genus accipias ab exordio mundi, usq; ad consummationē, nō æquabit tamē puluerē terræ. Quanquam hic aliquis tergiuersari posset, quod in hoc æquarit Abrahæ posteros puluerī terræ, quod illi pariter atque hi ob immensam multitudinem homini sunt innumerabiles. Sequitur enim, si quis hominum potest numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. Cæterum Augustinus libro de ciuitate dei decimosexto capite uigesimoprimo non dubitat hunc locum tueri per hyperbolen, quia plus dictum est q̄ res erat: nec falsum tamen est quod intelligitur, uidelicet illius posteritatem fore numerosissimam, ac per omnes orbis nationes propagandam. Item quod Genesis quadragesimonono de Iuda dictum est: Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ pallium suū, Origenes homilia decimaseptima negat sensum historicum, quem hoc sane loco non reijcit, consistere, nisi hyperbolicōs accipiamus ingentem uini exuberantiam significatam, ut futurum sit aqua uilius. Subindicat & illud quod præcedit: alligans ad uineam pullum suum, & ad uitem ô fili mi asinam suam, Iumenta enim nō ad uitem, sed ad quemuis palum allígantur. similiter quod habetur Ecclesiastici decimo. In mente tua regi ne maledixeris, & in secreto cubilis tui ne maledixeris diuiti, quia uolucres cœli auferent uocem tuam, & habens pennas annunciabit uerbum. Interpres quisquis is fuit, ὑπερβολικῶς dictum putat, Quomodo, inquit, solemus dicere, ipsos etiam parietes, quibus conscijs loquimur, quæ audierint nō cœlaturos. D. Hieronymus enarrans Ezechielis caput trigesimumprimū, quæ ibi referuntur de potentia & sublimitate regis Assyriorum uult ὑπερβολικῶς accipi. Neq; enim ulla arbor, aut est, aut fuit, cuius rami nidos præbere potuerint omnibus uolatilibus cœli, aut umbram omnibus bestijs terræ, aut sedem cunctis gentibus. Neque fuit rex Assyriorum, qui populis omnibus imperarit, sed hoc tropo declaratur ingens lateq; patens illius ditio. Quo tropo de Romana gente dixit Vergilius:

Imperium terris, famamq; æquabit olympo.

Similis locus est apud eundem prophetam de principe Tyri. Rursus apud Danielem capite quarto. Videbam & ecce arbor in medio teræ, & proceritas eius contingens cœlum, aspectus eius erat usq; ad terminos uniuersæ terræ. Iuxta rectum sermonem nulla fuit unquam talis arbor: iuxta infimam tropologiam, nullus princeps unquam tali imperio potitus est: sed Hieronymus admonet hæc omnia accipienda per hyperbolē de rege Nabuchodonosor, ne reijciamus sensum historicum. Eiusdem schematis est quod in Exodo deus promittit Hebræis se educturū eos in terrā lacte et melle manantem, nec enim aliud intelligitur, quàm insignis rerum fertilitas. Ita Vergilius:

Flumina tum lactis, tum flumina nectaris ibunt.

Huiusmodi tropi complures reperiuntur in ueteris instrumenti uoluminibus, quos non agnoscentes quidam reiecto sensu historico ad allegorias confugiunt.

Nec in noui testamenti uoluminibus raro sunt obuiæ hyperbolæ. Velut Lucæ 2, Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis, neque enim Augustus unquam totius orbis imperiū tenuit, quippe qui nec Gothis, nec Armenijs unquam imperarit, ut fatetur Ambrosius hunc enarrans locum. Itidem Ioannis ultimo, Nec ipsum arbitror mundum posse capere eos qui scribendi sunt libros. Chrysostomus & Cyrillus ingenue agnoscunt hyperbolen, nec refragatur Augustinus, tametsi is alterum quoque commentum adfert. Mihi uidentur & illa ad hyperbolen pertinere, quum dominus dicit Capernaum ad cœlum usque exaltatam, ad infernum detrahendam, sentiens eos, qui tum sua felicitate supra modum superbiebant, ad extremam deuenturos calamitatem. Item, quum iubet ferienti unam maxillam & alteram porrigere. Cum eo qui compellit ad mille passus, ire & altera duo millia: tollenti tunicam & pallium relinquere, ab omni uindicta deterrens, & ad summā inuitās patientiā. Alioqui ni tropum admittas, nec ipse præstitit, nec quisq; sanctorū, quod iubet. Quin & in his domini uerbis, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, Chrysostomus

ſoſtomus ac Theophylactus agnoſcunt hyperbolen. Quale eſt & illud, Tu quum oras, intra cubiculum tuum: quũ nihil aliud intelligatur, quàm fugiẽdam benefactorum oſtentationem. Item, quum iubet nos ſine intermiſsione orare, precandi ſtudium commendãs. Huius generis eſt, quòd Paulus ad Romanos ſcribit illorum fidem prędicatam in uniuerſo mundo, ſentiens latè ſparſam famam. Siquidem id temporis ne Chriſtus quidem erat prædicatus in uniuerſo mũdo. Similis locus eſt ad Coloſſenſes cap. primo quum dicit Euangelium prædicatum in omni creatura quæ ſub cœlo eſt.

Sed infiniti negocij ſit, ſi pergam omnes è ſcripturis locos annumerare. Hæc ſufficiunt ad probandum in ſacris libris uſitatam hyperbolen, eamq; ad explicandas difficultates utilem eſſe. Illud adijciam, in probatis eccleſiæ doctoribus quoſdã inueniri ſermones deterrendi aut adhortandi ſtudio uehementius dictos, qui citra hyperbolen excuſari non poſſent. Quod genus eſt in epiſtola Hieronymi ad Heliod. Qui dicit ſe in Chriſtum credere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare. Hoc teſtimonium adducit Hieronymus, ut doceat Chriſtiano non eſſe phas habere quicquam proprij. Ibidem affirmat nullum poſſe perfectum eſſe, cui ſit aliquid ſuum. Rurſus omnis, inquit dominus, qui nõ renunciauerit omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Nec hoc exegit ab Heliodoro tanq; à monacho, ſed tanquam à Chriſtiano, quanquam id temporis à monachis nihil exigebatur præter cõtinentiam, quia ſequitur, quur timido animo Chriſtianus es? Idem in epiſtola ad Nepotianum clericis interdicit omnem poſſeſsionem. Quod ſi quiſpiam, inquit, aliud habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus, uerbi gratia, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſsiones. Sic interdum hortatur ad pacem, deterrens à bello, quaſi damnet omne bellum. In huiuſmodi ſi agnoſcamus hyperbolen, pios homines à calumnia liberabimus. Sunt alia loca complura quæ ueteres orthodoxi per hyperbolen interpretantur. Verum hæc arbitror eſſe ſatis aduerſus quoſdam, qui deridٍent ceu rem prophanam, quoties ad explicandam ſcripturæ difficultatem, aduocamus hyperbolen, aut alium tropum è grammaticis aut rhetoribus petitum.

Permutatio uidetur eſſe, quam alij uocant ironiam, Græca uoce, ſed quę Latina ſit uſitatior. Hac utimur, quum uel irridendi, uel exprobrandi, uel refellendi gratia aliud dicimus quàm ſentimus. Irridendi, ut apud Maronem Turnus in Drancem. Meq; timoris Argue tu Drance, quando tot cędis aceruos Teucrorũ tua dextra dedit. Simile eſt quum uehementer pauperem appellamus Midam aut Crœſum: ſenem decrepitum, puerum: puſillum, gigantem. Exprobrandi, quum exaggeratis crudeliter factis, ſubijcimus: Hęc eſt illa tua miſericordia. Huius generis quidam arbitrantur eſſe illud Euangelicum Matthæi ſuigeſimoſexto. Dormite nunc & requieſcite. Certe Theophylactus agnoſcit ironiã, nec eam Auguſtinus prorſus aſpernatur, ſine qua Origenes, Chryſoſtomus, Hilarius & Hieronymus, ſatis ſeſe torquent, & ad allegorias confugiunt. Alioqui qui conſiſtit, ut qui paulo ante obiurgarat ſuos quod dormirent, nunc dormire iubeat, præſertim quum mox ſubijciat, ſurgite, eamus hinc. Itẽ, citra controuerſiã eſt illud Heliæ 3. Regum 18. Clamate uoce maiore. Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Similiter Paulus 1. Cor. 6. dum eos qui contẽptibiles ſunt iubet conſtitui ad iudicandum, gloſſa uerſus dirimẽs admonet eſſe ironiam. Rurſum 2. Cor. 12. niſi quod non grauaui uos, donate mihi hãc iniuriam: Auguſtinus libro primo cõtra aduerſarium legis & prophetarum, negat ſimpliciter ab Apoſtolo dictum, ſed ironia potius exprobrãtis, quale putat & illud in Geneſi: Ecce Adam quaſi unus factus eſt ex nobis. Et Vergilius: Egregiam uero laudẽ. Ita M. Tull. de Milone, quum hic inſidiator. Refellendi, uelut illud Pauli eodẽ loco. Sed eſto, ego uos non grauaui, ſed quum eſſem aſtutus, dolo uos cepi. Fit ſimulatione conceſsionis ſiue cõfeſsionis, interdũ & laudis & admirationis. In ſumma, per omnes pene figuras obambulat ironia. Cõceſsio eſt, quũ abſurda aſſeuerãti, negamus nos uelle repugnare, tacite illi exprobrãtes impotentiam. Huius generis eſt, q̃d Paulus Corinthijs ſcribẽs, fingit ſe inſipientẽ, oratq; ut patienter ferãt ſtultũ de ſe gloriantẽ, Cõfeſſio p ironiã nõ probatur, niſi quũ eſt innoxia. Qualis eſt illa Ciceronis. Habes igitur Tubero, q̃d eſt accuſatori maxime optãdum, cõfitentẽ reũ. Aut quum alio ſenſu cõfitemur quod obiectum eſt. Saluius. Liberalis in defenſione diuitis rei, dixit: Quid ad Cæſarem, ſi Hipparchus ſeſtertiũm milies poſſidet, Veſpaſianum notans quaſi diuitum

Permutatio

diuitum bonis inhiaret. Id Cæsar approbauit tanq̃ recte dictum, sic interpretans, quasi simpliciter esset dictum. Sed ab exemplis quæ passim obuia sunt discedo.

Illud admonendus est Ecclesiastes, ut hoc schemate parcius utatur. Neq; enim deceret Christianum cõcionatorem ad Socratis exemplum passim εἰρωνεύεσθαι. In scripturis tamen canonicis, atq; etiam in monumentis orthodoxorum frequenter adhibetur hoc schema, quum irrident deos gentium ritusq; superstitiosos, uelut apud Esaiam, Cyprianum, Tertullianum, Augustinum & Prudentium. Quædã enim tam absurda sunt, ut magis traducantur irridendo quàm refellendo. Huiusmodi sunt & quorundã hæreticorum dogmata, Ophitarum, Basilidis, & Manichæorum.

Licentia Licentia quam Græci parrhesiam uocant, nõ facit ad orationis acrimoniã, sed in hoc adhibet, ut mitiget liberius dicta, ne offendant auditorẽ. Velut, Ignoscite si uidebor equo liberius dicere. Et si uos offendit sermo liberior, illis magis æquum est indignari, quorum improbitas ut hæc dicerẽ perpulit. Si molesta est orationis acerbitas, cogitate graues morbos non sanari lenibus pharmacis. Durius loquor, sed huc me compellit uestri charitas. Dicam inuitus, nequaquam dicturus, nisi esset in rem uestram. Vsus est hoc schemate Petrus in Actis: Viri fratres: liceat apud uos audẽter loqui de Patriarcha Dauid &c. Nec raro Paulus mitigat asperius dicta, Mitigatur etiam libertas extenuatione mali, aut admixta laude. Sic Paulus Galatarum crimen per se atrox eleuat, culpam reiiciens in pseudapostolos, qui illorum imposuerant simplicitati, nec fraudem tamen, sed fascinationẽ appellat. Latet interdum sub hoc schemate adulatio, hoc nocentior, quod libertatis fuco dissimulata. Velut is qui Cæsarem in publico appellauit, petens ut liceret libere loqui. Eo concesso. Nullus, inquit, audet tibi dicere, ego tacere nõ possum. Conficis teipsum uigiliis ac solicitudine pro republica, neq; parcis tibi. Hoc populo molestum est. Salse uero unus ex ijs qui Cæsarem comitabantur, Vereor, inquit, ne hunc sua perdat libertas. Vtinam inter Christianos nulli sint cõcionatores, qui tali fuco adulentur mulierculis ac potẽtibus.

Diminutio Porro ut licẽtia præstat, ne offendat libertas, ita Diminutio facit, ne quod necessario dicitur arroganter dictum uideatur. Fastidiosæ sunt hominum aures, nec quicquam minus ferunt, quàm ut quisquam aliquid de se prædicet magnificentius. Exemplis supersedeo, quod res nihil habeat difficultatis.

Descriptio Descriptio quæ rerum consequentiam ponit ob oculos, non uideo quamobrem inter schemata ponẽda sit. Nam hypotyposis eximia uirtus est orationis, sed ad omne tempus pertinet, de qua mox dicetur. Idem sentio de diuisione, quam Græci διλήμμα uocant, de
Diuisio quo supra dictum est inter argumenta. Frequentatio quam Græci uocant συναθροισμὸν,
Frequentatio quoniam argumenta fusius ac sparsim tractata, uelut in unum fascem collecta subijcit oculis, multas habet cõmoditates, de quibus ante diximus. Sed schema non est nisi quum adhibetur attollendæ rei gratia, quemadmodum indicauimus, quũ de modis amplifican
Expolitio di loqueremur. Expolitio, non est proprie schema, sed argumentandi genus, constans quinq; partibus. Quanquam nihil uetat etiã pluribus locupletare, quod probandum assumpsimus. De hac quoniam satis multa diximus secundo libro de Copia, non est consilium hic lectorem remorari. *Contentio* Contentio Græcis antitheton dicta, fit uel uerbis inter se pugnantibus, uel sententijs contrarijs: licet non sit euidens pugna in uerbis. Non statim schema est, ubicunq; sunt contraria, sed commoda cõtrariorum inter se relatio schema facit, uel ad gratiam orationis, uel ad uehementiam. Virtutẽ præsentem odimus, absentem requirimus: hic pugna est in uerbis. Virtutem præsentem odimus sublatam ex oculis quærimus inuidi. Hic est in sententijs. In pace fortis est, in bello ignauus. Hic item in uerbis est pugna. Domi leones sunt, belli damæ. Hic in sententijs est pugna. Quemadmodum in illo Ciceronis loco pro Murena. Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille ut eo quo contendit mature cum exercitu perueniat: te gallorum, illum buccinarum cantus excitat & cætera. Hic minus euidens est rerum dissimilium comparatio. Iam ante admonuimus contraria inter se ex aduerso composita, sese uicissim illustrare. Veluti si quis à uoluptatibus ad honesta studia cohortetur, atq; inter se committat, quid malorũ ex illis, quid bonorũ ex his, consequatur, multum aculeorũ accedet orationi. Componuntur & alio modo contraria inter se nõ sine gratia, qua figura frequenter ac feliciter utitur Paulus, ueluti 2. Cor. 6. Per arma iusticiæ à dextris & sinistris, per gloriam & igno-

ignominiam, per infamiam & bonam famam: ut seductores & ueraces, sicuti qui ignoti & cogniti, quasi morientes, & ecce uiuimus, quasi tristes, semper autem gaudētes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Illa uulgatissima sunt, quum pro omnibus, maximos minimosq; pueros & senes dicimus.

Conformatio quam Græci προσωποποιίαν, id est, personæ fictionē appellant, plurimū confert & ad uarietatem & ad grauitatē orationis: sed friget nisi rerum magnitudo postulet huiusmodi fictionem, tum nisi sermo aut actio quā personæ affingimus talis sit, ut uerisimile sit illam, si adesset talia dicturam facturámue fuisse. Hoc schemate nō solum inducuntur hominum absentium personæ quasi adsint, uerum etiam iam olim defunctos è sepulchris excitamus, ac uelut in scenā producimus. Quin & regionibus & urbibus alijsq; rebus inanimis sermonem affingimus. Quin & ipsis uirtutibus, aut uitijs similibusq; rebus personam damus. Denicq; deum ipsum ac diuos loquentes facimus. M. Tullius patriam cum Catilina expostulantem inducit. Socrates apud Platonem in Critone leges fingit dissuadētes, ne se furtim subducat è carcere. Micheas propheta, et deū introduxit cum populo suo expostulantem. Et Solomon ipsam sapientiam facit exhortātem ad studium sapientiæ. Veluti prouerb. cap. 8. Dominus creauit me in initio uiarum suarū. Itē. Per me reges regnant &c. Psal. 113. propheta alloquitur mare, flumē, mōtes & colles. atq; hos facit respondētes, à facie domini mota est terra &c. Similiter Baruch 3. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt. Vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus. Hæc liberius fiunt in poematibus, in tragœdijs ac dialogis. In epistola Iudæ citatur libellus, in quo Michael archangelus contendit cum diabolo de corpore Mosi. Extat dialogus inter opera Augustini, quanquam pseudepigraphus, in quo ecclesia disputat cum Synagoga. Citatur licet nō extet Ennij Satyra, in qua fingit uitam & mortem inter se cōtendentes, quemadmodum Prodicus, ut refert Xenophon, fingit uoluptatem ac uirtutem apud Herculem concertantes. Plutarchus Gryllum porcum cum Vlysse disputantem facit. Vergilius & Homerus, famæ personam attribuunt. Ouidius somno ac terræ: sed impudentius est, quàm ut imitandum sit, quod Homerus equis Achillis, & nauibus quibusdam sermonem attribuit, licet in literis mysticis asina reprehendit dominum suum. Est prosopopœiæ species, qua personā incertam introducimus: uerbi causa: Hic forte dixerit aliquis. Hic scio reclamaturos hæreticos. Huic figuræ cognata est sermocinatio, siue διαλογισμός. Quum personæ quam fingimus, sermonē perpetuū attribuimus conformatio est: quum ab illa propositis subinde respondemus, sermocinatio est. Qualis est Gregorij Nazianzeni Theologiæ libro primo, quum dialectico proponit multas quæstiones, & illum ad singulas facit respondentem. Verum hæc figura, quoniam magis facit ad iucunditatem orationis quàm ad grauitatem, suo dicetur loco. *Conformatio*

Conformationi affinis est apostrophe, quæ sermonem ab ijs quibus loquebatur, auertit ad aliam personam, seu præsentem, seu absentem, aut rem cui personā affingimus. Nec hæc quidem locum habet, nisi quum feruet oratio. A Cęsare ad Q. Tuberonē sermonem flexit Marcus Tullius. Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius &c. Audiui quendā qui cū incidisset sermo de Franciscanis quibusdā dissolute uiuentibus, non ineleganter sermonem auertit ad D. Franciscū: O Francisce, utinā uideres quid tui faciāt fraterculi, quantum degenerarint ab eo instituto, quod tu illis præscripseras. Sic mundū, peccatū & satanā alloquimur. O munde cq; blanda sunt, quæ promittis, cq; amara, quæ reddis. O mendax peccatum, quàm dulcia pollicebaris initio, quāto nunc alia loqueris tuis casibus inuoluto. Et Prudentius: O tortuose serpens &c. Et dominus in Euangelio: O natio incredula & peruersa, quousq; uos patiar? Et Zachariæ 13. deus alloquitur phrameam suam: phramea suscitare super pastorem meum. Ad concitandos affectus mire conducit hoc schema, si in loco & scite adhibeatur. *Apostrophe*

Demonstratio, quam significantius Græci uocant hypotyposim, quia rem ita subijcit oculis, ut nō narrari sed geri uideatur, utilis est, siue ad euidētiam orationis, siue ad quoscunque mouendos affectus. Neque parum confert ad iucunditatem, si res est comica. Hac figura utimur, si non simpliciter narremus quod gestum est, uerum etiam quid præcesserit, quid in ipso negocio acciderit, quid consequutum sit, addimus gestum ac sermonē congruentē, & quęcunq; cernerentur oculis, si res coràm gereretur, iucunditatem habet *Demonstratio*

habet, quod M. Tullius ueluti depingit, quomodo Antonius noctu desertis castris solus obuoluto capite ad amicã peruenerit, eiq; literas uelut ab Antonio missas reddiderit, quoniam ipsa res Comica est. Aliquanto grauius, sed eiusdem generis exemplum est apud Homerum in Iliade. Vbi Andromache Hectori occurrit ad portam, qui locus à me sat diligenter annotatus est commentario de Copia secundo: Quanquam hac uirtute præcipue lectorem retinet ille poeta. Veluti quum Penelopen, quam pudicã haberi uult, nunquam procis loquentem facit, nisi è cœnaculo quod ille uocat ὑπερῷον, facie uelo tecta, & pedissequis innitentem. Laudatur ob hoc ipsum M. Tullij narratio, qua refert quomodo Milo fuerit ab urbe profectus &c. In ea sunt quædam, quæ non uidentur ad rem pertinere, quum tamen specie simplicitatis faciãt ad fidem. Velut illa: Eo die quo à senatu dimissus est, domum uenit, calceos & uestimenta mutauit, paulisper dum se uxor ut fit comparat, commoratus est, deinde profectus &c. Acriores affectus concitantur, quum in atroci facinore describitur, fragor urbis, ardor oculorum, uox immanis, retuolutũ aut abiectum pallium, uibratus gladius &c. Hac in parte rhetor multum habet affinitatis cum pictoribus, quibus studio est rem omnem oculis subijcere, ut nihil omnino desit præter uocem. Exempla peti possunt à poetis, quibus hæc uirtus est peculiaris, si quãdo describunt prælium, excidium urbis, incendium, tempestatem, pestilẽtiam, famem aut terræ motum, aut diluuium, aut aliud simile.

Verum illud cauendum Ecclesiastæ, ne quemadmodum pictores imperiti frequenter appingunt parum congrua, ita parum decora affingat rebus ac personis. Velut nonnulli describunt Christum ut miserabilem, deiecto capite, distortis oculis ob spineam coronam cerebro impactam, nouies in terram toto corpore collabentem, uirginem matrem sub cruce syncopi concidentem. At qui hæc nec in personam Christi matrisue congruũt, nec consentanea sunt canonicis literis, aut ueterum commentarijs. Vehementer probabile sit oportet, si quid uelis addere scripturis. In humanis historijs aliquanto plus ueniæ est, ut ante diximus, sed citra licẽtiam, quam sibi usurpant oratores aut historici gentium. Hoc schema ponit ob oculos nõ ea tantũ quæ facta sunt, sed illa quoq; quæ futura uideãtur, si hoc aut illud acciderit. Quem locum summo artificio tractauit M. Tullius pro Milone, ponens ob oculos quæ facies rerum fuisset consequuta si Clodius præturam assequutus fuisset, Fingite, inquit, animis, liberę enim sunt cogitationes nostræ, & quæ uolũt sic intuentur, ut ea cernimus quæ uidemus. Fingite igitur cogitatione imaginẽ huius conditionis meæ &c. Exempla frequentia sunt in ueteris testamenti uoluminibus, quũ ostenditur quanta felicitas sit futura, si dei iussis paruerint, rursus quanta calamitas si dei præcepta neglexerint. Huc pertinent Mosaicæ benedictiones ac maledictiones.

Epitheton

Epitheta in pios & impios commode addita, non solum faciunt ad orationis ornatũ, uerum etiam frequenter ad affectum. Sed passim apponere ineptum est. Iure Aristoteles notat frigida Alcidamantis epitheta, quod his uteretur, non ut condimentis, sed ut cibis. Vbi de charitate agitur, rectè citabitur, flammeus ille Paulus, ubi de sublimibus mysterijs, Altiloquus Ioãnes: & ipsa charitas rectè uocabitur ignea, sicut inuicta fides, spes longanimis, florida uirginitas, sancta pudicitia, syncera siue casta ueritas. Contrà spurca libido, sordidus luxus, personata hypocrisis. Item, fugax hominis ætas, amara mors, feruida iuuentus, pigra senectus. Duplex erit gratia, si epitheton tropo cõmendetur. Veluti quũ dicimus. Viperinam obtrectationem, aut quod modo retulimus, pigram senectutem, triste spectaculum, aut cæcum amorem, aut querulam paupertatẽ. Pyladeam amicitiam, clamorem Stentoreum, caninam rabiem, diabolicam maliciam. Huius generis sunt, quod nunc quidam dicunt, ordinem Seraphicum, ordinẽ Cherubicum. Sed superstitioni propius est, quod certis personis attribuerunt epitheta peculiaria, quasi nefas esset alijs uti, etiã si qua sint magis accommoda. Velut quum Romanum pontificem appellant beatissimum, Cardinales & Archiepiscopos reuerendissimos. Episcopos & Abbates reuerendos. Priores uenerabiles. Cæsarem inuictissimum, Reges serenissimos. Principes illustrissimos. Interdum conuenit exclamationi. O scelus abominandum. O detestandam libidinem. Otiosa epitheta conceduntur poetis, apud quos non mediocrem habent gratiam, qui lac niueum, & niuem cãdidam dicunt, aurum fuluum, liquidum aerem, solem aureum, lunam argenteam, brutam tellurem, uaga flumina, ueliuolum mare, oculis captos talpas

talpas, timidos damas, tulnificum calybem, uolubilem animam. Ecclesiastes non adhibet nisi quum aliquid efficiunt. Efficiunt autem, quum absq; his, uel minus splendidũ est, uel minus uehemens quod dicitur. Quanquam hic quoq; modum adesse oportet. Sunt enim qui singulis pene uerbis addunt epitheta, quo uideantur ardẽtius dicere. Quod genus sit, fratres charissimi, adest optabile sacratissimæ quadragesimæ tempus, quod clementissimus dominus saluberrimo exemplo nobis miseris dicauit, quodq; sanctissima ecclesia nobis iustissima cõstitutione & irrefutabili autoritate indixit. Porrò epithetis parum congruentibus uti, nõ minus uitiosum est, q̃ uti otiosis. Non iniuria D. Augustinus ridet Petilianum episcopum Donatistam, sed indoctum, quod quoties sentiebat impios gehennę tradendos, dicebat illos crepitantibus flammis exurendos, idq; quasi bellum esset subinde repetebat, scilicet Vergilium imitatus, qui dixit, Atq; leuem stipulã crepitantibus urente flammis. Apte quidem Vergilius. Nam stipulæ si accendantur uere crepitant. Sed inepte Petilianus de flammis gehennæ. Aptius dixisset sempiternis ignibus, aut flammis non extinguendis exurentur. Nihil enim refert, utrũ illæ flammæ crepitent an non. Iam sunt epitheta diuina, in quibus par est adesse religionem, ueluti quum patrẽ uocamus omnipotentem, ingenitum, inuisibilẽ, æternum. Filiũ sapientem, Spiritũ sanctum, de quibus suo dicetur loco. Hactenus de figuris, quæ faciunt ad orationis acrimoniam & grauitatem, etiam si sunt in his, quæ ad alias quoq; commoditates conducunt. Metaphora uero cum alijs illi cognatis, quoniã omnes in se uirtutes complectitur, in extremum differetur locum. Nunc eas indicabimus, quæ iucundam, perspicuam ac splendidam reddunt orationem. Traductio magis facit ad orationis festiuitatem, q̃ ad uehementiam aut grauitatem. Ea fit uarijs modis, quum eadem uox incertis locis repetitur cum gratia. Quorum primus est, si eadem repetatur eodem sensu. Vt minus amat deum, qui aliquid amat prę ter deum, quod propter deum non amat. Secũdus, quum eadem quidem uox, sed alio significatu repetitur. Hunc uix seria recipit oratio. Vt, Eum hominem tu uita, qui spem omnẽ collocauit in hac uita. Contemne res mundi, in quibus nihil est mundi, eas cura, quę te liberẽt omni cura. Tertius argutior est, quum eadem uox per se quidem ambigua non est, sed in diuersum sensum detorquetur, hanc Græci uocãt ἀνταναϰλασιν, Exemplũ. Proculeius querebatur de filio, quod expectaret mortem patris, quumq; filius respondisset, ego uero non expecto. Imò, inquit pater, rogo ut expectes. Expectat mortẽ hominis, qui imminet & optat: & expectat, qui nihil molitur ante mortem, sed æquo animo fert illum esse uiuacem. Quartus modus plusculum habet dignitatis, quum eadem uox accinitur, quam ἠχηϊαν appellant Græci, Latinè posis assonãtiam dicere, quod uelut echo sonum referat. Quale est illud Pauli: Cui uectigal, uectigal, cui tributũ, tributũ, cui honorẽ, honorem. Huic finitima est admonitio, Græcis παρονομασία, quum uox repetitur non prorsus eadem, sed aliqua ex parte immutata, uel adiectione, detractioneue literæ aut syllabę, uel productione, aut correptione, uel immutato casu. Primi exemplũ erit, deligendus est quem diligas. Item, uidete patres cõscripti, ne circunscripti uideamini. Rursus. Sit diuus, modo ne uiuus. Et M. Tullius iocatur in fundum, quem possis mittere funda. Habent tamen hæc quoq; gratiæ nonnihil, quum incidunt cõmode non affectata: ueluti si quis dicat eos, qui stupidis diuitib. emolumẽti gratia blandiuntur, sic esse arrisores, ut ij dẽ sint irrisores, atq; etiã arrosores. Secundi hoc. Quur ego non dicã Furia te furiã. Furia prima syllaba producta mulieris nomen est: unde & Fusij dicti r mutato in s. Item: hic non tantum curiã diligit quantũ Curiã. Curia prima correpta meretricis est uocabulũ. Tertij sit illud exemplum. Est tibi pater indulgẽtissimus. Patris huius charitas te debuit ad obsequium inuitare, patri tam æqua præcipienti non erat graue morigerum esse. Sic amãtem patrem par erat redamare. A tam beneuolo patre nõ oportuit dissentire. Hoc adnominationis genus Græci πολύπτωτον appellant, parum conueniens de rebus seriis agenti, præsertim si accersatur, fugiendum etiam si frequenter incurrat.

Traductio

Nec minus frigent similiter cadentia, & similiter desinentia, illa Græcis ὁμοιόπτωτα, hæc ὁμοιοτέλευτα dicuntur, quod illa fiant in uocibus, quæ per casus uariantur, hæc in cæteris, nimirum generis uocabulo pro specie usurpato. Prioris generis exemplũ erit. Nunquam fruetur sapiẽtia, cui inuisa est industria. Posterioris hoc. Difficile est sapere simul & amare. Hoc schema fit floridius, si cõtrarijs, repetitiõe, cõuersione, adnominatione alijsq;

Similiter cadentia

similibus cõmendetur. Mire his delectatus est beatus Augustinus etiã in seriis concionibus: siue quod apud Afros diceret, quibus florida erãt grationa q̃ seria, declarãt hoc Apulei florida: siue quod id tẽporis adeo fastidiosus erat populus, ut ab episcopo cõcionante exigeret etiã delectationẽ, quã Tacitus queritur suo seculo, & à iudicibus exigi solere. Et prorsus id agendum est Ecclesiastæ, ut aliqua uoluptate detineat auditorem, sed danda est opera, ut delectatio comitetur utilitatẽ non accersita, sitq; digna cõcione Christiana. Alioqui mihi uidetur absurdũ id affectare in concionib. Euangelicis, quod in Ethnicorũ declamationib. irridebatur. Verum huiusmodi deliciæ quæ cõparibus, similiter desinentibus, & adnominationibus constãt, tum irrepserunt in studia, quũ iam degenerasset illud naturale dicendi genus, adeo ut uideamus etiã diui Gregorij Rom. Pont. libros per has figuras uolui, membris distingui, periodis absolui, similiter desinẽtibus tinnire. Quid mirum quũ eruditis placuerit Echo, Ausonius centonibus, monosyllabis, alijsq; puerilib. nugis luserit. Res eó tandẽ deuenit, ut nihil haberetur elegans, nisi rythmis similiter desinẽtibus astrictũ. A quibus beatus Augustinus adeo non abhorruit, ut totos libros his schematib. absoluerit, & catholicam fidem defendens aduersus Iudæos hunc in modum loquatur: Vos inquam cõuenio ô Iudæi, qui in hodiernũ diẽ negatis filium dei. Nec hoc illi rarum est, in tractatibus præsertim & homilijs, quibus agit cũ populo. Nam Psalmum aduersus Donatistas uulgo decantandum scripsit. Tribuuntur illi quædam huius generis, quæ an ipsius sint nescio, Velut in libro meditationum hymnus de gloria paradisi. Tradunt rhetores huiusmodi figuras adimere fidem dicenti, & hinc partam uoluptatem, mox abire in fastidium. At nos quotidie audimus in templis: Laudes crucis attollamus, Nos qui crucis exultamus speciali gloria &c. Et audimus totas horas nec sentimus fastidium, præsertim quum multæ sint prosæ, sic enim uocãt, & sensibus & uerbis ineptæ. Et in his seruantur numeri, neglecta syllabarum quantitate. Verum utcunq; hoc alibi toleratur, ineptissimum sit, si nunc concionator uulgari lingua conetur ad istum modum apud populum dicere, ne uideatur ineptos quosdam imitari, qui se rhetoristas appellant.

Ratiocinatio

Ratiocinatio quam Græci διαλογισμὸν appellant, cõmodissima est Ecclesiastæ ad imperitam loquenti multitudinem. Siquidem & intentionem excitat & ad docilitatem apposita est, & perspicuam reddit orationem atq; etiam uiuidam non sine iucũditate. Ea fit quũ ipsi nos interrogamus, & ijdem ad interrogata respõdemus, perinde quasi duo sint colloquentes. Hoc schemate plurimum usus est facundissimus ille Chrysostomus, magis etiam Augustinus, in his duntaxat sermonibus, quos habuerunt apud populum in exponendis scripturis. Vnum de innumeris exempli gratia proferam, quo lector intelligat quid uelim, proferam autem è commentarijs in psalmum 30. Zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Quid est quod dixit, Zelum dei habent Iudæi, sed non secundum scientiam? Audi quid sit, non secundum scientiam. Et mox. Quis est qui non saluatur gratia? In quo non inuenit saluator quod coronet, sed quod damnet. Ac paulo post: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Quid est, egent gloria dei? ut ipse liberet, non tu. Quia tu liberare non potes, indiges liberatore. Quid est quod te iactas? Quid est quod de lege & iustitia præsumis?

Varijs autem modis adhibetur hæc figura, uel quum ipsi nobis quæstionem proponimus, uel quum alium proponentem facimus, uel quum ab auditoribus responsum exigimus, aut ab alia persona quam fingimus, interdum ab ipso autore, quem interpretamur. Primæ ferme exemplum erit. Hęc nonne uidentur palã inter se pugnare. At qui tam non pugnat scriptura cum scriptura, ẽq; spiritus ille, cuius afflatu prodita est, secũ non pugnat. Quomodo igitur nodum hunc explicabimus? Perfacile id fiet, si distinxerimus tempora &c. Itidem Paulus. Quid igitur? Lex peccatum? Absit, sed peccatum non noui etc. Secundæ hoc. Hic nobis obijciet aliquis: Si fas est iurare, cur id Christus tam accurate uetuit? Tertiæ hoc. Adeste charissimi, mecum quærite, mecũ pulsate, Quid sibi hoc loco uult spiritus sanctus &c. Itẽ facio uos huius causæ iudices, utrũ hęc contumelia est in deũ, an non est. Hanc quidam appellant cõmunicationem. Quartæ illud. Quid habes quod ad hæc respondeas Iudæe? Tu scripturam de Dauide interpretaberis, non de Christo. Sed ipsa res uestram reijcit interpretationem. Dauidis ante tot annos extincti, sepulchrum extat, ossa illius continens, sed ostende si potes ossa Christi &c. Frequenter ita Chrysostomus. Quid

hic

hic agis ô Paule, prius illa docuisti, nunc longe diuersa uideris loqui. Nec minus frequenter Augustinus, ut in psalmum 31. Sed ipsum Paulum ipsi Paulo opponamus & dicamus ei. At nos quodam modo permittis impune peccare, quum dicis: Credidit Abraham deo &c. ac mox: teipsum audi ô Paule: &c. Deinde facit Apostolum respondentē: Propterea hoc tibi dixi ô homo. Ad huius figuræ similitudinē accedūt interrogatio, subiectio, sermocinatio. Habent gratiā in loco adhibita, sed nō sine modo. Immodicum autem erit quicquid addideris Augustino, duntaxat apud populum disputanti. Non in loco adhibebuntur, quum sententia nec habet aliquid affectus, nec difficultatis. Audiui quendā qui proposita quæstione, qua specie corporis essemus resurrecturi, uultum & sermonē uertit ad imaginē crucifixi, quę chori locum ab inferiore tēplo diuidit, & cuculla paululum à fronte reducta, Quid ais, inquit, bone uir, resurgemus quales nunc sumus? Forte aderant eius monasterij monachi aliquot admodū pueri. Cōcionabatur ēm doctor Dominicanus in templo benedictinorum, Videte, inquit, q̄ sint pusilli. Num tātilli resurgent? Hæc & his frigidiora quædā ad crucifixum. Mox composito uultu, quasi pro Christo respōdit, Frater, tu multa quæris. Hic dialogismus non uno modo frigidus erat & ineptus. Is qui impudentissime atq; adeo impie contaminauit Hieronymi cōmentarios in psalmos, frequenter affectat hoc schematis genus, August. scilicet imitatus, subinde insulciens, uide quid dicat, quum res nullam exigat attentionem peculiarē: bis ineptus, & quod temere adhibet, ubi nihil opus, & quod non animaduertit hoc sermonis genus, nec Hieronymo esse familiare, quum is Hieronymi personā sibi sumpserit, nec in commentarijs, qui scribuntur eruditis, perinde congruere, quemadmodum apud populum loquenti.

Contrarium hoc differt à contentione, quod illic uehementiæ causa contraria contrarijs opponuntur. Hic idem fit probandi gratia, quum argumentamur ex comparatione. Proinde hoc contrarium aut schema non est, aut idem est cum contentione, Alioqui omnis cōmoda collectio deberet esse schema. Tale est illud Euangelicum: Si terrena loquenti non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credetis? *Contrarium*

Continuatio huic finitima non est figura, sed uel sententia uel argumentatio, quę si breuis est, aut euidens, aut alioqui commoda, non ideo statim schema est. *Continuatio*

Subiectio quoniam non est simplex argumentatio, iure inter figuras recensetur. Tolle quod idem interrogat, & respondet, nihil aliud erit q̄ argumentatio. Veluti si loquaris hunc in modum. Iste diuitias quas possidet, quum nec ex patrimonio sit cōsequutus, nam patris bona uenierunt, nec ex hęreditate, quū ab omnibus necessarijs sit exhęredatus, nec ex industria, quū sit ignauissimus, nec ex dono, quū nullū habeat amicū, supereſt, ut eas malis artibus sibi parauerit. Simplex argumētatio est à diuisione. At si hoc pacto efferas, Quæro unde iste diuitias nactus est? An amplum patrimoniū relictū est? At patris bona uenierūt. Hæreditas aliqua obuenit? non potest dici, imò à necessarijs omnibus exhæreditus est &c. Ita demum fit figurata argumentatio, sed alia figura. *Subiectio*

Subiectionis species est cōmunicatio, de qua supra meminimus, quoties cū iudicibus aut auditoribus ueluti deliberamus, Vt in hoc rerū statu, quid unusquisq; uestrū fecisset, aut quid mihi faciendum censuisset? Recusassem munus quod princeps imponere destinarat? Prouocassem in me principis iram. Suscepissem? Nec ego par eram tanto oneri, nec ingenio meo congruebat hoc negocij genus. Excusassem ætatem, ualetudinem, imperitiam? Non audiunt monarchæ causationes, ubi quid impense cupiunt. Sed agedum fingite me parem negotio, Fingite suscepisse. Quid potui facere? Obtemperassem collegis. Crudelis fuissem in eos quos iudicabā innocentes. Obstetissem collegis? Coniecissem me in idem discrimen, in quo erāt qui ad supplicium rapiebātur. Quod unum licuit feci, uerti solum. Hoc schema si scite adhibeatur, non solum ad perspicuitatem facit, uerum etiam ad acrimoniam.

Gradatio Græcis κλῖμαξ, multum addit uenustatis ac iucunditatis. Ea fit, quoties ita per gradus oratio distinguitur, ut dictio finiens particulam præcedentem inchoet sequentem. Quale est illud Maronis. Vos hæc facietis maxima Gallo, Gallo cuius amor &c. Et, iuuenū pulcherrimus Astur, Astur equo fidens. Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam. Hæc plus habent iucunditatis q̄ grauitatis. Sed frigidius est quod affectauit Ausonius in monosyllabis. Res hominum fragiles alit & regit & perimit sors, Sors *Gradatio*

dubia æternumq; labans &c. Cæterũ quũ gradatio fit per correctionem etiã ad acrimoniam facit. Vt illud Ciceronis. Hic tamen uiuit, uiuit? Imò etiã in senatũ uenit. Minus offendet affectationis species, si res ipsa gradus habeat, uelut in genealogijs aut in serie magistratuum sibi succedentium. Atq; etiã in rebus. Aphricano uirtutẽ industria, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Item, Ver propellit æstas, æstatem excipit autumnus, autumno succedit hyems: puerítiam excipit adolescentia, adolescentiã iuuentus, iuuẽtutem ætas uirilis, uirilẽ ætatem senectus, senectutẽ mors, mortem immortalitas. Item negligentia parit errorẽ, error lapsum, lapsus flagitiũ, flagitium consuetudinẽ, consuetudo impudentiam, impudentia mentem reprobam, mens reproba desperationem. Tale est illud Pauli: Caput mulieris uir, caput uiri Christus, Christi autẽ deus. Mirum uerò quãtopere Ioannes Euangelista sit hoc schemate delectatus: In principio erat uerbũ, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbũ: ac mox, Sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso uita erat, & uita erat lux hominũ, & lux in tenebris lucet, et tenebræ eã non cõprehenderunt. Est tamẽ huius schematis usus aliquis ad acrimoniã, si sumatur per amplificationẽ. Quale sit, Occidisti amicũ, amicum inquã occidisti, & occidisti non ferro, sed uenemo, ueneno autem omnium præsentissimo linguæ, linguæ tartareo ueneno tinctæ.

Definitio Definitio per se nõ est schema, alioqui omnis definitio, cuius recta, schema esset. Quũ enim dicimus, Iustícia est uirtus, qua cuiq; tribuimus quod debetur, nulla est figura. At quũ dicimus. Adolescẽtia est flos ętatis, metaphora est, ut, senectus est hyems ætatis. Rursum si dicas, sic amare ut lædas, non est beneuolentia, sed imprudentia. Correctio est. Sed hac ratione omnis sententia, omnisq; argumentatio posset inter schemata referri.

Transitio Transitio docenti accommoda est, reuocans in memoriam quod dictum est, & paucis ostendens quid sit dicendum. De hac dictum est, quũ de diuisione loqueremur. Quot autem sint huius formæ, in commentario de Copia demonstrauimus.

Commutatio Commutatio plurimum habet gratiæ, inuerso sententiæ ordine. Non est uiuendum ut edas, sed edendũ ut uiuas. Item, Non possidet pecuniam, qui seruit pecunię, sed cui seruit pecunia. Tale est illud Euangelicum: Non homo propter Sabbatum, sed Sabbatum propter hominem. Rursus illud Lacęnæ, quæ rogata an ad uirum accessisset, Non inquit, sed ille ad me. Huius generis est illa non sine causa laudata sententia. Si quid turpe facias cum uoluptate, uoluptas abit, turpitudo manet: si quid honestũ facias cum labore, labor abit, honestum manet.

Circumitio Circuitio Græcis periphrasis, unum uerbum pluribus circumloquitur: interdum ornatus causa, uelut illud:

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ęgris
Incipit, & dono diuũm gratissima serpit.
Sentit initium noctis. Item illud eiusdem.
Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuuenci,
Maioresq; cadunt altis de montibus umbræ.
Et iam summa procul uillarum culmina fumant.

Tot uerbis circũloquutus est uesperã. Interdũ uerecundiæ causa circũloquimur, ut Salustius dixit, ad requisita naturæ. Et nos dicimus exonerare aluũ, pro cacare. Et reddere lotiũ pro mingere. Quanq; interdum obscœnior est periphrasis uerbo simplici. Nonnunq; & ad dignitatem orationis facit, uelut apud poetas: Diuũ pater atq; hominũ rex, pro Iue. Romanæ facũdię princeps, pro Cicerone. Et nos pro Paulo doctorẽ gentiũ dicimus.

Distributio Distributio, quæ singulis personis aut rebus dispertitur quæ conueniũt, si cõmoda accedat breuitas, nõ parũ adfert decoris orationi, præsertim in prȩcipiẽdo, Vt, Principis est toti reip. prospicere. Procerũ, salubrib. cõsilijs principis solicitudinẽ adiuuare. Magistratuũ est, iniunctũ munus bona fide gerere. Populi est, principis ac magistratuum imperata fideliter obire. Episcoporũ quæ ad pietatẽ faciunt modis omnib. promouere. Monachorũ, pro salute omniũ deprecari dñm. Itẽ, Mariti est diligere mitiq; imperio regere uxorem. Vxoris est reuerenter obsequi marito. Dñi est, seruis uti pro hominib. non pro iumentis. Seruorũ est, timere dños, & eis dicto audiẽtes esse. Patris est, amãter erudire liberos. Liberorũ est ex animo parere iussis parentum. Huius generis est illud Apostoli Rom. 12. Qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. Similiter illud Ioannis in Epistola cap. 2. Scribo uobis patres, & cętera. Cõgeminatur schematis gratia, si

aliud

aliud accedat schema. Vt, Ocio corrumpitur ingenium, industria crescit et augescit. Frugalitas seruat rem, luxus dissipat. Diuitiæ docent arrogantiam, Paupertas modestiæ magistra est. Imperitia confidentiam parit, eruditio timidos reddit: cæremoniæ superstitionem alunt, fides & charitas pietatem.

Notatio quæ Græcis ἠθοποιία dicitur, quoniam mores & ingenium cuiusq; suis depingit coloribus, plurimum habet oblectamenti. Veluti si describas imaginẽ luxuriosi, prodigi, parci, auari, amãtis, meretricis, adulatoris, hæredipetę, temulenti, gloriosi, ambitiosi, zelotypi, iracũdi, inuidi, superstitiosi, ostẽtatoris, qui uelit haberi doctus, quũ nõ sit, diues quum non sit, nobilis quum non sit, aut sanctus quum non sit. Huius schematis exẽplum commode reddi nõ potest, nisi multis uerbis. Exemplorum magna uis est apud comicos & tragicos, nec pauca apud Ciceronem. Feruntur notæ quædam nomine Theophrasti, non omnino reiiciendæ, sed uix digne tanto autore. Ecclesiastæ uero sic ubiq; temperandus est sermo, ut non tam personas impetere uideatur, q̃ ipsa uitia. *Notatio*

Sermocinatio, quæ cuiq; personæ sermonem affingit congruentem cum decoro, uelut uiro forti, mulieri, tyranno, seni, puero, iuueni, si scite adhibeatur, est quidem narrationis uirtus, schema quur dici debeat non uideo. Est autem notationis pars, siquidem illa affingit mores, hæc orationem. Vtraq; pertinet ad hypotyposin, quæ partes omnes complectitur. Video priscos illos tametsi pios sibi nõnihil permisisse in affingendis sermonibus, dum loquentes faciunt, non ea quæ uere dicta sunt, sed quæ dici potuerint. Velut in historia septem Machabæorum, singulis adolescentibus & matri sermo tribuitur, nõ quod his uerbis usi sint, sed talibus, aut similibus uti potuerint. Argumẽtum est, quod aliter loquuntur in libris Machabæorũ, aliter apud Iosephum. Ac ne uerisimile quidem est inter Agnetẽ, procũ et tyrannũ eos sermones intercessisse, quos illis attribuit Ambrosius. Idem sibi permiserunt quidam, qui sanctorum uitas scripto prodiderũt. Veluti Pauli Eremitæ, Antonij, Hilarionis & Malchi. Hoc exemplum quatenus imitãdum uideatur, alijs discipiendum relinquo. In sacris historijs nolim quicquã affingi, quod tamen à nonnullis concionatoribus ipse audiui. Affingebant quibus uerbis Herodes appellarit Christum, quibus uerbis pronunciarit sententiam Pilatus, & quæ Christi anima ad singulos inferorum circulos fuerit concionata, & quid illi ab illic detentis responsum sit. Simili fictione ponebat ob oculos extremum iudicium. Erat em̃ natiua quadam eloquentia præditus. Audiebã hæc nõ sine uoluptate, sed puer. Hæc fiunt excusatius, si concionator præfetur ea tradita in humanis historijs, aut probabilẽ esse coniecturam talia et talia fuisse dicta, aut dicenda. Quidam appellant pias contemplationes, & sunt profecto, si imaginemur ea, quæ rebus & personis congruunt. Quod in sanctorum uitis frequenter deprehendimus parum attente obseruatum. Veluti Sulpitius in uita Martini, facit illum ita respondẽtem imperatori: Donatiuum tuũ militaturus accipiat, mihi qui Christianus sum pugnare non licet. Alia fuerat adferenda causa. Nam id temporis etiam sub impio Cæsare si iustum bellũ indixisset, pugnare fas erat. Si nefas erat Christiano pugnare, oportuit ante baptismũ à militia recedere, nec stipendium imperatoris accipere. Dein ne uideretur ignauus, non recusat inermis per medios hostiũ cuneos penetrare, hoc est, facere quod Christiano nefas esse fuerat professus. nec tanti erat ignauiæ conuitium, ut ad id depellẽdum fuerit tenandus deus. Nec satis meminisse decori uidetur, qui ex autore, ni fallor, Bonauentura, fingebat uirginem matrem à filio petijsse, ne subiret mortem: quumq; ille respondisset, secus esse decretum à patre, adiecit illa, saltem eligeret mortem minus crudelem, minusq; ignominiosam q̃ erat crux. Responsum est, tantam esse peccatorum enormitatem, ut alia morte dilui non possent. Virgo hic quoq; repulsam passa, saltem inquit, uerte me in lapidem, quo tantæ calamitatis sensu caream. In hac fictione quantum sit absurditatis, ne dicam blasphemiæ, non est opus indicare. Res ipsa seipsam loquitur. Ipse hæc inuitus commemoro, nec in aliud commemoro nisi ut uitentur. *Sermocinatio*

Significatio, quæ aut emphasis est, aut ἐμφάνωσις species, quoniam plus indicat auditorum cogitationi, q̃ uerbis exprimit, plurimum adfert iucunditatis orationi, nonnunquam & dignitatis acrimoniæq; non parũ. Ea fit uarijs modis. Per hyperbolen, de qua diximus, ut de prodigo: Iste de tam amplo patrimonio sibi ne testam quidẽ, qua petat ignem, reliquã fecit. Per ambiguum. Vt Cicero rogatus quando fuisset occisus Clodius: Respondit, sero. Ancipiti uerbo subin- *Significatio*

dicans tam pestilentem reipub. ciuem multo ante fuisse tollendum. Per reticentiã, de quã dictum est. Vt Fabius de pueris in maiorum gremio sedentibus, negat se uelle, quid timeat dicere. Nimium est, inquit, quod intelligitur. Per consequentiam, quum ex posterioribus intelliguntur priora. Vt, huius pater sese cubito solet emũgere. Intelligimus fuisse salsamentarium. Per similitudinem. Vt, Dionysius Corinthi, quum recte monemus, ne princeps ita se gerat, ut regno exigatur. Tale est illud Hieronymi ad Augustinum. Memento Daretis & Entelli. Rursus, Bos lassus fortius figit pedem. Huc faciũt pleraq; prouerbia, quæ ad ænigmatis naturam accedunt. Quale est, Noctua uolauit, quum significamus incõsulte instituta feliciter cessisse. Et, sub omni lapide dormit scorpius, quum significamus nihil esse tutum ob latentes insidias. Per occultationẽ, ut apud Ouidium: Myrrha recte nutrici confitetur amorem patris: O felicem coniuge matrẽ. Simile est illud in Hippolyto Senecæ, dum Phædra recusat nomen matris ut superbũ, mauultq; uel soror, uel famula uocari, sed famula potius. Huius schematis usus interdum cõueniet Ecclesiastæ, uel quum tutum non est rem aperte proloqui, uel quum id prohibet pudor.

Sententiarum genera.

Eas duntaxat figuras recensuimus, quæ uisæ sunt concionatoribus Euangelicis cõuenire. Supereſt sententia Græcis γνώμη, quæ commoda breuitate demonstrat quid in uita sit agendum, aut quid fieri soleat. Variatur hoc genus per omnes figuras, & si in loco apteq; interserantur uelut emblemata seu gemmæ potius, multiplicem commoditatem adferunt orationi, fidem & autoritatem, dignitatem, iucunditatem & acrimoniã. Cauendum tamẽ, ne nimium sint crebræ: honestior enim uestis est gemmis distincta, q̃ tota gemmis operta, præterea ne futiles sint aut stultæ, ne palã falsæ, ne quouis loco intulciantur. Futiles appello, quæ nec sensus argutia, nec ullius schematis gratia commendantur. Audiui quendam sub festum conceptæ uirginis sic adhortantem ad ieiunium. Quidam, inquit, aiunt Ecclesiam hodie nulli indicere ieiunium. Istuc fateor esse uerum, sed qui non eget fauore cauponariæ, non est necesse ut ieiunet, Hæc sententia multis uitijs laborat, simul & futilis sordidaq;, & stulta & falsa: Palàm falsas, uelut magnorum fluminum etiam fontes sunt nauigabiles. Aut nunquam ex probo nati sunt improbi liberi. Iam ut magni refert, quas gemmas, quo loco inseras, ita plurimum interest, quod sententiæ genus ubi intertexas. Vitandũ & illud, ne præter decorum adhibeantur. Absurdum enim fuerit, si quis adolescentulo, aut lenoni graues attribuat sententias, aut in re ludicra leuiq́ue stoicorum adhibeat paradoxa.

Quisquis sententias dicit, quodãmodo præcipit, ac leges præscribit. Ea res magis congruit personis autoritate præditis. Sed longe magis mouẽt, aut plus habent grauitatis, si è probatis ac celebribus autoribus proferantur. Velut è libris canonicis, è scriptis philosophorum, aut illustrium ecclesiæ doctorum, aut è sermone hominum, qui prudentia ac uirtute claruerũt. Quod si quando inciderit, ut improbatę personæ dicto uelimus uti, uelut tyranni, scorti, aut histrionis, aut tractatione commendabimus, quemadmodum solemus in exemplis facere, aut argute quidem, sed improbe dictum ad sensum cõmodiorem detorquebimus. Prioris exemplũ hoc esto, si detesteris auaritiã, cõueniet illud Publianũ: Tam deest auaro quod habet, q̃ quod nõ habet. Sic ergo cõmendabitur. non refert è cuius ore sonet ueritas, ubicunque ea est, illius est qui dicit, Ego sum uia, ueritas, & uita. Ethnicus erat, mimus erat qui scripsit, sed dictũ est quouis Christiano, quouis Apostolo dignum. Item si adhorteris ad liberalitatem in pios, sed egenos, congruet illud eiusdẽ Mimi. Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Alterius exemplũ illud esto. Hortanti ad fiduciam de Christi promissis, conueniet illud, Ego spem precio non emo. Lenonis dictũ est, sed cui res erat cum malæ fidei pollicitatoribus, Nobis tutum est spem precio emere, quoniam sponsorem habemus, qui seipsum abnegare nõ potest. Autoritatem habent & uulgo iactata, præsertim si accedat uetustas. Nisi enim illa uera essent, nõ uno omniũ ore celebrarẽtur, nec tot seculis animos hominũ occupassent. Porrò quũ sit infinita sententiarũ uarietas, aliquot species referã, sed præcipuas. Est sentẽtię genus quod uniuersale uocant, nullis circũstantijs implicitũ. Vt, omnes sibi melius esse malũt q̃ alijs. Est ad rem siue personã relatum. Ad rem, ut, Nihil est tam populare q̃ bonitas. Ad personã: Princeps qui uult omnia cognoscere, necesse habet multa ignoscere, Simplex est cui nihil admiscetur. Vt, Nihil tenacius hęret, quàm quòd pueri didicimus. Si admisceas rationem, fit per-

tectum

factum enthymema. Vt, quoniam tenera ætas nondum uitijs prauisq; cupiditatibus occupata est, tenacius hęret quod pueri didicimus. Item. Nō est fidēdum percōtatori, quia garrulus idē. Est gemina. Vt, obsequiū amicos, ueritas odium parit. Obsequiū & ueritas, amicos & odiū, uoces inter se cōtrariæ sunt. Duo tamē proloquia inter se nō pugnāt. Obsequium parit amicos, ueritas parit odiū. Laudatur genus quod conficitur ex duabus sententijs diuersis. Quale est illud ex tragœdia Vari. Mors misera nō est, aditus ad mortem est miser. Mors & aditus ad mortē nō sunt cōtraria, sed diuersa. Iam est sententia recta, nihil habens tropi aut alterius schematis. Vt, amico fideli nihil est quod possit cōparari. Est cui gratiā auget additus tropus aut figura. Velut per interrogationē. Vsq; adeo ne mori miserū est? Acrius hoc q̄ si dixisset. Mors non est misera. Tale est & illud ex Ouidij Medea: Seruare potui, perdere an possim rogas? Est quæ transfertur ad personā certā, ut iam sententiæ faciē amittat. Velut illud Ciceronis: Nihil habet Cęsar tua fortuna maius, q̄ ut possis, nec natura melius, quàm ut uelis seruare quàm plurimos. Est sententia quàm uocant epiphonema. Ea est rei narratæ aut probatæ summa acclamatio. Quæ si commode accinatur, multum habet aculeorum. Narrationi accinitur illud apud Maronem: *Epiphonema*

Tantæ molis erat, Romanam condere gentem.

Probatæ rei, ut illud M. Tullij, Quorū igitur impunitas Cæsar, tuæ clemētiæ laus est, eorū te ipsorū ad crudelitatē acuet oratio? An nō statim quod epiphonema est, idem & sententia est. Certe quod ex Virgilio prolatū est, sententia non est, nisi intelligas magna imperia, à magnis difficultatibus habere exordia. Hoc genus affectari cœpit in declamationib. applausus gratia: hinc demigrauit in forum, tandem in omnia studia, ut iam post rem denarratam, aut probatā, auditor aut lector expectaret aliquod argutū epiphonema cui applauderet. Hinc factum est, ut quum hæc figura rara sit apud Ciceronem, & eiusdē ætatis eloquentes, crebro tamen reperiatur in Hieronymo, Ambrosio & Gregorio. Velut de hoc Petro, qui dixit: Ecce relinquimus omnia. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit. Quin & uulgares rhetoristæ senserunt hoc decus, qui interdū uersibus certo numero cōprehensis, pro clausula accinunt breuē & argutā sentētiam. Velut in rythmis, quos Gallus quispiā addidit in choream mortis. Conuenientius adhibetur in epilogis, in quibus quæ præcipua sunt in toto argumento, infiguntur auditorū animis. Apte tamē & singulis partibus adhibetur interdum. Veluti si quis detestatus periuriū, sic acclamet: Deum negat quisquis per illū peierat. aut dehortatus à temere iurando, sic accinat, Qui sine causa assueuit iurare, is & peierabit, si qua inuitet causa. aut si insectatus uitium ebrietatis hoc modo claudat, Cui placet ebrietas, placeat & insania. Itē, qui humanitatis putat, amicum porrectis poculis ad temulentiā adigere, idem humanitatē appellet, amico dementiæ uerro cōprehensis, pro clausula accinunt breuē & argutā sentētiam. Velut in rythmis, quos Gallus quispiā addidit in choream mortis. Conuenientius adhibetur in epilogis, in quibus quæ præcipua sunt in toto argumento, infiguntur auditorū animis. Apte tamē & singulis partibus adhibetur interdum. Veluti si quis detestatus periuriū, sic acclamet: Deum negat quisquis per illū peierat. aut dehortatus à temere iurando, sic accinat, Qui sine causa assueuit iurare, is & peierabit, si qua inuitet causa. aut si insectatus uitium ebrietatis hoc modo claudat, Cui placet ebrietas, placeat & insania. Itē, qui humanitatis putat, amicum porrectis poculis ad temulentiā adigere, idem humanitatē appellet, amico dementiæ uerrenū dare. Similiter adhortationē ad liberalitatē in egenos, ita licebit claudere, Qui pauperem subleuat, Christum demeretur nō hominē. Aut ita, Nō donat homini, sed deo fœnerat, quisquis opitulatur egeno. Cæterum ut gratiam habet, si commode incidat, ita frequentia, & affectatio tædium adfert, & quod est grauius fidem abrogat dicenti. Iam fieri non potest, ut qui ad singulas narrationis aut probationis partes conetur ὠ φωνεῖν, non aliquando frigidas recipiat clausulas.

Est aliud sententiæ genus quod Græci νόημα uocant, nos intellectum dicere possumus, quum tecte significamus, quod auditor ex sese diuinet. Exemplum adferā ex declamatione. Soror fratri, quem sæpius è ludo gladiatorio redemerat, dormienti præcidit pollicem. Ille cum sorore agit iniuriarum. Pro sorore itaq; dicitur iuueni, Dignus eras qui integram haberes manum. Hic sermo uidetur esse cōmiserantis, quum exprobret potius seruile ingenium, qui totius frustra redemptus, tandem pollice mutilatus ne posset esse gladiator, tamen cum benuola sorore agat iniuriarum. Qui tali ingenio sunt, digni sunt qui depugnent in harena. Sed hæc species non uideo qui possit esse usui Ecclesiastæ, quemadmodum aliquot alię, quas à Fabio commemoratas ob id sciens prętereo. Nisi forte quum dicendum est de flagitio, quod honeste nominari nō possit, sed auditorum cognitioni relinquitur. Quale est illud Hieronymi de Fabiola, Puella nobilis pati cogebatur, quod nulla ancilla pateretur: uicinia loquebatur, ipsa tacebat. Ex his facile diuinat auditor non stupidus, quid Hieronymus uoluerit intelligi. *Noema*

In diuinis literis frequenter occurrunt sententiæ geminatæ, uel subiecta ratione, de

quo genere diximus,uel similitudine,uel comparatione,uel contrario,uel diuerso,uel affini,uel eadē alijs uerbis repetita. Similitudine. Sicut aqua extinguit ignem,ita eleemosyna extinguit peccatum: Comparatione,ut,Precium scorti uix unius est panis,sed pretiosam uiri animam rapit. Item. Est aurum & multitudo gemmarum,uas autem pretiosum labia scientiæ. Contrario,ut,Stultus ut luna mutatur,Sapiens autem permanet ut sol. Item animus gaudens floridam ætatem facit,spiritus tristus exiccat ossa. Diuerso,ut, Peccare humanum est, sed in peccato perseuerare, diabolicum est. Affini,ut, Iustus ut palma florebit,quasi cedrus Libani multiplicabitur. Eadem,ut,os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. His fere rationibus pleræq; sententiæ duplicātur in libris canonicis. Græci quod sic accinitur ad alterius imitationem, παῳδὴν appellant,uoce hinc ducta,quod olim in Cāticis aliquid accini consueuit ad prioris modulationis imitationē. Ismos deinde transiit ad poetas & oratores. Quanq; in Comœdijs diuerbia certis modis recinebantur,quo magis infigerentur animis auditorum. Constat aūt apud Hebræos pluri mū fuisse musices usum. Ad multas quidam cōmoditates,ut dixi,conducunt sententiæ,si graues argutæ & elegantes in loco intertexantur.

Metaphora Restat metaphora,quæ principatum tenet inter omnes orationis uirtutes. Nulla persuadet efficacius,nulla rem euidentius ponit ob oculos, nulla potentius mouet affectus, nulla plus adfert dignitatis,uenustatis aut iucunditatis, aut etiam copiæ, de qua nunc dicendum est,si prius admonuerimus,exempla magnam habere uim,& ad persuadēdum, *Exempla* & ad inflammandos animos æmulatione uirtutis. Cum primis autem ea mouēt,quæ ducuntur ab ijs,quorum est irrefutabilis autoritas, quæ sic summa est in Christo, ut pene sit sola. Neq; enim quicquid à patriarchis aut prophetis gestum est in ueteri testamento,aut à sanctis in nouo,protinus ad uiuendi regulam trahendum est, nisi quod de illis narratur sit indubitatæ ueritatis,aut ab ipsa scriptura cōprobetur. Veluti quod Dauid urgente necessitate comedit sacros panes,quos Hebræi propositionis appellant. Magis item mouēt domestica & imparia. Id autem arte efficiēdum est,ut omnia nobis domestica uideantur, quę sacris uoluminibus prodita sunt. Vna enim est omnium piorum ciuitas ac domus,et nobis illa gesta sunt,nobis prodita literis, Imparia sunt quæ ducuntur ab ethnicis,à ueteris testamenti cultoribus ad Euangelij discipulos,à fœminis ad uiros, à pueris ad senes,à laicis ad sacerdotes & monachos,à patrefamilias ad principem,à milite ad theologum.

Petuntur autem ab animantibus brutis, quæ naturæ ductu plurimas habent uirtutum imagines. Veluti quod columbæ uiso miluo cōdensant sese,sicut boues et equi uiso lupo, ipso facto nos admonentes firmissimū præsidium esse in concordia. Item,quod elephanti non sinunt iuniores uagari absq; pędagogo,quodq; nō coeūt,nisi in locis semotis ac solitarijs. Quod columbæ seruant fidem coniugij. Turtures etiam à digamia abhorreant amisso compare. Præterea quod pleraq; animantia non ineunt, nisi certis anni temporibus,quodq; nec mares appetant grauidas,nec grauidæ mares admittant, atq; his similia innumera. Quin & à plantis, ab elementis,à corporibus cœlestibus uirtutum exempla petere licebit. Velut ordinis,concordiæ,obedientiæ,quod leges à deo præscriptas nunquā uiolent,quod munia à cōditore delegata constanter obeant. Sed hęc fortasis alicui magis uidebuntur ad similitudines pertinere. Illud artis est, ut exēpla quæ per se sunt imparia,per amplificationem ac diminutionem magis imparia uideantur. Id fit collatis omnibus circunstantijs. Veluti si sacerdotes ad continentiam exhorteris, Primus gradus est in sexu: Agnes & Cæcilia fœminæ erant. alter in ætate,puellæ erāt. Tertius ab habitu corporis,egregia forma. Quartus in educatione & fortuna,è claris & diuitibus prognatæ,in delicijs educatæ. Quintus in conditione,liberæ erāt,nullis astrictæ uotis. Sextus in uarijs circunstantijs,ut à parentibus ad matrimoniū urgebantur,à procis egregijs expetebātur, nec ullis tamen machinis expugnari poterant,ut uirginitatē licito etiam matrimonio cōmutarent. Et isti uiri,quidam etiā prouectæ ætatis, in literis ac monasterijs educati,uotis astricti,dehortantibus amicis,propositā infamia non leui,clamant se non posse cōtinere, sed aut arripiunt uxores,aut alunt concubinas. aut quod est omnium sceleratissimum,uago concubitu contaminant omnia. Est & illud artis, efficere imparia quæ paria sunt: aut quod est maius,imparia in diuersum uertere,hoc est,ex minore maius, ex maiore minus facere. Verbi causa ponamus esse paria,quod Petrus ter abiurauit dominū, & quod nūc quidā

quidam deficiunt ad Iudæos, Turcas aut hæreticos. Hæc fiunt imparia per circũstantias. Petrus abnegauit, sed nihil aliud q̃ Iudæus: nondum nouerat Christum, nisi uelut in somnis, nondum hauserat cœlestem spiritum: & abiurauit subito terrore perculsus, & abiurauit tantum, non professus est sectam Christo inimicam, non obtrectauit domino suo. Denicq̃ sui compos non erat quum abiuraret. Mox ad se reuersus est, fleuit amare. Sed quanto tu sceleratior, qui nullo cogente metu, tua sponte, post haustum in baptismo spiritum, post gustatum uerbum dei bonum, destinato cõsilio deficis ad hostes, non Christi tantũ, sed totius nominis Christiani. Et illic hęres, illic æquo animo audis blasphemias in deũ et dominũ tuum: quin & ipse non temperas à conuitijs, rursus illum suffixurus in crucẽ si liceret. Nec post tot annos ad te redis, sed exultas in malicia tua etc. Inuersio fiet hoc modo. Maior impietas uidetur quod Iudas uendidit prodiditq̃ dominũ, q̃ si pontifex aut sacerdos uendat sacramenta, aut Euangelium prædicet insyncere. Sed propius intuenti maioris impietatis est quod nos facimus. Illi nondum erat notus Christus, quemadmodum notus est nobis. Nondum pro illo mortuus erat, nondum resurrectione inclaruerat, nondum miserat spiritum sanctum. Nec Iudas hoc animo uendidit Christum, ut occideretur, sed sperabat elapsurũ, quẽadmodum aliquoties se subduxerat. Argumẽto est, quod mox ut uidit captum, confessus est apud emptores se prodidisse sanguinem innoxium, abiecit denarios, abijt ac suspendit seipsum. Felix si Christo fuisset confessus, quod Iudæis cõfessus est, & ad lachrymas ac misericordiã potius q̃ ad laqueũ cõfugisset. Et tamen quod Iudas fecit, cessit in salutem totius orbis. Sic erat decretũ, sic Christus uoluit, sic erat necesse fieri. At quãto Iudam anteeunt impietate, qui Christum iam orbi notum, iam in cœlis regnantem interimunt, adulterantes dei uerbum, per quod reuiuiscunt animę, fidẽ sine qua nulla cuiq̃ est salus, corrumpẽtes, charitatem quam ille uoluit in animis hominum accendi, extinguentes. Et quum hæc assidue faciant, tamen non sibi displicent ut Iudas, non agnoscunt crimen suum, sed ex impijs factis laudem etiam quærunt. Christum uere produnt, qui id perdunt, cuius gratia Christus mortuus est.

Ab exemplis fabulosis, quanq̃ & his ratione quadam utuntur oratores, Ecclesiastę in totum abstinendum censeo, duntaxat apud promiscuã multitudinem. Video quidem fuisse morem nostra memoria, ut concionatores narrationibus quibusdam uterentur sub orationis finem, quæ uideri poterant studio cõfictæ ad terrorem incutiendum rudibus & obduratis, aut ut rem alioqui frugiferam persuaderent. Veluti de quibusdã impie uiuentibus, qui à dæmonibus abrepti sunt: aut de archidiacono, qui quũ audisset in tẽplo recitari, Qui se humiliat exaltabitur, falsum est, inquit, si me deiecissem, huc dignitatis nunquã emersissem. Mox fulmen cœlitus immissum, & blasphemã linguã & uitã abstulit. Simile est de lena, cui diabolus pollicitus est par calceorũ, si quendã uirum sanctũ, quẽ ipso multo tempore tentauerat frustra, ad incõtinentię lapsum pertraheret. Lena perfecit ac petijt mercedẽ ex pacto. At dæmon illi calceos longæ hastæ præfixos porrexit ultra fluuium, ipso facto confitens eã mulierẽ esse tam sceleratam, ut ipsis etiam dæmonibus esset abominanda. Non referã plures formas, hæc dixisse satis est, ut lector intelligat quid sentiam. *Exempla fabulosa*

Et in his sunt quædã ab autoribus haudquaquam leuibus prodita, & ita ueri similia, ut uera credi possint: rursum quædam adeo arguta appositaq̃, ut etiam si conficta sint, pro ueris aut certe probabilibus referri debeant. Nam quæ pro confictis narrantur, quoniam fide carent, aut frigent, aut ridentur etiam, nisi abeant in naturã parabolarum. Totum autem hoc genus exemplorum parcius, & cum delectu adhibendum, præsertim apud eruditos. Tantum de exemplis hic admonuisse satis est, Nam de his & supra in hoc opere, & in alijs meis lucubrationibus satis multa diximus.

Nunc ad metaphoram, & hinc deriuatas figuras redeo. Metaphora ipso nomine declarat quid efficiat. Transfert enim uerbũ à propria significatione per similitudinem ad alienam alicuius cõmoditatis gratia. Veluti quũ hominẽ ira cõmotum dicimus excanduisse aut exarsisse, quod ab igni translatũ est ad animũ, aut adolescentiã deferbuisse, aut despumasse, q̃d ab ollis ductũ est, initio exundantib. ac spumã reiectantib. Metaphorę similima est catachresis, Latinis abusio: hoc tantũ interest, q̃ in metaphora, quum uox sit propria, tamẽ translatícia malumus uti, quod hęc ad efficiendũ quod uolumus sit cõmodior. Vt qui dicit, animũ sapiẽtis adamantinũ, dicere poterat constantẽ & immobilem. At qui *Similia* *Catachresis*

gemmas

gemmas dicit in uitibus, aut luxuriem in herbis, lęticiam in segetibus, abutituruoce translaticia, quoniam propria deest.

Allegoria Quod si totus sermo constat translaticijs sit allegoria, hinc dicta quod aliud loquatur, aliud intelligi uelit. Qualis est tota oda Flacci cuius initiū, O nauis referēt in mare te noui Fluctus &c. Similitudo uero, siue collatio, est explicata metaphora. Veluti demēs sit, qui remp. conetur subuertere, qua perdita ipse incolumis esse non possit: simplex est sermo, quia propriis constat uerbis. At si dicas: manifestæ dementiæ sit, remp. uelle demergere, qua demersa ipsi quoq; sit naufragio pereundū, Metaphora est, quia propriis translaticia sunt admixta. Sin ita loquaris, patriæ pernicię molienti: Tu quid nauem in qua ueheris, studes pertundere, qua demersa tibi quoq; cōmuni naufragio pereundum sit? Allegoria est. Rursus si dicas: Quemadmodum demens haberetur, qui nauem pertunderet, in qua ueheretur ipse: ita extremæ stultitiæ sit, remp. in qua uiuis uelle perdere, qua perdita tu

Imago non possis esse incolumis. Collatio est. Imago minimum differt à similitudine, quum sit similitudinis species. Nam similitudo adhibetur ad ornatum, ad uoluptatem, ad persuadendū, ad euidentiam, ad grauitatem, et ab omni genere rerum ascisćitur. Imago tantū ab animantis forma ducitur, & ad rem uel amplificandam, uel oculis subijciendam facit: ut si hominem rapacem ac uirulentum depingas: similem iubato draconi, qui oculis ardentibus, dentibus acutis, unguibus aduncis, hiante rictu per omnia uolitet, circumspiciens si quem reperiat, cui possit aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dilacerare dentibus, lingua aspergere, unguibus dilacerare.

Effictio Effictio species est hypotyposeos, quæ non ab alia forma petit similitudinē, sed ipsam hominis formam pictura quadā ponit ob oculos, appositę ad id quod agit, siue uelit inuisum reddere, siue suspiciendum. Veluti, An non uobis uidetur natura, mentis turpissimæ imaginē in ipso corpore depinxisse. Caput turbinatū, oculi strabi, nasus aduncus, os uiperinū, lingua hæsitans, uox gallinacei, gibbus à tergo propemodum capite altior, uenter prominens, crura distorta, pedes utroq; claudicātes etc. Porro quot modis adhibetur similitudo, et à quot rerū generibus petitur, quoniā abunde traditū est à Quintiliano rhetorū omnium diligentissimo, & à me quoq; in commentarijs de Copia, non hic uulgata protritaq; repetam. Illud tantum admonebo, curandum ut similitudo quadret ad id cui adhibetur, ne sit sordida aut obscœna, ne accersatur à rebus ignotis populo cui loquimur, nisi natura rei sit tam insignis, ut hoc etiam ipsum discere sit operæpretium, ne dura & affectata, ne talis ut statim in diuersum torqueri possit. Hoc schemate scatet undiq; scriptura diuina, præcipue sermones Euangelici, quæ tamen fere non sumuntur, nisi à rebus uulgo notissimis. Inter Ecclesiæ doctores nullus largius utitur hac figura, q̄ Ioannes Chrysostomus.

Similitudo frequens in literis sacris

Similitudo siue quod Cicero mauult, Collatio hac nota differt, & ab imagine, & ab effictione, quod præter alias uirtutes frequenter, nō dilutā habet ratiocinandi uim: ueluti quoties quod aduersarius adfert, ad aliquid simile transferimus, in quo demonstratur euidens absurditas. Arianus sic argumentatur. Pater utrū gignit uolens an nolens: Si nolens, non est deus: si uolens, utiq; uerbū est filius uoluntatis, non naturæ. Hoc simili retunditur. Tuus pater utrū uolens an nolēs genuit? utiq; uolēs. Igitur nō naturæ, sed uolūtatis es filius. Atqui hoc manifestam habet absurditatem. Rursus quod adferūt, Quod gignit, prius oportet sit genito. Pater igitur est filio antiquior, ita cōfutatur. Vtrum est antiquius sol, an radius à sole promanans? Quod ibi uideri poterat probabile, hic apparet egregiē stultū. Similiter quum ita ratiocinātur, Genitum & ingenitū inter se pugnāt, sed pater solus dicitur ingenitus, proinde nō est eiusdē naturæ cum filio, itaq; nec deus: simili repelluntur. Primus homo non est genitus, sed ex argilla factus, nō est igitur eiusdem naturæ cum cæteris hominibus qui nascuntur. Vnde cōsequitur aut ipsum falso dictum hominem, aut cętetos qui progignuntur è parentibus, non esse uocandos homines. Quo nihil absurdius. Itidē quū filium excludunt à consortio diuinæ naturę uerbis Euangelij. Vt cognoscant te solum uerum deum, & quē misisti Iesum Christum; Si solus, inquiunt, pater uerus deus est, quo ore filius prædicatur deus? Repelluntur testimonio Baruch 3. Hic est deus noster, et nō ęstimabitur alius ad illū. Id porrò de filio dici declarat id quod sequitur, Post hæc in terris uisus est, & cū hominibus cōuersatus est. Similia sunt, Solus hic est deus, & nō est alius, quæ uerba si urgeamus, solus filius erit deus, excluso patre & spiritu

Solus quid excludat

sancto

sancto. Hoc argumentationis genere sæpe feliciter utitur Gregorius Theologus & Hilarius: Exemplis congerendis supersedeo, præsertim quod hoc loco admonemus alienio re, quia prius non ueniebat in mentem.

Orationis uarius habitus

Pro qualitate similitudinis uariabitur orationis character. Iucundus erit, si à rebus iucundis ducetur, grandis si à rebus sublimibus, acris si à rebus terribilibus, mediocris si à rebus mediocribus, humilis, si ab humilibus.

Iucundę dictionis exemplum erit, Quemadmodum blandis flatibus aspirante Fauonio, squalor & tristitia hyemis depellitur, omnisq; naturę facies ueluti noua iuuenta repubescit, arbores nouis ornantur frondibus, gramina blande uirentia uarijs florum luminibus distinguuntur, amnes labuntur amœnius, sol ipse totaq; cœli species mitiore aspectu delectat oculos: ita simul atq; hominis animum afflauerit diuini spiritus gratia, protinus abit uitæ prioris deformitas, pro uitijsq; omnis uita decoris uirtutibus enitescit: dicas eũ feliciter renatum. Grandis illud. Sicuti deus quum nullius egeat, tamen suapte natura gaudet omnibus benefacere: ita qui deum patrem appellant, debent gratis de omnibus, quod in ipsis est, benemereri. Acris hoc. Expallescis ad afflatũ aut morsum uiperæ, & ad medicũ curris? Quanto magis horrenda turpitudo, quæ uenenum habet omnibus uiperis præsentius, quantoq; celerius quærenda medicina?

Mediocris hoc, Quemadmodum qui iuxta Hesiodi consilium crebro parua paruis addunt, tandem euadunt diuites: ita qui in uirtutibus semper ad meliora proficit, tandẽ perfectus euadit. Humilis siue submissæ illud. Quemadmodũ mendici si quid habent boni cœlant, sed pannos & ulcera ostendunt, quo spectãtium benignitatem prouocent, Sic nos oportet non iactare nostra benefacta apud deum, sed mala nostra profiteri, si uelimus illius in nos misericordiam prolicere.

Schematibus quõ utendum

Iam præter illos tres orationis characteres, quos rhetores commemorant, & quorum Augustinus aliquot exempla profert, tum è canonicis libris, tum è doctoribus ecclesiasticis, sunt complures aliæ differentiæ. Est acris & mollis, est ardens & placida, est austera & florida, est dulcis & amarulenta, est elaborata & simplex, est dilucida & inuoluta, est recta & obliqua, est fusa et in cõpendiũ contracta. Ergo posteaq; Ecclesiastici muneris candidatus hæc quæ de amplificationib. & schematib. cõmemorauimus in promptu ac uelut in numerato habuerit, hac ratione poterit ad usum accommodare. Thematis quod sibi sumpsit explicandum omnes partes diligenter circunspiciat, facile deprehensurus quæ splendorẽ, quę uehementiã, quę iucunditatẽ, aliasue dictionis notas recipiãt. Mox ad singulas uirtutes artis præsidia accõmodabit. Hoc exemplo demonstrare perlongũ sit. Aliquod tamen qualecunq; simulachrum proponã, unde reliqua cõijciat lector ingeniosus.

Exempla per schemata tradandi argumentum

Sit argumentũ concionis paralyticus ille Matthæi nono. Lucæ quinto. Primum si res gesta commode narretur, multum delectationis ac perspicuitatis habebit oratio, nonnihil etiam affectuum. In ipso statim exordio offert sese locus cõmunis, de admirabili bonitate domini Iesu, cuius tota uita nihil aliud erat, quàm in omnes homines exposita beneficentia. Reperies quibus ultro cõtulerit beneficium, uelut ei qui manum habebat aridam. Non reperies cui petenti negarit opem. Adeo erat inexhausta bonitas, & inde fatigabilis charitas. Subinde commutat locum, at non immutat benefaciendi studium. Obambulat non animi gratia, sed ut latius diffundat suam benignitatem. Aut docet, aut consolatur, aut uiuificat, aut sanat, aut pascit, aut liberat, aut secedit oraturus. Docendo medetur animis, sanando morbis insanabilibus, reliquisq; miraculis, fidem astruit suę doctrinę, gratis omnia. Et quum secedit, nobis secedit, nobis orat, pro nobis gratias agit patri. Nec ab ullo discedit loco, quin ibi relinquat & suæ charitatis monumẽta, & Euãgelicę philosophię semina, & honestæ opinionis fragrantiã, & paternæ gloriæ materiã. In Iesu igitur ueriss imum erat, quod ab Ethnico quodã dictũ est, deus est iuuare mortales. Erat, inquit Lucas, uirtus ad sanandũ omnes. Erat ipsa uirtus non ad lædendũ, sed ad iuuandum, nõ hos aut illos: nec eñ est exceptio personarum apud deum, sed simpliciter omnes. Erat illi naturale cunctis benefacere. Quocunq; circũferas ignẽ, calfacit. Vbicunq; sol est lucet, Quacunq; dilabitur aqua rigat. Vbicunq; diffunditur unguentum, spargit odoris gratiam. Seruator erat, nihil aliud cupiebat, nihil aliud poterat nisi seruare. Si quis perit, suo uitio perit. Talẽ decebat esse uitam eorũ, qui se Christi uicarios profitẽtur, & sunt. Recedit igitur à crassis

Locus cõmunis de bonitate Iesu

Metaphorã

Sententiæ

Gera-

Contraria Gerasenis,rogatus ut abiret à finibus ipsorum,qui magis timebant potentem,q̃ amabãt benignum,ac uehementius commouebantur iactura porcorum, q̃ delectabantur salute hominum.Nec his tamen tam crassis indignatur mansuetissimus seruator,tãtum abscedit,& rursus transmisso lacu redit in ciuitatem suam,Capernaum,nõ quod illic natus esset,sed quod ibi tum temporis perpetuum haberet domicilium,alioqui Bethlehem natus erat,Nazareth educatus.Ciuitas erat Galilææ,unde & pro Galilæo est habitus, littoralis,apta negociatorib.& quod diuitias comitari solet,luxu diffluens,ac fastu turgida.Hęc est enim in quam alibi clamat:Et tu Capernaũ,nunquid usq; ad cœlum exaltaberis? usq; ad infernum detraheris.Apud hos tamen corruptissimos non dedignatus est habere domicilium agnus ille mansuetissimus,qui uenerat non ut uocaret iustos,sed peccatores in uitaret ad pœnitentiã.Quærit miseros ille misericors,quærit ægrotos tam amicus medicus.Solus absq; fastidio uersatur inter peccatores,qui solus erat ab omni peccati cõtagio immunis.Docebat in domo quadam sedens.Apparet domum fuisse plebeiã quæ nomen non habet, nec sella quicquam habebat insigne, quum hisce temporibus Rabini quidam Christo multum dissimiles,non nisi in templis dicant è sublimi suggesto,quod bysinum aut aureũ peristroma honoris gratia prætegat.Non improbo studium illorũ, qui hoc honoris deferunt doctoribus,sed improbandi sunt qui affectant.Cæterũ ubicunq; Christus est,ibi sacra basilica est,ubicunq; sedet,siue in colle quopiam gramineo,siue in sordida naucula,siue in conuiuio,ibi sublimis cathedra est cœlestis philosophiæ.Hic locus est communis quomodo deceat Ecclesiasten in omni loco de Christo loqui, nõ in tẽplo tantum. Primum docet.Deinde sanat paralyticũ.Potior hominis pars est animus Hæc igitur merito priorem curam sibi uindicat.Oratione medetur animis,quorum morbi longe periculosiores sunt q̃ corporũ. Vbiq; dominus ultrò docet,miracula non ædit, nisi per occasionem, ac ferè rogatus. Nec enim in aliud adhibentur illa, nisi ut dictis fidẽ & autoritatem concilient apud incredulos, Et ecce inter loquendum præsto est exercendæ uirtutis materia.Paralyticus grabato affixus à baiulis aliquot defertur, qui nihil addubitãt,quin dominus & possit salutẽ dare, cui nullũ morbi genus immedicabile, quin & uelit,si modo sub oculos misericordis ueniat miserandæ calamitatis spectaculum: Sed differta turba fores obsidens,non dat aditũ misero: Quis enim patiatur diuelli ab oratore tam facundo? Tanta aũditus hominum affluxerat,ut domo plena,plurimi ad fores ac fenestras inhiarent sermoni Iesu. Tam ardentes animos oportet adferre Christianos ad Ecclesiasticam concionem.Non est ibi Christus qui docet,sed Christi uerbum est quod docet, & spiritus Christi loquitur per os hominis.Quid interim excluſi baiuli? Non sinunt eam occasionem elabi è manibus.Rem iuxta mundum impudentem moliuntur: sed iuxta Græcorũ prouerbia,inutilis est pudor uiro egeno.Et hic locus communis incidit,de his quos pudor deterret à cõfessione criminũ.Felix impudentia est quę per fidem impetrat totius hominis salutem.Exemplum simile est de muliere peccatrice, quæ non erubuit passis capillis in pharisaicum conuiuium irrumpere inuocata. Magno conatu sarcinam suã in tectum domus subuehunt. Verisimile est enim eam domum nullas habuisse contignationes, nec tectum nostratibus simile,sed planius,in quo liceat ambulare:quod genus ędificia nõnulla uidentur adhuc apud Italos & Hispanos:ac nudata tecti parte, pensilẽ paralyticũ cum suo grabato demittunt ad pedes Iesu.Roget aliquis,quin expectabant finem concionis? Sciebãt dominum undiq; à multis appellari,nec usquam procedere,nisi densissima uallatum turba:se uero cum sua sarcina parum expeditos ad consequendum aut per turbam penetrandum ad Iesum.Hic amplificanda est admirabilis domini mansuetudo.nõ indignatur sermonem suum funesto spectaculo interrumpi,nõ incusat improbitatẽ baiulorum,sed fidu

Subiectio ciam approbat.Vt uidit,inquit Euangelista, fidem illorum. Quid? An nõ uidebat fidem illorũ prius q̃ paralyticũ demitterẽt? Plane uidit.Quid eñ nõ uidet ille cuius oculis occultissima cordiũ sunt conspicua. Sed humano more Euangelista de Christo loquens, tũ ait illum uidisse,posteaq; omnibus factum est perspicuum.Sic deus in Genesi:Nunc cognoui quod timeas dominũ.Poterat dominus & foris manenti paralytico salutem dare. Sed hoc dispensatione factum est,ut excluſus paralyticus, ac demum per tegulas in domum demissus, illi theatro perspicuum faceret, quantum apud deum ualeat fides nihil hæsitans, simulq; declararet in Christo diuinam esse naturam. Conuenerat enim numerosa

multitu

multitudo, non tantum ab omnibus castellis Galilææ, uerum etiam ex oppidis Iudææ, atq; adeo ab ipsis Hierosolymis, nec iam plebeia turba tantum, sed pharisæi quoq; & legis doctores. Atq; hic locus insignis incidet, quantam uim habeat fides, posteaquam baiulorum fides adeo fuit grata Christo, ut ob eam salutem dederit misero. Nam de fide paralytici nihil expressum habemus. Solet enim is morbus & animi stupore inducere. Habebant autem baiuli multiplicem de Christo fidem, de potentia, de misericordia, de mansuetudine, quæ nulla interpellantium importunitate poterat offendi. Et hic annotãdum erit, quod dominus interdum ad alienam fidem ædit miracula. Veluti quum Archisynagogo, cui nuncíata est mors filiæ, dicit: Noli timere, tantummodo crede. Itidem quũ eiusdem Euangelistæ cap. 9. patri dæmoniaci dicit: Si potes credere, omnia possibilia credenti. Rursus hic locus erat hypotyposi, quæ ponat ob oculos miserãdum illud paralytici in grabato iacentis spectaculum. Nihil enim aliud poterat infelix q̃ iacere, iam non homo, sed semiuiuũ cadauer, luridus, squalidus, situ & carie obsitus, atq; in ipsis pene stragulis putrefactus. Hic è libris medicorum describetur morbus, & per comparationem amplificabitur. Ipsum paralyseos nomen indicat ea dissolui neruos, nerui autem motus autores sunt, motus est ipsius uitæ uita, ut ita loquar. Quid enim refert habere mẽbra corporis, si nullus horum sit usus? Occupat autem hoc malum non modo corpus externum, uerum etiam linguam, deniq; & ipsam mentis sedem. Stupet animus, memoria perfuit, nullum iudicium, nullus animi uigor. Qui sic uiuit, non uiuit nisi in pœnam suam, si tamen ea uita dicenda est. Est autẽ hic morbus imprimis ex illorũ genere, cum quibus frustra luctatur ars medicorũ, qui quũ maxime expediũt omnia pharmaca, nihil aliud q̃ uexant miserum, & cruciatũ exasperant, frequenter & mortem accelerant. Hoc loco plura dici poterunt, unde nascatur hic morbus, & quibus rebus exasperetur, & quantũ malorum adferat homini. Dein cum alijs atrocissimis morbis comparãdus est. Horrendũ mã lũ lepra, sed nec membrorũ usum adimit, nec mentis uigorẽ hebetat, & fœdus magis est, q̃ cruciabilis. Abominandum malum morbus comitialis, sed magnis interuallis cõcedit requiem. Ingentes cruciatus habet pleuritis, sed breues, ut quæ aut cito tollit hominem, aut abiens optatæ sanitati restituit, nec ita contumax est aduersus medicorum remedia. Similiter dicet de cęteris morbis, ne fiam prolixior. Iacet igitur ad pedes Iesu cadauer infelix, baiulis è tecto prospectantibus. Non procumbit in genua, non componit manus, non orat, omnia membra morbus occuparat, tantũ iacet cadaueri similis. Et tanto magis procumbit, quia procumbere non potuit, tanto magis loquitur, quia loqui non potuit. Apud misericordem loquax res est ipsa calamitas. Hic mihi contemplare promptam & effusam domini liberalitatẽ. Multo plus largitur q̃ expectabant baiuli. Probabile est eũ illos nihil aliud expectare, q̃ ut homo paralysi liberaretur. At dominus qui perspicit intima cordium, uidit hominem magis ægrotare animo q̃ corpore, & pleraq; corporum mala ab animi uitio proficiscuntur. Primum igitur interiorem hominem à peccatis liberat. Vide porrò qua mãsuetudine, qua facilitate cõdonat uniuersa delicta. Non prodit commissa, non exprobrat, non obiurgat, non exigit pœnam aut satisfactionẽ. Sed quid? Confide, inquit, fili, remittuntur tibi peccata. iuxta Matthæum filium uocat, iuxta Lucã hominẽ. Ante nec homo erat nec filius, utrunq; fit condonatis peccatis. Iubet esse bono animo, pro commerita obiurgatione consolationẽ impertiens. Et quum tale exemplum nobis ædiderit summus ille omnium dominus, in quo nullus erat criminum reuus, non pudet quosdam, tanto supercilio sæuire in lapsos, quum ipsi sæpe grauioribus madeant uitijs? Vides lector hic quoq; locum esse per comparationem amplificãdi seruatoris mansuetudinem, & quorũdam sacerdotum in peccantes sæuitiam. Nos breuitati studemus. Nullus opinor erat in eo cœtu, cui liquidò persuasum esset, in Christo geminam esse naturam, diuinam & humanam. Nondum enim uenerat tempus hoc aperte profitendi, sed prius dictis ac factis potissimum insinuandum erat in animos hominum. Erãt, ut dixi, in ea concione pharisæi & legis doctores, quos Lucas ait sedisse ueluti domino pares. Horũ animos offendit ea uox: Remittuntur tibi peccata. Erat enim inaudita illorũ auribus, præ se ferens diuinã autoritatẽ. Didicerant ex Esaia, solum deũ esse qui condonaret peccata. Sciebant sacerdotes non ipsos remittere peccata, sed tantũ oblatis hostijs precibus agere cum deo, ut dignaretur populi delictis ignoscere, quum ipsi quoq; delictis obnoxij

Hypotyposis

Comparatio exaggerans

γνώμη

egerent expiatione, Solus dominus uelut ex propria perpetuaq; uirtute, sine uictimis, si ne precibus aut ullis expiationibus, solo uerbo condonat, nō has aut illas culpas, sed uni uersa peccata. Nusquam enim legitur dominus fuisse precatus miraculū æditurus, quod potestatem haberet non precariam, aut certis limitibus circumscriptam, sed naturalem, propriam, perpetuā ac plenam. Nec tamen hic obliuiscitur suæ modestiæ. Sacerdos qui nihil aliud est, quàm homo, dicit: Ego te baptizo, ego te absoluo, Christus non dicit, ego tibi remitto, sed remittuntur tibi peccata. Hæc uox esse poterat prophetæ, dei clemētiam nunciantis. Simili modestia dicit mulieri peccatrici, Lucæ 7. Remittuntur tibi peccata. Et tamen tacitis cogitationibus obmurmurāt pharisæi & legis periti, Quis est hic qui loquitur blasphemias? Solus deus potest remittere peccata. Qua fronte sibi uēdicat homo quod dei proprium est? Hic incidet locus communis, quàm calumniosa res sit supercilio sa scientia. Item alter, nullam esse pernicíosiorem impietatem, quàm quę se pietatis obtentu uenditat. Mouet istos scilicet gloria dei, & blasphemiæ calumniam impingūt filio dei. legis cognitio armat illos ad calumniandū, ex qua debuerant intelligere Iesum esse Messiam à lege promissum, qui liberaret populum Israeliticū à peccatis suis. Quur taciti murmurant? Quia metuebant turbam, quia nondum illorum inuidia ad extremum profecerat. Qui nunc intra se murmurant, ij sunt qui post clamant apud Pilatum: Nos habemus legem, & secundum legem nostram debet mori: quiq; crucifixo exprobrāt, Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Et hic est locus communis, quomodo prauis cupiditatibus corruptus animus, per occasionē paulatim glíscit ad maiorem impietatem, ac benefactis etiam magis ac magis exasperatur, donec rapiatur in reprobum sensum, odiumq; tandem in rabiē erumpat. Quid interim dominus? Pergit tueri autoritatē suam, ac uel hoc argumento declarat se non esse quemlibet hominem, quod ad tacitas illorū cogitationes respondet, Solus enim deus est καρδιογνώστης, quas in hoc prodit ut sanet. Nec blasphemiæ conuitium regerit, nec populum in illos concitat, sed irrefutabilibus argumentis tuetur autoritatem suam. Quur, inquit, male cogitatis in cordibus uestris? Non creditis huic remissa peccata, quia mentis habitum nō cernitis. Sed paralyticum uidetis. Quem si uerbo erexero, credite & animum uerbo sanatum esse. Quod non cernitis, per se maius est, sed à uobis pluris fit quod sensibus expositum est, quia corporis oculos habetis, fidei oculos non habetis. Vtrum est facilius dicere, remittuntur tibi peccata: an dicere, surge & ambula. Hac uoce dominus reddit illos attētos ad futurum miraculum, ne quid possent tergiuersari. Vtrunq; dictu facillimum est, Remittuntur tibi peccata, & surge & ambula: sed ut sciatis, inquit, filio hominis utrūq; æque facto facile, & oculis uestris faciam fidem. Et hoc loco annotanda est Iesu modestia, Non ait, ut sciatis me esse deum, sed ipsa re diuinam naturam sibi asserens, uerbo se filium hominis appellat. Hic suspēsis expectatione miraculi omnium animis atq; oculis, Dominus ait paralytico: Surge tolle grabatum tuum, & abi in domū tuam. Nec mora, surgit alacer, integris uiribus, nullum morbi uestigium præ se ferens, adeoq; non languidus, ut ipsum lectum, in quo decubuerat, tolleret in humeros, ac domū deportaret. Eius generis sunt fere Christi miracula, ut subito præsidio uirtutem præsentaneam præ se ferant. Abit ille iam non mutus, sed glorificans deum. Roget quis quur iubetur abire domum? ut suis qui paralyticum nouerant, quosq; diutinis obsequijs uexauerat, prædicaret Iesum, essentq; certi testes redditæ sanitatis, qui morbi fuerant conscij. Quid hoc spectaculo glorioſius? Quid hic habes Pharisæe quod tergiuerseris? Quid habes legis perite? Num adhuc dubitas paralytico remissa fuisse peccata? Nō erras dum credis solum deum remittere peccata. Sed ex ipsis factis intelligere debueras in hoc homine latere deum, & eum agnoscere, quem tot oraculis promissum expectabas. Promittis alijs Messiam ex lege, & præsentē occasione legis calumniaris. Sed neq; turba obstans, neq; pharisæorū inuidia in aliud profecit, quàm ut euidentiore miraculo Christi diuina uirtus patesceret. Tacent interim pharisæi, grauiore paralysi correpti, quàm fuerat ille paralyticus. Multitudo indocta religiosius interpretans ea quæ gerebantur timore concutitur, deumq; glorificat, qui talem potestatem dedisset hominibus. Magnus ad pietatem gradus est timor dei. Videt hominem Iesum, nec ultra id quod uidet, audet de illo concipere, sed tamen ex admirandis factis glorificat deum in homine operantem. Hic affectus multum abest à pharisæorum calumnia. Hactenus indicauimus

Interrogatio
Apostrophe

uimus quæ partes in ipsa narratione recipiãt ex arte, uel iucunditatem, uel affectum, uel uehementiam, tametsi lector ipse per se plura dispiciet.

Allegoriæ uero tractatio maiores etiam affectus admittet, si declares paralysim animi multis partibus esse miserabiliorem paralysi corporis. Quàm infeliciter paralyticus est, qui manus non habet ad subueniendum egenis, sed habet ad rapinas, qui membra nõ habet ad officia charitatis, sed habet ad luxum, ad libidinem, ad uiolentiam. Qui linguã non habet ad docendum & consolandum proximum, sed habet expeditam ad nugãdum, ad turpiloquium, ad obtrectandum. Cuius animus ad Christi doctrinam stupet, ad ea quæ sunt huius mũdi uiuidus est. Totus iacet nõ in grabato, sed in cœno uitiorum omnium. Defertur à baiulis non ad Christum, sed ad omne dedecus. Baiulos autem habet, ambitionem, auaritiam, luxum, libidinem, liuorem & odium. Atq; interim quum sit omnium miserrimus, sibi uidetur uiuere ac florere. Hic locus erit apostrophæ. Quousq; computrescis in latebris tuis infelix? Quin tibi paras alios baiulos, qui te deferãt ad oculos Christi, si pedibus tuis ingredi non potes. eò te deferet eleemosyna, ac piorum hominum preces: deferet proximo cõdonata iniuria, deferet Ecclesiæ fides. Tantum ut agnoscas tuam ipsius calamitatem. Nec est quod desperes, si diu in uitijs computruisti. Ibis ad misericordem medicum, unde audies, Fili remittuntur tibi peccata tua, surge & ambula. Addi poterit etiam exhortatio, quũ ad omnes Christianos, tum uero præcipue ad episcopos & pastores, ut Christum pro uiribus imitentur, & si non possunt uerbo tollere morbos corporum, tamen salubri sermone studeant mederi proximorum animis, docẽdo, admonendo, cõsolando, ægrotos foueant, egenis opitulentur, oppressis patrocinẽtur, nec ob hoc ab hominibus captent emolumentum aut laudem, sed à Christo mercedem expectent. Cætera lectori conijcienda relinquo. Nam uereor ne in hoc exemplo diutius uidear immoratus, quàm huius instituti postulat ratio.

Sensus mystici

Referuntur apud Grammaticos & alij tropi præter eos quos commemorauimus, & sunt qui nondum apud rhetores aut grammaticos inuenere nomen. Totus enim hominum sermo tropis differtus est. Sic autem uisum est diuinæ sapientiæ nobiscum uulgatissimo more quodam modo balbutire. Quod apud Matthæum legitur, idipsum & latrones improperabant ei, Augustinus putat ἐποφώσιν siue hypallagen esse numeri, quum alij Euangelistæ referant, unum tantum Christo fuisse conuitiatum, quemadmodum dicimus Romanum militem pro exercitu. Tametsi non me fugit, esse qui locum hunc expediant absq; tropo. Itidem in uerbis Pauli, quum de se alijsq; uiuis Christianis loquens ait, qui simul cum Christo nos sedere fecit in cœlestibus: Augustinus libro de agone, indicat esse temporis enallagen. Et uulgo quod certo futurum credimus, factum dicimus. Si tales animos præstiteritis in prælio, uicimus. Si ista poteris regi persuadere, euasisti. Ad hũc tropum pertinere uidetur quod habetur Gen. 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Iam enim Adã nõ erat puluis, alioqui quomodo diceretur reuersurus in id quod erat? Quam hic uideri posset Synecdoche, quæ materiæ nomine uocat quod ex materia confectum est, quemadmodum pro gladio ferrum dicimus, & retia è lino contexta, lina uocamus. Eodem tropo Gen. 2. de Eua dictum est, hoc nunc os ex ossibus meis, nõ quod iam esset os, sed quod ex osse facta. Simili forma Exodi 7. quod iã serpens erat, adhuc dicitur uirga, quoniam è uirga mutatũ erat. Deuorauit, inquit, uirga Mosi uirgas magorũ. Rursus Hieronymus in Matthæum annotauit esse temporis ἐποφώσιν, quũ Simon dicitur leprosus, qui fuerat. & Paulo Erastus dicitur Arcarius ciuitatis. & Abigail adhuc dicitur uxor Nabal, quum iam transisset in matrimonium Dauidis, mortuo Nabal. Multis autẽ scripturæ locis Iacob & Israel usurpatur pro gente ex eo prognata. Vt apud Esaiã: Israel autem me non cognouit. Item Matth. 9. Nunquã apparuit sic in Israel. Et in Cantico uirginis, Suscepit Israel puerum suum. Item psal. 78. Comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt. Ad aliquam synecdoches speciem pertinent illa, Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Apostolos fuisse loquutos Lucas abunde testatur in Actis, sed tropo is loqui dicitur, quo autore, & cuius dono loquitur homo. Huius formæ est illud: Sermo meus non est meus, sed eius qui misit me. Tropus autorem indicat, nam alibi dominus sæpe uocat sermones suos. Annotauit hoc Augustinus in psalmum quartum, hũc esse morem scripturarũ, ut ipsi deo tribuant quod in

Varij tropi in scripturis

nobis agit. Quale uolunt esse illud Pauli Rom. 8. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Neq; enim gemitus competit in spiritum sanctum. Porrò quod legimus psalmo 59. Ego confirmaui columnas eius, sine dubio metaphora est. Neq; enim terra columnis nititur, quæ suopte pondere libratur, sed inconcussam illius stabilitatem scriptura columnas uocat, annotante Ambrosio.

Ad Synecdochen & illud mihi pertinere uidetur, quod in Euangelio dominus loquitur ad sinistram constitutis, Non noui uos. Nec est necesse, ut hic nosse interpretemur fecisse, quod facit Augustinus epistola 47. ad Valerianum: Quid est, inquiens, non noui uos, nisi uos ego tales non feci. Eiusdē schematis esse putat, quod de Christo legimus, qui peccatū non nouerat, id est, nō fecerat. Quin potius scriptura sic loquitur, ut dicat deum illa nouisse quę approbat, ignorare quę reprobat. Ita loquitur Psalmus: Nouit dominus uiam iustorum, quasi uiam impiorum nesciat. Similiter Matth. 25. fatuę uirgines audiūt,
Cap. 2 nescio uos. Eodem tropo dictum est Hieremię: Priusquam te formarem in utero noui. Id esse uerum confirmat quod sequitur, & antequam exires deuulua sanctificaui te. quod prius dixerat noui, uelut interpretans explanat sanctificaui. Rursus 2. Timoth. 2. Nouit dominus qui sunt ipsius. Item 1. Cor. 14. Si quis autem ignorat ignorabitur. Quin & uulgo à quibus abhorremus, ea dicimur ignorare. Vt, Nescit tarda molimina, spiritus sancti gratia. Et non nouit adulari qui ex animo amicus est. Postremo notos uocamus non inimicos, sed amicos. Eos negamus nos nosse, quos animo obfirmato odimus, citra spem reditus in gratiam. Significantius autem dictum est de Christo, non nouit peccatū, q̄ si dixisset, non fecit, aut non commisit peccatum. Est species synecdoches, quum efficientem causam effecti nomine donamus, aut cōtrà, Vt horrere dicit̄ qui friget, & pallescere qui timet, & erubescere qui pudescit, etiamsi non mutet colorem, & deperire dicitur, qui impotēter amat, & auersari dicimur eos quos odimus. Contrà notos admittimus & amplectimur. Adde huc quod in parabola Euāgelica inimicus homo fecisse dicitur, quod fecit diabolus, ipso domino in hunc modum exponente. Atqui diabolus nō est homo. Quanquam hic esse potest allegoria, potest esse synecdoches species, quę signi nomē ponit pro re designata, ut est, idem ualeat quod significat. Quo tropo dictum est illud Gen. 41. Septem spicæ sunt septem anni ubertatis. Septem boues sunt septem anni famis. Eodē schemate Paulo dictum est, petra autem erat Christus. Nam ideo spiritualem appellat, quod aliquid sacratius significabat. Itidem dominus in Euangelio: Bonum semē sunt filij regenerationis, zizania autē sunt filij maligni. Sic de improbo facto dicimus, Hęc est tua impudentia, quum factum non sit impudentia, sed eā declarat, & ab ea proficiscitur. Quemadmodum scriptura nonnunq̄ concupiscentiæ nomine designat peccatum, nō quod omnis concupiscentia sit peccatū, sed quod à peccato proficiscatur. Sic infantibus asscribitur peccatum, non quod proprie sit in illis ullum peccatum, sed tantū priuatio gratiæ originalis, procliuitas naturalis ad peccandum, & calamitas humanæ uitæ peccatum dicitur, quod hæc à peccato primorum parentum proficiscantur. Quanq̄ hac de re scio quo
2. Cor. 5 rundam uariare sententias. Præterea quum Apostolus scribit Corinthijs: Eū qui nō nouerat peccatū, ꝓ nobis peccatū fecit: ni tropū recipias, sensus absurdus & impius est, sed per tropū quū ait, peccatū fecit, sentit hostiā pro peccatis aliorū immolandam. Quod ge
Gal. 1 nus est illud, sacerdotib. dictū, peccata populi comedetis, quod de uictimis uiuerēt. Prętera quod Paulus negat se accepisse Euangeliū suum ab homine, siue per hominē, rectius sermo sensum exprimit impium: Christus enim etiam nunc homo est, sedēs ad dextram patris. Vix tamen inuenias huic tropo nomen. Simile est quod scribit Galatis: Si adhuc
1. Cor. 10 hominibus placerem, Christi seruus nō essem. At idem Paulus Corinthijs scribit: Sicut ego per omnia omnibus placeo. In priore loco placere dixit assentari, & homines uocat spiritu Christi uacuos. Secundo loco placere dixit obsequi ac morē gerere, ne quē offenderet. Quid hic memorē de sermonibus, quib. undiq̄ redundant sacri libri, præsertim ueteris instrumenti, per quos quæ nobis uel iuxta corpus, uel iuxta animū adsunt, deo tribuuntur, ueluti quū dicitur, irasci, furere, pœnitere, odisse, obliuisci, reminisci, respicere, auertere faciē, extēdere brachiū, sedere, surgere, inclinare aurē, aliaq̄ huius generis innumera, quæ si simpliciter accipias, falsum & impiū habent sensum. Sed hæc quomodo sint intelligēda, dilucidè exponit Gregorius Nazianzenus lib. Theologiæ 5. & Augustinus

quum

quum alias, tum lib. ad Simplicianum 2. multum dissentiēs ab istis, qui tropos ueluti res humiles, grammatistis relinquendos arbitrātur, ceu theologis indignos. At Augustinus uir tantus censet uigilanter attendendos, atq; etiā memoria tenēdos, quod horum cognitio scripturarum ambiguitatibus dissoluendis sit, ut ait, præcipue necessaria. Quod in annotationibus interdū indico quomodo medendū sit hyperbatis, quidā magni nominis Theologus, religione Franciscanus, nunc etiā opimi cēsus episcopus sic irrisit, nō in conuiuio, sed in publica frequentiq; concione. Quid nos docet Erasmus? Docet construere. Ego didici construere ante quadraginta annos: eadem opera deridens Origenem, Hieronymum, Ambrosium & Augustinū, qui frequenter indicant ordinē contextus, & quod est his minutius, admonent quo loco sit ponenda hypostigme, respirandi nota, quo casu accipienda uox, & quomodo pronunciandus sermo, enunciando an percontando, quibus de rebus Augustinus accuratè differit de doctrina Christiana lib. 3. Alter in cōuiuio, quū respōderē id quod citabat per hyperbolen dictū esse, subsannās, Ia, inquit, Quid est hyperbole? Ea uox satis declarabat & studiose uersaretur in euoluēdis magnis illis Ecclesiæ doctoribus, quum sibi tamen uideretur omnibus numeris absolutus theologus.

Troporū cognitio necessaria

Constat igitur scripturam canonicā, typis, schematibus ac tropis opertam esse. Nullus tamē tropus, nec ullum schema plus exhibet Ecclesiastis negotij, & allegoria, de qua nūc dicendum erat accuratius: diceturq;, si prius admonuerimus, illud in primis spectandum Ecclesiastæ, ne qua occasione deflectat à germano scripturæ sensu, quā & aliis tropis præter eos quos recensuimus, uariam esse constat. De quibus illud in uniuersum præcipi potest, non esse accersendum tropum, si rectus sermo pium ac sanum habet sensum, ac reliquis scripturæ locis congruentē, nisi tropus adhibitus subseruiat simplici sententiæ. Verbi gratia, quum audimus deum dicētem, Pœnitet me fecisse hominem, aut quum legimus dei brachium, uultum, aures & pedes, quoniam rectus sensus palam absurdus est, necessario tropus accersitur, quod scriptura manifestè pronuntiet deum esse spiritū, nec in hunc ullum cadere affectum humanum, quum sit immutabilis essentia. Ego sum, inquit, qui sum. Quanquam absurdus ille sensus non est scripturæ, si proprie uelimus loqui, sed uerborum iuxta simplicem intelligentiam. At quum dominus porrigens panem apostolis dicit: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: si per tropum, est, interpreteris significat, aut corpus interpreteris signū corporis, nō sunt defuturi qui tuæ reclament interpretationi. At si hunc in modū interpreteris, hoc symbolum quod uobis exhibeo, significat indissolubilem unitatē meā, qui sum caput, & corporis mei mystici, quod est Ecclesia, quoniam tropus subseruit recto sensui, non est reijciendus.

Germanus scripturæ sensus in primis spectandus

Hoc est corpus meum

Iam sunt quædā uoces aut loquutiones scripturæ peculiares, ut ædificare pro iuuare, destruere pro lędere, placere pro captare laudem, Et sunt quędam multifariam usurpatę, ut lex, caro, spiritus, mundus, Sunt & idiomata quædam linguarum, quæ nisi agnoscantur, uerba nuda sensum reddunt absurdum. Interim & in rectis sermonibus uel ambiguitas, uel obscuritas, aut contrarietas torquet lectorem. In his omnibus illud oportet perpetuum esse concionatoris & uotum & studium, ut germanum sensum assequatur, siue ex ueterum interpretatione, siue ex uigilanti sagaciq; locorum collatione, siue ex considerātione temporum ac personarum, siue ex præcedentium & consequentiū tenore, siue ex ipsis scripturæ fontibus, aut uaria interpretatione, siue ex diutina meditatione, siue ex pura deprecatione cum fide coniuncta. Procul autem absit ab illorum affectu, qui se faciūt scripturæ dominos, obtorto collo detorquentes eam ad sensum, quē ipsi secum adferūt, idq; uel gloriæ causa, cuius pœnitet istos, si nihil nisi ab aliis dictum adferant, uel uincendi studio, uel socordia quadam, dum ita tractant diuinas literas, quasi tractent cuiuslibet hominis scripta. Beatus Paulus locis compluribus se profitetur œconomum ac dispensatorem mysteriorum dei, in dispensatoribus autem quoniam tractant rem nō suam, sed domini, præcipue requiri fidem: Et alibi dicit, se ideo per dei misericordiam à Iudaismo segregatum ad Euangelij prædicationem, ut esset fidelis. Timotheum uero filium suum in Christo charissimum ad imitationem sui prouocans hortatur, ut in doctrina Euangelica se Deo, cuius negotium agebat, præbeat operarium probatum & ἀνεπαίσχυντον, hoc est, qui nec erubescat apud omnes profiteri Christi philosophiam, licet mundo stultitia, aut insania uideatur, & adeo recte tractet ueritatem, ut ipse suo uitio nullam inuidiam

Vnde germanus sensus colligitur

aut ignominiam concíliet Euangelio. Id autem bifariam ſolet cõmitti, ſi uel Eccleſiaſtes inquinatis moribus fidem abroget ſanæ doctrinæ, uel ſcripturam in alienos ſenſus detorqueat, & ad humanos affectus accõmodet. Vtrunq; graue crimen, ſed poſterius hoc pernicioſius. Paulus ſiquidem non admodum indignatur illis qui uel ad quæſtum ſuum, uel ad conflandam Paulo inuidiam prædicabant euãgelium, dũmodo alioqui ſyncere Chriſtum annunciarent. Multos alienat doctoris uita palàm improba, at qui ſunt æquiores dum reputant Chriſtum dixiſſe: In cathedra Moſi ſedent ſcribæ & phariſæi, quæ dicunt facite, quæ faciunt nolite facere: primum ſi ſcelera docentis euidentiora ſunt, quàm ut excuſari ualeant, tamen eleuant, aut ita ſecum cogitant. Homo eſt, ſi nunc malus eſt, cras fortaſſe bonus erit: ego Chriſti doctrinam amplector, per quodcunque os eam mihi promit dominus. Cœleſtis illa ueritas, nullius moribus poteſt inquinari. At qui ſcripturam ad humanos ſenſus detorquẽt, funditus tollunt omnem illius autoritatem, dum e diuina faciunt humanam. Fit autem, ut deprehenſo fuco, etiam tum quum recte ſyncereq; docent, fide careant. Id ſi ſtudio fiat, deteſtabilis eſt impietas, & aduerſus Chriſti ſpiritum execranda blaſphemia, quæ nec in hoc ſeculo remittitur nec in futuro. Huc fere deferuntur hæretici, dum increſcente peruicacia, tandem tradũtur in reprobum ſenſum, & obſtinata malicia nullum refugiunt facinus, modo regnum infelix quod occuparunt retineant. At idem ſi fiat per inſcitiã, aut incuriã humanam, aut pio deniq; ſtudio, probandus eſt animus integer, corrigendus error, excitanda negligentia, condonãdum quod iuuandi proximi affectu commiſſum eſt. In prima culpa nemo non hæret aliquando. Nullus enim poſt apoſtolos tam eruditus atq; in ſcripturis exercitatus fuit, ut nihil omnino reſideat quod diſcat. Item nemo tam uigilans eſt, ut per humanã imbecillitatẽ nõ dormitet alicubi. In tertio ſanctiſſimi etiã eccleſiæ doctores ſibi nonnunq; indulſerunt, præſertim ſi qui ſeſe ad Origenis exemplum compoſuerunt. Quorum de numero ſunt Ambroſius ac Hieronymus. Cæteri Græci parcius ac uerecundius uſi ſunt hac licẽtia. Sed de his poſt incidet dicendi locus.

Voces ſcripturarum alio detortæ

Nunc operæpreciũ arbitror aliquot indicare uoces, in quibus recentiores nõnihil ſibi permiſerunt, ſiue id ignorãtiæ, ſiue incogitantiæ, ſiue pio ſtudio quis uelit adſcribere, aut alio quocunq; colore uel tueri uel extenuare: Frequenter in diuinis uoluminibus obuiæ ſunt hæ uoces, mũdus, religio, religioſus, ſanctus, frater, obedientia, apoſtaſia, perfectio, eleemoſyna, paupertas, aliæq; cõſimiles, quas uidemus multis iam ſeculis deflecti, non dicam in ſenſum impium, ſed tamen nonnihil abhorrentem à germano ſenſu ſpiritus. Quid ſit mundus natiuo ſignificatu, norunt omnes. Cæterũ quũ ſcriptura dicit: Et mundus eũ non cognouit. Ego uos elegi de mundo. Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuũ erat diligeret. Si mundus uos odit, ſcitote quod me uobis priorem odio habuit. Totus mundus in malicia poſitus eſt. Item Paulus dum impios dæmones appellat rectores huius mundi, ad hunc inquã modum quoties loquitur ſcriptura, non damnat mundũ à deo conditũ, nec homines in hoc mundo uitã agentes, ſed peruerſum amorẽ rerũ huius uitæ mortalis, quẽ comitatur diffidentia erga deum, neglectus æternæ uitæ, & omniũ uirtutũ, quæ nos eò conducunt. Hic aũt mundus non poteſt oſtendi digitis, quoniã in animis & intimis affectibus ſitus eſt, potius q; in cœlibatu, amictu uictúue corporali. Cõplures igitur abutuntur hac uoce, qui quoniã Franciſci aut Benedicti inſtitutum profeſſi ſunt, aiunt ſe renunciaſſe mundo, ſecq; mundo mortuos prædicãt, cæteros non abſq; contumelia mundanos ac ſeculares appellant, quum hæc ſit profeſſio Chriſtianorũ omniũ cõmunis qui in baptiſmo renunciãt mundo & huius domino Satanæ & omnibus pompis ac uoluptatibus eius. Qui diligunt ea quæ ſunt huius mundi, mundani ſunt, quocunq; cenſeantur titulo, quacunq; ueſte tegantur, quocunq; cibo aut potu placent naturæ egeſtatem. Qui mortificauerunt membra quæ ſunt ſuper terrã, & cum Chriſto ſpiritualiter reſuſcitati, quæ ſurſum ſunt quærũt, quæ ſurſum ſunt ſapiũt, hi uere mundo ſunt mortui, quemadmodũ gloriatur Apoſtolus: Mihi mundus eſt crucifixus, & ego mundo. Sed quæ ſunt iſta membra terrena, quæ ſanctus Paulus iubet mortificari? Sunt affectus & actus omnes, qui repugnant ſpiritui Chriſti, quorum aliquot nominatim exprimit Apoſtolus, ſcortatio, immundicia, libido, concupiſcentia mala, auaritia, ira, indignatio, malicia, maledicentia, ſermo obſcœnus, mendacium. Nam ambitio ſub auaritiæ nomine poteſt intelligi. Hos & horũ ſimiles affectus, neq; enim omnes recenſuit Apoſto

Mundus quid ſit in ſcripturis

Col. 3

lus

lus,qui ſpiritu Chriſti domuit,peremit,extinxit,ac pro his in ſe uiuẽtes habet,miſericordiam,benignitatem,humilitatem,modeſtiam,patientiam,ignoſcẽtiam,charitatem, is demum cum Paulo gloriari,uel quod tutius eſt deo gratias agere poteſt,quod mundus ipſi crucifixus ſit & ipſe mundo. Quod ſi profeſſio præſtat ut dicamur mundo mortui, hæc profecto eſt omnium Chriſtianorum communis. Sin malarum cupiditatũ conſopita rebellio præſtat illud,excutiant ſeipſos monachi an ab his affectibus puros gerant animos, nec iactent ſe apud homines,ne gloriando perdant theſaurũ ſuũ,ſed apud ſe deo gratias agant ut proficiant. Neq; enim omniũ eſt Pauli more de ſe prædicare: Curſum conſummaui,fidem ſeruaui &c. Saltẽ ne cæteris Chriſtianis faciant cõtumeliam, quũ nullum ſit uitæ genus,in quo non debeat ac poſſit homo eſſe mundo mortuus. Nam qui mundum hunc diligunt,quocunq; ſe titulo uenditẽt,fruſtra tincti ſunt lauacro regenerationis. Verum iſta quidam non negant,ſed aiunt hunc titulũ præcipue quadrare in monachos,qui ob hoc ipſum quædam alijs conceſſa abiurarunt, quo facilius poſſint carnis affectus extinguere,ſubtracta illis materia,qua ſolent uel ali,uel reuiuiſcere. Præſtent igitur hanc eminentiam,non iactitent,ac tales ſeſe præbeant in omnibus,ut homines intelligant eos eſſe uere mundo mortuos,atq; illorũ exemplis ad perfectionis ſtudiũ accendantur, ipſi uero de ſe modeſte,tum ſentiant,tum loquantur. Quod ſi ſpectamus non quid præſtetur, ſed quid præſtari oporteat, in nullos magis cõpetit hic titulus,q; in Epiſcopos, Cardinales ac ſummos Pontifices,qui proximas Chriſto uices occupãt,quo mortaliũ nemo fuit magis huic mundo mortuus. Ex huius aũt dictionis abuſu ſequitur & aliud incommodum. quod nam inquis illud? Dum laici atq; etiã ſacerdotes à monachiſmo liberi, audiunt ſolos monachos ac monachas appellari mundo mortuos,putant ad ſe non pertinere, quæ de mortificãdis affectibus tradunt ſcripturæ: ſibiq; conceſſum exiſtimãt amare quæ ſunt huius mundi. Atqui ad excitandum omniũ pietatẽ magis cõduxerit,ſi quæ de morte ſpirituali docent arcanæ literæ,ſic tractent,quaſi non ad monachos tantũ,nec ad ſacerdotes aut epiſcopos,ſed principes quoq;,ad milites,ad coniugatos,breuiter ad omnes pertinant,qui in baptiſmo mundi & ſatanæ contemptũ profeſſi ſunt. Nunc non uulgi more tantum, ſed pontificũ etiã decretis adeò mors hæc uindicatur monachis, ut matrimonium quoq; dirimat,ratum duntaxat,non conſummatũ cõmixtione corporum, idq; alterutro etiam reclamante. Quemadmodum inquiunt, mors corporis in totũ ſoluit omnem matrimonij nexum,ita mors ſpiritualis ſoluit uerum licet ac perfectum matrimonium, niſi acceſſerit congreſſus connubialis. Meum non eſt pontificum aut theologorum placita conuellere,arbitror tamen hunc unum eſſe articulum,quẽ expediret exactius diſcuti.

Sanctus omnis baptizatus

Apoſtolus ſanctos appellat omnes Euangelio initiatos, non quod omnes eſſent à uitijs puri,ſed quod in baptiſmate Chriſto conſignati,& ut ita loquar,dedicati,unde & loca & uaſa ſacra ſiue ſancta dicũtur. Atq; huius nominis uſus perſeuerauit uſq; ad ætatem diui Auguſtini. Quemadmodũ enim D. Paulus ſanctos appellat honoris gratia,in Chriſto renatos,ita illi omnem Chriſtianum honoris gratia ſanctum appellabant & fratrem. Nunc eos tantum ſanctos appellamus, quorum memoriã religioſe colit eccleſia, quiue pontificum autoritate in diuos relati ſunt. Atq; haud ſcio an hodie quidam pro diuis colantur, quod ueterum literis ſancti appellentur, ueluti quũ Hieronymus honoris gratia Epiphanium ſanctum appellat,quod eſſet Chriſtianus.

Frater omnis Chriſtianus

Similiter fratrum amabile nomen, quod olim erat omnium Chriſtianorum commune,nunc uſurpatione & ad paucos cõtractum eſt,& pene pro honorifico factum eſt contumelioſum. Iudæi ſui generis & gentis homines tantum fratres appellabãt, cæteros non dignabantur eodem titulo. At Paulus cæteriq; apoſtoli dilatarunt hanc appellationem honoris & charitatis ad omnium nationum homines Chriſti religionem profeſſos. Non reprehendo quod monachi ſeſe inuicem fratres appellant. Cæterum quod alios non dignantur eodem titulo, fortaſſe non uacat crimine, quum omnis Chriſtianus Chriſtiano ſit frater,& inter omnes oporteat eſſe, toties ab Apoſtolo prædicatam φιλαδελφίαν.

Sodalitates factitiæ

Quo minus probandi ſunt qui factitijs ſodalitatibus fœderati, ſe mutuo fratres appellant. Si tibi frater eſt,qui fuit Hieroſolymæ,ubi tu fueris aliquando,quanto iuſtius frater haberi debet, qui eodẽ quo tu fonte renatus eſt, per eandẽ fidem eidem Chriſto dicatus, ijſdem imbutus ſacramentis,in idẽ corpus,quod eſt eccleſia,inſitus,ad eandem uocatus

hæreditatem. Si diuus Antonius, Cornelius & Georgius conciliat fratres, nimirum his omnibus maior est Christus.

Religio quid in scripturis Iacobi 1

Consimili abusu contractum est religionis nomen. Religio uera est, cum tremore seruare quæ nobis præcepit deus, & ut beatus Iacobus docet, Visitare pupillos & uiduas in afflictione illorum, quibus uerbis continentur omnia charitatis in proximum officia, & immaculatum, inquit, sese custodire ab hoc seculo. Seculum appellat, quod Ioannes appellat mundum. Atqui hanc religionem omnes Christiani professi sunt, cuiuscunq; nationis, status aut ordinis fuerint. Proinde qui monachos appellant religiosos, humaniter faciunt, hoc illis tribuentes, quod esse deberẽt, & sunt fortasse. At qui se ob hoc ipsum religiosos appellant, quod in uerba Benedicti aut Francisci iurarint (nam hi soli apud Latinos scripserunt regulã) mihi quidẽ uidentur ambitiose facere. Nihil enim interest utrum quis dicat, Ego sum religiosus, an ego sum pius, ego sum sanctus. Quis autem ferat ita loquentẽ? Si professio instituti, quod Benedictus aut Frãciscus tradidit, aut amictus quem illi præscripserunt, si tamen ullum certũ præscripserũt homines pij, sed quorũ neuter erudítione scripturarũ præcellit, præstat homini ut religiosus appelletur: quanto iustius id præstabit professio, qua nos totos ad fontem sacrũ Christo redẽptori addiximus. Quod si uitæ meritis tribuendus est huius cognominis honos, ne spectemus pallium aut cingulum hominis, sed in dictis ac factis obseruemus, contemptũ honorũ, neglectũ pecuniæ, modestiã in uerbis, benignitatẽ in egenos, clementiã in delinquentes, charitatis affectum erga cunctos. Arrogans igitur sermo est, nos religiosi, nos mundo mortui: nihilo tolerabilior q̃ si dicant, nos sancti, nos perfecti. Verum ad arrogantiam accedit etiam contumelia, quum sacerdotes à monachismo liberos ac laicos negãt esse religiosos, sed mundanos appellant ac seculares, quũ ex diametro pugnent inter sese, mundanũ aut secularem esse, & esse Christianum. Iam illa est uerę religionis natura, ut quo magis accedit ad perfectionem, tãto magis sese deijciat. Pius itaq; monachus, quum ab alijs honoris gratia audit religiosus, dicat, utinã essem quod audio, sed heu procul absum ab istius tituli dignitate. Qui parem, aut etiã inferiorẽ appellat dominum, ciuilis est, sed si alter serio se prædicet dominum, nonne risui futurus est omnibus? Proinde ad corrigendos omniũ mores fuerit conducibilius, si Ecclesiastes ea quę scriptura præcipit, de morte spirituali, de abnegãdo mundo, de mortificandis secularibus desiderijs, de religionis obseruatione, doceat ad omnes

Obedientia quid

Christianos pertinere. His adhæret celebre nomen obediẽtiæ, quod quidã detorquẽt ad confirmandã hominũ autoritatem, ne dicam tyrannidem, quũ præcipua ueraq; obedientia sit, credere scripturis diuinis, obtemperare præceptis illarum, & in omnibus omnes cupiditates & affectus humanos submittere uoluntati diuinæ: quod non tantum pertinet ad præcepta credendi ac uiuendi, uerum etiam ad tolerantiam afflictionum, quas secum adfert hæc uita uarijs erumnis obnoxia. Sic Paulus scribens Romanis appellat obe-

2. Cor. 9

dientiã fidei. Similiter ad Corinthios scribit omnes sanctos glorificare deũ propter obe-

1. Pet. 1

dientiã confessionis Corinthiorũ in Euangelio Christi. Itidem Petrus: In obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi. De Christo scriptum est, quod patri fuerit obediens usque ad mortem. Hinc eluxit martyrum obedientia, ad quorum exemplum accedunt quicunq; calamitates uel ob iusticiæ studium adactas, uel ex huius uitæ conditione obiectas, tanquam à deo immissas, æquo patiuntur animo. Hic si quis dixerit: Quid igitur? Non debet homo homini obedientiã? Maximè, sed secũdum deum. Alioqui Paulus nequaquam commemoraret inter enormia scelera, non obedire parentibus: Nec toties admoneret, ut serui obediant dominis suis ex animo, uxores maritis, populus regi ac magistratibus. Itaq; rectè monent, qui exhortãtur ut pareamus ijs, quibus est in nos legitima autoritas. Quod ni fiat, non potest consistere pax & tranquillitas. Cæterũ & ijs qui sunt cum autoritate, & ijs qui subsunt, commendanda est obedientia dei: qui præsunt, ne quid præscribant suis quod dissideat à præceptis dei, cui & ipsi debent obedientiam: qui subsunt, ut homini pareant, non metu, aut adulatione, aut spe commodi, sed in homine obediant deo: qui si iusta & æqua præcipiet, sic reputent secum, deum ista postulare, non hominem: sin molesta præterq; modestiam, tamen obtemperent, nõ quod ille dignus sit obsequio, sed quod ita placitum sit deo, ut amore pacis & concordiæ inferiores obsequũntur superioribus suis, nõ solum cõmodis ac modestis, uerũ etiã morosis ac difficilibus.

Hæc

Hæc obedientia patientiæ laudem promeretur. Verum si superioris autoritas cõpellat ad impietatem aut turpitudinem, primum erit Christianę moderationis excusare nepharium obsequium. Si precibus nihil proficitur, quærenda ratio qua se subtrahat illius autoritati, uel fuga, si non datur uia cõmodior. Si nec hoc licet, audiat præscriptor iniustus uocem illam apostolicam: Vtrum oporteat hominibus obedire potius q̃ deo, tu ipse iudex esto. Nunc quidam ita prædicant humanam obedientiam, ut summam illam, quã omnes deo debemus obscurent. Pontifex toties exigit obedientiam à principibus, Episcopus à clericis ac presbyteris suis, Abbas à monachis, additur iusiurandum, ut periurij crimen obijci possit, nisi per omnia mos geratur hominis uolũtati, ne dicam libidini. Nam interdũ fit, ut præpositus aliquis indoctus, stultus, fortassis nec sobrius, monachũ per sanctam obedientiam, quasi per rem diuinam obtestetur, ut obtemperet. In quo? Non ut caste uiuat, non ut abstineat ab ebrietate, nõ ut fugiat hypocrisim. Sed quid? Ne discat Græcè, aut ne attingat libros eloquentium, aut aliud his etiam ineptius, quod intelligi malim quàm exprimere. Si monachus Baccho seruit, si uentri indulget, si scortatur, si obtrectat, si odio & inuidia madet, si nihil attigit sacrarum literarum, nec periurus est, nec inobediens. Si negligit imperata non sobrij ac supercilioſi præpositi, horrendum facinus admissum est, uiolata sancta obedientia, scelus carceribus & capite plectendum. Tenetur subditus dicto audiens esse præposito suo, sed non magis quàm præpositus tenetur expẽdere quid præscribat subditis suis. Sic & perfectionis uocabulum arctamus ad paucos, perfectionem æstimantes rebus externis: ac proinde monachi, quibus in totũ interdictus est esus carnium, perfectiores habentur ijs, quibus non in totum interdictus est, & nudipedes, perfectiores iudicãtur calceatis. Atqui ad omnes Christianos pertinet illa uox Euangelica: Estote perfecti, sicut & pater uester perfectus est. In quo igitur sita est perfectio inquies? Id continenter explicat dominus, Qui solem, ait, suũ facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Qui profecit ad eum charitatis gradum, ut ex animo de omnibus benemereri cupiat, siue digni sint siue indigni, is sibi quidem nõ uindicabit, sed tamen promeruit perfecti titulum, quatenus in hac uita contingit perfectio. Nec ullum est uitæ genus, in quo non liceat esse perfectos, iuxta suum cuiq̃ modum. *Perfectionis nomen*

Quidam ubicunq̃ carnẽ legunt in Paulo, putant fieri mentionẽ de cõcupiscentia Veneris, eoq̃ quod Paulus Corinthijs scribit, sibi datũ stimulum carnis, de libidinis affectu interpretantur, quũ Apostolus ibi stimulum carnis appellet externas afflictiones, quibus ob Euangeliũ diuexabatur, in quẽ sensum & alias eam uocẽ usurpat, interdũ carnis nomine designans quicquid ab hominis natura proficiscitur: ut iam caro sit non tantũ affectus crassior, puta libidinis aut crapulæ, uerum etiã ipsa hominis ratio, imò totus homo cũ uniuersis naturę uiribus, si desit Christi spiritus. Idẽ usu uenit in nomine concupiscentiæ, quã fere de Veneris appetitu interpretãtur, quũ eius uocis ratio multo latius pateat. *Caro 2. Cor. 12.*

Supereſt detestabile nomen apostatæ, quæ uox Græcè nescientibus atrocior est q̃ Latina, desertor aut transfuga: Et apostasia peius sonat q̃ defectio. Græcis aũt uxor, quæ diuortiũ cũ marito fecit, ἀποστῶσα dicitur, ac repudij libellus ἀποστάσιον appellatur. Item quum miles ab Imperatore suo deficit ad hostẽ, ἀφιστάτης dicitur: & populus qui desciscit à principe, ἀφίστασθαι dicitur. Denicq̃ discipulus qui recedit à placitis sui doctoris, ἀφιστάτης appellatur. Veluti si quis ab Stoicis deficiat ad peripateticos, aut si quis ex Nominali fiat Realis. Hinc ueteres Christiani, qui ab Euãgelica fide defecissent ad ueterẽ paganismũ aut Iudaismũ, eos infami uocabulo uocabant apostatas, quod ab imperatore Christo, cui semel dederant nomen, ad Satanã quem abiurarant desciuissent. Princeps aũt omnium apostatarum fuit Lucifer, quoniã primus defecit à deo conditore suo, qui primos humani generis parẽtes eò pellexit, ut & ipsi neglectis dei iussis serpenti potius obtemperarẽt. Optimo igitur iure Christianorũ aures exhorrent apostatæ nomẽ. Nihil enim execrabilius q̃ si Christo semel initiatus deficiat ad Belial. At hodie plericq̃ noīs huius inuidiã detorquẽt in eos, q Benedicti aut Frãciſci deserũt institutũ, aut si nõ deserũt, tamẽ aliquid immutant è sacro cultu. Nolim hic illis esse patronus, qui cum ætate matura, nullo metu cõpulsi, nullis artibus illecti, suapte spõte certoq̃ animi decreto religioso cuipiã cœtui semet addixerint, amore huius mũdi deserũt institutũ. Nã hi digni profecto sunt, quib. inuratur leuitatis & inconstantiæ nota. Sed illud notandũ arbitror, q̃ quũ longe grauius sit *Apostatæ qui proprie*

mutare

mutare professionem, quam in baptismo Christo testibus & angelis & hominibus nuncuparis, ad Satanam ac mundum abiuratũ relabi, quàm à genere uitæ ab hominibus reperto discedere: tamẽ monachus etiam si sit ebriosus, scortator, maleficus, maledicus, impostor, auarus, modò ne mutet amictũ non audit apostata. Dira minantur illi ab irato Benedicto, qui ab huius præscriptis discesserit, & ab irato Christo nihil putant metuẽdum, eis qui in contumeliam imperatoris sui toto pectore mũdo satanæq; militant. At qui scripturam syncerè tractare uolet, huius cognominis infamiã docebit in omnes hærere, qui quum semel Euangelij regulam sint professi, uestemq; candidam innocentiæ symbolum ab Ecclesię manibus acceperint, tamen toto pectore mũdo & satanæ seruiunt, interdum ne à uerbis quidem blasphemis & impijs temperãtes. Proinde si Christianis persuasum esset, tales homines quamuis laicos uerius esse apostatas, ac magis infames magisq; detestabiles esse, quàm monachum transfugam, quẽ horrent & abominantur, non ita passim uulgus lætaretur quum male fecerit, & exultaret in rebus pessimis. Quàm multi sunt qui quod opes per fas nefasq; congerunt, prudentiæ uolunt imputari, qui cõstupratas uirgines, uiolatas aliorum coniuges in gloria numerant, ferociam in proximos, sæuitiã in uindicandis iniurijs, fortitudinem ac magnanimitatẽ uideri uolunt, hoc freti quod laici sint: quumq; candidam uestem, quam in professione baptismi susceperãt, una cum tota Christi regula abiecerint, atq; à totius Ecclesiæ contubernio sese subtraxerint, tamẽ sibi plaudunt, & apostatam execrantur, qui pallij colorem mutarit, aut ab humano sodalitio recesserit, si non impio, certè humano. Simili errore deo dicati dicũtur, qui monachismum professi sunt: non hoc reprehendo, illud reprehendẽdum est, quod hoc elogium sibi ceu proprium ac peculiare uindicant, quasi cæteri Christiani deo dicati nõ sint. Omnes sunt eodẽ Christi sanguine cõsignati, omnes Christo sacri sunt, qui semel Euangelij gratiam professi sunt. Itaq; qui scripturę locum, Nolite tangere Christos meos, ad sacerdotes tantum ac monachos accommodant, rectius facerent si ad omnes Christianos accommodarent. Qua fronte pro prophanis habentur, quorum pectora spiritui sancto pro templis consecrata sunt? Si impiũ est polluere aut uiolare templũ ab homine suffraganeo unctũ, quanto sceleratius est uiolare templum, quod deus per cœlestem sui spiritus unctionem sibi dedicauit, quod unigeniti sui precioso sanguine consignauit, nõ minio. Hoc pacto si scripturam à sua latitudine non contrahemus ad paucos, sed ad omnes applicabimus ad quos pertinet, nequaq; simplex fuerit utilitas. Primum supercilium adimetur ijs qui titulis huiusmodi sese uenditant: deinde securitatem excutiemus ijs, qui quod laici dicantur ac mundani, sibi persuadent ad se nõ pertinere, quæ scriptura præcipit de perfectione uitæ Euãgelicæ, deq; synceritate religionis. Execrabile flagitiũ habetur, si quis monachum stupro polluat, idq; eo habetur execrabilius, si patrator incesti sit monachus. Nec in hoc sane erratur. Atqui quum omnes Christum professi deo dicati sint, religiose cogitat qui omnem coitum illicitum pro incesto ducit, quãdo quidem utrunq; corpus Christo dedicatum est. Nũc uulgus leuem ac propè nullam culpã esse putat, quoties solutus stuprum committit cum soluta, quum nullus Christianus liber sit ad peccãdum, sed quoniã Christi religionem professus est, quoties cõmittit quod phas non est, aduersus arctissimã professionem suam peccat. Ex eodem errore manat, quod inexpiabile crimen uulgus existimat, si quis quid eripiat sacerdotibus aut monachis, nec in hoc sanè fallitur: sed ibi fallitur, quum leuem culpam ducit, spoliatis proximis laicis. Sacrilegium est, quandocunq; Christianus fraudat Christianum. Sacrum enim est, quicquid possidet deo consecratus. Quod monasterijs datur, deo dari dicitur, & uerũ est, si modo pietatis respectu detur: sed errant qui putant non dari deo, quod liberis, uxoribus, & cognatis egentibus datur: imò peccatum enorme, ac Paulo quoq; detestatum committunt, qui fraudatis filijs ac domesticis facultates suas collegijs ac monasterijs largiuntur. Et dominus in Euangelio taxat eos, qui fraudatis parẽtibus ditant Corbonam. Vt autem Ecclesiastes appositè & ad rem scripturam accõmodet, non sat habet è collectaneis aut elenchis sententiolas decerpere, sed ipsos adeat fontes, atq; ex ijs quę pręcedũt, quæq; sequũtur, germanũ scripturæ sensum rimetur. Interpretes aũt cũ delectu iudicioq; legẽdi sunt, in genere tamen Græci Latinos superant in syncerius tractandis scripturis, & antiqui recentiores. Ad Græcos enim prius dimanauit Euangelium q̃ ad Latinos, & ipsa natio semper ingenijs felicibus excelluit

Dicati deo omnes Christiani

Psal. 104

Fontes scripturarum

Græci præstant Latinis

excelluit. Vetustas autem gemina est: altera prisca, & Apostolorũ temporibus aut æqualis, aut uicina, cuius ordinis sunt, Clemens, Papias, Ignatius, Iustinus, Irenæus, Origenes & Tertullianus. Altera media est, quæ tulit Athanasium, Basilium, Chrysostomum & Cyrillum, apud Latinos, Ambrosium, Hieronymum & Augustinum, Ecclesia iam per insultus hæreticorum satis in scripturis exercitata, & in fidei dogmatibus cõfirmata. Prisci igitur cum reuerentia quidem legendi sunt, at nõ sine delectu, sed rursum maiore cum uenia quàm recentiores, quod illis temporibus quoniam de multis nondum exerte pronunciarat Ecclesia, non erat impium addubitare, modo hic adesset animus, ut ueritate patefacta protinus uel error, uel dubitatio poneretur. Simul illud obseruandum, aliquot libellos uehementer priscorum titulo æditos, quos illi non conscripserunt, quod idem accidit in mediæ antiquitatis celeberrimis scriptoribus, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, ut de Græcis sileam. In hoc ordine primæ tribuuntur Augustino, quod is suis definitionibus plurimum adiuuerit scholas theologicas.

A doctorũ interpretatione quatenus licet, at dissentire

Hos ergo qui monent reuerenter esse legendos, nec temere reiiciendum quod definiunt, recte monent: at qui nobis legem præscribunt, ut quod illi in ambiguis aut obscuris scripturarum locis interpretati sunt, pro articulo fidei habeatur, ut iam phas non sit experiri an uerior magisq; germanus scripturæ sensus possit inueniri, & duram & parum æquam legem nobis præscribunt: quando nec ipsi doctores sibi postulant hanc autoritatem, sed solis scripturis canonicis eam deferunt, & illi ipsi qui legem hanc præscribunt, quoties res postulat ab illorum opinione dissentiunt. Adde quod ipsi quorum autoritatem nobis inuiolabilem esse uolunt, frequenter inter se dissentiũt, interim & ipsi à seipsis. Dein in confesso est eos in enarrandis scripturis frequenter hærere, neque raro non assequi uerum scripturæ sensum, sed multa perperam interpretari. Vt ne commemorem quod illi quoniam plerunque uel loquuntur, uel scribunt populo, multa dederunt imperitæ multitudinis affectibus, cui non semper conueniunt exactiora. Verum in ijs, inquiunt, pro oraculis audiendi sunt in quibus consentiunt. Fateor multorum celebrium consensum ad fidem uehementer facere, si is sit perpetuus. Verum quid facias, si duo trésue consentiant, ac totidem dissentiant? Totius Ecclesiæ consensus facit, ut credamus Christi matrem nunquam à uiro fuisse cognitam, tametsi id in scripturis expressum non est, eò quod nullus unquam orthodoxus hac de re dubitauit. Atqui quum in exponendo scripturæ loco Hieronymus & Augustinus consentiunt, Origenes & Ambrosius dissentiunt, non arbitror esse nephas id sequi quod uidetur esse rectius, modò adsit Christiana modestia, absit peruicacia. Nec ideo uacillat scripturarum autoritas, si quem locũ hic aut ille non assequitur: nec prorsus abrogatur doctorum autoritas, si cum iudicio aut reuerentia legantur. Siquidem horum commentationes etiam quũ ambigunt aut errant, præbent occasionem aliquid exactius inueniẽdi. Tanta autem est, tamq; inexhausta scripturarum opulentia in mysterijs recondita, ut nunquam defuerit neq; defuturũ sit, quod rimetur eruatq; studiosorũ pia sedulitas, semper incõcussis fidei catholicæ dogmatibus. Nec turpe est quamlibet magno doctori in quibusdam scripturæ locis ambigere, in quibusdam ingenuè fateri, non intelligo, præsertim quum quædam illic habeantur, quæ spiritus sanctus noluit ad plenum intelligi: quod genus sunt, quæ dominus in Euangelio uaticinatur de consummatione mundi. Item quæ Paulus scribit Thessalonicensibus: Tantum nunc qui tenet teneat, donec de medio fiat. Hunc locum Augustinus ingenuè fatetur se non intelligere. *2. Thes. 2*

Porrò in citandis scripturarum testimonijs pro nostra uirili annitendum est, ne quid aliò detorqueamus quàm habet germanus scripturæ sensus, præsertim quoties pro fidei dogmatibus pugnamus aduersus hæreticos. Videmus enim & ueteres hac in parte sibi nonnihil indulsisse, & recentioribus quibusdam usu uenire, ut quum in scholasticis palæstris sint exercitatissimi, in allegandis scripturarum testimonijs non perinde felices appareant. In causa esse suspicor, quod quidam ad certas difficultates, quæ plus faciunt ad ostentationem, & eo magis indies adlubescunt ingenijs, quodammodo consenescant. Itaque uerso rerum ordine fit interdum, ut Aristoteles, aut humanæ rationes serio citentur, scripturarum testimonia pro more potius quàm ex animo. Sunt quædam decantata, ac uelut in prouerbium uersa, quæ à parum attentis, frequenter parum

in loco

Detortæ scripturæ exẽpla

in loco adhibentur. Quod genus est: Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Hoc fere detorquent ad uigilias, inedias reliquasq; corporis afflictiones. ac pia quidem sententia est, exhortans ut uim faciamus cupiditatibus nostris, quæ rebellionẽ moliuntur aduersus spiritum, utq; cum beato Paulo castigemus corpus nostrum, & in seruitutem redigamus: uerum is nõ est germanus eius loci sensus. Similiter quod Paulus Romanis scribit: Rationabile obsequium uestrum, huc deflectunt, quasi Apostolus admoneat moderandam esse corporis macerationem, & hæc interpretatio rectum quidem habet sensum, sed à Pauli mente longè alienum. Rursus locũ qui est Deuteronomij cap. 28. Et erit uita tua quasi pendens ante te, & non credes uitæ tuæ, quidam etiam ueterum interpretati sunt de Christo crucifixo, quem Iudæi uiderunt pendentem, nec illi credidêrunt, cui si credidissent, per eum uitam assequi poterant. Verum ipsa sermonis cõsequentia declarat alium eius loci sensum esse: uidelicet deũ minari populo, si uiolent ipsius præcepta, fore ut ad gentes ignotas dispergantur, inter quas summa cum formidine uiuant, semper expectantes ne occidantur, etiam si nemo paret occidere. Hanc Moses appellat uitam pensilem, cui diffiderent. Sic habet locus: Erit uita tua quasi pendens ante te, Timebis die ac nocte, & non credes uitæ tuæ. quod in medio positum est, & quod præcedit, & quod sequitur, exponit. Porrò credere positum pro confidere. Fatebitur aliquis hunc esse germanum sensum, sed per allegoriam de Christo intelligi. Vitiosa est allegoria, cui repugnat sensus rectus. Nam si de Christo accipis, frustra additũ est quasi. Et Iudæi non in alienis regionibus, sed in Iudæa uiderunt Christum in cruce pendentem, nec illi crediderunt. Recentiores quod habetur in genesi: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, huc detorquent, quasi his uerbis prohibitum sit matrimonium inter parentes & liberos. Qui si uera prædicant, parũ appositè citauit hoc testimonium Christus in Euangelio, in hoc allegans, ut ostendat coniugij uinculum esse prorsus
Deut. 4 indissolubile. Itẽ quod est in Deuteronomio & in Apocalypsi: Nihil addetis ad uerbum quod uobis loquor, nec auferetis ex eo: quidam eò detorquent, quasi nefas sit in ædificatione ueteris instrumenti fontes Hebræorum aut translationes Græcorum consulere, aut in nouo ex Græcis codicibus petere uel lectionem synceriorem, uel sensum magis germanum, quum multo aliud sentiat scripturæ locus, Immo qui collatione locorũ, ac præsidio linguarum rimatur germanum sensum, is uere implet quod iussit Moses. Contrà qui ex scripturæ uerbis perperam intellectis aliud pro alio interpretatur, is demum & aufert non uerba, sed quod est maius, ipsam scripturæ mẽtem, & addit quod scriptura non agnoscit. Ad hanc rem plurimum momenti adferet linguarum peritia, uariaq; diuersorum translatio, modo adsit iudicium ac delectus non siniſter.

Iam, ut dicere cœperam, prisci doctores sibi nonnunquam permittunt, ut scripturæ uoces ad id quod agunt detorqueant, præsertim ubi pugnant aduersus hæreticos, aut exhortantur ad perfectionem. Exempla crebrius sunt obuia quàm uellemus. Nonnulla tamen proferam, partim quo dilucidius fiat quod dico, partim quo cautius uitemus hanc licentiam. Origenes in Homilijs quas scripsit in Lucam, quod est in uirginis Cantico: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: sic interpretatur, quasi Maria suam prædicet modestiam, qua promeruit fieri mater dei, atq; hoc commẽtum posteriores ferè sequuntur, quum immodestiæ sit suã ipsius prædicare modestiam. Immo his uerbis sanctissima uirgo suam profitetur indignitatem, quemadmodum diuus Paulus profitetur se apostolorum infimum, atq; etiam indignum Apostoli nomine. Neq; enim hæc humilitas declarat uirtutem, sed abiectam conditionem, & ut ita loquar, uilitatem: Id esse uerum planè liquebit si quis totius cantici tenorem attentius obseruet. Qua de re quoniam alias satis diligenter admonuimus, non onerabimus hic lectorem pluribus uerbis. Non mentiuntur, qui dicunt uirginem summopere placuisse deo per insignem illam modestiam. Verum illa modestia magis exprimitur, si accipiamus ipsam profiteri suam indignitatẽ. Minus quidem peccatur, quũ aberrantes à germano scripturæ sensu, quiddam adferimus quod æque pium sit, & alijs scripturæ locis continetur. Optimum tamen est, si fieri possit, nusquam à uera scripturarum intelligentia deflectere. Ita quum eiusdem loci uariæ feruntur interpretationes, non ea arripienda est, quæ maxime facit ad præsens argumentum, sed ea quam iudicaris esse germanam. Veluti quum beatus Hieronymus aduersus Iouinianum

num efferens uirginitatem, arripit hanc lectionem, μεμόρισται ἡ γυνὴ καὶ πρθένος, quasi tanta sit uirginum dignitas, ut mulierum nomine non debeat censeri. Verum alibi fatetur, hunc sensum non esse ueritatis apostolicæ. Possem innumera huius generis exẽpla proferre. Sed admonitionem scribimus non reprehensionem. Hæc itaq; docendi gratia dicta uidentur sufficere. Eadem synceritas præstanda est in explicãdis allegorijs, in quo ueteres aliquot sibi plus satis indulserũt, pręsertim Origenes, qui multis uidetur nimium libenter recedere à litera, quum ea sit basis ac fundamentum allegoriæ. Ad Origenis exemplum frequenter accedunt Ambrosius & Hilarius, interdum & Hieronymus, quum huius uerba sint in Mal. caput primũ: Vbi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non oportet extenuare quæ scripta sunt. Origenem nonnihil excusat temporum ratio. Olim ingens dissidium erat inter Iudæos & Gentes, adeo ut Iudęi indignarentur quenquam ad Euangelij gratiam admitti, nisi circumcisus Mosi legem profiteretur. Contrà Gentes odio superstitiosæ ac superciliosæ nationis, etiam à lege abhorrebant, adeo ut extiterint qui Vetus testamentum in totum esse reijciendum contenderent, nec ab eodem deo proditum esse crederẽt, à quo proditum est Nouum, uidelicet offensi, partim narrationum quarundam specie, quæ parum uidebantur consentaneę ueris, aut parum respondentes maiestati scripturæ diuinæ. Qualis est tota ferè conditi orbis historia. Item Lya sponso nocte supposita pro Rachel, & unius noctis concubitus mandragora redemptus à sorore. Amores ac uindictæ Sampsonis, acerbitates minarum quas habet Deuteronomij cap. 27. Partim multitudine præscriptionum de lepra, de sacrificijs, de ciborum delectu, de uestitu, & cætera. Quæ prima fronte uidentur ad superstitionem tendere magis quàm ad ueram pietatem. Partim sæuitia uindicandi, si quid in his prætermissum fuisset, ac duritia quorundam præceptorum, quæ non satis humanitatis præ se ferunt: ueluti quod legimus de diluuio, & arca Noe, de tot milibus trucidatis ob erectum uitulum aureum, de tot milibus, partim terra dehiscẽte absorptis, partim igni cœlitus immisso exustis, ob seditionem motã aduersus Aaron ac Mosen. De Acham lapidato, totaq; illius familia cum facultatibus igni consumpta, ob pallium coccineum, & nonnihil auri & argenti clàm ex hostium præda subreptum. De hoc quod iubentur tot gẽtes internecione delere, perpetuoq; auersari odio. De Oza subita morte percusso, quod arcam lapsuram porrecta manu sustentauerit. Alia sunt huius generis innumera, quum in Nouo testamento sit simplex ac perspicua ueritas, neq; quicquam quod superstitionem aut sæuitiam sapiat, sed synceritatis & mansuetudinis plena omnia. Quemadmodum igitur Paulus, quo simul & Iudæorum superstitionem corrigeret, & gentibus persuaderet legem ueterem nequaquam repudiandam, sed sanctam ac bonam esse, si recte intelligatur, post Christum typorum inuolucra explicuit, & allegoriarum fontes aperuit, Sic & Origenes uir pius ac Paulini spiritus, quo Græcis commendaret ueteris instrumenti libros, per allegorias ostendit etiam in illis, quæ in speciem immitia ac superstitiosa uidebantur, latere sensum Euangelicum. Quo in studio si fuit immodicus, tempori est tribuendum. Quod sic à me dictum accipi uelim, non ut in totum Origenem culpa liberem, sed ut uenia dignus habeatur, uir alioqui multis magnisq; uirtutibus commendabilis. Quanquam autem in his locis, quorum allegoriam nobis non aperuit canonicæ scripturæ autoritas, non imputatur crimen impietatis, si quis sedulo citraq; contentionẽ, adfert sententiam, quam ibi fortassis non cogitabat is qui scripsit, modo pietati congruat quod adfertur: tamen quantum humana industria præstari potest, bona fide cauendum est, ut quod interpretamur quàm minime sit uiolentum ac detortum. Id autem fieri nequaquam potest, nisi sensus historicus siue grammaticus, cui superstruitur allegoria, fuerit exacte perceptus ac perpensus. Etenim si in fundamento fuerit erratum, non potest quadrare quicquid superstruxeris. Immo quo fuerit operosior structura, hoc erit deformior atq; absurdior. Omnes ueteres uno ore mysticum Canticum Solomonis per allegoriam accommodant Christo sponso & Ecclesiæ sponsæ. Hoc recentiores pertraxerunt ad sacratissimam uirginem Iesu matrem iuxta carnem, Nec deest quod tergiuersentur. Fatentur Canticum ad Christum & Ecclesiam pertinere, non tamẽ absurde per tropologiam applicari ad sponsi matrem, quæ inter Christi sponsas primas tenet. Omnes autem piorum animæ Christi sponsæ sunt. Paulus in Ecclesiæ corpore, secundum caput

Allegoria quõ tractãda

Qua occasione allegoriæ inductæ

Allegoria nõ potest quadrare, nisi sensu grãmatico bene percepto

Exẽpla de tortarum allegoriarum

quod est Christus, primum locum tribuit Apostolis, qui fuerũt proximi sodales sponsi. Præclarum autem erat inter sponsi sodales principatum tribuere uirgini matri. At sit exi mia beatissimæ uirginis dignitas, ac cedat huic etiam ordinis apostolici maiestas, multa tamen sunt in eo cantico, quæ parum uerecundè castissimæ uirgini tribuerentur, loquor iuxta sensum humanarum aurium, alioqui scio in eo argumento nihil esse nõ mysticum. Huius rei nullum pono exemplum, quod facile sint occursura, quisquis hoc cãticum uel semel legerit. Adde his, quædam illic esse, quæ parum cõgruant uirgini ab omni labe cri minis immuni. Quod genus: Nigra sum sed formosa. Nolite me considerare quod fusca sim. Et quæsiui eum & non inueni, inuenerunt me custodes ciuitatis &c. Verum utcũq; hic tergiuersetur aliquis, illud in confesso est, scripturam mysticam præter omnium uete/ rum interpretationem nonnihil deflexam à sensu germano. Quod si nobis permittimus, ut quicunq; sermones in mysticis libris figurant ecclesiam, eos ad uirginem matrem ac/ commodemus, quemadmodum dicitur ortus conclusus, fons signatus, ita dicatur & Ar/ ca Noe, & domus in qua comedebatur phase, Domus Raab, Templũ Salomonis, Cau/ læ ouium, unicum altare. Cœnaculum in quo Christus celebrauit nouum phase. Ciuitas Sion, Cœnaculum in quo discipuli acceperunt spiritum sanctum, & huius generis alia. Durius est, quod quæ in libris hagiographis dicta sunt de sapiẽtia, qui iuxta sensum ana gogicum est filius dei, detorquemus ad uirginẽ matrem. Ego ab initio & ante secula crea ta sum, & usq; ad futurum seculum non desinam, Dominus creauit me initio uiarum sua/ rum &c. Non me fugit hæc commento prædestinationis detorqueri ad uirginem, sed ea dem ratione poterant ad omnes homines pios accommodari.

Allegoriarũ non cõgruen/ tium exempla

Huius generis est quod D. Ambrosius in oratione funebri, multa quæ in Cantico Sa/ lomonis dicuntur de Christo confert ad corpus Valẽtiniani defuncti, plura ad animam illius, quæ ibidem dicuntur de sponsa Ecclesia. Fateor hoc pio studio fieri, sed ego maluis/ sem imperatorem absq; scripturarum uiolentia prædicari. Beatus Augustinus non affe/ ctatione, sed interpretatione parum commoda deceptus, dum enarrat titulum Psalmi tri gesimi tertij, quàm uiolentis utitur allegoriis. Titulus sic habet: Psalmus Dauid quũ mu/ tauit uultum suum coram Abimelech, & dimisit eũ & abijt. Locus qui est primi Regno rum capite 21. sic à Septuaginta redditus est: ἀλλ' ἰδοὺ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτῶν, καὶ προσεποιήσατο ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἐτυμπάνιζεν ἐπὶ τὰς θύρας τῆς πύλεως, καὶ κατέφερεν ἐπὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Hunc ex Hebraica ueritate sic reddidit Hieronymus: Et mutauit os suum coram Achis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ. Augustinus autem iuxta uersionem è Septuaginta translatione ductam, legit hũc in mo/ dum: Mutauit uultum suum coram eo, & affectabat, & ad ostia ciuitatis tympanizabat, & ferebatur in manibus suis. Quoniam autem hic erratum est in fundamento, hoc est, in sensu historico, uide quot modis claudicat allegoria, quam Augustinus ad Christum accommodat. Primum quod est in titulo psalmi: Dimisit eum & abijt, Interpretatur qua/ si Dauid dimisso rege Achis abierit, quum sensus sit, Achis dimisit Dauidem, atq; ille di/ missus abijt. Est enim ἀπέλυσεν. ἀπῆλθε uero qui sinit aut iubet abire quempiam. Et huic sensui magis congruit allegoria, quod Christus, quem populus Iudæorum pro insano re iecit, Crux enim Iudæis erat scandalo, per Apostolos Euangelij gratiã transtulit ad gen/ tes. Deinde quod legit pro προσεποιήσατο affectabat, accõmodat ad Christi desiderium, qui desiderio desiderabat sua morte redimere genus humanum, piè magis quàm apte. Nam προσεποιεῖτο illic idem est quod ὑπεκρίνατο, id est simulabat, hoc est aliud præ se fe/ rebat quàm erat res. Rursum quod legit, ferebatur in manib. suis, interpretatur de Chri/ sto, qui suum corpus & sanguinem in suprema cœna suis manibus porrexit Apostolis suis dicens. Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quum iuxta uersionem Hierony/ mi longè sit alius sensus historicus, uidelicet quod Dauid collabebatur inter manus uo/ lentium eum apprehendere, quasi parum consistens pedibus, quod est furentiũ & ebrio rum. Est enim non ἐφέρετο, sed παρεφέρετο, quod est ferri impetu, quò non oportet. Iam ut demus uerum esse quod uerterunt Septuaginta, ferebatur in manibus suis, sensus hi/ storicus nihil habet absurdi. Quum enim simularet insaniam, fingebat se destitui pedi/ bus, & manibus suis sese sustentabat, corpore impingens in portam ciuitatis. At Augu/ stinus hic recedit à litera. Quomodo, inquit, intelligatur in ipso Dauid secundũ literam,

non

non inuenimus, in Christo autem inuenimus, quando commendans ipsum corpus ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.

Intolerabilius est quod quidam arcam Noe, quæ iuxta ueterum interpretationem typum habet Ecclesiæ, detorquent ad uirginem matrē Iesu. Audiui ipse quendam, nō theologum, sed sacro amictu, quem & morientes ambiunt, uenerabilem, suo iudicio ualde sapientem, in celebri festo uirginis, in templo primario, frequentissima concione, tota hora nihil aliud agentem uel satagentem potius, quàm ut totam arcæ structuram, quæ refertur in Genesi, per allegoriam ad uirginem accommodaret, idq; ea frōte eoq; supercilio ac gestu, ut facile agnosceres hominem sibi uideri rem egregiam ac præclaram explicare. Dicto uero mirū quàm sudarit, ut persuaderet, in uirginem quadrare ligna leuigata, eaq; intus ac foris oblita bitumine, trecentorum cubitorum longitudinem, quinquaginta latitudinem, triginta altitudinem, fastigium cubiti unius, fenestram additam in summo, in imo additum hostium, cœnacula & triplicem contignationem, aliaq; quæ nihil necesse est singillatim, & ad Ecclesiam accommodare. Quanquam beatus Petrus uelut ansam porrexit antiquis, ut arcam interpretarentur Ecclesiam. In diebus, inquit, Noe quum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptismus. In baptismo mergitur homo uetus: in arca, quæ est ecclesia, salui fiunt electi. Non tamen oportet omnes historiæ partes ad allegoriam pertrahere. Quomodo uero quadrabit in uirginem, quod octo homines cum omni genere animantium, exceptis piscibus, ingressi sunt arcam? Quid autem fructus ex ea concione retulit populus? Fructus nihil, tædij permultum. Ibi profecto sum admiratus Christianæ concionis patientiam, qua uir ille satis impudenter abusus est. *1. Pet. 3*

Quin & diuus Hieronymus hac in parte nonnihil indulget sibi, præsertim quum omni armorum genere depugnat cum aduersario, aut quoties plenis uelis fertur in laudem uirginitatis, aut quæ huic proxima est uiduitatis. Vnum atq; alterum locum exēpli causa proferam. Scribens ad Gerontiam aduersus uiduam iterantem coniugium, citat illud Hieremiæ: Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. Neq; em̄ illic propheta quic quam agit de digamia aut polygamia, sed gentem Israeliticam, quę ad idolorum cultum & omnem impietatem neglecto deo, semet auerterat, confert mulieri quæ relicto uiro legitimo prostituit se multis amatoribus. Qua fronte ergo tam atrox conuitium detorquetur in Christianam fœminam, quæ concessis utitur, perseuerans in sancta religione? Nec interim quæcunq; denuo nubit, libidinis causa nubit: fieri potest ut optet prolem, fieri potest ut quærat domus suæ gubernatorem, aut inopiæ nutricium. Sed fac incontinentiæ quæri remediū, longe aliud est obfirmata impietas, aliud humanæ carnis infirmitas. Denicq; culpa uenialis, non diuellit nos ab amicitia dei. Alioqui nullus haberet deum propitium. Huc accommodat & quod est Geneseos sexto, digamiam inter immunda animalia, imò inter serpentes ponens. Nō iam excutio quid discriminis sit inter homines & animalia, rursus inter munda & immūda, inter quadrupedia, uolatilia & reptilia. Mihi immunda, in quibus sunt & reptilia, uidentur notare tinctos quidem baptismo, sed corrupte uiuentes, qui tamen in Ecclesia largius accepta, seruantur in spem resipiscētiæ. ut conueniat hic typus cum parabola Euāgelica, qua sagena referta bonis & malis piscibus trahitur ad littus. Itaq; dure dicitur serpens, mulier quæ nupsit iterum, utens Apostoli consilio: adolescentiores uiduas uolo nubere. Quòd si serpens est, quisquis imperfectus est, & uirgines erunt serpentes, atq; adeo Christiani pariter omnes. Eodem adducit Pauli locum ad Timotheum. Magnam domum quidam interpretantur hunc mundum, sed largiamur per magnam domum intelligi Ecclesiā. In hac uasa aurea sunt, insigni pietate præditi, argentea probi quidem & illi, sed notæ inferioris, atq; hæc quidē honestis usibus deputata sunt. Lignea & fictilia quæ dicuntur in contumeliam facta, sunt hæretici, schismatici, & impiè uiuentes, quos tamen tolerat Ecclesia in spem pœnitentiæ, id quod indicat Apostoli sermo qui subijcitur: Si quis igitur se mundauerit ab istis, erit uas in honorem. Et quemadmodum ollæ fictiles ac matulæ uasa sunt ignominiosa, tamē ad totius domus usum necessaria sunt: sic hæreticorum improbitas, & persecutorum sæuitia, per occasionem multum utilitatis attulerunt Ecclesiæ Christi, dum illi pios exercēt ad eruditionem, hi ad patiētiam ac mansuetudinem. Quo igitur iure quæ bis nubit matulæ comparatur? *Hieronymus in allegorijs alicubi uiolentus* *Hiere. 3* *2. Tim. 2*

Quod autem Paulus illic agit de hæreticis, declarant quæ præcedunt: Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui deuiauerunt à ueritate, dicẽtes resurrectionem iam factam esse, & fidem quorundam subuerterunt. In hunc sensum & grauissimi doctores Apostoli sermonem interpretantur. Adnectit his parabolam Euangelicam: Nam quum, inquit, in semente terræ bonæ, centesimum & sexagesimum, & trigesimum fructum Euangelia doceant, & centenarius pro uirginitatis corona primum gradum teneat, sexagenarius pro labore uiduarũ, in secundo sit numero, tricenarius fœdera nuptiarum ipsa digitorũ coniunctione testetur, Digamia in quo erit numero? Imò extra numerum. Certè in bona terra non oritur, sed in uepribus & spinetis uulpium, quæ Herodi impijssimo comparãtur, ut in eo se putet esse laudabilem, si scortis melior sit, si publicarum libidinum uictimas superet, si uni sit prostituta, non pluribus. Hũc in modum Hieronymus studio castitatis uelut æstu quodam propemodum abreptus, in Tertulliani scopulos impingit. Atqui huius parabolæ allegoria nõ est eadem apud interpretes. Siquidem Origenes primum locum tribuit martyribus, proximum uirginibus, tertium coniugatis. Quod si fœdera nuptiarum tertium gradum obtinent, quomodo est extra numerum, quæ est in fœdere coniugij? Iam si uelimus ad ordinem quem Paulus indicat accommodare parabolam, qui primas tribuit Apostolis, proximas prophetis, tertias doctoribus, quartas uirtutibus, quintas gratię curationum, sextas opitulationibus, septimas gubernationibus, octauas generibus linguarum, nonas interpretationibus sermonum, ubi erunt etiam monogami? An in nullo numero? Imò ubi quarti usq; ad nonum? quando parabola euangelica tres tantum bonæ terræ gradus habet. Quòd si digamia nullo in numero est, nec oritur in terra bona, sine causa damnatus est Tertullianus, quòd digamiam excludere tẽtarit ab ecclesia: & rem impiam docet Paulus, qui adolescentiores uiduas uult nubere, ac matresfamilias fieri, & filios procreare. Ad hæc, si mala terra sunt, & cum impijssimo Herode uulpibus cõparantur, quicunq; curis seculi distringuũtur, eodem titulo censebuntur & prima nuptiarum fœdera, quæ Hieronymus bonam terram appellauit. De utrisq; enim ita loquitur Apostolus: Alligatus es uxori, noli quærere solutionẽ: solutus es ab uxore, noli quærere uxorem: si autem acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit uirgo non peccat. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Tribulationẽ autem carnis appellat curas externas, quas secum trahit cõiugium, uelut cum affinibus necessaria commercia, marito debitum obsequium, fidem uxori debitam, solicitudinem alendorũ, educandorum & elocãdorum liberorum. Atqui hæ curæ adeo non sunt malæ, ut crimen sit eas non obire, modo hactenus gerantur, ut non auocent à pietate: tum enim demum incipiunt esse spinæ, quæ suffocant uerbum ne fructum exerat. Alioqui & uidua si liberos habet, cogitur huiusmodi curis aliquam sui partem dare. Quòd si ob id digamia comparatur malæ terræ spinis ac uepribus obsitæ, quod externam adferat solicitudinem: facit idem uirginis coniugium, quod Hieronymus ad trigesimum fructum existimat pertinere. Simplicior est allegoriæ ratio, si per centesimum fructum accipiamus summam pietatem, per sexagesimum mediocrem, per trigesimum infimam. At non statim malum est, quod infimum est. Vbicunq; enim est ordo, ibi summum medium & infimum sit oportet, quæ res sunt & inter angelos & apostolos. Rursum si malæ terræ deputatur quod imperfectũ est, hoc ipsum si uirgo nubat, defluit à perfectione perpetuæ castitatis. Præterea si generatio & educatio liberorum, quoniam absq; solicitudine non geritur, ad infrugiferam terram pertinet, quomodo Paulus dicit mulierem fieri saluam per filiorum generationem ac fidelem educationem? Nam id subindicat quum addit, si in fide permanserint. Minus itaq; coactum erat, si fructum centesimum, sexagesimũ ac trigesimũ, non ad professionum formas, sed in omni uitæ genere ad animorum puritatem referamus. Sunt uirgines fatuæ, quæ à sponsi thalamo excluduntur: sunt uirgines squalidæ, quę uix trigesimum adferunt fructum: sunt coniugatæ, quæ centesimũ adferunt. Eódem accommodat, quòd Lamech primus omnium memoratur duxisse duas uxores, atq; hunc uult esse typum hæreticorum, qui unicam ecclesiam in plures diuidunt. Hoc quid attinet ad mulierem, quæ defuncto marito nubit alteri, quum Lamech simul duas duxerit uxores, Ada & Sella. Hieronymus appellat illum maledictum, quod unde hauserit nescio, certe si fuit execrabilis, non ob hoc fuit quòd duxerit duas uxores, sed quòd fuerit homicida,

1 Cor. 12

1 Cor. 7

Gen. 4

quemad

quemadmodũ Cain. Quod si maledictus erat, qui duas habebat uxores, quid dicemus de laudatissimis patriarchis, Abraham, Isaac & Iacob, quid de Dauide, qui quũ haberet plures uxores, Michol Saulis filiã repudiatã & post repudiũ alteri nuptam, rursus ad se reuocauit. Quomodo aũt potuit dici Lamech maledictus, legitimo coniugio obseruans præceptũ domini: Crescite & multiplicamini, & replete terrã. Porrò quoniã ubi semel à synceritate scripturarũ discessum est, pluribus opus est furcis, ut id quod ui detortũ est suo tueamur loco: ut ostendat hoc præceptũ, Crescite & multiplicamini, ante diluuiũ & post diluuiũ ualuisse, post æditũ Euangeliũ nõ item, adducit illud Pauli: Tempus breue est, Et illud Ioannis Baptistæ, Iam securis ad radices arborũ posita est, quæ syluam legis & nuptiarũ Euangelica castitate succidat. Item illud Ecclesiastæ: Tempus amplexandi, & tempus longè fieri à cõplexibus. Atqui Paulus non ideo cõmemorat tempus esse breue, ut abstineretur à coniugio, sed ut qui uxores haberent, haberẽt eas quasi non habentes, hoc est, ne sic essent uxorij, ut studium pietatis uoluptatis gratia negligerẽt. Atq; hic Pauli sermo pertinet nõ ad digamos propriè, sed ad omne matrimoniũ, uel ad omnia potius humanæ uitæ negotia. Qui urgent de coniugio, quin eadem opera urgent de ementibus & possidentibus? An hodie qui se mundo mortuos profitentur, emunt tanq; quod emptũ est non possideant? Nec illa securis qua Iudæos terret Ioannes, succidit legem & nuptias, sed carnales cupiditates: nec à cõiugio reuocauit Ioannes, sed ad pœnitentiã inuitat. Iam si tempus amplexandi pertinet ad ueterẽ legem, tempus abstinendi à cõplexibus ad nouam, non digamia tantũ, sed omne coniugiũ interdictũ erit Christianis. Huiusmodi permulta sunt in scripturis ueterũ, quæ si pergam omnia cõmemorare, nascetur ingens uolumẽ. Quanq; aũt hæc scripturas detorquendi ratio excusabilior est in exhortando, dehortando aut consolando, q; in docendo, aut in cõuincendis hæreticis, tamẽ optabilius est, nusq; à scripturarũ germana sententia recedere. Huc pro uirib. annitẽti, si quid secus acciderit, par est paratã esse ueniã, ijs qui consultò id faciunt nõ item. In antiquis uero qui alioqui pleraq; docte ac syncere tractãt in diuinis uoluminibus, æquũ est huiusmodi næuos dissimulare potius q; imitari. Expedit tamen hæc cõmonstrasse, non ut suggillemus uiros optimè meritos de religione Christiana, quorũ memoriã optimo iure ut sacro sanctam ueneramur, sed ut Ecclesiasten ad syncere tractãdas scripturas reddamus instructiorem. Nunc quando ipse sermonis cursus nos huc propemodũ deduxit, nõ uidetur intempestiuũ de ratione allegoriarũ disserere. Quanq; D. Augustinus abunde de ijs tradidisse uidetur, in libris de doctrina Christiana, & nos olim in Methodo nõnulla attigimus, nõ grauabimur tamen de ijsdẽ, quantũ ad præsens institutũ satis erit admonere. Metaphora fons est cõplurium troporũ, collationis, imaginis & abusionis, ænigmatis, allegoriæ, prouerbij et apologi, & si qui sunt alij huic affines generi. Metaphora aũt, ut in superiorib. attigimus, est, quũ alicuius cõmodi gratia receditur à uerbis propriis, ac per similitudinẽ aliunde translatitia mutuamur. Ea potest in uno uerbo esse, ut quũ dicimus, iuuentutẽ hominis auolare, aut animũ ira incanduisse. Auolare tantum, & incandescere translatitiũ est, cætera propria. Quod si fit necessitate, quia desit propriũ uerbum, abusio est, quã Græci καταχρησιν appellant. Veluti quũ Vergilius dicit: Lętas segetes, & Luxuriem segetũ. Vix enim reperias proprias uoces, quibus exprimas quod sensit poeta, nisi per circuitionẽ id efficias, sed incõmodius. Frequẽter aũt sententia trãslatitijs ac propriis inter se mixtis effertur. Quod si tota constat translatitijs, erit allegoria. Veluti si quis ueterem dolorẽ ac iam tempore consopitũ oratione renouanti dicat: Quur uulnus cicatrice obductũ refricas? Allegoria est, Matth. 3. Cuius uentilabrũ in manu ipsius &c. Huic si accedat cõmoda breuitas, ac publicus usus, erit παροιμία, ut si quis inuoluto negotijs, quæ nec tueri possit, nec ab ijs liberari, dicat, lupum auribus tenes. Cui si accedet obscuritas, ænigma erit. Quod genus illud, De ore fortis egressa est dulcedo, quũ sensus esset, in ore leonis repertũ mel. Huic simile illud Diogenis, qui malum tibicinem, quoniam ab omnibus deserebatur, salutabat gallum. Gallus excitat à somno, & excitari dicuntur, qui surgunt & abeunt. Vt autem metaphora breuis est similitudo, ita similitudo siue collatio est explicata & ad rem accommodata metaphora. Exempli causa, citra lectionem sterilescit eloquẽtia, metaphora est. Explica, Quemadmodũ ager nisi subinde lætamen adhibeas, cultu exhauritur ac sterilescit: ita stilus assidua scriptione ieiunus redditur, nisi crebra au-

De allegorijs

Iud. 14

torum lectione instruatur. Similitudo est. Quæ si in hoc adhibeatur, ut rei faciem ponas ob oculos, erit imago. Veluti si dicas uirum ferocem ruisse in prælium similem draconi, diducto rictu, ardentibus oculis, erectis iubis. Rhetores, ut antè diximus, allegoriam definiunt perpetuam metaphoram, uerũ in sacris literis, & apud doctores ecclesiasticos ea uox latius usurpatur, interdum pro quouis tropo. Nonnunquam & pro typo. Velut Apostolus Galat. 4. quæ Genesis narrat de Sara & Agar, decq; Isaac & Hismaele, uocat allegoriam, quum constet in narratione nullum esse tropum, sed in ipsis rebus gestis subest altioris sentẽtiæ significatio. Non me clam est, neotericos in scripturis quadruplicem tradere intellectum, historicum siue grammaticum, tropologicum, allegoricum & anagogicum. Hos ita digerunt, ut singulis doctoribus suum tribuant, Hieronymo grammaticum, Gregorio tropologicum, Ambrosio allegoricum, Augustino anagogicum: Hæc distributio non dissimilis est illi, quæ singulos articulos symboli in singulos apostolos partita est. Cæterum prisci doctores non agnoscunt nisi duos sensus: grammaticum siue literalem, aut si mauis historicum: & spiritualem, quem uariis appellãt nominibus, nunc tropologiam, nunc allegoriã, nunc anagogen, nullo tamen discrimine. Id quod perspicuum eruditis esse potest, quum ex uariis doctorum locis, tum præcipue ex Hieronymi cõmentario in epistolæ ad Galatas caput quartum, rursus in Esaiæ caput 15. in Ezechielis 16. in Amos 3. Itẽ Origenis Homilia super Numeros undecima. Quin & ipse Paulus Gal. 4. allegoriam appellat, quum per Saram ait designatam cœlestem Hierosolymam, quæ est Ecclesia triumphans. Porrò recentiores uiderunt in his sensibus esse non mediocre discrimen, eoq; uocabula generalia ad species coartarunt. Etymologiæ harum uocum diuersæ sunt, sed eodẽ recidunt. Allegoria Græcis dicta est, quod aliud dicitur, aliud intelligitur, quæ ratio competit & in ironiam: tropologia quod receditur à simplicitate sermonis, & quod sentimus figura nouamus, à τρέπω uerto. Vnde tropi dicũtur schemata, quod nouam faciem addant orationi. Tametsi quidam & hæc distinguunt, licet parum constanter. Anagoge hinc dicta est, quod ab humili sensu subuehat scripturã ad sublimiora. Neque tamen absurdè fecerunt, qui docendi gratia distinxerũt has uoces, ut tropologia sit, quoties scripturam ad singulorum mores erudiendos accommodamus. Nam τρόπος Græcis tria significat schema, modum, & uitam ac mores hominis. Hic autem sensus infimo proximus est, in ipsa obiter historia indicans quæ ad bonos mores conferunt. Allegoria, quum scripturam accommodamus ad Christum, & huius corpus mysticũ Ecclesiam militantem. Anagoge, quum hinc euehimur ad Ecclesiam triumphantẽ, & substantias separatas, usq; ad trinitatis fastigium, ultra quod nullus est excessus.

Allegoria an differat à tropologia & anagoge

In eodem sermone tres sensus

Sumamus uerbi gratia, Abrahamum tres uiros excipientẽ hospitio. Hic historia quæ narratur Geñ. capite 18. basis est. Hanc si accommodes ad commendationem hospitalitatis, multa suppetunt argumenta. Procul uisis occurrit Abraham, ignotos homines domi nos appellat, seipsum serui nomine designans: procumbens in terrã, obnixè rogat, ut ad se diuerterẽt. Hoc ubi impetrasset, homo cẽtenarius curriculo festinat in tabernaculum, mandans Saræ, ut celeriter coquat è similа panes subcinericios. Illa, licet anus nonagenaria, alacriter obit imperata. Sic instituerat uxorem suam patriarcha. Ipse interim cucurrit ad armentum, adducturus uitulum, non quemlibet sed tenerrimum & optimũ. Alioqui poterat hoc mandare famulis, quos habebat non paucos. Vitulum tradit puero coquendum. Currit & puer, ac sine mora iussa peragit: ut in familia bene instituta omnes sunt in officio. Delectum uituli non committit famulo, delectum tradit famulo, non suffugiens ministeriũ, sed ut hospitalitatis officium celerius perageretur. Nec interim à ministerio cessat senis optimi sedulitas. Apparat butyrum & lac, uitulumq; cocti apponit eis. Ipse interim honoris causa astat uescentibus sub arbore, tanq; paratus ad ministeriũ: abeuntes deducit. Hæc omnia nobis declarant, quanta cum alacritate sint accipiendi hospites.

Hic incidunt loci morales, talem ferè esse familiam, qualis est paterfamilias. Humanitatem ea alacritate præstandam hospitibus, quasi beneficiũ non des sed accipias: neq; notis tantum ac benemeritis, uerum etiam ignotis & humilibus. Abraham enim nihil aliud existimabat eos esse initio nisi homines. Nã quod singulari numero ait, Dñe si inueni gratiam in oculis tuis, ob id unum appellat, quod is uideretur honoratior, cuius assensum si impetrasset, de cæterorum animo non dubitabat. Annotanda & uerborum modestia

stia, quibus illos inuitat: lassis ut putabat, & famelicis nihil promittit nisi requiem sub arbore, lotionē pedum & buccellam panis, quasi dicat, nihil mihi sumptus aut negocij afferetis: quum tamen q̄ potuit lautissimum conuiuiū illis destinasset. Item locus est, uxores maritis suis dicto audientes esse debere, similiter & famulos dominis. Ex his multa dicendi materia in eos qui cupidè utūtur hospitio alieno, ipsi hospitē non aliter q̄ anguem fugiunt, aut si quos excipiunt, tristes & cum tædio id faciunt. Rursus in uxores, per quas non licet maritis hospitem in ædes suas inducere, alioqui rixis & iurgijs perturbant domum, non admodum dissimiles uxori Socratis, quæ uasa mensæ subuertit, quod conuiuæ diutius sederent, nō iam uescentes, sed philosophicè fabulantes. Iam quod refecti promittunt Saræ sterili partum, significat non perire quod hospitibus impenditur, sed à deo multo cum fœnore reponi, siquidem Abraham pro uitulo filium accepit. Rursus quod pro hominib. accepit Angelos, significat quicquid amore dei proximis impenditur, deo impendi non homini, iuxta Christi testimoniū. Quod uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. Potest aūt & ad frugalitatis exemplum accōmodari, quod homo prædiues ac liberalis quū treis exciperet, nihil apparatus fecit præter uitulum, ac panē subcinericiū, neq; quicq̄ addit condimentorum, præter lac & butyrum, hoc est, caseum. Vini nulla mentio. Tum enim deliciæ erant, haurire de puteo bonæ uenæ. Quis nunc non fastidiret panem calidum modo sub cineribus coctum: aut uitulum coctū, priusq̄ è cæde refrixisset: Qualis erat domus in qua nec panis erat, nisi fortè cibarius. Nam simila pro delicijs paratur hospitib. At hodie in diuitū ędibus inexpectatus hospes si aduenerit, inueniet aprugnam arte coctam, ac ceruinam crusto triticeo incoctā, inueniet capos & perdices similiter in crusto coctas, succo iam gratiore, q̄ si recentes essent. Inueniet phasianos pridie assos & lepores, hoc palato gratiores, quod sunt teneriores, nihil horum absq; condituris aroma tum. Inueniet precioſas aues muria conditas aromatica, ne quid dicam de piscium luxu, deq; bellarijs atticis. Paratius erat occidere capos aut perdices, atq; his teneritudinē arte asciscere, si occisi dulci uino mersarentur. Verum hæc artificia gulæ nondum nouerat antiquitas. Frugalitatis exemplum habet & illud, quod tantus patriarcha, pro domo tabernaculum habet, pro conclaui arborem, nec in arcibus habitat, sed in conualle, nostrorum temporum diuitibus exprobrans luxus & ambitionis intemperantiam. Pertinet & illud ad mores, quod Sara non prodit in conspectum uirorum, sed intra tabernaculū manens peragit quę maritus imperarat. Maritus stat in ostio tabernaculi, Sara stat post ostium in tabernaculo occulta, eoq; dicūt: Vbi est Sara uxor tua? Solus maritus nouit, ubi sit uxor. Porrò quod deducit abeuntes, admonet, hospitem uenientem alacriter excipiendū esse, uolentem abire non esse remorandum, sed officioſe deducendum: quum hodie mira uideatur hospitalitas, si hospitem etiam ad seria negocia properantem arte retineant inuitum, magno ipsius incommodo, uelut occultatis equorum frenis, aut simili commento, quidam etiam nō nisi bene potum. Atq; ita demum existimant pulchrè expletos omnes hospitalitatis numeros. Deinde quod Abraham intellecto periculo Sodomę tam instanter orat, ut parcatur multitudini, admonet esse piorum hominum pro impijs interpellare domini misericordiam. Ciuilitatis uidetur, quod Abrahā non obtundit hospites percontationibus, unde uenitis, quò tenditis, quid agitis? Sed tacitus illos deducit, donec ultrò quid agant, aperiant. Si recipimus neotericorum distinctionem, hæc uideri potest tropologia, uelut adhærens historiæ, quæ tamen non minus habet iucunditatis quàm utilitatis, ingerens idiotarum oculis exempla piorum hominum, quorum actus tam diligenter nobis commendant scripturæ ut imitemur. In hac parte explicanda uigilans quidem ac dexter est Origenes, sed admiscens sensus retrusiores. Chrysostomus hanc ferè solam tractat, sed argute iuxta ac feliciter. Id opinor maluit, quod harum rerum annotatio præsentem adfert utilitatem ad instituendos hominum mores, & ob hoc magis mouent auditorem, quod à singulis agnoscuntur, & ad singulos pertinent, tum maiore cum fide audiuntur, quàm allegoriæ aut anagogæ, quæ interpretis ingenio reperiuntur, & quodammodo arbitrariæ sunt, eóque nullum habent pondus ad confirmanda fidei dogmata. At tropologicum sensum ipsa historia secum defert, traditque sensui communi. Nec tam est sensus à grammatico diuersus, quàm huius declaratio, Veluti quum artifex in tabula magno artificio depicta ostendit spectatoribus, quid ibi sit egregium

& admiratione dignũ. Non omnes æque iudicant de pictura, sed omnes agnoscũt quod indicatur, quemadmodum nos tropologiam indicauimus in hac historia.

Accedet allegoria, si Abraham qui dictus est pater omnium credentium, personam gerat populi fidelis, quæ est Ecclesia: quæ Christum, qui uelut hospes uenit in hunc mundum, excepit hospitio, sicut ait Ioannes: Quotquot autem acceperũt eum. Quum increduli audiant: Hospes eram, & nõ collegistis me. Huic Ecclesia mactauit uitulum tenerrimum & optimum, quicquid in terris amabile est, amore Christi cõtemnens, appositi cibum ipsi gratissimum, de quo testatur in Euangelio: Ego cibum habeo mãducare, quem uos nescitis. Fidem hominum esuriebat, fidem eorundem sitiebat, quum diceret Samaritanæ, Da mihi bibere. Deducit abeuntem, dum contemptis ijs quæ sunt super terram desiderio fertur in cœlum. Postremò Sara prius sterilis parit Isaac, id est, gaudium, dum per fidem ad spiritum euectis humanis cupiditatibus, quarum typum habet mulier, tota fœcundatur sobole uirtutum, quæ gaudium adferunt nunquam auferendum.

Verum hæc allegoria tropologiæ mixta uideri potest. Sublimior erit, si uitulum optimum ac tenerrimum interpretemur Christum immaculatum ac mansuetissimũ, qui mactatus est pro salute mundi. Deus enim sic dilexit mundum, ut filium suum unicum traderit in mortẽ pro uita generis humani. Aut si subcinericios panes interpretemur reconditum scripturarum intellectũ, qui tres comeduntur à tribus, mysterio trinitatis, idq; sub arbore Mambræ, quæ uox Hebræis sonat perspicaciam: proinde non comeduntur à Iudæis, qui Mosi uelamen habẽt impositum cordibus suis, nec agnoscũt patrem, filium, & spiritum sanctum unum esse deum, affixi literæ, nec perspicientes recõditos legis sensus.

Superest Anagoge, quæ nobis aperit mysterium ineffabilis essentiæ diuinæ, quæ una eademq; est in tribus personis, patre, filio & spiritu sancto. Tres uidit simul stãtes, humanam speciem uidet, & tamen procidens in terrã adorat, & iam mutato numero dicit, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis. Ac mox: Lauẽtur pedes uestri. Et quũ comedissent, rursus mutatur numerus. Cui dixit: Reuertẽs ueniam ad te. Ac mox: Dixitq; dominus: Nunquid cœlare potero Abraham. Et, Scio enim. Rursus quũ intercedit pro Sodomis astans coram domino, singulari numero dicit: Nunquid perdes iustum cum impio? Breuiter in tota hac narratione, dominus unitatis numero refertur, nusquã domini, in alijs additur numerus multitudinis, ut agnoscas unum deum in tribus personis, quẽ nosse & intueri cominus Ecclesiæ triumphãtis est beatitudo. Vltra hæc quò progrediatur interpretatio scripturæ non inuenies. De nominibus igitur nõ erimus anxij, si de re cõueniat.

Litera occidit Notati sunt qui in scripturis nimium libenter recedunt à sensu grammatico, sic amplectentes sensum allegoricum, ut infimum illum negent consistere. E diuerso fuerũt qui sic oderunt tropos, ut uniuersam scripturam in eum sensum accipiendam putarint, quẽ ipsa uerba simpliciter exprimunt. Quorum de numero fuerunt Anthropomorphitæ, qui putabant deum esse corporeum humana specie, quod legerent hominẽ esse factum ad imaginem dei, præsertim quũ scriptura passim deo tribuat humana membra, faciem, os, oculos, aures, manus, brachia, pedes. Simili errore crediderunt deum moueri ac mutari affectibus humanis, quia legunt illũ iratũ & placari, furere & flecti ad misericordiã, facere aliquid & facti pœnitere, nescire & rescisci re, denicq; odisse & amare, quum in deũ nulla cadat mutatio. Idẽ error genuit nobis Euchitas, qui quoniã in Euangelio legerãt semper orandũ, & nuncq; cessandũ, per omnẽ uitã ocioſi psalmorũ infinitã uim quotidie demurmurabant. Nec defuerũt qui seipsos execarẽt, quod in Euãgelio legerẽt eos fore beatos, qui se castrassent propter regnũ dei. Nec alia res fefellit chiliastas, cq; locus apocalypseos sine tropo intellectus. Erãt & qui conarẽtur XL. dies ac noctes sine cibo trãsigere, quod hoc à domino factum legerent. Nec hodie desunt qui lumbis præcinctis incedunt, q dominus iubeat suos esse lumbis præcinctis: qui cruces ligneas manibus gestent, quia legerunt, qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. In Africa quæ iuxta prouerbiũ semper aliquid nouorũ mõstrorũ gignit, erãt qui ultro in Ethnicorũ conuiuia incurrerent, non ob aliud nisi ut ab eis occiderentur, quidam etiam minis adigerent alios ut occiderentur, quia legerant: Qui perdiderit animam suam, in uitam æternam inueniet eam. Eiusdem superstitionis erat, quod Donatistæ quum iussu Cæsaris conuenissent, ut cum Catholicis sub iudice delegato de controuersis dogmatibus cõferrent, iussi sedere à

comite

comite Cęsaris,recusarunt tam pertinaciter,ut & iudex præter morem,stans,coactus sit causam cognoscere.Rogati quur nollent sedere,responderunt se cõmoueri Psalmi uerbis,Non sedi in concilio uanitatis,& cum iniqua gerentibus non introibo.Hoc sermone notantes catholicos quibus cum erat disputandum,nam hos habebant pro uanis ac mendacibus & impijs. Salse uero superstitionem illorũ illusit,qui respondit,Si uos mouebat psalmi uersiculus,nec introisse in hoc concilĩ oportuit.Ibidem enim additur,& cum iniqua gerentibus non introibo.Dicuntur & hodie repullulascere Sabbatarij,qui septimi diei ociũ incredibili superstitione obseruant.Eodem è fonte manauit Pharisæorum superstitio,qui uerba legis circũferebant in fimbrijs ac phylacterijs,quo semper essent in oculis,eo quòd dominus præcepit Deuteronomij sexto,Eruntq; uerba hæc quæ ego præcipio tibi hodie,in corde tuo,& narrabis ea filijs tuis,& meditaberis sedens in domo tua,& ambulans in itinere,dormiens atq; consurgens:& ligabis ea quasi signum in manu tua,eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos:& cætera.Nimirum affixi uerbis non intellexerunt huiusmodi tropis commendari uehemens studium ac meditationem legis.Feruntur & his temporibus esse Christiani,qui baptizatis frontem inurunt ferro candenti,quod in Euangelio legunt,Ipse uos baptizabit in spiritu & igni:nõ intelligentes per spiritum & ignem significari uigorem fidei & charitatis euangelicæ.Ab hac superstitione non uidentur multum abesse quidam,qui uerba ut sonant amplectentes quo niam legerunt:Qui uenit ad me,& non odit patrem suũ & matrem & uxorem & filios, fratres & sorores:existimant se nihil debere parentibus,nihil liberis,si se abdant in alquod monachorũ collegium:ac sponsam etiam deserunt inuitam & reclamantẽ,si non dum intercessit coitus.Si Christianus ethnicis quoq; parentibus debet honorem & obsequium,modo ne uioletur pietas,quanto magis Christianus debet Christianis.Et si Paulus iubet uxorem Christianam manere in contubernio & obsequio mariti incredili & idololatræ,si modo ille non quærat diuortium:quanto minus conuenit,ut ob factiam religionem sponsus sponsam deserat?Qui uero constituit,ut dominus qui alibi præcipit ut & inimicos diligamus,hic præcipiat ut parentes & uxores odio persequamur? Odium non est hic maleuolentiæ peruersus affectus,sed fidei robur,quo naturalem pietatem spirituali pietate superamus,quoties incidit casus,ut alterutra sit deserenda.Alioqui si phas esset ob monachissimũ uxorem aut parentes deserere,liceret eadem ratione ui tam abrumpere:sed uita contemnenda non est,nisi quum incidit articulus,ut aut impietas sit admittenda,aut mors oppetenda:ueluti quum dicit persequutor,aut thus incẽde Ioui,aut ceruicem præbe securi. *Mar.3*

Vt igitur ad Iudaismum uergunt qui tropos & allegorias excludunt à scripturis,ex lege quæ iuxta Paulum spiritualis est,reddentes carnalem:ita scripturæ fundamentũ & robur subuertunt,qui sensum infimũ reijciunt,quũ huc nulla cogat necessitas.Reddunt enim illam arbitrariã,ut iam humana sit potius q̃ diuina.In hũc lapidem,ut dixi,nimiũ frequenter impingit Origenes,nonnunq̃ tamen & alij:quorũ est Ambrosius ingens ecclesiæ lumen,in quo nihil esset reprehendendũ,nisi hoc conduceret ad ecclesiastarũ eruditionẽ.Quemadmodũ enim Hieronymus prodidit Origenis errores,quo minore periculo libri illius ab orthodoxis legerẽtur:ita expedit in magni nominis autoribus lapsus quosdã ceu næuos indicare,quo maiore cum fructu,minore cum periculo legãtur.Non tamen hic multis onerabo lectorem,pauca quædam exempli gratia proferã.Diuus Ambrosius tractans locum euangelij,quo narratur Petrus ter abnegasse dominũ,ut crimen apostoli uel excuset uel eleuet,rem totam ad allegoriam seu tropologiã detorquet.Primum quod scribitur stetisse ad prunas,quoniam frigus erat,interpretatur frigus mẽtis, & hactenus recte.Etenim in quo refrixit fidei uigor & charitatis ardor,abnegatiõi proximus est,neq; quicquam deest præter urgentem occasionem.At uiolentũ est quod addit,Frigus erat mentis,non corporis.Item quod paulo ante præcessit, Si tempus consideremus,frigus esse non poterat.Quid enim uetat quo minus per æquinoctiũ uernum nox habeat suum rigorem,quum Romæ noctes etiã solstitiales habeãt sua frigora? Addit:Adeo nouum fuisse Petrum potuisse peccare,ut peccatũ illius nec ab euãgelistis poterit cõprehẽdi:ob id,opinor,q̃ Petri negationẽ non referãt eodem modo,aut uerbis obliquis referant.Iam quis non statim uideat hoc uiolentius dictum? Dein q̃ Petrus ab ostiaria *Ambrosius indulgens allegorijs*

ostiaria compellatus, quod esset ex eorum numero qui cum Galilæo, aut cum Iesu Nazareno erant, respondit, Nescio quid dicas: Ambrosius sic interpretatur quasi non sit uox negantis, sed separantis sese à proditione mulieris. Quod si uerum est, quomodo constat ueritas Euangelistæ, qui ait: At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Deinde quomodo uerum erit quod dominus futurum prædixerat: Antequam gallus bis cantet, ter me abnegabis: si hæc non est prima negatio, maximè quum sequatur apud Matthæum, Et iterum negauit. Si quod priori ancillæ respondit, Nescio quid dicas, non est negatio: quomodo quod alteri ancillæ abiurauit dominũ, Matthæus dicit, Et iterum negauit. Rursus æque uiolentum est, quòd Petri sermonem abiurãtis se fuisse cum Iesu Galilæo, siue cum Iesu Nazareno, sic interpretatur, quasi Petrus negãdo se nosse Iesum Galilæũ aut Nazarenũ, professus sit Iesu diuinã naturam: Nescio, inquit, Galilæum, nescio Nazarenũ quem filiũ dei noui: habeant homines locorũ uocabula, dei filium patria non potest nuncupare, cuius maiestatem locus nullus includit. Primũ certũ est, hoc non sensisse euangelistas, quod interpretatur Ambrosius, Alioqui eiusdem impietatis est, negare Iesum hominis filium, & negare dei filium. Hoc etiã frigidius est quod sequitur: Petrus accusatus quod esset ex his qui erant cũ Iesu Galilæo respõdit, Non sum, huc detorquet, quasi Petrus nõ abnegarit Christũ, sed reiecerit uerbũ æternitatis, Erat. Non enim, inquit, erant qui esse cœperunt, hoc est dicere, Ille solus erat, qui in principio erat. Atqui erat per se non est uerbum æternitatis, sed hic sermo, In principio erat, sermo est æternitatis. Quod enim fuit ante creaturam omnem, initio careat necesse est. Simillimũ est quod protinus annectit, Nõ sum. Illius est enim esse, qui semper est: Atqui hoc nec Petrus sensit, nec Euangelista. Rursus quum urgeretur quod inter Galilæi discipulos fuisset, iuxta Marcum iterum negat. Hoc sic excusat. Negauit ex illis se esse, non Christum negauit. Negauerat hominũ consortia, non dei gratiam. Negauerat ex illis esse se, qui cum Galilæo erant, non negauit cum dei filio. Atqui quũ hæc sit una è tribus negationibus, si non negauit Christum, quomodo uerũ est quod Christus prædixit, Ter me negabis? Denique quum magis urgeretur à circunstantibus, qui præter corporis speciem etiam linguam in argumentum adducebãt, tertio cum execratione negauit se nosse hominẽ: Bene, inquit, negauit hominem, quẽ sciebat deum. Tandem fatetur Petrũ negasse, sed nõ peierasse. Id probat arguta quadam ratione quam non satis assequor. Denique, inquit, ubi iusiurãdum est, ibi cauta responsio est. Nam etsi negauit Petrus, non tamen peierauit, quia nec deum periuraturũ esse memorauerat. Hoc sentit, opinor, quod Petrus secundũ Marcũ, appellatus primũ ab ancilla, quod fuisset cum Iesu, tantũ negauit dicens, Neque scio, neque noui quid dicas. Rursus appellatus ab ancilla ac proditus, iterũ negauit, nec aliud quicquã additur: ut scias, inquit, euangelistam ueritati & gratiæ plus dedisse. Veritatem, ut opinor, appellat simplicem facti enarrationẽ, gratiam sensum mysticum, quẽ uult in Petri uerbis latere. Tertio quũ ab astantibus urgeretur, cum iureiurando & execratione negauit, dicẽs, Nescio hominẽ istum quẽ dicitis. Hanc Ambrosius cautionem uocat, Non noui istũ hominem quem uos dicitis. Et ideo non peierauit, quia non promiserat Christo se nõ negaturum deum, quum diceret, Te non negabo: hoc est, quem dei filiũ semel professus sum. Igitur hominem abiurans non peierat. Rursus quũ ait, non sum, excusat quod non esset hominis Apostolus, sed Christi: quẽadmodum Paulus negat se Euangeliũ suũ accepisse ab homine aut per hominẽ, sed per Iesum Christum. Atque hunc locum persequens hoc agit, ut persuadeat Paulum æque negasse Christum ac Petrum, nisi quod Petrus texit sensum suum, Paulus expressit. Atque ut multa transiliam, ne tædio sim hæc legẽti: Quod Lucas scripsit Petrum appellatum, respondisse Non noui illum, hoc commento tuetur. Bene dixit, Temerarium quippe erat, si diceret quod nosset eum, quem mens humana non potest comprehendere. Nemo enim nouit filium, nisi pater. Ita quum iuxta Lucã iterum appellatus ita respondet Non sum ego, hoc colore fucat, Maluit, inquit, se negare, quàm Christũ. Tertio appellatus iuxta Lucam, respondit Nescio quid dicas: sic interpretatur Ambrosius, Sacrilegia uestra nescio. Cæterũ quoniã obijci poterat, si Christũ non negauit Petrus, nec peierauit, ubi est fides domini, prædicentis Ter me negabis. aut quid est quod ad se reuersus tam amarè fleuit Petrus? Sic elabitur ut dicat Petrũ in hoc agnoscere culpã, quod inuolute & ambiguis uerbis Christũ professus sit deũ & hominẽ, quum id

oportuerat

oporteat ingenuè & exertè facere. Hæc quis non intelligit esse coacta præter scripturæ mentem, ut iam excusemus impietatem, sic accipientes negari Christum esse hominem, qui negat eum nihil aliud esse quàm hominem, Sed interim dum commento ludit, excluditur exemplum quod in primis erat inculcandum, hominem quantumuis fortem ex se nihil posse, si suis fidat uiribus, & nisi totus pendeat à gratia dei, quum Petrus qui fidei robore & charitate in dominum cæteros apostolos antecedebat, ac de se tam magnificè professus esset haud dubium quin ex animo, ad mulierculæ uocem tam miserè sit exanimatus, quid facturus in tormentis & mortibus? Tolerabilis est allegoria, quod Petrus negauit in domo Caiphæ. In synagoga negatur Christus, in ecclesia syncera constansq; professio est, Item illud, quod Petrus non erupit in fletum, nisi posteaquam illum respexit Iesus. Rursus illud quod piorum hominum insignes lapsus, plus ædificant interdum ecclesiam quàm aliorum innocentia. Ita Petri negatio docuit omnes, ne quis fidat humanis uiribus. Docuit nemini in crimen lapso spem esse resipiscentiæ, nisi Christus eum suo digneturintuitu. Docuit nullum esse tam atrox facinus, quod non abluant pœnitentiæ lachrymæ. Quemadmodum & peccatricis Euangelicæ exemplum, magno solatio est Christianis omnibus. Poterat igitur & hęc & alia multa ad sensum tropologicũ accõmodari, quę diligenter persequitur Origenes, uidelicet quod Petrus ideo lapsus est, quoniã Iesum sequebatur è longinquo, quod Iudęis sese admiscuerit, quod nox esset & frigus, quod non dum audisset galli cantũ, quod non fleuerit, nisi egressus atrium põtificis. Petri uero peccatum nõ excusat, sed unico tantum colore extenuat, quod abiurauit dominũ nondum accepto spiritu sancto, quũ, ut ait Ioannes, nemo possit profiteri dominũ Iesum nisi in spiritu sancto. Et ideo Petro fuit parata uenia. Cæterũ eos qui post acceptum spiritũ seu uerbis seu factis abnegant Christum, rursus eum sibi crucifigẽtes & sacrosanctum illius sanguinem pro polluto habentes, difficile est renouari ad pœnitentiã. Hæc inquam, nec inutiliter, nec sine gratia differũtur apud populũ. Quod genus est & illud. Petrus iuxta Matthæum ad primã appellationẽ tantum respõdit, nescio quid dicas. Quum ab alia ancilla impeteretur, negauit cum iureiurando: tertio quũ urgeretur ab astantibus, iuriiurando addidit execrationem ac deuouit seipsum. Ita qui semel recessit à Christo, nisi reuocetur per domini clementiã, semper ad peiora prolabitur, donec tradatur in reprobũ sensum: quemadmodum Petrus à mendacio deuenit ad periuriũ, à periurio ad execrationem, fortasse cum Iuda ad suspendium denicq; peruenturus, nisi mature Iesus in eum flexisset oculos. Sed Ambrosij uiolentiã in excusando peccato Petri notat (ni fallor) Hieronymus in cõmentarijs his uerbis. Scio quosdam pij affectus erga apostolum Petrum, locũ hũc interpretatos, ut dicerent Petrum non deum negasse sed hominem, & esse sensum Nescio hominem, quia scio deum. Hoc q̃ friuolum sit, prudens lector intelliget: si sic defendunt apostolum, ut deum mendacij reum faciant. Ita Hieronymus. Similis est uiolentiæ, quod hunc uersiculum Psalmi XXIII. Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ: attribuit angelis qui perstiterãt in pristino statu, adhortantibus eos qui uacillabant, nec adhuc malicioſum à deo desciscendi propositum sumpserant, ut resipiscerent: & putat aliquos resipuisse, & hoc erat introire regẽ glorię, quum tale quiddã nullus usq; memoret scripturę locus. Hoc hausisse uidetur ex Origene, Nam & Hieronymus in hũc psalmũ simile quiddã attingit, etiã si non affirmat ullos resipuisse.

Figmento scripturæ expõsita

Impudentius peccant qui confictam allegoriam mendacio fulciunt. Cui uitio fuit affinis ille de quo refert beatus Hieronymus, enarrãs epistolæ ad Ephes. cap. 5. Is enim apud popularem concionẽ, cui interfuit Hieronymus, perinde quasi in theatro captaret plausum multitudinis, potius quàm interpretaretur scripturæ mysteria, hæc apostoli uerba: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi, siue cõtinget te Christus, accommodauit ad Christum in cruce pendentem, qui hoc sermone compellarit Adam ibi sepultũ sub ipsa cruce, ut sanguine Christi potuerit aspergi. Atq; ut hoc cõmentum reddaret probabilius, quasi linũ, ut aiunt, lino connectens, addidit aliud figmentũ, eum locum ideo fuisse dictũ Caluariæ, quod illic sepultũ fuerit caput ueteris hominis, uidelicet Adę, quum Hieronymus doceat Adam fuisse sepultum in Hebron Arbæ, non in monte Caluariæ. Itaq; aut uanitas fuit asseuerare secus q̃ habet scriptura, aut temeritas pro certo affirmare, quod adeo certũ nõ est, ut uix sit ueriſimile. Deinde mutauit scripturã, ac pro

ὑπόθεσις

ὠλφάνσειοι, id est, illucescet tibi, legit ἐφαψεταίου id est, continget te. Quanquam autem erant tum apud Græcos, tum apud Latinos exemplaria quæ hanc quoq; lectionem aut similem habebant, ipse tamen Apostolici sermonis tenor indicat priorē lectionem esse germanam. Huic tamen commēto mire fuit applausum ab imperita multitudine, cui sæpe gratior est nouitas, quàm ueritas, At non conuenit ut Ecclesiastes suam orationem ad multitudinis uoluptatem accommodet, sed illud potius agendum, ut populus assuescat ijs quæ sunt optima delectari. Hæc ueterum negligētia demanauit ad posteros, quorum nonnullis etiam elegans uisum est, scripturam obtorto collo ad sensum quàm maxime alienum pertrahere. Extant commentarij cuiusdam, nomini parcetur, qui quod est apud

Abac.3 prophetam Abacuc, Turbabūtur pelles terræ Madiam: quod iuxta literam dictum est de tentorijs Aethiopiæ, iuxta moralem intellectum applicari potest ad impios, quorum conscientia tandem perturbanda sit terrore iudicij: detorsit ad Barptolemæum excoriatum, nimis impudenter etiamsi uera fuisset historia: nunc hoc etiam impudentius, quod Ecclesia eam ut fabulosam reijcit. Quis enim sic loqueretur de apostolo excoriato, Turbatas esse pelles illius? Quod nunc referam nec legi, nec ipse uidi, sed ab homine minime uano qui præsens audiuit, accepi. locus tacebitur, ne quis offendatur morosior. E schola quidam prodijt iam aliquem gradum adeptus in theologia, in urbe totius regionis celeberrima, in frequentissima concione sui specimen daturus. Is edidicerat duodecim signa zodiaci, eaq; magno studio ad allegoriam detorquebat, multis admirantibus, subridentibus nōnullis, quibus erat plus nasi. Quàm inutili labore uir ille se torserat tribus aut quatuor mensibus. Nam ante tantum spacij solent præmoneri, qui certis diebus eo loco dicturi sunt, quo ueniant præparatiores. Narrabat idem, alium theologię doctorem, non è multis unū, sed ut in scholastica theologia, ita in disciplinis liberalibus omnibus insigniter eruditum (nam mihi familiariter fuit notus) in eadem urbe, loco omniū celeberrimo, post trimestrem meditationem, ex infimis grammaticæ rudimentis conatum docere mysterium sacræ triadis, eam accommodando ad congruentiam nominis & uerbi. Cum eo theologo quum commentarer de uarijs similitudinibus, per quas docti conati sunt aliquam triadis imaginem ostendere, dixit, nulla ex re aptius proferri similitudinem unius essentiæ in tribus personis, quàm in figura trianguli mathematica, in qua sunt tres lineæ æquales eadem superficie. Quod tamen ridiculi causa non cōmemoro, pręsertim quum in priuata confabulatione dictum sit. Prius illud in tam celebri frequentia nimis erat frigidū. Quid multis? hæc licentia paulatim eò processit, ut ista à magnis theologis pro summa laude cœperint affectari. Ipse audiui theologiæ doctorem Parisijs laurea donatum, ordinis diui Dominici, profecto doctum insigniter & humanum, qui per totam quadragesimā aliquid admiscuit ex Euangelica parabola de filio prodigo, iucunde magis quàm grauiter affingens, quid illi accidisset discedenti à patre, quid reuertēti, ad hunc modum. Vbi nunc est noster filius male frugi? Quid rerum gerit? Venit ad molam aquatilem. Ibi restat. Hic proferebantur è scripturis testimonia de rotis molæ uersatilis, & ad aberrātem accommodabantur. Postero die. Vbi nunc noster prodigus? Quid agit? Repperit popinam. Quid illic? Vescitur. Quid eduliorum? Appositæ sunt illi linguæ incoctæ crusto triticeo, artocrea uocant quidam. Hic adhibebantur testimonia de linguis hominum perniciosis. Singulis item diebus tale quoddam figmentum adferebatur, nōnulla fortasse cum titillatione aurium popularium, quanto cum animorum fructu, nescio. Atqui diuina scriptura fœcundior est, quàm ut huiusmodi fabulis oporteat horam eximere. Et si delectandus est auditor, habet scriptura sua uiridaria, in quibus liceat decētius reficere animum. Iam compertum habeo inter eos qui uitam profitentur contemplatiuam, ac sibi tales uidentur, haberi libellos in quibus simili studio fictis narrationibus addebantur allegoriæ. Vnam exempli causa ponam. Viator quidam lassus, uidens arboris truncū insedit. Non erat autem arboris truncus, sed draco conuoluto corpore dormiens. At bestia pondere insidentis, & calore excitata, erexit caput, ac uiatorem deuorauit. Hinc affingebatur allegoria. Viator est omnis Christianus, qui cupit in hoc mundo conquiescere, sed ubi quietem quærit, mortem inuenit. Proinde qui tutò uult iter suum absoluere, à mūdo sese subducat, & fiat monachus. Quanquam hoc quoq; tolerabilius, quàm quod quidam manifesto falsis affingūt allegoricas interpretationes. Ipse meis auribus audiui quendam non

Allegoriæ confictis rebus additæ

eruditum

eruditum, sed religionis opinione cõmendabilem atq; ob muneris autoritatem grauẽ, qui in fine concionis seriæ, erat enim dominicus dies quadragesimæ, quo tempus expleret, adiecit aliquot fabulas, quarum unam exempli causa narrabo. Aiebat in regione nescio qua esse auem ἀνώνυμον, pulcherrimis plumis decoram, eas plumas illi certis anni temporibus defluere, ac iam deplumẽ, miserabiles edere uoces, nec finem omnino facere donec plumæ renascerentur. Hic allegoria. Auis illa designat hominem, cuius plumæ sunt uirtutes, quæ quum deciderint, lamentis pœnitentiæ reuocantur. Templum erat auditoribus differtum, inter quos erant eruditi plures quadraginta, & in his doctores nõnulli. Euangeliũ erat ex Ioannis capite 9. quomodo Iesus cæco nato restituerit oculos. Euangelistæ narratio tam prolixa est, ut huius commoda expositio potuerit totam occupare horam, ac populũ attentũ retinere. Hæc si dissimulantur quid supereſt, nisi ut Ecclesiastes in suggesto narret, interpreteturq; sua somnia. Tametsi non defuerũt qui fictis somnijs demulserint aures concionis. Verum ut hæc inuitus commemoraui, ita libens ad alia digredior. Quædam exempli causa commonstrasse compulit necessitas. Prudentis Ecclesiastæ fuerit à tali specie quàm longissime submouere sese.

Proinde ut ad id quod institueramus sese nostra referat oratio, Pariter impij sunt, qui uel typos uel allegorias submouent è scripturis, & qui sectantes allegoriam sensum historicum reijciunt, ubi nulla cogit necessitas. Sed in his sobria mediocritas est seruanda.

Typi & allegoriæ differentia

Inter allegoriam autem & typum hoc interest. Quæ facta narrantur ut aliud significent, typos ac figuras appellamus: ut serpens æneus in stipite pendens, typus fuit Christi sublati in crucem in salutem omnium credentium, Allegoria magis sita est in doctrina ac præceptis, cuius generis fere sunt, quæ lex Mosi præcepit de ædificando templo, de uestitu sacerdotum, de ritibus sacrificiorum, de circuncisione, decq; cibis mũdis & immundis. Cæterum quod ad tractationem attinet, eadem est ratio typorum & allegoriarum.

Quãdo fas nõ est ab allegorijs recedere

Bifariam aũt ab allegoria à typisue receditur, uno modo quum quod narratur factum aut futurũ simpliciter intelligitur, nec admittitur sensus interior. Velut si quis per petrã unde Hebræis in deserto fluxit aqua, neget significatũ Christum, aut per Mosi faciem uelo obtectam neget significari Iudæos reijcientes Euãgelij gratiã, per Christum omnibus reseratam, Item si quis quæ de regno Christi prædicta sunt à prophetis, neget esse completa, quod iuxta sensum historicum non apparent ea quæ promissa sunt. Nam prophetæ spirituale regnum intelligi uoluerunt, Iudæi expectant regnum mundanum. Sic à typo recedere, impium est, Quum enim sensus historicus ueluti corpus sit scripturæ, sensus recondítior uelut anima, nimirum ab ipsa scriptura recedit, qui quod illius est optimũ repudiat. Sit hoc exempli causa dictum de typis. Consimilem in modum impius sit qui quæ Moses præcepit de uictimis ac ciborũ delectu, putet hodie iuxta sensum externum obseruanda esse: aut quoniam dominus beatos pronunciat eos qui se castrassent propter regnum dei, sic accipiat, quasi deo gratum sit futurũ, si quis amore pudicitiæ sibi amputet membra genitalia. Nam iuxta domini sensum execuit sese, qui Venereæ uoluptatis affectum studio pietatis abiecit. His modis impie receditur à typis & allegorijs.

Quando bene receditur ab allegorijs

Altero modo pie receditur, quũ historico sensui tanq; basi substratæ suus habetur hos, sed huic ad maiorẽ auditorũ fructũ inducitur sensus mysticus. Veluti qui non negat Euã serpentis alloquio corruptã in criminis societatẽ uocasse maritũ suũ, sed huic fundamento addit allegoriam siue tropologiã: Satanã fallacibus promissis solicitare inferiores hominis affectus, ut à dei præceptis recedat, ab affectibus aũt carnis etiam rationem pertrahi in assensum criminis. Eua persuasa comedit. Adam nõ persuasione serpentis, sed nimia in uxorem charitate uictus est, potius q; seductus. Nostra Eua, caro est: Adam, ratio, siue spiritus. Caro infirma est, spiritus aũt prõptus. Item quod docet Solomon, Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem: iuxta sensum grãmaticum quod dicitur uerum est, iratum hominẽ placandum esse uerbis blandioribus, quẽ si uerbis asperis exacerbes, iam irã uerti in furorẽ: non peccat tamen qui sententiam accõmodat ad peccatorem resipiscentẽ. Deus hominum peccatis offenditur, qui si resipiscant, & suã agnoscentes culpã ad eius misericordiam confugiant, frangunt iram ac minas dei: sin persistant in sua malicia, & admoniti, dicant in corde suo non est deus, iam ira dei uertitur in furorem: & qui contemnunt dei patientiam ad pœnitentiam prouocantis, traduntur in reprobum

Prouer. 15

ſenſum. A grammatico ſenſu, quemadmodum ſuperius admonuímus, quem Paulus literam appellat, recedere interdum cogit neceſsitas, interdum ſuadet utilitas. Neceſsitas cogit, quum ín uerbis eſt abſurditas. Euidens abſurditas eſt ín uerbis domíni, quum iubet erui ac proíjcí dextrum oculum, qui ſit offendículo, aut amputari manũ et abíjci: aut odiſſe, patrem, matrem, fratres, ſorores, atq; inſuper manum propriam: quum beatos pronunciat qui ſe caſtrauerunt propter regnum dei. Similiter quũ beatus Paulus iubet mortificarí membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, ac prunas ardentes congerí ín caput inímící. Vtilitas ſuadet, quoties ín uerbis ſcripturæ ſimpliciter intellectís exígua aut nulla eſt utilitas, aut ſi qua eſt, tamen ín ſenſu myſtico longe eſt uberior. Hiſtoria quomodo Iacob auxerit gregem ſuum, quomodo huic Laban impoſuerit Lya pro Rachele ſuppoſíta, non uídeo quíd habeat utilitatis, ſi perſiſtas ín ſenſu grammatico. Niſi forte quis hinc exemplum ducat temperantis pariter & conſtantis animí ín Iacob, qui tanta contumelía deluſus non receſſerit ab amicitía, ſed conditionem quamuis íniquam admiſerit, tum quatuordecím annis abſtínuerit à congreſſu formoſiſsimæ uírgínis, quam ſupra modum adamabat, quum hodíe uix ímpetrarí poſsít à ſponſis, ut unũ menſem ſibi temperent, quín furtím quũ nuptis miſceantur, ínterdũ nec ætate expectata quæ puellas uíri patiẽtes reddit. Rurſus quum Solomon hortatur nos ad exemplum formicæ, ut illius exemplo paremus in iuuentute, quo alamur ín ſenectute, non inutilís eſt admonitio, ſed qualem ethnícus ingereret filío ſuo. Multo autem uberior eſt fructus, ſi totam hãc uitã interpretemur ætatem noſtram, ín qua datum eſt bene agere. Hanc oportunitatẽ qui negligit, poſt mortem hyems eſt, ín qua non licet bene operarí, ſed quiſque mercedem accípit, prout geſsit in corpore, ſiue bonum ſiue malũ. Neceſsitate ígitur depellímur à lítera, quoties ſcripturę uerba ni tropum adhibeas, manifeſtam habent falſitatem aut abſurditatem, aut alioquí ſenſum pugnantem cum doctrina Chriſtí, príſcq; moribus. Veluti quum propheta dícit, Sedebit ſolitarius, & leuabit ſe ſupra ſe. Sermo grammatícus non conſiſtit. Nullus enim poteſt ſeipſum leuare ſupra ſe, ſed fides eſt quæ mentem hominis attollit ultra naturã hominís. Item quod de Chriſto uaticinatur pſalmus, Super aſpidem & baſilíſcum ambulábis, &c. ſi legitur iuxta literam, falſum eſt. Nuſquam enim legitur tale quícquã feciſſe dominus, nec alius ſanctorum quíſquam. Hæc tamen falſitas non eſt ín ſcriptura, ſed ín eo qui perperã accípit ſcripturã, quum tale nihil ſenſerit qui ſcripſit. Abſurditatis exempla paſsim obuia ſunt. Quod genus eſt, quum deus ín Geneſi loquítur, Pœnitet me feciſſe hominem. In deum enim nulla cadit pœnitentia. Rurſus quum Abrahæ loquítur: Deſcendam & uídebo, utrum clamor uerus uenit ad me, an nõ ſit ita, ut ſcíam. In deum enim nulla cadit ignorantía. Tale eſt illud Pauli Rom. 12. quod modo retúlí: Hoc faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Hic abſurditas cum falſitate coníuncta eſt. Qui cíbum & potum dat inimico, multum abeſt ab eo qui cõgerit ardentes carbones ín caput hominís, quod aduerſus ínímícos etiam abſurde fieret.

Scripturæ ſermo quadrifariam diuíditur. Quædam dícuntur, nec ſunt. Quædam ſunt, nec dícuntur. Quædam dícuntur, & ſunt. Quædam nec dícuntur nec ſunt. Primæ claſsis ſunt, quũ deus dícitur obdormíſſe, aut iraſci, aut auertere faciẽ, aliaq; huius generis ímmera, quorũ nihil uere cadit ín deũ: ſed quod ſub his uerbis latet, cõgruit deo. Secundí ordínis eſt, quod filius dícitur homuſios patrí, pater ingenitus & ἀναίτιος, quũ nihil horum expreſſum ſit ín ſacris líteris, ſed hinc certa ratiocinatione colliguntur. Tertiæ ſortis eſt, quod Paulus appellat Chriſtum deum & hominem. Hoc enim citra omnem tropum uerum eſt. Quarti generis ſit, ſi quis dícat treis perſonas eſſe tres deos natura díuerſos, aut mundum caruiſſe ínitio, quod nec ſcriptum eſt, nec ullo tropo uerum eſt. In hís ígitur quę ſunt primæ claſsis neceſſarió recedimus à uerbis, & ad tropologiam confugímus, alioquí litera occídit. Vt autem eius quod tertio loco poſuímus exemplum aliquod proferatur: quod in cantico myſtico ín laudem Solomonis canitur, ſexaginta ſunt reginæ, octoginta concubínæ, adoleſcentularum non eſt numerus, exempli perniciosi ſit, ſi uerba ut ſonant intelligantur, & ad Chriſtíanorum mores accõmodentur. Huic aſsímile quod in eodem cantico ſponſa loquítur ſponſi ſodalibus, quos ínuitat ín hortum ſuum: Comedite amicí mei, & bibite & inebriamíni chariſsimi. Rurſus Hieremiæ 25. Bibite, inebriamíni & uomite. Multo aliud ſentit ſcriptura, cũ uerba ſonant. Huiuſmodi quædam reperiuntur & in

Euan-

Euangelio. Dominus iubet ut feriẽti maxillam unam præbeamus alteram, quod nec Paulus nec ipse dominus præstitit alapa cæsus: & per iniuriam auferẽti pallium, addamus & tunicam. Atqui pręter bonos mores est, peccanti, studiose grauius peccandi dare occasionem. In huiusmodi sermonibus hyperbole est, deterrens à uindicta.

Illud annotãdum, quod interdũ etiã si constet infimi sensus ueritas, nec nulla sit in uerbis absurditas, aut aliud pugnans cum sana doctrina, tamen occidit litera si illi adhæresca-mus. In causa est mutata temporum ratio. Tale fuerit, si quis nunc uitulos imponat altari, quod olim religionis erat, nunc esset impietas. Pręterea si typos legis & uaticinia prophetarum de Christo uẽturo, sic accipiamus quasi nondũ uenerit. Qui pernicioſissimus error in hodiernũ usq; diem tenet infelices Iudæos. Huic similis est error eorum qui quæ uentura promittuntur suo tempore, sic accipiunt quasi iam facta sint. Sic insanijt Phygelus cũ suis gregalibus, qui dicebant iam resurrectionẽ esse peractã, excitato Christo cũ aliquot sanctis, qui moriente Christo reuixerunt iuxta Matthæum, quum dominus apud Ioannem 5. aperte doceat omnes resurrecturos. Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij dei, & procedent qui bona fecerũt in resurrectionẽ uitæ, qui uero mala, in resurrectionem iudicij: idem docet Paulus. Simili dementia tenentur & hodie quidam, qui asseuerant uenisse Antichristum cum pseudoprophetis. Contra hos uenisse Enoch & Heliam cum suis prophetis. Quanq; certo certius est, uenturam aliquando seculi consummationẽ, neq; uero pauca iam præcesserunt indicia, tamen arbitror istos diuinatores insanire. Verum hęc utcunq; habent, illud consultum est, ut quisq; se paret ad extremum diem: ne quum uenerit, inueniat imparatos.

Per allegorias non probari dogmata fidei

Iam quod beatus Augustinus in epistola ad Vincẽtium scripsit, insignis esse impudentiæ, si quis fidei catholicæ dogmata tẽtet probare per allegoriã, cum exceptione est intelligendum, quam ille non prætermisit. Addit enim: nisi habeat & manifesta testimonia, quorũ lumine illustrentur obscura. Proinde nõ est fas de typis & allegorijs dubitare, quarum inuolucra nobis aperuit scriptura canonica. Sicut Christus aperuit quid significaret serpens æneus, quid Ionas post triduum è ceti uentre redditus. Euangelistę commonstrarunt quid senserit dominus, quum diceret, Soluite templum hoc & in triduo excitabo illud: item quum iuberet caueri à fermento Pharisæorum. Quin ipse dominus parabolas aliquot dignatus est explicare. Quemadmodũ Esaias expoſuit allegoriam de uinea, quæ pro uuis genuit labruscas. Similiter Petrus indicauit diluuiũ typum fuisse baptismi Christiani. Paulus docuit petram unde Hebræis fluxit aqua in deserto, designasse Christum. Idem historiam Saræ & Agar accõmodat ad legem & Euangelium. Et uelamẽ quo Moses loquutus populo texit faciem suam, docuit esse typum cæcitatis Iudaicæ, quæ nõ perspicit spiritualem legis intelligentiam. Aperuit et Isaac gessisse figuram Christi: non dixit in seminib. sed in uno semine, quod est Christus. De his et similibus non est fas dubitare, eo quod habeant testimonium ab his quorum est irrefragabilis autoritas. Hæc si Gregorius fuisset interpretatus, non fuisset impium uel dubitare, uel etiam dissentire, nec ex his quicq; potuisset efficaciter probari, propterea quod nobis incertum esset, an hoc sensisset spiritus sanctus. Fieri enim non potest, ut per id quod incertũ est aliquid certò probemus.

Quædam allegoriæ uel per se, uel ex ipso sermonis tenore, uel ex alijs scripturæ locis diluceſcũt. Quod genus est illud Ioannis baptistæ, Matthæi 3. Iam eẽ securis ad radicem arboris posita est. Quoniam præcesſit, Progenies uiperarum quis ostendit uobis fugere à uentura ira, & cætera. Ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham: quia potest deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, Perspicuũ est quid sibi uelit securis metapho ra, nimirum fore ut ni mature pœnitẽtiam agerent, populus Israeliticus insanabiliter reijceretur propter obstinatam incredulitatem, & euangelij gratia Abrahæ nepotibus promissa transferretur ad gentes Abrahæ fidem imitantes. Allegoria uero Psalmi septuagesimononi: Vineam de Aegypto transtuliſti, perpetua usq; ad Psalmi finem, etiamsi parum diluceret ex uerbis admixtis, de Aegypto, & eiecisti gentes, tamen ex Esaiæ capite 5. lucem acciperet: Illic enim ipse propheta suam allegoriam interpretatur, Vinea domini exercituũ domus Israel est, & uiri Iuda germẽ delectabile eius. Quod aũt de uinea dixit, Expectaui ut faceret uuas, et fecit labruscas, sic explicat, Expectaui ut faceret iudiciũ, et ecce iniquitas, & cætera. Item ex capite tertio, Vbi dominus expostulans cũ ijs qui moribus impijs

impijs corrũpebant & uiolentia opprimebant populum Israeliticum, ait, Vos enim depasti estis uineam meam. Quẽadmodum & Hieremiæ duodecimo: Pastores, inquit, multi demoliti sunt uineam meam. Quoniam autem allegoria uineæ frequens est apud sacerdotes, etiam principes sacerdotum & Pharisæi intellexerunt parabolis Iesu de conductis in uineam, & de colonis uineæ qui occiderunt filium, ipsorum malitiam denotari, & offensi quærebant inijcere manus domino. Parabola uero de tribus, quinq; & decem talentis per se liquet, admonens ut quisq; facultatem sibi à deo donatam conferat ad utilitatem proximi sui, donec ueniat tempus iudicij.

Rursus sunt quæ tantum habent caliginis ut nullo humano ingenio possint ad liquidum explicari, Quales quum aliæ multæ sunt apud prophetas, tum uero apud Ezechielem, in initio ænigmata rotarum: & à capite quadragesimo, descriptiones & dimensiones templi. Igitur ex uehementer obscuris nihil possis euincere, si incidat cõtrouersia, nec ex ambiguis. Euidens sit oportet, quod coarguat aduersarium, aut confirmet ambigentem. Etenim si cuius interpretationem proferas, dicet hominis esse commentum, si tuam ipsius, ridebit somnium tuum & locum aliter interpretabitur. Itaq; nihil agunt, qui confessionem sacramentalem asserere conantur ex Christi uerbis: Ite, ostendite uos sacerdoti. Iuxta rectum sermonem perspicuum est, quare Christus ita iusserit, nimirum ad euidentiam miraculi, si ijdem sacerdotes à quibus fuerant iudicati, pronunciarent eos esse mundos. Quod isti addunt allegoria est, iuxta quam si lepram accipimus hæreticum errorem, solis hæreticis imposita est confitendi necessitas.

Quatenus utiles allegoriæ

Hic fortasis alicui uenit in mentem, si hæc uera sunt, pleraq; allegorias esse inutiles. Nam quo conducũt si nihil probant? Atqui longe secus est. Plurimum ualent ad excitandum languentes, ad consolandum animo deiectos, ad confirmandum uacillantes, ad oblectandum fastidiosos. Neq; enim Ecclesiastæ semper res est cũ hæreticis aut impijs, qui non allegorias tantum, uerũ etiam euidentissima scripturarum testimonia, uel renciunt uel deprauant interpretatione. At qui dociles sunt, etiam piorum hominum commentationes fauentibus animis excipiunt. Adde huc, quod ut non constet spiritum sanctum hoc sensisse quod adfert interpres allegoriæ, non constat tamen spiritum sanctum hoc non sensisse. Immo probabilius est eum hoc sensisse, si modo quod adfertur, consentaneum sit fidei sanæ dogmatibus & alijs scripturæ locis. Et pię mentis est, credere doctorẽ, uitæ sanctimonia probatum, diuinitus accepisse quod interpretatur. Neq; enim est abbreuiata manus domini. Nec absurdum est hoc quoq; uoluisse spiritum sanctum, ut scriptura nonnunq; uarios gignat sensus, pro cuiusq; affectu: Sicuti manna cuiq; sapiebat quod uolebat. Nec hæc est scripturarum incertitudo, sed fœcunditas.

Quare scriptura inuolueris operta

Quamobrem autem deus uoluerit scripturam hoc genus inuolucris, & alijs obscuritatibus opertam & inuolutã esse, eleganter explicat Augustinus in opere de doctrina Christiana. Expediebat cœlestis philosophiæ mysteria sic uelari impijs, porcorũ exemplo conculcaturis margaritas, ut tamen pijs ac docilibus pateret aditus. Conducebant & humanæ mentis somnolentiæ excitandæ. Quod in promptu est, negligimus iuxta Græcorum prouerbium, in foribus hydriam. ad recondita semotaq; sumus auidiores, & ut magis illa iuuant, quæ pluris emuntur: ita chariora nobis sunt, quæ cum labore sumus assequuti, ꝙ quæ ultrò obtigerunt. Præterea quemadmodum multa per uitrum aut succina pellucent iucundius, ita magis delectat ueritas per allegoriam relucens. Postremo sicut habet plus caloris radius speculo aut ęnea pelui exceptus, ita uehementius afficiunt animos nostros quæ per allegoriã traduntur, ꝙ quæ simpliciter narrantur. Quod idem usu uenit in picturis. Altius insidunt animis nostris quæ de Christo referuntur, quod sua morte nos liberarit à tyranníde Satanę, ab ignorãtia ueri, à seruitute peccati, si adhibeatur allegoria de phase. Quid, quod etiam memoriam adiuuant. Nam qui profitentur artificium memorię, per imagines quasdam infigunt animis quod nolunt per obliuionem excidere. At huiusmodi signis, multo rectius imprimitur animis nostris, ꝙd nõ oporteat obliuisci. Prophetici est prius signo rem adumbrare ꝙ aperte narretur. Ea res tum facit ad fiduciã, tum ad docilitatem auditorum. Sic euangelio fidem astruunt figuræ ueteris instrumenti, & oraculorũ ænigmata. Deniq; perspicacissimus ille Gregor. Nazianzenus libro theologiæ quinto, demõstrat in cœlesti philosophia docendi rationẽ esse cõmodissimam, si nõ statim aperiatur

riantur ſumma, ſed per gradus quoſdam, auditores deducantur ad perfectam cognitionem. Ita uetus teſtamentū typis & ænigmatibus ueluti rudimentis præparabat mundum ad lucē Euangelicam, ſic ipſe Chriſtus paulatim ſuis aperuit illa ſublimia, non protinus, ſed parabolis & ambigue dictis atq; admirādis factis huc præparauit ac paulatim formauit animos diſcipulorum, ut primū crederēt eſſe bonū uirum, deinde prophetam, mox in eo ſuſpicarentur aliquid prophetica dignitate ſublimius, tandē uirtutē & homine maiorem in eo agnouerunt. Sed hæc omnia uelut in ſomnis, donec ueniret ſpiritus ille igneus, qui ſomnum excuſsit atq; deduxit in omnē ueritatē. Ne ad fidei quidē dogmata prorſus inutiles ſunt allegoriæ. Non euincunt quædā, ſed ſolidis adhibitæ teſtimonijs, lucē & gratiam addūt. Exemplum eſto locus qui eſt apud Ezechielem cap. 37. de oſsibus aridis, quæ ad uocem prophetæ colliguntur, & adductis neruis in ſuum quæq; locum reponuntur, mox carne conueſtiuntur, denicq; ſpiritu inducto reuiuiſcunt ſurguntq;. Senſus grammaticus nihil habet niſi ſignū & imaginem uaticinij. Nec allegoria prima deſignat reſurrectionem corporum, quam nobis promiſit dominus: ſed innuit fore, ut populus diſperſus ac deſperatus quaſiq; mortuus ac ſepultus, cōgregetur in unū, & ab afflictionibus reſpiret. Id eſſe uerū ipſa prophetiæ declarat interpretatio. Nec opus eſt hoc teſtimonio ad probandam reſurrectionem, alijs ſcripturæ locis abunde probatam. Si tamen accedat, nō mediocrem gratiam & euidentiam adiungit, neq; nobis conſtat an ſpiritus ſanctus illic genuinam allegoriam nobis cōmendarit. Similis locus eſt Iob 19. Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, et rurſum circundabor pelle mea, et in carne mea uidebo deum: & cætera. Satis conſtat hæc dici aduerſus amicos Iob, qui ſic loquebantur, quaſi ob impietatē Iob afflictus eſſet à deo, nec ulla ſpes ſupereſſet fortunæ melioris. Iob autem ſibi bene conſcius, reſpōdit ſe certam habere ſpem, ut deus qui immiſit calamitatem, ab ea redimat, ac in ſterquilinio iacentem erigat, & cui iam ſcabies & fames, pellem & carnes exederat, priſtinam reſtituat ualetudinem, rurſusq; cum deo propitio colloquatur, qui tū uidebatur auerſus. Nam quod dixit, in nouiſsimo die, ſentit ante mortem. Impium tamen eſſet aſſeuerare quod ibi ſpiritus ſanctus non ſignificarit nobis ueram corporum reſurrectionem. Adſimili tropo dictum eſt in pſalmo 26. Credo uidere bona domini in terra uiuētium: pro eo quod erat in hac uita, quēadmodum Ezechias deſperans uitam ait. Non uidebo dominum deum in terra uiuentium. Non euincit allegoria, confirmat tamen, nec eſt à pijs reijcienda. Cæterum illud erit prudentis Eccleſiaſtæ, in allegorijs adhibendis habere delectum. Is autem uarius eſt. Primum quoties eandem allegoriam doctores uarijs modis interpretantur, eam ſumet, quę ad germanum ſenſum proxime uidebitur accedere. Quod ſi nullius commentum placet, ipſe ſuū proferet, quod tamen temere fieri non oportet. Nec expedit apud imperitam multitudinem diuerſas autorum interpretationes adferre, quod ea res præter tædiū quo grauātur auditores, eleuat allegoriarum fidem. Nec neceſſe eſt omnes allegoriæ particulas ſuperſtitioſe excutere. Ea res frigus adfert dictioni, ſed eæ tantū attingendæ, quæ maxime congruunt, quæq; tractatione magis ſplendeſcunt, & ad concitandos affectus ſunt conducibiliores. Quemadmodum enim in exponendis prophetarum oraculis quædam admixta ſunt, nō ut aliquid ſignificēt, ſed ut narrationem cōcinnent cōnectantq;: ita in locis allegoriam habentibus quædam ad ſermonis contextū admixta ſunt. Nec oportet allegoriā longius perſequi q̄ res poſtulat. Exemplo fuerit ipſe dominus & Paulus, qui ſummatim attingūt allegorias. Velut ex eo quod Chriſtus dixit, Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud, quidam quorum fuit Irenæus, ratiocinati ſunt dominū in carne uixiſſe annis quadraginta, eò quod templum totidem annis extructum legimus. Atqui non eouſq; proferenda erat ſimilitudo. Alioqui alia plurima quæ templo adſunt, erant ad Chriſti corpus accommodanda. Satis erat per tēplum intelligere corpus domini, per deſtructionem mortem, per erectionem, intra triduum, reſurrectionem. Hoc admoneo quod nonnulli ueterum hac quoq; in parte ſibi plus ſatis indulſerunt. Quodq; iuxta rhetorum præcepta monet Auguſtinus, ne in grandi genere dictionis, & in uehemētioribus affectibus cōcitandis diutius immoremur, idem obſeruādum in explicandis allegorijs, quæ ueluti cōdimenta ſunt aſpergenda, facile abitura in faſtidium, ſi pro cibis adhibeantur. In his explicandis cōcionator perſpicuitate ac feſtiuitate dictionis, tum crebra ſentētiolarum interie-

Allegoriarū delectus

ctione, postremo tropis ad probabilitatem ac iucunditatẽ facientibus studebit omne tæ-
dium ac frigus secludere. Iam inter species allegoriarũ, eæ frequentius sunt adhibendę,
Allegoriarũ species quæ lõgius absunt à periculo tædij, è quib. est tropologia de qua superius admonuimus.
Origenes et qui se ad huius imitationem cõposuerunt, libenter philosophãtur de litera &
spiritu, de ecclesia ex gentibus cõgregata, & synagoga. Verum hoc allegoriarũ genus tem
pestiuius erat in ecclesiæ primordijs, quum adhuc ferueret contentio inter Euãgelium &
legem Mosaicã, inter Iudæos & Christianos, neq; pauci ab Euangelij gratia in Iudaismũ
retraherentur. Non desunt tamen hisce temporibus Iudæi qui in synagogis suis conuitijs
lacerant Christum super omnia glorificandũ, at cum his non est nobis conflictatio. Tole-
rat hoc obstinatum hominum genus Christiana lenitas in spem resipiscentiæ, quam Pau-
lus futuram aliquãdo prædixit. Plane Pauli beneficio supersunt illius gentis reliquiæ, cui
utinam dominus aperiat cordis oculos, ut nobiscũ agnoscant uerũ Messiam, deum et ho
minẽ, extra quem nulla est uera salus. In superioribus ostẽdimus, quantũ cõmoditatis ha-
beat eius formæ tractatio, quam recentiores appellãt tropologiam. Eam D. Hilarius non
attingit, sed Origenẽ, ut opinor, sequutus, Gerasenorum ciuitatẽ, unde dominus rogatur
ut abeat, interpretatur, populum Iudaicũ qui repulit Euangelij gratiã: Christi ciuitatẽ ad
quam reuehitur, populum fidelium, quæ est Ecclesia, paralyticũ uult totius gentis huma-
næ habere typum, qui per fidem in Christũ sanatur, & ab omnibus liberatur peccatis: an-
notans & illud quod nõ dictũ est paralytico Sanus esto, sed dicitur Constans esto: quum
Græce sit θωῤῥοῦ, quod nihil aliud sonat Latinis, q̃ cõfide, aut bono animo esto. Mox & li-
teram conuellit, idq; nimis Origenicè, quo allegoriæ faciat locum, Non legimus, inquit,
aliquid peccasse paralyticum. ac sententiã uiolentam testimonio parum congruente con-
firmat, adducens de cęco nato: de quo dominus pronunciat, quod nec ipse nec parentes
peccatis cõmeruissent, ut cæcus nasceretur: nec enim protinus simpliciter peccatis carẽt,
quibus ob peccatum non est inflicta calamitas. Ad hæc ut constet cæcũ caruisse peccatis,
non statim consequens est paralyticum caruisse peccatis. At certo certius est paralyticum
non caruisse peccatis. Alioqui iuxta sensum historicum, uanus erit sermo Christi, Remit-
tuntur tibi peccata. Non enim, inquit, paralyticũ peccasse aliquid accepimus. An non pa
lam dicitur peccasse, cui dicitur, Remittuntur tibi peccata? Ille bene annotauit, à Christo
per fidem remissum, quod lex laxare non poterat: & addit, Fides enim sola iustificat. At-
qui hæc est uox tot clamoribus hoc seculo lapidata, quæ in Hilario reuerẽter auditur. Por
rò quod à domino dictũ est paralytico, Abi in domũ tuã, interpretatur paradisum, unde
fuit eiectus Adamus, cuius aditus denuo per Euangelium patefactus est homini. Ista qui-
dem non inepte dicuntur, sed nemo nõ uider, quanto sint duriora, minusq; probabilia ijs
quæ de tropologia cõmonstrauimus, cum hoc quod in ecclesiæ primordijs tẽpestiuius di
Allegoriæ un de sumẽdæ po tissimum cebantur. Iam quemadmodum refert quã allegoriæ speciem tibi deligas, rursus q̃ cõ-
modis rationibus eam tractes, ita nonnihil refert, unde sumas allegoriarum fundamenta.
Qua de re uideor idem admonere posse, quod de scripturarũ testimonijs, ut ex his potis-
simum libris proferantur, de quorum autoritate nulla unq̃ fuit dubitatio, nec apud He-
bræos, nec apud Græcos, nec apud Latinos. Cuius ordinis sunt, Genesis, Exodus, Leuiti
cus, Numeri, Deuteronomiũ, Iosue, Iudicum, Ruth, Regnorũ quatuor, Paralipomenon
duo, totidem Esdræ, Hester, Iob, Psalmi, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Prophetæ
duodecim. Atq; hi quidẽ ueteris instrumenti. Noui uero sunt hi, quatuor Euãgelia, Acta
apostolorũ, Pauli epistolæ omnes, excepta ea quæ scribitur ad Hebræos, Prima Petri, &
prima Ioannis. Non quod cæteris adimã autoritatẽ, sed quod horũ præcipua sit autoritas.
Quidã impense candidi, conantur omnium autoritatem æquare, nituntur q; nobis persua
dere etiã tertium & quartum Esdræ, quorum somnia contemnit Hieronymus, sancti spi-
ritus afflatu scriptos esse: et librum cui titulus Sapientia, quẽ pleriq; Philonis esse credunt,
à Solomone fuisse conscriptum, quum nec stilus conueniat, & ipsa res satis præ se ferat,
hoc opus post Christi tempora esse conscriptum. Videbitur hæc alicui ciuilitas, uerum ea
ciuilitas magis eleuat pondus scripturæ canonicæ, quàm confirmat. Nec enim sine causa
primores ecclesiæ reiecerunt apocrypha, aut certe semouerunt.

Tropologiæ nusquam non est locus, ut interim his uocibus abutamur docẽdi gratia.
Cęterum allegoria & anagoge nõ pari felicitate in quibuslibet scripturæ libris inducitur.

In Genesi

In Geneſi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, maiorem habent gratiã. In Ioſue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Eſdræ & Heſter, non item, niſi quædã è multis deligas. Dauid enim & Solomon in quibuſdam Chriſti typum gerunt. Neq; nullus tamẽ delectus eſſe debet in ſuperioribus libris. Neq; enim myſticum ſenſum habent omnia, & ſunt quæ per allegoriam aut anagogen tractata frigent. Tametſi non defuerunt qui omnia deflexerint ad ſenſum ſpiritualem. Quorum de numero eſt Auguſtinus, & hoc recentior Eucherius, aliiq; nonnulli. Vt autem aliquid exempli cauſa proferam, Sunt qui Geneſis 30. Liam deformem, ſed fœcundam, Rachelem formoſam, ſed ſterilem, detorqueãt ad allegoriam: Auguſtinus etiam illud quod eodem capite narratur, de nocte redempta mandragoris, quaſi citra allegoriam locus parum haberet dignitatis aut utilitatis, mihi cõtra uidetur. Primum hic animaduertenda eſt diuinæ bonitatis diſpẽſatio, quæ diuerſis dotibus æquat omnes. Racheli formã dedit, qua cõmendaretur marito, Liæ fœcunditatem uſq; ad quartam prolem, ut iam ſororem æquarit gratia. Liam mœſtã conſolatus eſt. Racheli formoſę addidit ſterilitatem, ne nimis aduerſus ſororem inſoleſceret. Ad bonos mores pertinet & illud, quod uxores tanto ſtudio nituntur placere uiris ſuis, non philtris aut fucorum lenociniis, ſed pariẽdo. Vigebat adhuc illud præceptum, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Rachel inuidit ſorori ſuæ. Quid autem inuidit? Non uoluptatem concubitus, ſed fœcunditatẽ. Tantus aũt erat amor prolis, ut prius q̃ ipſæ concipere poſſent, ancillas ſuas utraq; marito ſubiecerit, quod ante feciſſe legitur & Sara: multo aliter affectæ, quàm hodie quædam fœminæ, quæ pharmacis arceſſunt ſterilitatẽ, ne parturiendi nutriendiúe laborem ferant, aut ne quid ſenij formæ cõcilient, ut ne cõmemorem quarundam execrandam impietatem, quæ fœtum iam uiuum in utero necant aut pharmacis eiiciunt. Annotandum & illud, quod pro ſingulis partubus deo gratias agunt, nimirum intelligentes & ſterilitatem & fœcunditatem arbitrio numinis immitti.

Frigidius etiam fuerit, ſi quod illic narratur de uerſicoloribus uirgis ad allegoriam detorqueamus. Nihil ne igitur fructus præter narrationis uoluptatem? Eſt aliquid moribus accommodum. Eximiæ fidei exemplum eſt, quod Iacob homini nec fido, nec commodo, tot annis ita ſeruierit, ut ipſe Laban fateretur ſe Iacob fideli miniſterio fuiſſe locupletatum. Illud autem agit uir manſuetiſsimus, ut abſq; iurgio & cum bona pace diſcedat à ſocero difficili & moroſo, Da mihi, inquit, uxores & liberos meos, ut proſpiciã domui meæ. Nihil petit mercedis præter uxorem & liberos. Hac uerecundia uir alioqui durus commotus ultro offert mercedem. Iacob autem ne qua in re moleſtus eſſet, pro præterita ac futura ſeruitute nihil aliud petit, niſi ut quod de gregibus in poſterum naſceretur uarium, ipſius eſſet: quod unius coloris, ſoceri. Eam conditionem ut æquiſsimam Laban cupide recepit, ſciens in pecudibus rarum eſſe uarium colorem. Hic uero pateſcit fiducia Iacob erga deum. Neq; enim ſecundum naturam eſt, ut ex uirgis uerſicoloribus obiectis naſcãtur uarię pecudes. Magni negocij eſt ab improborum cõmercio ſine rixa diſcedere. Vides in loco qui uidebatur frigidus, & pene dixerim abſurdus, non uulgarem latere doctrinam ethicam. Sit hoc exemplum unum plurimorum loco poſitũ. In huius generis locos ſi quando incidet Eccleſiaſtes, ab allegoriis & anagogis abſtineat: aut ſi putabit adhibendas, ſummatim paucis & in tranſcurſu attingat: tropologiam tractet accuratius.

Non ab re fuerit ob ſimpliciores quoſdam & illud admonere, nihil obſtare, quominus eadem res typus ſit pluriũ, aut idem ſermo diuerſas habeat allegorias. Verbi cauſa, Manna quod Hebræis fluxit in deſerto, figuram habet ſermonis euangelici, quo paſcuntur animæ piorum: & idem typum habere poteſt, corporis & ſanguinis dominici in euchariſtia, quemadmodum aperit ipſe dominus Ioannis ſexto. Et eadem Hieroſolyma nunc typum gerit eccleſiæ militãtis in terra, nunc triumphantis in cœlis. Item Goliath à Dauide proſtratus figuram habet Chriſti deiicientis Satanæ tyrannidem, & hominis pugnãtis ſpiritu aduerſus carnem. Interdum unus typus gradus eſt alterius: ueluti ſerpens æneus in ſtipite fixus præſignauit Chriſtum crucifixum. Ac rurſus Chriſtus in crucẽ ſublatus admonet nos, ut abducti ab amore rerum terrenarũ, ſpiritu feramur in altũ, ac mundo carniq; moriamur. Idem dici poteſt de omnibus quæ dñs geſsit in terris, quæ ſicuti figuris adumbrata ſunt in ueteri teſtamento, ita nobis typi ſunt, quid agere debeamus. Tantum de figuris. Allegoriæ exemplũ illud eſt: Moſes Deuteronomij 22. uetat ne quis aret in boue & aſino

asino. sensus allegoricus esse potest, ne misceamus Iudaismũ cum Christianismo: nõ enim cõueniũt clamãte Paulo: Si circũcidamini, Christus nihil uobis proderit potest et hic esse: ne sic profitearis te Christianũ, ut simul & mundũ colas & deũ. Rursus hic. Noli simul & theologiam profiteri, & pari studio mundanæ philosophiæ deditus esse. Non onerole ctorem turba exemplorũ, qui ex uno facile conijciet cætera. Incidit interdum, ut uideantur diuersæ allegoriæ, quũ non sint. Verbi gratia, Origenes interpretatur siliquas porcorum, quibus ille parum frugi filius cupiebat explere uẽtrem, carmina poetarum: alius interpretabitur eas, Platonicam aut Aristotelicam philosophiã, alius honores aut opes aut delicias huius seculi. Nec hi sensus diuersi sunt, sed eiusdem generis species, Solus deus qui est summum bonum, uere satiat hominis mentem, à quo si excideris, quicquid illud est in quo cupis acquiescere, siliquæ porcorum sunt. Postremo eiusdem plures esse possetypos aut plures allegorias, quemadmodum & similitudines, notius est quàm ut sit admonendum. Videor mihi de tropis & allegorijs satis disseruisse ad alia transiturus, si illud adiecero, quod admonet Diuus Augustinus, ut in explicãdis scripturarum obscuritatibus dilucida sit concionatoris oratio. Ob causas quas commemorauí expediebat scripturam canonicam alicubi inuolucris opertam esse. At non idem conuenit scripturarum interpreti. Lux sit oportet, quod discutiat tenebras. Hoc fortasse uideri possem sine causa admonuisse, nisi uiderem quosdam in dicendo imitari sermonem propheticum, ut ad intelligentiam ænigmatum opus sit alio interprete.

Sunt qui fortiter negent in canonicis libris ullam inesse obscuritatem, modo adsit peritia sermonis & sensus communis. Quorum opinioni hactenus certè faueo, ut optarim esse ueriſsimam. Sed una uoce reclamant omnes Ecclesiæ doctores, & in his ij quoq; qui nec linguarum peritia nec sensu communi caruerunt. Obscuritas autem non solum ex tropis, sed compluribus alijs ex causis nascitur, quas hic summatim commemorare non ab re fuerit, simúlque commonstrare quibus rationibus difficultates possint expediri: tametsi de his sparsim in superioribus nonnihil attigimus, & uigilantissimus Ecclesię doctor Augustinus, quum in diuersis opusculis suis, tum præcipue in libris de doctrina Christiana, multa præcepit.

Obscuritates unde & quo discutiendæ

Vt autem ordiamur ab infimis: Interdum remoratur lectoris intelligentiam codex scribarum aut deprauatorum uitio mendosus, id quod aliquot locis usu uenit beato Augustino. Huic incõmodo remedium erit, si cõsulueris exemplaria castigatiora. Interdum ex eo quod Græcus aut Latinus interpres uel perperã uel obscure, uel ambigue reddidit quod uertit. Huic incõmodo quatuor rationibus licet mederi, si uel fontes ipsos cõsulas, Hebræorum aut Chaldæorum in ueteri instrumento, Græcorũ in nouo, uel ueterũ interpretationes excutias, unde deprehendi potest germana lectio, uel diuersas conferas uersiones: fit enim frequenter ut quod hic obscure aut ambigue uertit, alius dilucide transferat: uel eorum denicq; cõmentarios adeas, qui in hoc ipso sumpserũt operã, ut huiusmodi difficultates submouerent. Ad id tametsi ueterũ diligentia nõ parum adiuuerit sacræ philosophię studiosos, tamen quoniam nunq; cessat deprauatorũ improbitas & scribarũ oscitantia nunq; expergiscitur, semper erit necessarius restituẽtium labor. Qua quidẽ in re & nos prẽter alios pro nostra uirili sumus adnisi. Vtinã tantũ præstare potuissemus, quantũ optauimus. Quot seculis in templis canitur ex Psalmo 41. Ita desiderat anima mea ad deum fontem uiuum, pro fortem uiuum quemadmodum uerterunt septuaginta, & habet Hebraica ueritas. Augustinus hanc particulã non attingit, fontem, & uiuũ appellat, ut distinguat à simulachris mortuis, quæ non possint homini conferre salutem, & à malis liberare. Quot seculis ex epistola ad Hebræos priuatim ac publice legunt, Fide quidam placuerunt angelis hospitio exceptis, pro latuerũt angelis hospitio exceptis. Germanam lectionẽ scriba deprauauit, nõ agnoscẽs Græci sermonis proprietatẽ. Et huius generis sunt innumera. Nonnunq; ex proprietate linguarũ nascitur difficultas. Habet enim unaquæq; lingua suas loquendi formas peculiares, quas si transferas in aliã linguam, non intelligun tur ab ijs quibus altera tantũ lingua cognita est. Quod genus est, Hebræi geminatione uocis significant ἐπίτασιν, ut quũ dicũt, Ficus bonas bonas, pro uehementer bonis: & Ficus malas malas, pro uehementer malis. Et Græci dicũt, Noui tibi gratiam, pro habeo tibi gratiã; Latuit aduersus seipsum loquutus, pro insciens aduersus seipsum loquutus est. Hanc

Deprauata

Psal. 41

Heb. 13

inquã

inquam,sermonis formam quoniã nõ agnouit quisquis ille fuit, deprauauit locum apud Paulum,Placuerũt angelis hospitio exceptis.Habet & sermo Latinus idiomata sua,quæ perturbant huius peritia leuiter tinctos. Septuaginta multum Hebraismi reliquerant in sua uersione,cuius partem aliquam explicuit Augustinus in libris loquutionum. Hieronymus autem æditione sua peregrinitatem eam adeo submouit ut propemodum plus sit Hebraici idiomatis in nouo testamento Græco q̃ in uetere. Idem remedium est aduersus ambiguitatem,siue uocis,siue compositionis. Paulus 1.Corin.15.iurat per suam gloriam. Quotidie morior per uestram gloriam. Verum hæc præpositio apud Latinos anceps est, eoq; qui tantum Latine sciret,ambigeret utrum ea gloria Paulo causa fuisset,quur quotidie moreretur,an iuraret per eam gloriam,Ac uox Græca νὴ non est anceps, sed tantum iurando asseuerantis.unde apud Latinos per, uerterunt in propter,& in nonnullis Græcorum codicibus deprehenditur διὰ pro νὴ, id quod duplici de causa potuit accidere: siue quod aliquis codicem Græcum emendauit ad nostram deprauatam lectionem, quod sane plurib.in locis facium,est uerisimile,siue quod Græci cõplures abhorruerint à iureiurando,tam diligenter à Christo interdicto,contendantq; Paulum nusq; iurasse. Quidam horrent dei filium iuxta diuinam naturam dici creaturam,quod Latinis creari dicitur hoc quod prius non erat.At non horret Athanasius neq; Gregorius Nazianzenus & Hieronymus,si modo sic interpretemur creaturæ uocabulum, quemadmodum illi iuxta Græcam uocem interpretantur. Græcis κτᾶσθαι uox est ambigua quẽadmodum & κτίσις.Neq; enim solũ κτᾶσθαι dicitur quod instituitur aut conditur,sed etiã quod paratur ad aliquem usum,unde κτῆμα possessio,non quod possessor creauerit seruum aut domum, sed quod sibi ad usum parauit. Vnde Tertullianus Græci sermonis peritus κτίσιν fere uocat non creaturam,sed paraturam.Paratum autẽ esse quod est sine initio,nihilominus absurdum est q̃ prædestinatum esse.Porro filius ab æterno fuit prædestinatus,ut homine assumpto mundum redimeret.Non est igitur quod offendamur,quum legimus Ecclesiastici 24.de sapientia dictum:Et qui creauit me,requieuit in tabernaculo meo. Ac mox,Ab initio & ante secula creata sum:Item Prouerbiorum 8.Dominus possedit me ab initio uiarum suarum,quod illic uerterat creauit,hic uertit possedit, Græcis idem est uerbum ἔκτισεν.

Nonnunquam obscurat intelligentiam, antiquitatis ignoratio, plurima siquidem in rebus humanis nouat ætatis diuturnitas. Veluti quod scripsit Horatius, Scriptor utroq; tuum laudabit pollice ludum: nemo fuerat intellecturus,nisi ueteres admonuissent,olim qui fauerent pollicem premere solitos. Itidem quod est in Psalmo 68. Aduersum me loquebantur,qui sedebant in porta:iuxta sensum grammaticum minus liquebit,nisi moniti fuerimus, olim Iudæos in portis urbiũ solitos exercere iudicia. Ad id facit quod Deuteronomij uigesimoprimo pater filium contumacẽ iubetur adducere ad seniores illius ciuitatis & ad portã iudicij. Præterea secundi Regum decimoquarto, Absolon stans in ingressu portę inuitat ingrediẽtes et egrediẽtes,ut suas causas ad se deferant. Similiter quod dominus Pharisæis exprobrat latas fimbrias & phylacteria, uix quisquam intellexisset, nisi periti antiquitatis admonuissent Pharisæos hunc morẽ arripuisse ex Deuteronomio capite sexto.Ligabis ea in manu tua,& erunt immota ante oculos tuos.

Interdum ambiguitatem parit uox diuersa significãs aut certe diuersis modis usurpata.Prioris exempla multa sunt apud Hebræos, dictiones quæ ijsdem literis & ijsdem notis res diuersas significant:rursus,quæ ijsdem elementis,sed mutatis notis diuersa significent.Apud Græcos τέλος finem declarat & uectigal, unde dicti telonæ qui exigunt uectigalia.Celebratur Euripidis sententia, ἀχαλίνωι στόματι τὸ τέλος ὄλυσχιε.quod ita uertêre quidam non indocti,Effrenis oris finis infortunium.at mea sententia rectius uertisset, Effrenis oris uectigal infortunium. ut uectigal perinde ualeat: quasi dicas,fructus. Apud Latinos os aliud significat quum paternus casus habet oris, & aliud quum habet ossis.Nisi quod iuxta grãmaticos discrimen prodit ipsa pronunciatio:si producas os, est illud unde dicitur oris:sin corripias,est unde ducitur ossis. Produces,si sic efferas quasi sones os per geminum oo:corripies,si per unicũ,ut nunc uulgus pronunciat. Nam longarum ac breuium syllabarum differentia pene in totũ sublata est, nisi si quam faciat accentus:qua de re disseruimus in libello de recte pronunciando. Posterioris exemplum illud esto.Cõsummatio in scripturis interdum sonat perfectionem,ut dominus in cruce,Consumma-

ſummatum eſt. Interdum παντελεθρίαν, ſiue internicionem, Veluti Eſaiæ decimo. Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam. Item Hieremiæ quarto. Deſerta erit omnis terra, conſummationem tamen non faciam: id eſt, non ſemel perdam uniuerſos. Ita ſpiritus, interdum pro flatu ponitur, interdum pro affectu hominis, interdum pro ſpiritu ſancto. Idem ſentiendum eſt de multis alijs uocibus, quarum de numero ſunt, mũdus, lex, caro. Exemplis quoniam plurima ſunt, ſuperſedeo, ne fiam prolixior in re non obſcura. De remedio mox dicam.

Propria nomina

Huic incommodo finitimum eſt quum uel idem nomen proprium pluribus eſt cõmune, uel unus nominibus duobus aut pluribus deſignatur. Prioris exemplũ eſt: apud Aegyptios multi reges dicti ſunt Pharaones: multi Ptolemæi: apud Babylonios multi Nabuchodonoſores: apud Iudæos ſub Babylonijs multi Iechonię. Similiter in ſcripturis, plures Darij, plures Xerxes, plures Antiochi, plures Cyri. Et in Euangelio leguntur tres aut plures Herodes, ijdem nomine, perſonis diuerſi. Ea res etiam in humanis parit minus attentis magnam confuſionem, in quibus occurrunt multi Catones, multi Tarquinij, multi Bruti, multi Scipiones. Idem uſuuenit in nominibus locorum. Notum eſt omnibus duas eſſe Galilæas, quarũ altera diſcretionis gratia dicitur Galilæa gentiũ. Ita ſunt duæ Salem: altera iuxta Iordanem in tribu Effraim olim ditio Sichimitarum, ubi legitur baptizaſſe Ioannes, Ioannis 3. altera quæ notiore uocabulo dicitur Hieroſolyma. Eadem difficultas eſt & in humanis hiſtorijs, quã ex parte diſcuſsit Stephanus, qui ſcripſit de urbibus. Nunc poſterioris exemplum accipe. Libro Paralipomenon ſecundo, Ochoſiam regẽ trinominem reperimus, ſiquidẽ capite uigeſimoprimo appellatur Ioachim natu minimus filiorum Iehoram, Idem mox proximo capite dicitur Ochoſias: Conſtituerunt autem habitatores Hieruſalẽ Ochoſiam filium eius minimũ regẽ pro eo. Rurſus in capite præcedenti, quum referuntur nomina filiorum Iehorã, pro Ochoſia dictus eſt Azarias. Similiter qui apud Matthæum in genealogia dicitur Iechonias, apud Lucam 3. dicitur Neri. Idem in libris regum & Paralipomenon uocatur Ioachim. Rurſus qui apud Lucam uocatur Zorobabel, Neemiæ tertio dicitur Barachias: Sic Matthæus dictus eſt Leui. Paulus, Saulus. De locis res euidẽtior eſt, q̃ ut opus ſit exẽplis. Sed de homonymis et ſynonymis, quoniã hoc argumentum plures habet ſinus & anfractus, non ingredior altius, Qui uolet & cui uacabit, poterit ſuper his plenius edoceri ex libris Beroſi, Philonis, Ioſephi, tum è Hieronymi uarijs annotationibus, præcipue è catalogis quos de locis contexuit, tum ex commentarijs Annij recentioris. Nec indiligenter hanc partem tractauit Ioannes Driedo nos ad reliqua properamus.

Ambiguitas aliquoties naſcitur ex uaria diſtinctione, uelut hęretici ſic diſtinguebãt. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat: uerbum hoc erat in principio apud deum, ne cogerentur uerbum profiteri deum, ſed tantum fuiſſe apud deum. Rurſus qui uolunt excludere ſpiritum ſanctum à conſortio diuinitatis, ita diſtinguunt, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, ut ſpiritum faciant creaturam. Simile eſt ad Romanos quarto, Quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem: hæc particula ſecũdum carnem, referri poteſt ad uerbum inueniſſe, poteſt & ad patrem noſtrum. Huius formæ in ſcripturis occurrunt innumera. In hoc ambiguitatis genere explicando eadem eſt ratio, quæ in polyſemis dictionibus, aut uarie uſurpatis. Primum omnis ſententia, quæ pugnat cum inuiolatis fidei dogmatibus reijcienda eſt. Quod ſi in uarijs ſenſibus nihil eſt aduerſum ſanæ doctrinæ, ex ipſa ſermonis ſerie quærenda eſt germana lectio. Obſeruandum quid præceſſerit eum locum, quid cõſequatur, unde cœperit qui loquitur, quo progreſſus ſit, & quo euaſerit. Hic nonnihil ualebit, & aliorum locorum collatio. Sæpe fit ut idem ſenſus hic uerbis ambiguis enunciatus, alibi ſermone perſpicuo efferatur.

Quin & pronunciatio nonnunq̃ uariat ſenſum. Plurimum enim refert, utrum enunciando pronuncies, an interrogando ſeu percontando. Quanquam in illo: A Nazaret poteſt aliquid boni eſſe? percontatio non uoce tantum, uerum etiã nota ſcribentis diſcernitur. Sed ironia nullam habet notam, ſola pronunciatione diſtinguitur. Quod genus eſt illud, Dormite iam & requieſcite. Quod ſi notæ uariãt, partim ex ipſo ſenſu, partim è ſermonis tenore colligit uera lectio. Dormite iam et requieſcite: ſi accipias uelut ab imperãte dictum

dictum, sensus uidetur absurdus. Rursus. 1. Corin. 6. Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum: per ironiam esse dictum indicat, quod mox sequitur: Ad uerecundiam uestram dico. Verum de his nõnihil attigimus in superioribus, quum de tropis ageremus, & in Annotationibus non pauca produximus exempla. Ab ambiguis recedam, si illud admonuero, sermonẽ Hebraicũ & Græcum plus habere ambiguitatum, q̃ Latinũ. Apud Hebræos partim in causa est, quorundam elementorum similitudo, quæ parum attentis prębet erroris occasionem, partim puncta quæ subnotantur literis: ea in priscis illorũ codicibus non apponebantur, & tamẽ ex his mutatis uarius nascitur sensus. Apud Græcos autem quod in uerbis eadẽ uox frequenter ad diuersa genera, aut ad diuersos modos pertinet, ut in eo quod modo ex Paulo citaui, ad iudicandum constituite, καθίσατε, incertum est, utrum sit constituitis, iudicandi modo, an constituite imperandi. Item ad Colossenses 2. Quid adhuc decernitis, δογματίζεσθε, incertum est actiuéne an passiue accipiatur. Quanq̃ & apud Latinos sæpe per hypallagen modus pro modo ponitur. Non facies furtum, non est prædicentis sed præcipientis. Vnicum hoc exemplum pro innumeris positum esto. Quin & articulus in alium translatus locum, diuersam parit intelligentiam.

Obscuritas ex contrarietate

Non mediocre negotium exhibet tractantibus scripturas species contradictionis, uanitatis aut absurditatis, quũ certo certius sit, tale nihil esse in libris canonicis. Nónne quũ Ioannes scribit, Si dixerimus quod peccatum non habemus nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est: pugnare uidetur cum eo quod habetur in eadem epistola, Qui natus est ex deo non peccat, sed generatio dei cõseruat illum. Rursus quod scribit Paulus: Viri diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit ecclesiam, Et quod præcepit Moses, Honora patrem & matrem, contrarium apparet ei quod dominus in Euangelio pronunciat Lucæ 14. Si quis uenit ad me & non odit patrem suum & matrem &c. non potest esse meus discipulus. Item quod Christus interdixit Apostolis, In uiam gentium ne abieritis, pugnat cum eo quod ijsdem dicit, Ite in orbem uniuersum, & docete omnes gentes. Hoc autem incommodum facile per tropos & allegorias tollitur: aut certe temporum aut personarum discretione. Ante mortem dixit, In uiam gẽtium ne abieritis: post resurrectionem dixit, Ite in orbem. à pluribus exemplis abstineo, ne fastidio sim lectori.

Obscuritas ex specie uanitatis

Vanitatis species turbat lectorem, quoties eadem res diuerse narratur, aut numerus annorum rationi temporum nõ congruit. Marcus cap. 15. scribit Iesum fuisse crucifixum hora tertia, quum Ioannes 19. tradat Pilatum hora ferme sexta sedisse pro tribunali. Non consistit autem ut crucifixum accipiamus, antequam esset damnatus. Sudatur etiam à quibusdam, ut quæ in Actis cap. 7. habetur, Stephani narrationẽ doceant congruere cum ea quæ est in Genesi: quodq̃ Lucas capite nono, refert de Saulo prostrato, uidetur cum ipsius Pauli narratione dissentire. Nec eadem raro accidit in literis euangelicis. Vanitas autem uidetur, quod discrepat, quũ simplex sit sermo ueritatis. Plurima uero de Messia prædicta sunt in uetere testamento, quorum nihil apparuit in Christo. Veluti quum prophetia dicit, Eleuabitur mõs domus domini super omnes colles, Et sedebit super solium Dauid, & cætera. Item quum deus legitur imposuisse capiti eius coronam de lapide pretioso, & unxisse eum præ participibus suis. Præterea de pugnis & uictorijs ex atritis hostibus, de gladio addito femori, quum nihil horum in Christo conspectum sit, sed omnia contra. Quæ res scandalo fuit non solum uulgo Iudęorum, sed ipsis etiam Apostolis. Ne illa quidem unquam acciderunt, quæ Esaias 11. futura prædixit in aduentu Christi, Vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos &c.

Absurditatis species

Absurditatis speciem habent quæ ante retulimus de eruendo oculo & proijcienda de xtera. Item de congerendis prunis in caput inimici. Prętterea, Oportet nasci denuo. Et, Nisi efficiamini sicut paruulus iste, & cætera. Ad hæc, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Ad redigenda in concordiã, quæ uidentur pugnantia, præter alios plurimum adiumenti attulit beatus Augustinus multis uoluminibus. Idem sentiendũ de falsa specie uanitatis, quã frequenter scripturis impingit impius ille Porphyrius. absurditatis species tropis & allegorijs discutitur. Interim & illud iuuat ad concordiam, si loco diligẽter inspecto deprehendas diuersis uerbis eandem esse expressam sententiam. Rursus si meminerimus, nec prophetas, nec euangeli-

euangelistas res eo narrare ordine quo gestæ sunt,sed interdum ut ipsis in mentem uenerunt,ita temperante spiritu sancto ob nostram aliquam utilitatem. Quin & illud animaduertendum,quædam eadem uideri,quum similia sint non eadem. Rursus quædã eadem bis esse facta,ueluti quod Moses elicuit aquam è petra,bis factum est,quũ plerique credant tantũ semel factum. Siquidẽ Exodi 17. Moses percussit petrã Oreb apud Raphidim mãsione undecima,priusq; uentum esset ad montem Sina,ubi prodita lex est, cui loco nomẽ inditum,tentatio. Idẽ numerorum 20. bis percutit petrã in deserto Sin iuxta Cades mansione 33. post perfectum tabernaculum. In priore loco non legitur offendisse dominũ, hic legitur offendisse. Et hic locus dictus est,contradictio. Chrysostomus existimat Christum bis flagello uendentes & ementes è templo deturbasse, eo quod Euangelistæ insigniter in temporis ratione dissonant. Ioannes enim cap. 2. refert factum statim in initio miraculorum,postquam dominus in Cana Galileæ mutarat aquam in uinum alij, Euangelistę narrant quasi factum sit paulo ante passionem domini.

Difficultas ex persona nõ animaduersa

Quosdam turbat non anima duersa persona sub cuius nomine sermo profertur. Quidã enim scripturæ canonicę libri constant personis,ut Iob & Cantícũ Solomonis. Quanq; & in his qui non sunt dramatici,interdũ qui loquitur,tacite sibi sumit personã alienam, docendi gratia. Quæ Paulus scribit Romanis cap. 7. Scimus enim quod lex spiritalis est, ego autem carnalis sum,uenundatus sub peccato. Quod enim operor non intellígo. Non em̃ quod uolo bonũ,hoc ago,sed quod odi malũ illud facio,&c. quoniã nõ uidebãtur cõuenire in tantum apostolum,uetustiores interpretati sunt,illic Paulũ docẽdi gratia in se suscepisse personã hominis Iudaici et imperfecti,atq; adhuc aut carni seruientis,aut ancipiti bello cum carne pugnantis. Similiter in Ecclesiasta, multa dicuntur sub aliena persona, quæ parum congruunt in eum qui loquitur afflatu diuini spiritus. Tale quiddam & in ipso Christo liceat deprehendere. Quum enim dicit Chananeæ. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus: sub persona uulgaris Iudæi loquitur, potius quàm ex animi sui sententia, alioqui peccasset ipse qui quod pronunciauit nõ esse bonum, fecerit. Eam uero personam induit,ut mulieris fidem redderet euidentiorem, simulq; Iudæis incredulis hac imagine declararet quàm efficax res sit fides,quæ uel ab inuito,ut ita loquar, Christo miraculũ extorserit. Siquidẽ quasi lassatus tandem ac uictus dixit, O mulier,magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Præterea cum loquitur discipulis. Quorum remiseritis peccata,remittũtur eis,&c. Apostoli episcoporum ac sacerdotum personam gerunt, ipse dominus dei & hominis personam gerit. Rursus quum satellitibus dicit, Si me quæritis, sinite hos abire: dominus sub cuiusuis episcopi seu pastoris persona loquitur, Apostoli plebei gregis personam gerunt. Est enim fidi pastoris pro salute sibi creditæ plebis uitam impendere,si res postulet.

Christus & corpus eadem persona

Adhæc quoniam Christus & corpus ipsius mysticum idem sunt: dominus quędam in se recipit,quæ non in ipsum,sed in illius membra cõpetunt, Veluti quod ex psal. 21. Christus in cruce pendens usurpat, Longe à salute mea uerba delictorum meorum: ad Christi corpus pertinet,cuius peccata in se recepit. Alioqui Christo tribuere delictum, extremæ sit impietatis. Rursus in psalmo sexagesimooctauo, quem Christo patienti tribuunt iuxta allegoriam,sub corporis sui persona loquitur. Domine tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Simili modo apud Zachariam capite 3. inducitur sordidatus,& à peccatis mundato dantur mutatoria, diciturq;, Si ambulaueris in prœceptis meis: quæ omnia à membris transferuntur in caput, eò quod caput & corpus unum sunt,quemadmodum maritus & uxor una caro sunt, quod mysterium Paulus appellat magnum in Christo sponso & ecclesia sponsa. Agnoscit hanc indiuiduam societatem etiam sensus cõmunis,& uulgaris loquendi cõsuetudo. Si quis lædat pedem aut aliud membrũ, lingua clamat quur me lædis, quũ ipsa læsa nõ sit, sed una loquit̃ pro mẽbris omnib. Itidem Christus iam immortalis, nec ullis patẽs iniurijs, clamat, Saule, Saule quid me persequeris? Huc cõfert magnus ille Gregorius, merito dictus Theologus, quod Paulus prima Corinthiorum decimoquinto, scribit fore, ut quum deus filio subiecerit omnia, tunc & ipse filius subiectus reddatur patri. Atqui Christus iuxta naturam diuinam nulli subiectus est nec erit unquam, quum sit æqualis patri: iuxta assumptum hominem, nũquam fuit rebellis patri, sed obedientem se præbuit usq; ad crucem; cæterum si contempleris caput &

put & corpus unam esse personam nondum omnia subiecta sunt illi, nec ipse totus subiectus est patri, ob nostram rebellionem.

Huic simile est, quod quoniam in hypostasi siue persona Christi sunt plures naturæ, quædam de homine prædicantur, quæ illi non conueniunt, nisi secundum diuinam naturam: rursus quædã de uerbo prædicantur, quæ in illũ nõ cogruunt, nisi in secundũ humanam naturam. Priorís exempla sunt passim obuia, ueluti quum apud Ioannem dicit, Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis, qui est in cœlo. Christus enim id temporis iuxta hominem assumptum non erat in cœlo. Posterioris illud, quum scribit Apostolus, Sic deus dilexit mundum, ut filium unigenitum tradiderit in mortem. Christus non fuit traditus in mortem nisi iuxta naturam humanam, nec dicitur unigenitus dei filius, nisi secundum naturam diuinam. Quin hoc ipsum Christus humanæ naturæ uocabulum est, neq; enim iuxta diuinam fuit unctus gratia, ne secundum corpus quidem unquam fuit unctus sed secundum animam. Fuit enim ille tergeminus gigas è tribus, ut ita loquar, constans naturis, corpore humano, anima humana, & diuina natura. Vnitas autem personæ facit, ut promiscuè quædam de illo prædicentur, non obseruata naturatum proprietate, Recte dixeris deum pro nobis mortuũ, quum nec iuxta diuinã naturã, nec iuxta animã, sed tantum iuxta corpus assumptum sit mortuus. Et in Symbolo dicitur descendisse ad inferos, utiq; iuxta animam, quum corpus eò non descenderit. His mihi uideor non absurde atte xturus, quod quemadmodum in eadem persona fuit deus & homo, ita in tota dispensatione qua uersatus est in terris, deprehendas licet summæ illius naturæ pariter & nostrę testris manifesta indicia. Concipitur in utero fœmineo, sed de spiritu sancto, & angelo paranympho. Illud hominem decebat, hoc deum ac dei filium. Statis mensibus gestatus est & creuit intra latebras humani corporis, sed nondũ natus agnoscitur dominus ab Elizabeta: agnoscitur à Ioanne, qui tũ gestabatur & ipse, prędicat à Zacharia oriẽs ex alto mundi redẽptor. Nascitur humano more, uerũ ante omnia secula natus ex patre deo deus: nascitur ex muliere, sed ex uirgine: nascitur sine cõmixtione uiri, ac matris integritatẽ nõ uiolauit, sed consecrauit. Fascijs aliorum infantium more est inuolutus, sed idem resurgens semet è fascijs euoluit. In præsæpe reclinatus est, sed huic angeli cœlitus decantant hymnum deo dignum. Hunc stella lucida designat: hunc magi spreto Herode adorant ac mysticis honorant muneribus. Circunciditur infans, sed ab Anna & Simeone agnoscitur, lumen gentium & gloria plebis Israeliticæ. Profugit in Aegyptum, sed Aegyptiorum idola profligat. Duodecim natus annos cum legisperitis disputat in templo, percontans uicissim & audiens, sed in puero senes demirãtur quiddam homine maius. Obtemperauit parentibus, sed non erat hominis uox, quum ait, Quid est quod me quærebatis? An nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Lassus ex itinere petit aquam, sed idem in nuptijs uertit aquam insipidam in uinum optimum. Idem ut deus clamat, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Idem promittit ipsum agnoscentibus aquam uiuam, salientem in uitam æternam. Promittit in se credentibus, fore ut ipsi quoq; profundant de uentre suo flumina aquæ uiuæ. Tingitur aqua ut homo, sed aquas ut deus sanctificat, & abluendis omnibus omniũ peccatis efficaces reddit. Orat ut homo, sed in orantis uerticem descẽdit ac manet spiritus sanctus, auditur paterna uox, Hic est filius meus dilectus. Cum peccatoribus uenit ad baptismum, sed honoratur Ioannis testimonio. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. prius illud erat hominis elogium, sed innocentis: posterius hoc non competit nisi in deum. Tentatur, sed uolens, sed uicit, & nobis uicit. Esuriuit, quod est hominis, sed post dies quadraginta: sed idem è paucis panibus expleuit multa hominum milia. Vehitur nauigio, sed idem quum uultam bulat super aquas, & Petrum simul ut dubitauit pessum euntem leuat. Somno grauatus est, sed excitatus uerbo uentis imperat & mari, moxq; pro sæua tempestate facta est tranquillitas magna. Persoluit didrachmum, sed è pisce monstrato extractum. Audit dæmoniacus, sed idem uirtute dei propellit omne dæmonũ genus. Quærit quæ sit inscriptio & quæ imago numismatis, sed idem toties respondet ad tacitas pharisæorum cogitationes. Quærit ubi situs sit Lazarus, sed eundem sola uoce euocat è sepulchro. Impetitur lapidibus, sed nõ attingitur. Ducitur ad præcipitium, sed per medias insidias euadit intactus. Lachrymatur, sed nostram deplorans miseriam. At idem quum uult ejicit plorantium tur-

In Christo tres naturæ

bam, excitaturus archisynagogi filiam: & uiduæ lachrymas uertit in gaudium, restituens illi filium pro mortuo uiuum. Sensit humanæ naturæ incommoda, sed idem nutu pellit omne morborum atque incommodorum genus, Consputus ac flagellatus non habebat speciem neq; decorem oculis hominum, sed Dauidi apparet speciosus præ filijs hominum: sed idem in monte transfiguratur, facies resplendet super claritatem solis, uestes superant candorem niuis. Gesit formam serui ut homo, sed ut deus coruscat miraculis. Nec est quod quis hic obturbet, ædiderunt & alij sancti miracula. Fateor, sed nulli tam multa, nulli tam præsenti uirtute, nulli cum simili autoritate. Nunquam enim Christus æditurus miraculum orasse legitur, aut inuocasse patris auxilium. Habebat quidem à patre, sed eandem cum patre, potẽtiam. Iudicatur à Caiapha, accusatur, atq; ut agnus obmutuit: sed quum adiuratus per deum uiuum, ait, Posthac uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis dei, &c. diuinitatis uocem emisit. Sedere enim ad dextram, æqualis est. Aequalem esse deo non cadit nisi in deum. Tollitur in crucem, sed ibi deuicit satanam. Pendet inter latrones, sed alteri uoce regia dicit, Hodie mecum eris in paradiso. Dira patitur ut homo, sed obortæ tenebræ declarant deum. Moritur, sed emisso ualido clamore. Deponit animam suam, sed sponte potestatem habens resumendi eam. Velamen templi rumpitur, finduntur saxa, reuiuiscunt mortui. Moritur, sed ea morte mundo uitam reparauit, Sepelitur, sed idem non aperto sepulchro resurgit immortalis. Descẽdit ad inferos sed redijt triumphans, opimam prædam secum abducens. Subducitur uisibili corpore in cœlum, sed mittit paracletum per quem inter homines dilargitus est cœlestia donaria. Ad hunc modum si quis in omni Christi uita philosophetur. ut illius persona è uarijs naturis fuit permixta, si fas est eo uerbo uti, quo tamen usus est beatus Augustinus, ita comperiet ubiq; uicissim emicantia, dei & hominis argumenta.

Ticonij regulæ

Nunc ipse sermonis cursus nobis quodammodo uellicat aurem, ut paucis loquamur de regulis Ticonij, cuius ingenio delectatus fuisse uidetur Augustinus, quanquam hominis dogma detestaretur. Erat enim in factione Donatistarum siue Donatianorum, tametsi in multis ab illis dissidens, Quin etiam libris æditis acerrime cũ eis depugnauit. Contra quos, inquit Augustinus, inuictissime scripsit, & illic inuenit absurdissimi cordis, ubi eos nõ omni ex parte relinquere uoluit.

Regula prima

Primã regulam appellat de Christo & eius corpore mystico, quod est Ecclesia, ex quibus uelut una constituitur persona. Eoq; scriptura sic temperat sermonem, ut interdũ à capite transeat ad corpus, contrà à corpore ad caput. Exemplum adfert ex Esaiæ capite 61. Quasi sponsum decoratũ corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sponsi nomen ad Christum pertinet, sponsæ ad Ecclesiam. Poterit tamen è scripturis exemplum depromi hoc congruentius.

Regula secunda

Secundam appellat de corpore Christi bipartito, Augustinus mauult de permixta Ecclesia. Est enim Ecclesia quædam nobis incognita, in qua non sunt nisi pij, & ad uitã prædestinati. Attamen propter sacramentorum communionẽ etiam impie uiuentes & hæretici tolerantur in Ecclesia bonis admixti, sicut in Euangelica sagena mali pisces bonis admixti trahuntur ad littus, donec per angelos fiat separatio. Exemplum adfert è Cantico, Nigra sum, sed formo, saut tabernacula Cedar, ut pellis Solomonis. Quod ait, Nigra sum sicut tabernacula Cedar: putat ad malos Christianos pertinere, eo quod tabernacula Cedar sunt Hismahelis. At quod dicit, Sed formosa ut pellis Solomonis: ad pios Christianos, & uiua Christi membra refert. Quanq; & hoc exemplum uidetur coactius, & quoniam nititur allegoria, non multum habet põderis. Aptius est quod refert ex Esaiæ 42. Et educam cæcos in uiam quam nesciunt, & in semitis quas ignorant ambulare eos faciam. Ponã tenebras corã eis in lucem, & praua & recta. Hæc citra controuersiam pertinẽt ad eos qui Christo uenienti crediderint. At subito sermo propheticus ad eos transit, qui restiterunt Euangelio, Conuersi sunt retrorsum, & cętera. Quanquã nec hoc exemplum satis quadrat ad regulam: neq; enim dominus secũdum allegoriam proprie loquitur de Iudæis, sed de uniuersis gentibus, ex quibus aliquot crediderunt, alij conuersi sunt ad deteriora, Hic igitur locus magis pertinet ad quartam regulam.

Regula tertia

Tertiæ regulæ titulum fecit. de promissis & lege, siue ut Augustinus mauult. De litera & spiritu, aut de gratia & mandato. Euangelium est promissio gratiæ per fidem absque operibus. Lex mandatis terret ac deijcit conscientias exigens opera, quum gratiam non addat

addat. Omnia autem bona opera ex fide uelut è radice naſcuntur & aluntur. Hic oportet ſacrorum uoluminum lectorem eſſe cautum & uigilantem, ne quum uidet exigi opera, exiſtimet ſe ſuis uiribus implere poſſe quod præcipitur: aut quum legit eos qui ſunt ex fide liberos eſſe à lege, putet ſe non obligari ullis præceptis ſcripturarũ. Lex prælucens commonſtrat quid ſit agendum, quid fugiendum, gratia præſtat ut quod iubemur præſtare ualeamus. Neq; tamen protinus oportet deſpondere animum, ſi propter carnis quam circunferimus infirmitatem non ad plenum præſtamus ea quæ præſcribit lex, modo perſeueremus in fide & charitate. Supplet enim de ſuo Chriſti bonitas quod noſtris deeſt uiribus. Ipſe enim eſt iuſtitia noſtra, & perfectio noſtra, ſi modo in illo permaneamus.

Quartam regulam appellat de genere & ſpecie, ſiue de toto & parte. Frequẽter in ſcripturis de Babylone, aut alia quapiam gente dicitur quod ad uniuerſos pertinet. Iuxta hãc rationem quod in Chriſtum maxime competit, etiam ad illius membra transfertur. Contra quod de tota Eccleſia dictum eſt, accommodatur ad ſingulos homines. Interdum ſcriptura à ſpecie tranſit ad genus. Exemplum eſt Ezechielis trigeſimo ſexto. Prior prophetiæ pars nominatim conuenit in domum Iſrael: Non propter uos ego faciam domus Iſrael, &c. At quod ſequitur, Et effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris, &c. ad eos quoq; pertinet, qui crediderunt ex gentibus. Huic affine eſt, quod ſcriptura frequẽter ueluti de uniuerſis loquit̃, quod ad certos quoſdam tantum pertinet, Veluti quum dominus loquitur in Euangelio: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Nónne uidetur promiſſa mortalium uniuerſorũ conuerſio? At pauci crediderunt, ſi conferantur cum his qui perſtiterunt in incredulitate. Tale eſt illud Pauli, Omnes quæ ſua ſunt, quærunt. Hic ſermo nec in Petrum nec in Barnabam alioſq; complures cõpetit. Item illud Pſalmi, Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Hæc & quæ ſequuntur non quadrant in uniuerſos Iudæos. In omni populo uelut duo ſunt populi, alter bonorum, alter malorum. Geminus eſt Iſrael, qui quum laudatur quanquam ſermone generali tamen de pijs tantum eſt intelligẽdum. Rurſum quum accuſatur, de impijs accipiendũ eſt. Idem ſentiẽdum eſt de Phariſeis, de diuitibus, de Chriſtianis, de ſacerdotibus, de monachis, de principibus. Quod in genere dictum eſt, ad ſpeciem eſt referendum. Hæc pluribus diſſerit, quiſquis fuit qui ſcripſit duos perquam elegantes libros de uocatione gentium. Nam phraſis multum diſcrepat ab Ambroſiana. Adijcit ibidem aliam regulam de obſeruatione temporum. In ſcripturis enim interdum quod ad diuerſorum temporũ homines pertinet ita promittitur, quaſi de una eiuſdẽ ætatis gente dicatur, Veluti quod Petrus ſcribit, Vos aũt genus electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, etc. Qui aliquando non populus, nunc aũt populus dei: qui non conſequuti miſericordiã, &c. Quũ hæc ſcriberet Apoſtolus, iam illi qui dicti ſunt non populus, non erant in uiuis, & tamẽ ita ſonat Petri ſiue prophetæ ſermo, ut ipſi uideantur nunc eligi qui prius fuerant derelicti. Cæterum huiuſmodi loquutiones pertinent non ad eoſdem homines, ſed ad eiuſdem gentis homines. Ab his non eſt prorſus alienum, quod propheticus ſermo ita nonnunq; eſt temperatus, ut quũpleraq; pariter & ſecundum hiſtoricum ſenſum cõgruant alicui perſonæ puta regi, ſecundum allegoricum alteri puta Chriſti, tamen admiſceant quædam, quæ non conſiſtunt niſi per allegoriam, neq; quadrent in utranq; perſonam. Exemplum ſuggerit Pſalmus 88. Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid ſeruum meũ, oleo ſancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meũ confortabit eum, &c. Hæc ſimul cõgruunt & in Dauid ſecundũ literam, & in Chriſtum iuxta ſenſum ſpiritualem. Cæterum illud, Et ego primogenitum ponã illum excelſum præ regibus terræ: an in Dauidem quadret, neſcio. At illud, Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli, non congruit niſi in Chriſtum. Quemadmodum nec illud, Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit. Et, Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternũ. Simile Eſaiæ 14. Vbi quædam admiſcentur quæ iuxta literam non competunt in Nabuchodonoſorem, eoq; de diabolo Lucifero exponuntur, Veluti quod de cœlo decidit in terram, et quod dixerit in corde ſuo, Aſcendam ſuper altitudinem nubium & ſimilis ero altiſſimo. Quin in toto hoc Eſaiæ uaticinio quod duobus capitibus 13. & 14. contexitur, quædã dicuntur quæ pa-

Regula quarta

Regulæ duæ ex Ambroſio

lam pertinent ad Babylonem à Medis euertendam, sed admiscentur quæ de terrena Babylone non possunt intelligi, uelut illud, Non habitabitur usq; in finem, & cætera. Constat enim Babylonem post illud excidium fuisse instauratam & habitatam. Sed huius generis exempla permulta occurrunt in propheticis literis, à quibus recensendis abstineo breuitatis studio. Prudentibus sat est specimẽ indicasse. Ad Ticonij regulas reuertor, quarum quintam ponit de temporũ quantitate siue de numeris. Quod Matthæus decimo septimo scribit Christum post sex dies assumpsisse tres discipulos ad uisionem montis, Lucas post octo dies, non consistit, nisi per synecdochen intelligas partem diei qua hęc dominus loquebatur, & partem diei post rem peractam, pro duobus diebus numerari. Simile est quod Christus dicit, se post tres dies resurrecturum. De numero ponit exemplũ è Psalmo, Septies in die laudem dixi tibi, ut cum illo conueniat sensus, semper laus eius in ore meo, Tametsi neuter sermo caret tropo. Siquidem & septies positum est pro frequenter, & semper positum pro assidue. Petro dictum est ut fratri condonaret, usq; ad septuagies septies, quum dominus sentiat toties condonandum fratri, quoties peccauerit & resipuerit. Verum hæc ratio latius patet, & in superioribus de hac dictum est.

Regula sexta Sextæ regulæ Ticonius titulum fecit, recapitulationem. Scriptura frequenter dilatis quæ cœperat, redit ad ea quæ prius dixerat, quo rem explicet euidentius, Veluti Geneseos capite secundo, redditur ad descriptionem paradisi & hominis in eo collocati, quum in primo capite sit hoc factum. Simile quiddam annotauimus Ioannis 18. de Christo ducto ad Caiapham, deq; Petri negationibus. Et alia quædam exempla profert Augustinus, in quibus fit occultior ad priora reditus.

Regula septima Septima Ticonij regula est de diabolo & corpore eius, quæ uelut unam personam cõstituunt, quemadmodum Christus & ecclesia. Ac simili ratione quædam dicuntur in scripturis de Satana, quæ magis agnoscuntur in membris eius. Retrorsum, quædam de malis hominibus, quæ uerius prædicantur de diabolo. Hæc quanto potui compendio percurri, de quibus latius disserit Augustinus libro de doctrina Christiana tertio, capite trigesimo & aliquot sequentibus. In superioribus uarias tradit rationes explicandi difficultates, ad quas in arcanis uoluminibus resistere possunt parum exercitati.

Quatuor modis tradi scripturam Idem libro ad Honoratum de utilitate credendi, capite secundo, refert se à nescio quibus accepisse, neq; enim eos nominat, scripturam omnem ueteris testamenti, quadrifariam tradi: secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. Secũdum historiam, quum docetur quid dictum, quidue gestum sit, aut non gestum quidem, sed tamen ita scriptum quasi gestum sit. Secundũ ætiologiam uero, quid qua de causa gestum dictumue sit. αἰτία Græcis causam sonat, hinc ἀιτιολογία causæ redditio: pro qua uoce quidam suppoſuerunt etymologiam. Secundum analogiam, quum ostenditur uetus & nouum testamentum nulla in parte discordare, sed in omnibus cõsentire. Nam ἀναλογία Græcis est rerum diuersarum ob aliquam inter ipsas similitudinem collatio, pro qua quidam mutarant anagogiam. Secundum allegoriam autem quum docetur multa quæ scripta sunt, non iuxta sensum grammaticum accipienda, sed ut figurate dicta. Ad historiam arbitratur pertinere, quod dominus apud Matthæum Iudæis calumniantibus, quod apostoli sabbato spicas euulsas manibus confricarent, ac uescerentur, urgebat enim fames, respondet: Non legistis, inquit, quod fecit Dauid, quum esuriret ipse & qui cum eo erant, quum intrauit in domum dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei manducare, neq; eis qui cum eo erant, sed tantum solis sacerdotibus. Hic nullus est tropus, sed quod in nouo testamento gestum est ueteris testamẽti facto defenditur. Ad ætiologiam refert illud, quod quum dominus docuisset non licere cum uxore facere diuortium, nisi adulterij causa, & obiectum esset à Iudęis quod Moses permisisset quacunq; de causa repudiare uxorem, modo daret libellum repudij, Christus nec reiecit quod adferebatur ex uetere testamento, nec suam sententiam immutauit, sed reddita causa soluit quæstionem. Hoc, inquit, Moses propter duriciam cordis uestri permisit uobis, ostendẽs temporarium fuisse quod concesserat Moses, nec idem licere sub luce euangelica. Huic simile sit, Olim dictum est, Crescite & multiplicamini: & patriarchæ habuerunt plures uxores. At Euangeliũ uocat eos beatos qui se castrauerunt propter regnum dei. Verum hęc difficultas soluitur reddita causa, quur illis permissa sit polygamia, ad ge-

neris

neris humani propagationem, quo satis multiplicato, ad propagãdum per orbem Euangelium expediebat ab uxoribus temperare. Similiter dicendum est de sacrificijs alijsq; cæremonijs quæ certis de causis Iudæis præscriptæ fuerũt, siue ne prolaberentur in ritus paganorum, siue ut illa præfigurarent Christũ uenturum. Hæc merito sublata sunt, uelut umbræ, posteaq; per aduẽtum Christi illuxit ueritas. Quædam præcipiũtur prima fronte ridicula, nulla reddita causa, ut Deuteronomij XXII. Moses prohibet usum uestis e lino lanaq; cõtextæ. Prohibet arari iuncto boue & asino. Si dicamus duobus iumẽtis imparibus incommodam esse arationẽ, causa uidebitur leuior, quàm ut legi diuinæ conueniat. Quis autem nescit bouem & asinum non cõgruere eidem iugo. Si dixerimus ideo prohiberi uestem lino commixtã, quod olim linea fuerint in delicijs, oportuit in totum prohiberi linea. Interdum causa legi addita, non minus absurda uidetur quàm ipsa lex. Non seres, inquit, uineam tuam altero semine, ne & semẽtis quam seuisti, & quæ nascuntur ex uinea, pariter sanctificentur. Quid erat periculi, si utraq; pariter sanctificarẽtur? In talibus igitur ratio ab allegoria petenda est, quemadmodũ Paulus ad allegoriam trahit, Non obligabis os boui trituranti. Nunquid, inquit, boues curæ sunt deo? Imò & passerculi curæ sunt deo? sed præcipua causa erat, quam indicat allegoria. Iam per analogiam ostenditur ueteris & noui testamenti congruentia, qua in re gnauiter sudatũ est à pijs hominibus qui conati sunt prolatis innumeris exemplis demonstrare, nihil præcipi in nouo testamento, quod in ueteri non præcipiatur, neq; quicq; esse gestum, quod non sit uel à prophetis prædictũ, uel typis adumbratũ. Supereſt allegoria de qua uideor in superioribus dixisse quod satis est. Verum hoc opus Augustinus scripsit presbyter, nondum ad plenum exercitatus in sacris literis, & scripsit amico sed Manichęo. Possent fortassis ex uetustis ac nouis autoribus plures regulæ colligi, sed mihi quidẽ uidet esse regula omniũ efficacissima, si quod recte admonet Augustinus, prius amemus sacras literas, quàm discamus, idq; certo persuasum habeamus, in illis nihil esse neq; falsum, neq; leue aut humana mente scriptũ, sed omnia plena cœlestis philosophiæ, dignaq; spiritu sancto, quacũq; specie sese offerant, si ut oportet intelligantur. Mox cum hoc animo, totũ scripturæ corpus attente legatur, diutinaq; meditatione reddatur familiare.

Hic tempus erat huius operis libro tertio finem imponere, nisi quod in primo libro pollicíti sumus nos de iudicio & consilio quædam fusius dicturos, tametsi si quis memoria teneat quę in superioribus sparsim diximus, de utroq; quod ingenioso sit satis dictum uidetur. Ostendimus enim ex uarijs allegoriarum formis, quas potissimum expediat eligere. Rursus uniuerso themate cum omnibus suis membris atq; opibus sub oculos posito, eas modo partes seligendas, quæ uidebuntur & ad docẽdum utiliores, & ad commouendos auditorum animos efficaciores, & ad continendas aliqua uoluptate mentes hominum magis accommodæ, atq; in horum singulis præcipua sumenda, ne turba laboretur. Quod idem faciendum in argumentis & sententijs. Quanquam enim Quintilianus dissentit ab illis qui iudicium subnectunt inuentioni, quod ne inuenit quidem qui stulta aut inutilia inuenit: deín non illic tantum, sed in omnibus oratoris officijs, in omnibus orationis partibus adhibendum iudicium & consilium: est tamen & inter utilia delectus aliquis, & inuentionis calore multa nobis prima specie blandiuntur, quæ propius inspecta displicent. Ad hæc indicatum est quę uitia traducenda apud promiscuam multitudinem, quæ silenda aut summatim attingenda, quæ rursus depingenda & exaggeranda: Præterea quomodo ad auditorum ingenium captum & affectum attemperanda sit oratio. Breuiter quomodo tota oratione spectandũ, quid causa, quid persona, quid tempus, quid locus, quid consuetudo postulet, atq; interim etiam quid deceat. Hæc nimirum ad iudicium pertinent, quod Fabius putat nihilo magis arte tradi posse, quàm gustum aut odorem. Totum enim hoc à natura & sensu rerum præsentium proficiscitur. Laudatur Demosthenis consilium, quod quum suaderet bellum Athenienſibus, mira ratione sic temperarit orationis colorem, ut & spem faciat melioris in posterũ successus, nec tamen offendat animos populi, cuius negligentia factum esset, ut hactenus parum prospere fuisset pugnatum. Monstrat igitur nihil hactenus ratione gestum esse. Poterat enim emendari negligentia. Alioqui si nihil esset erratũ, nõ erat quur in posterũ melior euentus speraretur. Rursus si incusasset populi segniciem, alienasset illorum animos Difficile est au-

Consilium Ecclesiastæ

tem persuadere iratis, Eoq; in asserenda reip. libertate maiorũ laude uti maluit, qui rẽ fortissime administrassent. Siquidẽ populus ille faciles habebat aures, & natura consequens
Consilium Petri erat, ut meliora probantes peiorũ pœniteret. Plura Fabius refert è Cicerone, sed unũ ad id quod agimus satis est. Hic mihi reputa nũ maiore cõsilio Petrus orauerit apud Hierosolymitas, ante omnia submouens temulentiæ suspitionẽ. Quis em̃ crederet uino deliran tibus? Quoniã aũt inuidiosum erat futurũ quod sibi diuini spiritus afflatum uindicarẽt, non usus est humana ratione, quemadmodum in suspicione temulentiæ, sed apud Iudęos utitur prophetę testimonio, quod apud illos esset sacrosancta prophetarũ autoritas. Nec de se quicq̃ proprie loquitur Petrus, sed de discipulis. Non enim ait, Nõ sumus ebrij: sed, Hi non sunt ebrij. Ac Iohelis uaticiniũ ita recitat, quasi tantum donũ non in illos paucos tantũ, sed in uniuersos Iudæos esset effusum, si modo crederent in Iesum. Et prophetabũt, inquit, filij uestri & filiæ uestræ, &c. Addit clausulam plausibilem, Et erit, omnis qui inuocauerit nomẽ domini, saluus erit. Quod aũt de Iesu crucifixo necessario prędicandũ erat, aperte quidem narrat, sed absq; ullo conuicio. Quin potius eleuat magnitudinẽ criminis, quum ait rem gestã definito consilio & præscientia dei, quumq; addit, Per manus iniquorum, in certos quosdam malos culpã reijciens. Idem euidentius facit cap. 3. Et nũc, inquit, fratres scio quod per ignorantiã fecistis sicut & principes uestri. Sed deus qui pronunciauit per os omnium suorum prophetarũ, pati Christum suũ, sic impleuit. Similiter tam impij facinoris inuidiã in ipsam ætatẽ reijcit. Saluamini, inquit, à generatione ista praua. Miraculorũ aũt à Christo æditorum quoniam recens erat memoria, ipsos facit testes. In medio, inquit, uestri sicut scitis. Fuit & illud consilij, quod apud rudem Iudęorũ turbam non pronunciat aperte Christum deum: tantum appellat eum uirum approbatũ à deo. Et aliquanto post nihil aliud asseuerat, q̃ quod deus hunc Iesum quẽ illi affixerant cruci, fecisset dominum ac Messiam, quem à prophetis promissum expectabant. Similiter in altera concione, appellat Iesum Christũ filium dei. Iudæi qui detestabantur gentes quod plures facerent deos, ipsi penitus infixum animis habebant, non esse nisi unum deum, haudquaq̃ tulissent protinus initio prædicationis hominem in cruce mortuũ appellari deũ. Satis erat quædã aspergi narrationi, quę significarẽt in Christo fuisse quiddam homine maius. Nec est quur hic quidã uociferentur, quod dico, à compluribus orthodoxis diligenter est annotatum, & hanc docendi rationẽ probat ingeniosissimus ille Gregorius Nazianzenus in libris de theologia. Nec uero probarim si quis nunc apud Christianos adhuc tum prędicaret Christum, sed detur tale auditorium quale tũc obtigit Petro, laudabo dicentis prudentiã, in suum tempus differentis, quod frustra & cum offendiculo diceretur ante tempus. Quod si indignantur hæc à sanctissimis uiris annotari, uidẽtur oblíti quod dominus quum primum mitteret suos ad prædicandum, interdixit, ne dicerẽt ipsum esse Messiam. Eodem pertinet, quod non dicit, Suscitauit seipsum, sed deus suscitauit illum à mortuis. Atqui uere poterat illud dicere iuxta dogma Euangelicũ, Soluite templũ hoc & in triduo excitabo illud. Miracula non probat testimonio scripturarũ. Erãt enim sub oculis omnium Iudæorum gesta: sed resurrectionem quã pauci uiderãt, probat ex Psalmo 15. Quoniã nõ derelinques animam meã in inferno, nec dabis sanctum tuũ uidere corruptionem. Quoniã aũt is Psalmus titulum habebat, ipsi Dauid, Iudæi uaticiniũ hoc ad regem Dauid referebant, quod idem faciunt in alijs multis. At Petrus euidenti ratione demonstrat prophetæ sermonem non cõpetere in Dauidem, sed in Christo fuisse cõpletum, qui non iacuit in sepulchro nisi partem diei sexti & noctem. Sabbatũ item totum cum parte noctis, nec illius caro sensit ullam corruptionem. Veritus autem Petrus ne Iudæi parum æquis auribus audirẽt, Dauid de quo magnifice sentiebant, & sepultũ & in sepulchro cõputruisse cæterorũ hominũ more, præmollit quod necessario dicendũ erat, Liceat inquiens, fratres, libere loqui apud uos. Eumq; honorifico titulo appellat patriarcham & prophetam. Et ut tollat omnem offensionẽ, ostendit ipsum Dauidẽ de Christo, non de se loquutũ quũ illa scriberet, Ad uitãdam offensionẽ facit, q̃ toties iterat, Viri fratres, sicut in altera concione, uiri Israelitæ. Erat hic titulus apud Iudæos magnopere gratiosus. Tandẽ aperit cuius gratia hæc omnia dicta fuerant, ut resipiscerent & in nomine Iesu Christi acciperent idem spiritus donum, quod in alijs mirabantur: ostendens Iohelis uaticiniũ non ad paucos illos, sed ad omnes pertinere. Vobis enim, inquit, est promissio & filijs uestris,

Non

Nondum exerte pronunciat Iohelis promissionem etiam ad gentes pertinere, tantum dicit, Et omnibus qui longe sunt, quoscunq; aduocauerit dominus, quod Iudæi nõ de gentibus dictum accipiebãt, sed de Hebræis omnibus, qui per diuersas nationes erant dispersi. Paulus aperte pronunciat deum non Iudaicæ gentis tantũ, sed omnium etiam gẽtium esse deum. Iam enim eluxerat Euangelium. Quid Petrus? Deus, inquit, Abrahæ, & deus Isaac, & deus Iacob, deus patrũ nostrorũ: ad Iudæorũ affectus ac morẽ uerba temperans. Rursus quũ docuisset Iesum non ab uno atq; altero, sed ab omnibus prophetis fuisse promissum, fauorabili sermone adiecit: Vos estis filij prophetarum & testamenti quod deus disposuit ad patres nostros dicens ad Abraham, In semine tuo benedicẽtur omnes familiæ terræ. Vobis primũ deus suscitauit filium suũ, misit eũ benedicentẽ uobis. Inuidiam excitare poterat, si tantum dixisset Iesum quem illi crucifixerant, ad tantũ honoris à deo fuisse subuectum. Nunc omnis inuidia tollitur, quũ addit totum hoc quod in Christo gestum est, ad illorum salutem esse gestum. Et tamen inter illos erant, qui Christum toties spreuerant, toties conuicijs affecerant, interdum & præcipitium & lapidationem molientes, denicq; qui furiosis uocibus clamauerant, Crucifige, crucifige. Annotatũ est à pijs hominibus & Pauli consilium prudentiacq;, qua primum Athenis in Martis uico Christum gentibus annunciauit ad Euangelicam philosophiam prorsus rudibus. In his erant Epicurei qui negant ullos esse deos: aut si sunt, negant illis esse curæ res mortaliũ. Et stoici inutiles auditores gratiæ Euangelicæ, quippe qui sapientẽ suum æquarent dijs, atq; hominis summum bonum in ipsius hominis uiribus collocarẽt. reliqua turba miserabili caligine omnium dæmoniorũ genus pro uero deo colebat. Apud tale theatrũ, an nõ prudenti iudicio sit opus, si quis uelit cum aliquo fructu audiri? Quomodo igitur Paulus insignis ille dicendi artifex? Necessaria erant, detestari idololatriã, prędicare unum uerum deum, à quo foret speranda uera salus, ijs qui respuissent, at non nisi per fidem in Iesum Christũ. Cæterum quo consilio, quo temperamento proponit ista? Num orditur ab execratione criminis idololatriæ? num appellat deos Athenienſiũ ligna ac lapides, aut quod his deterius est impios spiritus, deo inuisos, & generi humano inimicos? Num exprobrat illis nefaria crimina, p quæ traditi fuissent in reprobũ sensum, qualia cõtexit in epistola ad Romanos? Nequaq̃. Nondũ em̃ expediebat. Sed moderatissime dicit, se ex illorũ simulachris ac monumẽtis deprehẽdisse, Atheniẽses nõ uacare omnino superstitione: superstitionis uerbũ mollius est, cũ idololatriæ, & hoc ipsum mitigat, per cõparatiuũ, superstitiosiores. Sic enim scripsit Lucas. Atq; hoc ipsum rursus attenuat, addens quasi. Quid sibi uult hæc apostoli ciuilitas? Quò spectat? Quid captat? Num timebat Athenienses? Nequaq;. Sed lucrum affectat, & assequutus est. Sciebat Atheniẽses esse deditos cultui simulachrorum quemadmodum & cæteras gentes, etiam antecq; ueniret Athenas. Verum ne uideretur siniſtram de Athenienſibus opinionẽ secum attulisse, aut esse curiosus in rep. aliena, ait se superstitionem illorum deprehendisse è simulachris in publico positis, idq; nõ studio, sed forte prætereuntẽ. Nec ea uocat idola, aut impietatis monumenta, sed mitiore uerbo σεβασματα, quod & in bonã partẽ sonat. Quicquid enim colimus aut ueneramur σεβασμα dici potest. Consilij fuit & illud, quod aræ titulũ non refert ut habebat, Dijs Asiæ & Europæ & Africæ, Dijs ignotis ac peregrinis. Volebãt enim hanc aram esse dicatam omnibus dijs, & nequis deorum indignaretur pręteritus, adiecerant, Dijs ignotis & peregrinis: sed ait se uidisse aram inscriptam Ignoto deo, è titulo decerpẽs quod erat usui futurum. Nec tamen hic est ullum mendacium. Titulus enim quum addit Dijs ignotis, fatetur esse alium deum Athenienſibus ignotũ. Quid egit hac prudẽtia? Nimirum quo proniorib̃ uteretur illorum auribus si non uideretur nouæ religionis autor, quod apud Athenienses capite plectebatur, sed eũ prædicare deũ, quẽ ipsi iamdudũ licet inscitẽtes colerent. Similis color habetur & in rhetorũ præceptis, quo iam factũ esse docetur, de quo an fieri debeat, consultatur. Olim lex pœnã minabatur exulibus, si ad pomœria ciuitatis unde fuerãt eiecti, accessissent. Exules quidã ad muros ciuitatis accesserunt, ac depulsis hostibus patriam obsidione liberarunt. Deliberatur an ob eam pietatem debeant in ciuitatem recipi. Qui suadet, hoc colore utitur, ut dicat eos iam tum fuisse receptos quum insigni pietate sua declararent sese exilio indignos, ac ex eo tempore tacitis patriæ suffragijs fuisse restitutos.

Pauli consiliũ

Iam illud mihi considera, quibus uerbis prædicet ignotum. Non ait, Deus Abraham,

deus Isaac,deus Iacob:quemadmodum Petrus apud Iudæos uerba faciens, sed sermonē ita temperato,ut posset & ab Ethnicis patienter audiri:Deus qui fecit mundum & omnia quę in eo sunt. De hoc quoq; philosophi disputabant,an mundus esset conditus.Et Plato fatetur illum conditum à deorum selectorum filijs,quos ille dæmones appellat, Ouidius autem non uerítus est scribere, Hanc deus & melior litem natura diremit.

Oratio Pauli accōmoda auditoribus

Et addit Paulus.Hic cœli & terræ quum sit dominus, non in manu factis habitat,nec manibus hominum colitur indigens aliquo,quum ipse det uitam omnibus & inspirationem & omnia.Hactenus nihil dicit,quod ferri non posset.Nec enim deerant apud Ethnicos qui faterentur,unicū esse summū deum,quem Iouis nomine designari credebant,cuius uirtutes uarijs deorum ac dearum nominibus exprimerētur, ueluti præscientia Apollinis,sapientia Palladis,fortitudo Martis,&c. Consimilē in modū Maro dixit,Iouis omnia plena.Summi illius dei prouidentia gubernari mundum ethnici cōplures & credidérunt & scripto prodiderunt. Quin & primum hominē ex argilla formatū per somnium illos intellexisse,declarat uetustissima Promethei fabula,eoq; nihil offensi sunt quū audirent,fecit ex uno omne genus hominum,in hoc ut habitarēt in terra diuersis regionibus, addito lumine naturali,per quod ex rebus conditis deducerētur in notitiā ueri dei. Tametsi uel ex his quæ in nobis sunt liceat numinis potentiam, sapientiā ac bonitatem deprehendere.Hoc ipsum enim quod uiuimus, quod mouemur,quod sumus aliquid, dei mu-

Paulus apud Ethnicos citat gentiū poetas

nus est,qui nos cōdidit & cōditos seruat.Nec hic usq; audis testimonia prophetarū,quib. usus est Petrus apud Iudęos. Sed Arati testimoniū producit,Ipsius & genus sumus:non illum quidē nominans,sed quod erat ad persuadendū accōmodatius: Sicut,inquit,& uestratium poetarū quidā dixerunt. Tametsi uocē poetarū,suspicor à recentioribus additā,

Additum est aliquid in uerbis Pauli

uel hoc argumento,quod peruetustus ille Irenęus citans hunc locū,nō apponit poetarū, nec Augustinus:quasi dicat,nō adduco prophetarū testimonia quę contēnitis,sed uestrę professionis scriptores nō oportet à uobis reijci.Dein quum unius Arati uerba proferat, tamen utitur multitudinis numero, dixerunt:quo eadē sententia sit apud Callimachum, Homerum & Hesiodum τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, nec apud poetas tantum,sed apud alios quoq; scriptores.Quemadmodum de Alexandro magno proditum est, quod fuerit filius Iouis,non ꝙ ille solus esset, uerum quum Iuppiter sit omniū hominum pater,tamē eos potissimum pro filijs agnoscit, qui uirtute præcellunt, & in cæteros homines ꝙ maxime

Arati testimonium arte tractatur

benefici sunt.Nunc illud obserua quanta prudētia Arati testimoniū, ad id quod agit accōmodet.Si deus non abest ab unoquoq; nostrum,cuius beneficio spiramus & uiuimus, non est utiq; uisibilis aut corporeus,aut aliquo sensu perceptibilis,multo minus q̄ anima nostra,quum ille sit animę nostræ uelut anima.Dein si genus illius sumus,non decet ut filij de tanto parente humilem gerant opinionem.Constat enim animum longe præstantiorem esse hominis partem,sine qua corpus nihil est. Atqui corpus hominis longe prę-

Docēdi ratio à notis incipit

stat simulachris ligneis,lapideis,ęreis,argēteis,aureis,in quib.nec sensus est ullus,nec motus, nec à deo condita sunt,sed à fabro:proinde qui simulachra colūt, id habēt pro deo,quod est deteriore hominis parte uilius. Vides quanta cautione, quantoq; temperamento demonstrarit culturam idolorum non esse religionem,sed superstitionem.Hic certe erat locus excandescēdi in Athenienſium cæcitatem,qui quum ista didicissent è suis autoribus, tamen res mutas ac mortuas pro deo colerent. Verum nec hic quicq; acerbius loquitur. Totam superiorum seculorum amentiam in ipsa tempora reijcit,atq; in dei dissimulationem,ut quicquid hactenus gestum esset,per ignorantiam in qua deus passus est homines ad tēpus cæcutire, excusaretur:tantū ut nunc ad coruscātem euangelij lucem resipiscant. nec hic ad Athenienses proprie sermonē dirigit, sed quo minus offenderet, in genere loquitur, Vt omnes,inquit,ubiq; pœnitentiam agant.Ostendit præteritorum paratam esse ueniam ad meliora sese recipientibus. Alioqui instare seuerum iudicium ijs qui tantam numinis gratiam aspernarentur. Nec ita loquitur.Nos uobis annunciamus instare iudicium,& ad pœnitentiam confugiendum: sed deus,inquit,annunciat.Nulla adhuc mentio de Christo,cuius illi nullam habebant notitiam. Naturalis autē docendi ratio à notis capit initiū.Hic aduerte,Paulus qui in epistola tam sublimi tuba Christi maiestatem personat, ꝙ parce illum attingit.De diuina natura,nulla mentio:de cruce item silentiū quæ gentibus erat stultitia. Tantum uirum appellat, quem deus in hoc produxisset, ut per eum

illustrata

illustrata ueritate, resipiscentibus gratis daretur uenia criminum omnium, increduli iam inexcusabiles iustas darent pœnas. Nec hic adducit prophetarum testimonia, sed unico tantum argumento probat quod dixit, quod deus illũ à mortuis suscitauit. Constat q̃ plurimis illum fuisse mortuum, & constat resurrexisse. Hoc argumento fides facta est omnibus. Cæterum ad resurrectionis mentionẽ quidã ridebant, alij modestiores dicebant, Audiemus te de hoc iterũ. Aliquousq; profecit, qui cupit plenius edoceri. Atq; hic uidet apostoli sermo fuisse interruptus, deserentib. ipsum auditorib. Nec ultra uoluit illos urgere, sed exiuit, inquit Lucas, de medio illorum, expectans commodiorem occasionẽ. Atq; hoc ipsum factũ est Pauli prudẽtia, quod nec cõsputus est, nec conuicijs affectus, nec manuũ iniectione uiolatus, sed incolumis discesserit, non tamẽ absq; lucro. Qui ipsi adhæserunt, eos plenius edocuit, in quibus erat Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, et alij quidam cum eis. Hinc liquet, quantam energiã habeat sermo prudenti mansuetudine temperatus. Possem in alijs Apostolorum orationibus hoc pacto consilium indicare, sed nolo grauare lectorem. Hæc ingeniosis suffecerint. Dicet quispiam. Ista sunt obsoleta. quid ad horum temporum Ecclesiastas? Fateor postea quàm Christi nomen per uniuersum orbem inclaruit, non esse simili temperamento de illo loquendum.

Inuidia quo modo uitanda concionatoris aut offenso auditorum

Sed multa tamen incidunt concionatoribus, in quibus consimilem in modum & iudicio & consilio sit opus. Veluti quum cogantur suã apud populum tueri autoritatẽ, quod fieri nõ potest, nisi dicãt aliquid de suis laudibus. At nulla in re fastidiosius est hominis ingenium. Non fert ullam iactantiæ speciem, etsi dicantur uerisśima, atq; adeo confessa quoq;. Imò uix ferunt quenq̃ ab alio laudari. Eo q̃ prisci aduersus fascinationem adhibebant remedia. In hoc igitur casu necesse est, eas adhibere rationes, quę monstrant quomodo quis seipsum laudare possit citra inuidiã. Prudenter attenuandũ si quid uirtutis in nobis est, & hoc ipsum diuinæ munificentiæ tribuamus à qua datum sit ad auditorum utilitatem. Item si quid egregij præstitimus ita mitigabimus, ut dicamus nos illa uoluisse magis quàm præstitisse, & uoluisse ipsorum causa quibus loquimur. Tum si laudẽ omnem cum auditoribus communicabimus, adscribentes illorum precibus aut alacritati si quid præclare gessimus. Quorundam uero officiorũ ipsos testes faciemus, & ad eos iudicium de nobis deferemus. Postremo si tota oratiõe præ nobis feremus, quod nuiti nec sine pudore ad illa dicẽda descẽderimus. Interim ab inuidiosis cõparationibus abstinendũ, atq; etiam à prauis submissionibus: qualis sit, si theologiæ doctor & in sacris literis eximius, dicat se omnium ignorãtissimum. Nam hic sermo magis habet ironiã, q̃ modestiã. Satis est dicere, si quid theologicæ cognitionis auxiliante dei gratia, diutino studio iam consequutus, & si quid dominus ad uestram utilitatem mihi largiri dignatus est. Paulus Apostolus quũ cogeretur apud Corinthios tueri autoritatẽ suam aduersus pseudapostolos, quanta cautione uitat arrogantiæ comitẽ inuidiã. Imponit sibi ipsi personã insipientis, rogatq; ut hæc uelut ab insipiente dicta sapientes ipsi ferant ęquis auribus. Solent enim homines cordati minus indignari, si quis per ętatẽ imperitus, aut natura parũ sapiẽs aliquid de se ipso loquatur gloriosius. Mos erat olim ut imperatores è bello reuersi sua gesta apud populum denarrarẽt. Militaris ac plausibilis erat oratio, eoq; concedebatur illis aliquid magnificentius de se prædicare. Quid ni, quibus dabatur triumphus, res omniũ maxime Thrasonica, & nisi consuetudo excusaret, ridicula. Et tamen illis etiã curę erat uitare inuidiam, dum laudis maximã partem cum militibus diuidunt, omnemq; rerum successum dijs suis, & populi felicitati adscribunt potius q̃ suæ uirtuti ac prudentiæ. At Paulus suos egregios labores quos euãgelij causa exhausserat, immaniaq; pericula quæ subierat, dũ studet omnib. prodesse, uocat infirmitates. Quũ ad uisionis cõmemorationẽ uentum est, supprimit nomẽ suũ, atq; aliam supponit personã. Scio, inquit hominẽ. Et clausulam adijcit, Factus sum insipiens. Vos me coegistis. Eosdem facit testes suorum officiorũ. In omnibus, inquit, manifestatus sum uobis. Idem mire facit 1. ad Thess. 2. Nam & ipsi scitis fratres: rursus ibidem, Et uos testes estis & deus, &c. Denicq; dum miracula uocat in testimonium, uide quanta utitur submissione. Tametsi, inquit, nihil sum, signa tamen apostolatus mei facta sunt super uos in omni patientia, in signis & prodigijs & uirtutib. In priore ad Corinthios capite septimo, quum certo sciret se dei spiritũ habere, tamen ad euitandam inuidiam ita loquutus est, Puto aũt quod & ego spiritum dei habeã. Nec hoc

2. Cor. 11

temere

temere adiecit, sed ut doctrinæ suæ assereret fidem & autoritatem. Non tamen quicquid decuit Apostolum, idem deceat concionatorem quemlibet. Vbiq; autẽ decori cum primis habenda ratio est. A iuuene requiritur maior modestia, præsertim si nondum meritis & officijs erga populum sibi parauit gratiam & autoritatem. Seniorum de se commoratio leuius offendit. Tribuitur aliquid et amplitudini personę, puta si loqtur episcopus aut cardinalis, præter muneris dignitatem, etiam doctrina uitæq; sanctimonia commendatus. Similiter quum res postulat, ut uitia quædam arguantur quibus populus omnis, aut è populo proceres sunt obnoxij, cõsilio nimirum est opus. Vix reperias quemquam tam placidæ mentis, ut obiurgationem patienter ferat, præsertim eos qui opibus, nobilitate, honoribus, aut principatu tument, quos aculeatis sermonibus irritare non expedit. Laudatur Theodosij patientia, sed unius ergaunum. Quid hic faciet concionator? Primum ita temperabit obiurgationem, ut præ se ferat quod inuitus ad eam descenderit, nec suum agat negocium, sed eorum periculo commoueatur, quibus & pro sua charitate ex animo bene uult, & ex officio delegato cogitur eorum saluti consulere, ut pro quibus domino sit redditurus rationem. Interim cauendum ne reprehensio sapiat amarulentiam odiúmue, sed multo charitatis & humanitatis admixtu condiatur: interdum & laudis. Optarim charissimi, ut qui tam multis uirtutibus estis commendabiles, ne sinatis gloriam uestram isto neuo seu labe contaminari. Tale est illud in Phormione, Vt alia facta tua sunt: & illud Pauli, Currebatis bene. Nonnunquam extenuandum crimen aliquo modo, ueluti si quod plerosq; habet inuolutos, dicat esse paucorum, & culpæ partem in alios reijciat, aut in errorem uel ignorantiam. Sic Paulus Galatarum ab Euangelio defectionem, appellat fascinationem, criminis atrocitatem in pseudapostolos transferens. Simili ciuilitate lenit incredulitatem suæ gentis. Testificor illis quod zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Ita multa mala bonus excusat animus. Moderatius ferimus corrigi factum, si probetur affectus. Si quid iam ad principem pertinebit, poterit uel occupationibus illius adscribi, per quos fit ut multa eum fallant, uel in delatores & infidos cõsiliarios reijci. Illud perpetuò obseruandum, ut personis quantum licet, parcatur. Gratiosa est apud omnes humanitas. Cauendum autem, ne gentem aut ciuitatem, aut ordinem uniuersum uituperemus. Veluti quidam uniuersam Germaniam insimulant temulentię: quum hoc uitium sit paucorum, nec ulla sit natio quæ non habeat intemperantes. Italiam notant nepharię libidinis, quum illic sint plurimi ab ea labe intacti. Sic quidam incessunt monachos, quasi uniuersi sint mali, quum inter eos multi sint boni: nõnulli fortasis & inter milites. Idem dictum esto de aulicis, negociatoribus, & similibus hominũ generibus, quæ non improbat ecclesiastica doctrina. Etenim quum nullum sit non permixtum bonis ac malis, qui uniuersos damnat, quoniam odio potius quàm iudicio loqui uidetur, fidem carere, & apud æquos plus inuidiæ sibi conciliat, cũ illis in quos inuehitur. Idem accidit in unius hominis laude, aut reprehensione. Vix ullum reperias hominem tam absolutum in quo non aliquid desideres: rursus uix ullum tam malum, quin habeat aliquid admixtum quod laudetur. Proinde qui sic laudant aliquem, ut nihil in eo non mirentur, aut præter modum candidi uidentur, aut adulantes, utroq; modo fide carent. Contra qui sic insectantur hunc aut illum, ut alba (quod aiunt) amusi damnent omnia benedicta pariter & male dicta, non de re iudicare, sed hominis odio furere uidentur. Adeo quidam fauent Augustino, ueterum enim exemplis utor libentius, ut piaculum existiment quicquam illius conuellere. Rursus Origenem sic odere nonnulli, ut uix nomen ipsum ferre possint, quum & Augustinus in quibusdam sit hallucinatus, & Origenes lapsus suos tam multis egregiè dictis abunde pensarit. Eadem impotentia quidam utuntur in eos in quorum scriptis deprehendũt, quod prima fronte uidetur ab ipsorum placitis discrepare. Mox sæuus clamor, Hæreticus, hæreticus: surdis & impotentibus uociferationibus & illa damnant, quæ in orthodoxorum libris ut piè dicta leguntur ab orthodoxis. Si doctrinam impiã uelent extrudere, maiore cum fide id facerent, si bene dicta à perperam dictis separarent, atque etiam illa quæ pium sensum reciperent, commoda interpretatione iuuarent. Etenim quæ recta sunt, laudari decet in quacunq; persona: Qui uero in persona inuisa probat ea quæ probari merenẽ, quæ nõ probat integro certoq; iudicio dãnare uidebitur. Quod rhetores pcipiunt, si quãdo res cõpellat, ut cõtra parẽtes, fratres, sorores, aut alioq; cognatos

Reprehensio quõ mitigãda

Personæ, genti & ordini parcendum in reprehendendo

Laudans omnia aut uituperans omnia, uterque ineptus est

sit

sit dicendum, ita sermo temperetur, ut quoad fieri potest, & pietatis et charitatis & humanitatis habita ratio uideatur: idem multo magis obseruãdum Ecclesiastæ erga populum. Paulus admonet parentes, ne ad amaritudinem prouocent liberos suos. Et in comœdijs à uiris ingenijs obseruatũ est, ut nulla sit patris tam acerba oratio, quin aliqua paterni affectus uestigia habeat insperſa. Talis itaq; sit Ecclesiastæ reprehensio, ut charitas non ira loqui uideatur. Ea nec nimis acerbã, nec nimis frequentẽ esse decet, nec diuturnã, sed sic ad placidiora transeũdum, ut appareat inuitum in necessarijs quidem illis, sed subamaris aliquantisper fuisse cõmoratum. Est & illa mitigandæ reprehensionis ratio, si nostrã personam admisceamus. Satis hactenus indultũ huic uitio charissimi. Nunc respiscamus & ad meliora conuertamur. Quod tamen non faciendũ est, nisi aut in genere, aut in his quę non tam habent crimen q̃ humanã infirmitatẽ. Neq; enim cõueniret, ut concionator, obiurgãs adulteros fateatur se adulterũ. Satis est dicere, Ego peccator peccatores admoneo. Itẽ si ipsos quos reprehẽdimus, iudices faciamus, quẽadmodum fecit Petrus, Vtrũ oporteat magis obedire deo an hominibus, uos ipsi iudicate. Consulat quisq; suum animũ fratres, an quod alijs facit, uelit sibi fieri, et quantopere cõmoueretur simili iniuria lacessitus. Accedant preces & obtestationes, quæ sæpenumero uehemẽtius mouent q̃ minæ. Nec pudeat hoc facere Ecclesiasten, quod non puduit facere Paulum tam insignem apostolũ. Interim tamen cauendum Ecclesiastæ, ne dum uitat admonitionis asperitatem incidat in adulationẽ præsertim apud præpotentes. Vt palam latrare in principes seditiosum est, ita coram in os adulari scurrile est & abiectũ. Priore modo peccatur à nõnullis, sed posteriore multo plures delinquunt. Profuerit hoc quoq;, si concionator detestaturus crimen aliquod, scripturã ipsam loquentẽ adducat sic. Audiãt qui taliũ scelerũ sibi conscij sunt, non me, sed scripturã. imò simul omnes audiamus deũ per os apostoli sui loquentẽ, sequamur ad quod inuitat, uitemus quod cõminatur, omniũ dñs & iudex. Hic uero non solũ personarũ, sed & rei, loci, ac tẽporis habẽda est ratio. Id quatenus et quousq; sit faciẽdum, certis regulis tradi non potest, sed ex re præsenti perpenditur. Itaq; consiliũ frequenter pugnat cũ artis pręceptionibus. Tempore læto lęta dicere cõuenit. At D. Basilius paschalẽ oratiõnẽ auspicatur ab obiurgatione, deplorãs quod totius quadragesimæ labores subito perdiderit, populo ad cõuiuia solitasq; uoluptates reuoluto. Reprehẽsionis occasionẽ præbuit auditorũ raritas. Item aliter temperandus est sermo Ecclesiastæ in sacra cõcione, aliter in cõuiuio, cui cõueniunt hilariora, & molestus est qui perpetuo loquitur. Rursus aliter dicendum est apud uirgines deo dicatas, aliter apud milites ad bellũ accinctos. Apud promiscuã turbã, quæ nullũ hominũ genus non habet, magno cõsilio est opus, ne quid dicat quod purã ætatẽ ac mentes innocentiũ inficiat: rursus ne quam personã, aut ne quem ordinẽ perstringat. Quædã ita dicenda sunt, ut non intelligãtur nisi ab ijs ad quos ea pertinent. Quædã in genere dixisse satis est, Veluti de pudicitia cõiugali. Nec enim expedit apud permixtam multitudinẽ singulatim explicare quot modis ea uioletur. Idem sentiendum de uirginitate, Imago castitatis ponenda ob oculos, non est necesse exprimere, quot modis contaminetur uirginitas etiam citra concubitũ. Noui quendam qui populo exposituras quot modis maritus abuteretur uxore, iussit è templo discedere quicquid illic erat uirginũ. Discesserunt autem plurimi non uirgines, itaq; res in iocum abijt. Et ij qui iussi sunt abire, tanto auidius cupiebant ex alijs discere, quęnam essent illa mysteria. Huius generis multa sunt, quæ melius admonentur in priuatis colloquijs aut in sacris confessionibus, quæ uel ob hanc tantam utilitatem non uidentur respuendæ.

Reprehensio ecclesiastæ debet esse paterna

Consilium pũtit

Iam sic est uulgi ingenium, ut multa quę bene dicuntur rapiantur in alium sensum, aut trahantur in occasionem suis cuiq; uitijs blandiendi. Itaq; necesse est concionatorem in omnem partem habere uigilantes oculos. Exempli gratia. Si quid dicitur in detestationem nephariæ Veneris, cõtinuo sibi blandiũtur scortatores & adulteri, sibiq; sancti ac puri uidentur. Horum igitur arrogantiæ protinus medendum est hoc pacto: Spero quidem neminem esse in hac concione talibus obnoxium morbis, uerum nõ est quod hinc nobis placeamus, quum sit alioqui abunde multum spurcitiarũ in nobis, meretricijs amoribus, adulterijs, stupris uirginum & incesto contaminatis. Eadem cautio adhibenda est in proponendis dogmatibus, ne similes uideamur imperitis medicis, qui sic opitulantur hepati, ut perdãt stomachũ. Imperita turba quũ toties audit totã legẽ abrogatam per Christum,

Cautio in exponendis uitijs, & dogmatibus paradoxis

qui

Lex abrogata quomodo intelligatur

qui nos redemit à maledicto legis, sic interpretatur sibi, quasi liceat cuiq; quod libeat facere, quum nunc minus liceat delinquere, per gratiam abrogata lege. Sed illis lex abrogata est, qui ex fide & charitate ultro præstant, quod lex præcipit, nec tamen opera sua sibi arrogant, sed adscribunt gratiæ Christi: in quibus si quid per humanã infirmitatem prætermissum aut imperfectũ est, confugiunt ad merita Christi, atq; hinc supplent, quod in ipsis diminutum est. Itidem quum audiunt sola fide iustificari hominem, ex operibus nostris nullam esse iustitiam, nec referre qualia sint opera nostra, modo credamus Christum esse iustitiam nostram: uulgus eò rapit, quasi non oporteat studere bonis operibus: quũ apostoli uix aliud magis inculcent, quàm ut qui Christo commortui sunt in baptismo, cum eo resurgant in nouitatem uitæ. Quòd si omnia opera nostra mala sunt, sicuti docent quidam, multum tamen discriminis est, inter largientem sua pauperibus, & inter rapientem aliena, inter ieiunantem ac temulentum, inter orantem, & turpiloquio garrientem. Fiducia operum humanorum adimere pium est, præsertim eorum quæ non proficiscuntur ex fide & charitate, quæ seruit ubicunq; potest proximi commodis, sed ad cæremonias accedunt, ueluti sic uesci aut uestiri, aut currere Compostellam, aut Hierosolymã. Eundem in modum quum uulgus audit, non esse opus satisfactione, quod Christus pro nostris peccatis dederit pœnas, sic interpretatur, quasi liceat impune peccare, & in malefactis securum esse. Hic error plus habet periculi, q̃ si quis credat satisfactionem esse tertiam partem pœnitentiæ sacramentalis: quum sit præter naturam, ut qui certò credat deum ultorem esse malefactorum, non timeat illũ iudicẽ: aut qui reputans illius in nos ineffabilẽ benignitatem, ardeat illius amore, non sibi displiceat, non indignetur, nõ à se pœnas exigat, qui tantũ ac talẽ suis sceleribus offenderit. Ne dicam interim, quod non semper habent fidem iustificantem, qui perseuerant in uitijs. Fides est res uiuida, ubicunq; est, otiosa esse non potest. Videãt igitur illi ne sibi dent uerba, & aut uacui sint dono fidei, aut mortuam habeãt, & cũ impijs spiritibus cõmunem. An fieri potest, ut qui pauperes spoliauit, si uere resipiscat, non conetur iniuriam beneficio pensare? Quidam satisfactionis nomen reijciunt, pensationis admittũt. Patiar immutari uocabulum, modo res maneat. Nec his tamen officijs oportet prorsus acceptam ferre remissionem peccatorum, sed misericordiæ diuinæ per fiduciam erga redemptorem Iesum. Pauca è multis exempli causa produxi. In cæteris omnibus eandem circunspectionem adhibere debet Ecclesiastes, ne dum sedulo cõmendat uirtutem aliquam, quibusdam foueam in quam incidant, aperiat, dumq; iacentes conatur erigere, allidat eorum capita.

Opera uicina superstitioni Satisfactio

ECCLESIASTAE SIVE DE RATIONE CONCIONANDI, AVTORE DES. Erasmo Roterodamo, liber quartus.



VPEREST elenchus siue index materiarum in quibus potissimum uersatur Ecclesiastes, quem tamen sibi quisq; rectius finxerit: nos nihilominus uel occupationibus q̃ ut uacet, uel pigritijs q̃ ut libeat hoc laboris deuorare, nostra qualicunq; opella saltẽ aliqua ex parte auxiliabimur. Primum igitur personas quasi columnas quasdam totius ædificij statuamus, quo facilius ad suum quæq; locum digerantur. Illud igitur in primis spectemus, triplicẽ esse Hierarchiam iuxta Dionysium, cœlestem, ecclesiasticam & politicam. Tametsi politica magis est pars Ecclesiasticæ quàm species diuersa. Ad præsens tamen negocium accommodatius est eam distinguere. Addi possunt docendi gratia duæ, monarchica & spiritualis. Cœlestis est illa beata societas Angelorum, qui non mutarunt domicilium suum, & animarum quæ uita pie acta in corporibus, meruerunt in Angelorum asciscí consortium. Huius rei publicæ felicitas, tametsi uacat omni molestia atque etiam metu malorum, nondum tamen consummata est, consummanda in resurrectione corporum. Ecclesiastica est corpus Christi mysticum, piorum adhuc in terris militãtium, & in fide ac spe ambulantium. Quod rursus bifariam accipitur, uel ut hoc nomen nõ cõplectatur, nisi uiua ueraq; membra Christi ad beatam immortalitatẽ destinata, quæ soli deo nota sunt: uel pro tota cõgregatio-

Hierarchia triplex

gatione sub communibus ecclesiæ sacramentis uiuentium, quæ malos bonis permixtos cõplectitur ac tolerat. Politica est publicus ciuitatis aut regionis status, qui legibus, plebiscitis, consuetudinibus & autoritate magistratuum tuetur externam multitudinis tranquillitatem, in his potissimum quæ ad facultates & corporum incolumitatem pertinent. Hanc nihil uetat esse uariam in diuersis ciuitatibus. Nam præter quatuor illas quas uetares commemorarunt, Monarchiam, Democratiam, Aristocratiã & Oligarchiam, possunt aliæ reipub. species existere. Et fieri potest ut in diuersis ciuitatibus leges sint contrariæ, quarum nulla tamen improbetur. Velut in quibusdam regionibus, lex iubet ut hęreditas in solidum cedat natu maximo, rursus in alijs, ut natu minimo. At ecclesiastica hierarchia, quoniam diuinis regitur legibus, & Christi immutabilibus institutis, semper eodem statu sit oportet, licet in ritibus nonnullis ac cæremonijs sit nonnulla uarietas. Iam politica potest esse penes Ethnicos, quam tamen apostoli propter publicum ordinem & concordiam contemni uetuerũt, pronunciantes & illam potestatẽ esse à deo, & suo quodam modo seruire iustitiæ diuinæ. Monarchica est, siue uniuersalis, qua deus ueluti rex ac dominus omnium agit & gubernat uniuersa, quæ non solum cõplectitur corpora cœlestia, uerumetiam omne animantium & plantarum genus. Adhæc etiam impios dæmones & animas æternis addictas supplicijs. Hęc tametsi per se deformia sunt, tamen admixta illustrant decorum uniuersi, demonstrantq; summi monarchæ iustitiam. Spiritualis est cuiq; homini peculiaris, per quam fit ne caro rebellionem moueat aduersus spiritum contemptis legibus diuinis. De hac dominus in Euangelio: Regnũ dei intra uos est. His omnibus præsidet summus ille monarcha deus, cõditor, seruator & gubernator omniũ, quo uno nihil maius, nihil melius esse possit. Cuius natura ut habet per se, necab homine, nec ab angelis comprehendi potest. Nec ulla sunt humana uerba quibus proprie de illa loquamur, nec ullæ sunt humanæ mentis imagines, quæ illam uere repræsentent nostro intellectui. Infusus est per omnia, ipse tamen in se manet immẽsus: complectitur omnia, ipse incõprehensus. Cõdidit & condit omnia in tẽpore, ipse sine tempore sempiternus, cõseruat & gubernat omnia sine sollicitudine, eodem intuitu uidet omnia, præsentia, præterita & futura. Simplicissimus est, nec in eo aliud est sapientia, aliud potentia, aliud bonitas, aliud scientia, aliud misericordia aut charitas, sed hæc omnia in illo simplicissima est essentia, ad quam omnia condita quantumuis sublimia si conferantur, nihil sunt. Solus enim uere est, qui in seipso est immutabilis, nec initium habens, nec finem habiturus. Ad hunc igitur ceu fontem omnia referenda sunt, cuius nutu gerũtur omnia. Quod mire fit in ueteris instrumẽti uoluminibus, in quibus nihil geritur aut dicitur absq; mẽtione dei. Expedit enim ut dei nomen frequenter inculcet Ecclesiastes, ut quẽadmodum ait Apostolus, sit deus omnia in omnibus. Secus faciunt mũdanæ philosophiæ dediti, qui deum quodammodo faciunt ociosum, ac naturæ tribuunt omnia: atq; etiam illa quæ sacræ literæ narrant, tanquam præter communem naturæ cursum facta, detorquent ad causas naturales, ueluti de quinq; ciuitatibus terræ hiatu absorptis, quo loco emersit lacus Asphaltites, bitumen ferẽs, quem quidam appellant Mare mortuũ. Rectius illi qui cuncta asserunt primariæ causæ, nec ullum discrimen esse uolũt, inter miraculum & ea quæ fieri uidentur naturalibus causis, nisi quod hæc quotidie fiunt, illa rarius. Velut quod mare certis uicibus recedit & accedit, quod fontes sursum scaturiunt, quod sol oritur & occidit, ignis urit, aqua refrigerat, miraculo tribuunt. Neq; conuenit ut quispiam de illa imperscrutabili natura dei minus magnifice sentiat, quod diuina scriptura nobiscũ ueluti cum infantibus balbutiens, ut ita loquar, deo tribuit oculos, aures, manus, brachia, reliquáque membra hominis. Item quod tribuit illi affectus humanos, iram, odium, pœnitentiã, aut quod eum uocabulis rerum cõditarum interdum designat, ueluti quum solem appellat, aut lapidem aut leonem, qua de re superiore libro nobis dictũ est. De deo proprie negantur omnia, nihil de eo proprie prædicatur, etiam quũ uita dicitur aut mens, aut pater, aut deus denique si Dionysio credimus. At ineffabilis illa maiestas, quatenus homini phas est, per fidem creditur magis q̃ intelligitur, sed in illo arcano silentio, ubi conticescũt omnes humani intellectus imagines. Credendo ut ait quidam, intelligitur, adorando enarratur. Rursus non officit simplicissimæ naturæ dei, quod audimus eam tribus personis esse distinctã, patris, filij & spiritus sancti, quum his tribus sit una eademq; indiuidua essentia,

Leges Christi immutabiles

Dei summa dignitas

Causæ secundariæ

Deo scriptura tribuit humana ut ab hominibus intelligatur

Vna deitas triũ personarum

Patris persona

ac proinde unus sit deus. Vnum enim sit oportet, quod simpliciter summũ est. Patris persona inuisibilis dicitur, quod in nulla specie uisibili legitur unquã apparuisse, quũ filius apparuerit in corpore humano in eandem personã assumpto, Spiritus sanctus in specie columbæ & linguarum ignearum, licet eas res non assumpserit, ut filius naturam humanam, sed tantum ut signum adhibuerit. Patris itaq; persona simplicissimè est simplex. Fi-

Filij persona

lij persona tribus constat naturis, diuina quam eandem habet cũ patre & spiritu sancto, anima humana & corpore humano: sic enim cõueniebat, ut medius esset inter deũ & homines. Pater aũt cui summa est autoritas, per filiũ redemit ecclesiã, per spiritũ sanctũ gu-

Spũs sanctus

bernat. Deus tametsi nullius eget, tamen omnia creauit propter se. Siquidem hic est finis

Monarchia dei uaria

omnium rerum conditarum, ut cognoscant & glorificẽt conditorem suum. Præsidet igitur in omnibus hierarchijs idem, sed non eodem modo. In cœlesti præsidet & utitur angelis ministris, ibi sine intermissione concordi omnium uoce celebratur & glorificatur.

In Ecclesiastica præsidet & utitur angelis suis, hoc est, episcopis, prophetis & doctoribus. Hæc autem ut aspirat ad illam cœlestem Hierosolymam, ita pro uiribus illam imitatur, per fidem contemplans faciem dei, & si non iugibus, tamen frequẽtibus hymnis glorificans principem suum: quanquam hic interim nostræ cantilenæ suspirijs ac lachrymis permixtæ sunt, alijsq; necessitatibus uarijs interrumpuntur.

Præsidet in hierarchia politica tanquam externorum quoq; bonorum autor, ad publicam tranquillitatem bonis magistratibus utens, malis abutens. Et in hac est nõnulla cœlestis illius hierarchiæ imago, licet obscurior, & ut ita loquar, crassior.

Præsidet in ea quam monarchicam diximus, tanquam conditor & gubernator uniuersi, in qua etiam illa quæ uocem non habent, ipso conspectu suo loquuntur potentiam, sapientiam ac bonitatem conditoris sui. Nam iuxta sermonem euangelicum ille pascit passerculos, ille uestit lilia, ille solem suum iubet oriri, ille pluuiam fœcundandis agris effundit. Quin & ipse tartarus & impiorum spirituum cohortes ipsa re prædicant inuictã eius potentiam, cui nemo potest resistere, ueritatem in promissis, iustitiam in præmijs, bonitatem in eos quos à tantis malis misericorditer seruauit, & ad tantam felicitatem elegit.

Deniq; præsidet singulariter in pectoribus hominum piorum per spiritum suum, consolans eos in afflictionibus, corroborans in tentationibus, perficiens charismatibus spiritualibus. Et hic laudatur, dum pro lætis pariter ac tristibus aguntur illi gratiæ. Quemadmodum autem uniuersus mundus, uelut unum est animal, ita singulus homo ueluti parua quę dã ciuitas est, siue parua ecclesia. Quod in illa est episcopus, hic est ratio: quod illic est populus, hic sunt affectus: omnes hæ politiæ aliqua ex parte referunt imaginem illius cœlestis, in qua summus est ordo, summaq; concordia. Habemus igitur quatuor personas, patrem conditorem & autorem omnium ueluti fontem supremum, Filium redemptorem, spiritum sanctum gubernatorem, & Christi corpus ecclesiam. Quanquã enim Christus & ecclesia una quodammodo persona est, tamen ad docendum accõmodatius est eam distinguere. Hæ tamen omnes in unum tendunt. Quemadmodum enim pater, filius & spiritus sanctus natura sunt unum, ita qui per fidem & charitatẽ Christi membra sunt, per illum in trinitatis unionem quatenus licet assumũtur. Hic igitur habemus exemplum summæ concordiæ.

Cõtraria monarchijs dei

Nunc ad contraria ueniendum. Deo monarchæ oppositus est princeps tenebrarum, non rex sed tyrannus, cuius malitia deus abutitur, ad exercendos electos ac puniendos impios. Quemadmodum autẽ deus est fons & autor omnium bonorum, ita satanas princeps & pater est omnium malorum: nõ quod sint duo summa

Comparatio monarchiæ dei & satanæ

principia, quemadmodum delirant Manichæi, aut quod ulla substãtia per se sit mala: sed quod sicut ipse satanas bene cõditus à deo, sua peruersa uoluntate degenerauit in malũ, ita res alias à deo bene conditas, quantum potest uitiat & corrumpit. Porrò quum unus sit, tamen tres personas diuinas refert in diuersum. Pater condidit omnia bona, hic quantum potest corrumpit omnia condita. Et sicut ille habet angelos quorum ministerio utitur ad salutem hominum, ita hic habet impios dæmones, per quos sollicitat homines ad peccandum. Filius redemit collapsum genus humanum, hic ut primos homines pertraxit in ruinam, ita quotidie totis uiribus in hoc incumbit, ut redemptos retrahat in seruitutem. Item sicut Christus est caput ecclesię, ita hic habet sua mẽbra, suumq; corpus in quo regnat. Iam sicut spiritus sanctus per fidem in Christum purificat corda mortaliũ, ita hic

per

per diffidentiã ac rebellionẽ inquinat hominũ mẽtes. Rursus patri tribuitur summa potẽtia ad seruandũ, filio summa sapientia ad redimendũ, spiritui sancto summa bonitas ad gubernandũ. In hoc summa potestas ad lædendũ, nisi nutu dei refrenaretur: itẽ pro summa sapiẽtia est summa astutia ad perdendũ, summa malicia ad seducendũ ac turbandum ordinẽ. Spiritus omnia cõglutinat ac continet, hic omnia quæ potest dissoluit ac dissipat.

LEX.

Adhæc in omni repub. bene instituta primam autoritatem obtinent leges, quæ quo sunt æquiores, hoc melior est ciuitatis status. Proximus igitur locus dabitur legi diuinæ, qua nihil iustius, nihil sanctius, nihil salubrius. Ab optimo data est optima, quemadmodum à satana pessimo pessimæ leges ueniunt, ex diametro pugnantes cum legibus diuinis. Hæc est lex carnis, cuius satelles peccatum, stipendium mors.

Legis nomen uarie usurpatur

Legis aũt nomen multifariam accipitur in literis arcanis. Interdũ pro parte legis, quæ typos & cæremonias continet, uelut in Euangelio: Lex & prophetæ usq; ad Ioannẽ. Neque enim præcepta decalogi per Christũ antiquata sunt, sed quẽadmodũ prophetas appellat, non totam scripturam prophetarum, quæ multa præcepta continet euãgelica, sed uaticinia tantum de Christo uenturo, quæ non aliter cessarunt q̃ cessat promissio, eo iam exhibito quod promittebatur. Interdũ usurpatur pro præceptis supplicĩ mínantib. uiolatori, de qua Paulus, lex iram operatur: quã alibi uocat legẽ operum, cui opponitur lex fidei, siue lex gratiæ: quæ gratis promittit iustitiã per fidem in Christũ. Dei uoluntas certissima regula est, honesti aut inhonesti. Hanc uoluntatẽ suam expressit nobis per scripturas canonicas, quarũ est inuiolabilis autoritas. Totum aũt hoc scripturarũ corpus interdum appellatur lex diuina, complectens utriusq; testamẽti uolumina. Quemadmodum autem Ioannes Baptista clausula fuit ueteris legis, duntaxat secundum eam partẽ quam cessare diximus, & initium nouæ: ita epistolæ apostolorum catholicæ nouo instrumẽto finem imponunt. Hactenus enim consistit irrefutabilis autoritas. Cætera cum iudicio recipienda sunt & ad diuinam regulam examinanda.

Legis tempora quatuor

Lex dei semper eadem est, quẽadmodum dei uoluntas est immutabilis. Varie tamen exhibita est pro ratione temporum & personarum. Quod ad hominẽ pertinet quatuor tempora spectanda sunt, conditi, lapsi, restituti & perfecti. Condito data est lex: ne comedas, si comederis ilicò morieris. Quemadmodum angelis cõditis data est lex, ut seruirẽt cõditori suo, qua uiolata collapsi sunt irrecuperabiliter. Ac statim in paradiso lex satanæ pugnare cœpit cum lege diuina. Comedite, si comederitis nõ moriemini, sed eritis sicut dij. Hic homo primum suo ingenti malo expertus est satanam esse mendacem, deum ueracem: simulq; didicit quid sit negligere legẽ dei, & obtemperare legibus satanæ. Secundum tempus est exilij, in quo multis seculis uixerunt homines absq; prescriptis legibus, sed tantum lege naturæ, quæ nondum erat tam grauiter uitijs obscurata quàm fuit progressu temporum. Nec huic legi defuit gratia dei, suggerens pijs, si quid forte naturæ deesset. Lex autem naturæ latissimè patet. Ea quippe uiget in omnibus rebus cõditis, etiam in his quæ sensu carent aut ratione, ueluti corpora cœlestia tot annorum milibus obeunt præscripta munia. Maria, flumina, fontes, plãtæ & omne animãtium genus, suæ quodq; naturæ legibus obtemperant, quia carent libero arbitrio. Soli angeli & homo, quoniam data est libera uoluntas, corruerunt suo uitio non conditoris. Quod enim datum erat ad felicitatis incrementum, sibi uerterunt in exitium. Quod si quando cætera creatura uidetur oblita legum suarum, hoc est, quum sol lunæ obiectu, aut densis nubibus tectus subducit diem, quum ex syderum infausto concursu nascuntur pestes mortalibus, quum mare egressum limites suos exundat in uicos & urbes, quũ aer ad uitam datus pestilẽti afflatu adfert mortem, quum animalia quæ dominio hominis subiecta sunt, impetunt homines, nimirum hinc est, quod omnia quodammodo per hominis peccatum uitiata sunt, simulq; cum homine congemiscunt ac laborant, expectantia reuelationem filiorum dei, quemadmodum docet Apostolus. Et tamẽ quoties creatura sæuit in homines, quoniam id facit nutu conditoris à quo gubernatur, non recedit à lege diuina.

Lex Mosi quare inducta

Post hæc iam increscente hominum malitia, ac lege naturæ propemodum obliterata, successit lex per Mosen data, quæ nominatim ostenderet, quid nefas esset quid fas, & ab illis pœna deterreret, ad recta præmijs inuitaret. Vulgus enim existimabat sibi licere co-

lere uarios deos quos sibi finxerat hominum superstitio, quemadmodum & ritus uarios sibi finxit. At lex Mosi clamat, unum deum coles, & coles his ritibus. Qui læsus erat, putabat sibi licere occidere inimicum. Sed reclamat lex: Non occides. Quod cõmissum est, lex ulciscetur non homo. Itidem qui uehementer amabant, persuaserant sibi licere quod libebat. Reclamat lex, non mœchaberis, non facies furtum, non concupisces aliena. His cancellis cohibita est hominis natura, ne prolaberetur in omnem impietatem. Postquam uero & hoc dei donum hominum impietas sibi uerterat in materiam grauioris damnationis, nouissimis temporibus data est lex Euangelica, quæ per fidem & gratiam daret salutem, sub qua militamus auxiliante Christo, donec parta uictoria ad perpetuum triumphum recipiamur in cœlos. Illic nulla est infelicitas quæ pugnet aduersus legem dei, nulla est rebellio. Omnium harum legum autor est deus, sed uetustæ legis minister fuit Moses seruus dei, nouę legis minister est Christus, quatenus est homo, autor, quatenus filius dei. Post hanc nulla expectatur alia lex, sed iudicium extremum et consummatio mundi.

Deus paulatim innotuit

Temporum omnium dispensatio spectabat ad Christum, qui uigor est & perfectio omnium legũ. At sub lege naturæ pene erat ignotus filius, magis ignotus spiritus sanctus. Vtrunq; lex Mosaica insinuabat magis quàm declarabat, umbris & figuris delinias, ac prophetarum oraculis demonstrans, sed uelut eminus ac per nebulam. Christus autem aduenies ueluti sol dispulsis omnibus nebulis, tum per se, tum per spiritum sanctum patefecit omnem ueritatẽ, aperiens quod in cortice literæ latebat, & palàm exhibens quod lex typis designarat, prophetæ sub inuolucris promiserant.

Lex uetus quibus constet

Lex uetus constat historia, præceptis, typis, cęremonijs & promissis. Quanq; cærimoniæ typi sunt, at nõ retrò quicquid typus est, cæremonia est: uelut serpẽs æneus, aut aqua de petra fluens typus erat, cæremonia non erat, sed holocautoma sic erat cæremonia, ut pariter esset typus. Mundum sic esse cõditum à deo, nemo certum sciret, nisi docuisset historia Geneseos.

Historia

Præcepta triplicia

Præcepta duplicia sunt: quæ præcipiunt bonos mores ac pietatem, perpetua sunt: quæ præscribunt cæremonias, iuxta literam abrogata sunt, iuxta sensum spirituale abrogata non sunt. Nec enim iubemur immolare holocautomata: iubemur tamen nos totos in dei uoluntatem tradere: nec prohibemur uesci suilla, sed à suillis affectib. abstinere iubemur: nec prohibemur uesci anguillis, sed limosis terrenarum rerum curis involui prohibemur. Pro cæremonijs aũt quas plurimas habebant Iudæi, quasdam etiã in speciẽ absurdas, pauca sacramenta data sunt ecclesiæ, ueluti pro circũcisione baptismus, pro uictimis pecudum, sumptio corporis dominici. Tertium præceptorum genus est iudicialium. Sic enim appellat D. Augustinus. Velut, lex uetus citra personarum exceptionem prohibet adulterium, sola tamen uxor deprehensa iubetur lapidari, uiro nulla pœna certa statuitur. Et uiri zelotypię, lex tristi remedio medetur. Viro permittit repudium si qua turpitudo offendat in uxore, mulieri nullum diuertendi ius conceditur. Ad hoc genus pertinent opinor & gradus in contrahendo matrimonio, & talionis permissa uindicta, & supplicia certis facinoribus præscripta, aliaq; permulta, è quibus quædã uidemus & hodie seruari à Christianis, quædam prorsus sublata, quædam mitigata, quædam immutata, contracta quædam, rursus alia dilatata. Zelotypiæ remedium quod Moses concesserat sublatum est. Quẽadmodum præter alias & illa lex abrogata est, quæ Deut. 22. iubet lapidibus obrui puellam quam maritus non repererit uirginem, ob stuprum clàm in domo parentum commissum. Adulterij pœna mitigata est, repudij ius cõtractum est, quod ad causas attinet, dilatatũ quod ad personas attinet: quicquid enim iuris habet uir ad repudiandum, idem nunc habet uxor. Immutatum est, inducto nouo diuortij genere, quod manente coniugij uinculo, separat consuetudinem cõnubialem. Gradus item propinquitatis contraxit ecclesia, quemadmodum diaconis & sacerdotibus in totũ ademit ius ineundi matrimonij. Dixerit hic aliquis, Est igitur liberum in hoc genere tollere, mutare, dilatare, contrahere pro cuiusq; arbitratu. Nequaquam. Quæ dominus aut apostoli confirmarunt aut immutarunt, obseruanda sunt ut ab illis præscribitur. Quæ publica ecclesiæ autoritas, præsertim concilijs uniuersalibus præscripsit, & usu publico ac diuturno comprobata sunt, decet obseruare reuerenter: nec aspernanda sunt quæ pontifices iustis de causis in publicam utilitatem præcipiunt. Tametsi interdum ita sunt inter se confinia, quæ docendi gratia uerbis distinxit Augustinus, ut uix possis liquidò dignoscere,

Nouæ lex quid in ueteremutarit

Constitutiones ecclesiæ nõ spernendæ

& con

& consultissimum est à scripturæ legibus non temere discedere. Huius generis sunt illa quæ pertinent ad humanitatem atq; æquitatem, de iubileo, de ueste non tollenda à uidua pignoris loco, de ueste reddenda pauperi ante noctem quam pignori acceperis, de remittendo ex acie qui sponsam duxerit, nec eam cognorit, qui domum ędificauit, quam non dum dedicarit, qui pauido sit corde. Item de non prohibendis qui spicas colligere uelint post terga metentium. Inter promissa quædã sunt, in quibus idem fit quod in præceptis cæremonialibus. Neq; enim hic expectare decet terram melle & lacte manantem, interfectionem hostium nostrorum, aut omnium gentiũ dominium: Sed expectamus terram cœlestem, quæ solidam & inconcussam habet tranquillitatem, mortificationem cupiditatum carnalium, ac uictoriam spiritualem de omnibus quæ aduersantur pietati. *Promissa*

Noua lex ueteris est tum explanatio, tum epitome. Ea similiter constat historia, doctrina, præceptis, sacramentis, exhibitione promissorum, gratia, & exẽplo pietatis omnium absolutissimo. Historia nihil admirabilius, nihil amabilius, nihil certius. Ea cõtinet ortũ, progressum & exitum redemptoris usq; ad Acta apostolorum quæ nobis tradidit B. Lucas. Doctrina palam explicat, quod in lege fuerat ænigmatibus inuolutũ, eruitq; sensum mysticum in literis abditum, quem absq; interprete percipere nõ poteramus. Quis enim suis uiribus diuinare potuisset, serpentem æneum, aut petram aqua scatẽtem, aut Ionam è uentre ceti redditum uiuum, præsignasse Christum in cruce tollentem peccata mundi, aut eundem suo spiritu reficientem & abluentem credentium animas, aut post triduum è sepulchro reuiuiscentem? An euãgelica doctrina aliquid addat ueteri legi, equidem in medio relinquo, quemadmodum & de præceptis, alijs concedo iudicium. Sunt enim uiri graues qui putant ab Euangelicis præceptis ideo plus exigi, quod copiosior addita est gratia. Alij sentiunt nihil exigi noui, tantum explanatius repeti quæ præcepit lex uetus: uerum in his parcissimum est Euangelium, magis infigens ea quæ sunt spiritus & gratię, uereq; pium reddunt. Iam si cæremonias accipiamus generaliter pro omni cultu externo, est & in sacramẽtis nouæ legis, aliquid expositum sensibus. Nam & aqua uidetur ac tangitur, & oleum cernitur, tangitur & odore sentitur, uerba audiuntur. Quædam aũt recepta sunt à priscis ecclesiæ primoribus, quæ accedunt ad speciem Iudaicarũ cæremoniarum. Velut ocium diei dominici, indictum ieiunium ijsdem diebus quibus Iudæis indixit Moses, & si qua sunt huius generis alia, quæ non ideo ualent, quod uetus lex præciat, sed quod ab ecclesia recepta sint, tanquã ab apostolis tradita. Quædam non sunt qui dem eadem, sed similia. Vt quæ ecclesia præscripsit de ocio dierum festorum, de discrimine ciborum, de unctione & rasura sacerdotum, de formis & coloribus uestiũ, in quibus Christiana charitas quantum in ipsa est, uitat infirmorum offensionem, hac tamen cautione, ne supra modum alat superstitionẽ. Nihil est autẽ promissum in ueteri lege, quod Christus non euidentissime exhibuerit, exceptis ijs quæ spectant ad progressum ecclesię & consummationem mundi: & quo certior esset exhibitio, ipse frequẽter per se, frequentius per apostolos dignatus est ostendere, qui typus aut quod uaticinium quo facto fuerit impletum. Velut apud Lucam 4. Quum dominus in synagoga recitasset uaticinium Esaiæ: Spiritus domini super me, propterea quod unxit me, euãgelizare pauperibus misit me &c. adiecit: Hodie hæc scriptura impleta est in auribus uestris. Sic & Ioannes quũ narrasset domino non fuisse fracta crura, citans ex uetere lege, Os non comminuetis ex eo: significat totum argumẽtum agni paschalis fuisse figuram Christi. Et in actis Philippus Diaconus locum Esaiæ quem Eunuchus non intelligebat, ostendit in Christo completum. Ac Petrus turbam ad linguarum miraculum attonitã, docet hoc à Iohele fuisse prædictum: quemadmodum quod est in Psalmis, Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem, docet non in Dauidem competere, sed in Christum, cuius corpus exanime paucioribus horis fuit in sepulchro quàm ut potuerit putrescere. *Cæremonias quasdam ab ie ge uetere re cepit ecclesia*

A gratia uero noua lex potissimũ habet nomen quæ dicitur Euãgelium. Quid enim eo nuncio lætius quàm per fidem in Christum gratis condonari omnibus omnia peccata, solui inimicitiam quæ prius erat inter deum & homines, ac pro paradiso terrestri apertri regnum cœlorum. Nec tamen absq; fide & gratia quisquam deo placuit in uetere lege, sed in noua cuncta hæc, & euidentius prædicata, & largius effusa, & latius diffusa. *Lex gratiæ quare dicitur*

Habebat uetus lex exempla uirtutũ egregia, uelut fidei in Abraham, mãsuetudinis in

Mose & Dauid: quorum ille deum interpellauit pro seditiosis, hic Sauli toties pepercit quum liceret hostem interimere: iustitiæ in Samuele, obediẽtiæ in Isaac: sed in uno Christo uirtutum omnium absolutum exemplar ostensum est, in quo nihil uitij aut defectus fuit admixtum. Ex his quæ diximus loci complures oriuntur. De differẽtia ueteris & nouæ legis, de sacramentis utriusq;. De consonãtia utriusq;, & quatenus uetus abrogata per nouam, quatenus nõ. De autoritate scripturæ canonicæ, & quousq; porrigatur. Au-

Autoritas scripturæ canonicæ unde

toritas cõstat indubitabili fide eorũ per quos prodita est. Primi autores sunt Christus & spiritus sanctus, Moses & prophetæ omniũ unanimi cõsensu, & quod maius est testimonio Christi probati: dein apostoli, martyres & confessores, qui uel scriptis, uel omniũ rerum contemptu, uel utroq; fidem confirmarunt. Accedunt huc miracula tam euidentia & tam multa, ut nullam recipiant tergi uersationẽ. Præterea consensus scripturarũ inter ipsas. Nouũ testamentũ congruit cum uetere, & uniuersa scriptura sic undiq; sibi cõstat, ut nihil usq; dissideat, modo recte intelligatur, id quod in nulla humana philosophia reperitur. Adde certitudinẽ: neq; enim scriptura quærit & ambigit, quod faciunt philosophi, dum argumentis uarijs disputant: sit ne mũdus conditus, sit ne post corporis obitum superstes anima: sit ne deo cura rerũ humanarũ: sed de omnibus quæ cognitu necessaria sunt, certò ac definitè pronunciat. Adde his consensum tot seculorũ ac tot nationũ. Nullus enim philosophus tam exactè scripsit de rebus diuinis & humanis, ut uel unius regionis aut ciuitatis concordem meruerit assensum, quũ per uniuersum terrarũ orbẽ, tantum honoris tantumq; reuerentiæ deferatur scripturis, ut harum fiducia innumera uirorũ ac mulierum milia non dubitarint sese in omnes cruciatus ac mortes tradere. Nam scripturæ maiestatem reuerentur & impij. Itaq; dum huius urgentur autoritate, confugere so-

Hæreticorum confugium

lent ad adulterinas interpretationes. Postremo confirmatur effectu siue energia. Nulla enim humana scriptura sic rapit ac transformat totum hominẽ, quũ simplici sermone sit prodita, nec philosophiæ mundanæ subtilitate se uenditans, nec rhetorũ lenocinijs blandiens auribus hominũ. Addam illud coronidis loco, quod nulla alia doctrina magis consentanea sit naturæ quàm scriptura diuina. Quid enim magis secũdum naturã, q̃ ut creatura se totam submittat suo cõditori. Natura per se sui conseruationẽ appetit ac perfectionem. Vtrunq; uerè præstat scripturarum obedientia. Summũ bonum ac felicitatem natura desiderant omnia. Vtrunq; sola scriptura diuinitus inspirata docet.

Virtutes & uitia

Exoritur alius locus de intellectu scripturarum uestigando, de quo superiore libro satis mihi dixisse uideor. Quoniã aũt lex per occasionẽ gignit & aggrauat peccatũ, peccatum autẽ parit mortẽ, hic locus existit de duplici genere peccati, deq; duplici genere mortis. Sub peccati nomine continẽtur omnia uitiorum genera, quorũ infinita est differẽtia. Vitijs opponuntur uirtutes. Sed ex præcipuis conficiendus elenchus. In quibus princi-

Fides

pem locũ obtinent fides, spes & charitas, quas quidam appellant heroicas. Super his

Spes

existit uaria consideratio, uerbi gratia, quid sit fides, & quot modis ea uox usurpetur in

Charitas

sacris uoluminibus, & quotuplex sit, & cui parti naturæ respõdeat, & cur inter heroicas uirtutes primas teneat, & quid huic repugnet, aut quid affine sit, postremò in quibus insigniter eluxerit. Fides enim est certa persuasio de omnibus quæ necessaria sunt ad salutẽ. Interdum usurpatur pro fide præstantis pollicita. Ita deus dicitur fidelis, quia non fallit in promissis. Interdum pro fiducia simplici de promissis dei. Ita laudatur fides Abrahæ, qui iussus non dubitauit occidere filium unicũ, in quo promissa erat illi numerosa posteritas. Nonnunq; est assensio quæ subsistere possit sine spe & charitate. Sic dæmones credunt piè uiuentibus per Christum esse paratam uitã æternam, quam tamen nec amant, nec sperant. Similiter multa credunt homines impij. Interdum fidei nomẽ complectitur hæc omnia simul, certam persuasionem de ijs quæ narrant ac docent scripturæ sacræ, certam fiduciam de promissis dei, ac plenam obedientiam qua homo se totum submittit diuinæ uoluntati. Item est fides infusa, & fides acquisita, fides præteritorum, præsentium ac futurorũ. Respondet autẽ ei parti quæ in nobis dicitur ratio siue intellectus, per quam

Fidei quare tribuatur principatus

cognoscimus & iudicamus. Hanc naturæ uim offuscatã perficit fides. Huic ob id tribuitur principatus, q̃ ostium fit ad salutem: per fidẽ enim cætera nobis largitur deus, & absque fide impossibile est placere deo. Affinia sunt opinio & scientia. Opinio est probabilium, scientia est euidentium. Probabile est tingere infantes institutũ fuisse ab apostolis,

non

non damnaretur tamẽ qui de hoc dubitaret. Hac moderatione recipiẽda sunt multa scholasticorum theologorum placita, quæ per scripturas euidenter probari non possunt. At totum esse maius quacunq; sui parte, non credo, sed scio, Et si animal est quicquid sentiendi uim habet, scio bouem esse animal. De plantis & urticis dubito. Contraria sunt: caro, quæ nihil credit nisi quod uider, ac disceptans curiositas: philosophia mundana, quæ nihil credit, nisi quod hominum argumentis probatur: Iudaica duricies quę diffidit uerbis dei, nisi subinde uiderint miracula. Existit alius locus quid efficiat in nobis uera fides. *Fides quid efficiat in nobis*
Ante omnia iustitiam adfert gratuita peccatorum omnium remissione, & hinc tranquillam securamq; conscientiam, dilucidam omnium rerum cognitu necessariarũ cognitionem. Certissimam fiduciam de scripturis canonicis, promptã ac simplicem obediẽtiam, Verum dei timorem, religiosam diuinæ maiestatis ueneratione, contemptum mundi, cœlestium amorem, infractum animi robur aduersus omnia terriculamenta, modestiã in prosperis, odiũ sui in delictis, diffidentiam uirium ac meritorum, certam fiduciã de misericordia dei. Rursus alius, quibus rebus alatur fides, quibus attenuetur. Alitur frequenti precatione, crebra gratiarũ actione, crebra corporis dominici sumptione, frequẽti scripturarum lectione, ac rerũ cœlestium quotidiana contemplatione, & indefessis charitatis officijs erga proximum. His aũt contrarijs attenuatur, ac tandem emoritur. In quibus autem hæc uirtus eluxit, in elencho tempestiuius notabitur. *Fides quibus rebus alatur aut uitietur*

E regione fidei est diffidentia siue incredulitas, cui congruũt quæ suprà diximus, fidei contraria. Ac diuersa gignit in nobis: accumulat iniustitiã, per hanc enim & bona opera mala sunt, nec sinit unquã requietam esse conscientiã, inducit mentis cæcitatẽ, dubia reddit omnia. De scripturis ambigit, ut iam non omnino contemnat: parit rebellionem, docet dei contemptum, aut timorẽ cum odio coniunctum. Docet hypocrisim, superstitionẽ & idololatriam, amorẽ rerũ fluxarum, neglectũ cœlestium. Deijcit animũ in aduersis, insolentem reddit in prosperis, facit ut homo tandem exultet in rebus pessimis. Docet hominem suis fidere uiribus, dei misericordia diffidere. *Fidei contraria*

Spes adhæret fidei, magisq; est fidei pars q̃ diuersa species, ac sic interdũ loquuntur scripturæ, ut fidẽ pro fiducia certaq; spe uideantur usurpare. Ita Paulus prædicans Abrahæ fidem: Qui contra spem inquit, in spem credidit. Et ad Hebræos, Fides est substantia rerũ sperandarũ &c. Ad Rom. 8. spem appellat expectationẽ bonorũ quæ nõ uidentur. Nemo sperat, quod non credit. At nõ statim speratur quod creditur. Ea igitur pars uiuæ fidei qua expectamus promissa dei, spes dicitur. Hæc præstat, ne quando delassemur hic seminandis bonis operibus, certi in proximo esse tempus, quo messuri sumus uitam æternam: néue defatigemur perferendis malis, scientes hasce tẽporarias afflictiones nihil esse ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Spei opponitur desperatio, ac temeraria præsumptio siue confidentia, qua quis ex suo spiritu sibi promittit quod nõ promeretur, aut qua quis suis uiribus absq; dei gratia sperat se consecuturum felicitatem æternam. *Spes à fide quid differat*

Charitas est qua super omnia diligimus deũ tanq; summũ bonum, eoq; frui cupimus, & proximo bene uolumus propter deũ. Neq; eñ heroica charitas est, si naturali affectu diligamus, parẽtes, uxorẽ ac liberos, nisi simul amemus eos propter deũ. Neq; uerã erga illos gerimus beneuolentiã, nisi huc spectet affectus noster, ut illis opitulemur pro uirib. ad consequendã uitã æternam. Vtraq; alteri sic cohæret, ut diuelli non queant. Nemo uerè diligit deum, qui proximũ nõ diligit. Nemo uerè diligit proximũ, si uacat amore dei. Hæc aũt uirtus perficit naturæ uim, quæ dicitur uoluntas, qua expetimus salutaria, ac refugimus aduersa, quẽadmodum fides perficit intellectũ. In his enim duobus sita est summa felicitatis humanæ, ut per oculũ ac lumen fidei citra errorẽ uideat homo quid sit expetendum, quid fugiendum, per charitatẽ exequatur quod dictauit fides. Fides gignit charitatem, charitas uicissim alit fidẽ bonis operibus, quod innuit euãgelica parabola. In fatuarum lampadibus fidei lumen extinguitur, oleo charitatis deficiẽte. Fit enim frequenter ut mali mores, & peccãdi assiduitas, fidẽ si minus extinguãt, certè reddant frigidiorẽ. Et aucta fides uicissim alacriorẽ reddit charitatẽ. Hi sunt duo fontes omniũ uirtutum, ac bonorũ operum, quæ sunt fructus, per quos dignoscitur arbor bona aut mala. Fides radix est, charitas rami, quasi porrigens undiq; fructus, quos alit radicis succus. Quicquid enim ex his fontibus nõ oritur, & si magnam habeat speciem pietatis, aut peccatum est, *Charitas gemina* *Fides & charitas fontes omnium bonorum operum*

aut si peccatum non est, non confert ad ueram salutem. Quoniã autem per pietatis uiam ingredientibus multa occurrũt molesta, spes baculi uice addita est, quæ laborãtes sustentat expectatione præmiorum, ne delassentur aut desperent, etiam si mille mortes circumstent. Supereſt nunc uirtutum omnium ac uitiorum catalogum texere, ac per locos digerere. De quibus non me fugit, quũ alios aliquot, tum B. Thomam Aquinatem fusissime scripsisse. Ex quibus cuiuis procliue fuerit quæ commoda uidebuntur excerpere, & in elenchum digerere, & ut ante sum testatus, satius erit ut sibi quisq; contexat locorum indicem. Cuius operæ si quem piget, huic præcipua magis quàm omnia curabimus annotare, ut alienam industriam adiuuisse uideamur, potius q̃ excluſisse. Theologicos fontes iam indicauimus. Quatuor autem illi fontes omnium rectè factorum quos acutè prodidere philosophi, omnibus sunt noti, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Ad hęc enim genera species omnes referri possunt. Prudentia cum fide cõgruit, iustitia cum charitate, fortitudo cum spe. Temperantia iustitiæ species est, docens quantum tribuẽdum sit affectibus, quantum corpori, quantum animo, & quãtum negandũ: & hactenus cum fide pariter & spe conuenit, quod cupiditatibus frenũ imponit, quæ tumultibus suis frequenter & fidei iudicijs obstrepunt, & charitatis impetum remorantur.

Primus itaq; nidus designetur pietati. Hoc nomen complectitur omnẽ affectum, cultum, omniaq; officia quæ debemus ijs unde uitam accepimus. Summa itaq; pietas debetur deo, cui debemus quicquid sumus, proxima patriæ, tertia parentibus ac liberis, quarta præceptoribus & catechistis, qui sunt ueluti mentium parentes. Quinta ijs quorũ beneficio à morte aut alio qui grauissimis periculis seruati sumus. Hæc omnia partes sunt iustitiæ. Ad primam speciem pertinet summa illa ueneratio, quam Græci λατρειαν appellant. Ea nulli rei creatæ communicabilis est. Hic cultus non animo tantũ exhibendus est, uerum etiam corpore, quod deus totius hominis conditor est. Cultus autẽ diuinus in eo primum situs est, ut de eo digna ipso sentiamus, ut illum super omnia reuereamur, super omnia amemus, super omnia glorificemus, super omnia obediamus, ab illo petamus omnia, nec ab alio quicq̃ uerorum bonorũ tanq̃ ab autore speremus, & in omnibus gratias agamus. Hic locus occurrit, q̃ effusa sit dei erga humanum genus charitas & munificentia, cuius causa condidit hanc admirabilem mundi fabricam, cui & angelos suos addidit ministros, cuius amore filio proprio nõ pepercit, sed in mortẽ tradidit illum &c. Alter locus adhæret, de immensa dei misericordia, placabilitate & clementia erga nos.

Pietas heroica & moralis

Adoratio

Locus communis

Iusiurandum

Confertur eodem religio in suscipiendo ac præstando iureiurando. Pietati contraria est impietas, ad quam propius pertinent idololatria, iusiurandum ob friuola susceptum, periurium, blasphemia, murmur in aduersis, obliuio dei in prosperis, artes maleficæ, sortilegia, & quicquid est huius generis quod uel manifestam, uel occultam cum dæmonibus habet conspirationem. Postremo hæresis. Hæresim autem appello, non quemuis errorem, sed peruicacem maliciam, alicuius cõmodi gratia peruersis dogmatibus turbantem ecclesiæ tranquillitatem. In genere uero omne crimẽ cum impietate cõiunctum est. Quisquis enim admittit scelus, aliquam rem creatam creatori præfert, & à deo ad fatanam deficit, unde & Paulus auaritiam idololatriam appellat.

Hæresis quid

Incidet & ille locus, de ingratitudine hominũ erga deum: quæ exaggerabitur, si inter se conferantur dei benignitas, lenitas ac beneficentia, & hominum obstinata malitia.

Ritus uarij

Incidet quæstio de uarijs ritibus diuini cultus, qui plerique nunc alij sunt quàm fuerũt in lege ueteri. Item de cultu ac inuocatione diuorum, deq; usu statuarũ & imaginum, deq; superstitioso cultu dei aut diuorum. Rursus incidet locus, quid sit tentare deum.

Pietas in patriam

Ad secundam speciem pertinet, quàm multa debeamus patriæ, quæ genuit, quæ bonis legibus educauit, cui & ipsos parentes debemus, pro qua mors oppetẽda sit si res postulet. Ex aduerso, quàm immane scelus sit, patriæ bellum inferre, aut alijs rationibus lædere. Tum quibus modis optime gratia patriæ referatur. Cõtrà, quibus potissimum uioletur patriæ charitas.

Ecclesia ciuitas

Huic adhæret locus de ecclesia catholica, quę non solum est una ciuitas, uerum etiam unum corpus. Christianus enim omni Christiano nõ tantum ciuis est, uerum etiam frater. Hic tractabitur quanta reuerentia debeatur ecclesiæ, cõtrà, quanta sit impietas, aduersus eam rebellionem ac seditionem excitare. Adhibebitur amplificatio per comparationem, quanto arctiora sint uincula spiritus quàm naturæ.

Congruit

Congruit his, quid honoris debeatur regibus ac magistratibus, & quanto plus ijs qui muneribus ecclesiasticis funguntur.

Ad tertiam pertinet tractare quibus modis seruatur præceptum, quod iubet honorare parentes. Et quas ob causas fas sit parentum iussa negligere. Rursum quid parentes debeant uicissim liberis suis, & quomodo educandi sint. *Pietas in parentes*

Ad quartam spectat tractare, nõ esse ueros parentes qui tantum corpora gignunt educantq; multo plus deberi ijs qui formant ingenium, ueluti qui bonis legibus, liberalibus disciplinis, ac salubribus præceptis instituunt ad bene uiuendum, sed ante omnia qui formant teneros animos ad pietatem. Ex diuerso exaggerandum multo sceleratius esse, iuuenum aut puellarum animos maleficis artibus, aut impijs opinionibus inficere, q̃ si parentes corpora liberorum ui detorqueant ad quæstum, aut prostituant, aut exponant etiam: quæ nemo non detestatur, quum illud sit uulgare. *Pietas in præceptores*

Quinta tractabit locum, esse paria, dare uitam ei qui non habebat, & habenti seruare perituram. Imò hoc esse præstantius, Neq; enim parẽtes dant uitam liberis, qui frequenter in congressu ne optant quidem ut nascatur proles. Rursus quum maximè optẽt, non prouenit tamen. At medicus aut amicus sua industria, suoq; periculo restituit uitam, alio qui perituram. Hic per amplificationem accedit locus, quanta pietas sit, conuertere impium ad pietatem: uelut Ethnicum aut Iudæum ad religionem Christianam, aut hæreticum ad columbæ consortium, aut mundo uiuentem ad pœnitentiam ac studiũ uitæ correctioris. Nimirum hoc amplius est quàm corporis uitam restituere.

In his quæ hactenus commemorauimus, sita sunt officia summæ charitatis, iuxta gradus quosdam. Christiana uero charitas nõ his finibus includitur, sed latissimè profert se usq; ad capitales inimicos, cupiens omnib. prodesse, & dignis & indignis, uidelicet ad exemplum supremi patris, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, ac pluit super iustos & iniustos, & ad exemplum Christi, qui pro inimicis mortuus, & in cruce pater deprecatus est, pro ijs à quibus occidebatur, & insuper amarulentissimis blasphemijs incessebatur. Reliquæ igitur charitatis partes in his potissimum sitæ sunt, ne quem lædamus iniuria, benefaciamus omnibus quibus licet, malos amore Christi tolere mus, aut etiã corrigamus si detur facultas. Obligatio charitatis plerunq; sumitur ex qualitate personarũ, de quibus iã partim diximus. Verbi causa, plus officij debemus fratri, aut sorori, aut domesticis q̃ alienis, plus benemeritis q̃ nihil promeritis, plus Christianis q̃ Ethnicis, plus piè uiuẽtibus q̃ impure. Nonnunq̃ ex modo necessitatis. Alieno de uita periclitanti succurrendum est potius q̃ amico, qui uestem detritam mutare uult honestiore. Ordo uero sumitur ex genere rerũ, quarum aliæ pertinẽt ad corpus, aliæ ad animũ præcipuam hominis partẽ. Et in utroq; genere ordo est. Ad corporis necessitatẽ pertinẽt, tectum, uestitus, uictus, sanitas, uita: & his cõtraria, inopia domus, nuditas, sitis et fames, morbus, cruciatus & mors. Ad animũ eruditio, tranquillitas, pietas, & his aduersa, insci*Christianæ charitatis latitudo*

Ordo charitatis

tia, afflictio, impietas quæ mors est animi. Maius aũt beneficiũ est eximere malicia ab animo, q̃ morbum corpore depellere. Et grauius lædit qui bonã famã eripit homini, q̃ qui pecuniam surripit. Nam fama uita quædã hominis est, & homicidij genus est calumnia. Hic existit locus, quot modis iuuemus aut lædamus proximum. Iuuamus suppeditãdo uitæ necessaria egenis, consolando afflictos, consilio perplexos, doctrina errantes, amanter obiurgando, aut etiam castigando grauius delinquentes, in quos nobis est autoritas. Ita charitatis officium præstat iudex qui punit nocentem mœrens & inuitus, & pater flagellans filium. Lædit autem qui lasciuienti ætati pecuniã suppeditat peccandi materiam. Lædit proximus exemplo uitæ pernicioſæ, sicut iuuatur exemplo bono.

Hic aperit sese latissimus campus, de beneficentia, liberalitate, parsimonia & profusione. Item alius de farciendis incõmodis, quibus proximũ læsimus. Quædam enim restitui possunt, ut facultates: quædam sanari possunt, ut iritatus conuitijs, potest molli sermone placari, & in mœrorẽ coniectus, potest consolatione reponi ad tranquillitatẽ. Quædã ut cunq; restitui possunt, ut fama mendacio læsa, uera prædicãdo quadantenus reponitur. Alia nec restitui, nec sanari possunt, pensari tamen aliqua ex parte possunt, ut uirginitas erepta, aut uita. Si ducitur stuprata, bene pẽsata est erepta uirginitas: si dote data elocatur nuptum, utcunq; pensata est pudicitia & sarta fama. Iam circa primũ charitatis gradum, *Loci communes de liberalitate et contrarijs*

qui

Loci cõmunes circa gradus charitatis

qui est neminem lædere, complures existunt loci, de homicidio & furto, de rapinis, damno & iniuria, de adulterio, de calumnia, de negociatione licita & illicita, de usura, de fide & perfidia, uelut in cœlandis aut effutiendis arcanis, de synceritate in commerciis, de fucis & imposturis, in uerbis ac factis. De ueritate & mendacio, quid sit, & an alicubi sit licitum. Et ubi dissimulanda sit ueritas. Denique omnis iniustitia, aduersus deum impietas, aduersus hominem iniuria, utraque aduersatur charitati.

Radix uitiorum

Fons autem omnium uitiorum hinc est, quod hominum imbecillitas magis obtemperat carni & spiritui. Hoc igitur præstat Christiana temperantia, nõ ut careamus in totum affectibus, quod quidã Stoici docuerũt, sed ut illis deuictis, quæ spiritus sunt sequamur.

Temperantiæ chorus

Hæc pulcherrimum uirtutum chorum secum adducit, uerecundiam, uirginitatem, castitatem, sermonis parsimoniam, sobrietatem, candorem, simplicitatem, ignoscentiã, & animi perpetuam constantemq; tranquillitatem, cumq; his omnium actionũ ornamentum, decorum. Contrà intemperantia teterrimum gregem secum trahit, impudentiã, centum impudicitiæ formas, futilem garrulitatem, quam Græci uocant ἀλειτομυθίαν, luxum, tetemulentiam & somnolentiam, concupiscentiam, iram, uindictam, auaritiam, inuidiam, suspicionem, aliasq; innumeras animi perturbationes, & super hæc omnia, omnium actionum dehonestamentum τὸ ἀπρεπὲς, id est, indecorum. Quoniam autẽ, ut dixi, pietatem

Fortitudo uero quid

sectantibus multa perpetienda sunt, quæ naturæ humanæ molesta sunt, atq; etiã horrenda, opus est inuicto animi robore ac fortitudine, non ea quam somniãt philosophi, sibiq; pollicentur ex propriis naturæ uiribus, sed ea quam in nobis gignit diuinitus data fides & spes, animat excitatq; charitas. Nihil non moliuntur in nos impij spiritus, quos Paulus huius mundi rectores appellat. Sollicitat caro, quam uelimus nolimus, nobiscum circũferimus, oppugnat mundus. Facultates eripit fur aut fraudator, hic abiurat creditum, ille depositum, sycophanta famam eripit, uiolentus pulsat, tyrannus sæuit in liberos, aut cruciatus intentat, & uitam denique eripit. Nulli mortalium res tam prosperæ sunt, quin habeat patientiæ materiam. Sed in his omnibus, ut ait Apostolus, superuincimus per fidem, spem & charitatem quæ est erga Christum Iesum.

Virtutum omniũ colophon

Virtutum ac uitiorum summa genera uideor mihi magna ex parte cõplexus. Superest in bonis modestia ac perpetuum proficiendi studium, in lapsis resipiscentia ac pœnitentia. Modestia excludit humanam gloriam, quæ perfectis quoq; solet in medijs uirtutibus insidiari. Studium proficiendi duabus de causis necessarium est: uel quia quisquis consistit in uia uirtutis, proximus est periculo ne relabatur, uel quia uerè bonus non est, qui non cupiat seipso fieri melior. In hac enim uita nihil est tam perfectum, ut nõ recipiat accessionem & incrementum uirtutis: Extrema uitiorum linea est, desperatio pertinax. Extrema uirtutum linea est cũ certa spe resurrectionis, ac bona fiducia de misericordia dei, de meritis Iesu Christi, deq; gratia spiritus sancti, feliciter obdormire in domino.

Reliquum est ut ex ijs quæ proposuimus, texamus indicis capita siue titulos, ac deinde ad singulos syluam aliquam Ecclesiastæ suggeramus, præsertim è sacris literis.

TITVLI.

1 Deus quid, quantus & qualis in seipso, & quõ distinctus in tribus personis. Definitioni cognata sunt, quot nominib. deus designetur in sacris literis, & singulorũ etymologia apud Hebræos, Græcos & Latinos: præterea quot modis dei nomẽ usurpetur in arcanis (literis.

2 Qualis deus in rebus conditis.

3 Quomodo præsideat in singulis hierarchijs, monarchica, cœlesti, ecclesiastica, politica, & spirituali siue peculiari.

4 Quis satanas & quale illius regnum, seu tyrannis potius.

5 Lex diuina, & quæ circa hanc.

6 Peccatum quid & quotuplex.

7 Fides, spes & charitas.

8 Pietas multiplex.

9 Charitatis partes seu gradus & ordo.

10 Temperantiæ chorus.

11 Fortitudo Christiana.

12 Modestia siue humilitas, ac iuge proficiendi studium.

Pœnitentia

13 Pœnitentia & desperatio.
14 Mors Christiana.

Hæc fere sunt summa rerum capita, quæ nũc in suas partes diuidemus, diuidemus inquam, non concidemus. nam si quid erit adiungendum, in syluis adijcietur.

Dei natura siue essentia.
Deus infinitus & incomprehensus uniuersæ creaturæ.
Deus summè uel infinite potens, sapiens & bonus.
Deus unus & simplicissimus.
Deo patri quid proprium, & quid illi tribuitur.
Filio quid proprium, & quid illi tribuitur.
Spiritui sancto quid proprium, & quid illi tribuitur.
Hic incidet locus, de rebus diuinis religiose & sobriè loquendum.
Item locus contra curiosas quæstiones ac temerarias definitiones.

Deus, quum hæc uox complectitur treis personas, quomodo præsideat & gubernet uniuersa condita, in quibus & dæmones cum damnatis, & bruta & inanima. Hic incidet locus, quomodo deus reluceat in omnibus rebus conditis, & ex his cognoscitur. *Deus cognitus*

Deus quomodo præsideat in ecclesiastica hierarchia, quæ est ecclesia & corpus mystícum Christi.

Hic multi incidunt loci.
Quid sit ecclesia & quotuplex. *Ecclesia & quæ circa hanc*
De mixta, an possit errare.
Quot sunt sacramenta & quæ singulorum uis.
Qui ministri, & quod illorum officium.
Quale ecclesiæ exordium, incrementum & consummatio.

Quomodo præsideat in politica, & quid hæc ab illa differat.

Loci, Quæ sunt principum munia erga rempublicam.
Quatenus his obediendum etiam idololatris.
De concordia publica.
De pace & bello & iure belli.

Quomodo deus præsideat in singulis piorum animis.

Loci, De partibus hominis quæ sunt corpus & anima.
Anima regit, corpus seruit, ut in coniugio.
Item uires animæ, ratio, appetitus & uoluntas.
Ratio rex. Appetitus sæpe rebellis, uoluntas rationi obtẽperat. Sin secus, intestinũ bellum ac seditio. Iudex interim & carnifex cõscientia. Itẽ quomodo ob hanc cõgruentiam in scripturis sæpe de Christo prædicentur, quæ ad corpus mysticũ pertinent, & contrà, quemadmodũ in Christo ob unitatẽ personæ deo tribuuntur quæ sunt hominis & contrà. Interdum quod in ecclesiã uniuersam quadrat, ad singulos homines accõmodatur.

Quid sit regnum dei & quotuplex.
Quod sit regnum satanæ, id est, aduersarij. *Satanas & quæ circa hunc*
An sit aliquod mali principium, & an ulla substantia mala ex sese.
Cur huic concessa nocendi potestas.
Quomodo in diuersum referat dei proprietates.
Quale corpus illius & membra.
Quomodo à Christo deuictus sit, & à nobis uinci possit.
Quæ regni satanici consummatio.

LEX.

Lex unde dicta, & quid sit, & quot modis usurpatur in scripturis. *Lex & quæ circa hanc*
Lex dei & leges hominum quid differant.
Lex dei in angelis uiolata peperit exitium, & ex angelo fecit diabolum.
Lex dei expressa in paradiso uiolata, ex innocente fecit nocentem, è felici miserum.
Lex dei seruatur in brutis & inanimis.
Lex naturæ inscripta cordib. hoim uitijs semper in peius fruticãtib. penè obliterata fuit.
Lex Mosi tabulis inscripta lapideis per occasionem reddidit Iudæos deteriores, & iram dei prouocauit, & quomodo.

Lex

Lex uetus quibus rebus potissimum constet.
Quatenus antiquata sit, quatenus non.
Lex noua quibus constet, & quibus ueterem excellat, Miraculis. Historia sacratiore. Doctrina pleniore, euidētiore & certiore. Præceptis absolutioribus ac magis spiritualibus. Sacramentis leuioribus, sed efficacioribus. Exhibitione promissorum in uetere. Promissorum sublimitate. Gratia latius & abundantius effusa.
Exemplis multo perfectioribus.

Scriptura & quæ circa hāc
Canonicæ scripturæ inuiolabilis autoritas quousq; se proferat, & quib. rebus cōstet.
Indubitata fide autorum.
Consensu tot seculorum ac nationum.
Approbatione Christi citantis ueterem legem.
Innumeris & euidentibus miraculis.
Vita & morte apostolorum, martyrum ac uirginum innumerabilium.
Consensu utriusq; testamenti.
Consensu totius scripturæ inter sese.
Consensu cum ratione naturali.
Certitudine dogmatum.
Energia siue efficacia in transformando.
Quibus modis peruenitur ad uerum intellectum scripturarum.
Quomodo quidam dicuntur à lege liberi.

LEX SATANAE.

Lex satanæ quib. modis aduersatur legi diuinæ
Lex satanæ in omnibus aduersatur legi diuinæ.
Narrat falsa & impia.
Fallit præstigijs pro miraculis.
Deprauat sanam doctrinam.
Præcipit absurda ac pestifera.
Sacramentis pestiferis in exitium trahit initiatos.
Promittit falsa bona, & pertrahit in uera mala.
Pro gratia afflat furorem.
Exemplis abundat pestilentissimis.
His præsidijs ac lenocinijs conijcit miseros in mortem gehennæ.

VIRTVTES ET VITIA.

Virtutes heroicæ & quæ circa has
Virtutes Heroicæ.
Fides, quid, & quot modis usurpetur.
Fides quid in nobis efficiat.
Fidei quur primæ dentur inter heroicas.
Fides comparata ad opinionem & scientiam utraq; certior est.
Quæ cadant sub fidem.

ADVERSA.

Fidei contrariæ
Fidei quæ aduersantur.
Diffidentia.
Sapientia mundi animalis.
Fiducia propriarum uirium.
Rebellio.
Murmur, & Inobedientia.

Spei cōtrariæ
Spes quid, & quomodo à fide differat.
Aduersantur huic desperatio, & temeraria præsumptio.
Charitas heroica quid, & quotuplex.
Charitas & fides inter se collatæ.
Dona spiritus uaria.

De uirtutibus in genere.

Pietas in deū et huic cognata
Pietas in deum quid.
Latria quid, & quibus modis persoluitur.
Immensa dei in nos beneficentia & bonitas.

Adhæc

Adhæc est locus, de religiose suscipiendo & fideliter præstando iureiurando.
Item de uotis suscipiendis aut non suscipiendis.
Quomodo deus colitur in sanctis.
Inuocatio diuorum, & usus imaginum qualis.
Quis optimus cultus dei ac diuorum.
Diuini cultus uarij ritus.

Contraria pietati.

Impietas & huic affinia

Idololatria.
Quomodo generaliter in omni crimine sit idololatria.
Iusiurandum temere susceptum, & periurium.
Blasphemia quæ & facto committitur.
Murmur in aduersis.
Obliuio dei in prosperis.
Artes maleficæ aut curiosæ.
Hæresis. Ingratitudo in deum.
Superstitiosus cultus dei ac diuorum.
Tentare deum quid.

Pietas in patriam

Pietas in patriam, & quot nominibus huic debeamus.
Quibus modis patriæ referatur gratia.
Contrà, quibus potissimum uioletur patriæ charitas.
Hic locus incidet, de concordia, pace, seditione & bello.
Item quod officium regum, principum & magistratuum.
Quid uicissim his debeat populus.
Congruit his de ecclesia locus, quæ est patria Christianorũ omnium cõmunis, & quantum honoris huic debeatur, & huius primoribus.

Pietas in parentes.

Pietas in parentes & quæ circa hanc

Quomodo seruetur præceptum dei de honorandis parentibus.
Quas ob causas liceat parentum imperata negligere.
Officia parentum erga liberos. Quorum præcipuum est recta educatio.
Officia liberorum erga parentes.
His congruunt officia maritorum erga uxores, contrà, uxorum erga maritos.
Quid reliquis cognatis debeatur.

Pietas in præceptores.

Pietas in præceptores & quæ circa hanc

Verius parentes dicuntur, qui gignunt ac formant animum, quàm qui corpora.
De catechistis, episcopis & doctoribus.
De ipsa ecclesia quæ mater est credentium.

Contraria.

Qui mentes inficiunt impia doctrina, sceleratiores sunt ijs qui distorquent aut exponunt, corpora suorum.

Pietas in eos qui dederunt uitam.

Pietas in eos qui dederũt uitã & huic adhærentia

Paria sunt dare uitam ei qui non habet, & seruare alioqui periturum. Imò hoc posterius esse præstantius.
Locus de honorandis medicis.
Comparatio medicorum corporis & animorum.
Nihil maius quàm conuertere peccatorem.
Occidit qui pereuntem non seruat, quum possit.

Charitas in genere.

Charitas in proximum & quæ circa hãc

Qui gradus Christianæ charitatis, ne quem lædamus; ut quibus licet benefaciamus, ut malos si corrigere non possimus, toleremus ob Christum, aut etiam benefaciamus.
Locus de eleemosyna & liberalitate.
Ordo charitatis in proximum, & quid homo debeat sibi.
Quibus modis iuuetur aut lædatur proximus.
Quibus modis homo lædat seipsum.
Restitutio qua sarcimus incommoda, quibus proximum affecimus.

Contra gradus charitatis.

Charitati aduersantia

Primo & secundo aduersantur homicidium, quo eripitur uita corporis.
Calumnia & obtrectatio, qua eripitur fama, cui adhæret falsum testimonium.
Furtum & huius species, quibus eripiuntur facultates.
Adulterium, quo homini eripitur quod ipsi seipso charius est.
Homicidium non solum uenenis & ferro, uerum etiam & lingua & animo committitur.
Sic adulter est quisquis concupiuit uxorem alienam.
Adulter spiritualis qui corrumpit animam.
Ad furti genus pertinet iniqua exactio, iniusta negociatio.
Vsura.
Abnegatum depositum, aut debitum.
Opera quæ debebatur, mala fide præstita.
Impostura in contractibus.
Fraus in promissis.
Mendacium quid sit, & an alicubi licitum.

Chorus temperantiæ.

Temperantia & huic adhærentia

Pudor optimus innocentiæ custos.
Locus de pudore hominum & dei cuncta uidentis.
Virginitas spontanea & uera.
Virginitatis custodia.
Virginum officia.
Castitas coniugatorum & uiduarum.
Horum statuum comparatio.
Sermonis parsimonia & gratia.
Sobrietas perpetua, & quatenus macerandum corpus ieiunijs alijsq; laboribus.
Condor omnibus fauens.
Simplicitas nihil temere suspicans.
Perpetua animi tranquillitas.
Modestia siue humilitas.
Mansuetudo.
Comitas sine adulatione.
Decorum omnium actionum ornamentum.

Chorus intemperantiæ.

Intemperatia & huic adhærentia

Improbitas siue intemperantia.
Contemptus dei cuncta uidentis, etiam abditissima cordis.
Virginitas adacta & falsa.
Stuprum & reliquæ libidinum species.
Impudicum coniugium etiam citra adulterium.
Lasciuia uiduitas à Paulo notata.
Futilis loquacitas.
Luxus, ocium, somnolentia & ebrietas.
Ebrietas ex alijs affectibus.
Malignitas subinuidens alienis bonis.
Suspicio in malum prona.
Animus uarijs affectibus uacillans.
Arrogantia & philautia.
Sæuitia, morositas & implacabilitas.
Asperitas uultus & morum.
Adulatio, quæ pernicioſissima est, quum quis sibi est αὐτοκόλαξ.
Indecorum siue ἀπρεπειῶν, omnium actionum dehonestamentum.

Fortitudo Christiana.

Magnanimitas & quæ circa hanc

Magnanimitas philosophica & Christiana quomodo differant.
Magnanimitatis species, prima quæ tolerat aspera corpori, ut damna, exiliũ, cruciatus, mortem, & negligit his contraria.

Secunda

Secunda quæ contemnit animo molesta, contumeliam, infamiam, iniurias, & similia, & negligit uindictam.
Tertia quæ fiducia Christi contemnit satanam, & quicquid potestas illius minitatur.
Mala non sunt accersenda, sed quum incidunt patienter ferenda: persequutionem quatenus liceat fugere.
An ueritas ubiq; proferenda & quatenus.
Qua moderatione pœna sumenda de nocentibus.
Quatenus suscipiendum & gerendum bellum.
De falsa specie magnanimitatis.
De catena uirtutum.

Clausula.

Perpetuum proficiendi studium.
Pœnitentia tempestiua & sera.
Desperatio pertinax ac sensus reprobus.
Mors Christiana.

Clausula uirtutum ac uitiorum

Elenchi finis.

SYLVA.

Sylua dicendi unde congerenda

Reliquum est ut ad singulos titulos syluã aliquã sibi quisq; conferat. ea constabit rationibus, confirmationibus, testimonijs, præcipuè scripturarũ typis ac figuris, quæstionum solutionibus, similibus, exẽplis, amplificationibus, sentẽtijs, prouerbijs, & his similibus.

DEI NATVRA.

Deus quid & qualis in se

Dei natura explicari non potest uerbis humanis. Describi utcunq; potest, ueluti si dicas: Deus est summum bonum, deus est infinita uirtus, deus est quo nihil melius aut maius esse potest. Solus deus uere est, qui incõmutabiliter est sine tempore, qui est ipsum esse, & ab hoc uenit omnibus rebus conditis, ut sint aliquo modo. Exod. 3. Ego sum qui sum, & ὁ ὤν misit me ad uos. Et in Apocalypsi sic notatur aliquoties, ὁ ὤν. Nec est alia uox quæ propius accedit ad exprimendam naturã diuinã. Quod ab Ethnicis quoq; animaduersum est, qui duabus literis in Apollinis templo dicatis, E I, iudicarunt aptissimè expri mi dei essentiam, simplicissimã, æternã & incõmutabilem: nam εἶ Græcis sonat es. Huic proximum locum uindicat nomen deus, quod tamen relatiuum est, quemadmodũ dominus. Dicitur enim deus Hebræorũ, deus Abraham, deus meus & deus uester, quẽadmodum rex, dominus & princeps. Ens huius aut illius non dicitur. Proinde dominus in Euangelio diuinam naturam suam exprimens ait, priusquam Abraham fieret ego sum.

Deus solus uere est

Dei uaria nomina

Quum dei natura sit ineffabilis, tamen in scriptura uarijs nominibus designatur. Gen. 32. Quur quæris nomẽ meũ? In angelo deus erat. Id arguit quod dictus sit pro Iacob Israel, id est, fortis erga deum. Et sequitur: Vidi dominũ facie ad faciem &c. Ad idem facit nomen loco inditum, Phanuel, id est, à conspectu non angeli sed dei. Similiter Iudic. 13. Cur quæris nomen meum, quod est mirabile. Rursus Exod. 6. Et nomẽ meum Adonay non indicaui eis, loquens de Abraham, Isaac & Iacob. Eodem facit nomen tetragrammaton, quod quatuor elementis scribitur, sed quæ sonari non possint. Eas Iudæi sic dedicarãt ineffabili naturæ dei, ut nefas esset quicquã aliud ijsdẽ literis describere. Rursum Psal. 64.

Tetragrãmaton nomen

Silentium dei summa laus

iuxta ueritatẽ Hebraicam: Tibi silentium laus deus in Sion. Sion speculam interpretatur: ubi res omnes corporeas & incorporeas usq; ad ipsas mẽtes seraphicas trãsgressus, conscenderis in speculam illam sublimem, ibi consilescunt omnes humanæ uoces, & omnes humani intellectus imaginationes. Item Psal. 17. Posuit tenebras latibulum suum. Vnde & ἀόρατος appellatur, id est inuisibilis, non quod corporalibus oculis cerni non possit, quod idem competit in animam hominis & in quemuis angelum, sed quod à nullo creato intellectu ut est, possit comprehendi. Exod. 33. Non uidebit me homo & uiuet. Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam. Paulus item inuisibilem appellat. Id cognominis quidam patri ueluti proprium assignant, quum iuxta superiorem naturam sit omnibus personis commune. Filius assumpsit corpus uisibile, & spiritus sanctus in specie columbæ super uerticem domini, super discipulos in specie linguarum ignearum apparuit. At similiter pater Mosi in rubo ardenti apparuit, & Abrahæ in angelo: & patris uox audita

Attributa per sonis ex consuetudine scripturarum

est, Hic est filius meus. Item, Clarificaui & iterum clarificabo, quum nullo hominis sensu percipi possit illa natura. Verum sic pater dicitur solus inuisibilis, quemadmodum dicitur solus sapiēs, solus immortalis, quod ab hoc manet filio & spiritui sancto, natura inuisibilis, immortalis, & omniscia. Paulus Coloss. 1. filium appellat imaginem dei inuisibilem. Hilarius patri peculiariter asscribit æternitatem, nō quod ille solus careat initio temporis, sed quod solus careat origine naturæ. Duæ personæ ab ipso sunt, ipse à nullo. Quod Hilarius appellat æternitatem, theologi recentiores appellant perfectissimā principij rationem. Danielis 7. eadem de causa dicitur antiquus dierum. Filio tribuit imaginem, quemadmodum facit & Paulus Heb. primo, non quod spiritus sanctus minus sit similis patri q̄ filius, sane quod ad naturā attinet, sed quod cum filij nomine magis congruat similitudinis ratio. Quur autē filius dictus sit nasci, spiritus procedere, satis est credere, etiam si certa ratio reddi non possit à nobis.

Dei nomen aliis commune in scripturis

Deus unus prædicatur: Et non est, inquit, alius præter me. At quū illa summa natura nulli sit cōmunicabilis extra sacrā triadem, tamen uocabulum in mysticis literis frequenter ad alios trāsfertur utroq; numero. Velut Exod. 7. Mosi loquitur dominus: Ecce constitui te deū Pharaoni, quod per eū declaraturus esset suam diuinā potentiam. Vnde & Magi confessi sunt in Mosi miraculis esse digitum dei. Frequenter aūt appellatur deus deorum, ea forma qua Christus dicitur sanctus sanctorum, quod omnes infinitis partibus antecellat. Verum ut sanctus sanctorū non diceretur nisi essent plures sancti, ita non diceretur deus deorum nisi essent & alij dicti dij. Vt Psal. 81. Deus stetit in synagoga deorum, in medio aūt deos dijudicat. Item psal. 46. Dij fortes terræ uehementer eleuati sunt. Similiter & angeli dicuntur dij, ut in Psalmo: Minuisti eū paululum ab angelis. Hebraice est eloim, unum ex cognomentis dei, tametsi uox est ancipitis numeri. Exod. 22. Dijs non detrahes, & principi populi non maledices. Deos dicit publica dignitate præcellentes, quem locum Paulus citat in Actis. Nam si de simulachris aut dijs gentium sensisset scriptura, secū ipsa pugnaret, quæ toties detrahit dijs. Rursum psal. 81. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes, quem locum in Euangelio dominus aperuit in prophetas competere, dum depellit blasphemiæ crimen, quod deum patrem appellans, significasset se esse filium dei. Gen. 31. Rachel furatur deos patris sui, haud dubium quin idola. Et Paulus 2. Corin. 4. satanam appellat deū huius seculi. Idē fatetur, alijs esse multos deos & multos dominos, quum Christiani non agnoscant nisi unum deum ac dominum. Postremo de pseudapostolis dicit, quorum deus uenter est. Cæterum scriptura quoties hoc cognominis tribuit alijs, addere solet unde liqueat discrimen. Mosi dicit, ecce posui siue feci te deum. At fieri non cadit in uerum deum. Nec absolute dicit feci te deum, sed addit Pharaoni. Similiter in Psalmo addit, in medio autem deos dijudicat, dijudicari nō competit in deum uerū. Item psal. 46. sancti uocantur dij terræ, & dicūtur eleuati. Psalmus VIII. non potest intelligi de uero deo, ad quem nulla creatura potest comparari. At illic homo pronunciatur paulo inferior. Exod. 22. Dijs non detrahes, scriptura exponit seipsam, & principi populi tui nō maledices. Psal. 81. quum addit, & filij excelsi omnes, declarat eos sic deos uocari, quemadmodum uocantur omnes sancti quos deus adoptauit in numerum filiorum. Itidem Rachel non appellat simpliciter deos, sed deos patris sui. Quemadmodum dicuntur dij gentium dæmonia, Ita satanas dicitur deus huius seculi, hoc est, incredulorum & in hac uita collocantium felicitatem. Sic deus uenter est non absolute, sed illis est qui quæstum anteponunt deo. Item deus dicitur illorum à quibus diligitur & colitur. Psalm. Beatus populus cuius dominus deus ipsorum.

Scriptura dei nomē nulli tribuit, nisi cum additamento, unde liqueat non intelligendum de uero deo

Ad differentiam aliorum deorum interdum appellatur deus uirtutum, siue dominus exercituum, dominus omnipotens conditor cœli & terræ, deus Hebræorum, deus Abraham, Isaac, & Iacob, deus patrum nostrorum. Ab effectu deus pacis, deus consolationis, deus ultionum.

Etymologia nominis

Dei nomen interdum persōnæ est, interdum omnibus personis commune

Præbebit nonnullam dicendi materiam & nominis etymologia apud Hebræos, eloim, Adonay, & mysterium tetragrammati, apud Græcos quare dicatur θεὸς, apud Latinos deus. Nam uulgo god à bonitate dictus uidetur.

Adnotandum & illud, quod hæc uox deus, aut dominus in diuinis literis interdū sic usurpatur, ut complectatur uniuersam triadem, ueluti quum dicitur omnipotens, æternus

nus,conditor omnium,redemptor ac seruator:aliisue nominibus quæ personarum om/nium sunt communia.Interdum ut sit nomen personæ. Veluti quum dicitur deus tradi/disse filium in mortem,quemadmodum frequenter usurpatur apud Paulum, præsertim quum mox subijcitur mentio filij,quẽ crebrò domini nomine designat.Rom.1.In Euangelium dei quod ante promiserat de filio suo .Rursus in Euangelio: Vt cognoscant te so/lum uerum deum,& quem misisti Iesum Christum.Item in Psalmis, Dixit dominus do/mino meo. Vox prior patrem notat,altera filium.Item quum in symbolo filius pronun/ciatur deus ex deo,intelligitur filius ex patre.Similiter quum dicitur deus natus ex uir/gine,aut assumpsisse corpus humanum,Deus personæ nomen est.De spiritu sancto non est perinde in promptu exemplum, quod & fatetur Gregorius Nazianzenus in theolo/giæ libris,quanquam certissimis argumentis colligitur spiritum esse deum,nusquam ta/men aperte uocatur deus,nisi recipimus locum,qui est apud Paulum 1.Cor.3. Qui uiola/uerit templum dei,disperdet illum deus.Præcessit enim mentio spiritus. Vnde quidã ma/gni nominis theologus literis prodidit,hoc proloquiũ, Tres sũt dij,in aliquo sensu posse uerum esse,nimirũ illo,tres sunt personæ quarũ unaquæq; deus est.Licet addat, eiusmo/di sermonis forma nequaq; utendũ esse. Cæterũ an recipiendum sit quod theologus ille prodidit,aliorũ esto iudicium. Supersunt nomina quæ ex donis illius uel ob aliquã si/militudinẽ attribuuntur. Veluti quũ dicitur,salus,pax,uita,gaudiũ,uictoria,gloria,spes, auxiliũ & iustitia nostra,quod hæc nobis largiatur.Similiter cũ dicitur,deus salutis,deus totius consolationis &c.operationũ ac donorũ illius cognomina sunt.Item cum dicitur, sol,lux,fons uiuus,leo,lapis aut aliud simile.Et in his tutius prædicantur de deo,quæ mi/nus sunt specie magnifica.Fuerunt enim qui solẽ colerent pro deo,quũ leonem nemo sa/nus pro deo habuerit.De quibus quoniã satis fuse tractat Dionysius de diuinis nomini/bus, non est quur hic repetã. Omnia uero nomina quæ declarant naturã sublimiorem, sunt omniũ personarũ cõmunia, quanq; scripturæ consuetudo quædam certis personis tanq; peculiaria tribuit,ueluti quum patri tribuunt omnipotentiam & æternitatem,filio sapientiam,spiritui sancto bonitatem.Primi generis sunt,deus,rex,conditor,lux,uita,sa/lus & his similia.Excipiuntur illa quæ pertinent ad personarum proprietatem.Quod ge/nus sunt,pater,genitor,principium sine principio, mandans filio,operãs per filium &c.

Spiritus diui/nitas

Dei cognomi/na ex affectu

Patri quæ propria

FILIVS.

Idem sentiẽdum de filio,qui pluribus nominibus in scripturis designatur q̃ pater,aut spiritus sanctus,propter triplicem in eadem persona naturam. Iuxta superiorẽ naturam appellatur deus,lux,uita,iustitia,sanctificatio,redemptio,resurrectio,sapientia,potẽtia, ueritas,redemptor,seruator,quæ quum absolutè dicuntur,communia sunt patri & spiri/tui sancto,quum ad aliquid,non item. Veluti cũ dicitur deus de deo,lux de luce,sapiẽtia patris. Tale est quod dicitur filius uerbũ aut sermo,quod patri sit intimus,& ab eius men/te uelut à fonte promanet.Itẽ quod dicitur imago patris & splendor & character pater/næ naturæ.Rursus quod est principiũ de principio,& quod à se nihil operatur, licet ope/retur per se,quia nullius eget auxilio. Quanq; in his quædã habet cũ spiritu sancto com/munia,licet in scripturis non euidenter attribuantur spiritui. Veluti quod dicitur homu/sios,tametsi uox hæc in scripturis canonicis non inuenitur,est tamẽ à priscis orthodoxis magno consensu recepta.quod si homusia dicuntur quæ sunt eiusdem essentiæ, triũ per/sonarum eadem est essentia.Secundum hanc si intelligitur similitudo,omnes inter se ho/musij sunt.Sed an pater rectè dicatur filio homusios,aut similis, dubito: certe non recte diceretur imago filij. Nonnulla tribuuntur filio iuxta naturã assumptam,quæ nec in pa/trem,nec in spiritum sanctum cõpetunt. Veluti quũ dicitur filius hominis,nouus Adam Iesus Christus,id est,unctus à patre plenitudine gratiæ,uerbum incarnatũ, pastor, ouis, agnus,pontifex,Melchisedec,sine patre in terris genitus,sine matre cœlesti natiuitate,fi/lius uirginis,obediens,deniq; hostia,peccatum,execratio & uermis.

Filij dei cognomina

Homusij cognomen etiã spiritui conuenit

DE SPIRITV SANCTO.

Spiritui sancto uix ullum nomen proprium inuenitur in sacris literis,excepta proces/sionis proprietate.Nam ipsum spiritus uocabulum toti triadi commune est. Paracletus quatenus sonat consolatorem,omnibus personis conuenit,quatenus sonat aduocatum, est spiritui cum filio commune.Christus enim intercessor est inter deum & homines,&

Spũs sancti cognomina

ſpiritus ſanctus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Similiter ſancti ac boni ſiue benigni cognomen omnium perſonarum eſt cõmune. Quod uocatur χάρισμα, hoc eſt, donum, habet cum filio commune, quẽ pater donauit nobis. Dicitur ſpiritus rectus, ſpiritus principalis, ſpiritus omnia ſcrutans, digitus dei, ignis, ſanctificator. Sunt & alia ex effectis ac donis ipſius nomina: ueluti ſpiritus adoptionis, ſpiritus ueritatis, ſpiritus libertatis. Et apud Eſaiam 11. ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, denicq; ſpiritus timoris domini. Huius diuina natura, quũ ex alijs pluribus argumentis, tum ex eo præcipue liquet, quod in pleriſcq; ſcripturæ locis eius mentio adiungatur trinitati. Statim in Geneſi, patris uox fiat ad filium pertinet, & factum eſt. Et ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. Baptizatur filius, auditur uox patris, in ſpecie columbæ deſcendit ſpiritus ſanctus. Pater reſuſcitat filium, is in cœlum receptus mittit ſpiritum ſanctum. Dominus iubet credentes tingi aqua, in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti. Similia loca ſunt non pauca, quæ declarant abſq; ſpiritu ſancto triadem imperfectam eſſe.

Spiritus abſoluit diuinam triadem

PERSONARVM DISTINCTIO.

Perſonæ nomẽ et perſonarũ diſtinctio

Perſonæ nomen non eſt in ſcripturis canonicis, hoc dũtaxat ſenſu. Græci hypoſtaſes appellabant, Latini quidã tres ſubſtantias. Ob Arianos utraq; uox uenit in ſuſpitionem.

Subtilitates theologorum ſcholaſticorum quæ uarijs argutationibus diſputant, quomodo perſonæ inter ſe differant, non ſunt obijciendæ populo. Satis eſt profiteri unũ eſſe deum, tres perſonas, quarum omniũ eadem ſit natura, eadem diuinitas, potentia, ſapientia, bonitas. Nec tutum eſt proferre ſimulacra rerum conditarum, ad declarandam eandem naturam in tribus perſonis, quod quicquid adhibueris, multam habet diſſimilitudinem. Summæ illi naturæ nihil eſt ſimile. Quod ſi uidebitur commodum adhiberi docendi gratia ſimilitudinem, præfandum eſt eam non cõgruere, niſi tenui quadam umbra. Pater gignit, filius naſcitur, ſpiritus procedit, ſiue emanat, à patre in filiũ, ut Græci quõdam: à patre & filio, ut nunc tradunt Latini. Quid autẽ interſit inter naſci & procedere, & quare ſpiritus non dicatur filius, ſatis eſt credere, nõ eſt neceſſe excutere. Proinde mihi uidentur uix excuſari poſſe à temeritate, qui quicquid de diuinis perſonis credimus, profeſſi ſunt ſe humanis rationibus demonſtraturos.

Patris æternitas & autoritas

Patris æternitas ſtatim oſtenditur Gen. 1. In principio creauit deus. Qui erat in principio deus, utiq; nullum habuit principium.

Autoritas eius declaratur ibidem. Creat omnia ex nihilo. Creata benedictione multiplicat, Creſcite & multiplicamini. Deſignat homini locum, præſcribit cibum, iniungit opus. Iungit matrimonio, Gen. 2. Præfigit legẽ, Ex omni ligno &c. Dat prolem, Gen. 4. Poſſedi hominem per deum.

A deo bono nihil niſi bonum. Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona.

Deus pater creat per filium. Patris uox eſt, fiat lux. Et facta eſt lux, nimirũ per filium. Et initio ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. De quo prius dictum eſt, creauit, mox dicit faciamus hominem. Non eſt colloquium cum angelis, ſed patris ad duas perſonas.

DEVS INNOCENS.

Deus quomodo innotuit

1 De ſublimibus illis diuinæ naturæ myſterijs, uix tutum eſt homini loqui. Certe non eſt fas quibuslibet, nec apud quoslibet, nec quouis loco, nec uerbis quibuslibet.

2 Iis tantum fas eſt, qui ſenſus habent ad cõtemplationem rerum intelligibilium exercitatos, & quibus pura mens eſt, atq; ab omnibus humanis affectibus tranquilla.

3 Atq; hoc ipſum etiam religioſe, ſobrie, multaq; cum reuerentia & humanæ imbecillitatis teſtificatione.

4 Nec apud craſſos & rudes, aut impios citius irriſuros quàm credituros, ſed apud tales, apud quales Paulus aperiebat arcanam ſapientiam ſuam, cæteris nihil ſciebat niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

5 Nunc apud quoſdam mos eſt, ut in fine conuiuij apud craſſos negociatores è Scoto aut alio ſimili ſcriptore tractetur problema, de ſubtilitatibus rerum diuinarum non neceſſarijs, idq; uerbis fictitijs, quæ nec ſcriptura nouit, nec ſenſus hoim cõmunis agnoſcit.

6 Deum eſſe etiam Ethnicis perſpicuum fuit, uidelicet ex rebus mirabiliter cõditis & gubernatis. Quid autem ſit deus, hoc eſt dei naturã, ut eſt in ſe, aut quomodo generet filium

lium,aut quomodo ſpiret tertiam perſonam,nulla lingua poteſt eloqui,multo minus intellectus creatus aſſequi.

7 Angeli multo dilucidius intuẽtur deum quàm nos terrenis corporibus onuſti,& inter hos alijs alij perfectius.At ne ſeraphici quidem ſpiritus qui proximi aſſiſtunt,infinitam illam maieſtatem ad plenum comprehendunt,ſed eam cum tremore adorant. *Nulla creatura ad plenum intelligit dei naturam*

8 Quod ſi deus legitur Moſi loquutus facie ad faciem, non poſſe ſimpliciter intelligi declarat ipſa ſenſus abſurditas.Deus enim nullam habet faciem,ſed per comparationem accipiendum eſt,Moſes euidentius nouit deum q̃ cæteri.Item quod ait Ioannes, uidebimus eũ ſicuti eſt, per comparationem eſt accipiendũ. Propius ac dilucidius uidebimus, hoc eſt, intelligemus q̃ nunc intelligimus:uidelicet nõ per fidem,& in ænigmatum inuolucris,atq; in ſpeculo rerum conditarum,ſed tum res conditas potius in ipſo deo cõtemplabimur,quemadmodum faciunt angeli. *Deus Moſi locutus facie ad faciem quõ intelligendum*

9 Operæprecium autem eſt uidere,quibus gradibus illa comprehenſibilis natura humano generi innotuit.Ante omnia ſecula deus pater ſibi,ut ita dicam,loquebatur per filium præſente ſpiritu ſancto.Sed quandiu in ſe manebat ſibi ſoli notus erat. *Quibus gradibus deus innotuit*

10 At condito per filium mundo,cœpit aliter loqui per filium,& ut ita loquar, alio modo genuit filium,quando iuxta illam ſupremam philoſophiam, patri promere uerbum ſuum nihil aliud eſt quàm gignere filium.

11 Ex hoc igitur tam mirabili ſpectaculo etiam ethnici ratiocinando collegerũt numen ſempiternum,omnipotens & immortale,non aliter quàm ſi quis ſpectans tabulam incredibili artificio pictam,ex ijs quæ uidet animo concipiat egregium ingenium pictoris,licet alias ignoti.Aut ſi quis audiens inſignem artificẽ ſcite modulantem cithara, miretur ingenium illius qui citharã temperat,etiam ſi non uideat hominẽ. Sic intelligimus admirabilem animæ uim agentis in humano corpore.Item deprehendimus in uniuerſo mundo immenſam dei potentiam,ſapientiam & bonitatem,etiamſi dei naturam ut eſt,cogitatione conſequi nõ poſſimus. Vniuerſa enim creatura nobis quodammodo loquitur deum,& hinc diuinæ notitiæ rudimenta qualiacunq;,dum curioſa mens hominis ex rebus uiſibilibus deprehẽdit naturam inuiſibiliũ.Primum animam hominis eſſe quiddam præſtantiusq; Ariſtoteles arbitrari uidetur in libris de anima,ſic nobis deſcribẽs animam,ut eadem finitio quadret in animam aſini aut anſeris. Alij deprehenderũt animam eſſe rem immortalem & à corpore ſeparabilem, & aliquo pacto participem eſſe diuinæ naturæ, ſcintillam illinc profectã ſuſpicantes, non ita multum aberrantes à ſcriptura,quę narrat deum luteo Adæ ſimulachro inſpiraſſe ſpiraculũ uitę.Deprehenderũt etiam eſſe ſpiritus incorporeos & inuiſibiles.Deprehenderũt unum ſpiritũ eſſe ſummũ ac principẽ, quem Iouem appellabant.Poſtremo mundum hunc eſſe conditum.Per hos gradus uenerũt ad aliquam notitiam ſummæ illius mentis unde condita ſunt omnia,in quibus tamen nihil eſt tam egregium,quin infinitis partibus ſit infra primam cauſam. *Prima dei notitia ex creaturis*

12 Poſt hęc euidentius innotuit per ſpiritum ſuum loquentẽ per ora prophetarum, per ænigmata quædam nõ minimam ſignificationẽ præbens de filio ſuo, ſed paucis, & omnia typorum ac figurarum inuolucris operta. *Secunda dei notitia ex prophetis*

13 Deinde præparatis utcunq; mortaliũ animis,familiariſſime nobis loquutus eſt, per filium ſuum natũ ex uirgine.Iam enim uerbum quod erat deus,apud patrem deum ſine initio,factum eſt nobis contrectabile,& omnibus expoſitum ſenſibus. *Tertia dei notitia per filiũ ex uirgine natum*

14 Poſtremo efficaciſſime nobis innotuit per ſpiritum ſanctum cœlitus emiſſum in diſcipulos,qui & hodie requieſcit in ſinu ſponſæ Chriſti,quæ eſt eccleſia ſanctorum. *Quarta dei notitia per ſpiritum ſanctũ*

15 Qua quidem in re perſpicere licet ſingularem dei erga nos æquitatem,qui quũ noſtram naturæ noſtræ imbecillitatem,non ſtatim ſe totum nobis aperuit, ſed paulatim ac per gradus quoſdam ad tam ſublimem philoſophiam perduxit. Aliquouſq; nos prouexit lege naturæ.Quod tibi nolis fieri,alteri ne feceris.Atq; hinc etiam apud ethnicos tot leges prohibentes furtum,homicidium,adulterium.Nec omnino defuit legum æquitas, quæ ſæpenumero certat cum quibuſdam Chriſtianorum conſtitutionibus,nam ſuperat dicere religio eſt.Sint hæc prima theologiæ cœleſtis elementa. *Deus quare uoluit paulatim innoteſcere*

16 Poſt hæc genus humanum eò cæcitatis prolapſum,ut pro uno deo colerent innumeros,pro uero deo dæmones impios,bruta animantia, ligna & lapides,per legẽ Moſi

promouit à monstris & simulacris ad unius ueri dei cultum, nec tamen prorsus interdixit pecudum immolationem, sed hoc permisit cum gentibus idola colentibus commune. At interim solus pater agnoscebatur. De filio aut nulla, aut obscura mentio: De spiritu sancto tum rarior tum obscurior.

17 A Mosi lege traduxit nos ad Euãgelium, non protinus exhibitum, sed promissum, hinc tam admirabilis Messiæ expectatio.

Christus in carne quõ paulatim insinuauit se nobis

18 Tandem Christus aduenies submouit uelamẽ legis, & à carnalibus prouexit nos ad spiritualia. Nec id tamen repente, sed quasi per gradus ab humilioribus ad sublimiora promouit. Hominem primum exhibuit, deinde magnum hominem, uidelicet prophetam & prophetis maiorem, deum frequenter appellauit patrem suum, quum ipse se filium Adæ profiteretur, & alijs uerborum inuolucris nonnullam diuinę naturæ significationem dedit. Sed longe maiorem miraculis & resurrectione. Ac discipulis iam utcunq; edoctis promittit spiritum paracletum à patre procedentem, & per spiritum sanctum tribuit apostolis potestatem remittendi peccata, iubetq; eos baptizare in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Alibi profitetur se plura habere dicenda, sed ea tacuit, quod nondũ essent capaces. Magna cœlestis philosophiæ rudimenta parata sunt, sed hæc uelut in somnis omnia adhuc carnem sapiebant, donec sublata corporis prẹsentia ueniret spiritus ille igneus, qui carnem uertit in spiritum.

19 Nec ista fuit numinis inuidentia, sed humanitas, semet ad nostram infirmitatem accommodantis, exemplo matrum: quæ si simul omnẽ cibũ in os infantis inuergerẽt, præfocarent citius quàm pascerent, eoq; lactea quædam ac præmansa paulatim inserunt, donec ætatis accessu, capaces fiant cibi solidioris. Si Moses retrahens à cultu multorũ deorum, statim aperuisset patrem filium & spiritum sanctum pari honore colendos, à turba deorum ad tres deos reuocasset. Quando enim illis crassis quibus ægre persuaderi potuit, nõ esse nisi unum deum, persuaderi potuisset, tres esse pari honore colendos, & eos tres esse unum deum.

20 Atq; hæc ratio & ad docendum aptissima est, & ad persuadẽdum efficacissima est. Præscribere tantum, est quodam modo cogere. At mens humana melius ducitur persuasione quàm præceptis cogitur.

Mosi lex quõ paulatim abolita

21 Eodem temperamento usi sunt apostoli in propagando Euangelio. Ipse dominus nulla in parte contempsit legem, sed impleuit omnem iustitiam, clamans se non in hoc uenisse ut legem solueret, sed ut legem consummaret. Apostoli uero non protinus damnarunt uictimas & circumcisionem, nõ ignari q; difficile sit, ritus quibus à progenitoribus traditis iam assueueris nouare. B. Paulus Timotheum passus est circumcidi, & ipse tonsus suscepit uotum in Cenchreis, nec Petrus audet baptizare Cornelium, nisi uiso admonitus. Ac probabile est initio passos apostolos, ut per circumcisionem ex Ethnico fieret quis Iudæus, nimirum ab hoc gradu prouehendus ad Christum. In his apostoli ad tempus indulserunt inuincibili Iudæorum pertinaciæ. Deinde in concilio Hierosolymitano Petrus censuit gentes ab onere legis esse liberandas. Quanquam Iacobus quædam excepit. Mox Petrus ausus est uesci cibis quibuslibet, & Paulus non dubitauit clamare, si adhuc circumcisionem prædico, quam ob causam à Iudæis patior persequutionem.

22 Tandem eò profecit hæc apostolorum æquitas, ut non gẽtes tantum, sed ipsi etiam Iudæi totam fiduciam collocarent in gratia Christi, suaq; sponte circumcisionem cæteroscq; ritus patrios negligerent.

23 Simili ratione conducit uti, si quis error inueteratus, aut si qua consuetudo, multis seculis occupauit animos. Non statim omnia, sed paulatim abroganda sunt, donec persuasi ultrò recedant à consuetis. Sic medici non statim admouẽt efficacissima pharmaca, sed leuioribus remedijs morbum attenuant.

24 Quin hoc ipsum fuit diuinæ bonitatis, nostræ imbecillitati cõsulentis, quod Christus corpus suum subduxit in cœlum, nec id protinus, sed post resurrectionem frequentibus interuallis ostendens se suorum conspectibus, quo paulatim assuescerent spiritu non nisi cœlestia contemplari. Expedit uobis inquit, ut ego uadam. Etenim si deus inter nos assidue uisibilis uersaretur, tantaq; lenitate toleraret hominum immania crimina, quanta nunc tolerat, nonne protinus ueniret in cõtemptum, ac nobis usu ueniret, quod euenit

euenit in apologo ranis, trabi pro rege missæ insultantibus.

25 Illud frequenter inculcandum auditoribus, ut omnia gerant tanquã sub oculis dei cuncta uidentis, etiam arcana cordium: qui si quando dissimulat toleratq; mala nostra, timendum est ne grauiorem ultionem paret, si clementem neglexerimus.

ANGELI.

Angeli quoq; multis nominibus sunt nobis amandi, uel quia domino communi familiariter inseruiũt, uel quia iussu summi principis ex animo bene uolunt electis, additi nobis custodes aduersus impios spiritus, quorum præsentia nos deberet à peccando deterrere. Contristamus enim illos, & à nobis profligamus, quoties contemptis dei præceptis satanæ paremus instinctibus. Ille cum suis satellitibus nusquam non uigilat ut perdat, hi semper uigilant ut tueãtur. Tot enim casibus exposita est humana uita, ut pauci infantes peruenirent ad adolescentiam, pauci adolescentes ad uirilem ætatem, pauci uiri ad senectutem, nisi nostri curam assiduam gererent angeli. Par est redamare, qui nobis bene uolunt: par est uenerari, qui naturæ sunt sublimioris, & in amore dei constabiliti. Deferunt nostra uota ad deum, referunt ad nos illius munificentiam, solatiũ adferunt in afflictionibus, Nam & Christũ in agone confortasse leguntur: inspirant sancta desideria, adiuuant in tentatione, bonis nostris exhilarantur, malis quodãmodo indolescũt, omnes expectãt consummationẽ corporis Christi. Adorandi tamen non sunt, licet in ueteris instrumẽti uoluminibus legamus adoratos angelos, uelut Gen. 18. Sed intelligendum est, uel illos in angelis adorasse deum, uel adorandi uerbum positum pro uenerãdi, quemadmodum legimus et reges adoratos. Quanquam hoc ipsum honoris angelus recusat in Apocalypsi, agnoscens ad quam dignitatem per uerbum carnem factum subuecta esset natura humana, seq; conseruum profitetur, quum in ueteri testamento patiantur se uocari dominos. De natura angelorum non est necesse altius philosophari, quàm in canonicis libris tradi tum est. Angelos esse constat, ac per hos deum administrare res hominum. Ordinũ quorundam tituli proditi sunt, quorundam etiam propria nomina. Mẽtes sunt incorporeæ, quæ si quando apparent, assumptitiam speciem exhibent oculis. Dicuntur uiri, nõ quod ullus sexus sit in angelis, sed quod ea specie sese ostendunt. Quoniam autẽ humanæ mentis hebetudo ægre credit esse quod non uidet, expedit illud teneris protinus animis instillare, esse spiritus inuisibiles, testes omnium actionum nostrarum, atq; adeò cogitationũ quoq;, quibus grata est sobrietas, pudicitia, ueritas, simplicitas, & quicquid ad ueram pietatem pertinet: ut omnes excludas homines, angelum tamen habes spectatorem. Similiter agendum, ut de sanctis uita defunctis religiosam imbibant opinionem.

Angeli quate nus amandi et colendi

Angeli quõ leguntur adorati

Angeli dicti uiri

Angelorũ natura qualis

Ex his quæ tantũ delibauimus, facile coniiciet lector prudens, quot uoluminibus esset opus, si quis singulatim omnia conetur persequi, præterquam quod ineptum atq; ingratum etiam esset omnia formulis præscribere, ac uelut infantibus cibum præmãsum in os inserere. Quod igitur superest operæ, studiosis peragẽdum relinquo, ut excussis diuinis uoluminibus sibi quisq; decerpat, quod ad concionandum usui fore iudicabit, eaq; in ordinem commodum digerat. Velut hæc, quod prima hominis natiuitas fuit è luto, quemadmodum & reliquorum animantium, propagatio ex carne. Secũda natiuitas è spiritu, propagatio per uerbi prædicationem. Gen. 2. formauit dominus deus hominem de limo terræ. Genesis primo, benedicit illis deus. Crescite, inquit, & multiplicamini. Sed hãc benedictionem deus prius impartijt piscibus, reptilibus & uolucribus. Idem repetitur capite 8. & 9. hominibus & animantibus ad exiguum numerum redactis. De feliciore generatione propaganda præcepit dominus: Ite in orbem uniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ. Sic multiplicatus est nouus homo & noua in Christo creatura. De priore dictum est, masculum & fœminam creauit eos: de posteriore dixit Paulus, In Christo non est mas & fœmina, sed noua creatura. Debetur igitur honor coniugio, quod ipse deus instituit & benedixit, sed maior honor debetur ijs qui se castrauerunt propter regnum dei, hoc est euangelij prædicationem. Præterea prima lex erat, ne comederis, alioqui morieris. Ea statim declarauit esse uerum quod scripsit Apostolus, lex iram operatur. Atq; hic tota rei imago ob oculos ponitur, quo pacto ab innocẽtia prolapsus fiat in peccatum. Lex occasio est, instigator serpens, abutens hominis libero arbitrio, ac promittens impunitatem. Illecebra pomum est, Seducitur Eua, caro nostra, per hanc

Quæ annotanda in scripturis

Lex peccatũ operans

ratio

Conſcientia ratio pertrahitur in criminis ſocietatem, Peccatum ilicò comitatur conſcientia perturba
ta, quæ prius erat ſecura. Erubeſcunt, abdunt ſe fugitantq; conſpectum dei, quum poſt la
pſum unicum ſit remedium ad oculos dei confugere. Appellati tergiuerſantur, Adam in
Euam, Eua in ſerpentem culpam reiicit, quum ad placandum deum efficaciſſima res ſit
confeſſio. Hinc erumnarum omnium examen, quibus uita mortalium affligitur, Mortis
Confeſſio & ſatanæ regnum. Eandem ob cauſam Cain non meruit ueniam, quoniã appellatus par
ricidium tergiuerſando diſſimulare maluit quàm confiteri. Apud deum quẽ nihil fugit,
Seruitus ex peccato ſtulta eſt tergiuerſatio, tutiſſima confeſſio. Ex peccato nata ſeruitus. Gen. 3. Sub poteſta
te uiri eris, & ipſe dominabitur tui. Dux fuerat ad delinquendũ, abrogatur illi autoritas.
Quin & uiro abrogatum eſt dominium in omne genus animantium, quæ nũc uarijs mo
dis impetunt hominem, palàm, dolo, ui, uenenis, ut uix uſquam liceat eſſe tutum. In her
bis ac fructibus arborum, in terra, in aquis, quot ſunt uenenorum ſpecies uelut inſidiates
Coniugij bo na uitiata hominum uitæ, ab his omnibus tuta fuiſſet innocẽtia. Iam matrimonij duo præcipui fru
ctus ſunt, iucunda uitæ ſocietas, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, & proles. Vtrunq;
bonum uitiatum eſt per peccatum, mulier pro ſocio dominum habet, & ſæpenumero ta
les contingunt uxores, ut optabilius ſit hominem eſſe ſolum. Supereſt pariendi facultas,
quæ graues adfert nixus, interdum & mortem. Quin & liberi ferè tales cõtingunt, ut for
tunatum uideri poſſit orbum eſſe: quando primogenitus Euæ parricida fuit.

Luxus quõ in ualuit Ad exprobrãdum autem noſtri temporis hominibus luxum & gulæ delicias, cui nec
terra, nec maria ſufficiũt, faciet quod Gen. 1. nullum cibi genus permiſſum eſt præter fru
ges terræ, & arborum fœtus. Atq; hic paſtus erat homini cum cæteris animantibus com
munis uſq; ad diluuiũ. Nec interim de uino ulla mentio. Primus Noe plantauit uineam
cap. 9. atq; experimento comperit è uino temulentiam, è temulentia omne dedecoris ge
nus naſci. Quanta uero olim fuerit liberorum erga parentes reuerentia declarat, quod
Sem & Iaphet auerſis uultibus texerunt pudenda patris, quæ quoniam uiderat Cham,
diris execrationibus deuouetur. Ab hac uerecundia multum abſunt, qui nudi cum filijs
ac filiabus in ijſdem lauant balneis. Poſteaq; homines cœperunt eſſe carniuori, cœperũt
Longæuitas & animantia laniatu uiuere, ac uiciſſim homines deuorare. Per luxum decreuit longæui
tas. Deceret autem, ut qui per gratiam euangelicam meditantur priſtinum innocẽtiæ ſta
tum, ad eandem frugalitatem ſemet exerceant. Inter tam multos ſolus Noe prædicatur,
quod fecerit omnia quæ præceperat illi deus, eoq; cum paucis fide ſua ſeruatus eſt, cæte
ris diluuio obrutis. Per ſolam fidem ſalus, ſed intra arcam, extra eccleſiã nulla eſt ſalutis
ſpes. Ante hunc laudatus eſt Enoch qui ambularit cũ deo, nec de hoc ſcribitur quod mor
tuus ſit quemadmodum de cæteris, ſed è medio ſublatus eſt à deo, ne quis crederet clàm
per inſidias interfectum fuiſſe. Præreptus eſt ſeculo indies magis ac magis ad omnẽ mali
De Enos qui præceſſit Enoch tiam deuergenti. Iam enim inuaſerat idololatria, iuxta Hebræorum interpretationem, le
gunt enim cap. 4. Tunc cœpit inuocari nomen domini, quod dei nomen ſoli ac lunæ tri
bui cœperit. Inundauit & nepharia libido, ut legis cap. 6. Sequitur Abraham euangeli
cæ fidei nobiliſſimum exemplar, qui pro Abram dictus Abraham, uxoris nomine dimi
nuto, ſignificat per fidem euangelicam gliſcentẽ decreſcere in nobis carnis tyrannidem.
Nec is genuit Iſaac niſi iam emortuo corpore, tũ ipſius tum uxoris, cui iam deſierant mu
Caro & ſpiri tus liebria. Iſaac riſum ſeu gaudium ſonat. Hoc arcanum gaudium mentis ſibi bene conſciæ,
non naſcitur in nobis, niſi per ſpiritũ mortificatis carnis affectibus. Hinc cap. 12. opulen
tia notatur diſcordiarum parens, inter famulos Loth & famulos Abrahę. Sed Abraham
æquitate ſua paci conſuluit. Interdum diſiunctio melius alit amicitiam q; propinqua fa
miliaritas. Abraham ut uere ſpiritualis non dijudicat terram, ſed ubiuis habitat in taber
naculis, ueluti peregrinus in hoc ſeculo, totus pendens à nutu dei. Loth quanq; & ipſe iu
ſtus, tamen gradu longe inferiore, ſeligit terram amœnam & irriguam: ac ciuitates nõ ip
ſe quidem ædificat, ſed ab alijs ædificatas inhabitat. At Abraham in tabernaculis cũ an
gelis ac deo colloquitur. Loth in ciuitate periclitatus eſt. Abraham nihil ædificat niſi alta
ria domino, dei gloriã quærẽs nõ ſuam: nec colit uites, quæ res male ceſſit Noe, ſed effoſ
ſis puteis quærit uenas aquæ uiuæ. At impij filij Adã dum conãtur extruere turrim uſq;
ad cœlum pertingẽtem, ac celebre reddere nomẽ ſuũ ſuper terrã, ex unica lingua, tot lin
guarũ ſpecies nobis pepererũt. Diſſidiorũ mater eſt ambitio, ambitionis parẽs ſuperbia.

Nec

Nec aliunde ueniunt inter mortales, tot bella, tot lites, tot sectæ, tot opinionum dissidia. Si uere quæreremus gloriam dei, unanimes una uoce deum glorificaremus. Huc prodit Isaac Christi typus, quem in nobis gignit fides, & cuius gratia benedictionem meruerũt omnes gentes. Cui respondet Ismahel ancillæ filius, homo ferus & pugnax. Nam statim à puero pugnare cœpit cum Isaac. Sed per Christum cessit legis austeritas contentiosos ac pugnaces gignens, & uicit gratia, spiritus libertatem adferens. Eiecta est Agar cum filio suo, nihil uiatici secum deferens nisi utrem aquæ, uidelicet insipidæ literę, donec illam Christus uertit in uinum. Hinc origo circumcisionis puritatem Euangelicam designãtis per spiritum resectis carnis affectibus. Sed quemadmodum Isaac per infantiam lacte alitus est, ita & Christus in nobis habet infantiam suam, quibus lacte opus est nondum patientibus solidi cibi. Verum ubi creuit puer & à lacte submotus est, apparauit Abraham grande conuiuium. Interim exprobrantur nostrorum temporũ matribus deliciæ, quod Sara uiri tam potentis uxor suis uberibus non grauata est lactare filium suum, præsertim iam anus. Sed has quoq; formas desino persequi, ne tædio sim lectori. Cæterum qui se parat ecclesiastico muneri, quum in scripturarum hortis assidue uersabitur, huiusmodi sibi decerpet, quo dicenti sint ad manum. Nec ea solum annotabit, quæ faciunt ad uirtutum commendationem ac uitiorum detestationem, uerum etiam illa quæ pertinẽt ad dogmata theologica, hoc est quid sentiendum de deo ac diuinis personis, quid de Christo incarnato, quid de ecclesia, quid de reliquis fidei articulis. Super hæc uigilanter obseruabit, quas leges actionibus humanis præscribant arcanæ literæ: ueluti quomodo contrahendum matrimonium, aut quibus de causis dirimendum: quatenus fas sit bellum suscipere. Quomodo creandi magistratus. Quatenus obtemperandum principũ æ dictis. Quomodo tractandi hæretici. Quid agẽdum in persequutione fidei causa mota. In his tamen omnibus consulet eorum lucubrationes, qui sibi diutina meditatione reconditam scripturarum scientiam pararunt, uitæq; sanctimonia, ac iudicandi synceritate magnam in ecclesia conciliarunt autoritatem. Hic plurimum conducent scholasticę conflictationes, si sobrie peragantur, & scripturarum fundamentis potissimum innitãtur. Nec aspernandum si quid super his statuit ecclesiastica synodus. Id ut lõge tutius est, quàm propriæ inniti prudentiæ, ita ad alendam concordiam utilius est.

Pugna inter carnem & spiritum

Sententiæ de rebus diuinis

Officia uitæ

Scholasticæ disputationes probantur

De locis communibus, de typis & allegorijs, deq; ijs quæ insigniter accidunt in hominum uita, satis dictum arbitror libris superioribus: nihil supereſt nisi ut exemplum aliquod proponatur uniuersa supellectile dicendi perfectum & absolutum: quod tamen ipsum res esset iusti uoluminis. Veluti si quis concordiam studeat commendare. Primum definiet quæ sit uera concordia, consensus bonorũ in re bona. Malorum enim in malis consensus non est concordia, sed conspiratio. Concordes autem dicuntur, quod omnibus sit cor unum, quemadmodum dicũtur & unanimes, quod plurium una sit anima. Quod esse non potest inter eos qui duplici sunt corde, & aliud gerunt in ore, aliud cœlant in pectore. Huius concordiæ autor est cœlestis ille spiritus, omnia congluti nans & connectens. Quemadmodum enim spiritus hominis quandiu uiget in homine, singula corporis membra seruat in suis compagibus, quæ destituta spiritu soluuntur: ita posteaquam in discipulos descenderat Christi spiritus, erat illis omnibus cor unum & anima una, teste beato Luca. Idem sentiebant, idem loquebantur, nẽpe magnifica dei, non opiniones hominum. Vt autem primus ac summus concordiæ autor deus est, ita satanas primus seminauit discordiam inter deum & homines. Summum & archetypum cõcordiæ exemplum est, trium personarum eadem natura, eadem uoluntas, eadem potentia. Proximum Christus, cui sic adglutinata est ecclesia, ut deus, homo, & uniuersa piorum societas unam constituant personam, & per hanc indiuiduam societatem ueniunt in consortium patris & spiritus sancti. Corpus unum est cum capite. Caput unum est cum patre & spiritu sancto. Tertium est in societate membrorum mystici corporis inter ipsa, quod exemplum frequẽter nobis ingerit beatus Paulus. Multa membra sunt uarijs officijs designata, & tamen unum corpus sunt, adeo ut cuiuslibet membri iniuria ad totum corpus perueniat, & singulorum gloria communis sit omnium. Vtriusq; cõcordiæ symbolum est in synai, hoc est, in cõmunione corporis & sanguinis dominici. Quartum est in coniunctione maris & fœminæ. Ex duobus fit una caro, adeoq; tenaci charitatis glu-

tinq

tino copulantur, ut homo citius sustineat à matre ac patre diuelli quàm ab uxore. Quin tum est in coniunctione corporis & animæ, quæ & ipsa coniugio quodã cohærent. Animus pro uiro est, corpus pro uxore. Animus imperat sed amanter; corpus obsequitur. Porrò quàm arcto nexu cohæreant, declarat diuulsio. Nihil enim morte tristius. Quantum animæ debeat corpus, declarat exanime cadauer. Vbi tunc species, ubi uisus, ubi auditus, ubi uox, ubi motus? Anima uicissim diuulsa non conquiescit, donec ad uetus contubernium reuocetur. Sextum exemplum est in corporibus cœlestibus, quæ iussu conditoris, quum uarie moueantur, tamen tot annorum milibus perpetuo fœdere tuẽtur concordiam. Septimum est in elementis, quæ quum natiuis qualitatibus dissideant, tamẽ admirabili temperamento sibi uicissim inseruiunt. Terra immobilis librat omnia circumfusa, aqua irrigat, aer refocillat, ignis agit. Octauum est in brutis animantibus ijsq; diuersis. Apes & formicæ in commune laborant, admirabili politia inter se concordes. Boues uiso lupo uelut in aciem sese coniungunt. Viso miluio cõdensant se columbæ. Quin & prisci mortales, quo tutius ac iucundius uiuerent, ciuitatum fœdera repererunt. Nihil enim aliud est ciuitas, quàm multorum amicitia ijsdem legibus concorditer parentium, ac mutuis auxilijs sese tuentium. Possunt etiam ex rebus inanimis peti concordiæ exempla. Sagittas singulas facile frangas, iunctas non possis. Itidem fila singula fragilia sunt, coniuncta firmissima sunt. Sic multæ res sunt quæ iunctæ seruantur, corrũpendæ si separes. Veluti uinum in cyatho uapescit, in magno uase seruat uigorem. Sic & aqua in hydria uitiatur, in puteo nõ uitiatur. Vitis quoniam sibi non sufficit, amplexu firmiorum sese fulcit. Quod idem facit cucurbita. Huc addendum quod nulla tutior acies, quàm quæ conferta mutuò sese scutis defendit, nec ferè uincuntur in bello, nisi quum milites se segregant desertis ordinibus, aut quum inter duces discordia est. Adeò res efficax est concordia, ut latrones quoq; ac piratæ intelligant non successurum quod agunt, nisi qualicunq; amicitia inter se fœderatis. Quid quod ipsa natura tot lenocinijs inuitat, tot occasionib. cogit ad amicitiam. Addidit genuinum affectum, inter parẽtes ac liberos, inter fratres ac sorores, inter cognatos & affines, inter eiusdem gentis ac ciuitatis homines. Breuiter inter omnes similes, uelut inter pueros, inter senes, inter eruditos. Hinc est quod gracculi gaudent societate gracculorum. Grues simul deuolãt. Corporum autem & ingeniorum atq; etiam fortunæ dotes, ita partita est inter homines natura, ut nemo sibi sufficiat, sed oẽs egeant mutuis aliorum auxilijs. Ex his facile perspicit lector, quot exempla concordiæ possent ex omni genere rerum congeri. Iam ut satanas tyrannidem suam discordijs cõfirmat, ita Christus regnum suum concordia stabilit. Hoc est quod oramus quotidie in precatione dominica, adueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, ita & in terra. Ecclesia petit uniuersum regnum tranquillum ab omni rebellione liberum. Christus erat lapis angularis, qui connectit utrunq; parietem, & Iudæorum & Gentium, qui demolitus est maceriam, quæ dirimebat deum & homines, abrogauit chirographum delicti, quo nos satanas tenebat obligatos, atq; affixit cruci, nouumq; pacis & gratiæ chirographum nobis suo sanguine consignauit, per quod pro inimicis facti sumus filij dei. Ipse est intercessor & conciliator inter deum et homines, hodieq; regnans cum patre est aduocatus noster, ea loquens quæ ad pacem nostram faciunt. Quàm autẽ fuerit natura pacificus, uel illud declarat, quod Pilatum & Herodem redegit in gratiam. Quum, inquit, exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Quanta erat turba deorum in mundo, quæ portenta pro numine colebantur. Quot erant nationes, linguis, ritibus ac moribus dissimillimæ, sed omnes ad unius dei cultum pertractæ sunt, ad eandem gratiam uocatæ, & in unam ciuitatem, immo in unum corpus coagmentatæ. Hinc distinguendæ sunt concordiæ species. Prima est hominis cum deo, quæ per fidem & innocentiam contingit. Secunda est hominis cum homine quam conciliat Christiana charitas. Tertia est cuiusq; hominis secum, quam præstat mens sibi bene cõscia, & caro spiritui obtemperans. Hæ sic inter se cohærent, ut aut adsint omnes, aut absint omnes. Nemo secum habet pacem, in cuius pectore tumultus est cogitationum sese accusantium ac defendentium. Nemo cum deo pacem habet, qui dissidium habet cum proximo. Post hæc è libris diuinis petentur exempla concordiæ. Veluti Geneseos decimotertio. Abrahã de iure suo concedens inferiori Loth, excusit rixas, et aluit concordiam. Consimilem in modum Iacob

locum

locum dans furori Esau, dein reuersus blandis sermonibus ac muneribus mitigans eum. Pari comitate cauit ne inter Laban socerum et ipsum oriretur inimicitia. Iudicum primo, Iudas & Simeon iunctis copijs superant Cananæum, iuxta uetus prouerbium, frater adesto uiro. Lenitate ali concordiam, sæuitia gigni discordiam exemplum ex tertio Regum duodecimo in Roboam, qui sequutus iuuenile consilium alienauit à se decem tribus. Similium exẽplorum magna uis colligi poterit è sacris uoluminibus, nec pauciora è libris humanis. Supersunt loca quæ nobis commendant concordiam. Ac statim in Genesi: Non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adiutorium simile ipsi. Similitudo mater est amoris, & amicitia in rebus difficilibus auxilio est, res prosperas facit iucundiores. Ecclesiastes quarto: Væ soli, quia si ceciderit non habet subleuantẽ & cætera. Prouerbiorum decimo octauo: frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Ecclesiastici uigesimoquinto, inter ea quæ probata sunt & apud deum & homines commemorantur hæc concordia fratrum, amor proximorum, & uir ac mulier sibi bene consentientes. In nouo testamento tot illa præcepta de charitate: de diligendis etiam inimicis, tot exhortationes Pauli ad unanimitatẽ, ad fraternam dilectionẽ, quo uocant nisi ad concordiam: Cum omnibus, inquit, hominibus quod in uobis est pacem habentes, non uos defendentes charissimi. Sunt & apud ethnicos sententiæ grauiter dictæ. Qualis illa, Concordia res paruę crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Nec hanc partem longius persequar, sat habens indicasse. Ordinem & argumentorum copiam suppeditabit diuisio. Nihil magis secundum naturam hominis quàm amicitia. Ecce quàm bonum & quàm iucundum & cætera. Nihil deo gratius quàm bonorum consensus: nihil ad incolumitatem corporis & animæ tutius. Ex his declarabitur quantum commodum secum adferat concordia. Adhærent istis, quibus rebus paretur uera amicitia, & quibus alatur confirmeturq;, quibus uitietur atq; amittatur. Hic locus erit explicandi quæ sint officia Christianæ amicitiæ, & quàm res sit pestilens, fucatus amicus atq; adulator. Iam totidem partes adhibendæ sunt ad discordiæ reprehensionem, quot ad concordiæ commendationem ostendimus adhibendas, quas omnes singulatim persequi, quàm sit infiniti negocij iamdudũ opinor per se liquet, præsertim si quę ueluti per transennã ostendimus, conemur explicare. Quare uisum est quarto libro finem imponere, perquam breui fateor, ut à me est inchoatus, sed abunde prolixo si quis sibi ad hoc specimen cætera congeret.

ECCLESIASTAE SIVE DE RATIONE CONcionandi, per Des. Erasmum Roterodamum, Finis.

MODVS ORANDI DEVM PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CLARISSIMO POLONIAE BARONI, HIEroslao De Lasko, & in Rithuania, Palatino Siradiensi, Des. Erasmus Roterodamus S. D.

SIC RECIPROCIS uicibus obambulant gratiarum munera Hieroslae uir clarissime. Reliqueras apud me pignus amoris in me tui, redit ad te uicissim pignus animi mutui, quem hinc proficiscẽs stipulabare. Quum omnia Mosaicę legis sacrificia sint antiquata per Euangelium, nullum sacrificij genus uel diligentius tradidit princeps noster Iesus, uel religiosius amplexi sunt huius discipuli, cq; uitulos labiorũ, ut Osee uerbis utar: Id cõstat tribus potissimum generibus, aut uotis, aut gratiarum actione, cui finitima est laus, aut hymnis. Hymnus est, quum animus, considerata dei sublimitate, rapitur in laudem illius, cui soli debetur omnis gloria. Paulus apostolus ad Colosse. cap. 3. tria coniungit eiusdem generis, psalmum, hymnum, & canticum: Docentes, inquit, & commonentes uos inuicem in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes, in cordibus uestris Osee 14.

deo. Psalmus Græcis cantionem sonat, quod uidetur esse uocabulum omnibus cõmune, quæ ad laudem dei uel hominis pertinent, unde & psalmi quidã inscribuntur ipsi Dauid, uelut in laudẽ illius conditi. Hymnus proprie dici uidetur laudatio numinis, Te decet hymnus deus in Sion. Vnde & ethnici poetę, carmina, quibus efferunt diuos suos, hymnos appellant, quales extant adhuc Orphei & Homeri titulo. Porrò canticum quod Græcis est ᾠδήν, quiddam esse uidetur utroq; sublimius, nimirum laus illa, quam deo canunt angeli ac piorum animæ quæ iam mortalitatem exuerunt. Nam in Apocalypsi uirgines habẽt canticum nouũ, quod nemo potest discere, præter illos qui sequũtur agnum quocunq; ierit. Alioqui quid queruntur in psalmo: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Et Paulus cupit dissolui, & esse cum Christo, ut hoc canticum domini possit canere. Rursus idem Paulus in epistola ad Ephesios, eodem ordine iungit hæc tria: Sed implemini, inquit, spiritu sancto, loquentes uobismetipsis in psalmis, hymnis & cãticis spiritualibus, cantãtes & psallentes in cordibus uestris domino. Totum autem hoc genus spirituale uocatur, quod omnis hæc laudatio, etiam si quando pars aliqua tribuitur homini, referatur ad gloriam dei. Habet enim & mundus psalmos, hymnos et cantica sua, quibus aut noxios dæmones, aut homines pro diis celebrant, aut homines hominibus adulantur, laudantes nonnunquam & quæ turpia sunt, non solum in hominibus, uerum etiam in his quos pro diis colunt. Cæterum qui spiritũ hausere Christi, nesciũt laudare nisi patrem, filium, & spiritum sanctum: quibus solis debetur, quicquid est ueræ laudis, siue in cœlis, siue in terris. Adiicit Paulus, psallentes in cordibus uestris domino. Quid est domino? Qui iustitiam suis uirtutibus tribuunt, non psallunt domino, sed sibi (quod aiunt) intus canunt. Rursus qui fiduciam suam et gloriam collocant in Moyse, Francisco, Benedicto, Dominico, aut Augustino, non canunt domino, sed hominibus. Tunc maxime glorificatur deus, quum homo agnoscit, quàm ipse sit nihil ex sese. Quid sibi uult in cordibus uestris? Ne quis putet deum inani uocum boatu, aut modulato musicorum hinnitu, aut organis quibus nunc ubiq; templa perstrepunt, delectari, non quod musicam corporalem damnem, si modice, si sobrie, cultuq; diuino digna adhibeatur: sed ut ostendam ista nihil esse, si absit tacitus ille pietatis affectus in deum, quæ deo cantio est gratissima, etiam si nullus uocum strepitus accedat. Quoniam autem deus semper, & ubiq; mirabilis est, non oportet hominem Christianum unquam cessare à psalmis, hymnis & canticis spiritualibus. Huic generi finitima est gratiarum actio, quæ magis pertinet ad bonitatem dei, quàm ad magnitudinem. Psalmus est, quum illi canimus: Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in uita mea, psallam deo meo quàm diu fuero, Hymnus est, quum illi canimus: Benedicant omnia opera domini domino, Hic enim mens in omnibus rebus conditis stupet potentiam, ac sublimitatem incomprehensibilem conditoris. Canticum erit, quum animus afflatus desiderio uitę cœlestis, ac ueluti euolare gestiens è corpore, canit illi: Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum. Cõcupiscit et defecit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Gratiarum actio erit, quum illi canemus: Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Et, Misericordias domini in æternum cantabo. Quemadmodum hymnus opponitur blasphemiæ, ita gratiarum actioni opponitur ingratitudo. Detrahunt autem gloriæ dei, qui quod illi debetur, tribuunt humanis uiribus, & ex benefactis laudẽ humanã uenãtur. Eoq; Paulus Colossensibus scribens: Omne, inquit, quodcunq; facitis, in uerbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi: nimirum ut semper illud haberent in corde, quod omnib. Christianis est in ore: Sanctificetur nomẽ tuũ. Item non solum blasphemi sunt in deum, qui uerbis impijs in illum debacchantur, uerum etiam quicunque nomen illius professi uiuunt impie. Vt uideant, inquit, opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Gratissimum deo canticum modulabantur martyres, quum sua corpora tradebant tyrannorum libidini diris tormentis excruciandа, etiam quum lingua execta nullas laudes sonare poterant. Iam uita quorundam Christianorum, præsertim eorum qui dignitate ac titulo se Christianæ religionis duces profitentur, si nihil ament præter ea quæ sunt huius mundi, quid aliud est, quàm perpetua in deum blasphemia? Si nomen dei propter Iudęos non obseruantes legem, blasphemijs afficitur inter gentes, iuxta Pauli sententiã: quãto iustius idẽ dicetur in eos, qui pietatis Eu-

angelicæ

Cap. 14
Psal. 136
Philip. 1
Ephes. 5
Psal. 145
Psal. 83
Psal. 117
Psal. 88
Cap. 3
Matth. 5
Rom. 2

angelicæ culmen tenent, & tota uita pugnant cum Euangelicis præceptis? Nimium propter hos, non solum inter gentes, male audit adorandũ illud nomen Iesu Christi, uerum etiam inter Christianos. Itaque quemadmodum nunquam deest occasio laudandi dei, quoniam in omnibus & quocunque uertas oculos, gloriosus est & admirabilis: ita quoniam nunquam cessat illius in nos beneficentia, semper est unde gratias agamus. Nec enim in lætis tantum agẽdæ sunt gratiæ, uerum etiam in afflictionibus, quas ideo frequenter immittit nobis, ut emendet ac seruet, nonnunquã ut exercendę uirtutis materiam suppeditet. Egit gratias Paulus, quod Epaphroditum ex grauissimo morbo restituit. Egit gratias, quum ter precatus dominum ut aufferretur stimulus carnis, & abigeretur satanas colaphis ipsum cędẽs, audisset: Sufficit tibi gratia, nam uirtus in infirmitate perficitur. Hoc 2. Cor. 12
sensit Paulus scribens Ephesijs in loco quem modo retulimus: Gratias semper agentes Cap. 5
pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri. Par est semper agere gratias ei, qui semper bene facit, tũ in omnibus qui pro inscrutabili consilio omnia nobis uertit in bonum, etiam illa quæ uidentur esse noxia. Laus igitur & gratiarum actio perpetuum est sacrificium omnium Christianorum, sed præcipue quum illius mortem, qua nos redemit, ac mystici corporis societatem sacri panis & mystici calicis consecratione repręsentamus. Vnde & huic rei proprie nomen inditum Eucharistiæ, quanquam eadẽ Græcis dicitur synaxis, id est, cõciliatio, quod pariter ibi repræsentetur fœdus charitatis inter omnia Christi membra, unde & Latini communionem uocant. Horum utrumque, laus & gratiarum actio non modo non cessat post hanc uitam, uerũ etiam perficitur. Hic dum animus grauatur hoc mortali corpusculo, ut est imperfecta cognitio magnitudinis & bonitatis illius, ita est imperfecta tum laudatio, tum gratiarum actio. Illic quo clarius intuebimur, hoc excellentius laudabimus, clamantes cum seraphicis spiritibus: Sanctus, san- Esaiæ 6
ctus, sanctus dominus exercituum: Plena est omnis terra gloria eius. Iamque quod ante
suspirabamus adepti, & quod ante spe sequebamur, iam re assequuti, canemus cum Da- Psal. 47
uid: Sicut audiuimus, sic uidimus in ciuitate domini uirtutum, in ciuitate dei nostri. Cæterum ut gratiarum actio laus quædam est, ita nonnunquam est & petitio, de qua nunc instituimus dicere. Quandoquidem & inter homines, qui diuiti pro beneficio dato gratias agit, tacite prouocat illius liberalitatem ad maiora largiendum. Quis autẽ deo ditior aut benignior? Nunc quidem interim gratias agentes pro dei donis exultamus, sed cum tremore, nimirum incerti, num quod datum est, sit futurum nobis perpetuum. Siquidem ei qui stat uidendum est ne cadat, & nostra negligẽtia fit nonnunquam, ut subducat sese dei gratia, uelut ab indignis: nonnunquã ipse deus, licet non offensus, auertit à nobis uultum suũ, noscę nobis ipsis ad tempus relinquit, ne ueniamus in maius discrimen, impia nostri fiducia. In ciuitate cœlesti, plena gaudiorum erit ista gratiarum actio: quia secura erit præteritorum bonorum memoria, nec ullus perdendi quod tenemus metus offuscabit lætitiam cordis nostri, neq; quicquam deerit uotis nostris, quod felicitatẽ nostram reddet imperfectam, præsertim ubi totum Christi corpus iam erit ad felicitatis æternę consortium collectum, suoq; capiti sociatum. Porrò quamdiu uersamur in hoc exilio, quoniã & malorum plena sunt omnia, & bonorum uel imperfecta uel incerta possessio, consequitur ut semper sit orandus deus, ut nos à malis urgentibus eripiat, ut sua dona in nobis augeat, & quod largiri dignatus est, uelit esse proprium ac perpetuum, & quod hic cœpit in nobis, perficiat in uita futura. Primum itaq; si uidetur, discutiamus quid sit precatio siue oratio. Quanquam hæc uox in hoc sensu non omnino probatur his, qui religiosius obseruant elegantiam Romani sermonis: nam ut Latine dicitur orare qui rogat, ita nõ satis Latine dicitur, pro deprecatione oratio, nec satis apte dicitur orator, qui rogat. Orationẽ pro precatione Christianorũ usus recepit. Oratorẽ pro deprecatore, nemo ueterum quod sciam, ausus est dicere. Sed ut, omissa uerborũ cura, de re pergamus, hæc tria: laus, gratiarum actio, et precatio: tametsi ratione uerius quàm re discreta sunt, ac ferè cohęrẽt, nunc tamen docendi gratia separabimus. Est igitur deprecatio erectio mentis in deum cum studio quippiam ab illo impetrandi. Iam hæc ipsa finitio statim declarat, quantum absint à precando, qui psalmos non intelligendos, etiam si attenderent, inani laborũ strepitu personant, animo per omnia curarum inanium ludibria uolitante. Paulus aũt nonnunquã duas uoces uelut idem significantes, sibi copulat, orationẽ & obsecrationem,

sic ut precationi respondeat προσευχὴ, obsecrationi δέησις. Sic enim scribit: Nihil solici-
Philip. 4 ti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones uestræ in-
notescant apud deum. Rursus ad Ephesios 6. Per omnem orationem, & obsecrationem:
ubi quod Latinus uertit, orationem, Græcis est προσευχὴ, quod obsecrationem δέησις. Am-
Cap. 2 brosius pro obsecratione, uertit precẽ. Idẽ in epistola ad Timotheũ priore, tres uoces con-
iungit, προσευχὰς, δεήσεις, καὶ ἐντεύξεις. Obsecro igitur, inquit, primum omnium fieri obse-
crationes, orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus. Ambro-
sius δεήσεις uertit, deprecationes: προσευχὰς, orationes. Cæterum quod est ἐντεύξεις, uerti
poterat, interpellationes. Nam in epistola ad Romanos capite octauo, quod Græcis est, ὃς
καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Interpres reddidit: Qui etiã interpellat pro nobis, uidelicet utens
uerbo unde deducta est ἔντευξις. Sunt autem, qui putent, his tribus uerbis idem significan-
tibus, nihil aliud declarari, quàm uehementiã, instantiãq; precationis. Qui discrimẽ osten-
dere conantur, inter se parũ consentiunt. Siquidem Augustinus in epistola quadã ad Pau-
linum, existimat δέησις, id est, deprecationes, dici preces illas quæ fiunt, antequam bene-
dicitur id quod est in altari: προσευχὰς, id est, orationes, quum benedicitur, aut ut Augusti-
nus loquitur: Sanctificatur, & distributioni præparatur: ἔντευξις, quum sumptis myste-
riis sacerdos benedicit populo, uelut interceſſor offerens suos misericordissimæ potesta-
ti: demum in fine addũtur gratiarum actiones. Græcorum scholia sic distinguũt, ut δέησις
sit, quoties precamur ut à malis urgentibus, aut etiam imminentibus liberemur: προσευχὴ
quoties uotis optamus bona: ἔντευξις, qua querimur de his, qui nos affligunt, quemadmo-
dũ uidua interpellauit iudicẽ. Aut sicut interpretatur Theophylactus, quũ intercedimus
pro his qui affligunt nos, ut resipiscant. Huic differentiæ suffragatur & uocum ipsarum
etymologia, & rerum natura. Siquidem δέομαι Græcis & egeo sonat, & rogo. Porrò
rogo supplicis uerbũ est. Et qui premente necessitate eget auxilio, supplex est. Item εὔχο-
μαι Græcis sonat, opto: εὐχὴ, uotum. Postremo ἔντευξις intercessionem sonat, siue interpel-
lationem, qua periclitanti succurrit qui autoritate ualet apud eum qui offensus est. Primũ
aũt est liberari à malis, unde & hodie rem diuinam à confessione & absolutione delicto-
rum auspicantur, proximum optare bona nobis ac fratribus, perfectissimum autem in-
terpellare deum pro his qui Christum in suis membris persequuntur, ne dent pœnas im-
pietatis suæ, sed resipiscẽtes conuertantur ad dominũ. Ambrosius deprecatiões refert ad
reges, orationes ad cæteros, qui magistratu publicáue potestate fungũtur: postulationes,
ad eos qui uarijs premuntur malis, ut eruãtur, & liberati, dominum collaudent incolumi-
tatis autorem. Mihi, si quid interest, uero propius esse uidetur, quod à Græcis traditũ est.
Et hactenus quidem de ratione nominum, deq; uaria rei proprietate. Nunc paucis aperi-
endum, quanta cura nobis dñs Iesus, atq; huius amici precandi studium & assiduitatem
commendarint, non tantum præceptis, sed etiam exemplis: deinde quur ea res nobis tan-
ta solicitudine fuerit tradita. Mox ostendemus in orando quatuor potissimum esse spe-
ctanda, quis sit quẽ oras, q̃ sis q̃ oras, quid ores, & quomodo sit orandũ. Vt igitur primũ
absoluam, Lucæ cap. 18. quum dñs superiore sermone docuisset, quantis in periculis uer-
setur hominum uita, dignatus est & remedium indicare. Certissimũ autem in malis præsi-
dium est auxilium dei, quod nobis semper ille paratũ fore pollicitus est, si uotis ardẽtibus
ac instantibus flagitemus. Hoc præceptum ut altius infigeretur animis auditorum, adhi-
buit parabolam, de iudice impio pariter atq; improbo, qui tametsi deum nõ metueret, nec
homines reuereretur, tamẽ fatigatus indefessa uiduæ cuiusdã interpellatione, fecit tandẽ
quod rogabatur. Quod si muliercula quo pœnas sumeret de aduersario, tanta instituit im-
probitate, quanto instantius oportet nos ea petere, quæ cõducunt ad æternã felicitatem?
Et si iudex impius & impudens delassatus mulierculę interpellationib. præstitit quod pe-
tebatur, quanto magis deus natura benignus audiet preces ad se clamantiũ? Rursus apud
eundem capite undecimo, rem eandem aliam commendat parabola nocturni postulato-
ris, qui clamoribus et pulsationibus improbis huc adegit excusantẽ amicum, ut media no-
cte surgat è lecto, & donatis panibus, quotquot opus essent, flagitatorem molestum abi-
gat, magis tædio uictus, quàm impulsus beneuolẽtia. Confer interim frigidum illum ami
cum cum deo, tres panes cum æterna uita, & intelliges quanto nobis instantius, maioreq;
fiducia sit orandus pater cœlestis. Eodem pertinet, quod quum dominus suis discipulis

nihil

nihil præscripsisse legatur de uestitu, de cibo, potúue, de ieiunijs, tamen orandi formam diligenter prescripsit, quam non iussit peti à Moyse, aut prophetis, nec à Ioanne, qui peculiares quasdam orandi formas tradidisse legitur: sed ipse peculiarem proposuit: non usurus tanta hac in re diligentia, nisi præcipua quædam pietatis pars esset deprecatio. Rursum apud Matthæum capite sexto, quàm diligenter cohortatur ad orandum? Quum enim prius exemisset illis omnem solicitudinem de uestitu, de uictu, de fama, de incolumitate, de uita: docet hæc omnia magna cum fiducia postulanda à patre: Petite, inquit, & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis: quisquis enim petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Et ne dubitarent quin quod peterent, forent accepturi, aut aliquid illo salubrius, adhibet similitudinem ductam à uulgari patrum in filios affectu, quorum nullus est tam durus, aut impius, ut si filius postulet panem, porrigat illi pro pane lapidem: aut si postulet piscem, porrigat illi pro pisce scorpium. Si huc cogit homines alioqui malos, nonnunquam & idololatras, naturæ pietas, ut liberis necessaria petentibus non negent, quod petunt: quanto magis pater ille cœlestis, natura benignus ac beneficus, qui charitate ineffabili prosequitur suos, non negaturus est hoc petentibus, quod ultro etiam largiturus erat non petentibus? Repetit hoc promissum apud eundem Euangelistam capite decimo octauo. Iterum dico uobis, quod si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Item apud Marcum undecimo, ueluti iureiurando se nobis obligat, dicens: Propterea dico uobis: omnia quæcunq; orantes petitis, credite quod accipietis, & euenient uobis. Iam imminente crucis tempore, nullo præsidio magis cõsolatur discipulos suos, quos erat ad tempus destituturus, quàm deprecationis. Quicquid, inquit, petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Iterum capite decimoquinto, repetit & inculcat quod dixerat, ne posit elabi: Si mãseritis in me & uerba mea in uobis manserint, quodcunque uolueritis, petetis, & fiet uobis. Ac mox: Quicquid petieritis à patre, det uobis. Rursum capite decimosexto expostulat cum illis, quod hactenus nihil petissent, affirmãs ac uelut adiurans eos nihil frustra petituros: Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Similiter apud Matthæum uigesimoquarto, ingruente publica mundi calamitate, non ad aliud præsidium nos mittit, quàm ad precationem: Orate, inquit, ne fiat fuga uestra hyeme, uel sabbato. Et ne quis existimaret precationem frigidam & somniculosam sufficere, apud Marcum ita loquitur: Videte, uigilate, & orate. Itidem munit illos aduersus ingruentem tentationem: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Lucæ decimo: Rogate, inquit, dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Nec dissonat à domini doctrina, doctrina Apostolorum. Sic Paulus secunda Thessal. quinto. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Rursus prima ad Timoth. capite secundo. Volo, inquit, uiros orare in omni loco, sustollentes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres. Idem cupit uirgines ac cœlibes manere liberos, ne diuellantur ab orando: et huius rei gratia uult ad tempus ex consensu dirimi usum coniugij. Sed præcipue uiduas uult instare precationibus die ac nocte. Eãdem cantionem canit nobis Petrus: Estote, inquit, sobrij, & uigilate in precationibus. Item Iacobus: Eum cui opus est sapientia, iubet à Deo postulare. Si quis affligitur ac mœret, hunc orare iubet. Tantum autem hic tribuit precationi, ut non solum sibi impetret orans, uerum etiam alijs, pro quibus oratur deus. Si quis ægrotat, iubet accersi presbyteros, quorum precibus & corporis & animi morbo liberetur. Denique uult, ut omnes Christiani mutuis apud deum precibus sese uicissim subleuent: Orate, inquit, pro uobis inuicem, ut saluemini. Multum enim ualet deprecatio iusti assidua. Nunc considerandum erit, dominus Iesus, quod iam diligenter tradidit, quanto studio conatus sit suorum animis infigere, suo frequenter exemplo prouocans discipulos ad orandum, ac uelut auis ad uolandum incitans pullos suos. Sæpius repetitur hoc in Euangelicis literis, quod dominus secesserit in locum desertum, aut conscenderit montem ut oraret, Interdum etiam solus. Nec dubitandum quin quotidie cum discipulis suis oraueris

Ioan. 14.

Cap. 13 Matth. 24

1. Pet. 5

Iacobi 5

uerit, quemadmodum ante cibum benedixisse & gratias egisse & post cibum hymnos in laudem dei cecinisse legitur. Quoties autem relicta multitudine secessit ad orandum, pastores docuit, ut pro his quos regendos susceperunt, frequenter orent dominum, scientes infrugiferam esse doctoris ac monitoris operam, ni cœlestis aspirauerit fauor. Nec enim dispendium est operis boni, si nonnunq; secretis precibus interrumpatur: nam & alacrior uegetiorq; redit ad suum munus qui sic secessit, & auditoris desideriũ intermissi one modica redditum est uiuidius. Quoties aũt magnũ quiddam aggressurus esset dominus, ab orando legitur cœpisse auspicium. Luc. 3. baptizatus & egressus aquam, orasse legitur. Descendit columba & uox patris audita est. Hic est filius meus, ipsum audite. Hoc uidelicet erat felix auspicium suscipiendi muneris Euangelici. Similiter & gentium uocationem auspicatus est, Ioan. 12. Quum enim quidam ex gẽtibus uenissent Hierosolymam adorandi gratia, ambientes per Philippũ & Andreã ut uiderent Iesum, dominus sic orat: Pater glorifica nomen tuum. Ac mox audit uocem cœlestem: Et clarificaui & iterum clarificabo. Orat excitaturus Lazarum, quod uel ex eo liquet quod scribit Ioannes: Pater ego ago gratias tibi, quoniam audisti me: nimirum orasse perspicuum est, qui se prædicat auditum: Præterea Lucæ 9. professionem sui nominis, per quam salus esset omnibus parata, ab orando uoluit auspicari. Sic enim legitur: Quum esset solus orans, erant cum illo discipuli, & interrogauit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ? & uos autem quem me esse dicitis? Et audit ex ore Petri, Christianorum omnium cœlitus inspiratã professionem: Tu es Christus filius dei uiui. Ac uicissim Petri nomine audit omnis Christi nomen ex animo profitens: Beatus es Simon Bariona. Et paulo post apud eundem Euangelistam, immortalitatis specimen aliquod ostensurus in monte, non prius transfiguratur, quàm orasset. Et facta est, inquit, dũ oraret, species uultus eius altera, et uestitus eius albus ac refulgens. Nec alteri titulo dedicat ecclesiam suam, cuius typum gerebat templum illud Hierosolymorum, unde profligauit impuram turbam uendentiũ et ementiũ. Domus inquit, mea domus orationis uocabitur. Domus dei ecclesia est, in qua quisquis uersatur, uersaťaũt omnis uere Christianus, eũ non oportet aliud q̃ orare. Nam perpetuũ pie uiuendi studium, iugis est deprecatio. Dominus rogat pro Petro, ne deficiat fides illius: & rogat patrem ut aliũ paracletũ mittat discipulis, ne deficiant in afflictionibus. Peracta cœna, quã postremam egit ante mortẽ cum discipulis suis, sublatis in cœlum oculis prolixius orat, ut per Euangelium illustretur gloria patris, ut per Euangelij professionem seruentur non solum apostoli, uerumetiã omnes, qui ex uniuersis terræ nationibus, usq; ad mundi finem crediturí forent euangelio. Vbi iam ingruebat potestas illa tenebrarum, in orto non solum flexis genibus, sed facie quoq; prostratus in terram ter, ac prolixius orasse legitur: præcipuosq; discipulorum quum subinde reperisset dormientes, monuisse uigilarent & orarent ne uenirent in tentationẽ. Denicq; quum iam in ara crucis magnus sacerdos secundum ordinẽ Melchisedec peragit efficax illud & unicum sacrificium, quod & olim legis Mosaicæ typis adumbratum erat, & nunc quotidie sacri panis & calicis consecratione repræsentatur, ingenti clamore uociferans, orat patrẽ pro membris suis: Deus meus, deus meus, quur me deseruisti. Tãdem profert & illam omnium absolutissimam charitatem, orans patrem pro crucifigentibus, pro conuiciantibus & insultantibus. Tot exemplis dominus nos extimulare uoluit ad orandũ. Nunc obseruemus, q̃ Apostoli nõ degenerarint ab instituto præceptoris. Post ascẽsionem domini, ingressi cœnaculum, perseuerant unanimiter in oratione. Erant, inquit Lucas, omnes unanimiter perseuerantes in oratione, cum mulieribus & Maria matre Iesu & fratribus eius. Rursus suffecturi Matthiam in locum Iudæ, qui perierat, orant, Tu domine, qui corda nosti omnium. Hoc auspicio datus est spiritus, unde cœpit regnũ euangelicũ. Hoc auspicio sartus est numerus apostolici senatus. Hoc auspicio consecratus Euangelij prouentus ille primus quasiq̃ primitiæ, Quum enim uno die accreuissent discipulorum numero tria milia, quid subijcit Lucas? Erant inquit, perseuerantes in doctrina apostolorum et cõmunicatione fractionis panis & oratione. Mox Petrus & Ioannes orandi gratia petunt templũ circiter horã nonam, qua tum erat solenne Iudæis orare, atq; ibi pro foribus templi claudum sanant in nomine Iesu. Rursum quum Euangelij subolescentem indies gloriã sacerdotes ac pharisæi

Cap. 11
Lucæ 22
Ioan. 17
Matth. 26
Marc. 15
Acto. 1
Acto. 2
Acto. 3

minis

minis conarentur obruere, pusillus ille Christi grex non alio confugit quàm ad preces. Vnanimiter, inquit, leuauerunt uocem ad deum & dixerunt, domine tu qui fecisti cœlum & terram, & cætera. Et quum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto. Post ubi magis ac magis increuisset multitudo credẽtium, adeo ut apostoli prospicientes omnibus, cura rerum humiliorum grauarentur, non alio prætextu requirunt diaconos, qui mensis præessent, quàm ut ipsis uacaret instare doctrinæ sacræ & precibus. Nos, inquiunt, orationi & ministerio instantes erimus. Agnoscimus & otium & negotium Apostolicum, nihil aliud esse quàm docere & orare. Iam delectis septem diaconis, non citra precationem traditur autoritas ministrandi. Hos inquit, statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt illis manus. Stephanus inter lapidum uolitantium tumultus, flexis genibus orat: Domine Iesu accipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum. Extrema morientis uox, non gemitus erat, sed deprecatio. Erat Apostolis hæc potestas data peculiariter, ut impositione manuũ tra derent spiritum sanctum, ijs qui credidissent. Hac tamen non fungebantur, nisi prẽmissa deprecatione. Proinde Petrus & Ioannes in Samariam profecti, quod intellexissent et Samaritanos ex prædicatione Philippi, professionem Euangelicam ac baptismum recepisse, cæterum in neminem illorum adhuc uenisse spiritum sanctum: primum pro illis orasse leguntur, ut acciperent, deinde manibus impositis impertisse quod deerat. Quid ille mirabilis Euangelij propugnator Paulus, unde primum auspicatus est uitæ nouitatem? Nimirum ab orando, sic enim dominus loquitur Ananiæ: Et quære in domo Iudæ Saulum, nomine Tarsensem. Ecce enim orat. Quid est orat? Ambit Christianismum. Quanctꝫ autem dominus non semper orasse legitur in ædendis miraculis, quod ex sese naturaq; uirtutem haberet excitandi mortuos, quemadmodum & ipse testatur apud Ioannem: tamen Apostoli quoties idem faciebant orasse leguntur. Quum enim Petrus Aeneam paralyticum erigit Liddæ: Aenea, inquiẽs, sanet te dominus Iesus: quid aliud quàm orat? Rursum Ioppe Dorcadem excitaturus, petit solitudinem, flectit genua, & orat. Iam centurio Cornelius, cuius tantus fuit ardor fidei, ut prius meruerit accipere spiritum sanctum, quàm tinctus esset baptismo, quid audit ab Angelo? Orationes tuæ & eleemosymæ tuæ ascenderunt in memoriam in cõspectu domini. Oranti lætum nuncium adfert angelus. Et Petro oranti de conuersione gentium ostenditur uisio. Ascendit, inquit, Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam. Iam ubi Herodis sæuitia eò progressa fuisset, ut occiso Iacobo, Petrum Apostolorum principem conieciisset in carcerem, quid fecit ille iam numerosus Christi populus? Non insilijt in regem, non effregit carcerem, nullum concitauit in ciuitate tumultum, non confugit ad artes magicas. Quid igitur? nimirum, ut legitur, oratio fiebat pro eo sine intermissione ab ecclesia ad deum. Nec mora, liberatur ab angelo, moxq; petit domum Mariæ matris Ioannis, ubi erant multi congregati, orantes. Quin & Antiochiæ, quum Paulus & Barnabas insigniuntur Apostolici nominis autoritate, nihil fit absq; deprecatione. Tunc, inquit, ieiunantes & orantes imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et illis uicissim Listris, Iconij & Antiochiæ, quum per singulas ecclesias ordinant presbyteros adhibetur deprecatio, cum ieiunio. Quin & Philippis Paulus egressus è ciuitate, petit locum ubi futura erat solennis deprecatio, atq; illic Christo lucrifecit Lydiam purpurariã. Rursus euntibus ad orandum, obstrepit puella Pythoni obnoxia, & liberatur. Porrò quoties conueniebatur ad frangendum panem, eadem opera conueniebatur ad orandum: id quod priscis discipulis pene quotidianum erat. Isq; mos & in posteros deriuatus est, ut quoties episcopi aut alioqui celebres uiri coirẽt, primũ hospitalitatis auspicium esset deprecatio, deinde cõmunio, mox colloquium. Paulus Mileto soluturus non prius adit nauim, q; flexis genibus orasset cum omnibus fratribus, quorum aliquot exciuerat Epheso. Rursus Tyro proficiscens, steriles littoris arenas deprecatione conseuerat, sic enim legitur: Et positis genibus in littore orauimus. Nimirum hoc erat, quod præceperat, leuantes puras manus in omni loco. Eidẽ Thessalonicæ, carcer erat templũ. Quin etiam apud Agrippam ac Festum causam dicens in uinculis orat, optans à deo ut nõ solũ aliquantulũ sed uehementer omnes qui in eo consessu audiebant ipsum orantem tales redderentur qualis erat ipse, tantum exceptis uinculis. Orat & in naui cæteris exani-

Acto. 4
Acto. 6
Acto. 7
Acto. 8
Acto. 9
Ibidem
Acto. 10
Ibidem 12
Ibidem 13
Ibidem 16
Ibidem 20
Ibidem 21
Ibidem 26

matis metu,& donatæ sunt illi omnes animæ quotquot erant in naui. Idem omnes epistolas suas auspicatur à precando. Quid enim illa solennia: Gratia uobis & pax & cætera, aliud sunt quàm precatio? Idem est exordium omniũ, præter unicam ad Hebræos, quæ uel hoc argumẽto non uidetur esse Pauli. Pleraſq; precatione claudit: Ad Romanos hãc habet clausulã. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen. Ad Corinthios prior, hãc: Gratia domini nostri Iesu Christi uobiscũ. Charitas mea cum omnibus uobis in Christo Iesu Amen. Posterior hanc: Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei, & cõmunicatio sancti spiritus sit cum omnibus uobis Amen. Ad Galatas hãc: Gratia domini nostri Iesu Christi, cum spiritu uestro fratres Amen. Ad Ephesios hanc. Gratia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione Amen. Ad Philippenses hanc: Gratia domini nostri Iesu Christi, cũ spiritu uestro Amen. Nec dissimilis est clausula cæterarum omnium, etiam illius quæ inscribitur ad Hebræos. Has clausulas uidetur ceu symbolum adiecisse sua manu, etiam in his epistolis quas dictabat. Sic enim scribit ad Thessalonicenses secunda. Salutatio mea manu Pauli. Quod est signum in omni epistola: Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis Amẽ. Iam in medijs epistolis quoties erumpit uel in hymnum, uel in gratiarum actionem, uel in deprecationem, uelut oblitus instituti sermonis? Sic ad Philippenses: Et pax dei, quę exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias uestras in Christo Iesu. Rursus ad Ephesios capite tertio. Huius rei gratia flecto genua mea, ad patrẽ domini nostri Iesu Christi. & mox erumpit in hymnum: Ei autem qui potest omnia facere & cætera. Rursus orat scribens Romanis. Optarim anathema esse à Christo pro fratribus meis, & cætera. Ac mox erumpit in hymnum: Qui est supra omnia deus benedictus in secula Amen. Rursus orat cap. septimo. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rursum cap. undecimo disputationem interrumpit hymnus: O altitudo diuitiarũ & cætera. Multis autem locis testificatur, quod in quotidianis precibus suis memor esset omniũ qui credidissent Christo. Et horum mutuas preces, quanta solicitudine flagitat, quum alijs in locis, tum epistola ad Rom. cap. decimoquinto. Obsecro, inquit, ergo uos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti spiritus, ut adiuuetis me in orationibus uestris pro me ad deum, & cætera. Ab his exemplis precandi assiduitas defluxit ad maiores nostros. Adeo quicquid illis agebatur, aut erat deprecatio, aut deprecatione consecrabatur. Primum congressum auspicabantur ab orando, colloquium & conuiuium precibus interrumpebatur, digressio deprecationem habebat, somni initium erat deprecatio, qui frequenter & precibus interpellabatur. Vigiliæ matutinę principium erat deprecatio. Vnde manent hodie in ecclesia consuetudinis priscæ uestigia. Sunt preces nocturnæ, sunt matutinæ, quæ ad primã dicuntur, sunt tertiæ, sextæ & nonæ. Sunt uespertinæ, suntq; quæ cœnam sequuntur & somnum præcedunt, quas completas uocant. Si quò discedebatur, siue redibatur aliquo, siue quid noui tentabatur, precatione consecrabantur omnia. Adeo ut Philo de Christianorum instituto librum inscripserit, de uita contemplatiua supplicum. Poteram hic ex priscis historijs permulta colligere, quę nobis declarant, quantum fuerit patribus nostris orandi studium, ueluti de Iacobo, cuius genua ob frequentiam orandi, camelorum instar callum duxisse leguntur. Sed mihi non est animus deprecationis commendationem aliunde petere, quàm è sacris libris. Nam & ueteris Testamenti uolumina copiosam suppeditant materiam, hac de re disserendi. In quibus omnis sanctorũ sermo, quid aliud est quàm deprecatio? Psalmorum liber quid aliud habet, quàm perpetuum cum deo colloquium? Neq; parum multa suppetẽt indidem exempla, quàm potens & efficax res sit, pura ad deum deprecatio. In libro Geneseos, non arbitror Abel obtulisse sacrificium absque precibus. Certe Enos filius Seth, primus occupauit orandi laudem, de quo scriptum est capite quarto: Iste cœpit inuocare nomen domini. Artium humanarum inuentores tantum commemorati fuerant, solus Enos hoc elogio decoratur, quod autore deo successerit in locum Abel. Post diluuium egressus ex arca Noe, nihil prius curæ habuit, quàm ut ædificaret altare domino, & immolaret holocausta. Abraham ut primum audiuit terræ promissionem, extructa ara, inuocauit nomen domini: idem subinde fecisse legitur, quoties mutauit sedem. Ex-

ibid. n 27

Philip. 4

Rom. 9

Genes. 12

emplum

emplum hoc imitati sunt cæteri quoq; patriarchæ, ne singula persequens tædio grauem lectorem. Eiusdem operis capite uigesimo, orat Abraham, & à morte liberatur Abimelech: & huius uxor, atq; ancillarum grex, sanatur à sterilitatis uitio, quod illis immiserat iratus dominus. In Exodo Moses orat dominum, & intereunt ranæ, quæ totam occuparuerant Aegyptum. Iterum orat, & desinunt tonitrua grandoq; uastare regionem Aegypti. Cap. 8
Rursus quum offensus deus, ob uitulum aureum, quem pro deo coluerant Aegypti, Ibidem 9
orum more, parat uniuersum populum internicione delere, deprecatus est Moses pro po Ibidem 23
pulo & placatus est dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduersus populum: sed ante, fortuna belli cum Amalachite pendebat à brachijs Mosi deprecãtis in mon Num. 10
te. Non sine precatione mouebatur arca. Dicebat enim Moses: Surge domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderũt te à facie tua. Nec sine precatione deponebatur: Num. 11
Reuertere domine ad multitudinem exercitus Israel. Precatione dabatur signum belli, precatione canebatur receptui. Rursum quum ignis domini deuoraret extrema castrorũ Ibidem 12
Israel, clamauit populus ad Mosen, Moses clamauit ad dominum, & subito absorptus est ultor ignis. Clamat idem ad dominum, & Maria quæ Mosi detraxerat, lepra liberatur. Iterum murmurat populus aduersus dominum, & paratur ultio. Sed Moses blanda Ibidem 14
deprecatione mitigat accensam iram dei. Et audit: Dimisi iuxta uerbum tuum. Iam quum Ibidem 16
deus offensus seditione Chore pararet uniuersam multitudinẽ internicione delere, Moses & Aaron prona facie se prosternentes in terram, precibus impetrarunt à domino, ut pœna non inuolueret nisi paucos seditionis autores, quos terra dehiscens uiuos absorbuit. Mox ubi recruduisset populi murmur aduersus Mosen & Aaron, rursusq; dominus pararet extinguere rebellem populum, orant prostrati in terram, iussuq; Moysi Aaron stans inter mortuos, quos ignis domini cõsumpserat, & inter uiuos iam morti proximos incendit thymiama, precibus dñm exorans, ut cessaret plaga, quæ iam absumpserat supra quatuordecim milia hominum septingentos. In deserto quum populus siti deficeret, Exod. 20
ac res spectaret ad seditionem, Moses & Aaron proni in terram orant, & aquarum uis eli Exod. 2
citur è petra. Iterum orto murmure ob itineris prolixi tædiũ, deus iratus immiserat in populum serpentes igneos, multisq; cadentibus multitudo territa, clamauit ad Mosen, Moses clamauit ad dominum. Erigitur serpens æneus, qui conspectus liberaret illos à mortis discrimine. Mosi successor Iosue precibus ad dominum fusis, solis ac lunæ cursum retis discrimine. Mosi successor Iosue precibus ad dominum fusis, solis ac lunæ cursum retis discrimine. Mosi successor Iosue precibus ad dominum fusis, solis ac lunæ cursum re-
moratus est donec ultus esset hostes suos. Sic enim legis Iosue cap. decimo. Tunc loquutus est Iosue domino, nimirum implorans auxilium domini, mox loquutus est soli & luneq; Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra uallem Haylon. In libris regum tacite 1. Regum 1
precatur Anna coniunx Helcanæ, & pro sterili fit mater felicissimæ prolis laudatissimi Samuelis. Qui quum populus Israeliticus expauisset ad rumorem irruentium Philisteorum, clamauit ad dominũ, & exaudiuit eum dominus. Vicit Israel, domino pauorem om Cap. 7
nem in hostem uertẽte. Idem clamauit ad dominũ, & in tempore messis subito orta est ingens tempestas tonitrui atq; hymbrium. Non arbitror hic prætereundum, quomodo Da
uid tam atrox uariumq; crimẽ & iram domini supplici precatione diluerit ac placarit. Idẽ
cap. 24. plagam domini sæuientem in populum, precibus mitigat, immolato sacrificio in
arca aureuna. Salomon quod prudenter petit à domino, multo cum fœnore cumulatum 3. Reg. 3
impetrat. Rursus templum iam extructũ exornatumq; prolixa dedicat precatione. 3. Reg. 3. Reg. 17
Cap. 8. Helias clamauit ad dominum, & in uitam reuocat Saraptanæ filium. Idem precatione non longa impetrauit ignem de cœlo, qui consumeret totam uictimam toties aqua Ibidem 18
perfusam. Rursum orat pronus in uertice Carmeli, & post diutinam siccitatem subito ingens pluuiæ uis oborta est. Huius successor Helizæus hospitis suę puerum, uitæ restituit, 4. Reg. 4
fusis ad dominum precibus. Ezechias rex mortem à domino denunciatam, precibus remoratur in annos quindecim. Vbi reditur ad instaurandum templũ domini, non petun- 4. Reg. 2
tur auxilia à rege, sed precibus ac ieiunio prosperatur iter. Ac Neemias nihil postulat à rege, nisi prius cõprecatus dñm cœli. Orat & Tobias, orat & Sara filia Raguelis, & utriq; 1. Esd 9
pro tristibus lætiora succedunt. Tribus noctibus orat Tobias filius cum Sara uxore, & iugulato dæmonio, felix coniugium pro funesto contigit. Nónne fortissima uirago Iudith, Holophernẽ hostem orãdo deiecit? Nec Hester pulcherrimũ facinus aggreditur, nisi prius triduanis ieiunijs ac precib. implorato fauore numinis. Daniel quũ seruiret impio

regi

Cap.2 regi,tamen ter in die flexis genibus orabat dominũ.Orauit Ionas de uentre ceti clamans ad dñm,& redditus est uiuus.Iam superstitiosæ cuiusdam diligentiæ uideatur si pergã ex singulis prophetis orandi uel præcepta,uel exempla colligere,quũ totus illorũ sermo nihil aliud fere sit,q̃ deprecatio,Hæc abunde suffecerint ad declarandum,quanta fuerit antiquis orandi cura,quamq; diligenter nobis dñs Iesus eiusq; discipuli precandi assiduitatẽ instantiamq;,tum præceptis,tum exẽplis cõmendarint.Habebat ethnicorũ superstitio in depellendis malis,in auspicandis rebus,in agendis gratijs,in coniectando rerũ euentu, suas expiationes,procurationes,auspicia,auguria,omina,oracula,anulos,incantamenta, triũphos,ouationes,supplicationes,sine quibus in prælijs nõ ibatur,nõ suscipiebatur magistratus,non adibatur hæreditas,non ducebatur uxor,non tentabatur nauigatio,nõ designabantur extruendæ urbi pomœria,non cõsultabatur de negotio publico, nõ fiebat cõcio apud populũ,non expiabantur fulmina,aut portenta, nos pro tam multis unicum ac simplex habemus præsidium,sed illis omnibus efficacius,uidelicet puram ad deũ deprecationẽ.Pro triumphorũ,ouationũ,& supplicationũ inanibus põpis, habemus hymnos & gratiarũ actiones. Verum hic fortasse nobis aliquis mouerit quæstionẽ. Quũ dñs interdixerit Apostolis suis in orando multiloquiũ,testeturq; patrẽ scire quid nobis sit opus, etiã anteq; petamus,quur apud Lucã idem doceat assidue orandũ nec unq; cessandũ ab
Matth.6 orando? Similiterq; Paulus iubet nos citra intermissionẽ precari. Hæc sibi non uidentur constare.Deinde,quid opus sit assiduis ad deũ clamoribus,quũ ille non ignoret,quid requirat nostra necessitas.Quod si tale est,ut cõducat saluti nostrę,ille uel ultro daturus est: Sin minus,ne rogatus quidem dabit.Postremo qui cõsistit,ut damnet in precando multiloquiũ,quũ ipse legatur in orto & orasse prolixius,& ter eundem sermonẽ inter orandũ repetisse.Ad quorũ singula ut paucis respondeã:Quemadmodũ hymni & gratiarũ actiones nõ in hoc à nobis requirũtur,ut hinc quicq; cõmodi accedat deo,sed ut nostra imbecillitas exercitamentis huiusmodi discat magis ac magis metuere uenerariq; dei magnitudinẽ,magis ac magis amare bonitatẽ,crebra contẽplatione maiestatis illius,ac beneficiorũ illius in nos cõmemoratione:Ita nobis expedit orare frequenter,nõ ut deus discat à nobis,q̃d sit opus,sed ut adsuescamus ea quib. egemus ab illo sperare,utq; desideriũ æternæ uitę magis ac magis accẽdatur in nobis,dum frequẽter hic animum intẽdimus,ut ardẽter petamus ab eo,qui solus dare potest.Frequentes hymni docent nos,omnem gloriam uni deo debere. Crebra gratiarum actio,docet quicquid in nobis est boni,id totum dei beneficentiæ:ita nõ meretur accipere tantam felicitatem,qui eam non desiderat,aut desiderat frigide. Porro qui uehementer aliquid amat ac sperat,non potest nõ frequenter optare,ut quod amat cõtingat. Quid est igitur non cessare ab orãdo? per omnem uitam desiderare summũ illud bonum,quod nobis in futuro seculo promittitur. Ad hunc scopum, quum homines pij dirigant quicquid agunt interim in hac uita,siue comedunt,siue bibunt,siue dormiunt,nimirum tota illorum uita perpetua quædam est deprecatio,Sic enim loquitur Raphael Tobiæ: Quando orabas cũ lachrymis,& sepeliebas mortuos,& relinquebas prandium tuum, & mortuum abscondebas per diẽ in domo tua,ego obtuli orationem tuam domino. Nimirũ totũ hoc quod agebat,erat oratio.Quoniã autem animus ob huius corpusculi necessitatem frequenter in multas curas distrahitur,ad excitandum huius desyderij scintillam,expedit frequẽter animum ab huius seculi curis auocare,quo secretis precibus incalescat in amorem uitæ cœlestis. Præstat & hoc instans deprecatio, ut copiosius quod petitur accipiamus. Nam uehementer optasse quæ nobis promisit deus, est quodammodo promeruisse.Porrò siquando legimus uota sanctorum per angelos internũcios perferri ad deum,
Cap.3 quemadmodum Raphael Thobiæ preces dicit se pertulisse ad dominum, atq; in Apoca
Cap.8 lypsi Angelus adstat altari gestans thuribulum aureum, unde gratissimus suffitus aro-
Cap.10 matum ascendens perfertur usq; ad cõspectum dei. Rursus in actis legimus, quod preces & eleemosynæ Cornelij ascenderint in memoria in conspectu dei. Quin & Paulus scri-
Cap.4 bens Philippensibus,monet ut petitiones illorum innotescant apud deũ.Hæc,inquam,& huiusmo-

huiusmodi si quando sunt obuia in sacris literis, non sic accipienda sunt, quasi quẽ admodum rex aliquis per nuncios discit quid alibi gestum sit, aut per assistẽtem admonetur, cuius fuerat oblitus, ita per angelos internuncios rescisca deus quid nos optemus: aut commonefiat quid fecerimus: aut nostro clamore discat, quid desideremus, qui melius nouit corda nostra, quàm nos ipsi, aut mentes etiam angelicæ. Sed hic est arcanæ scripturæ mos, ut hominibus humano more loquatur. Quod rogari uult, nostra causa uult, & ipsi potius orando discimus quid nobis sit opus, quàm ille. Deniq; si quando angelorum ministerio utitur, nõ sic utitur, quasi usquam illis ministris egeat, sed sic rectius intelligimus, quantopere curæ simus deo, qui nobis angelos suos curatores & protectores addiderit. Et angeli fruuntur charitate sua, dũ perlatis ad deũ uotis nostris, dei dona uicissim ad nos ferunt. Ad hæc iuxta scripturarũ idioma ignorare dicitur dominus quod non approbat. Sic non audit preces illorum, qui non sicut oportet petunt. Rursum innotescunt illorum petitiones, qui sic orant, ut mereantur audiri. Proinde Paulus præmisit, ut nihil soliciti simus, sed in omni oratione, & obsecratione, cũ gratiarũ actione, petitiones uestræ innotescãt apud dominum. Non audiuntur soliciti, qui præsidio cœlesti diffisi, fidunt humanis opibus aut ingenijs. Non orant & obsecrant, qui non orant instanter. Non orant cum gratiarum actione, qui quoniã quod accipiunt, suis asscribunt meritis, potius quàm benignitati diuinæ, non tribuunt gloriam deo: non innotescunt illorum preces apud deum, qui cum Pharisæis stant in angulis platearum, & sub prætextu prolixæ precationis deuorãt domos uiduarum. Iam si cui uidetur impossibile, ut homo nunq; cesset ab orando, quod apud Lucam præcipit dominus: aut sine intermissione precetur, quod docet apostolus: aut intelligat totã piorũ uitã esse fugem ac perpetuã orationẽ, donec cõtingat summum illud bonũ, quod semel adepti desinamus torqueri desiderio: aut putet hic esse tropũ, qui dicit hyperbole, ut accipiat eum indesinẽter orare, qui frequẽter & instãter orat, nec desinit à precib. donec quod petit impetrauerit. Sic dictũ est: Clama, ne cesses, exalta ut tuba uocẽ tuã. Nec interrũpitur deprecatio, etiã si remittatur ad tempus illa mentis intentio, nisi ponatur eius rei desiderium quam petimus. Supereſt ut ostendamus qui consistant quæ uidebantur inter se pugnare, pugnant enim in speciẽ: Nolite multum loqui, &, sine intermissione orate. Cuius quæstionis nodum forsitan sic expedierit aliquis, ut respõdeat, non interdici nobis prolixiorem in precibus affectũ, sed loquacitatẽ. Verum huic protinus respondebitur, Christum non solum orasse prolixius, uerũ etiam eundẽ sermonem ter repetisse. Idem Luc. cap. 6. pernoctat in oratione dei, quæ si uocalis fuit, ut fuisse probabile est, nõ potuit esse breuiloqua. Proinde quũ dñs Matth. 6. docet discipulos suos, ne in orando multiloqui sint, nihil aliud docet, quàm ne credãt deum inani uerborum strepitu flecti rem eandem subinde flagitantiũ. Nam Græcis est βατταλογήσαι. βατταλογεῖν autem illis dicitur, qui uoces easdẽ frequẽter iterat sine causa, uel loquacitatis, uel naturæ uel cõsuetudinis uitio. Alioqui iuxta præcepta rhetorũ nõnunq; laudis est iterare uerba, quemadmodum & Christus in cruce clamauit. Deus meus deus meus: non erat illa βατταλογία, sed ardens ac uehemẽs affectus orantis. Non est loquax deprecatio, q̃ diu respondet affectui. Nõ est battologia, quoties ardor animi, ueluti flamma subinde maior emicans, exprimit easdem uoces: alioqui deprehendes in omnibus psalmis sanctam quandam ac pe-
ne perpetuam battologiam. Domine ne in furore tuo arguas me. Id semel dictum inculcat, neq; in ira tua corripias me. Miserere mei deus secundum magnam misericordiã tuam. Id iterat: Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Huius uersiculi clausulã recinit in proximo, Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Nec hoc satis affectui regis: Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me deus, & spiritũ rectũ innoua in uisceribus meis. Eandem battologiam animaduertere licebit in præceptis ueteris testamenti, atq; adeo in præceptis Christi, præsertim apud Ioannẽ. Quoties iterat eadẽ, dum illis infigere studet charitatem mutuã, fiduciam in ipso, & precandi instantiam? Non est hæc ethnicorũ battologia, sed uel affectus pij uehementia, uel studium inculcandi, cuius non meminisse pernicies esset. Itaque dominus nõ simpliciter dixit, nolite multum loqui, sed adiecit, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimulari eis. Habent hanc battologiam etiamnum ueteres poetarum hymni, quos in deorum

Marc. 12

Esaiæ 58

Psal. 6
Psal. 50

Matth. 6

deorum ſuorum laudē cōpoſuerunt, in quibus nonnunq; unus deus quadraginta diuerſis nominibus inclamatur, ut ex tam multis, unū ſaltē agnoſcat. Talis erat oratio prophetarum, quos legimus inclamaſſe nomen Baal, à mane uſq; ad ueſperam nihil aliud dicentes, q̄: Baal exaudi nos. Et ijdem à meridie, maioribus etiam clamoribus fatigare cœperunt deum ſuū. Nec defuerūt hæretici, quos Pſallianos ſiue Euchitas appellant, qui dum, quod dominus dixerat, nunq; ab orando ceſſandum, & quod Paulus iubet, ut ſine intermiſſione oremus, perperam acciperent, totos dies nihil aliud quàm repetebant pſalmos ac preculas, in hoc concertantes, ut qui quamplurimum pſalmorum euoluiſſet, is uideretur cæteris ſanctior. Et tamen ne ſic quidem præſtiterunt, quod iuxta grammaticum ſenſum ſonat, nunquā ceſſandum ab orando, & ſine intermiſſione orate. Certe uel cibus ac potus, certe uel ſomnus, certe uel tuſsis, ſternutatio aut oſcitatio interrūpebat illorum preces. Verum hac de re fortaſſe plura, quum locus admonebit nos de modo precandi nōnulla diſſerere. Vt igitur q̄d pollíciti ſumus, breuiter abſoluamus: primū conſiderandum eſt, quis ſit is quem oramus, & quis ſit is qui orat. Si cum Cæſare ſit loquendum, quanta ſolicitudine ſeſe cōponat, ne quid ſit in cultu, in corpore, aut in uerbis, quod Cæſaris offendat oculos? Et tamen hic homini cū homine res eſt: mortali cū mortali. Proinde qui parat adire thronum diuinæ maieſtatis, quā ipſæ quoq; tremunt angelicæ poteſtates, quāto ſtudio par eſt ut ſeipſum cōponat, ne quid ſit quod offendat oculos dei? Regi nō loqueris, niſi flexis in terrā genibus, & deo loqueris erectus, nō dico corpore, ſed arrogātia, ſed fiducia tui. Hominē regē non audes appellare, niſi pura ueſte, pexo capillitio, loto corpore, ac fortaſſis etiā unctio, ne quid offendat pedor: et dñm appellas tot modis inquinata cōſcientia? Multis, apud príncipes mūdi dicturis, pudor ac reuerētia ſublimitatis, licet humanę, uocē ſimul ac mentē admít: & tu oſcitās ac uelut aliud agēs loqueris deo tuo? Deo clamas: Exaudi orationē meam, auribus percipe uerba oris mei, nec ipſe percipis interim quę loqueris. Ne quid interim loquar de iſtis, qui lingua ſonātes ſacras preces, oculis laſciuiūt, animo uerſant obſcœna. Cęterū ne quē ab orando deterreat dei cōſiderata maieſtas, illud ſecum cogitet, eundē nulla re maiorē eſſe, q̄ miſericordia & charitate erga genus humanū. Accedis ad conditorem, ſed idem redemptor eſt. Adís dominum omni, ſed idem pater eſt ipſi fidentium. Adís iudicē, ſed eum, qui filiū unicū tradidit in mortē, ut omnes ſeruaret, condēnaret neminē. Adís iuſtū, ſed interim tēpus datū eſt miſericordiæ. Et quoniā iuſtus eſt, non poteſt fallere promiſsis: promiſit aūt per filiū, ſe nihil negaturū iſs, qui cū fiducia petunt in nomine filij. Interim & teipſum contēplare precator. Homūculus accedis ad ſoliū dei. Deo nihil cogitari poteſt ſublimius: homine uero q̄d abiectius, qui etiā ſi pius ſit, & innocēs apud homines, tamē omniū hominū puritas, impuritas eſt, ſi ad diuinā puritatē conferat. Quid igitur hic faciet homo? Erigat ſeſe oportet in altū, ut cū eo qui in cœlis habitat, imò qui ſupra cœlos omnes, atq; adeo ut melius dicā, qui ſublimitatē omnē quæ dici uerbis, aut animo cōcipi queat, tranſcendit, loqui poſsit. Et noua quadā ratione fit, ut quo magis ſeſe deiecerit, hoc deo fiat uicinior. Procul aberat à deo Phariſæus ille, qui proximus propitiatorio cōmemorabat ſua beneficia, & cæteros homines prę ſe faſtidiebat. Publicanus qui procul ſtans orabat, propius ad deū accedebat. Excelſus ēm eſt dñs, & humilia reſpicit, alta uero à lōge cognoſcit, faſtidit faſtidioſos, & reſpicit in deprecationē humiliū, & nō ſpernit precē illorū. Vis audire q̄ res ſit ſublimis, hominis ſeſe deijcientis deprecatio? Docet hoc ſapiens ille Sirach: Oratio, inquit, humiliātis ſe, nubes penetrabit, & donec propinquet nō cōſolabitur, & non deſcendet donec altiſsimus reſpiciat. Eſt & hodie uidere quoſdā ſuperbos deprecatores, qui quū ſint laici, tamē opibus aut ſtemmatis ſuis turgidi irrumpunt in chorū ſacerdotum, eosq; nonnunq; ſuis depellunt ſedibus. Nulla ſpecies orātis in geſtibus aut uultu, diceres illos in theatro quopiā oſtentare ſeſe. Principi datur tentoriū aureum proxime altare, nonnunq; & ſupra, Vidimus & pleheios homines, depulſis alijs, ſic ingerētes ſeſe ad altare, ut ſacrificū cōtingerent, atq; etiā nidore ſuo afflarēt, quaſi deo propiores q̄ cæteri qui procul abſiſtunt, citius exaudirētur. Quin etiā illud morientes ambiūt, ut in ſanctis ſanctiorū proxime ſummā arā ſepeliantur: quaſi deprecationes quæ fiunt pro defunctis, citius ad ipſos q̄ ad alios peruēturæ ſint. Dicet aliquis, quomodo fiet, ut me deijciendo erigam ad eum, qui eſt ſuper omnem altitudinem, erigēdo deijciā? Si uis uolare ad deum (nam omnino deprecatio uolatus quidam eſt animæ

1. Reg. 18

Pſal. 4

Quis oret

Luc. 18

animę) ſarcinam carnis deponas oportet, & alas induas. Quomodo ſubuolabit in cœlum animus plumbeo peccatorum onere depreſſus? Quomodo ſeſe ſubriget in ſublime, qui tanto auri, argentiq; degrauatur pondere? qui præter terrã nihil habet in pectore? qui totus eſt carneus? Pater tales quærit deprecatores, qui ipſum orent in ſpiritu. Itaq; ſpiritus *Ioan. 4* fias oportet, ut ſpiritus ſpiritum alloquaris. Si peccator es abijce peccatorũ ſarcinã, exue peccandi affectus, deijce teipſum in ſacco & cinere: cum publicano ſubducito te à ſacris, proſtratus in terram tunde pectus: cũ Magdalena plora demiſſus ad pedes Ieſu: cũ Petro exi uelut indignus cõſpectu domini, & amare fleto: ſis in principio accuſator tui: nihil aliud appella q̃ dei miſericordiam: ſic à deo recedens propinquus fies deo. Si criminũ moſe grauatus nõ es, tamen deprecaturus, ſordidas humilesq; curas tantiſper abijce, dum cum altiſsimo loqueris: expurga ſi quod maleuolẽtiæ fermentũ reſedit in animo tuo aduerſus proximũ: ac leues etiam culpas, ſine quibus hæc uita non tranſigitur, dilue. Hinc mos inoleuit apud Chriſtianos, ut ingreſſuri ſacram ædem orandi gratia, ſemet luſtrent aſperſione aquæ conſecratæ. Quin & hoc ipſum corpuſculum, quod circunferimus multis obnoxium infirmitatibus, aggrauat animam, ac terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa *Sap. 9* cogitantem. Et ſi fas eſt hic Horatij uerbis uti, Corpus onuſtum Externis uitijs animum quoq; degrauat ipſum, Atq; affigit humo diuinę particulã aurę. Qui diuites ſunt in hoc ſeculo, uelint nolint coguntur frequẽter humi repere: pauperes uero hinc interpellat uxor indotata, hinc liberi deſtituti. Cæterũ qui ſimul & uxoris, ac liberorum, & affinium cura degrauati ſunt, & opibus onerantur, & honorum ac magiſtratuum mundanorum ſarcinam ſuſtinent, ac negociorum undis obruuntur, hi nimirum piſcibus adſimiles ſunt, immerſi craſsiori elemento, & reciprocis undarum motibus huc & illuc uacillantes: ſunt tamen & mundi piſces, qui pinnulas habent, quibus nixi, ſubinde ſaltu promicant in auram puriorem: quidam etiam uolatũ meditantur. Quid igitur iſtis ſuadebimus? Quid niſi ut orent dominum, ut dignetur ipſos Euangelico reti captos pertrahere ad littus uitæ tranquillioris. Sed quodcunque genus animantis ſit homo, metamorphoſim accipiat oportet, ut ex reptili, quadrupede, aut piſce fiat uolucris: fiet autem, ſi ſumat alas columbæ, quas optat pſaltes ille myſticus, qui multis oneribus degrauatus: Quis, inquit, *Pſal. 54* dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & uolabo & requieſcam? Innoxia quidem auis eſt *Cap. 6* columba, ſed perniciſsimi uolatus. Huiuſmodi columbis delectatur in cantico ſponſus. Columba eris, ſi nulli malum cogites, ſi neminem iudices, ſi de nullo perperam ſuſpiceris. Verum alas, inquies, unde? Duas indicabo, quibus facile ſubueharis in cœlum: altera eſt contemptus rerum mundanarum: altera deſiderium rerum cœleſtium. Altera te ſubmouebit ab his quæ ſunt carnis, quẽadmodum ſacer ille pſaltes, iam impetratis alis dicit. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. altera te admouebit throno dei. Felix eſt ſolitudo, quæ ſubducit animũ noſtrum ab omni conſortio uitiorum aut malarũ cupiditatum, atq; etiã quantũ fieri poteſt, ab omni ſtrepitu ſolicitudinum carnis, ad quas tamẽ ipſa neceſsitas nonnunq; reuocat, interdũ & fraterna charitas. Vis audire priorẽ alam loquentẽ? Audi: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Audis uotũ *Rom. 7* geſtientis ab his quæ uidentur prorſus auolare. Vis audire alteram? Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutũ, cõcupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Et, ſicut cer- *Pſal. 83* uus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te deus. Audis affectum aſpirantis ad immortalitatis cõtuberniũ. Cõmonſtrauit nobis utrãq; alam Paulus ad Coloſ. 3. Si cõſurrexiſtis cũ Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei ſedẽs, quæ ſurſum ſunt ſapite. Habes alã ſubuehentẽ ad cœlũ. Addit nõ quæ ſuper terrã. Habes alam fugientẽ. Eam clarius indicat paulo inferius. Mortificate ergo, inquiens, mẽbra ueſtra quæ ſunt ſuper terrã. Mẽbra uocat cupiditates carnales. Ac mox: Expoliantes uos ueterẽ hominẽ cũ actibus ſuis, & induentes nouũ. Vetus homo terrenus eſt, & ideo ſubuolare neſcit, ſed in terrã pronus nihil amat aut quærit niſi terrenũ. Cęterũ quiſquis in nouum hominem transformatus fuerit, is quoniã ea quæ prius faciebat plurimi, nunc ducit pro ruderibus: & quæ prius exiſtimabat ingẽs eſſe lucrum, nunc iudicat eſſe damnoſa, ex pecude terreſtri factus eſt uolucris cœli, factus eſt colũba, habetq; duas alas quib. ſe ſubrigat ad thronũ dei. Hactenus cõſideratum eſt, quis q rogatur, et quis qui rogat. Monet hic temporũ ſtatus, ut obiter paucis diſcutiamus, ad quẽ ſit dirigẽda precatio. Videmus aũt

ſolẽnes eccleſiæ preces à priſcis nobis traditas, de his ſentio quas collectas uocãt, pleraſque dirigi ad patrem, nonnullas ad filium, nullas ad ſpiritum ſanctũ, in omnibus tamẽ fere trium perſonarũ mentionẽ. Idq; tanta religione uidemus à ueteribus obſeruatũ, ut ne in his quidem, quibus multis utitur in feriis Pentecoſtes, ulla ſit quæ ſpiritũ ſanctũ appellet. Hoc duntaxat in his, quas ſacerdos pro toto populo pronunciabat. Cæterũ in cantionib. quas populus decantabat, non uitatur inuocatio ſanctiſpiritus, uelut in proſis, hymnis, et antiphonis. Tanta erat antiquis religio, ne quid auderent, quod diuinis literis nõ eſſet expreſſum. Ideo fere precationes omniũ diriguntur ad patrẽ, quia palam & crebro legunt apoſtolos admonitos ut patrẽ cœleſtẽ oraret, ſed in nomine filij, Et filius in Euãgelijs frequenter orãs patrẽ alloquitur, ſpiritũ ſanctũ promittit, nõ orat. In ſolo Ioanne quum toties iubeantur rogare patrẽ in nomine filij, ſemel duntaxat legitur, Si quid petieritis me, in nomine meo hoc faciã. Quanq̃ hoc pronomen me non additur in pleriſq; Græcis codicibus, ac ne in Latinis quidẽ omnib. Certe Theophylactus nec legit nec interpretatur, haud dubiũ interpretaturus ſi legiſſet, quũ illic pugnet aduerſus Arianos, ex his uerbis, Si quid petieritis hoc faciã, arguẽs æqualẽ filij poteſtatẽ cũ patre: collecturus idẽ efficacius, ſi ſcriptum fuiſſet, ſi quid petieritis me. Quanq̃ hic obſtrepit ſcrupus, qui conſiſtat, ut quis petat aliquid à Chriſto in nomine Chriſti, niſi forte petimus, ab homine Chriſto in nomine filij dei: tametſi Stephanus in actis, nihil ueritus eſt dicere: Domine Ieſu accipe ſpiritũ meum. Proinde hic ſermo nõ eò ſpectat, ut dubitetur an ſit inuocãdus ſpiritus ſanctus, ſed ut dicturus de inuocandis diuis, indicẽ q̃ anxia fuerit maiorib. religio ſuſcipiẽdi, quod auctoritate manifeſta ſacræ ſcripturæ traditũ nõ eſſet, præſertim in his quę ſuperãt humanũ intellectũ. Eadẽ religione fuit ſanctus Hilarius, q̃ poſt diuturnũ ſilentiũ, duodecim libris inſtantiſsime contendit, ut filiũ doceat uerũ deũ, quũ ſolus pater dictus ſit in Euangelio uerus deus: ſpiritũ ſanctũ nuſq; quod ſciã audet pronunciare deũ, nec adorandũ profitetur, ſed promerendũ: eundẽ creaturã reueretur dicere, quũ Hieronymus nõ uereatur filiũ dei pronunciare creaturã. Nos diligentius excuſsis ſacris uoluminibus, ac maiorũ autoritate freti, nõ ueremur filiũ dei appellare uerũ deũ, & ad illũ noſtras p̃ces dirigere, nõ hoc animo quaſi quicq̃ poſsit dare filius quod non daturus ſit pater: ſed quod perſuaſum habeamus filiũ idem uelle, idem poſſe, quod uult & poteſt pater: quanq̃ pater autor & fons eſt omniũ. Et fortaſsis hæc eſt bona pars Chriſtianæ religionis, in rebus diuinis uenerari omnia, nihil aũt affirmare, præter id quod in ſacris literis palàm expreſſum eſt. Iam quanq̃ ſatis cõſtat & apud ueteres orthodoxos inuocationẽ ſanctorũ fuiſſe, præcipue martyrũ: tamen illud inter pleroſq; cõuenit, ex ſcripturis canonicis doceri nõ poſſe, ſanctorũ inuocationẽ eſſe neceſſariã. Nec in ſolennib. precib. ulla precatio dirigitur ad ſanctũ aliquẽ, ſed uel à patre, uel à filio petitur, ut illorũ interceſsio ac merita proſint, eorũ memoriã pie colentibus, ac ueſtigijs illorum ingredi ſtudentibus. Nullus autem ſanctorum eſt, qui dicere poſsit, quicquid petieritis à patre, in nomine meo, aut ſi quid petieritis à me, hoc faciam. Sanarunt ægrotos Apoſtoli, ſuſcitarunt mortuos, ſed in nomine Ieſu, ſed inuocato patre: cuius nomem etiam ſi non exprimatur, tamen inuocatur in filio quemadmodum & clarificatur in filio. Nunc duplex mouetur quæſtio: An pium ſit, inuocare ſanctos, & an ſit tolerandum. Etenim his qui contendunt, ideo non ferendam ſanctorum inuocationem, quod id nobis non tradat aperte ſacrarum literarum autoritas, reſponderi poterat, probabilius colligi: Si ſcriptura nec p̃cipit nec uetat, ideo nec exigendã ut neceſſariã, nec prohibendã ut impiã. Quandoquidẽ ipſa rei natura cũ impietate cõiuncta non eſt, ut interim hoc iſtis largiamur quod aſſumunt, nihil exigi poſſe cõſtitutionib. hominũ, q̃d nõ expreſſum ſit in literis Canonicis. Hoc certe dogma fallit in ꝓpetua uirginitate Marię matris Ieſu, quæ quũ ſacrarũ ſcripturarũ euidentib. teſtimonijs doceri non poſsit, tamẽ quoniam magno conſenſu nobis à priſcis orthodoxis tradita eſt per manus, nemo tolerandũ exiſtimaret, qui aſſeueraret, illã ædito domino poſt à uiro cognitã fuiſſe, ac fortaſſe ne illũ quidẽ qui hac de re ambigeret. Quod ſi reſponderint, ideo nõ tolerandũ hũc aſſeueratorẽ, aut dubitatorẽ, quod probabilẽ opinionẽ, iam olim magno cõſenſu gentiũ probatã conetur cõuellere: id quod abſq; turbatione publicę tranquillitatis magnoq; Chriſtiani gregis offendiculo fieri non poteſt: obijci poterit, & ſanctorũ inuocationẽ ſimili cõſenſu traditã à priſcis orthodoxis, eoq; non leuiori ſcandalo poſſe labefactari. Non hic audiã iſtos qui

Cap. 7

qui obijciunt exemplum erroris inueterati. Aliud est quippiam quocunq; modo inoleuisse, aliud est rem natura piam ab his fuisse traditã, qui uicini fuerunt temporibus apostolorum, magnoq; & longo totius orbis Christiani consensu fuisse cõprobatã. Nec mihi uidetur leue argumentũ, quod Hieronymus adfert, pugnãs aduersus Vigilãtium. Si pij dũ adhuc mortale corpus circũferentes nec omnino carẽt peccatis, & egent alienarũ precũ intercessione, tamẽ audiuntur orãtes pro fratribus: quãto magis credendũ est, eosdẽ iam exuta mortalitate, omniq; uitæ huius contagio liberos, posse aliquid apud deũ, præsertim cũ neq; fraternã charitatẽ, neq; nostri studiũ cũ uita posuisse credẽdũ sit. Certe dubitari nõ potest, quin hi qui iam in cœlis agũt, uotis ardentissimis optent salutẽ omniũ, qui Christi nomen profitentur. Et si quũ in uiuis essent, orabãt etiã pro his, qui erant à Christo alieni, atq; adeo pro ijs à quibus affligebãtur & occidebãtur: qui consentaneũ est eosdẽ nũc nec pro fratribus periclitãtib. orare, nec quicq; apud deũ posse, pro cuius amore sese tradiderunt in mortẽ? Et si pie faciebat, qui Paulo in terris agenti dicebat: Ora pro me dñm: impius habebitur, qui totidẽ uerbis appellet eundẽ nunc agentẽ in cœlis? Si responderint, hic esse statũ promerendi, post hanc uitã nõ item: regeri poterit in eos ipsorũ dogma, siquidẽ hoc quod afferũt nõ est expressum in sacris literis, uidelicet post hanc uitã pios nihil promereri. Et si demus sanctos uita defunctos nihil promereri, certe pius ille affectus non potest nõ esse deo gratissimus, quo sanctos amore Christi ueneramur, imò in quibus Christũ ipsum ueneramur. Et ideo imploramus illorũ intercessionẽ, quod nos iudicemus indignos qui deũ ipsum appellemus, ac psuasum habemus, deo, qui hic multa nobis per sanctos suos largitur, quæ per se dare poterat, etiã hoc esse placitũ, ut per eos quos iam dignatus est regni sui consortio, multa nobis largiatur. Viuos pro uiuis orare uoluit, ut inter omnes aleret mutuã charitatẽ: sic eorũ quos iam dignatus est cœlo, uota nobis prodesse uoluit, quo magis illorũ uitã studeamus ęmulari, et ad illorũ consortiũ properemus euolare, quorũ intercessionẽ sentimus nobis efficacẽ. Iam quod adferunt ex epistola Pauli ad Timotheũ: Vnus em̃ deus, unus & mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, si quis urgeat simplici sentẽtia, excludet etiã eã precationem, qua mortalis orat pro mortali. Et em̃ si solus dñs Iesus intercedit inter deũ et homines, q̃re hic quęritur intercessor, q̃ intercedat apud intercessorẽ? Quod si ratio est, quur mortalis aliquid flagitet à deo per homẽ mortalẽ, quod tamen à deo citra ullum intercessorem peti poterat: probentur & causę, quur per sanctos qui in cœlis sunt, aliquid flagitemus à dño. Nodũ hunc sic explicant quidam, ut fateantur ex uerbis Pauli nõ futurum fuisse licitũ, quenq; sanctorũ inuocare pręter Christũ, nisi scriptura manifeste prodidisset exceptionẽ. Quandoquidẽ orandi formã talẽ præscripsit dñs, ut quisquis ea utitur, non solũ pro se, uerum etiam pro alijs oret. Et in hoc ipso loco, quem ex Paulo retulimus, præcipitur ut fiant obsecrationes, orationes, postulationes pro omnib. quidem hominibus, sed præcipue pro regib. & in dignitate publica constitutis. Dominus aũt pręcipit ut oremus etiam pro inimicis. Cæterũ quoniã nusq; in sacris literis extat exceptio de sanctis uita defunctis inuocãdis, arbitrãtur irreligiosum audere, quod illarũ autoritate traditũ non est: multo etiã irreligiosius exigere. Ac mea sententia, Paulus nequaq̃ hoc illic agit, ut dum unum intercessorem pronũciat dñm Iesum, excludat intercessiõem sanctorũ: sed ut declaret, Christũ pro omnibus gentibus esse mortuum, neq; cuiq; in alio ponendã esse salutis spem. Nam Iudæi Christũ abnegantes, fiduciã habebant in Mose & Abrahã, & alium quendã Messiam expectabant præter Christũ. Et pleriq; Iudæorũ qui Christum agnoscebant, nõ patiebantur gentes ad Euangelicæ gratiæ consortiũ recipi, quod eum prædicarent uni genti Iudæorũ seruãdæ missum. Hoc Paulus gentium Apostolus refellit: posteaq; em̃ iusserat orare pro omnibus hominibus, addit: Hoc enim bonum est acceptum coram saluatore nostro deo, qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: unus enim Deus, & unus mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est: In quo positus sum ego, prædicator & Apostolus, ueritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & ueritate. Vnaquæq; natio suos habebat deos, soli Iudæi gloriabantur suo deo, quasi is nõ esset deus omnium gentium, ideo dicit, unus est deus seruator omniũ, & unus est recõciliator dei & hominum, qui mortuus est pro omnibus, sine exceptione personarum. Talis intercessor

1. Tim. 1

1. Tim. 2

sor unus est, & idem est omnibus omnium communis, sic unus est dei filius, & tamen is dicitur habere multos fratres, nimirum & ipsos dei filios. Quemadmodum igitur unicus filius non excludit filios dei à consortio nominis: itidem unus intercessor non excludit alios intercessores, siquidem hic solus erat in quo erat pater, mundum reconcilians sibi, & per quem ualent cæteri sancti, si quid ualent. Postremo donemus ex superfluo sanctos ociosos frui Christo, neque nobis suis suffragijs prodesse posse: certe non meretur explodi pius ille hominis affectus, quo sibi totus displicens, non audet attollere oculos ad thronum gloriæ dei, sed ad aliquem sanctorũ cõfugit quem putat esse deo gratum, semperq; uersari cum deo: atq; hunc eo maiore fiducia cõpellat peccator, quod sciat illum quoq; fuisse peccatorem, ac dei misericordiam consecutum. Neq; enim Christus damnauit affectum mulierculæ, sanguinis profluuio laborãtis, quod indignam sese iudicasset ut Christum ipsum palam adiret, sed contigit fimbriã uestis illius, & sanata est. Omnes sancti, Christi membra sunt. Si per fimbriam attactã dat beneficium, mirum est si dat per sua
Act. 5 membra? Christus nullam suam uestem subduxit in cœlũ, membra sua subduxit. In actis apostolorũ legimus, sanatos ęgrotos, quos umbra corporis illorũ attigisset, & à dæmonijs quoq; liberatos, q cõtacti fuissent sudarijs, et semicinthijs, quę cõtigissent corpus apostoli Pauli. Harũ rerũ tota gloria debebatur deo. Dices: quur igit hãc gloriã tribuebat discipulis? Quia sic illi uisum est, sic ipse pater uoluit glorificari p filiũ, sic filius p discipulos, & sic expediebat nobis, quo magis agnosceremus illã ab apostolis nobis traditã sanctorũ communionẽ, quænon solũ uiuos, uerumetiã pias defunctorũ animas, atq; ipsos etiam angelicos spiritus cõplectitur. Age si quis subinde salutet angelũ sui custodẽ, cõmendans illi uota sua Christo perferenda, num is dignus uidebitur qui reprehendatur? non opinor, & tamen angelus nihil aliud est q; minister. Si quis respondeat: Quid opus est hæc dicere angelo, quum liceat cõpendio dicere Christo? Accipe uota mea: huic uicissim obijciã, Quid opus erat nobis angelos addi pædagogos, quũ deo protectore fuerimus satis tuti? Sic deus uoluit nobis & angelos cõmendari, sic uoluit suã erga nos charitatẽ per angelorũ erga nos ministeriũ illustrari. Quod pie dicitur angelo, quur non pie dicatur Petro et Paulo?
Philip. 1 Ipsa rei natura nullã habet speciẽ impietatis. Primũ piũ est credere, animas sanctorum superstites esse suis corporib. Christianũ est credere, illas iam uiuere cũ Christo, iuxta Pauli uotum: Cupio dissolui & esse cũ Christo. Piũ est credere, illos esse Christo gratissimos, pro quo uolentes uitæ dispendium fecerunt. Nec impium est credere Christũ & illorum memoriam nobis uelle sacrosanctam esse, & se per illos iam immortalitate donatos glorificari uelle, per quos adhuc mortales nomen suum glorificari uoluit. Pium est igitur credere, deum nobis quædam per illos largiri uelle, per quos conuertit orbem terrarum, per quos iudicaturus est mundum. Quod si crebra sanctorum inuocatio, simul & fidei exercitatio est, & charitatis redintegratio, & spei nostrę confirmatio, quid causę est, quur eam existimemus reprehendendam. Si prosunt alijs merita militantium, quanq; sunt qui prędicent nulla esse merita, nusq; usui erunt merita regnantium? Nemo negabit sanctos perpetuo teneri desiderio salutis nostræ. Atqui hoc ipsum est intercedere. Id illorum uotum, ut ratum sit precamur. Nunc audire mihi uideor, quos frequenter audio dicẽtes, ideo cohibendam sanctorum inuocationem, quod obscuret gloriam Christi, in quem unum tota nostra fiducia transferenda est. At ipse Christus nihil metuens iacturam suę gloriæ, ausus
Ioh. 14 est promittere discipulis suis, si quis in ipsum credidisset, non solum ea facturum, quæ fecisset filius, patre in ipso operante, sed his etiã maiora facturum. Sic enim illi uisum est cõmunicare suam gloriam, quibus dignatus est cõmunicare regnum suum, & quorum non dedignatus est fieri minister. Porro autem quum diuorum cultus tribus rebus potissimũ constet, imitatione uitæ, honore, inuocatione: quemadmodum non inficiamur perfectissimum pietatis exemplar esse in Christo nobis æditum, ita non arbitramur eos esse damnandos, qui Christũ in sanctis imitãtur, in quibus illius dona refulserunt. Rursum quemadmodũ ingenue fatemur, & summũ cultũ & gloriam omnẽ ad deũ esse referẽdam, ita nõ arbitror impro bandã ecclesiæ cõsuetudinẽ, quæ dicatis templis, quæ cõsecractis dieb. festis, quę solẽnibus canticis toto terrarũ orbe sanctorũ memoriã ueneratur, Christum in membris suis uenerans, in quibus ipse glorioſus esse gaudet, per quos apud homines glorificatum est nomen ipsius. Postremo quemadmodum ingenue confitemur, in Christo salutis

lutis noſtræ ſummum præſidium eſſe collocandum, per quem pater cœleſtis uoluit nobis omnia largiri: ita non uideo quur obſtrepi debeat quorundam religioſæ modeſtiæ, qui reueriti dominicæ ſublimitatis magnitudinem, adhibent ſanctum aliquem interceſſorem, cuius fauore commendentur apud deum, fortaſis aduerſum. Etenim ut imitandis ſanctis, nō detrahitur perfectiſsimo pietatis exemplari, quod eſt in Chriſto Ieſu quēadmodum ſcribit Paulus: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Ieſu Chriſti; Rurſum ut in honorandis ſanctis non detrahitur gloriæ dei, ſed augetur potius, quod in ſanctis nihil aliud ueneremur, quàm ipſius dei dona, à quo proficiſcitur omne datum optimum, & omne donum perfectum: ita in inuocandis ſanctorum ſuffragijs non minuitur Chriſti ſummi interceſſoris autoritas, non profecto magis, quàm ſi quis ſibi parum bene conſcius, proinde reueritus regis cōſpectum, ſubornaret deprecatores quos ſciret regi gratiſsimos eſſe. Primum hic ipſe pudor hominis, quo & ſuam indignitatem agnoſcit, & regis magnitudinem reueretur, reddit illum regi commēdatiorem. Nec raro fit, ut princeps per alios dare malit quod petitur, nimirum ſi qui ſunt, quibus apud populum uelit hoc pacto gratiam & autoritatem conciliari. Cæterum hanc mortalium pietatem deo gratam eſſe, uel ipſis factis abunde teſtatus eſt ad ſepulchra martyrum, ad imploratione ſanctorum tot miraculis æditis, liberatis dæmoniacis, ſanatis ægrotis, excitatis mortuis. Nec enim arbitror quenquam fore tam impudentem, qui contēdat omnes fabulas eſſe, quæ tot egregij ſcriptores eccleſiæ magno conſenſu tradiderunt: etiam ſi fateamur, in hoc genere permulta confingi. Hic opinor, aliquis incipiet commemorare, quanta ſit quorundā in colendis inuocandiſq; diuis ſuperſtitio: qua de re nos quoq; frequenter admonuimus in libris noſtris. Multi petunt à diuis, quod à probo uiro non auderent petere: nec eos arbitrantur audituros, niſi certis quibuſdam ritibus, ueluti magicis deliniantur: & quod ab hoc petunt non audent ab alio petere, quaſi ſingulis certa quædam officia deſignata ſint, quemadmodum aliæ cauſæ deferuntur ad centumuiros, aliæ ad prætores, aliæ ad ſenatum, aliæ ad Amphictyones, aliæ ad Ariopagitas. Quidam ſic petunt ab illis bonam mentem, quaſi talium rerum autores ſint, non interceſſores. Verum huiuſmodi ſuperſtitio, ut ſunt res mortalium, aut ferenda eſt, ſi nō exeat in impietatem: aut citra tumultum quoad licet corrigenda, nec ob quorundam ſtultitiam, id damnandum, quod per ſe rectum eſt, ſed quod ineſt uitij corrigendum. Nec enim quia nonnulli perperam ac ſupra modum honorant ſanctos, ideo prohibetur illorum pius ac moderatus cultus: nec quia quidā in ſanctis imitantur, quod uitandum erat, ideo prohibemur imitari uitam ſanctorum. Itidem ſuperſtitio multorum, qui ſecus inuocant ſanctos, quàm oportet, efficere non debet, ut in totum reprobetur illorum inuocatio: Alioqui uitanda eſſet Euangeliorum lectio, quod ex hac nonnulli concipiunt hæreſeos ſemina: & interdicenda eſſet inuocatio domini Ieſu, quod hi quoq; nomen illud inuocant, qui magicam exercent. Error coarguendus eſt, ſimplicitas monenda eſt, ſuperſtitio corrigenda eſt, ſi talis eſt, ut tolerari non debeat: qualis eſt cultus diui Vuinoci apud Flādros, qui ab illis ritibus quibuſdam parum ſanis colitur. Et tantum ualet inolita conſuetudo populi, ut nec epiſcopi, nec magiſtratus poſsint tollere. In oſtentandis ſanctorum reliquijs, quantum in pleriſq; locis ſuperſtitionis eſt? In Anglia offerunt oſculandum calceum diui Thomæ, quondam epiſcopi Cantuarienſis: qui forte calceus eſt alicuius balatronis: & ut ſit, quid ineptius q̄ adorare calceū hominis? Vidi ipſe quum oſtētarent linteola lacera, quibus ille dicitur abſterſiſſe muccum narium, Abbatem ac cæteros qui adſtabāt, aperto ſcriniolo uenerabūdos procidere ad genua, ac manibus etiam ſublatis, adorationem geſtu repræſentare. Iſta Ioanni Coleto, nam is mecum aderat, uidebantur indigna, mihi ferenda uidebant, donec ſe daret oportunitas, ea citra tumultum corrigendi. Rurſum in publicis ſupplicationibus, ac pompis eccleſiaſticis, quantum uidemus apud quaſdam gentes ſuperſtitionis, unuſquiſq; opificum ordo circunfert ſuos diuos, ingentes mali portantur à multis ſudantibus, quos oportet identidem refocillare potu. Quædam ſtatuæ curru uehuntur, repræſentantur perſonę, geſtaq; diuorum ac diuarum, atq; interim multa ridicula tum fiunt, tum etiam dicuntur: & tamen quanquā docta pietas cuperet hæc eſſe ſublata è moribus Chriſtianorum, tamen tolerat, quoniam perſpicit ſine tumultu corrigi non poſſe, leuiuſq; ducit tolerare malum quàm adhibere remedium. Quanquam hæc quoq; qualia qualia ſunt, moderatius ferunt, qui ſciunt ac

i. Cor. 11

repetunt à quibus exordijs ea profecta sunt. Sunt enim ista uestigia ueteris paganismi. Olim in sacris ludis circumferebatur Bacchus, Venus, Neptunus, Silenus cum satyris, & difficilius erat in Christianorum uita mutare professionem, quàm publicam consuetudinem. Itaq; religiosi patres arbitrabantur magnum esse profectum, si pro talibus dijs circunferrentur statuæ piorum hominum, quos miracula declarabant regnare cum Christo. Si superstitiosa consuetudo cursitandi cum facibus in memoriam raptæ Proserpinæ, uerteretur in religiosum morem, ut populus Christianus cum accensis cereis conueniret in templum in honorem Mariæ uirginis: Si qui prius in morbis inuocabant Apollinem, aut Aesculapium, nunc inuocarent sanctum Rochum, aut Antonium: si quæ priuspetierant uterũ ac felicem partum à Iunone ac Lucina, peterent idem à sancto Iudoco, aut alio quouis diuorum, si qui consuessent rem domesticam tutandam & augẽdam Lari, Mercurio, aut Herculi commendare, committerent S. Erasmo aut Nicolao: si nautę pro Venere & Geminis inuocarent uirginem matrem, eiq; pro impijs hymnis canerent nauticam cantionem, Salue regina: si qui segetem stultissimis ritibus lustrare consueuerant, aut Cererem puerorum ac puellarum cantu delinire, circumferrent per agros uexillum crucis, hymnos modulantes in laudem dei ac diuorum: si pro Ioue sospitatore miles ingressurus bellum sese committeret diuo Georgio, aut Barbaræ: si ciuitates singulæ pro tutelaribus dijs, adoptarent Bauonem, Marcum: aut alium quempiam è numero discipulorum Christi: si qui popismatis alijsúe profanis ac superstitiosis remedijs fulmen arcere, aut procurare consueuerant, sonitu consecratarum nolarum, aut suffitu consecratarum frondium idem facerent: si qui prius magicis artibus dolori cordis medebantur, iam admoto codice Euangelico mederentur: aut qui post auditum primum in Maio coccycem conspersо per cubiculũ puluere, quem circunscripto dextri pedis uestigio sustulissent, pulices ac pediculos profligare consueuerant, idem facerent illata diui Francisci tunica: si qui capitis impetigini & alopecijs superstitiosis remedijs subuenire consueuerant, idem facerent admoto pectine, qui fuit Christo cum matre cõmunis, quem audio Treueris etiam nunc ostendi: Si qui ad bellum se gladijs fortunatis & indusijs incantatis, solent armare, iam sese munirent ligno crucis. Hæc tolerata sunt à patribus, non quod in his esset Christiana religio, sed quod ab illis, quæ commemorauimus, ad hæc profecisse magnus pietatis gradus uideretur. Eadem ratione toleratæ sunt imagines, quas ueteres ecclesiæ proceres alij quot uehementer detestati sunt, odio uidelicet idololatriæ. Gaudebant igitur populum huc profecisse, ut pro deorum simulacris uenerarentur imagines Iesu seruatoris, & aliorum diuorum. Quanquam harum usus iam in immẽsum progressus est. Nec tamen ideo profligandæ sunt imagines omnes è templis, sed docendus est populus, quemadmodum his cõueniat uti. Quod inest uitij, corrigendũ est, si fieri potest absq; graui tumultu: quod inest boni probandum est. Optandum esset nihil in templis Christianorum conspici, nisi Christo dignum. Nunc illic uidemus tot fabulas ac nænias depictas, ut septem lapsus domini Iesu, septem gladios uirginis, aut eiusdem tria uota, aliaq; id genus hominum inania commenta: deinde sanctos non ea forma repræsentatos, quæ ipsis digna sit. Siquidem pictor expressurus uirginem matrem, aut Agatham, nonnunquam exemplum sumit à lasciua meretricula: & expressurus Christum aut Paulum, proponit sibi temulẽtum quempiam ac nebulonem. Sunt enim imagines quæ citius prouocant ad lasciuiã, quàm ad pietatem: & hæc tamen à nobis tolerantur, quia plus uidemus mali in tollendo, quàm in tolerando. Videmus quædam templa foris & intus plena nobiliũ insignijs, clypeis, galeis, leonibus, draconibus, uulturibus, canibus, tauris, bubalis, onocrotalis, uexillis ab hoste direptis: uidemus locum occupatum ambitiosis diuitum monumentis, solum inæquale factum & ad ingrediendum inhabile, quasi uel mortui studeãt graues esse populo: hæc si feruntur in templis potius quàm laudantur, arbitror & diuorũ imagines recte tolerari. Sed iam tempus est, ut ad id quod instituerat, recurrat oratio. Habes quis sit orandus, & quis sit qui orat, quanquam de hac posteriore particula nonnihil attingemus in fine. Nunc uidendum est quid sit orandum. Hic non omnino male quidam Ethnicus admonuit: Orandũ est, ut sit mens sana in corpore sano. Nam uulgus hominum sępenumero pro salutaribus petit nocitura. Cæterum recte uisum est hoc orthodoxis patribus, nihil omnino petendũ à deo, præter ea quæ nobis in oratione dominica præscripsit dominus, aut quæ ad

Quid orandum

aliquam

aliquã eorum partem ſpectant. Nec dubium eſt, quin ea primũ petenda ſint, quæ ad Dei gloriam & ſalutem hominũ æternam conferunt, quæ tamẽ ad publicã utilitatẽ pertinẽt, potius eſſe petenda, ꝙ quæ ad cuiuſq; priuatam. Neq; tamẽ phas nõ eſt hæc temporalia cõmoda, quorum inopia moleſtiam adfert, aut incõmodorum temporaliũ depulſionem à deo petere, ſi modo petentis animus non aliò ſpectet, ꝙ ad ſcopum æternæ ſalutis, ueluti ſi quis petat à deo corporis bonã ualetudinẽ, ne grauis ſit fratribus, aut ut poſſit utilitati proximorum cõmodius inſeruire. Si quis petat epiſcopo longæuam uitam, quod intelligit illius doctrinam ac mores conducere gloriæ dei, & utilitati gregis. Ita Paulus iubet orare pro regibus etiam idololatris, non ut ſub illis diteſcamus, aut uoluptatibus corporis indulgeamus: ſed ut quietam, inquit, ac tranquillam uitam agamus in omni pietate & caſtitate. Sic recte petimus liberis noſtris uitam, nõ ut in illis gloriemur: ſed ut ſancte educati, proficiãt in religione Chriſtiana. Proinde quum æternę ſalutis uotum oportet eſſe perpetuum, in his petendis quæ ſunt huius uitæ, ſemper debet ſubeſſe cõditio, ſi uelit deus, et ſi expedit ſaluti noſtrę. Nõ enim peccat qui deprecatur, ut liberetur à moleſto morbo, modo ſic oret: Domine ſalus omnium uiuentiũ, ſi fieri poteſt, aufer hũc moleſtum morbũ à me, uerumtamẽ fiat uoluntas tua, nõ mea. Si tu, quẽ nihil fugit, iudicas hunc morbum ad æternã ſalutem eſſe neceſſariũ, tracta me ut uiſum eſt tuæ ſanctę uoluntati: tãtum impartí robur ac uires, ut queam perferre, faciasq; cum tentatione prouẽtum, ut poſſim ſuſtinere. Quoties igitur precamur pacem, deprecantes bellum: quoties petimus ſalubritatem cœli, deprecantes peſtilentiã: quoties poſtulamus uberẽ annonæ prouentum, deprecantes penuriam: quoties petimus animi tranquillitatẽ, deprecantes tentationem, etiam ſi non eueniat quod petimus, ne putemus nõ exauditas preces noſtras. Exaudiuntur ſi, quæ deprecamur, magis faciunt ad ſupremum illum ſcopum, quàm ea quæ precamur. Frequẽter etiam magis expedit nobis egere quàm abundare, uexari bellis ac perſecutionib. quàm frui rebus ſecundis, ægrotare quàm recte ualere, mori quàm uiuere, tentari quàm nõ impeti tentatione. Audit Paulus: Sufficit tibi gratia mea, & gloriatur in infirmitatibus ſuis. Hunc ſequuti gratias agamus, & nos deo, ſi quando profundis maluit nobis dare ſalutaria. Cęterum quiſquis in hoc petit bonam ualetudinem corporis ut amicæ, quam nequiter amat, placeat: aut uires, ut ulciſcatur eum quem odit: aut longæuitatem, ut diu fruatur hoc mundo, nullam opinor portionem inueniet in precatione dominica, ad quam uotum hoc ſuum referat. Qui poſtulat ingenĩ uires à deo, recte facit, iuxta Iacobi monita dicentis: Qui indiget ſapientia, poſtulet à deo. Sed qui in hoc poſtulat, ut inter huius mundi rabinos magni fiat, excidit à præſcripto dominicæ precationis. Orat Dauid: Da mihi intellectum domine: ſed quid addit, ut diſcam mãdata tua. Iam in his quæ recte petuntur à deo, nõ raro peccatur ordine. Peccat qui frequentius & inſtantius à deo petit opes, aut corporis bonã ualetudinem, quàm fidem & charitatem, aut ſacræ ſcripturę cognitionem, quarum rerum ut oportet primam eſſe curã, ita præcipuam decet eſſe mentionẽ in precibus. Nũc uidemus in his apud uulgus ordinem haberi præpoſterum, apud quoſdã ne mentionem quidem fieri eorum quæ uel ſola fuerant poſtulanda, ſed longius aberrant à præſcripto Chriſti, qui uel impia petunt à deo, uel pernicioſa proximis. Quum miles conductitius orat: Da ut ſpoliatis templis & innoxijs agricolis onuſtus redeã domum ſacrilega præda: quum impius medicus orat: Multos corripiat morbus, aut qui ægrotãt diu ægrotent, ut mihi quęſtus ſit uberior: quum hæres orat: Moriãtur nimiũ uiuaces cognati, ut mihi cito obueniat hęreditas. Has preces quoniã à carne, nõ à ſpiritu proficiſcũtur, nõ audit ſpiritus deus: aut ſi audit, precãtiũ malo audit, prouocãt enim irã dei, Sic audiuit uota populi Iſraelitici flagitãtis regẽ: quẽadmodũ ut eſt in Apologis, Iupiter annuit flagitationi ranarũ, pro trabe petentiũ regem magis impigrum, & accepere ciconiã. Sed ſceleratior eſt illorum precatio, qui ſtimulati liuore ſibi ipſis male precãtur, ut fratri quem oderunt ſit peius: quẽadmodũ eſt in Apologis de duobus negociatoribus, quorum alter inuidebat alteri: quibus cum Mercurius deferret, ut, quoniã cum deo commerciũ habuiſſent, peteret alteruter illorum quicquid uellet, alterum qui non petiſſet, duplum eius laturum quod alter optaſſet, utercq; detrectabat petere. Tandẽ urgẽte Mercurio, alter petijt ut ſibi periret unus oculorũ, ſperãs futurum ut alteri periret utercq;. Atq; hęc quidẽ ridentur in Apologis, uerum ſerio deflentur

1. Tim. 2

2. Cor. 12

Iacob. 1

Pſal. 11

in uita mortalium, atq; adeo (quod est grauius) Christianorum, si modo tales huius nomi nis honore digni sunt. In his non solum reperias, qui hac lege cupiunt esse lusci, ut is cui male uolunt fiat cæcus, uerumetiam qui inimici mortem sua morte cupiũt emptam: qui inimici infamiam, suæ famæ exitio mercari properent. Quid igitur istis faciendum est? Monendi sunt ut multis cum lachrymis orent deũ, ut à talibus uotis liberentur, per quæ miseriores sunt, cũq; essent his grauati malis quæ alijs imprecãtur. Miles enim qui templa, qui domos innocẽtium diripit, infelicior est sua praua cupiditate, cũq; is qui spoliatur sua calamitate. Medicus qui mortem optat alijs, longe miserior est auaritiæ malo, quàm alij suo morbo. Inuidus qui male precatur proximo, multo infelicior est suo uoto, cũq; si malũ hoc haberet, quod alijs imprecatur. Constat igitur nihil à deo petendum, quod non refe ratur ad aliquam septem dominicæ precationis partium. Quicquid petimus quod spe ctat ad diuini nominis gloriam, ad primam particulam pertinet, Sanctificetur nomen tuum. Quicquid ad propagationem & consummationem euangelij, ad secundam refer tur, Adueniat regnum tuum. Quicquid ad obseruationem præceptorum dei, ad tertiam pertinet, Fiat uoluntas &c. Quicquid ad corroborationem ac profectionem spiritus no stri, aut etiam ad necessitatem huius uitæ, ad quartam refertur, Panem nostrũ, &c. Quic quid ad fraternam concordiam & pacem cum deo seruandam pertinet, quarũ hæc con stat misericordia dei, quotidianis lapsibus nostris clemẽter ignoscentis, illa facilitate cõ donandi, si quid proximus in proximum deliquerit, ad quintum spectat: Dimitte nobis debita, &c. Quicquid pertinet ad impetrãda præsidia cœlestis gratiæ, quibus munimur aduersus insultus dæmonum, carnis, mundi, ad sextum refertur, Et ne nos inducas. Quic quid pertinet ad finienda mala omnia, & consummationẽ nostræ felicitatis, quæ perfe cta non cõtingit, nisi post hanc uitam, ad ultimã portionẽ spectat, Sed libera nos à malo.

Restat expediendũ, quod quarto loco polliciti sumus, quo modo sit orandũ. Vbi pri mum illud in quæstionem uocatum est à priscis, an fas sit alijs uerbis orare, cũq; habet for mula nobis à Christo præscripta, quum satis constet, nihil petẽdum, quod in hac formu la non contineatur. Nec difficilis est huius quæstionis solutio, quum ex euangelicis lite ris constet dominũ ipsum alijs uerbis orasse, uelut Ioan. cap. 17. Pater, uenit hora, clarifi ca filium tuũ, ut filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut om ne quod dedisti ei, det eis uitam æternam, & cætera quæ sequũtur: non paucis uerbis, ni hil aliud orant, nisi quod in oratione dominica paucis dicitur, Sanctificetur nomen tuũ. Rursus in horto: Pater, si fieri potest, &c. quid aliud orat, quàm ut fiat uoluntas patris in omnibus. Quin & discipuli sic orant, Tu domine qui corda nosti hominũ. Rursus orãt alijs uerbis, cap. 4. Domine, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, &c. Præterea quum plericq; Psalmi nihil aliud habeant cũq; deprecationes, non ueretur tamen ecclesia per psalmos sua uota offerre domino, quod certo sciat, quod in psalmis quicquid habe tur, licet discrepet à uerbis, non discrepat tamẽ à sententia dominicę precationis. Etenim
Eccl. 36 si quis oret uerbis Ecclesiastici, Miserere nostri deus omniũ, respice nos, & ostende no bis lucem miserationum tuarum, & immitte timorẽ tuum super gentes, quæ non exqui sierunt te, ut cognoscãt quia non est deus nisi tu, ut enarrent magnalia tua, Alleua manũ tuam super gentes alienas, ut uideant potentiã tuam: sicut enim in cõspectu illorum san ctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscãt te sicut nos cognouimus, quia non est deus præter te domine. Innoua signa, & immuta mirabi lia, glorifica manum & brachiũ dextrum: pluribus quidem uerbis, alijscq;, sed tamẽ nihil aliud petierit, quàm quod tribus uerbis petebant Apostoli, Sanctificetur nomen tuum.
Psal. 85 Nec aliud petierit, qui dixerit uerbis Psalmistę: Omnes gentes quascũq; fecisti, ueniant & adorent te domine, & glorificẽt nomen tuum. Quoniam magnus es, & faciens mira bilia. Tu es deus solus. Aut qui sic oret, Exaltare super cœlos deus, & in omni terra glo
Psal. 103 ria tua. Qui mystico sensu dixerit illum è Psalmo uersiculũ, Emitte spiritũ tuum & crea buntur, & renouabis faciem terræ: diuersis quidem uerbis, sed tamen idem orarit, quod orabant Apostoli dicentes, Adueniat regnum tuum. Huc pertinet quod in Psalmis aut Prophetis dictum est, de subigendis aut proterendis hostibus gentis Israeliticæ, de sta bilienda & ædificanda Hierosolyma, de regno Dauid & Salomonis sempiterno. Si quidem constat huiusmodi typis significari regnum euangelicum, & ecclesiam Chri sti. Item

sti. Item qui sic orat: Gressus meos dirige secundum eloquium tuū, & non dominetur in me oīs iniustitia. Aut sic: Deduc me domine in uia tua, & ingrediar in ueritate tua. Lætetur cor meum ut timeat nomen tuū: Nihil diuersum orat ab eo, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Qui sic orat: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tātum tribue uictui meo necessaria. Aut qui sic: Da mihi domine sedium tuarum assistricē sapientiam. Aut qui sic: Seruus tuus ego sum. Da mihi intellectum domine, ut discam mandata tua: non aliud petit, quàm qui dicit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nam ut panis nomine comprehenditur, quicquid ad huius uitæ corporalem necessitatem pertinet, ita quicquid animum corroborat, panis est, sed præcipue sermo domini. Qui sic orat: Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Et, Domine si fecisti istud, si est iniquitas in manibus meis, Si reddidi retribuentibus mihi mala, Consentit cum eo quod dicitur: Et dimitte nobis debita nostra. Rursus qui sic orat: Ne tradas bestijs animas confitentium tibi. Aut: Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me. Aut: Eripe me domine ab homine malo. Et, Ne tradas me domine à desiderio meo peccatori, cogitarunt contra me, ne derelinquas me. Aut sic: Domine pater & deus uitæ meę, ne derelinquas me in cogitatu maligno, & consilio eorum ne sinas cadere in illa exprobratione. Extollentiam oculorum ne dederis mihi, & omne desideriū prauum auerte à me. Aufer à me uentris concupiscentiam, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti, & infrunitæ ne tradas me: quid aliud petit quàm is qui dicit: Ne nos inducas in tentationem. Item qui sic orat: Libera me domine à persequentibus me, quia confortati sunt supra me. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: Me expectant iusti donec retribuat mihi: uerbis dissonat, re consentit cum eo qui dicit: Sed libera nos à malo. Ita si quis percurrat per uniuersam scripturam sacram, quæ passim habet uarias precationum formas, nihil comperiet quod non ad aliquam precationis dominicæ particulam pertineat. Summa uero omnium, quæ petuntur, ad eūdem scopum spectent oportet, de quo meminit psalmus: Vnicam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ. Itaque inter innumeras precādi formas, prima semper fuit apud Christianos autoritas ei, quam præscripsit ipse dominus, atq; hac uelut omnium sacratissima præcipue leguntur usi Apostoli, & horum successores in consecratione corporis & sanguinis dominici, quæ quoniam conuenit omni argumento, uix fieri potest ut quisquàm ea intempestiue utatur, nisi quum idiotæ per orationem dominicam sanctos appellāt, ueluti quum negociator soluturus, sancto Christophoro merces suas committit, & occinit illi ter precationem dominicam, non sine salutatione Virginis matris. Ridebatur nobis olim quidam Louanij, uir simplex potius quàm impius, qui solitus est peractis sacris obambulare per singulas aras, & diuos ac diuas aliquot, erga quos peculiarē gerebat affectum, precatione dominica salutare, eo peracto flexis aliquātulum genibus ædebat nomen diui aut diuæ, in cuius gratiam orauerat dicens, hoc tuum est sancta Barbara, hoc tibi habe sancte Roche, ne quis diuorum qui in eadem ara stabant præriperet sibi, quod alteri fuerat destinatum, atq; inter sanctos nasceretur contentio. Horum simplicitas admonenda est, ut si quod orando dicant, non habent, saltem illud dicāt: Sancte Petre ora pro me, sancta Barbara ora pro me. Alioqui quid absurdius q̄ uirgini dicere, Pater noster, qui es in cœlis: aut sancto Christophoro, Aue maria gratia plena: aut sancto Georgio, dimitte nobis debita nostra. Poterunt & illud doceri, ut in precibus meminerint, qua uirtute diuorum quisq; præcelluerit, ut Virgini matri dicant, impetra mihi à filio tuo castitatis ac modestiæ donum: Paulo dicant, Euangelij fortissime præco commenda me Christo, ut illius adiutus gratia præstare queam, quod ille nos per te docuit: Martino dicat, Adiuua me tuis precibus, ut in tolerandis iniurijs tuæ lenitatis imitator esse possim. Atq; item de cæteris, sic enim fiet, ut minus absurda sit idiotarū precatio, si mulq; cōmoneſiant quid in quoq; sit imitandum. Verum, ut quod cœperamus persequamur, Si recedendum erit à uerbis dominicæ precationis, proximum erit uti uerbis ex sacra scriptura decerptis, utcunq; res ac præsens necessitas postulauerit. Huiusmodi plurimas formulas suppeditabit liber Psalmorū, quorum aliquot nobis indicauit Athanasius. Quanquàm & ex cæteris interim uoluminibus poterit sibi quisq; formulas aliquot

parare

Psal. 118 Psal. 85 Prouer. 30 Sap. 9 Psal. 142 Psal. 131 Psal. 7 Psal. 73 Psal. 26 Psal. 139 Eccles. 23 Psal. 141 Psal. 26

parare. Neque quicquam uetuerit eandem precationem uarijs ex locis uelut opere Mu-
saico contexere. Quod genus, si quis petat auxilium à deo, ut uitare possit obtrectationis
aut turpiloquij uitium, dicat ex psal. cētesimodecimonono: Domine libera animam me-
am à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Rursus ex prouerbijs capite quarto. Remoue à me
os prauum, & detrahentia labia sint procul à me. Et pone custodiam ori meo: Item ex
Coloss. 4 Paulo: Sit sermo meus semper in gratia sale conditus, ut sciam quomodo oporteat unicui-
que respondere. Sit unum hoc exempli gratia productum, quum alioqui formulæ sint
innumeræ. Neque quicquam hic uetuerit modica deflexione sermonem ad id quod agi-
mus accommodare, uelut quum ex præcepto, aut narratione, seu promissione facimus
Prou. 4 deprecationem. Huius rei hoc exemplum est. Præcipit Solomon: Omni custodia serua
cor tuum, quoniam ex ipso uita procedit. Hoc sic in precationem deflexeris: Da domine
ut te custodiente omni custodia seruem cor meum, ut ex ipso procedat uita æterna. Nar-
ratur 4. Regum quarto, Ezechias sic orasse: Obsecro domine, memento quæso quomo-
do ambulauerim coram te in ueritate & corde perfecto, & quod placitum est coram te fe-
cerim. Ex hac forma quiuis rex aut episcopus sic orare poterit: Obsecro domine, da ut
ambulem coram te in ueritate & in corde perfecto, ut quod placitum est coram te, faci-
Ioh. 14 am. Promissio est: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget e-
um: & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hinc sic cudetur precatio:
imparti mihi domine Iesu spiritum tuum, ut diligam te, ac seruem sermones tuos, ut me-
rear & à patre tuo diligi, dignusque censeri ad quem pariter ueniatis in æternum mansu-
ri. Iam in deprecandis malis eadē ratio est contrariorū, hoc est, uetitorū, quæ præcepto-
rum: narratę rei malæ, quæ bonæ: & minarum, quæ promissorum. Non solum autem tu-
tissimum est, uerum etiam ad impetrandum quod optas efficacius, à uerbis ac sententijs
diuinitus afflatæ scripturæ non recedere: Ineſt enim & in ipsis uerbis ἐνέργεια quædam pe-
culiaris, & deus sua uerba libentius agnoscit. Tertium autoritatis locum obtinebunt à ue-
terib. nobis traditæ precatiūculę, quas collectas uocāt, quib. olim solenniter ecclesia cōsue
uit uti in cultu diuino, atq; etiā in sacrificijs ante cōsecrationē & post cōsecrationē corpo-
ris dñici. Sunt enim & in his quæ respiunt apostolicum ac syncerum spiritum, & plerę-
commoda breuitate pariq; perspicuitate sententiam absoluunt, sic ut periodus constet fe-
rè duobus membris, quorum utrunq; potest in duo commata diuidi, & inter duo mem-
bra intercedat comma siue membrum solitarium. Deinde succedat coronis, quæ totidem
ferè partibus constat, per dominum nostrum Iesum Christum. Etiam si commatum & co
lorum nec ratio, nec numerus sic habeat perpetuo, quemadmodum dixi, nusq; tamen nō
habent suas periodos modulatas. Si quis requirat exemplum, dabo: Deus cuius prouí-
dentia, comma est: in sua dispositione non fallitur, alterum comma est absoluens mem-
brum prius. Te supplices exoramus, tertium comma est solitarium ac dirimens duo
membra: ut noxia cuncta submoueas, comma est prius secundi membri: & omnia no-
bis profutura concedas, comma est absoluēs membrum. Deinde sequitur ferè totidē uer-
bis ac mēbris coronis, per dominū nostrū. Sunt quæ duobus membris constant, sed quæ
possis in quatuor commata diducere, præcedente cōmate solitario, uelut hic: da nobis do
mine quęsumus, ut & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigat, & ecclesia tua tran
quilla deuotione lætetur. Sunt pluribus commatis constant, sunt quæ paucioribus, unde
hæc superstitiosius persequi non est huius instituti. Ex harum igitur precationum aceruo
poterit sibi quisq; deligere certas ad pleraſq; precandi occasiones formas, uelut ad implo
randum auxilium aduersus tentationē, ad impetrandam admissi sceleris ueniam, ad im-
petrandū charitatis & fidei augmētum, pro pace publica, pro profectu Euangelij. Has sa
cerdos olim sic pronunciabat, ut totus populus & audiret & intelligeret, eoq; uelut pa-
riter cum illo oraret, tacitis duntaxat affectibus, demū uoce clara accineret Amen. Id tum
cōmode fiebat, quoniā sacerdos ea lingua sacrificabat, quæ populo erat cōmunis. Nunc
linguis nouatis, ritus tamē uetus manet. Nec satis adhuc cōstat utrum magis expediat, re
linquere, an nouare, quod iam inueterauit: Scio hāc esse multitudinis imperitę naturā, ut
magis reuereatur, quod nō intelligit. Sed interim minus utilitatis redit ad populū, ad quē
sola uox antistitis peruenit. Ego nouādę consuetudinis autor esse nolim. Huic tamē incō
modo hoc inueniri remediū poterit, ut singulorū dierū collectas populus uulgari lingua

scriptas

scriptas priuatim apud se legat. Idem fieri poterit in epistolis ac Euangelijs, precationeq; dominica. Ostendi tres orandi formulas, quanquam nihil etiam uetat hominem suos affectus quibuscunq; uerbis aperire deo, præsertim quum orat solus, modo petat in nomine Iesu, & ea postulet, quæ non pugnant cum scopo salutis æternæ, nec abhorrent ab his quæ nobis præscripsit dominus in sua formula. Ethnicis tutum non erat Iouem alijs ritibus ac uerbis euocasse quàm oportuit: nec tuto uerba facit apud regem, aut apud iudicem, qui solennes dicendi formulas ignorat: deus quum sit ommium maximus, tamen nihil habet huiusmodi morositatis, omnia boni consulit, ne solœcismis quidem offenditur, modo mens sit syncera. Habent Rhetores partes generis, quod petitorium uocant. Est autem hæc species suasorij. Huius rationem aliàs indicauimus, ut hic repetere non solum superfluum sit, uerum etiam ineptum in re sacra. Nos, inquit Paulus, quid, quem- Rom.8
admodum oporteat orare nescimus, sed spiritus orat pro nobis. Proinde qui spiritum habent Christi, his ipse spiritus ultro suggerit, & quid orare debeant, & quomodo. Nihil tamen prohibet rationem aliquam orandi commonstrare, non tam petitam ex rhetorum præceptis, quàm ex sacrorum uoluminum exemplis, in quibus animaduertere licet laudem, aut conquestionem, quæ pertinet ad conciliandum fauorem, procœmij loco: nonnunquam & gratiarum actionem, quam ostendimus esse laudis genus. Adhibentur & ea quæ reddunt auditorem attentũ. præterea & narratio, quæ plerunq; conquestionem habet admixtam, & amplificationem & ἐνέργειαν quæ rem subijcit oculis. Videas illic & argumentationem & expostulationem. Breuiter quicquid adhibetur apud præpotentẽ hominẽ, unde cupias aliquid impetrare. Laus est nonnunq; in sola appellatione honorifica, quã ipsam oportet esse accõmodam rei, uelut orans pro membris, quæ adhuc pericliatur in terris, dicis: Pater noster qui es in cœlis. Et in actis: κύριε καρδιογνῶσα πάντων, Act.1
quum ipsi ignari qualis intus esset homo, petũt ut deligat quem magis idoneũ iudicasset. Et sapientiam à deo petiturus, recte præfabitur: Aeterni patris æterna sapientia Iesu Christe. Nec aptitudinis ratio tantum habenda est in appellando, uerum etiam in tota precatione. Quanquam enim non ita magni refert, quid à qua persona petas, tamẽ auxiliũ aduersus hostes ac dæmones, aptius petas ab omnipotente patre: ut recõciliet nobis patrem accommodatius petiueris à filio: ut augeatur in nobis diuina gratia, cõgruentius postulaberis à spiritu sancto. Conquestionis exempla quoniam passim in sacris literis sunt obuia, non est necesse repetere. Querimoniæ nonnunquam additur uelut expostulatio, sic Hie- Hier.20
remias: Seduxisti me domine & seductus sum, fortior me fuisti & inualuisti. Alicubi idẽ Hier.17
facit blandities, sic Hieremias: Ne sis mihi tu formidini, spes mea tu in die afflictionis. Et Psal.20
in Psal. Spes mea ab uberib. matris meę. Et: Dñe spes mea à iuuẽtute mea. Gratiarũ actio Psal.21
pauperũ petax est. Etenim qui gratias agit prædiuiti pro beneficijs præteritis, tacite petit nouum beneficium. Et dignos eos iudicamus accepti beneficij qui agnoscunt ac memi- Psal.102
nerunt. Attentio paratur partim flagitando, ut: Exaudi domine orationem meam, & cla- Psal.17
mor meus ad te perueniat. Et, intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Partim si ostendamus nostrum malum ad ipsius iniuriam pertinere: ita Psal.113. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriã. Super misericordia tua, & ueritate tua, nequando dicant gentes: ubi est deus eorum? Item Psal.78. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui domine libera nos, Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum, ne forte dicant in gentibus: ubi est deus eorum? Sed hæc pars magis conuenit argumentationi, de qua mox dicemus. Cæterum hic plurimum habet momenti, quũ declaramus nobis nihil esse præsidij in nostris meritis ac uiribus, nec in alio spem esse nobis, sed totos nos pendere ab ipsius ope, cuius misericordia seruantur uniuersi. Narratio est Act.4. Cõuenerunt eñ uere aduersus puerũ tuũ Iesum in ciuitate ista &c. In argumentatione potissimũ tractantur hę partes, quia potest, quia uult, quia solet, qa debet. A facultate sic: Deus omnipotẽs qui solo nutu potes quicquid uis: quia uult, nimirum ipsa bonitas ac misericordia: quia solet, uel cõmemoratis aliorũ exemplis, uel his beneficijs, quæ in nos ipsos iam sæpe contulit. Conuenit autẽ ut sui similis sit, qui semper benefecit. Debet aũt, nõ quia nos promeremur, sed quia ille promisit. Nam, Memẽto domine Dauid, et omnis mãsuetudinis eius:

Exaudi

Exaudi domine iustitiam meam: & huiusmodi psalmi magis opinor quadrant in perso/
nam Christi quàm hominis. Nimirum hæc est illa ueritas quæ in diuinis literis frequẽter
coniungitur misericordiæ, uelut Psalmo 88. Misericordia & ueritas præcedent faciem tu/
am. Misericordia dicitur, quia nõ promeremur quod petimus: ueritas, quia quodammo/
do debet ex promisso. Promisit per prophetam oblíuionem omnium cõmissorum: Qua/
cunq; hora peccator resipiscẽs ingemuerit: promisit per filiũ uitam æternam, qui credide
rint Euangelio, unde quodammodo exigitur à deo qui pollicitus est. Commemoratur in
Psal. 50 petitione iuxta rhetorum præcepta pollicitatio. Et hæc inuenitur in sacris precibus. Sic
Dauid: Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te cõuertentur, & os meũ annũciabit laudẽ
tuam. Tunc acceptabis sacrificium iusticiæ, oblationes & holocausta. Nihil aliud homo
potest polliceri deo, nec ille aliud expectat præmium. Quicquid autem horum fit in oran
do, ad nos pertinet, non ad deum. Nec enim deus delinitur audiendo laudes suas, quem/
admodum homines, sed nos laudantes illum magis ac magis discimus, ac suspicimus il/
lius magnitudinem. Commemorandis autem & exaggerandis malis nostris non hoc
agitur, ut in diuersum mutatus oratione nostra ex irato fiat propitius, sed ut ipsi dum meli
us magnitudinẽ nostrę calamitatis agnoscimus, uehemẽtius expetamus illius misericor
diam. Itidem quum ea dicuntur quæ pariunt attentionem, non huc proficitur, ut deus an
te dormitans excitetur, quum illum nihil fugiat eorũ quæ latent in cordibus hominũ, sed
ut nos instantius ac uehementius expetamus, quod non promerẽtur accipere, nisi qui ue
hementer ambierint. Similiter & inculcantes quod in alio nullo fiduciam habeamus q̃ in
ipsius promissis ac misericordia, discimus cui debeamus acceptum ferre quicquid habe/
mus boni. Dum pollicemur nos illius erga nos beneficẽtiam prædicaturos, admonemur
ne nobis adscribentes quod adepti sumus, reperiamur indigni dei gratia, sed ad illius glo/
riam referamus omnia. Dum promissorum fidem ab illo requirimus, huc proficitur ut
certa cum fiducia precemur, non meritorum nostrorum, sed illius qui neminem sibi fi/
dentem destituit: dum argumentamur & ad ipsius nominis gloriam pertinere, ut nos li/
cet alioqui indignos exaudiat, hoc discimus ut in bonis & in malis nostris nõ aliò spectẽ/
mus quàm ad gloriam eius. Nec aliò pertinent obtestationes & obsecrationes per filium
eius, per ipsius erga nos charitatem ineffabilem, per mortem, per resurrectionem, per om
nia quæ nostra causa uel fecit, uel passus est, nisi ut penitus intelligamus, à quo & per quẽ
nobis proficiscatur, quicquid pertinet ad salutem æternam. Hæc omnia melius tractabit,
qui fuerit in diuinis literis exercitatus. Iam illud quæri solet, utrum exigatur oris ac uocis
deprecatio, an sufficiat tacitus animi petentis affectus. Equidem arbitror hoc esse liberum
in priuatis deprecationibus, utrum malis simul & labijs sonare quod animo flagitas, an
tacitis uotis duntaxat solicitare dei clementiam, quæ nihil moratur uoces nostras. Ac sæ
penumero plus impetrant tacita suspiria lachrymæq; quàm magni clamores. Alioqui
quemadmodum in ieiunio non solum abducimus animum ab omnibus huius mundi de
lectamentis, uerum etiam corpus inedia castigamus, ut totus homo deo seruiat, qui totus
fruiturus est immortalitatis præmio: ita conuenit, ut in sacrificio precationis & spiritu
psallamus & mente. Id uero potissimum conducit his qui nondum exercitati sunt ad o/
randum. Nam hi cantandis sacris precibus, ueluti discunt orare, & ex ipsa uocis agita/
tione nascitur nonnunquam affectus animi. In hoc enim sunt utiles cæremoniæ, ut per
uisibilia ad inuisibilia proficiamus. Quemadmodum pueri prius docentur legere quàm
intelligere possint quæ legunt. Eôdem conducunt & loci nitor ac religio, & sacra uestis,
& corporis habitus siue procumbentis in terram, siue flexis genibus demittentis sese, siue
sublatis manibus suspiciẽtis in cœlũ. Nam hæc omnia nonnunq; adiuuant deprecationẽ
nostrã, etiã si quocunq; loco, quocunq; gestu fusam deprecationẽ audit deus, siue id in le/
cto facias cubãs, siue in balneo lauans, siue in officina laborans. In solennibus tamen pre/
cationibus nõ oportet negligere corporales cæremonias propter infirmos, quibus istiusmo/
di conducunt: sed his cæremonijs utendum est, quæ prouocant & alios ad orandum.
Nec enim decet ut militari boatu uocis aut lasciua modulatione flagites dei misericordi/
am, non conuenit ut uox sonet: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tu
am, & uultus oculiq; lasciuientes liceantur puellas. Optandum autẽ esset, ut totus cultus
diuinus, qui tribus potissimum cõstat, hymnis, doctrina et precatione, lingua toti populo

nota

nota perageretur, quemadmodũ olim fieri consueuit, omniaq; sic explanate distinctecq; sonarentur, ut ab attentis possent intelligi. Verum multa sunt in uita mortalium, quę magis optare liceat, q; sperare. Optandum & illud, ut cultus qui publicitus peragitur in templis locis ue sacris, neq; nimium prolixus esset, quod nihil sit peius quàm rerum optimarũ satietas, & apud omnes gentes Christiani nominis idem esset. Nunc quanta in singulis penè ecclesijs diuersitas, imò quantum fuit studium quibusdam ne quid cum alijs conueniret? Quàm prolixis canticis ac precibus onerantur monachi quidam, à quibus ingenti tædio utcunq; persolutis quanto cũ gaudio discedunt? Atqui si laudãtur cõuiuia lauta magis q; prolixa, unde cum orexi surgitur, quãto magis oportet diuini cultus eum esse modum, ut citra tædium cum alacritate peragatur, & ad intermissum magna cum auiditate redeatur. Certe priuatas preces phas sit suo quemq; animo metiri, & orationis modũ uel pro mentis affectu, qui non semper æque feruidus est, uel pro negotiorum necessitate temperare. Nam in precibus, quæ simul à multis fiunt, & quas oportet simul à multis & incipi & finiri, ne quid oriatur tumultus in ecclesia, talem oportet esse mediocritatem, ut & feruidis ac ociosis utcunq; fiat satis, nec tepidi & occupati tædio enecentur. Vbi quis secum orat, aut cum unanimi quopiam amiculo, nihil uetuerit, si quando inter orandum insignis aliquis affectus corripuerit animum, in eo loco cõmorari, donec perseuerabit animi libido, aut sancta confabulatione preces interrumpere. Cæterũ occupatis congruunt illę breuissimæ quidem sed subinde uelut eiaculatæ precatiunculæ, quæ solent olim monachis apud Aegyptios opus manuum interrumpere, uel ipsum potius opus condire. Vix enim fieri potest, ut humanæ mentis intentio diu perseueret in eodem habitu, sed protinus aut tepescit mora, aut alijs cogitationibus intercurrentibus interrumpitur. Respõdeat aliquis, ἄλλος βίος ἄλλη δίαιτα. Olim monachi ferè laici erant & operis manuarijs exercebantur, nunc sacerdotibus non idem conuenit. Atqui Paulus Apostolus non iudicauit sibi indecorum consuere pelles. Si in perferendo longiorum precum tædio laus est uel obedientiæ uel patientiæ Christianæ, quæro quam laudem essent habituri, si iussu Abbatis certis horis id facere cogerẽtur, quod apud inferos facere dicitur Sisyphus? Atqui cõgruentius arbitror ad id abuti saxo, quàm sacris hymnis ac precibus. Optandũ & illud, nihil in his admisceri, quod è diuinis libris depromptum non sit, aut certe ab his uiris profectum, quorũ monumenta spirant Christum. Quo magis oportet omnem abesse lasciuiam, quæstum, adulationem, cæterosq; affectus indignos cultu sacro. Quum Christianus adornat bellum in Christianum, indecore sacrificus precatur suis gloriosam uictoriã, hostibus exitiũ, quum utraq; pars nonnunquam deo displiceat in precibus, quas ex institutione Pauli, pro regibus & in dignitate constitutis fundit sacrificus. Christianius esset optare principi bonam ac deo dignam mentem, sapientiam, pietatem, quàm triumphos, uictorias & glorias: parumq; decore ad sacram mensam quum pro principe supplicatur, audiũtur illi glorioſi tituli, uictoriosissimo, inuictissimo, & triumphantissimo. Magis etiam indecorũ est, quod quidam inter sacrificandũ adorant eum, in cuius gratiã sacrificant conducti, non sine specie seruilis & abiectæ adulationis. Denicq; tametsi probandũ est, quod pro suo quisq; principe orat, tamen conueniret, ut in publicis precibus non unius aut illius, sed omniũ principum Christianorũ generalis fieret mentio. Quin etiam Turcis, aut si qui sunt hostes Christiani nominis, magis conueniat precari misericordiã domini, quàm exitiũ. Verum hæc obiter admonere uisum est, nũc ad id quod agebamus, reuertimur. Itaq; genus hoc orãdi breue congruit his quoq;, qui in publicis functionibus uersantur, licet em̃ regibus in cõciliũ euntibus sic orare tacite: Deus sine cuius spiritu nihil recte geritur, digneris huic interesse consilio, ne quid statuatur, quod tuam offendat maiestatem: licet iudici pro tribunali sedenti, sic precari tacite: Adsit domine tua moderatrix omniũ sapiẽtia, ne quid me iudice patiatur innocens, quod non meretur, neue cuiquam fiat iniuria: licet & legato inter equitandum sic precari: dirige domine deus meus in conspectu tuo uiam meam, aut si quid aliud suggerat pius affectus. Iam uideo persuasum monarchis quibusdam, & exemplum, ut fit, indies ad plures dimanat, ut singulis diebus persoluant pensum earum precum, quas clericorum ordo solenniter in templis peragit statis horis, unde & horarias uulgo dicunt. Eam principum religionẽ nequaquã damnauerim, modo ne putent sese rem magnã præstitisse, quũ hoc pensum persoluerint, præsertim si quod ore sonant non intelligant, quod

multis accidere uerisimile est, certe iuxta sensum mysticū, neue credant magnū quiddam esse uerba illa tātum personuisse. Si quid otij supereſt principibus à negotijs necessarijs, id malim impendi perdiscendis præceptis diuinis, aut parabolis Solomonis, aut Apophthegmatis laudatorum principum, quorum magnam uim collegit Plutarchus, aut his libris quos homines eruditi de republica priuataq; administranda reliquerunt. Quod genus sunt Aristotelis politica, Oeconomica, & Ethica: Officia Ciceronis, Platonis dialogi de legibus ac republica, Isocratis de regno, & Xenophontis Cyropędia, & Oeconomica. Eōdem nonnihil conducent & nostra, quæ scripsimus de principe Christiano, de bello, de reditu Philippi principis ex Hispanijs. Satis orauit princeps si curauit ut integris & incorruptis uiris cōmitteretur magistratus, si sua prudentia bellum excluſit: si uim potentum depulit à ceruicibus imbecillium, si quàm minimo sanguinis humani dispendio, conatus facinorosorum coercuit, si sanctis legibus ac moribus publicam disciplinam stabiliuit. Nam his neglectis tempus dicendis preculis absumere, non solum religio non est, sed est etiam piaculum & hypocrisis. Subleuandus est populus à prædonibus oppressus, & dicitur querelam deferentibus ac principis opem implorantibus: Abite, princeps orat. Dicitur interpellatrici uiduæ aut pupillo: Non est otium, princeps orat. Et tamen si qua puella, si quis morio, si quis qui canem bellum adducat, petat aditū, fortasse nō auditurus sit, princeps orat. Ipse dominus Iesus, regum omnium rex ac principum princeps, quando legitur submouisse despicabilem illam & calamitosam hominum turbam: Quando iussit illis responderi, abite, dominus cęnat. Secedebat ad orandum, sed in desertum, & rursus occurrit affluenti turbæ. Quæ frons igitur istis qui interpellantibus non uerentur respondere: Princeps ludit aleam. Episcoporum nomine tolerabilius responderetur, præsul orat, nisi quidam sese tam non excusarent hoc titulo uocātibus ad longe prophaniora. Opinor sanctum Gregorium, priuatas suas preces ad similes interpellatiōes fuisse relicturum. Adrianus Cæsar inter multa, magnaq; uitia, nōnullas uirtutes habuisse legitur: hunc quum per uiam euntem, mulier quædam appellasset, audiri cupiens, ille quoniam aliò properabat, respondit, non est otium. Tum illa, noli igitur, inquit, imperare. Id liberius à mulierecula dictum, tantus monarcha ciuiliter tulit, restitit & audiuit causam. Ita magis conueniebat ut ad preces illas uocanti sacerdoti dicatur, non est otium, quàm calamitosis & innocentibus afflictis. Ad hæc, quoniam propria regum functio est, turpe est non esse otium, quum sit otium prolixis precibus, uenationibus, lusibus, saltationibus, morionibus & aleæ, ne quid commemorem his etiam sceleratius. Igitur ad orandum exercitatis argumēta copiosissime suppeditabit sacra lectio, deinde uita ipsa malis bonisq; sic uarians, ut tristiū maior sit copia: si quid imminet aut premit triste, orandum est: si quid accidit feliciter, actis gratijs orandum, ut deus quod dedit uelit esse perpetuū: si quid commissum est, oranda uenia: si quid cum uirtute gestum, rogandus deus, ut sua dona augere dignetur in nobis. Si quem uideris hominem egregijs uirtutibus præditum, & ob id perutilem reipublicæ, ora deum ut multos tales uelit esse: si quē insigniter improbum ac pestilentē, precare illi mentem meliorem, simulq; ut seruet te deus, ne talis euadas. Si contigit magistratus, pete sapientiæ donum ut possis recte gerere: si ademptus est, ora ut succedat te uir melior. Si affluxit rerum copia, roga ut qui dedit facultatem, idem det animum bene uiuendi. Quin illæ ipsæ ciuiles precatiunculæ, si ex animo Christiano magis quàm ex more dicantur, non absunt ab orando: ueluti quum dicimus ingredienti iter: Bonus angelus te deducat & reducat in columem: marito: Precor ut uxor tua feliciter pariat: nouo magistratui: Precor ut honorem quem assequutus es, sit & tibi & reipublicæ felix: pio episcopo: Christus Opt. Maximus, diu te seruet incolumem ecclesiæ suæ. Cæteraq; huius generis innumeræ. Hæc mihi ferè succurrebant, quæ scriberem de orando uir clarissime, sed idem optime, alioqui uideri poterat alienius ad hominem aulæ regiæ procerem de orando scribere. Si Petrus apostolus omnes Christianos regale sacerdotium appellat, & si peculiare sacrificiū Christianorum, ut diximus, est orare, nemini scribi potest inepte de orādo, nisi qui Christianus nō est. Imò haud scio an ullis frequentius & ardentius orandum, quàm magnatibus, qui quo grauiori negotiorū mole premuntur, hoc magis egent diuino præsidio. Moses sacerdos non erat, sed dux populi, & tamen quoties orasse pro populo legitur? Dauid rex erat non sacerdos, & tamen plurimus est in orando, Solomon rex erat, & tamen in dedicatione templi ueluti

1. Pet. 2

ueluti ſacerdos orat pro tota multitudine. Ne ſit regis orare pro populo, cuius non eſt be/
ne uelle populo: nec pro ſe laboret orare princeps, cui non eſt opus ope ſupremi numinis.
Omnibus dictū eſt & ſummatibus & infimatibus, illud Iacobi: Orate pro uobis inuicem,
ut ſalui fiatis. Paulus apoſtolus in quotidianis precibus ſuis mentionem facit apud deum
eorū quos inītiauerat euangelio, ſed uiciſsim illos rogat ut orent pro ipſo. Ne roget pro ſe
qui neq; deſiderio boni cuiuſquam, neq; mali metu tenetur. Ne roget pro alio, qui nulli be
ne uult, prętercp uni ſibi. In ſumma ne curet hoc ſacrificiū offerre deo ſuo, qui à ſacerdotio
Chriſtiano ſe credit alienum. Nec inficiamur tamen antiſtitum peculiare munus eſſe, ut
orent pro populo, quem regendū ſuſceperunt, nec pro uiuis tantum uota faciunt uerum Iacob. 5
etiam pro mortuis. Iacobus ordinauit, ut ad ægrotum accerſantur eccleſiæ presbyteri, qui
deum orent pro illius ſalute, ungantq; oleo in nomine domini. Et oratio, inquit, fidei ſalua
bit infirmum, & alleuabit eum dominus, & ſi in peccatis ſit, remittētur ei. Iubetur Abime/
lech implorare deprecationem Abraham, quod eſſet propheta. Sic enim legis Geneſeos
cap. xx. Nunc ergo redde uiro ſuam uxorem, & orabit pro te, quia propheta eſt, & uiues.
Norunt quia cōſuerunt prophetæ colloqui cum deo. Nam cum his colloquitur dominus.
Verum quemadmodū poſt effuſum in omnes ſpiritum ſanctum, omnes Chriſtiani quo/
dammodo ſacerdotes ſunt, ita ſunt & prophetæ. Per Chriſtum enim omnes acceſſum habe
mus ad thronum gloriæ illius. Nec interim tamen confundendus eſt ordo in eccleſijs lau/
dabiliter inſtitutus, & à maioribus nobis per manus traditus. Sacerdos aſtans menſæ do/
minicæ, cum autoritate deprecatur pro multitudine. Idem conſcenſo ſuggeſto, dum enar/
rat ſcripturas ſacras, cum autoritate prophetam agit, auſcultante cum ſilentio populo.
Neq; fas ſit cuiuis hoc muneris ſibi ſumere. Vbi enim non eſt ordo, ibi confuſio eſt. Vbi
confuſio, ibi tranquillitas eſſe qui poteſt? At pax in primis decet eccleſiam dei, qui non de
dignatur intereſſe cœtui, in ſuo nomine congregato. Orat igitur antiſtes pro fratribus ſu/
is ex officio delegato, orat uiciſſim populus pro ſuo antiſtite ex fraterna charitate. Prophe
tam agit antiſtes ex ordinatiōe, neq; tamen phas nō eſt cuiuis, quum opus eſt docere pro
ximū ſuum, ſi quid aſſequutus eſt eruditionis ſanctę. Chriſtiana charitas, ſic uiciſsim com
municat officia ſua, ut non luxetur ordo membrorum corporis. Rogarit aliquis, quibus
temporibus potiſsimum orandum cenſeam. Video literas ſacras hæc tria ferè coniūgere,
uigiliam, ſobrietatem & preces, quod luxus & ſomnus degrauent animum cupientē cum
deo colloqui, Itaq; mox à primo ſomno conſueſcendum eſt uel in lecto breui precatiuncu
la compellare dominum. Rurſus idem mane faciendum, priuſquàm à cubiculo te confe/
ras ad profana miniſteria, poſtremo ſub quietem nocturnam. Neque contemnendum eſt
quorundam exemplū, qui poſteaquam reliquerunt cubile, priuſquam cibum capiant, aut
aliquid uulgarium negotiorum attingant, ſi detur cōmoditas curant adeſſe ſacro, ſi modo
hic abſit omnis ſuperſtitio. Sunt enim permulti qui credunt quicquid egerint, ceſſurum
ex animi ſententia, ſi ſpecies panis & calicem aſpexerint, & interim hoc agit pirata laxatu
rus ancorā, hoc agit Caricus miles adornans deprædationē innocentium: hoc ait iniquus
negociator, undecunque lucrum captaturus. Neque negligendus eſt mos laudatiſsimus,
quo plericq; conuiuium à precibus auſpicantur, & actione gratiarum concludunt. Has ta/
men uelim è ſacris literis depromi, & magis congruentes adhiberi, quàm à nōnullis adhi/
bentur. Nos & ea quæ ſumus ſumpturi, benedicat dextera Chriſti, huiuſcq; generis rhyth/
mos, ut non arbitror damnandos, ita malim ibi melioribus cedere. Nec eſt neceſſe omnia
infulcire in tales centones. Kyrie eleiſon, nuſquam non recte dicitur, ſed alibi tamen apti/
us: Et beata uiſcera Mariæ uirginis, pie commemorantur, ſed his alibi locus erat. Pro be/
nemeritis fortaſsis ibi non intempeſtiuiter oratur, ſi paucis id fiat: pro rege, pro epiſcopo,
pro pace, pro bello, pro cæteris nominatim orare, tempeſtiuius uidetur aliâs. Illud probo,
quod apud quoſdam conſecratio menſæ ſacram lectiunculam habet adiunctā, unde con/
ueniret & in conuiuio primum oriri colloquium. Rogabis forſitan quid ſentiā de his qui
quotidie perſoluunt liturgiam Virginis matris. Equidem hæc malo, quàm quorundam
ſuperſtitioſas ac magicis ſimillimas preces, quanquam illud in his offendit, quod ea quæ
in ſacris literis de eccleſia ſponſa Chriſti dicta ſunt, deq; ſapientia patris, qui eſt dominus
Ieſus, detorquentur ad uirginem Mariam, tum quod quædam ibi petuntur à uirgine, quæ
rectius peterentur à filio. Tu nos ab hoſte protege, in hora mortis ſuſcipe. Deo rectius di/

citur: libera nos à malo, & suscipe spiritum meum. Tametsi ne in his quidē est impietas, si quis simplicem affectum candide uelit interpretari. Simili affectu quidam in concionibus implorant opem uirginis, appellantes eam fontem omnis gratię. Nemo negat plurimum honoris deberi sanctissimæ uirgini, cæterum ibi tempestiuius erat implorare spiritū Christi. Mihi magis probantur hæ preculæ breuissimæ, quas quidam quotidie dicūt de cruce domini. Nam numerosas preces quibus quidam euoluendis globulis certo numero repetunt precationem dominicam aut salutationem angelicam, non omnino damnarim in laicis, nisi quidam ista facientibus prodigiosa quædam promitterent. Hic erat locus dicendi de uarijs uulgarium precum superstitionibus, quæ nō multum absunt à magicis precaminibus, sed propositis optimis orandi formis, non difficile fuerit reijcere quicquid ab his discrepat. Nam error infinitus est, quum simplex sit quod rectū est. Hoc munusculum Hieroslae nobilissime, quod non ante natum erat, quàm tibi dedicaretur, sed tua causa susceptum est, ut esset quo uicissim nostri absentis cōmonefieres, si tibi probabitur, non grauaberis idem optimis fratribus tuis Ioanni & Stanislao communicare: sin habes aliquid in hoc argumento melius, sequere quod melius est, sed interim huic nostræ promptę uoluntati saltem hoc præmij repende, ut quod habes melius, uelis nobis esse commune.

MODI ORANDI PER DES. ERASMVM Roterodamum Finis.

DILVCIDA ET PIA EXPLANATIO SYMBOLI QVOD APOSTOLORVM DICITVR, Decalogi præceptorum, & Dominicæ precationis, per Des. Erasmum Roterodamum.

CLARISSIMO VIRO D. THOMAE A ROSCHEFORD, Comiti Ormoniæ & VVilscheriæ Des. Erasmus Roterodamus S. D.

Alibi indicat non Cypriani sed Rufini opus esse, sed tum nondum deprehēderat

EQuidem uidebam fore Comes illustrissime, ut à nonnullis mihi improbitatis dica scriberetur, si post tam multos tamq; celebres ecclesiæ doctores, quorum Cyprianus sic primus apud Latinos hoc tractauit argumentum, ut præcurrentem hactenus nemo potuerit assequi, commentarer aliquid in Symbolum Apostolorum. Rursus improbitatis reus ipse mihi futurus uidebar, si tibi non gessissem morem præsertim rem tam piam pio affectu flagitanti: maxime quū primus illud meum obsequium uerius quàm officium, quo psalmū XXII. exposuimus, tam candide fueris interpretatus. Neq; me clàm est, te hanc opellam meā, non tibi, qui me doctore non eges, sed alijs rudioribus postulare. Eoq; sic tractaui rem, ut ad simpliciorum captum orationem totam accommodarim. Nec omnino uideo quid laudis hoc studio meo sim assequuturus, nisi forte quod quædam dicta sunt crassius atq; explanatius. Verum laudem nihil moror, sed utinam hinc tantum utilitatis hauriant Christianæ militiæ tyrones, quantū & tu uir clarissime pro tua insigni pietate desideras, & ego pro mea quātulacunq; portione dedi operam. Orandus interim dominus, ut quod meis uiribus diminutum est, de sua benignitate suppleat, & qui tibi istum religionis affectum inspirauit, dignetur felicem addere successum, non hac in re tantum, sed etiam in omnibus, quæ studio pietatis instituēris. Bene Vale.

Datum apud Friburgum Brisgoæ, Anno à Christo nato M. D. XXXIII.

SYMBOLVM SIVE CATECHISMVS

PERSONÆ,

Catechumenus & Catechista.

Prior habet KA. Græcum, posterior CA. Latinum.

KATECHVMENVS.



AMDVDVM mihi gestit animus adscribi in consortiũ eccle/siæ Catholicæ, quæ est domus dei, extra quam nulli speranda salus æterna. Itaq; precor ut tua pietas ad hanc rẽ infantiæ meæ sit auxilio. CATECHISTA. Si rite tinctus es sacro lauacro, eadẽ opera cooptatus es in ecclesiæ catholicæ familiã. KA. Verum ea res inscio me, per spõsores gesta est: at postea quam di/uina benignitas cõcessit ad hoc ætatis peruenire, quæ ut ad im/pietatẽ corrũpi põt, ita ad pietatẽ opinor est docilis, æquũ arbi/tror, ut et sponsorũ meorũ fidẽ liberẽ, & ipse meę saluti consulã ac meũ per me ipsũ quoq; negociũ agã. Proinde te rogo, ut ita mecũ agas, quasi plane rudẽ instituas formesq;. CA. Dominus ipse fili charissime, qui istã tibi mentem inspirauit, idem pro sua bonitate ad id quod desideras prouehet. KA. Nõ igi/tur opus est Catechista? CA. Si nõ esset opus, frustra Christus dixisset Apostolis, ite, doce te omnes gentes. Sed ut sexcentos adhibeas Catechistas, dominus tamen est, qui uere docet hanc philosophiam. Sic enim uisum est deo, ut sua munera homini per hominem uelit impertiri. KA. Quur ita uisum est? CA. Primũ ut excludatur superciliũ & arrogãtia, quã horret spiritus ille mitiũ ac mansuetarum amator mentium: dein, ut mutuis officijs inter Christianos concilietur, propagetur alaturq; charitas. Nihil tamen est hic quod sibi uindicet uel catechista, si suo fungitur officio, uel catechumenus, si profecerit. Tota laus debe/tur illi, qui intus & docẽtis organũ temperat, & discentis mentẽ transformat. Pariter itaq; domini misericordiam imploremus, ut illius afflatu & tu prudẽter interroges, & ego quæ salutaria sunt respondeã. KA. Fiat. CA. Nunc igitur percontare. KA. Mire ut dicebã, affi/cit ac solicitat animũ meum ineffabilis illa pulchritudo domus dei. Sed quà rogo in illam patet aditus? CA. Qui uult ingredi domum petit ianuam. KA. Ostende ianuã. CA. Eam ostendit cœlestis ille doctor Paulus: accedentẽ, inquit, ad deum oportet credere. Et Ro.5 Per quem habemus accessum per fidem in gratiã istam. Rursus ad Hebræos. Sine fide im/possibile est placere deo. Fidei ostiũ est, humile quidẽ illud, sed ingresso ostendit inenarra/bilem maiestatẽ diuinæ potentiæ, sapiẽtiæ ac bonitatis. Submitte igitur caput, ut introire merearis KA. Quid est istud quod dicis? CA. Depone sensum carnis, & humanæ rationis argutias, ut simpliciter certoq; credas quicquid nobis ad salutem tradit diuina autoritas, etiam si humano sensui uideatur falsum, friuolum, absurdum, aut impossibile. Fallit humana ratiocinatio, fallunt ipsi corporis sensus, solus deus tã non potest falli aut fallere, quàm non potest non esse deus. KA. Quid est fides? CA. Vt tibi rudi definiã crassius, Duæ sunt præcipuę uires animæ: intellectus & uoluntas. Illo iudicamus quid sit eligendũ, hac expetimus quod commonstrauit ratio, Vtramq; partem uitiauit crimen eorũ, qui generis humani fuere principes. Huius mali contagiũ in uniuersam posteritatẽ dimanauit. hinc fit, ut & ratione tanquam oculo uitiato putemus esse quę nõ sunt, aut nõ esse talia qualia sunt: & uoluntate corrupta, quod ægrotis solet euenire, expetamus pro salubribus mortifera. Ad uersus hoc geminum malum diuina benignitas prouidit nobis geminum remediũ: fidem quæ purificat cor, hoc est, mentem ac rationem, ceu fontem animi: & charitatem quæ corrigit deprauatam uoluntatẽ. Fides quasi prælucens in tenebris depellit omnem errorem, in his duntaxat, quæ pertinent ad salutem: charitas submouet prauas cupiditates, ut ad ea tãtum feramur, quæ prescripsit deus. Fides dictat, charitas exequitur, uelut fidei ministra. Sed fidei oculus potissimũ in deum intẽditur, charitas quasi duos habet oculos: dextrum intendit in deum, sinistrum deflectit in proximum, dum illum ut summum bonum amat

Heb.11

ſupra omnia,hunc ut cognatum diligit propter deum. Fides igitur de qua nũc agimus eſt donum diuinitus infuſum menti hominis, qua citra ullam hęſitantiã credit eſſe ueriſsima, quæcunq; deus per utriuſq; teſtamẽti libros tradidit ac promiſit. Ea ſe porrigit ad tria tempora,præteritum,præſens,& futurum:uidelicet mundum à deo conditũ eſſe,& quicquid ſuperioribus ſeculis geſtum,narrant diuinæ literæ: dein ab eodem & hodie mundum eccleſiamq; gubernari:poſtremo euenturum,quicquid uel pĩjs pollicentur,uel minãtur impĩjs. Hæc omnia per fidei donum longe certius credimus,quàm quæ uel ratiocinãdo colligimus, uel omnibus deprehenſa ſenſibus tenemus. K A. Sed quum ſacra uolumina per homines ad nos peruenerint,unde illa ſtabilis & inconcuſſa perſuaſio? Nemo tam impius eſt, ut exiſtimet in deum cadere uanitatis ſuſpicionem. Sed dubitari poſſet an omnes illi libri afflatu numinis conſcripti ſint. C A. E compluribus quidem rebus naſcitur hæc certitudo, ſed ex una præcipue. Primum è conſenſu naturali. Nam quæ in illis traduntur,magna ex parte conſentanea ſunt natiuo rationis iudicio,cuius ſcintilla quædã reſidet etiam num in prolapſis. Deinde ex prodigĩjs admirandis, per quæ & uetus teſtamentum & nouum proditum eſt. Nam nec aliàs unquam geſta ſunt talia,nec quiſquam auſus eſt, aut potuit ſimilia confingere. Accedit huc mirificus quidam omniũ inter ipſa conſenſus. K A. Quorum? C A. Figurarũ & oraculorum, quæ propriæ ſunt ueteris teſtamenti,tum fides & euidentia in præſtandis ijs, quæ uetus teſtamentũ uel typis adumbrabat, uel prophetarum ore promiſerat. In examinandis teſtimonijs ſcis plurimũ habere momẽti teſtium conſenſum. Confer Chriſtum tam uarijs ænigmatis deliniatum in lege Moſaica,à tot prophetis,idq; temporibus diuerſis promiſſum, cum eo quem euangelica nobis tanq; in theatro ſub oculos ponit hiſtoria, uidebis oĩa cõſentire ad amuſsim. Accedit huc prophetarum inter ipſos admirabilis conſenſus, quum inter philoſophos mundi tam uaria ſit opinionum pugna. Adde iam his,conſtantem omnium ſeculorũ ac nationum cõſenſum,& conſpirationem in hanc philoſophiam indiuulſam. Quis enim unquam quicq; tam excellenti ingenio conſcripſit,quod uniuerſus orbis ſic amplecteretur, quod tanta conſtãtia retineret,ut ab eo tot uirorum,puerorum, fœminarũ, uirginum milia nec uarijs mortibus, nec morte formidabilioribus tormẽtis potuerint auelli,quorum animos fidei lux purificarat? Idq; hoc etiam mirabilius eſt,quod hæc philoſophia repente ueluti ſol quidam per uniuerſum orbem illuxit ac uicit,nec uirium,nec opum,nec eruditionis,nec humanę callidꝰtatis auxilio,nec ullis denicq; præſidijs huius mundi:quodq; hactenus aduerſus regiã potentiã, aduerſus mundanã ſapientiam,aduerſusq; hęreticos mille modis ad impietatẽ inſtructos, breuiter aduerſus omnes diaboli machinas inconcuſſa ſtetit,iuxta Chriſti promiſſum: Et portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam. K A. Sentio & meis oculis,licet cęcutientibus nonnihil affulgere lucis. Sed quod eſt illud unum præcipuũ? C A. Id quidem iam tua ſponte attigiſti. K A. Quinam? imprudens? C A. Sentis enim ut ais, nõnihil lucis infulſiſſe oculis cordis tui. Is nimirum eſt Chriſti ſpũs, qui iam cœpit energiam ſuam exerere in corde tuo, & quod cœpit, uti ſpero,perficiet. Hic enim eſt arrabo diuini ſpiritus,arcano afflatu ſic confirmans humanã mentem,ut nec inferorũ poteſtas,nec angeli,nec ulla creatura ualeat eam dimouere à fide & ſpe, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hunc affectũ nulla hominũ perſuaſio gignit in animis noſtris,quod certiſsimũ eſt argumentum,hęc omnia diuinitus agi. Nulla em̃ res tranquillat animũ hominis præter hanc philoſophiam. K A. Felices quibus hoc contigit donum. C A. Oremus cum fiducia, continget & nobis. K A. Verũ cum utriuſq; teſtamenti uolumina nominas, mare magnũ, ne dicam immenſum nominas. Quid mihi rudi etiãnum & in Chriſto pluſq̃ infanti proponis? C A. Habẽt uti ſcis,humanę diſciplinæ rudimẽta ſua. Habet & hæc philoſophia cœleſtis elemẽta ſua. K A. Vnde petã iſta? C A. E ſymbolo quod partim ob autoritatẽ, partim ad diſcretionem aliorum, Apoſtolorum dicitur,ueteres interdũ appellant regulã fidei: Is eſt ſermo paucis uerbis complectens ſummam eorũ, quæ omnibus neceſſario credenda ſunt ad ſalutẽ æternã. Hoc ſymbolum olim qui adulti baptizabãtur, publicitus ore quiſq; ſuo recitabant Catechumeni, priuſq; aqua ſalutari tingerẽtur. K A. Quur appellatur regula fidei? C A. Quoniã ad hũc inflexibilẽ ueri gnomonẽ dirigunt̃ & corriguntur oẽs hominum opiniones, ac mille modis à recto diuaricãtes Ethnicorũ, Iudæorũ, & hæreticorum errores. Simplex em̃ in omnibus eſt diuina ueritas quæ ait; Cœlum & terra tranſibunt,uerba mea nõ tranſibunt. K A. Sed quid

ſibi

sibi uult symboli uocabulum? C A. Symbolum Græcis dicitur à συμβάλλω, quod nobis est confero. Ea uoce multifariam usi sunt Græci. Nam symbolum interdum appellant signum quod imprimitur epistolis ac uasis, ne resignentur à quibus non oportet. Interdum symbolum dabant ex condicto celebraturi conuiuium, ne cui integrum esset se subducere. Iam & inter sponsum & sponsam ex consensu mutuo datur symbolum, ne liceat à pacto recedere. Denique militibus sub ijsdem signis merentibus dabatur symbolum interdum uocale, quod certis uerbis tradebatur, interdum sine uoce quod illi uocant ἄφωνον. Id eò fiebat, ut sub eodem imperatore militantes inter sese agnoscerent, & si quis hostium tentaret facere fucum, eum hac nota deprehenderent. K A. Ista quidem diluciде, sed expecto congruentiam appellationum. C A. Vides in baptismo crucis figura consignari frontem renascentis. Et beatus Paulus Corinthios Euangelium professos epistolam suam uocat, non quidem atramento scriptam in membranis, sed in cordibus spiritu. Spiritus autem dicitur digitus dei. Mentem sic obsignatam deo semel, nefas est resignare Satanæ. Et idem Paulus Corinthijs ita loquitur. Habemus thesaurũ hunc in uasis fictilibus. Mens igitur hominis per baptismũ fit uas sancti spiritus, quod obsignatur sigillo fidei, imò Christus obsignauit sanguine suo. In Euangelio uero dominus regnum cœlorum, hoc est Euangelij gratiã, splendido conuiuio comparat, ad quod uocantur omnes omnium hominum nationes. Quisquis autem in baptismo professus est Christum, symbolum in hoc magnificum conuiuium dedit, ut iam resilire non liceat. Ad hæc crebro legimus Christum sponsi nomine designari, quemadmodum ecclesiam nomine sponsæ, uelut in Cantico mystico, & Ioannis tertio. Quin & singulorum animæ in professione fidei nubunt sponso Christo. Declarat hoc Paulus scribens Galatis: Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Idcirco utrinq; datur symbolum, ne fas sit unquam moliri diuortium. Christus impartit arram spiritus sui. Homo corde credẽs ad iustitiam, & ore profitens ad salutem, uicissim dat symbolum Christo. Huius coniugij magnum, ut ait Apostolus, mysterium est, quod indissolubili uinculo coit inter Christum & ecclesiam. K A. Equidem rebar antehac uirgines monasticum institutum profitentes tantum Christo nubere. C A. Renubunt quidẽ illæ potius quàm nubunt, & in sponsarum ordine primas tenent, hoc sponso propiores quo similiores, sed in baptismo etiam nautarum & aurigarum, & sutorum animæ fiunt Christi sponsæ. Et idem symbolum datur omnibus, æque mendico cõtemptissimo, ac regum potentissimo. Ea profecto res piam quandam superbiam addere debet iuxta mundum abiectis, quod in his quæ sola ueram conferunt felicitatem, quia uere magnos, uere diuites, uere potentes, uere nobiles reddunt, cum quamlibet opulentis monarchis paria faciunt. K A. Inauditam narras domini benignitatem. C A. Phy. Quem reijciat agnus ille mitissimus, qui latronem in cruce profitentem protinus inuitauit ad nuptiale conuiuium, & ex sceleroso atq; in ipsum blasphemo fecit regni consortem? K A. Profecto hactenus mire quadrant omnia. C A. Postremo qui sacro lauacro renascuntur, profitentur Euangelicã militiam, dantq; nomen imperatori immortali Iesu Christo, huiusq; sacramẽtis militaribus obstringuntur, ac donatiuũ spiritus accipiunt, ut iam extremæ perfidiæ atq; etiam ingratitudinis sit ab hoc principe ad tyrannũ Satanam deficere. Deficiunt autem non solum qui Christum abnegant, & ad Turcam aut Iudæos transfugiunt, uerũ etiam qui toto pectore mundo mũdanisq; cõmodis dediti sunt. Labitur enim & iustus, uel septies in die, sed mox erigitur uigore fidei, quæ uelut ignis semper ad cœlestia nititur. K A. Vtinam ille spiritus dignetur inscribere cordi meo, & quod scripsit, inuiolabili symbolo obsignare. C A. Vtinam dignetur tuo meoq; cordi thesaurũ illum inæstimabilem cõmittere, & quod recondidit, suo tueri signaculo. K A. Sed illi membranã puram, & uas mundũ præbeamus oportet. C A. Imò & isthuc ipse præstabit nobis, quanquã non sine nobis. K A. Quàm felix illud conuiuiũ, quod & hic habet iuge gaudium mentis sibi bene conscijæ, & ad cœleste conuiuiũ transmittit. C A. Imò q̃ felix coniugium, quod nos unum reddit cum deo, cui adhærere summa atq; unica felicitas est. K A. Sed militia, laboris uocabulũ est. C A. Nemo coronatur, nisi qui legitime certauerit. Sed quod hic molestum est, momentaneum est, corona sempiterna est & immarcescibilis. Tum hoc ipsum quod hic est laboris, tot solatijs cõdulcat ille spiritus, ut cætera non patiẽter modo, uerũ etiam alacri-

Obsignatio uasis aut epistolæ
2 Cor. 3
Luc. 11
2 Cor. 4
Symbolum conuiuij
Luc. 14
Symbolum coniugij
Symbolum militare

ter perferantur. Vita hæc uelimus nolimus militia est, aut deo militandum est, aut Sata-
næ. Qui Satanę militant, qui princeps dicitur huius mundi, duriora tolerant, quàm qui
militant Christo. Nec minus gaudent Christi milites, quam illi qui terra mariq; uenan-
tur dulcia, sed aliter, imò soli uere gaudent. Iam uero stipendia, immane, quam sunt di-
uersa. Sempiternum in cœlis triumphum agere cum duce Christo, & æternis ignibus
tradi cum Satana tyranno. K A. Mirum est itaq; uulgus hominum ad hunc modum ui-
tam agere. C A. In causa est, quia multi symbolum ore pronunciant, pauci corde cre-
dunt, aut si credunt frigide credunt. K A. Iamdudum audire lubet cœlestis philosophiæ
rudimenta. C A. Rudimenta sunt, sed quod hic infimum est, superat omnia fastigia mun
danæ sapientiæ. Quoniã autem melius citiusq; percipimus ea quæ discimus auide, qui
tradunt humanas disciplinas, solent eas discipulis uarijs nominibus commendare, po-
tissimum autem, autoris, materiæ, formæ, & finis. K A. Non satis assequor quod dicis.
C A. Veluti medicina autorem habet Hippocratem, & si poetis credimus, Apollinem.
Versatur circa res quæ iuuant offenduntq; corporis ualetudinem: hæc est materia: con-
stat cognitione rerum naturalium & experimentis: puta hanc esse formam. Finis est,
corporis bona ualetudo, quatenus hic datum est recte ualere. K A. Nulla quæstus men-
tio. C A. Is fortasse scopus est quorundam artificum, sed tamen artis scopus est, prospe-
ra ualetudo. Itidem Stoica philosophia autorem habet Zenonem, tractat quid turpe,
quid honestum, colligit dialecticis rationibus, promittit animi tranquillitatem, sed in
hac uita tantum, eamq; falsam. Nihil enim uere tranquillat animum hominis præter gra
tiam Christi, quam illi ne per somnium quidem nouerunt. At huius philosophiæ, cuius
tu candidatum nunc agis, autor deus, materia, pia uita, forma, afflatus æterni numinis,
finis uita cœlestis. Imò ut melius dicam, hæc omnia deus ipse est. Ac Zeno quidem in
multis & fallit & fallitur, & quoniã in scopo hallucinatur, necesse est, ut in medijs quoq;
cæcutiat. Cæterum hic ubi deus est omnia in omnibus, nullus esse potest error, nulla nu-
bes, nulla ambiguitas. Ipse est initium, ipse progressus, ipse consummatio. Quod si repe
riuntur, qui humanas disciplinas summis laboribus, magnisq; impendijs, multo tempo-
re discere studeant, quanto pectoris ardore par est hanc philosophiam perdiscere, quæ à
deo uero perfecta, per uitam immaculatam, miro compendio deducit ad illam beatam
immortalitatem? K A. Profecto uere preciosum narras margaritum, quod omnibus di-
uenditis merito debeat comparari. C A. Etiam uitæ iactura bene emitur, imò mille mor-
tibus uili emeretur. Porrò non arbitror esse necesse hic ea commemorare, quæ te bene-
uolum reddant, attentum ac docilem. Magnus est ad profectum stimulus, amor docto-
ris. Quid autem amabilius Deo, imò quid omnino præter illum amabile? Quis autem
somnolentus audeat certo pollicentem æterna gaudia? Facile uero docilis est, qui & a-
mat deum super omnia, & uni credit in omnibus nihil hæsitans. K A. Magis ac magis
inardescit animus. C A. Sed sit hæc si uidetur prima Catechesis, quam ubi tecum animo
uolutans quodam modo ruminaueris, implorata diuini spiritus ope ad me redito, reli-
qua percepturus. K A. Fiet.

CATECHESIS II

FACTVM quod iussisti, & accreuit reliqua audiendi sitis. C A. Gratia be-
nignissimo spiritui Christi: superest, ut in primis tibi recitetur symbolum:
quod eo facilius tenebis, si intellexeris, & rei summam ordinemq; cogno-
ueris. K A. Expecto. C A. Ausculta. K A. Hic sum. C A. Credo in deum pa-
trem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, Et in Iesum Christum fi-
lium eius unicum, dominum nostrum. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Ma
ria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus est, Descendit ad
inferos, Tertia die resurrexit à mortuis, Ascendit ad cœlos, Sedet ad dexteram Dei
patris omnipotentis, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos: Credo in spiritum san-
ctum, Sanctam ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Peccatorum re-
missionem, Carnis resurrectionem, & uitam æternam, Amen. K A. Audio plane uer-
bum abbreuiatum. C A. Et uides granum sinapis. Iam tenes opinor esse unum Deum,
quæ tamen appellatio complectitur tres personas, patrem qui solus à nullo est, filium
à patre sine tempore genitum, spiritum sanctum ab utroque procedentem. K A. Teneo.
C A. Ne

C A. Ne quid hic temporarium aut corporeum imaginetur sensus humanus, æterna, ineffabilia, incomprehensibilia sunt omnia: ad quæ caligat humana ratio, sola fide percipiuntur. Tres sunt proprietatibus distincti, sed triũ eadem est substantia siue natura, aut quod uerbũ quidam arbitrantur aptius, essentia, eadem omnipotentia, eadem maiestas, eadem sapientia, eadem bonitas. Hic ternio ordinem quidem habet, sed inæqualitatem prorsus nescit. Nullus enim est alio uel tẽpore posterior, uel dignitate inferior. Trium una deitas, & tres unus deus. Hinc summa oritur symboli distinctio. Principem locum obtinet pater, secundũ filius, tertium spiritus sanctus, qui charitas est, & utriusq; nexus quidã ineffabilis: pater condidit uniuersa, filius restituit prolapsa, spiritus sanctus utriq; cooperatur. K A. Accipio. C A. Sed in filio, quoniam solus assumpsit humanã naturam, nulla ex parte diminuta aut mutata diuina, quum sit una persona, triplicem tamen habet substantiam, diuinã, quam eandem habet cum patre & spiritu sancto, animã humanam & corpus humanum: qui quemadmodum ex patre deo natus est uerus deus, ita ex homine matre, natus est uerus homo. Huic adhæret ecclesia, ueluti corpus hominis adhæret capiti. Quemadmodum autem diuinus ille spiritus conglutinat patrem cum filio, ita & ecclesiam Christo adglutinat arcano & indissolubili uinculo. Corpus igitur Christi mysticum quartam symboli partem occupat. Sunt aliæ diuisiones, sed hæc ingredienti nonnihil lucis aperiet. Nunc igitur tu uicissim recita symbolum. K A. Faciam. Credo in deum patrem omnipotentem, conditorem cœli & terræ. C A. Habes primã personam. K A. Et in Iesum Christum filium eius unicum, dominũ nostrum. C A. Iam ingressus es alteram symboli partem, quæ tradit Christi diuinam naturã, de qua diximus. K A. Qui conceptus est de spiritu sancto, & cætera. C A. Audis ueram & perfectam hominis in Christo naturam, mox auditurus humani generis redemptionem. K A. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus est. C A. Audis prẽter tot certissima argumenta uerum hominem declarantia, admirabilẽ Christi pugnam cum Satana tyranno. K A. Descẽdit ad inferos. C A. Audis quid egerit illa sacrosancta anima Christi, id temporis quo corpus exanime requiescebat in monumento. K A. Tertia die resurrexit. C A. Audis capitis uictoriam, membrorum spem. K A. Ascendit ad cœlos. C A. Audis uictoris triumphum. K A. Sedet ad dexteram dei patris omnipotẽtis. C A. Audis sempiternam & insuperabilẽ Christi monarchiam, cui data est omnis potestas in cœlis pariter atq; in terris. K A. Inde uẽturus est iudicare uiuos & mortuos. C A. Audis secundũ aduentum. Prius enim uenit in humilitate carnis, seruator omnium, post ueniet in gloria patris, iudicaturus et pios & impios, cuiq; pro meritis suũ daturus præmium. K A. Credo in spiritum sanctum. C A. Habes tertiam symboli partem. K A. Sanctam ecclesiam, & cætera. C A. Habes quartam symboli partem, quæ depingit mysticũ Christi corpus ecclesiam. Iam si totum Christum accipias, non sunt nisi tres personæ, Et congruenter Ecclesia sancta sancto spiritui annectitur. Illius enim munere sanctum est, quicquid in rebus conditis uere sanctum est, unde & à Paulo dictus est spiritus sanctificationis. Ille est sponsi spiritus qui nunquam recedit à sinu sponsæ: & quoniam ecclesia Græcis dicitur congregatio, per illum cohæret, quicquid feliciter coniunctum est. Hic est orbis ille inenarrabilis, tres personas inter sese, & cum his pios angelos ac pios homines in unum conglutinãs. Nam ecclesiæ nomẽ potest & beatos spiritus complecti, licet his redimendis dominus non uenerit, qui perstiterunt in felici statu, in quo fuerant conditi. Humanũ genus quoniam in primis parentibus fuit prolapsum, egebat redemptore. Perge. K A. Sanctorum communionem. C A. Hanc particulam sic quidam accipiunt, ut per appositionẽ exponat priorem, Sanctam ecclesiam. Societatis enim uocabulũ est ecclesia, & inter omnia Christi membra iugis & indiuulsa cõiunctio est. Quidam malunt his uerbis significari, septem ecclesiæ sacramenta: quidam omnium bonorũ operum cõmunionem. K A. Peccatorũ remissionẽ. C A. Hic audis, quæ sit huius ciuitatis politia in hoc seculo, in quo ut non est consummata felicitas, ita nec est perfecta puritas, nec plena saturitas. Itaq; sæpe fit, ut grauiter prolapsis remedio sit opus, infirmis robore. Vtrũq; quũ alijs modis, tum uero præcipue per ecclesiæ sacramẽta suggerit gratia dei. Itaq; quum audis, Peccatorũ remissionem: audis paratam geminã medicinam, unam è sacro lauacro, alterã per pœnitentiæ sacramentũ. K A. Carnis resurrectionem. C A. Hic aperitur militiæ finis, ecclesiæ

consum

cõsummatio,& totius hominis uel æterna felicitas,uel æterna calamitas. K A. Et uitam æternam. C A. Audis incomparabile stipẽdium,quod imperator noster parauit suis militibus,si sui ducis exemplo,sub illius uexillis fideliter militantes,gnauiter sese gesserint usq; ad mortem. Habes huius salutiferæ fabulæ,protasim,epitasim & catastrophen:habes actus omnes ac scenas cœlestis illius choragi ineffabili dispensatione digestas. K A. Sunt qui subtilius distinguant? C A. Sunt aliquot recentiores,qui pro duodecim articulis faciunt tredecim,sunt qui quatuordecim,non iuxta sermonis ordinem,sed illud sequuti,quòd omnes articuli pertinẽt aut ad diuinam naturam omnium personarum,aut ad humanam Christi,aut ad corpus Christi mysticum:ad horum quodq; accommodãt certas particulas,itaq; conficiuntur quatuordecim. Verũ hæc ad id quod agimus haud multum habet momenti. Ad istum enim modum fas esset & alias comminisci distinctiones,ut uariæ sunt ingeniorum formæ,uariæq; rerum earundem cõsiderationes. Illud est omnium caput,quod hic dicit mundum à deo potenter cõditum,& ab eodem deo per filium sapienter & misericorditer redemptum,initium ac decursum ecclesiæ arcanis afflatibus eam gubernante spiritu sancto,cõsummationem ecclesiæ,quum filius regnum integrum ac pacatum tradit patri. K A. Quidam singulis apostolis accommodant singulos articulos. C A. Si uerum narrant isti,falluntur qui malunt esse quatuordecim articulos. Sed isthuc tamen utiliter excogitatum est,quo uidelicet illiterati eadem opera tanquam per imagines ordine dispositas simul & apostolorũ nomina,& articulos singulos infigant memoriæ. Vehementer enim conueniret,ut omnia Christianorum conclauia tabulis huiusmodi decorarentur. K A. Deum immortalem quàm copiosam philosophiã tantillum symbolum complectitur. C A. Atqui probabile est apud priscos fuisse aliquanto breuius,siquidem illi uidentur finisse symbolum hac clausula:Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Id colligere licet ex Athanasij symbolo,qui quum explanet hoc symbolum,nihil horum attingit:nec ultra progreditur symbolum quod pro Niceno refertur in Canonibus,nisi quod addit, Et in spiritũ sanctum:alioqui multis uerbis discrepans,tum ab hoc,tum ab eo quod canitur in missa,quod uidetur esse Synodi Constantinopolitanæ. Colligitur item è Tertulliano,ueluti è libro Aduersus Praxeam:rursus libro De uirginibus uelandis,in principio:item libro De præscriptionibus hæreticorum. K A. Redundat igitur quod adiectum est? C A. Bona uerba. Sed ob cõtentiosos & crassos illa sunt adiecta,quo sermo foret expressior uerius quàm plenior. Nam quum audis: Qui conceptus est de spiritu sancto,audis tertiæ personæ professionem. Rursus quum audis Christũ esse passum,simul intelligis ecclesiam,pro qua passus est. Neq; enim pro angelis qui non egebant,aut pro dæmonibus,qui prolapsi sunt irreparabiliter,passus est dominus,multo minus pro brutis animantibus. Simul audis fontem uniuersæ remissionis. Nec enim baptismus aut pœnitentiæ sacramentum aliunde efficax est,quàm ex sacrosancta morte domini. Item quum audis:Resurrexit,ascendit in cœlũ:uides ostensam carnis resurrectionem,quam certa spe expectamus omnes. Neq; enim caput in cœlo regnans patietur sua mẽbra esse trunca ac dimidiata. Totus ille resurrexit,toti resurgemus & nos. Postremo quum audis,Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos, Vox iudicandi designat diuersa præmia piorum & impiorum:quod pòst explanatius dictum est,Et uitam æternam. K A. Quur hoc Symbolum dicitur Apostolorum? C A. Vt titulo distinguatur ab alijs Symbolis,Niceno,Constantinopolitano,Athanasij,& aliorum complurium. Et probabile est,hoc omnium fuisse primum. Quemadmodum autem apud priscos illos Barbaros,simplices,fraudium ignaros,bonæq; fidei uiros,aut nullæ erant syngraphæ in contractibus etiam maximis,aut quàm breuissimæ,satis erat in charta notare,tot agrorum iugera libere dono lego ue tali ecclesiæ:ita quamdiu uigebat in animis hominum fidei synceritas,aut non erat opus hoc chirographo,aut satis erat quàm paucissimis comprehensum uerbis. Philosophorum impia curiositas,hæreticorum peruersitas,uerborum ac symbolorum induxit multitudinem:quemadmodum uersutia hominum effecit,ut in contractibus tot tam uerbosis sit opus instrumentis. In nulla autem ecclesiarum diutius uiguit pietatis ardor,fideiq; synceritas:in nullam minus hæreseon ac tardius irrepsit quàm in ecclesiam Romanam. Vtinam non inundassent huius mundi lenocinia. Quin hoc ipsum Symbolum quod explicuit beatus Cyprianus,hoc nostro aliquanto

aliquanto est breuius. K A. Recita quæso, si molestum non est. C A. Ausculta. Credo in deo patre omnipotente, Et in Iesu Christo, filio eius unico, domino nostro: qui natus est de spiritu sancto, ex Maria uirgine: crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus est: tertia die resurrexit: ascendit in cœlos, sedet ad dexteram patris, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos, Et in spiritu sancto, sanctam ecclesiam catholicam, remissionẽ peccatorum, huius carnis resurrectionem. K A. Video multa prætermissa, nonnihil etiam additum. C A. Nec hoc dissimulat beatus Cyprianus: in primo statim articulo, commõstrat additum apud Orientis ecclesias potissimum: Credo in deo patre omnipotente, inuisibili & impassibili. Rursus additamentum, Descendit ad inferna: negat haberi in symbolo Romano. Similiter in Huius carnis resurrectionem, fatetur pronomen additum in ecclesia Carthaginensi. Desunt nonnulla, imò non desunt, sed ex alijs intelliguntur. Cyprianus non uidetur addere, Creatorem cœli & terræ: sed hoc colligit ex Græca uoce. παντοκράτωρ enim non tam sonat omnipotentem, quàm omnia tenentem & omnibus imperantem: quæ uox non tantum exprimit mundum à deo conditum, sed admonet ab eodem gubernari: non gubernaret autem ab alio conditum. Quoniam uero & Gentes ex poetarum institutione credunt mundum à deo conditum, idq; tot uerbis inculcat liber Geneseos, hanc particulam iudicabant euidentiorem quàm ut fuerit exprimenda. Omissa sunt & hæc uerba, Qui conceptus est: quod in Euangelio, natum est, dictum sit pro Conceptum est. Sic enim loquitur angelus Ioseph: Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Hæc itaq; uox communis ad conceptum & æditum fœtum, uisa est patribus accommodatior ad significandum diuini spiritus munere factum esse, quòd nec in conceptione fuerit humana cõcupiscentia, nec in partu uirgineæ dignitatis & integritatis uiolatio. Ad hæc cõceptionis uox sonat informe quiddam & imperfectum. Paulatim enim in matrice concrescit semen, deinde animatur. Hæc de domini conceptione prædicare ueremur. Rursum in sequenti articulo non dicit, Passus est: quemadmodũ nos, sed Crucifixus est, quo non tantũ mortem eius, sed & mortis genus exprimeret. Nec addit Mortuus, sed tantum Sepultus est: ideo enim homines aguntur in crucem, ut illic moriantur, nec sepeliuntur nisi certo mortui. Et quum addit, resurrexit: hoc est, reuixit: satis aperte profitetur fuisse mortuum. Nec hic à Cypriano discrepat Augustinus, ita repetens: Credimus itaq; in eũ, qui sub Pontio crucifixus est & sepultus. Nec dixit, Resurrexit à mortuis: sed tantum, resurrexit tertia die. Nullus enim reuiuiscit, nisi à morte. Sedet ad dextram patris: non addit Dei, nec Omnipotentis: quæ duo uerba uidentur adiecta è Symbolo Athanasij. Quid enim erat opus, quum paulo ante patrem Iesu appellarit, Deum omnipotẽtem? Nec legit, Credo in spiritum sanctum: ne uideatur nouum aggredi Symbolum: sed respiciens ad superiora, maluit subaudire uerbum quod subaudiebatur in filio, Credo in deum patrem, & in filium eius unicum, & in spiritũ sanctum. Siquidem eadem est fides, qua credimus tres personas unius essentiæ. Mox, in sanctam ecclesiam, omittit præpositionem, multis uerbis causam reddens, quare non sit addenda: nec addit Catholicam, quemadmodũ nec Augustinus addit in Symbolo: sed adijcit interpretans, Vtiq; (inquit) catholicam. Quid autem necesse fuit adijcere, catholicam: quum nulla sit ecclesia sancta, nisi catholica? quam epitheton Sanctam, discernit ab omnibus hæreticorum, Iudæorum ac Gentium ecclesiis. Quum autẽ dicit, Et in spiritu sancto: moxq; subijcit, Sanctam ecclesiam: omissa etiam præpositione, palàm est Cyprianum non legisse, In sanctam ecclesiam. Denicq; omissa est clausula, Et uitam æternam: ea satis intelligebatur ex uerbo Resurrectionis, quo cõprehenduntur piorum & impiorũ diuersa præmia: tum ex eo quod præcessit, Iudicare uiuos & mortuos: quemadmodum antea dictum est. Porrò Cyprianum non aliter legisse quàm recitaui, non tantum ex illius interpretatione, uerum & ex epilogo, quem in fine subijcit, perspicuum est. Ostendens enim soli patri, filio & spiritui, addi præpositionem, cæteris nequaquam, ita recitat. Sequitur nanque post hunc sermonem, Sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, huius carnis resurrectionem: non dixit, In sanctam ecclesiam, nec in remissionem peccatorum, nec in carnis resurrectionem. Insuper expositurus, Carnis resurrectionem: ita præfatur. Sed ultimus iste sermo, qui resurrectionem pronunciat, summam totius perfectionis succincta breuitate concludit. An non aperte clausulam hanc appellat ultimam? Duas porrò uoces

uitam

uitam æternam,aliquis adiecisse uidetur,uel ex Athanasij Symbolo,uel ex eo quod canitur in missa.Nec aliter legit Augustinus,in libello de Symbolo,nisi quòd pro De spiritusancto,legit Per spiritumsanctum:& an adiecerit Vitam æternam,non satis liquet, probabile est eum cum Cypriano consentire:certe Descendit ad inferna,non attingit, nec addit pronomen Huius carnis.Cyprianus autem,quum in cæteris indicarit si quid discrepat,in cæteris quoq; commonstrasset,si secus habuisset Romanum Symbolum, quàm ipse recitat. K A. Quum tanta sit in paucis uerbis uarietas,qua fronte quidam homines asseuerant hoc symbolum ab apostolis cõmuni assensu proditum,& quidem scripto? C A. Rex quidam Lacedæmonius roganti quamobrem Ephori non assurgerent regi,Ob hoc ipsum,inquit,quòd Ephori sunt.Similiter nunc tibi respõdere possem,Ob hoc ipsum sic asseuerant,quòd homines sunt.Si quid apud recentiores legerũt,retinent mordicus:si quid adfertur ex ueteribus,quos non legunt,ut sunt religiose meticulosi,suspicantur sub omni lapide dormire scorpium. K A. Non est igitur hoc Symbolum apostolorum? C A. Maxime.Quicquid enim hic traditur,apostoli à Christo didicerunt:& quod ab eo didicerant,nobis bona fide tradiderunt. Pauca uerba non mutant incommutabilem ueritatem.Sed his prætermissis,si uidetur,recurre ab imis ad summa,ac de singulis percontare quæ suggeret spiritus. K A. Quur patri datus sit primus locus,medocuisti,quòd fons sit totius deitatis,omniumq; rerum conditarum:sed quur patrem solum appellat deum,filium tantũmodo dominum,spiritum nihil aliud quàm sanctum, quum sit omnium eadem deitas? C A. Hæc est mysticæ scripturæ consuetudo,ut aliquoties de personis loquens,patrem dei nomine signet.Velut ipse dominus in Euangelio, Si creditis in deum,& in me credite.Et beatus Paulus:Deus erat in Christo,mũdum reconcilians sibi.Deus proprio filio non pepercit.Sed ex innumeris scripturæ locis liquido patet,unam & eandem trium esse diuinitatem.Quum dominus in Euangelio dicit, Baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti,nulli personæ dei nomen tribuitur,ut intelligamus,tres unum esse deum.Solus enim deus per fidem ac baptismum remittit peccata.Interdum & filium,dei nomine designant:ueluti quum dicimus deum pro salute generis humani factum hominem,natum de uirgine,mortuum & reuixisse. Neq; enim pater aut spiritus sanctus assumpsit carnem,aut mortuus est. K A. Potest ne sensibili quopiam argumento demonstrari,quomodo tres personæ distinctæ dicantur, & sint unus deus? C A. Nihil est in rebus creatis,quod proprie dici possit simile diuinæ naturæ,nec ullæ sunt hominũ uoces,quibus proprie loquamur de ea.Nec ullæ sunt humanæ mentis imagines,quæ ad amussim(ut aiunt)diuinæ congruant essentiæ.Et iniuria fit illi adorandæ maiestati,si temere cum humanis rebus conferatur.Dabo tamen similе,sed multũ dissimile.Contemplare solem,& ab hoc manãtes radios,tum ex utroq; profectum calorem.Vt sol est fons luminis & caloris,ita pater fons est filij,qui est lumẽ de lumine.Et ut à sole simul & radijs manat calor,ita à patre & filio procedit spiritus sanctus.Nunc mihi imaginare solem,qui nunquam esse cœperit,nec esse desiturus sit,nónne ab hoc sempiterno sempiterni nascerentur radij,& utrinq; proficisceretur calor æque sempiternus? K A. Prorsus. C A. Quibusdam placet hæc collatio:mens,ratio & uoluntas,eadem est anima:mens,fons est,ab hoc manans ratio iudicat,ab utraq; proficiscens uolũtas amat.Ita pater,fons est:filius,λόγος,hoc est ratio:charitas,spiritus sanctus.Tertia maximè probatur eruditis,de mente,& uerbo in mente cõcepto.Quòd si qua mens esset increata,nimirum & huius uerbum esset increatum.Verum ut spiritũ sanctum hac similitudine complectamur,ponamus mentem,& ab hac nascens uerbum,& ita feriens aliorum aures,ut nihilo secius in corde maneat,deinde spiritum sine quo mens non profert uerbum. Mens pater est,uerbum in mente conceptum filius,prolatio spiritus sanctus.Habet nonnullam similitudinem & fons cum patre,amnis è fonte nascens cum filio,fertilitas agrorũ,quam fons per amnem donat,cum spiritu sancto.Sed in his exemplis innumera discrepant.Radius non est idem quod sol,ut iam sit substantia:calor autẽ accidens est,non substantia,tantum abest,ut sit eadem cum sole & radijs.Et nostrũ uerbum accidens est,ac res transitoria:& spiritus quo proferimus uerbũ,accidens est,nempe motus aeris:quemadmodum & fertilitas nulla est substantia,nec idem est cum fonte

& amne

& amne. Quare hæc idola missa faciamus. Quod non assequitur humana ratio, teneat fides: quod tradunt sacræ literę, quod in carne docuit Christus, quod tot miraculis confirmatum est, quod per ecclesiam docet Christi spiritus, id multo certius habendum, quàm quod mille demonstrationibus probatum sit, aut quod sexcentis sensibus percipias, si totidem haberes sensus. K A. Nefas igitur est de rebus diuinis inquirere? C A. Fas, præsertim his qui sensus habent exercitatos, sed cum tremore, sed sobrie, sed stabiliter iacto fidei fundamento. Postremo quatenus cõcessum est in hac uita mortali, in qua deum per fidem uidemus sed tanquam in speculo & ænigmate. Alioqui diuinam naturã sicuti est, nec Seraphicæ mentes cõprehendunt, ut & illic aliquis fidei sit locus, quæ credit quod superat omnem intellectum creatum. Optimo igitur iure huius philosophiæ prima uox est, Credo. K A. Duę syllabæ? C A. Sunt, Sed has quisquis ex uero corde pronũciat, beatus est. Non enim uere credit in deũ, nisi qui pro compertissimis habet omnia, quæ sacris prodita sunt uoluminibus, sine dubitatione sperans quæ promittunt illa, timens quæ minantur, quicq; in hac uita se totum, suos suaq; omnia tradit diuinę uoluntati, propriam abdicans in omnibus: etiã si mille mortes intententur, si uniuersa dæmonũ potestas moliatur pernicie, tutissimus est, qui se fixit in hac petra. Si desit hæc fides, nec baptismus, nec ulla ecclesiæ sacramenta prosunt, nec ulla bona opera conferunt salutem æternam. Nam Paulus peccatum etiam esse pronunciat, quicquid absq; fide est. Hæc nos deo patri copulat, hæc nos Christo capiti sociat: hæc per Christi spiritum nos cooptat in numerũ filiorum dei, hæc nos inserit in æternum consortium angelorum, ac sanctorum omniũ, hęc in huius uitæ tenebris prælucet, ostendens quid uere fugiendũ, quid expetendum, hæc nos armat impauidosq; & inuictos reddit aduersus omnes mundi Satanæq; machinas, hęc efficaciter cõsolatur in rebus tristibus spe bonorũ cœlestium, semper habens in ore, si deus pro nobis quis cõtra nos? Et, Non sunt cõdignæ afflictiones huius seculi ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Hæc uere tranquillat animum, huic beatus Paulus fert acceptũ quicquid unquam fortiter, pie, temperate gestum est à uiris sanctimonia claris. per hanc deo chari uiuimus, per hanc alacriter bonaq; cum fiducia morimur, per hãc ad beatam illam immortalitatem euehimur. Rursus ex huius defectu nascitur superstitio, sortilegiũ, idololatria, et huius germana auaricia, ambitio, blasphemia, tristitia, desperatio, superbia, metus mortis, uindictæ cupiditas, denicq; quicquid malorum toto grassatur in orbe. K A. Equidem frequenter audio multos sibi precantes prosperam ualetudinem, longæuitatem, ac diuitias, qui tantum bonũ à deo petant paucos audio. C A. Pauci uidelicet norunt, quid aut quomodo sit orandum. Pro hoc dono cõueniebat iugiter pulsare diuinas aures, ut fidem largiatur, & in dies donum suum in nobis augeat. K A. Attamen uulgus eos qui minus sapiunt, credulos appellat, & Hebræus quidam sapiens, leues corde nominat, qui facile credunt. C A. Primum nec leuitatis nec credulitatis est, credere ijs quæ tot argumentis declaratũ est, nõ ab hominibus, sed à deo proficisci. Paulus negat se angelũ auditurũ, si quid adferret diuersum ab Euangelio Christi. Quin potius arrogantis stulticiæ est, dubitare de his quæ nobis tanta cum autoritate tradita sunt, eoq; Paulus scribit, insipiens cor philosophorũ fuisse obscuratum, quod abesset lux fidei. Si quis idiota tali philosopho qualis fuit Aristoteles, aut Pythagoras, aut si quis fuit doctior utroque, de materia prima, de rerum principijs, de infinito, aut de cœlestium orbium magnitudine, motu uicq; differenti obstreperet, ambigens de omnibus, quæ non posset assequi, nónne audiret arrogans & insanus? At quanto maior est insania, ideo nõ credere diuinæ philosophiæ, quod multa nõ assequatur intellectus humanus. Porrò inter deũ & hominẽ quantũuis eruditũ discrimen est infinitis partibus maius, q̃ inter hominẽ sapiẽtissimũ, & subulcũ stolidissimũ. K A. Ita prorsus habet res. C A. Apud philosophos impudẽs habetur, si quis reijciat autoritatẽ clari probaticq; scriptoris. Nã Pythagoricis ad persuasionẽ satis erat, αὐτὸς ἔφα, Et Christianus tergiuersatur quũ audit, deus hoc dixit, deus hoc fecit? De regis diplomate nemo dubitat, si modo sigillũ agnouerit. Quanta igitur temeritas est de diuinis ambigere, quæ tot modis, ut ostendimus, obsignata sunt? K A. Dũ ista differis sentio & in me fidei semen augescere. Sed quur placet hæc sermonis forma, Credo in deum, quàm Latini emendate loquentes uix agnoscunt? C A. Deũ crediderunt & philosophi plerique, deo credunt & dæmones. Sciunt enim illum mentiri nõ posse. Sed soli pij credunt in deũ, siue in deo, nihil enim refert, qui totã fiduciã totamq;

totámque ſpem fixerunt in deo. Vnde Cyprianus uir doctus iuxta ac pius, non putat ita legendum, Credo in ſanctam eccleſiam, ſed credo ſanctam eccleſiam. Ac fateor quidē ſenſum illius eſſe pium. Sūma enim & ſacra, ut dici ſolet, fiduciæ ſpeiq; ancora non eſt figenda niſi in deo, ſed reuera ſermonis figura fluxit ab idiomate linguæ Hebraicæ, quæ frequēter addit præpoſitiōem in, ubi ſermo Latinus eam repudiat. Apoſtoli uero quanquā Græce ſcripſerunt, tamen interdum referunt proprietatem natiuæ linguæ. Quod genus illud Lu. 14. Si poteſt in decem milibus occurrere. Quod ſi nullo pacto fas eſt addere præpoſitionem, quoties de rebus humanis loquimur, quomodo excuſabimus quod ſcripſit idem Euangeliſta Lucas ca. 12. Qui in me confeſſus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur in illo coram angelis dei? Videtur tamen præpoſitio nonnihil uigoris addere ſermoni. Confido in te, neſcio an Latine dicatur, fiduciam habeo in te, Latine dicitur: & in te ſpes mea ſita eſt, recte dicitur, quum ſpero in te non auſint dicere qui religioſius obſeruant Romanæ dictionis elegantiā. Proinde de ſermonis colore diſputationē miſſam faciamus, & rem ipſam toto amplectamur pectore, ſpem uniuerſam nec in angelis, nec in ſanctis hominibus, ſed in uno deo reponētes. K A. Quur non dicit, Credo in unū deum. C A. Quia nunc ſic loquens, efficacius excluſit deorū multitudinē. Nullus enim ita loquitur, uidi unū ſolem, exortus eſt unus ſol, uidi unam lunā, quod imaginatio hæc ne uenit quidem cuiq; in mentem, eſſe aut eſſe poſſe plures ſoles, aut lunas. At qui dicit, uidi unū ſolem exorientē, ſcrupulum inīcit audiētibus, quaſi ſentiat plures eſſe ſoles aut lunas, atq; ad iſtum loquens modum, ridiculus haberetur. Et tamen natura ſimpliciter non repudiat, quo minus poſſint plures eſſe ſoles, ſed prorſus impoſſibile eſt plures eſſe deos. Nā quod ſimplici ter ſummum eſt, non poteſt eſſe niſi unū. K A. Quur igitur in Symbolo Niceno, ut quidā putant, ut tu, Conſtantinopolitano, quod in ſacrificio myſtico cani audio, dicitur, Credo in unum deum. C A. Hoc poſt adiectū eſt non tam aduerſus Ethnicos, qui plures colebāt deos, quàm aduerſus hæreticos: quorum alij ſomniabant duo principia, alterum boni, alterum mali: alij diuidebant unum deum in duos, alterum quem iuſtum appellabant, contendebant eſſe autorē ueteris teſtamenti, alterum noui: quem bonū profitebantur, iuſtum negabant, quum omniū rerum conditarum autor ſit unus deus, utiq; bonarū. Malorum enim deus non eſt autor. Nam uidit quę fecerat et erant ualde bona, idem iuſtus & bonus, idem ueteris legis autor, idem noui teſtamenti princeps, & omnium ſeculorū moderator immutabilis. Cæterū quum nego deum autorē malorū, de peccatis ſentio, non de afflictionibus. Afflictio quam deus immittit, bona eſt, uel quia iuſta, dum pro cōmiſsis inflīgitur, uel quia medicina eſt ad reſipiſcēdum, uel quia ſeges eſt ac materia maioris gloriæ. Quod ipſum tamē malorum genus nuſquā eſſet inter homines, ſi nunquam extitiſſet peccatum. Peccatum autem à diabolo profectum eſt: & ab hominis concupiſcentia deprauata. K A. Quur addit patrem? C A. Vt hunc diſtinguat à cæteris perſonis, Mox enim ſubīcitur, & in Ieſum Chriſtum filium eius unicū: Pater ſolus dicitur, quia ſolus genuit filium. Quanquam dei nomine ſic accepto, ut totam declaret triadem ac pariter omnes complectatur perſonas, deus recte dicitur pater, quod origo ſit omnium rerum conditarum. Quod ſi patrem intelligas generali ſenſu, à quo quid ducit originem, prima perſona pater eſt ſimpliciter omnium. Non genuit ſpiritum ſanctum, ſed nec hominem aut angelum genuit de ſua ſubſtantia. Quod autem peculiari ratione dicitur pater timentium ipſum, eadem ratione dicitur deus eorum. Pſal. 32. Beata gens cuius eſt dominus deus eius. Itidem Pſal. 143. Sed deum filium genuiſſe de ſua ſubſtantia, primæ perſonæ proprium eſt. Genuit mundum, ſed non ſolus, Gignit pios uerbo uitæ, ſed per filium & ſpiritum ſanctum, Vnicum uerbum ſolus pater genuit. K A. Quemadmodum homo gignit hominem? C A. Hoc conuenit, quod de ſua ſubſtantia genuit, quod filium genuit, quod deum de deo genuit. Sed, ut modo dictum eſt, in omni collatione, quæ à rebus conditis transfertur ad deum, pluriſma diſcrepant. Nec enim pater ſubſtantiæ ſuæ partem transfudit in filium, ſed eandē ſubſtantiam totam filio communicauit: nec gignens & genitus cōſtituunt duos deos, quemadmodum pater homo & filius homo faciunt duos homines: nec gignens tempore prior eſt genito, ſed eadem eſt utriuſq; æternitas. Omitto recenſere cætera, quæ numero carēt. K A. Homo quum hominē adoptat in filium, non uere gignit, quum ex uxore ſuſtulit filium uere genuiſſe dicitur, quia ſecundū naturā. Quod ſi pater tot modis diſſimiliter gignit

filium

filium, quomodo dicitur uere gignere? C A. Imò hoc uerius gignit, q̃ dissimiliter, hoc est perfectius gignit. Humana enim generatio ad illam ineffabilem collata umbra modo quædam est generationis. Si apud nos uera dicitur generatio, quia secundum humanam naturam est, multo iustius uera dicitur illa quæ est secundum naturam diuinam. Nisi forte negabis deum uere condidisse mundum, quia multo aliter eum cõdidit, quàm homo condit urbẽ aut domũ. Nec ideo deus non dicitur uere lux, uita, sapientia, uirtus, mens, quod hę uoces aliter de illo prædicentur q̃ de rebus cõditis: sed ideo imperfectius de creaturis prædicantur, quod secus prædicantur quàm de deo. K A. Estne fas deum appellare substãtiam? C A. Si per substantiam significes personam subsistentem, non est impium unam profiteri essentiam in tribus substantijs: quanquam ab his uocibus, quibus olim pij quidam sunt usi, uel ob nouitatem præstat abstinere. Si substantiam accipis, cui inhærent accidentia, impium est hoc nomen deo tribuere, qui simplicissimus est nec ex materia & forma compositus, nec accidẽtibus admixtus, sed quicquid in illo est, una simplexq; substantia est. Quod si quid huiusmodi uocabulorum attribuitur in sacris literis deo, uelut, irasci, placari, pœnitere, obliuisci, recordari, scito scripturam ad nostros sensus attemperare linguam suam, quemadmodum mater balbutit cum infantulo. Porrò si substantiam appellas rem solide per se subsistentem, nihil est in quod rectius quadret substantiæ uocabulum quàm in deum: per illum enim est, quicquid uere est: perfectissime autẽ sit oportet, quod omnibus dat ut sint. K A. Hæc quidem abs te pie dilucideq; mihi uidentur disserta. Cæterum quum multa elogia competant in deum, sapientiæ, bonitatis, æternitatis, incommutabilitatis, ueritatis, iustitiæ, misericordiæ, aliaq; innumera, quur hic tantum exprimitur omnipotens? C A. Tu quidem sapiẽter interrogas. Quisquis enim uere profitetur deum, eadem opera profitetur omnia quæ diuinæ naturę congruunt. Sed quoniam hic rudibus credenda proponuntur magis quàm discutienda, & non solum in orbe condito, uerum etiam in redempto & consummando plurima sunt quæ sensui humano uidentur impossibilia, ad excludendas omnes istiusmodi ratiocinationes additur hic omnipotentis cognomen. Aristoteli insolubilibus argumentis probanti mundum hunc fuisse ab æterno, quod ex nihilo nihil possit gigni, Respondetur, omnipotens est, qui mundum quum non esset condidit. Negant à priuatione recursum ad habitum, eoq; nec Christum natum ex uirgine, nec à mortuis resurrexisse: respondetur, omnipotens est deus, qui hæc operatur. Iudæi negant hominem ex homine nasci citra uirilem operam, respondetur deum esse qui hoc fieri uoluit, deum esse qui natus est, deum esse qui præparauit uirginis uterum. Ad confirmandam igitur fidem imbecillium, præcipue facit omnipotentis cognomen. Cum enim infinita sit & incomprehensibilis dei potentia, stultum est disquirere, quomodo hoc aut illud fecerit, sed cum fideli Psalmographo dicendũ est: Omnia quæcunq; uoluit dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. K A. Creatorẽ cœli & terræ. Quur uni patri tribuitur mundi creatio? C A. Est quidẽ omnibus personis mundi creatio cõmunis. Siquidem pater uniuersam creaturã condidit per filium, cooperante spiritu sancto, sic tamen ut hic nec instrumẽtum imagineris nec ministrum. Sed conueniebat, ut exordium Euangelicæ professionis consonaret cũ initio ueteris testamẽti, quo uel hinc intelligamus utriusq; legis unũ esse principem & autorẽ. Sic orditur Genesis: In principio creauit deus cœlum & terram. Iudæis aũt, de uulgo loquor, ignotus erat filius et spiritus sanctus, solum patrem agnoscebant, non quod genuisset filium deum, sed quod conditor esset & gubernator humani generis, & uniuersæ creaturæ fons. Pater enim originis uerbum est, & constat perfectissimam originis rationem esse in patre, quod hic solus, ut ait Cyprianus, sine autore sit, qui solus autor omniũ est citra exceptionem. K A. Quur quod hic dicit conditorem, alius uocat creatorem, alius factorẽ? C A. Græcis unica uox est ποιητὴς, cõmunis ad autorẽ, creatorẽ, & quomodocunq; factorem, tametsi factoris uocabulũ repudiat lingua latina. Quidã distinguẽdi gratia docuerũt eum creare qui de nihilo producit aliquid, quod est solius dei: eum facere, qui ex materia fabricatur aliquid, quemadmodũ natura ex grano gignit arborẽ, & artifex ex argento facit pateram. uenit igitur in disquisitionem an deus creasset cœlum & terram, quũ prius uideatur fuisse chaos, hoc est materia informis. Non igitur ex nihilo creauit: quãquam recte dicitur ex nihilo creasse, qui hoc ipsum creauit, unde facta sunt omnia. Hanc argutationẽ ut excluderent, quidã maluerunt conditoris

uti uocabulo. K A. Quur maluit appellare conditorem cœli & terræ, quàm conditorem uniuerſæ creaturæ. C A. Quia ut modo dixi, maluit Geneſeos uerba referre. Cœlum uniuerſa cõplectitur, circum terram uoluuntur elementa cętera, hæ duę mundi partes noſtris ſenſibus maxime ſunt expoſitę. Et ad ſenſus humanos, ut iam admonui, frequẽter ſcriptura ſermonẽ ſuum attemperat. Qui condidit cœlum & terrã, utiq; cõdidit omnia quæ his continentur. K A. At Nicenum ſiue Conſtantinopolitanum Symbolum addit, uiſibilium omnium & inuiſibilium. C A. Idem dixit, ſed explanatius, ne quis putaret angelos, aut animas hominum à deo non eſſe conditas, Quod ſi recte dictum eſt, exerte pronunciat Apoſtolus Col. 1. Quoniam per ipſum condita ſunt uniuerſa in cœlis, & in terra, uiſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominatiões, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. Quicquid nunquam eſſe cœpit deus eſt, ſed angeli ſunt miniſtri dei, quem ut conditorẽ ac dominũ indeſinenter cum tremore glorificant & adorãt. Quicquid autem eſſe cœpit, ab uno deo duxit originem, qui ſolus nec principium nouit, nec finem, nec loco tenetur, nec tempore mouetur. K A. Quid iam ſupereſt, niſi ut ad ſecundũ articulum tranſeamus? C A. Satius arbitror nõnihil etiam circa hunc articulum immorari. K A. Sequor. C A. Primus igitur ad ſalutẽ gradus eſt, credere deum eſſe. Secundus credere deo, hoc eſt fidem habere uerbis illius. Tertius, omnem ſolicitudinem plena fiducia in illum conĵcere. Qui non credit eſſe deum, profitetur nihil uſquam eſſe, quum ab illo ſint quæ ſunt. Qui credit deo, profitetur illum eſſe ueracem in omnibus. Qui totam fiduciam in eo collocat, profitetur ab illo gubernari uniuerſa, nec quicquam illo eſſe uel melius uel ſapiẽtius. Quiſquis de his poſterioribus ambigit, nec primũ illud uere credit. Non enim uere credit eſſe deum, qui alium fingit cũ eſt. Imò turpius errant, qui quum profiteantur eſſe deum, tamen negant illum omnipotentẽ aut omniſcium, aut negant ab eo conditũ mundum. Et ſi conditus eſt, negãt ab eo gubernari. Quemadmodũ tu, ni fallor, leuius indigna reris illi, qui putaret te eſſe nõ natum, cũ qui crederet, tibi non eſſe ſenſus, aut mentẽ humanã, aliaq; ſine quibus homo cognomen hominis amittit. K A. Profecto ſic eſt. C A. Qui regem nominat, multas egregias res unica uoce complectitur. Qui deum nominat, infinitam omnium bonorũ ſummã complectitur. Plurimi ſonant ore, Credo in deum, ſed qui Chriſtiano pectore dicit, credo in deum, primũ execratur paganos quoſdam Cyclopicos qui non credunt ullum eſſe deũ. Nec minus iſtos qui numerant nobis multos ac multiplices deos, quũ eadem opera fateantur nullũ eſſe deũ. Si em plures ſunt, eſt quo alius ab alio differat: id ſi bonũ eſt, non eſt deus qui caret aliquo bono: ſi malum, in deũ nihil cadit mali. Similiter & eos qui nihil omnino eſſe credũt pręter ea quæ corporis ſenſibus percipiũt. A quibus non procul abſunt Anthropomorphitæ, qui quoniã in ſcripturis legerant oculos, faciem, os, manus, cor, brachium, uterum & pectus dei, putarunt deum eſſe corporeum humana forma, humaniſq; membris compoſitũ, quum nihil lõgius abſit ab omni materia ſenſibili quàm deus, & Ioãnes ſcribat, Deus ſpiritus eſt. Dein Epicureos, qui ſic concedunt eſſe deũ aut deos eſſe, ut negẽt illis curæ eſſe res mortaliũ. Hi deum uel impotentẽ faciunt, uel ſtultũ, qui non ualeat regere quod condidit, uel maleuolum qui nolit, uel ſocordem & ebrium, qui neglígat. Hæc in hominẽ monarchã dicta blaſphemiæ plena ſunt, quanto magis ſi dicantur in deũ. Atqui dominus in Euangelio clamat, ne paſſerculũ quidem cadere in terrã abſq; uoluntate patris, ac diſcipulorum etiam capillos omnes eſſe numeratos deo, ut nec pilus pereat, niſi illo uolente. Et magiſtro accinit diſcipulus Petrus, Omnẽ ſolicitudinem cõĵcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de uobis. Deteſtatur & Iudæorum blaſphemiam, deum unum profitentium, ſed filium ac ſpiritum ſanctum abnegantium, quum dei ſubſtantia ſiue eſſentia ſic una ſit, ut eadem, atque ut Dialecticorum more loquar, eadem numero ſit in filio à patre genito, & in ſpiritu ſancto ab utroq; procedente. Pater clamat è nubibus, Hic eſt filius meus dilectus, & Iudæus dicit, non habet filium. Idem clamat per os Iohelis: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, Et Iudæus reclamat, Deus non habet ſpiritum ſanctũ, ſed ſolitarius eſt? Huic dementiæ affinis fuit ἀνόητος Noetus & impius Sabellius, à quibus nata eſt hæreſis Patriſpaſsianorum, quæ dei ſubſtantiam non in tres perſonas, ſed in tres uoces diſtinxit. Pater, inquiunt, mundum condidit, idem filij nomine carnem aſſumpſit, & paſſus eſt. Idem cõmutato nomine iam ſpiritus ſanctus uenit in diſcipulos. Sciens ac lubens hic prætereo Baſilidis ac Marcionis

pluſquam

pluſquam blaſphema ſomnia. Ad Iudæorũ impietatem accedunt Origeniſtę, qui filium dei faciunt creaturã, & ſpiritum ſanctum creaturæ miniſtrum. Accedit Arius, qui fatetur filium, ſed uoluntatis & ſimilitudinis non naturæ, quanquam hanc ſimilitudinẽ uult imperfectam eſſe, qualis eſt umbręad corpus, quod exiſtimet inter creatorẽ & creaturã non cadere niſi tenuem & obſcuram ſimilitudinem. Huius impietatem uincit Eunomius, qui docuit filium per omnia patri diſsimilem, quod nulla ſit affinitas inter conditorem & rem conditam, uelut inter infinitum & finitum. Ab hoc ſic diſſentit Macedonius, ut tamen eccleſiaſticæ doctrinæ non aſſentiatur. Fatetur filium per omnia patri ſimilem, ſed ait ſpiritum ſanctum nihil habere commune cum patre & filio. De Manichęis iam attigimus, qui dum fabricantur duo principia ſibi contraria, à quorum altero condita ſunt uiſibilia ut mala à malo, ab altero inuiſibilia, ut à bono bona, nimirũ ex uno deo faciunt duos, bonum & malum, ſicuti & gnoſtici. Synerus dum tria principia facit, totidem facit deos. Rurſus qui filium aut ſpiritum ſanctum à deo ſeparant, quum illi natura cohæreant, mutilum deum nobis obtrudere conantur. Item ſunt qui pro deo ſupponunt naturam: quæ ſi æterna eſt & omnipotens, profecto deus eſt: ſi nõ eſt talis, dei miniſtra eſt, & à deo condita. Idem de ſecundis cauſis ſentiendum arbitror. Quanquam mea ſententia religioſius eſt, totum hoc uel quod agit natura, uel quod ſecundariæ cauſæ, unius dei energiæ tribuere, quæ ſi ceſſet, nec ſol ſit futurus lucidus, nec cœlum uolubile, nec ignis calidus, ſed repẽte corruẽt omnia. Execratur & Seleucum, qui mundum fatetur à deo conditum, ſed materiam ait fuiſſe ab æterno, rem informem & imperfectam deo æquans. Execratur & Menandrum, qui Platonem imitatus docuit mundum non à deo, ſed ab angelis conditum, angelos appellans quos Plato uocat dæmones deorum ſelectorum filios: Atq; his quoq; turpius delirantem Saturninum, qui ſomniauit mundum à ſeptem angelis cõditum, & omnium turpiſsime delirantem Baſilidem, qui docuit mundum conditum à trecenteſimo ſexageſimo quinto cœlo. Sed iam piget errorum, quorum nullus eſt finis. In ſumma quicunque de deo ſecus ſentit, quàm reuera eſt, aut non talem credit, qualem nobis depinxit diuinarum ſcripturarum autoritas, nõ credit in deum, ſed in idolo ponit ſpem ſuam. Vides quantam philoſophiam nos docuit tam breuis articulus, quantiſq; tenebris ac monſtris errorum nos liberarit. K A. Profecto uideo magnam rem eſſe, ex animo dicere, Credo in deũ. C A. Iſtuc etiam magis dicas, ſi reputaris, quanta ſit hominum turba, in quos hæret illud Beati Pauli: profitentẽ ſe noſſe deum, ſed factis abnegant. Quicquid homo præfert deo, id ſibi facit deum. K A. Quo pacto? C A. Deus dicit, non mœchaberis, cõcupiſcentia dicit mœchare. Hic qui neglecto deo auſcultat cõcupiſcentiæ, nonne quadantenus deum repudiat, & in eius locum ſubſtituit concupiſcentiã? K A. Videtur. C A. Deus dicit noli peierare, auaritia dicit peiera, nonne hic auarus pro deo uero colit Mammonã? Scriptura docet nos ubiq; deum præſentem eſſe, nec quicquam eſſe abſconditum ab oculis eius. An hi credũt hoc, qui quotidie cõmittunt ſub oculis dei, quod homine teſte non auderent committere? K A. Non uidetur. C A. Qui ob mortem liberorũ, aut ob ereptas merces confugiunt ad laqueum, num hi credunt omnes res humanas geri ſapienter, ac miſericorditer à deo gubernari. K A. Mirum ſi uere credunt. C A. Qui toto pectore per omnem uitã mundo ſeruiũt, lætantes quum male fecerint, & exultantes rebus peſſimis, an iſti credunt deum nihil malorũ inultum relinquere, ſed qui hic noluerũt ſua ſcelera per pœnitentiã explare, mitti in ignem æternum? K A. Meo quidem animo, aut nõ credunt aut frigide credunt. C A. Rurſus qui cõſiderata criminũ ſuorum magnitudine, deſperant ueniã, an hi credũt deum eſſe infinitæ miſericordiæ? K A. Nõ eſt ueriſimile. C A. Plurimũ igitur habet momenti ad pie beateq; uiuendũ, uiuida fide uerũ noſſe deum. Qui ex animo credit, illũ eſſe ſumme bonũ ſummeq; pulchrũ, qui poterit aliquid amare ſupra illum? Qui credit omnipotentẽ, non conabitur illi reſiſtere qui uinci non poteſt. Qui credit ſumme ſapientẽ, nunquã illi obmurmurabit in rebus aduerſis. Etenim ut improbus omniũ iudicio uideatur qui quũ ſit idiota, medicum reprehendat, quod uarijs corporibus diuerſa præſcribat: ita prorſus excors ſit, qui deum perinde iudicat, quaſi neſciat, quid cuiq; ſit optimum. Medicus alium ungit ac lauat, alium urit aut ſecat, alij uenam incidit, alij proluit aluum, alij ſiſtit, alij præſcribit inediam, alij cibum, alium iubet dormire, alium uetat, & dicimus, medicus eſt, nouit quid expediat ægroto: & quum deus huic largitur opes, alij adimit, alij dat liberos, alij negat,

Hebr. 4

huic dat prosperã ualetudinem, illi corpus obnoxium morbis, dicimus quur deus ad hũc modũ tractat homines, ac nõ potius dicimus, deus est, nouit quid cuiq; expediat. Qui credit summe iustum, nunq; sibi promittet malefactorũ impunitatẽ. Qui credit omniscium, nõ facile cõmittet illo spectante, quod apud bonũ uirũ erubesceret facere. Qui credit summe ueracem, horrebit impijs intẽrata supplicia, & ad æternam beatitudinem promissam pijs aspirabit. Qui credit hunc mundum hominis causa conditum, quocunq; se uerterit, excitabitur ad adorandam tantam numinis indulgentiam, & à deo concessis uti uerebitur secus quàm ad illius gloriam. Sed sit hic huius colloquij finis: posteaquam oraueris, & hæc tecum uolut animal mundum ruminaueris, ad me redito.

CATECHESIS III

SENTIO granũ sinapis in animo meo per te satũ magis ac magis exerere uim suam. CA. Vtinam me plantante ac rigante dñs det incrementum usq; ad legitimam maturitatem. KA. Sed inter cogitandum hic scrupulus pupugit animum meum, quã ob causam, quum in disciplinis initia sumi soleant à facillimis, notisq; sensib. familiariter notis, hæc philosophia protinus à deo cœperit exordiũ, quo nihil magis arduum, aut ab humanis sensibus remotius? CA. Quoniam hæc philosophia fidei est, nõ disquisitionis. Disquisitio per longas ambages ac sinuosos Meandros ducit hominis mentem, ac sæpe numero seducit. Fides cõpendio subuehit ad summũ, ac uelut in sublimi specula collocat animum nostrũ, unde certius ac plenius dijudicet hæc inferiora, ad deum omnia referens, in quo est initiũ, incrementũ, ac perfectio omniũ. Cognitio quæ nascit è sensibus, interdum incerta est, q; non raro fallant sensus: ueluti quum sol nobis uidetur bipedalis, quũ sit maior tota terra, quum fulmen prius uidemus q; audimus tonitruum, & tamen uisus & auditus inter sensus externos præcipui sunt. Nec semper certa est cognitio, quæ colligitur ex causis, siue principijs demõstratorijs, quũ uideamus sapientiæ professores aliquoties & de principijs ambigere. Porro qm̃ fides à deo ueniens superat & sensuum & principiorũ omnium certitudinẽ, nulla est certior cognitio q; per fidẽ, ac nulla etiã cõpendiosior faciliorq;. Accipe argumentũ: quot hodie sunt textores ac textrices, qui melius philosophantur de rebus diuinis, q; philosophorũ præcipui Plato & Aristoteles? Quorum prior ille q; multa delirat de dijs selectis ac dæmonijs deorum filijs, de mundo a dæmonibus cõdito, de animabus è cœlo delapsis? Hic posterior qm̃ ab imis ad summa conatur emergere, per quot disciplinarũ ambages ducit ingeniũ, quamdiu remoratur nos in dialecticis, in poeticis, Rhetoricis, Physicis, meteorologicis, priusq; ueniat ad ultra mũdana? Nec tamen ad dei cognitionẽ, cuius gratia tot gradus facti fuerãt pueniat: ad quã nunc per fidẽ, & cito & facile prouehuntur adolescentes, nullis humanis instructi disciplinis. Præcipua philosophia quæ uerã beatitudinẽ cõciliat homini, est nosse deum, & a deo missum Iesum Christum. Ad hanc quoniã maxime secundum naturã est, omnis quidẽ sexus, omnisq; ætas docilis est, sed ea præcipue quæ nondũ est prauis infecta cupiditatibus. Intantum uerò secundũ naturã est religio, ut huius sensus aliquis elephantis aliq; brutis animantibus inesse credatur. KA. At qui simpliciter credit quæ de deo prodita sunt, non poterit cum philosophis & hæreticis cõgredi. CA. Neq; enim hæc philosophia discitur ad palęstrã, sed ad piam uitam. Quid aũt arrogantius istis, qui rationibus humanis de diuina natura disputant, quum nullus sit illorũ, qui culicis aut araneoli naturã ualeat ad plenũ assequi, quum hæc quotidie uideant? Qui scrutator est maiestatis, opprimitur à gloria, nõ aliter, q; qui solem intentis immotisq; oculis diutius intuentur, cæcutientes discedunt, ut iam interdũ impingant & in palum obuiũ. Fidei uerò simplex & columbinus est oculus, hâc reuerenter contẽplans deum, quâ nobis uoluit innotescere, non curiose scrutans ea, quæ nobis uoluit interim esse tecta, donec peruenerimus ad illud cœleste theatrũ, in quo propius clariusq; sese contẽplandum præbebit purgatioribus oculis. In hac una satis est, quod tenes deum esse, & unum esse natura, triplicem personarũ distinctiõe. Tenes filium à patre nasci, spiritũ sanctum ab utroq; procedere. Tenes deum esse non corpus sed mentem infinitæ uirtutis, simplicissimã, æternam, ut quæ fuerit ante omnia tẽpora, nec tempore mutatur. Ah hac omnipotente mente tenes mundũ uniuersum esse conditũ, & conditum hominis causa. Deus enim nec mundo eget, nec homine, nec prorsus ulla creatura, in sese & ex sese perfectissimus est. Verũ quoniã summe bonus est, noluit solus esse beatus,

sed

sed felicitatem suam in angelos atq; homines & in uniuersam creaturã diffudit, quatenus quæq; res diuinæ munificẽtiæ capax est. Homini uarijs modis loquens uoluit innotescere. Primitus quodãmodo loquutus est humano generi, dum per filiũ, qui est uerbũ patris, de nihilo creat hanc admirandã mundi fabricã, ut ex opere conijceremus opificem. Tale enim opus nec homo, nec angelus posset absoluere. Hic erat primus gradus ad cognitionem dei. Successit lex, quæ mentis humanę caliginẽ nõnihil adiuuit, sed ea preter q̃ quod uni genti data est, per typos et ænigmata nobis deũ deliniauit, pręparans animos hominũ ad lucem Euangelicã, quæ per filium nobis illuxit. Naturali lumine ad fastum abusi sunt philosophi, lex plerisq; Iudæis fuit maioris impietatis occasio. Mundus erat refertus Idololatria, Iudęi tumebant inani persuasione iustitiæ, peccatũ impune regnabat in orbe, dum hominũ maxima pars imitatur primos humani generis parẽtes: hic prompsit sese dei misericordia, quæ superat omnia opera illius. Dignatus est nobis propius per eundẽ filium ac familiarius innotescere, ut uel sic in mutuũ amorẽ illius reparemur, tot tamq; mirandis ꝓuocati beneficijs. Cõdiderat quũ non essemus. Restituere uoluit, quũ perissemus, præstiterat enim non esse q̃ perire. Post orbem mirabiliter conditũ, post legem diuinitus datam, post prophetas dei spiritu afflatos, misit unicũ filium factum hominẽ, ut saltem homines amaremus. Misit aũt non ultorem, sed seruatorẽ, cuius morte nos reuocaret in uitã. Quid amplius potuit immensa dei charitas? Præbuit sese nobis quodãmodo palpabilẽ, seipsum quatenus licuit in exitiũ tradidit, ut nos ueræ saluti restitueret. Omnipotẽtiã suam præcipue declarauit orbe cõdito, nũc declarauit immensam misericordiã & inscrutabilẽ sapientiã: misericordiam quòd gratis redemit, sapientiã quod sic redemit. Proinde quæ iã supereſt homini tergiuersatio, si tã stupendã dei bonitatẽ negligat? Hãc partẽ nunc docet symbolum, Et in Iesum Christũ filium eius unicũ, dñm nostrum. K A. Quur istis cognomentis designauit personã redemptoris? C A. Vt omnib. modis declararet secundam personam, quæ proprie carnem assumpsit, esse uerum hominẽ ex homine, ac uerũ deum de deo. K A. Quo pacto? C A. Sunt qui putant Iesum esse deitatis uocabulũ, Christum humanæ naturę. In hanc opinionem adducti uidentur, quod Iesus Hebræis sonet seruatorẽ, Christus unctum. Nemo aũt potest dare salutem æternam, nisi deus, & unctio sonat spiritualem gratiã, quæ non cadit nisi in hominem. sed re uera utrunq; uocabulũ est humanæ naturæ. Iesus est nomen personæ singularis, hoc est illius hominis qui solus omniũ natus est ex uirgine, quem Ioannes indicauit digito, ne quem alium pro uero redemptore amplecterentur. Ecce, inquit, agnus dei. Christus uocabulũ est uel regni uel sacerdotij. Nam apud Iudæos & sacerdotes & reges ungebantur unctione sacra, & utriq; honoris gratia Christi dicebantur. Vterq; porrò titulus Christo cõgruit, qui dictus est sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech, qui ut sacerdos seipsum agnum uerè immaculatũ in ara crucis obtulit pro salute mundi, & ut rex post resurrectionem apparens, discipulis regaliter dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: nec aspernatus est latronis uocẽ regem agnoscentis Memento mei cum ueneris in regnum tuum. Quanquam dñs nunquam externo chrismate fuit unctus quẽadmodũ Aaron Exodi 29. aut Saul 1. Reg. 10. Sed hic erat quem singulariter unxit deus plenitudine spiritus sui. Quanq; in Iesu uocabulo præterq; quod singularem designat personam, reuocatur in memoriam ueteris testamenti figura. Nam Iesus ille Naue, gessit Iesu redemptoris imaginem. Moses qui typus est cęremoniarũ, non potuit populũ Israeliticũ in terram repromissam perducere. Sed illi succedens dux Iesus eo perduxit, Neq; em̃ est aditus ad uerã felicitatẽ, nisi per fidem & gratiã, quã omnibus detulit Iesus uirginis filius. In cognomine Christi, quod in Euangelicis & Apostolicis literis frequẽter inculcatur, Iudæis exprobratur stulta & pertinax incredulitas, qui in hunc usq; diem expectant suum messiam. Nam quẽ Latini uocant unctum, Græci Christũ, Hebræi Messiam appellant. Expectãt autem regem opibus, copijs reliquisq; mundanis præsidijs affatim instructum, qui Iudaicã gentem nunc ubiq; reiectam & exulem in libertatem ac regnum restituat. Et hac inani spe infelix illa natio consolatur suam calamitatem. At nos Christiana fides docet hunc esse uere Messiam illum unicũ à prophetis olim promissum, qui non unam gentẽ, sed per oẽs mundi plagas ueros Iudæos, hoc est, Christi nomen profitentes, & corde circuncisos, non armis corporalibus, sed sanguine suo liberaret à tyrannide Satanæ, & condonatis peccatis omnibus restitueret uerę libertati, ac tandẽ cœlestis

regni sibi cohęredes & cõsortes ascisceret. Iesus igit̃ expressus est, ne sit error in persona: Christi cognomen additũ est, ne quis Iudaissans expectet alium messiam, aut aliũ redemptorem. semel uenit, semel perfecit sacrificiũ illud unicũ & admirabile, cuius mystica cõmemoratione uoluit nos ali fulciriq́, donec denuo ueniat non iam redẽptor, sed iudex ac remunerator. Primum igitur indicauit nobis uerum hominẽ illum admirabilem, in hoc ab æterno destinatũ, ut per eum mundus redimeretur. Mox in eodem indicat nobis uerũ deum, filium eius unicum, dominũ nostrũ. Ex deo nihil proprie nascitur nisi deus, quemadmodũ ex homine iuxta naturæ cursum nihil nascitur nisi homo. K A. Atqui scriptura frequenter homines pios appellat filios dei. C A. Et ideo addidit, unicũ siue unigenitũ, ut hunc natura filium dei, secernat à filijs per adoptionis gratiã in hunc honorẽ ascitis. K A. An est nephas Christũ iuxta naturã assumptã appellare filiũ adoptiõis? C A. Religiosius est à talibus abstinere titulis, ne quã ansam demus Arianis. Adoptatur qui prius nõ erat filius, quemadmodũ nos qui nati filij iræ, per fidẽ in Christũ facti sumus filij dei. At Christus nunquã nõ fuit filius dei, sed ut cõceptus est de spiritu sancto, felix illius anima simul creata est omnis gratię cœlestis plena. Quanq́ autem dominus bis natus est, ex patre sine tempore, ex uirgine tẽpore præfinito à deo, non sunt tamen duo filij, sed unicus est filius, nõ alius, sed idẽ aliter natus. De substãtia uirginis natus est, ut cognoscamus humanæ naturæ ueritatem: quod aũt citra uirilem operam de spiritu sancto cõceptus, & illæsa matris uirginitate natus est, pręrogatiua erat dignitatis. K A. Quur addit dominũ nostrum? C A. Hoc cognomento frequenter illũ honorãt sacræ literæ, præsertim noui testamenti. Quatenus erat deus de deo, dñs erat omniũ, non alius dominus à patre, quemadmodũ nec alius deus. Sed peculiari ratione dicitur dominus electorũ, quos asseruit à dominatu Satanæ, & sibi fecit populũ acquisitionis. Quicunq́ enim commitit peccatum, seruum se constituit illius: per peccatum aũt tyrannidem obtinet Satanas. Ab hoc igitur tyrãno crudelissimo translatum esse dominiũ in Iesum Christum multo clementissimũ, admonet nos Symbolum: quo titulo noui testamenti literæ frequenter designant filiũ dei, ostendentes cui sese totos dedicent, qui baptismũ accipiunt, & cuius imperatis postea per omnẽ uitã absq́ ulla respõsatiõe parendum sit, & sub cuius tutela securi possint uiuere. Nullus enim illi quod possidet potest eripere. K A. Domini cognomen quomõ competit in Christum, iuxta diuinam naturam, an iuxta humanam, an iuxta utranq́? C A. Iuxta utranq́, sed non eodem modo. Iuxta superiorem naturam dominus fuit omnium ab exordio mundi, iuxta assumptam, per mortem & ignominiam promeruit intrare in gloriam, datumq́ est illi nomen, quod est super omne nomẽ, ut in nomine Iesu sese flectat omne genu, cœlestiũ, terrestriũ & inferorũ. K A. Ergo ut homo dominus est angelorum? C A. Maxime. Dęmonum quoque. K A. Vtrò refertur uox, unicum, ad filium qui pręcessit, an ad dominũ, qui sequitur? C A. Ambigue quidẽ in confinio posita est ea uox, quod utriq́ congruat. Nam ut est unicus filius natura, ita est unicus dominus omnium rerum cõditarum. Rectius tamen refertur ad filiũ: quod hæc distinctio euidẽter exprimit diuinã naturã, quam habet à patre nascens, cum patre cõmunem. K A. Quur igitur non dictũ est, in unico filio eius? Ita nulla fuisset ambiguitas. C A. Voci additę ad discretionẽ, magis cõueniebat loc⁹ posterior. Etem̃ si dixisset, unicũ filium eius, accipi poterat, filij dei cognomen non cõpetere nisi in unum hominem Iesum: nunc quum addit unicum, non diuidit filium, sed distinguit generatiõis modum, ut intelligamus, uerbũ quod à patre deo sine tẽpore nascitur deus, idem tempore suo natum ex uirgine, hominẽ ex homine. Augustinus in libello de symbolo pro una uoce duas ponit. Et in Iesum Christum filium eius unigenitum, unicum dñm nostrum. Sed quoniam ex interpretatione non liquet an ita legerit, probabile est unigenitũ additum ab aliquo, qui conatus sit explanare, quare dixisset unicũ. Nam dei filius in scripturis interdum dicitur primogenitus iuxta naturam assumptam, unigenitus iuxta diuinam natiuitatẽ. Ro. 8. ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Io. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre. Item ca. 3. Sic deus dilexit mundũ, ut filium suum unigenitum daret. Secundum priorem generationẽ, nec frater est noster, nec hæres dei, nec fratres habet, nec cohæredes: iuxta posteriorem & fratres habet & cohęredes. K A. Nihil interest inter unicũ & unigenitum? C A. Vnicus dici potest, qui solus è liberis superest, quẽ non recte dixeris unigenitum. Tametsi sacrorũ uoluminum interpretes, eandem uocem μογογενὴς

interdum

interdum uertunt unicum, interdum unigenitum. Velut Lucæ 7. uiduæ filius unicus dicitur, quem Euangelista dixit, μονογενῆ. Et πρωτότοκον, hoc est, primogenitus, interdum dicitur unigenitus. Sic enim Matthæus loquitur de matre Iesu, peperit filiũ suum primogenitum, Nam primum interdum dicitur, non quod alia præcedit, sed quod antea nunq̃ fuit. Veluti quum dicitur, primũ ho die uidi Cæsarem, recte dicitur, etiam si postea nunq̃ uideat. Ita primogenitus dici potest, qui primo partu æditus est, etiãsi nullus sequatur partus. Alioqui quæ lex iubet fieri in primogenitis, nõ fuissent præstanda, nisi duo partus succedissent. Primus enim nõ dicitur, ni qui è tribus principẽ obtinet locũ. K A. Sed si Christus iuxta naturã etiã humanã est omniũ dñs quomodo dicitur habere fratres? C A. Etsi Christus non esset omnium dominus iuxta naturam assumptam, tamen ob unitatem hypostaseos, tres substantias cõplectentis recte diceretur omnium dñs, quemadmodum pie dicimus deũ passum ac mortuũ. Sed hic frater, nõ est uocabulũ ęqualitatis, sed similitudinis, cognationis & charitatis. Eadem dignatione discipulos suos appellat, pro seruis amicos, non abdicans ius suum, quod alibi agnoscit, quum ait, uos uocatis me magistrũ ac dominum, & bene dicitis, Sum etenim: sed eximiam charitatẽ suam declarãs, quæ nihil recusat, modo prosit. Quid autẽ noui si dignatus est eos fratres appellare, erga quos non dedignatus est agere ministrũ? Iudæi omnes suæ gentis fratres appellabãt, sed peculiarius cognatos. Dominus autem Iudæus erat natus ex Iudæis, quod euidenter expresserunt in eius genealogia Matthęus & Lucas. Sed reuera quiuis homo cuiuis homini frater est, ob eandem naturam ab ijsdem progenitoribus profectam, ac similibus obnoxiã afflictionibus, in Christo duntaxat excipio peccatum & quicquid eò uergit. K A. Peccatum originis non est proprie peccatum. C A. Sed obstat plenitudini gratiæ quæ fuit in Christo testãte Ioanne, sed inclinat ad peccatum, ut non perpellat. Hoc repugnat dignitati Christi. Non enim conueniebat, ut qui uenerat purgaturus mundũ ab omnibus peccatis, aliquo modo esset affinis peccato. K A. Sed esurire, sitire, lassari, angi, tedere, mori, sunt originalis peccati germina, quæ tamen in scripturis Christo tribuuntur. C A. Plurimum interest inter naturam conditam & prolapsam, Adam antequam peccaret, uerus erat homo, & tamen liber erat ab his incõmodis quibus omnes urgemur, alij plus, alij minus. Peccatum in scripturis interdum dicitur, peccatis debita pœna, interdũ uictima qua expiatur peccatũ. Eoq̃ dictum est priscis sacerdotibus, peccata populi comedetis. Et Paulus 2. Cor. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Dominus in se recepit non solum ueritatem humanæ naturæ, uerum etiã incommoda quæ naturam prolapsam comitantur, exceptis ijs, quæ uel non congruunt dignitati personæ, quæ simul erat & deus & homo, uel excludũt, ut modo dicebã, gratiæ plenitudinem. Neq̃ eñ recepit procliuitatem ad peccandũ, ac ne facultatem quidem, nec recepit errorẽ aut ignorantiã. Ea porro mala quæ recepit, non ex necessitate naturæ, sed uolens nostra causa suscepit, ut dependeret quod nos commerueramus. K A. Quur mutauit præpositionem, de spiritu sancto, ex Maria uirgine? C A. Græcis una eadẽq̃ est præpositio ἐκ, sed huius uaria est significatio. Ex ipso & per ipsum sunt omnia, tanquam ab autore profecta. Ex auro fit patera uelut è materia: ex arbore nascitur arbor, propagatione speciei, sic ex homine gignitur homo. K A. Quur solum exprimit spiritum, quum tota trinitas simul operata sit hoc adorabile mysteriũ. C A. Quoniam in Euãgelio Lucæ loquitur angelus uirgini, Spiritus sanctus superueniet in te. Neq̃ enim raro scriptura, singulis personis quædam attribuit tanquam propria, quum sint omnium cõmunia: ueluti quum patri tribuit æternitatẽ & omnipotentiã, filio sapientiã, spiritui sancto charitatem & bonitatem, quum pater per filium dicitur condidisse mundum, per spiritum dilargiri charismata. Symbolum igitur, & in hoc mysterio Gabriel, expressit trium personarum functionem. Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Quum audis altissimum, intelligis adesse patrem ueluti fontẽ & autorem, ut à quo filius mittitur cum spiritu sancto: quum audis uirtutem altissimi intelligis filium qui proprie carnem assumpsit. Neq̃ enim pater aut spiritus sanctus assumpsit hominem. Conuenienter enim spiritus sanctus dicitur superuenire, ut excluderetur omnis humana cogitatio: quæ quum audit conceptionis aut natiuitatis uocabulum, imaginatur uirile semen exceptum utero fœmineo: aut quum admonetur hominẽ è uirgine natum, aliquid his etiã fœdius somniat, reputans quæ fabulis hominũ spargunt de nõnullis mulieribus,

quæ

quæ narrantur geſſiſſe uterum ex ſemine maris in balneo natante, de equabus uento gra-
uidis, ac de incubonibus. Vt omittam poetarum fabulas, quibus perſuaſæ gentes credide
runt ex dijs & hominibus naſci heroas. Hæc omnia portenta ut excluderet Euangeliſta
profitetur illic adfuiſſe pro marito patrem cœleſtem, qui quodam modo iterum gignit fi-
lium ſuum, profitetur fœtus originem non fuiſſe ab incubone, nec ab ullo ludibrio ſpiri-
tus impij, ſed à ſpiritu ſancto. Id ita habere palam declarat Euangelici ſermõis tenor, dum
uirgini ad cõceptionis ac partus mentionẽ hæſitanti, percontantiq́, quomodo fiet iſtud,
angelus eximens illi ſcrupulum, reſpondit, ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te. K A. Quur
ſymbolũ exprimit uirginis nomen? C A. Ad maiorẽ hiſtoriæ fidẽ. Sic expreſsit nomẽ Ieſu
Chriſti, ſic expreſsit nomen & cognomẽ præſidis, ſub Pontio Pilato. Eoq́ cõſilio Lucas
hic diligenter expreſsit omnia nomina, menſis, legantis dei, Angeli legati, regionis, ciuita-
tis, ſpõſi, tribus, & uirginis, quũ ait, In menſe aũt ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à deo in
ciuitatẽ Galileę, cui nomẽ Nazareth, ad uirginẽ deſponſatã uiro cui nomen erat Ioſeph
de domo Dauid, nomen uirginis Maria. Non ſic narrant qui fingunt ac deprehendi metu
unt. Olim afflatus ſpiritu ſancto uaticinatus eſt Eſaias, Ecce uirgo cõcipiet & pariet filiũ,
& uocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatũ ſonat nobiſcum deus. Eam uirginẽ
eodem afflatus ſpiritu nobis ceu digito demonſtrat Euangeliſta, & Angelus uelut expla-
nans Eſaiæ uaticiniũ, ait, & q̃ naſcetur ex te ſanctũ, uocabitur filius dei. Hæc eſt illa Ma-
ria, ad cuius nomen recreantur omnes animæ piorum. Cum Euam audimus ingemiſci-
mus, quum Mariam audimus, in bonam ſpem erigimur, Per illam naſcimur filij iræ, per
hanc renaſcimur filij gratiæ. K A. Haberetur ne pro hæretico qui crederet Mariam uirgi-
nem poſt ędítum Ieſum alios è ſponſo ſuo ſuſtuliſſe liberos? C A. Non tantũ pro hęretico,
uerũetiam pro blaſphemo. K A. Atqui negãt hoc expreſſum in ſacris literis. C A. Sic eſt,
ſed euidenter colligitur è ſacris literis, & manifeſte pugnat cum dignitate, tum geniti, tum
genitricis. Poſtremo hoc tanto conſenſu ab Euangelij primordijs in hunc uſq́ diem, credi
dit, docuit, & aſſeuerauit eccleſia Catholica, ut nihilo minus perſuaſum eſſe oporteat, q̃
ſi eſſet ſacris expreſſum literis. K A. Expecto ſcripturas. C A. Perpetuam uirginis integri-
Caput. 44 tatem Ezechiel prophetico ænigmate ſignificauit, quum conuerſus ad uiam portæ ſan-
ctuarij exterioris quæ reſpiciebat ad Orientem, audit ab eodem ſpiritu, qui Mariæ pudi-
citiã conſecrauit. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & uir non tranſibit per eam, quo
niam dominus deus Iſrael ingreſſus eſt per eã, eritq́ clauſa principi. Nónne ſatis apte pro
pheta depinxit ſacratum uirginis uterum, ex quo nobis exortus eſt ille ſol iuſtitiæ, qui illu
minat omnem hominẽ uenientem in hunc mundum, de quo & Zacharias apud Lucam:
Viſitauit nos oriẽs ex alto, ut illuceſcat his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedẽt. Clau-
ſa erat hæc porta ante partũ, clauſa fuit in partu, clauſa manſit & poſt partum. Soli Chri-
ſto principi patuit, qui ſuo ingreſſu ſanctificauit eam, egreſſu conſecrauit, quoniam illa nõ
ſpectabat niſi ad Orientem, unde puriſſimus emergit ſol, ſol ille nunquam occidens, inno
uans & exhilarans omnia. Spectabat ad uiam ſanctuarij exterioris, quoniam ea natiuitas
erat extra uulgarem hominum natiuitatem, nihil habens admixtum humanæ concupi-
ſcentiæ: poſtremo quum ipſa ſic loquitur Angelo, quia uirum non cognoſco, ſatis aperit
perpetuum uirginitatis propoſitum. K A. Atqui quum per ſe ſit honorabile coniugium,
culpaq́ uacet ille connubialis congreſſus, quę fuiſſet indignitas, ſi dominus eo modo fuiſ-
ſet natus, quo nati ſunt prophetæ cæteri, & omnibus prophetis excellẽtior Ioannes? C A.
Eſt quidem honorabile coniugiũ caſte ſeruatum, ſed longe honorabilior uirginitas perpe
tua, modo ſpontanea & pietatis amore ſuſcepta. Per concupiſcentiã ſine qua non conci-
pitur homo tranſit originalis mali contagiũ. At cœleſtem illum partũ decuit pluſq́ ange-
lica puritas. Age dic mihi ſi quis templũ lapideum ſemel deo conſecratum per hominem
epiſcopum uerteret in officinam ſutoriam, nónne clamarẽt omnes indigniſsime factum?
K A. Maxime, lapidibus obruerent hominem. C A. Non eſt tamen turpis ars ſutoria. Et
ſi quis uas baptiſmo aut oleo ſacro, alij ſue pſs uſibus conſecratũ, adhiberet prophanis u-
ſibus culinæ, nónne uideretur intolerabilis cõtumelia? K A. Certe. C A. Et tamen nihil ha-
bet uitij ars coquorũ. K A. Sic eſt. C A. Quid igit̃ dicendũ, de ſacratiſsimo uirginei corpo-
ris tẽplo, q̃d nõ epiſcopus q̃libet oleo ſenſibili, ſed ipſe ſpũs ſanctus unctiõe cœleſti dedi-
cauit, in quo tot menſibus uelut in thalamo ſedit diuinus ille fœtus, in cuius officina tota

trinitas

trinitas illud Angelicis mentibus adorandum mysteriũ confecit? An non indignissimum uideatur, si non dicã homini, sed uel angelo patuisset? K A. Plane uideo. C A. Nunc illud reputa, utrum ecclesiæ tam consentienti potius sit auscultandũ, an Iudæis non hic tantum insanientibus, aut obscuro indoctoq; Heluidio, cuius error è scripturis perperã intellectis haustus tam manifestus est, ut uix ullos inuenerit discipulos, ac priscis ecclesiæ doctoribus uix dignus uisus sit qui confutaretur. K A. Video quàm decuerit eum partũ perpetua uirginitas. Sed quur dominus è despõsa nasci uoluit? C A. Prouisum est adolescentulæ uirgini, ut haberet custodem, curatorem, nutricium & ministrum, sine ulla sinistra suspicione maligni uulgi, haberet & testem grauissimum integritatis suę sponsum. Summa tranquillitas decebat talem uirginẽ, & dei matrem oportuit non solum ab omni labe purissimam esse, sed ne falsis quidem hominum fabulis attingi conueniebat. Nam ea demum insigniter casta est, de qua fama erubescit male loqui. Eoq; mysterium hoc diu cœlatum est. Nam probabile est, Mariã & Ioseph hæc mysteria conseruasse in corde suo, donec emisso cœlitus spiritu lucem suam per omnẽ terram Euangeliũ diffunderet. Per hunc igitur articulũ paucis cõprehensum uerbis uide q̃ multa didicerimus. Iesum Christũ esse uerũ deum ex deo, & eundẽ uerum hominẽ natum ex homine uirgine, citra uirilẽ operam, sed actu diuini spiritus. Venisse in hunc mundũ non tantũ ut redimeret mundũ, uerumetiã ut plenissima nos autoritate erudiret, & uarijs argumẽtis ad amorẽ cœlestis uitæ accenderet. Nunc mihi considera, quot errorũ spectra lux huius ueritatis discusserit. Inuitus refero detestandas blasphemias, cum inauspicatis autorũ nominibus: sed tamẽ hęc res eò proficiet, ut & firmius teneamus quod tenemus, & uberius agamus deo gratias, qui nobis tantam lucem dignatus est aperire. Multos circa diuinam ex patre natiuitatẽ delirasse minus mirandum est. Maioris insaniæ est, humanam natiuitatẽ tot, tam euidentibus argumentis exhibitam, tot opinionũ portẽtis fuisse impetitã. Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Paulus Samosatenses, ac Photinus nomine, Scotinus re, fatentur Christum fuisse uerum hominẽ, sed merum hominem ex uiro & fœmina more aliorum natum, licet animam habuerit propheticam. hi Christi personam plusquam dimidio mutilant. Iidem dicunt Christum nõ dici filium, nisi per adoptionẽ gratuitam, quẽadmodũ pios cæteros homines. Nec omnino fuisse priusquam ex uirgine nasceretur. Hos aperte refellit Ioannes Euangelista, pronuncians hoc ipsum uerbũ, quod in principio fuerat apud deũ, & erat deus, factum esse carnẽ. Et apud eundem ipse dominus aperte loquitur: Antequam Abrahã fieret ego sum. Rursum Paulus Rom. I X. Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula. Nec his leuius insaniunt Manichęi, tribuentes Christo partẽ aliquam diuinæ naturæ, sed asseuerantes eum assumpsisse corpus humanum, non uerũ sed phantasma corporis, quẽadmodum legimus angelos ac dæmones interdum apparuisse hominibus. Hi faciunt Christum præstigiatorem ac Thaumatopœum. Sed spectrum nõ nascitur ex homine, neq; facit ea quę dominus per omnẽ uitã tot annis egit, edens, bibens, dormiens, lassescens, esuriens, sitiens, loquens, in media luce uersans, præbens se palpandum & contrectandum, crucifigendum & occidendũ. Ipse quoq; Lucę ultimo discipulis, expauescentibus quod putarent se uidere spiritũ & umbrã, dixit, Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda uestra. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate & uidete quia spiritus carnẽ & ossa non habet sicut uidetis me habere. Succedit his Valentinus ęonum fabricator, qui cõmentus est, Christum non fuisse natũ de substantia uirginis, sed cœleste corpus secũ attulisse de cœlis, aut quod mauult insanus Apelles ab elementis in aere sumptum, atq; ita per corpus transisse uirgineum, quemadmodũ liquor & lumen transit per fistulã aut rimam. Atqui istuc non est nasci proprie, sed transire: neque enim radium gignit rima, sed sol, nec liquorem gignit canalis, sed fons. Paulus aũt Apostolus ad Romanos, quum ait, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, Et Gal. 4. Misit deus filium suum factum ex muliere, aperte profitetur Christum sumpsisse corporis sui substantiã de substantia corporis uirginis. Neq; statim quod utcũq; nascitur ex homine homo est, alioqui pediculi dicerentur homines: Sed quod concipitur in matrice, de uera hominis substãtia, legitimoq; tempore nascitur per mẽbra naturalia, notis omnibus hominẽ referens: & quod dicitur filius, utiq; homo est. Arius hoc miserius delirans, quo subtilius, tribuit Christo corpus humanũ, animã humanã detrahit, sed huius loco ait fuisse

ísse uerbum, ut in Christo non fuerint nisi duæ naturæ, corpus humanũ & uerbum, quod ipsum tamen uerbum Arius uult esse creaturam, cæteris omnibus excellentiorem, sed tamen creaturam. Verum qua fronte confitentur hominem, cui detrahunt potiorem hominis partem? Quis enim nescit hominẽ ex duabus substãtijs separabilibus esse cõpositum, corpore uelut ex materia, anima ueluti forma. Quod si quis spiritus moueat corpus hominis defuncti, nemo uocabit hominem quod uidet, sed prodigium ac monstrũ. Cęterum quum tot locis ipse dñs meminerit animæ suæ seq; appellet hominis filium: ueluti tristis est anima mea usque ad mortem, Et, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, Et, Nemo animam meam tollit à me, sed ego pono eam. Quæritis me interficere hominẽ qui uera loquutus sum uobis: atteſtãte Paulo, mediator dei & hominũ, homo Christus Iesus: si credunt scripturis, qua fronte audent negare, quod illæ tam manifesto pronunciant? si non credũt, quo ore uolunt haberi Christiani? Si uolunt uideri philosophi, quis unquam somniauit hoc posse dici hominẽ quod careat hominis forma: quæ quum adest, dat ut homo sit, quum discedit, amittit hominis uocabulum quod erat homo. Qui tam prodigiosa delirant, ipsi merito ueniunt in periculũ ne nõ uideãtur homines. Nec multo saniora somniauit Apollinarius, qui sic patitur animam tribui Christo, ut illi mentem detrahat. Nam in plantis uiuis nonnulla est anima, alioqui non crescerent, neq; dicerentur emori quum marcescunt. Et in brutis anima est, alioqui nõ sentirent, sed mens quam Græci νοῦν uocant inter animantia soli adest homini. Ea est præcipua uis animæ, qua dijudicat singula, qua cõnectit aut diuidit, & qua aliud ex alio ratiocinando colligit. Sed qua fronte profitentur Christum hominẽ, qui hoc illi detrahunt, per quod potissimũ homo differt à cæteris animantibus? K A. Ergo ne Christi mẽs ratiocinãdo ex notis collegit ignota? C A. Christo nihil fuit ignotum, & tamen quod ad naturæ cõditionem attinet, habebat animam rationalem. Neq; enim angeli ratiocinando intelligũt quemadmodũ nos, neq; nos intellecturi sumus in resurrectione, quomodo nunc intelligimus. Sed perfectio accedens naturæ nõ tollit naturæ ueritatẽ. Alioqui corpora glorificata nõ essent uera corpora. Nec tamen impium est animã Christi dicere quædam quæ præsentia diuinitatis perspiciebat, aliter cœpisse scire hominũ more, non quod ea prius ignoraret, sed quod cognoscẽdi modus sit diuersus. Viderat Nathanahelem quũ esset sub ficu, quoniã id certius sciebat, q̃ quę nos oculis intuemur. Sed post illũ corporeis intuens oculis, nihil quidem didicit noui, sed aliter uidit quod uiderat. Addit Apollinarius aliud deliramentũ, uerbũ non assumpsisse carnem, sed aliquid uerbi fuisse conuersum in carnem, perperã intelligens, quod ait Ioan. Et uerbũ caro factum est, hoc est ut ille falso interpretatur, uerbũ transmutatum est in carnem, quemadmodũ aer cõdensatus uertitur in aquam, aqua extenuata in aerem. At ex uerbo factitio in corpus humanum conuerso non constituitur homo, sed ex anima rationali & corpore mortali. Si uerbũ intelligunt dei filium: deus ut ex nullo cõstat, ita in nihil potest uerti, neque quicquã in illud, si propriè loquamur. Quod si philosophi negant inter elemẽta transmutationem esse, quæ nihil habent inter se cognationis, uelut ignis nõ uertitur in aquam, quanto absurdius est rem increatam uerti in creatam? Verum illi uerbum faciunt creaturam, sed Angelis omnibus excellẽtiorem, Atqui inter Angelum & corpus humanũ plus est discriminis, q̃ inter ignem & aquã. Sed hunc errorem ex Euãgelistæ uerbis stulte conceptum aperte refellit quod inibi mox sequitur, Et habitauit in nobis. Neq; enim in corpore dicitur uersari, quod in corpus est transformatũ: Sed animæ domiciliũ recte dicitur corpus, et dei templũ recte dicitur homo. Nihilo felicius delirauit φθολώνυμ& Eutyches, qui cõstituit in Christo unicã naturã, ex diuina humanaq; cõpositam. Si dixisset è duabus naturis unam unitam esse personam singularem, & ut dialectici loquuntur individualem, audiendus erat. Nam constat in Christo duas aut etiam tres fuisse naturas inter se distinctas. Homo cõpositus est ex anima & corpore. Sed diuina natura quoniam simplicissima est, respuit omnia compositionis uocabula. In eandem hypostasim hoc est personam uniuit sese, per animam mediam adhærens corpori, sed in eandem naturam non est confusa. Nestorius dum intente uitat hanc calcariam in carbonariam incidit, profitens duas perfectas naturas in Christo, diuinam & humanam: sed totidem facit personas, negans uerbum unitum homini in eandem personam, sed duntaxat per gratiã inhabitasse: unde colligit in eodem Christo esse unam personam hominis, alteram esse personã dei, nec Mariam

recte

recte dici matrem dei, sed tantum hominis: quum angelus apud Lucam dicat Virgini, Quod enim nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei. Vnitas enim personæ facit, ut communione quadam idiomatum, etiam illa quæ non competũt nisi in naturam humanam recte de deo prædicentur, dũtaxat in uocibus concretis. Deus natus est ex uirgine, non diuinitas: deus passus est, non deitas: & homo deus est, non natura humana diuinitas. Sed quoniam errorum nullus est finis, huius catalogi finem faciam, uereorq; ne iam tibi fuerim tędio tam multa commemorando. K A. Me quidem istorum miseret. Mihi tamen profuit illorum insania, per quos factum est, ut & dilucidius perspiciam ueritatem, & credam firmius. C A. Hæreticis nihil debetur gratiæ, sed plurima gratia debetur deo, cuius bonitas aliorum maliciam suis uertit in lucrum pietatis. K A. Quur Constantinopolitanæ synodi Symbolum non sat habet dicere, Natus ex Maria uirgine: sed addit, Et homo factus est? C A. Quoniam qui subtilius uoluerunt de Christo disserere, licet errore uario teneantur, tamen in hoc cõsentiunt, quòd negant illum esse hominem, dum illi detrahunt aliquid, quod ni adsit, nemo nostrum uere diceretur homo. Expressum est igitur, Et homo factus est: ne quis illorum ueneno infectus accedat ad baptismum. Quis alioqui tam expers est sensus communis, ut quum audit Gracchos natos ex Cornelia, roget, num homines fuerint Gracchi? K A. Vnde tam miranda hominum cæcitas? C A. Quia de diuinis disquirere maluerunt, quàm simpliciter credere. Scriptura negat intellecturos nos, nisi crediderimus. At illi per tumidam mundi philosophiam intelligere uoluerunt, prius q̃ credere. Sit igitur hic huius colloquij finis, ut hęc apud te meditatus, post actas diuino spiritui gratias alacrior ad cætera percipienda redeas.

CATECHESIS QVARTA

SEQVITVR, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus est. C A. Qui Christo tribuunt corpus imaginarium, ijdem dicunt omnia quæ legitur in carne passus, non reuera passum, sed in phantasmate. Nos uero qui diuinitus edocti, credimus illum uerum fuisse hominem: pariter credimus, illum uere passum tum in animo tum in corpore, uere crucifixum, mortuum ac sepultum. Mors hominis naturalis, est animæ à corpore separatio. Quod ubi factum est, quale sit cadauer hominis nouimus omnes: anima uero quoniam immortalis est, collapso corpore subsistit, uiuens apud Christum si cum fide decessit, & expectans proprij corporis resurrectionem. K A. Quid interest inter angelum & animam à corpore separatam? C A. Hoc quod anima mens quidem est, quemadmodũ angeli, sed ita de nihilo creata dum infunditur corpori, ut naturaliter apta sit ad animãdum, gubernandum, mouendumq; corpus non quodlibet, sed illud cui est peculiariter destinata à deo. Hoc interest inter mortem Christi & nostram, quòd nostra anima ui morbi, aut defectu humorum depellitur à corpore. Dominus autem, uolens animam suam deposuit: sicuti uolens accessit ad crucem. Argumentum est, quòd in cruce mox à ualido clamore expirauit. Quin ipse loquitur apud Ioannem, Nemo tollit animã meam à me, sed ego pono eam à meipso. K A. Sed ubi interim dei uerbum, quod dicebas sic unitum homini, ut eandem constitueret personam, in anima ne semota, an in corpore exanimi? C A. Diuus Augustinus pie credidit, nec à corpore nec ab anima fuisse separatum uerbum. Sed præstat non ingredi quæstionum istiusmodi Labyrinthum. Nunc elementa tradimus, non fastigia, & fundamenta iacimus, non colophonem imponimus: quia Catechumenum instituimus, non Theologum: deniq; tyronem instruimus ad fidem, non ueteranũ. Sed prælium. K A. Quur addimus, Passus est: quum ea uox apud priscos non addatur. An non patitur, quisquis crucifigitur? C A. Hanc quoq; particulam apparet adiectam aduersus quosdam, qui commenti sunt uerbum corpus assumptum uelut absorbuisse, ac in se quodammodo transformatum tale reddidisse, ut nullo mali sensu tangi posset. Huius dogmatis Galanum autorem ferunt. Sed undique reclamat scriptura: primum Esaias, Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et ne quis cauillari posset, uaticinium obscurum esse, fieriq; posse ut alium designet quàm Christum: beatus Lucas Actorum octauo, refert, quomodo Philippus qui admonitus à spiritu sancto adiunxerat se ad currum Eunuchi, eodem spiritu sit illi totum hunc locum de Christo passo interpretatus. Et à pijs uiris ad Christum passum accommodatur, quod est in Lamen-

tationibus Hieremiæ. O uos omnes qui transitis per uiam, attendite & uidete, si est dolor similis dolori meo. Et in Euangelio Lucæ dominus loquitur. Nónne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Item primæ Petri secundo: Qui quum pateretur, non cõminabatur. Rursus ibidem: Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Quomodo autẽ imitabimur illum perferendis malis, si nihil ille malorũ sensit? Et Paulus ad Romanos octauo: Si tamen compatimur, ut & cum illo glorificemur. Compati Paulus appellat, nõ indolescere malis alienis, sed ad illius exemplum patienter tolerare persecutionem improborum. Quod autẽ in anima quoq; passus sit testatur ipse dicens, tristis est anima mea usq; ad mortẽ. Adde quod per omnem uitam multa pro nobis passus est dominus, sitiẽs, esuriens, lassescens, contumelijs affectus, eiectus, captus, uinctus, consputus, colaphis cæsus: ad hæc & his similia pertinere potest, patiẽdi uerbum. K A. Quur symbolum tam diligenter exprimit genus mortis? C A. Eadem ratione qua expressit prænomen ac nomen Pilati, uidelicet ad maiorem historię fidem. K A. Sed quur deus uoluit filij morte mundũ redimere, & tali morte? C A. Sed tu prius responde mihi. Si quis medicus artis suæ lõge peritissimus susciperet morbo capitali laborantem, & hunc totius artis rudis interpellaret, quur ista ratione curas hominem? nónne merito uideretur improbus? Quanto impudentius est à deo rationem exigere, quare hoc modo uoluerit redimere mundum. Illud inconcussa fide tenendum, deo non placere nisi quod optimum est: siue nobis uideatur, siue non uideatur. K A. Stat inconcussum fidei fundamentum, fas tamen est, opinor, religiose super hisce rebus percontari. C A. Et nobis respondere, sed eadem religione. Verum hæc peculiarem requirunt tractationem, pauca tamen attingam uelut in transitu. Per hominem terrenum irrupit mors in mundum, per hominem cœlestem cõueniebat eam tolli. Per uoluptatẽ illicitam irrepsit humani generis exitium, per dolores reparata est salus: per uirginem serpentis afflatu deceptam uenit calamitas, per uirginẽ spiritus sancti afflatu gra uidam redijt beatitudo. Porrò deum offensum, sanguine ac cæde pecudum reconciliari non solum persuasit lex Mosi, uerum & Abel in ipso statim mundi exordio sacrificium obtulit de primogenitis ouium suarum, adeo ut gentibus quoq; uerum deum ignorantibus persuasum fuerit hominum scelera morte & sanguine dilui. Apud quasdam gentes mos erat publicus, per totum annum diligenter alere hominẽ, qui se sponte ad mortem obtulisset, atq; hunc interim ut sacram ac deo dicatam uictimam uenerabãtur. Eum exacto anno conijciebant in mare, existimantes unius morte quicquid malorum imminebat ciuitati posse auerti. Magnoq; studio celebrantur, Codrus, Q. Curtius ac Decij, qui se pro salute Reipublicæ dijs Manibus deuouerunt. Congruebat igitur ueram & efficacem hostiam immolari, non pro unius ciuitatis aut gentis incolumitate, sed pro totius mundi salute: quæ reliquas omnium uictimas, uel superstitiosas uel parum efficaces susstolleret. Tanta fuit enim Christi charitas, tãta puritas, ut semel immolatus sufficeret ad omnia humani generis abolenda crimina, etiam si plures uno mundi fuissent. Hoc nimirum erat illud uerum holocaustoma, quod humani generis amore totum conflagrauit: hic erat ille purissimus agni immaculati sanguis, qui postibus illitus submouit angelum extinctorem. Mortis autẽ genus, præterquàm quod erat maxime cruciabile, summam habebat ignominiam, præsertim apud Iudæos, quibus execrabilis erat omnis pendens in ligno. Ingens cruciatus sit oportet, qui pro omnibus luat æternos cruciatus, & felix ignominia quę uiam cunctis aperuerat ad sempiternã gloriam. Nihil autem apud deum execrabilius peccato. Hanc ignominiam ac maledictionẽ ad tempus in se transtulit, ut nobis impetraret dei benedictionem. Ad historiæ quoq; fidem pertinebat mori publico iudicio condemnatũ, & in sublimi exhalare animam, ne quis suspicari posset, aut non fuisse ueram mortem, aut alium pro Christo suppositum. Postremo cõueniebat in sublimi porrectis brachijs mori, qui pro sua ineffabili charitate cupiebat omnes complecti & saluos fieri, quemadmodum ipse mortis genus significans discipulis ait, Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Porrò superius admonui dominũ uenisse in terras, non tantum ut nos expiaret à peccatis, sed & tum uiam ostenderet, qua perueniendum esset ad æternam gloriam, tum robur adderet imbecillitati nostræ, qua procliues sumus ad relabendum in peccata, & infirmi aduersus læta pariter ac tristia, quorum

alteris

alteris corrumpimur, alteris frangimur ac deijcimur. Quisquis enim cum plena fide in Christum crucifixum intendit oculos, ut ueretur illum toties quodammodo crucifige re, quoties illa committit ob quæ diluenda ille mortuus est: ita uix quisquam est tam imbecilli pectore, qui non æquiore animo toleret afflictiones huius seculi, dum reputat & multa passus sit ille pro nobis, qui erat immunis ab omni criminum contagio. Quis autem inueniatur tam inhumanus & ingratus, ut nō redamet eum qui sic prior dilexit, tantisq; beneficijs ad amorem mutuum prouocauit? Breuiter tota philosophia, totum solatium, totum robur Christianæ mentis est in cruce Christi. Sed harum rerum cōtemplatio non est huius negocij quod instituimus. K A. Quur uoluit inter duos latrones pendere medius? C A. Vt ostenderet etiam sceleratis in ipso supplicio esse spem salutis, si Christi misericordiam implorent. K A. Quur noluit sibi frangi crura? C A. Quoniam ita prædictum erat in ænigmate: Os non cōminuetis ex eo. K A. At non ideo hæc ita gesta sunt quia prædictum erat fore ut ad eum gererentur modum, sed ideo prædicta sunt, quia ab æterno statuerat deus ut ita fieret. C A. Rectissime sentis, nihil temere aut fortuito gestū in Christo, sed omnia ex æterni numinis decreto. Scriptura tamen interdum ita loquitur, Vt implerentur scripturæ: sed in hoc genere sermonis uocula Vt, non significat finem, sed euentum. Scriptura præcessit, euentus successit. Decuit autem illud sacratissimum corpus nihil habere uitij, puta membrum mancum, claudum aut distortum, quem admodum nec nostra creduntur habitura in resurrectione. Ad fidem resurrectionis sufficiebant quinq; uulnerum uestigia, ceu gemmæ quædam corpus illud non dehonestantia, sed decorantia. Eadem de causa noluit in sepulchro corrumpi corpus suum. Expirauit prius quàm ueniretur ad frangenda crura, resurrexit prius quàm exanime corpus uiolaretur. Hæc ita commendant illius dignitatem, ut nihil obstent naturæ ueritati. K A. Quur uoluit reponi in sepulchrum nouum, in quo nondum quisquam fuerat repositus, tum è uiuo solidoq; excisum lapide? C A. Id partim faciebat ad dignitatem Christi, partim ad fidem historiæ. Sed in singulis horum latent magna mysteria, quæ audies ubi infantiam deposueris, nunc lac porrigimus infanti. K A. Quum hæc historia sit tot argumentis confirmata, fuerunt ne qui de ueritate ambigerent? C A. Iudæi fatentur Iesum fuisse uere crucifixum, sed pro salute mundi crucifixum negant. Fuerunt & Christiani, qui uere passum in carne profiterentur, & pro salute mundi, sed suspicabantur uerius & asseuerabāt, quòd quemadmodum in terra passus erat in corpore pro uiuis hominibus, ita & anima illius apud inferos passa sit pro animabus illic detentis, ac rursus ipse post resurrectionem in aere crucifixus aut crucifigēdus sit pro spiritibus aeris. Basilides homo misericors negat ipsum Christum fuisse crucifixum, sed pro eo suppositum Simonem Cyrenēsem, qui compulsus est dominicæ crucis uicarius esse baiulus. Quòd si alius pro eo crucifixus est, ipse nec mortuus est, nec resurrexit: nec redemit nos morte sua. Verū hæc sunt humanæ mentis somnia. Scriptura manifestissime docet nos, Christum non esse nisi semel passum ac mortuum in cruce sub Pontio Pilato, nec pro alijs mortuum, & pro redimēdis hominibus. Clamat Paulus, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominatur. Et, Quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autē uiuit, uiuit deo. Clamat Petrus: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Audis expresse semel mortuum, audis resurrexisse, non amplius moriturū, & tu negas ipsum mortuum, sed pro eo suppositum mortis uicarium, quemadmodum in fabulis est, pro Iphigenia in Aulide suppositam fuisse ceruam cādidam. Tu uero rursus apud inferos crucifigis illius animam. Tu porrò totum Christū rursus in aere crucifigis. Audis Apostolorum principem aperte clamantem, Christus passus est pro nobis, & tu Iudæe non uis illius mortem cuiquam hominum prodesse? Pergamus ad cætera. K A. Sequitur, Descēdit ad inferna. C A. Hic est articulus, quem (ut dixi) Cyprianus ait in Symbolo Romano non haberi, ac ne apud Orientis quidem ecclesias addi. Atq; adeo quum Symbolum Nicenæ siue Constantinopolitanæ Synodi nihil aliud sit, quàm huius Symboli explanatio, ne illic quidem quicquam est, quod huic particulæ respondeat. Ipsa denicq; incōcinnitas sermonis arguit ab alio quopiam intertextum emblema. Sepultus est ad corpus pertinet, quod morte sopitū, resurgit, hoc est uelut expergiscitur. At descendere ad inferos, ad animam referunt, quæ nec sepulta fuit, nec resurrexit, sed ad tempus

ſeiuncta mox in corpus exanime rediit. An Thomas Aquinas addiderit ſubdubito. Nonnulla ſuſpitio eſt hanc particulam ab alio adiectam, uel hoc argumento quod non eſt ſuo loco: Quum enim tertium articulum faciat de reſurrectione, quartum facit de deſcenſu ad inferos: niſi forte illud ſenſit, Chriſtū à morte rediuiuum, in corpore & anima deſcendiſſe ad inferos. Alterum opuſculum quod Thomæ titulo circunfertur de Symbolo, diuerſum interpretatur, & diuerſo utitur ordine. Deſcēſus enim ad inferos ibi præcedit reſurrectionem. Quanquam hoc opuſculum licet eruditum ac pium, non uidetur eſſe Thomæ Aquinatis. K A. Quur hæc particula non fuit addita? C A. Quia uetuſtiſſimi patres magna religione cauebant, ne quid aſſeuerarent duntaxat in Symbolo, quod non eſſet euidenter expreſſum in ſacris literis utriuſq; teſtamēti. Tales ſunt articuli omnes, hoc uno excepto. K A. Qua igitur fiducia poſteriores addiderunt? C A. Quoniā ſibi uiſi ſunt hoc ſatis euidēter è ſacris literis diligentius excuſſis collegiſſe, quibus addunt nonnullas rationes, non illas quidem adamantinas, ſed tamen non prorſus improbabiles. Adducunt è Pſalmis: Et in puluerem mortis eduxiſti me. Item illud. Quæ utilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem. Et iterum: Deſcēdi in limum profundi, & non eſt ſubſtantia. Rurſus illud: Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Item illud: Non derelinques animam meam in inferno. Quod teſtimonium Petrus in Actis docet eſſe prædictum de Chriſto, non de Dauide, quemadmodum interpretabantur Iudæi. Adducunt & illud: Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Rurſus illud, Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacū, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Item illud Oſeæ: Ero mors tua ó mors, morſus tuus inferne. Producūt ex euāgelio Matthęi, Baptiſtæ ſermones: Tu es qui uenturus es an alium expectamus? Nam hunc quidam interpretātur de deſcenſu Chriſti ad inferos: producunt ex epiſtola Petri: Chriſtus mortificatus quidem carne, uiuificatus autem ſpiritu, in quo & his qui in carcere erant, ſpiritu ueniēs prædicauit. Citant ex Eccleſiaſtici capite uigeſimoquarto, ſub perſona ſapientiæ dictum. Penetrabo inferiores partes terrę, & inſpiciā omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in domino. Et huius generis alia nōnulla. Verum horum nihil eſt, quod tergiuerſatorem cogat credere, Chriſti animam per ſe deſcendiſſe ad tartarum, ſiue, ut illi loquuntur, ad limbum. Scriptura enim ſæpenumero mortē ac ſepulturam uocat inferos. Vt Geneſeos quadrageſimoquarto. Morietur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. Canos dixit corpus ſenile, inferos ſepulturā. Id quod Cyprianus tribus uerbis ſubindicat, quum præfatus hanc particulam nec in occidentis, nec in orientis eccleſiis haberi, ſubiicit. Vis tamen uerbi eadem uidetur eſſe, in eo quod ſepultus dicitur, quaſi deſcēdere ad inferna nihil aliud ſit, quàm condi ſepulchro: quod dominus de ſua ſepultura loquens, dixit eſſe in corde terræ. In his teſtimoniis quædam ſunt quæ penè nihil habent ponderis: ſed nullum eſt, quod non uel allegorię nubilo ſit obſcurum, uel uariam recipiat interpretationem. Neq; multo plus ponderis habent rationes quas adferunt. Quarū una planè reiicitur. K A. Quæ nam illa? C A. Quoniam peccatum originis non ſolum adduxit mortem corporis, ſed animarum quoq; cruciatum, quod per hoc priuarentur aſpectu diuini uultus, cōuenire putant, ut quemadmodum Chriſtus morte corporis aboleuit pœnam corporalem, ita etiam in anima patiens tolleret animarum cruciatū. K A. Liberum eſt igitur iſtam particulam credere aut non credere? C A. Si iam recepit uniuerſalis eccleſia, non eſt fas diffidere. Tibi ſatis eſt profiteri Chriſtum ſic deſcendiſſe ad inferos, quemadmodum ſentit ſcriptura & eccleſia. Sed tamen ut eſt prudentię Chriſtianæ non facile pro certo credere, quod non expreſſum eſt in ſacris literis: ita modeſtiæ Chriſtianæ eſt, non reiicere petulanter, quod piorum hominū religioſa contemplatio prodidit uel ad ſolatiū, uel ad eruditionem credentiū. Quod genus ſunt & illa: Spiritum ſanctum puriſſimā ſanguinis guttam è corde uirgineo deſumptā depoſuiſſe in uirgineam matricem: hinc ſubito confectum abſolutum corpus hominis, tam puſillum q̄ eſt araneolus, qui modo prorupit ab ouo, membris tamen omnibus iam abſolutis: eodem momento infuſam animam iam tum omnibus dotibus æque perfectam, atq; nunc eſt in cœlo. Similiter quod docent Chriſtum ob conſtitutionem humani corporis, quam uolunt in eo fuiſſe multo ſubtiliſſimā, eoq; ſenſus acerrimi, acerbiores pertuliſſe cruciatus, quàm ullus

lus homo ferre possit, excepto cruciatu eorum, qui in æternum damnati sunt apud inferos. Hæc & horum similia, sic audiantur, ut hominum pię de Christo contemplationes, non ut articuli fidei. Talia multa & circa hanc adiecticiam particulā quidam commenti sunt, narrantes quos Christus abduxerit, quos ibi reliquerit, quæ quibus ad singulos circulos sit loquutus. Nobis illud satis est, quod semel in carne, uere natus est homo, uere passus est, uere mortuus ac sepultus est, uere reuixerit eadem anima in suum naturale corpus reuersa. Sequitur: Resurrexit tertio die. Nisi Christus resurrexisset, nobis omnis spes immortalitatis fuisset adempta. Resurrexit autem secundum scripturas. Nam hoc addidit Symbolum missæ. Quemadmodum ait beatus Apostolus. Tradidi uobis in primis quod accepi, quòd Christus pro peccatis nostris mortuus est, secundum scripturas, & quod sepultus est, & quod resurrexit tertia die secundum scripturas. Porrò quum dominica resurrectio tot typis fuerit adumbrata, quorum unū ipse dominus exposuit, de Iona qui fuit in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, tot prophetarum oraculis promissa, toties ab ipso Christo euidentibus uerbis, nulloq; tropi aut allegoriæ nubilo obscuratis prędicta, denicq; tot euidētibus Apostolorum testimoniis confirmata, tamen non defuerunt, qui uere quod dici solet, in sole caligarent. Cerinthus enim dixit Christum nondum resurrexisse, sed olim resurrecturum. Alij finxerunt ipsum quidem Christum resurrexisse, nostra tamen corpora nunquam reuicturā: quos Paulus aperte refellit colligens necessario cōsequi, si Christus non resurrexit, nec nos resurrecturos, & si nos sumus resurrecturi, oportet Christum resurrexisse. Quemadmodū enim ille pro nobis passus est, ut ab æterna morte per illum liberaremur: ita & pro nobis resurrexit, ut per illum uitam æternā consequeremur. Surrexit ille primitiæ dormientium. At qui primus est, solus esse non potest, neq; caput deseret sua mēbra. Quidam, autore Valentino, spiritus & animæ resurrectionē fatentur, corporum negant, quum in Christo proditum sit nostræ resurrectionis exemplar. Totus ille resurrexit. Sed aduersus illos non est pugnā dum, qui scripturam euidentem sibiq; consentientem negant. Nihil enim accuratius traditum est ab Euangelistis quàm resurrectionis argumenta. Et beatus Paulus non modo confirmat ubiq; resurrectionem, sed & resurrectionis modum Corinthijs ac Thessaloni censibus describit. Nam quod Chiliastæ somniarunt, nos post corporū resurrectionem mille annis in hoc mundo, omni uoluptatum genere, quibus corporis sensus titillantur, affatim fruituros, non est dogma, sed prodigiosum deliramentum. Porrò cauillationes omnes quas humanus sensus gignit, quomodo corpus idem tot modis ex alio in aliud commutatum possit idem numero restitui, discutit fides, qua credimus deum esse & omnipotentem esse qui hæc operatur, nec esse subiectum naturæ legibus, qui naturam condidit. Quid autem mirum si corpus restituit ex eo quod est, qui primum cœlum ac terram & angelos ex nihilo condidit? Quumq; tot miracula quotidie cernamus in rebus naturæ, ex minutissimo semine surgere uastam arboris molem, ex cicada iam uetula abiecto exuuio prouolare recētem, ex moribunda eruca prosilire succulētum ac uolucrem papilionem, quur uideatur quicquam incredibile, quod præter naturæ leges facit omnipotens? Sequitur, Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram dei patris. Nemo (inquit Ioannes) ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo. Verbum descendit de cœlo, non discedens à patre, nec mutato loco, quum diuina natura sic ubiq; sit, ut nullo tamen loco contineatur: sed idem uerbum quod dispēsatione uenit in uterum uirginis, peracto redemptionis mysterio iam incarnatum reuera ascendit in cœlum, corporis aspectum subducēs discipulis, & animos illorum ad cœlestia subuehens, ut sese capaces præberent uenturo spiritui. Neq; corpus assumptum exuit, atque in sole deposuit, quemadmodum infelix Seleucius delirauit. Sic qui iuxta diuinam naturam semper fuit in eadem gloria, in qua pater, nunc etiam cum humana natura, consedit in gloria patris factus omnium quæ in cœlo & in terra sunt dominus. K A. Non uidetur absurdum Christo iuxta corpus tribuere dextrum aut sinistrum, sed in patre imaginari tale quippiam, uidetur ad Anthropomorphitarum errorem accedere. C A. Sedere ad dexteram hic non sine tropo dictum est, ut intelligas honoris æqualitatem regnicq; consortium. K A. Verum quin potius istam sententiam uerbis simplicibus ac propriis expresserunt, ascendit in cœlum, ubi regnat æqualis patri. C A. Iam admonui, scripturam

frequenter linguam suam ad nostros affectus demittere. Symbolum autem retulit uerba scripturæ mysticæ. Sic enim in Psalmis de deo patre & Christo glorificato loquitur spiritus sanctus: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Et ipse Dominus in Euangelio: Verum tamen dico uobis, à modo uidebitis filium hominis sedentem à dextris dei. Itidem Petrus Apostolus de Christo loquens, ait: Qui est ad dextram dei sedens in cœlis. Similiter Paulus scribit Ephesiis. Secundum operationem potentiæ uirtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, constituens eum ad dextram suam in cœlestibus super omnem principatum & potestatem & uirtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Quin & Stephanus in Actis uidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris dei. K A. Quomodo illi uisus est stare, qui alijs locis dictus est sedere? C A. Agnosce & hic tropum. Sedere quiescentis est, regnantis ac iudicis, Stare auxiliantis. Sedet qui sine solicitudine gubernat uniuersa: Stat paratus ad opitulandum omnibus ipsum implorantibus. Vt iudex sedet, ut aduocatus stat. Habemus, inquit Paulus, aduocatum in cœlis. K A. Sed Christus iuxta naturam humanam non est æqualis patri. C A. Quî posset creatura par esse creatori? Sed ob personæ unitatem recte Christo tribuuntur omnia, quæ competunt in eum iuxta naturam humanã, dummodo utamur uocabulis personæ, aut, ut alij loquuntur, suppositi. K A. Quum Christus profiteatur se nobiscum mansurum usq; ad consummationem seculi, quur uidentibus discipulis omnibus, corpore sublatus est in cœlum? C A. Ad istam quæstionẽ respondet apostolus ad Colossenses tertio: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra dei sedens, quę sursum sunt sapite. Exhibitum est hoc spectaculum oculis corporeis, ut animos nostros à terrenis curis ad cœlestis uitę desiderium accenderet. Quod igitur deus nostræ salutis gratia filium suum misit in terras, eumq; tradidit in mortem crucis, certos nos reddit, quod per eum liberati sumus à regno Satanæ, & ab obligatione peccatorum. Quod resurrexit, addita est nobis certa fiducia, fore ut in illo die quem deus nobis ignotum esse uoluit, ijsdem corporibus quæ nunc gestamus, reuiuiscamus. Quod ascendit in cœlum euidenti argumento docuit, nobis hic non esse quærendam ueram felicitatẽ, sed utendum hoc mundo uelut in transitu, tanquam non utamur, omnesq; curas ad illam cœlestem æternamq; uitam transferendas. Quod autem sedet ad dexteram patris, magnam nobis parit securitatem aduersus omnia terriculamenta mundi, quod tam amicum tamq; potentem aduocatum habemus in cœlis. Cæterum ne tanta domini bonitas nos inuitet ad licentius peccandum, additur: Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos: ut intelligamus illic expectandam iudicis inexorabilem seueritatẽ ijs, qui hic redemptoris benignitatem neglexerunt. Quo plus donatum est nobis, hoc plus à nobis exigetur. Veniet enim non iam in habitu serui, sed in maiestate patris, quemadmodum euidenter ipse loquitur apud Matthæum: Quum uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes: &c. Illic fiet euidens æternaq; separatio piorum & impiorum, quum sagena pertracta fuerit ad littus. Eadem concionatur Petrus Actorum decimo: Hic est qui constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum. Qui hic iniuste pro nobis iudicari condemnariq; sustinuit, illic iudicabit orbem uniuersum, redditurus cuiq; iuxta opera sua. K A. Quare deus uoluit eum diem omnibus esse incertum? C A. Eadem de causa, qua uoluit cuique suum extremum uitæ diem esse certissimum, & tamen incertum. Nemo enim dubitat quin aliquando sit moriturus, nullus tamen certo nouit, quando sit moriturus, ut omni hora simus parati ad emigrandum, si deus hinc euocauerit. K A. Quur addit, Viuos & mortuos? Nam corpora mortua quomodo possunt iudicari? C A. Symbolum quoniam totum è scripturis desumptum est, congruenter refert uerba scripturæ. Quidam interpretantur uiuos, pios: mortuos, impios: uerum id coactius est. Symbolo quod simplicibus est paratum, conueniunt simplicia. Probabilius est, mortuos accipere eos, qui ante iudicij diem excesserunt è corpore: nam simul ut reuixerint, iudicabuntur: uiuos uero quos ille dies in carne uiuentes deprehendet: quos quidam credunt in ipso raptu transituq; expiraturos, ac mox reuicturos: alij putant eos non morituros, sed tamen ad immortalitatem immutandos. Neutram sententiam reijcit autoritas Ecclesiæ, quanquam

Eph. 1

ea quæ

ea quæ sentit tum in carne repertos, non morituros, sed ad mortalitatem transferendos, magis congruit Pauli uerbis 1 Corinth. 15. Et 1. Thes. 4. Sed non gaudet contentione religiosa pietas. K A. Quid opus erat iudicio, quũ animæ mox ut emigrarint è corpore iã iudicatæ sint: ut aut si puræ hinc abierint, transeant ad uitam cœlestem, sin obnoxiæ crimini, pertrahantur in gehennam: aut si leuioribus inquinatæ maculis, deferantur in ignem purgatorium, quisquis aut qualisqualis is est? C A. Fuerunt qui docuerunt nec impios spiritus nec impias animas esse tradendas æternis supplicijs ante supremum illum mundi diem, nec piorum animas cœlesti uita fruituras ante dictum diem. Sed horum opinionem reiecit autoritas ecclesiastica. Illud probabiliter creditur, impijs spiritibus post illud iudicium augendos esse cruciatus: impios autem homines plene iam pœnas in anima simul & corpore luituros: quemadmodum & piorum felicitas tum erit consummata, quum receperint corpus iam glorificatum, ut quod habuerunt ministrum bonorum operum & afflictionum socium, habeant & præmiorum gaudijq; consors. K A. Si omnes homines, qui fuerunt tot annorũ milibus in orbe cõdito statuentur ante tribunal Christi, quod tandem erit illud forum, infinitæ multitudinis capax? Aut quod tempus sufficiet tot hominum factis discutiendis? C A. Scriptura quidem ut admonui, sermonem suum attemperat ad humanos affectus, obsequundans tarditati nostræ, quum ait omnes sistendos ad tribunal Christi, quomodo dicit alios fore reos iudicio, alios concilio, alios gehennæ, Item quum ait de omni uerbo ocioso reddendam rationem in die iudicij. Rursum quum narrat, quid dicturus sit iudex his, qui stabunt à dextris, & quid illi responsuri sint: similiter quid responsuri aut uicissim audituri sint, qui stant à sinistris. Longe aliter peragitur dei iudicium, atq; hominũ. Neq; tamen nõ uere peragetur quia non peragetur humano more. Illud uerissimum est, Christum in corpore glorificato appariturum omnibus, pijs ad solatium, impijs ad terrorẽ. Hoc enim expresse dicunt in actis Angeli, qui mox ut sublatus est in cœlum dominus apparuerũt. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet quemadmodũ uidistis eum euntem. Idem ueniet, humana specie conspicietur, sed iam immortalitatis gloria refulgens. Cęterum totum hoc negociũ geretur in momento punctoq; temporis. Nec opus erit morosa discussione, quãdo patebũt arcana cordiũ omnia, quum sua quemq; damnabit conscientia. Corpora uero tum ad immortalitatem immutata non occupabunt quemadmodum nunc spacium loci iuxta triplicem dimensionem, longi, lati & profundi, sed poterunt innumera corpora minimo spacio cõtineri. Alioqui demirari posset humanus sensus quomodo tartarus, quem probabiliter constituunt in imis terræ, tot corporum futurus sit capax. K A. Quur ecclesiasticus chorus hic accinit, cuius regni non erit finis? C A. Ista particula attexta est ex uerbis Angeli apud beatum Lucam ita loquentis uirgini. Et dabit illi dominus deus sedem patris sui, & regnabit in domo Iacob inæternum, & regni eius non erit finis. Attexta est autem ob quosdam, qui prodigiosas quasdam blasphemias somniarunt de periodis Platonicis, unde suum errorem hausit Origenes, si tamẽ hoc uere sensit, quod in scriptis retulit uerius quàm asseuerauit, fore ut post multa annorum milia, è dæmonibus fiant Angeli, ex Angelis dęmones, utq; qui gehennæ addicti sunt aliquando liberentur à supplicijs, & purgati ad felicitatem redeant, denique ut Christus iterum crucifigatur. Itaq; regnum, quod Christus sibi morte sua parauit, habere aliquando finem. Stolidior est blasphemia quàm ut sit refellenda, sed quoniam apud Græcos erant qui huic somnio nonnihil tribuerent, Orientis ecclesiæ adiecerunt, & regni eius non erit finis. Diaboli regnum ad tempus dissimulatum est, qui nunc quoq; rebellat regno Christi. Similiter Antichristi regnum erit temporarium. At Christi regnum ubi purgatum erit ab omni rebellione malorum, perseuerabit inæternum, quemadmodũ euidenter prædixit Daniel 7. Posteaq; enim aduentũ illius cum maiestate, ac multis angelorum milibus, mox formidabile iudicium descripsit, subijcit: & dedit ei potestatem & honorem & regnum, & oẽs populi & tribus & linguæ, seruient ei. Potestas eius potestas ęterna quę nõ auferet, & regnũ eius quod nõ corrũpetur. Hactenus sufficiebat hoc symbolũ, si mũdus simplici fide tenuisset qđ erat traditũ. Sed quoniã de tertia persona quę est spiritus sanctus, quasdam impias opiniões inuexit hæreticorum peruersitas, & de dispensatione ecclesiæ in hoc seculo uidebatur obscurius significatum, adiecta est hæc pars, quæ & spiritui sancto clarius asserit diuinam naturã, quam habet cum filio patreq; cõmunem,

& quæ ſit per ſpiritum ſanctum in Chriſti corpore gubernatio dilucide exprimit. Repetit igitur tertiam perſonam, Credo in ſpiritum ſanctum, ut iiſdem uerbis illum tertio loco profitens, declaret trium perſonarum iuxta proprietates diſtinctionem, iuxta naturam æqualitatem. Quemadmodum nemo credit fide Chriſtiana, hoc eſt, nemo ſummam fiduciam collocat in creatura, ſed in unico ſoloq; deo, qui profitetur ſe credere in ſpiritum ſanctum, utique profitetur illum eſſe deum, non alium, ſed eundem. Quidam dixerunt ſpiritum ſanctum non eſſe ſubſtantiam, ſed concitationem piæ mentis. At ea concitatio noſtræ mentis proficiſcitur quidem à ſpiritu, ſed non eſt ipſe ſpiritus: quemadmodum imaginatio proficiſcitur ab anima, non eſt tamen ipſa anima. Nam ea concitatio in nobis eſt accidens, quod autem deus eſt, nec eſt accidens, nec accidenti permixtum eſt. Alij dixerunt ſpiritũ ſanctum eſſe creaturam, filio quem & ipſum faciunt creaturam, in miniſterium additam. Et hi palam negant ſpiritum ſanctum eſſe deum. Dominus autem quum in baptiſmi formula iungit patrem, filium & ſpiritum ſanctum, non commiſcet creaturam cum creatore, nec accidens cum ſubſtantia, ſed unius eſſentiæ tres perſonas expreſſit. Quoniam autem errores de ſpiritu ſancto non perinde labefactarunt Romanam eccleſiam, ſed inter Græcos potiſſimum debacchati ſunt, Conſtantinopolitanum Symbolum uoces aliquot addidit de ſpiritu ſancto, dominum eum appellãs & uiuificatorem. in eo quod dominum appellat illum, filio æquat, excludens miniſtri nomen, neq; enim plures ſunt domini. Filius enim non dicitur dominus ſancti ſpiritus, ſed dominus omnium rerum cõditarum, quod dominium eſt trium perſonarum commune. Quanquam κύριος Græcis non ſemper dominij uocabulum eſt, ſed interdum autoritatis. Spiritus autem autor eſt omnium ſcripturarum, quas pro diuinis habet eccleſia, & quarum inuiolabilis eſt autoritas. Quoniam autem in Euangelio pater de filio teſtificatus eſt, hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite, tribuens illi ſummã autoritatẽ, ne quis putaret minorẽ eſſe ſpiritus autoritatem, quàm filij, adiecerunt τὸ πνεῦμα κύριον. Quod autem appellat uiuificatorem, rurſus æquat illum filio & patri. Dominus enim apud Ioannem loquitur, ſicut pater uiuificat mortuos, ſic & filius quos uult uiuificat. Ne quis igitur crederet hic excluſum ſpiritum, addiderunt & uiuificantem. Quemadmodum uero hoc intereſt, quod filius palam in carne loquutus eſt, ſpiritus per prophetas, & idem hodie per eccleſiam occulte loquitur: ita filius excitauit corporaliter mortuos autor ac primitiæ reſurrectionis, ſpũs uero ſanctus cõdonãs peccata, ſpiritualiter uiuificat. Peccatũ enim mors animæ eſt, unde reuocare maius eſt, quàm Lazarum quadriduo mortuum è monumento ſuſcitare, niſi quod deo omnia ſunt æque facilia. Quoniam autem ſpiritus hic externus res eſt inconſtans, uolubilis & inſtabilis, ne quid ſimile imaginaremur de ſpiritu ſancto, appellarunt eum κύριον, hoc eſt ſolidæ & inuiolabilis ueritatis: & apud Ioannem ipſe dominus appellat eum ſpiritum ueritatis. Hoc ad differentiam. Contra quoniam reciproco flatu ac reſpiratione ſpiritus aerei uiuimus iuxta carnem, congruenter appellatur ſpiritus uiuificator, qui largitur ut uiuamus iuxta meliorem noſtri portionem. Rurſus quoniam hic ſpiritus res quædam uidetur immitis, dum excitat maria, dum concutit terram, dum diſfringit arbores, ſancto ſpiritui tribuunt bonitatem. K A. Quur appellatur ſanctus? C A. Ad diſcretionem aliorum ſpirituum. Legimus enim in ſcripturis, Sauli fuiſſe ſpiritum à domino malum, & ſpiritum mendacem in ore prophetarum, ſpiritum uertiginis, ſpiritum Pythonicum, ſpiritum zelotypiæ, ſpiritum peſsimum, ſpiritum fornicationis, ſpiritum nequam, ſpiritum immundum, ſpiritum huius mundi, ſpiritum Satanæ, & ſpiritus hominis tumidos & elatos Prouerbiorum decimoſexto. Ante ruinam exaltabitur ſpiritus. Ab his omnibus ſecernitur ſpiritus ſanctus, qui reddit mites, pro ferocibus, qui eximit ab omni conſortio Satanę, qui inſpirat huius mundi uerum contemptũ, qui per fidem purificat corda, qui diſpellit omnem malitiam, qui largitur ueram charitatem, qui non eſt ſuſpicax, nec cogitat malum, qui reuelat ſcripturarum arcana, qui deducit in omnem ueritatem. K A. Nónne & angeli dicuntur ſpiritus, utique ſancti? C A. Et ſunt. Sic & hominis ſpiritus recte dicitur ſanctus, ſed unicus eſt ſpiritus natura ſanctus, & ex ſe ſanctificans omnia, quę uere ſancta ſunt. Quicquid incorporeum eſt, generali uocabulo ſpiritus dicitur. Sic deus in Euangelio ſpiritus dicitur, quod omnibus perſonis iuxta naturam diuinam commune eſt: ſed quum tertiam perſonam proprie deſignamus, appellamus ſpiritum

tum sanctum, spiritum dei, spiritum Christi, & spiritum paracletum, hoc est, consolatorem, siue aduocatum, & spiritum ueritatis. Aduersus eos uero qui negabant prophetas afflatu diuini spiritus ædidisse uaticinia, sed phanatico spiritu, Nicena siue Constantinopolitana Synodus addidit, qui loquutus est per prophetas, ut intelligamus utrumque testamentum eodem spiritu fuisse proditum, nec alium fuisse spiritum qui locutus est per ora sanctorum prophetarum, ab eo qui in specie columbæ descendit super dominum, & in specie ignis uenit in discipulos, & hodie requiescit inter ubera sponsæ ecclesiæ. KA. Assumpsit ne spiritus corpus in quo apparuit, quemadmodum Christus? CA. Nequaquam. Christus enim assumpsit corpus humanum in unitate personæ. Spiritus sic assumpsit corpus, quemadmodum Angeli frequenter apparent in specie hominis. Ea corpora sunt assumptitia, non naturalia. Addit & hæc: Qui cum patre & filio simul adoratur, & conglorificatur, quo magis excluderet eorum blasphemiam, qui spiritum faciunt inferiorem filio. Glorificantur enim & adorantur creaturæ, sed cum patre & filio nihil adoratur nisi deus: sub deo, & propter deum honorantur sancti homines, cum deo glorificatur quod idem cum illo est. Eodem pertinet, quod adijciunt, qui ex patre filioq; procedit. Sicut enim filius arguitur eiusdem esse substantiæ cum patre, quod ab eo nascatur: ita colligitur & spiritus sanctus, quoniam ab utroque manat, eandem cum utroque naturam habere. Quanquam uidetur à Latinis adiectum filioq;, quemadmodum & in Symbolo Athanasij: quod hæc particula nec habeatur in Græco symbolo, quod æditioni secunda nouo testamento præfixeramus, nec in ullo symbolo quod refertur in uolumine canonum. nondum enim tum opinor receptum erat, præsertim apud Orientis ecclesias, spiritum sanctum ab utroque procedere: nec hoc exigebatur à Christianis: satis erat à patre procedentẽ, & in filio manentẽ profiteri, sicut exprimitur in uita Andreę Apostoli. Non quod negarent illum à filio procedere, sed quod non auderent asseuerare, donec & hoc dominus reuelaret. Neque enim statim ab eius substantia procedit, quod ab aliquo mittitur. Alia est missio temporaria, alia æterna processio. KA. Quum tot uerbis patres studuerint inæqualitatem excludere, quin compendio et exerte pronunciarunt illum deum ex deo procedere, quum id diligenter expresserint de filio, deum de deo, lumen de lumine, deum uero de deo uero. Sic enim excusa fuisset omnis tergiuersatio. CA. Hic nihil habeo quod respondeam, nisi priscorum admirabilem de diuinis loquendi religionem, & quorundam impiam garrulitatem fuisse in causa, ut dei cognomen maluerint demonstrare quàm exprimere, quo simul & piæ mentes intelligerent mysterium, & impij non irritarentur ad blasphemiam. Sed quod circumloquuta est illa Synodus, hoc exerte pronũciat Athanasius. Deus pater, deus filius, deus spiritus sanctus, & tamen non tres, sed unus est deus. KA. Quur spiritui sancto attribuunt bonitatem & charitatem. CA. Quoniam ad bonitatem siue benignitatem duæ res pertinent, condonatio peccatorum, & largitio donorum, ad charitatem pertinet conglutinatio. Quemadmodum membra corporis nostri cohærent integra beneficio spiritus, ita corpus Christi mysticum conglutinatur per spiritum sanctum. Christus in spiritu dei eijciebat dæmonia. Digitum autem dei uocant spiritum sanctum. Per peccatum uero mali spiritus regnant in homine, quemadmodum dominus manifeste docuit in parabola, de spiritu eiecto, & in domum uacuam reuerso cum septem spiritibus ipso nequioribus. Congruenter itaque spiritus bonus abolitis peccatis eijcere malos spiritus dicitur. Quo facto non sinit domum esse uacuam, sed uarijs dotibus ornat eam, ne sit eiectis uitijs reditus. Eoq; blasphemia quæ committitur in spiritum sanctum, in Euangelio dicitur incondonabilis. Quam enim remissionis spem sibi facit reliquam, qui prouocat remissionis autorem? Charitas enim, ut ait beatus Petrus, operit multitudinem peccatorum. Et Euangelicæ peccatrici remissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Ad hæc dominus tradens Apostolis autoritatem remittendi peccata, sufflauit in eos dicens, Accipite spiritum sanctum &c. Benignitas in hoc declaratur, quod dona quæ multa uaria qúe recenset Paulus, appellantur unius spiritus esse beneficia, qui iuxta fidei modum cuique partitur suo arbitratu. Triumphantium est è sublimi missilia in populum spargere. Ita Christus posteaquam triumphabundus ascendisset in cœlum, iuxta Psalmographi uaticinium, captiuam duxit captiuitatem, secum abducens quos ab inferis eripuerat: nec hoc cõtentus, 1. Cor. 12

dedit

dedit dona hominibus in terra relictis, dona prophetiæ, dona linguarum, dona scientiæ, dona sanationum, dona depulsionum aduersus uenena & impios spiritus, breuiter chorum omnium uirtutum, quæ omnia Christus suis dilargitus est & hodie dilargitur per spiritum suum. Bonus autem interdum Latinis sonat, mitem & clementem, interdum benignum & liberalem. Proinde Paulus Galatas à uindicta ad humanitatem prouocans, spiritus nomen inculcat dicens: Si spiritu uiuimus spiritu & ambulemus fratres: si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, uos qui spirituales estis corripite huiusmodi in spiritu lenitatis. Dauid dicit, spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et Paulus, charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Et Romanis scribẽs, appellat illum spiritum υἱοθεσίας, per quem clamamus abba pater. Similia scribit Galatis. Quoniam estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in cordibus nostris clamantem abba pater. Filius & pater charitatis uocabula sunt, quæ nemo potest uerè pronunciare, nisi beneficio spiritus sancti. Quemadmodum iuxta Ioannis testimonium, nemo Iesum appellat dominum, nisi in spiritu sancto. Qui spiritum habent huius mundi, falso clamant abba pater, falso dicunt Christo, domine domine, cuius spiritu carent. Qui enim Christi spiritum non habet, hic non est eius. Quemadmodum autem spiritus sanctus nexus est ineffabilis, quo æterna concordia inseperabiliter sibi iunctæ sunt tres personæ: ita idem indissolubili uinculo sponsam Christi iungit sponso suo, omniaq; mystici corporis membra sempiterno fœdere inter sese copulat. K A. Si spiritus sanctus è substantia dei patris ac filij procedit, quid obstat, quo minus dicatur filius? C A. Cypriano, Hilario & Augustino satis erat ad hanc responsionem, quia scriptura secundam personam appellat filium, & nasci à patre prædicat: Spiritum sanctum nec nasci, nec filium usquam memorat. Quod tantis uiris satis erat, tibi quoq; satis esse par est. Si è duobus fontibus emanaret unus fluuius, recte diceretur ab utroq; proficisci siue mitti, neutrius tamẽ filius diceretur. K A. Satis est igitur hoc quod tradidisti credere de spiritu sancto? C A. Non. Sed oportet credere quod hic spiritus à prophetis prædictus, à Christo promissus die pentecostes descenderit in discipulos, sicuti refert Beatus Lucas: ob quorundam impiam arrogantiam, qui non ueriti sunt dicere: Ego sum ille paracletus à Christo promissus, ut deducat uos in omnem ueritatem. Siue is fuit Manichæus, siue Basilides, siue Montanus, execranda nomina. K A. Quod descẽdit in discipulos, quodq; per impositionem manus Apostolicæ tradebatur baptismo tinctis, utrum erat ipsa spiritus substãtia, an donum aliquod & energia spiritus? C A. Probabilius est spiritum qui iuxta diuinam naturam implens omnia manet incõprehensus, illic peculiari quadam ratione sub uisibili signo fuisse iuxta personæ proprietatem. Verũ ista nunc tractare est, quod dici solet, septa transilire. Didicisti spiritũ omnia sanctificantem, nunc accipe ecclesiam ab illo sanctificatã. K A. Si ab exordio mũdi fuit sanctorũ omniũ societas, & pijs omnib. adfuit spiritus sanctus, quur ante legẽ nullum fuit huic arcanæ sodalitati nomen? Post legẽ ęditam dicta est Synagoga, post Euangeliũ proditum, mutato nomine dicta est ecclesia. C A. Quod nomen fuerit ante legem ueterem, nobis non constat, fuisse tamen aliquod uocabulũ probabile est, quum res esset eadẽ. Semper Christus agnouit sponsam suam, nec unquã illi defuit spiritus Christi. Verum initio quemadmodum paucis innotuit personarum distinctio, sed profitebantur unum deum, qui sermo tres personas tacite complectitur, filij personam pauci nouerant, pauciores spiritum sanctum: ita societas hæc inter paucos erat, & usque ad Euangelicam lucem angustis finibus coartabatur. At posteaquam Christus assumpto homine inter homines uersatus est, sponsamq́ue suam morte sua redemptam, sanguine suo mundatam euidenter adiunxit sibi, ac spiritum suum euidenter & abunde effudit, nec in unam gentem, sed in uniuersum terrarum orbem inundauit Euangelij gratia, Apostoli Synagogæ nomen mutauerunt in nomen ecclesiæ: nec dubitandum est quin id factum sit suggestu spiritus. K A. Expecto causam. C A. Vt nullum sit discrimen in uocibus, tamen ad Euangelij gloriam faciebat nominis immutatio. Synagogæ uocabulum apud omnes receptum erat pro congregatione Iudæorum, Mosi legem profitentium. Porrò quemadmodum Mosi lex erat inuisa cæteris nationibus, ita & Synagogæ uocabulum erat ingratũ gentium auribus. Apostoli uerò quum essent à domino iussi prædicare Euangelium omni creaturæ, non tantum intra Iudææ Samariæq; terminos, sed usque ad extre-

ma terræ

ma terræ: atque à spiritu edocti scirent exorituros Iudæos, qui conarentur obscurare gratiam Euangelicam, & fidem in dominum Iesum, docẽtes nulli esse spem salutis nisi circuncideretur, & hoc Symbolo totam Mosi legem profiteretur: abolendas deinceps legis cęremonias, & gratiæ nouitatem, nouitatis uocabulis declarare uoluerunt, pro Lege uocantes Euangelium, hoc est lætum nuncium, pro Synagoga ecclesiam. Lex enim minabatur pœnam, exigens obseruationem præceptorum: Euangelium per gratiam spiritus & fidem in Christum sine operibus legis promittit uitam æternam. Quod si tanta fuit Iudæorum pertinacia, ut Apostoli ægre ualuerint illorum superstitionem excludere, multo id fuisset difficilius, si pro ecclesia, prędicata fuisset Synagoga. Audito uetere nomine, putassent in re nihil esse nouatum. K A. Est igitur & in uocibus nonnihil discriminis? C A. Vtraq; uox Græca est. Synagoga dicitur à συνάγειν quod est cogere, hoc est, in unum agere. Sic enim loquitur Maro, Tityre coge pecus. Ecclesia dicitur ab ἐκκαλεῖν, quod est euocare. Prior itaque uox magis congruit, crassæ, duræ, & rebelli Iudæorum nationi, qui pœnę metu, aut spe terrenorum commodorum per legem uelut intra septa coercebantur, ne dilaberentur in omnem impietatem. Posterior autem accommodatior est gentibus, quæ facile paruerunt Euangelio, ab auribus allectæ, quod est hominum, non bubalorum in morem tractæ naribus. Grex congregatur, homines euocantur in concionem, nõ ad operandum iuxta legis cęremonias, sed ad audiendum. Fides enim, ut ait Paulus, ex auditu est. Euocatæ sunt à simulacris mortuis ad deum uiuum, ab ignorantiæ tenebris ad lucem Euangelicæ ueritatis, & obtemperarunt. Iudæi similiter euocati sunt, à cęremoniis ad ueram pietatem, ab umbris ad lumen, à litera ad spiritum: & uenire recusarunt. Eoq; factum est, ut apud Gottos & Vandalos inuocetur nomen domini, contra Iudæi in hunc usq; diem conuicijs afficiãt adorandum Iesu nomen in Synagogis suis, & adhuc literæ seruiant, spiritui sancto resistant. Vbi uerò spiritus, ibi libertas. Seruorum est compelli, filiorũ euocari. Vnde & Paulus Euangelij gratiam profitentes appellare solet, κλητοὺς ἁγίους, uocatos sanctos. K A. Quid proprie latinis declarat hæc uox sanctus? C A. Proprie sanctũ dicitur quod uiolare est nephas, ueluti leges ac mœnia portæq; ciuitatis ob hoc ipsum sancta sunt quia publica. Quædam uerò ob hoc sancta sunt, hoc est inuiolata, quia numini sunt cõsecrata, unde sanctum domino dicitur, quod est illi sacrum. Trãsfertur autem usus uocis, & ad mundiciam puritatemq; significandam. Sancta autẽ ecclesia adeo est inuiolabilis, ut iuxta domini sermonem, nec inferorum portæ præualeant aduersus illam. Nec aliam ob causam est inuiolabilis, nisi quod Christo dicata est, cui nemo potest eripere quod dedit pater. Pura uerò est quod eam Christus sanguine suo purificauit, ut exhiberet sibi sponsam non habentem maculam neq; rugam. Maculæ uox peculiariter ad hæreticos pertinet, qui puram ueritatem errorum aspersionibus deturpare conantur: rugæ uocabulum pertinet ad eos, qui recte quidem credunt, sed uitam agunt peccatorum sordibus inquinatam. Rugæ senectutẽ arguunt. Talis est ille uetus homo, quem accepimus ex Adamo, quẽq; Paulus iubet nos exuere cum actibus suis, ut induamus nouum, & renouati sensibus mẽtis nostræ, Christi uestigia sequentes in nouitate uitæ ambulemus. Delicatus est amator Christus, non potest amare Synagogam priscis cęremoniis ac uetustę legis studio rugosam, nec fert hæreticorum ecclesias, lepra uarijs q; falsorum dogmatum notis deturpatas. K A. Si uerè dictum est neminem absque crimine uiuere, ubi est illa sponsa quę in cãticis tota pulchra, & omnis expers maculæ prædicatur? C A. Absq; peccatis leuioribus, quæ per incuriam obrepunt humanæ naturæ, uiuere perpaucis datum est. Sed hi neui uerius sunt quàm maculæ, & quemadmodum quotidie exoriuntur, ita quotidie diluuntur, uel precatiuncula uel eleemosyna uel alicuius boni operis pensatiõe, potissimum autem corporis dominici sumptione. A criminibus aũt abstinere qui Christum profesi sunt & debent & possunt, opitulante spiritu Christi. K A. Ergo qui criminibus inquinantur, non pertinent ad sanctam ecclesiam? C A. Pertinent, & non pertinent. Quatenus fides remanet in illis integra, ad ecclesiam pertinent, nec à communione sacramentorum arcentur, nisi ob euidentem criminum enormitatẽ publico iudicio ab ecclesię consortio resecentur. Cæterũ quoniam ecclesia proprie dicta est arcana societas ad æternam uitam prædestinatorũ, cuius magna pars iam agit apud Christũ, quæ uerò supereſt in hoc uocata est, ut ad summã puritatem enitatur, recte negatur habere maculam aut rugam uel per synecdochen, uel à scopo seu

fine

fine, unde sumi denominationem fatentur & dialectici. Interdum tamen ecclesiæ uox ita dilatatur, ut oēs baptismo tinctos cōplectatur, siue pie uiuant siue secus. Nōnunquā ministri siue iudices ecclesiæ dicuntur ecclesia. Quibus obediēdum etiā si palam male uiuāt, modo ne præcipiant aut doceāt impia, præsertim si maiore publicæ tranquillitatis dispendio tollerētur, q̄ tolerantur. Sunt & ecclesiæ malignantium quos odit sponsus. Quisquis autem profitetur sanctam ecclesiam, execratur & abiurat omnem schismaticam conspirationem aduersus ecclesiasticæ hierarchiæ tranquillitatem, similiter omnia conuenticula hęreticorū quocunq; titulo sese uenditant. Sunt enim innumera, quum unica sit columba. K A. Olim & hæretici habebant ecclesias, in tali rerum statu, singulis acclamantibus, non isthic, sed hic est Christus, quo signo dignoscimus unicam illam Christi columbam? C A. Quod aberrat à sacris uoluminibus, non est Christi. K A. Sed his ipsis armis hæretici oppugnant ecclesiā. C A. Nec mirum, sequūtur em̄ spiritū illum impostorē, qui dn̄m quoq; scripturarū testimoniis aliò detortis solicitauit ad impietatē. Sed falsa scripturarum interpretatio uera interpretatione refutanda est. K A. Id quidem facile fuit Christo, at nobis homunculis non perinde procliue est. C A. Non est omnium cū hæreticis conflictari, sed eorum qui ea panoplia sunt instructi, quam Paulus aliquoties cōmemorat. Tibi tuiq; similibus satis est ea cōstanti tenere fide, quæ pro necessariis exerte & expresse tradidit ecclesia. K A. Quid faciet is qui baptismum & catechismum accepit in hæreticorum ecclesia? C A. Baptismum non mutet, quē in nomine patris & filij & spūs sancti accepit, doctrinam repurget, ab immundis cōuenticulis se subducat, ecclesiæ sanctę sese reconciliet. K A. Atqui isthuc est quod quærebā, qua nota dignosci possit sancta ecclesia. C A. Plurimæ sunt cōiecturæ, ex quibus in unū conflatis facile deprehēditur ubi sit columba. Prima est ueterū Synodorum autoritas, præsertim tot seculorum ac nationū perpetuo cōsensu comprobata. Huic succedit interpretum autoritas, quorum & sanctimoniam consecrauit ecclesia, & libros approbauit: non quod ab his nusquam liceat dissentire, quum ipsi nonnunquam & inter sese pugnent, & à se ipsis dissentiant, sed quod cū reuerentia legendi sint, nec reijciendum quod docent. Idem sentiendum arbitror de probatis theologorū collegijs, quorum illud infatigabile studium est, ut è diuinis uoluminibus eruant nobis reconditam ueritatem. Tertio loco consideranda est latitudo, Nulla enim unquam hęresis tam late patuit, q̄ catholica doctrina. Postremo uita propius intuenda. K A. Sed illi quoq; Christum habent in ore, & Manichęorū prodigiosa narratur abstinentia atq; etiam continentia, opes aspernantur Ebionitæ, iugiter orant Psallíani, in desertis uiuebant Anthropomorphitæ, canabeis tegebantur, ieiunijs, laboribus & chameunijs macerabant carnem. Cum tales uiri agminatim cōglomerati clamant hic est Christus, an non merito quis uelut in triuio positus hæsitaret quò se conferat? C A. Imò ipsum Euangelij theatrum exhibet tibi Pharisæos dilatatis Phylacterijs uenerabiles, ieiunijs extenuatos, prolixe orātes, facultates in pauperes erogantes. Sed externa ista tametsi habent speciem pietatis, sæpenumero tamen simulantur, alicuius cōmodi temporarij gratia, præsertim quæstus aut gloriæ, eoq; adieci ut propius inspiciantur. Id si quis faciat, deprehendet eadem quidē geri à bonis ac malis, sed aliter. Pij in ieiunijs & abstinentijs suis alacres sunt, alij tristes ac tetrici, nec ista iactant, sed cœlant potius, nec ea ceu magna prædicant, sed contemnunt eleuantq;, nec alios fastidiunt, qui non faciunt eadem, sed benigne interpretantur, illos maiora facturos si per imbecillitatem corporis liceret, aut habere carnem minus rebellem, ut non habeant opus eam talibus modis edomare, aut alijs benefactis hostiam deo gratiorē immolare. Simplex & absque fuco est piorum religio. Ieiunabant discipuli Ioannis, sed Christi discipulis obtrectabant, quod rarius ieiunarent. Abstinebant ab omni animante Manichæi, sed damnabant dei creaturā, & clanculum explebant sese delicijs, tum lautioribus, tum sumptuosioribus. Orabant Phariseī, sed in triuijs, in cubiculo nugabantur, aut supputabant pecuniam. Orabant Euchitæ, sed superstitiose, & hoc prętextu uiuebant de alieno, nec iuxta Pauli doctrinam laborabant manibus unde & sibi suppeditarēt uictum, & aliquid impertirent egenis. Nihil proprij possidebant Ebionitæ, & falso dicti apostolici, sed alios aliquid habentes damnabant, sibi pietatem arrogantes, quæ non est sita in agris aut nummis, sed in affectibus. Apostoli se totos effundebant, ut quàm plurimos ad Christum allicerent, nec ullis iniurijs perpelli poterant ut hunc affectum in quemquam deponerēt. Nulli moliebantur

uindictam

uindictam, sed coniecti in carcerem psallebant & agebant gratias domino; cæsi uirgis, obruti lapidibus gaudebant, orantes pro ijs à quibus hæc perpetiebantur. Quum excitarent mortuos, pellerent dæmones, umbra sanarent ægrotos, nullum unquam gloriæ uerbum excidit illis, sed se nihil aliud profitentes quàm homines, totam laudem retulerunt in deum. Hanc charitatem, hanc tolerantiam qui cum alacritate perpetuo præstat, fructus ædit, unde possit agnosci arbor bona. K A. Audio uix ullum esse scriptorem ueterem, in quo non deprehendatur aliqua à Catholicæ fidei regula dissonantia. Quur eorum libros recepit ecclesia? C A. Recepit non ut canonicam scripturam, hoc est, autoritatis irrefutabilis, sed ut eruditorum ac bonorum uirorum commentarios. Nec quiuis error reddit hominem hæreticum. Olim porrò dabatur uenia scripturam enarrantibus, si de quibusdã ambigebant de quibus nunc post euulgatam ecclesiæ sententiam ambigere phas non est, aut si quid secus interpretabantur in arcanis literis, quàm nunc credit ecclesiastica autoritas. Nec enim omnes Græci fuerunt hæretici, qui profitebantur spiritũ sanctum à patre tantum procedere. Fortasse nec Origenes ideò fuit hæreticus, quod ueritatis inquirendæ studio disputabat, an filius & spiritus sanctus habuerint eandem cum patre essentiam diuinam, an fuerint creaturæ cæteris omnibus excellentiores. Licebat & post trecẽtos à Christo nato annos dubitare an esset aliquis purgatorius ignis, quem quidam interpretati sunt charitatem. Sed hæreticum est aduersus euidentem & cum autoritate publica proditam ueritatem rebellare procaciter. K A. Nomen scripturæ Canonicę quot uolumina complectitur? C A. Istuc expedite docuit beatus Cyprianus. Primum uniuersa scriptura diuiditur in uetus testamentum & nouum. In uetere censetur pentateuchus, hoc est quinque libri Mosi: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. His accedunt duo Iesu Naue, Iudicum & Ruth. Post hos, quatuor libri regnorum, quos Hebræi duos tantum faciunt. Præterea liber Paralipomenon, hoc est prætermissorum, qui Hebræis dicitur liber dierum. Dein duo priores libri Esdræ, quos Hebræi pro uno numerant. Nam tertius & quartus Esdræ inter Apocrypha censetur. Succedunt quatuor prophetæ maiores, Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel. His adiungitur duodecim prophetarum minorum liber unus. Adhæc Iob liber unus, & Psalmorum liber unus, Salomonis libri tres, Prouerbia, Ecclesiastes, & canticum canticorum. Intra hunc numerum concluſit prisco rum autoritas ueteris testamenti uolumina, de quorum fide nephas esset dubitare. Nunc uerò receptus est in usum ecclesiasticũ & Sapientiæ liber, quem quidam suspicantur esse Philonis Iudęi, & alius qui dicitur Ecclesiasticus, quem putant esse Iesu filij Sirach. Receptus est & liber Thobiæ, & Iudith, & Hester, & Machabæorum libri duo. Receptæ sunt & duæ historiæ quæ Danieli adnexæ sunt, altera de Susanna, altera de Belo & Dracone, quas Hebræi non habebant. Sed Hieronymus testatur se uertisse ex editione Theodotionis. Cæterum an ecclesia receperit hos libros eadem autoritate, qua cæteros, nouit ecclesiæ spiritus. Sub titulo Noui testamenti, primas tenent quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, cum his actus Apostolorum. Proximum locum occupant Apostolorum Epistolæ, Pauli quatuordecim, Petri duæ, & Iacobi Apostoli una, Iudæ una, Ioannis tres, extremum ordinem tenet Apocalypsis Ioannis. Hebręi trifariam distinguũt omnem scripturam. Canonicam appellant citra controuersiam afflatu sancti spiritus proditam, in qua si quid occurrit absurdum in speciem, non est phas iudicare quod scriptum est, sed religiose inquirendum est mysterium, & ingenij nostri tarditas incusanda non scriptura. Hagiographa nominant ueluti de sanctis rebus à sanctis uiris prodita. His tantum tribuebant, ut in conuentu quidem reuerenter legerentur: cæterum ut in serijs non urgeret illorum autoritas. Apocrypha uocabant, quæ domi quidem pro suo cuique animo phas esset legere, cæterum in publicis conuentibus non recitarentur, nec quisquam illorum autoritate premeretur. Nec statim est Canonica scriptura, quod in templis canitur: atque utinam apud omnes seruaretur, quod in Carthaginensi concilio fuit decretum, ne quid omnino recitaretur in templis præter Canonicam scripturam. Cuius interpretatio per Episcopos ac presbyteros olim uiua uoce peragebatur. K A. Hodie nos submouemur à lectione sacrorum uoluminum. C A. At istuc olim summæ erat religionis. Sed legentium temeritas effecit, ut fustis fuerit ostendendus. Qui legit reuerenter, in illis

adorans quod non assequitur, qui tanto libentius discit ab homine docto, quod lectionē utcunq; præparatus est, qui legit, non ut sit instructus ad contentionem, sed ad pie uiuendum semper aliquid inde sumat, eum nō petit illa constitutio, quæ temeritati opposita est, non pietatis studio. KA. Quū utriusq; testamenti sit idem deus pater, idem Christus, idem spiritus sanctus, quur hoc dicitur nouum illud uetus? Diuina nesciunt senium. CA. Diuinitas, ut ais, nescit uetustatem ac nouitatem, sed nobis expediebat quædam nouari in rebus externis. Christus appellauit nouum testamentum cōsecrans panem & uinū. Quod si quęris quę sint nouata, permulta referre possem. Principio pro umbris legalibus successit euidens ueritas, & quod illa lex per ænigmata promittebat, palam exhibitum est sensibus hominum, reserata est litera occidens, & apparuit spiritus uiuificās. Dein cæremoniæ externæ, quædam in totum sublatæ sunt, quædam in aliud aptius cōmutatæ. Iudaicus ciborum delectus in totum sublatus est, licet nobis uti uestę è lana linoq; contexta, licet arare in boue & asino, ne reliqua cōmemorem innumera. Pro tot generibus sacrificiorum, unicam habemus hostiā mysticā, pro unico templo Hierosolymitano, neque enim alibi licebat sacrificare, habemus ecclesiā per uniuersum orbē diffusam in qua nunc offertur hostia munda, leuanturq; puræ manus in omni loco: pro iniuria circuncisionis, suppositū est molle lauacrum. Sabbatum mutatum est in diem Dominicum, Mosi famulo successit Christus filius: spiritus gratia, quæ prius paucis ac parce dispensabatur, palam & copiose profusa est in omnes nationes quæ sub cœlo sunt. Denique cœlum quod prius occlusum erat etiam pijs, per Euangeliū est patefactum. Ob hæc aliáque multa nouata recte dicitur nouum testamentum, non quod sit prorsus aliud testamentum, sed aliter traditum. Iudæi qui spe uitæ cœlestis in alacritate spiritus uiuebant, in nouo erant testamento. Rursus qui hodie externis cæremonijs metiuntur pietatem, ac terrenis inhiāt, charitate frigidi, ad uindictam calidi, adhuc hęrent in uetere testamento, quia nondum exuerunt ueterem hominem. KA. Ista tu quidem dilucide omnia. CA. Venimus ad sanctam ecclesiam, in qua adoramus patrem omnium conditorem, filium mundi redemptorem, spiritum sanctum omnium sanctificatorem, in hac maneamus, in hac iuxta spiritum non iuxta carnem amabulemus, in hac concordes bonam militiam militemus, ut perueniamus ad æternæ uitæ stipendium. Sed si uidetur sit hic huius collationis finis.

CATECHESIS QVINTA



VID sibi uult quod ecclesiæ annectitur sanctorum communio? CA. Hæc particula non additur apud Cyprianum nec apud Augustinum, ac ne per occasionem quidem, horum uerborum faciunt mētionem, unde probabile est eam fuisse adiectam abs quopiam qui studuit explanare, quid intelligendum esset per sanctam ecclesiam. Ecclesia societas & cōtubernium est, non quorumlibet, sed sanctorum: quemadmodum concio Latinis declarat conuentum non quorumlibet, sed eiusdem reipublicæ ciuium, in unum congregatorum ad consultandum de communibus commodis. Recentiores autem Theologi, quorum alij interpretantur, sanctam ecclesiam, societatem militantium in terris sub imperatore Christo, et sanctorum cōmunionem, societatem sanctorum in cœlis triumphantium: alij rursus sanctorum communionem exponunt, ecclesiæ suffragia cunctis utilia, qui sunt in corpore sanctæ ecclesiæ: alij sacramenta ecclesiæ: quæ non prosunt nisi ad ecclesiam sese aggregantibus: alij cōmunionis nomine putant designatam Eucharistiam, quæ Græcis interdum dicitur συναξις, id est, conciliatio, quod hoc mysterio figuratur & confirmatur arctissima coniunctio mystici corporis cum capite, & omnium Christi nomen uere profitentium talem societatem mysticam, qualis est naturalis omnium inter se membrorum in corpore eiusdem animantis: Hæc inquam qui commenti sunt, uera quidem prædicant, sed quod his uerbis propriè declaratur meo quidem animo nō exprimunt, nisi quod in uocabulo sanctæ ecclesiæ hæc omnia recte comprehenduntur. Illud extra cōtrouersiam est, nihil donorum esse in ecclesia catholica, quod illi nō defluat à capite Christo, licet alijs membris aliæ sint functiones. KA. Ne in toto quidem orbe quicquam est boni, quod non manet à Christo. CA. Sic est, sed nos de his bonis loquimur, quæ per fidem in Christum, & ecclesiæ sacramenta conferunt ueram pietatē. Alioqui multa commoda largitur deus, & impijs & asinis & bubus.

KA

KA. Si non sunt in ecclesiæ consortio qui uiuunt impie, nec nobis constat de plerisq; bonisint an mali, qualis est illa societas hominum, qui se mutuo non nouerunt? CA. Nec angelorum quenquam nouimus quum illi nobis inseruiant, nec tuam ipsius animam nosti, & tamen illi debes, quod uiuis, quod moueris, quod sapis. Nemo cogitur scire an hic aut ille sit unum ecclesiæ membrum. Satis est credere in terris esse talem quendam societatem ad uitam prædestinatorum, quam Christus suo spiritu conglutinauit, siue apud Indos, siue apud Gaditanos, siue apud Hyperboreos, siue apud Afros. Fieri autem potest, ut in orbe sint aliquæ terræ, uel insulæ uel continentes, quæ nondum à nautis aut geographis repertæ sint, in quibus tamen uigeat fides Christiana. Intueri recessus cordium solius est dei, unde fit ut plerunque incerta sint hominum iudicia. KA. Quur igitur quidam eijciuntur ab ecclesia? CA. Sunt quædam crimina manifesta, quæ ut Paulus loquitur, præcedunt ad iudicium. De his ut possunt homines pronunciant ob conseruandum ordinem publicum. Et tamen interdum fit ut fur qui in crucem agitur sit expers criminis, iudex qui illum condemnauit sit dignus laqueo. Et fieri potest, ut excõmunicatus sit in communione ecclesiæ, excommunicator resectus sit ab ecclesia. Item fieri potest, ut qui pro hæretico pertrahitur ad ignem, sit uictima deo gratissima, qui pertraxerunt sint incendio digni. KA. Etiam quum ob confessum & euidens homicidium aut sacrilegium quis eijcitur ex ecclesia? CA. Scilicet. Nam fieri potest, ut priusquam episcopus fulmen in nocentem torqueat, ille iam uera cordis contritione redierit in gratiam cum deo. Nec ea res quoniam homines latet, illi prodest, quo minus arceatur ab ecclesiæ limine. KA. Quamobrem deus hoc interim ignotum esse uoluit, qui sint uere boni, & ad uitam æternam prædestinati? CA. Ne mali desperantes atrocius peccent, ut boni cautius ac modestius agant. Quum nunc sint tanta dissidia, quale bellum esset, si manifestum esset discrimen? Dominus nec proditorem suum reliquis discipulis prodere uoluit. Nunc quoniam ignotũ est, quos deus elegerit ad beatam inmortalitatem, & qui stant soliciti sunt ne cadant, & qui iacent, annituntur ut resurgant. Denique qui charitate feruent, de malis pariter ac bonis studeant bene mereri, de aperte malis, ut resipiscant, de dubie bonis, ut fiant meliores si boni sunt. Vt hic charitas perdat officium, non amittit tamen præmium. KA. Quæ sunt illa ecclesiæ sacramenta, quorum paulo ante obiter meministi? Et quid sibi uult sacramenti uocabulum? CA. Qui exactius loquuti sunt, sacramentum appellant iusiurandum, aut obligationem, numinis ac religionis interuentu confirmatam. At maiores nostri uocem eam accommodarunt, ad significandum id quod Græci dicunt mysterium, quod religiosum arcanum possis dicere. KA. Quare dicitur arcanum? CA. Quia ab his tractandis secludebatur uulgus. Quanquam hodie multa fiunt palàm, ueluti quum consecratur aqua baptismi. Sed hi ritus atq; etiam uerba quibus id peragitur, cœlabantur populum, & inter episcopos per manus tradebantur, quo maior esset sacramentorum uenératio, Simul ut episcopus apparabat consecrare panem & calicem, nulli laico phas erat intra cãcellos remanere. Et quidam Romanus pontifex Episcopo cuidam Anglo ni fallor, scitanti quiddam de ritibus mysteriorum quum nonnulla respondisset, uerba quibus oleum consecrabatur non ausus est literis committere, ne forte, quod sæpe fit, literis interceptis arcanum euulgaretur. Hæc causa non quidem omnino nulla est. Verior tamen & receptior est, quod in sacramentis per signa quædam sensibilia, infunditur insensibilis gratia congruens externis signis. KA. Quot sunt istius generis sacramenta? CA. A ueteribus septem nobis sunt tradita, Matrimonium quo nascimur huic mundo, Baptismus quo renascimur Christo, cui adhæret pœnitentia, uelut alter baptismus, quo recõciliamur deo, non iam omnino gratis, nec absque cicatricibus sanantur uulnera. Sacra unctio qua confirmatur tyro aduersus Satanæ tentationes. Ea communiri solet ætas iam uergens ad pecandi periculum, uidelicet post annum septimum. Mox ueluti iuueneſcentes ad iusta prælia roborat Eucharistia, per quã excitatur in nobis fidei uigor, & copiosa gratia per sacræ mortis commemorationem locupletamur, mystico more quatenus licet, renouantes nobis unicum illud sacrificium, cui debemus salutem nostram. Rursus quoniam in morte extrema lucta est, adhibetur extrema unctio, qua uel cõualescat ægrotus si deo ita uisum, uel cum fide bonaq; spe obdormiat in domino. His ceu donatiuis interim consolatur, animatq; milites suos Iesu ducis effusa benignitas, donec consummato certamine prouehantur ad

tur ad cœlestis uitæ stipendium. Supereſt ordo qui confert autoritatẽ gerendi ſacras fun ctiones. Hoc ſacramentum facit ad dignitatem ſimul & tranquillitatem Eccleſiaſticæ hie rarchiæ. Decet enim ut in republica Chriſtiana, non quibuslibet delegentur Eccleſiaſtica munia, ſed ad hæc ſeligantur idonei: nec ibi poteſt eſſe concordia, ubi nullus alteri pâret,
1. Cor. 13 ſed quiſque ſibi uindicat autoritatem, agendi quæ uelit. Nam Paulus inter dona ſpiritus cõmemorat & gubernationis donum. K A. Quæ gratia cõfertur per ſingula ſacramenta? C A. Si quis ea ſicut decet acceperit, per matrimonij ſacramentum accedente ſacerdotali precatione, confertur donum ſpiritus, quo uir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam, mulier uiciſsim propter Chriſtum amet reuereaturq; uirum ſuum ut dominum, uterque liberos ſi dentur, ſumma cura inſtituant ad Chriſtianam pietatem. De baptiſmo non eſt neceſſe loqui. Nemo neſcit illic perire ueterem hominem, extincto omni peccato, ſiue dicat originale, ſiue perſonale, & exoriri nouum, ab omni labe purgatum per fidem in Chriſtum, quem Paulus appellat nouam creaturam. Non oportebat quidẽ eum qui ſemel renatus erat & Chriſti ſanguine purgatus, redire in cœni uolutabrum: cæterum quoniam in multis refrixit charitas, & languet fides, diuina benignitas indulſit pœnitentiæ remedium: de quo mox incidet dicẽdi locus. Quoniam uero tenera ætas procliuior eſt ad nequitiam, quàm ad pietatem, per cõfirmationem ſacram minuitur ea procliuitas, & augetur docilitas ad pietatem, ne prius inficiatur uitijs, quàm planè norit quid ſit uitium. Porrò quoniam poſt decimum ſextum annum diabolus omnes admouet machinas aduerſus Chriſti militem, primum libidinis, luxus aliarumq; uoluptatum, mox ambitionis & iracundiæ, iam ſolido cibo cœleſtiq; potu ſubinde reficitur, ut forti pectore excipiat omnes Satanæ aſſultus, Chriſtum ipſum & ſpiritum eius gerens in pectore. Olim infantulis à baptiſmo protinus dabatur corpus & ſanguis domini. Ea conſuetudo mutata eſt: & fortaſsis expediret mutari conſuetudinem quarundam regionum, in quibus infantibus datur confirmatio: quod hæc duo ſacramenta non ſint neceſsitatis abſolutæ, quemadmodum baptiſmus: eoq; ad hunc recte properant matres, illa ſuo tempore dantur conuenientius, & utilius dantur, ſi ſacramento addatur admonitiuncula. Qui uero deliguntur ad myſticas functiones, iis per ſacramentum ordinis augetur donum ſpiritus ad digne adminiſtrandum munus delegatum. Quemadmodum legimus Paulo &
Acto. 13 Barnabæ manus fuiſſe impoſitas, ut ad Euangelij propagationem proficiſcerentur. Et
1. Tim. 4 Timotheo à presbyteris fuiſſe manus impoſitas teſtatur Paulus illi ſcribens. Tantum obiter de ſacramentis attigiſſe ſat eſt. Sequitur in Symbolo, Remiſsionem peccatorum. Nullus audet in aulam regiam ingredi pannoſus ac luto conſperſus, multo minus conuenit in eccleſiam ſanctam ingredi peccatis inquinatum. Eoq; ſtatim ad ipſum limen datur lauacrum, ut purus ingrediatur. Quod & olim ſeruabatur externo ritu. Aedituus enim pro foribus templi ſacram aquam aſpergebat introeuntibus. Veteres autem hunc articulum referunt ad baptiſmi gratiam, qua gratis condonantur uniuerſa peccata. Et in Symbolo quod in miſſa canitur baptiſmi fit mentio, pœnitentiæ nulla. Confiteor unum baptiſma in remiſsionem peccatorum. In Symbolo Athanaſij, nec baptiſmi, nec pœnitentiæ fit ulla mentio: quoniam ut antea admonui, non exponit hanc Symboli partem. Recentiores recte ſub baptiſmi nomine comprehendunt & pœnitentiam, quæ uix inueniſſet locum in eccleſia, niſi Paulus eum qui duxerat uxorem patris iuſsiſſet tradi Satanæ, & eundem mox iuſsiſſet in gratiam & contubernium ſanctorum recipi. Apud Afros non niſi ſemel dabatur reditus in eccleſiam, ne eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeueritas elangueſceret. Ac ſeculis aliquot qui in graue crimen fuiſſent prolapſi, arcebantur à templi limine, nec niſi per publicam confeſsionem, ſeueramq; ac diutinam ſatisfactionem recipiebantur. Poſtea propter diuitum proteruitatem, qui malebant excitare ſciſma, quàm ſe ſe eccleſiæ ſubmittere, per Epiſcopos temperatum eſt pœnitentiæ remedium, ut quod populus audire ſolet, nunc ſolus audiat ſacerdos, qui longe mitioribus remedijs adhiberet uulneribus medelam. Hæc lenitas non ſolum data eſt hominum imbecillitati, uerum etiam ſimplicium & innocentium cuſtodiæ, quibus expedit multorum uitiorum neſcire nomina. K A. Circa hunc articulum nulli extiterunt errores? C A. Pelagius & Iouinianus docuerunt infantibus ſuperuacuum eſſe baptiſmum, quod nihil haberent maculæ, quæ poſſet abluí. Negabant enim peccatum originis fuiſſe in quoquam præterquam in

Adam

Adam & Eua. Cæteros nasci puros ab omni peccato. In illis igitur baptismum nihil aliud esse quàm signum honorificum, quo reciperentur in adoptionem filiorum & Christianorum affectibus commendarentur. Sed horum dogma reiecit ecclesia sequuta uocem Christi Ioannis tertio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Et Paulus ad Romanos tertio: Omnes peccauerũt & egent gloria dei. Apud Afros exorti sunt, qui non recipiebant in ecclesiæ communionem ab hæreticis baptizatos, nisi denuò baptismum reciperent ab orthodoxis. Et hanc doctrinam reiecit ecclesia, docuitq; iuxta Paulum non esse nisi unũ baptisma, cuius quiuis homo possit esse minister, quamuis impius ac malus, modò iuxta ecclesiæ mentem tingat per inuocationem sanctæ trinitatis. Quanquam ubi nulla est necessitas, conuenit per sacerdotem aut per diaconos dari baptismum, & tutius est ab Ethnicis aut Iudæis tinctos denuò tingere cum hac exceptione, si non es rite baptizatus &c. In eadem Africa, quæ iuxta Græcorum prouerbium semper gignit aliquid noui monstri, exorti sunt Donatiani, qui iactabant in omnibus ecclesijs defecisse baptismi gratiam, præter quàm ipsorum, eoq; prædicabant nihil cuiquam prodesse baptismum, nisi rursus apud ipsos acciperetur. Verum ecclesia iuxta testimonium Ioannis baptistę, super quem uideris spiritum sanctum descendentem hic est qui baptizat, docuit hominem nihil aliud esse quàm baptismi ministrum, Christum esse, qui uerus est autor baptismi. Cuius uis est ex sanguine Christi, capacitas per fidem: nec posse ministri culpa uitiari, quod per fidem largitur deus: nec eam gratiam posse consumi, quum sit infinita, & abunde sufficiens ad uniuersa crimina mundi abolenda, etiam si decem essent mundi, hoc longe inquinatiores. Ante hos fuere Seleuciani, qui non recipiebant aquæ baptismum, sed tantum spiritus. Nec defuerunt qui adhiberent baptismum ignis, quòd Matth. tertio dicat Baptista, ipse uos baptizabit in spiritu & igni: quum ille per spiritum intelligat gratiam fidei occultam, quam solus spiritus sanctus infundit: per ignem, charitatem, sine qua mortua est fides. Omnium primi fuere Iudæi, qui falsò docuerunt baptismum & fidem non sufficere ad salutem consequendam, nisi accederet circuncisio. Quorum error ab ipsis Apostolis præcipue Paulo reiectus est, ut iam non sit opus ulla confutatione. Nouatus & Montanus non recipiebant in ecclesię consortium, qui post baptismum enormi ac manifesto crimine dehonestasset & contristasset ecclesiam, non ut opinor, quod talibus adimerent omnem spem salutis, sed quod ad terrorem aliorum honore consortij priuarent. Quod euidenter testatur Diuus Augustinus, de ijs qui semel per pœnitentiam ecclesiæ reconciliati, in idem aut simile crimen fuissent prolapsi. Templi fores homo potest homini occludere, cœlum nemo potest claudere nisi deus. Sic apud priscos qui diaconi aut presbyteri crimen euidens admisissent, sine spe reditus è clericorum albo radebantur. Idem fiebat Episcopis. Sed hæc quoque seueritas à posterioribus mitigata est. De confessione ac satisfactione, & quondam magna fuit concertatio, & hisce temporibus renouata est. Ego ut tutissimum, ita ad tuendam publicam concordiam accommodatius arbitror, simplici obedientia id sequi quod nobis tradit ecclesiæ autoritas, hoc est, uerè iuxta Græcorum prouerbium ad felicius inclinare latus, & ab his abstinere de quibus dubites. Restat ultima Symboli pars, Carnis resurrectionem. Hic audis consummationẽ seculi, quum separabuntur boni à malis, sic ut malis nulla sit spes finiendi cruciatus, bonis nec dolor ullus, nec ullus mali metus, quũ & ipsa creatura quę nunc congemiscit nobis, liberabitur ab omnibus incõmodis. Erunt omnia noua, nõ mutata substantia, sed qualitate. Carnem appellat corpus humanum, resurrectionẽ reuiuiscentiam. Omnes quidem articuli sunt inconcussa fide tenendi, sed hic præcipuum adfert solatium pijs in hoc mundo afflictis: contrà, impijs terrorem, qui sine modo prolaberentur in omnia scelera, si post hanc uitam non persoluerentur pietatis & impietatis præmia. Hæc est basis totius fidei nostræ, quam oportet esse solidissimam, quæ si uacillet, reliqua pene frustra creduntur. Valeant igitur infelices Sadducęi, qui adeò non credunt corporum resurrectionem, ut nec angelos nec spiritus esse credant, quasi nihil sit in rerũ natura, nisi quod patet corporeis sensibus, quum ea maxime sint, quæ longissime absunt à sensibus, à quibus nulla res magis semota est, quàm ipsa deitas. Valeant qui profitentur animas resurrecturas, corpora nequaquam, quum anima quoniam est immortalis, tam non possit reuiuiscere quàm non potest mori. Sed illi resurrectionem animarum appellant, quum è

latebris in quibus ad certum tempus reconditæ fuerant, iuxta illorũ somnia, euocabuntur ad beatitudinem. Valeant qui negant hoc corpus quod gerimus, sed aliud multo præstantius singulis reddendum. At non erimus ijdem homines, si nõ recipimus eadem corpora. Quid porrò opus est noua creare corpora, quum deus nutu omnipotenti, possit hæc corpora ad summam claritatem & beatam immortalitatem restituere, non mutata corporis substantia, sed in melius commutatis qualitatibus. Valeant Chiliastæ, qui ex Apocalypsi Ioannis perperam intellecta, somniarunt futurũ ut aliquando reuiuiscamus, & per mille annos omnibus huius mundi uoluptatibus fruamur affatim. Nos credentes uerbis Beati Iob dicentis: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo deum meum, quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Auscultantes Paulo qui scripsit: Qui suscitauit Iesum à mortuis, & nos cum Iesu suscitabit: persuasissimũ habemus omnes homines ijsdem corporibus quæ gerunt in terris, reuicturos in fine mũdi, nec aliter resurrecturos q̃ resurrexit Christus, qui cõformabit corpora nostra, corpori suo glorificato. Corporũ immortalitas erit pijs atq; impijs cõmunis. Sed impijs immortalitas adferet ęternos cruciatus, pijs æternã beatitudinẽ. Quanq̃ impiorũ uerius appellatur æterna mors q̃ immortalitas. Eoq; quod quidã è Symbolo missæ adiecerunt uitam æternã, ad pios tantum pertinet, quod resurrectionis uox pertineat ad bonos pariter ac malos. Tametsi hæc quoq; uox nonnunquã sic usurpatur, ut ad pios tantum pertineat, ueluti quum dominus ait apud Ioannem. Ego sum resurrectio & uita. Quẽadmodũ Paulus uix usquam usurpat hoc nominis nisi in bonam partem. Dominus autem distinguit apud Ioan. 5. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Iudicium enim appellat condemnationem. Id explanatius dicitur in Symbolo Athanasij. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habẽt cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala in ignem æternum. Sic & Paulus Rom. 8. Stipendia peccati mors, gratia autem dei uita æterna in Christo Iesu domino nostro. Aeternam addit, quod ut damnatis nulla erit spes relaxationis, ita pijs nullus erit metus, ne quando uel finiatur uel minuatur ea felicitas, cuius iucunditatem uehementer augebit & illa sanctorum omnium communio. Charitas enim quæ non excidit, illic erit feruentissima. Charitas autem non minus gaudet de bonis alienis quàm de suis. Nec est quod hic imaginemur uoluptates corporum, quæ cibo, potu, aut Veneris usu constant. Tum enim harum rerum nullus erit usus, sed erunt corpora spiritualia, in quibus uiuemus ut angeli dei. Angelorum autem felicitas est, uidere faciem patris, qui in cœlis est. Et dominus idem apud Ioannem: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum. Ea cognitio hic incipit per fidem. Ibi consummabitur, quum gloriam illius conspiciemus reuelata facie. K A. Sunt ista ad consequendam salutẽ satis? C A. Ad consequendum baptismum ista credere satis est homini laico: eruditis ac prouectioribus omnia credenda sunt, quæ sacris uoluminibus expressa sunt, aut quæ illinc euidenter colliguntur: præterea quicquid uniuersali perpetuóque consensu comprobauit ecclesia catholica: quæ si quid hoc pacto statuit, probabile est, aut ab Apostolis per manus fuisse traditum, aut è scripturarum nobis occulto penu depromptum, aut à spiritu sancto pro ratione temporum suggestum. in contentiosis autem & obscuris dogmatibus, tui similibus sufficerit hac cautione profiteri, de his credo sicuti credit ecclesia. Hoc tutius quàm asseuerare, de quo dubites, aut quod non intelligas. K A. Sed in extremo discrimine, num satis est corde tenere fidem, an & uoce profitendum est? C A. Paulus hic tibi pro me respondebit, Corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore aũt confessio fit ad salutem. Et dominus minatur se non agniturum eum pro suo milite apud patrem, qui ipsum apud homines profiteri uel timuerit uel erubuerit. Sed aliud est non profiteri, aliud negare. Vbi nulla spes fructus est, quum sit graue periculum, non est necesse ut te ipsum prodas, quemadmodum legimus quosdam ultro in forum procurrisse, ut cum cæteris Christianis occiderentur, aut in paganorum solennes panegyres fecisse impetũ, non ut aliquem ad Christum pertraherent, sed ut ab illis occisi referrentur in martyrum catalogum. Christus Apostolis suis nullam aduersus impios uiolentam defensionem, sed tantum fugam permisit. fugit Petrus è carcere, fugit Paulus è Damasco per sportam demissus è mœnibus.

Verum

Verum quoties in eum articulũ deducta res erit, ut apud pios pariter atq; impios illustrãdum sit nomen domini Iesu, contemptis omnibus uel illectamẽtis uel terroribus alacriter ingenueq; profitendum est, quod tradidit ecclesia. Reiectum est Elcesaitarum dogma, qui docebant tempore persequutionum phas esse uerbis abnegare Christum, modo fidei synceritatem seruarent in pectore. Quod si uerum est, frustra tot lachrimis deplorauit Petrus apostolus, quod terrore mortis attonitus ter abnegauit dominum, quum nondum tantum de eo spiritualis cognitionis haberet, quantum nobis aperuit lux Euangelij. Tertullianus in diuersam partem æquo propensior, ne fugam quidem concedit in persequutione, dicens tum fugere, genus abnegationis esse. Et quod dicit, in certis circũstantijs possit esse uerum: certe leuius peccant, qui humano terrore perculsi Christum ore tantum abnegant, quàm qui temporalium cõmodorum respectu, ab imperatore cui dedere nomen & corde & lingua desciscunt. K A. Quũ intentãtur cruciatus omni morte grauiores, quid illic faciet humana fragilitas? C A. Dominus ipse nobis formam præscripsit: quum irruet ille pauor, tædium, & agonia, agnoscemus nostrarum uirium imbecillitatem, & toti diffisi nostris copijs prosternemus nos in terram, magnaq; fiducia diuini numinis opem implorabimus, haud quaquam considerantes quàm atrocia sint, quæ intentantur, aut quàm fragilis sit nostra conditio, sed quàm potens, quamq; misericors sit dominus, cuius auspicijs militamus: qui non est surdus, quoties cum fide inuocatur, sed aut à malis liberat, aut robur addit, ut fortiter perferamus: fides enim res est uere inuicta in omni præliorum genere: neq; enim uel inter Christianos desunt certamina ijs qui studeant pie uiuere in Christo Iesu. Qui uero sese in his leuioribus quasi uelitationibus quotidie exercent, ad supremum illum conflictum inueniuntur intrepidi. Quare præcipuum Christiani militis studium esse conuenit, ut quotidie excitet augeatq; fidei uigorem. K A. Quibus modis hoc assequi licebit? C A. Primum est quod dominus ostendit: Petite & accipietis. Sed precationem ne sit ociosa, adiuuet eleemosyna, non solum externa, corpus reficiens, sed etiam spiritualis, amanter monendo errantem, placide docendo indoctum, clementer ei cõdonando qui læsit. His accedant sacræ conciones assiduæ, ac uicissim sacra lectio, crebra mortis dominicæ recordatio, præsertim sumpto corpore & sanguine illius, deniq; crebra commemoratio uirorum ac mulierum qui in tormentis ac mortibus bonã militiam pro Christo militarũt: his fomentis alitur, uegetatur, & augescit scintilla fidei. K A. Habeo gratiam spiritui Christi, uir optime, qui me per organum linguæ tuæ tam admirabilem docere philosophiam dignatus est, nisi quid est quod adhuc restat. C A. Non multum restat quod doceam, sed fortasse restat quod admoneam, si tibi nondum oborta est satietas. Quanquã id obiter iam à nobis factum est antea. K A. Mihi uero sensim, audiendo crescit audiendi sitis. C A. Ergo quod superest proximo colloquio adijciemus.

CATECHESIS SEXTA.

ADSVM, expectans extremum huius suauissimi conuiuij missum. C A. Supererat ut singula quæ Symbolo continentur uarijs utriusq; testamenti testimonijs confirmarentur: nihil enim hic traditum est, quod non ante multa annorum milia, Mosaicæ legis typis uarie fuerit adumbratum, ac prophetarum oraculis prædictum, quædam etiam euidenter expressa. Quod genus illud, non esse plures deos, & ab uno conditum hunc mundum. quicunq; enim & ante legem proditam pie uixerunt, unicum coluerunt deũ, totius mundi conditorẽ. Iam prophetiæ munus in Ioanne Baptista uelut in utriusq; legis confinio cõstitit. cui cõtigit, ut quem alij uelut per nebulam è longinquo uenturũ ostendebãt, præsens præsentẽ digito cõmonstraret. omnium autem prophetarum certissimus propheta sibi fuit ipse dominus, hoc factis exhibens & interpretans, quod ænigmatibus uetustæ legis fuerat deliniatũ, apud populũ per parabolarũ inuolucra, apud discipulos modo tecte, modo aperte. Diuinã naturã factis exhibuit potius quàm uerbis expresit. Quis autẽ intellecturus erat, serpentem æneum in stipite suspensum adumbrasse Christũ crucifixũ, nisi dominus ipse dignatus fuisset exponere? Quod dixerat: Soluite templũ hoc, & intra triduum excitabo illud, nec à discipulis intellectũ est, nisi post resurrectionẽ. Quis porrò suspicaturus erat, Ionam deuoratũ à ceto, ac tertio die uiuum redditũ, præfiguraſſe Christi sepulturã ac resurrectionẽ? Quum autem propius urgeret mortis tẽpus, aperte præmonuit suos, fore ut traderetur gentibus

illudendus & crucifigendus: sed eosdem consolatus est, promittens se resurrecturum tertio die. Sic ascensum in cœlum ante mortem prædixit obscurius, post resurrectionem euidenter. Similiter prædixit, fore ut granum sinapis, hoc est Euangelica fides, ex minimis initijs per uniuersum orbem diffunderetur, & quid euenturum esset Euangelij præconibus. Nec illud tacuit, fore ut abolita Iudaica religione, pietas Euangelica transferretur ad gentes, Iudæis in sua caligine perseuerantibus, donec suo tempore, iuxta beati Pauli uaticinium, ex Iudæis ac gentibus fiat unum ouile sub unico pastore Christo. Ne illud quidem siluit, fore ut uarijs hæresibus ecclesia impeteretur, non subuerteretur. Quid multis? quum omnia sic euenerint, quemadmodunm erant prædicta, de supremo iudicio deque piorum & impiorum præmijs quicquam addubitare uidetur esse extremæ cæcitatis. Homini diuino credimus, si ter quaterq; uerum prædixit: & ei qui in tam multis, tamq; iuxta sensum humanum incredibilibus fuit ueridicus, non credemus in uno quod restat? Sed hanc partem quoniam ad Iudæos ac paganos pertinet magis quàm ad Christianos, & à doctissimis uiris Tertulliano ac Cypriano diligenter est tradita, in præsentia præter/mittemus, contenti digito commonstrasse fontes unde queas ista si uidetur haurire. Superest admonitio, ut iuxta rectam fidem, recte uiuamus. Ignea res fides est, ubicunq; est, ociosa non est: sed quemadmodum in lucerna oleum alit flammam ne extinguatur, ita charitatis opera fidem alunt ne deficiat. Fides gignit bona opera, sed illa uicissim nutriunt parentem, eoq; in fatuarum uirginum lampadibus defecit lumen, quia deerat oleum bonorum operum. Quanquam autem bene uiuẽdi ratio ex omnibus sacris uoluminibus peti solet, tamen in hoc quamuis breui symbolo continetur tota pie uiuendi philosophia, nec ulla est uirtus, ad quam non instruat, nec ullum est uitium, aduersus quod non armet animam hominis. Obambulat enim calumniator ille per ouile ecclesiæ, tanquam leo rugiens quærens quem deuoret, cui beatus Petrus iubet nos resistere, fortes non fiducia operum aut uirium nostrarum, sed fide. K A. Armasti me fide, nunc pie facis, quum tyronem doces uti suis armis. C A. Dominus ipse nos docuit uniuersa legis præcepta summatim uno contineri. Diliges dominum deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & proximum sicut te ipsum. Nullus autem diligere potest deum super omnia, nisi credat illo nihil esse pulchrius, melius, ueracius, aut amabilius. Etenim qui credit illo quicquã ab eo diuersum esse præstantius, aut æquale, non credit esse deum. In hunc igitur qui se totum coniecit, nihil amare potest nisi quod amet propter deum, nihil timere, nisi quod timeat propter deum. Atque hoc statim exordio, credo in deum, resecantur aut certe mitigantur uniuersæ carnis cupiditates: quarum si cui obtemperans negligis dei præcepta, constat te tibi alium fingere deum, quicquid hoc est quod illi anteponis. Dominus deum ac mammonam, dum duos appellat dominos, inter se contrarios, quasi duos deos comparat: & Paulus auaritiam, hoc est pecuniæ studium appellat idololatriam. idem quæstui corporisq; deditos emolumentis infami notat elogio, quorum inquit deus uenter est. Rursus idem Corinthijs scribens appellat instigatorem deum huius seculi, non quod reuera sit deus aut dominus, sed quod illis quodammodo est utrunq;, qui neglecto uero domino deo, semet illi dedunt in seruitutem. Quod autem de studio pecuniæ dictum est, idem sentiendum est de uitijs omnibus, præsertim capitalibus. Infame apud Christianos uocabulum est, apostasia, hoc est defectio. Et merito sane. nam si apud eos qui nihil aliud sunt quàm homines abominandum est transfugæ nomen, quanto ignominiosius est à tali imperatore, cui tot sacramentis, tot donarijs, tot autoramentis astricti sumus, ultro deficere, non ad meliorem aut parem, sed ab omnium optimo ad omnium pessimum. Et apostatæ nomen horrent ferè Christianorum aures, sed utinam animus similiter abhorreat à re. Porrò Satanas tribus ferè machinis nos impugnat, ignorantia, spe cõmodorum, ac metu contrariorum. Iam syncera fides, ut dictum est, omnẽ depellit mentis caliginem: cæterum nec spes blandiens fallit, nec metus territans de gradu deijcit eum, qui totam fiduciã collocauit in deo. Quàm misere torquet multos amor cognoscendi futura. Alius optat longã uitã, & horret mortẽ, consulit genethliacos. At uere credens deo, securus dicit cum Paulo, mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Alius habet in mari nauim onustam preciosis mercibus, consulit astrologos: pius autem dicit, dominus prosperet negotiationẽ si iudicarit expedire: sin minus, quod ille pro hoc damno dabit, melius est omnibus mercibus

cibus. Alius urgetur morbo, & accersit incantatorem: pius dicit, dominus est, pater est, flagellet me pro suo arbitratu, modo agnoscat me inter filios suos, & æternæ felicitatis hæredes. In summa, leuiter formidat quicquid habet hæc uita terrificum, qui uere timet illum, qui offensus animam & corpus mittere potest in gehennam: leuiter sperat huius mundi commoda, qui cogitat deum post hanc uitam momentaneam promittere uitam æternam. Quis autem tam amens est, ut ullum hominem fastidiat, si cogitet se totum ad illam inenarrabilem maiestatem minus esse, quàm culex sit ad elephantũ? Aut quomodo uilem potest habere illum, quem Christus minime stultus negociator non grauatus est suo sanguine redimere? Si præclarum est habere principem beneuolum, hic est omnium principum princeps: si periculosum est in regis iram incurrere, hic est rex regum & dominus dominantium. Multos contristat generis ignobilitas, sed erigit fides, admonens eos uere nobiles esse quos deus agnoscit pro filijs hæredibus, & à quibus gaudet audire pater. Alios tumefacit maiorum claritas, sed fides ostendit illis omnium communem patrem, apud quem non est discrimen principis ac plebei, pauperis ac diuitis, serui ac liberi. Quo quisque illi pietate commendatior est, hoc est nobilior, potentior, ac ditior. Hunc unicum dominum ostendit nobis Christus, quem merito timeamus, hunc ostendit patrem, quem amemus, cui citra responsationem obtemperemus, quem ut filij non degeneres imitemur. Estote, inquit, perfecti, quẽadmodũ pater uester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos ac malos, & pluit super iustos & iniustos. Quibus affluunt huius seculi commoda, opes, honores, claritas, potentia, forma, aut si qua sunt alia quibus animus solet intumescere, his continuo tumor uertitur in tremorem, si cogitarint cui domino debeant illa omnia, cui in manu est quandocunque uelit ingratis eripere, quod gratis dedit, cuiq; de singulis sciant reddendam esse rationem, & à quo protinus audiant, quid superbis terra & cinis? Quid te plumis alienis uenditas? quur audes proximum despicere, uelut ignobilem, qui cum habes communem patrem & communem dominum? Quur aspernaris ut seruum, quum ille sit eodem precio redemptus quo tu? Quur ut pauperem contemnis, cuius curam gerit pater omnium rerum dominus? An illi pauperes erant quibus scribit Apostolus: Omnia uestra sunt, uos autem Christi? Quur tibi sordet ut tenuis, qui pariter in æternę uitæ hæreditatem adscriptus est, hac in parte fortasis te potiores habiturus? Siquidem in Euangelio de tenuibus aduersus diuites dictum est, ut uos recipiant inæterna tabernacula sua. Ille quem tu ut seruũ premis, cõseruus tuus est: quem ut ignobilem despicis, frater est: quem ut inopem ac destitutũ negligis, angelos habet sibi ministrantes. Tu superbus palatio, derides pauperis ἀνεσιν tugurium, at illi pauperi communis pater totius mundi regiam construxit, illi lucent sydera, illi uoluuntur orbes, illi germinat terra æque ac tibi. Ad hunc modum eadem fides efficit, ut nec huius mundi prosperitas adferat insolentiã, neq; aduersæ res pariant desperationem. Quisquis autem deum esse credit, omnia gubernantẽ, is credit illum singulis nostrũ magis esse præsentem quàm quisquã adest sibi, exactiusq; perspicere latebras cordis nostri, quàm nos in media luce cernimus corpus oppositum oculis. qui igitur fieri potest ut homo, siue in tenebris agat siue in luce, siue solus siue cum multis, non cum multo tremore multaq; reuerentia componat actiones suas, ne quid sit quod offendat oculos patris ac domini, atq; etiam iudicis? Totus hic mundus templum est dei, in quo præsidet ipse: quod si nos pudeat in templo lapideo quicquam indecori cõmittere, quanto maiore religione decet in hoc uersari templo? Varia sunt iacula quibus nos impetit tyrannus ille, sed aduersus omnia sufficit unicus clypeus, credo in deum. Si te petit iaculo superbiæ, obijce clypeum, credo in deum, qui quàm oderit elatas mentes in Lucifero declarauit: si stimulat ira ad uindictam, responde, credo in deum, qui sibi ius uindicandi seruauit, clamans, Mea est ultio, & ego rependam. Si liuor urit animum, dic, credo in deum, qui sua bona dispertitur cuique pro suo arbitratu. Quur inuideam fratri & conseruo, communis patris ac domini benignitatem? Quanto æquius est, illi duplici nomine gratias agere, & quod mihi tam multa largitus est supra meritum, & quod per fratrem ista quoque largitur? Quicquid enim uni membrorum datum est, totius corporis & lucrum est & ornamentum. Si auaritia solicitat ad fraudes & rapinas, dicens, nisi properas per fas nefasq; facere rem, senem opprimet egestas, mendicabunt liberi: responde, non faciam, quia credo in deum: qui alit passeres, qui

1. Cor. 3

qui ueſtit lilia agrorum, non ſinet militem ſuum perire fame. Si concupiſcentia ſolicitabit ad luxum, dic, abſit ut faciam, quia credo in deum, cuius munificentia hæc mihi indulſit, non ad intemperantiam, ſed ad ſobrium uſum, quicquid hinc impenditur concupiſcentiæ, furtum eſt, rapina eſt, imò ſacrilegium eſt & idololatria: quicquid ſupererat neceſſarijs, pauperum res erat, Chriſti membris debebatur: & quod temulentiæ, crapulæq; inſumitur, in dei contemptum dæmonibus immolatur. Si libido prouocat ad ſtuprum & adulterium, deſpue, dicens, credo in deum patrem, cuius oculis iſta diſplicent: non committam ut ob tantillum uoluptatis excidam ab hæreditate cœleſtium gaudiorum, ac ſecuritate mentis ſibi bene conſciæ. Stultus negociator eſt qui talem admittit permutationem. Si quid tale puderet committere teſte & arbitro patre terreno, quanto magis oportet uereri oculos patris illius cœleſtis? Iam ſi ueniamus ad Chriſtum, qui nobis familiarius exemplum pie uiuendi propoſuit, quæ pars eſt Chriſtianæ philoſophiæ, quam non hinc abunde liceat diſcere? quis non accendatur ad uirginitatis ac pudicitiæ ſtudiũ, quum audit Chriſtum natum ex uirgine, qui nobis in ſuo quoq; corpore uirginitatem commendauit? Quem non pudeat coniugium adulterijs inquinare, aut in coniugio ſeruire libidini, quum reputat Mariæ & Ioſeph omni uirginitate caſtius matrimonium? Ad hæc quum cogitauerit, tantum honoris habitum humanæ naturæ, ut ad diuinæ perſonæ conſortium in Chriſto ſit recepta, ſedeatq́ue ad dextram patris, non uereatur ſeſe ad pecuinas uoluptates uentris & inguinis abijcere? Agnoſcunt angeli ac uenerantur hoc myſterium, quemadmodum teſtatur Petrus in epiſtolæ prioris capite primo. Eoq; in Apocalypſi decimonono, Ioannem procidentem ut adoraret, angelus uetuit dicens, uide ne feceris, conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. At qui ante Chriſtum incarnatum, non idem audiuit Abraham aut Daniel adorans angelum. Quum igitur humanæ naturę dignitatem agnoſcant angeli, quàm indignum eſt nos
2. Pet. 1 eam abiectiſsimis uitiorum ſordibus conſpurcare? Quin potius audimus Petrum hortantem, per quæ maxima & precioſa nobis donauit, ut per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. Iam qui ſyncera fide profitetur illum dominum, qua fronte audebit aliquid ſui ſuffuratus largiri Satanæ, quum totus ſit illius cui ſe totum in baptiſmo dedicauit? Qui ſe Ieſu profitetur eſſe, quur aliunde uenatur ſalutem? Qui Chriſtum profitetur regem ac ſacerdotem ſummum, qua fronte negligit illius leges, quo ore patitur illam adorandam uictimam pro ſe fruſtra oblatam, quam ille uoluit omnibus eſſe ſalutiferam? Dei filius amore tui factus eſt homo, ut te ex homine faceret deum, & tu in contemptum illius temetipſum ex homine facis animal omni pecude abiectius? Quid porrò eſt tota uita, mors, & reſurrectio Chriſti, niſi clariſsimum ſpeculum Euangelicæ philoſophiæ? Non ſine cauſa magnam habet laudem obedientia: ea ſine exceptione primum debetur deo: ille patri obediuit uſque ad mortem, mortem autem crucis. proxime parentibus: factus eſt illis ſubditus, quum ab eis non intelligeretur, Lucæ 2. Debetur autem & nonnulla publico munere fungẽtibus, etiamſi mali ſint: ille non ſubduxit ſe iudicio, ſed adiuratus à Caipha, reſpondit, nonnulla reſpondit & Pilato. Herodem contempſit, quod is non fungeretur illic autoritate publica, ſed tantum animi cauſa uenabatur ab illo miraculum. Satanam tentatorem reiecit in omnibus, à ſpiritibus immundis ne prædicari quidem ſuſtinuit. Magna uirtus eſt humanæ gloriæ contemptus, ille quum eſſet deus, ſerui perſonam geſsit in terris, regnum delatum refugit, doctrinæ miraculorumq; gloriã ad patrem retulit. Charitatis uis eſt, nocere nemini, prodeſſe omnibus, Tota illius doctrina, tota miraculorum geſtio, tota deniq; uita, nihil aliud fuit q̃ in omnes beneficentia: nuſquam quæſiuit quæ ipſius erant, ſed ſe totũ effudit in aliorũ utilitatem: hoc erat unicum illud deoq; gratiſsimum holocautoma. Quam feruida charitatis uox eſt quũ ait, ignẽ ueni mittere in terrã, & quid uolo niſi ut accendatur? Baptiſmo habeo baptizari, & quàm angor ut perficiat̃? Nemo, inquit, maiorẽ charitatẽ habet, q̃ ut animam ſuam exponat pro amicis ſuis: ille non ſolum uitam impendit, ſed & crucis ignominiam ſuſtinuit, idq; pro inimicis quoq;, extremis uerbis orans pro his per quos actus fuerat in crucem, & quorum blaſphemis uocibus in ipſo ſupplicio lapidabatur. Nec tamen mentitus eſt dominus: quum enim ait nemo, de charitate humana loquutus eſt. Inter homines exempla quædam inſignis amicitiæ narrantur uerius q̃ creduntur,

in quibus

in quibus amicus pro amico semet in uitæ discrimen coniecerit: Christi charitas superat omnem humanam charitatem: ignis ille cœlestis erat non terrenus, quem spiritus sanctus accendit, non affectus naturæ: & non pudet nos appellari Christianos, qui nõ solum non impendimus animam amicis seruandis, sed pro leui emolumento, fucis mendacijs & periurijs fallimus proximum, uiolentia spoliamus, calumnijs pertrahimus in capitis periculum? Vulgaris morbus est diuitiarum amor, ut earum contemptus rara præcipuaq; uirtus est. At quid illo in hoc mundo nudius, qui nõ habebat ubi uel reclinaret caput suum? qui Cæsaris numisma non agnouit, iuxta hominem loquor: cuius etiam uestes, quod solum supererat exuuium, inter milites distributæ sunt. Non hæc dico quod grauis egestas sit accersenda, sed quod turpe sit Christum professo, tam impotenter ferre rei familiaris tenuitatem, ut se ter quaterq; miserum clamitet. Quur autem te pudeat inopiæ, quam habes communem cum Christo rerum omnium domino? Aut quur aliquis minoris æstimat proximum suum ob egestatem, ac nõ potius ueneratur in illo domini similitudinem? Tyrannicus affectus est ultionis cupiditas. Durum est bene uelle ei qui rem diminuit, aut uitam famamue impetijt. At id fiet mollius si respicias ad illum agnum omnis expertem maculæ, tot conuicijs lapidatum, tot insidijs appetitum, denique uinctum, consputum, colaphis cæsum, & omni ludibriorum genere uexatum, & inter latrones in cruce suspensum, nullo uerbo, nullo nutu ullam prouocati animi significatiõem dantem, nec aliud sonantem quàm uerba flagrantissimæ charitatis ac mansuetudinis. post resurrectionẽ item discipulis & amicis tantum apparuit, ut illis & mœrorem adimeret, & fidem cõfirmaret: cæterorũ nemini sese ostendit exprobrans eis frustratos impiæ mentis conatus, dicensq;: Hic est ille, quem iniuste condemnastis, cui exprobrastis, quem sic extinctum uoluistis, ut nec ullum honestæ memoriæ uestigium supereſſet, Viuo inuitis uobis. Sed quid? Mandauit apostolis, ut illis ipsis à quibus fuerat indignissime tractatus, prædicarent Euangelij gratiam, hoc est per fidem in Christum gratuitam omnium scelerum ueniam, & in futuro seculo uitam æternam. Hæc uita multas secum defert molestias, eas si respectu domini patienter toleramus, simul cum illo patimur: sed multo magis, si ob iustitiam ac pietatem affligamur immerentes. Si hoc quotidie meditemur, ut carnis cupiditates sine rebellione obtemperent spiritui, Christo commori discimus. Si ab hoc mundo semoti, non tam corpore quàm affectu, ad eam peruenimus perfectionem, ut in spe resurrectionis conquiescamus, una cum Christo sepelimur. Si semel per baptismum ab operibus mortuis, ut Paulinis utar uerbis, omnibus emũdati maculis, deinceps in nouitate uitæ ambulamus, non solum non reuoluti in cœnum unde repurgati sumus, uerum etiam per omnium uirtutum gradus properantes ad perfectionem, iam cum Christo resurgimus, qui suscitatus à mortuis non amplius moritur. Quum his modis in nobis quotidie crescit rerum terrenarum contemptus, & accrescit cœlestis uitæ desiderium, cum illo in cœlum ascendimus, corporeis pedibus prementes terram, cordis affectibus uersantes in cœlo, sic omnes cogitationes nostras cõponentes, omnes actiones ita moderantes, quasi coram deo & in cœtu sanctorum omnium agamus, sicuti reuera agimus. Iam uenimus ad spiritum sanctum, qui iuxta Pauli doctrinam hospes est piarum mentium, quas sibi pro templis consecrauit. Hoc qui credit, qui fieri possit ut non uereatur dei templum prophanare? prophanatur enim impuris etiam cogitationibus, ut absint facta: ac expulso tam amabili hospite, è templo dei facere Satanæ stabulum? Laudatur Christiana cõcordia, sine qua nulla est religio, nulla felicitas, Huius absolutum exemplum habes in patre, filio & spiritu sancto, Habes proximum in nomine ecclesiæ, quæ tot uinculis cõnectitur, habens unum deum, unam fidem, unas leges, unum baptisma, eadem sacramenta, eundem spiritum, eandem expectans hæreditatem. In hac ecclesia si quis perseuerarit, etiam si quid prolapsus fuerit, habet multos à quibus subleuetur, nec facile perire poterit, tot intercessorum milibus pro ipso deprecantibus. Intra ouilis septa sese continentibus minus est à lupis periculi. Quoniam aũt hic perpetua nobis colluctatio est cum aduersario, caute ambulandũ est, iuxta leges ab imperatore dominoq; nostro præscriptas: ad quas seruandas quoniam imbecillitas nostra nequaquam sufficit, assiduis precibus implorãdum est auxilium cœleste: quod omnibus præsto est, si quis ardenter, si quis assidue, si quis cum trementi fiducia postulet. Ad utrunque erimus magis idonei, primum si ad deum ueluti fontem & autorem

torem omnia nostra referamus,Deinde si consuescamus non ad singulos, sed ad uniuersam sodalitatem habere respectum. Si prius illud fecerimus, in omnibus, quicquid nobis ex animi sententia successerit, deo gratias agemus: & si quid molesti acciderit, dum patienter ferimus uelut à deo immissum,uel ad emendandos,uel ad exercendos nos,exter num malum uertetur nobis in uerũ bonum. Dabo exemplum euidens, Feliciter prouenit seges in agris: hic paganus prędicabit industriam suam,laudabit eius æstatis commodum cœlum. At Christianus perinde quasi hæc omnia de manu dei acceperit, agit benigno patri gratias, qui tanta largitate prospicit filijs ac famulis suis. Et si quid boni nobis præstatur per homines,agnoscemus domini bonitatem, qui tali homini dedit ut hoc & uellet & posset. Rursus si quid molestiæ accidit nobis per homines, ac de uindicta cogitantibus subit animum,præstat hanc iniuriam concoquere,ne lacessitus lædat grauius, poterit amicus hoc damni multo pensare fœnore: humanæ prudentiæ nonnullam laudem fortasse promeremur,pietatis nullam. sed si cogitauerimus,dominus me per huius hominis malitiam flagellat, illius amore ferã quicquid hoc est mali: hoc pacto & minus indignabimur proximo, & proniores reddemur ad correctionem uitæ, quàm ad ultionem iniuriæ: In summa,minus habebunt in nobis tyrannidis humanæ cupiditates,quarum uiolentia nos ab obseruatione legum diuinarum ad maleficia solet abripere. Consuefaciendus igitur est animus ut in omnibus, seu lætis seu tristibus, protinus ad deum intendat oculos. Proximum huic est, ut animo contueamur uniuersam ecclesiam uelut unum corpus, sub uno capite Christo. Hac ratione fiet ut & nostra incommoda leuius feramus, si ea pro multis & cum multis ferre nos reputauerimus: magisq; de bonis aliorum gloriabimur, quàm de proprijs, nec cuiquam inuidebimus, si cogitauerimus nostrum esse, quicquid bonorum habet ecclesiæ sodalitas. Denique libentius audiet & deus preces nostras, si non nostrum proprie negotium agemus, sed commune commodum petemus, ad ipsius gloriam. Charitas enim deo gratissima est: at ea non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Christi autem corpus est ecclesia. Isto pacto fiet, ut dominus charitate tua delectatus, etiam hoc ipsum quod tibi proprie postulaturus eras, largius donet, quàm si tibi uni petisses. Hæc consideratio si transierit in habitum, dilatabit animum nostrum ut non quibuslibet offendatur, nec ad minutas offensiunculas resistat, nec officium præstaturus μικρολογῶν suppu-
tet, hic Gallus est, ego Germanus, ille obscurus est, ego clarus, ille pridem hoc de me dixit, sed alacriter impertiet beneficium, ut membro Christi, ut Christiano, ut homini. K A. Si tibi molestum non esset, uelim ex te & illud discere, quæ sint præcipuę leges ad quas oportet hominem actiones suas uelut ad amussim dirigere: & quæ sit optima precandi
Præcepta Decalogi formula. C A. Decalogi præcepta nulli sũt ignota: nec his meliora quisquã potest tradere, quàm quæ tradidit ipse deus: nec ulla melior precandi formula præscribi potest, quàm dignatus est ipse dominus præscribere. Nouit enim filius, qua formula potissimum delectatur pater. K A. Sed ea præcepta Iudæis per Mosen tradita sunt, ab ea lege nos liberauit dominus. C A. Bona uerba fili charissime, tota lex nostra est cum Euangelio consentiens, nisi quod nos factum profitemur, quod illi futurum expectabant, & quod illis ut rudibus per ænigmata propositum est, nobis explanatius dicitur. Tantum externæ quædam cęremoniæ partim abolitæ sunt, partim immutatæ, & ad Euangelicam pietatem accommodatæ. A præceptis autem cæteris non aliter liberat Euangelium, nisi quod aucta in nobis charitate, ea sponte facimus ac lubentes, quæ Iudæorum uulgus faciebat metu pœnæ: alioqui quæ tandem esset illa libertas, si nobis liceret peierare, mœchari aut furari? Non eò Christus uenit in mundum, ut impune peccaremus, sed ne omnino peccemus, renati in eum, qui non nouit peccatum. Eundem deum colimus quem Iudæi, licet quod ad immolationum ritus attinet alio modo colimus. Fons autem omnium præceptorum est, primum illud, hoc est omnium maximum, dilige deum ex toto corde, & proximum sicut teipsum. Hic enim sermo omnia uiuendi præcepta summatim complectitur, & his qui caret, etiam si præstet quod uerba legis præscribunt, uitétque quod uetat, legem tamen non obseruat: ueluti si quis inimicum non occidat, non quod illi minus male uelit, sed quod minas legis metuat, is apud deum homicida est. At quem ira excandescentem, à facinore reuocat dilectio dei & proximi, atque ita secum cogitat: absit ut ob hominem inimicum excidam ab amicitia dei, & lædam proximum, cui etiam si malus sit tamen bene

bene uelle debeo propter deũ, cui gratiſsimum eſt, ſi pro iniuria reponamus beneficium: nec mea refert, ſi malam pro benefactis gratiam refert homo, habeo certæ fidei debitorem, cui hanc ſortem fœnero, reddet cum inæſtimabili lucro: is demum legis præceptum obſeruauit. K A. Iam igitur expecto decem illas leges digito dei ſcriptas. C A. Referuntur Exodi capite X X. nec egent interpretatione. legis enim uerba debent eſſe dilucida, & ſi quid in his requirat interpretem, ſunt complures qui hoc abunde præſtiterũt. Tantũ paucis admonebimus, ſingula præcepta latius patere, præſertim apud Chriſtianos, quàm hominum uulgus exiſtimat. Primum itaq; præceptum eſt, Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile neq; omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper & in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Hoc præceptum conuenit cum primo articulo Symboli, ut hic nõ ſit opus pluribus uerbis: & iam admonui præceptũ hoc uiolari non ſolum ab his qui ſolem lunam ac ſtellas, aut hominem, ſerpẽtem, bouem canemúe, aut horum dæmonúmue ſimulachra colunt pro deo: uerum ad Idololatriam tendunt omnes artes curioſę, diuinandi, præſtigiarum, ſanationũ magicarũ, in quibus etiam ſi nõ ſit expreſſa cũ dæmonibus conſpiratio, eſt tamen aliquod tacitũ cõmercium, ac perinde tacita dei abnegatio. Si quæris argumentũ, in promptu eſt. Quum tibi incantator parat è corpore teli cuſpidem eximere, dic bona fide tecũ: ſi hoc fit uolẽte deo, profit: ſin minus malo uulnus corporis q̃ animi impietatem, uidebis incantatorem nihil agere. Neq; me fugit quid hic ſoleant cauſari, qui multum tribuunt magiæ naturali, & aſtrologiæ uaticinanti: Chriſtianæ pietatis eſt etiam ab illis refugere, quæ periculum aut ſpeciem habent impietatis. Deſpuit enim hæc omnia, quiſquis uere profeſſus unum deũ, abiurauit omnes deos falſos. Ne ab homine quidem ullum beneficium admittẽdum eſt, quod datur cum offenſione dei. Breuiter omne crimẽ pertinet ad Idololatriam. Qui in gratiam uxoris offendit deum, deũ abnegauit, & uxorem pro dea coluit. Qui in gratiã regis ſpoliat pupillos immeritos, aut aliud ſimile crimẽ admittit, principem pro deo coluit. Blandiantur ſibi quantũ uolũt, recitẽt hoc præceptũ quotidie milies, ore profitẽtur deũ. Paulus illis reclamat dicens, factis negant. K A. Quur igit̃ non puniuntur, ut Idololatræ? C A. Quia partim excuſat humana imbecillitas, partim turba peccantiũ: præcipue uero quod de hominis animo nobis difficillimũ eſt iudicare. cæterum qui per omnem uitã deſtinato animo per fas nefaſq; ſectantur diuitias, uenantur uoluptates, reiecto timore pariter & amore dei, ſciant ſe nihilo meliores eſſe iis, qui thus incendunt Ioui, aut Veneri mactant agnum, aut Baccho hircum. K A. Quum in eodem præcepto tanta diligentia uetentur fieri ſimulachra, qui factũ eſt, ut hodie templa Chriſtianorũ plena ſint imaginibus? C A. Iudæorũ populus erat craſsiſsimus, & ad gentium ſuperſtitionem mire procliuis, ut uix crederẽt eſſe quod oculis nõ cernerent: eoq; lex tot uerbis eos deterret longius ſubmouens à periculoſiſsima fouea. Nunc poſteaq; per Euangelicã lucem extinctus eſt omnis paganiſmus, non eſt idem periculum, & ſi quid reſidet ſuperſtitionis in quorundã imperitorũ animis, facile per admonitionẽ ſacramq; doctrinã propelli poterit. Vſq; ad ætatem Hieronymi erant probatę religionis uiri, qui in templis nullam ferebãt imaginem, nec pictam, nec ſculptam, nec textam, ac ne Chriſti quidem, ut opinor, propter Anthropomorphitas, paulatim autẽ imaginum uſus irrepſit in templa. Nec fortaſſe foret indecorũ, ſi in his locis in quibus ſolenniter adoratur deus, nullæ ponerentur imagines præter imaginem crucifixi. Pictura tamẽ ſi apte adhibeatur, præter honeſtam uoluptatem quam adfert, plurimum cõducit ad memoriam & intellectum hiſtoriæ. Vnde non inſcite dictum eſt à neſcio quo, picturam eſſe illiteratis, q̃d eruditis ſunt libri. Imò doctus etiã interdũ plus uidet in tabula q̃ in literis, ac uehementius afficitur: ueluti magis commoueremur, ſi conſpiceremus Chriſtum in cruce pẽdentem q̃ ſi legeremus illum crucifixum: pictura uero rem quatenus licet ponit ob oculos, & ἐναργειαν quam affectant logodædali præſtat: cæterum uita Chriſti & Apoſtolorum, ea præſertim quæ literis canonicis prodita eſt, in porticibus, ueſtibulis, ac periſtylijs recte poneretur. Suggerunt enim imagines eiuſmodi pias quaſdam cogitationes etiã aliud agẽtibus. Quemadmodum autem à priſcis recte conſtitutum eſt ne quid in templis recitaretur, præter canonicam ſcripturam: ita conueniret, ſi in ſacris locis nihil pingeretur aut fingeretur, quod in ſacris uoluminibus non haberetur. Poſtremo in tabernaculo Moſes ex præſcripto dei duos Cherubim aureos poſuit in ſummis propitiatorij partibus,

Exod.25.Et 3.Reg.7.in uasis templi quod extruxit Solomō, erant boum, leonū & cherubim sculptiles imagines. Rursus 2.Paralip.3.sculpuntur cherubim in parietibus. In mitra pontificis erat imago lunę, in ueste malorū punicorū simulacra. Non igitur est uerisimile Iudæis simpliciter interdictum omne genus imaginū, sed ne more gentiū haberent simulacra, quæ proponerentur adoranda. Idem uelut exponens liber Deuteronomij, pręceptū hoc referens addit, non adorabis ea nec coles: eodē pertinet quod addit, coram me. Corā deo ponitur imago quę deo ęquatur. Nulla siquidem res rationis expers, capax est adorationis, hoc est uenerationis externæ, nec cultus, hoc est internę ueneratiōis. Christianus si caput inclinat signo crucifixi, scit ligno nihil honoris deberi, sed ad occasionē imaginis ueneratur illud quod ea repræsentat. Iam si quis amore Christi charam habeat imaginem Christi, sic ut interdū exosculetur, & in loco mundo reponat, modo absit superstitio, arbitror eum affectum non esse ingratum deo. Alioqui quum in templis osculamur codicem Euangelicū, nō adoramus membranā, aut aurū ebúrue, sed Christi doctrinā ueneramur. Ac fortasse non inutile fuerit, ut episcopi in suis quisq; ecclesijs super hac re statuant secūdum præsentem gregis utilitatem, citra tumultū tamen & iniuriam. Nam ut imagines sint in templis nulla præcipit uel humana constitutio. Et ut facilius est ita tutius quoq; est omnes imagines è templis submouere, quàm impetrare, ut nec modus prætereatur, nec admisceatur superstitio. Iam ut animus sit ab omni superstitione purus, tamen non caret superstitionis specie, orantē ad ligneū simulacrū procūbere, in hoc intentos habere oculos, ad hoc uerba facere, huic oscula figere, nec orare prorsus nisi corā imagine. illud addā, quicunq; sibi aliusmodi fingunt deū q̄ est, cōtra præceptū hoc colunt scuptilia. Iudæi nō habēt simulacra in templis, sed habēt in animo idola turpissima, dū patrē fingunt orbum, quum habeat filium, dum solum, quum in cōsortio habeat filium & spiritum sanctū. Nō igitur deum colunt, sicuti iactant, sed pro illo colunt idolum quod sibi in animo suo fabricati sunt. Hoc exempli causa dixisse sat est, cętera ex te ipso conijcies. Quoniam aūt illius summæ maiestatis hoc postulat dignitas, ut non solū apud te magnifice de ea sentias, nec tantū abstineas à cultu simulachrorū, uerū etiam nec uerbo parum reuerente dehonestes apud homines: additum est, non assumes nomen dei in uanum. Nam assuetudo leuiū uerborum, paulatim minuit in loquentium & auditorum animis reuerentiam numini debitam. Is porro mos erat gentium, passim inculcantium in sermone quamuis ludicro aut etiam obscœno, νὴ τὸν δία, Edepol Ecastor, medius fidius: & utinam hodie nulli essent Christiani, qui praua consuetudine, tertio quoq; uerbo, addunt, per deum, per mortē dei, præsertim quum ludunt aleam, aut Baccho sacrificāt uuidi. Legimus imperatores quosdam Romanos licet ethnicos, iussisse flagris castigari eos qui iurassent per genium principis. Apud Iudæos uero tāta erat ueneratio diuini nominis, ut mysticū illud nomē quod tetragrammaton appellant, scriberent literis non efferēdis. uerum sit hoc datum crassis Iudæorū mentibus: nam deus tam est innominabilis, q̄ est inimaginabilis & inuisibilis: Euangelicæ pietatis est, nunq̄ nominare deum, aut Christū, aut spiritum sanctum temere, seu irreuerenter, ne uoces transeant in affectus, affectus in actiones. Illud animaduertendum, quod nō dixit non nominabis deum, sed nō assumes nomē dei. Assumitur enim quod ad aliquē usum adhibetur: in uanum siue frustra ac temere assumitur, quod ad usum prophanum ac uulgarem assumitur: uelut quum quis per deum iurat in negocio parui momēti. Nam qui iurant, ut facilius fallant, aut per temulentiam, iracundiam ue, aut animi gratia, blasphemiæ proximi sunt. Saltem hoc tribuamus omnium principi deo, quod Galli tribuunt regi suo, qui regem non nominant, nisi adiectis uerbis boni ominis, & attacto pileo. Nos itaq; deum seu Christum nominātes, aut flectamus genua, aut aperiamus caput, aut si neutrum licet, modica capitis inflexione & uultu, reuerentiam præ nobis feramus.

K A. Ex isto sermone quatuor scrupuli pungunt animum meum. primus est, quod hoc pręceptum uidetur ad proximi dilectionem pertinere, dum prohibemur, per hoc nomen fallere proximum. Secundus quod hoc secundo præcepto permitti uidetur, quod primo uetitum est: nomen enim dei res est creata, & simulacro simile. Tertius, quod idem uidetur hoc præcepto uetari quod primo. Nullus enim sciens peierat per deum, qui bene de illo sentiat. Aut enim sentit illum ignorare mentes hominū, aut non offendi malis. Quartus quod qui hodie iurant, magna ex parte uidentur uiolare hoc præceptū, siquidem iu-

xta

xta ſermonem Eccleſiaſtæ, in rebus humanis uanitas uanitatum eſt, & omnia uanitas. In his igitur nunq̃ phas eſſet iurare. C A. Vt ad ſingula tribus uerbis reſpõdeam, Tria prima præcepta quodammodo unum ſunt, ac præcipue pertinẽt ad latriam, quæ eſt ſumma ueneratio, quæ uni deo debetur, tanq̃ omniũ optimo, & cuius ſublimitas non recipit ullius creaturæ conſortiũ. Sed quatenus illius contemptus redundat in proximi malũ, hactenus hoc præceptũ & ad proximi dilectionem attinet, quemadmodũ & omnis in proximum iniuria pertinet ad dei contumeliã: Deum enim quod in ipſo eſt lædit, qui cõtempto illius præcepto, lædit proximũ: ſed blaſphemiæ propior eſt, qui per dei nomẽ iurans fallit proximum, q̃ qui ſimplicibus uerbis. Abutitur enim ad ſuã cupiditatem, & diuini nominis honore, & proximi religione, qui adhibito dei nomine credit iurato, non crediturus iniurato. Ad ſecundum ita reſpondeo, Nomen dei ab homine prolatum eſt res creata, nec illi uoci flectitur genu, ſed ei quem uox indicat. De ſimulacro uero nõ eſt ſimile. Nullũ enim eſt periculũ ne uox hominis adoretur: ſed in ſimulacris periculũ eſt, quod philoſophi quidã docuerint, ſicut in corpus apte cõpoſitum à natura immigrat anima, ita in ſtatuã ſcite effictã immigrare dæmones. Et neceſſe eſt deũ aliquo ſigno declarari. Ad quẽ uſum præcipue inſtituta eſt hominis oratio. Ad tertium hoc habe reſponſum, iuxta meã quidẽ ſententiã: eos qui temulenti aut irati iurant, aut ſtudio fallendi nocendiue ſcientes peierant, primi præcepti uiolatores eſſe uerius q̃ ſecundi. Tales enim, ut tu fateris, aut nõ credunt eſſe deum, aut ſtupidum eſſe credunt, ut ignoret quid agant homines, aut ſomnolentum ut non curet, aut malum ut faueat, aut iniuſtum ut non puniat. Sed qui uel conſuetudine, uel ſine graui cauſa ſponte iurant, aduerſus hoc præceptũ peccant. Ne uero nihil ad quartum reſpondeam, Dominus inter perfectionis hortamenta, ponit & illud, ut in totum abſtineamus ab omni iureiurãdo, Idem uiſum eſt quibuſdam probatis eccleſiæ doctoribus. Cæterũ quo colore poſsit excuſari cõſuetudo nũc paſsim iurantiũ in omni pene negotio uiderint alij: mihi uidetur iuſiurãdũ uix excuſari poſſe, niſi aut neceſſitate, aut negotij gratia. Crebro iurando peierare diſcimus. Neſcio an quiſq̃ bene iuret qui uolens iurat. Iurat Paulus, ſed non pro penula aut ære, ſed pro gloria Euangelij. Haud tamen dixerim omnem iurandi conſuetudinem aut temeritatem eſſe crimen letale, ſed certe crimini affinis eſt, & huic ripæ nõ bene creditur. Tutius eſt igitur domini ac Iacobi conſilium ſequi: Tertium præceptum uarios habet reſpectus, Spectat enim ad cultum dei, præſcribens ſeptimum quenq̃ diem, quo totus homo uacet operibus latriæ, hoc eſt hymnis, precationibus ſacræ doctrinæ, ſacrificijs, & eleemoſynis, alijſq̃ exercitamentis quæ fidem & charitatem erga deum excitant, ne quis excuſare poſsit ſibi per neceſſarias occupationes non eſſe otium colligendi animum ad ea quæ ſunt pietatis. Spectat & ad humanitatem erga proximum, Tanta ſiquidem fuit olim Iudæorum, & hodie proh dolor nonnullorũ Chriſtianorum tum inclementia tum auaritia, ut nullam relaxationem darent ſeruis, ancillis, ac mercenarijs aduenis. Nec hanc cauſam diſſimulat lex, quum addit Deuteronomij 5. Memento quod & ipſe ſeruieris in Aegypto, & eduxerit te inde dominus deus tuus: ut diuinę manſuetudinis memoria, exemplum eſſet humanitatis erga proximum. Simili de cauſa inſtitutum Iubileum, id eſt annus libertatis, ſeptimo quoq̃ anno. Quod autẽ Deuteronomij 5 additur de boue & aſino, uel oppoſitum eſt quorundam inexpiabili cupiditati, qui quum ipſis non liceat exercere opus ſeruile, tamen iumenta ſua ſabbato alijs ad quæſtum locant: uel exceſſus eſt additus, quo longius ſubmoueamur ab inhumanitate erga homines, quum iubeamur & iumentis parcere. Siquidem in hæc inclementia, gradus eſt ad inclementiã erga nobis ſubiectos homines. Nam & iumenta nobis ſeruiunt. Porrò quod Paulus ait, Nunquid de bubus cura eſt deo? nõ ſentit deo nullã eſſe curã boum, quũ in Euangelio teſtante domino, ne paſſerculus quidem ſine illo cadat in terram: ſed ſolã & pręcipuã eſſe negat. Quemadmodũ enim iumenta creauit propter hominem ita & curat illa in hominis gratiã. K A. Quid eſt opus ſeruile? C A. Omne opus externũ, quod quæſtus gratia ſolet exerceri, uelut arare, fabricari, negociari. K A. Quur prohibẽt q̃d ſanctũ eſt? C A. Nõ uetatur quaſi uitioſum, ſed ut quod per ſe bonũ eſt, cedat ei quod eſt optimũ, ei cuius gratia præcipue cõditus eſt homo, uidelicet ut cognoſcat, ueneretur, colat, ametq̃ deum ſuper omnia. K A. Non poteſt is coli niſi per quietem corporis? C A. Et poteſt & debet etiã in mediis laboribus. Sed uix homo poteſt animum, ut par eſt in deũ attollere,

Tertium præceptum

niſi liber ab his laboribus, qui & tẽpus abſumunt, & magnam animi partẽ ſibi uendicant, & à decore publici conuentus auocant. Infirmis igitur & craſſæ mentis hominibus hæc lex potiſsimum data eſt, quo per externum ocium diſcerẽt, & animũ habere à tumultuoſis cupiditatibus feriatũ, uidelicet, ab odio, ab ira, ab ambitione, à libidine cæteriſq; carnis affectibus. Itaq; qui ſabbatis ita quieſcebant, ut eos dies uel ſomno, uel fabulis, uel inertię darent, nequaq; ſeruabant hoc præceptũ, non præſtantes hoc, cuius gratia præceptũ eſt proditũ. Eoq; lex ita loquitur: Memento ut ſanctifices ſabbati diẽ. Sanctificare enim eſt ſanctis operibus tranſigere, nec ullis deo indignis actionib. prophanare. K A. Quur ad id deſignatus eſt dies ſeptimus? C A. Lex ipſa cauſam expreſsit: Septimo die Sabbatũ domini dei tui eſt, Sabbatũ aũt Hebræis ſonat requiẽ, Id explanatius dictum eſt Exo. 31. Sex diebus fecit dominus cœlum & terrã, & in ſeptimo ab omni opere ceſſauit. Ne mihi hic imaginis fabricã ſex dierum opera abſolutã, deinde ſexto die laſſum architectum ſeptimo die recreaſſe laſsitudinẽ ocio. Tota Geneſeos ſcriptura myſtica illud uoluit, Iudæos meminiſſe, quod hic mundus à deo conditus ſit, non ut in his quæ huius mundi ſunt cõquieſceremus, ſed ut ex his quæ condita ſunt agnoſcentes conditorẽ, ad illius exemplũ requieſceremus ab amore rerum uiſibiliũ, ac per fidem uitæq; innocentiã, quæ uera animi pax eſt, ad illam æternam requiem properaremus. Audis hic tria quodammodo Sabbata. Primum fuit ſolius dei ſine nobis. Secundum eſt noſtrũ per illius beneficentiam, ſed imperfectũ in hac uita. Tertiũ eſt abſolutum in futuro ſeculo. Præterea uoluit populũ ingratum & obliuioſum meminiſſe miſericordię diuinę, per quam fuiſſet è duriſsima ſeruitute Pharaonis liberatus. Qui typus & nos admonet, ut meminerimus nos per agni immaculati ſanguinẽ à fœdiſsima tyrannide Satanæ redemptos, ne per ingratitudinẽ reuoluamur in maiorẽ ſeruitutẽ. K A. Dicebas Moſaicam legẽ quod ad cæremonias attinet, abrogatam eſſe. Sed hoc p̃ceptũ maxima ex parte uidetur ad cęremoniarũ genus pertinere. C A. Dixi quaſdam cæremonias abrogatas, non omnes: Neq; enim abrogatum eſt flexis genibus orare deum, neq; ieiunium, aut conciones: quaſdam immutatas & ad Euangelicam pietatem accõmodatas, Quorum de numero eſt Sabbati obſeruatio. K A. Quur igitur ſeptimus dies uerſus eſt nobis in octauũ? C A. Id quidẽ credibile eſt Apoſtolorũ autoritate factũ eſſe: mutatus eſt dies, ne in hoc cõuenientes cũ ludęis, uideremur & in reliquis cõſentire: quẽadmodum Chryſoſtomus, nec is tamen ſolus, miro ſtudio deterret Chriſtianos, ne ijſdem diebus ieiunarent, quibus Iudæi ſolenniter ieiunabant. K A. Ergo non ſine graui cõſilio mutatus eſt in octauum ſeptimus, potius q; in decimũ, aut duodecimum. C A. Recte dicis. deus enim quodammodo bis condidit mundum, & in hoc hominẽ. Primũ enim creauit quod non erat, utiq; per filiũ. Dein per eundem incarnatũ reſtituit quod perierat. Ibi requieuiſſe dicitur ab opere condendi: hic Chriſtus ab operibus diſpenſationis requieſcens, dum corpore requieſcit in ſepulchro, uelut abrogat Iudaicũ Sabbatiſmum: dumq; octaui diei diluculo reſurgit immortalis, Sabbatum Euangelicũ nobis cõmendauit. Eoq; is dies dominicus dicitur, & in eo cantat Eccleſiaſticus chorus, Hic eſt dies quem fecit dominus. Dicitur & paſchæ dies, ipſo uocabulo nos admonens ueteris typi. Iudæi refecti agno tranſierunt mare rubrũ: nos refecti ſanguine Chriſti, tẽdimus ad terram cœleſtem. Illos agni cruor illitus poſti, ſeruauit ab angelo extinctore: nos Chriſti ſanguis liberauit à tyrannide peccati. K A. Iſta profecto mire quadrant per omnia. Verum, eſt ne ſatis, ſi q̃s diebus dominicis colat deum? C A. Vere pijs omnis dies dominicus eſt, nõ quod ſemper abſtineat ab externis operibus, ſed quod omni die quoties datur oportunitas frequenter attollit animũ in deum, fidem excitans, charitatem extimulans, ſpem acuens, hymnis laudans, aliquid petens ſalutiferum, pro omnibus gratias agens. Sed quemadmodũ pietatis eſt, hoc quotidie meditari, ita ſcelus uix expiabile eſt id dñicis diebus nõ facere, quũ huc inuitet Chriſti et Apoſtolorũ inſtitutio, populi Chriſtiani ſolennis cõuentus, ſacra lectio, ſacra cõcio, ac religioſi ritus à patrib. inſtituti. K A. Peccãt igitur criminaliter q̃ feſtis diebus aliquid operis faciunt? C A. Peccant, niſi excuſet aut magna neceſsitas, aut magna utilitas: quod euidenter docuit nos ipſe dominus, excuſans diſcipulos quod ſpicas uellerent ſabbato, & allegans leuitas, qui ſabbatis operabantur in templo, & phariſæis calumniantibus quod ſanaret ſabbato, obijciens, quod ipſi ſabbato bouem ducerent ad aquã, & aſinum in foueam collapſum extraherent Sabbato: denicq; pronũcians hominem nõ eſſe factum

ctum ſabbati cauſa, ſed ſabbatum hominis gratia inſtitutũ, ut intelligas hoc præceptum non eſſe eius generis, ut nunq̃ debeat cedere charitati. K A. Qui conuenit ut requiei dies dicatur, quum legamus aliquoties, in eo affligetis animas ueſtras? C A. Iſta cantio Iudæis decãtata eſt, quorum eſt flere, quoniã nõ habent ſponſum. Chriſtianorũ lõge alia eſt cantio ſeſe cohortantium, exultemus & lætemur in eo. Apud priſcos aũt in pleriſq̃ eccleſijs, Sabbatis ieiunabatur, ut purgatioríb. animis ad dñici diei celebritatẽ accederẽt. Quod ſi quis adhuc obnoxius eſt Iudaicis affectib. per confeſsionẽ ac pœnitentiã affligat animã ſuam, ut deo recõciliatus, animo requieto fruatur diei gaudijs: hinc enim uulgata Germanorũ lingua dicitur Sœndach, non à ſole, ut quidã interpretãtur, ſed à reconciliando: ut ſi q̃d per cęteros dies ex humanis negocijs cõtractũ eſt labis, uel ſabbato ueſpere uel dñico die mane cũ deo redeat in gratiã: tum ſi quid cum quoquã habet ſimultatis, reijciat ex animo, ut & ab odio purus, et ab omni crimine requietus ingrediatur templũ domini. Proinde qui iuxta domini uocem: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, et inuenietis requiem animabus ueſtris, quaſi modo geniti infantes depoſuerũt omnẽ maliciã, ac ſuperiores rebus humanis toto pectore rapiuntur ad illius æternę quietis contemplationem, hi demum ſentiunt quanta felicitas ſit, quanti gaudij, quantę quietis res ſit Euangelicum celebrare Sabbatũ: hoc eſt poſt dominicæ ſepulturæ imitationem, eius exprimere reſurrectionẽ, hoc eẽ uere eſt ſabbatũ dei. Nam habet mundus ocia ſua foris, ſed intus labores lõge ſeruiliores q̃ pertulerint Hebræi ſeruientes Aegyptijs in luto & latere. K A. Iſta profecto pro meo captu ſatis explanate deſſeruiſti. C A. Summa impietas eſt quæ rectà petit deũ: proxima qua per homines lędit. Deus propter ipſum honorandus ac diligendus eſt, homo propter deũ. Secundũ deũ primus honos debetur parẽtibus, per quos deus nobis hoc uitæ munus dedit, quorũ cura nos educauit, alioquí perituros, per quos nos inſtituit ad cognitionem dei ſummi parentis omnium, & ad charitatẽ ipſius euexit. Proinde Honora, inquit, patrẽ tuum, & matrẽ tuam, ut ſis longęuus ſuper terrã, quam dominus deus daturus eſt tibi. Honos apud Latinos frequenter præmium ſonat, unde illud Comœdiæ, Hic tibi ab illo honos eſt habitus. &: honos alit artes. Ergo officium in parentes repenſatio quædã eſt impendiorũ, moleſtiarum ac laborum quos nobis infantibus impenderũt, dum mater fert tædium geſtationis, pariendi, munus lactãdi & nutricandi: longarũ item curarum, quas pater tolerat ſumptus ſuggerens, & omnem exhibens curã, ut liberi ad pietatem erudiantur. Fit aũt ſæpenumero ut parentes uel ætate defecti, uel alio quopiã caſu deiecti, egeant uiciſsim filiorũ auxilio. Hic primas debemus parentibus. Id Græci uocãt ἀντιπελαργεῖν, quod ciconiæ dicantur parentes ſenio laſſos geſtare uiciſsim ac fouere: & apud Ethnicos laudatur Aeneas, qui patrem Anchiſen, humeris ſublatũ extulit ab urbis incendio. Apud eoſdem prędio non caruit puella, quæ matrem clam uberibus ſuis aluerat. Vnde & uox cõmunis addita eſt pietatis. Pietas enim proprie dicitur affectus in deũ, in parentes ac patriã, quæ quaſi communis eſt parens multorum, ſicut deus eſt pater omnium. Referre gratiã ijs per quos uitã uel acceperimus uel recuperauerimus pietatis eſt. Bene mereri de his qui prius de nobis benemeriti ſunt, gratitudinis eſt: præceptoribus autem eximiam debemus gratiam, quod ſicut per parentes contigit ut uiuamus, ita per hos contigit ut bene uiuamus, & quẽadmodum illis corporis uitã ferimus acceptã, ita his debemus animi uitã. Bruti naſcimur, q̃d eẽ aliud? inſtitutione reddimur homines. Plurimũ igitur honoris debetur parentibus ijs, qui hæc omnia ſimul præſtiterunt. K A. Quid ſi & lactandi tædiũ fugiat mater, neuter aũt inſtituat ad bonos mores, ſed liberos pro ſeruis habeant, & eorum obſequiũ ad inhoneſtas actiones exigant? C A. Quo minus præſtiterint officij, hoc minus illis debetur honoris: & tamen illis quoq̃ propter deum mos gerendus eſt, iuxta illud Tragicũ: Ni pater eſſes: niſi forte præſcribãt ingrata deo. Tum enim ęquũ eſt ut audiant, Oportet obedire deo magis q̃ hominibus. Porrò quod de parẽtibus dictũ eſt, ptinet ad omnes qui nobis ſanguinis propinquitate iuncti ſunt, aut qui ea præſtiterunt officia, quæ parẽtes pñ ſolent ſuis præſtare liberis. Nam genuiſſe corpus, minima pars eſt officiorum. Decet quidẽ erga omnes eſſe beneficos, ſed in his ordo eſt. Secundũ parẽtes, ut quiſq̃ ſanguine proximus eſt, ita primũ ſubleuandus, ne in alios conſumpta liberalitate, non ſit quo domeſticis opituleris. Paulus mulierem pronunciat infideli deteriorẽ, quæ ſuorũ curã non habet, non q̃ grauius ſit peccatũ negligere cognatos, q̃ nõ credere Euan

Leuit. 16

Quartũ præceptum

gelio,ſed quod talis mulier ne id quidem officij præſtat ſuis,quod Ethnicæ ſolent exhibere cognatis,quũ Euãgelica pietas nõ abroget affectus naturæ,ſed eos perficiat.Et in Euangelio dominus damnat eos,qui neglectis parentibus facultates ſuas mittũt in Corbonan. Addam & illud.Hoc præceptum non ſolum ad parentes,uerum & ad epiſcopos,præceptores ac magiſtratus pertinere,qui quodãmodo parentũ fungũtur uice. Quibus em̃ iubetur rependi honor, hi eadem opera iubentur ea præſtare officia quibus magna debetur gratia.Eoq; beatus Paulus Epheſ.6.alijſq; locis hoc præceptũ repetens,utranq; partẽ admonet officij ſui.Et uos,inquit,patres,nolite ad iracundiã prouocare filios ueſtros,ſed educate eos in diſciplina & correptione domini.Quũ uetat exacerbari filios, excludit herile imperium:quum addit in correptione domini,cõmendat manſuetam ad pietatẽ inſtitutionem,ut tales ſimus erga nobis ſubditos,qualis dominus fuit erga nos.Qua em̃ fronte queruntur de filijs ſuis quod ſint parũ frugi,quum ipſi ad luxum ac nequitiã illos inſtituerint? K A.Ergo ne longęui ſunt omnes, qui pie colunt parentes. C A.Annotauit iſtuc D.Paulus,huic pręcepto primum additã mercedem etiam in hac uita:uerũ ita loquendũ erat craſsis Iudæis,qui ſpe commodorum temporalium,uelut infantes, alliciendi erãt ad officia pietatis.Duriter habiti in Aegypto,lõgiſq; per deſerta itineribus fatigati miro deſiderio inhiabant,ad terram lacte & melle fluentem, eoq; adiectum eſt, ut bene ſit tibi,& longęuus ſis ſuper terram, quam dominus dabit tibi. Probabile autem eſt multos ex eo populo cui data eſt lex,non peruenisſe ad terram repromiſſam, qui tamen erga parentes præſtitere pietatem.Verũ qui ſpiritualia ſpiritualiter dijudicãt, non hic expectant pietatis præmium,ſed in illa terra uiuentium.Nec enim illi bene eſſe poteſt,qui male uiuit. Et hæc uita licet ad decrepitã uſq; ſenectam proferatur,longęua tamen non eſt,imò temporis punctũ eſt,ſi ad illam æternitatẽ cõferatur.Ille diu uixit, qui hic benefactis æternã promeruit uitã,quiq; conſummatus in breui expleuit tẽpora multa.Quanq; & in hac uita deus ſæpenumero reponit præmium pietatis erga parentes.Aliqua pręmij pars eſt honeſta fama.Nam & uulgus Ethnicorum execratur eos,qui progenitores ſuos negligunt contriſtantq;:ac ferè fit,ut qualẽ ſe quiſq; pręſtiterit parentibus ſuis,tales habeat erga ſe liberos, nec eſt alia grauior homini calamitas,q̃ habere filios impios. Meretur aũt ingratitudo,ut quod immerens accepit,inuitus amittat. Vitam debemus progenitoribus,in quos ſi grati fuerimus,ęquũ eſt,ut eo quod accepimus diu fruamur. Nec hi tamẽ fallũtur promiſſo, quibus hic non cõtingit lõgęuitas.Aut enim hoc datur, quod iuxta literã promiſſum eſt, aut aliquid illo multo præſtantius. Neq; enim fallit, qui pollicitus uitrum dat gemmam. Quatuor his præceptis admonemur,ut grati ſimus erga benemeritos ac benemereamur de ijs,erga quos dei uice quodammodo fungimur. Nunc ob retundendã Iudæorũ craſſam malitiam expreſſe uetantur ea quibus homo lædit hominem. Omnium autem iniu-

Quintũ præceptum

riarum atrociſsima eſt, homicidium: quanq; homicidij nomine continentur omnes affectus,qui huc tendunt:quorum primus gradus eſt,ira in animo concepta,et odium.Ira eſt dolor flagitans uindictam:odium eſt ira inueterata,affectus ad omnem occaſionem paratus ad lædendum:illa uehementior ueluti crudi uulneris,hoc inſanabilius. Vtroq; peior inuidia,quæ alienã felicitatẽ ſuam interpretatur iniuriam.Proximus gradus eſt, ira erumpens in uocem indignationis, quam dominus appellat Raccha. Tertius eſt dolor erumpens in manifeſtum conuicium, ut quum dicimus fatue. Apud homines homicidij defertur qui uitam eripuit proximo: apud deum homicida eſt, quiſquis odit proximum, hoc eſt,qui male uult.Nam iraſcimur & his quibus bene uolumus,nõ ut lædamus,ſed ut corrigamus:& odimus in homine nõ quod fecit deus,ſed q̃d fecit ipſe. Calumniator & ſycophãta pro gladio,iaculo & ueneno utitur lingua. Auarus dũ egenti nõ ſuccurrit,fame occidit. Occidit em̃ qui quũ ſeruare poſsit,nõ ſeruat.Fortaſſe nõ perit proximus,ſed tamen quantũ in illo eſt,qui periclitanti non tulit opem,extinctus eſt.Maleficæ perimunt incãta mentis.Maledicus ad mortem adigit.Non refert quo pacto quis adimat uitam,ubicunq; eſt lędendi peruerſa uolũtas,ibi eſt homicidiũ. Mulieres quæ pharmacis cient abortum, infanticidiũ cõmittũt.Qui libellis famoſis lapidãt hominẽ,interficiũt calamo. K A.Si nullo pacto licet occidere,quid dicemus de bellis ac publicis iudicijs? C A. In legitimis iudicijs,lex ipſa occidit non iudex.Lex autem à deo eſt,iubens unum membrum tolli ob totius corporis incolumitatem,ſed ad ſectionem non accedunt medici donec alia uia ſpes eſt

recuperan

recuperandæ sanitatis: ita Christiani iudicis aut principis est, ad capitis suppliciũ nõ nisi tentatis omnibus & coactũ uenire. Qui corrupte iudicat, aut legibus ad priuatũ odiũ cõmodũmue abutitur, etiã si nocens morte dignus est, tamen iudex patrat homicidium. De bello quid dicã? Vtinã omnes sic à bellis abhorreant quasi sit parricidium illic occidere, quando omnis Christianus Christiano germanus est. Sed in bello iuste suscepto & legitime gesto, lex occidit non homo. Cæterũ princeps qui non necessitate, neq; rei publicæ studio, sed ob priuatos affectus bellum suscipit, tot homicidia cõmittit, quot homines in eo bello uel pereunt, uel ad famem adiguntur. Adde quisquis uel odio, uel spe prædæ currit ad bellũ, etiã si neminem occidat, homicida est. Non enim uoluntas abfuit, sed uoluntati defuit facultas aut occasio. K A. Quid si quis priuatus occidat inuadentẽ? C A. Si certa mors intenditur, nec est ullũ effugium, homini perfecto suaserim, ut à deo imploret auxilium, quod sæpe propinquius est q̃ credimus, quãdo legimus & draconẽ eius cuius olim fuerat alumnus clamore excitũ accurrisse, et à latronibus liberasse. Hic si mauult occidi q̃ occidere existimarim Christiani hominis officio functum. Ad hoc aũt ut liceat capitis periculũ, intentantis exitio depellere, multa requiruntur, quæ persequi non est huius instituti. K A. Quid de his qui sibi manus adferũt? C A. Si isti non sunt homines, nõ cõmittunt homicidium, morbũ mentis omne iudicium adimentẽ excipio. K A. Quid de his, qui ieiunijs, uigilijs, frigore, nuditate, reliquisq; corporis afflictionibus sibi uitã uel abrumpunt, uel abbreuiãt? C A. Si adest hypocrisis, homicidę sunt: si syncerus animus, leuius peccãt, præsertim si studio iuuãdi proximũ excedunt modum. Charitas enim multa excusat. Iniuria in proximũ atrocissima, est homicidiũ: proxima adulteriũ. Vt enim uiro, nihil coniunctius, nihil charius uxore legitima, ita nulla est contumelia intolerabilior q̃ uxor per adulterium cõstuprata. Quanquam autem adulterare Latinis, ut μοιχεύειν Græcis, uerbũ sit generale ad omnem corruptionem: nam et monetam adulterat, qui eam uiciat, & adulterant uerbũ dei, qui illud corrupto affectu tractant, tamẽ frequentior usus ad stupro uiolatum coniugiũ accõmodauit. Nec aberrant qui putãt hoc præcepto uetari omnẽ coitum nefarium. Quod genus sunt incestus, externus & spiritualis, uenus mascula, coitus cũ incubonibus, aut brutis animãtibus, omnis immundicies. Deniq; stuprum simplex, quod ita leuissimum est in hoc genere, ut interdum ex circũstantijs grauius fiat adulterio. Quin & in legitimo coniugio committitur adulterium, si immodice seruiatur libidini, aut congressus ita peragatur ut inde nulla sit spes prolis. Addunt huc adulterium spirituale, quod in omni quidem crimine cõmittitur, sed peculiarius in apostasia, quũ quis à cultu ueri dei recedit ad cultũ dæmoniorum, de quo dictum est in primo præcepto. Nunc mihi considera decentẽ ordinẽ: tria prima præcepta pertinent ad deum, quo nihil melius aut charius. Quartum ad parentes, quibus secundum deum honos debetur. Quintum ad uitã & corpus, quæ possessio cuiq; charissima est. Sextum ad uxorem, quæ est una caro cũ uiro. Septimum ad externa bona, sine quibus tamen nõ uiuitur. Vnde qui pauperem spoliat necessarijs, quod in ipso est uitam eripit. De his enim uere dixit poeta quidã ethnicus, pecunias esse animam miseris mortalibus. Furti uero nomen generale ad peculatores, qui suppilant ex ærario publico, ad sacrilegos qui res sacras auferunt, ad abigeos qui abducunt aliena iumenta aut pecudes, ad plagiarios qui abducunt aliena mancipia, seu liberos, ad piratas & prædones qui ui ac belli specie spoliant homines, & ad eos qui clam aliena surripiunt: itaq; hæc quidẽ furtorũ genera, nulli non sunt notissima: illa sunt quidem tectiora, sed æque scelerata, ne dicam sceleratiora. K A. Quæ sunt ista? C A. Qui mercenarium debita mercede fraudat, fur quidem ille non dicitur, sed est. Qui mutuũ aut commodatum aut depositum accepit retinetúe hoc animo ut si possit nunquã reddat, non minus fur est, quàm is qui effractis scrinijs rem alienam aufert. Similiter & operarius, aut non præstans id quod pollicitus est, aut decem diebus absoluens quod poterat quinq;, si mercedem integram accipit, fur est. De ijs qui monetam publicam arte reddunt deteriorem, quid attinet dicere? Aut quid de impostoribus, qui gemmas factícias uendunt pro natiuis, aut simili fuco pauperiem faciunt proximo? Quid de institutoribus, qui merces suas uendũt, nõ quanti debẽt, sed quãti possunt? lucrũ appellant, sed reuera furtũ est. Idem de monopolis dicendũ. Nec excusat œnopolas & aurigas, quod in cõsuetudinẽ abijt, ut aquã sulphuratã aut lixiuiũ uendãt pro uino. Nec ideo molitores, pistores, ac uectiarij fures non sunt,

Præceptum sextum

Præceptum septimum

Hesiodus

rem alienam uel ſubtrahentes uel uitiantes, quia fit à pleriſq;. Quidam adiungũt huc cle ricos & ſacerdotes, qui cenſus eccleſiaſticos accipiũt, nec ea prẹſtare conantur, ob quẹ illi ſunt inſtituti. Aut qui ſacerdotij cenſus accipiunt, quũ abhorreãt à ſacris. Breuiter, furtũ eſt quicquid cogeris reſtituere, ſi adſit facultas. Nam fur eſt, & qui bona fama ſpoliat ho minem, & qui puellæ ſimplicem animum aſtu uitiat. Superſunt tria præcepta, quorum primum cohibet linguam, reliqua duo cõcupiſcentiam animi, magiſq; ſunt ſuperiorum quorundam explanationes, quàm noua præcepta. Nam ſi falſo teſtimonio proximum læ dens, id faciat amore lucri, ad furti præceptum pertinet: ſin odio, ad homicidium. Tanta autem erat illius populi craſſitudo, ut crederet non eſſe homicidium, niſi quod ferro fu ſtẽue perageretur, quum lingua ſit omni ferro nocentior. Nec abſurdum eſt, quemadmo dum homicidij nomine comprehenditur omnis læſio proximi, ita ſub falſi teſtimonij ti tulo contineri noxam omnem, qua per linguam afficimus proximum. Sed à Moſe poſi tum eſt exemplum inſigne: falſum enim teſtimoniũ complectitur periurium. Nam olim & iudices iurati cognoſcebãt, & teſtes iurati reſpõdebant. Nec minus occidit hominem, qui falſo teſtimonio opprimit innocentem, quàm qui ferro necat. Nec minus eſt prædo, qui corrupto iudicio, aut falſo teſtimonio proximum facultatibus exuit, quàm qui latro cinio ſpoliat. Eadem mens eſt, eadem eſt uoluntas, organum modo mutatum eſt. In hunc ſcopulum impingunt omnes, qui uel obtrectando, uel adulando, uel ſubdolis cõſilijs, uel corrupta doctrina, nocent proximo: quæ quo magis aduerſantur Chriſtianæ charitati, hoc propius accedunt ad peccatum capitale. Reliqua duo coniunctim ponuntur in Exodo ſic: Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem eius, non ſer uum, non ancillam, non bouem, nõ aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. In Deuteronomio hoc modo, Non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, nõ ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinũ, & uniuerſa quẹ illius ſunt. Si cõcupiſcentiam uxo ris ſepares à cæteris poſſeſſionibus, duo erũt præcepta, quorum prius ad adulterium per tinet, poſterius ad furtũ. K A. Quid erat opus his duobus præceptis? An non qui malum facinus prohibet, eadem opera prohibet malam uoluntatem? C A. Datũ eſt hoc ruditati illius populi, qui quoniam prauæ uoluntati nõ eſt præſtituta pœna per legem, crediturus erat non eſſe peccatum apud deum, quod apud homines eſt impunitum: non quia non ſit crimen, ſed quia uolubilis eſt hominis cogitatio, & factum probari poteſt, uoluntas ſoli deo eſt cognita. K A. Sed quur in præcepto uetante periurium & homicidium, nõ eſt ex preſſa concupiſcentia? C A. Sunt qui ſic reſpondeant, libidinis & habendi affectum peni tius eſſe cunctis à natura inſitum, quàm periurij aut homicidij. ab his enim abhorremus potius, niſi uiolenta cupiditas naturæ ſenſum obruat. Atqui Iudæorum natio propẽſior erat ad uindictam quàm ad libidinem, eoq; permiſſum eſt illis dare libellum repudij. Mi hi ut cum omnium pace dixerim, concupiſcentia uidetur hoc loco non tam ſonare qua lemcũque uxoris aut rei alienæ cupiditatem, quàm conatum maleficij. Quemadmodum dicimur appetere inſidijs aliquem, non quod illum læſerimus, ſed quod ſtructis inſidijs conati ſimus lædere. craſſus autem ille populus iudicaſſet non eſſe crimen tentatum adul terium, furtúmue niſi ſucceſſus accederet. Alioqui non ſtatim crimen eſt cõcupiſcere: uel ut ſi quis optet mulierem ducere, ſi contingeret maritum decedere, aut ſi quis poſſeſſio nem alienam dono, emptóue cuperet fieri ſuam. Nec omne furtum punitur capite, nec a dulterij conatus: non enim puniuntur niſi deprehenſi in cõgreſſu. Homicidium uero pa tratum capite punitur, & tentatum pertrahit hominem in diſcrimen iudicij. Hanc ob cau ſam expreſſe uetita eſt concupiſcentia, in his in quibus non punitur conatus. Hic uideo quoſdam in hoc elaboraſſe, ut uniuerſa præcepta ſiue iubentia ſiue uetãtia ad hæc decem redigant: & capitalium peccatorum ſpecies quæ ſeptem numerantur, in aliquod horum referunt, ſed ſedula diligentia uerius quàm ſeria. Ad iſtum enim modũ fit omnium prẹce ptorum confuſio, dum nunc omnia ſub uno comprehenduntur, nunc eadem ſub diuer ſis. Ad hæc quum hæ leges agreſti rudiq; populo traditæ ſint (oportet autem legem eſſe planam ac dilucidam) qui ſuſpicari poterant Iudæi, ſub adulterij nomine uetari ſtuprum omne quãuis ſimplex? aut ſub homicidij titulo omnẽ interdictam maleuolentiam? Sim plicius igitur eſt mea quidem ſententia dicere, quod hæc decẽ prẹcepta tradita ſunt intra ctabili populo, tanquã prima rudimẽta, ne prolaberetur in omnia facinora: ut ab his ele mentis

Præceptum octauum

mentis proficeret ad alia præcepta quæ sunt innumera tum in lege, tum in prophetis, tum in Solomonis prouerbijs, donec ueniret ad perfectionē euangelicā, cuius et exempla quę dam & præscripta etiā in ueteris testamenti libris continentur. Eoq; dominus optimus legis interpres, adolescenti sic respondet: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, indicans decalogū esse limē & ingressum ad pietatē, non cōsummatam religionē. Sed quoniā tu in hoc sermone rudis & infantis personā agis, æquum est ut his rudimētis interim sis cōtentus. Restat precatio, cuius optima formula ea est, quā ipse dominus nobis præscripsit. Sicut autem Petrus profitens Christum esse filium dei uiui, Apostolorum omnium uoce loquutus est: ita qui Symbolum pronunciat, totius ecclesiæ uoce pronunciat. Eadē est enim omnium Christianorum fides. Itidem qui precatur iuxta dominicam formulam, totius ecclesiæ uoce precatur. Hoc indicant illa pronomina, nobis, nos, & nostra. Inanis autem est precatio, nisi adsit fides & charitas. Fides addit fiduciam, charitas ardorem. Qui enim hæsitat, nō credit illi qui dixit, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Qui uacuus est charitate, frigide orat, & sibi magis orat, quàm alijs, Sed ut est unus omnium filiorum dei spiritus, ita uno ore precantur omnes pro singulis, & singuli pro omnibus, patrem cœlestem cui per Christum renati sunt, appellantes, ut ipsius nomen glorificetur per uniuersum orbem, quo pariter de patre communi glorientur omnes, de se nemo: ut expulsa peccati tyrannide spiritus illius regnet in animis omnium: ut quemadmodum in illa cœlesti ciuitate nulla est aduersus deum rebellio, ita in hac ad illius imaginem enitente, & ad illius hæreditatē destinata, actiones omnes ad summi parentis ac principis nutum componantur: qua particula simul & præmium ostensum est & exemplum. Quisquis enim in terris reprimit suam uoluntatem, & diuinæ paret, recta tendit ad cœlestem uitam, ubi nulla est lucta, nulla rebellio. Nec aliud interim filij petunt in hac uita, quę militia est, salarij, aut commeatus, quàm ut detur ab imperatore cibus animi & corporis, quo ualeant strenue sua obire munia. non postulant honores, non opes, non uoluptates huius seculi, non thesauros: ad uitam corporis & ad salutem animæ necessaria tantum petunt: hæc enim quotidiani panis nomine comprehenduntur. Vt autem sit plena concordia & filijs cum patre, & fratribus inter ipsos, orant ut humana delicta sine quibus in hoc mundo non uiuitur, uelit ignoscere: quod tamē nolunt impetrare, nisi mutuis inter se lapsibus ignoscētes patris erga se clementiam prouocarint. Iniquum enim est postulare, ut deus offensus ignoscat homini, si homo homini multo leuius offensus nolit ignoscere. Postremo dum reputant q; benignum habeant dominum, quàm amantem patrem, qui filium suum unigenitum tradidit in mortem, ut eos Satanæ tyrannide redimeret, orant, ne ipsius permissu reuoluantur in illius mali potestatem, & ita pertrahantur in tentationem, ut mereantur à bono patre exhæredari. K A. Quur non petunt uitā æternam? C A. Quia bonorum militum est, tantum obire munia quæ præscripsit imperator, de mercede securos: & bonorum filiorum est ad hoc tantum eniti, ut patrem habeant pacatum ac propitium, haudquaquam solicitos de hæreditate, præsertim cum talem habeant patrem, quo nihil ditius, nihil benignius, nihil ueracius. De precatione dominica non differam pluribus. In prōptu sunt in hāc piorum atq; eruditorum hominum cōmentarij, præcipue diui Cypriani. Si non grauaberis meam in eam paraphrasim olim à me scriptam legere, simul & orabis, & orando disces orandi rationem, saltem illud assequeris, nisi fallor, ut ad lectionem eorum quos dixi ueniās aliquanto instructior.

Precatio dominica

PRECATIONES ALI
QVOT NOVAE, AC RVRSVS NO
VIS ADAVCTÆ, QVIBVS ADOLESCENTES
assuescant cum Deo colloqui, per Des.
Erasmum Roterodamum.

OPTIMÆ SPEI PVERO DAVIDI, CLARISSIMI
uiri Ioannis Paungartneri à Paungarten filio,
Des. Erasmus Rot. S. D.



PTIMA primum discenda sunt, nihil autem homini pietate melius, eoq; parens tuus singulari prudentia uir, nihil prius habet, q̃ ut liberos suos protinus à teneris unguiculis ad pietatem instituat, uidelicet quo se uobis uerum & integrũ præstet genitorem, nimirum intelligens, sese hac possessione longe beatiorem q̃ opibus quas habet amplissimas sine fraude partas: multoq; ornatiorẽ, q̃ antiqua generis nobilitate, regum amicitia, populari applausu, ditione externa, cæteriscq; honoribus, quos ille magnos consequutus est, maiores promeritus. Hæc enim illum reddunt hominibus suspiciendum & amabilem, sola pietas deo commendat. Ego uero ut pro mea erga illum beneuolentia, & ipsius uotis, & tuis conatibus nonnihil adferam adiumenti, mitto precationes aliquot, quibus iam nunc insuescas cum deo colloqui, qui tuæ pueritiæ studia suo fauore prosperare dignabitur. Vale, apud Friburgum Brisgoiæ, Idibus Febr. Anno à Christo nato M D XXXV.

PRECATIO AD PATREM.



NDVLGENTISSIME pater, qui summus in summis habitas, audi famulorum tuorum adhuc in terris exulãtium uota, quos pro tua ineffabili benignitate filiorũ nomine dignatus es, datoq; tui spiritus precioſisimo pignore largitus es, ut cum reuerente fiducia ad te clamare audeant, Abba pater: Oramus ut tuum nomen adorandum sic per uniuersum orbem inclarescat, ut quemadmodum in cœlesti ciuitate tu unus es omnium gloria, ita in terris nullus de se glorietur, sed suam agnoscentes indignitatem tuamq; munificentiam, in te glorientur omnes, quæ sola est uera gloria. Et quoniam nobis uaria difficilisq; lucta est cum mundo, cum Satana, et huius ministris, cumq; carne quam circumferimus, suspirantes rogamus, ut adueniat regnũ tuũ: ut quemadmodum in cœlis omnia cũ tremore sese submittũt tuæ maiestati, ita tuus spiritus regnet in animis nostris, agnoscentibus te regem esse regum omnium, quo nihil esse potest, neq; maius, neq; melius. Et quemadmodum in tuo sancto palatio nulla est rebellio, ita cuncti mortales abdicatis omnibus humanis cupiditatibus toto pectore, tum in prosperis, tum in aduersis, tum in uita, tum in morte, pareant iussis tuis regalibus, nimirum intelligentes, te solum nihil posse uelle nisi quod est optimum, & hoc ipso optimum esse quia tibi placitum. Voluntatem autem tuam optime pater nobis in diuinis libris notam & expressam esse uoluisti. At nullus hominum potest tuis imperatis facere satis, nisi tu dederis, ac pro tua ineffabili misericordia nostram imbecillitatem boni consulueris. Et quoniam iuxta filij tui doctrinam nequaquam de futuro soliciti, toti de largissimi patris prouidentia pendemus, tuo arbitratu da nobis quotidie, quod huius uitæ postulat necessitas. Sed ante omnia, quoniam, iuxta tibi charissimum Paulum, præcipue spirituum pater es, pasce animos nostros alimonia spirituali, siue lacte opus est infirmis, siue solido cibo adultioribus. Cibus uere uitam largiens est tui per sacras scripturas cognitio tuiq; spiritus gratia, per quam quotidianis uirtutum accessibus iuxta internum hominem grãdescimus in te, donec adolescamus in uirum, & in mensu-

mensuram plenitudinis unigeniti tui Iesu Christi. Per uerbum tuum nos genuisti quum nihil essemus, per idem ex Adam infeliciter natos denuo genuisti, eodem alis ac uegetas quos genuisti. Hic enim est panis ille cœlestis, hoc est uinum nouum, quo iugiter ac feliciter saturantur omnes beati spiritus, qui in tua domo habitantes, in secula seculorum laudant te. Cuius portionem si quotidie dignaberis impartiri filijs tuis, in dies decrescent in nobis fames ac sitis rerum mundanarum. Quanquam autem semel in sacro lauacro per fidem condonasti nobis omnia delicta, attamen quoniam donec hanc carnem mortalem circumferimus, & gratiæ tuæ thesaurum portamus in uasis fictilibus, quotidie per infirmitatem humanam peccantes, quotidie egemus tua misericordia, quæ nobis ignoscat lapsus nostros, ne excidamus à charitate tua, sed perseueremus in ea pace, qua tibi per unigeniti tui sanguinem reconciliati sumus: ac pariter dones, ut quemadmodum tu misericorditer condonasti nobis omnia delicta nostra, ita nobis inuicem condonantes quotidianas offensiunculas mutuam inter nos pacem, concordiam, & charitatem alamus. Neq; enim te deum pacis propitium habere potest, qui proximo suo infensus est. Sed quoniam dum interim militamus in his tabernaculis, malicios⁹ ille tentator, à cuius tyrannide nos in libertatem asseruisti per filium tuum Iesum, nō desinit omnes admouere machinas, quo nos in seruitutē retrahat, oramus ne nos tuo præsidio destitutos tradas in manus illius, qui sitit exitium animarum nostrarum, sed per fidem & charitaem perseuerantes in consortio benignissimi filij tui perueniamus ad eam uitam, ubi nullæ sunt offensiones, nec ullum à Satana periculum. Amen.

AD FILIVM.

GEneris humani conditor ac redemptor Iesu Christe, qui dixisti, Ego sum uia, ueritas & uita: Via, doctrina præceptis & exemplis: ueritas in promissis: uita, in præmio, Oro te per ineffabilem tuam charitatem, qua te totum seruandis nobis impendere dignatus es, ne patiaris me unquam aberrare abs te, qui uia es: nec unquam diffidere promissis tuis, qui ueritas es, & præstas quicquid polliceris: nec in ulla alia re conquiescere, quoniam uita es æterna, ultra quam nihil est quod desideretur neq; in cœlo neque in terra: Per te didicimus certum & expeditum iter ad ueram salutem, ne diutius in huius mundi labyrinthis oberraremus. Tu nos exerte docuisti, quid credere, quid agere, quid sperare, in quo cōquiescere debeamus. Per te didicimus, quàm ex primo illo Adam fuerimus infeliciter nati. Per te didicimus, non esse spem salutis, nisi per fidem in te. Te unicam esse lucem, quæ præluces omnibus per huius seculi desertum, perq́ue nostræ mentis noctem à tenebris Aegyptiorum proficiscētibus, ad illam beatam terram, quam promisisti mitibus tuamq; mansuetudinem imitantibus: in nobis enim nihil erat præter profundam caliginem, qui neque calamitatem nostram uidere poteramus, neque unde mali remedium petere debebamus. Tu dignatus es in terram descendere, dignatus nostram naturam assumere, ut doctrina tua discuteres ignorantiæ nostræ caliginem, præceptis tuis dirigeres pedes nostros in uiam pacis, uitæ tuæ exemplis strauisti nobis uiam ad immortalitem, ac tuis calcatam uestigijs, è salebrosa & aspera commodam leuemq; nobis reddidisti, Ita nobis uia factus es, quæ nescit errorem, in qua ne lassescerem⁹ tua benignitas nos magnis certisq; promissis fulcire dignata est. Quis enim possit delassari, secum reputans, per tua uestigia ingredienti paratam esse uitæ cœlestis hæreditatem? Ergo dum in hoc itinere sumus, spem certam nobis baculi loco esse uoluisti, qua sustentemur. Nec his contenta fuit tua bonitas, sed agnoscens imbecillitatem nostræ carnis, interim solatio tui spiritus subinde reficis uires nostras, quo ad te curramus alacriter. Atque ut tu nobis factus uia propellis omnem errorem, ita factus ueritas tollis omnem diffidentiam: Denique nobis factus uita, das hic peccato mortuos uiuere per spiritum tuum omnia uiuificantem, donec in resurrectione prorsus abolita omni mortalitate, semper tecū & in te uiuemus, quum Christus erit nobis omnia in omnibus. Vita enim æterna est nosse, patrē & filiū & spiritū sanctum esse unum uerum deum. Quem nunc per fidem uidemus tantum in speculo & ænigmate, tunc autem cominus domini gloriam speculantes transformabimur in eandem imaginem. Proinde obsecro clementissime seruator, ut adaugeas famulo tuo fidem, ne uacillem unquam in cœlesti tua doctrina: adauge obedientiam, ne unquam deflectam à præceptis tuis: adauge constantiam, ut tuis ingrediens uestigijs

gijs, nec satanæ blandimentis illiciar, nec terriculamentis deijciar, sed in te qui solus es uera uita, perseuerem usq; ad mortem. Adauge mihi fiduciam ut tuis fretus promissis, nunquam segnescam in studio pietatis, sed à tergo relictorum oblitus, semper ad perfectiora contendam. Adauge gratiam in me tuam, ut in dies magis ac magis in me ipso mortuus, uiuam agarq; spiritu tuo: nihil metuens præter te, quo nihil maius aut potentius: nihil amans præter te, quo nihil est amabilius: in nullo gloriãs præterq; in te, qui uera es gloria sanctorum omnium: nil expetens præter te, quo nihil est melius: nihil desiderans præter te, qui plena perfectaq; es felicitas, cum patre & spiritu sancto per omnia secula. Amen.

AD SPIRITVM SANCTVM.

ADorande spiritus, qui triadem illam omnipotentem absoluis è patre filióque procedens, utriq; per omnia æqualis, sola personæ proprietate differens, qui tua bonitate condonas peccata resipiscentibus, qui tuo sancto afflatu purificas hominum mentes, consolaris afflictas, mœrentes casta lætitia exhilaras, nubilas tua luce serenas, errantes dirigis in omnem ueritatem, frigentes accendis igne charitatis, pacis glutino concilias dissidentes, uarijs modis instruis ac ditas eos qui per te nomen profitẽtur domini Iesu. Cuius actu uiuunt omnia, quæ uere uiuunt, cuius deliciæ sunt, uersari in simpliciũ pectoribus, quæ tibi pro templis ipse cõsecrare dignatus es: Tuere quęso in me tuę benignitatis munera, & indies auge quod largiri dignatus es, ut te gubernatore magis ac magis in me moriantur carnis affectus, glíscat uitæ cœlestis desiderium, te prælucente sic transeam per caliginosum huius mundi desertum, ut nec Satanæ uitijs inquiner, nec ullis erroribus inuoluar, qui dissonant ab inuiolabili ueritate, qua tui numinis instinctu nobis tradidit Ecclesia catholica, qui cum patre & filio uiuis & regnas in æternum. Amen.

AD VIRGINEM MATREM.

AVe Maria prudentium uirginum Regina, quę nobis Euæ fatuæ uirginis maledictionem uertisti in benedictionem. Salue matrum pudicarum decus, quæ salutem omnibus peperisti. Gaude angelorum & hominum gloria, quæ cœlestium gaudiorum fontem citra uirginitatis iacturam enixa es, Cuius modestissima pudicitia tam grata fuit supremo numini, ut ex tot uirginum milibus te singulariter adamarit, unamq; iudicarit idoneam, è cuius castissimis uisceribus dei filius orbi redimendo nasceretur. Exímij fauoris illud est argumentum, quod quum deus adsit omnibus pijs, nulli tamen sese propius aut mirabilius copulauit quàm tibi. Pater te sibi sponsam delegit, Spiritus cœlestis te totam impleuit. Filius è uirginei corporis tui substantia corpus humanum assumere dignatus est, in uteri tui latebris menses decẽ gestari, tuo lacte pasci, tuo confoueri sinu: quumq; deus esset ac dei filius, tamẽ uirginis filius, tum esse dum dici sustinet. Quem admodum autem dominus singulari modo tecum fuit, ita per te nobiscum etiam peculiariter esse cœpit. Primum plusquam triginta annis in terris uisus, & homo cum hominibus conuersatus, nunc per spiritum suum inhabitans corda piorum, nosq́ue sua uiua carne reficiens, & sacrosancto sanguine potans, in Eucharistia. Agnoscit orbis uniuersus & quanto honore te dignatus sit deus, et quantum ipse bonorũ per te acceperit, eoq; duo nomina præ cæteris ueneratur: Iesu filij tui, ad quod sese inflectit omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum: & Mariæ uirginis, ad cuius mentionem hilarescunt ac recreantur omnes animę Iesu nomen diligentium. Ille tanquam sol, omnium sanctorum gloriam suo splendore uelut obscurat. Tu inter uniuersas laudatas mulieres nõ aliter luces, quàm luna pleno orbe inter minora sydera. Adeo uero tui nominis splendor cum filij gloria cõiunctus est, ut quoties auditur adorandum Iesu nomen, simul occurrat Mariæ beatissimę matris memoria, Olim filio pro nobis patienti dolorum fuisti particeps: nunc in cœlis regnanti assides, dignitatis & gaudiorum socia. Amen.

DILVCVLO AD CHRISTVM.

DOmine Iesu Christe, qui uerus es mundi sol, semper oriens, nunquam occidens, qui tuo salutifero conspectu gignis, seruas, alis, exhilaras omnia & quæ in cœlis, & quæ in terris, illuceſce quæso propitius animo meo, ut discussa nocte criminũ ac nebulis errorum, te intus prælucente citra offensionem per omnem uitam incedam, & tanquam in die decenter ambulem, purus ab operibus tenebrarum. Qui cum patre & spiritu sancto uiuis & regnas in omne æuum. Amen.

Sub

SVB NOCTEM.

DOmine Iesu Christe, cuius inexhaustæ benignitati debemus omnia, qui diei clarissimam lucem bonis iuxta ac malis ad obeunda actionum munia tribuisti, noctis amicum silentium ad quiete reficiendas corpusculorum uires, & ad diluendas animorum curas, leniendosq; mœrores clementer dedisti: quum te diligentibus hæc omnia tu ipse multo felicius præstes intus, quibus ad omnes pietatis functiones fidei gratia multo clarius præluces quàm sol mundo refulget, quos tua promissa non sinunt unquam lassescere, tui spiritus consolatio omnes animi molestias longe efficacius diluit quàm corporis sopor, nec in alio totus homo tutius aut suauius conquiescit quàm tua misericordia redemptor optime: Precor ut si quid hoc die per humanam incuriam commisi, quod offenderit oculos tuos, pro tua solita bonitate condones, simulq; des ut hæc nox te prospectante sit mihi felix, te custode pura, te protectore à nocturnis dæmonum ludibrijs tuta, ut hic somnus corpus simul & mentem in crastinum diem reddat ad tibi seruiendum alacriora. Porro quoniam hæc uita nec ullam horam habet certam, ubi uenerit illius uespera, et urgebit corporis somnus, unde non expergiscemur, nisi quum ad angeli tui tubam excitabuntur mortui, quæso ut tum illumines oculos animæ meæ, ne extincta fide obdormiã in morte sempiterna, sed requiescam in te, cui uiuunt etiam mortui. Qui uiuis & regnas cum deo patre & sancto spiritu in sempiternum. Amen.

TEMPORE VERIS.

OMnipotens rerum omnium innouator domine Iesu, qui mundum hunc pulcherrimum in nostram gratiam condidisti, cœlos tot luminibus in diei usum ac noctis solatium decorasti, terram, quam omnium animantium & in his etiam hominis beni gnam altricem esse uoluisti, uarijs horis temperas, ac nũc te rediuiuo reuiuiscunt omnia, nobisq; resurrectionis abs te promissæ spem confirmant: prata prius squalida nouo reuirescunt gramine, gramina uarijs flosculorum gemmis decorantur, herbescunt segetes, exiliunt è scrobe sepulta semina, arbores prius mortuę nouis frondibus repubescunt, nouisq; floribus picturatæ spẽ fructus nobis faciunt, sol ipse suę lucis auget gratiam, & uniuersæ naturæ facies, ueluti renascentis, quocunq; circumtulerimus oculos, loquitur tuam in humanum genus bonitatem, qua nobis ob culpam è paradiso depulsis tot solatijs mitigas commeritum exilium: da, ut qui semel in te renati per baptismum exuimus ueterem hominem, facti noua creatura, nunquam ad senium relabamur, sed blando tui spiritus afflatu perpetua uireamus innocentia, atq; in dies magis ac magis uirtutum floribus exornemur ad fructum Euangelio dignum proficientes: Qui cum patre & spiritu sancto regnas in omnia secula. Amen.

IN ÆSTATE.

SApientissime gubernator ac moderator ũniuersi Iesu Christe. En tuis iussis obtemperans, tui feruore solis inardescit annus, meditans in usum famulorum tuorum fructus maturos ædere: supplices deprecamur, tu qui uerus es sol noster, sine quo nec lucidũ est quicquam in animis nostris, nec gignitur aut fructificat quicquam, intende gratię tuæ radios in terram mentis nostræ, ut indies magis ac magis incalescat igni tuæ charitatis, ædatq; uarios bonorum operum fructus. Nam hoc cibo potuq; te unice delectari testatus es in Euangelio: Hoc est uinum, quod tua erga nos pietas sitiebat: hic est cibus, quem Apostolus nondum intellectum esuriebat. Venisti in terras, ut ignem immitteres, neque quicq̃ magis optabas, quàm ut is accenderetur: sed is non accenditur nisi tuæ gratiæ radijs tangatur cor nostrum: Auge domine Iesu quod dedisti, perfice quod cœpisti donec adolescamus in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis tuæ. Posuisti mortalitatem, at charitatem erga nos non posuisti, sed nunc quoq; pro nobis potentem & amicum aduocatum agis apud deum patrem, cui æqualis regnas cum sancto spiritu. Amen.

IN AVTVMNO.

AGimus tibi gratias indulgentissime pater, conditor cœli ac terrę, quod tua clementi prouidentia maturuit annus, undique nobis prædiuitem annonæ copiam effundens: largire quæsumus, ut quemadmodum tua benignitas in alimoniam corporum nostrorum uariam & opulentam fructuum abundantiam suppeditat, ita per gratiam tui spiritus, sine qua nihil boni nascitur uiuit aut alitur, matureſcat ac perficiat in animis nostris

pietatis affectus, ut in unigeniti tui fide perseuerantes, per omnem uitam fructificemus bonis operibus, beatam messem facturi in resurrectione iustorum, per eūdem dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum uiuit & regnat in consortio eiusdem sancti spiritus in sempiterna secula. Amen.

IN HYEME.

SApientissime mundi conditor & gubernator deus, cuius imperio parens statis uicibus immutatur seculum, & per easdem in se reuoluitur, en adest anni quasi senium ac mors hyems, cuius tristitiam incommodaq; ut leuius feramus facit mox successura ueris amœnitas. Ad anni uero exemplum noster hic exterior homo uernat in pueritia, feruet in iuuēta, matureſcit ætate uirili, deficit atq; emoritur senecta. Sed mortis horrorem mitigat spes reuiuiscētiæ, quæ nobis uel ob hoc certissima est, quod eam tuus promisit filius, qui est ęterna ueritas, quiq; tam non potest falli aut fallere, q̄ nō potest non esse tuus filius. Per hunc interior homo noster nescit senium aut morte, sed illius munere perpetuo uernat innocentia, feruet studio pietatis, fructificat, & in alios transfundit quod ab illo accepit: quoq; magis deficit corporis uigor, hoc magis efflorescit spiritus. Quęsumus, ut quæ nobis per unigenitum tuum largiri dignatus es, per eundem tueri & augere digneris, qui tecum uiuit & regnat in omne æuum. Amen.

PRO DOCILITATE.

AVdi preces meas æterna patris sapientia domine Iesu, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidisti, adde quæso ad naturæ propensionem auxilium gratiæ tuę, ut literas ac liberales disciplinas citius perdiscam, sed tuę glorię seruituras, quarum adminiculis adiuta mens mea plenius assequatur cognitionē tui, quem nosse felicitatis humanæ summa est, utq; ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum indies proficiam ętate sapientia & gratia apud deum & apud homines. Qui uiuis & regnas in consortio patris ac spiritus sancti in æterna secula. Amen.

ADVERSVS TENTATIONEM.

DOmine Iesu Christe, prędidium nostrę mortalitatis unicum, unica spes nostra, salus nostra, uictoria nostra, gloria & triumphus noster, qui in carne, quam nostra causa assumpseras, te passus es à Satana tentari, quiq; solus peccatum, mortem, mundum, Satanā & uniuersum regnum inferorum deuicisti, & quicquid deuicisti, utiq; nobis deuicisti, nec tuos alio consilio cum ijs conflictari uoluisti, nisi ut coronares magnificentius, & hostem quem in te ipso debellasti, in membris quoq; tuis prosterneres: adde quæso tu leo inuictissime de tribu Iuda, militi tuo robur aduersus leonem rugientem, qui semper oberrat, quærens quem deuoret. Tu serpens ille salutifer in sublimi fixus stipite, adde paruulo astutiam aduersus callidissimi serpentis insidias. Tu agnus ille niueus, Satanicæ tyrannidis expugnator, da ouiculæ tuæ uires spiritus tui, ut in se fragilis, in te fortis superet omnes diaboli assultus, ne de me glorietur hostis meus, sed per te uictor, gratias agam tuæ misericordiæ, quæ tibi fidentes nusquam destituit, qui uiuis & regnas cum deo patre & spiritu sancto sine fine. Amen.

PRO VICTORIA GRATIARVM ACTIO.

GRatias ago tibi domine Iesu, cuius aspirante gratia cessit tempestas, successit tranquillitas, tibi canitur epinicio, tua est uictoria, tuo nomine nō tuis armis prostratus est superbus ille Goliath, tui muneris est totum quod gestum est. Nam ego quod ad meas quidem attinet uires, immane, quàm turpiter concideram, in quod exitium præcipitatus eram: sed ideo substiti, quoniam non in me ipso, sed in te solo fixeram spei pedem, sedulo illud egregij militis tui dictum animo repetens, Si deus pro nobis, quis contra nos? Et omnia possum in eo qui me corroborat. Idem nos docuit, ut omnibus strenui militis partibus defuncti, non tradamus nos ocio & securitati, sed quam diu militamus in hoc seculo, stemus spiritualibus armis instructi aduersus hostium, qui nunquam dormiunt, insultus. Quare te rogo seruator omnium tibi fidentium, ut augeas meam erga te fiduciam, ut indies in me gliscente fidei dono, uires inimicorum magis ac magis attenuentur, donec eò me dignaberis euocare, ubi nec est certamen ullum, nec labor, nec periculum, sed æterna in te securitas ac triumphus, cuius auspicijs debellatum erit, quum tradideris regnum

deo

deo patri, qui cum uiuis & regnas in consortio sancti spiritus in æternum. Amen.

IN AFFLICTIONE.

CLementissime redemptor, qui semper es misericors, semper es seruator, siue tristia nobis immittis, siue læta. Magna enim misericordia est, dum per externas afflictiones ueluti per amara pharmaca sanas hominem interiorem, perq; temporarias molestias præparas nos ad sempiterna gaudia, quandoquidem hanc ad ueram felicitatem uiam ipse nobis tuis præsignasti uestigijs: da ut hunc calicem uelut abs te porrectum, patienter & obedienter ebibam. Sunt hęc quidem naturæ fragili permolesta, sed & tu pro me grauiora passus es, & ego longe grauiora merui, qui toties merui gehennam. Nosti tamen humanæ conditionis fragilitatem, eoq; ueluti clemens ille Samaritanus, uulneribus nostris infundis uinum emordens uitia nostra, sed addis oleum tuæ consolationis, quo quę nobis sunt intolerabilia toleremus. Si uisum est addere doloribus, adde & patientiæ dono, uelisq; has corporis afflictiones mihi cedere in remissionem delictorum meorum. Aut si tua paterna pietas hac miti castigatione contenta est, tempestatem hanc excipiat serenitas, ut tibi utroque nomine gratias agam, & quod inutilem famulum clementer emendaris, & quod afflictionis amaritudinem consolationis dulcedine sustuleris, illic rationem habens necessitatis, hic non immemor nostrę infirmitatis. Tibi laus et gratiarum actio in omne æuum. Amen.

IN GRAVI MORBO.

DOmine Iesu, unica salus uiuentium, æterna uita morientium, tuæ sanctissimæ uoluntati me totum submitto tradó que, siue hanc animulam in huius corpusculi domicilio diutius commorari placeat ad tibi seruiendum, siue ex hoc seculo demigrare uelis, certus non posse perire, quod tuæ misericordiæ commissum est, carnem hanc fragilem ac miseram æquo deponam animo, uidelicet spe resurrectionis, quæ mihi illam reddet multo feliciorem. Animam quæso ut aduersus omnia tentamenta, tua gratia corrobores: contraq; omnes Satanæ assultus cinge me scuto tuę misericordiæ, qua olim martyres tuos aduersus horrendos cruciatus ac mortes crudelissimas inuictos reddidisti. Videoq; nihil in me mihi sit præsidij, in tua inenarrabili bonitate tota est fiducia. Nihil habeo meritorum aut bonorum operum quod allegem apud te, malorum heu nimis multum uideo, sed per tuam iustitiam confido me in numero iustorum censendum. Tu mihi natus es, mihi sitisti, mihi esuristi, mihi docuisti, mihi orasti, mihi ieiunasti, mihi tantum bonorum operum in hac uita peregisti, mihi tam acerba passus es, mihi in cruce pretiosam animam tuam in mortem tradidisti. Prosint mihi nunc quæ sponte donasti, qui te totum mihi donasti. Tuus sanguis abluat maculas criminum meorum, tua iustitia tegat iniustitiam meam. Tua merita me supremo iudici commendent. Ingraescente malo auge gratiam tuam, ne uacillet in me fides, ne titubet spes, ne refrigescat charitas, ne terrore mortis deijciatur humana infirmitas, sed posteaquam mors occuparit oculos corporis, mentis tamen à te non deflectantur, quumq; linguæ usum ademerit, cor tamen instanter ad te clamet, In manus tuas domine commendo spiritum meum, cui honor & gloria sine fine. Amen.

POENITENTIS.

SVmme rerum omnium conditor, quum mecum reputo quam maiestatem meis pecatis offenderim, horreo temeritatem meam: quum considero quàm benignum ac munificum patrem reliquerim, detestor ingratitudinem meam: quum animaduerto, à quàm beata libertate spiritus, in quam miseram seruitutem me coniecerim, damno amentiam meam, totusque mihi displiceo, nec aliud ob oculos uersatur nisi gehenna & desperatio, uidelicet terrente conscientiam nostram tua ineuitabili iustitia. Sed ex aduerso quum contemplor immensam illam tuam misericordiam, quæ iuxta prophetæ testimonium, exuperat omnia opera tua, quaq; teipso quodammodo maior es, quum undiq; sis omnium maximus, mox affulgẽs lætior quædã aura spei recreat animum meum. Quur enim desperem ab eo peccatorum ueniam, qui in literis propheticis toties ultro inuitat peccatores ad pœnitentiam, clamans, se nolle mortem peccatoris, sed magis ut cõuertatur & uiuat? Tum quàm parata sit apud te uenia resipiscentibus, multis parabolis

nobis inculcauit unigenitus tuus,uelut drachmæ perditæ & inuentæ, ouis ab errore humeris reductæ,sed euidentius filij prodigi,cuius imaginem in me prorsus agnosco. Impie reliqui parentem amantissimum,omnem illius substãtiam nequiter prodegi,& dum carnis obsequor cupiditatibus tuorum præceptorum oblitus in turpissimam seruitutem uitiorum memet inuolui,& ad extremam inopiam redactus sum,nec uideo quò confugiã, nisi ad eum à quo profugi. Recipiat tua misericordia supplicem, quem hactenus errãtem leniter passus es. Indignus sum qui ad te attollam oculos meos,aut qui patris nomine te compellem,sed tu quęso digneris ad me flectere oculos tuos. Tuus enim intuitus facit ut peccator mortuus reuiuiscat,perditus redeat ad cor. Siquidẽ hoc ipsum quod mihi nunc displiceo,tuo debeo conspectui: procul abs te diuagantem intueri dignatus es,mihiq; oculos reddidisti,ut uiderem in quantis uersarer malis,occurristi,relictæ innocentiæ memoriam ac desiderium aspirãs. Non peto complexum & osculum seruus omni supplicio dignus,non postulo stolam & anulum pristinæ dignitatis insignia quæ proieci, non oro ut in filiorum tuorum honorem me recipias,abunde magnũ erit, si me inter extremæ sortis seruulos tuos admiseris,stigmaticos & è fuga receptos, ut saltem aliqua in parte tuorum hæream,quandoquidem in domo tua mansiones multæ sunt. Non me pigebit in hac uita haberi inter abiectos,pœnitentia torqueri,luctu sordidari,modo ne abs te separer in æternum. Obsecro te pater & obtestor per mortẽ unigeniti tui dilecti, imperti mihi spiritum tuum,qui purificet cor meum,suaq; gratia cõfirmet ne relabar eo per incogitantiam meam unde sum à tua clementia reuocatus. Amen.

SVMPTVRI CORPVS DOMINICVM.

QVæ lingua aut quæ mens tibi digne gratias agere ualeat Domine Iesu,pro ineffabili tua in nos charitate? qui ut hominẽ perditũ redimeres, homo fieri dignatus es,omnisq; nostræ cõditionis iniurias in te recipere,deniq; in ara crucis agnus omnis expers maculę hostia pro nobis fieri sustinuisti,pœnas nostris peccatis debitas exoluens,ut nos patri reconciliares,quin & uiuens & moriens te totum nobis impendisti,donasti,dedicasti. Nec his contenta fuit tua benignitas,sed nequando nobis obreperet tantæ charitatis obliuio,aut ne langueſceret nostra de te fiducia, etiam nunc in cœlis regnãs subinde reficis animas nostras cibo corporis tui,et sacro sanguinis tui poculo exhilaras: purificet quęso spiritus tuus cor meum, ne ad cœlestes epulas, & ad mensam ipsis etiam Angelis tremendam accedam indignus,sed te diffuso in mentis meæ uiscera,grãdescam in te ac uegetior fiam spiritualibus incrementis,quo perseuerẽ in beata societate mystici corporis tui, quod sic unum tecum esse uoluisti,quemadmodum tu cum patre unum es,conglutinante spiritu sancto,cui laus & gratiarum actio in omne æuum. Amen.

ITER INGRESSVRI.

FIdelissime custos hominum Iesu Christe, qui Samaritani nomen non recusasti, impiorum blasphemiam in nostram uertens salutem,sub cuius custodia nil est periculi, sine cuius custodia nihil est usquam tutum, qui per Angelum tuum prosperasti iter serui Abrahæ,ac filij Thobiæ,omniumq; tibi syncero corde fidentium,da precor ut tuis auspicijs hæc profectio mihi felix sit ac fausta,ac rebus ex sententia gestis, corpore pariter atq; animo perueniam ac redeam incolumis, tuæq; bonitati gratias agam cum omnibus,qui me saluum esse gaudent aut gauisi sunt, Aliud quod tibi nuncupem uotum nõ habeo seruator hominum,qui cum patre & spiritu sancto uiuis & regnas in omne æuum. Amen.

NAVIGATVRI.

DOmine Iesu qui mortalem adhuc in terris carnem gerens, ad discipulorum preces solo uerbo immanes uentorum tumultus compescuisti, subitoq; turbatas undas in magnam uertisti trãquillitatem, quiq; super undas liquidas perinde ut in solido ambulasti,nimirum rex & conditor omnium siue quę in cœlis,siue quę in terris,siue quæ in mari sunt,tu nobis quæso pro geminis gentium castoribus uere prosperum ac salutare sidus in hac nauigatione effulgeas,ut in omni elemento, tuæ misericordiæ gratias agamus,cui honor & imperium in omnia secula. Amen.

INITVRI PRÆLIVM.

OMnipotens rex Sabaoth hoc est exercituum, qui per Angelos tuos ad id delegatos

tos prouinciarum tum bella tum paces administras, quique Dauid adolescenti & animum & uires addidisti, ut pusillus, inermis belliq; rudis, immanem Goliath funda adoriretur ac deijceret, si iusta de causa, si coacti militiam hanc militamus, primum illud precor, ut hostium animos conuertas ad studium pacis, ne quid Christiani sanguinis effundatur in terram, aut terrorem quem panicum appellant injicias, aut quàm minima sanguinis iactura minimoq; incommodo victoria contingat ijs, quorum causa tibi probatior est, ut cito finito bello, tibi concordibus animis cantemus triumphales hymnos. Qui regnas in omnibus & super omnia. Amen.

PRO CVSTODIA PVDICITIÆ.

DIuine spiritus, qui abhorres ab omni spurcitia, quique gaudes ac pro delicijs habes in castis purisque mentibus uersari, te supplex deprecor ut hunc insignem thesaurum quem porto in fictili uasculo, sicut tuæ debeo benignitati, ita tuo beneficio seruem incolumem, utq; indies magis ac magis puro corde, puroq; corpore tibi placens, perueniam ad illam uitam, quæ nullam nouit corruptionem, in qua uiuis cum patre & filio. Amen.

PRO FELICI CONIVGIO.

OMnipotẽs deus unice prosperator actionum humanarum omnium, qui per os Solomonis pronunciasti, rem egregiam inuenisse quisquis mulierem bonam inuenerit, & huic gaudium ac iucunditatem fluxuram à domino, Et alibi per eundem admonuisti, mulierem rem esse morte amariorem: quæso ut tua benigna prouidentia mihi contingat sponsa, quicum concorditer ac iucunde uiuens tibi seruiã unanimiter. In hoc enim Adæ primum uxorem addidisti, ut adiuncta socia solitudinis tædium depelleret, & in ministerijs familiari mulieris obsequio iuuaretur. Eam de costa uiri finxisti, quo coniugibus intimam necessitudinem, & indissolubilem uitæ societatem commendares. Verum hoc tantum bonum non obuenit nobis fortuito, neq; nostra prouidentia, quibus frequenter usu uenit, ut posteaq; totis uiribus huc incubuimus, ut optimam ducamus, incidamus in pessimam: eoq; fidelis Abrahæ fidelis minister, Isaac herili filio adducturus sponsam, ad puteum felix auspicium petit à domino, & quod petijt obtigit. Non est Christianæ fiduciæ signum abste poscere, certe spes in tua bonitate fixa est. Hæc nobis est pro felici augurio clementissime pater, qui dignaberis consilia parentum & amicorum in lætum exitum dirigere. Qui uiuis & regnas. Amen.

SVB NVPTIAS.

BEnignissime pater humani generis conditor, redẽptor & propagator, qui in ipso statim orbis exordio maris ac fœminæ coniugium instituisti, atq; idem per unigenitum tuum si non è coniugio certe è coniugata natum honorasti, ac rursus mystico in Cana Galileæ munere decorasti, aqua insipida in uinum eximium conuersa, quique per uas electum Paulum docuisti coniunctionem hanc esse magnum sacramentum in Christo & in ecclesia: ac per eundem præcepisti, ut sponsus sic diligat spõsam suam quẽadmodum Christus dilexit ecclesiam: precor ut hoc matrimonium tuis auspicijs initum prosperare digneris, ut duobus in te super omnia diligendo colẽdoq; unus sit animus, quemadmodum unam carnem esse uoluisti, noscq; rite cõpulatos castus mutuus ac perpetuus iungat amor, ac te largiente proueniant liberi qui patrem amabili oris similitudine referentes maternæ pudicitiæ testimonium perhibeant, & arctissimam charitatem reddant arctiorem, sic in tua religione per nos educandi, ut per ætatum & charismatum tuorum accessus proficiẽtes, perueniant tandem in plenitudinem Iesu Christi, qui tecum regnat in consortio spiritus per omnia secula. Amen.

TEMPORE PESTILENTIÆ.

NOn est mirũ ò Iustissime pater, si uarijs modis in nos sæuiunt elementa huius mundi nunc terræ quassationibus nunc tempestatibus ac fulminibus, nunc fluminum ac marium exundationibus, nunc cœlestium corporum exitialibus concursibus, nunc aeris infecti contagio, qui tuis donis frequenter abutimur. Agnoscimus creaturam hic quoq; seruientem atq; obedientem conditori suo, cuius præcepta nos toties negligimus, agnoscimus & paternam disciplinam, qua nos leniter correptos reuocas ab huius mundi fiducia, & ad ęternæ uitæ desideriũ attrahis: Supplices rogamus ut in ira tua misericor

diæ recorderis, & quibus offensus immisisti has afflictiones, propitiatus submoueas. Nō multum nocebit pestilentię contagium, si nosmet à uitiorum contagio subducamus. Sed utrumq; ó misericordiarum pater tui muneris est, primum ut mentem habeamus à malitiæ uenenis liberam, & corpus à pestilentiæ contagio tutum. Qui in hac uita spei suæ fixerunt ancoram, in huiusmodi periculis confugiunt ad exquisita antidota, nonnulli ad certa diuorum nomina, puta Rochi aut Antonij, quidam & ad superstitiosas magorum artes: nos quibus persuasum est neminem manum tuam posse effugere, nihil arbitramur tutius quàm ad te ipsum confugere, à iusto ad misericordem, uelut ad tutissimam aram nosipsos recipere, qui nunc̄ destituis spem omnem in tua bonitate repositam habentes, quo protectore in tuto sunt & qui moriuntur.

PRO GAVDIO SPIRITVALI.

DOmine Iesu redemptor & consolator humani generis, qui falsas huius mundi uoluptates amore tui respuentibus, per tuum paracletum longe meliores delectationes parasti quas mundus non nouit, huius uitæ molestias internis & arcanis solatijs temperans, ac futuræ beatitudinis subinde quasi pignus quoddam nobis renouans, quo refecti recreatiq; alacrioribus animis ad te curramus, obsecro te, ut unctio tui spiritus mihi frequenter excutiat malorum tædium, ac mentem meam salutari gaudio exhilaret, qui te in terris agentem, iuxta naturam humanam unxit oleo lætitiæ præ cōsortibus tuis, qui cum patre & eodem spiritu uiuis & regnas in omne æuum. Amen.

PRO TVENDA BONA FAMA.

DOcuit nos ó pater cœlestis sapiens ille tuorum conscius arcanorum, thesaurum cum primis esse preciosum honestam famam, quum ait: melius est habere nomē bonum quàm unguenta preciosa. Sed hoc tam insigne bonum nec parare nec seruare possumus nisi tuo præsidio. Fons autem boni nominis est uita inculpata. Hanc igitur in primis abs te petimus. Verum quoniam frequenter innocentia tuta non est ab ijs qui uenenum aspidum gestāt sub labijs suis, nec raro fit ut quum inter fidos amicos nos esse credamus, cum Ezechiele habitemus inter scorpios, cum sancto citharœdo tuo clamamus: domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa. Quod si tuæ bonitati uisum est tuos hac quoq; afflictione exercere ad pietatem, da quæsumus, ut cum Paulo fortissimo duce tuo, per ignominiam & gloriam, per infamiam & bonam famam, in tuis præceptis perseueremus, per Iesum Christum, qui & ipse dum in terris ageret, audiuit dæmoniacus, Samaritanus, uini potator, & populi seductor, idem nunc tecum regnat in gloria cum spiritu sancto. Amen.

PRO PARENTIBVS.

DOmine deus, qui nos secundum te plurimum honoris parentibus nostris habere uoluisti, nec inter officia pietatis minimum est pro parentum incolumitate tuam bonitatem interpellare: serua quæsumus parētes meos cum omni familia, primum in tuæ religionis amore, deinde tutos à corporis et animi pturbatione: mihi uero præsta, ne quid illis ex me molestiarum accedat, deniq; ut ego illos, illi te propitiū habeant, qui supremus es omnium pater. Amen.

PRÆFATIO AD DAVIDEM PAVNGARTnerum in sequentes preces.

ADiecimus optime adolescens aliquot precationes è sacræ scripturæ libris concinnatas, quod in ipsis uerbis à spiritu sancto proditis lateat arcana quędā energia spiritus: eas appellauimus Eiaculationes, quod breues quidē sint, sed quoniam erumpunt ab ardenti mentis affectu, celerius penetrant in cœlum, quod genus ualde probatur beato Augustino: uel quod humani cordis infirmitas non potest diu perdurare in impetu, uel quod huiusmodi precibus ubiuis & in medijs negocijs uti licet. Has autem duntaxat dedimus in specimen & in exemplum, nam similes innumeras undiq; sacrę literę suppeditant.

Eiacula-

IACVLATIONES

PRO TIMORE PIO.

DA domine ut tuis præceptis eruditus tibi seruiam in timore, tibiq; exultem cum tremore, apprehendens in omnibus disciplinam tuam, ne quando irascaris, & peream de uia iusta. Timor domini principium sapientiæ.

CONTRA DESPERATIONEM.

MVlti dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius. Sed tu domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

IN MORTIS PERICVLO.

SEruator benignissime, illumina oculos meos ne unq; obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum. Qui affligunt me exultabunt si motus fuero, ego autem in tua misericordia spem fixi. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Prouidebo dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.

ALIA DE EODEM.

CIrcunderunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circumuallauerunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. In afflictione mea inuoco te domine, ad te deus meus clamo. Exaudi de sancto templo tuo uocem meam. Clamor meus coram te penetret in aures tuas. Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mihi, quoniam tu mecum es.

PRO DOCILITATE PIETATIS.

SEruus tuus ego sum, da mihi intellectum domine ut discam mandata tua. Quoniam lex tua immaculata conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, Iustitiæ tuæ rectæ lætificantes corda. Præceptum tuum lucidum illuminans oculos. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Quoniam tu domine das sapientiam, & ex ore tuo prudentia & scientia.

ALIA PRO EADEM.

VIas tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me. Dirige me in ueritate tua & doce me, quoniam tu es deus seruator meus.

PRO VENIA DELICTORVM.

ERraui sicut ouis quæ periit, require seruum tuũ domine, quia mandata tua non sum oblitus. Delicta iuuentutis meæ & ignorationes meas ne memineris domine. Secundum misericordiam tuam memento mei. Propter bonitatem tuam domine custodi animam meam, & erue me, non erubescam quoniã speraui in te. Conuerte planctum meum in gaudium. Conscinde saccum meum, & circunda me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar.

PRO MVNDICIA CORDIS.

COr mundum crea in me deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

IN AFFLICTIONE.

DOmine da nobis auxilium de tribulatione, quoniam uana salus hominis. In te faciemus uirtutem, & tu ad nihilum deduces affligẽtes nos. Tibi subiecta sit anima mea, quoniam abs te patientia mea, quia tu deus meus, & seruator meus, adiutor meus, & non emigrabo. In te salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in te est.

PRO DEVICTA TENTATIONE.

TRansiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Posuisti animam meam ad uitam, & non dedisti in commotionem pedes meos. Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Anima mea sicut passer erepta est de laqueo uenantium. Eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram te deus in lumine uiuentium.

ALIA PRO EADEM.

TV factus es fortitudo pauperi domine, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab æstu.

CONTRA MALORVM INSECTATIONEM.

ESto mihi domine in deum protectorem & in locum munitum, ut saluum me facias. Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui. Quoniã tu es patientia mea domine, domine spes mea à iuuentute mea. In te confirmatus sum ab utero de uentre matris meæ, tu es protector meus, in te cantatio mea semper.

PRO INNOCENTIA ET RECTITV/dine uitæ.

DEduc me domine in uia tua, et ingrediar in ueritate tua: lętetur cor meũ, ut timeat nomen tuum. Sit lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis.

IN MORBO.

SAna me domine & sanabor, saluum me fac & saluus ero. Adhæsit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uerbum tuum. Secundum misericordiam tuam uiuifica me, & custodiam testimonia oris tui. Adiuua me domine & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper. Misericordiæ tuæ multæ domine, secundum iudicium tuum uiuifica me.

REVALESCENTIS.

CAstigans castigauit me dominus, & morti non tradidit me. Confitebor tibi domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me.

RESIPISCENTIS.

SI iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te domine. Sustinuit anima mea in uerbo tuo, speruit anima mea in te domine. Quia apud te propitiatio est, & copiosa apud te redẽptio. Et tu redimis Israel ex omnibus iniquitatibus suis.

ALIA PRO EODEM EX HIEREMIA.

CAstigasti me domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus? Conuerte me & conuertar, quia tu dominus deus meus. Postq̃ enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postq̃ ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

PRO STATV ECCLESIASTICO.

SAcerdotes tui induant iustitiam, & sancti tui exultent.

PRO PRINCIPE ADOLESCENTE. EX ORA/tione Solomonis 3. Reg. 3.

DOmine deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro patre meo. Ego autem sum puer paruulus, ignorans egressus & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Da/bis igitur seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Etenim si quis erit consummatus inter filios hominum, si abfuerit ab illo tua sapientia, in nihil computabitur.

ALIA PRO EODEM SAP. IX.

MItte sapientiam tuam de cœlis sanctis tuis, & à sede maiestatis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.

ADVERSVS SVPERBIAM ET LVXVM, Eccles. 23.

DOmine pater & deus uitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu malorum. Semoue me ab homine cuius spiritus est in naribus ipsius, & qui sibi uidetur excelsus. Ne ueniat mihi pes superbiæ, extollentiam oculorum ne dederis mihi, & omne carnis desiderium auerte. Aufer à me uentris concupiscentias, & concubitus concupiscentia ne apprehendat me, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me.

ADVERSVS AVARITIAM.

INclina cor meum deus in testimonia tua, & non in auaritiam.

Mane

MANE A SOMNO EXPERRECTI

AGo tibi gratias Christe, quod præteritam noctem mihi uolueris esse prosperam, precorq; ut diem itidem hunc totum mihi bene fortunes ad tuam gloriam, & animæ meæ salutem: utq; tu, qui es uera lux occasum nescies, sol æternus omnia uiuificans, alens, exhilarans, digneris illucescere menti meæ, ne usquam impingam in ullũ peccatum, sed tuo ductu perueniam ad uitam æternam. Amen.

EVNTIS AD LVDVM LITERARIVM.

PRecor Iesu Christe, ut qui puer duodecim annos natus, sedẽs in tẽplo docuisti ipsos doctores, cuiq; pater cœlius emissa uoce dedit autoritatem docendi mortalium genus, quum diceret, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite: quiq; es æterna sapientia summi patris, illustrare digneris ingenium meum ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad tuam gloriam. Amen.

QVVM RECITANTVR HÆC EX PAVLO, EXPVRgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio,
sicut estis azymi.
Ad hæc uerba sic tecum loquere cum Christo.

VTinam uere sim azymus, purus ab omni fermẽto maliciæ. Sed tu domine Iesu, qui solus es ab omni malicia purus ac syncerus, largire ut indies & ipse magis ac magis expurgem uetus fermentum, fiamq; noua cõsperſio, cordis synceritate & ueritate. Amẽ.

QVVM LEGITVR EVANGELIVM DE SEMINANTE semen suum, sic ora tecum.

FElix ille qui meretur esse terra bona, precor ut me ex terra parum frugifera, tua benignitate facias terrã bonam, quandoquidem sine beneficio tuo nihil omnino bonum est, ut in me fructificet uerbum tuum. Amen.

AD EVANGELIVM DE NVPTIIS.
in Cana.

IEsu fons bonorum omnium, qui ad suggestionem Virginis matris aqua uersa in uinum conuiuas exhilarasti, da famulis tuis, ut musto tui spiritus salubriter inebriemur. Qui uiuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

ACCEDENTIS AD SACRAM SYNAXIM.

AGo tibi gratias Iesu Christe pro ineffabili charitate, quod genus humanũ tua morte redimere dignatus es, & oro ne patiaris tuum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed tuo corpore semper pascas animum meum, tuo sanguine uiuifices spiritum meum, ut paulatim adolescens uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis tui mystici, quod est Ecclesia, nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extrema cœna distributo pane & porrecto poculo pepigisti cum discipuls tuis electis, & per hos cum omnibus qui per baptismum in societatem tuam insiti sunt. Amen.

AD CHRISTVM PRO VERA PIETATE.

PRecor Iesu Christe, ut quando ex nobis ipsi nihil possumus, tu tua inæstimabili bonitate non sinas nos unquã aberrare à uia salutis, sed abiectis umbris Iudaicis, & huius mundi præstigijs, per ueritatem Euangelicam perducas nos ad uitam æternam, hoc est, nos ad te trahas, qui solus es beata immortalitas. Amen.

PRO CONSENSV DOGMATVM.

AMator humani generis deus, qui donum linguarum quo quondam Apostolos tuos ad Euangelij prædicationem per spiritum tuum sanctum cœlitus instruxeras, largiri dignatus es, da ut omnibus linguis omnes ubique prædicent gloriam filij tui Iesu, ut confundas linguas pseudapostolorũ, qui coniurati substruunt impiã turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum suam student attollere: quum uni tibi debeatur omnis gloria, cum Iesu filio tuo domino nostro, & spiritu sancto in æterna secula. Amen.

CONSECRATIO MENSÆ.

QVicquid appositum est, & quicquid apponetur, felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen.

Alia

ALIA.

EXhilarator omnium Christe, & sine quo nihil uere suaue est, oro, ut huic nostro interesse conuiuio digneris, tuaq; præsentia exhilarare animos nostros, teq́ue omnibus & patinis & poculis miscere, ut nihil te non sapiat, illabarisq́ue animis nostris. Amen.

GRATIARVM ACTIO.

GRatias agimus tibi pater cœlestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac uegetas, largire filijs tuis ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti uere diligentibus te, per Iesum Christum. Amen.

ALIA EX CHRYSOSTOMO.

BEnedictus deus, qui me pascis à iuuentute mea, qui cibum præbes omni carni, reple lętitia & gaudio corda nostra, ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu domino nostro, cum quo tibi gloria, honor et imperium, cum sancto spiritu in omne æuum. Amen.

ALIA EX CHRYSOSTOMO IN MATTHÆum, Homilia quinquagesima secunda.

GLoria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio & lætitia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus quando reddes unicuique secundum opera sua. Amen.

PRECATIO ERASMI ROTERODAMI AD Virginis filium Iesum humani generis assertorem.

ADoro te prona suppliciq; mente, generis instaurator humani, dei simul & Virginis fili Iesu Christe, qui uerum illud es lumen & immortale, sine tempore prorsus, inenarrabili modo promanans à patre, fonte lucis omnis, qui cũ sacri spiritus incogitabili nexu sic cohæres, ut neq; monadis simplicitas personarum confundat discrimina, neque triadis proprietas, usiæ scindat communionem. Tu enim nouus ille iustitiæ sol, qui semper oriens à semper generante patre, semel autem uisibilis exortus orbi sempiternis damnato tenebris, tartaream peccatorum nostrorum caliginem depulisti, nouaq; lampade prænitens, diem illum candidum, ueréque almum, expectatissimum reuexisti mortalibus, diem quem unum fecit dominus, noctem teterrimam (cuius ipsi fueramus autores) profligans. Qui deniq; nunquam desinis inuisibilis oriri mentibus pijs, subinde nouus, sed idem nulli tui uiuificæ gratiæ radios inuidens, nisi si quis excluserit inuidens ipse sibi. Qui perpetuo quietus, rotas ac uersas omnia, semper intra temetipsum manens, æterna uertigine ambis uniuersa, illustras omnia, nihil non intuens, nihil non penetrans. Conspicuus pariterq; inuisus; modicus & idem immensus: complectens omnia, simulq; incomprehensus: infusus per omnia, simplicissimus tamen. Temporum autor sine tempore, omnia moderans sine solicitudine. Qui natiuo calore sensibiliter illabens, ad patrẽ subducis animos mortaliũ ac terrenarum cupiditatũ fece depuratos, quatenus licet, in tuã ipsius naturam sursum rapis, raptos attenuas, attenuatos transformas, uti quemadmodum tu cum patre Deo natura, ita nos tecum unum simus adoptione. Quiq; salutifero radiorum tuorum influxu florentia uitaliaq; facis omnia, parens educator, origo & finis omnium quæ nascuntur. Tuo sydere afflari reuiuiscere est, tuo foueri lumine proficere est, tuis accendi flammis perfici est, abs te deseri perire est. O ter felices, quibus tu mitis & roscidus exoreris: uæ sempiternum ijs, quibus iratus occidis. Tuum intueri uultum, gaudium est absolutum: tuo orbari conspectu, chaos & horror æternus. Vbi tu luces, ibi demum immortalitas: ubi ubi non luces, ibi inferus est. Exorere quæso mihi faustus ac propitius, ô lumen oculis amabile, animiq́ue nebulas, quas mihi mea terra suffundit, discute, ijsq; oculis quibus tu uideri soles, serenus irradia atq; illa affulge fronte, qua cœlum pariter & terram exhilaras. Tu qui terrarum flammis opera omnia lustras, ne prætereas quæso hanc animulam, quam ipse finxisti. Ne pigeat benigne Iesu reficere, quod facere dignatus es: restitue quod instituisti. Ne graueris instaurare tuum ipsius

plasma

plasma. Resarciat suo in opere tua clementia, quod meo uitio male est dissipatum. Corrige in tuo opificio, quod est meapte culpa deprauatum. Agnosce & perfice, quod optimus optime constitueras. Vindica quod tuum est, ut omnia mala nostra nulli nisi nobis ipsis imputemus: omnia uero bona tuæ misericordiæ feramus accepta, qui singulari etiam tua bonitate nostrum malum in tuum bonum diuina quadam arte soles uertere. Tua me uirtus beneficentissime parens Iesu, cum nihil essem, mirabiliter condidit. Tua sapientia corpusculo huic organis ad omnem usum aptissimis, miraq; partium omnium harmonia concinnato, tum sensuum incredibili sagacitate munito, uitalem animam indidit, de tuo sacro afflatu calentem, immortalem, seminis ætherei, ad tuimet imaginem excultam, quo tui, qui summum es bonum, capax esse posset. Cui quidem & tuo de lumine, docilitatis quasi scintillulas quasdam insperfisti, uti in medio mundi, ueluti pulcherrimo quodam tuorum operum theatro collocata, per uisibilium rerum cognitionem, quarum tu nihil non optime fabricatus es, te inuisibilem opificem inuestigaret. Tua denuo miseratio, posteaquam cum gentiliciæ labis serpigine, tum autem meapte quoq; impietate, in nihilum recidissem, salutiferæ tuæ mortis antidoto in uitam reposuit, deq; tuo dependisti innocentissime, quod ego nocens contraxeram. Nullum nouit modum tua benignitas clementissime conditor. En iterum sic gratuito restitutum, ne semel assertus in miserandam seruitutem reuoluerer, tua profusissima liberalitas quot egregijs dotibus cõmunijt: quot efficacibus sacramentis assidue, de tuæ sacrosanctæ mortis fonte subscatentibus confirmauit, lauacro uiuificans candidansq́e, sacro ceromate roborãs, corporis sanguinisq; proprij dapibus saginans, neq; non efficaci unguine contra spirituales agones militem tuum durans, uarijs charismatibus, & arcanis muneribus locupletans, tacitis animorum instinctibus trahens aberrantem, extimulans dormitantem. Et tanquam hęc omnia parum sint, ita mysticæ scripturæ tuæ remedijs undique periculis nostris occurrit tua pietas. Doces errantes, fulcis nutantes, promissis confirmas laborantes, hortatu conantes erigis, exemplis inflammas, minis deterres, nunc allicis beneficentia, nunc meritæ calamitatis flagello castigas. Deniq; ad hæc omnia, tam multa, tam magna, ingratum me atq; obsurdescentem, toties spretus, toties capitaliter offensus, tamen usq; & usq; reuocas redemptor ignoscentissime, iamq; in præceps eunti, pœnitentiæ salutaris asylum aperis, & aperis quoties à nobis auersi ad te refugimus, nihil scilicet interire uolens eorũ, quæ pulcherrimus ipse tam pulchre finxeras, quæq; mercator, neq; imperitus, neq; stultus, tam cupide, tantoq; impendio redemeras. Huius tam inæstimabilis tuæ bonitatis fiducia, en audet ad te redire post tam diutinas errorum ambages mancipium fugitiuum, ad te suum omniumq; dominũ. Assere postliminij iure quod tuum est domine Iesu, meq; simul & tibi & mihimet ipsi restitue, quandoquidem utriq; perij. Me miserum, quàm multis, quàm imperiosis, quàm pudendis dominis inseruiui, dum insanissimum Aegypti peregrinatio, dum Babylonica captiuitas nimio delectat opere, dumq; tuum uere suaue iugum ceruice demens excutio, cui seruire summa unicaq; libertas est, à quo asseri, eripi est: à quo teneri, beatitudo est: à quo profugere, interire est. Audet redire tamen ad indulgentissimum pastorem ouis iterum erratica, quam tu quondam diu multumq; per uitiorum uepreta uestigatam, humeris tuis lætus reportasti niueoq; innocentiæ uellere denuo tectam, communibus Ecclesię tuæ caulis reddidisti, in quibus iam luporum insidias non timeret. Audet redire ad amãtissimum parentem filius male frugi, qui meliores annos corporis simul & ingenij dotes, hoc est omnem ditissimi patris substantiam, cum turpissimis nepotibus, scortisq; barbaris, nempe carnis cupiditatibus, nequiter prodegit. Reuertitur autem è longinqua ignotaq; regione uitiorum, quæ tu sola ignoras æterna scientia, nudus, egens, famelicus, nihil secum extanta benigni parentis liberalitate referens, præter infelicem conscientiam, sceleribus pudoreq; coopertam. Superat tamen hunc tam immensum impietatis meæ cumulum tua genuina bonitas, qui seruum hunc nequissimum non ad crucem, non ad compedes, quas alioqui æternas commeruerat, sed ad ueniam uocas, non noxæ dedis, sed emendatum in familiam recipis. Quem hanc ulcerosam & uagam, cura potius quàm pœna dignam iudicas. Filium tam male dicto audientem, tam à paternis moribus degenerem, non exhæredas, non abdicas, sed patria uictus pietate resipiscenti ultro etiam in amplexus occurris. Non tu reuersum domo

prohibes

prohibes,non ſupplicem à genibus repellis,ſed ad primam ſtatim pœnitentię uocem in collum infuſus oſculo dignaris,& quem lentiſſime ſuſtinueras peccantem, pœnitentem lubens admittis,pannoſo nouam ſtolam depromi iubes. Suppliciũ merito paratur conuiuium,iam utiq; de tuo,ueteres omneis noxas condonas.Et præ nimio recepti pignoris gaudio non uacat priſtinarum offenſarum meminiſſe, non ſæuis linguæ uerberibus patria intonat ira,nõ auditur uel lenis illa Mitionis expoſtulatio.Quod unquam ſimile patris indulgentis exemplum ſolertes illi naturæ adumbratores ediderunt? Væ hyemi pectorum noſtrorum,clementiſſime ſaluator,ſi tua tam inaudita noſtri charitate, non incaleſcunt ad te redamandum,qui ſic adamaſti prior. Væ lethargo mentium noſtrarum, ſi tantis meritis excitatæ non expergefiunt. Væ duritiæ cordis humani pluſquam adamantini,ſi tanta tua indulgentia non poteſt molleſcere.Sed quiſnam ó ſola ſpes noſtra,reuelet hoc cor ſaxeum & inextricabile,carneumq; & ſimplex reponet,niſi tu ſolus,qui quo uel ſic noſtram peruinceres duriciem,ipſe caro factus es? Immo quis totum hunc hominem à ſummo capillo ad imũ uſq; calcaneum refinget, niſi tu agnus immaculatiſſimus, qui nõ precaminibus aut herbis magicis,ſed ſanctiſſimi tui cruoris aſpergine creaturam innouas uniuerſam? qui ſenium abolens mundi, cœlum nouum, terramq; nouam ſolus creas.Quis hoc putre cadauer in uitæ nouitatem reſtituet,niſi tu qui ſolus arentia deploratq; oſſa uitali flatu animas? qui quadriduanũ etiam Lazarum ſimplici uoce in lucem exciuiſti? Suſcita quæſo & noſtrum hoc funus, tu qui uita es omniũ, ſana ægrotum hũc, qui uera medicina es animarum. Miſerandum hunc hydropicum tua gratuita miſericordia dignetur apprehẽdere,nil niſi res fluxas nihiliq; ſitientem, morbiq; uim miſerabili copia nequicquam alẽtem: proq; inexplebili male dulcium aquarum auiditate,tui ſitim inſere, de cuius fonte qui biberit,non ſitiet in ęternum:tui famem excita,qui panis es uitæ, de quo qui ſemel ederit,nimirum nauſeam fecerint ollæ carnium Aegyptiarũ.Solue omnipotenti tuo nutu animam hanc paralyticam, corporis affectibus ueluti ignauo grabbato prorſus affixam,uitæq; ac pietatis officijs reſtitue. Tu ſaucij huius capitalibus plagis, pariter & ſalutaris pœnitentiæ uinum,& tuæ conſolationis oleum infunde. Aperi cæci huius internos oculos ut te aſpiciant lumen immortale,protinusq; euaneſcant omnes huius mundi præſtigiæ. Poſtremo quoniam tu es unicus ille noui plaſmatis autor, totum hunc Adam ueterem,quantus eſt,detrahe,qui nihil niſi limum,unde profectus eſt,ſapit: proueniatq;, te fingente,nouus ille qui ſecundum te creatus ſit. Nam tu dulciſſime Ieſu, pius ille es incãtator & magus,qui non Theſſalis Colchicis ue uenenis,ſed omnipotenti miſericordia tua,non corpus modo,uerumetiam animam refingis,neque mutato tantum ſenio iuuenem,uerum etiam propulſata morte uiuam facis & immortalem. Feſtina igitur & me totum ſpiritus tui ſecretis incantamentis, tuæq; gratiæ ſuccis transfigurare. Tolle putrem hanc & corruptiſſimam carnem, aſsidue cum ſpiritu bella gerentem, nouamq; ad tuæ carnis imaginem,inſere puram,incontaminatam,ſpiritui audientẽ.Emarceſcat hæc quæ fœnũ eſt,neque te omnino uidebit:ſuccedat ea, quæ uidebit ſalutare dei. Exime ſpiritum hunc brutum,animalem,tumidum,intractabilem,cum carne coniurantem,à te ſæpe deſciſcentem:tuum imperti ſuauem, mitem,cœleſtia ſapientem, aſpernantem ea quæ uidentur,quoniam temporalia ſunt,ſubuolantem ad ea quæ non uidẽtur æterna,ut mihimet uelut exanimatus,per te ſpirem,in te uno,tibiq; uni uiuam, mihi mundoq; mortuus.Etenim ſuopte ſpiritu qui uiuunt,ij uere mortui ſunt: tuo uero qui aguntur,neque in carne ſunt,neque ſub lege,ſed uitam uiuunt immortalem,capitis nunquam morituri membra immortalia facti.Sic igitur aufer me mihi, imò me mihi reſtitue unice ſalutis autor Ieſu Chriſte,me mihi met excide, ut tibi inſerar:mihi peream,ut in te ſim incolumis: mihi moriar, ut in te uiuam: mihi marceſcam, ut in te floream: in me ſim inanis,ut in te abundem:in me nihil eſſe incipiam,ut in te ſim omnia.Magnam rem à te petit uermiculus (neq; enim me fugit) nec meritis modo, uerumetiã uotis humanis atq; adeo intellectu maiorem, nimirum ut unum tecum fiat, & in deum quendam transfiguretur homunculus.Sed quid hoc uſqueadeo mirum, ſi in deum transfiguretur homunculus? magis mirum,quod in hominem transfiguratus es deus. Incogitabile utrunque,incomprehenſibile utrunq;, uerum hoc demum incomprehenſibili tua miſericordia dignum, incomprehenſibilia beneficia largiri.Eoq; te non per mea merita,quæ uel nulla ſunt, uel

mala

mala,sed per teipsum obsecro conditor optime maxime q̃, perq̃ omnia quibus tuum numen placari flectiq̃ solet: per tibi communem patris potentiam, qua me de nihilo magnum quoddam atq̃ admirandum bonum finxisti: per homusion tibi sancti spiritus bonitatem, qua me tot gratuitis dotibus locupletasti: per tuam admirandam sapientiam, qua pertingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, inenarrabili consilio nos redimere dignatus es. Atq̃ in primis per adorandum illum nostræ restaurationis fontem, incomparabilem charitatem tuam, quę te ueluti musto lymphatum atq̃ bacchantem à sinu dei parentis in uterum uirginis, ex arce cœli in hanc lachrymosam uallem exilij nostri deduxit, & hunc limum induere compulit oppido uolentem. Perq̃ omnes humanæ conditionis iniurias, milleq̃ huius uitæ incommoda, quæ tu dominus omnium seruuli leuissimi causa, triginta tres annos spõtaneus pertulisti. Per famam sitimq̃, qua nostram ingluuiem dependisti, per tædia, per labores, per uigilias, per æstus, per algores, quibus exitialem luxum nostrum luisti. Per summam tuam pauperiem, in qua & nasci, & uiuere, & mori uoluisti, ut nostram ditares egestatem. Per obtrectationes, per contemptus, per conuitia, per totius uitæ tuæ summã humilitatem, qua nostram superbiam fregisti. Per sanctissimas illas tuas lachrymas, quas toties pro nostris sceleribus effudisti. Per extremos illos innocentissimæ tuæ mentis angores, quos instante crucis supplicio, neutiq̃ mortis formidine, quam tantopere sitiebas, sed incredibili quodam amore meorum tuorum uolens assumpsisti, nostram in te transferens imbecillitatem, ut tua nos infirmitas confirmaret, tuaq̃ tristitia luctus æternos nobis adimeret. Per sanguineas guttas, quas toto exudabas corpore, cum grauem scelerum nostrorum sarcinam in tuos esses humeros impositurus. Per tua uincula, quæ nos æternæ captiuitatis cathenis exuerunt. Per tuum reatum, quo nos sumus à uero crimine absoluti. Per probra & uirulenta lœdoria in te congesta, cum pro nostris flagitijs tu male audiebas innocentissime. Per illita sputa, per tibi impactos colaphos, qui nostris debebantur malefactis. Per ingentem illum ingenuæ purissimæq̃ mentis tuæ pudorem, quem & ipsum tua immensa charitas uolens lubensq̃ in sese recepit, cum perinde ut maleficus quispiam à teterrimis carnificibus, de tribunali ad tribunal, de iudice ad iudicẽ, propalã traherer is: cumq̃ fœde laniatus uirgis lictorijs insanæ plebi cõspiciendus producereris, nostrã ignominiam in te traducens, ut nos in tuam gloriam uindicares. Per liuores tuos, quibus nostris plagis remedium admotum est: Per tua uulnera, nostram medelam: per tua flagra, quibus seruuli huius noxias expiasti, Per sacrosanctum sanguinem tuum, quem toties prodigus effudisti, ut nostram rubiginem elueres. Per crucem ter adorandam, probrum tuum, nostrã gloriam. Per pretiosissimam mortem tuam, quam indebitam pro nostro omnium capite depẽdisti, quaq̃ genus humanum in hæreditatem immortalis uitæ restituisti, ut cum nostra nobis uita mortis esset ingressus, tua nobis mors uitæ fieret initium. Per inæstimabilia pietatis in deum patrem, & amoris in nos tui merita, quibus peccatorum nostrorum mala nomina cumulatissime dissoluisti. Per uenerandã uirtutẽ purissimi sacrificij tui, quo sacerdos & idem hostia, nos patri deo, tibiq̃ ipsi reconciliasti. Per adorandum illud mysterium, cum perfosso latere fontem arcanum sanguinis & aquæ etiam exanimis aperuisti, ut altero reuiuiscerem us mortui, altero purgaremur immundi. Per magnificum triumphum tuum, quem rediuiuus ab inferis, sublata mortis tyrannide, cœlis plaudentibus inuexisti. Per immortalem tuam gloriam in cuius partem nos cohæredes asciuisti. Per pietatem meritaq̃ ecclesiæ sponsæ tuæ, uirginis illibatæ, quæ tibi indissolubili copula conglutinata, tuo sanguine calet, tuoq̃ spiritu animatur. Per meas erumnas, materiam tuę bonitatis. Per mea mala, à quibus me non liberabit nisi sola tua misericordia. Per tua bona, pro quibus equidem nihil habeo quod rependam nisi me ipsum, qui iam olim tuus sum, neq̃ hoc tamen ipsum, quicquid id est, donare possum, nisi tu ipse arripias, quodq̃ iure tuum est, etiam amore tibi uẽdices. Ergo nõ meis pro meritis, sed pro multitudine miserationũ tuarũ, quod tuum est tibi assere. Iniice mancipio tuo manum, recude opus tuum opifex, teq̃ dignum munus fingito. Exige procul ex animo meo templo tibi sacro infandas abominationes Aegyptiorũ, quibus est à me nimis impie prophanatum, dono ueręfidei purga, purgatum illuminet tua sancta spes, quę neminem confundit, illuminatũ charitatis igni perfice, meumq̃ spiritum iam transfiguratum, ita cum tuo copula, imò sic meum tuus absor

beat,ut felicem consensum nostrum nulla huius mundi,neq; prosperitas, neq; aduersitas,neq; uita,neq; mors,queat distrahere,ut iam præter unum te,nihil amem, nisi tum in te,tum propter te.Carnem autem hanc adhuc humi serpentem, in crucis tuæ palmam sustollito, atq; illic tecum felicibus affigito clauis, ut liber ac terrena omnia è sublimi ligno despiciens,ad te unum anhelet amor meus. Tu mihi dulcescas unus, tu unus sapias, tu solus delectes, te solum admirer ac deamem. Sordescat mihi magis ac magis ó uera felicitas, mundus hic impostor cum suis præstigijs & incantationibus, cumq; exitialibus illectamentis, quæ seuocant abs te. Expurga palatum meum quondam heu dulcibus uenenis male imbutum, ut tua suauitate gustata, protinus amarescant mihi carnis delitiæ, olim in exitium usq; dulces. Posthac nauseæ mihi instar sint uenenatæ mundi lautitiæ, quas aliquando me miserum, quàm auide deuoraui.Ne iam capiant oculos meos quamlibet in speciem decora, quæcunque tuis oculis non placent. Non placent autem nisi pia,cum ipsa sis pietas:nonnisi casta,cum ipsa sis puritas:odisti fucata, cum ipsa sis ueritas:non probas quicquid carnem sapit,cum spiritus sis simplicissimus. Execraris animalem sapientiam, qui patris es sapientia. Abominaris quicquid mundus miratur, quoniam iam olim & te mundus,& tu mundum odisti mutuo,à quo semoues,quotquot tuos uocari uis.Atq; ita paulatim attrahente te,mea mens tuo immoriatur amori, ut ad utriusq; fortunæ sensum penitus obstupescat.Quid enim omnino boni sine te, aut quid mali tecum mihi possit accidere? Immo quid non dulce tecum? aut quid tam malum, quod tu tuis non uertas in bonum? Cætera igitur misceantur, sursum ferantur ac deorsum,modo ne te mihi subducas. Amores mei meiq; ignes tu sis unus, qui pulchri ipsius idea es immortalis,cuiusq; communione pulchra sunt,si qua specie placent: quem deperire seruari est:cuius amore furere,unica sanitas est. Tu mea uoluptas,quo frui cumulus est felicitatis. Tu mihi diuitiæ,qui summũ illud es bonũ,quo qui potitur, nihil est quod præterea desyderet. Tu meum decus, qui gloria es patris,& honos sanctorum omnium. Tu meũ præsidium,qui nutu simplici seruare potes quæ uis, uis autem omnia. Tu mea certa spes,qui idem & promissor es,& pignus,& præmium. Tu mea fiducia,qui nequaquam baculus es arundineus,manum innitentem sibi destituens ac uulnerans, sed fidelis illa petra,in qua quisquis fundamenta iecerit,non metuit ruinam. Tu mihi parens,cui toties uitam debeo. Tu meum solatium,tu gaudium cordis mei, tu pax,tu tranquillitas. Deniq; pro te uno contemnam omnia, ut mihi uicissim sis unus pro omnibus, ad quem nihil sunt omnia,& in quo uno sunt uniuersa, quæ sunt. Nihil enim est, quod tui simile nõ est,cuius esse bonitas est & pulchritudo.A quo degenerare quid aliud est,quàm in nihilum tendere? Ad cuius similitudinem quo quisq; propius accesserit, hoc magis ac magis perficitur. Talem igitur uti fingere digneris mitissime Iesu, hunc homuncionẽ, quantus est,tibi do atq; in manum trado,ut me tecum & te mecum mihi reddas,qui summa es bonorum omnium,semper adorandus cum patre & spiritu sancto, Amen.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS CLARISSIMO LL. Doctori Ioanni Rinco S. D.

LITERÆ tuæ uir ornatissime, quibus & pro tua prudentia sagaciter diuinas imminentes Germaniæ calamitates,& eas pie deprecaris, permouerunt animum meum, ut ad omnipotentem illum pacificatorem, & ut Paulus uocat μσίτηρ, precationem conscriberem,qua simul omnes dominum, iratum quidem ut uidetur, sed exorabilem appellemus. De non mouenda Camerina, amanter tu quidem ac fideliter,sed serò mones.Et merebatur hoc quorundam scurrilis improbitas,nec deerant amici qui per literas huc hortarentur.

Bene uale uir amicorum candidissime.Friburgi V die Martij,Anno à Christo nato

M D XXXII

PRECATIO AD DOMINVM IESVM PRO PACE ECCLESIÆ.

DOMINE Iesu Christe, qui pro tua omnipotentia cõdidisti creaturam omnem uisibilem pariter & inuisibilem, pro tua diuina sapiẽtia ordine pulcherrimo gubernas ac digeris uniuersa, pro tua ineffabili bonitate seruas, tueris q; ac uegetas omnia, pro tua immensa misericordia restituis luxata, reformas collapsa, mortua reuiuificas: dignare quæsumus tandem ad unice tibi dilectam sponsam Ecclesiam flectere uultũ tuum, sed illum placidum ac propitium, quo serenas omnia quæ in cœlis, quæ in terris, quæ supra cœlos infraq; terras sunt: flectere digneris oculos illos mites ac misericordes, quibus Petrum Ecclesiæ tuæ summũ pastorem intuitus es, ac mox resipuit: quibus turbam palantem aspexisti, & misericordia commotus es, quod ob inopiam pastoris errarent uelut oues dissipatæ dissiectæq;. Vides pastor bone, quam uaria luporum genera irruperint in caulas tuas, quorum quisq; clamat, hic est Christus, hic est Christus, ut in errorem pertrahantur, si fieri possit, etiam perfecti. Vides quibus uẽtis, quibus undis, quibus procellis iactetur tua nauicula, extra quam nulli uis esse salutem. Quid supereſt, nisi ut illa demersa fluctibus pereamus omnes? Hanc tempestatem accersiuerũt nobis scelera nostra, agnoscimus & confitemur. Agnoscimus tuam iustitiam, & nostram iniustitiam deplora mus, sed appellamus tuam misericordiam, quæ, iuxta propheticum psalmum, superat omnia opera tua. Multum iam pœnarum dedimus, tot bellis attriti, tot exactionibus exhausti, tot morborum ac pestilentiarum generibus afflicti, tot inundationibus concussi, tot portentis è cœlo minantibus territi: nec inter hæc mala subinde noua lasseſcentibus ullus undecunque portus apparet, sed atrociora uidentur impendere. Non queri mur de seueritate tua mitissime seruator, sed agnoscimus hic quoq; tuam misericordiam, longe siquidem atrociora merueramus. Verum noli clemẽtissime Iesu perpendere quid nostris meritis debeatur, sed quid tuam deceat misericordiã, sine qua nec angeli possent subsistere, nedum nos lutea uascula. Miserere nostri redemptor exorabilis, non quod ipsi simus digni, sed hanc sancto nomini tuo da gloriam. Ne permittas ut Iudæi, Turcæ ac cæteri, qui uel non nouerunt te, uel inuident tuæ gloriæ, perpetuò gloriẽtur de nobis, dicantq;, ubi est deus eorum, ubi redemptor, ubi seruator, ubi sponsus quem iactant? Hæc opprobria in te recidunt, dum ex nostris malis æstimatur tua bonitas: desertos credunt, quos non intelligunt ad salutem emendari. Olim quum in naui dormires, & exorta tempestas minaretur omnibus exitium, ad inclamationem paucorũ discipulorum experrectus es, & mox ad uocem tuam omnipotentem subsedere fluctus, cõsiluere uenti, tumultus subito uersus est in tranquillitatem magnam. Agnouerunt elementa muta conditoris imperium. Nunc in hac longe grauiore tempestate, qua periclitantur non paucorum corpora, sed innumerabiles animæ, ad totius ecclesiæ tuæ periclitantis clamorem rogamus ut expergiscare. Tot hominum milia clamãt, Domine serua nos, perimus. Tempestas uicit humanam industriam, imò uidemus opitulari uolentium conatus in diuersum cedere. Tua uoce opus est domine Iesu, tantum dic uerbo, consilesce tempestas, & protinus illucesceret optata tranquillitas. Parsurus eras tot sceleratissimorum hominũ milibus si in Sodomis reperti fuissent decem iusti. Nunc tot sunt hominum milia, qui diligunt nominis tui gloriam, qui suspirant decorem domus tuæ: an non ad horum preces irã tuam remittes, ac ueterum misericordiarum tuarũ recordaberis? Non cœlesti tuo artificio nostram stultitiam uertes in tuam gloriam? Non improborum mala uertes in Ecclesiæ tuæ bonum? Solet enim tua misericordia tum maxime adesse, quum rebus maxime deplora tis hominum nec uires nec prudentia possunt opitulari. Tu solus res quamlibet discordes redigis in concordiã, unicus pacis & autor & tutor. Tu chaos illud uetus, in quo nullo ordine nulloq; decore confusa iacebãt discordia rerum semina, digessisti, & admirabili ordine quæ natura pugnant, æterno fœdere sociasti. At quanto turpius est chaos, ubi nulla est charitas, nulla fides, nulla fœdera, nulla legum, nulla præpositorum reuerentia, nullus dogmatum cõsensus, sed uelut in dissono choro suam quisq; canit cantionem? Inter cœlestes orbes nullum est dissidium, elementa suum quæq; locum seruant, suis quæq;

funguntur muneribus. Et sponsam tuam, in cuius gratiã condita sunt uniuersa, sines peruersis dissidijs ire pessum? Patieris ut impij spiritus discordiarum autores in tuo regno tyrannidem exerceant impune? Patieris illum fortem, quẽ semel expugnatum deturbasti, rursus occupare tua castra? Quum mortalis inter homines uersabaris homo, ad tuam uocem aufugiebant dæmonia. Emitte quæsumus domine spiritum tuum, qui dispellet à pectoribus omnium tuum adorabile nomen profitentium, spiritus impios, luxus, auaricíæ, ambitionis, libidinis, uindictæ discordiæq; magistros, & ut propheticis uerbis utamur: Cor mundum deus & rex noster crea in nobis, & spiritum sanctum innoua in uisceribus nostris, spiritum sanctum tuum ne auferas à nobis. Redde nobis lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma sponsam tuam, ac sponsæ tuæ pastores. Per hunc spiritum terrena cœlestibus conciliasti, per hunc tot linguas tot nationes, tot hominum tã uarias formas in unũ ecclesiæ corpus compegisti, quod tibi capiti suo per eundem spiritum cohæret. Eum si dignaberis in omnium cordibus innouare, cessabunt & illę calamitates externæ: aut si minus cessabunt, certe te diligentibus cedent in lucrũ pietatis. Digere hoc chaos domine Iesu, expãdat se spiritus tuus super has aquas male fluctuantiũ dogmatũ. Et quoniã spiritus tuus qui iuxta prophetæ sermonẽ cõtinet omnia, scientiã habet etiam uocis, fac ut quemadmodum cũctis in tua domo uersantibus, una lex est, unũ baptisma, unus deus, una spes, unus spiritus: ita sit & uox una catholicam ueritatem profitentium. Ascendens in cœlum triumphantium more sparsisti ex alto preciosa missilia, dedisti dona in hominib. dilargitus es uaria spiritus tui munera. Rursum ex alto renoua ueterem munificentiam tuam, da ecclesiæ tuæ labescenti, quod dedisti nascenti. Da principibus timorem tui, ut sic rempub. administrent, tanquam breui tibi regum regi rationem de singulis reddituri: da throno tuo semper assistentem sapientiam, ut quid sit optimum factu perspiciant animo, factisq; persequantur. Da pastoribus, quibus tuas uices delegare dignatus es, prophetiæ donum, ut arcanas scripturas nõ ex humano sensu, sed ex tuo afflatu interpretentur. Da charitatem triplicem, quam à Petro stipulatus es, ouium curam illi demandaturus. Da sacerdotibus tuis sobrietatis & castitatis amorẽ. Da populo tuo bonam uoluntatem obtemperandi præceptis tuis, ac promptitudinem obsequendi ijs, per quos iuxta tuum animũ uoluisti res humanas administrari. Ita fiet, ut si principes tuo munere, te digna imperent, si pastores te digna doceant: populus bene imperantibus ac pia docentibus obtemperet, ecclesiæ simul cum ordine redeat pristina tum dignitas tũ tranquillitas, ad tui nominis gloriam. Niniuitis internecioni destinatis, simul ut ad pœnitentiam conuersi sunt, pepercisti: & sponsam tuam pedibus tuis aduolutam aspernaberis? quæ pro sacco habet suspiria, pro cinere lachrymas. Pollicitus es ueniam ad te conuersis: sed hoc ipsum tui muneris est, ut quis ad te toto pectore conuertatur, ut omnia bona nostra redundent in tuam gloriam. Conditor es, instaura plasma tuum. Redemptor es, serua mercem tuã. Seruator es, ne sinas eos interire, qui toti pendent ex te. Dominus es, asserre possessionem tuam. Caput es, subueni membris tuis. Rex es, da legum tuarũ reuerentiam. Princeps es pacis, inspira nobis charitatẽ mutuam. Deus es, miserere supplicum, esto, iuxta Pauli dictum, omnia in omnibus, ut uniuersus ecclesiæ tuæ chorus concordibus animis & consonantibus uocibus pro impetrata misericordia gratias agat patri & filio & spiritui sancto, qui ad absolutum concordiæ exemplum, personarum proprietate distincti estis, natura unum, quibus laus & gloria in æternum, Amen.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS IODOCO SIVE IVSTO Ludouico Vuissenburgensi, serenis. Poloniæ regis à secretis, & oratori S. D.

NON abs re multis iã seculis Mimo illi applauditur, uir absolutissime: Rogando cogit, qui rogat potentior: Verum is haud scio, an in quenquã magis competat quam in te, qui tam eruditæ epistolæ, munus tam elegans addideris, idq; sic è longinquo missum, ut recusare non liceret, nisi uoluissem abijcere. Quid autem non dicam à me, qui sum plus satis expugnabilis, sed à quantumuis etiam difficili, non extorqueat talis epistola, tot machinis ad expugnandum animum instructa, blanditijs petax, argumẽtis urgens, eruditione perstringens, eloquentia rapiens; sed nulla re uiolentior

lentior, quàm mira quadam & amabili modestia, quæ tantum apud me ualet, ut non solum hanc rem & facilem & piam, uerum etiã aliquid iniquius impetrare potuerit. Mox igitur ut tuæ mihi redditæ sunt literæ, redditæ sunt autem serius, hoc est, sub Calend. Septembres, arrepto calamo præstiti quod uolebas. Erit hoc qualecũq; & nostræ amicitię, & meæ erga Polonicam, aut si prisco uocabulo magis caperis, Sarmaticam gẽtem, benevolentiæ felix auspicium. Genti gratulor, quæ quum olim ob barbariem male audierit, nunc & literis, & legibus, & moribus, & religione, & si quid aliud est, quod à barbariei probro uindicet, sic floreat, ut cum præcipuis ac laudatissimis nationibus certare possit. Quanquam & olim quum inter feros ac barbaros censerẽtur Sarmatæ, tamen à morum censore Iuuenale, integritatis nomine prælati sunt cultissimis Athenienſibus, neq; Sarmata, inquit, nec Thrax, qui sumpsit pennas, mediis sed natus Athenis. Ne commemorem interim ditionis amplitudinem, Russos etiam albos, & Lituanos complectentis, quibus omnibus latissime imperat à Vistula flumine ad Tauricã Chersonesum, à mari Balthico ad Carpathum montem Sigismũdus rex, quum omnibus magno dignis principe dotibus excellens, tum multis ac magnis ex hoste Tartaro Moschoq; relatis uictoriis clarus, quibus haud scio an ullæ magis fuerint necessariæ tuendis Christianæ ditionis limitibus. Verum hæc aliás fortasse tempestiuius dicentur. Nunc accipe precationem dominicam, in septem partes digestam, ut & tu iubebas & ab alijs factitatum uideo: quanquam mihi duæ postremæ: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: nihilo recẽtius uidentur distractæ, quàm si quis ex proxima: Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: duas facere uelit. Quod si tuæ pietati parum erit septem diebus totam absoluere, potes, quod etiam à maioribus uideo factum, singulos dies in septẽ precandi tẽpora partiri. Bene uale, Basileæ IX Cal. Nouẽb. M D XXIII.

PRECATIO DOMINICA DIGESTA IN SEPTEM PARTEIS, IVXTA SEPTEM DIES, PER Des. Erasmum Roterodamum.

PATER

AVDI pater in cœlis habitans uota filiorum tuorum, corpore quidem hoc mortali adhuc in terris hærentium, cæterum animis ad cœlestẽ patriam ac domum paternam anhelantium, ubi intelligũt sibi repositum thesaurum æternæ felicitatis, hæreditatem uitæ immortalis. Agnoscimus tuam sublimitatem, conditor, seruator ac moderator omnium quę in cœlis sunt, & quæ in terris: agnoscimus nostram humilitatẽ. Nec auderemus te patris uocabulo compellare, indigni qui serui dicamur tui: nec honorificentissimum nomẽ filiorũ nobis uindicare, quo nec angelos tuos dignatus es, nisi tua gratuita bonitas nos in huius nominis honorem adoptasset. Eramus serui peccati, infeliciter geniti ex Adam: eramus filij Satanæ, cuius spiritu ad omne flagitiorum genus agebamur. Sed tu nostri misertus per unigenitũ filium tuũ Iesum exemisti nos à seruitute peccati: emancipasti à patre diabolo, uindicasti ab æterni ignis hęreditate: ac per fidẽ & baptismũ in filij tui corpus insitos, adoptare dignatus es, & in nominis & in hęreditatis consortiũ. Ac ne quid diffideremus tuæ erga nos pietati, ueluti pignus quoddam tuæ erga nos charitatis, cœlitus immisisti in animos nostros spiritum filij tui, qui propulsato timore serili non ueretur in cordibus nostris assidue clamare: Abba pater. Docuit & hoc nos filius tuus, per quem nobis largiris omnia, ut iam tuo spiritu renati, posteaquam in baptismo renunciauimus patri diabolo, posteaquam desijmus habere patrẽ in terris, solum patrem cœlestem agnosceremus, cuius potentia conditi sumus, quũ nihil essemus: cuius bonitate restituti sumus, quum perissemus: cuius sapientia gubernamur & conseruamur, ne reuoluamur in exitium. Addidit ille tui compellandi fiduciam: præscripsit precãdi formulam. Agnosce filij tui precationem, agnosce filij tui spiritum, te pro nobis per nos interpellantem. Non dedignaberis ab his appellari pater, quos filius tuus, tui simillimus, dignatus est appellare fratres. Non est quur nobis placeamus, sed est quur tuã filijq; tui benignitatem glorificemus, quum nihil hic sibi uindicare possint nostra merita, sed totum hoc tuæ gratuitæ sit liberalitatis. Placuerunt tibi magis charitatis & pietatis uocabula,

quàm timoris: pater audire mauis, quàm dominus. Redamari præoptas à filijs, quàm à seruis timeri. Amasti prior, & hoc ipsum tui muneris est, quod te redamamus. Audi pater spirituum, filios tuos spirituales, te in spiritu adorantes, Talibus enim adoratoribus delectari te, docuit nos filius tuus, in hoc abs te missus in mundum, ut doceres nos omnem ueritatem. Audi uota concordiæ. Non enim conuenit, ut fratres, quos tua bonitas æquauit in honore gratuito, ambitione, cõtentione, odio, liuore inter sese dissideant. Omnes ex eodem patre pẽdemus, omnes eadem petimus. Nec sibi quisq; peculiariter rogat aliquid, sed uelut unius corporis membra, eodem animata spiritu, quod in commune omnibus expediat, postulamus. Nec enim auderemus aliud abs te petere, quàm quod iussit filius tuus: nec auderemus aliter petere, quàm ille præscripsit. Sic enim petentibus promisit filius tuus fore, ut quicquid peteremus in ipsius nomine, impetraremus. Quoniam autem quum dominus noster Iesus filius tuus ageret in terris, nihil ardentioribus uotis exoptauit, quàm ut nomen sanctum tuum non solum in Iudæa, sed per uniuersas orbis nationes inclaresceret: nos quoq; huius & hortatu & exemplo flagrantibus desiderijs optamus, ut adorandi nominis tui gloria cœlum ac terram impleat, ut omnis creatura tremat tuam ineuitabilem potentiam, ueneretur æternam tuam sapientiam, amet ineffabilem bonitatem. Tua quidem gloria ut immensa, ita nec initium habẽs, nec finem habitura, semper florens in sese, neq; crescere potest, neq; decrescere, sed humani generis refert, ut illa cũctis innotescat. Nobis enim uita æterna est, nouisse te solum uerum deum, & quem misisti, Iesum Christum. Tui nominis splendor obscuret & extinguat in nobis omnem humanam gloriam. Ne quisquam sit, qui sibi uel minimam aliquam gloriæ portionem ausit usurpare. Nam gloria quæ est extra te, uera est ignominia. Efficit hoc pietas naturæ in filijs iuxta carnem progenitis, ut ingenti affectu desiderent honestã famam parentum suorum. Videmus quàm gestiant gaudio, quàm exultent, quàm sibi placeant, si contingat aliquis egregius honos his unde prognati sunt: puta si triumphus, si statua in foro cum honorifica inscriptione, si principatus. Parentis enim gloriam pro sua ducunt. Rursum quàm mœrent, quàm deijciuntur animo, si quid ignominiæ contingat inuri nomini paterno. Adeo penitus inseuit hoc animis hominum naturæ affectus, ut parentes in filijs, & filij glorientur in parentibus. At nos, quo uehementior est pietas diuina, & affectus humanus, hoc ardentius sitimus tui nominis gloriam, ac discruciamur unice, si, cui soli debetur omnis gloria, ignominia afficiatur. Non quod ullo probro possit inquinari tuæ gloriæ splendor, sed quod ad nos attinet, quodammodo fit iniuria tuo nomini, quum gentes uel ignorato uel contempto rerum omnium conditore, uenerantur & adorant contemptissimas etiã creaturas, ueluti saxeas aut ligneas, aut coloribus fucatas imagines, boues, arietes, simias, porrum, cepe, & in his omnibus impuros dæmones. His ueluti dijs canuntur hymni, immolantur uictimæ, incenduntur thura. Hæc uidentes filij tui, discruciamur duplici nomine: & quod tu fraudaris debita gloria, & quod illi miseri pereunt sua dementia. Quin & Iudæi non desinunt in synagogis suis filium tuũ unicum abominandis probris afficere. Quicquid autem probri confertur in filium tuũ unicum Iesum, qui splendor est tuæ gloriæ, in te confertur. Nobis probri loco impingunt gloriosum cognomen filij tui, ignominiosius ducentes, appellari Christianum quàm furẽ aut homicidam: nobis exprobrant crucem filij tui, quæ nostra est gloria. Nos hoc tuæ debemus misericordiæ, quod te salutis omnis autorẽ agnoscimus, quod tibi æqualem filium tuum adoramus, quod utriusque spiritum hausimus. Misereatur & istorum tua clementia pater cœlestis, ut gentes relicto simulacrorum cultu, te solum uenerentur: Iudæi relicta superstitione legis, spiritu tuo docti, si agnoscunt deum, ex quo omnia: agnoscant & dei filium, per quem omnia: agnoscant & spiritum sanctum, diuinæ naturæ consortem: in tribus personis adorent eandem maiestatem, & in simplici essentia agnoscãt triplicem personarum proprietatem: ut omnis natio, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas ubiq; consentiat in gloriam & laudem tui sanctissimi nominis. Vtinam autem & nos, qui filij tui uocamur, apud hos qui te ignorant, non simus dehonestamẽto tuæ gloriæ. Quemadmodum enim gloria patris est filius sapiens, ita filij degeneres ignominiam conciliant parentibus suis. Non est autem germanus filius, qui pro sua uirili nõ imitatur ingenium ac mores patris sui. Filius tuus Iesus germanissimus est filius; quia perfectissima est imago patris

go patris,quem totum refert ac repræsentat.Nos qui adoptione,non natura filij sumus, conformantes nos ad exemplum filij tui, pro uiribus accedere conamur ad aliquam tui similitudinem:ut quemadmodum perfectissime glorificatus es in filio tuo,ita pro modulo nostræ imbecillitatis glorificeris & in nobis.Glorificaris autem, si mundus conspiciat nos iuxta filij tui doctrinam uiuentes,te super omnia diligentes,si proximum perinde ut nosipsos diligimus,diligentes:si bene uolentes qui nobis uolunt male: benefacientes, qui nobis male faciunt.Hæc enim nos docuit filius tuus,prouocans ad imitationem patris cœlestis,qui solem suum iubet oriri super bonos ac malos.Quantum autem dedecus inuehunt gloriæ tuæ,qui quum Christiani uocentur,furantur,mœchantur,litigant,belli gerantur,ambiunt,ulciscuntur,fraudant,peierant per adorādum nomen tuum, nonnunquam & blasphemijs incessunt:uentrem habent pro deo:te contempto,Mammonæ seruiunt. Nam hominum uulgus deum ex ipsius cultoribus æstimat. Etenim quum uident tui nominis professores impie uiuentes,dicunt: Valeat ille deus,qui tales habet cultores: ualeat ille dominus,qui tales habet seruos:ualeat ille pater,qui tales habet filios:ualeat ille rex,qui talem habet populum.Eoq; filius tuus nos docuit,ut quemadmodū ipse & uiuens & moriens glorificauit nomen tuum,ita nos quoq; pro nostro modulo castis & inculpatis moribus gloriam tui nominis illustremus: Luceat,inquit, lux uestra coram hominibus ut uideant opera uestra bona,& glorificent patrem uestrum,qui in cœlis est.In nobis ó pater cœlestis nihil est lucis,nisi fuerit abs te profectum,qui perēnis es fons omnis luminis:nec ex nobis quicquam proficisci potest bonorum operum. Ita tua bonitas in nobis operetur,tua lux in nobis luceat, quēadmodum lucet in rebus omnibus abs te conditis,æterna tua potentia,inscrutabilis sapientia,inęstimabilis benignitas,quam præcipue tamen erga genus humanum declarare uoluisti.Itaque quocunque uertimus oculos,omnia canunt nominis tui gloriam.Aetherei spiritus die noctuq; regem suum laudibus celebrant.Iam hæc tam admiranda cœlorū fabrica quam suspicimus, elementorum discors concordia,stati maris accessus ac decessus,fontiū scatebræ,perennes amnium cursus,tot rerum,tot arborum,herbarum & animantium species ,ac singulis quibusque sua quædam uis insita,ut magnes ferrum attrahat,herbæ morbis præsens remediū adferant: Hæc,inquam,omnia quid aliud nobis loquuntur, q̄ nominis tui gloriā:te solum esse uerum deum,solum æternum,solum immortalem,solum potentem,solū sapientem, solum bonum,solum misericordem,solum iustum,solum ueracem,solum admirabilem, solum amabilem,solum adorandum.Iniuriam facit tuo glorioso nomini pater, qui ex his titulis, qui tibi soli debentur, quicquam sibi decerpit.Nam si quid harum uirtutum in nobis est, id omne abs tua proficiscitur munificentia. Da igitur pater, ut undiquaque glorificetur nomen tuum, Reluceat & in moribus nostris, nō minus quàm in angelis cęterisq; rebus abs te conditis,tui nominis gloria:ut quemadmodum qui mundum hūc contemplantur, ex admirabili opificio colligunt opificis magnitudinem: ita qui te non norunt,exemplo nostro commoti,& suam agnoscant turpitudinem,& tuam admirētur benignitatem, & hac ratione conuersi, simul nobiscum glorificent sanctissimum nomen tuum, ac filij tui Iesu,& ab utroq; proficiscentis spiritus sancti,quibus ex æquo debetur omnis gloria per omnia secula,Amen.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

PAter cœlestis,autor,conditor,conseruator,instaurator,& gubernator omniū quęq; in cœlis sunt, quæq; in terris: à quo uno manat omnis autoritas ,potestas,regnum, imperium,& cōditis & non conditis,uisibilibus pariter & inuisibilibus:cui cœlum thronus est, cui terra scabellum pedum , cui sceptrum æterna atque immobilis uoluntas, cui nulla potentia potest resistere: olim per prophetas tuo spiritu afflatos pollicitus es tuis ad salutem humani generis regnum quoddam spirituale , quod in te renatos assereret in libertatem , exemptos à tyrannide diaboli , qui iam pridem regnabat in hoc mundo peccatis obnoxio : & ad hoc regnum asserendum filium tuum unigenitum è cœlis in terras mittere dignatus es , qui nos morte sua redemptos , è seruis diaboli, redderet filios dei. Nam & Euangelicam doctrinam suam , dum in terris esset, solitus est appellare regnum cœlorum , & regnum dei , quod occultum & inter nos abditum esse docuit : optant & illud tui filij uotisque ardentibus flagitant , ut hoc regnum quod dominus noster Iesus

cœpit tibi uindicare, indies magis ac magis sese proferat: & quotidie latius propagetur in terris, donec illud tibi plenum & integrum tradat idem filius tuus, subiectis omnibus quos æterna tua uoluntas huic regno destinarat: sublataq; iã omni rebellione spirituum ac malarum cupiditatum, quæ nunc quoque militant aduersus maiestatem tuam, tuæq; reipublicæ tranquillitatem infestant, undiq; pacatum ac tranquillum sit regnum tuum. Adhuc enim mundus hic omnibus machinis oppugnat filios tuos, mortali corpore onustos, adhuc humanæ cupiditates, ueteriscq; peccati reliquiæ rebellionem moliuntur aduersus spiritum: adhuc noxij spiritus, quos tu è ciuitate tua cœlesti deturbasti, è sublimi aere telis igneis impetunt, quos tu gratuita tua bonitate ex huius mundi regno selectos, cooptasti in regnum tuum filij tui cohæredes. Da pater omnipotens, ut quos tua pietas semel à peccati tyrannide liberatos, tuoq; regno adscriptos esse uoluit, eiusdem tuæ pietatis beneficio persistant in libertate sua: neq; quisquam abs te filioq; tuo deficiens reuoluatur in diaboli tyrannidem. Ita fiet, ut & nos feliciter per filium tuum regnemus in te, & tu ad nominis tui gloriam regnes in nobis. Tua enim gloria, nostra erit felicitas: et nostra felicitas, tua erit benignitas. Docuit nos filius tuus Iesus huius mundi regnum contemnere, quod opibus, quod satellitio, quod copijs & armis constat, quod fastu uiolentiaq; geritur, quod crudelitate & paratur & defenditur. Nam ille spiritu cœlesti uicit impiũ spiritum huius mundi principem, innocentia superauit peccatum, mansuetudine uicit ferociam, per summam ignominiam recuperauit æternam gloriam, per mortem restituit uitam, per crucem de spiritibus impijs egit triumphum. Sic mirabiliter bellasti, sic uicisti, sic triumphas ac regnas pater in filio tuo Iesu, per quem nos in huius regni consortium allegisti. Sic regnas ac triumphas in sanctis martyribus tuis, in castis uirginibus tuis, in incorruptis confessoribus tuis. Nec enim illi suis uiribus aut præsidijs uicerunt tyrannorum sæuitiam, aut carnis lasciuiam, aut huius mundi militiam: sed tuus spiritus, quem illis impertire dignatus es, ad tui nominis gloriam, & ad humani generis salutem hæc omnia cœpit, prouexit, ac perfecit. Optamus ut in nobis quoq; semper efflorescat regnum tuum, qui tametsi non ædimus miracula, quoniam tempus aut res non exigit, si nõ includimur, excruciamur, secamur, urimur, suffigimur in crucem, demergimur in mare, aut decollamur: tamen illustrabitur & in nobis uis ac splendor tui regni, si mundus conspexerit nos tui spiritus præsidijs inuictos aduersus omnes insultus Satanæ, aduersus carnem ad ea quæ sunt inimica spiritui solicitantem, aduersus mundum omni machinarum genere prouocantem, ut deficiamus à fiducia, quam semel in te fiximus. Quoties amore tui spreto huius mundi regno, sequimur promissa regni cœlestis: quoties reiecto mammona, unicum illud margaritum Euangelicum amplectimur: quoties repudiatis omnibus, quæ iuxta carnem ad tempus dulcia uidentur, æternæ felicitatis spe, omnia quamuis dura, fortiter perpetimur: quoties uehementissimos naturæ affectus, & ea quæ nobis sunt charissima, ueluti parentes, liberos, uxorẽ, cognatos amore tui negligimus: quoties comprimentes æstus iracundiæ, pro conuicio sermonem amicum, pro maleficio beneficium tui respectu rependimus: toties debellas in nobis regnum Satanæ, ac tui regni potentiam aperis. Sic uisum est pater tuæ sapientiæ, ut hac graui perpetuáque colluctatione uirtutem tuorum & exerceres & confirmares. Auge uires filijs tuis, ut semper è prælio discedant firmiores, ac paulatim imminutis aduersariorũ opibus, tu indies magis ac magis regnes in nobis. Sed nondum tuo iugo pater optime totus mundus ceruicem submisit. Multas nationes adhuc occupat tyrannus ille Satanas. Nondum est unum ouile, & unus pastor, quod futurum expectamus, Iudæis etiam in regnum Euãgelicum sese aggregantibus: multis adhuc ignotum est, quanta libertas sit, quanta dignitas sit, quanta felicitas, tuo cœlesti regno subijci: & ideo malunt esse mancipia diaboli, quàm filij tui, cohæredes Iesu, consortes regni cœlestis. Et inter hos quoq; qui nũc intra ecclesiæ tuæ mœnia uersantur, tuiq; regni insigne præ se ferunt, heu non parum multi sunt, qui conspirãt cum aduersario: regnicq; tui gloriam, quod in ipsis est, dedecorant, ac robur labefactant. Optamus igitur unice tempus illud, quod tibi soli notum esse uoluisti, quo iuxta filij tui promissum, missi Angeli tui purgabunt areã ecclesiæ tuæ, ac sublatis zizanijs purũ triticum colligent in horreum, ac de regno tuo tollent omnia scandala, quum iam nec erit fames, nec paupertas, nec nuditas, nec morbus, nec mors, nec persequutor, nec ullũ omnino malum

lum, aut mali metus, sed totum corpus unigeniti tui simul agglomeratum capiti suo, regni cœlestis felicissimo consortio perfruetur. Qui uero interim diabolo tyranno seruire maluerint, cum suo domino supplicijs æternis addicentur. Nimirũ hoc est regnũ Israel, quod Iesu Christo filio tuo relicturo terras, & ad te redituro discipuli mature restitui postulabant. Reddidisti cœlum ab omni rebellione tranquillum eiecto Lucifero cum sua factione. Sic olim resuscitatis in uitam corporibus hominum, separabis oues ab hædis: & qui regnum Euangelicum hic pro sua uirili sunt amplexi, ad æterni regni possessionem inuitabuntur, quod illis destinarat tua bonitas ante conditum mundum. Hunc diem à filio tuo Iesu promissum, optamus pater in cœlis habitans ac regnans, filij tui in terris, hoc est exilio habitantes, grauati hoc domicilio terreni corporis, & ingemiscentes, quod interim obnoxij multis incommodis distrahimur à tuo cõsortio: unde nobis tum denique perfecta felicitas proficiscetur, quum aperta iam facie uidebimus regem ac patrem nostrum in decore gloriæ suæ. Hanc fiduciam non nobis præbent nostra merita, quæ scimus esse nulla: sed tua benignitas, quæ filium totum nobis impendit, quæ spiritum cœlestem uelut arabonem huius hæreditatis impartit. Quod si dederis, ut constanter perseueremus in filio tuo Iesu, non poteris nos à regni tui consortio seiungere, cui cũ eodem filio & spiritu sancto debetur omnis honor, decus, & gloria in æterna secula, Amen.

FIAT VOLVNTAS TVA

PAter altor ac moderator omnium, quos tuus filius agnoscit fratres: agnoscit autem quicunque syncera fide nomen ipsius in baptismo professi sunt: clamãt è terris filij tui ad te cœlos inhabitantem, & ab omni rerum conditarum mutabilitate procul semotum: optantes quidem uenire in consortium regni tui cœlestis, quod nullo malorum admixtu uiciatum erit: sed intelligunt ad eam tranquillitatem non recipiendos, nisi qui hic interim pijs studijs meditantur esse, quod illic futuri sunt. Idem enim regnum est, eadem ciuitas cœlestium ac terrestrium, nisi quod hic interim colluctatio grauis est cum carne, cum mundo, cum satana. Et isthic tametsi non est quod cruciet, aut contaminet felicitatem beatorum spirituum, est tamen quod ad consummationem felicitatis desideretur: nimirum ut omnia filij tui membra colligantur in unum, totumque corpus purum & integrum suo iungatur capiti. Itaque fiet, ut neque Christus ullum suorum membrorum desideret, nec animæ piorum desiderent sua corpora, quæ ut in terris habuerant consortia afflictionum, ita cupiunt in cœlis à gaudiorum consortio non separari. Porrò regni cœlestis concordiam hic in terris meditantur, qui quãdiu uersantur in mortali corpore, uelut germani & obedientes filij, student ea facere, quæ tua dictat uoluntas, non ad quæ solicitat cupiditas: non dijudicantes quare tu hoc aut illud uolueris, sed satis habẽtes quod ita sit tua uoluntas, quem sibi persuasum habent nihil uelle, nisi quod est optimum. Quæ sit autem uoluntas tua, ex unigenito filio tuo didicimus. Ille uoluntati tuæ fuit obediens usque ad mortem, & hanc uocem nobis deprompsit, Pater, si fieri potest, transfer à me pocu lum hoc: ueruntamen fiat quod tu uis, non quod ego: ut iam pudeat quemuis hominem suam uoluntatem præferre tuæ. Habet caro uoluntatem suam, quam tenere deamat homo, habet mundus uoluntatem suam, habet satanas uoluntatem suam à tua multum diuersam, Caro enim concupiscit aduersus spiritum, quem nobis impertisti: & mundus solicitat ad amorem rerum fluxarum: & satanas uult ea, quæ pertrahunt homines in æternum exitium. Nec satis est, in baptismo nos esse professos, fore dicto audiẽtes tuis iussis, ac renunciasse imperio satanæ, nisi per omnem uitam constanter id præstemus, quod fumus professi. Sed hoc præstare non possumus, nisi tu uires addideris conantibus, ut iam non nostra uoluntas, sed tua pater in nobis operetur, quod tua sapientia iudicauit esse optimum. Qui carni uiuunt, tibi mortui sunt, & iam filij tui non sunt. Quin & filijs tuis quandiu corpus hoc terrenum circunferimus, subinde negociũ facessit carnis uoluntas, tuæ præire gestiens. Da ut semper tua uincat uoluntas, siue mori nos uis, siue uiuere: siue affligi ut corrigamur, siue subleuari ut tuæ benignitati gratias agamus. Satanæ uoluntatem sequuntur, qui sacrificant idolis, qui conuitijs incessunt adorandum filium tuum Iesum, qui diffidunt illius promissis, qui rebellionẽ parãt Euãgelio, qui per inuidiã exitium moliuntur proximo, qui per fas per nefas in hoc mundo properant ditescere, qui fœdis uoluptatib. inquinantur. At tua uoluntas est, & corpus & animum habere purum & ca-

stum

ſtum ab omnibus inquinamentis huius ſeculi: tuum, filiiq; tui honorem anteponere cæteris omnibus: nemini iraſci, nemini inuidere, neminẽ ulciſci, ſed pro malefactis reprendere beneficium: deniq; famem, exilium, carcerem, cruciatus, mortem perpeti citius, q̃ à tua ſancta uoluntate diſcedere. Hoc ut indies magis ac magis præſtare ualeamus, adiua pater cœleſtis, ut indies caro minus reluctetur ſpiritui noſtro, ut ſpiritus noſter magis ac magis unanimis fiat ſpiritui tuo. Et quemadmodum nunc multis in locis parent uoluntati tuæ, qui obediunt Euangelio filij tui: ita idem fiat per uniuerſum terrarum orbem, ut omnes intelligant, te ſolum eſſe rerum omnium monarcham, tuiſq; diuinis legibus uolentes ac lubentes obediant in terris, quemadmodum in cœlis nullus eſt qui tuæ uoluntati repugnet. Nec poſſumus efficaciter uelle quod tu uis, niſi tua diuina uoluntas nos attraxerit. Iubes ut tuæ morem geramus uoluntati: neq; enim filiorum nomen promerebimur, niſi paternis iuſſis per omnia fuerimus obſequẽtes. Sed tua pietas, quæ nos nihil promeritos ad hoc honoris adoptare dignata eſt, eadẽ dignabitur & promptam & conſtantem largiri uoluntatem, ne qua in re diuinæ uoluntatis tuæ præſcriptum prætergrediamur, ſed mortificata carne noſtra tuo ſpiritu agamur ad omnia quæ pia ſunt, grataq; oculis tuis: ut & tu pater agnoſcas filios non degeneres, & filius tuus agnoſcat fratres germanos: hoc eſt, uterq; ſuum in nobis agnoſcat beneficium, quibus eſt communis cum ſpiritu ſancto gloria in æterna ſecula, Amen.

PANEM NOSTRVM

PAter noſter cœleſtis, qui tua ineffabili benignitate largiter paſcis omnia, quæ mirabiliter condidiſti, proſpice & nobis tuis filijs in cœleſtem familiam ſelectis, & ex te pendentibus, ſpiritualem ac cœleſtem alimoniam, ut tuæ uoluntati ſeruientes, adoleſcamus & grãdeſcamus quotidianis uirtutum auctibus, donec iuxta naturæ noſtræ modulum perueniamus ad perfectum robur plenitudinis, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Filij huius mundi quamdiu non ſunt abdicati, ſed parentibus utuntur propitijs, non ſunt ſolicíti de uictu, nimirum proſpiciente ipſis benignitate paterna. Nos autem multo minus ſolicitos eſſe conuenit, quos Ieſus filius tuus docuit abijcere omnem ſolicitudinẽ craſtini: confirmans patrem tam opulentum, tam benignum, tam amantem, cui tantopere curæ ſumus, non cõmiſſurum, ut quum paſſerculis etiam uagis de uictu proſpiciat, quum lilia pratenſia tanto decore ueſtiat, nobis ad filiorũ honorem cooptatis ueſtis deſit aut cibus corporis. Sed illa potius omnibus neglectis quærenda, quę pertinent ad regnum tuum, eiusq; iuſtitiam. Neq; enim tibi placet iuſtitia Phariſæorum, quæ carnalis eſt, quum tui regni iuſtitia ſpiritualis ſyncera fide cõſtet, & charitate non ficta. Non magnum eſt tuæ largitati, corpuſculum hoc pane frumentitio paſcere, quod etiamſi non pereat fame, tamen morbo, ſenio, alioue caſu breui ſit periturum: ſed filij ſpiritales à patre ſpirituũ ſpiritualem illum ac cœleſtem panem flagitamus, per quem uere uiuimus omnes, qui filij tui uere nominamur. Is eſt ſermo tuus omnipotens uitæ largitor & altor, quem nobis de cœlo mittere dignatus es fame pereuntibus. Non enim explebat animum noſtrum panis philoſophorum aut Phariſæorum: ſed panis ille tuus, quem nobis miſiſti, uitam reddidit mortuis: de quo quiſquis ederit, non morietur in æternum. Per hunc panem reuiximus, per hunc alimur ac ſaginamur, & adoleſcimus ad perfectum robur ſpiritus. Hic nobis quotidie traijciendus in animæ uiſcera: nec ſalutaris eſt, niſi tu pater quotidie dederis. Corpus unigeniti tui panis eſt, cuius participes ſunt omnes, qui uerſantur in magna domo tua, quæ eſt eccleſia. Vnus panis eſt omnium cõmunis, quemadmodũ & nos unum corpus ſumus, cõſtans ex membris diuerſis, ſed eodem ſpiritu uegetatis. Verum hic quanq; ab omnibus ſumitur, multis tamen adfert mortem. Non enim adfert uitam, niſi tu dederis quotidie, addens tuæ gratiæ cœleſtis condimentũ, ut ſumentibus ſit ſalubris. Veritas eſt filius tuus, & ueritas euangelica panis eſt, quem nobis reliquit in alimoniam ſpiritualẽ. Et hic panis multis amarus eſt, qui animi palatũ febri malarũ cupiditatũ habẽt infectum. Quòd ſi tu pater eum porrexeris, ſuauis erit, reficiet afflictos, eriget collapſos, robur addet infirmis, eriget puſillos, deniq; & uitã conferet æternam. Quoniam autem infirmitas humanæ naturæ ſemper in deterius prolabitur: quoniam animus quotidie multis impetitur arietibus: quotidie tuo pane filios cõfirmes oportet, impares alioqui futuros tot tam ualidis hoſtibus, tot aſſultibus, tot terriculamentis. Quis enim ferat

eſſe

esse mundi ludibrium, relegari, protrudi in carcerem, uinciri, damnari, torqueri, exui facultatib. spoliari uxore charissima ac dulcissimis liberis: denicq; crudeli morte perimi, nisi fuerit tuo cœlesti pane subinde cõfirmatus? Qui docet Euãge licũ sermonẽ, porrigit nobis hunc panem: sed frustra porrigit, nisi tu dederis. Complures sumunt corpus filij, complures audiunt sermonem Euangelicum, sed nihilo uegetiores discedunt, quàm uenerant, propterea quod non promerentur ut tu pater illis porrigas inuisibiliter. Hunc igitur panẽ benignissime pater imparti filijs tuis quotidie, donec eo uesci continget in mensa tua cœlesti, quæ regni filios feliciter explebit perenni copia ueritatis æternæ, qua perfrui perfecta felicitas est, nesciens desiderium alterius rei, siue quę in cœlis est, siue quæ in terris. In te enim uno sunt omnia, & extra te nihil est quod sit expetendum, qui cum filio tuo Iesu, cumq; spiritu sancto uiuis & regnas in omnia secula, Amen.

ET REMITTE NOBIS.

EST quidem illud tuæ uoluntatis pater cœlestis, autor pacis, & amator concordiæ, ut filij tui quos tua bonitas tot unanimitatis uinculis copulauit, quos eodem animas spiritu, eodem baptismo purgas, in eadem domo quæ est ecclesia socias, communibus ecclesiæ sacramentis foues, ad eandem hæreditatem regni cœlestis ex æquo uocasti, quo sint firmiores, in tua familia uiuant unanimes: neque quicquam dissidij sit inter eiusdem corporis membra, sed mutua charitate copulentur: tamen quoniam adhuc mortale corpus circumferunt, fieri uix potest, quin per imbecillitatem naturæ quædam incidant offensæ, quæ fraternæ concordiæ serenitatem, si non extinguant, certe obnubilent, extincturæ tandem ni tua clementia quotidie condonet quotidie peccãtibus. Quoties autem fratres nostros offendimus, offendimus & te pater, qui iussisti, ut proximũ nostrum non secus diligamus quàm nosipsos. Sed filius tuus non ignorans imbecillitatem membrorum suorum, & huic malo commonstrauit remedium, in certam spem uocans nos, fore ut tua clementia remittat nobis peccata nostra, si nos uicissim ex animo cõdonauerimus quod frater peccauit in nos. Est autem æquissima impetrandæ ueniæ conditio, quã præscripsit filius tuus Iesus. Etenim qua tandem fronte deprecatur uindictam patris, qui leuem offensam in fratre suo parat ulcisci? Quo tandem ore tibi dicit: remitte iram, quum ipse perseueret irasci proximo? Qua fiducia se iactat membrum filij tui, qui quum immunis esset ab omni delicto, te pro parricidis in cruce deprecatus est ut ignosceres, qui ipse peccatis obnoxius non uult ignoscere fratri, in quem & ipse subinde peccat: ut hic sit potius mutua ueniæ permutatio quam ignoscentia? Ingratum est oculis tuis sacrificium, quod offert iræ memor, & concordiæ sarciendæ negligens. Ita nos docuit filius tuus, etiam ad altare relicto munere properandum ad fraternæ pacis reconciliationem. Et pater optime, sequimur quod tuus docuit filius, imitamur quod ille præstitit: si agnoscis à filio præscriptam conditionem (nec dubium est quin agnoscas) largire quæsumus cuius ille spem certam nobis præbuit. Sic ille nos iussit orare, neq; semel confirmauit nos exoraturos, quicquid abs te in ipsius nomine peteremus. Præbuit ille petendi fiduciã, tu per illum largire petentibus ueniam. Agnoscimus imbecillitatem nostram, & hinc intelligimus quò turpitudinis essemus prolapsuri, nisi tua custodia nos arceret à uitijs grauioribus. Et hanc ipsam infirmitatem tua pietas reliquit in nobis aduersus insolentiæ periculum remedium. Quotidie labimur, ut quotidie tuam glorificemus clementiam. Da pater ut possimus ex animo condonare fratribus nostris, ut concordes inter nos te semper habeamus propitium: & si quid offendimus, sicut offendimus frequenter in multis, emendet nos tua paterna correctio: modo ne abdices, modo ne exhæredes, modo ne conijcias in gehennam. Semel in baptismo condonasti peccata omnia, non erat isthuc satis tuæ erga nos pietati, quotidianis etiam filiorum tuorum delictis ostendisti certum ac paratum remedium: pro quo tuæ benignitati gratias agimus, qui per filium tuum ac spiritũ sanctũ tãtis beneficijs nos dignaris in gloriã sanctissimi tui nominis perennẽ, Amen.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

PAter noster cœlos inhabitans, quanquam nihil est quod te propitio uehementer extimescimus, & mutua charitas nos filios tuos firmiores reddit aduersus omnem malorum incursum, tamen considerantes humanæ naturæ imbecillitatem, & incerti quos tua bonitas dignos iudicet, ut ipsos in amore tui confirmet usque ad huius uitæ finem

finem, in qua quamdiu uersamur, mille modis solicitamur ad ruinam, non possumus esse securi. Tota hæc uita undique diaboli laqueis est plena. Nusquam cessat tentator ille, qui non ueritus est & filium tuum Iesum technis suis aggredi. Reputamus quot satanæ machinis impetitus sit seruus tuus Iob. Recordamur Saulem prius electum, post reiectum à conspectu tuo. Meminimus Dauid, qui dictus erat uir secundum cor tuum, eò turpitudinis pertractum, ut adulterium homicidio copularet. Videmus Solomonem, cui in principio regni dederas sapientiam ultra mortales omneis, eò dementiæ perductum, ut peregrinis simulacris immolaret. Venit in mentem, quid acciderit apostolorum tuorum principi, qui fortem usq; mortis societatem animum professus, terdo minum suum abiurauit. Hæc atq; huiusmodi multa cum cõsideramus, nõ possumus non horrescere tentationis periculum. Atq; in hoc metu nos tua paterna pietas esse perpetuò uoluit, ne dormitantes & oscitantes inciperemus nostris præsidijs fidere: sed iugiter aduersus tentatoris assultus, sobrietate, uigilãtia, precatione nos muniremus, ut nec hostem prouocaremus, memores imbecillitatis uirium nostrarum, & tamen aduersus ingruentem tentationis procellam infractis animis consistamus, tuo freti præsidio, sine quo nihil possumus. Pateris tu quidem nonnunquam incidere tentationes, uel ut explores spectamq; reddas tuorum tolerantiam, quemadmodum tentatus est Iob & Abraham: uel ut huiusmodi flagellis castiges & emẽdes delicta nostra: sed quoties id pateris, rogamus ut idem tentationis facias felicem exitum, ac uires impartias ponderi malorum irruentium pares. Ingens periculum est, quoties intentatur bonorum direptio, exilium, probra, carcer, uincula, diri cruciatus corporum, mortes horrendæ. Sed non minus discriminis est à prosperitate blandiente, quàm ab aduersis terrorem ingerentibus. Cadunt à dextris pariter ac sinistris innumeri. Alij metu pœnarum territi sacrificant dæmonijs, alij fracti malis, blasphemijs afficiunt adorandum nomen tuum. Rursus alij uenenato poculo felicitatis mundanæ inebriati, spretis tuis dotibus reuoluũtur in uolutationem cœni prioris: uelut Euangelicus ille filius, qui prodacta cum scortis omni paterna substantia, eò miseriæ perductus est, ut porcis etiam suas siliquas inuideret. Scimus aduersariũ nihil in nos posse, nisi tu permiseris. Proinde non recusamus obijci quibuscunq; periculis, modo tua clementia & aduersarij insultum, & nostras uires modereris. Sic enim fiet, ut etiam si quando fuerimus inferiores in congressu, tamen hoc tua sapientia uertat in bonum nostrum. Sic uicit filius tuus semper adorandus Satanam, sic carnem, sic mundum, ut quum maxime uideretur oppressus, triumpharet maxime. Ac nobis ille pugnauit, nobis uicit, nobis triumphauit. Vincamus & nos illius exemplo, tuo præsidio per spiritũ sanctum ab utroque prodeuntem in omnia secula, Amen.

SED LIBERA NOS A MALO.

PAter omnipotens, tua gratuita benignitas nos semel à peccatis expiatos, ab impurissimo patre diabolo liberauit per Iesum Christum filium tuum, & in honorem nominis ac hæreditatis adoptauit: sed ita, ut quandiu uersamur in terris, perpetua lucta sit cum hoste nihil non moliente ut nos quibus inuidet tuum beneficium, in suum ius retrahat. Horrescimus animo, quoties recordamur quàm fœdum patrẽ habuerimus, quum essemus mancipia peccati, quàm infelici hæreditati fuerimus destinati, quàm immiti seruierimus domino. Nec ignoramus illius obstinatam maliciam, non solũ uiribus, sed mille etiam artibus ac dolis instructam in nostram perniciem: nunquam dormit, nunquam cessat, sed semper obambulat, ueluti leo fame rugiens, captãs, quęritans, ac uenans quem deuoret. Nimirũ tui pater est dissimillimus. Tu enim natura bonus ac beneficus, ouem erraticam reportas ad ouile, morbidam sanas, extinctam ad uitã reuocas: inimicos etiam tuos blasphemos in sanctum nomen tuum, amore tuo præuenis, & ad salutem æternam inuitas. Ille odio insatiabili erga nos, à quibus nunquam læsus est, nihil aliud molitur, q; ut quamplurimos secum in exitium pertrahat. Insignis cuiusdam maliciæ est, gratis nullo; suo commodo uelle perdere, à quo quis non est iniuria lacessitus. At hic suo etiam malo imminet in malum eorum, quos tu in tutelam tuam seuocasti. Non tu illum talem cõdideras, sed eò maliciæ delapsus est, posteaquam sibi placens, tuæ maiestati subiectus esse noluit. Proinde stimulatus inuidia, primos nostri generis parentes ante circumuentos pellexit in mortem, inuidens illis paradisi uoluptates, quum ipse sese cœli gaudijs spoliasset

liasset. Nunc etiam acrioribus inuidiæ stimulis uritur, quod paradiso excluſos ſubuehis in cœlum: quod morti deſtinatos per fiduciam in Ieſum filium tuum ad beatam immortalitatẽ inuitas: quod ipſius etiã malicĩã uertis in cumulum tuæ glorię, noſtræ ſalutis. Proinde quanquam ille multis merito formidabilis eſt, tamẽ conſolatur nos tua bonitas, quę plus poteſt ad ſalutem, quàm uniuerſa illius malicia ad perniciem. Agnoſcimus noſtram imbecillitatẽ, ſed non expaueſcimus hoſtis incurſum, ſiue uiuimus, ſiue morimur, quandiu te merebimur habere protectorem. Non metuimus exitium ab illo malo, quãdiu continget adhærere bono. Hæc uota filiorum tuorum pater æterne, ſi pia ſunt, ſi iuxta formam à filio tuo Ieſu præſcriptam concepta, certa nos habet fiducia, tuam bonitatem præſtaturam quod petimus.

PAEAN VIRGINI MATRI DICENDVS, COMPOSITVS IN GRATIAM DOMINÆ Verienſis per Deſ. Eraſmum Rot.

VNicum cœli decus, certiſſimum terrę preſidium uirgo mater Maria. Ergeſtit hæc animula, laudatiunculæ huius, uelut incenſo tuſculo, tuo litare numini: neq; uero ſuis freta meritis, ſed tua confirmata placabilitate, audet immenſum laudum tuarum pelagus, humani ſermonis anguſtijs concipere. Cuius amplitudinem ſolus ille capit, quem tu immenſum et incomprehenſibilem, puriſsimi uteri ſcriniolo conditum, geſtare meruiſti. Qui uirgineã mentem tuã, non ſtillulis aliquot gratiarũ cõſperſit, ſed ipſum omnium chariſmatũ fontẽ in temetipſam tranſtulit, ut ex te, ueluti paradiſo uernãtiſsimo nobiles illi quatuor amnes promanarent, ſiticuloſam, ac ſterilem pectoris noſtri glaream, fœcundis ſca tebris irrigaturi, ridentiq; uirore, & uariarum uirtutũ ſtellantibus floſculis picturi. Quo fit, ut uaſtiſsimum ſpatium porrigatur inter tuã ſublimitatẽ, ò regina præcellens, & meam humilitatem. Inter tuam plus q̃ angelicã puritatem, & meam colluuiem, inter tuũ ſplendorem, et meam caliginem. Tu cœli numina longe ſub pedibus deſpicis, nos de ima ualle muſitamus. Et tamen quo minus tuas laudes aſſequi poſſumus, eo eſt impenſius annitendum. Tu es enim præpotens illa rerum domina, quæ ſola feliciſsimum illud nomen inter mortales promeruiſti, ut uirgo theotocos appellareris. Si quidẽ prægnans tua uirginitas, eundẽ nobis ædidit de homine hominẽ, citra corruptionẽ, qui ſine tempore, de deo patre deus, abſq; initio naſcitur, ſine fine naſciturus. Tu es auguſta illa cœli terrarumq; regina, cui filius omnipotens rerum imperium à patre traditũ, uoluit eſſe commune, cuius ſanctũ numẽ uel profunda tartara tremiſcũt, cui poſitis paſsim aris, medius hic totus ſupplicat orbis, ad cuius uenerandũ nomẽ põtificius apex, & imperatoria maieſtas nudatũ inclinat uerticẽ. Cuius ſe pedib. uirginũ cãdor, martyrũ laurea, prophetarũ autoritas, apoſtolorũ dignitas, angelorũ felicitas, omniũ deniq; cœli procerũ celſitudo uenerabunda ſubmittit, Quã ipſa quoq; tota diuinitas p̃cipuo quodã honore dignã ducit. Pater cõmunis gnati parentẽ lætus agnoſcit, atq; amplectitur. Filius pro ſua pietate, proq; matris reuerẽtia, genitricẽ amat, ac honorat. Spiritus ſacer, ab utroq; profectus, ſe tibi totum infundit, puriſsimã illam officinam ſuam libenter agnoſcens, in qua quondã inauditũ illud opificium, natura ſtupente peregit, cũ diuina arte intra uirgineum pectuſculũ tuũ, triformem illum gigantem conflaret, inenarrabili cõmiſſura, dei uerbũ, cũ humano ſpiritu, animam hominis cum mortali carne cõpingens, triaq; inter ſe diuerſiſsima ita ferruminans, ut hypoſtaſeos ſimplicitas naturarum diſcrimina neutiq̃ perturbaret. Et à ſingulis igitur pręcipuus honos habetur, & omnes cõmuniter proximo dignantur aſſeſſu, ut ſecundũ diuinitatem, nullum habeat cœleſte theatrũ ſpectaculũ, te una admirabilius. Proinde ad eã, quã cœleſtis aulæ primates tanto interuallo ſupra ſe ſuſpiciunt, ego uermiculus, qua tandẽ fiducia frontẽ attollo? Quo ore mea balbutie tua tento præconia, quibus ne angelicæ quidẽ uoces pares eſſe queant? Sed docet audaciam ò Maria, non arrogantia, uerum miſeræ conditionis neceſsitas, uincit uerecundiam non toleranda egeſtas, ſuggerit hos animos pietas, miniſtrat fiduciam tua ſingularis benignitas. Si tantum mirabilis eſſes, ò uirgo

deipara, non etiam exorabilis, si minus misericors q̄ præcellens, non haberet quò nostra aspiraret mortalitas. At nunc quātum humilitatem nostrā tua maiestas deterret, tantum erigit clementia. quantumq; submouet prę stantia, tantum placabilitas allicit. quantū prę stringit oculos uirtutum tuarum fulgor, tantū recreat umbra misericordiæ. Neq; tam abes à nobis præeminentia meritorum, q̄ præsens es opitulandi facilitate. Deum peperisti, miratur cœlum: sed utiq; nobis peperisti, respirant homines. Deum edidisti, stupescit natura. sed edidisti non tonantē, nō fulmē uibrantē, uerū uagientē. genuisti non uindicē, sed reconciliatorem. non supplicij, sed salutis autorē. Deū enixa es, sed ut nos renascereмur. Virgo peperisti, non ut nostra desperaret impuritas, sed aboleretur. Mater es dei, sed eadē misericordiæ mater appellaris, neq; misericordiæ mater esse posses, nisi dei mater esse meruisses. Tu spiritualibus dotibus superfusa es, ut tuus cumulus, in nostrā inanitatem redundaret. Diuinitati proxima es, ne illic nobis deesses aduocata. Plurimū apud deum uales, ut esset cuius precibus & autoritati iustā in nos irā suā posset donare. Ergo quando quicq̄d in te est ó Maria, id nobis iuuādis cōparatū est, quo maior est tua prę cellētia, hoc certior est nostra fiducia, cū quę maxima es, eadē sis et optima. Non aspernaberis eorum, q̄uis rusticum Pæana, quorum naturā nō est dedignatus tuus filius. Boni consules quales cunq; hymnos nostros mater, quando filius, pauperculæ uiduę quadrantem, cæterorū opibus prætulit. Nō poteris eorum negligere uota, quos tanti habuit gnatus tuus, ut pro his seruandis, semet deuouerit Si te conditoris matrem gaudes appellari, agnosce filij tui plasma. Agnosce filij mercem, genitrix redemptoris. Agnosce simul & argumentū tui cognominis, & laudum tuarū materiam, mater clementię. Quo em̄ mittis miseros, si tu misericordiæ mater, gremiū occludis? Imò quā potius hymnis uotisq; solicitet erūnosa mortalitas, quàm te Maria, quæ quidem inter cœlites una tantū, uel meritis, uel gratia, uel autoritate polles, ut sola iudicis iram possis restinguere. Tam eadē pronis & benignis es auribus, ut nullius preces non admittas. Tam patiens es, ut nullis unq̄ egentium opplorationibus fatigeris. Tam ignoscens & placabilis, ut animum tuum, nulla nostrorum scelerum fœditas, à nobis subleuandis alienet. Tam prodiga, ut neminē indonatū abs te discedere patiare. Tam diues, ut largiendo nunq̄ exhauriri queas, ut te ueluti cornu quoddā aureū, uerus ille Iupiter, tuus non solum alumnus, sed et filius, proposuisse mortalibus uideatur, unde nihil sit rei, quod non petitum accipiāt. Talis es deniq;, uirgo beatissima, ut bonitatem tuam nemo terrigenarum non sit expertus, magnitudinem ne spiritus quidē ętherei cōsequantur animo. Tu es profectio nobilis illa uirago, in cuius uniꝰ præconia, cœlū pariter & tellus, & omnium ordo seculorum musica quadā harmonia cōcinit. Tu iam olim ante rerū exordia, in summo principio uiuebas, ludens in orbem terrarum. Tu creatis inditio angelis, è diuinę mētis speculo relucēs, gaudij cumulū adferebas. De te statim in ipsis rudis adhuc mūdi primordijs, cōditor ipse, primū edidit uaticiniū, mulierē olim fore, quę calcaneo letiferi serpētis caput proteret. Te uetustis seculis gentiliū oracula obscuris ambagibus denotabant. Te sortes Aegyptiæ, te Phœbi tripodes, te sibyllarū folia portendebāt. Te doctorū poetarū ora, nō intellectis oraculis prę cinuerūt. Tu uirgo illa, aurei seculi renouatrix. Tu uera illa Diana, ppetuæ uirginitatis, tū autor, tū exemplū. Tu triforme numen, quæ tergeminū nobis gigantē ædidisti, quā ter potentē, formidāt inferi, uenerantur superi, medius hic adorat orbis. Tibi Lucinæ nomen unice conuenit, quæ & uerū lumen extulisti, & nobis uti renascereмur lucis æternæ fores aperuisti. Te nouū simul et uetus testamentum, tanq̄ duo Cherubin, iunctis alis, cōsonisq; uocib. decantāt. Te mystica synagoga typicis imaginib. deliniauit, tuū pæana euāgelica tuba clarissime personat. Te literæ Hebræorū aptissimis coloribus adumbratā repræsentarunt. Christianorū libri tuis te uirtutibus exornarunt. Ac prorsus pia quadam contentione, in tua certatum est prę conia, hinc à fatidicis uatibus, hinc à facūdis ecclesiæ doctoribus, utrisq; eodē numine plenis, dum illi te lætis oraculis nondum natam præcinunt, hi natam pijs laudibus prosequuntur, Illi promissis haud uanis orbem mœstū in spem surrigunt, hij in tui miraculum pias suscitant mentes. Magni nimirū præcones, sed utrosq; tuarum uirtutum superat magnitudo. Cedit diuinis tuis meritis præsaga uatum prudentia, cedit doctorum prædiues eloquentia, Et torrens illa dicendi copia, in te prædicanda suam inopiam cōfessa est. Tu felix illa plantula de Iessea radice subnata, nihil tamē inde genitaliū sordiū trahēs, humilis uir-

lis uirgula, de qua nõ pomũ mortiferũ, sed floſculus ille, longe fragrantiſsimus, pronatus eſt, qui blandiſsimo aſpectu ſuo, terras pariter & cœlos impleuit lætitia, cuius odore trahimur in uitæ cœleſtis amorẽ. Tu mulier illa prophetica, quæ nouo & inaudito miraculo illibati corporis tui zona uirum circundediſti, citra uirilẽ operã. Tu beatus & apricus ille paradiſus, qui neq; aratro ſciſſus, neq; raſtro uexatus, omnigenas delitias, & medicamenta progerminat animarũ. Tu uitę arbor, cuius fructus ſalutaris et prę ſens, ligni quondam male guſtati uenena ſuſtulit. Tu nobilis illa domus, quã ipſe ſibi dei filius, patris ęterni ſapientia, mirabilis architectus ædificauit, ſeptẽ proceris ac ſolidis colũnis ſuffulciens, ut in eius penetralibus uerſaretur, lõge à terrenis ſubmotus affectib. is qui non niſi in altiſsimis habitat. Tu thronus Solomonis eburneus, auro ueſtitus, unde rex ille regũ, carnis uelatus trabea, iura dixit mortalibus. Tu delicati illius amatoris ferculũ, de libani lignis cõpactum, quod ipſe ſibi auro, argento q;, & ardenti purpura mire uariauit, dignum uidelicet, in quo ille decem menſium ſpatio uectaretur. Tui niuei pectoris typum gerebat, floridus ille eiuſdẽ lectulus, quem puritatis amator dei filius, ita cœleſtis militię excubijs, omniũq; corona uirtutũ muniuit, ut nulli unq; uel cogitationi parũ piæ patuerit aditus, in quo uno nihil unq; repertũ eſt, quod aut deliciãtem offenderet ſpõſum, aut obſtreperet quieſcẽti. Tu ſacratiſsimum pacifici regis templũ, in quod ille, quicquid eſt artis, quicquid opum, trãſtulit, tam religioſum, ut eius adytis unicũ illud ſanctũ ſanctorum crederetur. Tam magnificũ, ut in eo rex olympi prę ſideret. Tam ſacrũ, ut nulla unq; peccati labe potuerit prophanari. Tuã prægnantẽ uirginitatẽ, rubus ille myſticus Moyſi falſo flagrare uiſus, prælu debat, quæ mortaliũ una puerperæ nomẽ promerita es, cũ uxoris nunq; præſtiteris. Tuam uirgineã fœcunditatẽ, uirga ſacerdotalis, mire adumbrabat. quæ neq; mortali manu cõſita, neq; terreno ſucco irrigata, & cœlitus cõcipiendo floruiſti, & ſine cruciatu pariẽs, fructũ uiuificũ edidiſti. Tui ſimulachrum præ ſe gerebat niueum uellus Gedeonis, quæ à carnis quidem cõtagio longe ſemota, at cœleſti rore ter cõpluta, trinitatis opificio triformem fœtum pura concepiſti, pura enixa es, pura poſt æditũ partum permanſiſti. Tui obtinebat imaginem turris illa Dauidica, quam unam contra omnia nequiſsimi hoſtis tela propugnaculis, clypeis millenis, omnigenaq; uirtutum armatura muniuit bellator egregius, ut neq; corpus, nec animũ tuũ ullus unq; libidinis aſſultus, non dicam expugnarit, ſed ne oppugnauerit quidem. Te diuini uatis inſignis illa porta uaticinabatur, non ad Aquilonem, unde panditur omne malum, ſed ad exortũ ſpectans, unde ſol oritur nouus, & nouator omniũ, cuius integritatis clauſtra, princeps pacis, neq; ingrediens, neq; egrediens, uiolauit, imò conſecrauit. Tu noui Adæ, noua Eua, non nouerca, quod illa uetus, quę fœtus ſuos etiã priusq; pareret extinxit, ſed mater, neq; mater morientiũ quod illa, ſed reuiuiſcentiũ, quę incogitabili myſterio, de cuius oſſe fueras genita, eumipſum de tua carne uiciſsim genuiſti, nec ab alio fœcũdata, q; quẽ peperiſti, ut in extricabili ænigmate, eidem ſimul fueris, & filia & ſpõſa & mater. Tu mẽdaciſsimi colubri uenena in ipſius caput retorſiſti. Tu animoſa illa uirago, quæ pulcherrimũ auſa facinus, Allophylorũ ducẽ cõmunem humani generis hoſtem, clauo confixiſti. Tu ſeculis omnibus celebranda Iudit, quæ late graſſantẽ tyrannũ tartareum, ſola trucidans, populo tuo pro certa deſperatione, ſubitam ſalutẽ ac triumphũ attuliſti, Tu formoſa Heſter, delitiæ regis ætherei, quæ triſte mortis decretum, gladioſq;, iam in tuæ gentis iugulos intentatos, in ipſum cædis machinatorem depuliſti, Tu mons ille adamantinus, unde ſine manibus exciſus eſt lapis ille angularis, qui fecit utraq; unum, cui innititur omnis ædificatio, non ceſſura tempeſtatibus huius ſeculi, in quem quiſquis impegerit, elidetur. Tu florem enixa campeſtrem, roſa Hierichana, quam non ſuperbiæ ſcopuli, ſed ſimplicitatis planicies, & modeſtię humilitas educat, quã diuina charitas purpureo rubore tinxit, quæ de terra parente prognata, nihil tamen terrenæ fecis inde ſuxiſti, Tu lilij conuallium mater lilium & ipſa medio in ſpineto, ſine ſpinis enatum, quæ lacteo candori uirginitatis ſummã modeſtiam adiunxiſti. Tu fons ſignatus, cuius nitidiſsimas lymphas, nulla ferina unq; libauit affectio, in quo ſpõſi refulgentem imaginem, nulla terrena turbauit cupiditas, quę medicatas aquas tuas deriuas in capita uiarũ omniũ, quæ potæ, nos nõ uocales quidẽ, ut illæ Caſtaliæ, ſed immortales reddunt. Tu hortus ille diuinæ cuſtodiæ, ſepe ſic circũmunitus, ut nulla etiam petulca cogitatio quiuerit perrũpere, in quo uarias aromatum areolas, ſummus ille hortulanus mira

distinxit arte, ubi idem inter lilia pascit, ac cubat in meridie. Tu sancta ciuitas Sion, cuius mœnia nullus unq; Babylonij hostis aries pulsauit. Quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quiq; fundauit altissimus, cui uidelicet ipse & murus est, & antemurale. Tu Hierusalē, in qua una sibi pacificus ille sedem delegit, regiamq; ac templum ædificauit. Tu uitæ speculū, tam nitidū ac purū, ut in nullo alio diuinitatis effigies refulserit expressius. Tu uirgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & turis, & uniuersi puluerís pigmētarij, quæ sic incensa cœlesti charitate, sic à caducarū rerū amore extenuata, purissimis uotis assidue superna petebas, ut ipsis etiā cœligenis mentib. miraculo fueris. Tu noua terra, totiens à deo promissa, quæ diuino grauida semine, non spinas & tribulos, quemadmodū uetus illa maledicta, sed uitæ cibū protulisti. Tu uitis illa generosa, de cuius palmite nobilis ille botrus prodijt, quem unū, duo testamenta humeris baiulant, tam grauē, ut in statera appensus, ingens omnium scelerū nostrorum pondus in altū submouerit, tam efficaci succo, tamq; generoso, ut gustatus, repente tot hominū milia, ad uitę usq; contemptū, sobria dementauerit ebrietate. Tu procera illa libani cedrus late uirtutū spargēs odorē, quę mortaliū sola uitiorū cariē nō sensisti, qn & allita nostris animis, eandē arces, dum tuo prouocati exēplo, tot passim pueri atq; puellæ, incorruptā uitæ puritatē meditātur. Tu cāpestris olea, speciosa ac tōsilis, de cuius illibato corpore, fatalem illū, et semper uirentē surculū nobis decerpsit is, cui familiare est, colūbina specie apparere mortalibus, eūq; in arcā ecclesię detulit, certissimū pignus finiendi diluuij peccatorū, mundiq; renouandi symbolū, cuius baccarum salutaris amaritudo, contra pomi exitialis, heu nimium dulce uirus, antidotū præsentaneū attulit, cuius oleo, mentes hominū, absterso squalore uetustatis, situq; terreni Adam, uelut iterata iuuēta reniteſcunt, cuius iugi alimonia, fidei lāpas pascitur, ne quādo possit extingui. Tu aurora illa ualde rutilās, quæ mirātibus etiā cœlestis arcis excubitoribus, roscida purpura, blandoq; lumine emergens noctis horrorem omnē discussisti, ac solem illū expectatissimū, p̄uia mortaliū oculis exhibuisti. Tu palma perpetuo uirens, quā neq; prosperæ res uel tantillū deflectere, neq; aduersæ deprimere potuerunt. Tu platanus, longe gratissimā umbrā præbens fessis mortalib. Tu terebynthus, fauoris tui ramos ad omne hominū genus latissime porrigēs. Tu uelut altera quędā mater omniū uiuentium, ecclesiæ soror, tanta mysteriorū similitudine, ut quicquid in arcanis literis illi tribuitur, idē & in te mire quadrare uideatur. Siquidē ecclesia, cœlesti spiritu animata, nos regenerat in Christo: tu diuino numine superfusa eū ipsum dedisti, in quo renascimur omnes. Tu mysticū illud castellū, quod ingressus mūdi redēptor, à duab. sororibus, gratissimis accipitur epulis. Tu mulier illa singularis, quā oculis aquilinis conspexit, is qui tibi in filij tui uicē succesſerat. Cuius niuea tēpora, uirtutis omnigenę ambitu cōtexta corona, stellantib. decorat luminib. quā totā diuini solis claritas circūuestit, queq; lunā nunq; eodē uultu fulgentē, quippe rerū fluxarū ducē, pedib. substratā, semp calcasti. Tu spōsa, tu cōcubina, tu amica, tu colūba unica. tu amores, tu ignis, tu p̄prię delitiæ speciosi p̄ filijs hominū. Tu delicata illa amatrix, quā unice deperijt filius dei. Tam feruida ut amore dilecti lāgueres, tā formosa ut dei uerbū è sinu patris, in tuū ipsius uterū, nitor oculorū tuorū fecerit auolare. Tam uenerāda, ut angelū pronubū merueris. Tā illibata, ut uirū sine uiro cōciperes. Tam incorrupta, ut uirgo pareres. Tam beata, ut arcanū illud tetragrāmaton uerbū, q̄d alijs nefas in ore cōcipere, tu castis haurires uiscerib. Tā deniq; felix, ut oium salutē generares. Salue inclyta regū progenies, sacerdotū decus, patriarchar̄ gloria, cœlitū triūphus, inferorū formido, Christianorū & spes & solatiū. Tu sole matutino rutilātior. Tu luna argētea blādior, aureo Lucifero formosior, lilio recēti purior, niue intacta cādidior, uerna rosa decētior, unione p̄tiosior, auro generosior, achate gratior, magnete amabilior, opobalsamo fragrātior, amaraco spirātior, melle dulcior, uita suauior, horto irriguo floridior, paradiso fœcūdior, cœlo sublimior, angelis castior. Salue sacrariū ęterni numinis, tricliniū diuinitatis, apotheca spūs sancti. Sed q̄d etiā tuas inenarrabiles laudes nostra balbutit infantia? Quicqd em̄ poterit humana uel mēs cōcipere, uel lingua sonare, etiā si porro supra nostrū ingeniū fuerit, tamē lōge citra tuū meritū erit. Illud aūt humanis affectib. in te, mirabilius dicā an amabilius, q̄ cū talis sis, ó Maria, ut omne terratū cœliq; fastigiū tibi ceruicē inclinet, te dominā, te reginā, te imperatricē uenereť, nō tamē pro indigno habes humiliū ac miserorū mater appellari, neq; cœli sumpto imperio nostri curā posuisti.

ſuiſti. Solicitant etiam nunc mitiſsimum pectus tuũ erumnæ mortaliũ, tangunt uota, mouent ſuſpiria, uincunt lachrymæ. Quo fit, ut benigniſsimis auribus tuis, undiq; miſerabilis opploret turba. Vnius Mariæ opem, omnis ætas, omnis ordo, omnis implorat conditio. Mariã pueri ac puellæ, Mariam ſenes & anus, maximi minimiq; promiſcue ſolicitãt. Quam enim aliam temerarius nauta ubi uenti mugientes, malũ & uela ſciderint, ubi fluctus clauũ auulſerit, ubi procellæ minaces latera tundunt, ubi præſentem intentat omnia mortẽ, quã tum aliã ſupinis manibus orat, niſi Mariã? Vbi lacera tabula, nudus hęrẽs, per ſummas undas uolitat, quã in uota uocat, niſi Mariam? Quã infelix uiator, à latronibus cinctus precatur, niſi Mariam? Mariã quos arte potentior morbi uis premit, Mariã quos duræ cõpedes alligãt, Mariã miſerę puerpæ cũ laborioſi nixus partũ periculoſe differũt, uotis inclamant. Siue ſtridẽtia fulmina orbem conſciũ terruerint, ſiue ſubterranei motus tellurem cõcuſſerint, ſiue ruina fatalis, aut incendij uis ingruerit. In ſumma, Quęcunq; laborioſis mortalibus inciderit calamitas, aut mali impendentis metus territauerit, tu una protinus occurris, à qua deſperatis rebus opẽ petãt. Tibi mercator ſolicitus, ſua lucra cõmittit, tibi mare ingreſſurus, uitã ſuã deponit, tibi curuus arator ſpem anni uotis cõmendat. Tibi miles ancipitem Martem experturus, uota nuncupat. Te ſcelerum conſcientia preſſus, aduocatã adſciſcit. Atq; etiã ex malorũ numero, quibus mille obnoxia eſt, nomina tibi facit noſtra egeſtas. Te matrẽ orphani, pupilli tutricẽ, rei patronã, captiui liberatricẽ, errantes ducẽ, afflicti recreatricẽ appellant. Te medicã ægroti, naufragi portũ, deſtituti præſidiũ, deplorati ſolatiũ, oppreſsi exoneratricẽ, perditi ſalutẽ, deſperati ſpem ſuam & nominant, & experiuntur. Tu publica calamitoſi generis fiducia, ex te una pendentis, te unam reſpicietis, quippe cui penitus ſit pſuaſum (neq; uana fides) nihil eſſe q̃d præſtare, aut nolis rogata, aut nequeas uolens. Videmus & aues uagas, & truces leones, & pardos immãſuetos in rebus egenis ad hominis opẽ cõfugere, malo uidelicet mõſtrãte, unde medelam petere debeãt. Neq; neſcit noſtra neceſsitas, ipſis docta malis, unde ſubſidiũ ſperare oporteat. Intelligit, eſſe te tutiſsimũ aſylũ, quod rex indulgentiſsimus ſontib. ſemper patere uoluit, uelut ultimũ extremis malis perfugiũ. Intelligit te canalẽ eſſe aureũ, adeundũ his, qui de fonte uolunt haurire miſericordiæ. Te eſſe inexhauſtũ illud ærariũ diuinæ largitatis, unde depromi iuſsit, q̃cquid nobis largiri decreuit. Te oſtiũ penarij cœleſtis, pulſandũ ijs, qui panib. tribus egent. Quo tandẽ igitur meliore fiducia cõfugiemus Maria, q̃ ad eã, penes quã omne noſtrũ præſidiũ eſſe uoluit deus? A quo rectius petet mortalis egeſtas, quã ab ea, quã inexhauſtæ benignitatis ſuæ condã promamq; conſtituit deus? ut per eandẽ nobis largiretur omnia, per quã ipſe ſe nobis ante donauerat. Vnde iuſtius ſperabimus reliqua, q̃ cui ſalutis debemus initiũ? Quã magis conſentaneũ eſt, uitę auxiliũ ferre, q̃ quæ uitã dedit? Tum aũt quo tutius fugient miſeri, q̃ ad miſericordiſsimã? Quo ſe nocẽtes cõuertẽt, niſi ad clemẽtiſsimã? Quo profugi, niſi ad aſylũ? Quo iudicij obnoxij, niſi ad iudicis matrẽ? Quo triſtes rei, niſi ad aduocatam? ſimul & mitiſsimã, quippe matrem miſericordiæ, & potẽtiſsimã, quippe iudicis genitricẽ. Quod regis es mater, nihil te non poſſe, quod aũt & clementiæ mater es, nihil te ſupplicũ cauſa non uelle cõfidimus. Neq; fallit miſeros ſua fiducia. Quis enim unq; te uotis irritis ſolicitauit? Quis tuũ numen inutili coluit pietate? Quis inanes preces à tuis altarib. retulit? Tantũ abeſt, ut ad tua genua cõfugientes, dura repellas, ut ultro etiam inuites trepidantes, ultro occurras ceſſantibus, ſponte tua manũ porrigas iacentib. Vt iam nemo ſit mortaliũ, qui nõ magno aliquo experimento, tuã in ſe beneficentiã teſtari queat. Harenã profecto numeret, qui recenſeri conetur, quot homines ab imis manibus in lucẽ reuocaueris. Quot ex præſentibus periculis eripueris. Quàm multis, qui iam ſpẽ omnẽ abiecerant, inſperatã attuleris ſalutẽ. Quot ex altiſsimo uitiorũ Barathro, in uitã caſtigatiorẽ reſtitueris. Hinc tibi paſsim templa dicauit Chriſtianorũ non ingrata pietas. Hinc tibi innumerabiles per urbes pariter & uicos fumãt aræ. Hinc toto in orbe ſacer chorus aſsidue tuas laudes decantat. Hinc tibi circũ altaria tua, grata donaria ſuſpenduntur, figũtur trophæa, tuęq; beneficentiæ monumẽta tibi conſecrantur. Omniũ uero mẽtibus ſic penitus inſita es, ut nemo uel ipſo tuo nomine nõ recreetur. Qua in turba & ego clariſsima uirgo, nunc Pæana tibi cecini, quo placata, precor, ut tuo me filio recõcilies, cuius iram iuſtiſsimam, grauiſsimis meis cõmiſsis ſuſcitaui, ſola nanq; iudicẽ accenſum mitigare poteris, quæ parere potuiſti ſola: & potes,

& uis, quæ cum sis misericordiæ mater, tui simillimum filium misericordissimum genuisti, ut tuo confirmatus auxilio, tuoq; ductu, per hoc uitæ pelagus sic iter agam: ut perueniam ad patriam claritatis æternæ, in qua cum filio uiuis gloriosa per omnia secula seculorum Amen.

PÆANIS FINIS.

OBSECRATIO AD VIRGINEM MATREM Mariam in rebus aduersis, per Des. Erasmum Roterodamum.



Ides uirgo parens Maria, spes unica calamitatum nostrarum, uides q̃ diris tempestatibus in hoc mortalitatis pelago iactemur, dum erumnosissimi exilij perteſi, in quod miseros Euæ nouercæ, nõ parentis intẽperãtia detrusit, utcunq; in patriam molimur recursum, te scilicet una inter uagos huius uitæ fluctus, noctemq; densissimam (ceu prospera stella) prælucente, simulq; secunda tui fauoris aura semper aspirante. Alioqui nullam omnino portus cõtingendi spem habeat, hęc tam diutina, tam plena discrimi/num nauigatio, ni tuum usq; numẽ tantis in malis propitiũ ac prẽsens affulgeat. Sed num destituis cursum nostrum ó diua, graues hominum semper miserata labores? Neq; enim ignoras, huius qua uehimur, corpusculi cymbam, quàm fragili sit tabulatu compacta, quàm rimosa, quàm sutilis. Et hanc tamen tot malorũ fluctus oppugnant, tot circumuallant pericula. Hanc pestiferi cacodæmonũ flatus horrendo cum murmure circũfremunt, omniq; ui certant nunc acutis ambitionis cautibus illidere, nunc in ęstuãtium libidinum uadosas syrtes impellere, nunc immanibus charybdis hiatibus sorbendam tradere. Hi nimirum sunt procaces illi austri, & Boreæ sonori, neq; non uiolenti Africi, Notiq; imbriferi, qui tartareo è specu emissi, qua data porta ruunt ac terras turbine perflãt, qui graues illas tempestates nobis quotidie consciscunt, tot edunt naufragia, dum hunc per omne nefas præcipitem agit uentoso gloria curru, ille è turpissimarum uoluptatum cœno nequit eluctari, dum alius, quo res sit incolumis & auctior, ipse perit infelix. Iam porrò hinc crudelis insequitur pirata, quos gnati tui preciosus sanguis asseruit, denuo in fœdissimam seruitutem retracturus. Inde rursus deliciarum blandissima Siren, exitialiter dulcibus cantilenis aures animumq; solicitat, ut obliti patrię, obliti nostri, recta in certissimum interitũ abeamus. Iam uero quàm periculosa illa fortunæ, seu fluctuum alternantium uicissitudo, cum interim secunda & uenenatis muneribus accumulãs, nauiculam nostram in sublime tollit, interim aduersa & sæuiens, déque summo fluctu præcipitans, imis harenis illidit. Quid quod interdum tumultu negotiorum, ueluti turbine irruente, sic obruimur, ut neq; clauum iam audiat nauis, neq; certum cursum tenere liceat? Quid quod interim ipsa etiam arridentis æquoris lenitas, quauis est procella insidiosior? dum non raro credulos, nimium cœlo pelagoq; sereno confisos, repente uersa tempestas opprimit, & qui modo tanq̃ portum tenentes, lætũ celeuma canebant, protinus medijs in fluctibus natãt. Quid aũt recenseam, quantũ immaniũ belluarũ pontus hic alat, semper in nostrã prædã inhiantium. Neq; uero desunt etiã huic elemento sua uenena, letale uirus undiq; afflantia, dum alius assentatione nobis imponit, alius pestiferis consilijs ab honestis auocat, alius ad pernitiẽ hortatur: hic palã iniurius, ille clancularius hostis nocet: hic in os cõtumelioſus, mentis otiũ perturbat, ille fucatus amicus niueo denticulo uipereũ uirus infundit: hic atro lolij ginis succo tinctus, famę labẽ conaẽ offundere, ille torpedinis in morẽ, frigidũ afflans uenenũ, charitatis ardorẽ nititur extinguere. Tum uero gelido soluuntur frigore membra, cũ piceæ nubes ignorãtiæ eripiũt nobis cœlumq; diẽq̃: cũ lacero uelo, dissipatis antẽnis, amisso clauo, cęcis erramus in undis. Tũ multus ubiq; pauor, & plurima mortis imago. Adeoq; lachrymabilis huius uitę, quã à uinculis & uagitu sumus auspicati, perpetuus tenor calamitatũ est pleniſſimus, ut ne ipsa quidẽ trãquillitas discrimine uacet. Vides hęc, ó regina cœlestis, & misserata, succurris periclitãtib. Neq; eñ fieri potest, ut aut nõ dispicias casus mortaliũ, quę quidẽ uel nominis ipsius argumẽto, sublimis illa sis Elice, illa sis cynosura clarissima, summo scilicet mũdi cardine, quę sola falsas occiduę Tethydos undas nũq̃ attigisti, cuius ne leui quidem aspergine unq̃ cõmaduisti. Neq; consentaneũ est, ut ulla

eorum

eorum quæ fiunt in terris pars, tuos oculos suffugiat, cũ tu sis luna illa pulcherrima, æterni solis & soror & mater, quæ nostros labores de proximo despicis, quippe uicinum et familiarissimum terris sydus, influxuq; longe omnium efficacissimum, quæ nocte hanc nostram miti lumine sublustrem facis, non uaga, nunquam senescens, nunq; inæqualis, nunquam deficiens, nunquã occidens: sed assidue pleno pernites orbe, semper obuia soli, unde mutuum lumen uimq; plenissime haustam nobis refundis, salutari succo uegetans & augens omnia. Ergo neq; nõ uides ô Maria, cum eadem & stella sis huius nostri pelagi, et luna nostræ terræ, neq; rursus uidentem non tangunt hominũ mala, cum te iam olim matrem suam, & misericordiæ matrem mundus hic noster appellet, tuq; non inuita nomen istud agnoscas. Atq; omnino necesse est, ut te matrem, res hominũ solicitã habeant, quæ quidem filium pepereris, usq; adeo nostri generis amantẽ, ut huius exilij cõmunis incola factus, pro nobis asserendis sese deuouerit, tamq; libenter in omnes casus effuderit: neq; igitur aut non uides hominum erumnas, aut uidens non misereris, neq; misertã, mederi non potes, cum & filium genueris exorabilem, præterea sic tui amantem, sic obseruantẽ, quippe pijssimũ, ut nihil omnino neget postulanti. Neq; rursus à patre frustra quicq; petit filius, propter incogitabilem mutuã inter ipsos charitatẽ, & nihil non potest pater, nihil item nõ potest filius, ut qui ab omnipotẽte nascat omnipotens. Proinde nihil non potes tu quoq;, cuius uel pietati uel honori, filius nihil nõ tribuit. His argumentis ratiocinatur nostra mortalitas, nõ ingenio, sed egestate solers, te unã esse, ô uirgo deipera, unde afflictis in rebus, opem & poscere, & sperare debeamus, quæ una uales omnia, & quicquid uales, id omne nobis uales. Certa itaq; fiducia, en ego pronus tuis aduoluor pedibus, illis quibus etiã cœlites ipsi sese substernũt, præsenti tuo numini supplices tendo manus, non sine multa scatebra lachrymarũ, quas mihi è penitissimis animi uenis, partim huius exilij labores, amarissimas exprimunt, partim noxiarũ, quas tuum in filium admisi, conscientia excutit. Succurre quęso mea seruatrix, mea salus, meum unicum certissimumq; perfugium Maria, præfulge stella salutaris caliganti, dirige errantẽ, aspira laboranti, confirma uacillantem, fulci nutantẽ, adsis periclitanti, ne forte nauiculam hanc quassam, iam exarmatam, iam rimis fatiscentem, decumanus ille fluctus obruat. Imò in tutum restitue, iam scopulo infixam, iam naufragam, iam exitio proximã. Serua, meum dulce decus, animulam hanc, quę sese tibi (quanta est) nuncupat. Quod si uotum nõ abnuis, iam tuum est ꝙd perit. Ne sinas (amabo) interire, quod tuus gnatus sapiens architectus, tã accurate finxit, quod tã diligenter exornauit, quod idem tam immẽso sanguinis sui pretio redemit. Redde uel opifici plasma, uel artifici opus, uel redemptori mercẽ suam. Sed quid ego te iamdudum pijs obtestationibus, tanquã magicis precaminibus aggrediór, quando tu nostra es illa diana, triplici numine pollens, quæ cogi quoq; uocibus humanis gaudeas? Quidni ualeat apud te uerã diuam pietas, quod apud falsam ualebat superstitio. Quidni obtineat apud te cultus purus, qd apud illã ritus sacrilegi? Quidni te flectant Christianorũ lachrymæ, cum illã malefica carmina mouerint? Quidni te piæ tangãt obsecrationes, cũ illa impias execratiões sensérit? Obtestor igit exorabile pectus tuũ, ô regina cunctorũ, per quicquid tuũ, filijq; tui numẽ placare potest. Per uenerandã tui cõceptionẽ, à qua labẽ procul arcuit is, quem tu postea simili puritate cõcepisti. Per adorandã natiuitatẽ tuã, qua ueluti luciferi sydus, placido lumine exorta, uẽturi solis certissimã spem dedisti mortalibus. Per infantiã tuam, deo gratissimis studijs transactã. Per summã animi tui sinceritatẽ, humilitatem, pietatẽ, quarum uirtutũ fragrãtia, dei patris unigenitũ, ueluti procũ amore ebrium, in terras pellexisti, nimirũ uti uirgo sponsa, uirgini sponso cõtingeres, et purissima purissimum cõciperes, illibata illibatũ generares. Per ter adorandũ illud opificium, perq; ter felicem animi tui sensum, cũ te conscia, ille faber singularis spiritus immortalis in officina uteri tui, triforme opus sacris ternionib. absolueret, purissimum filij tui corpusculũ, de uirginei sanguinis tui guttula repente fingẽs, simulq; beatã illam animã de nihilo creatã, mortalibus quidẽ, sed omnino sinceríssimis organis inferens, cum animę uero parte liquidissima diuinitatẽ agglutinans, atq; ita limũ, uitam, & deum, tam concordi discrimine, & discreta concordia copulans, ut inter se non permixtę naturæ, in eandem tamẽ coirent personam. Per sancta tua officia, quæ uirgo grauida, aniculæ fœtæ, redemptore prægnans, præcone prægnanti cognatæ sedula præstitisti. Per ineffabile pectoris tui gaudium, cum puella

uirilis ignara cõsortij aureũ illum fœtum, spem orbis uniuersi, in aluo tuo gestares tuoq; succo aleres, neq; dulcis sarcinulæ sensu carens. neq; tamen uulgo prægnantiũ fastidia sentiens. Per fœliciſsimã expectationẽ tuã, cum statas pariendi metas solicite numerans, parẽtis nomen tibi promitteres, integritatis secura. Per sacratũ partũ tuũ ab omni cruciatu, ab omni pudore, nostriq; puerperij sordib. tam immunem, q̃ tu fueras ab omni libidine aliena. Per sancta mẽtis tuæ tripudia, cũ obstetricantib. angelis, dulcis ille pusio de corporis tui thalamo procedens, tibi quidẽ matris nomẽ adferret, nobis uero renascendi spem, natus ostẽderet. Per ineffabile meritũ tuæ paupertatis ó Maria, qua tu uitã omniũ, recentẽ tuũ partũ, sæuiente decẽbri, nõ domi sed foris, nõ in palatio, sed in humili tuguriolo suscepisti: eũq; nõ purpureis fascijs, sed panniculis inuolutũ, pro segmẽtatis cunabulis, duro præsepio reclinasti. Per pias animi tui uoluptates, cũ filiolũ tuũ ab angelis annunciari, à pastoribus quæritari, à magis, quos index stella exciuerat, mysticis donarijs honorari cõspiceres. Per genuinũ illũ parẽtis affectũ, quẽ tu supra matrum uulgus erga dulce pignus tuum Iesum, longe flagrantiſsimũ persensisti. Perq; mutuã illã & inenarrabilẽ pietatem, qua tu mater filiũ deũ, te cõtrà, filius uirginẽ genitricẽ adamauit. Per eum sensum, multo feliciſsimũ, qui toties tua materna præcordia titillabat, quoties decoros & mites ocellos gnati tui, tua scilicet lumina iucunda similitudine referentes diſſuauiabaris, quoties frontem fronti, os ori, uultum uultui, manusculas manibus simillimas contemplans agnosceres. Per maternã sedulitatẽ, quã Iesu tui cunabulis, noua puerpera officioſiſsime impertiebas, siue cũ algentẽ puellũ, tepẽti gremio cõfoueres, siue cũ ulnis circumplexa, sinui uirgineo apprimeres, siue cũ uagienti blandulis nænijs somnos accerseres, aut noto admouẽs pectusculo, de uirginea papillula suspenderes immensam mundi machinã digito librantem, Siue cũ lachrimantẽ pijs suauiolis collãbens, profiliẽtes guttulas osculis exorberes. Per illũ materni lactis nectareũ succũ, qui de uirginei tui pectoris fonticulo subscatebat, cũ niueo liquore nutricares uniuersa pascentẽ. Per officioſam solicitudinẽ, cũ insanientis Herodis impietatẽ fugiens, spẽ nostrã in Aegyptũ asportares, ne scilicet periret ante diẽ, per quẽ omnes eramus seruãdi. Per humilitatẽ illã tuã, deo lõge gratiſsimã, qua factũ est, ut neq; in puero circũciſionis, neq; in teipſa purificatiõis cæremonias obire dedignareris, perinde quaſi in illo fuerit quicq; putre resecandũ, cuius unius puritas, maculis omnium abolendis sufficiebat: aut tibi ullo piaculo fuerit opus, ad cuius puerperiũ, quęuis etiã aliarũ uirginitas sit sordidiſsima. Per blæsum illud & blãdũ lallare infantuli tui. Per amicos arriſus, per mutos quidẽ adhuc, sed gesticulantes affectus, per inuicẽ data ac reddita basiola, per chariſsimi pignoris non oneroſas gestationes. Per beatũ pietatis affectũ, cũ te filiolus, iã nostra uerba meditãs, blæsula dulciq; uocula materculã appellitaret. Per blãditias, pietatis plenas, uiciſſim dictas ac redditas. Per domesticas cõfabulatiões, & ó q̃ sancta inuicẽ colloquia. Per solicita desideria materni cordis, cũ filiũ iã grãdiusculũ per oĩa uelut amiſsum uestigares. Per officioſas curas, & uota puriſsima, quib. unigenitũ tuum mortalis æui gradibus adoleſcentẽ, prosequebare. Per algores, per æstus, per sitim, per esuritionẽ, per uigilias, p̃ inopiã perq; omnes humanę uitę iniurias, quarũ te teste, nihil ille recusauit. Per sanctiſſimos manuũ tuarũ labores, atq; industriã, quib. pauperculũ filiũ, pauꝑcula sustinebas. Per arcanum gaudium, quod in tacito sinu gaudebas, cum filium quẽ hominẽ homo genueras, diuinitatis specimẽ ædentẽ uideres, aquã in uina uertentẽ, morbis simplici uerbo medentẽ, sepultos excitantẽ, mari imperantẽ, peccata donãtẽ, dęmones exigentẽ. Per omnes filij tui cruciatus, quos tu materna sympathia cõmuniter pertuliſti, ut nos instauratã salutẽ filio, sed nõ sine matre deberemus. Per amariſsimas lachrimas, quas ille nõ raro pro nostris malis fudit. Per indigna probra, quibus ille toties à Iudęis, p̃ nobis male audijt. Per spõtanea filij tui tędia, cũ illic nostro exitio angeretur. Per sanguineũ sudorẽ, quo totũ illũ à uertice usq; ad imũ pedẽ nostra scelera perfuderũt. Per acerbũ illũ tuũ tuiq; unigeniti pudorẽ, cũ agnus ille niueus, perinde uti sceleſtus parricida quiſpiã, à sacrilegis ministris, magno cum tumultu captus, à iudice ad iudicẽ, populo insultãte, ductaret. Per graiorẽ etiã erubescentiã, cum ad submisitiorũ testium calumnias obmutesceret. Per insanas illius turbæ succlamationes. Per maledicta in eũ ingesta, per illiſos colaphos. Per sacros unici tui uultus impie consputos. Per funes illos infames, quib. astrictus est ille, qui mũdũ soluit à crimine. Per artus oĩes, lictorijs flagris, inclemẽter sulcatos. Per mille pur

purei

puret ſanguinis riuulos, toto corpore proſilientes. Per indigniſſima ludibria. Per pallam, ridiculi gratia datam. Per arundine pulſatũ caput adorandum. Per alapas, cruentis manibus impactas. Per ludibrioſam coronam, quæ uulnificis aculeis, ſimul & tua uiſcera & ſacra filij tui tempora penetrauit. Per capitalem ſententiam in innocentiſſimum reum inique pronunciatam. Per triſtiſſimos tuos paſſus, quibus infamem arborem humeris baiulantem, diceris proſecuta, ut infame ſuppliciũ unici tui, mater ſpectares. Per materni cordis uulnus, cum gnatum tuum inter duos latrones medium tolli conſpiceres. Per ſanctiſſimos artus tam ualide diſtentos. Per creatrices illas manus, & pedes innoxios, diro ferro confixos. Per extremam ſitim. Per fellito aceto imbutam ſpongiam, ſitienti porrectam. Per materni tui pectoris affectionem, uni tibi cognitam, cum mulierẽ de cruce appellans, te diſcipulo, tibi diſcipulum, uirginem uirgini cõmendaret. Per internum animi tui ſenſum, cum iam ſibi mortem ſponte aſciſcens filius, ingenti clamore, precioſam animam paternis manibus commendaret. Per ſacroſanctum myſteriũ, cum teſtibus oculis tuis, fons ille ter adorandus, de dormientis latere ſcateret, pariter & aquã abluendis, & ſanguinem uiuificandis nobis propinans. Per crudeliſſimum doloris gladium, quem tibi iam nouæ puerperæ fatidicus ſenex fuerat uaticinatus, qui tua materna uiſcera per ſingulos unici tui cruciatus atrociſſimis uulneribus confodit. Per æſtuantiſſimum redimẽdi generis humani deſiderium, quo fiebat, ut cum omnes gnati dolores pari penè ſenſu ferres, tamẽ incredibile gaudium pariter cum eodem caperes, quòd tua, filijq; iactura, noſtræ ſalutis negocium peragebatur. Per fidei tuæ meritum, cum attonitis ac dubitantibus cæteris diſcipulis, tu ſola redemptionis noſtræ myſterium, tacita tecum mente reuoluẽs, multo plus uoluptatis de noſtra uita, q; de filij morte luctus percipiebas, de reſurrectiõe perpetuam certiſſimamq; ſpem obtinẽs. Per nullo ſermone conſequendũ, gaudium pectoris tui, cum Ieſus tuus iam uictor, iam rediuiuus, iam immortalis, primum ſeſe tibi ſpectãdum exhiberet, multo lumine conſpicuum, opimis ſpolijs, æternisq; trophæis decoratũ. Per pia mentis tuæ gaudia, cum unigeniti tui nomen ter ſanctum toto iam orbe uideres inclareſcere, eumq; quem tu ſola, carnẽ factum de tua carne, carnaliter cõceperas, ſecundum carnem genueras, iam à tot millibus ſpiritalẽ ſpiritaliter cõcipi lætareris. Per pia ſuſpiria, per ſanctiſſima deſideria, per puriſſima uota, per beatas lachrymas, quas mater, filio ſuperſtes, ubertim in terra fudiſti, quoties dulciſſimi cum eo conuictus recordatio ſubiret animum, quoties de redemptionis humanæ conſilio, quoties de myſticis illius factis pariter & dictis, cum amicis eius ac diſcipulis ſermonẽ ſereres, aut quoties religioſa ſedulitate obambulans, ſacra reuiſeres loca, in quibus ullum modo unici tui monumẽtum extaret. His in cunis primum uagijt infans. Hoc in templo mihi repertus inter legis cõſultos. Hoc in triclinio, aquis in uina transformatis, conuiuium exhilarauit. Hac in ripa baptizatus eſt: in hoc deſerto ieiunauit: in hac ſolitudine tantã turbam, tantulo cibo ſaturauit. Hoc ex loco hanc et hanc parabolam diſſeruit. Hoc in monte conſedit, cum hęc atq; illa doceret. Hæc porticus inambulantis obtinet ueſtigia. Hic conuiuium egit. Hoc ſolum illius lachrymis commaduit. Hoc erat uultu, cum quæſtuarios è templi ſeptis exturbaret: ut palluit, ut fremuit, ut fleuit, cum Lazarum amicũ, ſororibus uiuum redderet. Hic ſtabat, cũ cæcum illuminaret. Ad hunc puteum, itinere feſſus, quieuit. Hic mihi uni hæc atq; illa dixit. Hic ductus eſt, hic pependit. Hoc in tumulo ſitus eſt: his in ueſtigijs apparuit. Hinc nobis dixit ſupremum uale, patrem repetiturus. Hoc in cœnaculo patris ſuum q; miſit ſpiritũ. Per horum atq; ſimilium beatiſſimã memoriam, quæ tibi filium abſentem felicius etiam præſentem reddebat, q; antea fuerat in carne. Per crebros angelorum cõmeatus, qui te familiariter interuiſentes, uota matris ad filium, filij munera ad matrẽ perferebant. Per ſancta tua uitæ mortalis tædia, cũ iam terrenis eximi rebus, filioq; immortali, immortalis geſtiebas copulari. Per feſtiuos cœli totius applauſus, cũ te ſupra cõſeſſus angelicos euectã, filius, pximo cõſeſſu reciperet, rerumq; omniũ ditionẽ imptiret. Per ineffabilẽ tuam erga genus hominum pietatẽ, perq; tuum longe mitiſſimũ pectus. Per tuam felicitatẽ, noſtrosq; labores. Per tua gaudia, noſtrosq; luctus. Per hanc quantulãcunq; pietatem, qua tuum numen utcunq; colo. Per omnium, qui in te ſpes fixere ſuas, uota obſecro obteſtorq; uirgo intemerata, peccatoris huius patrocinium apud filium iudicem ſuſcipe, eius iram, quam meis flagitijs excitaui, deprecare: reconcilia caput hoc noxium ei, quem tuis uberibus

aluiſti

aluisti,ut eiusdem & illustratus lumine,pernicioſa à ſalutaribus diſcã, & unctione confirmatus,quæcunq; illi grata ſciero,ea cõſtanti perſequar affectu, rurſus quæ inimica,ea penitus deteſter,atq; auerſer.impetra quæſo mihi,mea precatrix, maximum quoddã à filio munus,ut toto pectore,atq; prorſus ex animo,meaipſius oderim mala,neue qd amem aut mirer,præter unũ filium tuũ,in illius imaginẽ merear trãsfigurari, ut ſuaue etiã mihi fiat cum illo crucẽ tollere,atq; in ea per ſpem & patientiã,ad finem uſq; uitæ feliciter perſeuerare:utq; iam rerum permutatis uicibus,ea animo meo incipiant amareſcere,quę me animalẽ ſtulte delectabant,ea contra iuuent,quæ aliquãdo pro maximis malis habebam, nẽ me arcta unigeniti tui uia,uel carnis illecebræ transuerſum abripiant, uel irruentium malorum procella deturbet.Et quoniã conſutili nauicula,in quã & ille quondã dignatus eſt deſcendere,tam periculoſum nauigo mare, precor ò Maria, ut illo quidem uentis & mari imperante, te uero uſq; prælucente, in portum cœleſtis Hieruſalem contingat appellere.In quo gnati tui beato conſortio frueris ſine fine. Amen.

OBSECRATIONIS FINIS.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS CANDIDO Lectori S. D.

SÆPE queſtus ſum optime lector, me grauari ſtudijs amicorum,qui me uiuo & reclamante euulgant quaslibet nugas, quas puer etiam exercendi ſtili gratia luſi,nihil minus cogitans,quàm ut in hominum manus uenirent. Qua quidem in re hoc etiam ſum infelicior,quod nunc prodeũt hoc felicíſſimo ſeculo,minus obnoxia futura ſannis hominum,ſi tum fuiſſent ędita,cũ primum erant condita.Nunc leguntur ut à ſene prodita,quæ nec adoleſcẽs in hoc ſcripſi, & leguntur ab hac ætate,quæ tam multos habet naris emunctiſsimę.Olim uix annos natus uiginti,ad improbas preces cuiuſdam qui adhuc in uiuis eſt, ſcripſi epiſtolam qua ille cupiebat Iodocum nepotem ad ſuæ uitæ conſortium euocare. Huic ſæpius deſcriptæ, & paſsim euulgatæ meum addidere nomen,cum mihi nullus ſit nepos Iodocus. Alieno ſtomacho ſcripſi,& ut res ipſa clamitat,ſcripſi neglecte,ludens ex tempore in locis cõmunibus,nulla tum inſtructus autorum lectione.Ac typographi palàm minitabãtur ſeſe ędituros,niſi æderem ipſe.Itaq; relegi,pauculisq; uerbis immutatis,paſſus ſum officinis committi.Sic opinor fiet aliquando,ut deſinant puerilitæ meæ nænias adamare. Bene uale lector optime:& ſi legis hæc,cum uenia lege,& ſic lege,ut alieno ſcripta ſtomacho.

DES. ERASMI ROTERODAMI DE CONTEMPTV MVNDI EPISTOLA, quam conſcripſit adoleſcens in gratiam cuiuſdam, & illius nomine.

Theodoricus Harlemeus Iodoco Nepoti doctiſsimo S. D.

OLIM quidem Iodoce adoleſcens chariſsime, non mediocris mihi ad te ſcribendi inceſsit cupido,ſed hactenus pudore magis quàm negligẽtia ſilui,ueritus ſcilicet ne te ſingulari,tum prudentia, tum eruditione hominem ego admonere parans (ego inquam natu quidem haud multo maior, cæteris autem rebus longe inferior) aut ululas Athenas (ut in prouerbijs eſt)aut in ſyluam ligna ferre uiderer. Non quod dubitarem quin tu(ut es animo leniſsimo optimóque)adhortationem noſtram in optimam partem acciperes, ſed ne ego parum modeſti uiri officio functus uiderer, qui te admonere tentarim,à quo me admoneri lõge æquius erat. Quid igitur faciam? Scribam ne? At id pudor uetat. Sileam uero? At è regione id amor tui Iodoce non ſinit. Ergo ne perpetuo hærebit in dubio animus, hinc ſuadente amore,hinc diſſuadente pudore? Verum ambiguo animo uix quicq; eſt moleſtius. Vincat tandẽ,uincat quod ęquũ eſt uincere,cedat amori pudor.Pluris mihi debet eſſe tui commodi ratio, imò tuæ ſalutis, quàm alienæ de me opinionis

nionis. Quod si nostrum scribendi officium arrogantiæ magis quàm prudentiæ dabitur, eatenus certe peccato meo danda uenia erit, quatenus ab amore (qui nihil consulte agere solet) profectum uidebitur. Malui enim amanter scribendo audentius, quàm pudenter tacendo prudentius agere. Nec uereor omnino ne hoc patrono (amorem nostrum loquor) absolui nequeam. Neq; em̃ aut simplex est, aut uulgaris, sed & geminus et singularis. Maximæ siquidē ac plurimæ necessitudinis tecum mihi causæ intercedunt, mutui à pueris conuictus, mira quædam animorum consensio, cōmunia optimarum artium studia, innumera tua erga me officia, denicq; singularis & tua & tuorū in me beneuolentia. His omnibus etiam sanguinis affinitas accedit. Quid autem ea necessitudine potest esse copulatius, quæ quasi duplici catena colligatur, hinc sanguinis uinculo, hinc coniūctissima quadā charitate animorum? Itaq; uelim sic tibi mi Iodoce, persuadeas, neminem unquam sibi q̃ tu es fuisse chariorem. Quando autem te æque atq; meipsum diligo, aut etiam amplius, æquissimum est, ut tua salus nō minori mihi curæ sit, q̃ mea ipsius, immo facit id (nescio quo pacto) uerus amor, ut acerbius amici, q̃ nostra incōmoda doleamus, eiusq; commodi quàm nostri simus cupidiores: deniq; (ut paucis dicam) facit ut homo sit homini charior quàm ipse sibi. Quod equidem de te sperare, de me plane affirmare possum. Hinc mihi eam fiduciam sumpsi, ut modestiæ paulisper oblitus, hanc hortatoriam ad te epistolam scriberem, qua te plane à mundi strepitu commercioq; abducere, atq; ad monasticam, id est, solitariam tranquillamq; uitam transferre cupio. Res ardua, & quæ non passim uulgo persuadeatur, sed quoniam ea uitæ tuæ integritas est, ut iam nunc præter habitum (in quo mihi quidem gratulor) prope nihil suum in te mūdus habeat, exhortationem meam non inanem futuram confido, quandoquidem eódem te & optimi animi impetus, & nostra uocat oratio. Quis enim dubitat ei rati cursum esse facillimum, quæ & uentis fertur & amne secundis? Quāquam autem in optimam spem tua me probitas uocat, nūquam tamen timere desinam, donec nequissimo isti & lubrico seculo ualedixeris, atq; ad cœnobium tanquam in tutissimum sinum te receperis. Quoties enim (crede mihi) discrimina in quibus tua uita uersatur, mecum pertracto (id autem facio prope semper) toties singularis tui amor anxium me atq; solicitum reddit, nec aliter afficior quàm pia mater, quæ gnato unico, eodemq; charissimo fretum aliquod crebris infame naufragijs nauigāte, sæuissimum uentorum turbinem surgere non sine lachrymis uidet, pallescit, trepidat, æstuat, gnatū in somnis cogitat, gnatū dormiens somniat, semperq; animo peiora ueretur, semperq; timet grauiora pericula ueris. Atq; utinam ego non minora ueris pericula timeam, sed noui ego, noui Iodoce noui, quos istud seculi fretum habeat motus, quæ uitæ pericula, quot mortium genera, unde pridem scissa rate uix exigua uehente tabula nudus euasi. At tu forsan ceu temere securus timidiusculū me uocās, securum esse iubebis. Atqui isto pacto pectori nostro metū non exemeris, imò adauxeris: tantūq; abes, ut securū præstetis, ut spem etiā nostrā propemodum omnē labefeceris. Tanto enim periculosius discrimini pates, quanto minus intelligis, aut certe si intelligis, non caues. Nihil ista confidentia pernicioſius, nihil dementius. Quid em̃ eo nauita uecordius, qui inter spumātes aspergine scopulos, syrtes furentes, uoracesq; pelagi uortices, tēpestate sæuissima, rate deniq; parū firma nauigans, nihil metuat periculi, sed ad gubernaculū resupinus cantitet, uectores q; suos uetet esse solicitos? Quis nō eiusmodi hominis & temeritatē exhorreat, & incolumitati timeat? Neq; ego mi Iodoce prius tibi timere desinam, q̃ tu inquietissimū istud seculi pelagus desines temerarius nauigare. Ridicula, inquies, comparatio. Quid seculo cū pelago cōuenit, cū altero nihil sit blandius, altero nil horridius? Imò si propius intendere uacet, haud scio, an ulla sit accōmodatior. An tibi sirenum male dulces moduli, quibus præter nauigantes sopire, tumq; mari mergere solitæ feruntur, male blandas seculi illecebras inepte uidentur exprimere? Quæ utinam uideas quos adolescentiæ tuæ laqueos, quos dolos, quæ retia tetēderint. Harū igit̃ fac littus fugias (fuga em̃ tutissima est) nec temere confidas istac te impune nauigaturū, ubi fecisse naufragiū uides Dauid, Solomonē, itemq; alios & plures & nobiliores, q̃ ut hoc loco cōmemorandi sint. Hoc breuiter dixerim. Nemo pene euasit, nisi q̃ fugit. Vlysses, Homero autore, q̃ sapiētis perfectiq; personā gerit, sirenū istarū uoces multo studio, ut q̃ cera aures oppleuerit, secq; malo rudēte astrinxerit, uix effugit. Tibi porro q̃d spei est, in cuius unius pernicie tot pariter res cōiurārūt,

A beneuolentia exordium

Propositio totius argumēti

Argumentationis astutia

Seculi pelagi & periculorū comparatio. Sirenes

ætas

ętas laſciuiens, forma alliciens, opes, facultas, libertas, monſtrorũ denicq; iſtorum heu ni-
Scopuli mium dulcium nocturna, diurnaq; carmina? Nec tibi minus metuendos cenſeo prominẽ
tes iſtos atq; acutos ſcopulos, ſeculariũ dignitatum faſtigia, in quos ſi te uiolentior flatus
Charybdis impulerit, pulchre tibi res habebunt, ſi breui tabula natantem in littus aliquod ignotum
procella eñciat. Quid charybdium inexplebiles uoragines, quæ ſi quam forte corripue-
re ratem, currentem ſiſtere, atq; crebrius in orbem actam abſorbere memorantur, num
obſcurum habent auaritiæ ſimulachrum? quę inſatiabili habendi ſtudio pectus exagitãs,
nunq̃ ſinit eſſe quietũ, donec abſorptũ barathro demergat. Nunc ſyrtiũ furibundos ęſtus
Syrtes indomitos irarum impetus accipe, quarum iſtic tanto copioſior materia, quanto offenſa
Venti crebrior. Quid uenti? Nónne tum aſſentatorũ, tum maledicorum ſermones peſtiferos
pulcherrime referunt? Qui nihil refert unde flent, perinde utriq; timendi. Nam ſi ſecun-
Cautes di, in aſperrimas cautes puppim præcipitẽ ferunt: ſin aduerſi, nihilo minus in ſyrtes agũt.
Procellæ Et quid horrenda illa fluctuum alternatio, modo ad ſydera ſeſe tollẽtium, modo in ſeipſa
reſidentium, cq̃ apte fortunæ uiciſſitudinem uarietatemq; exprimit, qua plerunq; fractus
animus ad impatientiam deñcitur, dum nuper beatus ſubitam calamitatem ferre neſcit.
Prætereo tempeſtates, taceo nocturnos errores, ſyderum fallaciam, beluarum, quas pon
tus alit, mille genera non commemoro, quæ ipſe pro tuo ingenio & plenius excogitabis,
Aequor pla- & rectius interpretabere. Quid quod ne tum quidem fidendum eſt, cum tibi placidum
cidum blanditur æquor, cum ſe uitreæ ſtrauere procellæ, cũ aeris arridet ſerenior facies? Id enim
agitur, ut te ſubita tempeſtas ſopitum inueniat. Proinde haud ſcio, ſit ne ſeculi proſperi-
tate uirtuti aduerſius quicquam, quicquam nocentius, quicquam inimicitius. Nam ſcri-
ptura teſte, multos quidem frangit calamitas, longe uero plures proſperitas ſoluit. Tu igi
tur mundo blandienti caue quidquam fidas, ne te (quod deus auertat) fracta naui natan-
tem poetico illo defleamus uerſiculo:

O nimium cœlo & pelago confiſe ſereno
Nudus & ignota Palinure iacebis arena.

Periculoſum eſt morari in mundo.

Cap. II.



IDEN' optime Iodoce, quanta te circunſtent pericula, cui uel ipſa eſt perí-
culoſa tranquillitas? Quid? tu ne ſperas hæc te ſuperare diſcrimina, ut nihil
ulla ex parte detrimenti capias, præſertim in iſta ætate quæ uel ſuopte im-
petu in flagitia prona fertur, nedum cum tot irritamẽtis impellitur? At ſpe
ro, niquis. Speres licet, & ego quoq; una ſpero, ſed tamen uereor ne fruſtra
ſperauerimus. Tu uelim hãc noſtrã ſpem paulo reddas ſecuriorẽ. Sed facile ſuſpicor quid
inter hæc legenda tecum ſubmurmures, Vſqueadeó ne iſthic tuta ſunt omnia? Ità ne ſoli
ſeruabũtur monachi? Ergo ne perituri omnes cæteri? Miníme uero. Nõ diffiteor & iſthic
eſſe quorum nomina liber ille uitæ teneat annotata, neq; qui in monaſterium commigra-
runt, ñ continuo res ſuas in tuto collocauere, ut planè ſecuros uiuere liceat. At tantum in-
ter hoc & iſtud uitæ genus intereſt, quantum inter eum qui iam in portu nauigat, tametſi
nondum retinacula fixit, & eum qui medio adhuc pelago fertur: uel potius inter eum qui
natat in undis, & eum qui terra facit iter. Non periñt, qui commoratur in mundo, ſed pe-
riculo propior eſt. Ego uero mi Iodoce, quoniam tibi optime conſultũ uelim, ſumq; tuæ
ſalutis fortaſſe teipſo ſtudioſior, diſcrimina fugere, tuta captare iubeo. Qui amat periculũ
(ut ait ſapiens) peribit in illo. Quæſo te quorſum opus eſt ſæuis iactari fluctibus, cum ter-
ra pateat iter, & tutius & commodius? Quis (niſi prorſus oculis captus) non uideat longe
eſſe tutius, iucundius, commodiusq; per amœna atq; uirentia prata abſq; formidine iter
agere, quàm inter tot mortis imagines, perpetua cũ anxietate uerſari? Eó ne cæcitatis uen
tum eſt, ut noſtris etiam erumnis delectemur, & (ut apud Vergilium eſt) inſano iuuet in-
dulgere labori? Huc ades ó Iodoce, quis nam eſt ludus in undis?

Hic uer perpetuum, uarios hic flumina circum
Fundit humus flores, hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula uites.
Huc ades, inſani feriant ſine littora fluctus.
Hic liquidi fontes, hic mollia prata uirensq;

Hic

Hic nemus, hic ipso tecum consumerer æuo.

Libuit hoc Vergiliano carmine te ad nostras delicias ab istis auocare fluctibus. Sed nescio quibus præstigijs, animi tibi fascinat oculos male blanda mundi species, gestientēq; animum itidem ut uisco quodam impeditum moratur ac detinet. Subit enim cōtinuo fucata illa rerum facies, iamq; euntem blande reuocat, quid inquiens, agis demens? Cur & te, & tuos is perditum? Ità ne uniuersos deseris crudelis? Vt sodales charissimos, atq; amicorum turbam contemnas, parentū non miseret? Et quid tandem animi miseræ illi futurum cēses, quæ te amat misere, quæ te deperit, quæ te maritū optat? Vide etiā atq; etiam, quid inceptes. Mollior es, quàm qui rem tam duram perficias. Ista ætas, ista forma, multo alijs rebus conueniunt. Vah tam indigne æui florem patieris excidere? Solus perpetua mœrens carpêre iuuēta? Senibus quibus uita iam desijt esse suauis, ista relinquas: tu puer es, nec te quicq; nisi ludere oportet. Vel illud respice. Domi res tibi ampla est, futura amplior si manseris. Ea perit. Honoribus satis ornatus es, clariores impendent, ni te subtraxeris. Hæc omnes quærunt, tu unus quæsita relinquis? Ergo ne abis, nunq; posthac his fruiturus gaudijs, his opibus, his & his commodis? Saltem da spatium tenuemq; moram, mala cuncta ministrat impetus. Audisti, audisti? Et istæ sirenum uoces sunt, sed tu per salutem tuam caue auscultaueris. Vlyssem te præsta. Mentem tibi excantabunt, si aurem accommodes. Blandissimę quidem sunt, atq; ita ut uel saxea pectora permoueant, sed mortiferas esse atq; in æternū exitium ducere memineris. Huc potius aures, huc oculos, huc animum flecte, collige quicquid in te est uirium, intende q̄ potes acerrime mentis aciem, nihil tibi ineptus blandiaris, rem ipsam introspice, uidebis profecto, si quid tamē uidebis, q̄ putida, q̄ inania, q̄ denicq; te sint indigna quæ euolare non sinunt.

De contemnendis opibus. CAP. III.

QVID enim tibi pollicetur mundus, quod tanti sit, ut eius gratia salutem tuam in dubium uenire sinas, atq; à nostris uelis abesse delicijs? Quid inquam tibi pollicetur? Opum affluentiam? Nam eas in primis mirantur mortales. At his nihil miserius, nihil uanius, nihil perniciosius. Hæ omnis flagitij & magistræ, & ministræ. Neq; enim temere omnium malorū radicem scriptura appellat cupiditatem. Hinc amor sceleratus habendi nascitur, hinc iniuriæ oriuntur, hinc factiones pullulant, hinc furta, hinc peculatus, hinc sacrilegia, hinc rapinæ, hinc latrocinia proficiscuntur. Hæ incestus pariunt, hæ adulteria gignunt, hæ stupra nutriunt, hæ amores insanissimos luxumq; alunt. Denicq; quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Vides igitur quàm sapuit Flaccus Horatius, qui eas summi materiam mali uocās in mare præcipites dari iubet, si scelerum, inquiens, bene pœnitet. Tanta enim rebus societas, ut etiā uocabulis ipsis cognatio quædam esse uideatur, uitijs ac diuitijs. Quotumquenq; mihi dabis diuitum, qui non alterutro morbo laboret, aut auaritia (qua nihil est tetrius) si natura ad rem sit attentior, aut luxu (quo nil putidius) si paulo sit ingenio benigniore? Alter rei seruus non dominus est, alter haud diu erit: alter habetur, non habet: alter mox habere desinet: alter uiuit magnas inter opes inops, alter abutitur, non utitur. Pulchre hæc intellexisse Eutrapelus quidā mihi uidetur, quem eum à quo forte lacessitus esset, sic ulciscī solitum accepimus. Non conuitijs, nō ueneno, non ferro petebat, preciosis uestibus ditabat hominem, ratus id quod est, diuitias sui famem excitare, habendi famem uirtutem dedocere, atq; ad omnem turpitudinem ac dedecus impellere. Sed fac nihil horum euenire, tu sanè sis rara auis in terris, nigroq; simillima cygno, quid tandem pulchri habent ista preciosa pondera, quæ & molestè parantur, & anxiè seruantur, quorum congestio diros labores, custodia anxios metus, amissio miseros affert cruciatus? Nullæ ergo homini locupleti feriæ, aut partis peruigil incubat, aut parandis inhiat, aut amissa dolet, damnum iudicat quoties lucrum non fecerit. Et quid si montibus aurum æquauerit, aut si potis est, uel uicerit? Auxit sarcinam, cumulauit curas, aggessit metus ac molestiam, parauit sibi custodiæ munus, miseriæ laborisq; plenissimum. Crescentem sequitur cura pecuniam. Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Et minus hanc optat, qui non habet. Denicq; misera est magni custodia census. Vulteius ille Horatianus male de se meritū patronum iudicabat, cuius ingenio à paupertate sua abductus fuerat, seq; non diuitē, sed miserum factum putabat, orabatq; ut quàm primum uitæ priori redderetur. Laudandus ille

quidem,qui mature resipuerit. At auarus,si molesta,inquit, est cura,dulcis est nummus? non me pigebit laboris, dum crescant loculi. Sed dic mihi hominum stultissime dicam, an miserrime,cui nihil satis est,qui opib.tuis aut arca ferrata reconditis,aut(ut magis sapi as)humo defossis,non aliter quàm hesperius ille serpens malis aureis noctes diesq; incu bas,quorsum tandē cēsus istos utiles esse,aut qd reris habere precij? Nēpe nil aliud sunt, quàm æs merum,idq; in facies titulosq; concisum, quod nec edaces animi tui curas sub moueat,nec morbos ullúmue corporis incōmodum aut pellat,aut arceat,nedū mortem. At ne egeam,inquis,præstant. Nugaris,imò ut semper egeas faciunt. Vt enim homini hy dropico potus sitim non extinguit,sed accendit:ita tibi rerum copia,habendi studium ir ritat. At quisquis plura quærit,is se egere declarat. Adde nunc infidam rerum tuarum le uitatem,quæ tu tanto temporum spacio,tanta molestia,per fas nefasq; undecunq; cōges sisti, si fortuna(ut aiūt) rotam uerterit, continuo te deserto alio commigrabunt,tuq; mo do Crœso beatior,subito Irus eris. Hoc clarius est,quàm ut in eo multum sermonem tera mus. Quot enim coram uidere est,ex regijs opibus ad extremam redactos inopiam? Sed fac stabilia esse, fac non deserere uiuum, num uita defunctum sequentur? Tibi in sepul chrum ituro,ex tantis rerum copijs,uix breue idemq; sordidum inuolucrum tollere licet, cætera iamdudum alios habent dominos. Tum si qua bene gestorum substantia recondi ta fuerit,ea una in precio erit,ea una abeuntem non deseret dominū. Tanti igitur suauissi me Iodoce tibi non sint uel uniuersa prædia,& omne aurum quod Tagus et rutila uoluit Pactolus harena, ut salutis tuæ uel iacturam facias,uel moram feras. Quin potius si tan topere ditari iuuat,quo uere diues euadas,domini cōsilium audi: Thesauriza tibi thesau ros in cœlo,ubi nec erugo,nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt,nec furantur. Nihil ea opulentia puta egentius,abundare nummis,egere uirtutibus. Nihil eo lucro in felicius,quod animæ damnum adfert. Turpissimum ergo homini,& erudito,& Christi ano,id cum summo salutis discrimine improbe sectari,quod Ethnicis philosophis, uel li terarum,uel famæ gratia,contemnere haud fuit difficile.

Mortiferas atq; acerbas esse uoluptates carnis. Cap. IIII.

AN forte te dulces illecebræ retinent? Blandissimæ quidem dominæ,& fuca ta sua specie orbem fere totum capientes. Sed tu fucum detrahe, caue cutis artificio fucatus nitor te permoueat. Non quid appareāt,sed quid sint,inspi ce. Videbis istis nihil esse tetrius,nihil spurcius, nihil pecudi uicinius. Nulla enim omnium re ad brutorum conditionem propius accedunt homines, q̄ fœdissima carnis libidine,quæ eo nocentior quo blādior,ut eam diuinus ille Plato escam malorum aptissime uocauerit. Vt enim esca hamo præfixa pisciculos allicit, secq; captan tes capit:itidem illa melle quodam sua uenena dissimulans, animas prædæ auidas pelli cit, pellectas inficit, infectas inclementer perimit. Et ne te diu morer, accipe philosophi sententiam Ethnici quidem,sed plane Christiano dignam, quam apud Ciceronem seni or Cato se Tarenti ab Archita Pythagoreo accepisse cōmemorat. Ait enim nullam capi taliorem pestem,quàm uoluptatem hominibus à natura datam, cuius uoluptatis auidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpub.euersiones,hinc clandestina cum hostibus colloquia nasci dicebat. Nullum denicq; scelus,nullum magnum facinus esse,ad quod suscipiendum non libido uoluptatis impelleret. Etiam illa adnumera,ex ea egestatem,ex ea infamiam, ex ea & graues & tur pes corporis morbos,ex ea animi cæcitatem,ex ea numinis contemptum nasci, hanc esse omnis miseriæ caput, hanc esse postremo catenam, qua ad æternos cruciatus trahuntur homines. O acerbam dulcedinem,quę tot uallata est miserijs,multę antecedunt,comitan tur item permultæ, plurimæ atq; atrocissimæ consequuntur. Dicebam modo ad bruto rum conditionem accedere homines,nunc in ea re pecudes nobis longe anteponēdas ui deo. Illę ēm gratis,suis qualibuscunq; uoluptatibus potiūtur:at homini,deus bone, quan ti constat breuis illa ac turpis gulæ uentrisq; titillatio. Vides quale sit,quod in genere uo luptatum uel præstantissimum est,si quid tamen ibi præstans dici debet. Nunc quid tibi cæteras seculi cōmemorem ineptias dicam,an furias? Mala gaudia dixit quidam,mihi ui deor non alieno nomine uocaturus, si insana gaudia dixero. Quid obsonationes, ingur gitatio-

gitationes,compotationes,ebrietates, nocturnæ debacchationes,quid choreæ, quid saltatus,quid dissoluti lusus,q̃d sales scurriles atq; impudici,quid id genus alia mille,nónne phrenetici risibus tibi uidentur simillima? Quis enim eum hominem non plane mente captum atq; insanum censuerit,qui cum aut cruci suffigendus,aut ense cædendus, ducitur, nihil instantis supplicij metu trepidet,sed inter se flentium turbam iocabundus,saltabundus,atq; cum multo cachinno pergat? At isti Iodoce eo peius insanire mihi uidentur,quo crudelior corporis morte mors animæ est. Ducunt in bonis dies suos,& in puncto ad infernum descendunt. I nunc & ut brutæ ac mox morituræ carni,uel ad horam obsequare, à conditore defice,ut illa perdite uiuat,animam occide,ut illa caducis potiatur gaudijs,tu perpetuos tibi luctus compara. Sed tu forsan legitimam Venerem amas, uxorem cogitas. Non equidem damno nuptias, memini qui dixerit,Melius est nubere quàm uri. Pateat istud infirmis asylum. Non inuideo Segor urbem magnam,et nõ magnam, exincendio Sodomorum fugiẽtibus,sed noui robur animi tui. Comprobo nuptias,sed in his,qui sine illis nõ possunt uiuere. At q̃d his de rebus diuus Hieronymus scripserit,scripsit enim permulta,uide. Hoc unum pro nostra familiaritate tibi quasi in aurem dicam, monens, etiã atq; etiam orans & obsecrãs,ut caueas ferreo isti capistro ora porrigere,quod ubi semel admiseris, haud facile excutias. Non malæ sunt nuptiæ,fateor, at miseræ certe sunt. Cœlibatus pietatis amore susceptus,ut multo melior,ita infinitis partibus felicior.

Vanos & instabiles esse honores. Cap. V

Sed delectant te forsan illustres tituli,atq; honorum splendor capit. Quid ni? sci licet pulchrum,late,ut ille ait,conspicuum tollere uerticem, gaudes quod spectant oculi te mille loquentem. Iuuat ambiri obsequijs, stipari clientela,in ore esse omnibus,herum salutari deniq;. Verum dic age,quid tibi isti uidentur honores,quos tibi mortali mortales partim assentandi studio,partim metu,partim cõmodi spe exhibẽt? Nempe tam falsi sunt q̃ caduci. An nõ falsi,qui eque perditissimo cuiq; ut optimo obueniũt? Eos demũ ueros honores iudica, qui à uirtutis decore profecti sunt. Tu fac uirtutẽ amplectare,iam te uel inuitũ prosequent. Vt em̃ umbrã post se corpora ducũt, quæ nec fugientẽ deserat, nec à captãte prendi se sinat: ita recta gesta ultro dignitatẽ adserũt, quam nec meritus effugias,nec immeritus assequare. An uero quicq̃ magis fluxum, magisq; caducum? Mihi quidem cum omnes mundanæ res fluxæ ac breues uidentur, quid enim hic diuturnum dicas, tum ijs nihil uidetur incertius fugaciúsque, quæ plurimum habent splendoris atq; fastigij. Et cum nihil comparetur molestius,diu enim aduersus præruptum montem uoluendum saxum cum Sisypho,audendum est aliquid,exilio, carcere,aut etiam cruce dignum,ut tandem fias aliquid: cum igitur nihil comparetur molestius,nihil tamen amittitur facilius. Cur ita inquis? Nempe summam dignitatem summa consequatur inuidia necesse est. Summa petit liuor, perflant altissima uenti. Semper enim insignes arduasq; res illa comitari solet. Quid deinde? Qui multorum sibi conflauit inuidiam, is multos uitæ suæ hostes ferat oportet. Cur ita? Nam cum multi ambiant quod unus tenes,nec te saluo assequi spes sit,te quoquo modo tollant necesse est. Difficillimum est autem cui tot tenduntur casses,non tandem in unum aliquem incidere. Aut ergo tibi ueneno ferróue pereundum,aut,ut optime cadat,exilio salus redimenda est. Aut, ut sis fortunatissimus,in perpetua anxietate ac metu ne præcipiteris, claram quidem, at acerbam uitam ages. Iam ne igitur scite Iuuenalis dixisse uidetur?

Nam qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes,numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata,unde altior esset
Casus,& impulsæ præceps immane ruinæ.

Sed quorsum ista tam uerbose? Scilicet ut plane mi Iodoce intelligas, q̃ plena metus, quàm plena anxietatis, quàm deniq; caduca sint, siqua mundus iste præ se fert sublimia. Atq; id quidem te incolumi. Quid ubi incumbit rerum amarissima mors? Cum subito omnis illa rerum illustrium imago euanuerit, insomniorum more, quæ unà cum sopore auolant. Vbi prisci tyranni? Vbi magnus ille Alexander, cuius olim ambitioni angustus erat orbis? Vbi Xerxes ille, cuius classibus constrata redundarunt æquora? Vbi

toties uictor Hannibal, qui dū uixit scopulos & montes rupit aceto? Vbi Paulus Aemylius, ubi Iulius, ubi Pompeius, ubi cæteri, aut ex Græcis, aut ex Romanis, aut ex Barbaris clarissimi principes, quos singulos recensere & molestum esset, & propè ociosum? Quid de tanto rerū splendore atq; maiestate supereſt, præter inanē quandam hominū fabulam, quam & ipsam literatorum officio debent, qui nisi illorū uocabula suis scriptis posteritati cōmendassent, tāta essent obliuione sepulti, ut ne tenuis quidem ipsorū memoria usq; resideret. Sed hoc quicquid est, ad nos fortassis aliquantum, ad illos nihil attinet, neq; ēm illi nunc eadem quæ olim mirantur. Profecto si nunc ab inferis emergeret ille regū, quorum meminimus, maximus Alexander, aspiceretq; orbē tanta ambitione flagrantem, credo irrideret inania studia uulgi, idq; hac aut certe simili oratione, uerū iam experimēto doctior, fateretur: Quò rapitur cęcus error mortalium? Res solidas, ueras, profuturas, nemo miratur: noxias, inanes, incertas, omnes tāto labore petunt. Quid tam improbe, tam pertinaciter, in sublime tolli conātur? Vel meo discant exemplo omneis mortaliū dignitates caducas esse, nebulisq; simillimas, quæ eadem sæpe hora & latissimæ solent esse, & nullæ. Ego ego ille imperatorum olim facile opulentissimus, qui inuictus rerum omnium uertícē tenui, qui reges innumeros Barbarosq; populos p̄domui, qui orbe fere subacto, ęquora quoq; rimatus æthera demū tentaui. Felix plane siquidem mortē terrere etiam potuissem, at ea cuncta uincētem uicit, & quidem leui febricula. Neq; tam subito aut spuma inflata dilabitur, aut fumus perit in auras, q̄ omnis ille rerum strepitus euanuit. Heu quantum quàm repente mutatus sum ab illo Alexandro, cuius olim ædicta totus perhorruit orbis, nunc is, ut uel ab infimo quoq; contēni lædíq; impune possim. Quondam cupiditate mea minor erat immensa mundi uastitas, nunc urnula peranguſta, atq; adeo septem pedum coerceor. Mors enim sola fatetur quātula sint hominum corpuscula. Olim odorato amiculo, radiante diademate, purpuraq; ardente cōspicuus, nunc uel uisu fœdissimus nuda ossa cinisq; aridus iaceo. Et quo mihi insignia stemmata, quo auro picta monumenta? Quorsum operosa pyramidum fabrica, neq; uidenti, neq; sentienti? Atq; utinam cum corpore suo et animus unà intereat, neq; mortem istam multo acerbior mors sequeretur. Sed heu ille maximo suo superstes malo totius actæ uitæ pœnas dare cogitur. O ter felices, qui id uiui persuasere sibi, quod nos experti, sed sero, intelligere cœpimus. Sapiūt, sapiūt, qui sua sorte contenti, ipsi se uincere certant, sibi magis imperare q̄ aliis, potius illud cœleste atq; perpetuum, quàm hoc terrenum caducumq; ambire imperium. Magnus rex est quisquis se bene rexerit. Quid potest esse hac oratione uerius, & quem tam uera, tam miserabilis oratio ab ambitione non deterreat?

De mortis necessitate, quæ nihil sinit esse diuturnum. Cap. VI

SEd æquo longior sum, præsertim in re luce prope ipsa clariore. Is enim nunc rerum cursus, ut si qua miranda ueteres annales narrasse uisi sunt, nunc nemo sit qui credat, cum tristiora exempla iam uideat quàm legerit. De morte autem, quando de ea sermo incidit, id in primis admirari soleo: quo pacto cum nihil ita ut ea sit in oculis, nihil ita absit ab animo. Quid quod & uocabulum à morte duxere mortales, quo fit ut nominari non temere possimus, quin aures nos ipsæ mortis commoneant? Et ne sic quidem timemus. Quid hoc letargiæ, quæ hæc est humanarum mentium securitas, dicam an dementia? Itáne male memores sumus, tantúmque ex amne lethæo, ut aiunt, obliuionis hausimus, ut ea quæ nunquam se sensibus nostris ingerere desinunt, non meminerimus? Itáne saxorum in morem perstupuimus, ut toties auditis, toties uisis, non excitemur? Videmus ne unum quidem ex priscis ætatibus superstitem: Nostro quoque æuo nulli omnino hominum generi mortem parcere cernimus. Abiere maiores, illudq; Ciceronis eis conuenit, Vixerunt, nos sine omni discrimine eódem uadimus, sequentur item posteri. Ita rapidissimis in morem amnis omnes in occasum præcipites uoluimur. Omnes eódem cogimur, ut ait Horatius, omnes una manet nox. Et calcanda semel uia leti. Mixta senum & iuuenum densantur funera, nullum sæua caput Proserpina fugit. Cadunt hinc atq; hinc innumeri ex maioribus natu, ex natu minoribus, ex æqualibus, ex familiaribus, ex necessariis, ex cognatis, ex parentibus, ex liberis, inter medias morientium strages ipsi morituri uersamur: & cum eadem simus conditione

ditione, eidem fato nati, non idem metuemus? Quid tu, inquis, me nunc mortem cogita- *Confutatio*
re iubes? ætas integra est, longe abest ut canis albescat caput, ut frontem seniles rugæ con
trahant, ij mortis metu uiuant anxij, qui annis iam graues, senio incuruí terram salutant,
quibus iam leue caput, malæ pendulæ, oculi minores atq; introrsum refugi, nasus perpe-
tuo madens, dentes rari, ijdemq; luridi, qui cornice uiuaciores, iam dextra suos annos
computant. Ab his ego longe absum. Feruet adhuc uiuidus circum præcordia sanguis,
lacerti ualidi, latera firma, denicq; omne corpus uegetum adhuc & succi plenum, in spem
diuturnę uitę uocat. Verum age quis deorum tibi canos, quis seniles rugas pollicitus est?
Si nisi canum neminem efferri uides, uiue securus, nec ante canos ac rugas de morte cogi-
tes. Sin illa in omnem ætatē grassatur, si nondum æditos præfocat, arcens potius à uita &
tollens, si infantes à maternis abrumpit uberibus, si rapit impuberes, si puberes tollit, si
uiros extinguit, si senes excipit, si denicq; nullum neq; sexus, neq; ætatis, neq; roboris, neq;
formæ nouit discrimen, num te unum habitura est eximium? At senex quidem diu uiue-
re non potest. At tu adolescens cito mori potes. Quàm illi mors certa, tam tibi uita incer-
ta. Nemo tam senex, quin unum adhuc diem superuiuere possit: nemo tam iuuenis, qui
hodiernæ lucis sibi uesperum possit polliceri. Et quidem si diligētius obserues, longe plu
res ephebos & canos efferri comperies. Cum semper rara fuit canicies, tum hac tempesta
te nunc & neq; contemptior, neq; rarior. Quot mihi iam monstrabis nō dicam Tithonos,
Nestores, Sibyllas, aut Mathusalemos, sed centenarios? Imò quoto cuicq; nunc eò ætatis
uenire contingit, ut sexagesimum uideat annum? Profecto uix millesimo cuicq; mortaliū.
Et quantulum est hoc æui? Et tamen & rarus sit qui attingat uides, adeo fragilis, incerta,
totq; casibus subiecta est uita hominum. Vis tibi huius rei Iodoce exhiberi simulachrum,
& dilucidum & accommodum? Prima æstate florentem arborem contemplare, tanta flo
rum densitate luxuriat, ut nusquam truncum, uix usquam folia uideas, tantam germinis
ubertatem promittit, quantæ ne ferendæ quidem par fuerit. At ex tanto florum nume-
ro uix pauci admodum adolescunt, partim erucis, partim araneis corrumpuntur, partim
uento, partim pluuia excutiuntur. Iam positis folijs, ij ipsi qui superstites sunt, ut ita dicā,
fœtus, nam flores esse desierunt, uidentur sensim in pomi carnem turgescere. Num per-
stant ad maturitatē omnes? Minime, Multos tinea exedit, alios uentorum tempestas de-
cutit, alios immodicus hymber corrumpit, pleriq; alia quauis peste læsi demoriuntur, ut
tandem ex tam diuite spe uix paucissima poma decerpas. Nec paucioribus incommodis
uita petitur humana. Mille morborum nomina, mille item mortis casus, mille modi leti,
mille mortis laquei, quibus multo plures præmatura intercipit, & matura soluit. Et cum
tot tantisq; periculis exposita sit uita mortalium, uide obsecro quę sit socordia, perinde ui
uere, quasi nunc & simus morituri. Aliena curamus, ea quibus aduersus mortem instructi-
ores esse possemus, apparare cessamus. Quid si regi cuipiam cum hoste capitali res esset,
ac nesciret quidem & prope abesset, at hoc certe exploratum haberet nō longe in insidijs
esse, ac iamiam commoditate accepta erupturum, num is rebus hoc loco stantibus, de bal
neis ædificandis, aut ornanda cœnatione, aut uxore ducenda cogitabit, ac non potius de
copijs augendis, de uallo iaciēdo, de excubijs, de armis, ac cæteris rebus militaribus, qui-
bus hostem frangere possit? Id uero curabit eo diligentius, quod incertus sit quo tempo-
re, qua parte eruptur ę sint insidiæ. Ast mors nobis, qua nihil capitalius, omnibus locis, o-
mnib. ętatibus, mille modis insidias struit: et nos interim, si deo placet, miramur argētum,
curamus cutem, ambimus magistratus. Quod si fallacis æui incertam fidem, atq; impen-
dentem omnibus horis mortē omnibus horis cogitaremus, nostrisq; ipsi auribus ingere-
remus, id quod uates ille ęgroto regi, Dispone domui tuæ, morieris enim, cōtinuo omnia
istamale sapida amarescerent, preciosa uilescerēt, inclyta sordescerēt. Ita una mortis me-
moria omnium facile rerum contemptum persuaserit. Quó enim tibi ô auare, tantum au
ri recōditur? Mors imminet uniuersa raptura. Quid tu breuissimo itineri tantas paras far
cinas? Num excidit, quid Euangelico illi stulto euenerit? cui sibi de confertis horreis gra-
tulanti, multaq; gaudia pollicenti dictum est. Stulte, hac nocte animam tuam à te tol-
lent, & ista quæ parasti cuius erunt? Tu uero hominū uanissime, quid tanta improbitate
insana sectaris gaudia? Respice, mors tibi cominus incumbit, istas quantulascunq; illece-
bras in æternos mutatura cruciatus. Tibi porrò ô ambitiose, quę incesit tam dira regnan

di cupido? Ecce tibi mors in foribus, quæ te ex isto rerum fastigio in humum præcipitet, atq; turbinis rapidissimi more te tuaq; omnia tollat. Nec minus igitur uere quàm erudite Rodolphus Agricola noster scripsit:

Omnia mors sternit, quod natum est occidit. Vna
Fine caret uirtus, & bene facta manent.

Quid enim in eo urgentissimo fati supremi articulo, præter unam uirtutẽ reliquũ erit? Cum exangues artus unà & sanguinis calor & uita fugiet, ora horrendus quidam liuor tinget, oculos dudũ tam uiuidos perpetua caligo obscurabit, & omne deniq; corpus frigidus quidam stupor occupabit, anima uero miseranda, utpote cui desertæ omne negocij pondus incumbit, ad seuerum illud atq; inexorabile prætorium abripietur, quo pacto quęq; gesserit rationem postulanda. Quid tum, inquam, ex omnibus supererit, quibus parandis ætatem triuisti omnem? Vnde opem petes? Quò tum miser confugies? quò confugies miser? Ad opes? At hæ & nihil opitulari possunt, & iam dudum alios nactæ sunt dominos. An uero ad uoluptates? Sed istæ, ut corpori cõcrete, una cum corpore moriuntur. Ad ætatis iuuenile robur? At sua cuiq; senecta mors est. Num uero ad formæ egregium decus, qua dudum superbus omnium tibi conciliabas amores? At ista rosæ in modũ, quæ pollice decisa continuo demoritur, ita morte decerpta omnis emarcuit. Minus uero dixi, emarcuit, imò omnis in horrorem abijt. Nemo enim tam uiuentis formam amauit, q̃ horret extincti cadauer. An ne ad pristinam gloriam? Atqui hæc, ut docui, cum uita prorsus euanescit. Quò tandem igitur? Ad amicorum turbam? Verum isti partim ut hirundines exacta æstate, ita cum fortuna unà deuolarunt, cæteris, si qui perstitere, opis ferendę facultas est nulla. Et quid tibi conducet, si illi pectora sua miseri plangant, si uultus laniẽt, si quicquid in ipsis sanguinis est in lachrymas uersum, funeri tuo impendant, si deniq; tua causa insaniant, mortisq; addãt sese comites? Sibi mala accersere possunt, te eripere non possunt. Sapies igitur, si sortis tuæ non sero memor, ea pares, quibus munitus supremum diem securus expectes. Opes, uoluptas, claritas, & si alioqui solida ac utilia erant, quod multo secus est, certe morituro sunt oneri. At tum demum uirtus incipit esse usui. Illa si nõ nobis, certe nos illis, subtrahimur: uirtus nunq; comitari, nunquam tueri desinit.

Mundum miserum esse & sceleratum.

Cap. VII.

HAbes mi Iodoce charissime quàm falsa, quàm fugacia, quàm pestifera sint seculi bona, si qua tamen iure bona appellari debent, nunc contrà illius mala paucis accipe. Olim forsan nihil monstri fuit ægre à mundo diuelli, cum quadã sua ut ita dixerim iuuenta floreret: nunc nisi ipsi nos studio fallimus, quid est quo mundus possit fallere? Quotquot olim singulę singulis seculis clades incubuere, nũc uni incũbunt uniuersę, bella, factiones, caritates, penurię, sterilitates, morbi, pestes, & quid non uidimus nostro æuo mali? Iam quartum & uigesimum annum agimus, nullas hoc toto spacio à bellorũ strepitu ferias uidimus, Syllana nobis tẽpora factionis partibus referentibus, quarum utracunq; victrix euadat, victa certe patria, immeritas pœnas pendere cogitur. Penuriæ uero quàm miseranda exempla uidimus, ut pleriq; homines pecudum pabulo uictitent, pleriq; inedia pereant. Vt nunc secula sunt, Cræsus sit necesse est, qui familiæ suæ uel parcum uictum suppeditare possit. Adde illud, etsi tu alioqui felix uiuas, ita calamitatis plena sunt omnia, ut te auditi questus, uisæ miserorum miseriæ miserum reddant. Scelerum pręterea ita increuit seges, ut iam ferream illam ætatem longe uicerimus, de qua ante mille annos cantatum est.

De duro est ultima ferro.

Protinus irrumpit uenæ prioris in æuum
Omne nefas, fugere pudor, uerumq; fidesq;.
In quorum subiere locum fraudesq;, doliq;,
Insidiæq; & uis, & amor sceleratus habendi.
Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
Ac nunc, Noua ætas agitur, peioraq; secula ferri
Temporibus, quorum sceleri non inuenit ipsa

Nomen,& à nullo posuit natura metallo.
Nunc si depositum non inficietur amicus,
Si reddat ueterem cum tota erugine follem,
Prodigiosa fides,& Thuscis digna libellis:
Quæq; coronata lustrari debeat agna;
Rari quippe boni,numero uix sunt totidem,quot
Thebarum portæ,uel diuitis ostia Nili.

Quid tibi cũ seculo,si peierare,si circũscribere, si fallere,si rapere aut nõ uis,aut parum calles? At quid mea,inquis,refert,cuiusmodi seculum sit,mihi ueri rectiq; cura est. Si qua recti cura est,, fac te isthinc quàm primũ abripias. Nullum enim seculo cum uirtute commercium. Mentior,si nõ id ueritatis præcipuus amicus clamat: Totus mundus in maligno positus est. Ne ista tibi oratione blandiaris. Quid alij gerant,nihil ad me attinet,mei unius mihi cura est. Erras tota,ut inquit Comicus,uia. Permagni Iodoce interest,quibus cum uictites. Non aliter enim quàm corporis uitia contagio serpunt,serpũt & animorum morbi. Improbo conuictu nihil perniciosius. Esto sanè tu quidem uirtutis amantissimus, ascisce uero tibi conuictorem perditum,quando futurum est,ut tu illum ad tuos mores redigas? Ille magis,ut sumus natura in uitia procliues, tibi sua uenena afflabit,suam tibi adfricabit scabiẽ,ac sui denicq; similẽ reddet,aptecq; tandẽ cõueniet id uobis prouerbij,quod uulgo nemo non dictitat: Concoloribus plumis aues unà uolitant. At quis me adiget, inquis,ut cum homine scelerato & perdito uictitem? Rogas? Ista ætas,negotiorum tuorum necessitas quædam, præterea pudor illiberalis quidem ille, sed certe generosis fere animis insitus,postremo sodalium improbitas. Ad compotationem uocatus,ne quid obscœnius dicam,si aut negocia excuses,aut ualetudinem, ne iurato quidem creditur,parculus aut sordidus uideberis. Quid facias? Tu sane quo notam tam insignem caueas, obtemperas. Vbi in popinam, aut œnopolium uentum est,alterni accubatis iuuenes ac puellæ. Quod honestissimum sit dico,turpiora pudet dicere, cum illos sæpe non pudeat facere. Tum bibendi certamen oritur,in quo ut bibacissimus quisq; fuerit,ita maxime festiuus,bellus,ac nitidus habebitur. Hic quid nõ ebrietas designat? Fœcundi calices quod tandem non audent nefas? Tum Pithias multo uidetur formosior, Tum Chremes longe factus hilarior,uere uulgo dici fatetur: Sine Cerere & Libero friget Venus. Postea ubi eos epularũ satietas cœpit,ad choreas surgitur. Cuius animus sic compositus,sic firmus, sic marmoreus est,quem lasciui illi motus,agitataq; in numerum brachia,citharæ cantus, uoces puellares,non corrũpant,non labefactent,non emolliant? Adde quod ea sæpe carmina sunt, quibus incendi iam frigidus æuo Laomedontiades & Nestoris hernia possent. At ubi choraules,cithara ex more tacta,quiescendi signũ dedit, rusticus habeberis, ni eam cuius leuam complexus saltasti diffuauiatus fueris. Cæteri lusus hic impudentiores,atq; ad meram lasciuiam excogitati, à me non dicentur, utinam ab illis non agerentur. Quorum si tu quicq; recusaueris,si quid grauius,si quid pudentius agere tentes,inurbanum,illepidũ,tristem,agrestem, atq; à communi hominum sensu abhorrentem dicũt. Id ignominiæ ut caueas, quã non turpitudinẽ admittis? Sic sic dum fugis odio esse, dum pudet difficilem uideri,dum pudet non esse impudentem, ut diuus ait Augustinus,omnẽ pudorẽ dediscis,ac simili scabie infectus, & ipse alios pergis inficere, Sed fac tibi cum nemine esse improbo consuetudinem, quanq; miror istud ut fiat, solet morbi uirus non contactu modo, unde nomen duxere contagia, uerum etiam aspectu serpere. Cum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi. Ego quidem irritamentorum quibus ad turpissima quæq; impellimur,oculos multo maximam partem puto. Tu igitur Iodoce optime,si uitæ tuæ consultum uelis, fac ab ista scabie te cq; maxime seiunxeris, atq; ad eos conferas, quorum te reddat consuetudo emendatiorem.

De felicitate uitæ solitariæ. Cap. VIII

QVanquam itaq; hęc cõmemorasse abunde satis esse puto,attamẽ ne alacer modo isthinc exilias,uerũ etiam lætus ac lubens huc aduoles,id est non tam seculi mala perosus quàm nostrarum delitiarum cupidus,nunc uitæ nostræ commoda paucis cõmemorasse haud ab re fuerit: id quod breuius fieri necesse erit,

tum quod tantum temporis & chartæ & operæ commemorandis uel ſtrictim ſeculi malis dedimus, ut his narrandis minus ſuperſit quàm rei immenſitas poſcit, quanquam quis huic rei ſermo, aut quod ſermoni tempus, par fuerit, tum quod te iamdudum noſtræ loquacitati ſubiraſci ſuſpicor, tum etiam quod eæ res ſunt quę facilius ſentiantur quàm narrentur: Malim igitur te eas experimento, quàm noſtro ſermone diſcere, explorare, quàm perſuaderi. Tu modo fac te ex iſto turbido rerũ ſtrepitu, ad nos ocyus recipias. Tum demum intelliges quantum abſit à uera felicitate, & falſa & fallax mundi proſperitas, quantò noſtri labores ueſtris præſtent delicijs. Intelliges, inquam, experrecti more, qui dum ſomniaret, ea ſimulachra quæ dormienti illudebant eſſe uera exiſtimabat, gaudebat, trepidabat, æſtuabat, & mille motabatur affectibus, ſed ſimul atq; ſomno ſoluitur, ſe uanis imaginibus illuſum comperit, ridetq; ipſe ſua inſomnia. Ita tu ubi inſtituti noſtri felicitas comperta erit, tum quoties illa priſtinæ uitæ ſomnia animo iam uigilanti ſubierint, uah, inquies, adeó ne deliraſſe me unquam, ut hæ atq; illæ nugæ me delectauerint? Ità ne rapuiſſe animum inanium bonorum phantaſmata, ut uerorum ne cupido quidem ulla ſubierit? Nunc igitur Iodoce, ni ſomnio quàm re beatus eſſe mauis: ſi dormis, expergiſcere: ſin dormitas, ne ſomnus altior tẽporibus obrepat, oculos excute: ſin uero quod magis reor, uigilas, ne quando dormientiũ exẽpla & religionis ſomnifera quædam uis, ſomnum inire ſuadeat, ex iſta Babylone terra inſomniorum umbrarumq; plena euolare quod potes propera, atq; ad noſtram Hieruſalem aduola. Quid reſpectas? Quid reſtitas? Quid hæſitas? Semper, ut apud Lucanũ eſt, nocuit differre paratis. Rumpe age moras omneis, neq; enim aut leue, aut ludicrum negocium uertitur. Animæ res agitur, digna planè ob quam uel amantiſsima deſeras, ac duriſsima ultrò ſubeas. Nam ſi peritus quiſquam medendi artifex, capitali morbo laboranti diceret, ſine pauliſper iam faxo priſtina ualetudine gaudeas, cedò, quos non lubenti animo ferres cruciatus? ſineres corporis membra ferro rigido ſecari, ſineres excidi, ignibus aduri, alijsq; mille tormentis affici, ipſa propemodum morte crudelioribus, modo mortem effugeres, immo ut huic uitæ miſerę paululum quiddam temporis accederet, Et quid per deum immortalem, ullá ne res moleſta uidebitur, quam mortis tum animæ, tum perpetuę defugiendi gratia ſubeas? Si hoc loco tibi res eſſent ut alterutra eſſet accipienda conditio, aut ſine iſtud extingui corpus, ut ſempiterno æuo uiuat anima, aut corporis uitam animæ morte paciſcere, credo nihil hæſitares, niſi quouis phrenetico peius deſiperes, qui animi perpetuam uitam corporis breuiſsima duceres potiorem. Vis ne igitur Iodoce ſuauiſsime, & beate, & perpetuo uiuere? Mirum ni uelis. Quis enim nolit? At quo, inquis, pacto iſthuc aſſequi licet? Vide age quantam rem, quantulo labore mercari fas ſit. Non tibi Dędaleis pennis tentandus æther, non uaſta trajicienda æquora, non Herculei ſubeundi labores, non ignibus inſiliendum, nemo te adigit, ut membra tua lanies, aut mortem tibi conſciſcas denicq; : quanquã quis priſcos martyres inſaniſſe dicat, qui huius felicitatis ſpe adducti, nullos cruciatus, ne mortem quidem ipſam duram iudicauere? Vide obſecro, quàm ſit profuſa in nos domini noſtri munificentia, at contrà quàm mollia iuſſa. Perpetuam felicitatem, mortem æternam commeritis pollicetur, Quid hac pollicitatione liberalius, quid certius? At nunc quid te iubet facere? Nihil, niſi ut tu te interim tanti muneris capacem præſtare ſtudeas. Quo iſtud pacto fiat rogas? Is nondum ueræ felicitatis capax eſt, quem falſa captum detinet. Vis æternum uiuere? Fac bene uiuas. Vis adire paradiſum? Relinque ſeculum, ut ſceleratiſsimũ, ita & afflictiſsimum. Deo iungi cupis? cura ut diaboli nexibus expliceris. Veras amas opes? Falſas abijce. Veri iuuant honores? Falſos ambire deſine. Quid plura? Veram beatitudinem amas? Iſtas dulces erumnas, imò erumnoſas dulcedines, fac reliqueris. Quid his pręceptis mollius, quorum obſeruationi cum uera felicitas merces debeatur, ipſum tamen obſeruare, eſt cœpiſſe felicem eſſe? Tanquam iubeat, deſinite miſeri eſſe, ut beati ſitis: deſinite ſeruire, ut libertate gaudeatis. Et ô nimiũ diſſimilem diaboli ac dei ſeruitutem, ó diuerſam militiam. Ille enim ubi miſeros falſa quadam delectatiuncula ineſcarit, pape in quos horrores, in quas turpitudines, in quas miſerias conijcit, ac poſtremo ubi ſatis ludibrio habuit, iugulat. Hic per breues atq; exiguas moleſtias, quas ipſas noſtra, non rerum culpa patimur, ad incredibilem iucunditatem inducit, ac poſtremo cœlo beat. Illius inauctoratio ſubdola, militia acerba, ſtipendium, quod ſcriptura teſte mors eſt, acerbiſ-

A præmijs in hac uita

ſimum

simum. Huius obligatio fidelis, militia, quanto diuturnior, tanto suauior, stipendium suauissimum, quod est beata immortalitas. Illis uita misera, mors miserior, post eam uita miserrima. His uita felix, mors felicior, quã uita consequitur felicissima. Et quis sub hoc tam leui, tam liberali imperatore non ꝙ lubentissime uel gratis meruerit, qui tam dulces imperat labores? Quod si mihi habes patum fidei, ipsum qui fallere nescit, quid enim mentiatur ueritas, hortantem audi: Tollite iugũ meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum meum suaue est, & onus meum leue, Quid tandem gaudiorũ futurum rere iam parta uictoria, in cœlis sempiternum triumphum celebertima cum pompa agentibus, cũ sic delectet militiæ labor? Qua nos uoluptate afficiet felix illa libertas, quibus suaue est uel iugũ. Sed fore suspicor quibus miraculo futurum sit quod diximus, nimirum de illorum grege hominum, qui pecudum simillimi, omnẽ felicitatẽ aut palati, aut uentris uoluptate metiuntur: ij ægre adduci poterunt, ut credant labores in quibus monachorum uita uersatur, non modo molestos ac tristes non esse, sed hilares etiã ac iucundos. Verum ijs quando ne ueritas quidem ipsa ueri facit fidẽ, iubeo ipsos explorare, periculum facere. Moriar si quid fefellero, modo ne ab ipsorum parte peccatũ fuerit, qui non ut oportuit tentauerint. Quod si experire piget, certe expertis fidẽ habeant. Ego quidem iurare ausim, nihil hic non esse uoluptatis plenum. Pauperie nostra nihil locupletius, seruitute nihil liberius, labore nihil quietius, inedia satura, angustiæ spaciosissimæ, mœror iucundissimus, amaritudo perꝙ suauis, uigiliæ somno quouis gratiores. Verũ hæc ne iuranti quidẽ crediderint, imò me tam contraria iungentẽ nihilo iudicabunt saniorẽ eo, qui noctem lucidam, diem obscurum, aut ignem frigidum aquam calidam contendat asserere. Verũ quid facias pecudibus istis, q rationis expertes, solis corporis sensibus sapiũt? Age mos gerundus est illorũ tarditati. Aliquo sensibus familiari argumento adducendi sunt, ut ex notissimis parum nota cõijciant. Rus eos ducamus, aut certe si id molestum est, portus propior est, ubi nautarũ unum quẽlibet accitum sic percõtemur, Heus tu bone uir, num tibi molestus est labor ille nauticus? Imo, inquiet, dulcis. Qui sic? Nam quæstus iste uel omnium plurima ac maxima uidetur habere incommoda. Verum. At cõtrà, plurimæ res sunt, quæ me fatigari nõ sinant. Quæ? Primum dulce lucrum, quid non dulce faciat? Nihil mari locupletius. Multi hodie uiuũt, quos ex pauperrimis ditissimos una nauigatio fecit. Quid si idem mihi eueniat? Deinde assuetudo ipsa bona me molestiæ parte leuat, quæ profecto tantum in rebus habet momẽti, ut nihil factu sit tam acerbum, quin sæpe facilitatum aut dulce aut certe leue fiat. Postremo sunt quibus ita laborẽ mitigamus, aut potius fallimus, ut ne animaduertamus quidem, cantus, sermones, lusus, facetiæ, atq; eius generis alia mille. Audistis, ut arbitror, satis dilucide. Nunc si singulas officinas lustremus, credo singulos aut eadẽ, aut eiusmodi respõsuros. Quid igitur? si operarijs istis lucelli uilissimi incerta spe summus dulcescit labor, quid ni idem in nobis efficiat sempiternæ felicitatis expectatio certissima? Si apud illos tantum ualet assuefactio, quid causæ est, cur non idem apud nos possit? Si illis sunt quibus incommoditates suas leniant, nobis certe sunt multo & plura, & potiora. *Collatio exempli*

Libertatem summam esse, non in mundo, sed in secessu. Cap. IX

QVæ quidẽ, ne perturbate diutius ac sine ordine feratur oratio, in tribus potissimũ mihi cõstare uident, libertate, trãquillitate, ac uoluptate. At libertatis, ut de hac primo loco disseramus, natura cupiẽtissimi sumus omnes, seruitutẽ nemo nõ horret, adeo ut plerique eius odio mortẽ sibi cõsciuerint, libertatẽ uita iudicãtes potiorẽ, mortẽ seruitute. Quare si adeo libertate delectãtur homines, ut emendã tanti falsam putent, nostræ uitæ institutum amplecti atque expetere debent, utpote quod & summam, & ueram habeat libertatem. At hic mihi imperitior aliquis dixerit, si libertas, Cicerone definitore, est potestas uiuendi ut uelis, quæ uobis sit libertas omnino non intelligo, quibus uolucrum more cauea inclusis, ni Abbatis iussu tentare licet nihil, non edere, non loqui, non dormire, non uigilare, non ire, non redire, non uel hiscere. Hoccine tandem est liberos uiuere? Non Hercle magis, quàm liberi sunt equi & asini, qui frenis ac stimulis quocunq; lubitum est sessori circumaguntur. Sed istud facile soluitur. Nam nihil *Tria bona uita monastica* *Confutatio*

nobis

nobis quod non liceat libet, licet igitur quicquid libet. Verũ de nostra libertate posterius. Interim sine te uicissim percõter, qua tandem fronte tu tibi libertatẽ uindicas, cui tot sunt domini, quot uix uno die pernumeres? Principio tibi secularibus, ut uocãt, necessitatibus seruiendum est, quibus quisquis semel manũ dederit, ita illum irretire nexibus, tantis cõplecti catenis solent, ut quocunq; uocarint, sequẽdum sit. Quid si & uxorem habeas, imò habearis? Est enim res reciproca coniugiũ. En tibi alteræ cõpedes. Accessit molesta sane seruitus, atq; ex qua haud facile te expedias. Quid si etiam sceleratus sis? per deũ immortalem, in quam duram seruitutem te asseruisti, iam tibi quot uitia sunt, tot dominis parendum est, & quidem teterrimis, improbissimis, sæuissimis. Quis enim eum liberũ censuerit, qui libidini suę nihil temperare potis est, sed quiduis, etiã turpissima, ut semper, ac durissima, ut sæpe, imperanti obtemperet? Somnos poscunt oculi, libet dormire. At contrà, ne facias, uetat imperiosa admodũ hera libido, iubet noctu insanire, cursitare, amicã inuisere, in olenti fornice inter prostibulas noctem insomnem ducere. Illic scorto putidissimo inseruiendũ est, iubet, parendum: uetat, æque parendum: eiicit, abeundum: reuocat, redeundũ. An non tibi ista seruitus & quidem maxime pudenda uidetur? Quæ uero homini cupido libertas? Libet domi uiuere, sic iussit inertia. Num cõtinuo licet? Licet siquidem isthuc sinet domina cupiditas. Siccine, inquit, agis ignaue? Cessas? Non uides quantum lucri facturus sis, si iam merces in Angliã deportaris? Age accingere, nauigandũ est, en tibi uenti secundi. Tu certe ut heræ iussa peragas, uel totas hyemes terra mariq; cursitas, tempestatũ, coniugis, natorum, uitæ postremo securus. Hoccine est tandẽ liberũ uiuere? Itidem de singulis uitijs probandi ratio sumi potest. Verum iamdudũ ociosam esse loquacitatem meã sentio, ad cætera ueniendũ, sed si prius generatim docuerimus, qui sceleratus sit liberum esse neminem. Nunquam ne turpitudinis tuę pudet pigetq;? Et sæpenumero, credo. Quis enim usq; adeo perditus est, qui nunq; in se redeat, perspectaq; fœditate sua, uel supplicij metu, uel uirtutis amore mutari cupiat? Ita est, inquies. Quin pugnoaliquoties à perditis moribus recedere, sed iam abire parantem, nescio qua uiolẽtia, peccandi consuetudo remoratur, ac uel inuitum ad pristina studia redigit. Recte uero narras. Quid? Sentis ne igitur te captũ esse miser? Tandem ne intelligis, te seruũ esse uitijs? Vbi senserint te à se desciscere parantem, iam fugam meditari, manus tibi iniiciunt, atq; utiseruum compedibus uinctum pistrino, ut ita dixerim, dedunt. I nũc demens, & libertatem tuam nobis iactita, cui seculo, cui coniugi, cui fortunæ, libidini, cupiditati, ambitioni, cuidenicq; diabolo ipsi seruiendũ est, adeo ut iam cũ Syro illo Terentiano merito dixeris, nisi quod ille ficte, tu ex animo, scire cupio q̃t mihi sint domini. Porrò ut scite noster scripsit Hegius: Seruire multis fortis est miserrimæ. Quid ego nunc tibi nostram libertatem commemorem? An nõ singularis libertatis uidetur extra fortunæ, si qua est, ditionem uiuere, eam neq; acerbam metuere, nec optare secundam? aduersa non frangi, fausta nihilo fieri insolentiorem? Audemus illi cum Democrito mandare laqueum, ut apud Iuuenalem est, mediumq; unguem ostendere. Nihil illi in nos iuris est. Rerum cupiditatem unà cum rebus ipsis abiecimus, imò deo fœnerauimus. Quid si uitam adimat? Nobis quidem prẽter turpitudinem nihil acerbum accidere posse persuasum est. Mors uero ijs metuenda est, qui uixere turpiter. Bonis certe non modo non metuenda, uerumetiam optanda est, utpote quæ eos hinc in feliciorem uitã abducat. Præterea ferream illam, imò adamãtinam secularium negociorum catenam abrupimus, ac molestissima sarcina leuati cœlo ferentes animum, quicquid humi geritur nihil nostra interesse iudicamus. Qua re quid potest esse liberius? Postremo durissimum illud Pharaonis teterrimi iugum, deo opitulante excussimus, improbissimis dominis, uitijs dico, parẽre desiuimus, non ita quidem, ut nihil unquam peccemus, quod haud scio an nemini mortalium in uita contigerit: sed ut miles is plurimum sibi laudis uictorisq; nomẽ è certamine merito suo ferre potest, qui cõfertis cominus dextris gnauiter dimicans, non sine uulneribus quidem suis, sed tamẽ hostem aut capit, aut iugulat: cõtra uero uictus iudicaret, si etiã citra uulnera, & salua cute se capi, atq; in seruitutẽ abduci pateretur: ita nobis, si quãdo euenerit, quod ut dixi, ab homine præstari ferè nequit, quid nostra refert, si nonnihil labamur, certe uincimus, certe libertatem, certe uitam tutamur. Quid quod ij qui in prælio fortiter egerint retecto pectore etiam cicatrices suas ostẽtare solent, aut spiculis, ita ut forte excepta sunt in corpore relictis,

in

Varia seruitutis genera

Vxor

Libido

Consuetudo uitiorum

In Adelphis. Alexander Hegius

in castra seu in urbem spectandi redire, id decorum maxime arbitrãtes, si pro patriæ, suaq; salute tuẽda q̃ maxima uulnera excepisse intelligantur? Præstat profecto semineces ac uictorem in castra referri, quàm incolumem, siquidem id detur, quàm hosti dedititium uiuere. Quisquis autem uitijs se dedidit, hosti dedititius uiuit. At quali hosti? Quo nemo sit turpior, nemo immanior, nemo capitalior, qui nostræ mortis quàm suæ uitæ sit auidior. Et quid possit esse homini magis pudẽdum, aut quid hominis dignitate indignius, quàm diabolum tam fœdum ferre dominum, eo contempto cui & se & sua omnia debet? Præsertim cum huic seruire summa sit libertas, atq; adeo sola. Quare si quem illius libertatis iam tædium cœpit, huiusq; liberrimæ seruitutis desyderium, hic hic quærendam nouerit. Conclusio
Nam cum illi seruire una sit libertas, ut diximus, id autem ita ut in secessu nusquam licet; nusquam tanta libertas.

Solitarios duplici tranquillitate gaudere. Cap. X.

TRanquillitatem uero quis digne cõmemorarit? Non hic inquietus ille mundi fragor obstrepit: quid enim ist hic non plenum fremitus, plenum tumultus? Hic lachrymat, ille ridet: hic queritur, ille litigat: hic salutat, ille nunciat: alius uocat, alius reuocat: itur, redit ur: clamatur, discurritur: quocunq; aspexeris, quoquo te uerteris quietum nihil, nihil nõ clamosum offendes, ita ut in turbulentissimo aliquo freto uersari possis uideri. Et quando inter ista liceat animum componere? Quis in tam uaria rerum facie possit secum constare, secum uiuere? Quid in turbine isto diuinus hominis animus possit se dignum aut cogitare, aut agere? Aut qui fiat ut sponsum suum fores pectoris pulsantem sentiat, alloquentisue uocem audiat anima, iam facta perpetuo atque immodico fremitu surdastra? Profecto non in urbe, sed in monte: non in curia, sed in spelunca: non in petras conterente turbine, non in commotione, non denique in igne, sed in auræ tenuis leni sibilo Helias dominum sensit adesse. Quod si sacras historias euoluere uacet, uidere fuerit maxima quæq; diuinarum rerum miracula, non in turba gesta esse, sed in recessibus. Vbi enim Mosi arcanum illud rubi flamma innocua flagrantis portentum exhibitum legis? Num in Aegyptijs urbibus? Minime. Nam tum illinc tyranni metu profugerat, uerum ad montem dei, penetrata prius uastissima atq; altissima sylua. Neque fumantia tecta, sed deserta uirentia incolentibus manna depluit. Vbi uero diuina illa ferendæ legis pompa acta est, cum è densissima caligine fulminibus subinde celeri flamma emicantibus, mugiente tonitru cœlestes buccinę horrendum interstreperent? Nempe in Synai montis uertice, uulgo procul absistere iusso. Et olim prophetarum filios, prophetas utiq; futuros, tectorum odio Iordanis ripas habitasse accepimus. Ioannes homine maior, utpote angelus domini uocatus, ubi quæso cœlestem ac purissimam uitam exegit? Vbi diuina arcana edoctus est, ut dissimulatum homine deum, digito monstrare non dubitauerit? Profecto non in patrijs ædibus, sed in eremo. Quid quod & dominum ipsum Iesum, quasi turbarum fastidio secessus sæpenumero captasse uidemus? In montibus quoties docuisse legitur? In desertis item, in littoribus quoq; quoties quàm admiranda gessisse, in curandis morbis, in corrigendis cum corporum, tum animorum uitijs, in exturbandis teterrimis spiritibus, in explendis conuiuis tam multis, tam paucis epulis. Ieiunaturus ab hominum conspectibus desertis locis abdidit sese. In monte gratissima illa uisio tribus apostolis exhibita est. Crepusculo eius noctis qua capi se passus est Christus, orandi gratia in hortulos secesit. Ipse est qui nos quoque oraturos in cubiculi secretis abdi iubet. Denicq; extra mœnia, haud temere certe, sed consulto, occisus est, ita ut facile conijcias illum fugitasse tumultus, odisse clamosa Theatra, non amasse strepentia fora, non celebritate ac frequentia delectatum, sed solitudine gauisum, amicam illi fuisse tranquillitatem. Quid nunc humana ac leuiora commemorem? Pythagoram in Idæo antro multa arcana edoctum ferunt. Plato Academiam suam philosophiæ colendæ multo Athenis iudicauit commodiorem. Poetæ ipsi, nescio quas rupes, ac lucos sibi finxerunt, in quibus uersarentur, quoties eos diuinus ille furor corripuisset, hoc significantes, eum qui aliquod egregium ac uenustum carmen condere cupiat, à turba semotum esse oportere. Postremo, ut ad uulgus ueniamus, uidemus Solitudinis laus

fabros

fabros,aurifices,pictores,cæteroscꝫ artifices quorum opificium aliquid singularis habet industriæ,cum quiddam exactius atqꝫ accuratius efficere cupiunt,aliquò fugere,ubi stre pitus hominũ ac frequentia laborantes non interturbet. Ex quibus omnibus liquido in telligi licet,turbam arduum quippiam molientibus uehementer officere,tranquillitatem summis gerendis rebus esse opportunam. Quid autem potest esse magis arduum ac seri um eo negocio,quod ad animæ salutem, ac beate uiuendum spectet? Id igitur in mundo haud commode curaueris. Quis enim istic tranquillitati locus? At hic contra mi lodoce omnia late silẽt,foris,intus,utrobiqꝫ summa rebus pax est. Illam quidem gratissimus ipse loci recessus parit,hæc uero ab optima atqꝫ integerrima mente proficiscitur. Ita autem al terius opem utraqꝫ poscit, ut si alterutram detraxeris, neutram reliquisse uideare. Nam & externa illa quies internam fouet,alit,tutatur: at illa uicissim,nisi hæc accesserit,mole sta,ociosa,immo pernicioſa fuerit. Eum enim,qui acerbo atqꝫ turbato sit animo, Poeta so lum esse prohibet: Quicquid agis,loca sola nocent,loca sola caueto. Quo fugis? in turba tutior esse potes. Nec præterire queo,tametsi iam properandum mihi sentio,percommo de enim incidit, nobilem illam Cratetis philosophi exhortationem, qui ut forte adole scentulum quendam ultro citróque commeantem animaduertisset solum secum nescio quid fixius meditantem,rogabat quid illic rerum ageret. Mecum, ait ille,loquor. At ca ue,inquit Crates,ne cum homine improbo loquaris. Et facete & breuiter uterqꝫ. Est igi tur laudanda solitudo, sed in homine laudato, contra sceleratis nihil pernicioſius. Tum enim acerba cogitant,tum immanissima flagitia concipiunt,tum & sibi & alijs sæua con silia tractant. Quid tandem miseros ad accelerandam sibi necem impelleret, nisi commo ditate sua inuitet solitudo? Quis unquam aut uenena bibit,aut laqueo iugulum fregit,aut ense pectus defodit,aut sese præcipitem dedit,nisi solus? Quorsum igitur, inquis,laudas mihi tantopere solitudinem rem tam pestiferam? Hic nihil cõmodius respondero, quàm Cratetis modo commemoratam sententiam. Tu cum tecum uiuis,caue cum homine im probo uiuas,iam nihil erit quod solitudinem metuas. Ita à turba, ut multo amplius à ui tijs recedas. Ita sileant circum te loca, ut non fremant pectora. Quanquam hoc uerboso sermone non tibi Timoniam illam solitudinem commendare studui: uolo enim te non ex uniuerso hominũ genere,ut fecit ille,sed è turba migrare. Verum de externa quiete sa tis. Iam de interna paucis agendum est, quæ ut in mente est, ita non nisi à mente profici scitur,sed bona,sed nullius sibi flagitij conscia. Tanta enim uirtutis uis est,ut cuius in ani mo consederit,eum incredibili pace quadam tranquillet ac leniat, omniqꝫ anxietate, hor rore, metu,ac perturbatione liberet. Quæ res quanti sit,tum rectius intelliges, si inspici as quas angustias,quos tumultus sceleratus animus ferat. Nam qui fur aut peculator,aut scortator,aut proditor,aut stuprator,aut adulter,aut alioqui flagitioſus sit, scelerum con scientia premente,in perpetua anxietate ac formidine uersatur. Occurrant dormienti,oc currant uigilanti tanquam furiæ quædam horribiles illæ scelerum facies. Ad omnia pal lescit, exanimatur, metuit cum omnia,tum hæc in primis, suspicionem,sermones,infa miam, iudicium,supplicium. Verum fac contemnere, aut certe fallere hominum consci entiam, fac item deum immortalem non uereri, num quando fieri poterit, ut suam ipsi us conscientiam effugiat? Nihil profecto minus. Quoquo enim rerum se uerterit, quo cunque locorum profugerit, dira illa pectoris tormenta non deserunt fugientem, immi nent, agitant, territant, non epulas, non lucem, non uitam sinunt esse iucundam, ipsam postremo quietem, irrequietam efficiunt. Hinc plerunque corporis macies, hinc uultus truculentia, hinc oculorum fœditas, hinc cuiusuis rei metus, quo ipsi sese prode re solent. Quod pulchre & iuste ab æquissimo rerum iudice comparatum est, ne nulli o mnino impune nocentem esse liceat. Nam maleficia fœda quædam suspicio continuo consequi solet. Primum ea abunde nocentem ulciscitur. Deinde sermones atque infa mia, quæ profecto tantum malum à plerisque iudicata sunt, ut è uita migrare,quàm his obnoxij uiuere maluerint. Verum multi eo malitiæ euasere, ut ista facile contemnant. Quin esto iuxta uulgi sermonem,quantum eis malitiæ,tantum sit & fortunæ,ut ipsis ne que postulator quisquam, neqꝫ iudex exhibeat negocium, erit tamen aliquando qui in exorabili seueritate supplicium sumat. At ista procul absunt, inquiunt, quasi uero certi sint, uel unam se horulam uicturos. Verum ut hoc eis concedamus, certe iam præsens

intra

intra ipsos supplicium est maleficiorum cõscientia, quæ tam acerba est, ut nullum facinus tantam adferre uoluptatem possit, quæ his cruciatibus emenda sit. Quis enim unquam satis æstimauerit quàm durus sit ille pectoris motus, cum seditione quadam acerrima ipse à sese dissidet animus, ac quibusdam partibus suis aliò nitentibus concutitur, discerpitur, discinditur, accusante memoria, iudicante ratione, puniente conscientia, aliò ratione, aliò natura, aliò uocante peccati libidine. Vnde perpetui stimuli, perpetuæ rixæ, bellum perpetuum. Qua propter non absurde ecclesiastici quidam sensisse iudicandi sunt, qui conscientiæ remorsum, qui malos ad inferos euntes consequitur, eorum supplicior ũ quæ illic inueniunt non minimã partem iudicauerunt. Iuuenalis igitur præclare illa ut omnia:

Cur tamen hos tu,
Euasisse putes, quos dira conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo uerbere cædit
Occultum quatiens animo tortore flagellum?
Pœna autem uehemens, & multo sæuior illis,
Quas & Cedicius grauis inuenit & Rhadamanthus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.
Et post pauca, Cedò si conata peregit.
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,
Faucibus, ut morbo siccis, interq; molares
Difficili crescente cibo.

Et cætera item uerissime atq; pulcherrime. Possent hæc, ut ratione atque autoritate probata sunt, ita mille doceri exemplis: at nos, ne singula prosequamur, tribus contenti erimus, quorum primum ex fabulis, alterum ex Romanis historijs, postremum ex sacris literis petemus. Quid enim aliud sibi uult, quod Orestes simul atq; matrem trucidasset, ab ultricibus diris, quas uulgatius furias appellant, correptus fingitur, itaq; ab his exagitatus, ut quocunq; fugisset, eas aduersas sibiq; faces intentãtes offenderet: quàm eum qui aliquod flagitium admiserit, ita conscientiæ stimulis torqueri agitariq;, ut phreneſi quadam laborare uideri possit? Multa quidẽ scite à Poetis excogitata sunt, at hoc mea sententia nihil aptius. Quare me huius fabulæ commemoratæ nondum pœnitet. Et quid Lucij Syllæ exemplo euidentius? Fuit huic uiro, ut legimus, inexpleta crudelitas, ita ut miserabile dictu sit, quot aut proscripserit, aut cædi iusserit, cæteris item sceleribus non segnius ornatus. Verum de hoc tyrãno, quod nemo alius poterat, ipsa hominis malitia supplicium sumpsit. Maleficiorum enim suorum conscientia ita excruciatus est, ut nullo ingenio, nulla medicorum ope somnum amissum reuocare potuerit, tandemq; morbo fœdissimo, quem pedicularem uocant, perierit. Restat Chaim ille, antiquissimum quidem, at ea re nihilo obscurius huius rei exemplum. Is fratrem inuidia permotus trucidasse legitur, neque id impune. Continuo supplicium consecutum est, uarium quidem, at nullum inclementius, nullum capitalius quàm conscientiæ, ea in sceleris autorem multo seuerius quàm conditor ipse animaduertit. Obiurgabat ille, imò potius expostulabat, ut pœnitentiam simul & confessionem eliceret: at miser ille maius peccatum suum existimabat, quàm cui ignosceretur. Vitam illi donarat deus, at ipse se uita iudicabat indignũ. Quàm dirum carnificem in illius pectore sæuisse credimus? Quid illi dulce in uita accidere potuisse putes, qui sibi ipsi infensus, sui desperans, sibi ipse molestus uitam credebat acerbam? In conspectus hominũ prodire uerebatur, quippe qui omnes sibi tales fingeret, qualis ipse sibi erat. Vides Iodoce mi, quæ tormenta, quas labes, quos stimulos, quos tumultus, quos æstus, sceleratus animus ferat? Nunc tute collige, quàm plena ocij, pacis, uoluptatis res sit, Nil cõscire sibi, nulla pallescere culpa. Quid est quod pectus ita præparatum atque compositum permouere possit? Quid est, quod iure metuat? Num homines? Verum non terretur inimico homine, qui amico nititur deo. Num calamitates? At eas etiam lucri loco deputat. An uero mortem, quam etiam ultro optat? Postremo an deum ipsum? Ne ipsum quidem, utpote cui se & charum, & curæ esse confidit. Quid hac re potest cogitari pacatius, quid securius, quid felicius? Sentiri utcunq; Iodoce potest, narrari planè nequit. Num ista tibi leuis uidetur causa, cur ad nos aduoles? At forte ipsum ad quod te aduoco, iam isthic beatus habes. Sic equidem confido. Sed eo magis tibi isthinc euolandum

censeo. Habebis enim hic & multo cumulatius, & longe tutius. Quid tibi adeo libitũ est inter latrones charum portare thesaurum? Hic si quid habes, augebitur: isthic æternus metus est, ne amittas: hic interna illa pax maxima, externa nisi hic nusquam: isthic nulla, illa si qua est, & rara est, & parum tuta, propterea quod cœnobia ex malis bonos, ex bonis meliores efficiant: mundus contrà, ex bonis sceleratos, ex sceleratis sceleratiores reddere consuevit.

CAPVT XI

De uoluptate uitæ solitariæ

VERVM de tranquillitate paucioribus quidem quàm res postularet, pluribus tamen quàm institueram egisse me uideo, nunc de uoluptate, quod unum restat, quàm breuissime poterimus, exponemus. Ea profecto una est, quæ omnes homines tam sibi pertinaciter deditos habet, ut ab ea nullis malis deterreri, nulla ratione auelli possint. Et illud fortasse non absurde Epicurus, errare quidẽ mortales in iudicandis uoluptatibus, omneis tamen uno animo aliis quidem atq; aliis modis eas expetere. Proinde seculares, quos uocãt, ea uel maxime causa nostræ uitæ institutum fugere atq; odisse solẽt, quod triste putent esse, horridũ, inhumanum, atq; alienum ab omni uoluptate. At nos, ne eos iste deterreat error, lõge secus esse demonstrabimus, tantumq; abesse, ut uita nostra uoluptate uacet, ut ausim omnes Sardanapalos ad eam tanquam quendã delitiarum paradisum inuitare. In monasteriis uoluptas inquis? Delphinum syluis appingis, fluctibus aprum. Imò uero mi Iodoce, tota uitæ nostræ ratio Epicurea est. Quid istuc inquis? Audies: Negat Epicurus eas admittẽdas esse uoluptates, quas maiores molestiæ consequantur. Et nos quidem non scortamur, non mœchamur, non Asotorum more nos ingurgitamus, sobrij orientem, sobrij occidentem solem uidemus, quorum utrunq; uidisse illos negant. Hæc enim omnia nunquam ita se habent, quin plus adferant molestiæ q̃ oblectamenti. Sed neq; ditari, neq; clari aliquo magistratu effici aut possumus, aut cupimus. Ne in his quidẽ ab Epicuri magisterio desciscimus. Nam cum parum habeant uoluptatis, molestiæ plurimum, sapimus qui exiguum commodum maximo incommodo mercari nolimus. Præterea docet nonnunquam adeundos esse dolores, maiorum dolorum effugiendorũ gratia, item sæpe omittendas esse uoluptates, ut maiores assequamur. Quid nos? Vigilias, ieiunia, solitudinem, silentiũ, cæteraq; eius generis perferimus, ne maiores dolores ferendi nobis sint. Non potamus uncti, non choreas ducimus, non cursitamus quocunq; fert libido, non cæteris ineptijs indulgemus, at utinam uideas, quanto cum fœnore istis careamus. Tu nos uoluptatẽ amisisse credebas? Cõmutauimus, non amisimus, atq; ita quidẽ, ut pro paucis ac paruis plurimas ac maximas receperimus. Iam dudũ nitidos istos ac molliculos arrectis esse auribus arbitror, ut qui me nouum aliquod parandæ uoluptatis artificium docere sperent. Docebo equidẽ, sed eos interim à fœdissimis istis illecebris, quæ nobis cum pecudibus cõmunes sunt, animum transferre uolo. Pecudes esse desinant, intelligantq; in homine sublimius quiddam esse ac diuinius, quo potius q̃ ad corpus delectatio referenda sit. Nam pecora cum in illis sit nihil corpore præstantius, suam quandã felicitatem uẽtris ac inguinis expletione non iniuria metiũtur, quorũ altero tuentur incolumitatẽ suam, altero propagant genus suum, iuxta naturæ suæ modulum. At hominis dignior conditio est, quàm ut non aliis rebus ac bruta natũ se existimet. Constat enim ille non corpore modo, uerum etiam animo. Corpore quidẽ excepta figura nihil à brutis absumus, anima uero non parum ad diuinam illam atque æternam naturam accedimus. Corpus terrestre, brutum, tardum, mortale, morbidum, caducum, iners, ignobile. Anima contrà, cœlestis, subtilis, diuina, immortalis, perpetua, lucida, generosa. Et quis sic cæcus est, qui nõ uideat ne conferendum quidem esse cum anima corpus? Quantum igitur à dignitate animæ abest corpus, tanto animi uoluptas corporis præstat illecebris. Illa enim uti anima, uera, perpetua, fastidij nescia, syncera, honesta, diuina, salutifera. Hæ contrà falsæ, labiles, fastidij plenæ, plus aloes quàm mellis habentes, fœdæ, mortiferæ. Fieri autem nequit, ut idem & corporis & animi uoluptate gaudeat. Alterutra carendum est. Quid hic consultus cõsuleret Epicurus? Nempe ut obscœnas illas corporis illecebras amoueamus, ne impedimento sint, quo minus præstantiores & dulciores animi uoluptates assequamur. Atq; hoc quidem, ut dixi, est uoluptates non amisisse, sed fœnerasse. Verum iam dudum audire te uelle suspicor, quibus hic animi pascamur uoluptatibus. Primum eo horribili sordidæ conscientiæ cruciatu uacare, Epicuro autore, ne ab eo receda-

recedamus, uoluptas est uel maxima. Nam illi non parum multum est quod gaudeat, cui nihil est quod doleat. Deinde cœlestium atq; immortaliũ delitiarũ contemplatio, in quas nos uẽturos, deo uolente, speramus, an nõ uoluptaria res est? Quis est tam stupido pectore, qui ubi huius uitæ saturo cœlestis felicitas in mentẽ uenerit, nõ uel lachrymet præ gaudio? cuius animus sic mœrore deiectus atq; humi depressus est, qui cogitata illa uita nõ erigatur, non exhilaretur, non ex hoc corpusculo euolare gestiat? Quid si etiã gustata? quanquam hæc nondum sapiunt, quibus adhuc mundus sapit, sacris animis nihil exploratius. Nam quamuis uitæ illius iucunditas futuro æuo seruata, prius percipi nequeat, quàm animus ex hoc misero carcere emergẽs eò reuolet unde profectus est: eius tamen odore quodam sensuq; piæ mentes afflari mihi uidentur, & quasi cœlestium imbrium rore quodam tingi, ac de illa nunquam defectura luce nescio quid sublustre aspicere. Quæ res, quid habeat uoluptatis, ei cui comperta non sit ne persuaderi quidem potest, expertis non æstimari nedum narrari. Quanquam autem harum deliciarum rara, ut inquit Bernardus, hora & breuis solet esse mora, tantæ certe sunt, ut si quicquid hic mundus usquã habet uoluptatis in unum cõfletur, præ his uile quiddam fastidiendumq; uideatur. Quod si bene gestorum nulla alia essent speranda præmia (quod multo secus est) certe hac una mercede quosuis perferre labores nunquam me pigeret: dignasq; iudicarem, quarum potiundarum gratia cæteras illecebras omnes non solum contemnerem, uerumetiã bellum eis indicerem. Age igitur quanti futurã arbitramur illorum gaudiorum copiã, quãdo sic odor tenuissimus delectat, sic recreat, sic afficit? Quàm uoluptariũ erit, diuino illo lumine, quod nisi purgatissimis oculis uideri nequit, perlustrari, ita ut ipsi quoq; toti pelluceamus: quũ tãtum adferat uoluptatis, nebulam (ut ita dixerim) sublucidam idq; raptim suspicere? Hæc meditari res est uoluptatis plenissima. Præterea dulcedo illa qua spiritus ille paracletus, id est consolator, candidissima pectora, quoties secretius illabitur, afficit, quoties in thalamo castissimo sponsam sui amore languidam sponsus amplectitur, ac querulã (ut sunt omnes qui misere amant) blandissima quadam ac amica familiaritate consolatur, dulcedo, inquam, illa quid à me commemoretur? Narrent qui norint. Norunt autem & quidem feliciter quibus licuit experiri, ego ad has admitti delicias nõdum promeritus sum, aut si quid tenuiter libaui, malo de alijs quàm de meipso dicere. Et si hoc certius, illud tamẽ modestius. Eos igitur persæpe cum lachrymis fatentes audiui, istas seculi uoluptates, quæ uanis hominibus uicio palati sapiũt, ita sibi uideri insipidas, ut non solum à rebus ipsis animus, uerumetiam à commemoratione aures abhorreant. Nimirum sorduerunt illis glandes, ubi Cereris usus repertus est: fastidire cœperunt falsas delicias, ubi ueras gustarũt. At heu plerique mũdi cultores ex illo agresti & stolido hominum genere, porcinis istis pabulis ita fauces habent imbutas, ut eis præter suas glandes sapiat nihil: nec plane intelligunt, quæ possit esse uitæ iucunditas, aut cur in uita morandum sit, sublatis glandibus, id est, uentris ac fauciũ uoluptate. Proinde quoties fit, ut nos uideant in his laboribus, ut ipsi existimãt, in quibus se ne uiuere quidem posse credunt, hilariores aut etiam corpore habitiores uiuere, quàm ipsi inter suas epulas uiuant, admirari maximopere solent, nec intelligere possunt posteaquã carnis delectamenta reiecimus, qua ex re ullam præterea uoluptatẽ capere possimus. Vident adolescentulos teneros, puellas itẽ delicatas, uident annos, uident formã, qua indulgentia paulo ante educati sunt meminerũt: altera ex parte si quid hęc uita asperũ, si quid triste habet, collocãt, solitudinẽ, laborem, uigilias, inedias, & id genus cætera. Vident nõ modo liberum eis esse ab hoc uitæ genere recedere, uerumetiam admirabili quadam parentũ atq; amicorũ improbitate suaderi, moneri, rogari, impelli: illos cõtra multo pertinacius obsistere, matrem lachrymantẽ siccis cõsolari oculis, sororẽ colla stringentem cõtemnere, à charissimis sodalibus, à quibus nuper unũ diem abesse durũ erat, nũc omni uita tã facile auelli: denicq; tãta hilaritate supremũ uale dicere, tãta alacritate suprema diuidere oscula, ut nemo uel alienus inter hæc lachrymas tenere possit. Libet hic meminisse (quæso ne molestũ sit) lachrymabilis illius cœnæ, quæ Margaretę uirgini optimę, mihi sororis loco semper dilectę, cũ parentibus suis fuit suprema. Aderam ipse, & mecũ una plurimi, quos filia eò cõuenire dederat operã, ut nobis aduocatis patrẽ exoraret, quod iam sex annos frustra orauerat, ut monacham fieri sineret. Matris enim iam expugnauerat animum, neq; enim alterutrius difficultas ullo uicio accidit. Sunt enim utrique ut loco, ut specie apud suos facile

primi: ita ea uirtute, ut (quod felicitati rarum est) nemo nõ amet, nõ prædicet: uerum ita in liberos propensi, ut tanquam adament sic ament. Cœpimus itaq; urgere patris animum. Quid multa? ille partim pudore, partim filiæ commiseratione, partim nostra improbitate uictus annuit. Tum uero uidisses miserabile subito oriri spectaculum. Pater filiam cõplexus ita inter oscula lachrymari cœpit, ac si continuo in sepulchro ponenda fuisset. Mater exanimata dolore collabitur. Frater adolescens, qui illi erat unicus, ac germana natu grandior, alter ætatis, alter sexus imbecillitate, eiulatus addentes lachrymis sororem communem utrinq; amplexi, per has, inquiũt, lachrymas, per si quid potest fraterna ac sororia pietas, oramus, ne nos deseras miseros, ne una utrosq; p̃das. Cæteri amici, alij flere taciti, alij precari, alij suadere, alij increpitare, at siccis genis nemo omniũ. Nos porro qui filię ueneramus aduocati, cum omniũ tum patris lamentis ac lachrymis permoti, quæ illi uiro grauissimo ut puero cadebãt ex oculis, & ipsi lachrymari cœpimus, id quod cũ nostro decore dicimus. Iam propè pœnitebat tãtas turbas concitasse. Quid inter hæc ageret uirgunculą, sexu, ętate, natura mollis, educatiõe delicata? Paulus ipse ualedicturus, fratrũ lachrymis se & si non permotũ, at motum certe significat, quid inquiens facitis flentes, & cõturbantes cor meũ? Verum hæc (tametsi insigni in parẽtes esset pietate) oculis siccis, uultu sereno, patri blandiens negat esse causam cur se excrucíet, iustius gaudendũ esse, ut qui gnatam non amissurus, sed habiturus sit quæ pro se deum oret. Matris item ægrotũ animũ ac cæterorũ osculis, precibus, monitis, lenire sedulo studet. Frustra, nam perpetuum hoc conuiuiũ usq; in seram noctẽ singultibus, lachrymis, questibus productũ est, una hilari Margareta. Hæc itaque quoties uident (nam fit nonnunquã ut uideant) ij qui, ut dixi, ferè non nisi palato sapiunt, conlachrymant sæpe etiam ipsi, admirantur robur animorum iuuenilium, atque iam suæ molliciei suppudet. Verum quid suspicantur? Num censent eos annos, eos uultus, ea corpora, eos animos tam facile posse abduci, immo tam auersari seculi uoluptates, nisi reperissent iam potiores? Num ad eos labores tanta magnanimitate contenderent, ni dulces experti essent? Sic est mi Iodoce, sic plane est, dulce est expertis, quod etiam acerbum ac durum inexpertis uidetur. Verum quãdo hoc istis persuaseris? Vident enim, ut ait Bernardus, cruces nostras, unctiones non uidẽt. Cupio equidẽ illis mentẽ meliorẽ dari, nisi tamẽ ipsi grato errore libenter insaniũt, quẽadmodũ Argiuus ille apud Flaccum. At tibi (quando ab eo non multum absumus) planè persuadere uolumus. O si optando assequi liceret, ut sicut sub aspectus tuos hæ uenturæ sunt literæ, ita in animum tuũ animi nostri transfundantur affectus, id est ut tu sic afficiare legens, quomodo ego scribẽs afficior. Iam hic epistolæ finem ponerem, nec in persuadendo plus sermonis terendum esse iudicarem. At id quando frustra fortassis optamus, & ad persuadendum nostra non ualet autoritas, unũ in medium adducã Hieronymum, quẽ & uita grauem & eruditio fecit insignem. Dic quæso uirorũ sanctissime, quid tu in ista horrenti solitudine, immodica confectus inedia, uigilijs propè perpetuis maceratus, tantis laboribus attritus, nullã ne habebas uitæ iucunditatẽ? O quoties, inquit, in eremo cõstitutus, in uasta illa solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculũ, putaui me Romanis interesse delicijs. Et ut mihi testis est dominus, post multas lachrymas, post cœlo oculos hærentes, nõnunquã mihi uidebar interesse agminibus angelorũ, & lætus gaudensq; cantabã, post te in odorẽ unguentorũ tuorũ curremus. Audisti Iodoce confitentẽ. Liceret quidẽ et alios citare testes, uerum aut huic aut nemini credemus. Atq; hæc quidem uoluptas omnibus pijs cõmunis est. Est tamen præterea quædam uiris eruditis peculiaris, qua fruũtur, quoties aut probatissimorũ autorum scripta legunt, aut ipsi legẽda scribũt, aut lecta animo uolutãt. Hoc uoluptatis genus tantã habet uarietatẽ, tantam copiã, ut nullus omnino fastidio possit esse locus, Quid enim? Si quid ex ipsis fontibus libet, utriusq; testamenti uolumina petunt. Si ueritas per se honesta eloquẽtiæ nitore honestior facta delectat, ad Hieronymũ, Augustinũ, Ambrosium, Cyprianum, atq; eiusmodi curritur. Si paulo fastidiẽtiori, Christianum Ciceronẽ audiendi libido est, Lactantius Firmianus in sinum ponitur. Sin negligentior apparatus, ac sobria cœna delectat, Thomæ, Alberti, ac similiũ libri sumuntur in manus. Quod si à ueteribus illis amicis abesse perpetuo nequis, licebit quidẽ & istos interdũ reuisere, ubi ociũ erit, at ita, ut riualem te nõ conuictorẽ exhibeas. Est enim apud istos mulier illa barbara, sed uultu honestissimo, quã tu raptam ubi capillos ungues q; secueris, ex

Studia sacra

scorto

ſcorto tibi legitimam coniugem facies. Habes igitur arcana ac multa ſacræ ſcripturæ uolumina, habes monimenta prophetarũ, apoſtolorũ, interpretum, doctorum: habes philoſophorum ac Poetarum ſcripta, non ei fugiẽda, qui nouit inter aconita ſalubres herbas legere. Quid? Inter hęc ſummo ocio, ſumma libertate uacuũ curis uerſari, an non id eſt delicia rum paradiſum incolere? Quis in tanta uarietate faſtidio locus? Quid hic non uoluptatis plenum? Quàm læto gramine campi uirent, cꝫ blanda florum uarietate picta nitẽt gramina, hinc roſis formoſe rubentibus, hinc niueis liljs placide candentibus, hinc purpureis uiolis arridentibus, hinc fuluis thymis ſuaue ſpirantibus. Nec deſunt formoſa nemora comis luxuriantibus umbram gratiſſimã texentia, qua meridianos æſtus defendamus. Adde arborum genus innumerũ, fructuum ferax, ſapore dulcium, atq; (quod pluris eſt) ſalubrium. Has iuxta liquidiſſimus ille amnis dulci murmure labitur irrigãs omnia, ille inquã amnis profundiſſimus, quem ſuperari nõ poſſe demiratur Propheta. In his amœniſſimis pomarijs ſpaciari, errare atq; (ut ita dicam) laſciuire quoties libet, licet. Quid tale ueſtræ habent choreæ? quid popinę? quid balnea? Ad hæc te Iodoce, ut hominẽ & eruditum & ſtudioſum uoco. Ad hęc te ut amiciſſimũ inuito. An quicquã poſtea eſt, quod te iſtic remoraturi, aut hinc deterrere poſſit? Habes quàm mortiferæ, quàm etiam acerbæ ſint mundi illecebræ, quæ (ut ait Seneca) ad hoc nos amplexantur, ut ſtrãgulent. Opes item quàm nihil habeant boni, nihil ſolidi, audiſti. De honoribus in quas calamitates hominem præcipitent, ſatis, ut arbitror, demonſtratum eſt. Præterea de mortis inexorabili neceſſitate adiectum eſt. Poſtremo, iſta uita quàm plena diſcriminis, quibus ſit erumnis obnoxia, commemora uimus. I nunc & contare utrum in iſtis malis hærere, an ab iſtis euolare malis. Contra hęc nihilominus, qua libertate, qua tranquillitate, qua uoluptate, qua ſpe hic uiuatur accepiſti, & nondum etiam aduolas? Adhuc hæres, adhuc tecum deliberas, adhuc contaris Aegypto ſuas carnium ollas relinquere, ut manna te paſcat eremus? At durũ eſt, inquis, à chariſſimorum cõſuetudine diſtrahi, amicorũ peruincere affectus. Eia Iodoce durum uocas, uide ne tu mollis potius ſis. Caue ne pueri ac puellæ, quibus iſta res minime dura uiſa eſt, his tibi uerbis inſultent. Tu negas te poſſe, quod nos potuimus? Et quo tibi barba, quo uiri nomẽ, quo anni, quo eruditio? Tu uero tibi perſuade, ijs amicis nihil eſſe inimicius, qui ſalutem tuã aut impedire, aut remorari moliuntur. Qui ſi errore peccant, aut amore inſani unt, num tu cupis unà cum eis inſanire? Sin conſulto, atq; prudentes officiũt, qui tandem amici iudicandi ſunt, quũ tibi non optime cupiãt? Sed in carne, inquis, angelum agere, humanis maius eſt uitibus. Poſtremo non licere hominẽ ſuo more uiuere, ſed omnia ex aliena ſententia, uel potius libidine agere, dictu eſt quàm factu procliuius. Iſtud quidem non abnuo, neque enim me latet, militiam eſſe uitam hominis ſuper terrã. Sed ſi quid negotij eſt, id omne propemodum in ipſo tentandę rei aggreſſu conſiſtit, quem ſi ſtrenue perrupe ris, euaſiſti. Iam olim uulgo dicunt, Is medium opus confecit qui recte cœpit. At hic certe, cœpiſſe propemodũ perfeciſſe eſt. Sed primi te terrent aditus. Habeo quo iſtam tibi trepidationem eximam. Aegre ab ſeculi uoluptatibus auelleris? ęternas delitias cogita. Noſtrũ inſtitutum triſte ac durum uidetur? perpetuos cruciatus aſpice. Nihil te cruciabit, quo perpetuos effugias cruciatus: nihil uoluptuarium erit, quo cœleſtes uoluptates amittas. Poſtremo nihil erit arduũ, quod ſibi uehementer imperarit animus, nihil deſperandum quod opitulante Chriſto moliaris.

Epilogus

CAPVT XII

TAM dudum uideo te componere ſarcinas, induere talaria, quo mox ad nos accurras. Verum ne nimiũ calidum hoc ſit, paucis etiam mihi pręmonendus es, ne tibi ueniat uſu quod hodie multis uidemus accidere, quos ideo pœnitet ſuſcepti inſtituti noſtri, quod in hunc ueluti puteum, unde reditus non eſt, nõ deſcendunt, ſed præcipitant ſeſe. Ad Chriſti profeſſionẽ nemo cogitur, ſed ab hoc nunquã reſiliendum, ſine quo nulla omnino ſalutis ſpes. Cæterũ in reliquis uitæ inſtitutis, quæ pro tempore reperiũt homines, quando tanta eſt corporũ atq; animorum uarietas, tanta rerum humanarũ omnium mutatio, fortaſſis non expedit quenquã ſic aſtringi, ut referre pedem non liceat, modo quod mutatur, magis faciat ad illius qui mutat ſalutem. At quando aliter uiſum eſt his, quorum arbitrio gubernatur mundus, hoc circũſpectius eſt aggrediendũ negociũ, quod ſemel aggreſſo liberũ non ſit mutare quod inſtituit. Olim

monasteria nihil aliud erant, quàm secessus quidam bonorum uirorum, qui uel tædio uoluptatum ac uitiorum, quibus id temporis hoc magis erat contaminata uita mortalium, quod adhuc promiscue uiuerent Ethnici cum Christianis, uel offensi sæuitia persecutionum, relictis urbibus, in inuios montes se subducebant, angelicam quandam uitam meditantes. Cultu uili, uictu tenui, quē facile quæuis terra suppeditabat, quibus omne tempus aut sacris hymnis, aut sanctæ lectioni, aut cœlestibus colloquijs, aut pijs precibus, aut charitatis officijs, quibus ægroti aut hospites refocillabantur, aut innoxijs operis, quibus egentes subleuabantur, dabatur. Nec aliud tum erat monachus, quàm pure Christianus. Nec aliud monasterium, quàm grex ultro conspirans in purissimam Christi doctrinam. Aberat imperium, ultro præuolabant omnes, & freno magis erat opus quàm calcaribus. Extremum illis supplicium erat, amica fraternaq; correptio. Nunc proh dolor pleraque monasteria medijs mundi uisceribus admixta sunt, nec aliter extra mundum sunt, quàm rene extra corpus animantis. In quibus adeo nō uiget disciplina religionis, ut nihil aliud sint, quàm scholæ impietatis, in quibus ne liceat quidem esse puros & integros. Quibus titulus cultusq; religionis, nihil aliud præstat, q̄ ut impunitius liceat quicquid libet. Et quorum prudentiæ mundus non credebat suas culinas, his creditur, imò proditur ecclesiæ negotium. Est autē & inter ea, in quibus uiget religionis disciplina, nonnihil discriminis. Aliud uitæ institutū alijs atq; alijs magis congruit. Prius igitur teipsum explores oportet, ut tibi notus, iudicio deligas uitæ rationem nō ignotam, & iuxta Pauli doctrinā omnia probes, quod bonū est tibi, teneas. Bona pars hominū non ob aliud suscipit religionis professionem, q̄ ut uiuat cōmodius, uentri suo consulens, nō animo. Itaq; quos in mundo frugalitatem & industriā docebat inopia rei familiaris, ij in monasterijs ocio luxuiq; indulgent. Quiq; in mundo tenues erant & humiles, in paupertatis professione satraparū ac regū luxum strepitumq; imitantur. Et quibus unica uxore contentis ferenda fuerant incommoda matrimonij, nunc gratis ac licenter uolutantur per omnia stupri genera. Quosq; prius legum publicarum ac magistratuum metus cohercebat à flagitijs, hoc præstat cuculla titulusq; religionis, ut exempti à ditione episcopi ac magistratuum, peccent licentius. Ita ficta paupertatis professione paupertatem effugiunt, ficta castitatis professione libidini suæ cōsulunt, ficta obedientiæ professione perficiūt, ne cui cogantur obedire. Deniq; sunt quos casus aliquis cōijcit in hoc uitæ genus: aliū quia puella uehemēter ambita potiri nō contigerit, aliū quia in tēpestate, morbo, alióue periculo metu perculsus, tale quippiā uouerit. Nōnullos sodalis ante charus pertrahit ad uitæ cōsortiū. Quidā improbis hortatibus, ueluti bubali naribus, pertrahūtur in foueam. Quidā etiam huc protrudūtur à parētibus impijs, aut tutoribus, quo se sumptu curaq; leuēt, ij potissimū insidiantur ætati simplici, cuiq; facile imponit. Ego uero in totū dissuaserim, ne rudis ætas inuoluatur instituto unde nō possit explicari. Mature oportet esse Christianū, sero monachū, quanq; abunde monachus est, quisquis pure christianus est. Neq; pauci sunt, quos superstitio, aut etiā stultitia deducit in monasterium, ignaros quibus in rebus sita sit uera religio, ac pulchre sibi monachi uidentur, si cingulū aut cucullam gesserint. Hos si conspicis sceleratiores esse in professione religionis, q̄ fuerint in uita priore, mirū uideri non debet. Itaq; tu mi Iodoce simul ac cognoris, quid sit uera religio, ubi tuū ingeniū, corpus, & animū exploraris, ubi genus uitę dispexeris tuis rebus accōmodū, ubi nactus fueris sodalitiū, quod unanimiter cōspirarit in Christū, eò te cōferas, sed domi relictis omnibus huius mūdi cupiditatibus. Alioqui frustra mundū reliqueris, si mūdum tecum in ipsum attuleris monasteriū. Nihil omnino tecū efferas Aegyptiarū delitiarum, si properas ad terrā lacte ac melle manātem. Multi se credūt Antonios ac Paulos esse, quia non scortantur, non saltant, nō inebriantur, cum toti madeant intus odio, liuore, cum scateāt obtrectatione ac uirulentia linguæ, cū omni fastu turgeāt, cum morosi sint & intractabiles, cum sui sint amātes, cum sui cōpendij gratia, palam adulentur principibus, scientesq; ac prudētes sinant Christi gloriā obliterari quo suæ gloriæ cōsulant. Infame crimen est incestus, quanquā isti nec ab his absunt uicijs, sed hæc adulatio superat sexcētos incestus, & huius pernicies latissime patet in uniuersum genus mortaliū. Iam fortasse mihi dices, tibi displicere monasteria omnia, nec usq; reperiri apud hos gregē qui synceris animis cōspirarit in Christū. Proinde tu sic mūdū fac relinquas, ut innocētissimis q̄busq; te adiungas, & in monasterio te esse puta, ubicūq; uersaberis inter

eos

eos qui ueritatem, qui pudicitiã, qui obrietatẽ, qui modeſtiã amant, qui crepant, qui moribus exprimunt. Nec imagineris tibi quicquam in uotis deeſſe, ſi uotum quod Chriſto profeſſus es in baptiſmo, præſtiteris. Neq; deſideres Carmelitanũ, aut Dominicalem cucullum, ſi candidam ueſtem in baptiſmo traditam, conſeruaueris incontaminatam. Neq; tibi diſpliceas ſi non ſis de grege Benedictinorũ aut Guilhelmæorum, modò ſis de grege uere Chriſtianorum. Bene uale nepos optime.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS IOANNI COLETO THEOLOGO DOCTISSIMO FACVNDISSIMOQVE S. P. D.

QVAM PRÆTER meritum nos ſuperioribus literis tuis laudaras doctiſſime Colete, tam his proximis immerentem obiurgas. Quanquam non paulo æquiore animo fero reprehenſionem tuam, quam non mereor, quàm laudes tuli tuas, quas nõ agnoſcebam. Nam accuſati, non ſolum ſine uitio noſmetipſos purgare poſſumus, uerùm etiam hoc citra culpam non facere non poſſumus. Cum interim laudes accuratius refellere, hominis eſſe uideatur laudum ieiuni auidi; neq; ſimpliciter id agentis, ne laudetur, ſed ut aut ſæpius laudetur, aut copioſius. Tu (credo) utroque in genere periculum noſtri facere uoluiſti, & quid mihi placerẽ tanti uiri præconio cohoneſtatus, & quid aculeorum haberem, obiurgatiuncula irritatus. Conſtantiſſimus in amore ſis oportet, qui quidem ſis in recipiendis amicis tam cautus, tam diligens, tam contabundus, tam explorans: uerùm his tecum iocari libuit. Alioqui quàm lætabar antea uel falſo laudari à uiro omnium laudatiſſimo, tam nũc admoneri gaudeo, ab amico ſinceriſſimo. Igitur poſthac pro tuo arbitratu, tuum Eraſmum uel laudato, uel obiurgato, modò quotidie literarum tuarum aliquid huc aduolet, qua re nihil poſſit accidere iucundius. Sed iam ad epiſtolam tuam paucis, ne puer qui literas tuas attulit, inanis ad te redeat. Quod neotericum theologorum genus, qui meris argutijs & ſophiſticis cauillationibus inſeneſcunt, tibi negas placere, næ tu mecum uehementer mi Colete ſentis. Non quòd illorum ſtudia damnem, qui nullum omnino ſtudium nõ laudo, ſed cum ſola ſunt iſta, nec ullis antiquioribus elegantioribusq; condita literis, eiuſmodi mihi uidentur, ut ſciolum & contentioſum hominem reddere poſſint, ſapientem an poſſint, uiderint alij. Ingenium enim ieiuna & aſpera quadam ſubtilitate exhauriunt, neq; ullo uegetant ſucco, neq; animant ſpiritu. Et quod omnium eſt maximum, theologiam illam omnium diſciplinarũ reginam, ſic ueterum facundia locupletatam ornatamq;, ſua balbutie & orationis ſpurciſſimæ ſordibus deuenuſtãt, ſic priſcorum ingenijs expeditam, ſpinis quibuſdam impediunt, inuoluẽtes omnia, dum omnia conantur reſoluere, quemadmodum ipſi loquuntur. Itaq; uideas eam quæ quondam auguſtiſſima fuerit, maieſtatisq; plena, nunc pene mutam eſſe, inopem, pannoſam. Illicimur interea dulci quodam, & illecebroſo morbo, nunc; ſatiatæ contentionis. Rixa è rixa naſcitur, & miro ſupercilio, de lana caprina digladiamur. Tum ne nihil inuentis ueterum theologorum adieciſſe uideamur, ſatis audacter & certas quaſdam rationes præſcripſimus, quibus deus myſteria ſua peregerit. Cum interdũ perfectius ſit credere fieri, cæterum quibus modis id fiat, omnipotentiæ dei permittere. Adde quod oſtentandi ingenij ſtudio, nonnunquam eiuſmodi quæſtiones agitamus, quas aures piæ uix ferant, cum quærimus, num deus potuerit diabolum, aut aſinum aſſumere. Fortaſſe tolerãdum, ſi quis iſta tanquam acuendi ingenij gratia modice per ętatem attigerit, ſed in his tanq; ad ſcopulos ſirenæos, non conſeneſcimus modo, uerũ etiam immorimur, prę his nullas non literas cõtemnimus. Accedit ad hæc, quod noſtra tempeſtate ferè ad theologiæ ſtudium ſeſe applicant, literarum omnium principem, qui propter ingenium pingue parumq; ſanum, uix ullis ſunt literis idonei. Hæc autem dixerim, non de doctis ac probis theologiæ profeſſoribus, quos in primis ſuſpicio uenerorq;, uerùm de ſordido hoc ac ſupercilioſo uulgo Theologorum, qui præ ſe omnes omnium literas pro nihilo ducunt. Quo cum hominum genere inexpugnabili quum tu Colete dimicationem ſuſceperis, ut ueterem illam ac ueram Theologiam, iſtorum ſpinis obſitam, implexámque in priſtinum

nitorem ac dignitatem,pro tua uirili restituas,prouinciam(ita me deus amet)sumpsisti, multis modis pulcherrimam,ipsius Theologiæ nomine pijssimam,quum omnium studiosorum,tum huius Oxoniensis florentissimæ academiæ causa saluberrimam,uerum (ne quid mentiar)& negocij & inuidiæ plenam. Quanquam negocij quidem difficultatem,tua tum eruditio,tum industria superabit,inuidiam animi tui magnitudo facile negliget. Sunt & inter ipsos theologos non pauci,qui tam honestos tuos conatus,& uelint,& possint adiutare. Imò nemo non dextram iunxerit,quum nullus etiam doctorum sit in hac celeberrima schola,qui tibi Paulinas epistolas publicè iam triennium enarranti,non attentissimas aures præbuerit. Qua quidem in re,utrum magis laudanda modestia illorum,qua non uerentur omnium διδάσκαλοι hominis ætate iuuenili,nullaq; doctoratus(ut uocant)autoritate præditi, ἀκροαταὶ uideri,an tua singularis tum eruditio,tum eloquentia,tum morum integritas,quam illi hoc honore dignam iudicant? Demiror autem,non quòd tu tãto oneri supposueris humeros,cui par esse potes,sed quòd me nihili hominem,in tam magnifici muneris societatem uoces. Hortaris enim,imò penè conuitio efflagitas,ut quemadmodum tu Paulum,itidem ego uel priscum illum Mosen,uel facundum Esaiam enarrans,hibernis his mensibus frigentia(uti scribis)huius gymnasii studia coner accendere. Ego uero qui mecum habitare didici,nec ignoro, quàm sit mihi curta supellex,neq; doctrinæ tantum arrogo,quæ tantis obeundis rebus sufficiat,neq; tantum animi robur mihi reor adesse,ut tot hominum,sua fortiter tuentium,inuidiam queam sustinere. Res ista non tyronem,sed exercitatissimum requirit imperatorem. Neq; uero me impudẽtem uocaueris,qui ista recusem,impudentissimus omnino futurus,ni recusarem. Tu mi Colete parum prudenter facis,qui(quod ait Plautus) è pumice postules aquam. Qua tandem ego fronte docebo,quod ipse non didici? Qui frigus aliorum accendam,ipse totus tremens horrensq;? Ipsa temeritate mihi magis temerarius uidear,si statim tanta in re uires meas pericliter,& iuxta Græcam παροιμίαν, ἐν τῷ πίθῳ τὴν ἀφράμειαν experiar. At expectaram,inquis,& opinione te falsum quereris. Tecum igitur ipse expostules oportet,haud mecum. Neq; enim nos te fefellimus,quippe qui nihil istiusmodi,uel promiserimus,uel etiam ostenderimus. Sed tu teipsum fefellisti,qui mihi de me uera prædicanti,credere nolueris. Neq; uerò huc appuli,ut poeticas aut rhetoricas literas docerem,quæ mihi dulces esse desierunt,posteaquam desierunt esse necessariæ. Hoc recuso,quia minus est instituto meo,illud quia maius uiribus. In altero obiurgas immerentem,mi Colete,quippe qui secularium(ut uocant)literarũ professionem nunquam præ me tulerim:ad alterum frustra hortaris,ut cui me nimis imparem esse cognoscam. Quòd si maxime par sim,ne liceat quidem. Nam mox Lutetiam relictam repeto. Interim dum me partim hiems hic alligat,partim recens ducis cuiusdam fuga non sinit exire,tutò in hanc laudatissimam academiam me contuli, ut unum aut alterum mensem cum tui similibus potius,quam cum torquatis istis aulicis agerem. Tuis uerò pulcherrimis ac diuinis conatibus tantum abest ut uelim aduersari,ut me(quoniam nondum adiutor sum idoneus)sedulum & hortatorem & fautorem fore pollicear. Cæterum ubi mihi conscius ero,adesse robur & uires iustas, accedam & ipse tuis partibus,& in asserenda Theologia,si non egregiam,certè sedulam operam nauabo: Interim nihil mihi possit esse dulcius,quam(ita ut cœpimus)quotidie uel coràm,uel per epistolas de sacris literis inter nos conflictari. Vale mi Colete.

Humanissimus præsul Richardus Charnocus, hospes meus, communis mihi tecum amicus,iussit tibi suis uerbis multam salutem adscribi. Oxoniæ,è collegio canonicorum ordinis diui Augustini,quod uulgò dicitur Sanctæ Mariæ.

DES. ERASMI ROTERODAMI DISPVTATIVNCVLA DE TÆDIO, PAVORE, TRISTITIA IESV, instante supplicio crucis: decz uerbis, quibus uisus est mortem deprecari, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.

DES. ERASMVS ROT. IOANNI COLETO SVO S. D.

HERI quum in pomeridiana conflictiuncula nostra, Colete, multa quidem abs te tum acutè, tum grauiter dicerẽtur, nec tuam mihi sententiam satis probares, à qua tamen dissentire magis poteram, quàm refellere: mihicz uiderer non tam causa esse inferior, quàm facundia, contentionem tu quidem in præsentia, pro tua modestia, remittebas. Verum digredientem, ut rem mecum attentius amussatiusz perpẽderem orabas, negans te dubitare, quin si ita facerem, illicò pedibus in tuam iturus essem sententiam. Ac meo quidem iudicio, faciebas prudenter. Sciebas enim (ut grauiter dixit Mimus ille nobilis) Nimiũ altercando, nonnunquam amitti ueritatem: præsertim si disputatio peragatur his testibus, apud quos doctrinæ nostræ opinionem periclitari credamus. Aderat autem Richardus Charnocus præsul, uetustissimus amicus tibi, mihi recens hospes, sed utriusz nostrũ pene ex æquo tum amans, tum admirans: præterea natura insitus cõtentionis calor, & studium sua cuicz tuendi, mansuetioribus etiam mentibus nonnunquã imponit. Nam ut inuenias, qui uelit agro paterno cedere, Qui uelit ingenio cedere, nullus erit. Itaz monitis tuis, mi Colete, libenter sum obsequutus, remz totam mecum animo repetens, paulò sum fixius pressiusz contemplatus, depositio omni studio, rationes utriusz componens atz expendens, imò permutatione facta, ut tuis perinde ac meis fauerem, & meas non minus acriter cz si tuæ fuissent, excuterem. Mihi tamen inter hæc nez noui quicquam in mentem uenit, nez cuiusquam quod dixerim, pœnituit. Experiar igitur si possim, pugnam illam uniuersam literis repræsentare, & tanquam eandem fabulam agere denuo, non quòd sim quàm tum eram instructior, sed ut eadem illa quæ tum inconditè (quippe imparatus) dicebam, nunc efferam paulò tum digestius, tum munitius. Nam paribus copijs nonnihil tamen refert quàm scitè collocata acie pugnes. Verum argumentis potissimum agemus, quandoquidem librorum subsidia in præsentiarũ à nobis desiderantur. Qua quidem in re, tu me felicior. Verum quid mea? In literaria pugna, qui sapit, nõ tam uincere cupiat, quàm uinci: hoc est, non tam docere, quàm discere. Si succumbo, discendo doctior: sin supero, tibi nihilo iniucundior. Verum iam accingar. Hæc (si satis commemini) erat tuæ disputationis summa, De tædio, pauore ac tristitia redemptoris nostri Iesu: decz uerbis quibus mortẽ uidetur deprecari, Si possibile est, transeat à me calix iste. Interpretationem uulgò à theologis recentibus receptam atz inculcatam, negabas tibi probari: quibus placeret, Christum uti uerum hominem, tum diuinitatis id temporis auxilio destitutum, tam dirum atz immanem cruciatum, qui iam propius instaret, ac prope premeret, propter naturæ nostræ imbecillitatẽ, quam cum plurimis malis nostris assumpserat, exhorruisse. Atz ab eo affectu profectam uocem illam hominis reformidantis: Mi pater, si possibile est, transeat à me calix iste: & hanc quidẽ fuisse uocem nostram, hoc est, imbecillitatis humanæ testem. Cæterum addidisse protinus, quod erat uirtutis & obedientiæ, & tanquã superato affectu dixisse: Verum tamen non sicut ego uolo, pater, sed sicut tu. Negabas enim quicquam minus in Christi charitatem conuenire, quæ fuit (sine controuersia) flagrantissima, quàm mortem eam, quam amore nostri tantopere sitierat, nunc imminentem exhorrescere, deprecariz. Addebas, uehementer absurdum uideri, quum martyrum plerizz immanissimos carnificum cruciatus, animis non solum impauidis atque intrepidis, uerum etiam alacribus, quasiz gestientibus excepissent, nonnullis adhibita tormenta, uoluptatem quoz attulissent, charitatis uidelicet magnitudine, doloris sensum absorbente: Christum qui uerus est amor, uera charitas, qui non in aliud uenerat, quàm ut nos morti obnoxios, indebita sua morte in uitam asereret, crucis uel ignominiam, uel acerbitatem exhorruisse. Proinde quòd toto corpore sanguinem sudauerit, quòd ad mortem usque fuerit animo contristatus, ita ut esset

angelorum

angelorum ſolatio ſubleuãdus,quòd quaſi patri blandiens,calicem mortis deprecatus ſit,hæc omnia quouis referre malebas,quàm ad mortem reformidatam. Charitatis hãc eſſe aiebas propriam uim ac munus,formidinẽ omnem procul excludere,alacritatem adferre pro triſtitia,nihil ad ſe ſpectare,totam ſemet alijs profundere. Neque quadrare, neq; conſentaneum uideri,illũ humani generis amatorem ſitiẽtiſſimum,non contanter modo,uerum etiam timidiſſime mortem adiſſe. Atq; ut tua cõfirmares,adijciebas te magnopere diſſentire ab ijs,qui in ſtatuendo charitatis ordine,gradus quoſdã amãdi commiſcerentur,ab ipſa charitatis natura prorſus abhorrẽtes,uidelicet ut ſecundũ deum, ſibi quiſq; chariſſimus eſſet,ſemperq; in eodem genere rerum,quæ noſtrã ſunt,ijs quæ ſunt proximorum,præferamus. Dicebas hanc collationem tollere hoc,quod amoris eſt proprium ac genuinum,qui ſua negligit,curat aliena: nihil minus quàm amare,qui ſeipſum amet. Moſen potius habuiſſe,deleri de libro uitæ,quàm populum interire. Chriſtũ charitatis exemplar,ſe perdidiſſe,ut nos eſſemus incolumes. Paulum alterum amoris perfecti ſpeculum,optaſſe,ut anathema fieret pro fratribus ſuis ſecũdum carnem. Hæc inquam erat,Colete,confutationis tuæ ſumma,quam(ut potuimus)contractiſſime quidem collegimus,tamen citra omnem præuaricationẽ,nihil de induſtria uel prætereuntes uel eleuãtes,id quod Quintilianus admonet in cõfutando fieri oportere. Imò quod ipſe non diffiteberis,quædã munitiora quoq; retulimus,quàm tu propoſueris. Sed iam ad rem diſcutiẽdam accedemus,ſi prius illius numen implorauerimus,qui quoquo modo certe nobis tæduit,non ſibi: nobis pauit,non ſibi: nobis contriſtatus eſt,non ſibi: nobis ſudauit,nõ ſibi: & qui ſolus nouit,qua mente patrem orauerit,non ſinat nos noſtram mentem ſequi,ſed ſuam dignetur impertire. Tuam uero ſententiam autore Hieronymo confirmabas,quem unum hac in re uerum uidiſſe dicebas,qui pauoris & tædij cauſam mutarit,ſcripſeritq; (ut aiebas) ſaluatorem Ieſum nihil aliud oraſſe,q; ne ſua mors,quam uniuerſis ſalutiferam eſſe cupiebat,Iudæis exitialis fieret. Hinc illam fuiſſe anxietatem pauentis mœrentiſq;,ad mortem uſq; acerbã. Inde ſudorem ſanguineis guttis toto corpore in terram deſtillantem. Hoc ita habere certiſſimum argumẽtum eſſe dicebas,quòd iam in cruce ſacrificium illud peragens æternum,pro eiſdem ſui ſupplicij miniſtris,eundem orans patrem: Ignoſce,inquit,quia neſciunt quid faciunt. Vt penè idem ſit ſenſus in utriſq; uerbis: Tranſeat à me calix iſte: id eſt,ne me ſua pernicie occidant Iudæi: &, Ignoſce,quia neſciunt quid faciunt. Hanc Colete,ſiue tuam,ſiue Hieronymi ſententiã, ſi ſic probas,ut aliorum non reijcias,iam & ipſe in eam pedibus diſcedo. Nam & libenter cum Hieronymo noſtro ſentimus,& à Coleto non ita libenter diſſentimus. Nihil enim prohibet,quo minus ex ſacris literis,quæ mira quadam fœcunditate ſunt,uarios ſenſus eliciamus,& unum locum non uno modo accipiamus. Scio iuxta diuũ Iob,multiplicem eſſe ſermonem dei: ſcio manna nõ omnibus palatis idem ſapuiſſe. Verum ſi interpretamentum iſtud ſic amplecteris,ut id quod & plures habet autores,& receptius eſt,damnes atq; reijcias,reclamo,& à te libere diſſentio,diſſentiamq;,donec me tecum ſentire iubebis: nec iuſſurum ſcio,quæ tua modeſtia eſt,niſi tuam ſententiam idoneis argumentis probaris. Placet quod dixit Hieronymus: Erubeſcant qui putant ſaluatorem timuiſſe mortem,& paſſionis pauore dixiſſe,Trãſeat à me calix iſte. Diſplicet quod nemo ferè non dixit: Ieſum propter aſſumptũ hominem humana infirmitate reformidaſſe mortem,natura acerbam. Si autoritate me premis,quid ſi utrunq; ſenſit Hieronymus? Quid ſi ſæpius hoc,quàm illud? Quid ſi in eodem loco neutrum tacuit? Quid ſi ne ſenſit quidem quod tu,aut id etiam quod ſcripſit? quandoquidem ille in Commentarijs ſummam libertatem eſſe putat,quod in Ruffinum ſcribẽs palàm teſtatur. Etenim in his non ſuo quiſq; periculo quid ſentiat,ipſe pronunciat,ſed quid alij ſenſerint refert. Quod cum omnibus qui commentarios ſcribunt commune eſt,tum Ambroſio Hieronymoq; præcipuum ſtudium fuit,per diuerſos autores uagari,& illorum,non ſuo periculo,quæ ſenſerint recenſere. Vterq; autem Origenem in enarrandis diuinis literis potiſſimũ eſt æmulatus,cui familiare uidemus eſſe,ut eadem de re,uarijs diſſerendis ſententijs,lectori copioſam cogitandi materiam ſubminiſtret. Relege locum unde iſta profers,& uehementer me fallit animus,niſi & hoc commemorat quod tu nunc oppugnas. Sed interim dum librorum copia ſumus deſtituti,ratio cum ratione,ſigna cum ſignis,argumentum

cum

cum argumento pugnauit. Principio si Christũ hoc unum tãtopere angebat: quòd mortem suam Iudęis aliquot exitium allaturam esse præuideret, aut (ut sensit Hilarius) quòd ea uidelicet offensos ac consternatos apostolos à se descituros præsciret, quum ista tum nihilo clarius prospexerit, quàm à momento conceptionis, nũquam non eodem modo oportuit angi. Nam si causam perpetuã admittis, non potes non & effectum perpetuum admittere. Porrò Iudæorum exitium, quur nunc demum deprecatur? Quur hoc potissimum tempore? Quur non alijs uerbis? Defleuerat ante Hierosolymitanũ excidium, sed uerbis perspicuis. Orauit de cruce pro mortis autoribus, pro blasphemantibus, sed uerbis neutiquam ambiguis. Conueniunt circunstantiæ. Hic neq; in re, neq; in uerbis, uel leuis est coniectura, quæ pertineat ad interitum Iudęorum, nisi impudentissimè quis torserit. Nónne palàm (inquis) orat, ne se Iudæi occiderent, quum ait: Transeat à me calix iste: uidelicet quem mihi sunt propinaturi? Imò si me uerbis urgeas, magis uidebuntur ad patrem propinantem, quàm ad Iudæos pertinere. Id quod ex simili loco fit luce ipsa clarius, ubi Christus de morte sua loquẽs: Calicem (inquit) quem dedit mihi pater, non bibam illum? Dat igitur pater filio bibendum calicem, filius ut homo, & homo nostris malis infirmus, uere reformidat mortem instantem, & patrem orat, ut eum calicem à se transferat. Pro me facit & pronomen Iste, quod non ignoras, utro potius oporteat referri, ad patrem cui loquitur, an ad Iudæos. Idem sonant uerba Marci, Et orabat, ut (si fieri posset) transiret ab eo hora. Quæ tandem hora, nisi iam urgentis supplicij? Deinde uerba orantis subijcit: Abba, pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. Ergo sermonem Christi si excutias, ne syllaba quidem inuenietur, quę tuam sententiam adiuuet. Iam ex re si captes argumenta, tantũdem inueneris, hoc est, nihil omnino quod pro te faciat. Collige, iuxta rhetorum præcepta, quid præcesserit, quid coniunctum fuerit negocio, quid consequutum sit. Dixerat Iudæ, Quod facis, fac citius. Imminent impietatis ministri. Aduentat proditor quum infelicissima cohorte. Iesus uolens tot martyrum millia, qui suam mortem erant imitaturi, exemplo suo instituere, quomodo se deberent gerere, ubi carnifex dirus urgeret, ubi sæuos intẽtaret cruciatus, secretum captat locum, orantibus idoneum, tædere cœpit, ne sibi displicerẽt martyres similia patientes: abijcit se humi, hoc facto docens, non expedire martyri supplicium adituro, ullis suis inniti uiribus aut meritis, uerum de se penitus diffiso, ad capitis opem tantum oportere respicere. Orat patrem in media tristitia, ut (si fieri possit) mortem transferret. Sed uincit hunc affectum infirmitatis, & se totum paternæ uoluntati submittit. Admonet dormitantes apostolos, ut uigilent, orentq;. Spiritum quidem esse promptum, carnem uero infirmam: mox obuium se præbet quærentibus, attonitos confirmat, trepidos prouocat. Proditorem etiam osculo dignatur, & amicum uocat. Vides, opinor Colete, circunstantias omnes, quæ ante rem, quæ in re, quæ post rem, nihil aliud demonstrare, quàm Christum Iesum ex assumptæ conditionis imbecillitate, mortem uicinam horruisse, sed ope diuina & uirtute obedientiæ constanter eadem suscepisse. Verum nusquam mihi theologi loquuti uidentur perplexius, quàm de hoc euangelij loco. Alius Christum reformidasse negat, ueluti tuus Hieronymus, neq; dissentit Augustinus, enarrans psalmum uigesimumprimum: Corpus enim, inquiens, suum gerebat: id est, ecclesiam: nisi forte putatis fratres, quia quum dixit dominus: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste: mori timebat. Ambrosius, mortis tædium, modo uidetur Christo tribuere, modo adimere. Tribuit, quum dicit, Quasi homo mortẽ recusans, quasi deus sententiam suam seruans. Rursum adimit quum scribit: Doles enim domine Iesu, non tua, sed mea uulnera: non tuam mortem, sed meam infirmitatẽ, & nos æstimauimus te in dolore, quum tu nõ pro te, sed pro me doleres. Iterũ aliquanto inferius: Tristis uidebatur, & tristis erat, nõ pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Ac paulopost, Tristis erat, quia nos paruulos relinquebat. Et ibidem: Transfer, inquit, calicem hunc à me: non quia deus dei filius mortẽ timebat, sed quia nec malos pro se perire uolebat. Porrò Hilarius etiã impiam stultitiã nominat, si quis affirmet Christũ suam ipsius mortẽ reformidasse. Eam loquẽdi diuersitatem in reliquis quoq; scriptoribus deprehẽdet hoc loco, qui diligẽter obseruauerit. Sed fortassis admiratione dignũ, quur tantopere reformident Christo tribuere mortis reformidationẽ, quum omnes uno penè animo, non uereãtur tribuere duas uolũtates, diuinã &

humanam

humanam. Easq; non solum natura diuersas, uerum etiam dissidentes, ut quod altera noluerit, altera uoluerit. Duos item affectus, mentis & carnis, quorum altero mortem sitierit, altero recusarit. Adeoq; uoluntates has duas comprobauit autoritas ecclesiastica, ut hæreseos notam inusserit ijs, qui diuersa senserunt. Interdum fatẽtur hoc, quòd mortem refugit, fuisse conditionis assumptæ, interdum non naturæ hoc fuisse, sed dispẽsationis. Porro autem magis etiam hęrent in illis Christi uerbis: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: uerum tamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et: Pater, si uis, transfer calicem istum à me. Primum, quid attinebat Christum omnino orare, qui quidem ut omniscius erat, etiam ut homo, ita & omnipotens? Deinde, quur orat, quod se nouit non exoraturum? Nam siue orat, ne à Iudæis occidatur, præsciebat occidendum sese: siue ne occiderent illi, sciebat occisuros. Siue ne perirent mortis occasione suæ, quum Iuda permultos sciebat perituros. Deniq; quur orat, quod nõ uult pater? Illud etiam perplexius, quur tanquã uel de uoluntate patris, uel potestate dubitans, ait, Si uis: &, Si possibile est: quasi quicquam ignorauerit? His atq; huiusmodi multis offensus Augustinus, & causam mœroris pauoriscq; mutauit in Christo, & totum hunc sermonem maluit ad corpus referre. Quanquam & Hieronymus & Ambrosius, eiusdem tristitiæ uarias causas tradunt, siue liberum esse rati, de una qualibet earum sentire, siue quod non existimarent, absurdum uideri, si unius effectus plures esse causæ dicerentur. Quoniã caput & corpus idem sunt, Christus imbecillitatem membrorum suorum in se transferens, pro illis tæduit, mœstus fuit, contristatus est, pauit, agonizauit, sanguinem sudauit. Hæc enim omnia uerba sunt apud Euangelistas. Pro his orauit patrem, ut à se, hoc est à corpore suo, à Petro, à Paulo, à martyribus, calicem transferret amaræ mortis. Quemadmodum & in cruce pendens, comprecatus est patrem uerbis Psalmi modo citati, quorum nonnulla nequaquam quadrant in filium uirginis, ueluti hæc: Deus deus meus, ut quid me dereliquisti? Longe à salute mea uerba delictorum meorum. Nam quæ tandem sua delicta nominat, de quo testificatur scriptura: Qui peccatum non fecit, & non est inuentus dolus in ore eius? Vbi eleganter Augustinus: Delicta (inquit) nostra, sua delicta fecit, ut iustitiam suam, nostram iustitiam faceret. Verũ ut in cruce, nostra delicta sua fecit, ita instante supplicio, nostram trepidationem fecit suam, nostram mortem deprecabatur, non suam. Atq; hæc quidem interpretatio pietatis plurimum habet, eoq; ad prouocandos ad amorem saluatoris animos, in primis idonea est. Et de uerbis quidem orantis, facile nos extricat ab omni difficultate. Verum de pauore suscepto, uidemur adhuc in eodem hæsitare luto. Tu causam quidem pauoris mutasti, quanquam reclamantibus circũstantijs coniecturalibus. Non reformidauit sibi mortem, non tæduit sibi, sed tamẽ uere. Neq; enim (ut ait Ambrosius) speciem incarnationis suscepit, sed ueritatem, Debuit ergo & dolorem suscipere, ut uinceret tristitiam, non excluderet. Quod si hic quoq; premis, Christũ uere quidem pauisse, sed corporis sui, non suum malum: cum recentioribus theologis rogabo, quid ita refugis in Christo mortis reformidationem concedere, præsertim assumptam ad tempus, non proprie coniunctam cum conditione, quam assumpsit Iesus? Et quanquam tu à neotericis theologis soles non inuitus descisscere, tamẽ id quod admonet in Parmenide Plato, experiamur, num quid absurdi nostram sententiã consequatur. Si nihil consequitur, quid est quòd ad alias coactas interpretationes diuertamus, id quod simplex, quod germanum, quod in manibus est relinquamus, quod nusquam est in literis, quæramus? At consequũtur (inquis) absurda permulta. Derogatur perfectę Iesu tum charitati, tum obedientiæ. Propterea quòd neq; flagrãtissimæ charitatis est mortem deprecari, quam martyres amore illius summa alacritate adierunt, quam optauit Paulus, quam sitijt Andreas, quam desiderauit Martinus, & parationis absolutionisq; obedientiæ est, ultro cupere quod uelit pater, quàm isto modo loqui. Nolo mortem, si queam effugere, te uolente: sin mori me uis, meam uoluntatem negligam, tuam sequar. Quòd si Christus perfectissime amauit, & genus humanum, & patrem, quur redimendi nostri munus detrectat? Quur reformidat, quod uult pater, quum amoris sit proprium, idem uelle ac nolle? Quur calicem, quem ille propinat, deprecatur? Si quocunq; modo detrectauit, aliquid detrahitur illius in nos charitati. Si quacunq; ratione noluit, derogatur absolutissimæ obedientiæ. Neutrum competit in eum, qui fuit utriusq;, amoris pariter & obedientiæ perfectissimũ

exemplar

exemplar,& cui nihil potuerit accedere. Deinde negabas,eiusdem uideri hominis uocem hanc, Vade retro satanas,calicem quem dedit mihi pater,nō bibam illum? Et hanc,Si fieri potest,transfer à me calicem hunc,nisi de Iudęorum interitu,Hierosolymarum excidio, discipulorum scandalo ac defectione,martyrum supplicijs intelligatur. Ecce quàm multa cogeris comminisci,dum unum illud, quod simplex uerumq; est, reformidas. Hic nimirum est Colete scopulus ille procul albicans,qui te cum Hieronymo territabat, effecitq; ut translatis alio uelis,proram flecteres. In hunc ne incurras, mauis longis ac sinuosis ambagibus circumagi,quàm rectum tenere cursum. Sed etiam atque etiā uide,ne periculum quod eminus conspectum terret,nubes sit,non rupes. Immo caue,ne dum falsam cautem sedulo uitas,in ueram impingas. Quanquam in præsentiarum consilium non est, tuam, quam probas,opinionem refellere,sed meam,quam non recipis,tueri. Age igitur experiamur uetere illo & Academico differendi more,si docere queamus,Iesum uti perfectum & uerum hominem,ex natura quam assumpsit de matre uirgine,mortem suam reformidasse,exhorruisseq;. Eamq; humano affectu deprecatū esse,humana uoluntate noluisse. Hac de causa tæduisse, contristatum esse usq; ad mortem,sudasse guttas sanguineas,agonizasse. At hæc omnia,nihil derogare obedientiæ,quam absolutissimam in illo credimus,nihil charitati in nos,qua nulla maior esse queat. Immo amore illius erga mortalium genus,his rebus non solum nihil detrahi, uerum etiam multum adiungi. Postremo ut alacritatem, quam tu charitatis comitem esse uis,foris illi detrahemus,ita intus tantam fuisse concedemus uni,quanta non fuerit in uniuersis martyribus. Quid quæris amplius Colete? Belle promittis,inquis,Sed iam præsta. Equidē conabor. At tu interim ab ista tua sentētia,quā nimis impense deamas,& in quam ut discedam pedibus,non tam argumentis,quàm precibus obtinere niteris,tantisper abducas animum,dum quæ à me dicūtur,cuiusmodi sint consideres. Primum illud, opinor,abs te impetrabo,Iesum redemptorem nostrum perfectam hominis naturam assumpsisse,cum omnibus affectibus,qui futuri fuerāt in Adam,si in natiua cōditione perseuerasset, Corpus sensibile,animā sensibilem, & naturalibus passionibus obnoxiam. Nec inficiaberis, quod affirmat cum multis Augustinus, nec inscite explicat Bonauentura,scribens in decimamquintam distinctionem tertij libri sententiarum,illum non tantum dignatum esse hominis conditionem accipere mortalem,uerumetiā plurimis malis nostris obnoxiā. Quemadmodū ipse de se testatur in psalmo,Repleta est malis anima mea. Et astipulatur Paulus: Debuit,inquiēs,per omnia fratribus assimilari. Nimirū ea mala in se recepit,quibus mederet in nobis. Neq; tamē recepit omnia. Nam omne malū,aut culpa est,aut ex culpa,quod pœnæ malum appellant theologi. De culpæ nostræ malo prorsus nihil attigit,ac ne conueniebat quidē,ut qui pro omniū peccatis erat intercessurus,ipse peccatū haberet,pro quo necesse esset intercedi. De malis uero pœnæ, tantū accepit,quantum nobis expediebat,& quatenus illius dignitati nō derogabat. Hoc est,definitore Bonauentura,ea dūtaxat,quę cōmunem hominis lapsi conditionē generaliter cōsequuntur,ab ijs quæ sigillatim accidūt nobis,abstinuit. Huius generis sunt,morbi, uitia membrorum,uitia mentis,profecta à corporum uitijs,deformitas,monstrositas,atq; his cōsimilia. Ab his omnibus fuit immunis,tum quia dedecebant illius dignitatem, tum quia nihil habitura fuerant momēti,ad nostram salutem. Prioris illius generis sunt,infantia,imbecillitas ætatis,sitis,fames,lassitudo, tristitia,dolor,dormituritio,& mille nostrę uitę huius labores. Hæc quanquam à peccato sunt profecta,tamen quoniā ipsa peccata non sunt,& possunt cū summa etiam uirtute cohærere, Christus cū nostra natura in se recepit, uti pœnā,qua nostram expiaret impietatē: sed accepit pleraq;,nō omnia. Etenim in nobis pronitas ad culpam,ex culpa Adæ quidem nata est,attamen ipsa culpa nō est, Præterea ignorātia primitiuæ culpæ pœna est in nobis omnibus. At nos,ut Christo tribuimus infantiam & linguæ impotentiā,ita non adimimus perfectam sapientiā, qua anima eius simulatq; creata est, statim & continenter fuit illustrata. Item difficultas ad bene agendum, quæ modo non sit in nobis, priuatis uitijs contracta. Nam hæc posterior,malum personæ est, non conditionis. Postremo,ut mortalitatē assumpsit,quæ & ante peccatū erat in Adam, ita iuxta quorundam opinionem nō assumpsit moriendi necessitatē,quæ non omnes cōmuniter alligat. Verū istud in medio relinquimus. Atqui mortis reformidationē, quæ & morte ipsa malū est nōnunquā acerbius,& sic humanæ conditioni adhæret,ut cum nulla

culpa sit coniuncta, quid est cur tantopere formidemus ascribere Christo, non solum perfecto homini, uerumetiam omnibus, quoad potuit, malis nobis adequato? Immo si me patiaris tecum paulo magis philosophice agere, audebo dicere, fortasse cõprobantibus non nullis theologorum, & semoto peccato simpliciter esse secundum naturam hominis, mortem reformidare, eamq; secundum eius conditionem locum habituram fuisse, etiam in statu innocentiæ. Peccatum quidem contra naturam est, & ad illud non impellimur, nisi naturæ deprauatione. Pietas maxime secundum naturã est, nec ab ea resilimus, nisi uitio corruptæ conditionis primitiuæ. Mors uero quoniam peccati filia est, & naturæ, quæ semper appetit esse, inimica, natura omnibus est formidabilis, adeo ut bruta quoque animantia, ac prope dixerim, plantæ ipsæ, quibus nonnulli stupentem animam tribuerunt, monstrante natura resiliant ab ijs, quæ sunt uel infensa uel molesta. Nihil autem tam infensum naturæ, quàm mors, cuius propriũ est, interitum adferre, quem exhorrescunt omnia quæ sunt. Porrò quanto præstantius est esse, quod aufert, tanto est ipsa formidabilior. At nullum est esse præstantius, quod queat eripi quàm uita, præsertim hominis. Proinde Stoici, qui sapienti suo plusculum etiam tribuunt, quàm humanæ conditionis imbecillitas recipiat, tamen hanc reformidationẽ non solum cõcedunt, sed eam inter τὰ κατὰ φύσιν πρῶτα, id est inter naturæ prima, primo loco constituunt. Nihil enim nos prius docet natura, & ut primũ sensibus, deinde & animi iudicio refugiamus ea, quæ naturę lenitatẽ offendũt, multo magis quæ totã perimunt, ac modis omnibus, id quod sumus, tueamur perficiamusq;. Quod si nobis uitio aut deprauatione accideret, non esse fateor cum Christo cõmunicandum. At minime conuenit, illi perfectã hominis naturã tribuere, & id detrahere, quo nihil est cum natura coniunctius. Quod si utrunq; iuxta naturale est, ut anima & præsenti malo doleat, & de imminente affligatur, cur nõ utrunq; homini Christo, aut relinquimus, aut adimimus? Immo dabo unde liqueat ei fuisse causam, cur mortem expauesceret non tantũ ut homines cæteri, uerumetiam acrius, quàm quisquã hominũ. Tria ferme uideo, quæ reformidationem debeãt exaggerare. Preciũ boni quod lædit. Magnitudo mali. Et utriusq; cognitio. Nos homunculi qui morte digni sumus, si quis casus mortẽ intentet, ut afflictamur, ut exalbescimus? At hoc quod sumus, quàm infinitis partibus est infra dignitatem Christi, neque tamen hocipsum quod sumus, quãti sit, satis intelligimus, & interitum nunquam tam certo metu formidamus, quin ijdem speremus meliora. Tum si nulla spe subleuemur, ignorantia certe nostra hoc nobis adfert commoditatis, ut hoc minus mortẽ reformidemus, quo minus quàm sit acerba cognoscimus. Adde, quod quo cuiusq; natura præstantior est ac generosior, hoc sensus mali naturã offendentis acrior est atq; acerbior. Sed nullum unquã corpus hominis generosius fuit corpore Christi, nulla anima præstantior. Sensus igitur reliquorũ sensu multo acerbior, uel in ijs quæ corpus eius lædebant, ac per illud animam, uel quæ animæ uires per se offendebant. Neque igitur nostri plasmatis uilitas cum illius præstãtia, neque nostræ mortis acerbitas, cum illius supplicio, neq; noster incertus metus, cum illius certissima clarissimaq; prospiciẽtia, neq; nostra ignorantia, cum illius scientia conferri potest. Et miramur illum tantum, sic sibi cognitũ, talem mortẽ expauisse, quam non tantũ animo præsagiebat, sed perinde atq; oculis subiectam prospiciebat, cuius omnes cruciatuũ numeros perfectissime pręsentiebat? Qua de causa Hieronymus, quam & græci προπάθειαν, propassionem nominat, quasi passionis initiũ. Sunt autẽ formidabilium rerũ primi incursus acerbissimi. Hic facile diuino Colete, quid mihi inter legendũ obmurmures. Vt hominis sit, inquis, mortẽ exhorrescere, certe nõ est hominis fortissimi, qualem fuisse Christũ, nemo non fatebitur, mortem tam speciosam, tam salutarẽ reformidare, & reformidare tam nouo more. Vbi eius humanitatẽ quam assumpsit, ubi mortis immanitatem contemplor, ubi sensum corporis atq; animæ multo acerrimum, ubi perfectam præscientiam, causas permultas uideo, quare debuerit magis etiam quàm mortalium quisquã exanimari: at rursum ubi ad charitatem, ad obediẽtiam, ad fortitudinem eius, oculos refero, alacritatem, promptitudinem requiro. Exanimatur quis mortis metu, hominem quidem agnosco, at fortem hominem plane desidero, ubi sanguineum sudorem exprimit horror, ubi uideo tristitiam ad mortem usq; perseuerantem, aut mortis instar acerbam, ubi mortis audio deprecationem. Et charitatis est, de alieno, non de suo malo perturbari. De charitate & obedientia mox tibi respondebo. Verum interim, Num, quæso te,

fortem

fortem uirum negabis, qui ad ingens malum iam irruens exanimetur? Quid tu igitur fortitudinem esse putas? Non sentire ea quæ naturæ sunt molesta infensaq; ? At istud tantum abest, ut uiri fortis existimem esse, ut immanis potius aut stupidi, suiq; sensu carentis esse dixerim. Natura nobis in ipsis uitæ principijs nostri charitatem inseuit, ut appetamus ea quæ incolumitati sunt amica, resiliamus ab ijs, quæ lædunt. Neque uero fortitudinis munus est, gigantum uice pugnare cum natura. Nam fortitudo est scientia rerum toleradarum, aut non tolerandarum, definitore Socrate. Aut si mauis, honestorum laborum constans susceptio. Quorum indecoram fugam, appellamus ignauiã. Ergo non sentire res naturæ molestas, nõ est fortitudo, sed eas constanti pectore uincere ac perpeti. Proinde non est parum fortis, qui periculum aditurus, exhorrescit animo, exalbescit uultu, cui palpitat pectus, cui refugit sanguis, cui gemitum exprimit dolor, sed qui periculi metu speciosum laborem recusat, immo hoc fortior, quod naturam refugientem uincit. Quod duris rebus ultro sese obijcit, uirtutis est, quod expauescit, naturæ, quod affligitur, item naturæ. Nam eadem est ratio, uel sentiendi præsens incommodũ, uel instans exhorrescẽdi. Quanquam in altero à corpore profectus dolor, ad animum peruenit, In altero cruciatus in animo exortus, redundat in corpus. Itaq; non cõmoueri periculo mali premẽtis & instantis, animi est, aut nõ intelligentis periculũ, aut bruti stupidiq; : nõ sentire malũ iam præsens, stupitis est, adeoq; nõ hominis, ut ne animantis quidem: Neutrũ certe sapiẽtis. Nemo autem fortis, qui stultus. Infantes, ebrij, furiosi, cum risu ferrum excipiunt. Cur ita? Nempe quia non intelligunt periculũ. Neq; hoc nomine fortes, sed miseri à nobis iudicantur. Contrà Vergilius Aeneæ suo, cui summã fortitudinem conatur affingere, non tamen ueretur reformidationem, trepidationem, gemitum, & id genus alia paueſcentis animi signa tribuere. Nam in repente coorta maris tempestate, Ex templo (inquit) Aeneæ soluuntur frigore membra, Ingemit. Rursus ad Polydori uocem, Obstupui, steteruntq; comæ, & uox faucibus hæsit. Simile quiddã troianis utiq; fortibus aliquoties attribuit, uelut auditis harpyis. At socijs subita gelidus formidine sanguis Diriguit. Rursum in relinquendis ijs quæ sunt naturæ amica, non adimit fortissimo uiro sensum animi reluctantis, cum dicit, Premit altum corde dolorem. Et magno persensit pectore curas. Idem obseruatũ est à doctis in Homerica poesi. Nam communiter & ignauis & fortissimis uiris expauescentiam attribuit, tametsi non eadem ratione. Si quidem ut ei quem fortem uideri uolunt, gemitum, pallorẽ, horrorem concedunt, ita indecoros eiulatus, muliebres comploratione, uoces impotentis animi, ab eo procul semouent. Quid autem stultius, quàm cum coneris absolutum fortitudinis exemplar proponere, hæc illi affingere, quæ sunt à fortitudinis laude aliena? At qui stultitiam Homero siue Vergilio tribuat, huic equidem cor esse negauerim. Stultitiam autem eam nomino, quam Quintilianus inter Oratoris uitia commemorat. Sed quoniam intellexerunt esse quoddam uirile & constans expauescentię genus, quod non ab ignauia mentis, uerum à natura proficiscatur, eoq; & in fortissimum quenq; necesse sit cadere, reformidationem distinxerunt, non omnino sustulerunt. Exalbuit Aristippus; & in simili tempestate Stoicus quidam, sine homine à Gellio celebratus, cum crebri turbines nauim urgerent, horreret atra caligine cœlum, irruerent globi fumigantes, imminerẽt typhones, quasi iam nauim depressuri: nihil motus est periculo nebulo nescio quis ac diues (ut ait) Asiaticus, homo nihili, multisq; delicijs diffluens, ac paulo post conquiescente tumultu, philosopho trepidationem exprobrauit. Vtrum tu hic fortem dixeris? Neuter fortassis erat. at si fuit alteruter, mirum ni philosophus fuit. atqui expalluit, inquis. Nempe homo. Sapiens quidem, doctus, fortis, philosophus, adde Stoicus, qui mortem neque malam esse, neque turpẽ, neq; sapienti formidandam & didicerat, & docuerat. Vt hæc omnia fuerit, at homo tamen non esse non potuit. Hic expauit cogente natura, ille supinus, securus, nõ mutat oris habitum, hebetante uecordia. Et (quod monstri simile est) qui in uoluptatibus erat mollissimus, in periculis fortitudinis speciẽ solus obtinet, sed falsam. Cũ duobus illis Decijs pulcherrimũ illud facinus in mentem ueniret, ut sese pro patriæ salute deuouerent, ultroq; hostium gladijs obijcerent, non eis refugisse sanguinẽ, micuisse præcordia reris? Nihil expauisse Mutiũ Scæuolam, cum solus in hostium castra penetraret. Nihil sensisse M. Curtium, cum in hiantem specum sese præcipitaturus, equo subderet calcaria? Nihil M. Attilium Regulum, cum in Pœnorũ castra rediret? Nihil Codrum Atticæ regem? Nihil

Menœceum Thebanũ? quid alios egregios uirtute uiros, quorum exempla sunt apud historicos infinita, cum sese speciosæ morti obijcerent, nihil in aggressione periculi animo commotos fuisse putas? sed efferatos in fatum ruisse? At istud non est, fortitudinis laudem illustrare, sed fortitudinis naturam tollere. Aut enim minus erant fortes, aut ne fortes quidem erant, si aut non intelligebant periculũ quod adibant, aut non sentiebãt. Immo quod sapientes essent, periculi magnitudinem non nesciebant. quod homines essent, senserunt in aggrediendo reluctantem animum, sanguinem refugientem, pectus palpitans: quod uiri fortes erant, nihil his rebus abducebantur, quo secius fortitudinis munus cõstanter obirent. Tu si uirum fortiter in acie pugnantem uideris, num continuo clamabis ignauum, si colorem mutarit, si comæ riguerint, si gemitum ediderit? Iniquè feceris. Verum si locũ deserit, si clypeum abijcit, si terga uertit, ita demum erit quamobrem obijcias ignauiam. Lex uiro forti præmiũ statuit. Num hoc illi calumnia protinus interuertes, & ad eum negabis attinere uerba legis, neque enim fortem uirum esse, qui paulo ante congressum, uultũ uocemq; amiserit. adde, qui ne ea quidem cõtinuerit, quæ pudet nominare? Huic si patronus adsit non omnino indoctus, nónne te facile per finitionem repellet, dicens non esse fortitudinem, nihil expauescere in adeundis periculis, sed ea fortiter suscipere, & cõstanter perferre, ac uincere? Quod sic animo & corpore sum affectus, id neq; uitij erat, neq; uirtutis, sed naturæ, & necessitatis. quod mihi patrię incolumitas meapte salute fuit antiquior, quod me non subduxi discrimini, id erat fortitudinis, atq; hoc nomine mihi præmium à lege decretum postulo. An ideo fraudabor honore, quod non tantum hostem uicerim, sed etiam naturam? Quin potius bis fortem uideri oportet eum, qui charitate ciuium, non solũ periculum, uerum & animum suum contempserit, & (quod est fortius) se prius, quàm hostem superarit. An mihi obijcies barbarum illum seruum, cuius meminit Titus Liuius, qui propter occisum ab eo dominum, Asdrubalem Pœnum repente adortus obtrũcauit, moxq; comprehensus à circumstantibus, haud alio, quàm si euasisset, uultu, inter atrocissimos quoque cruciatus, eo fuit oris habitu, ut ridentis etiam speciem præbuerit? An ferũ illum è Cæsaris ludo gladiatorem, quem execantibus uulnera chirurgis, ridere solitum ferunt? At eadem opera licet obijcias totam gladiatorum cohortem, qui ferarum more in ferrum ruunt. Prętera multos deploratos homines, qui sibi mortem consciscunt. postremo malefícos quosdam & miserandos homines, quos non raro ad supplicium cum risu uidemus ire, iocari in obuios, maledicere magistratibus, atque omnino quædam facere morituros, quæ solent ebrij. Num istos fortes uiros appellabimus, quod nihil expauescant, nihil cruciatu commoueantur: an amentes potius, feros, ac stupidos? An tu fortẽ negabis, qui calcato repẽte angui, qui uiso lemure, qui ad subitũ fulminis ictũ, oris habitũ mutet? At istud est non fortem, se ἀνάλγητον, ἀναίσθητον, ἀπαθῆ hominẽ constituere, id est, indolentẽ, hebetem ac stupidũ. ἀναλγησίαν autẽ καὶ ἀπάθειαν adeò Panętius Stoicorum doctissimus nõ requirit à sapiente, ut eam ne homini quidem tribuat. Vtranq; à Christo remouet Ambrosius, his quidem uerbis, Neq; enim (inquit) habeat fortitudinis laudẽ, qui stuporem magis uulnerũ tulerit, cẽ dolorẽ. Quanquã duo illa ἀναλγησία καὶ ἀπάθεια magis uidentur ad animi dolorẽ pertinere, ἀναισθησία corporis. Quorum prius Scotus tristitiã nominat, alterum propriè dolorẽ. Idq; homo Chrysippeo acumine præditus, ait ex Augustini uerbis colligi, quæ sunt. Dolor carnis tantũmodo offensio est animæ ex carne. Sicut dolor animi, qui tristitia nuncupatur, est eius dissensio ab ijs rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Quasi uero non contra hinc liqueat, dolorem esse cõmunem ad animi corporisq; molestiam, Tristitiam, animi tantum, Quanquã tristitia apud eos, qui exactius loquuntur, frequẽtius ad oris habitũ refertur, Dolor autẽ sæpius ad animũ quàm ad corpus. Quis nõ istos plusquã Lynceï miretur oculos, qui hoc uidet, quod nusquã est? Sed ad rem. Eorũ affectuũ, quos nobis indidit natura, Philosophi in quantumuis perfecto sapiente, non σοφήσιν sed μετριότητα requirunt. Atq; adeo in Christo nõ admittũt insensibilitatem atq; hebetudinem Theologi, ut ne ἀοργησίαν quidem, id est iniascentiã omnino ascribant. Præterea hæreseos damnauit ecclesia, qui Christo naturam impatibilẽ, & nullius omnino doloris capacẽ ascribere tentarunt. Magis autẽ (ut diximus) secundum naturam est, malum imminens reformidare, quàm præsenti affligi. Hoc enim penitius indidit natura, quod magis ad tuendũ incolumitatem nostram pertinere iudicabat, nimirum ut quę lędunt, ab ijs seiungamur. Cui

proximum

proximum est, id quod uitare nequeas, ferre fortiter. Proinde quàm multos uidemus præsens malum fortissime ferre, qui impẽdens non potuerunt non uehementer expauescere? Cur ita? Nempe quod hic grauius ac difficilius est cum natura luctamẽ. Nónne uidemus & imperfectissima animalia, sagacissime præsentire incommodum, ac reformidantium instar, sese contrahere? Scribit Aristoteles, spongias quoque auulsorum strepitum præsentiscere, seseq; contrahere, atque arctius affigere, ut nõ nisi cum negotio queant auelli. Quod spongijs inseuit natura, ut interitum reformident, hoc tu uis homini detrahere? Attamen legimus, non paucis egregijs uiris hoc animi robur fuisse, ut mortẽ interrito uultu, præsentiq; adirent. Namq; Phocion ille Athenienſium dux iam moriturus, adeo nihil expauit, ut in uxorem & uenenum iocaretur. Nam cum illa muliebriter eiulans diceret, Mi uir, innocens morieris? Ille subridens, quid ais, inquit, uxor, num tu me nocentem mori malles? Deinde cum ueneno iam consumpto ab ijs qui multi ante eum biberant, carnifex de suo dare cõtaretur, Phocion amicos pecuniam numerare iussit, cauillum addens, quod Athenis ne mori quidem gratis liceret. Socrates iudicum calculis damnatus, nihil de uultu, sem per sui simili, demutauit. Tum imminente supplicij die Crito placidissime dormientẽ offendit. Deinde cum nauim è Delo mox adfuturam annunciaret, nihil etiam cõmotus est. Supremo die, nihilo secius, quàm in omni uita consueuerat, cum amicis festiuissime disputabat, subinde iocos illos suos, serijs rebus intermiscẽs. Cicutam eodem ebibit uultu, quo uinum solitus erat. Denique iam animam efflaturus, suprema uoce iocatus est in Phœdonem amicum, quod grauius de morte sua discruciaretur, iussitq;, ut gallum quem Aesculapio pro se uouisset, redderet. Cum autem sit extra cõtrouersiam, Phocionem ducum omnium incorruptissimum fuisse, Socratem philosophorum sanctissimum inculpatissimũq;, non erit cur ista uecordiæ, stuporis, aut hebetudinis fuisse calumniemur, potius quàm fortitudinis. Haud equidem inficias iuerim Colete, in multis hoc animi fuisse robur, ut in adeundis periculis nihil tale passi sint, quæ uulgo solent accidere. Et sunt ista quidem inuicti animi documenta, præsertim in sapiente ac bono uiro. Verum non patiar te ex ijs rebus fortitudinis magnitudinem metiri, quæ non tam uirtute, quàm naturę proprietate, nõ tam mentis, quàm corporis habitu accidunt. Non ideo fortis Socrates, quia cicutam hausturus, non mutarit uultum, aut ea gratia non fortis fuerat futurus, si exalbuisset. Nam & expauescere, & non expauescere, est fortibus cum non fortibus, sapientibus cum stupidis & hebetibus commune. Si mihi plus calidi sanguinis, si spiritus crassiores indidit natura, num ideo fortior ero? Rursus, si sanguinem frigidiorem, parciorem, si spiritus tenues addidit, num illico minus ero gnauus? Non possum mutare naturam, quin exalbescã, obiecta repente specie terrifica: at imperare mihi possum, ut ne mors quidem me deducat à recto. Itaque non expauescere, quando ex habitu corporis, aut alia quapiã naturæ ui contigit, neque in sapiente uiro requirendum est, neque in ἀναλγήτῳ ἀναισθήτῳ fortitudinis nomine donandum. Narrant ij, qui bellicis tumultibus interfuerunt, cum primũ hinc atq; hinc ferratæ constitere acies, cum rauco crepuerunt cornua cantu, cum tuba terribilem sonitum taratantara dixit, cum horrendus ille Mauortius clamor utrinque sublatus, sydera ferit, tum fere, ut quisque miles est fortissimus, ita maxime exalbescere, neq; ullos esse ad fugam priores, quàm qui clamore confidenti prælium inierint. Ne in oratoribus quidem dicturis offendit Quintilianum pallor, & mediocris trepidatio, cordati hominis (ut autumat) & periculum intelligentis argumentum. Idq; laudatissimis quibusque oratoribus usu uenisse testatur. Demosthenes, græcæ facundiæ princeps, non temere surrexit ad dicendum, nisi trepidationis notas ederet uultu. Non diffitetur Cicero hoc sibi peculiare fuisse, ut dictionis initio trepidaret. Et nemo hoc uno causas egit, aut plures, aut grauiores, aut fortius denique. Hoc nomine si tu Ciceronem ignauiæ insimules, ille incontanter (ut est orator promptus) insciti æ te uicissim insimulabit, qui fortitudinis uim naturãq; ignores. In sese hoc uel illustriorem esse fortitudinis laudem, quo maior sit naturæ reformidatio. Quandoquidem naturæ difficultates, quæ citra uitium nostrum nobis contingunt, augẽt materiam segetemq; uirtutis. Quicquid igitur naturæ dotibus detraxeris, id totum accrescit in cumulum uirtutis. Velut è duobus fortibus uiris, clarior fortitudinis laus penes eum est, qui minuto frigidioreq; sanguine natus, contemnit naturæ difficultatem, quàm pe

nes eum, cui multus ac feruidus sanguis in pari discrimine, periculi formidinē imminuit? In hoc enim de uirtutis laude nonnihil sibi natura uendicat, in illo quicquid est, totum uirtutis est. Tu sic conaris amplificare fortitudinis splendorē, si multum de fortitudinis materia deduxeris. At istud minuere est, non ampliare. Video Colete, iamdudum quassas caput, nec ista dum tibi satisfaciunt. Mane modo, non conquiescam, donec amoliar omnia. Quid mihi cum stoicis, inquis, qui de Christo disputo? Immo quando de Christo, qui ueritas est, disceptamus, si quid dixere stoici, quod à ueritate non abhorreat, non absurde uidetur posse proponi. Quàm uere dixerint illi, inquis, mea nihil refert. Verū istucipsum, quod illi de suo sapiente dixerunt, haud syncere tractas. Nemo stoicorum non detrahit sapienti συγκαταθέσεις, id est assensiones, neq; φαντασίας, id est, ad repente obiectam mali speciem expauescentiam concedunt omnes, cum de stoico sapiente scripserit Flaccus. Si fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ. Præterea qui concedunt expauescentiam, non eam uirtutis materiam esse dicunt, sed quiddam uenia dignum, & negligendum magis, quàm laudandum, propterea quod phantasiæ istiusmodi rationis præuertunt iudicium, eoq; in hominis potestate non sunt. Ad hæc non concedunt sapienti immodicam ac diuturnam expauescentiam, nec omnino concedunt, nisi cū subito sensibus obijcitur species magni mali, qui tumultum hunc ita animo cient, priusquam rex ille ratio dijudicarit. Verum simul atque ea perspexerit, id quod falsa mali specie territauit sensus, malum non esse, tunc continuo sceptra tenens, mollit animos, & tranquillat mentem. Postremo quis unquam stoicorum admitteret in sapiente suo, quod tu in Christo constituis, Nolle mortem, & mortē metuere? Illi remouent ab eo συγκαταθέσεις, tu eas Christo tribuis. At nō est assentiri, nolle mortem, & mortem metuere? Non idem sunt expauescere, & metuere. ut aliquando expauefiat sapiens, certe nihil unquam metuit, quippe qui nihil in metuēdis ponit, nisi quod malum sit, nihil malum iudicat, præter unam turpitudinem. hanc igitur unam metuit, non autem expauescit. Cur enim expauescat, cum in ipso sit non incurrere? Mortem tam esse secundum naturam, quàm nasci. neq; turpem, eoq; ne metuendam quidem, nisi stultis. Quid enim stultius, quàm id quod nullo modo malum sit, quod etiam secundum naturam, id perinde ut summum quoddam malum formidare? Tum ne reliqua quidem quæ molesta sunt naturæ, quod genus sunt morbi, fames, sitis, cruciatus timere, sapientis esse ducunt. Nam si ea sunt euentura, inquiunt, & uere mala sunt, cur malum duplicas? Si mala non sunt, metus igitur malum est. Si quæ metuis, euentura non sunt, cur frustra metuendo ipse tibi malum asciscis? Nihil igitur horū sine uitio timetur. Aut enim quod malum non est malum iudicat, & errat. aut quod intelligit malum non esse, timet tamen, & desipit, atque ratione dissentit. Sapiens autem stoicus, neque fallitur, neq; à ratione dissentit unquam. Age iam colligamus, quàm multa tu Christo non sapienti modo, uerumetiam sapientiæ fonti tribuis, illo indigna. Primum qui potuit expauescere, cuius sensibus nihil inopinatum potuit obijci, quippe omnia perfectissime præuidēti? Quàm uero nepharium dicere, in Christo terrificas quasdam malorum imagines præuertisse rationē, eaq; attonita uel obruta, inanibus terriculis ac ludibrijs sensuū tranquillitatē perturbasse, atque adeo perturbasse, ut sanguineis guttis undiq; manarit, tamdiu, ut ea molestia ad mortem usque perseuerauerit? Sic enim, opinor, exponit Hieronymus, Tristis est anima mea usque ad mortem, ut mortem, non causam tristitiæ, sed finē esse dicat. Num igitur interim stupuit ratio in Christo? Nihil minus. Cur igitur tanta mora non excussit falsi mali tam acerbam reformidationem? Cur metuit, quod non solum malum non erat, sed fons omnium bonorum nostrorum? Cur noluit, quod erat expetēdum? Vnde incidit in eum affectum, in quo non expediebat manere? Denique cum tuipse paulo ante remoueris à Christo pronitatem ad culpam, nunc eos tribuis affectus, quibus nos potissimum ad culpam solicitamur? Cum modo seiunxeris ab eo difficultatem ad recte agendum, nunc attribuis reformidationem mortis, qua morte nullum unquam extitit opus deo gratius meritiue maioris? Obruis me Colete uelut imbre densissimo telorū, quæ semel omnia sic poteram repellere. si dixero, eosdem quidem affectus fuisse in Christo, qui sunt in nobis, sed non eodem modo, eoq; non idem efficere. Sed malo carptim diluere, quæ tu agminatim congessisti. Primum mihi concedas uelim, ut liceat cum opus est, à Stoicorum decretis de

sciſce-

ſciſcere, quorum fere commune eſt de uerbis certis digladiari. Nihil (inquiunt) metuendum, quod malum non ſit, nihil malum, præter unam turpitudinem. Mors turpis non eſt, non igitur metuẽda. Si ita conuenit inter ſtoicos, ut præter turpitudinem nihil malum dici placeat, quid id mea refert? At ſcriptura me docet, mortem malam eſſe, quæ dicit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Si bonorum omnium autor deus, & mortis autor non eſt, mors igitur mala. Inuidia enim diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Si mala, cur non & metuenda? Abhorruit à morte Chriſtus, ut homo uerus, tanquam à re per ſe mala, & ex malo nata. Mentior, niſi palam idem dicit Ambroſius in Lucam. Et ideo faſtidit, inquit, quod ipſe non fecit. Mane pauliſper, uideo quid dicas. Faſtidit, inquis, non ſuam, ſed noſtram omnium mortem, id quod declarant Ambroſiana uerba, quæ Rhetorica calliditate ſupprimis. Et fortaſſe, inquit, ideo triſtis eſt, quia poſt Adæ lapſum, tali tranſitu nobis erat ex hoc ſeculo recedẽdum, ut mori eſſet neceſſe. An non audis illum de noſtra, non de Chriſti morte agere? Fateor Colete, non adiuuor uerbis, ſed argumẽto ſubleuor. Etenim ſi ideo noſtrã mortem faſtidit deus, quòd eã nõ fecerit, cum ne ſuã quidem fecerit, magis etiam faſtidierit, neceſſe eſt. Neq; uero faſtidijt eã, quatenus erat opus frugiferum ac deo gratum, ſed quatenus erat mors. Mors per ſe malũ eſt, certe neceſſitatis, ſi non morale, etiam ſi Chriſtus hoc malum nobis uertit in bonum. Inquantum erat reconciliatio noſtra, ardẽtiſsime illam ſitiebat, inquantũ peccati filia, grauiter faſtidiebat. Proinde ne me clames illico in ſaluatore difficultatem ad bene agendum inducere, quòd mortẽ exhorruerit, ſed hominis perfectam naturã cõſtituo, omnibus ſuis affectibus abſolutã, metu, dolore, ſpe, gaudio, cupiditate, ira, odio, reliquiſq;, qui ſint eiuſmodi, ut citra uitiũ queant cõſiſtere. At iſti ſunt (inquis) moleſtiſsimi ſolicitatores illi, quibus impellimur ad impietatẽ. Sed nimis q; impiũ uideatur, rem ullam cõſtituere in Chriſto, quæ ad turpitudinẽ inclinet, quem ipſe fateris nõ tantum à uitijs omnibus, uerumetiã ab omnigena propenſione ad uitium inuitante, fuiſſe liberrimũ. Atqui ego Colete neutiquam impium eſſe uideo, ea ponere in Chriſto, quæ ad uitia quidem trahunt, ſed utiq; in nobis trahunt, non in illo. Res eaſdem in illo conſtituo, at non eodem modo, neque idem efficientes. De nobis uerum eſt, quod ex Platonis ſententia ſcribit Maro. Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq;, nec auras reſpiciunt, clauſæ tenebris, & carcere cæco. Noſtri affectus ſemper obturbant rationi, refugiunt ab honeſtis, nituntur ad turpia. Cur ita tandem? Profecto non naturæ uitio, ſed culpæ, cuius reliquiæ ſic penitus inhæſerunt, ut compeſci quidem frenariq; poſsint, euelli radicitus nequeant. Itaque in nobis propter naturæ deprauationem affectus per ignorantiam feruntur in id quod erat repudiandum, refugiunt ea quæ fuerant expetenda, tenebras offundunt menti, præeunt rationi, cui conueniebat parere, immodicos cient tumultus, partim appetentes aut fugientes, quæ non oportet, partim immoderatius etiã quę oportet, appetentes aut repudiantes. Ita fit, ut malis pleraque uertantur in occaſionem materiamq; peccandi. At Chriſtus, quoniam naturam hominis induit, plurimis quidem incõmodis, è culpa natis obnoxiam, immunem tamen ab omni deprauatione uitiorum, ne poterat quidem affectibus noſtræ naturæ ad malum ſolicitari. Verum horum quicquid fuit in illo, ceſſit in cumulum uirtutis ac meritorũ. Neque oportet in eo labi, quod interdum apud ſcriptores ignorãtia, imbecillitas, ad malum propenſio, ad bona difficultas, natura nobis ineſſe dicuntur, quod mors naturæ deberi dicitur. Nam hic naturam non conditam, ſed deprauatam ſentiunt. Ac uulgato loquendi more, quicquid nobis non caſus attulit, ſed exortus ipſe indidit, id natura dicunt adeſſe. At in his naturam intelligimus, non initio conditam, ſed peccato uitiatam. A qua cum Chriſtus præter incommoda penè nihil in ſe recipit, nec in eo ulla peccandi facultas fuit, audacter illi tribuam, uel animi, uel corporis paſſiones naturales, ſecundum utramque partem. Animi, ut dolere, gaudere, odiſſe, ſperare, metuere, iraſci. Corporis, ut eſurire, ſitire, dormiturire, laſſari, affligi, mori. Quid enim detraho de perfectiſſima Chriſti uirtute ſi dicam illum odiſſe, cum in eo nihil aliud ſit odium, niſi fuga ueri mali? Cur nõ affirmem iraſci, ſi quidem nihil eſt aliud eius ira, quàm mali deteſtatio, nihil etiam uel anteuertens, uel interturbans rationis uſum? nihil interpellans tranquilliſſimã perpetuamq; diuinitatis contemplationem? Quod ſi quando nos his rebus ad lapſum precipitamur, id nunquam

non fit noſtra culpa. Quod inclinamur, adeo nō eſt culpa, ut piis mentibus occaſio ſit ſummi meriti. Itaque quod naturales affectus Chriſtum non perpulerūt ad peccatum, mirum non eſt, quādoquidem tam multis materiam pietatis ſuppeditant. quod non ſolicitarunt, hoc inde eſt, quod uti non fuit particeps maculæ genitalis, ita ne reliquiis quidem eius fuit obnoxius. Verum de his plura mox. Interim quod aiebas, Stoicos meos nō concedere ſapienti, niſi momentaneam expaueſcentiam, quę tantiſper mentem hominis perturbet, donec ſe colligat ratio. Deinde non accedere eiuſmodi pauori, niſi cū repente ſenſibus incurrit φαντασία, hoc eſt ſpecies formidabilis. Vt iſta ſic habeant, quid tu tandem appellas expaueſcentiam? An enormem perturbationem, & quaſi πανικὸν animi tumultum, qui prorſus obruta ratione, me mihi ipſi eripiat? Abſit, ut ego portentum iſtiuſmodi inſtituam in Chriſto. Sin expaueſcentiam dicis, moleſtam ac cruciabilem reformidationem imminentis mali, quæ ſenſum quidem acerbum incutiat affectibus animi, neque tamē eum loco dimoueat, hæc neque ſemper exoritur ex uiſis illis terrificis, immo uero ex animo demanat in corpus. Et adeo non excludit rationis uſum, ut ex ipſa ratione naſcatur, uidelicet immi nentis mali uim perpendente. Vtranque nō uideo quid prohibeat eſſe diuturnam. Nam prior illa quæ nobis cum Chriſto communis non eſt, in multis ſic mentis uſum adimit, ut nunquam ad ſeſe redeant. Hęc poſterior tandiu perſeueret neceſſe eſt, quandiu premit impendens malum. An non ſtoicus ille Gellianus, de quo pauloante meminimus, tandiu pauit, quamdiu ſæuiebat tempeſtas, neque prius omnino priſtinum uultum recepit, cū mare deferbuiſſet, & enituiſſet cœlum? Non ille interim uacabat animi dolore, neq; tamen non uigebat ratio. Sed obluctabatur Philoſophus ille animo ſuo, ni feciſſet, parum fortis futurus. At nobis non cum natura, ſed cum uitiis luctamen eſt. non igitur ſecundum naturam reformidatio, Neque luctam iſtam Chriſto tribuere fas ſit. Immo ne neceſſe quidem eſt. Neque enim illi pauor accidit neceſſitate conditionis, quemadmodū Philoſopho iſti, neque mentem afficiebat, quæ poſſit à ſtatu dimoueri quemadmodū in Stoico. Nobis quoniam in ipſis naturæ neceſſitatibus culpa tendit inſidias, nulla pene res accidit, cū qua non oporteat colluctari. Premit morbus, luctandum eſt, ne uincat animum tuum, & patientia uictum ſpoliet. Reualuiſti, en tibi altera pugna, ne pelliciaris ad inhoneſtam uoluptatem. Siue quid accidit moleſti, luctandum eſt, ne frangaris animo. ſiue quid dulce, pugnādum eſt, ne te corrumpat. Horum igitur ſenſum cum capite communem obtinent membra, cæterum cauſam, modumq; peculiarem ſibi retinent. Hæc abūde ſatis eſſe poterant Colete, niſi tuam iſtam ſententiam nimis tenere deamares. Etiam nūc abnutans, negas tibi factum ſatis, arctioribus nodis me paras urgere. Rhetoricaris, inquis, & malā cauſam nō peſſime defendis. Verū iſthoc pacto nō poteſt non uideri derogatū abſolutæ charitati Ieſu, ſi quomodo dixeris eū reformidaſſe mortē ſuam. Dono tibi naturalem eſſe mortis reformidationē, & magis etiam naturalem, q̄ cibi cupiditatē. Dono eam non eſſe coniunctā cum malo culpæ. At charitatis eſt, naturā uincere perficereq;. Graue naturæ malum fames, at huius ſenſum eximius amor excutit. Forte quiddam mors, at fortior dilectio, quæ mortem quoque ipſam facit optabilem, facit iucundam. Epicurus tantam habere uim exiſtimat recti conſcientiam, ut ſapientē & in Phalaridis tauro clamaturū affirmet, nō ſentio, dulce eſt. Si tantum ualet uirtutis ſimulacrum in Philoſopho, non minus ualebit in Chriſto uera perfectaq; charitas? Eſto, non reſilit ab officio, minus tamen amat, qui triſtis mortem excipit, quàm qui lubens, alacriter, exultāter. Tametſi mihi uideor nodum iſtum ſuperiore diſputatione diſſecuiſſe, tamen idem apertius, & Minerua (quod aiunt) paulo pinguiore faciamus. Ardentiſſime amantis (inquis Colete) eſt, ea quæ natura ſunt grauiſſima, non ſolum leuia, ſed & iucunda ducere. Quod ſi uere ſcriptum eſt, Amanti nihil eſſe difficile, ſi uehementer amanti nihil non dulce, quod eius gratia tolerat, cuius æſtuat amore, tum ſi fatemur, redemptoris amorem tam fuiſſe flagrantem, tam immenſum, ut uniuerſus omnium mortalium amor in unum conflatus, non ſit cum illius charitate conferendus, cur ſudat mortis formidine? cur angitur? cur tædet? cur crucem deprecatur? Si formidat diſcipulis, officium amantis agnoſco: ſin ſuam mortē, ſin ſibi, tametſi ſuaſorias technas probe calleas, tamē ne Pitho quidem ipſa mihi perſuaſerit, nihil hic derogari charitati redemptoris. Eſto, natura quod ſuum erat fecerit, cur ceſſauit amor, quo minus & ipſe quod ſuum erat

faceret

faceret? Sit naturæ reformidare mortem, quanquam sic misere reformidare, non est simpliciter naturæ, sed corruptę damnatæq;. At rursum charitatis est, naturalem imbecillitatem excludere. Expauit Petrus ad ancillulæ uocem, adeoq; suus esse desijt, ut Christum, pro quo modo mortem subire uolebat, abiuraret. Quamobrem? Quia adhuc languebat amor. Amabat quidem Iesum, sed nondum spiritaliter. Carnalis autem amor & humanus imbecillis est, & tantis tempestatibus impar. Verū posteaquam diuini spiritus igni confirmatus est, quid fecit? Qui pauloante ad mulierculæ uocem exanimabatur, iam neq; principum, neq; iudicum ora ueretur, sed uadit gaudens à conspectu cōsilij, quod dignus sit pro Christo contumeliam pati. Nimium profecto interest, inter exanimari, metu, & intentatis supplicijs gaudentem abire. Sed quantum creuerat amor, tātum decesserat de trepidatione, uidelicet naturam perficiente charitate diuina. Ergo (ut dicam collectius) ut secundum naturā sit reformidare malum, certe tanta cum molestia reformidare, nō est conditionis institutæ, sed pœnæ. Eam quanquā in se recepit Christus (id quod interim sic tibi dono, ut mihi ius sit reposcere) tamen infirmitatem exigit uigor amoris, & affectionē huic diuersam inducit. At tu mihi in Christo Chimæram quandam fabricaris, absolutissimam charitatem, cum acerbissima reformidatione, uelut aquam igni commiscens. Et tamē cau sam tam impudentem pergis rhetoricis fucare coloribus. Vtinam Colete tam uere mihi opprobres eloquentiam artificialem, quàm uere laudatur in te. Nam istuc ipsum subinde inter disputandum succlamabas, bonam causam tibi dicendi artificio de manibus extorqueri, & ueritatem eloquentia opprimi. At istud ego possim uere in te ἀντιστρέφειν, Vide enim quàm agam tecum simpliciter, quàm nihil occultem. Nihil istorum quæ proxime dixisti, inficiabor. Fateor fieri, & fieri natura, ut uehemens affectus affectum, aut etiam corporis sensum absorbeat. Amoris hāc esse naturam, ut quæ per se sunt acerba, ea faciat dulcia uideri. Addo, quo uehemētior amor, hoc ista magis efficit. Quid quæris? Aio diuinum & spiritalem amorem, carnali siue humano, infinitis partibus efficaciorem esse, aio Christi charitatem tanto nostra fuisse cumulatiorem, ut ne conferenda quidem sit. Et tamen quod uulgo humanus amor efficit in nobis, quod magis effecit diuinus quidem, sed tamen finitus amor in martyribus, hoc in Christo diuinam & immensam charitatem fecisse nego. nego autem, non in totum, sed quantum attinet ad excludendum sensum reformidationis. Cæterum de inducendo gaudio, post uidero. Eius rei causa est, quod in nobis alia uis animæ redundat in aliā, & ut quęque uehementior est, aut secus, ita aut obruit alias, aut cedit. In Christo uero nequaquam item, uerum unaquæque uis, siue animi, siue corporis, nihil impediente uel diuersa, uel simili, suum naturale munus perfecte peragebat, ut neque gaudium uehementius, leuioris gaudij sensum eriperet, neque dolor acrior, leuioris doloris molestiam obrueret: neque summa uoluptas summo dolori, neque dolor atrocissimus, uoluptati summæ posset obsistere. Alioqui, si uoles Colete, ex isto effectu, quem amoris proprium dicis, & uerum dicis in nobis, Christi charitatem æstimare, etiam atq; etiam uide, quàm eam eleues, dum sedulo quidem, sed inconsideratius conaris amplificare. quippe quæ ne id quidem potuerit, quod in turpiter adamantibus cæcus amor potest, quod inter amicos amor potest humanus, quod in tot martyrum millibus potuit amor, eiusdem quidem generis ille, sed ad redemptoris amorem perquam exiguus. Nónne uidemus istos, qui uix falsam amoris umbellam obtinent, ut insanis illis suis laboribus, non solum non offendantur, uerumetiam alantur. Calent illi, cum brumale frigus nox & aquilo conduplicet, non fatigantur peruigilijs, non sentiunt inediam, nihil terrentur laruarum aut lemurum occursibus. Denique quicquid ijs, qui amore uacant, uidetur intolerādum, id isti lusum existimant. Quanto pectore certa pericula suscipiunt? Vulnera, mortem denique quàm cupide excipiunt. Quid autem refugiat, cui dulcis est etiam mors? Atque huius rei quorsum attinet exempla ex historicorum literis repetere, cum quotidie uideamus creditu longe difficiliora, quàm legamus in libris? An non seruum illum, de quo pauloante, sic totum gaudij sensus occuparat, ut ad inflictos cruciatus animo stuperet & corpore? Si Christi charitatem metiris efficacia pellendi sensum malorum, mirum in hoc non potuisse, quod potuit & in seruo, & in barbaro? Refert in epistolis Plinius Cæcilius, eius qui mundi scripsit historiam, ex sorore nepos, ætate sua nobilem quandam matronam Arriam (ni fallor) nomine, memorabile facinus edidisse. Huius maritus fœdo atque insanabili

nabili ulcere cruciabatur. At illa simul atque ex medicis cognouisset, nullam esse uitæ relí quam spem, ad mariti lectulum adstans, gladiũ adegit pectori. Tum in medio uulnere ad eum conuersa, non sentio, inquit, nõ dolet, iuuat etiam morti tecum. Et exemplorũ huiusmodi densissimo agmine me poteras obruere. Quod cũ ita sit, minus admirandũ de martyribus, qui non paulo efficacioribus amoris facibus ardebant. De quibus omitto contentionem facere, quanto alacrius singuli unius Christi causa mortẽ exceperint, & ille amore omniũ. Hoc quæro, ecquis unquã hominũ uel ignauissimorũ, sic exhorruerit? Hi qui sunt formidolosissimi, frigido sudore madescunt. Christus sudauit sanguinẽ, neq; uultu tantũ, sed & toto corpore, adeo copiose, ut guttę demanarent in terrã. Meticulosissimi pallescũt, ac trepidant. At Iesus agonizauit, id quod est agentium animam. Ergo amauit ne ardentius martyr Christo, membrũ capite? Vehementius amauit aut seruus homo, aut mulier? Postremo magis amat stultus adolescens puellam, & Christus sponsam suam? Nequaquã inquis. Recte, sed hoc consequitur tuis ex uerbis. Fateor, inquis, si quidem ista ad formidatam ab ipso Christi mortẽ referantur. Minus enim amasset, si mortẽ suam, quã nostra gratia suscepturus erat, sua causa tantopere reformidasset. At istud Colete nihil etiã refert ad hanc rem. Largior interim tibi Christum de membrorum suorũ periculis anxium fuisse, non suis, hac gratia sudasse, hac agonizasse. Verum quandoquidẽ charitatẽ ex alacritate metiris, Esto, non reformidarit mortẽ suam Christus, uerũ ubi illa, quæ fuit in multis martyribus, alacritas? Vtrunq; enim est immensæ charitatis, & formidationem excutere, & in huius locũ inducere alacritatem. Cur alterũ requiris in Christo, puta non formidare, alterum, puta alacritatem, non spectas? Maxime cũ non aliter amor pellat formidinem, quàm exundantia gaudij? Neq; enim dices, opinor, tantã quidem Iesu charitatem fuisse, ut nostri causa mortẽ subierit: at minorẽ, & ut eam alacriter potuerit adire. Quod si mihi concedis, ex huiusmodi rebus, redemptoris amorem nõ recte perpendi, cur non recipis reformidationem? Sin ex his argumentis æstimas, cur requiris alacritatem? Amauit igitur Petrus quàm Christus ardentius? Ille dicit, animã meam pono pro te. Hic dicit, transfer à me calicem istũ. Amauit Paulus perfectius, cũ cupit dissolui, & esse cum Christo, cum exclamat, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Caput mortẽ deprecatur, & membrum optat? Amauit tanto uehementius Andreas, quanto crucem alacrius adijt? Cõpone duas similes cruces, compone dissimiles crucifigendos. Andreas simul atq; crucem conspicit eminus ut gaudet, ut gestit, ut sibi gratulatur, & plena lætitiæ uerba profundit. Quis unquã ad conuiuiũ adijt alacrior, quàm ille ad paratũ supplicium? Hæc quidem discipulus. At præceptor interim mœret, tædio grauatur, tristis est usq; ad mortẽ, manat cruento sudore. Interpellas, nõ ob suam, inquiẽs, mortẽ. Quid refert? Certe nullum edidit alacritatis specimen, quale præbuit Andreas. Agatha uirguncula gaudibunda properabat ad carcerẽ, neq; prorsus aliter affecta, quàm si ad epulas uocata iret. Quot impuberes pueri, quot innubiles puellulę, ore interrito sæuas Tyrannorũ minas cõtempserunt. Quàm nihil inter ferrum & ignes de uultus hilaritate remiserunt. Quàm multa fortiter atq; animose in medijs cruciatibus dixerunt. Nihil horum Christus. Tanquã ouis ad occisionem ductus est, patienter quidem, non se subduxit, non reluctatus est. At nunquid simile, qualia multa de martyribus testantur historiæ? Nihil memorant euangelistæ. De mœrore, de tædio, de sudore commemorant. Passus est se confictis criminibus accusari, passus damnari, obticuit, blasphemantibus non retulit contumeliam, orauit pro crucifixoribus. Mihi satisfacit argumentum patientiæ, quod in cruciatu præstare, satis sit ad salutem. At unde iuxta tuam æstimationem, charitatem illam inæstimabilem intelligam, nihil dum uideo. Nõ gestit, ut Andreas, nihil dicit alacriter, nihil exultãter. Non pauci homines pij, martyrium uotis ardentissimis leguntur expetisse, beatos sese rati fore, si martyrio digni uiderentur. Christus orabat, ut abiret hora. Quod illi precabantur, hoc deprecatur saluator. At nõ deprecatus est (inquis) suam mortem, sed suorũ. At isthuc iterum tibi largior. Sed tamen hęres in aqua, quod aiunt. Esto non deprecatus est, at nõ optat. Non fugit carnificem, at non ultro semet obtulit, non quæsitus, non postulatus, id quod est à multis martyribus factitatum. Constanter pertulit cruciatũ, at non delectatus. Denique pertulit, sed sensit, Martyribus sensum ademit charitas. Igitur è duobus alterum est uerum, aut in illis maiorem fuisse, aut ex communibus his indicijs, amorem capitis nostri non oportere spectari. Respon-

des

des, martyres aliena uirtute fortes fuisse, non sua, Christum à diuinitate destitutum. Propemodum rem (ut ait Plautus) acu tetigisti. Verũ de isto mox. Interim pergam extorquere tibi telũ, quo uno me confici posse confidebas. Ais capitis infirmitate, fortia fuisse membra, Christi reformidatione, impauidos fuisse martyres. At nihil etiam agis, uorsuram (ut aiunt) soluis, sic nodum explicas, ut alium arctius nectas. Cedo, qua re Christus martyres suos sic contra carnificinam armabat, ut aut non sentirent, aut certe eum sensum præ gaudio mentis pro nihilo ducerẽt? Opinor haud alia re, quàm augẽda charitate, ut fuerit quisque tanto alacrior, quanto largius amoris sui munus impertierit deus. In eandem igitur foueam, uelis nolis, reuolueris. Rogo, amauit ne martyr ullus Christo flagrantius? Abnuis. At multi tulerunt alacrius. Negare non potes, Aut igitur non fuit tanta in Christo, quanta in martyribus, aut non idem effecit in illo, quod in alijs effecit. Neque dubito, quin hoc posterius malis concedere. Vtrunque pernegare non potes. Porrò autem quid ad rem pertinet, quod ais martyres aliena uirtute fortes fuisse, non sua? Certe charitate fortes fuerunt. Eam undecunque fuit, in Christo maximam fuisse nemo negauerit. Esto, suspenderit sese diuinitas, ne redundaret eo tempore in partem animæ sensibilem, id quod mihi uideris ex Ambrosianis uerbis collegisse, at charitatem certe non ademit. Ea si semper facit id, quod tu uis, si illic friget, ubi non idem efficit, non fuit in Christo, quantam fuisse credimus. Illud obiter annotandum, quod ais, aliena uirtute, quasi Christus suapte uirtute, non aliena fuerit fortis. Quod nisi quis commode accipiat, non quadrabit cum uero. Nam & Iesu charitas aliunde profecta est, non ab ipso. Nihil in illo non alienum, non gratis acceptum. Charitatẽ quam martyri homini gratis largitur deus, eam sibi homini ipse largitus est Christus deus, & largitus est gratis. In hoc à reliquis dissidens, quod nobis non tantum omnia bona gratuito donantur, uerumetiã condonantur mala. In illo nihil erat quod condonaretur. Sed accipe, quo magis etiam fiat perspicuum, Christi incõparabilem charitatem, istis argumentis non recte spectari. Nónne pari ratione fit, ut quemadmodum timorem mali, ita & sensum mali propellat ingens amor? Nónne natura fit, ut insignis dolor aut uoluptas, alias affectiones minus uehementes obruat? At in Christo cruciatum fuisse concedes, opinor, secundum pœnam mortis secundæ omnium atrocissimum, idq; secundum omnes animæ uires, secundum omnes corporis sensus. Consentaneum autem est, quemadmodum mors eius omni morte fuit acerbior, secundum sensum corporis, ita reformidationem omnium amarissimam fuisse in animo. Atque ut immensa charitas, nihilo fecit mitiorem sensum mortis, ita nihil mitigauit de reformidationis acerbitate. Cur alterum admittis, alterum abnuis? cum iuxta tuam ratiocinationem, acris doloris sensus, non minus cum ingenti pugnet amore, quàm metus aut reformidatio, cum utrunque pariter adimat in nobis affectus uehemens? Ac de reformidanda quidem morte utcũque licet tergiuersari: de sensu supplicij, nihil habes quod obtexas. Si cohæret extrema charitas cum summo cruciatu, cur non cohæreat & cũ summa reformidatione, præsertim cum in Christo nihil aliud sit ista reformidatio, quàm animi cruciatus, rem naturæ molestam quasi præsentientis? Quod igitur me dicis extenuare redemptoris amorem constituenda reformidatione, istuc ego possem κατ' ἀντιπεπονθυῖαν in te retorquere. Verum hoc mox euincam. Interim ut me tantum tuear, nondum autem referiam, Non ego mutilo Colete charitatem Christi, quam tantam fuisse confiteor, ut omnium martyrum charitas non sit cum hac una conferenda: uerum ex argumentis paulo certioribus cõp tu, perpendendã censeo. Nam alacriter adire mortem, non sentire cruciatum, hæc ita consequuntur amorem, ut non consequi queant, non solum in Christo, sed etiam in nobis. Siquidem iuxta sententiam quorundam recentiorum, & in uirgine Deipara charitati Iesu proxima charitas nihilo leuiorem facit doloris gladium, qui totam illius animam legitur penetrasse. Sic alacritas comitatur amorem, ut iram pallor, pudorem rubor, gaudium risus, tristitiam lachrymæ. At isthæc indicia sunt, non causſæ, extra naturam earum rerum, quas arguunt, ut neque omnis qui palleat, iratus sit, neque iratus omnis statim palleat, neque qui pallidior sit, idem sit commotior, neque ideo quis irascatur, quòd palleat. Siquidem extra naturam iræ pallor est, ut si pallorem irato detrahas, nihil tamen ex iræ ratione demutaris. De reliquis item eadem iam me dixisse puta. Huius generis indicia, in martyrum nonnullis illustriora quędam extitere, quàm in Christo, at res in redemptore summa & ineſtimabilis

mabilis, sed eam magis oportet ab ipsa re, quàm externis istis & uulgaribus argumentis spectare. Vis horum aliquot tibi cõmonstrem? Andreas (nam hunc quorũlibet loco proponam) uehementer quidem amauit, sed eum, à quo iam erat summis beneficijs prouocatus. Neque tam redamauit unum, quàm Christus amauit singulos. Hic amauit prior, amauit plurimis contumelijs offensus, amauit auersum, amauit hostem. Andreas, non impendit mortem, sed repẽdit bis debitam, semel naturæ, iterũ Christo. Christus gratis & prior impendit mortem, longe preciosiorẽ, quam neq; naturæ, neq; peccato debebat, & impendit non sibi, sed nobis, quemadmodũ nobis, & natus est, & uixit, & doluit. Postremo Andreas necessitate passus est, Christus uoluntate. Hæc ubi uideo tanta, tam multa charitatis indicia, nihil etiam moror alacritatem. Qui tanta largitur, eum tu negabis libenter dare, nisi cum risu dederit? Immo hocipsum mihi præcipuũ amoris argumentum, quod alacritatem istam, quam membris suis donauit, in se non assumpserit. Voluit enim innocentissimus, in pœnis nostris conformari, non tantum ualentioribus membris, ut moreretur, sed etiam infirmioribus membris, ut mortem præsentiret in animo, priusquam corpori infligeretur. Sed mortem suã, inquis, reformidare, hominis est de se soliciti. Immo hominis est perfecti, & malis nostræ conditionis obnoxij. Suam mortem reformidauit, at non sibi. Vt enim suam mortem passus est, nõ nostram, nobis tamen, non sibi: ita suam exhorruit mortem, at nobis, non sibi. Age cum esuriret Iesus, num de se magis quàm de nobis cogitabat? Quid enim est aliud, cibũ uelle, quàm sui curã habere? Nemo tamen ita ratiocinatur, ut eũ minus amasse colligat, quod esurierit, immo hoc maxime amasse, quod esurire nostra causa uoluerit. Quod esuriebat, naturæ erat, quam assumpserat. Eam nónne & sponte, & nobis assumpserat, & amore? Nobis igitur, & spõte, & amore esuriebat. Si queras, quãobrẽ esurierit. Respondebunt omnes, quod erat homo. Quare factus est homo? Nempe quod ineffabiliter amaret hominum genus, Itidem quod reformidauit, quod tæduit, quod sanguinem sudauit, conditionis erat, quã induerat. Huic quanto plura mala tribues, exceptis his quæ cum uitio aut indignitate coniuncta sunt, tanto magis amplificabis illustrabisq; charitatem saluatoris. Quorum etsi nonnulla naturam assumptam necessitate consequuntur, tamen quoniam ipsam naturam sponte assumpsit, quicquid incommodorum cum ea cohæret, id non oportet aliò, quàm ad liberam uoluntatem, quàm ad spontaneum amorem referri. Eodem è fonte manat, quod esurijt, & quod mortem exhorruit. Cur in altero adoras amorem Iesu, in altero offenderis? Nónne quo plura nostræ conditionis incõmoda recepit, hoc magis amauit. An non ex hominum malis, uel maximum est mortis reformidatio? Vter igitur charitatẽ illius imminuit, tu qui illum negas accepisse malum, quod ipsa pene morte sit acerbius, an ego, qui aio, ne id quidem amore nostri recusasse? Tu tantum calculũ detrahis, & me incusas, quod extenuem charitatẽ redemptoris? Nónne maxime lædebant amorẽ eius, qui corpus illi tribuebant, & animã, doloris omnis incapacem? Proxime certe lædere uidẽtur, qui illi hoc detrahũt, quod est morti simillimũ, proximũq;. At magis (inquies) cõpetat in charitatẽ eius, ut de sua morte uehemẽter gauisus, de iudæorum interitu, de discipulorum defectione afflictus fuisse dicatur. Neq; ego istuc Colete refello, sed amplifico. Fateor Iesum atrocius cruciatũ in animo fuisse de nostris peccatis, de quorundam ingratitudine, quibus sua mors erat, nõ salutem, sed damnationis cumulũ allatura, quàm de doloribus corpori adactis. Immo grauius doluisse unius animulæ interitum, quàm flagra, quàm clauos, quàm crucem. Neq; magnopere reclamauerim, si quis affirmet, plurimas simul causas in animam redemptoris irruisse, & hanc tam insolitam tristitiam excitasse. At nihil decedit ex istis causis, si hæc naturalis accesserit. Non parum autẽ ad amoris cumulũ accrescit. Omnes eodem è fonte scatent, nempe charitatis. Quod dolet interire homines, nemo nõ uidet esse amantis. Quod ad mortẽ instantem (ut infirmus homo) pauescit ac tædet, hoc quãto infirmius, quãto deiectius est, quãto nostræ cõmuni imbecillitati similius, tãto magis illustrat amorẽ sponte assumentis. Apostoli scãdalizati sunt in morte, sed carnales adhuc. tu scãdalizaris in mortis reformidatione, cũ in utroq; conueniat ædificari. Quod autem reformidarit suam mortem, uideor mihi posse docere, propemodum & ex ipsorũ uerbis, qui negant. Nam Ambrosius uolens amoliri scandalũ, quod intelligebat oriri ex hoc loco, ita scribit in Lucam. Hærent plerique hoc loco, qui tristitiã saluatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quàm susceptæ ad tempus infirmita-

tis

tis inclinant,& naturalis ſenſum corpiunt detorquere ſententiæ. Ego aũt non ſolum excuſandum non puto,ſed etiam nuſq; magis pietatẽ eius, maieſtatemq; demiror. Minus em̃ contulerat mihi, niſi meũ ſuſcepiſſet affectũ. Quid aũt dicit,inolitæ à principio? Opinor à primitiua hominis cõditiõe. Quæ ſi cõſtitiſſet,neq; mors pœna fuiſſet,neq; mortis acerba reformidatio. Quid eſt,ad tempus ſuſceptæ infirmitatis? Mirum ni humanitatis,quæ propter carnis imbecillitatem, mortem refugit. Atqui de alieno malo turbari,non eſt infirmitatis,ſed perfectiõis,neq; tam naturæ,quàm uirtutis. Illud apertius,quod ait,meum ſuſcepiſſet affectum. Meus affectus eſt,non alacriter adire mortẽ,ſed exhorreſcere. Quomodo hũc infirmitatis affectũ dicitur aſſumpſiſſe, niſi quemadmodum ego imbecillitate conditionis ad mortẽ uicinam exanimor, itidem ille ſuam mortem,mea lõge acerbiorem reformidaſſet? Eiuſdem ſunt uerba paulo inferius. Deus enim inquit,mortẽ non fecit,nec lætatur in perditione uiuorum. Et ideo faſtidit,quod ipſe non fecit. Si mortẽ ideo faſtidit, quod ipſe non fecerit,ac ne ſuam quidem fecit, ſuam igitur et faſtidiuit. Porro altius cum ſcribit. Ob hoc & recuſat mortem,ueram humanitatem demonſtrans, nónne plane demonſtrat,illum ſuam mortem formidaſſe? Sicut enim mortem ſuſcepit, ut noſtri ſimilem hominem intelligeremus, ſic mortem reformidauit, quo minus dubitaremus. Athanaſius uero cũ ait,Humanitas enim ob carnis fragilitatẽ recuſat paſsionẽ, nõne idem perſpicue docet? Verũ hoc tibi imponit fortaſſe,quod fragilitatẽ audiens,uitiũ imaginaris,non pœnã. Cum tibi immineat mors,tum de tua gaudere, de amicorũ quę procul abſit angi, nõ tam carnis infirmitatẽ ſapit,q; ſpiritus perfectionẽ. Eodem pertinent uerba Bedæ. Duas em̃ uoluntates oſtendit,humanã uidelicet,quæ propter infirmitatẽ carnis recuſat paſsionẽ,& diuinã,quæ prõptiſsima eſt. Iſti Colete nominant infirmitatẽ carnis,& tu inducis promptitudinem ſpiritus? Quid igitur(inquis)ſibi uult, quod negant Chriſtum timuiſſe mortem,quod affirmant eum noſtris malis indoluiſſe,nõ ſuis,de noſtris peccatis tęduiſſe,non ſua paſsione. Si tu recte colligis? Accipe quod dicam mi Colete. Omnia mala, quæ Chriſtus ſuſcepit, noſtra erant mala,non illius. Omnia noſtra bona illius ſunt bona, non noſtra. Mortem ſuam,& non ſuam tulit. Suam,quia uere pertulit,noſtram quia pro nobis,& à nobis ortã dependit. Noſter erat,ille reformidantis affectus,nõ ipſius,& tamẽ erat et illius. Noſter,qa cũ noſtra cõditione,noſtra gratia ſuſcepit,Illius,qa uere in anima, et corpore proprio,nõ noſtro ppeſſus eſt. Addã & illa. Timuit mortẽ,nõ timuit. Reformidauit,nõ reformidauit. uoluit, nõ uoluit. Platonicũ, inquis,ænigma mihi proponis. Imò filũ tibi porrigo, quo te queas exiſta pugnãtiũ inter ſe uerborũ perplexitate, uelut è Labyrintho extricare. Timuit nõ utinos,neceſsitate,ſed ſponte,uere tamen. Timuit nõ ſuũ malũ,ſed noſtrũ,nõ ſua cauſa,ſed noſtra. Timuit nõ præuertẽte aut obruẽte rationẽ affectu,quẽadmodũ nos,ſed nihil offenſa mentis trãquillitate. Neq; prorſus alio modo reformidauit,q̃ timuit. Noluit mortẽ,quia p ſe mala eſt,et inimica naturę quã aſſumpſerat. Voluit, quia ſalutẽ paritura erat ijs quos amabat. Iam ſi memineris timorẽ hũc, reformidationẽ,pauorẽ eſſe de malorũ genere,quæ redẽptor ſine culpa in ſe recepit,ſi hæc omnia ita in eo fuiſſe,ut neq; pertinerẽt ad diuinitatẽ,neq; ſpiritus prõptitudinẽ quicq̃ impedirent, neq; rationẽ pręcurrerẽt,aut ullo pacto à trãquillitate dimouerẽt, neq; gaudiũ animæ,diuinitatẽ aſsidue contẽplantis,obfuſcarẽt, neq; lætitiã eiuſdẽ quã de ſalute hominũ percipiebat,imminuerẽt,nõ uereberis in eo ſummã reformidationẽ,cũ ſumma mentis alacritate,ſummũ gaudiũ,cũ extremo dolore,ſummã felicitatẽ cũ ſummis cruciatibus copulare. Non autẽ magni referre puto,utrũ quis dicat,eũ naturã eiuſmodi ſuſcepiſſe,quam hęc incommoda neceſsitate conſequantur, an triſticiam hanc non cohæſiſſe neceſſario cũ humanitate redẽptoris,ſed per diſpẽſationẽ ad tẽpus fuiſſe aſſumptã. Vtrouis enim modo, æque fuerit ſpontanea,quandoquidẽ in priore, ipſa neceſsitatis aſſumptio ſpõtanea fuit. Tametſi ueriſimilius eſt,per diſpenſationẽ fuiſſe aſſumptã,ut quẽadmodũ nõ multo ante in excitando Lazaro infremuit,& turbauit ſe,ita hic ſibi ipſi pauorem triſtitiamq; aſciuerit. Arbitror em̃ Chriſtũ multis modis abeſſe potuiſſe à moleſtia reformidationis. Primũ em̃ hoc iam tenebat illius anima,quod noſtras animas, pariter & corpora reddet, & mortis,& omnis doloris incapacia, puta cognitionẽ perfectã,contẽplationẽ,& fruitionẽ diuinitatis,quẽadmodum ipſe teſtatur in euãgelio,ſic ſe nouiſſe patrẽ,ut ab eo cognitus eſſet. Hoc tantum gaudiũ in omni uita,facile moleſtiã omnẽ & à corpore ſecluſiſſet, & ab ani-

mo,nisi misericordi dispensatione,nihil sibi prodesse maluisset, quantũ ad leniendas nostræ conditionis erumnas. Ad hoc,tam uehemens amoris ignis,mentẽ illius totam occuparat,ut citra diuinitatis cõtemplationẽ sustecturus fuerit, ad arcẽdum ab eo,cũ metum tum sensum omnis cruciatus. Tanta gaudij uis animũ illius explebat de nostri generis instauratiõe,ut omnẽ molestiã facile quiuerit propellere,quippe partibus infinitis copiosior uehementiorq;.Iam aũt non solũ confero gaudiũ de nostra salute, cũ sensu mortis,uerum etiam eum animi dolorem,quem de malorũ interitu persensit,qui multis modis ipsa morte fuit acerbior. Postremo poterat & humana quadam constantia & uigore rationis, mœstitudinẽ hanc,fortasis et sensum cruciatuum aut eximere,aut certe multis partibus mitiorẽ reddere.Quid ni potuisset ille,quod Ethnici permulti potuerũt? Sunt enim nonnullæ rationes,quibus nobis quotidie malorũ sensum mitigamus, cũ nosipsos argumentis aut exemplis ad fortiter ferendum extimulamus,siue cum ab eo quod molestũ est,ad id quod delectat,mentẽ auertimus,Siue cũ præmium contemplamur,aut eius merita,cuius amore patimur.Nihil horum sibi passus est opitulari Iesus ad leniẽdas erumnas, quas cum nostra natura suscepit.Corpus assumpsit,quo nullũ unq; fuerit algoris,æstus,laboris,inediæ,doloris impatientius.Animã assumpsit,secundũ oẽs suas uires,sensus acerrimi.Ita ut si paribus numeris illius cruciatus alĩ cuipiã mortaliũ fuissent inflicti, multo minus doloris fuerint allaturi.Nihil sibi passus est lenire sensum malorũ nostrũ gaudium illud,quod à nobis fœliciter resuscitatis,omnia mala depellet, nihil charitatem, quæ stultis etiam amantibus molestiam adimit, nihil inuictum animi robur, quo fortes sunt etiam Ethnici,nihil saltem communem illam & naturalem redundantiã,quã uocãt, qua uoluptati dolor cedit,dolor obruit dolorẽ. Qua fit,ut nõ sentiat trioboli iacturã, qui decem talenta lucrifecerit,Item ut non sentiat aciculæ punctionẽ,cui eodem momẽto brachium fuste frangatur.Postremo hoc nobis indulsit natura, ut in prægrãdi malo ferè sensum nostri nobis eripiat.Vt in naufragio,in ruina, in morbis immanibus. At redẽptoris anima, ad omnium dolorum sensum integra uigebat, usq; ad momentum emigrationis. Ita perfecte unum quenq; corporis cruciatũ,unũ inquã e mille sensit,ac si is solus fuisset. Ita uniuersam corporis molestiã persensit, tanq; nihil animo pateretur. Ita rursus omnes animi curas,tanq; nihil cruciaretur corpore.Ita tũ animi,tũ corporis,pariter & singulos & uniuersos dolores sensit,ut summa illius charitas,nihil de molestia detraheret, multũ apponeret.Etenim quo tenerius amabat mortaliũ genus,hoc magis discruciabatur, suã mortẽ tam acerbã,quæ omnibus seruãdis abunde sufficiebat,tam multis nihil profuturã,imò nociturã.Ita de Iudæorũ interitu doluit,ut nihilo leuius naturalẽ reformidationis sensum perciperet.Ita mortem exhorruit,ut nihilo mitius de Iudæorum exitio affligeretur. Et ut dicam summatim, in perferendis nostris malis, quæ de secundo statu assumpserat, nihil sibi uoluit opitulari sua bona, quorum triplici genere, secundum tres hominis status,legitur eximie fuisse locupletatus,Non purissimã innocentiam,quã quidem tam oportuit esse à pœnis immunem,q; erat aliena à culpa.Non gratiæ plenitudinem, quæ naturæ tollit imbecillitatem.Non deniq; fruitionem diuinitatis,quæ procul arcebit in nobis & faculatẽ molesta patiendi.At quorsum,inquis,attinet(nam istud inter disputãdum substomachans rogitabas)tantopere malorum atrocitatem exaggerare in Christo? Charitate maxime meruit,hanc ego malim amplificari,q; carnificinã.Etenim hoc uerbo utebaris. Nobis Colete hoc propemodum euenit, quod sibi cũ Protagora scribit accidisse Socrates, ut tu,qui disputationis initio proposueris augere redemptoris amorem,eundẽ imminueris,ego qui tibi uidebar eleuare,amplificarim. Adiunxi enim præcipuũ calculum, quem tu detrahebas. Nisi forte non crescit uirtus,crescente materia. An uero me crudelẽ & carnificem dices,qui redẽptori tantũ cruciatuũ impingam? Imò stulte misericors, atq; adeo nimis ingratus mihi uidear,si tantum malũ,quod cum alijs plurimis mea causa dignatus est assumere,non agnoscam,si dissimulem tantum beneficium,si etiam negem. Et multis adeo nominibus conueniebat,ut esset mors q; acerbissima,quæ una pro tot mortibus dependeretur,quę totius orbis culpas elueret.Parabatur enim ea sacrosancta morte,non id modo,quod ad irritãdum primitiuæ culpæ chirographum satis esset, uerum erat aliquid & (ut ita loquar) supererat, quod in abluenda nostra quotidiana delicta redundaret. Implenda erat abyssus, unde omnia nostra charismata hauriuntur. Parabatur efficax exemplum

emplum, quod frigidas etiã mentes in amorẽ raperet, quod segnes ad salutarẽ æmulatio nem extimularet. Cõdebatur inexhaustus ille thesaurus meritorũ, pro quibus nos cœlũ acciperemus. Neq; me clam est, ad accumulãda merita multo maximum momentũ attulisse Iesu charitatẽ. Verũ huius argumẽtũ (ut ait Gregorius) operis exhibitio. Per corporis & animi cruciatũ, nos redemit eius charitas, is quo fuit acerbior, quo cumulatior, hoc illi nostrã salutem, & chariorẽ fuisse, & carius emptã intelligimus. Itaq; doloribus accumulatis, tanq; fomentis aggestis, amoris flamma, quãdo nõ potuit obrui, latius emicuit. His de causis adducti sunt eruditi theologi, ut passionis Christi tãtopere exaggerarent acerbitatẽ. Adeo, ut nõ dubitent ei tribuere tantũ doloris, ut nullus sit, aut esse possit in hac uita grauior. Neq; hæc theologorũ opinio dissidet à uerbis diuinæ scripturæ. Sic enim apud Prophetã ipse loquitur, qui solus immẽsam mẽsurã, & innumerabiles numeros suorũ cruciatuũ nouit. Attẽdite & uidete, si est dolor similis, sicut dolor meus. Rursum in Psalmo: Repleta est (inquit) malis anima mea. Vnde nõ ita nimis me delectat illa Hieronymi interpretatio, qua dicit, hãc in redẽptore mœstitiã, propassionẽ fuisse, nõ passionẽ, quæ illũ iuxta diui Bernardi distinctionẽ turbarit modo, nõ etiã perturbarit. Si passionẽ appellant eã, quę rationẽ à statu suo dimoueat, si perturbari uocãt, à statu mẽtis dimoueri, nõ reclamo. At ego nõ dubitẽ, & passionẽ nominare, quę mentẽ Iesu, saltẽ secundũ inferiorẽ partẽ, nõ turbarit solũ, sed uehemẽtissime perturbarit. Porrò quod dicit Euãgelista, cœpit tædere & mœstus esse, num hoc sibi uult, quasi tędiũ & mœror animũ illius attigerit tantũ, nõ occuparit: cũ ipse clamet, prorsus expletã esse malis animã suã, et tristem esse usq; ad mortẽ? Atq; ut mortẽ credo omni morte fuisse acerbiorẽ, ita tristitiã hãc, quę quasi mortis erat initiũ, puto fuisse grauissimã, neq; eum prius reliquisse, q̃ uitã. Neq; uero quadrabit, si quis hãc uocem, cœpit, huc existimet pertinere, q̃ in eũ cœperit uenire affectũ, in quo non conueniebat insistere. Quemadmodũ primi motus, quos uocant, culpa uacãt in nobis, si statim resiliamus. Nisi forte quis accipiat, eum in se sumpsisse affectũ, in quo nõ expediat insistere mẽbris, puta affectũ tristitię ac tędij. Ego q̃ dixit, cœpit tædere, magis arbitror pertinere ad affectũ reformidatiõis, ad tempus assumptũ, cum dolor ille de malorũ interitu fuerit illi perpetuus. Etenim natura quoq; fit, ut quamquàm nemo nõ certum præsciat, sese moriturũ, tamen nõ angatur, nisi cum iã mors imminere uidetur. Rei quidem Colete iamdudum arbitror esse satisfactum. uerum ut cumulatius etiam tuo satisfaciam animo, quandoquidem amoris alacritas te tam impense delectat, quo quidem è fonte nostra omnis controuersia nascitur, nego uel in uniuersis martyribus tantam fuisse spiritus alacritatem, tripudiumq;, quantum erat in mente Iesu, hac ipsa hora, cum tæderet, mœreret, cum sanguineo sudore madesceret. Hac ipsa inquã hora, idem intus ineffabili gaudio gestiebat, adesse tandem à patre præscriptum tempus, quo mortalium genus, morte sui, sibi ut Deo reconciliaret. Nemo unquam tam uitæ fuit cupidus, ut tam uiuere uoluerit, quàm Christus uoluit mori. Nemo nostrũ tam ardẽter immortalitatẽ expetit, quàm ille sitijt mortẽ suã. Quid quęris? Adde etiã si lubet, huic aliquid cumulo. Nos enim quantũ animo cõcipimus, tantundẽ uerbis assequi nequimus. At qui cõuenit (inquis) mortẽ ardẽtissime sitire, et eandẽ ad exanimationem usq; reformidare? Constãtibus his, quæ pauloante cõstituimus in Christo, nihil prohibet eũdem, rem eandẽ, eodem tempore extreme reformidasse, & appetisse, uoluisse & noluisse, cum summo gaudio, & cũ summo cruciatu pertulisse. Primũ, ut in persona Iesu tres erãt naturæ, ita tres uoluntates cõstituere non fuerit absurdũ. Quanquã plerique duas duntaxat faciũt, diuinã & humanam. Quidam humanã bifariam secantes, tres efficiunt. Vt una sit diuinitatis, altera rationis, tertia infirmitatis, siue carnis. Quæ tamẽ omnes una uolũtas dici possit, quatenus in idem ferãtur. Quemadmodũ uulgo, quibus idẽ placet aut displicet, eos una mẽte, unaq; uolũtate dicimus esse. Vnde Eutychianorũ uerba, nisi sub eis uenenũ aliud latuisset, cõmode poterãt accipi, de cõsensu diuinitatis et humanitatis in Christo, quẽ ista reformidatio non tollit. Verũ auguror Eutychianos ideo detraxisse Christo uolũtatem humanã, q̃ eidẽ animã humanã nõ tribuerent, id quod hæresim manifestã sapit. Sed ad rem. Quãdo igitur in redẽptore tres statuimus uoluntates, natura nõ repugnat, quo secius, q̃d secundũ unã reformidarit, secundũ alterã appetierit. Verũ an istuc cum ratione quadret, excutiamus, dispiciamusq;, quę tandẽ fuerit ista uo

luntas in Christo, quæ eadem nõ fuerit patris, quaq; mori noluerit. Et in nobis quidẽ experimur duplicẽ quendã animi nisum, ut idem sæpe quasi uelle ac nolle ex æquo uideamur. Peccamus nostra sponte, & tamẽ perinde ac si id faciamus inuiti, ita nobis displicemus. Recte quid facimus, utiq; sponte. tamẽ animũ alio trahentẽ sentimus, quasi bonum faciat, nolens. Hæ sunt ueluti duæ partes animæ, quarũ altera crassioribus corporis organis immersa carniq; concreta, brutior est, & ad turpia fertur. Altera tanq̃ flãmę fastigium, ex affectuũ fumis emicat, nititurq; semper ad honesta. Illa simplex, & à philosophis ratio uocatur. Altera quoniam à summo bono deflectit, quod unum ac simplex est, pro uarietate falsorum bonorũ, in quæ nititur, aliis atq; aliis nominibus appellatur. Quanq̃ cõmuni nomine dicuntur πάθη, id est affectus, seu perturbationes, siue appetitus. Paulus legẽ mentis appellat alterã, alterã nunc legẽ peccati, nunc legẽ membrorum, nunc carnẽ et corpus nominat. Quanq̃ equidẽ causam nõ uideo, cur protinus ob hãc rem duas in homine uoluntates statuamus, Nam in primogenia hominis cõditione, ut anima una, ita & una indita est uolũtas, per se quidẽ nitẽs ad honesta, sed ita cõdita, ut pro arbitrio moderãtis, posset deprauata, ad diuersa detorqueri. Quæ tametsi peccato deprauata est, non tamẽ illico incipit esse alia uoluntas, nisi fortassis obiectũ cõmutatum, cõmutat speciẽ potẽtiæ. Nam eadẽ uoluntas, ueluti chalybs inter duos Magnetes, utroq; niti uidetur, ad honesta ui primitiuæ cõditionis, quæ tametsi peccato uitiata est, non tamen extincta, ad turpia morbo, uel reliquijs potius culpæ genitalis. Veluti si palmę ramũ natura sursum nitentẽ, manib. ad humũ deflexeris, nõ statim alius incipit esse ramus, neq; natiuus ille nisus adẽptus erit, sed retardatus. Recurret enim, simul atq; manum remiseris, in locũ suum. Verũ his in medio relictis, ad rem properet oratio. Hanc igitur rationis & affectuũ spiritus & carnis dissensionem, & rixam perpetuã, nemo tam impius est, ut Christo tribuat, quanq̃ in nobis esse potest absq; culpa, nisi accesserit assensio mentis, tamẽ quia è culpa nata est, & ad culpam inuitat, non conuenit dignitati redemptoris. Quod aũt ait Augustinus, nonnullum esse uitium, cum caro concupiscit aduersus spiritũ, aut uitium intelligit, deprauationẽ uoluntatis, ad turpia nitentis, aut non de nisu simplici loquitur, sed concupiscẽtia cum assensu & delectatione nonnulla cõiuncta. Etenim, cum Paulus etiam clamet, se sentire legem in membris suis, repugnantẽ legi mentis, uerisimile nõ est, Apostolũ tam perfectum, iam ullo modo assensum fuisse turpibus instinctibus. Verũ ut rem expediamus, ego mihi uideor triplicẽ quendã nisum animi deprehendere in homine. Vnũ qui spiritus est, & non nisi ad inuisibilia, ad honesta, ad æterna nititur, Alterũ huic diuersum, qui carnis est, & ad turpia solicitat, quatenus turpia sunt. Hoc etenim malitiæ relictum est in carne nostra, ut pari proposito labore, pari præmio, tamen turpibus magis delectemur, q̃ honestis. Tertium, inter hos duos medium, qui neq; ad honesta, tanq̃ honesta, neq; ad turpia, tanq̃ ad turpia, sed ad ea fertur, quæ naturæ sunt amica, ab ijs resilit, quæ lædunt incolumitatem, aut etiam tranquillitatem. Primus ille iudicio constat & gratia. secundus deprauatione. tertius naturali affectu. Secundum prorsus remouemus à Christo, imò propemodũ etiam à perfectis, qui multa exercitatiõe spiritus, iam adeo castigarũt corpus suum, et inseruitutem redegerunt, ut uelut animal, natura quidem ferum, sed plurimo domitum usu, nihil, aut perparum detrectans, pareat rationi. Neq; enim perfecti hominis est, ad rem turpem, eo quod turpis est, propensum esse. Sed fieri potest, ut refugiat horreatq; quiddã per se medium, ex circumstantijs quidem pium, cæterum naturę affectibus acerbum. Veluti mortem, cum pro Christo est obeunda. Famem, cum ieiunium indicit ecclesia. Laborem, cũ ad eum cohortatur fraterna charitas. Vt aũt omnis ad quippiã propensio, uoluntas est quædã, ita fuga ac reformidatio, nolle quoddã esse uidetur. Quẽadmodum fames & sitis, uoluntates quædam sunt, nõ spiritus, aut carnis, sed naturæ. Sed huius propensionis, aut reformidatiõis sensus, quoniã naturalis est, neq; cum spiritu, neq; cum carne per se cõiunctus, sed mere naturalis, nihil uetat, quo minus in perfectissimo quoq; constituatur, postremo etiam in Christo. In hunc ego sensum arbitror accipiendum esse, quod Petro dixit Christus. Cum esses iunior, cingebas te, & ibas quo uolebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius præcinget te, & ducet, quo non uis. Non recuso quo minus hæc tanquã mea somnia contemnas, nisi diuus Augustinus pro me facit. Nam exponẽs modo propositum euãgelij locum, ait, quod Petrus ad illã molestiã nolens ductus est, no-

lens

lens ad eam uenit, sed uolens eam uicit. Et reliquit, inquit, affectũ infirmitatis, quo nemo uult mori: q̃ adeo naturalis est, ut eũ Petro nec senectus abstulerit. Vides hic, infirmitatẽ appellari, nõ pronitatẽ ad malũ, sed penitus naturalibus insitã affectibus reformidationẽ eorũ, quæ naturæ sunt infensa. Nemo enim dubitarit, quin Petrus mortẽ eam, quatenus erat pia, magno cũ animi gaudio adierit, neq; eã noluerit, quatenus erat salutaris, sed quatenus mors erat res una rerũ omniũ infensissima naturæ. Iam si me roges, quæ fuerit illa uoluntas in Christo, qua mori noluit, hãc eandẽ esse respondebo, quã ipse demonstrat in Petro futurã, mere naturalẽ mortis reformidationẽ, quæ non obsistat spiritui in perfectis, maxime uero in Christo, neq; cũ carne misceatur. Quod aũt, mi Colete, tres hominis facio partes, spiritũ, carnẽ, & animã, ne clames meũ esse cõmentum. Hieronymũ sequor autorẽ. Hieronymus sequutus est Origenẽ. Origenes Paulũ. Paulus mirũ ni diuinũ spiritũ. Sed iuxta hãc partitionẽ, carnis portionẽ in Christo non cõstituo, sed spiritũ tm̃ et animã. Quod si theologi pleriq;, quã nos nũc animã dicimus, eã carnẽ nominãt, q̃ uidelicet mortem reformidarit Christus, qua Petrus capiti, ut proximus, ita simillimus, equidẽ nihil cõtendo de uerbis, quãdoquidẽ cõuenit de re. Hãc igitur naturæ infirmitatẽ, quoniã ita penitus insita est humanæ naturæ, ut uinci quidem queat, reuelli prorsus nequeat, eoq; certissimum est humanitatis documentum, non solum in se recepit redemptor, uerumetiam recepit insignite. Audeo totidem uerbis de Christo dicere, quibus Augustinus de Petro, Nolens ad mortẽ uenit, sed uolens eã uicit, Infirmitatis erat, q̃ exhorruit, non culpæ, sed naturę. Hãc infirmitatẽ uicit, nõ expulit charitas nostri. Quomodo uicit mortẽ Christus? Nónne perferendo? Itidẽ uicit & reformidationẽ, amore nostri cõstanter eã et libẽter petiendo. Sed quoniã uehemẽter expediebat tribus illis discipulis, ut qui prius cõspexerant eius maiestatẽ, nunc uiderẽt & infirmitatẽ: ideo nimirũ homo, hominũ causa loquẽs apud homines, humanis uerbis humanã imbecillitatẽ explicuit. Pater si possibile est, trãsfer à me calicẽ hunc. Quod ait, si uis, & si possibile est, nõ est dubitãtis, sed naturalẽ affectũ submittentis uolũtati diuinæ. Perinde ac si dicat, Mi pater, sentio quidẽ in me cõditionis, quã nõ de te, sed de matre assumpsi affectũ, mortis acerbissimũ calicẽ uehemẽter reformidantẽ refugientemq;. uerũ hæc mea uoluntas est, nõ tua. Hoc enim tibi mecũ cõmune non est, quod factus sum in similitudinẽ carnis peccati, & habitu tum animi, tum corporis inuentus ut homo. At nihil me mouet affectus naturæ, quo minus ad hauriendũ calicẽ, quẽ mihi propinas, sim paratus. Carne quidẽ, quæ imbecillis est exhorreo, at spiritu qui prõptus est, uehemẽter sitio. Mihi quidẽ erit amarissimus, ijs tamẽ quos tecũ amo & in te, fuerit salutaris. Non uult mori sensus humanus, quia mors infensa naturę. sitit mortem spiritus, quippe qui generis humani sitit salutem. Sed tua uoluntas fiat, nõ mea. Nam prior proprie mea est, neq; tecũ cõmunis. Altera mea nõ est, sed tua. de cuius munere est, quicquid pie uolumus homines, à quo sum, quicquid sum. Mihi nihil arrogo, tuũ est omne, quicquid spiritu uolo, qui pater es spirituum. Habes Colete, uoluntatẽ in Christo, quæ patris nõ sit. Iam rationes aliquot accipe, quibus cõmuniter cũ patre mortẽ, uel noluerit, uel uoluerit, Siquidẽ & secundũ superiorẽ animæ partẽ, quæ perfecto cõsensu semper cõuenit cũ diuinitate, Christus modis aliquot mortẽ noluisse uidet. Nõ placuit mors, tanq̃ pœna culpę, qa ne culpa quidẽ ipsa placuit, nec placuit autor culpę, diabolus. Secũdum hanc rationẽ, tã nõ uult mortẽ diuinitas, q̃ nõ uult admitti peccatũ. Audi iam, nõ hominem, sed deum. Nolo, inquit, mortem peccatoris. Multo igitur minus iusti. Sed eatenus auersatur mortẽ, quatenus culpam, mortis parentẽ. Præterea pro cõditione adiũcta, eandẽ noluit, & uoluit. Nolebat mortẽ, si in conditione sua cõstitisset humanitas, id quod uolebat, & uolebat simpliciter: rursum uolebat mortẽ, quia iam post lapsum naturæ, quẽ simpliciter nolebat, necessaria erat ad instaurationẽ. Aut ex affectu uolebat, quod pijs & gratis hominib. immortalitatẽ esset allatura. ex occasiõe nolebat, quod eã sciret multis maioris impietatis occasionem futurã, quanq̃ ipsorum uitio, nõ mortis. Iamdudum uides opinor, nihil agere cum Hilario nonnullos alios, qui hæc uerba, Transfer istum calicem à me, uolunt esse capitis orantis, ut non à sese, sed à membris suis trãsiret hora passiõis, cum secundum omnes has rationes, nisi forte quis primã excipiendã putet, Christus nõ aliter suorum mortẽ corporalem uoluerit noluerit q̃, q̃ suã. Sed efflagitas, quod pollicitus sum expediturũ me, quemadmodum in Christo summa alacritas animi cũ summo dolore co-

hæserit eodem tempore. At istud (nisi fallor) iam propemodum præstiti. Demõstraui enim, nihil obsistere, quo minus Christus secundum duplicẽ animæ partem, rationalem, & sensibilem (sic enim uocant recentiores) mortem potuerit simul & nolle, & uelle. Ostendi & secundũ eandem partem idem potuisse. Quod si concedis, eundem hominem, secundum diuersas partes animi, imò secundũ eãdem, eodem tempore, rem eandẽ pariter extreme uoluisse, noluisse, cupijsse, ac reformidasse, nõ potes nõ concedere, totidem modis, & extreme fuisse gauisum, & doluisse, præsertim subueniente mihi & temporaria suspensione diuinitatis, & priuatione redundantiæ. Quã equidẽ non cupio precario abs te impetrare. Etenim aut hanc admittas, necesse est, in Christo, aut fateare, nihil eum in tota uita sensisse incõmodorum nostræ conditionis. Secundũ inferiorem partem, sensit tædium mœrorem q; instante supplicio molestissimũ, secundũ quẽ sensit & clauos, & spineam coronã. Eatenus, qua proxima erat corporis affectibus, anima Iesu, diris cruciatibus affligebatur. Qua uero diuinitati proxima, inæstimabili gaudio gestiebat, eadẽ de re, puta morte. Neq; ille tantus mœstitiæ sensus, alacritatem segniorem reddebat, nec alacritas reformidationis sensum minuebat, uidelicet per dispensationem, nõ redundãte in sensibilem partem affectu rationalis. Atq; in eadem parte rationali, ut incõparabili gaudio afficiebatur de morte sua, quã nobis salutiferã fore lętabat, ita simul extreme cruciabatur, quod multi suo uitio tam efficax, tam salutiferum remedium uitę, sibi uersuri essent in uenenũ mortis. Hic nihil est, quod offendat hominẽ, cui sensus sint nõ omnino inexercitati. Audio Iesum sic animo affectum de interitu malorum, sic gauisum de salute piorum, adoro inæstimabilem charitatem. Audio sitisse mortẽ, quatenus erat fons uitæ nostræ, uenero immensum amorem. Audio rursum, noluisse mortem, audio exhorruisse, magis etiam suspicio nostri charitatem, quorum & miseram infirmitatem dignatus est assumere, is cuius uirtute subsistunt uniuersa. Audio noluisse mortem, quia noluit peccatum, admiror charitatem: audio noluisse, quod multis esset occasio scandali futura, quid aliud cogitare possum nisi summam eius charitatem. Voluit, non uoluit: reformidauit, non reformidauit: doluit, gauisus est. Omnia pariter accendunt ad redamandum, cũ omnia simul eodẽ è fonte scateant, puta charitatis. Iam quid præterea posis requirere, non uideo Colete, nisi forte scrupulus hic te quiddã etiã moueat, quãobrem Christus Iesus maluerit reformidatiõis q; gaudij signa edere moriturus, cũ fatear, mẽtis alacritatem de nostra salute, partibus infinitis maiorem fuisse affectu reformidatiõis de sua morte. Quoniã inquã, hic mansuetudinis, patientiæ, & obedientię parabatur exemplũ, nõ animositatis. Exhibebãtur argumenta humanitatis, nõ ostentamenta diuinitatis. Proponebatur exemplar, quod amaremus, quod æmularemur, nõ tantũ miraremur. Imò totã Christi uitã ab incunabilis relege, multa reperies mãsuetudinis & patiẽtiæ documẽta, alacritatis nulla. Satius erat, amanter pro nobis mortẽ susc ipere, q; exultãter, neq; quic q; in ea magis nos uoluit admirari, q; suã erga nos charitatẽ. Qui potuit aũt susc ipere mortẽ amãtius? Proditorẽ familiarẽ nec à cõuiuio nec à corporis sui cõmunione secluisit, nec impiũ ferentẽ oscułũ repulit, imò quo resipisceret etiã tũ amicũ nominabat. Quid aũt supremo illo sermone, quẽ cũ suis habuit, amabilius? Quid aliud sapit, q; singularem charitatem nostri. Non ibi suã deplorat conditionem, sed amicorũ pusillanimitatẽ cõsolatur. Neq; alacritatis ostentatio nobis fuerat profutura, mœstitia profuit. Hoc agebatur, ut is qui pro nobis mortẽ depẽdisset, uerus homo crederetur, & nostræ conditionis passionibus, obnoxius. Quod si magna uultus & uocis alacritate, & pene nõ sentienti adsimilis, cruciatũ pertulisset, quãto latius se propagasset Manichæorum insania, qui illum phantasticũ assumpsisse corpus mentiti sunt, etiã nunc, cũ tã euidens exhibuerit specimẽ nostrę cõditionis. Difficile fuerat futurũ, uerã eius mortem credere, nisi uisa mortis reformidatio, fidẽ fecisset oculis. Quod idem sentit Ambrosius, cũ ita scribit, Quomodo te imitaremur domine Iesu, nisi sequeremur ut hominẽ, nisi mortuũ crederemus, nisi uulnera uidissemus? Quemadmodum discipuli crederent fuisse moriturũ, nisi morituri tristitiã cõperissent? Ad humanę igitur naturæ ueritatẽ asserendã, magis faciebat hæc patiens, q; fortis illa & animosa supplicij perpessio. Magis itẽ nostris conueniebat affectibus, quibus nõ tam mirabilis esse uoluit, q; amabilis. Postremo magis quadrabat cũ prophetarũ oraculis, qui Christum sub hac persona maluerũt inducere, ut eum nunc agno mãsueto cõpararent, nunc liuentẽ plagis, deformatum, destitutum, abiectumq;

ctũq; facerent, nusq; alacrẽ, erectũ, animosum. Obmutescentẽ faciunt, nõ magna loquentẽ. Glorioſa quædã & ambitioſa res eſt, cruciatũ intertrito adire pectore, magnum, neſcio quid, & forte, inter ipſa tormenta dicere. At Chriſtus ſuã mortẽ etiã ignominioſiſsimã eſſe uoluit. Hanc alacritatis gloriã ſuis martyribus ſeruabat, pro quibus infirmatum eſt caput, ut mẽbra eſſent fortia. Valde tęduit dñs, ut minus tęderẽt ſerui. Fortaſsis quod in magnis cruciatibus alacritatem à nobis nõ requirit, uidelicet repugnante natura, ob id eã ne in ſeipſo quidẽ uoluit oſtentare. At mãſuetudinis & charitatis exemplum expreſsit in ſe. Mãſuetudinis, quã prius à ſe iuſſerat diſcere, dicens, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Charitatẽ aũt etiã moriturus diligenter mandat. Verũ hæc opinor, pro re ſatis, ad te nimis multa, hominẽ tam eruditũ. Alioqui poſſent & hæc ipſa paulo copioſius explicari, paulo munitiũ cautius, paulo accuratius diſtingui. Verũ cui ſcribã, uideo. An tibi pſuaſerim, equidẽ neſcio. Etiãſi mihi uideor utcũq; demõſtraſſe, meã, id eſt recẽtium theologorũ ſententiã magis cõſentaneã eſſe uerbis euãgeliſtarũ, magis q̃drare cũ uerbis Prophetarũ, nõ diſſentire à ſcriptis ueterũ theologorũ, pulchre cõcinere rationi, nõ pugnare cũ natura, & adeo nihil detrahere, uel fortitudini, uel charitati, uel obediẽtiæ redẽptoris, ut plurimũ etiã adiungat. Ex tua cõtra, iſtucipſum conſequi, quod unũ te in mea ſententia offendebat, Sed ó me temerarium, qui uix dum tyrũculus, tanto cũ imperatore audeam congredi, præſertim homo, ut tu uocas, rhetoricus, in re tam theologica, hoc eſt in harena non mea. Verũ nihil nõ audendũ mihi putaui apud te, qui quidẽ elegantiorẽ uetuſtiorem q; omnẽ eruditionẽ ita ſcite calleas, tantas utriuſq; linguæ opes ex Italia deportaris, ut iſthoc uno nomine Coletũ uix dum ſatis agnoſcant theologi. Proinde malui priſco illo, & libero diſſerendi more tecum agere, cũ quod eum ipſe magis probarem, tum quod intelligerem, tibi nouã hanc & nuper natã diſputandi rationẽ nimis diſplicere, acutã quidẽ & expeditã, ut uidetur ipſis, anxiam uero, ſuperſtitioſam, ieiunam, ac plane ſophiſticã, ut tu putas. Et fortaſse recte putas. Verũ ſi iuxta Græcorum adagium, μηδὲ ἡρακλῆς πρὸς δύο, uide ne tu unus contra tot milia ſtare nequeas. Non inuideamus potius iſtis doctrinã elimatam, uidelicet Origenis, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, ſimiliumq; ueterum pingui minerua contenti. Liceat per nos ſuum cuiq; pulchrum eſſe, & Caſcum Caſcam ducere. Stultũ eſt fabulã, etiã optimã agere, quã nemo ſpectet. Porrò ex his quæ ſcripſi, nolim in periculũ uocari, ſi forte in aliorũ manus aberrarint. Neq; enim mihi propoſitũ fuit, quid ego ſentirem, aperire, ſed tuã ſententiã elicere. Quid ſi etiã tecũ ſentiens, quemadmodum apud Platonem Glauco iuſtitiam uituperat, ut Socratem ad laudãdam iuſtitiam prouocaret, ita me fingam diſſentire abs te, ut inſtructus tua defenſiõe, poſthac magis poſsim meam ſententiam apud alios tueri? Sed iam tuã illam ferratam aciem, Neſtoreaq; inſtructam arte, expecto. Expecto claſsicum illud ingens, Expecto tela illa Coletica, uel Herculanis certiora. Interim & ipſe uires ingenij explicabo, contraham copias, librorum auxilia comparabo, ne primam tuam impreſsionem ſuſtinere nõ queam. De reliquis quæ proponebas ex epiſtolis Paulinis, quoniam ſunt periculoſa diſputatu, malo coram in noſtris illis παλαιοῖς πνευματικοῖς uoce, q; literis agitare. Vale decus huius ſcholæ, & mea uoluptas Colete optime. Oxoniæ.

IOANNES COLETVS ERASMO THEOlogo facundiſsimo S P. D.

TVa epiſtola eruditiſsime Eraſme, ut eſt bene longa, ita eſt eadẽ, uel multo magis certe, & diſertiſsima, & iucundiſsima. In ea uidi memoriã tenacem, & noſtrę altercationis fidelem recenſionem. In ea acumen iſtud tuum, quo uis tam facile penetrans, quàm feliciter. In eadem etiam ſtilum Philoſopho dignum, aptum, uerum, ſignificantem, educentem in lucem res ipſas, & eaſdem, quatenus materiæ acrimonia patitur, dulcorantem. Itaq; & docuit me tua epiſtola, lectitantem ualde, & delectauit. Tamen quanquam & argumentis impetuoſa eſt, & poſtea exemplis potentibus certe tam pondere, quàm numero uiolenta, tamen meam mihi opinionem, quam ex Hieronymo alte imbibi, nihil adhuc nec extorquet nec diminuit. Non, quod ſumus proterui

nos, & improba pertinacia indurati: sed quod (haud scio an recte) tamẽ quod uel uerum, uel q̃d uerisimilius est, nos sequi & tueri arbitramur. Quapropter non possumus tam admittere, quæ cõtra adducis, quanq̃ ualde suadent, q̃ uelle refellere. Impellit em̃ nos ipsa ueritas, ut acuti & eloquentis hominis disputatione, magis diserta et copiosa, q̃ uera, eam obrui indigne & opprimi nõ patiamur. In qua defendenda, ut nos opinamur, inuocamus eiusdẽ numinis subsidiũ, cuius tu ad oppugnandã ueritatẽ uideris nobis inuocasse. Verũ nunc nolimus cũ uniuersa tua epistola cõgredi. Nam ad tantum prælium subito, & statim nec ocium, nec uires habemus. Sed primæ eius partis & quasi aciei & frõtis, quæ mihi uidetur, ut par est, belli esse ualidior, expugnationẽ aggrediamur. Tu interea patienter audi, ac nos ambo collidentibus inter se silicibus, si quis ignis excutiatur, eum auide apprehendamus. Veritatem enim quærimus, non opinionis offensionem, quę forsan argumento argumentum recutiente, ut ignis ex ferro, à ferro percusso elucebit.

RESPONSIO AD ARGVMENTA Erasmiana.

PRimum quidem nõ possum assentire tibi, cum multis alijs id dicenti, & meo iudicio errãti, sacras literas saltẽ uno aliquo in genere, suapte fœcũditate plures sensus parere. Non quod nolim ipsas q̃ fœcundissimas esse, quarum exuberantem fœcunditatem plenitudinemq̃ unice admiror: sed quod opiner, fœcunditatis esse ipsius, non parturire plura, sed unum aliquod, et ipsum uerissimũ. Nam in quouiscunq̃ rerum genere, illa numerosior fœtificatio est, quod uni proli diffiditur, quodq̃ res illa & parens, nõ est potenti fœcũditate, ut quod conatur in pluribus, in uno perficiat. Quod si esset ita plenis uiribus, & tam integra fœcunditate, ut quiddam unum ex se ædat, quod ipsum esset constans, uerum & bonum, profecto in illo uno tam perfecto fœtu coquiesceret. Quia uniuersæ naturę contentio non est, nisi ad unum, quod assequuntur ea magis, in quibus maior est fœcunditas. In quibus uero natura languidior est, & nescio qua aridita te sterilior, atq̃ potentis succi inopia infirmior, in ijs, ut nihil est ædita prole imperfectius, ita nihil numerosius. Id quod licet cernere aperte in abiectioribꝰ naturæ rebus, sicuti sunt muscæ formicæq̃, in quibus, ubi extat multiplicior soboles, illic certissimum argumẽtum capiendum est naturæ alicuius, & rei, tum impotentis, tum infœcundæ, Spiritus aũt sanctus, qui sacrarum literarum parens est, quiq̃ est ipsa fœcunditas, ut in se parit pro sua potentia unam & eandem simplicem ueritatẽ, ita est necesse, suo sermone uerídico, unũ duntaxat sensum, eumq̃ uerissimũ nobis educat. Quod si in, uel audito, uel lecto illo simplici & diuino sermone, plures pluribus, & uarij uarijs hominibus sensus suboriantur, istam multitudinẽ non statuerem ex fœcunditate scripturæ, quæ est tanta, ut unum duntaxat sensum, et eum perfectissimum habeat, sed multo magis ex humanarũ mentiũ sterilitate, impotentiaq̃ perueniendi illuc, ubi ipsa uera & simplex latet ueritas, qua si possent potiri, tunc tam consentirent in una ipsa omnes, quàm nunc ipsi inter se dissident. Habet enim spiritus dei, pro sua maiestate, quoddam dicendi genus proprium, & suũ, & singulare, nescio quomodo mirabiliter absolutũ & liberũ, & supra se extans, et se in seipso retinens, reseruansq̃ se, sibi retracto uultu, ita quasi dedignabunde, non ex inuidia quidem, sed ex hominum indignitate, ut semper mihi uideatur dicere spiritus ipse, illud suũ propheticum, uidentes non uidere, & audientes non audire, & legentes non intellígere, etiam addere, se uisum esse nolle, nisi quibus uult ipse, se ubi uult spirare, se prophetas facere, ut spiritus prophetarum prophetis subiectus sit. Quod si tanta sit abductio, & quasi seclusio sui, in suo sermone, diuini spiritus: sicq̃ neminem admittit in suum sacrariũ, nisi cuius capiti manum imposuit ipse, nisi denicq̃ admissus & introductus aliquis felicior, in adytũ ipsum augustius & penetrale sacrariũ literarum, nihil ibi uiderit, nisi unum & eundem potentissimum, uerissimũ & perfectissimum sensum, Quid tãdem impediat, quo minus sequamur eũ solũ, quem illum arbitramur se assecutũ, respuamusq̃ illos omnes, qui ab eo (quem uerũ tenere putamus) discesserint. Quãdo ubi plures sententiæ, aut una duntaxat uera sit oportet, aut nulla. Quandoquidem ut modo ostendimus, pro sua fœcũditate & potentia, quod dixerit Spiritus, est unum solumq̃ uerũ & indiuiduũ. Quod ipsum utrũ Hieronymus

mus attigerit, non meum est dicere, tamen quum opinor, haud scio recte falsoue: uerunta men unquã, quãdo opinor ex illo loco euangelij uerũ apprehendisse, nõ possum nõ opinari, alios oẽs, ab Hieronymo dissentientes, falso dixisse. Quod si tam scirem re ipsa Hieronymũ dixisse uerũ, ꝯ opinor, tam tunc non minus assererẽ, alios dixisse omnes falso, ꝯ opinor. Atq;, ut si scirem, uerum esse in Hieronymo, non possum non scire falsum in alijs: ita quando opinor uerũ in Hieronymo, non possum in alijs falsum nõ opinari, quãdo necessario, quod uerum est, unum est, à quo si discesseris, delapsus es in non uerũ. Quapropter sic mihi tenendus Hieronymus est, ut eundem citius relinquam, ꝯ una cum illo alium, aliud sentientem amplecter. Hic uides Erasme, ꝯ noster oculus sit simplex in scripturis, quamq; nequeamus spectare nisi unũ. Vides enim, quoniã ad illud uerum, dictũ à spiritu Iesu, peruenisse putamus Hieronymũ, sequi non posse nos alium in hac causa, ꝯ Hieronymũ: quẽ ut arbitramur recte dixisse, & callem ueritatis tenuisse, ita non possumus non arbitrari, alios extra hanc sententiã oẽs delirasse. sed de hac re fusius, ꝯ est necesse, & multiplicius forsan, q̃ tua mens patitur, ista potẽtior. Verũ hæc est mea infelix sterilitas, ut nequeam, quod unum est, dicere, nisi & sero & multis: fœcundior aliquis spiritus & potentior, quicquid hic nos tanta loquacitate exprimere conati sumus, uno fœcundo uerbo absoluisset. Nihil enim est uerbosius, ꝯ sterilis mens. Cõtra quoq;, nihil frugalius & uerbis parcius, q̃ mens, & spiritus ille, qui est fœcundissimus. Quo fit, ut id etiã inter alia admirer, & singularem quandã fœcunditatẽ iudicẽ in sacris literis, quod in illis non in unoquoq; uerbo multæ sentẽtię sint, quod ipsum infœcunditatis esset. Sed quot sententiæ, totidem sint uerba, & quot uerba, tot sentẽtiæ. At nunc deinceps ex proposito descendendum esset in campũ, & cũ tuis argumentis confligendũ. sed alia me auocant, ut nunc cogar huic epistolę finẽ ponere. Quapropter causam nostram tecum, & cum ista constructa acie argumentorum, dimicationem in alia epistola expecta. Vale interea.

ERASMVS LECTORI.

EX multis, quæ aliorum furacitas sustulerat, hoc unum ministri furacitas seruauit, clam descripta hac portiuncula, quã reliquis adijciendam putaui, adiecturus & alia si continget nanciscí. Bene uale.

DE TÆDIO ET PAVORE CHRIsti finis.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS CLArissimo uiro domino Thomæ comiti Vuiltishe riæ & Ormaniæ S. D.

AD ipsum Christianæ philosophiæ colophonem me uocas, uir clarissime, sed pietatis studio quàm fortunæ ornamentis clarior, dum adhortaris, ut superioribus addam uel breuem commentarium, quomodo se quisq; ad mortem præparare debeat. Hic est enim extremus humanæ uitæ, ueluti fabulæ actus, unde pendet uel æterna felicitas hominis, uel æternum exitium. Hic est supremus cũ hoste cõflictus, à quo Christi miles sempiternum expectat triumphum si uicerit, sempiternam ignominiã si uictus fuerit. Equidem in hoc negotio iamdudum totus eram, quum adhortatio tua mihi ueluti calcar accessit currenti. Quanquam tum quidem uni mihi philosophabar. Sed tua pietas cupit ut hic quoq; fructus per nos fiat multorum communis. Vtinam domini benignitas largiatur sanctissimis uotis tuis meoq; conatui felicem euentum, ego certe nõ reluctabor illius uoluntati, cuius instinctu hoc meum obsequium abs te postulari arbitror. Vale.

Apud Friburgum Brisgoæ calendis Decembribus, anno millesimo quingentesimo trigesimotertio.

Des.

ODES ERASMI ROT. LIBER QVO MODO SE QVISQVE DEBEAT PRÆparare ad mortem.

Aristoteles



OMNIVM terribilium maxime terribilis est mors, ait quidam magni nominis philosophus, sed qui non audierat cœlestem illum philosophum, qui nos docuit non uerbis tantum, sed euidentibus etiam exemplis, hominẽ morte corporis non perire, sed distrahi: animã uelut è molestissimo carcere educi in beatam requiem, corpus item aliquando ad gloriæ societatem reuicturum. Non audierat illud ἀφίωμαι spiritus: Beati

Apoc. 14. mortui qui in domino moriuntur. Non audierat Paulum lamentantem, ac suspirantem,

Philip. 1 Cupio dissolui & esse cum Christo. Et, Mihi uiuere Christus est, mori lucrum. Sed mirandum non est, si qui credunt totum hominẽ morte perire, nec habent hanc spem quam sola in Christum fides nobis porrigit, quum aliorum mortem deplorant, tum suam horrent atq; abominantur. Illud potius mirandum, tam multos esse mei similes, qui quum uniuersam philosophiam Christianam & didicerint & profiteantur, tamen sic expauescunt mortem quasi aut credant nihil hominis supereresse ab exhalata anima, aut Christi promissis diffidant, aut de se prorsus desperent, quorum primum est Sardanapalicorum, alterum incredulorum, tertium Dei misericordiam ignorantium. Hac in parte similes uidentur gentibus quæ Deum ignorant. Deum enim ignorat, qui nescit illum esse infinitæ misericordiæ. Illud extra controuersiam est, quod hominum uulgus sic expauescit ad mortis recordationem, partim ab infirmitate fidei proficisci, partim ab amore rerum mundanarum. Nescit trepidare qui cum Apostolo plena fiducia dicit: Siue uiRom. 12 uimus, domino uiuimus, siue morimur, domino morimur. Itaque siue uiuimus siue morimur, domini sumus. Quod autem dominus semel in suam tutelam recepit, perire

Psal. 24 non potest. Hinc illa prophetica uox imperterritæ mentis testis: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Neque enim dominus fidelis unquam deserit, qui se totos in illius fidem tradiderunt, sed custodit eos ut pupillam oculi sui. Siquidem ille dominus uitæ est pariter ac mortis, cui nihil est mortuum: sed uiuunt omnia, quæ ipsi per fidem adhærent. Ex fidei imbecillitate nascitur amor commodorum temporalium. Nam si toto pectore crederemus, quæ Deus promisit nobis per filium suum Iesum, facile uilescerent omnia huius uitæ oblectamenta, ac mors quæ ad illa molesto quidem illo sed breui traiectu transmittit, minus esset formidabilis. Clamat ille sapiens Hebræus: O mors, quàm amara est memoria tua. Sed quid addit? Homini pacem habenti in substantijs suis. Non ait, Habenti diuitias. nam multi homines pij, possiderunt diuitias: sed in his acquiescenti. Quod de facultatibus dictum est, idem sentiendum de honoribus, uoluptatibus, uxore, liberis, cognatis, amicis, de forma, iuuentute, bona ualetudine, breuiter de commodorum omni genere, quæ mors

Horatius pijs simul ac impijs eripit. Quo impensius aliquid diligimus, hoc grauatius ab illo diuellimur. Sed quid mirabere, pones inuitus: ait quidam absq; Christo sapiens. Miratur autem hęc temporaria quisquis in illis conquiescit, tanquam proprijs perpetuisq; bonis, quum hæc omnia commodatitia sint ac momentanea, non tantum æquo animo uerum & cum gratiarum actione ponenda, quotiescunque repetit is qui dedit. Nam in huius mundi bonis conquiescere, frui est, quibus oportuit uti, atq; hoc ipsum etiam obiter ac ue

1. Cor. 4 lut in transitu: quemadmodũ admonet apostolus Corinthios: Reliquũ est, fratres, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanq̃ non possidentes, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur. Præterit enim figura huius mũdi. Viatores sumus in hoc mundo, non habitatores: in diuersorijs, aut (ut melius dicam) in tabernaculis peregrinamur, non in patria uiuimus. Tota hæc uita nihil aliud est q̃ cursus ad mortem, isq; perbreuis: sed mors ianua est æternæ uitæ. Apud Iudæos quoniã contractus ad certũ diẽ finiebant ex legis prescripto, quo tẽporis interuallũ erat breuius, hoc leuior erat rerũ indicatu

ra. Quan

ra. Quanto igitur uiliora nobis esse debent hęc omnia momentanea, tot casibus obnoxia, quæ ut nullus casus eripiat, certè mors omnibus adimit omnia. Adde hoc, quòd qui currunt in stadio, uident quantum spatij à tergo reliquerint, quantum supersit ad metam, & olim qui Iubilæũ expectabant, sciebãt quandiu liceret frui rebus emptis. At nemo mortaliũ est, qui certo norit se postridie uicturũ: currimus, sed mortem habentes in pedibus, immo toto corpore nobiscum circunferentes. Vitam gratis accepimus à domino, sed hac lege, ut omni momento reddamus reposcenti. Iam ut contingat senectus, quę quàm paucis cõtingat, nullus ignorat: quid est per deum immortalem, tota hominis ætas, nisi breuissimum stadium, in quo uelimus nolimus assiduè currimus, siue dormiamus, siue uigilemus, siue deliciemur, siue discruciemur. Rapit nos torrentis in morem perpetuus seculorum cursus, etiam si nobis aut alijs uideamur conquiescere. Ergo si precia rerum mundanarũ breuitate tẽporis æstimemus uilissima sint oportet, quæ nec horam habent certam. Quæ uerò parui æstimamus, ab ijs facile diuellimur. Quemadmodũ qui domi non agũt, sed peregrinãtur, si quid in diuersorijs, aut in uia commodi sese obtulerit non admodum adijciunt animum, quippe mox relicturi quod delectat, si quid incommodi, facile perferunt: sic cogitantes, Hic prãdeo, alibi cœnaturus. Quæ uidentur, inquit Paulus, temporaria sunt: quæ non uidentur, æterna. Atq; hæc est magna Christianæ philosophiæ pars, quæ nos morti præparat, ut contemplatione rerum æternarum ac cœlestium, discamus temporariarum ac terrenarum contemptum. Plato totam philosophiam nihil aliud iudicabat, quàm meditationem mortis. Meditationem autem dixit, præparationem ac uelut exercitationem ad mortem, non aliter quàm tyro cum hoste depugnaturus, ad palum exercet sese: quo dicto nihil salubrius, siquidem à philosopho philosophicè dictum, Christiani Christiano sensu accipiamus. Neq; enim contemplatio mathematicarum formarum à materijs abstractarum, aut idearum Platonicarum imaginatio præstat, ut bene moriamur: sed si fidei oculis subinde speculemur omnem humanum sensum excedentia bona, quæ deus per filiũ suũ Iesum promisit ipsi fidentibus, mala quæ cõminatus est incredulis & inobedientibus. Hæc deterrebunt à peccãdo, illa prouocabũt ad bene agendũ. Est quidem æterna ueritas in quibusdam disciplinis humanis, sed quæ nemini conciliat ueram beatitudinem. Hic ęternus est qui promisit, æternus per quem promisit, æterna sunt quę promittit, æternam felicitatem adferunt cum fide amplectentibus, æternã infelicitatem negligẽtibus. Hæc meditatio mortis, est uerę uitæ meditatio: nec solum hoc pręstat quod pollicetur philosophus, ut anima minus grauatè demigret è corporis domicilio, uerum etiam ut cum alacritate spiritus, uelut ex obscuro molestoq; carcere gestiens, exiliat in beatã libertatem, ac lucem illam uerè amabilem quæ noctem nescit. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, ac terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Eoq; clamat diuinus ille citharœdus. Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo domine. Summa felicitatis humanæ est, & cõtemplari & laudare conditorem, redemptorem & gubernatorem suum. Ad hunc enim finem conditus est homo. Hanc felicitatem hominis frequenter interpellat huius corpusculi quod circumferimus imbecillitas, tot necessitatibus, tot malis, tot periculis obnoxij. Itidem & beatus Paulus grauatus carneo tabernaculo, miserabiliter ingemiscens clamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hoc? Vidit enim summè beatos esse, qui habitarẽt in domo domini, laudantes illũ in secula seculorum. Sic affecti sunt homines uere pij, quorũ, licet corpore degant in terra, tamẽ thesaurus, cor, & conuersatio in cœlis est. Sed paucorũ est ista fortitudo, non omnibus datum est cũ Paulo dicere, Mihi uiuere, Christus est, & mori lucrũ. Et, Cupio dissolui & esse cum Christo. Nos hãc consolationẽ infirmi paramus infirmis: quibus tamen perfectorum exempla ueluti stimuli sunt ad robur spiritus parandum. Est igitur per omnem uitam hæc mortis meditatio exercenda ac subinde excitanda fidei scintilla, ut crescat & corroboretur, cui copulata charitas alliciet spem, quę non pudefacit. Nihil autem horum ex nobis habemus, sed dei dona sunt, assiduis precibus ac uotis ambienda, si desint: si adsint, augẽda, ut crescant. Quo fides charitate speq; comitata est firmior, hoc minor est trepidatio. Quod enim plerisq; sic abhorremus à mentione mortis, maxima ex parte (ut dictum est) fidei infirmitas in causa est. Atqui de dei promissis oportet esse fiduciam multo certissimam. Siquidẽ is est unus, qui natura uerax, seipsum abnegare non

Sap. 9

Rom. 7

potest

poteſt. Cui canit Pſaltes ille eximius: In ęternum domine permanet uerbum tuum, In cœlo & in ſeculū ueritas tua, qui & de ſeipſo pronunciat in Euangelio. Cœlū & terra transibunt, uerba autem mea non tranſibunt. Quid autem promiſit? Promiſit uictoriam mortis, uictoriam carnis, mundi & ſatanæ, promiſit remiſsionem peccatorum, promiſit centuplum in hoc ſeculo & uitam æternam in futuro. Sed quomodo promiſit? Per iuſtitiam noſtram? Nequaquam, ſed per gratiam fidei quæ eſt in Chriſtum Ieſum. Quoq; ſecuriores eſſemus, prius illud chirographū quod nobis infeliciter deſcripſerat primus Adam, irritum fecit ac deleuit, affigens illud crucí, deditq; nobis chirographum gratiæ, quod conſignauit proprio ſanguine, & innumeris prophetarum, apoſtolorum, martyrum ac uirginum teſtimonijs confirmauit, qui ſuo quoq; ſanguine ſubſcripſerūt. Subſcripſit & uniuerſa ſanctorum eccleſia. Addidit interim & arrabonem ſpiritus, ne ulla ex parte uacillare poſsit noſtra fiducia. Nec his contenta dei bonitas, huius uictoriæ exemplum euidens & inſigne dignata eſt omnibus exhibere in filio ſuo unigenito. Quod enim ille uicit, utiq; membris ſuis uicit, qui ſe totum nobis impēdit. Quid enim nos uermiculi poteramus ex nobis? Chriſtus eſt iuſtitia noſtra, Chriſtus uictoria noſtra, Chriſtus ſpes & ſecuritas noſtra, Chriſtus triūphus & corona noſtra. Ille natus eſt puer, ſed q̄d nō omiſit Eſaias, nobis natus eſt, nobis datus eſt. Itidem nobis docuit, nobis ſanauit morbos, eiecit dęmones, nobis eſurijt ac ſitijt, nobis contumelijs affectus eſt, nobis ſub mortis tempus angore tædioq; uitæ perculſus eſt, nobis ſudauit ſanguinem, nobis uinctus ac cæſus eſt, nobis mortuus eſt & reuixit, deniq; nobis ſedet ad dexteram patris. Dum omnia mala nobis debita in ſe recepit, ea nobis ſuperāda tradidit, uidelicet, iam fractis illorū uiribus, ac pro modo afflictionū addito ſpiritus robore. Monſtrauit uincendi uiā, addit certādi uotū, certantibus auxiliū ſuppeditat. Sic ille uincit in nobis, ſi modò nos in illo maneamus. Manemus aūt per fidem & charitatem. Si quis requirat, ubi nam extet hoc chirographum, quod nos ſecuros reddat, In ſcripturis Canonicis, in quibus legimus uerba dei, non hominum. His non minus habendum eſt fidei, quàm ſi Deus illa tibi proprio fuiſſet ore proloquutus. Auſim dicere, & aliquanto amplius. Nam ſi deus per creatam aliquam ſpeciem tibi loqueretur, fortaſsis quorundam piorum hominum exemplo ſubhæſitares, nunquid fuci lateret in imagine. At iſtam hæſitationem omnem nobis penitus exemit Eccleſiæ Catholicæ perpetuus conſenſus. In hoc ergo chirographo per omnem uitam philoſophari, optima ad mortem præparatio eſt. Quemadmodum ait Apoſtolus. Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, Rurſus ſi quis quærat quomodo & quando Chriſtus hæc deuicit. Carnē deuicit ac uincendi rationem oſtendit, quum iuxta naturā aſſumptā mortem exhorreſcēs, ait patri: Verum tamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Et alibi de ſe teſtatur, Non ueni ut facerē uoluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Nihil eſt tam horribile naturæ humanæ, quod auxilio Chriſti non ſuperetur, ſi nos totos committamus ac ſubmittamus uoluntati diuinæ, in grauiſsimis afflictionum procellis ſemper illud optimi ſenis ac laudatiſsimi regis habeamus in animo: dominus eſt, faciat quod bonum uidetur in oculis ipſius. hęc uerba magica non ſunt, ſed omnibus incantamentis efficaciora. Quæ quiſquis ex animo pronunciarit, & in hac fiducia perſtiterit, non eſt quod deſperet, etiam ſi uniuerſum malorum agmē unà cum ipſis inferis in unum irruat hominē. Omnipotens eſt qui pugnat pro nobis, quiq; loquitur in Pſalmo, Cū ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Quum audis, Cum ipſo: noli tuas uires expendere, ſed auxiliantis potentiam reſpice. Quum audis, Eripiam eum: noli deſpondere animum, ſi diutius urget afflictio. Faciet ille ſine dubio quod promiſit, & nouit quādo expediat te leuari malis Quum audis, Glorificabo eum: certum habeto te quemadmodum Chriſto fuiſti conſors crucis, & gloriæ futuræ conſortem. Sed memēto quid præceſſerit. Clamauit ad me, Tuum eſt clamare, & clamare ad dominum non ad mundi præſidia, non ad uires ac benefacta tua, ſed ad dominū, qui ſolus poteſt ab his malis eripere. Nihil hominis natura fragilius, & tamē nemo uerbis conſequi ualeat, quot quàm atrocibus malis ac terroribus ſit obnoxia. Vt enim omittam fulmina, terrę concuſsiones, maris inundationes, telluris hiatus, bella, latrocinia, homicidia, ueneficarū artes: quis percēſeat omnes morborum formas? Et id his quàm multi ſunt, tam horrendi, tamq; cruciabiles, ut ad ſolam mentionem contremiſcat homo. quod genus epilepſis, paralyſis, exulce-

Roman. 15

ratio

ratio ueſicæ, phreneſis. Taceo peſtilẽtiarum ſubinde in peius ſeſe aduerſus medicorum remedia innouantium crebros incurſus, ut ueriſsimè dictum ſit illud:

Mille modis leti miſeros mors una fatigat.

Quî fieri poſſit, ut nos & corporib. & animis tam infirmis, tam immanibus procellis pares eſſe ualeamus? Prorſus actum eſſet de nobis, etiãſi nullum accederet peccatũ, niſi dextera domini ſubleuaret imbecillitatem noſtrã. Supereſt mundus non mediocre certamen afferens pñs. Mundum autem appello ueterem hominem cum actibus & concupiſcẽtijs ſuis. Tametſi mundi nomine non abſurdè poſſis accipere homines huic mũdo deditos, qui nunquã deſierũt, nec unquam deſinent ſumma ui belligerari aduerſus Chriſtum & huius diſcipulos. Verũ ad hoc certamen animat nos dominus, dicẽs: Cõfidite, ego uici mundũ. Quàm autem ille fuerit alienus à mundanarũ rerum concupiſcẽtia, declarat, quum ait: Filius hominis nõ habet ubi reclinet caput ſuũ. Nam in eo quiſq; reclinat caput, in quo conquieſcit animus, ac uelut indormiſcit. Quàm autẽ uiolentus & improbus ſit hic mundus, norunt qui ſerio conãtur piè uiuere in Chriſto Ieſu. Cõcupiſcentias noſtras in ſe recepit, ſed non aliter q̃ recepit peccatum, pro nobis dependens ſupplicium quod noſtris affectibus & actis debebatur. Cæterum quicquid hic mundus habet machinarum, id totum expediuit in dominũ, probra, infamiam, inſidias, potentiam, cruciatus, mortes. Quid non fecit mundus, ut Chriſti nomẽ funditus extingueret? Et ecce uiuit ac floret in cœlo pariter & in terra. Vicit autem dominus, nõ ut dormitaremus, ſed ne deſperaremus. Hoſtem nobis tradidit non omnino mortuum, ſed fractum ac uincibilem, quo nobis per certamen parata eſſet corona gloriæ. Si quæras quomodo uincatur mundus, Ioannes intimus Chriſti diſcipulus docet: Hæc eſt, inquit, uictoria quæ uincit mũdum, fides ueſtra. Certa igitur fideliter, omni fiducia coniecta in dominum: nec du- *Ioan. 5*
bita quin illius auſpicijs præſidijſq; uictor ſis euaſurus. Reſtat peccatum in quo infeliciter nati ſumus, & in quod poſt baptiſmum infelicius reuoluti, põdus graue, quippe corpus & animum demergens in tartara. Hoc quoq; onus nobis importabile, dominus in
ſe dignatus eſt recipere, quemadmodum prædixerat Eſaias, Diſciplina pacis noſtræ ſu- *53*
per eum & liuore eius ſanati ſumus. Item Apoſtolus: Eum qui peccatum non fecit, pro *1. Cor. 5*
nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iuſtitia dei in ipſo. Peccatũ una res eſt quæ inimicitias gignit inter Deum & hominem, quemadmodũ teſtatur Eſaias. At miſericors pater, quũ nulla reperiretur ſatis efficax hoſtia ad abolẽda ſcelera generis humani, miſit filium ſuũ, agnum expertem omnis maculæ, hac uerè pura uictima mundũ recõcilians ſibi. Dixerit hic aliquis: Si per Chriſtũ ſublatum eſt peccatum, unde fit, ut omnis mortalium uita peccatis undiq; ſcateat? Iam enim & de bonis hominibus loquor. Nõ ſuſtulit in totum peccatũ, ſed uires illius fregit, non ut nullũ ſit in nobis, ſed ne regnet in nobis, quemadmodũ regnat in his, qui non fixerunt ſpei ſuæ ancorã in domino Ieſu ac ſeruiũt concupiſcẽtijs ſuis. Eoq; Paulus hortatur, ne cõmittamus, ut peccatum regnet in noſtro mortali corpore. Relicta eſt nobis certãdi materia, ſed porrecta ſunt arma, quibus muniti ſuperemus. Sic efficimur iuſtitia Dei, non ex operibus noſtris, ſed ex gratia Dei: per quem? Per ipſum, quem pro nobis peccatum fecit, & de peccato damnauit peccatum. Reſtat Satanas & peccati & mortis parens ac princeps tenebrarũ harum, cuius potentiam & malitioſas artes nunquã ceſſantes, horrẽt filij lucis dum trepidi clamãt ad patrẽ, Ne nos inducas in tentationẽ, ſed libera nos à malo. Hic eſt ille tentator & accuſator fra- *1. Pet. 5*
trum, qui iuxta beati Petri ſermonem, circumit tanquã leo rugiẽs, quærens quem deuoret. Verum & huius aſſultus dominus tum uicit ipſe, tum uincere nos docuit. Frequenter adortus eſt dominum: hoc enim ſubindicat Lucas quum ait, Et receſſit ab eo ad tempus: ſed ſemper uictus diſceſſit. Quomodo uictus? Clypeo ſcripturarũ repulſus, gladio uerbi Dei confoſſus. Ergo quoties ille nobis ſuggerit, quod pugnat cum uoluntate diuina in ſacris expreſſa uoluminibus, uerbi diuini mucrone confodiatur: atq; exemplo Dauidis, quinq; lympidiſſimis lapidibus de torrẽte ſcripturarũ collectis deijciatur. Sed nos cũ hoc Goliath congreſſuri, prius abñciamus arma Saulis, quæ eſt panoplia ſuperbiæ: hæc eſt fiducia mundanę ſapiẽtiæ, cõfidentia uirium ac meritorũ noſtrorum, quę magis onerant quàm muniunt: ſufficiat nobis baculus fidei, qui conſolatur ac fulcit nos in hac peregrinatione, & quinque uerba quæ beatus Paulus loquitur in eccleſia. Si urgeat im-

probius,audiat,Abi retro Satana.Iustius est obedire deo ad ęternam felicitatem uocanti q̄ tibi ad æternum pellicenti exitium.Hic præcipuas partes agit fides, Vnde Petrus,Cui resistite fortes fide. Crede scripturis ac fiduciā omnem in Christo repone,& in manibus est uictoria.Est autem dæmoniorum genus,quod non ejicitur nisi per precationem & ieiunium.En habes alia duo tela.Probabile est autem Satanam, quum toties frustra fuisset adortus dominum, in cruce omnes admouisse machinas, quum uideret instare mortem.Hic est extremus conflictus,è cuius euentu,uel speratur æternus triumphus,uel ex-
Ioan.4 pectatur nota sempiterna.Ait enim. Venit ad me princeps huius mundi,& in me non inuenit quicquam.Nec dubium est,quin quod ausus est in dominum,audeat et in membra domini. Sed quemadmodum ab ipso uictus est, ita per illum uincetur in nobis. Quum enim oppugnat eos in quibus Christus per fidem & charitatem inhabitat,cum ipso Christo bellum gerit,in quo quandiu perseueramus,turpius uincetur à nobis q̄ ab ipso domino superatus est.Omnia possum,inquit Apostolus,in eo qui me corroborat. Satanas qui cum nobis conflictatio est, dicitur princeps huius mundi, non quod ullum ius habeat in ullam partem creaturæ,sed quod in his quodammodo regnet qui mundum diligunt. Cæterum qui nos tuetur, dominus est cœli & terræ, qui solo nutu plus ualet quàm uniuersa
Matth.12 dæmonum examina cum organis suis.Solus is potuit ingredi domum illius fortis,et ipso alligato diripere uasa illius.Quid adhuc supererest tentationum? Mors,mors inquam illa,ad cuius mentionem contristantur omnia.Hæc nec ui depelli, nec fuga uitari,nec artibus eludi potest.Primus naturæ affectus est,ut quæq; res,quod est,tueatur.At mors aduersus hunc naturæ affectum minitatur exitium, hoc detestabilior quod coniunctissima diuidit.Nulla enim arctior copula q̄ corporis & animæ.Et hunc horrorem nobis domini clementia lenijt.Primum quod ipse nostra causa non grauatus est mortis horrorem,& mortem ipsam, eamq; ignominiosam iuxta atq; acerbam in se recipere.Neq; quenquam sanctorum quamlibet insignium ab hac immunem esse uoluit,non Abraham fidelē,non Mosen familiariter dilectum,non Dauid uirum secundum cor suū,nō è prophetis quenquam,non Ioannem Baptistam,de quo extat magnificum domini testimonium,non matrem unice dilectam, non saltem è discipulis illum, quem præcæteris amauit impense. A primo homine usq; ad cōsummationē mūdi,statutum est omnibus semel mori. Vnde Græcis dicta μόρος παρὰ τὸ μείρω, quod omnibus ex æquo sit distributa, regibus, pōtificibus, satrapis,æque ac colonis & mendicis.Cuius igitur impatientiæ fuerit nolle tolerare malū,cum talibus tantis ac tam multis commune? Tu quod naturæ uelis nolis persoluēdum est, refugis cū omnibus sanctis subire? Qui natura erat immortalis, pro te factus est mortalis,Et tu quum morti sis natus, ac toties mortē cōmerueris,postulas unus omnium haberi immortalis? Hic igitur tecum reputa quot & quales habeas consortes,& æquiore animo feres conditionē tuā. Alioqui nihilo uerecundius est indignari quod morituri sumus,q̄ si indignemur quod nati sumus,aut q̄ homines conditi sumus non angeli.Hoc est primum mortis lenimentum haudquaquam exiguum.Id fiet efficacius,si ueram subducamus rationem qualia sunt quæ hic relinquimus. Multos enim discruciat mors tantum intuentes quæ commoda relinquant.Tum in mentem ueniunt,iucundus solis aspectus,pulcherrima cœli machina, amœna mundi uernantis species,lusus,conuiuia,uxor, liberi,domus,horti.Sed aperiendus est alter oculus, quo perspicias quanto plus malorū hic relinquas quàm bonorum, & in his ipsis quæ bona uidentur, quantum admixtum sit calamitatis & amaritudinis.Recurrat memoria per omnes uitę gradus,quàm sordida conceptio,quàm periculosa gestatio,quàm miseranda natiuitas,quot malis exposita infantia,quot obnoxia iniurijs adolescentia, quot uitijs inquinata iuuentus, quot curis districta uirilis ætas, quàm calamitosa senectus: & haud scio an quenquam reperturus sis tam felici forte natum, ut si deus concedat ijsdem uestigijs ab ipso conceptu per omnem acti temporis seriem ad senectutem recurrere, ijsdem fruituro bonis, eadem perpessuro mala,accepturus sit conditionem.Quàm igitur insignis incogitantiæ est, tantopere conturbari,quum est deponendum,quod nobis si liceat ab integro repetere,simus recusaturi.Omitto nunc mala,quibus hæc uita sic est inuoluta,ut quidam ethnici iudicarint nihil à dijs,ut illorum more loquar,homini datum munificentius,q̄ quod addiderint facultatem abrumpendi uitam quoties uisum fuerit: & nobilis illa poeta non dubitarit pronun-

ciare

ciare, Nullũ esse animal homine calamitosius. Quod si leuis est ethnici uatis autoritas, Ecclesiastes ille sacer non ueritus est scribere, meliorem esse diem mortis quàm natiuitatis. Tantum de malis, nunc de bonis. Subducito rationem quantum curarum ac molestiarum attulerint opes, à quibus nunc diuelli non potes. Quanto plus aloes quàm mellis attulerit uxor, cuius amore nunc horres mortem. Quantum attulerit solicitudinis liberorum educatio, quantum offensionum ac dedecoris illorum mores. Adde his animum hominis semper in peius uergentem. Vt enim non sit in omnibus, certe in pleriscq; uerum est illud Augustini, Qui maior est ætate, maior est iniquitate. Deniq; pone ad dexteram huius uitæ commoda, ad leuam incommoda, & expende totius ęui quod hic agamus breuitatem. Infantia non sentitur, adolescentia pręteruolat aliud agentibus, iuuentus excipitur uarijs curis, senectus obrepit imprudentibus. Quid autẽ est hæc tota summa, nisi punctum ad illam æternitatem ad quã emigramus, si quidem hic pie uixerimus: extrahimur, si impie. Harum rerum seria contemplatio non leue remedium est aduersus horrorẽ mortis. Alterum est, hoc etiã efficacius, quod dominus pro te moriens effecit, ut mors quę prius erat transitus ad inferos, nunc sit ianua cœli, & quæ olim fuit initium æternorum cruciatuũ, nunc sit aditus cœlestium gaudiorum, ut iam Christo fidentibus mors non solum damnosa non sit, sed summopere lucrifera, Ac ne qua pars hominis desideraretur, ipse resurgens cum sanctis compluribus fecit nobis certissimã spem, fore ut corpora reuiuiscãt in nouissimo die, iamq; glorificata recipiant suam quæq; hospitem animam, solatio deinceps futura, non oneri. Sed de morte mox incidet dicendi locus. Vt autem peragamus, quod nunc agimus, Superest his omnibus in unum aceruum cõflatis terribilius malum, Tartarus, unde negant redire quenquam, absorbens omnia, nec unquam reddens deuorata. Hoc est barathrum desperationis, & ut Apocalypsis loquitur, mors secũda. Cogitet quisq; qualis sit illa uita, ubi summũ malorũ est immortalitas, ubi magna cruciatus pars est dæmonum & impiorum hominum societas, ubi ignis nunquam extinguendus, ad quem noster collatus, mera glacies est: adde quod illic incendium est minima dolorũ portio, qui tamen tanti sunt, ut ab hominis intellectu comprehendi non possint, sicut nec piorum felicitas. In malis licet grauissimis, licet diutinis, aliquid tamen leuamẽti adfert spes, ueluti stellula quædam procul allucens in densissima caligine, sed gehenna cum summis malis summam habet desperationem. Huius igitur horror superat omnem horrorem, quem tamen clementissimus redemptor ut nobis mitigaret, in sese recipere dignatus est. Quod in horto expauit, et angore extremo sic correptus est, ut sudaret sanguinem, nostrę naturæ erat infirmitas. Quod autem affixus cruci clamat, Deus meus, deus meus quur deseruisti me? Longe à salute mea uerba delictorum meorum, uidetur gehẽnæ horrorem animo persensisse. Quid enim superest à deo destitutis, nisi extrema desperatio? Nec mirum uideri debet, si hanc tristissimam affectionem in se recepit, qui peccata omnium in se receperat, ut utrunq; malum nostris uiribus insuperabile, sua misericordia redderet superabile? Nec ista minuunt dignitatẽ redemptoris, sed ineffabilem arguunt charitatem erga genus humanum. Sub eiusdem typo Dauid loquitur in Psalmis: Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me, & præoccupauerunt me laquei mortis. Nos gehennam meueramus, ille innocens expauescit pro nobis, quo si similis affectus inuadat animum nostrum ex scelerum conscientia uel ex imbecillitate naturę, non abijciamus nosmetipsos, sed in Christum intentis oculis etiam desperãdo speremus. Desperet licet caro, desperet ratio, tamẽ ex ipsis inferis fides clamet ad dominum, quemadmodum Ionas iam deploratus de uẽtre ceti clamauit & exauditus est. Nam & id commonstrat Psalmus, quum protinus adiungit: In tribulatione mea inuocaui dominum, & ad deũ meũ clamaui, Et exaudiuit me de tẽplo sancto suo. Dei tẽplum ecclesia est: hæc est arx fidei, urbs fortitudinis nostræ Sion. Huc si quis uel ab extremis inferis intendat clamorem uiua adhuc scintilla fidei, exauditur. Ergo quum uniuersæ uires hominis demersæ sunt ad inferos, fides tamen clamet cum beatissimo Iob: Etiamsi occidat me sperabo in eum. Nam hoc est cum fiduciæ magistro Abraham contra spem in spem credere. Hæc igitur tãta mala domini bonitas nobis non mitigauit ac fregit tantũ, ut licet lacessant ac terrítent, tamen extinguere non ualeant, uerumetiam extrema damna nobis uertit in opimum lucrum. Quid enim lædit peccatum adhærentes Christo? Quid nisi ut ubi ab-

undauit peccatum,abundet & gratia,& plus diligat,cui plus dimiſſum eſt. Quid proficit Satanas inceſſens membra Chriſti? Quid niſi quod auget illorum præmia,& illuſtrat coronas. Quin & ea mala, quæ nobis iuxta mortalitatis conditionem cum piis pariter & impiis ſunt communia,redemptoris clementia uertit nobis uel in lucrum, uel in medicinam,quanquam & hic lucrum eſt: in lucrum ſi à peccatis immunes iſta toleranter ferimus domino gratias agentes pro omnibus: in medicinam, ſi quid reſidet in nobis repurgandum uel ſectione uel uſtura,uel amaro pharmaco. Quo de genere ſunt,morbus,paupertas,ſenectus,orbitas,aliaq; innumera,quib. tota hominum uita eſt undiq; obſita. Hæc ſi nos ad murmur,deſperationem,aut blaſphemiam pertrahunt,Satanæ fiunt inſtrumenta,proq; remediis fiunt uenena. Sin ob id tantum perferuntur, quia uitari non poſſunt, quo animo complures, qui Chriſtum ignorabant, conſtanter cruciatus ac mortem pertulerunt, naturæ ſunt afflictiones. Sin ea tanquam de manu propitij parentis obedienter atq; etiam cum actione gratiarum recipimus,reputantes quanto acerbiora cõmeruimus,& quàm dira Chriſtus innocẽs paſſus ſit pro nobis commeritis, iam non ſunt afflictiones,ſed ſalubria remedia,aut cœleſtium præmiorum incrementa. Illic agendæ gratiæ indulgentiſsimo parenti, qui flagellat omnem filium quem recipit, interim mollibus ac breuibus remediis ſanans ulcera noſtra,ut parcat in futuro ſeculo: Hic laudanda Imperatoris noſtri benignitas, qui militibus ſuis ſubminiſtrat uirtutis materiam ut coronet magnificentius. Vtrobiq; magnum eſt lucrum,niſi fore mediocre lucrum uidetur, quum capitali morbo laborans,deuorat amara catapotia,leuiq; ac temporaria moleſtia,& mortis periculum effugit,& perpetua ſanitatis dulcedine fruitur: aut quum miles ob unius horulæ conflictum,ſummas per omnem uitam opes, ſummosq; honores conſequitur. Et hoc quoq; pacto dominus noſter clementiſsimus omnia pertrahit ad ſe, ſi modo ad ſignum illud in ſublimi propoſitum oculos intenderimus. Attrahit ad ſe omnia mala noſtra,eaq; uertit in lucrum noſtrum & gloriam ſuam,quam nobis ſibi per fidem inſitis cõmunicat. Quid autem lucrifaciunt,qui in rebus aduerſis oculos auertentes à Chriſto, deo obmurmurant? Hoc ipſum quod neceſſario perferendum eſt moleſtiæ,ſibi conduplicant,uel decuplant uerius,& pharmacum male ſumendo uertunt ſibi in letale uenenum. Hæc nimirum eſt ſublimis & efficax philoſophia,ac mortis meditatio,in qua ſi ſanus ac ualens diligenter fuerit exercitatus,hunc mors non opprimet imparatum. Ex his autem quæ dicta ſunt colligere licet quadruplicem eſſe mortem, ſpiritualem, naturalem, tranformatoriam & æternam. Naturalis eſt ſeparatio animæ à corpore. Spiritualis, eſt ſeparatio dei ab animo. Quemadmodum enim anima eſt uita corpori,ita deus eſt uita animæ. Hæc pepe/rit naturalem,quod ad neceſſitatem attinet,ut eſt ſanè pia ueterum theologorum opinio. Ex utraq; naſcitur mors gehennæ,ſi coeant inter ſeſe mors ſpiritualis, ac mors naturalis. Poſt mortem enim corporis,non eſt locus pœnitentiæ. Supereſt mors qua transformamur ab imagine ueteris Adæ in imaginem noui Adæ, qui eſt Chriſtus dominus. Hęc eſt ſeparatio carnis à ſpiritu. Nec hic mediocris eſt lucta, ne ſpes quidẽ ulla uictorię, niſi Chriſti ſpiritus adiuuaret infirmitatem carnis noſtræ. Sed illius gratia in nobis occidit ueterẽ hominem,ut iam agamur non ſpiritu noſtro,ſed ſpiritu dei,nec ipſi uiuamus,ſed uiuat in nobis Chriſtus. Hæc feliciſsima mors an cuiquã ad plenum obtigerit in hac uita neſcio. Domini tamen liberalitas, quod noſtræ deeſt imbecillitati,de ſuo ſupplere dignatur. Hęc mors expetenda eſt, ſummoq; ſtudio per omnem uitam meditanda. Quemadmodum
2. Cor. 9 Beatus Paulus ſcribit Corinthijs: Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circunferentes,ut & uita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris: Eodẽ hortatur Coloſſenſes: Mortificate membra ueſtra quæ ſunt ſuper terram. Non iubet erui oculos, aut amputari manus,aut execari genitalia. Sed quæ membra? Addit,fornicationem,immunditiam,libidinem,concupiſcentiam malam & auariciam. Vulgus hominum luget mortuos,at beatus Paulus Coloſſenſibus gratulatur hãc mortem. Mortui,inquit,eſtis,et uita ueſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in deo. Hæc mors mater eſt uitæ ſpiritualis, quẽadmodũ peccatũ mortis ſpiritualis pater eſt, atq; etiã gehennæ. Sed in his mortis generibus præpoſterè ſe gerunt pleriq; mortales. Ad memoriam mortis corporalis quàm inhorreſcimus. Veteres ob idipſum habebant inuiſam cupreſſum,quod in funeribus ſoleat adhiberi; & apium,quod eo coronarentur ſepulchra; nec hodie deſunt qui ad turis odorem diris

execra/

execrationibus utuntur, quod (ut arbitror) hinc in funere fiat suffitus. At mors spiritualis horribilior est sexcentis mortibus corporis, & ad hanc ultro alacres ꝙ festinamus, gloriantes quum male fecerimus, & exultãtes in rebus pessimis. Exanimamur quum periculum obijcitur, ne anima corpus hoc miserum destituat, felicius extra carcerem uictura: quanto iustius oportuit exanimari quoties periclitamur, ne Deus æterna uita deserat animam nostram. Domum in qua defunctus est aliquis, funestam uocamus, & obturatis naribus præterimus, Atqui Sapiens iudicat longe melius, ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In luctu, natura contristamur. Sed hæc tristitia quia secundum Deum est, stabilem in nobis salutem operatur, dum nos commonitos nouissimorũ reuocat ad pœnitentiam, nec sinit nos peccare in æternum. Feliciter intersunt luctui, qui sic deflent mortem alienam corporis, ut incipiant seipsos lugere, morte grauiore exanimatos. Vtrum igitur potius, amarum deuorare catapotium, ut unius horæ molestia lucrifacias perpetuam sanitatem, an in conuiuio bibere mulsum toxicum quod breui delectatiuncula mortem adferat? Sed harum rerum multis adeo nulla habetur ratio, ut in lustris cantẽt ebrij, sibi plaudant qui fraude rem domesticam reddiderunt auctiorem, triumphent qui sceleratis artibus emerserunt ad honores. An non uulgus hominum, in delicijs ac uoluptatibus carnis uolutari, uocat uiuere? At, qui sic uiuunt, bis mortui sunt. Primum quia spiritu Dei uacant, dein quia iam tum filij sunt gehennæ. Quemadmodum enim piorum carne mortuorum uita abscondita est in Deo apparitura simul cum Christo: ita in his qui se carni dediderunt, abscondita est mors gehennæ, quam circumferũt, apparitura in extremo iudicio. Peccatorem in hac uita sola spes separat à gehenna. Quandiu enim spirat homo, spes est ueniæ. Verumetiam atque etiam uidendum, ne spes quæ non proficiscitur à fide & charitate det nobis uerba. Sic sibi blanditur aliquis: Iuuenis sum, fruar hoc mundo, ubi ad senectutem uenero pietatem colam. At ὦ δαιμόνιε quis tibi promisit senectutem? Alius, dum floret ętas, indulgebo genio. Vbi ducta erit uxor, incipiam esse frugi. At ὦ αὐτόκολαξ, qui scis an perendie sis uicturus? Est fortasse qui cogitet. Aliquando fiam monachus, ibi deplorabo uitam male actam, interim fruar mũdo. Vt uita suppetat, quis tibi pollicitus est istam uoluntatem, quæ cupiat pro uoluptatibus amplecti pœnitentiam? An istam mentem sibi quisquam dare potest? Vt ad cor redeat peccator, sola Christi gratia præstat. Verum ille libere dat eam quibus uult & quando uult. Certe quod ad peccatorem attinet, iam nunc in gehenna est. An non prodigiosa cæcitas est, ut homo qui in tam horribili statu sit, sibi diem prefigat, ad quem uelit resipiscere: cui in puteum delapso aut in carcerem coniecto, lenta uideretur omnis educentium festinatio. E puteo statim inclamaret opem homínis, et in tantis malis constitutus, non protinus implorat auxilium Dei, qui solus excitat mortuos? Quisquis igitur in uita mortem transformatoriã diligenter meditatus fuerit, tum mortem spiritualem ac gehennę uehementer horruerit, minus horrebit imminentem mortem corporis, quæ non separat à Deo, sed Deo propius iungit, finem semel imponit cunctis afflictionibus, quibus hæc uita tunditur undique, & transmittit ad sempiternam quietem. Ais. Transmittit in requiem, sed piorum animas. Recte, mors enim peccatorum pessima. Ergo dum uiuis ac uires, da operã ut sis de numero iustorum. Nam iustus & ille est, qui ex corde agnoscit ac damnat iniustitiam suam, territusq; gehenna, confugit ad asylum diuinæ misericordiæ, & ad salutifera pœnitentiæ remedia. At qui per omnem uitam, quasi sint immortales, indulgẽt affectibus suis, ad uoces Dei toties tã amanter prouocantis ad pœnitentiam Toronęo littore, ut aiunt, surdiores: quid mirum si perturbantur, quum urget extrema necessitas? Tunc res est cum morbo qui non sinit quicquam aliud agi, cum medicis, cum hæredibus, cum legatarijs & captatoribus, cum creditoribus ac debitoribus, cum uxore ac liberis, cum œconomis ac famulis, cum amicis & inimicis, cum exequijs ac sepultura, cũ confessionibus, dispensationibus ac censuris, cum restitutionibus ac placationibus, cum uarijs conscientiæ scrupulis, postremo & cum fidei dogmatibus. Adde his, Cum mũdo: quem quoniam nimis dilexit, inuitus relinquit: insuper, cum ipsa morte corporis, ad quam præparatus non est: denique cum Satana, qui tunc omnibus urget machinis, cum gehenna, quæ tunc omnes terriculamentorum suorum laruas ingerit. Atqui ad tantum negociorum agmen nõ sufficit ille temporis artícu-

lus,sed summa cura agẽdum ut ad illum extremum,omniumq; grauissimum conflictum homo ueniat q̃ maxime expeditus.Roget aliquis,quibus modis id possit effici. Audiamus Ecclesiasten bene consulentem:Memento,inquit,creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ,anteq̃ ueniat tempus afflictiõis tuę.Audiamus & Ecclesiasticũ:Ante iudicium para iustitiam tibi,ante langorem adhibe medicinam, & ante iudiciũ interroga teipsum,& in conspectu dei inuenies propitiationem:ante languorẽ humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.Salubre cõsilium etiamsi notus nobis esset dies mortis.Nunc multo magis id faciendum est,postea q̃ omnis dies cuiq; pro ultimo debet haberi,quũ nesciat an alius sit illi successurus. Dum uiuimus ac ualemus,discutiamus quantum licet,negociorũ tricas:ac prius q̃ nos morbus lecto affixerit,disponamus domui nostrę.Primũ est meminisse creatoris,ut per syncerã confessionẽ & pœnitentiã cum illo redeamus in gratiã.Examinemus cõscientias nostras,amputantes quicquid ibi reperimus inuisum deo,ut quũ morbus nos protrudet ad tribunal dei,inueniamus propitiationem. Qui rebus florentibus ceruices erigunt aduersus deũ,nónne uidemus q̃ semet abijciãt si morbus ualidus minetur mortẽ? At quanto gratius deo,si ad quod ægritudo sero cõpellit,mature nostra spõte faciamus. Prosternamus nosipsos cũ publicano & euãgelica peccatrice in cõspectu dei,lachrymis,eleemosynis,precibus,alijsq; pijs operib. placantes irã dei,& in tẽpore ægrotationis talis erit mors,qualis fuerit uita nostra. Quidã abhorrent à condẽdo testamẽto,quasi hic insit aliqd funesti omínis.Hæc est nostræ carnis infirmitas. Atqui testamẽtum ô bone conditũ nõ efficiet ut citius moriaris,sed ut qetius.Hac in parte felicior est in cœnobijs bene moratis agentiũ cõditio,quod ab omnibus curis testamentarijs liberi sint.Cæterũ qui liberos habent,aut fratres,aut alioqui legitimos hęredes,prouideãt ne qua in diuidũdis bonis nascatur inter fratres & affines cõtentio: qui non habẽt, ne relinquãt posteris litiũ ac rapinæ materiã.Breuiter sic ista digerant explicentq; sani, ut nihil necesse sit in morbo curis huiusmodi intempestiuis torqueri.Prẽterea si quibus perplexis casibus inuolutus est aliquis,puta de matrimonio,de cẽsuris ecclesiasticis,de uotis, de restitutiõibus aut recõciliationibus,eos sanus ac ualens explicet,nec ullas tricas reseruet in extremũ diem.Recte faciunt,qui moriẽtes hęredibus mandant restitutionẽ fraudepartorũ: sed longe cõsultius faciunt, qui ualẽtes id faciũt,quod alijs sępenumero mandatur frustra.Itidem recte faciũt,qui morituri cõdonant offensas omnib.à quibus læsi sunt, ac uicissim orant sibi cõdonari,si quid in quẽ deliquerunt:sed longe deo gratius,& ad cõscientiæ quietẽ tutius est,si idem faciant ualentes,non ob mortis metum, sed ob amorem Christi.Recte faciunt, qui morientes legant opum suarum partẽ in subsidium pauperũ, sed uictima fuerit multo gratior Christo,si pro modulo facultatũ ipse subleues proximorum inopiam. Nec enim semper peruenit ad egenos, quod illis destinauit moriens, & si perueniat,iam alienum est nõ tuum quod impenditur. Quid quod morbi cõplures eius sunt generis,ut non dent spatium super his statuendi: ne iam cõmemorem casus subitaneos & inopinatos,qui licet nõ omnes opprimant,omnibus tamẽ sunt expectandi, quia possunt omnibus accidere.Quemadmodum accidit illi stulto Euangelico, qui sibi pollicitus longã ac suauem uitã,audit,Hac nocte repetunt abs te animam tuã.Deprecantur omnes mortem subitaneã & improuisam.Siquidem nusq̃ non audimus has uoces, A subitanea & improuisa morte,libera nos domine.Quid est quod orãt istis? An omnis inopinata mors detestanda est? Nequaquã. Iustus enim quacunq; morte præoccupatus fuerit,in refrigerio erit.Neq; eñ potest esse mala mors, quantũuis subita fuerit,quã uita bona præcesserit.Quin igitur sic oramus: A mala uita libera nos domine. At qua fronte uocamus mortem improuisam,quę se quotidie omnibus sensibus ingerit nostris? Ab infantia nostra quid aliud audimus q̃ gemitus moriẽtium? quid aliud uidemus q̃ efferri funera? q̃ pompas lugentium? q̃ monumenta,ac defunctorum titulos? Quòd si nos leuiter tangunt aliena, quoties nobis propius mors uellicat aurem funeribus affinium & cognatorum propinqua naturæ necessitudine nos contingentium,& amicorũ quos mutua charitas nobis arctius adglutinarat,q̃ ullos cognatos iungũt naturæ fœdera? Et si hoc quoq; parum est, quoties nosipsos admonet fragilitatis nostræ? Quis enim nostrum est, qui non aliquoties in uitæ discrimen adductus sit, uel tempestate,uel latrocinio,uel bello,uel

ruina

ruina,uel peſtilentia,uel morbo? Quocunq; te uertas,mors in inſidijs eſt. Domus cuique tutum eſt refugium. At quàm multos opprimunt tectorum ruinæ? Terra ſolidum elementum,nónne interdũ ſubſidens totas abſorbet ciuitates? Ipſe aer quo ſpiramus ac uiuimus, ſæpenumero mors eſt, quemadmodum cibus ac potus. Poſtremo fames ac ſitis nónne quotidie mortem minitatur, ni remedium adhibeas? Quid quòd quoties nominatur homo,mortis admonetur. Idem enim nobis declarant, mortales & homines. Quid igitur agunt qui deprecantur mortem improuiſam,niſi ut ſuam accuſent improuidentiam? imparatis enim omnis improuiſa mors eſt,etiam ſi cẽtenario ueniat. Improuiſam appellas, quam omnibus ſenſibus ingerentem ſeſe atque impingentem nõ uides? Sic improuiſum fuit diluuium impijs,qui Noe iuſtitiæ præconem,dum appararet arcam irridebant,edentes,bibentes,iungentes coniugia,quaſi non eſſet euenturum,quod deus minitabatur. Sic improuiſum Sodomis obtigit exitium,qui Loth emigrantem irridebant. Idem euenijſſet Niniuitis niſi ad Ionæ præconium egiſſent pœnitentiam. Quiſquis nouit ſe deum habere iratum,omni momento uindictam expectet, imò uitet potius exemplo Niniuitarum ac Dauidis. Terribilis eſt ira domini,ſed ſi nos ipſos deiecerimus ad pœnitentiam, in ira ſua recordabitur miſericordiæ. Ad Ionæ hoſpitis denunciationẽ Niniuitæ conuerſi ſunt ad pœnitentiã. At nos ad tot domini noſtri denunciationes ſurdi, mortem deprecamur improuiſam. Tot exemplis ac parabolis inculcat obliuioſæ tarditati noſtræ,ut ad omne momentum ſimus parati,Noe,Loth,et eorum quos ruina turris in Siloa inopinãtes oppreſſit. Addit ſimilitudinem furis nocturni,fidelis œconomi,decem uirginum: ac toties inclamat, Vigilate,quia neſcitis diem neq; horam:& nobis ulla mors uenit improuiſa? Venit, ſed improuidis,aut(ut melius dicam)ſurdis,cæcis,ac ſtupidis:qui nec dominũ inclamantem audimus,nec quod ſeſe oculis ingerit uidemus,nec quod undique pungit ſentimus. Nec refert quòd dominicus ſermo loqui uidetur de ſupremo mundi die. Nam cuiq; ſupremus uitæ dies,ſupremus mundi dies eſt. In conſummatione mũdi palàm celebrabitur uniuerſale iudiciũ,ſed interim ſingulorũ animæ ſimul ut corpus reliquerint, ſuum ferunt iudicium,licet nobis ignotum. Dominus autem utrunq; diem æque nobis ignotum eſſe uoluit,hac quoq; parte declarans indulgentiſſimam erga nos charitatem. Etenim quum nunc uideamus intolerabilem diuitum ac malorum uiolentiam,quid facerent, ſi ſcirẽt ſe diutius uicturos? Rurſus infirmi,ut ſunt plerique mortales, ſi certo ſcirent ſe peruẽturos ad ſenectutem, huc prorogarent exactioris uitæ ſtudium: rurſus ſi certum haberent paucos uitæ dies ſupereſſe,triſtes & anxij uiuerent,& ad multas actiones reipublicæ frugiferas redderentur ſegniores: Nunc hoc temperamento uſa eſt ſupremi numinis prouidẽtia,ut cunctis hominib. mors adeo ſit certa,ut ſinguli non minus certo ſciãt ſe morituros, quàm ſciunt natos eſſe,utq; nec ſummi nec infimi ſibi poſſint uana ſpe blãdiri: rurſus dies mortis adeo incertus, ut eum dominus nec ſibi chariſſimis notum eſſe uoluerit. Itaq; fit, ut impij minus lædant bonos,& boni ſic abſtineant à malis operibus, quaſi ſint poſtridie morituri: ſic incumbant bonis operibus, quaſi diu uicturi. Quid igitur ſibi uolunt,qui ad chiromantas,aſtrologos,phyſiognomuntas,genethliacos,uentriloquos, numeros Babylonios & magos currunt,ut ſciant æui modum. Clamat Eccleſiaſtes,Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, quum eis extemplo ſuperuenerit: & nos ab his uolumus ſcire finem noſtrum,qui ipſi finem ſuum neſciunt? An quòd Chriſtus æterna ueritas neſciri uoluit, quia ſcire non expedit, inuito Chriſto diſcent à uanis hominibus? An Chriſtianis placet exemplum impij Saulis? Quid autẽ illi profuit malefica, niſi ut bis moreretur? Sunt(& ij quidem non mali)qui petunt à Deo certum mortis genus,orant ut certos mẽſes decumbant,quo uel hoc tempus impendant pœnitentiæ & confeſſioni. Sanctius eſt illorum uotum,qui mortẽ optant,qua minime moleſti ſint ſuis. Hoc enim à charitate proficiſcitur. Sed firmioris eſt fidei, mortis genus ac ſpacium ægrotationis deo committere. Nouit ille quid nobis expediat,& quod nobis eſt optimũ dabit. Sũt innumeræ mortis formæ,& in his quædã horribiles: ſiue quòd ſubito necẽt, quod nõnullis in ipſo accidit conuiuio: ſiue quòd acerbos ac diutinos habeant cruciatus,ut paralyſis et iſchiace: ſiue quòd abominãdam habeant ſpeciem,ueluti qui tenaci pituita prẽfocati nigreſcũt: ſiue q̃ uſum

linguæ,mentisq; ſanitatem adimant,ut apoplexis,phreneſis, ac nonnullæ febres, aliæq; peculiares quæ homines impellunt ut ſe præcipitent, aut in puteum inſiliant, aut laqueo prefocent guttur,aut gladio ſeipſos confodiant.Sunt enim morbi qui interiora mentis organa uitiãt,quos uulgus dæmoniacos appellat.Ne ex his qdem iudicãdus eſt homo,quãdo Chryſoſtomus monachum dæmonio obnoxium amantiſsimè conſolatur. Quanq; ea mortis genera,quæ manifeſtam habent ſpeciem impietatis,Chriſtianæ pietatis eſt deprecari atq; abominari.Contrà, quoſdam uidemus tam placide emori, ut obdormiſcere non emori uideantur.Sed quæcunq; acciderit mortis forma,nullus hinc æſtimandus eſt. Ne de iſs quidem qui ob commiſſa facinora dant pœnas legibus,licet mortem ſortiantur infamem,temere iudicandum eſt.Nam fieri poteſt,ut qui ob excitatam ſeditionem diſſecatur in quatuor partes,migret in angelorũ contuberniũ: quum alius in ueſte Franciſcana moriens ac religioſe ſepultus,demigret ad inferos.Dominus eſt qui de his iudicat.Variis modis ſuos exercet ac purgat deus,ſed (ut dixi) nulla mala mors haberi debet, quam bona uita præceſſerit.Interdum qui placidiſsimè expirant,demigrant ad æternos cruciatus:contrà,qui miſerabiliter torquẽtur,euolant in requiem. Quidam optant plenam confeſsionem ante mortem,ſupremam unctionem,& euchariſtiam:nõ diſsimili(ut apparet) animo,atq; olim quidam prorogabant baptiſmum in extremum uſq; diem:nec prius accerſebatur baptiſta,quàm medicus profiteretur in arte ſua parum eſſe præſidij. Quur ſemel optamus contingere,quod quotidie à nobis fieri & debet & poteſt? Optimum enim conſilium eſt,ut quiſq; ſuam conſcientiam prius quàm ſe ſomno tradat, diligenter excutiat,& ſi quod crimen eo die commiſſum deprehenderit,tundat pectus,cumq; lachrymis à domino ueniam poſtulet,& implorata ope diuina certum ſumat propoſitum uitæ correctioris.Nec eſt quod quiſquam hic dicat,Diſtineor uariis negocijs, non uacat.Ad rem tam neceſſariam quarta pars horæ ſufficit.Non eſt longum dicere, Peccaui,miſerere.Et hoc ſatis eſt,ſiquidem dicatur ex animo.Nemo ſomno ſe tradens,certus eſt fore ut expergiſcatur.Quãtum igitur diſcriminis eſt in eo ſtatu obdormiſcere, in quo ſi nos opprimat mors ſomni germana,& ſoror fratrem excipiat,in ęternum perierimus? Tantum periculum breuiſsima cogitatione licet effugere. Hoc quotidie apud deum. Apud ſacerdotem uero Dei uicarium ter aut quater aut ſæpius in anno ſyncera confeſsione purgare conſcientiam,plurimum attulerit tranquillitatis,efficietq; ut morientem non admodum torqueat confeſsionis anxietas.Porrò quoniam in mortis articulo præcipuum ſolatium eſt, dominicæ mortis contẽplatio,ac totius eccleſię cõmunionis,quæ eſt corpus Chriſti: profuerit ad utrunq; diligenter exerceri in uita,ut actio ſubinde repetita tranſeat in cõſuetudinem,conſuetudo in habitũ,habitus in naturã.Id fiet,ſi repurgata ab omni affectu peccãdi conſciẽtia,frequenter ſumamus panem myſticũ,ac de poculo myſtico bibamus, quandoquidem hoc ſacramentum duo quædam nobis commendat,capitis eximiam erga ſua membra charitatem, & membrorum inter ipſa ſocietatem arctiſsimam. Quicquid boni eſt in corpore,à capite Chriſto defluit:quicquid autem boni eſt in corpore,membrorum omnium cõmune eſt:quẽadmodum in corpore animantis,licet diuerſa ſint membra,uariis officijs deſtinata,tamen uita à capite proficiſcẽs eadem per omnia membra diffundi/tur,tam indiuidua ſocietate,ut(quemadmodum docet beatus Paulus)ſi doleat unũ membrum,dolor ad omnia perueniat. ſi gaudeat unũ membrum,gloria ſit omnium cõmunis. Nimirum hoc eſt quod dicitur in Symbolo apoſtolorum:Sanctam eccleſiam,ſanctorum cõmunionem.Nec eñ cõtractior eſt in corpore myſtico Chriſti gratia,q̃ in animalis corpore natura.Religioſe faciunt,qui urgẽte mortis uicinia, mittunt ad monaſterium Cartuſianorum aut Franciſcanorum,ut orent pro laborante:ſed efficacius ſolatium eſt,ſi cogitet ægrotus,uniuerſam eccleſiam eſſe pro ſuo membro ſolicitam. Quum autẽ eccleſiam dico,quàm beatam,quamq; numeroſam ſocietatem dico, quæ prophetas, quæ apoſtolos, quæ tot martyrũ ac uirginum examina,quę tot animas deo charas complectitur.Hęc uniuerſa ſodalitas pro uno quolibet Chriſti membro periclitante orat aſsidue, ſuiſq; meritis ac precibus laborantem ſubleuat.Neq; uero tua refert,quod non cernitur oculis eccleſia.Nec animã tuã uides,cuius beneficio uiuunt ac mouentur omnia corporis mẽbra. Non poteſt eſſe pauper Eccleſia,quæ tam diuiti capiti cõiuncta eſt,in quo habitat omnis plenitu/

plenitudo diuinitatis corporaliter: nec destitui potest membrum, quod à tot sanctorum milibus subleuatur. Capitis charitatem ac beneficētiam erga nos præcipue testatur crux pro nobis redimendis susceptа. Harum rerum memoriam ac uim nobis renouamus, quoties cum fide debitaq; reuerentia carnem domini comedimus ac sanguinem bibimus: Simulq; admonemur, uniuersos esse unum corpus qui eodē pane uescuntur, & eodem bibunt poculo. Ne quis igitur despōdeat animū, si membrū est infirmū ac languidū, quum caput habeat omnipotēs: néue sibi destitutus uideatur, qui totius ecclesiæ meritis precibusq; subleuatur. Ad harum itaq; rerum contemplationem, si quis in uita fuerit diligenter exercitatus, in morte plus adferent solatij. Tum enim suapte sponte occurrent uelut animæ familiaria. Proinde (mea sententia) rem piam commenti sunt, qui Dominicæ mortis historiam per certas horas partiti sunt, quo pueri consuescerent singulis diebus aliquam illius portionem cōmemorare cum gratiarum actione. Qui uero substituerunt Liturgiam de uirgine, ut rem non impiam excogitarūt, ita (si phas est uerum fateri) uinum uerterūt in aquam. His rationibus optime fit, ne mors subitanea & improuisa nos opprimat. Deserendi liberi dulces, uxor chara, amici dilecti, agri culti, structuræ magnificæ, opes amplæ. At miles Christi hæc omnia negligere meditatus est, cuius anima uelut in præsidio corporis excubat, ad omne momentum expectans imperatoris classicum, quo iubeatur inire prælium, semper erectus ad illam uocem: Dispone domui tuæ, quia morieris & non uiues. Corpus habet non pro domo, sed pro tabernaculo: nec ibi recondit thesaurum suum, sed quod ad diurnum dimensum satis est, in zona gestat, semper in excubijs uigilans, semper arma habens in procinctu, aduersus hostiū inopinatos incursus, neque quicquam duri recusat, modo placeat imperatori cui dedit nomen. Militia, inquit beatus Iob, est uita hominis super terrā. Huius militiæ tīronē adhortatur sapiens ille Sirach: Fili accedens ad seruitutē Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animā tuam ad tentationem. Seruitus dei, est professio militiæ Christianæ. Stare militis est in acie accincti ad prælium. Sta in iustitia, non in superbia quæ se erigit aduersus Deum, sed in iustitia. Dormiunt ac iacent, qui militant huic mundo. Sed Christi miles stat accinctus ad omne opus bonum. Opus optimum est, bene mori in domino. Plurimum enim fiduciæ aduersus Satanam addit uita innocenter acta. Fides nescit dare locum hosti, spes non nouit succumbere, charitas suppeditat stanti commeatum. Sed quum uita innocenter acta concilíet fiduciam, quur additum est in timore? Si iustus es, quid times? Si non es, quomodo stas? Hic timor nō est ille desperationis pater, de quo Solomō: Pigrū deijcit timor, quem foras eijcit charitas, sed optimus innocentiæ custos. Timor filiorum sanctus permanens in seculum seculi. Qui stat (inquit Apostolus) uideat ne cadat. Ac rursum: Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time: Est timor domini sanctus, extimulans ad bona opera, ac depellens à malis, & est timor serui nequam, pertrahens ad ignauiā. Timens (inquit) abij & abscondi talentum tuum in terra. At timor iustitiæ comes efficit, ut nostris diffisi uiribus alacrius operemur præsidijs spiritus, ac circunspectius seruemus dona dei. Præterea omnis hominum iustitia, cuius perfecta contremiscit, quoties uocatur ad tribunal iustitię diuinæ: in cuius conspectu nec astra sunt munda, & in angelis reperitur iniquitas. Quid ni, nos infirmi, & in luteis domicilijs habitantes, metuamus hoc iudiciū, quum Iob à deo probatus dicat: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint uelut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. Et Paulus miles Iobe exercitatior dicat: Nullius mali mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Sequitur, Et præpara animam tuam ad tentationem. Variæ sunt tentationum formæ, quibus milites suos explorat deus, sed omnium grauissima tentatio est mors. Tum enim uere cominus res geritur, nec est uelitatio, sed utrinq; summa ui de rerum summa decernitur. Ad hunc igitur conflictum semper præparandus est animus. Quid enim hic faciet miles pugnæ rudis, qui nunquam cum hoste conflixit, qui nec uires illius, dolos, artes & insidias, nec suam uirtutem unquam expertus est? Magna uictoriæ pars est, cum hoste noto bellum gerere. Ita fortissimus ille miles uel dux potius beatus Paulus: Vt non circumueniamur, inquit, à Satana. Non enim ignoramus cogitationes illius. Quid mirum si nouit technas illius qui cum toties conseruerat manus, omni periculorum genere exercitus. Tum admouetur ignis, qui declarat quale cuiusq; fuerit

Esaiæ 38

Rom. 11

Matth. 24.

Iob 4. & 25

2. Cor. 2.

opus

opus, & cui superstructum fundamẽto. Atq; hic uidemus interdum fieri, quod usu uenit in militia mundana: qui timidiores uisi sunt in castris, & ad tubæ signum expalluerunt, in ipso conflictu reperiuntur fortissimi: contrà, qui nondum propius urgente periculo uidebantur admodũ feroces, in ipso prælio sunt formidolosissimi. Ita sunt qui sani iactãt quietem & securitatem conscientiæ, se paratos ad extremum diem, imò cupere ex hoc calamitoso seculo profugere: fretos fide nescio qua, quòd Christus nobis promisit uitam, et pro peccatis nostris pœnas dependit: negantes referre, cuiusmodi sint opera nostra, bona an mala. Vnum illud satis esse, si credamus nos fore saluos. At uereor ne multi ex his, qui dum incolumi sunt ualetudine iactant hanc securitatem, ualde trepident, ubi propius urget extremum discrimen, & ille dies præsto est, quo non uerbis, sed ueris, res agitur. Exaggerant quantum sit nephas dubitare de promissis Dei: at nulli magis trepidant, quàm qui non dubitant de promissis Dei. Etenim qui non credit gehennam paratam ijs qui uiuunt impie, sed mortem cum totius hominis interitu adferre finem malorum omnium, minus horret mortem. Fides igitur gignit in impijs timorem Dei, qui est initium sapien
Iob 28 tiæ, attestante beato Iob: Timor Dei, ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia.
Cap. 29 Item Esaias: A timore tuo domine concepimus & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Lucæ tertio, populus territus ad prædicationem Ioannis Baptistæ, qui inuitabat ad pœnitẽtiam, dicens, iam securim ad radicem arboris esse positam, dicit: Quid faciemus? At nisi credidissent Ioanni, nõ dixissent, Quid faciemus? Similiter in Actis apo-
Cap. 2 stolorum, multitudo territa prædicatione Petri, ex fide concepto terrore, compuncta corde, dicit Petro & apostolis reliquis, Quid faciemus uiri fratres? Haud quaquam dictura, nisi fides adfuisset stimulans conscientiã metu gehennæ. Hęc uerò trepidatio, etiam in homine piè uiuẽte non nascitur ex diffidentia erga Deum pollicentem & cõminantem, aut ex incredulitate articulorum fidei, aut ex hæsitatione de efficacia sacramentorũ, quam habent ex morte Christi, sed oritur ex conscientia nostræ imbecillitatis, quæ maior est quàm ut à nobis possit ad plenum intelligi. De singularibus autem nõ cogimur esse securi, quanquam de nullo desperandum est. Veluti necesse est credere, quicunq; cum fide percipit sacramentum baptismi, recipere criminum omnium gratuitam remissionem, at non est necesse credere, hunc baptizatum esse liberũ ab omnibus peccatis. Nam fieri potest, ut in hoc homine fuerit aliquid peculiare impediens generalem sacramenti uim. Idem sentiendum de sacramento pœnitentiæ. Impiũ est dubitare, an sit absolutus à peccatis, qui ritè suscepit hoc sacramentum. Non est tamen hæreticũ dubitare, an hic aut ille sit absolutus, quoniã de peculiaribus impedimentis nobis non constat. Excipio singularem & euidentem reuelationem aut irrefutabilem autoritatẽ, quum nõ sit expressa scripturarũ aut ecclesiæ consentiẽtis autoritas, quę cõpellit in diuersum. Hæc hæsitatio nõ est incredulitas, sed religiosa modestia, toto pectore submittẽs se uoluntati, iudicioq; diuino, etiamsi uelit hominem damnare. Nõ enim ideo damnabitur, sed hac ipsa submissione promerebitur absolutionẽ, si religiosæ trepidationi iuncta sit ex Christi misericordia ueniens fiducia. Huius generis est, quod adferunt de eucharistia, Cogimur in genere credere, quòd sacerdos ritè fungens suo officio consecrat corpus & sanguinẽ domini, uerùm non est impiũ subhæsitare an hic aut ille consecrarit. Nam hoc non est dubitare de sacramento, sed de peculiaribus circũstantijs impediẽtibus uim aut rationem sacramenti. Similiter necessariò credimus, homines per fiduciã & charitatem erga dominũ Iesum salutem æternam assequi, phas tamen est dubitare, an hic aut ille sit in illo statu. Quanquã nec de alijs temerè iudicandum est in malã partem, & in nobis simul cum incremento fidei & charitatis crescere debet spes. Idem sentiendum est de promissis ac minis scripturarum. Non enim ex Deo qui mentiri non potest, sed ex nobis oritur dubitandi materia. Non ignorat homo, quàm eximia bona promiserit Deus, sed timentibus ac diligẽtibus ipsum. At quotus quisq; nostrum est, qui timorẽ præstitit, ut tali domino, amorem, ut tali parenti, debitum? Non dubitant igitur an Deus sit uerax in promissis, sed an ipsi sint digni promissis. Fides, spes, charitas, timor, dona sunt spiritus. Quis igitur nouit, an fides & charitas quam habet, sit ex hoc donorum genere, quæ nos reddunt deo gratos, & an sufficiant ad salutem æternam? Similiter Deus per filium promisit, ueniam omnium scelerum, sed semel per baptismũ, si ritè suscipiatur. Cæterum quotusquisque nostrum est, qui uestem candidam gratis in

baptismo

baptismo datam non mukis modis inquinarit? Paratum est remedium pœnitentię, sed to to corde conuersis ad dominũ. Hic excutiat se quisq; num toto corde sit conuersus ad do minũ, num cor habeat uere contritum & humiliatum, & si habet, an iuxta sufficientẽ mo dum. Clamat Baptista: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quis ausit sibi arrogare, quod sic ut dignum est oderit ac detestetur peccata sua? Cõminatur Deus iram ac gehennã uio lantibus præcepta sua. Quoties autem nos illius timore abiecto uiolauimus ea? Quotum quẽq; reperias, qui non magis metuat irã principis aut iudicis hominis, q̃ Dei uiui. Tum quoties fit, ut homo magis amet hominem q̃ deum, pro mortali amico sustinens, quod in dei gratiam perpeti recusaret? Equidem in hac sum sententia, ut existimem piorum homi num fiduciam semper cum religioso tremore coniunctã esse, paucos excipio, quos Deus eximios habere uoluit, uidelicet ad exemplũ quod extimulet omnes, sed assequãtur pau ci. Certius sperant domini misericordiã, qui tremunt illius iustitiam. Proinde qui dicunt, Crede te fore saluum, & saluus eris: bis peccant: etenim si de qualicunq; fide loquuntur, falsus est sermo: sin de uiua, inepte dicitur Crede, quasi cuiuis in manu sit credere quũ ue lit, cum hoc quod haud scio num certi simus, an fidei donum sit in nobis. Quid, quòd ho mo non tantum alijs hominibus, uerumetiam ipse sibi frequenter ignotus est, quum ocu los Dei nihil quamuis abditum possit fallere. Cor hominis inscrutabile est nobis, sed il lum nullus latet sinus cordis, qui finxit cor. Nobis sæpenumero uidetur pium, quod im pium est in oculis dei, purum quod impurum est. Ita fit, ut homo se credat immunẽ à pec catis, quum insciens habeat sauciam conscientiam. Quid ni hoc nobis accidat, quum egre gius ille psaltes dicat: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine. Tutis simum igitur asylum est, cum religioso tremore à iustitia Dei confugere ad misericordiam, & cum psalmographo dicere, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabi tur in conspectu tuo omnis uiuens. In hoc igitur iudicio nemo poterit subsistere, si nostra merita ad diuinam trutinã expendantur, nisi misericordia superexultet iudicio. Eoq; præ cessit in eodem psalmo: In ueritate tua exaudi me, in tua iustitia. Quisquis exaudiri cupit, remittit contentionem, & qui cupit exaudiri in ueritate dei, suæ diffidit ueritati, sciens quòd solus Deus uerax, omnis autem homo mẽdax: & qui rogat exaudiri in iustitia dei, suæ diffidit iustitiæ. Veritas autem & iustitia Dei, Christus est, euangelicæ gratiæ mini ster. Per Mosen enim lex data est, quæ prodidit iniustitiam nostram, sed gratia per Chri stum Iesum facta est, qui nobis suam communicauit iustitiam. Nos toties mentimur deo, quoties uiolamus leges illius, in quas iurauimus ad fontem regenerationis: & toties iniu sti sumus, quoties conditori ac redemptori non repẽdimus uices, imò abnegamus illum, quoties à pactis recedimus: sed quãuis nos abnegemus illum perfidi, ille constanter fide lis est, seipsum abnegare nõ potest, ubiq; uerax in promissis, ut iustificetur in sermonibus suis, & uincat quũ iudicatur. Pater igitur exaudit nos in sua ueritate, qua per filiũ promi sit nobis remissionem peccatorum: exaudit autẽ non in nostra, sed in sua iustitia, quia per filium iustificat omnem credentem, fide purificans corda nostra. Beati sunt igitur qui ser uiunt domino in timore, & exultant illi cum tremore. Quid ni tremant homines pecca tis obnoxij, quem tremunt angelorum exercitus? Ante iudicium timere bonum est, ut in iudicio inueniamus misericordiam. Ex humanis historijs discimus, quanta cum exultatio ne beatus Andreas ad crucem accessit. At contrà, non paucos uiros pietatis opinione ce lebres, accipimus sub mortẽ magno tremore fuisse conturbatos, expauescentes Dei iudi cium, totamq; uitam anteactam damnantes. Refertur enim de quodam, cui sub mortẽ tre pidanti quum dixissent qui aderãt fratres, quid est quod sic expauescas, quũ per omnem uitam pietatem colueris? Ita respondit, O fratres, multo alia sunt hominum iudicia, alia Dei. Similes uoces emisisse dicitur Benedictus, Bernardus, & Augustinus. Eadem igitur fides, & tremorem incutit, & tremorem uincit: incutit, ostendens quantus sit, quem in multis offendimus: uincit, ostendens nobis Christũ cuius charitas purgat peccata nostra, gratia supplet imperfectum nostrum. Vt autem non statim fortitudinis aut fidei signum est, mortem nõ expauescere, nam interdum est stuporis ac uecordiæ, interdum Scythicæ cuiusdam immanitatis: ita ad mortem imminentem expauescere, nõ semper est diffiden tiæ, aut malæ conscientiæ signum. Nonnunquã affectio mere naturalis est pro uarietate corporũ, in alijs moderatior, in alijs uehemẽtior. Sic mortem exhorruit Ezechias, uir qui

corde

corde perfecto uersatus fuit apud deum, exhorruit autem non obmurmurans deo, sed cũ lachrymis deprecans, & exauditus est. Noui ego quasdã, quę ad solã mortis mentionem contremiscerent, at ijsdem urgente mortis uicinia nihil fortius aut constantius. Horror enim ille non ueniebat ex mala cõscientia, sed ex peculiari sexus aut naturæ imbecillitate. Affectus autem naturæ, si uirtute superentur, augent coronam, non arguunt diffidẽtiam. Similiter uideas ingenia quædam φίλωτα, quæ sibi facile in re quauis satisfaciunt. Sunt rursus putidula, sibi ipsis nusquam satisfaciẽtia, etiam si quid recte gesserint, quibus si admoueas omnia solatia, tamen sentiunt animi remorsum, ad diffidentiam solicitantem: atque hinc conijciunt, sese nondum habere Deum placatum, quia nunquam sentiunt tranquillitatem conscientiæ. Verum si naturam distinguamus à uirtute, nec admodum suæ tranquillitati fident, qui sibi quocunq; modo placent, nec protinus spem abijcient, qui mentem habẽt semper in deteriora uergentẽ. Isthuc naturæ peculiaris uitium est, non uoluntatis, quod negligẽdum est si uinci non potest, & quod dictat spiritus pro rato habendum, utcunq; reclamat caro. Arbitror & illud esse naturæ, quod homines quibus instat extremus dies, sic ferè immutantur, ut nihil eorum probent, quæ sectati sunt in uita, non quod impia sint, sed quod humana, & à perfectione recedentia. Quãquam aduersus hos naturæ affectus, spiritus robore pugnandum est, licet ex eis nec alios iudicare conueniat, nec nos ipsos. Redeamus igitur ad id quod institueramus, ostensuri quibus modis subleuari possint homines, ut plerisq; sunt infirmi, quos mors uicina consternat, in quorum uita multa obliuio, multa negligentia, multa cessatio, & omnino multo plus criminũ quàm benefactorum, & si quid benefactorum est, multa rubigine uitiatum, ut illa ingerere in conspectum dei, nihil aliud sit, quàm deum irritare. Animus ad mortem uel omnino paratus non est, aut leuiter instructus. Huic in eo articulo quid faciemus? Nemo desperandus est, quandiu spirat homo. Vrget extremum certamen. Spatium breue est, opus est expedito consilio. Quid inquam huic optimo iure perturbato suadebimus? Primum si legitimos habet hæredes, consultum fuerit, ut omnẽ curam testamẽtariam ad illos releget. Primum hoc nonnihil est compendij: sin minus, per codicillos, aut si qua uia cõmodior negotium hoc quàm breuissime absoluat: eo peracto submoueat omnes de rebus huius seculi obstrepentes: in quo supra modum peccant cõplures: qui iam animam agenti inge runt scrupulos de testamento, decq; rebus externis, et interdum morientẽ cogunt subscribere, idq; detrectantem & inuitum ac detestantem illorum importunitatẽ, per quos mori nõ liceat. Quibus amicis quid esse potest inimicius? Dein si morbi ratio patitur, animæ prius cũ corpori mederi studeat per exomologesim breuẽ, sed syncerã & fuci expertem, & à sacerdote cum plena fide, summaq; reuerentia pœnitentiæ remediũ accipiat, ex intimis præcordijs dei misericordiam imploret, sumatq; uitæ castigatioris propositũ si contingat reualescere. Quod si fortè non est parata sacerdotis copia, ne protinus (quod solent superstitiosi quidã) trepidet ac despondeat animum, sed ipsi Deo ex corde cõfiteatur iniustitiã suam, qui pro sua clementia mentis affectum pro facto dignabitur accipere, & quod deest externis sacramẽtorum signis de suo supplere peculiari gratia. Per illũ quidẽ efficacia sunt omnia sacramenta, quæ quodammodo signacula sunt diuinæ erga nos beneficentiæ: sed idem absq; signis quum opus est consulit hominum saluti, tantum ut absit negligentia & contemptus sacramentorum, adsit autem fides & prompta uoluntas. Hęc ideo uisum est admonere, quod frequenter uidemus quosdam ualde perturbari, si uideant absq; exomologesi ecclesiastica, eucharistia, & unctiõe suprema decessuri. quin huiusmodi uoces audimus è cõpluribus: Ille Christianè mortuus est, ter cõfessus est ante mortem & omnia sacramẽta percepit. Rursus cruce signamus nos, si quem audierimus absq; his ritibus diem obijsse. Illud certe Christiani hominis est, optare ne quid desit sacramentorum. Sunt enim magna solatia mentium nostrarũq; fiducię adiumẽta, & Christianæ syncritatis est, omnem quum licet implere iustitiam: Sed magis Christianum est optare fidem & charitatem, sine quibus illa nihil conducunt. Verum ex his externis non oportet quenquam iudicare, nisi constet nobis ea per contemptũ aut cõtemptui parem negligentiã fuisse prætermissa. Equidem arbitror multos nec absolutos à sacerdote, nec percepta eucharistia, nec unctos, nec ecclesiastico ritu sepultos demigrare in requiem, quum alijs cęremonijs omnibus, solenniter peractis, atq; etiam in templo iuxta summum altare sepulti, rapi

ti, rapiãtur ad inferos. Exempli loco sint qui naufragio, aut capitis supplicio, aut alioqui repentino morbo casu ue subito perierunt. His igitur addenda est fiducia, ut certò credant se non minus absolutos, quàm si sacerdoti fuissent confessi, nec minus accipere gratiæ spiritualis quàm si synaxim, & unctionem extremam percepissent. Tantum adsit, ut modo dicebam, ardens fides, ac prompta uoluntas. Quòd si adsit sacerdotis copia, & morbi uis non patiatur integram exomologesim, quæ longiorem requirit orationem, cum intima cordis submissione cõfiteatur, se totum peccatorem esse, & à sacerdote pio affectu petat absolutionem, plenaq; fiducia sese credat absolutum. Quoties nos à concu pitis excludit necessitas, Deus pro sua bonitate mentis affectum amplectitur. Proinde qui in hoc rerum statu torquent hominem confessione generali, aut exomologeseos ite ratione, anxia circunstantiarum discussione, singulorum criminum enumeratione, an rem piam faciant ipsi uiderint, certe rem meo iudicio faciunt intempestiuam. Sufficiat tum una eaq; breuis sed syncera confessio præcipuorum criminum quæ occurrunt animo: aut si id non licet, ardens exomologeseos affectus. Ad hæc, si læsus est à quoquam, uindictam ex animo remittat. Si qui læsit indignus est cui noxa condonetur, Christus dignus est, in cuius gratiam deponatur ulciscẽdi affectus. Ne hic igitur reputet quàm atro citer sit læsus ab hoc & ab illo, sed q̃ multa ipse sibi à deo condonari postulet. Si quem ipse læsit, curet illum quantum licet reconciliandum. Si is nolit redire in gratiam, precetur illi mẽtem meliorem, ipse quia quod potuit præstitit, excusatus est apud deum. Si requiruntur bona opera, nullum opus efficacius ad impetrãdum domini misericordiam, quàm in gratiam Iesu Christi, & ad illius exemplum, qui pendens in cruce orauit pro ijs per quos erat adactus ad crucem, & à quibus conuicijs incessebatur cruce grauioribus, ex animo gratisq; condonare, quicquid in nos peccauerunt homines: & haud scio an ullum opus magis arduum, eoq; cum primis à domino petendum. Sed tamen huc adiuuat ipse morbus, qui frangit humani spiritus ferociam, & ad ignoscendum reddit mitiorem. Hic nonnullæ partes sunt eorũ, qui adsunt laboranti, ut ægroto excutiant affectum uulgarem, quo multi credunt per exomologesim, Eucharistiã, & unctionem extremam accelerari mortem: persuadeantq; potius, id quod res est, his modis maiorem esse spem recuparandæ sanitatis, siue quod animus æger morbum conduplicat, siue quod non raro corporis aduersa ualetudo manat ab animo, postremo quod deus citius audiet uota supplicantium pro reconciliato quàm pro irreconciliato. Deinde ut sacerdotem adhibeant, qui linguam habeat eruditam, ut sciat sustentare qui lassus est uerbo, quiq; sic moderetur alloquium suum, ut nec nimium blandiens fallat ægrotum, nec intempestiua austeritate conijciat in desperationem, nec baculum fractum comminuat, nec linum fumigans extinguat. Nam utranq; in partem peccatur à multis. Nec temere quos uis admittant ad ægrotum, sed eos duntaxat, quorum alloquio subleuetur. Eas personas arceant, quarum aspectus ęgroto possit affectum peccandi reuocare, ueluti turpium uoluptatum aut aleæ socios, siue atroces inimicos. Medicorũ opem nec aspernetur, nec adoret. Summa spes fixa sit in deo, qui ut solus inserit animam corpori, ita solus eximit quum uult. Interdum tamen accersendus medicus, ne uideamur tentare deum, præsertim in morbis præsentaneis, quos medici uocant acutos. Turba medicorum arceatur, non tantum ob id, quod quemadmodũ Græcorum prouerbio dicitur, multitudinem imperatorum perdidisse Cariam, ita multos ægrotos frequẽter extinguit medicorum multitudo: uerum etiam quod horum officiosa sedulitas, dum alius aliud suadet, & quisq; alieno periculo affectat uideri sapere, atq; interim pharmaca pharmacis cumulantur, fit ut non uacet ægroto iustam curam impendere rebus animi. Porrò quum propius urget periculum, efficacissima solatia sunt admouenda: quo tempore quidam emigraturo blandiuntur, multi & ipsi sibi blandiũtur uulgaribus parumq; efficacibus remedijs. Veluti quũ alius suadet, ut iubeat se sepeliri in ueste talium aut talium monachorũ, aut ut uotum deò nuncupet se si conualescat Cartusianorum institutum professurum. Quin potius admonendus est ægrotus, ut ab hoc uotorum genere temperet in morbo: satis esse si proponat uitam in melius commutare: de forma uitæ suscipiẽda deliberet sanus, perturbationibus ac metu liber. Displicet enim deo stulta promissio. Stulta autẽ est, quam ab animo consternato extorquet terror. Alius dicit, morere securus, ego intra annũ pro te adibo Hie-

rosolymam,aut limina beati Petri erepam nudis genubus,aut ingrediar antrum Patri/
cij,quod est apud Hybernos. Noui fœminam nobilem ac prudentem,quæ sacerdoti le/
gauit bonam pecuniæ summam,ut annum Romæ quotidie sacrificaret,quasi missæ Ro
manæ sanctiores sint quàm Britannicæ. Et tamen ea pecunia melius fuisset collocata,si
obligasset eum sacrificum,ne unquã Romam adiret. Nam mihi familiariter notus erat,
quem arbitror magis sacrificasse Vulcani coniugi quàm deo. Alij suadent ut alicuius
probati monasterij aut ordinis omnia benefacta redimat. Non inficior,magnum esse so
latium in communione sanctorum,uerũ enim uero an tales cõtractus ratos habeat deus
ambigo. Mea sententia præsentius remedium est aduersus desperationem,si laboranti
ponatur ob oculos totius ecclesiæ cõmunio,quæ latissime patet,complectens quicquid
ab initio mundi fuit piorum hominum qui deo placuerunt,quo in contubernio sunt &
angeli. Tota hæc sodalitas uotis ac precibus adiuuat laborãtem,expectans speciosam
victoriam. Quur igitur abijciat clypeum,qui tam numerosas copias habet auxiliantes?
Si spẽ facit unius monasterij deprecatio,in hoc numero sunt uniuersa monasteria. Non
hæc eo dixerim,quod non conducat certorum hominum preces implorare,aut minus
utiles esse rear paucorum deprecationes,præsertim quæ proficiscuntur ex Christiana
liberaq; charitate,sed quod ad erigendam spem ægroti utilior sit uniuersitatis contem/
platio. Sic enim dilatatur animus. Sed omniũ efficacissimũ est solatium à Christo nun/
quam dimouere fidei oculos,qui se totum nobis impendit,quem habemus aduocatum
Mat.11 apud deum,qui nunquã nõ clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,
& ego reficiam uos. In huius petræ cauernas semet occulat,in huius uulnera sese abdat
ægrotus,& tutus erit à Satana. Quocunq; auocat callidus ille serpens,hic semper ocu/
los habeat ad serpentem illum æneum in sublimi stipite fixum,ad cuius contemplatio/
nem Paulus reuocat Galatas,qui ideo cœperãt uacillare,quod à crucifixo deflexerant
oculos. Non occident uolantium spirituum uenenati morsus,si fides immotis oculis in
tueatur signum illud salutis æternæ. Christus in cruce pendens signum est triumphale,
signum uictoriæ,signum gloriæ sempiternæ. Nobis ille pugnauit,nobis uicit,nobis pa/
rauit triumphum,tantum ut huc intentos & uigilãtes habeamus oculos fidei. In prælijs
humanis non parum habet momenti ad uictoriam,quod in Socrate laudat Alcibiades,
nunquam conniuere. Sed in hoc conflictu qui nobis est cum hoste spirituali,tota uicto/
riæ spes est in oculis,sed multum interest discriminis. Illic obseruatur undiq; intẽtis ocu
lis,quid agat hostis: hic ad Satanæ molitiones cæci ac surdi,tãtum ad gratiæ signum ha
bemus defixos oculos: & ad redemptoris uoces aures habemus arrectas. Satanas ea in/
gerit animo,quæ exaggerant dei iram. At Christus in cruce pendens ostendit argumen
ta misericordię. Satanas oblatrat quæ demergunt ad desperationem: Christus loquitur
quæ erigunt in spem. Nam fides sicut habet oculos,sic habet & aures. Vtrunq; sensum
ab anima requirit spiritus sanctus,qui loquitur Psalmo quadragesimoquarto: Audi fi/
lia & uide,& inclina aurem tuam. Audi quod præcipit sponsus tuus,& uide quid pro/
mittat,& si uidebitur absurdum,tantam felicitatem paratam collocantibus fiduciam in
domino Iesu,inclina aurem tuam ut ea quæ superant hominis sensum,ob hoc ipsum cre
das,quia dominus est qui promisit,cuius misericordia non minus est incomprehensibi/
lis quàm omnipotentia. De his auribus meminit Psalmus quadragesimus octauus: Au/
diam quid in me loquatur dominus. Ne auscultes quid in te loquatur caro,quid Sata/
nas,quid humana ratio,nihil enim loquuntur nisi desperationẽ: sed audi quid loquatur
dominus,loquitur enim pacẽ in plebem suã. Ecclesia plebs est domini,gens peculiaris
& populus acquisitionis,in hoc esto,& audies dominum loquẽtem pacifica. Sequitur
& super sanctos suos. Hic rursus concidit infirmitas humana exclamans: O me perdi/
tum,peccatis onustus sum,quæ mihi societas cum sanctis? Atqui non dicit,super san/
ctos legis aut Mosi,sed super sanctos suos. Sancti illius sunt,quos per filiũ sanctificauit.
Si nondum etiam conquieścit animus,audi quod sequitur,& in eos qui cõuertuntur ad
cor. Noli expendere criminum magnitudinem,tãtum respisce,& audies dominum in/
Luc.7 tus loquentem pacem. Sermo pacis erat,quem audiuit nobilis illa peccatrix: Fides tua
2.Reg.12 te saluam fecit,uade in pace. Dic cum Dauide,sed dic ex animo,Peccaui domino. Duo
bus uerbis paratam & exertam ultionem uerteris in misericordiam. Tales aures habe/
bat

bat qui dicit, Holocaustum & pro peccato non postulasti, aures autem perfeciſti mihi. De oculis loquitur Psalmus duodecimus: Illumina oculos meos ne unquã obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum. Vides hic victoriam in oculis esse potius quàm in manibus. Corporis oculos obscurat mors, sed nõ est quod de nobis glorietur hostis noster, quandiu lucet in animo fides nunquam dimouens oculos à Christo crucifixo. Quin totus hic psalmus hoc agit, ut hominem in agone constitutum ac de desperatione periclitantem erigat, diuinæ misericordiæ contemplatione. Ideo sequitur. Qui tribulãt me exultabunt si motus fuero, hoc est si fide uacillauero. Audis periculum ingens, sed accipe præsens auxilium. Ego autem in tua misericordia speraui. Sed unde misericordiæ spes? Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino qui benefecit mihi. Salutare dei Christus est, nec est aliud nomẽ in quo nos oporteat saluos fieri, Actorũ quarto. Tantam uim habet Christi pro nobis crucifixi contemplatio, ut desperatio uertatur in spem, spes uertatur in exultationem. Eo qui prius desperationi uicinus dicebat: Qui tribulant me exultabunt si motus fuero, nunc dicit, Exultabit cor meum in salutari tuo. Audis victoriã, nunc audi triumphum: Cantabo domino qui bona tribuit mihi. Qui nõ habet sua bona quę cantet, cantet bona, quæ gratis largitur deus per filium. Si nostris benefactis confidimus, exultabit aduersarius: sin in domino Iesu figamus sacram ancoram spei, cõciderit hostis noster, quemadmodũ exultans dicit Apostolus ad Romanos octauo: Si deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiã proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nõ etiam cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Hac ratione fit, ut subito rerum uices inuertãtur, & Christi præsidio victoriam auferat, qui uidebatur deploratus, & hostis fractus ac repulsus abscedat, qui iam exultare cœperat. Hæc nimirum est victoria fidei, de qua Beatus Ioannes in epistola capite quinto: Omne quod natum est ex deo, uincit mundum, & hæc est victoria quæ uincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui uincit mũdum, nisi qui credit, quod Iesus est filius dei, quem pater uoluit esse victimam pro peccatis humani generis? In hoc gradu quandiu constiterit Christi miles, quantumuis circunsiliat, quantumuis incurset hostis, uinci non poterit. In hoc autem extremo conflictu illud summa ui molitur hostis, ut ægrotum adducat in desperationem, quod est inter omnia crimina grauissimum. Eoq; tum contra nitendum est, ut laboranti undiq; ingerãtur quæ in spem erigant, animumq; corroborent. Ad id adiuuabit imago crucifixi ægrotantis oculis ex aduerso proposita, quæ memoriam infirmam ægroti subinde renouet. Necnon picturæ sanctorum, in quibus dominus extare uoluit bonitatis ac misericordiæ suæ monumentum, peccatricis Euangelicæ, Petri post abiuratum dominum flentis, ac similium: deinde recitatio locorum è scripturis diuinis, quæ nobis commẽdant immensam dei misericordiam, & erga genus humanum charitatem: præcipue uero quæ dominus Iesus pro salute mundi, tum facere tum pati dignatus est. Sunt autem huiusmodi loca innumera, quæ magnũ & efficax solatium adferre possunt animo labascenti. Siquidem in hoc articulo Satanas congerit in hominis mẽtem quicquid fidei speiq; scintillam potest extinguere. Exaggerat maiestatem ac iustitiam dei, toties spretam ac uiolatam, Amplificat illius in hominem lenitatem ac munificentiam, per omnem uitam neglectam ac reiectam, hoc ipsum torquens in argumentũ desperationis, quod ueniæ spem alere debuerat. Ingerit tot annos male consumptos, tot omissas occasiones quæ ad benefaciendum inuitarunt, & si quid recte gestum est deprauat ad calumniã. Tentat & fidem hominis, ut dubitet de scripturarum autoritate, deq; dogmatibus quæ nobis tradidit ecclesia, philosophorum & hęreticorum rationes in animum suggerens, perplexasq; quæstiones, de mundo condito ac redempto, de immortalitate animarum, de resurrectione corporũ, de Christo, an fuerit uerus deus & homo, de sacramentis ecclesiæ, quam uim habeant, de præscientia ac prædestinatione dei, omnia detorquens ad diffidentiam ac desperationẽ, huc etiam scripturarum testimonia deprauãs, quod ausus est & in ipsum dominũ, scripturarum autorem. Ad hæc adiuuant per occasionem aduersariũ morbi molestia, mortis pauor, horror gehennæ, & naturalis mentis imbecillitas animiq; tristitia, quam adfert grauis ægritudo. Ad hanc igitur inclinationem occurrit hostis, omnes admoliens machinas, ut nutãtem Rom. 8

deijciat ac præcipitet. Verum quemadmodum cum peccatis luctandum non est, sed ab horum consideratione ad Christi gratiam auertẽdus est animus, ita cum Satana non est disputandum, sed impia suggerenti dicendum, Abi retro Satanas, mihi fas non est dubitare de ijs quæ spiritu sancto docta tradidit ecclesia, & satis est tenere fide quod ingenio non assequor. Narrant quiddam non quidem è sacris uoluminibus, sed tamẽ ad id quod nunc agimus satis accõmodum, de duobus quos imminente morte de fide tentauit diabolus: alter philosophiæ peritus erat, alter nihil aliud quàm Christianus, rudis & anormis. Priori suggessit quid crederet, an Christum deum & hominem, an natum de uirgine, an resurrectionem mortuorum. Cœpitq; philosophiæ rationibus demonstrare, non posse coniungi in unum ea inter quæ nulla esset affinitas, uelut inter finitum & infinitũ, creatum & increatum. Deinde præter naturæ rationẽ esse, ut uirgo pariat citra uiri congressum, nec (iuxta philosophorũ principem Aristotelem) esse reditum à priuatione ad habitum. Quid multis? uacillauit homo & præcipitatus est, hostis uictor abijt. Alter ille rudis percontanti quid de hoc & illo crederet, respondit compendio, quod credit ecclesia. Rursum obijcienti quid crederet ecclesia, quod ego, inquit. Quid tu? Quod credit ecclesia. Quid ecclesia? Quod ego. Ab hoc imparato ad disputãdum, sed simplici fide stabili, tentator uictus discessit. Hoc responsum satis est ad abigẽdum insidiosum hostem. Maxime tamen ualet in obscuris ac dubijs. Veluti si suggerat hostis, aut homo intempestiuus, quomodo in tribus personis sit eadem numero essentia, quibus modis inter se distinguãtur: respondeat, sicut credit ecclesia. Quomodo idem corpus possit esse diuersis in locis eodem tempore, & quomodo in eucharistia uerum hominis corpus possit in minimo spatio contineri? Respondeat, sicut credit ecclesia. Rursus qualis sit ignis apud inferos, & quomodo res corporea agat in substantiam incorpoream? Respondeat, sicut credit ecclesia. Aut si quid respondẽdum est, paucis respondeat, aut ex Symbolo apostolorum, quod ægroto quotidie dictandum erit, aut ex literis diuinis, aut ex spiritu fidei. Si Satanas ingerat criminum magnitudinem, conuersus ad deum dicat, Auerte faciem à peccatis meis, & respice in faciem Christi tui Iesu. Scelera tua superãt harenam quæ est in littore maris. Copiosior est domini misericordia. Qui speras iustitiæ præmium totus iniustus? Iustitia mea Christus est. Tu sceleribus opertus cum Petro & Paulo migrabis
Luc. 23 in requiem? Non, sed cum latrone, qui audiuit in cruce, Hodie mecum eris in paradiso. Vnde ista fiducia, qui nihil boni feceris? Quia bonum habeo dominum, exorabilem iudicem, & gratiosum aduocatum. Detraheris in Tartara. Caput meum in cœlo est. Damnaberis? Tu calumniator es non iudex, damnatus non damnator. Multæ dæmonum legiones expectant animam tuam. Desperarem, ni protectorem haberem, qui deuicit uestram tyrannidem. Iniustus est deus, si pro malefactis dat uitam æternam. Iustus est qui seruat promissa, & ego ab illius iustitia iamdudũ appellaui ad eiusdem misericordiam. Inani spe tibi blandiris. Non potest mentiri ueritas, promissis fallere tuum est. Quid relinquas uides, quid habiturus sis non uides. Quæ uidentur temporaria sunt, quæ non uidentur æterna: plus quàm uidet, qui firmiter credit. Migras hinc onustus malefactis, nudus bonis operibus. Rogabo dominũ, ut me meis malis exoneret, suis bonis cõuestiat. At deus peccatores non audit. Sed audit pœnitentes, & ille pro peccatoribus mortuus est. Sera est tua pœnitentia. Non fuit sera latroni. Latronis erat firma fides, tua uacillat. Orabo dominum ut augeat fidem meam. Falso tibi persuades, te misericordem habere dominũ, qui te tot malis excruciat. Medetur ut clemens medicus. Quur uoluit mortem esse tam acerbam? Dominus est, nõ potest uelle nisi quod bonum est. Quur seruus male frugi recusem perpeti quod dominus gloriæ perpessus est? Miserum est mori. Beati qui in domino moriũtur. Sed mors peccatorum pessima. Peccator esse desiit, qui se cum spe misericordiæ peccatorem agnoscit. Relinquis hunc mundum. A tristi exilio migro in patriam. Tantum bonorum hic relinquis. Sed longè plus malorũ. Relinquis opes tuas. Aliena sunt quę relinquo, mea mecum effero. Quid effers, quum in te nihil sit boni. Hoc uere meũ est, quod mihi gratis donat dominus. Deseris uxorẽ ac liberos. Domini sunt, ei illos commendo. Durum est distrahi à charissimis. Breui me sequẽtur. A iucũdis amicis diuelleris. Propero ad iucũdiores. Quoniam autem uersutissimus hostis quos ad desperationem pertrahere non potest, solicitat ad sui fiduciam, ut quos non ualet in præci

pitium

pitium detrudere, in altum elatos elidat, aduersus hoc quoq; non leue discrimẽ muniendus est ægrotus. Quemadmodum autem aduersus desperationis charybdim tutum est, si quo magis Satanas deprimit hominem conscientia scelerum, hoc se magis erigat fiducia diuinæ misericordiæ ac societatis cum Christo mysticæ: ita aduersus arrogãtiæ scyllam præsens erit remediũ, si semet consideratione propriæ imbecillitatis abiiciat. Quisquis enim in Christo fortis & excelsus est, in seipso humilis & abiectus, nec deiici potest à Satana, nec allidi. Tale quiddam in ueterum monumentis legimus de diuo Antonio monacho, quem mille modis oppugnauit Satanas, nec unquã potuit expugnare. Quodam autem tempore quum frustra admoris omnibus technis nihil profeciſſet, se uinci fassus est his uerbis, In cassum nitor: si ego te deiicio, tu teipsum attollis: si te attollo, tu teipsum deprimis. Ad hanc imaginẽ si Satanas suggesserit, Dignus es qui inter Seraphicos sedeas: respondeat ægrotus. Nulla est mea dignitas, nisi quod indignitatem meam agnosco. Multum orasti, multũ ieiunasti, uitam austeram duxisti, plurimum in egenos erogasti. Quæ narras omnia mihi cum damnatis pharisæis sunt cõmunia. Si quicquam ex me boni operis profectum est, domini est, non meum. At purus es ab iis uitiis quibus ille & ille laborat. Est igitur unde domino gratias agam, non est unde mihi placeã. Nam nisi me domini misericordia protexisset, & si similis irruisset tentatio, patrassem eadem, aut etiam sceleratiora. Huiusmodi responsiunculis muniendus est ægrotus, breuibus & expeditis aduersus Satanæ prauas suggestiones. Exempla sanctorum reuocanda sunt illi in memoriã, sed in quibus reluxit insignis domini misericordia: uelut in Dauide, qui adulterium cumulauit homicidio, ac duobus uerbis effugit uindictam: in Niniuitis, in Achab, in filio prodigo, in Publicano, cuius iustitiam dominus præfert Pharisaicæ sanctimoniæ, in muliere peccatrice, quæ audiuit à domino, remissa sunt tibi peccata tua. In muliere adultera, quæ audiuit, uade & amplius noli peccare: in Petro, qui ter abnegauit dominum, in Paulo, qui persequutus est ecclesiã dei, uinciens & occidẽs qui profitebantur nomẽ domini Iesu. In Cypriano, qui ex mago factus est martyr, aliisq; multis, qui ex idololatria, ex blasphemia, ex horrendis criminibus, per fidem in Christum misericordiam & coronam assequuti sunt. Ad excludẽdam desperationem, & erigendam spem, aptiores sunt literæ noui testamenti quàm ueteris: Nec mirum, Moses Iudæos terrebat præceptis. Christus uniuersos consolatus est per fidem & gratiam. Habent autem sacra uolumina non exempla tantum, sed & dicta quamplurima, partim quæ terrorem incutiant, partim quæ territos consolentur. Per hæc enim fere uoluitur omnis prophetarum sermo, dei uindictam exaggerãs auersis à deo, ac rursus dei misericordiam amplificans ad pœnitentiam conuersis. Vtrunq; pharmacum salutiferum est, si scite & in loco adhibeatur. Quæ territant admouenda sunt corpore sanis, sed animo laborãtibus, ferocibus & huius uitæ prosperitate temulentis, aut mũdi delicijs quasi mandragoræ indormientibus, quo uelut elleboro ingesto resipiscant, aut brassica sumpta redeãt ad sobrietatem, aut uehementius inclamati uellicatiq; expergiscantur. Quæ ueniæ spem faciunt, adhibenda trepidis ac meticulosis, præsertim in mortis discrimine. Quanquam nec illis sic ingerẽdus est terror, ut pharmaco non admisceatur ueniæ spes, nec his ita sunt adhibenda lenimenta ut fallantur. Siquidem aliud est corrigere, aliud deiicere: rursus aliud consolari, aliud adulari. Proinde non parui refert, qui ægrotantibus assideant. Hos oportet ad manum habere uaria scripturarum loca, quibus ægrotũ nutantem fulciant, uel recitandis, uel enarrandis. Ad idem ualebunt precatiunculæ apte cõpositæ. Feruntur enim quædam ab indoctis compositæ, & ab indoctis ingeruntur ægrotantibus Sic excitata spe, supereſt purgatorij terror, quem & ipsum quidam remedijs, mea sentẽtia, parum solidis lenire & eximere conantur. Quidam emptitijs diplomatibus promittunt securitatem ab igni purgatorio, sed uereor ne hoc sit non subleuare ægrotũ, sed os sublinere morituro. Rectius faciunt, qui missis ac precibus piorum hominum, nec non eleemosynis suadent minuendos esse purgatorij cruciatus. Sed omnium efficacissimum est, si monea tur ægrotus, ut quantum potest excitet fidem & charitatem erga deum & proximum, ex animo cõdonet omnibus à quibus læsus est, ac morbi cruciatus, mortemq; imminentem amore Christi patienter ferat, totũ se per omnia submittens uoluntati diuinæ, reputans deum non iudicare bis in ipsum, & Christũ pro nostris delictis in cruce depẽdisse

pœnas. Ex his fontibus ac potissimũ ex illius sanguine petat ignis purgatorij refrigerationẽ. Atq; ita sibi diffisus, fretus immensa dei misericordia, Christi meritis, ac sanctorũ omniũ suffragijs, contrito corde, cum religiosa fiducia dicat, IN MANVS TVAS DOMINE COMMENDO SPIRITVM MEVM. Nulla inuidia est, si peccator & infirmus usurpet uerba domini sui, Nam ideo caput nostrum hæc expressit in sese, ut nos imitaremur qui sumus illius mẽbra. Quod si cui placet & ab alijs sanctis exemplum petere, dicat cum beato Stephano, domine Iesu accipe spiritum meum. Exẽpla magnam habent uim ad cõmouendos animos. Ostendũt enim uelut in speculo quid deceat, quid secus: quemadmodum & in rebus externis uehementius uisis q̃ auditis permouemur: proinde non mediocrem habet utilitatẽ, frequenter morientibus adesse, ut quod in illis detestandum conspexerimus, uitemus, quod pium ac sanctum, imitemur. In illo siquidem articulo apparet qualis sit cuiusq; fides, qualis conscientia. Sed nullum inuenietur exemplum perfectius, quàm quod dominus noster in seipso nobis expressit. Quũ enim instaret illa nox extrema, aduersus imminentem tentationis procellam cõmunijt suos sacrosancti corporis & sanguinis sui cõmeatu, nos admonens, ut quoties incidimus in casum aut morbum qui mortem minitetur, protinus exomologesi purgemus affectus nostros, quemadmodum dominus lauit pedes discipulis suis, mox reuerẽter accipiamus corpus domini, qui cibus animos nostros fortes & inuictos reddet, aduersus hostẽ spiritualem. Dominus nullũ condidit testamentũ, sed pro testamento fuit sermo totus igneus, quem Ioannes accuratius prosequitur, & institutio sacramenti Eucharistiæ in mortis ipsius memoriam. Testamentũ sapiebant & illa uerba de cruce, Mulier ecce filius tuus. & ad discipulum, Ecce mater tua. De externis igitur paucis agendũ est, de ijs quæ faciunt ad fidem & charitatẽ multis. Solent enim uerba morientiũ auidius excipi, & altius insidere mentibus audientiũ: partim quod nemo creditur fingere in eo quidem articulo: partim quod mens dum incipit diuelli à corpore quo grauatur, sæpe specimen ædit illius libertatis & cognitionis ad quam proficiscitur. Sed redeamus ad redemptoris exemplum. A mystica cœna secedit ab ædibus in hortum, ac iussis eo loco subsidere reliquis discipulis, tres tantum sibi adiungit, Petrum, Ioannem & Iacobum Zebedæi, ut eosdem haberet testes humanæ infirmitatis, quos in monte gloriæ suæ testes esse uoluerat. His confessus est extremam animi tristitiam, quæ sæpe morte ipsa grauior est: quibus uigilare & orare iussis, rursus secessit ad orandum. In corporali secessu domini magnum est mysterium. Qui se morti præparat, ab omnibus urbanis ac domesticis affectibus secedat oportet, reipub. curam abijciat, possessionum solicitudinẽ penitus exuat, uxorem ac liberos domino commendet, ab amicorum & cognatorum fiducia sese subducat, ne intimos quidem in animi curas recipiat. solus sub dio sit oportet, qui tum uelit loqui cum patre cœlesti, quũ urget extrema tentatio. Ter admonet dormientes ut uigilent orentq; ne intrent in tentationem. Intrat in tentationẽ, qui se tradit in potestatem tentatoris. Vigilantes autem & orantes perstringit quidem tentatio, sed mox præterit. Quod tribus discipulis dixit dominus, nobis omnibus dixit. Dormierunt illi, & ideo succubuerunt tentationi. Petrus omnium fortissimus abnegauit dominum, cæteri metu diffugerunt, magis etiam abiuraturi, si similis terror fuisset obiectus. Itidem in mortis discrimine uincitur infirmitas humana, nisi instanter, nisi puro affectu, nisi cum inuicta fiducia implorauerit auxilium illius, qui solus uiuificat mortuos. Porrò quo pacto sit orandum in eo rerum statu, exemplo suo redemptor monstrare dignatus est. Flexit genua, parum hoc est, prostrauit sese in faciem. De terra clamauit ad patrem, tam ualide, ut uox deprecantis à discipulis tribus, qui ad lapidis iactum aberant, alioqui & somno grauatis exaudiretur. Bis ad deprecationem redijt, ter eadem uerba repetiuit. Non sicut ego uolo, sed sicut tu. Flectit genua, qui se totum subijcit uoluntati diuinæ: procumbit in faciem, qui sibi totus displicet, totus suis diffidit uiribus ac benefactis, nec aliunde sperat solatium quàm à misericordia domini. Nec statim desperandum, si differtur consolatio: iterum atque iterum redeundum est ad clamorem, non oris sed cordis. Etenim si nos quod dominus externe fecit, spiritualiter imitemur, aderit bonus angelus, qui sudorem sanguineum absterserus est ab animo nostro: & aut eripiet à discrimine, aut robur addet spiritui, ut mortem fortiter perferamus. Postremò cum domino nudi crucem ascendamus oportet procul

ab

ab omnibus terrenis affectibus, ad cœlestis uitæ amorem erecti, ut cum beato Paulo dicere possimus, mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: atq; ibi tribus affixi clauis, fide, charitate, & spe constanter perseueremus, strenue depugnantes cum Satana, donec eo deuicto in æternam requiem demigremus, præsidio gratiáque domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & spiritu sancto laus & gloria in omne æuum Amen.

FINIS.

ODES ERASMI ROTERODAMI ODE DICOLOS DISTROPHOS, ALTERO VERSV heroico hexametro, altero Iambico octometro. De casa natalitia pueri IESV, deq; paupere puerperio uirginis deiparæ MARIÆ.



C quid adhuc ueterum sequimur spectacula rerum?
Huc huc frequentes currite.
Hæc casa quæ lacera & stat agrestibus horrida culmis.
Nouum dabit spectaculum,
Quale nihil seclis proaui uidere uetustis,
Nihil uidebunt posteri.
Hic cuius tonitru tellusq; tremiscit & æther,
Teneris crepat uagit bus.
Hic orbis magni moderator maximus infans
Virginea mulget ubera.
His ego non stabulis augusta palatia Romæ
Feliciora iudicem.
Non (operosa licet) Solomonia templa, nec auream
Lydi tyranni regiam.
Salue clara domus, cœloq; beatior ipso,
Partus sacrati conscia,
Iure tibi Iouis inuideant capitolia falsi,
Diuis superba saxeis.
Aegyptus sancta inuideat cunabula, monstris
Finem datura turpibus.
Nec minus apta deo es, quod hiantibus undique rimis,
Imbres & Euros excipis:
Quod lodicis egens, rigidoq; incommoda fœno
Fœtus rubentes excipis:
Talia nascentem decuere cubilia Christum, ut
Qui dedocere uenerit
Fastum, nullaq; non suadentem turpia luxum.
Non hic renident purpuræ,
Sertaúe frondea, non imitantes fulmina tedæ.
Non mensa sumptuosior,
Nec strepit officijs domus ambitiosa, nec alti
Fouent puerperam thori.
Pannosus iacet in duris præsepibus infans:
Diuinus attamen uigor
Emicat, & patrios uagitu dispuit ignes.
Sensere præsentem deum,
Quodq; licet, puero iumenta tepentibus auris
Frigus decembre temperant.
Vpilio calamis ijsdem, quibus ante capellis,
Agreste, sed pium canit.

Aethereiq; chori uolitant cunabula circum,
Vt menſibus uernis, apum
Degenerem ſimulac pepulere examina regem,
Regi nouo, fauentibus
Applaudunt alis, ſublimemq; agmine tollunt,
Sic turma cœlitum duci
Circumfuſa ſuo, gaudens ſtupet, atq; iacentem
Pronis adorat uultibus,
Et natalitium ſonat ad præſepia carmen.
Coniunx pudicus interim,
Fuſus humi, magnum trepidus generatur alumnum.
Porrò puella nobilis,
Pars bona ſpectaculi, defixis hæret ocellis,
Primumq; ſeſe non capit,
Seq; ſuumq; ſtupens genitrix uirguncula partum,
Nulli marito debitum.
At ſimul eiecit pietas materna ſtuporem,
Prædulce pignus corripit,
Ac modo porrectis cohibet uagire papillis,
Modo tepente frigidum
Blanda fouet gremio, paruiſq; dat oſcula labris.
Nunc pectori adprimit ſuo,
Nunc bleſo teneros inuitat murmure ſomnos.
Amabili inuicem modo,
Lætam prole deo uideas geſtire parentem,
Prolem parente uirgine.

EXPOSTVLATIO IESV CVM HOMINE ſuapte culpa pereunte, Des. Eraſmo Rotero damo autore.

CVm mihi ſint uni bona, q̃ uel frõdea tellus,
Vel olympus ingens continet,
Dicite mortales, quæ uos dementia cepit?
Hæc aucupari ut undeuis
Malitis, quàm de proprio depoſcere fonte,
Adeo benigno, & obuio?
Mendacesq; iuuet trepido, miſeroq; tumultu
Vmbras bonorum perſequi?
Pauci me, qui ſum ueræ largitor & auctor
Felicitatis, expetant?
Forma rapit multos, me nil formoſius uſquam eſt,
Formam ardet hanc nemo tamen.
Suſpiciunt ceras, antiquaq; ſtemmata multi,
At me quid eſt illuſtrius?
Vt qui ſim genitore deo deus ipſe profectus,
Genitrice natus uirgine.
Vnde fit, ut mecum uix geſtiat unus & alter
Affinitatem iungere?
Maximus ille ego ſum cœliq; ſoliq; monarcha.
Seruire nobis cur pudet?
Diues item, & facilis dare magna, & multa roganti,
Rogari amo, nemo rogat.
Sumq;, uocorq; patris ſummi ſapientia, nemo

Me consulit mortalium.
Ipse ego sum ætherei splendorq́, decusq́ parentis:
Me nemo stupet, aut suspicit.
Sum firmus iuxta, ac iucundus amicus amico,
Me pariter, ac meas opes
Candidus, atq́ lubens charis impertio, nemo hanc
Ambit necessitudinem,
Sum uia qua sola cœli itur ad astra, tamen me
Terit uiator infrequens.
Cur tandem ignarum dubitat mihi credere uulgus?
Aeterna cum sim ueritas.
Pollicitis cur stulte meis diffidere perstas?
Cum sit nihil fidelius.
Autor ad hæc uitę cum sim unicus, ipsaq́ uita,
Cur sordeo mortalibus?
Lux ego sum, cur huc uertunt sua lumina pauci?
Dux, cur grauantur insequi?
Viuendi recte certissima regula solus,
Aliunde formas cur petunt?
Ipse ego sum solus uera, & sine felle uoluptas.
Quid est quod ita fastidior?
Vnica pax animi, quin huc deponitis ægri
Curas edaces pectoris?
Si benefacta truces etiam meminere leones,
Referuntq́ beluæ uicem,
Respondere feri merito didicere dracones,
Si meminit officij canis,
Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,
Cur efferatior feris
Me me non redamas homo? cui semel omnia feci,
Quem condidi, quem sanguine
Asserui proprio, propriæq́ à morte recepi
Dispendio uitæ uolens.
Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus
Agnoscit altorem suum,
Cur me solus homo male gratus, nosse recusas,
Et conditorem, & uindicem?
Vnus ego hic tibi sum cunctorum summa bonorum:
Quid est quod extra me petas?
Quorsum distraheris per tot dispendia grassans
Laboriosa inertia?
Sum placabilis, & pronus miserescere, quin hoc
Miser ad asylum confugis?
Idem iustus, & implacabilis ultor iniqui,
Cur non times offendere?
Corpus ego, atq́ animum nutu sub tartara mitto,
Nostri metus uix ullum habet.
Proinde mei desertor homo socordia si te
Adducet in mortem tua,
Præteritum nihil est, in me ne reijce culpam,
Malorum es ipse autor tibi.
Nam quid adhuc superest? si te neq́ prouocat ardens,
Suiq́ prodiga charitas,
O bis marmoreum pectus, neq́ mitigat unquam

Adeo

Adeo profusa benignitas,
Si neque tantarum uel spes certissima rerum
Expergefacit, & allicit:
Si neque tartareæ cohibet formido gehennæ
Nec ullus admonet pudor,
Immo si durant magis hæc, adduntq; stuporem
Tam multa, tamq; insignia,
Vt facile immitesq; feras, chalybemq;, petramq;
Rigore uicio molliant.
Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat ultro
Deuota morti pectora?
Inuitum seruare nec est mentis puto sanæ,
Et patria prohibet æquitas.

CARMEN IAMBICVM SVB persona pueri IESV præsidentis scholæ Coleticæ.

NOn inuenusto antiquitas ænigmate
Studij magistram, uirginem
Finxit mineruam. ac literarum præsides
Finxit Camenas uirgines,
Nunc ipse uirgo matre natus uirgine
Præsideo uirgineo gregi,
Et sospitator huius, & custos scholæ.
Adsunt ministri uirgines
Pueros meos mecum tuentes angeli.
Mihi grata ubiq; puritas,
Decetq; studia literarum puritas.
Procul ergo sacro à limine
Morum arceant mihi literatores luem,
Nil huc recipiant barbarum.
Procul arceant illiteratas literas,
Nec regna polluant mea.

SAPPHICVM

COeperit faustis auibus precamur,
Semper augescens meliore fato,
Hic nouæ sudor nouus officinæ,
Auspice IESV
Hic rudis (tanquam noua testa) pubes
Literas Graias, simul & Latinas,
Et fidem sacram, teneriscq; Christum
Combibet annis.
Quid fuit læta sobolem dedisse
Corporis forma? nisi mens & ipsa
Rite fingatur, studijsq; castis
Culta nitescat?
Stirpe ab hac sensim noua pullulabit
Ciuium proles, pietate iuxta, ac
Literis pollens, breuiterq; regno
Digna Britanno.
Ludus hic syluæ pariet futurę
Semina, hic diues nemus undequaq;
Densius surgens decorabit Anglum
Latius orbem.

IMAGO PVERI IESV IN ludo literario, quem nuper instituit Coletus.

Discite me primũ pueri, atq; effingite puris
Moribus, inde pias addite literulas.

CARMEN PHALECIVM

Sedes hęc puero sacra est IESV,
Formandis pueris dicata, quare
Edico, procul hinc facessat, aut qui
Spurcis moribus, aut inerudita
Ludum hunc inquinet eruditione.

ALIVD

Quin hũc ad puerũ pueri concurritis oẽs?
Vnus hic est uitę regula, fonsq; piæ.
Hũc qui nõ sapiat, huius sapiẽtia stulta est,
Absq; hoc uita hoĩs mors mihi crede mera est.

FINIS.

DES. ERASMI ROT. IN LAVDEM Michaelis & angelorũ omniũ, Ode dicolos hendecasyllaba Sapphica, suffigenda in templo Michaeli sacro.

COelitũ princeps Michael & omnes
Spiritus sacri, libeat precamur
Supplicum uotis tribuisse pronas
Cœlitus aures.
Sordidę sed ne merito canentum
Sordeant Odę, citus huc ab arce
Deuolet fulgente, Seraph decoris
Igneus alis.
Qui foco sacro usq; calentis arę
Calculum uiuum rapiens (ut olim)
Applicet nostris placidus labellis
Oraq; tergat,
Luridę quicquid maculę, perurat,
Desidem pellens animo teporem.
Igneas cantent acies (ut æquum est)
Ignea

Ignea uerba.
Porrò tu primas tibi uendicato
Carminis partes Michel beate,
Primipilari duce quo triumphant
Agmina cœli.
In quibus luces, itidem, ut pyropus
Nobiles interradiat lapillos,
Vt ue formosus socia inter ardet
Lucifer astra.
Ius tibi summum necis atq; uitæ,
Tradidit magni moderator orbis,
Tu potes seruare probos, & idem
Perdere fontes.
Tu piorum tutor & aduocatus
Tu dei in templo nitidas ad aras,
Visus es, dextra tenuisse plenam
Thuris acerram.
Inde surgens fumus odore multo,
Ibat ad summi solium tonantis,
Ac dei nares liquidi iuuabant
Dona uaporis.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, cantu procul audiendo
Squalidis olim gelida exciebis
Funera bustis.
Quam dedit lætos pia turba plausus,
Cum graui cœlum quateret ruina,
Hostis & serpens ueterator, acri
Non sine pugna.
Ille sublimes subito sub auras
Emicans, septem (stupuere cuncti)
Ora tollebat, colubris tumebant
Colla trecentis.
Flammeis ardens oculis, auernum
Virus efflabat furiale monstrum,
Fulminisq; instar, piceos uomebat
Faucibus ignes.
Te nihil terret rabies minacis
Beluæ, sed ui domitam superna,
Cogis absorptam superas ad auras
Reddere prædam.
Quæ tuas fluuas fugitat sub alas
Læta, præsenti sed adhuc periclo
Palpitans, elapsa uelut rapaci
Ales ab ungui.
Ergo ne quid iam trepident, cadauer
Triste deturbas, labat ac labantis
Pondus exhorrens, aperit profunda
Tartara tellus.
Non secus, quàm si Siculo Peloro
Pendulum in fluctus abeat cacumen
Territum cedit, refluumq; late
Dissilit æquor.
Ferreis illic domitus cathenis,
Horridum quassat caput, ac minatus
Multa nequicquam, furibundus iras
Voluit inanes.
Te manet palma ó Michael suprema,
Te noui plausus, tibi non iniquas
Impius pœnas dabit Antichristus,
Orbe leuato.
Lætus idcirco meritos uterque
Orbis, en hymnos canit, altus æther
Inclyto gaudet duce, gaudet æque
Præside tellus.
At meri cantus celebrantur istic,
Hic (uti res sunt uariæ atq; mixtæ)
Reddimus proni querulis remixta
Carmina uotis.
En uides, quantis miseri premamur
Cladibus (nostro merito fatemur)
Tota proh cæci terimus nephandis
Secula bellis.
Si tibi haud frustra data cura nostri est,
Si tibi pax non temere uocablum
Mutuat, belli procul ó cruẽtos
Pelle furores.
Fac tua lenis prece, rex olympi,
Vindicem condat miseratus ensem,
Ferias donet, referatq; festis
Otia terris.

DE SINGVLARI LAVDE Gabrielis angeli

TE quibus digne recinemus odis,
Gabriel, quem rite chorus supernus
Proximum primo colit: ó tonantis
Armiger alti.
Illius tu strenuus administras
Bella, nec quisquam melior, piorum
Castra tutari, & rabidas nocentum
Frangere uires.
Tu tenes oracula sacra, te olim
Nuntio, casus didicit futuros,
Ille, quem insonti leo gaudet atrox
Lambere rictu.
Tu Zachariæ uetulo marito,
Thura dum festis adolet sacellis,
Pignoris seri subitus stupenti
Nuntius adstas.
Cuncta quid frustra sequimur canendo,
Illius dulce est meminisse nuntij,
Lętius quo nil lachrymosus unquam
Audijt orbis.
Nec salus olim, neq; spes salutis
Vlla erat, sed mors stygijs profecta
Sedibus, gentem rapiebat omnem,
Vindice nullo

Tum

Tum nouas autor meditatus artes,
Ipse ut inuisat homo factus orbem,
Te rei tantæ Gabriel, ministrum
Deligit unum.
Aduola terris, ait, & saluta
Virginem, matrem mihi mox futuram.
Fac sacramentum tege, ne ille scisscat
Callidus hostis,
Sic opus facto, neq; plura fatus
Ille, tu lapsu placido uolucres
Dissecas nubes, decoraq; pictis
Aethera pennis.
Qualis aduersos feriente nymbos
Sole, resplendet (monumenta pacti
Iris antiqui) uarioq; cœlum
Cingit amictu.
Vidit obliquis oculis uolantem
Dextero cœlo, metuitq; latis
Incubans terris Draco, luridoq;
Palluit ore.
Tecta tu pernix Nazarea tangis,
Mox & illapsus thalamis pudicæ
Virginis, mandata refers sereno
Regia uultu.
Nostra cui primum hic lyra gratuletur
Hęsitat, mundóne malis leuato,
An deo fœtæ potius puellæ,
An tibi diuæ
Consćio mentis, meritoq; summis
Rebur accersit tibi tam sacrato,
Tamq; fœlici licuit uel uni
Munere fungi.
Noster ó salue bone pacifer, qui
Surculum adportans oleæ uirentem,
Nuntias primus, meliora mersis
Secula terris.

DE LAVDE RAPHAELIS.

PRoxime primis Raphael canêre,
Ordinis pars non humilis superni.
Tu te nam clarum comitem duobus
Tertius addis.
O salus, ac certa hominum medela
Rebus afflictis, ope cuius olim
Reddito uidit reducem Thobias
Lumine gnatum.
Nec modo saluum, sed & ære largo
Diuitem, multa serie clientum
Diuitem, ac longis gregibus nouaq;
Coniuge lætum.
Ethnici Phœbũq; genusq; Phœbi,
Saxeos olim coluere diuos,
Hos rati morbis dubijs rogatam
Ferre salutem.
Nos magis nos te colimus, potentẽ
Vel nigrõ manes reuocare ab Orco.
Rursus & pigris animam liquentem
Spargere uenis.
Tu simul membris, simul ó medêre
Mentibus præsens opifer, luemq;
In tuos eheu male sæuientem
Exige terris.

DE OMNIBVS ANGELIS

NEc tacendi estis proceres ducesq;
Cæteri nobis, breuiterq; cũcti
Milites regis ditione late
Cuncta tenentis.
Ambitu quẽ triplici triformem
Dextera leuaq;, frequentiores
Cingitis, quàm nocte silente plenam
Sydera lunam.
O salutandi nouies beati.
Otium quorum mala nulla terrent,
Certa quos diui beat intuentes
Copia uultus.
Inuidet uestræ miser ille sorti,
Eminus sedes quoties ademptas
Suspicit frendens, & inauspicati
Pœnitet ausus.
Vespero quondam similis rubenti
Inter æternos rutilabat ignes.
At simul regis diadema miles
Ambijt audax.
Iam pares uoluens animo cathedras
Flammeo telo, grege cum sequaci
Ictus eiectusq;, rudem ruina
Terruit orbem.
Excipit partim caua styx ruentes,
Abditur lucis bona pars opacis,
Cursitat magnum per inane, multo
Plurima turba.
Densior, quàm Cecropijs in hortis,
Tinnulos æris crepitus secuta,
Euolant examina, quamq; cœlo
Decidit hymber.
Pugnat hoc unum hæc uigil, improboq;
Omnis incumbit studio, pios ut
Distrahat, tundat, geminoq; raptos
Funere perdat.
Ah nefas, quantam daret illa stragẽ,
Cui salus tandem nisi frangeretur
Obuijs uobis, furor & nocendi
Dira libido?
Vestra nos tutela fidelis ortos
Excipit, nec luce prius relinquit.
Semper hac freti, nihili furentem
Ducimus hostem.

Imus

Imus hac tuti, tumidum per æquor,
Aſperas tuti penetramus alpes,
Viuimus ueſtro, morimurq; demum
Munere tuti.
Vos parum firmis dare robur, ĩdem
Anxios noſtis gemitus leuare
Nuncijs fœlicibus, ac ſubinde
Viſere caſtos.
Cœlici ciues, adeone uobis
Exules curæ ſumus, ut uacet ſic
Obſequi nobis, pigeatq; nunquam
Sortis iniquæ?
Nuncij crebri uolitatis, inter
Arduos cœlos, humilesq; terras,
Hinc preces fertis querulas, at iſtinc
Dona refertis.
Porrò nos tantis meritis (quod unum
Poſſumus) gratos memori camœna
Reddimus cantus, ferimusq; templis
Dona dicatis.
Ferias anno referente ſacras,
Cœlat hic feſtus ſimula chra fumus
Hic chorus ſupplex manibus faceſſit
Vota ſupinis.
Quæ patris ſummi penetrent ad aures
Semper, ac per uos rata ſint precamur,
O patroni præſidiumq; fœlix
Chriſtigenarum.

DES. ERASMI ROTERODAMI
Carmen Iambicum, ex uoto dicatum Virgini Vualſingamicæ apud Britannos.

ὦ χαῖρ' ἰησοῦ μῆτερ εὐλογημένη,
Μόνη γυναικῶν θεοτόκος τε παρθένος.
ἄλλοι μὲν ἄλλας σοὶ δόσεις δωρεὰς,
ὁ μὲν γε χρυσόν, ὁ δὲ πάλιν τὸν ἄργυρον.
ὁ δὲ τιμιᾶς φορβῆς χαρίζεται λίθους,
αὐδᾷ δ' ὧν ἅπαντ' ἂν οἱ μὲν ὑγιαίνειν δόσεις,
ἄλλοι δὲ πλουτεῖν τε τίνες γυναικὸς
Κυοῦντος εὐτόκου ὄμμα· ἐλπίζειν πατρός.
Πυλίδες τινὲς γέροντος ἀῶνας λάχειν.
αὐτὸς δ' ἀοιδὸς εὐμενὴς, πένης γ' ὅμως
Στίχους φέγγας, ἃ γ' ἔξεστ' ἄλλοις
Δόσεως ἀμοιβὴν εὐτελεστάτης, γέρας
Μέγιστον αὐτῷ, θεοσεβῆ τὴν καρδίαν
Πασῶν δ' ἄπαξ ἁμαρτιῶν ἐλευθέραν.
εὐχή τοι εὐέσμα.

DES. ERASMI ROTERODAMI
Rhythmus Iambicus in laudem Annæ auiæ Ieſu Chriſti.

SAlue parens ſanctiſsima,
Sacro beata coniuge,
Sacratiore filia,
Nepote ſacratiſsimo.
Domo quid hac illuſtrius,
Ornatiusue? Quæ altera
Tam multiplex habuit decus?
Tantum una monſtrorum tulit?
Hic hic maritum annis grauem
Effœta anus facit patrem.
Eſt uirgo fœta filia
Nepos dei uerbum, ac deus.
Gener pudicus ſe negat
Partus parentem uxorĩ.
At integram iurat, neq;
Riuale pallet ſuſpicax.
Ergo Anna mater optima,
Cumulatius multo tuas
Lachrymas deus ſolatus eſt,
Quàm uel Rebeccæ, uel Saræ.
Vel illius, quæ te refert
Et rebus, & uocabulo.
Quæ dum ſilenter anxĩ
Proferret æſtus pectoris,
Viſa eſt Heli multo mero
Amens, parumq; ſobria.
At te pio cum coniuge,
Amore prolis annua
Templis ferentem munera
Procax ſacerdos reppulit.
Heus, inquit, hinc mihi ocyus
Prophana uota tollite.
Ipſi ſimul procul procul
Aris ſacris abſiſtite.
Veſtran deo donaria
Futura grata creditis?
Quorum pudendæ nuptiæ
Præter libidinem nihil
Luxum & ſenilẽ ſcilicet
Tanto tulere tempore?
Quo ſe locorum uerterent
Vultus pudentum coniugum,
Repulſa quos tam fœda, tam
Inſignis exanimauerat?
Ioachim pudorẽ non ferens
Gregum ad ſuorum paſcua
Se proripit, triſtis ſuam
Recepit Anna ſe domum.
Largis uterq; fletibus
Votiſq; pertinacibus
Orare non ceſſat Deum
Vt probe probrum tolleret.
Cœlum penetrarunt preces
Adeſt ab aſtris Angelus
Qui prole promiſſa, graues
Luctus iuberet ponere.
Surgunt alacres, inuicem
Narrare uiſa geſtiunt,

Porta marítus aurea
Se quæritantem coniugem
Offendit. Hic lætus ſtupor
Dulces utríq; lachrymas
Excuſſit, hinc modicos lares
Iunctis reuiſunt greſſibus.
Haud uana uox oraculi
Luſit piam ſenum fidem:
Bis luna nata quinquies
Anum uidet puerperam:
Tanto quidē fœlicius,
Fœcunda quanto ſerius,
Fit Anna filiæ parens,
Nec filiæ cuiuslibet,
Sed filiæ, quæ fertilis
Eademq; uirgo gigneret.
At quem beata gigneret?
Summi parentis filium.
Qui ſceptra terræ & ætheris
Cum patre habet communia.
Qui deus, & idem homo, necis
Authore uicto per necem,
Vitam reduxit mortuis,
Aperuit in cœlos iter.
O terq; quaterq; & amplius
Parens beata. Nam potes
Iuua præces mortaliū
Tuo uacantum cultui,
Nam te patrona quidlibet
Speramus aſſequi. modo
Voles, uoletq; & filia,
Nec huic petenti puſio
Negare quicquā nouerit.
Amat parentem filius,
Neq; filio negat Pater
Amans & ipſe filium.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS THEOBALDO Bietricio Parocho Burentrutenſi S. D.

IENEPTIO iam toties in gratiā tuam amice Bietrici, reſtim etiam opinor, in medio foro ducturus, aut cyclopem ſaltaturus ſi tu iuſſeris: at interim abs te non impetro, ut ex uetere pſalta, fias nouus Eccleſiaſtes. Vbiq; gentiū omni genere muſices, ac diuerſis muſicorum organis obſtrepitur ſanctiſſimæ uirgini, quæ quotidie audit angelorum choros, aliquāto, ni fallor, modulatius canentes nobis. Sed non aliunde uenit, quod in pagis & nōnullis etiam oppidis uidemus tantam hominum ruditatem, tantā inſcitiam rei Chriſtianæ, quàm quod uocum & organorum ſtrepitus frequenter audiant, ſermonē euangelicum aut nunquā audiant, aut perquàm raro. Atqui hęc demum eſt muſica, quę nobis paulatim excantat huius mundi ſpiritum, & Chriſti ſpiritum inſerit. Si tantum potuit Amphion ſono teſtudinis, ſi tantū ualuit Orphei cithara, ut ſaxa moueret & quercus, quanto plus ualebit cithara Dauid, qui modulis ſuis ſpiritum malum depellere ſolitus eſt à Saule, quanto erit efficacior euangelica teſtudo? Fateor bonā Eccleſiaſtę partē præſtitit, qui ſobria caſtaq; uita præluxit ouibus ſuis, Verum ut hac in parte nihil in te deſiderem, excuſantur quidam mi Theobalde, qui morum inſigni ſanctimonia, linguę penſant infantiam, quum utrunq; præſtare nequeant, & habet ipſa quoq; uita linguam, ut ita loquar, ſuam. Sic excuſatus eſt Valerianus epiſcopus Hipponēſis, qui lingua utens aliena, dimidium ſuæ functionis ceſſit Auguſtino. At ego te qui potes utrunq; pręſtare, non patiar dimidiatum eſſe paſtorē. Ita demum uirgo mater putabit ſibi florere ſuum Lauretum, ſi quàm plurimos allexeris ad amorem filij. Quāquam fortaſſe iamdudum hoc facis, ad quod te hortor. Adieci conciunculam, ne nō eſſet integra Liturgia. Bene uale. Baſileæ quarto non. Maias, Anno M. D. XXV

INTROITVS.

LAurus odore iuuat, ſpecioſa uirore perhenni,
Sic tua uirgo parens laus omne uirebit in æuum.

VERSVS.

TRahe nos poſt te uirgo Ieſſe Maria. Curremus in odore unguentorum tuorum. Gloria patri &c.

COLLECTA.

CONditor, inſtaurator, & gubernator omnium deus, qui in ſanctis quidem tuis omnibus glorioſus, peculiariter tamē in filij tui genitrice Maria, ędifis per eam, quum in uniuerſo terrarum orbe, tum pręcipue apud templū Lauretanum innumeris miraculis glorificari gaudes: da quęſumus, ut qui te in filio & filiū in te pie colūt, quiq; filiū in matre

&

& matrem ob filium uenerantur, cœlesti præsidio à malis omnibus liberentur. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum.

LECTIO EZECHIELIS C. XLIIII

ET conuertit me ad uiam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa. Et dixit dominus ad me, Porta hæc clausa erit, & nõ aperietur, & uir non transiet per eam, quoniam dominus deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea ut comedat panem coram domino. Per uiam portæ uestibuli ingredietur, & per uiam eius egredietur.
Vel Esaiæ XI. Egredietur uirga de radice, usq; ad, Et erit in die illa, adijciet.

GRADVALE.

EGressa est uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, & requieuit super eum spiritus domini.

ALLELVIA

SOla uirgo Aaron sine satu germinauit, sola uirgo Maria sine complexu uiri, produxit florem immarcessibilem, Iesum, qui coercuit querimonias populi Israel. *Numeri 11*

SEQVENTIA.

SVme nablũ, sume citharam, uirginũ decẽs chorus,
Virgo mater est canenda, uirginali carmine.
Vocemq; referent accinentes angeli.
Nam uirgines amant & ipsi uirgines.
Iunget carmina, laureata turma,
Vitæ prodiga, sanguinisq; quondam.
Martyr carnificem uincit & edomat,
Carnem uirgo, decet laurus & hunc & hanc.
Cœlitum plaudet numerosa turba,
Virginem sacram canet omne cœlum,
Nato uirginis unico
Nulla est cantio gratior.
Vt cedrus inter arbores, quas Libanus ædit, eminet,
Sic inter omnes cœlites, uirgo refulget nobilis.
Vt inter astra lucifer emicat,
Sic inter omnes lucida uirgines.
Inter cunctorum stellantia lumina florum
Lilia præcellunt candore, rosæq; rubore,
Nec gratior ulla corona
Iesu niueę genitrici.
Inter odoriferas non gratior arbor ulla lauro,
Pacifera est, dirimens fera prælia, fulmen arcet ardens,
Baccas habet salubres,
Iugi nitet uigore.
Esto uirgo fauens, qui modulis te celebrant pijs,
Iram auerte dei, ne feriat fulmine noxios.
Laurus esto, gaudeasq;
Vsque Lauretana dici,
Licet in uasti finibus orbis,
Plurima passim fumiget ara.

EVANGELIVM

NVptiæ fiebant in Cana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, ac discipuli eius ad nuptias. Et ubi defecisset uinũ, dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Dicit ei Iesus, Quid mihi tecum est mulier? nondũ uenit hora mea. Dicit mater eius ministris, Quodcũq; dixerit uobis, facite. Erant aũt ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundũ purificationẽ Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum. Et dicit eis, Infundite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt. Postquam aũt gustasset Architriclinus aquam in

uinum uersam, neque sciret unde esset, sed ministri sciebant, qui hauserant aquam, uocat sponsum, & dicit ei, Omnis homo primo loco bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod est deterius. Tu seruasti bonum uinum usq; ad hoc tempus.

CONCIO

VIX oratione consequi queã fratres ac sorores in Christo dilectissimi, quanto gaudio perfundatur animus meus, quum uideo uos tam frequentes, tantaq; cum alacritate ad solennem Virginis matris cõmemorationem conuenisse. Affectus hic in matrem, pietas est in filium. Mos quidẽ est ab antiquis traditus, ut in festo die splendidius aliquod epulum exhibeatur. Vtinam autem ego, qui pater sum ac pastor, uobis filijs & ouibus meis in domino, è lautissimo diuinarum literarũ penu depromere queã cibum qui non perit, sed saginat ac uegetat animos in uitam æternã: depromere uinum spiritus, quod sobria temulentia exhilaret corda uestra, ut in medijs etiã huius mundi malis semper cantetis ac spiritualibus hymnis psallatis dño: qui quum in sanctis omnibus gloriosus sit, in matre tamen peculiariter diuitias glorię suæ declarauit. Cõmunibus itaq; uotis imploremus illum spiritum, qui superueniẽs in Mariam, uirgineum ipsius pectusculum consecrauit templũ diuinæ triadi, & eiusdem illibatum uterũ officinã fecit admirandi partus, qui nobis prodidit omnibus seculis expectatum seruatorẽ totius mundi Iesum Christũ. Primum illud non ignorat charitas uestra, sanctissimæ uirginis cultũ quatuor in rebus potissimum cõsistere, in laudibus, in honoribus, in inuocatione & in imitatione. Quorũ postremum adeo præcipuum est, ut illa sine hoc sint infrugifera, & hoc unũ cętera quoq; in se cõplectatur. Satis em̃ laudauit Mariam, satis honorauit, satis inuocauit, qui Mariæ sobrietatẽ, qui pudicitiã, qui modestiã pro uiribus imitatur. At qui prępostero iudicio sine fine Mariæ laudes canunt atq; exaggerãt, qui cereis, qui donarijs, qui templis ac delubris illam honorant, qui prolixis & ambitiosis precibus illius opem flagitant, de imitãdo quã prædicant ne cogitantes quidẽ, in periculum ueniunt ne audiãt à matre, quod Iudaicus cultor apud prophetã audit à patre: Hic populus labijs me honorat, cor aũt eorum procul abest à me. Rursum quod in Euãgelio audit à filio: Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cœlorũ, sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est. Sit igitur uobis charissimi prima cura, moribus ac uita quantũ licet imitari uirtutes Mariæ: Ne & ipsa dicat de nobis: Hic populus cantionibus, fistulis, tibijs, cereolis & corollis me honorat, cor aũt eorum in his rebus est, quas ego semper odi cum filio meo Iesu, in diuitijs, in uoluptatibus, in lusibus sceleratis, in turpibus fabulis, in fastu & superbia. Dant mihi principem locum in templis & aris, in pectore illorum nullũ mihi locũ concedunt. Occinunt mihi: Regina cœli, domina angelorũ, uita dulcedo, & spes nostra. Salutor undiquaq; titulis honorificẽtissimis, sed nõ omnis qui dicit mihi, domina domina, intrabit in regnũ filij mei, sed qui illius exẽplum sequentes obtemperant præceptis dei, quiq; meũ exemplum exprimere studentes, filij gratiã ambiunt, in imitanda matre, in qua quicquid imitatu dignũ est, filij donũ est. Ne credamus igitur sanctissimam uirginẽ hisce ieiunijs delectari, quibus nõnulli illam certis diebus honorant, in hoc tantũ ieiunantes, ut postridie copiosius inebrientur, aut his cantionibus deliniri, quas illi quidã occinunt libidine luxuq; corruptissimi, aut eorũ donarijs capi, qui scortis & adulterijs undiq; cõspurcati sunt. Non quod clementissima uirgo peccatores auersetur, sed quos pudet pigetq; suæ turpitudinis, iam peccatores esse desinunt. Quicquid ingratũ est filio, nõ potest placere matri. Scio nonullis in locis ostẽdi Mariæ delubrũ, fericis, argento auro, gẽmisq; differtũ, ut qui illic adorant uirginẽ, mãmonam adorare uideantur. Quanto gratius esset Mariæ, si istæ opes erogarẽtur, & impenderentur subleuãdis Christi membris, in q̃bus unà cum filio quodã modo uel affligitur uel refocillatur mater. Si placet simulachrũ uirginis, tale fingatur, qualis ipsa placuit deo, & qualẽ nos imitari piũ sit, pudicitia, modestia, sobrietas in uultu, in totius corporis statu, in uestibus etiã reluceat. Nunc paucis aperiã, quid potissimũ imitari cõueniat in Maria, si prius illud admonuero charitatem uestram, à nullo neq; perfectius neq; tutius peti formã ac regulã pietatis q̃ à filio, tametsi certum est nihil esse in matre quod à filij doctrina dissideat. Hic animis attẽtis estote pueri ac puellæ, matronæ ac uiduæ, uiri, senes & anus, omnibus em̃ erit quod imitemini in Maria. Scopi sunt hi, uirginea simplicitas, cũ summa cõiuncta prudentia, sũma felicitas, cõiuncta

cum

cum ſumma modeſtia, ſumma caſtitas in coniugio, matris ſedulitas in officio, inuictũ animi robur in ſexu fragili. Quàm fuerit illi cordi uirginea puritas, uel hinc liquet, quod ad ingreſſum angeli turbata eſt, referente Luca. Nimirum intelligebat quàm ingens eſſet theſaurus pudicitia, ſed contra quot inſidijs obnoxia, quam multæ perdiderunt priuſquam ſcirent quantum boni poſſiderent. Quantum autem abſunt ab exemplo Marię uirgines, quæ ultro procurrunt ad luſus & colloquia iuuenum, angelo longe diſsimilium, quæ nutibus, facetijs, blanditijs, munuſculis & amatorijs epiſtolis prouocant etiã unde pereat uirginitas. Maria ſponſum habebat qui cum ſub eodẽ tecto uiuebat, & tamen ad ingreſſum ignotæ formæ turbatur, omnia uel tuta timens. Quod ſponſo nupſerat, dedit gentis Iudaicæ conſuetudini, dedit autoritati parentum, & tamen uirginitas erat in uotis. Id aperit quum ait: uirum non cognoſco. Nam hic uerbũ præſentis temporis, animi propoſitum ſignificat. Multas ab impudicitia deterret infamia. Maria dum amore integritatis negligit infamiam ſterilitatis, utrunq; promeruit, uidelicet, ut uirgo deum progeneraret. Qua uero fronte prædicant ſe cultrices huius uirginis, quæ in ipſa uirginitatis profeſsione nequiter laſciuiunt? quæ iam anus & effœtæ, tamen adhuc intempeſtiua libidine pruriunt? Iam quod in muliebri ſexu fœdum eſt, multo fœdius eſt in ſexu uirili. Quę uirgines uideri uolunt, exemplo Mariæ totæ ſint uirgines. Quędam enim corpus habent intactũ, ſed cultus nõ ſine fucis parum pudicus eſt, laſciuiunt oculi, lingua petulãs eſt, fractus inceſſus. Si uere caſtus eſt animus, reluceat huius integritas, & in his rebus quæ foris ſunt. Dixerit aliquis: Quid flagitij eſt, ſi uirgo ſponſum ambiat? Si uenatur quemlibet ſpõſum, uirgo non eſt: ſin probũ, nullum lenocinium efficacius apud bonos quàm pudor, quàm ſilentium, quàm ſimplex in cultu mundicies. Eſt & in matrimonio ſcortatio, quemadmodum eſt & caſtitas deo gratiſsima. Imitentur coniugati Ioſeph & Mariæ coniugium, ſaltẽ quantum patitur carnis infirmitas. Qui cum uxoribus turpiter certant libidine, qui maiore nequicia cum illis luſitant & confabulantur quàm ſolent cum proſtibulis, nec mariti ſunt, nec uxores habent pro uxoribus. In matrimonio caſto & cõiugij uſus debet eſſe uerecundus. Nunc reperit hominum peruerſitas, ut cum uxore quoq; cõmittatur adulterium. Simplicitatis argumentum hoc erat, quod cum adamaret unice perpetuam uirginitatem, tamen animo ſimplici uiuebat puella cum iuuene ſponſo. Nunc audite huius uirgunculæ prudentiam. Nam uirgines fatuas reijcit ſponſus. Non ſtatim reſalutat Angelum, nec exilit, ſed quieta manens cogitat qualis eſſet illa ſalutatio. Et rurſus promiſſo partu tam magnifico nec diffidit pollicenti, nec geſtit inſolenti gaudio, ſed modeſte quærit ab angelo, qua ratione futurum eſſet, quod promittebatur incolumi uirginitatis theſauro. Viderat concurſum paſtorum, uenerationem magorum, prophetias Annæ & Simeonis audierat, & tamen nihil horum muliebri facilitate effutit, ſed tacita colligit & conſeruat in corde ſuo. Certiſsimum argumentũ prudentiæ eſt etiam in uiris, poſſe tacere tãtam felicitatẽ. Vnde tantum prudentiæ in uirguncula, in puella tenera ac rerum imperita? Sera miſeraq; prudentia eſt, quæ diutina malorum experientia contingit homini. Etiam puellarum ac puerorũ pectus implet ſenili prudentia ſpiritus ſanctus. Purget quiſq; ſuum pectus à uicijs, ut immigrare dignetur ille ſpiritus ſapientiæ largitor. De felicitate uero Mariæ quid attinet dicere? quis unquam ſalutatus eſt honorificẽtius ab angelo? cui magnificẽtiora promiſſa delata ſunt? Legationẽ ad uirginem mittit ille cœli terræq; conditor, Gabriel pronubũ agit, promittitur proles qualis nulli promiſſa eſt, Hic erit magnus & filius altiſsimi uocabitur, & dabit illi dñs ſedem patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Quid his pollicitis ſublimius? eorũ ubi iam fides eſſet facta per angelũ, num tanta felicitas minuit uirgunculæ modeſtiam? Nequaquam, ſed auxit potius. Ecce, inquit, ancilla domini. Ex tanto negocio nihil gloriæ ſibi uindicat, ancillam tantum profitetur, obediens & ſequẽs quocunq; uocaret domini uoluntas. Iam cœleſti fœtu grauida non dedignatur officij cauſa uiſere cognatam anum & grauidã. Audit ab Eliſabet: unde hoc mihi ut ueniat mater domini mei ad me? Illa tamen ſui ſimilis accinit: Reſpexit humilitatem ancillę ſuæ. Beatitudinem ſuam prædicat non dignitatẽ, nec dicit quia promerui, ſed quia fecit mihi magna qui potens eſt: nec dicit, & ſanctum nomen meum, ſed ſanctum nomen eius. Quumque ſibi conſcia eſſet quod talem fœtum haberet in utero, tamen non faſtidit maritum. Quicquid uxor obſequens præſtat coniugi, hoc illa multo cumulatius

præstitit Ioseph. Cum illo proficiscitur ad censum quem Cæsar indixerat, cum illo circumcidit puerum, cum illo peragit omnem purificatiõis ritum, hunc sequitur in Aegyptum. Iam enim angelus Ioseph apparuerat non Mariæ, ut autoritas esset penes uirum: huic hæret rediens ex Aegypto, nec dedignatur uulgo dici cõiunx fabri, nec pudet humilium fratrum ac sororũ, nec moleste fert filiũ suum haberi filium Ioseph, quem & ipsa patrem appellabat Iesu. Nulla unquam fuit uxor quæ reuerentius obediuit suo marito, quàm dei genitrix. Audite cultrices uirginis: quid hic dicent nouæ nuptæ, quæ forma & ætate feroculæ sponsos aspernantur suos? quid matronæ quæ dotem subinde maritis exprobrant, nonnunquam & ædibus eos exigunt, perinde quasi dominæ sint non cõiuges? Quid quæ totam domum rixis ac iurgijs subuertunt? Maria religiosissime morem gerit et obseruat suum Ioseph, nec unquam responsat aut prẽit marito, & uos pudet obsecundare maritis, sine quibus steriles estis & inhonoræ, & quibus uos subdidit simul & domini & apostoli Pauli autoritas? Nec dubium quin quanta obseruantia usa fuit erga coniugem, tanta sedulitate curarit filium. Ducit quotannis ad templum, ut à teneris annis monstraret imbibendam pietatem. Desideratum quanta solicitudine quærit? nec conquiescit donec inueniat. Quid Maria timuit filio suo? num quod leuitatis indiciũ uiderat in illo? Nequaquam sed uos admonuit matres, ætati teneræ nullã satis magnã curam præstari posse: Fragilis est & in omne uitium sequax. Irreligiose colunt Mariam, quæ suorum liberorum nullam curam gerunt, quasi satis sit genuisse, imò quædã gestationis tedium ac lactandi laborem impijs artibus submouent. Neq; minus peccãt quæ malis exemplis inficiunt imbecillem ætatem, quæ balbutientem infantiam docent nequitiam. Maria solicita est de filio Iesu, & tu prostituis ac prodis filium et filiam omni turpitudinis generi? Nimirũ hinc est quod multas pœnitet fœcunditatis, quia bene natos male educant, quum parentum officium peculiarius sit instituisse quàm genuisse. Qui possunt autem bene instituere qui uel foris agunt uel domi turpiter uiuunt, ut ex parentum conuictu filij discant turpiloquium, lasciuiam, temulentiam, rixas, aleam, futilitatem, obtrectationem? Verum ingens campus se se nobis aperit, si uelimus sanctissimæ uirginis eximias uirtutes ad nostram conferre uitam, sed tamen plurimum utilitatis capiemus si nostros mores undiq; corruptos ad illius exemplum emendare studebimus. Superest ut de fortitudine uirginis nonnihil attingamus. Nam utrumq; magnanimitatis est indicium, nec insolescere rebus prosperis, nec aduersis frangi. Quum inclaresceret tot miraculis adorandum Iesu nomen, nusquam legimus sacrosanctam uirginem ullam laudis portionem sibi uindicasse, imò uix ulli miraculo legimus eam interfuisse, nisi quum in nuptijs aquam uerteret in uinum. Audiebat omnia, tacitaq; cõferebat in corde suo, semper ancillæ personam gerẽs quam fuerat professa. Simili constantia tulit, quum filius unice charus ob Pharisæorum insidias crebro periclitaretur, denique cum caperetur, ligaretur, cæderetur, damnaretur, duceretur. Flebant aliæ mulieres & à domino reprehensæ sunt. Quid hic sensit pectus maternũ. Sensu non caruit. Doluit dolore filij, sed affectum humanum spiritus robore coercuit, compressit singultus, repressit erumpentes lacrymas, ac cæteris discipulis metu dilapsis, sola cum Ioanne stabat iuxta crucem filij. Contumelioſæ picturæ sunt quæ repræsentant eã collapsam ac syncopi stupefactam, exanimatam dolore. Non eiulabat, non lacerabat capillos, non percutiebat pectus, non se clamitabat infelicem. Plus capiebat cõsolationis ex redemptione generis humani, quàm doloris ex morte filij. Et hic ancillam se præbuit ei, cui uisum est hoc modo restituere mortalium genus. Et feliciter se genuisse cogitabat, quæ salutis autorem genuerat orbi, publicam felicitatem anteponebat dolori priuato. Vbi nunc sunt fœminæ quæ ob pecuniã amissam, aut leuius etiã malum dolore abortiunt? Vbi uiri, qui ob filiolam defunctã querimonijs ac ploratibus insanis miscent omnia? Maria spectatrix acerbissimæ mortis filij fuisse legitur, ploralse aut questa fuisse non legitur. Flebant aliæ mulieres, & præ desiderio sublati domini, quem nõdum spiritualiter amabãt, penè delirabãt: sola Maria pectus inconcussum habens tacet expectans uoluntatem altissimi. Vos fortasse suspicamini rem humilem & infirmam, esse seruam aut ancillam domini, nulla res magis est inuicta. Qui se semel tradidit arbitratui domini, nec alio refert laudem, si quid obtigit felicitatis, nec aliunde sperat præsidium, si res aduersæ premunt, nullis satanæ technis aut terroribus concuti potest. Sed hisce de rebus fortasis alias fusius differendi dabitur opor-

tunitas

tunitas. Nunc diei ſolennitas poſtulat, ut ex euangelio quod uobis recitatum eſt, aliquid ad filij matrisq; gloriam ac noſtram ſalutem decerpamus. Quibus iam adeptum eſt matrimonium, aut qui ſtudent adipiſci, libenter audiunt hunc honorẽ habitum coniugio, quod Chriſtus cum diſcipulis & matre, uocatus ad nuptiale cõuiuium nõ recuſarit ire, nec dedignatus ſit illud inſigni miraculo cohoneſtare. Sed ideo dñs uirgo, & uirginis filius ſemel honorauit matrimonium, ne nos illud noſtris ſpurcicijs dehoneſtaremus. Quin & hodie ubicunq; caſto fideliq; cõiugio cohærent uir & uxor, cõcordibus & animis, pariq; ſtudio pietatis, non dedignatur intereſſe cum ſua matre dñs Ieſus. Nec illa grauatur pro talibus interpellare filium, ſi quid defuerit quod ad matrimonij lætitiam pertinet, etiamſi res familiaris fuerit anguſta, ſi proles numeroſa. Vinum enim illud quod largitur Ieſus, edulcat omnia, quantumuis alioqui triſtia & acerba. Iam & illud obſeruandum, quod ut eſt pium filios obſequi maternæ uoluntati, ita decet parentum autoritatem cedere functioni euangelicæ, Siquidem hic nihil aliud ſpectandum eſt, quàm quid conferat ad dei gloriam & ſalutem publicam. Quod interpellans mater dicit, Vinum non habent, benignæ cuiuſdam ſollicitudinis eſt: quod cedit autoritati filij reſpondentis in ſpeciem durius, Quid mihi tecum eſt mulier, prudentis cuiuſdã modeſtiæ eſt. Rurſum quod clàm dicit miniſtris, quod cunq; dixerit uobis facite, admirandæ cuiuſdam fiduciæ eſt erga filium. Nunc quidam parentes abutuntur autoritate in liberos, dum eos cogunt nolentes inuolui coniugio, aut ſacerdotum monachorúmue inſtituto, ſeu dum retrahunt à prædicatione legis euãgelicę, dum princeps cogit filium ſuſcipere bellum extiabile reipub. Princeps em̃ quoniã publicam gerit perſonã, illæſa pietate reſpondebit patri, Hic mihi pater non eris, ac magis apud me ualebit reipub. ſuſceptę ratio, quàm priuata patris autoritas. Habet aliquis uxorem ac liberos domi, & mater iubet eum proficiſci Cõpoſtellã, quia ſic ipſa uouerit: dicat matri, alibi mater eris, hic audiendus eſt deus, qui iubet ut meorum curã agam, propter quos pium eſt etiam parẽtem relinquere. Atq; hæc quidem iuxta ſenſum humiliorem dicta ſunt. At poſteaquam dñs aquam inſipidę legis uertit in uinum optimũ, æquum eſt ut nos quoque reconditiorem aliquam ſententiam eruamus. Nihil erit magni puellam uiro iungi matrimonio. Maximum eſt myſterium & ipſis etiam angelicis ſpiritibus adorandum, ſpiritum hoc eſt dei filium cum humana carne, naturam diuinam cum humana coniungi. Amplexus enim eſt dei filius carnem noſtram, & admirabili glutino factum eſt, ut idem eſſet deus & homo. Aderat in eodem domino Ieſu ſponſus & ſponſa, aderat in eo conuiuio uterus ille felix, in quo celebratum eſt illud ineffabile coniugium, in quo ueluti ſancti ſpiritus officina formatus eſt ille tergeminus gigas, debellaturus omnem ſatanę tyrannidem. Eſt & aliud cõiugij myſteriũ: Filius dei adamauit eccleſiã, quam purificauit ſanguine ſuo, ut ſponſam haberet ſe dignã, non habentem maculã neq; rugã. Huius amore procus admirabilis deſcendit è cœlis, uenit in uterũ uirginis, inde trabea noſtræ carnis uelatus proceſſit tanquam ſponſus è thalamo ſuo. Hæc nimirum erat illa porta quam uidit Ezechiel, ſpectans ad ortum ſolis, unde ſedentibus in tenebris & umbra mortis lux exorta eſt Ieſus Chriſtus: quæ clauſa manſit ingredienti principi filio dei, & eundem nobis humano corpore ceu ueſte nuptiali cõueſtitũ, illæſo pudoris ſignaculo produxit. Ex hoc igit̃ egreſſus thalamo, duxit ſponſam nouã eccleſiam. Duxit indotatam, duxit captiuã, duxit contaminatam, ſed inquinatã purificauit ſacroſancti ſanguinis ſui lauacro, captiuam redemit pretioſa morte ſua, nudam ſpiritualibus dotibus affatim locupletauit. Cuiuſq; noſtrũ anima chariſsimi, Chriſti ſponſa eſt. Ingenti pretio redẽpti ſumus, ne ſponte noſtra reuoluamur in ſeruitutem ſatanæ: gratis abluti ſumus, ne ueluti ſues reuertamur in cœnum uitiorum. Semel hauſimus doctrinam euangelicam, & ſpiritum Ieſu dulciſsimum imbibimus, ne tantæ munificentiæ ingrati recurramus ad adulterum diabolum, ſed perſeuerãtes in fide baptiſmi, qua renũciauimus ſatanæ, & omnibus pompis eius, ſemper meminerimus nos eſſe deſponſos uni uiro, ut uirginẽ caſtã exhibeamus ſponſo Chriſto, neq; ſinamus ſenſus noſtros corrũpi ſerpentis aſtutia à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Merito zelotypus eſt amator Chriſtus, qui tã chare ſibi ſponſam aſſeruit. Demus operam ut huiuſmodi nuptijs ſpiritualibus ſemper interſimus, per fidem non fictam, & charitatem ſyncerã maneamus in amplexibus ſponſi noſtri. Maneamus in uite palmites, maneamus in corpore mẽbra, ut per ſpiritum omnia conglutinantem, quemadmodum ille unum eſt cum patre,

ita nos unum ſimus cum illo. Bibat aquã ſuam frigidam & inſipidã ſynagoga, quæ ſponſum perdidit. Bibit autem quiſquis in ceremonijs, quiſquis in rebus externis, quiſquis in uiribus humanis ponit ſalutis præſidia. Nos in ſponſi noſtri menſa accumbentes inebriemur uino ſpirituali doctrinæ, quod nobis largiter effundit ſponſus, ſaginemur illius ſacro ſancto corpore, potione ſacroſancti ſanguinis ſemper iuueneſcamus ſecũdum hominem interiorem, etiam ſi hic exterior homo collabitur. Qui nondum capaces ſunt ſolidi cibi, lacte fouendi ſunt, donec eò profecerint, ut hunc potum, ut hunc cibum ſint idonei ſumere. Non prius eſt, inquit Paulus, quod ſpirituale eſt, ſed quod carnale. Iudæi legem carnalem habebant, quam adhuc mordicus tenent miſeri: nobis qui hauſto Chriſti ſpiritu ſpirituales facti ſumus, turpe eſt ſemper infantes lac ſugere, ſed turpius à guſtato uino doctrinæ cœleſtis, ad Iudaicam aquã reuerti. Aliorũ eſt à melioribus ad deteriora delabi. Chriſtus inuertit ordinem, qui poſtremo loco propoſuit optimũ uinũ, quo ſemper ab infirmis proficiamus ad ſolidiora. Oremus aũt dñm ut ſponſæ ſuæ donet uberrimam fœcunditatem, hoc eſt, ut q̃ latiſsime propagetur ſemen euangelicum, & quotidie naſcatur uiua ſoboles implens domũ dei, Noſtris enim uitijs factum uidemus, ut eccleſiæ pomeria ſic in anguſtum contracta ſint, & in his ipſis qui nomen eccleſiæ profitentur tã pauci ſint, quos ſpõſus agnoſcat. Alij alios incuſamus, idiota principes, populus ſacerdotes. Quin illud concorditer agimus, ut ſuam quiſq; uitã corrigat potius q̃ inſectetur alienã? Sic florebit ſponſa Chriſti, ſic hilareſcet nuptiale conuiuiũ. Clamat Paulus, Viri diligite uxores ueſtras, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam: neq; quiſquã oderit carnem ſuam, ſed nutriat ac foueat illam, honorem deferens uaſculo infirmiori, quemadmodum & Chriſtus tulit ac tolerat ſponſam ſuã, condonans illi peccata, ſemperq; ad meliora pertrahens. Viciſsim uxores iuxta apoſtoli doctrinam, ſubditæ ſint uiris ſuis, ſicut oportet in domino, ſitq; inter eos ea autoritatis & obſequij temperatura, ut uir infidelis ſeruetur per uxorẽ fidelem, & mulier infidelis ſanctificetur per uirum fidelem. Sic aũt optarim omnes frequenter conuenire ad laudes uirginis, ſi dono filij & matris exemplo, ſuam quiſq; domũ melior redeat, uitijs aliquid detrahat, uirtutibus aliquid adiungat. Tali cultu delectatur Maria, tali gaudet filius, cui cum patre & ſpiritu ſancto gloria ſempiterna. Amen.

OFFERTORIVM

QVæ eſt iſta quæ progreditur uelut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata

SECRETA

IEſu fons bonorum omnium, qui ad ſuggeſtionem uirginis matris aqua uerſa in uinum conuiuas exhilaraſti, da famulis tuis, ut eiuſdem ſuffragijs adiuti, muſto tui ſpiritus ſaluberiter inebriemur. Qui uiuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum.

COMMVNIO

BEatus Mariæ uirginis uterus qui te Ieſu geſtauit iuxta carnem, ac beata ubera quæ te lactauerũt, ſed et omnes illi beati, qui diuini ſermonis cœleſte ſemen ſpiritualiter concipiunt ac retinent, donec gignat in eis uitam æternam.

COLLECTA

DEus cuius gloria pleni ſunt cœli & terra, eam ubi uis & quando uis ad ſalutem hominum proferens, ſupplices te rogamus, ut qui tuæ benignitati pro beneficijs per filij tui matrem, quę apud Lauretanã eccleſiam religioſe colitur, ſibi collatis gratias agũt, poſt hanc uitam innocenter actam, ęternis gaudijs perfrui mereantur. Per eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

ANTONIVS de Vergeyo dei & apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Beſontinus, uniuerſis Chriſti fidelibus in domino ſalutem. Monet nos cum ipſe pietatis affectus, qui cunctis Chriſti religionem profeſsis communiter debet adeſſe, tum præcipue munus paſtorale quod gerimus, ut quemadmodũ animo diſcruciamur quoties animaduertimus in grege nobis cõcredito pietatis ſtudiũ refrigeſcere, ita uehementer gaudeamus quoties conſpicimus ſyncerę pietatis affectum in animis hominũ augeſcere dilatariq;. Atq; in hos qui ſtudent excitãdæ augendęq; pietati hoc ſumus fauore propenſiore, quod audimus his temporibus exoriri quoſdam, qui neſcio quo ſpiritu ducti, conanť diuorũ ac diuarum gloriã obſcurare, negãtes ſanctos

uita

uita defunctos uotis fidelium inuocandos,quum nihil possint apud deum, negantes illis ullum deberi cultū, quū nulla sint illorū merita. Nos uero Christiani populi exemplum tot ætatum serie ueluti per manus nobis traditū sequentes,tum orthodoxorū longo secu lorum consensu probatam sententiā libenter amplectentes,super omnia uero diuinarum scripturarum autoritate nitentes, religiosum ac pium esse ducimus, iuxta psalmographi cohortationem laudare dominum in sanctis eius,ac iuxta doctrinā Ecclesiastici,qui dicit: Sapientiam sanctorum narrent populi,& laudem eorum nunciet ecclesia, toto pectore fa uemus sanctorum gloriæ, sed præcipue uirginis matris, è cuius sanctissimo corpore Iesus sanctorum omnium princeps & autor in orbem prodire uoluit. Etenim si pium est in o mnibus rebus cōditis atque adeo in culicibus & araneis glorificare dei bonitatē, potenti am ac sapientiam: quanto iustius est idem facere in sanctis, in quibus peculiariter expres sit argumenta suæ gloriæ? Et si merito ueneramur uiuos homines, in quibus emicat gra tia diuina, quum adhuc possint in malum deflectere, quanto iustius est, uenerari memo riam iam cum principe suo Christo regnantium: & si deus hic multa largitur, interpella tus hominum piorum precibus, qui & ipsi nōnunquam egent deprecatore, quanto pro babilius est,nec sanctos hinc ereptos posuisse curam fratrum suorum,& deum ad illorum interuentum, quos iam regni sui consortio dignatus est,multa donare nobis? Quemad modum reges sæpenumero quæ per se donaturi fuerant, malunt ad huius aut illius ami ci preces donare, si quem uolunt affectibus populi commendari. Dominus tot ædidit mi racula per sanctos suos adhuc mortali corpore onustos, & incredibile uidetur si per eos dem iam gloria & honore cœlesti coronatos ædit miracula? Qui colit diuos, colit Chri stum in diuis: qui laudat sanctos, laudat Christum in sanctis: qui imitatur sanctos, imita tur Christum in sanctis suis: qui inuocat sanctos, inuocat Christi auxilium per sanctos: qui adorat sanctos,adorat dei dona in sanctis. Is enim est in omnibus & super omnia, co lendus, adorandus,glorificandus, inuocandus & imitandus. Manet deo sua gloria nulli communicabilis. Verum ut non inficiamur omnem gloriam redundare in patrem & fili um & spiritum sanctum,uelut in fontem principalem & inexhaustum: ita non probamus illorū conatus,qui obstrepunt his, quia pio affectu colunt & adorant illos quos deus tan to honore dignatur. Nec ideo tollendus est diuorum cultus, si quidam eos superstitiose colunt. Ad hæc sicut fatemur præcipuum esse cultum sanctorū amore dei,si quis illorum uirtutes quibus deo placuerunt imitetur: ita non dubitamus quin deo sit gratus illorum pius affectus,qui sanctos quos student pro uiribus æmulari,eosdem etiam religiosis hono ribus prosequuntur. Rursus ut fatemur exempla pietatis rectissime peti a Christo,in quo perfectissima sunt omnia: ita nō est fraternæ charitatis,insectari pios affectus populi Chri stum in sanctis admirantis & imitantis, Non aliter quam solem admiramur in amne relu centem,& imaginem è speculo redditam effingimus. Alioqui nō satis pie scripsisset Pau lus Apostolus: Imitatores mei estote sicut & ego Iesu Christi. Neque dubitandum est quin inter omnes sanctorum ordines præcipuus honos debeatur uirgini matri. Ad cu ius solum nomen mentes piæ solatium aliquod sentiunt. Non est nostrum discutere quo modo deus in his aut illis locis per sanctos suos ostendat uirtutem & gloriam suam. No stræ pietatis est in omnibus adorare dei maiestatē, ac pro beneficijs quomodocunq; colla tis gratias agere. His alijsq; rationibus adducti libenter approbauimus missam siue Litur giam in laudem eiusdem uirginis apud Lauretum celebris magnisq; miraculorum pro digijs inclytæ, quam nuper composuit uir de studijs ac pietate benemeritus, Des. Eras mus Roterodamus. Volumus igitur & assentimur ut quemadmodum quorundam pijs affectibus interpellati sumus, eadem missa siue Liturgia diebus his quibus solet sanctissi mæ uirginis memoria celebrari, in nostræ diœceseos ecclesijs in honorem prædictæ uir ginis legatur aut decantetur. Non quod alia sit quæ apud Lauretum colitur, quàm quæ toto terrarum orbe ubicunque Christi nomen sanctum est, pijs omnium studijs celebra tur & inuocatur, sed quod deus pro sua benignitate diuersis locis per genitricē suam,pro fert suam in homines munificentiam & misericordiam, quo illius memoriam nobis red dat modis omnibus sacrosanctam: & quo spiritualibus præmijs magis prouocemus hominum studia ad cultum sanctissimæ uirginis, omnibus qui dictis diebus hanc mis sam religioso affectu celebrauerint omnipotentis dei misericordia, eiusque sanctissimæ

matris

matris ac beatorum Ioannis apoſtoli & Stephani protomartyris ſuffragijs confiſi, quadraginta dies de iniunctis ipſis pœnitentijs, miſericorditer in domino relaxamus. Datum in oppido noſtro Gyaco ſub ſigillo paruo cameræ noſtræ, die uigeſimo menſis Aprilis. Anno domini M. D. XXIIII.

A. de Vergeyo

Per dictum dominum reuerendiſsimum

DES. ERASMI ROTERODAMI DIVÆ GENOVEFÆ præſidio à quartana febre liberati, Carmen uotiuum.

Diua pij uatis uotiuum ſoluere carmen
Qui cupit, aſpiratis uotis ſterilē imbue uenā
Mētis, & ut te digna canat, tu ſuggere uires
Protectrix Genouefa tuæ fidiſsima gentis,
Gallia q̄ late triplici diſcrimine ſecta
Porrigitur: ſed præcipue tibi pars ea cordi eſt,
Sequana qua hoſpitibus factus iam animoſior undis,
Matrona quas defert, fluuioq̄ admiſcet amico,
Pomiferos per agros, per prata uirentia, perq̄
Vitiferos colles, adopertaq̄ frugibus arua,
Vitreus incedit & ad amplam Pariſiorum
Metropolim properans, ad leuam pronus adorat
Arcem uirgo tuam, mox brachia diuidit, atque
Virgineæ matris ſpatioſam amplectitur ædem:
Ac flexu auguſtam ueneratus ſupplice diuam,
In ſeſe redit, adq̄ tui cunabula partus,
Ac prædulce ſolum quo ſacra infantula primos
Vagitus dederas, feſtinat alacrior amnis.
Viculus eſt humilis, ſed tali prole beatus:
Huc igitur properans, obiter uicina ſalutat
Phana dicata tibi, Celtarum lux Dionyſi.
Hac regione diu ſinuoſis flexibus errans,
In ſe uoluitur atq̄ reuoluitur, ora ſubinde
Ad cunas Genouefa tuas, urbemq̄ relictam
Reflectens, dicas inuitum abſcedere flumen.
Eſt merito cunctis uenerabile Namethodorum,
Cui licet hoſpitibus monumenta oſtendere priſca
Ortus diua tui, fontemq̄ liquore ſalubri
Vndantem. at potius bis terq̄ quaterq̄ uidetur
Præſide te felix populoſa Lutetia uirgo,
Cuius tutelam pariter cum uirgine matre
Iugibus excubijs peragis: nec enim illa grauatur
Muneris eiuſdem collegam: tu quidem in alta
Sublimis ſpecula late circumſpicis agros,
Ac mala propulſas charis minitantia Gallis:
Illa fouet gremio miſeros, mediam per urbem
Audit egenorum ploratus: hic quoq̄ natum
Clementem mater referens, nihilo ſecus ac tu
Sponſa tuum Genouefa refers mitiſsima ſponſum.
Interea paribus ſtudijs defenditis ambæ
Germanos Druidas, ac maieſtate ſenatum
Regali, ſed chriſtophilum ſuper omnia regem,
Illos qui populo referent oracula mentis
Diuinæ, hos uarijs ut mixtam gentibus urbem
Aequo iure regant. eſt ueſtri muneris ergo

Nulla

Nulla quod hoc æuo reſpublica floreat uſquam
Proſperius. Sed tempus adeſt ut carmine grates
Perſoluam Genouefa tibi pro munere uitæ,
Ac pæana canam, multis è milibus unus
Quos ope præſenti ſeruaſti. Languida febris
Triſte tenax q̃ malum, quod quarto quoq; recurrit
Vſque die, miſeros penitus peruaſerat artus.
Conſultus medicus ſic conſolatur, abeſſe
Diceret ut uitæ diſcrimen, ſed fore morbum
Lentum. mox hæc uox me non ſecus enecat, ac ſi
Dixiſſet, prius atq; quater ſol occidat, alta
In cruce pendebis. ſiquidem eſt renouata cicatrix,
Dum mihi poſt multos animus reminiſcitur annos
Quod puerum toto febris me hæc torſerat anno.
Proin erat in uotis mihi mors, quia triſtius omni
Morte malum medicus denunciat. hic mihi numen
Diua tuum uenit in mentem, ſimul optima quædam
Spes animum reficit, tacitoq; hæc pectore uoluo:
Virgo ſponſa deo gratiſsima, corpore terram
Quum premeres, ſemper miſeris ſuccurrere ſueta,
Et nunc plura potes, poſtquam te regia cœli
Cepit, & es Chriſto ſponſo uicinior, huc huc
Flecte oculos Genouefa tuos, & corpore febrim
Pellito: me ſtudijs, ſine queis nec uiuere dulce eſt,
Obſecro reſtituas. etenim leuius puto, uitam
Exhalare ſemel, quam lento areſcere morbo.
Quod tibi pollicear, nihil eſt, nec tu indiga noſtri es.
Quod ſupereſt, grato recinam tibi carmine laudes.
Vix ea fatus eram, nullo cum murmure linguæ,
Verum intra arcanæ mecum penetralia mentis,
Prodigioſa loquar, ſed compertiſsima, ſtratis
Exilio, reddor ſtudijs, ueſtigia nulla
Sentio languoris, nec inertis tædia febris.
Septima lux aderat, qua ſe quartana recurrens
Prodere debuerat, ſed corpus alacrius omne
Quam fuit ante uiget. medicus redit, atq; quid actum
Miratur, uultum ſpeculatur, & ore latentem
Explorat linguam, tum quem ueſica liquorem
Reddiderat, poſcit: quin brachia denig; ſummis
Pertentat digitis: ubi nullas comperit uſquam
Morbi reliquias: & quis deus, inquit, Eraſme
Te ſubito fecit alium? quis corpore febrim
Depulit? ac uatem me, quo de gaudeo, uanum
Reddidit? is quiſquis diuûm fuit, arte medendi
Plus noſtra, fateor, multo ualet: haud ope poſthac
Noſtra opus eſt. nomen medici uis noſſe? Guihelmus
Copus erat, iam tum florens iuuenilibus annis
Me quamuis ætate prior, perfectus ad unguem
Dotibus ingenij, ſophiæq; mathemata callens,
Vt ſi quiſquam alius: ſenio nunc feſſus in aula
Franciſci regis, procerum inter lumina, cunctis
Charus adoratur, fruiturq; laboribus actis.
Hic igitur mihi teſtis erit grauis, atq; locuples
Munere diua tuo reuocatæ uirgo ſalutis.

Quanquam

Quanquam quicquid id eſt, autori gloria Chriſto
In ſolidum debetur, honoſcꝫ perhennis in æuum.
Muneris huius erat, quod uiua deo placuiſti,
Muneris eiuſdem eſt, quod mortua pluribus ęgris
Præſidio es. ſponſo ſic uiſum eſt omnipotenti,
Per te largiri gaudet ſua munera, per te
Gaudet honorari: ueluti lux ignea Phœbi
Per uitrum ſplendet iucundius, ac ueluti fons
Per puras transfuſus amat manare canales.
Hoc unum ſupereſt, ut te precer optima uirgo,
Ne mihi ſit fraudi, quod tanto tempore uotum
Soluere diſtulerim. patere hanc accedere laudem,
Tot titulis Genouefa tuis, ut caſtior uſquam
Nulla fuit, toto non ulla modeſtior orbe,
Sic nec in æthereis clementior ulla feratur.

FINIS

DES. ERASMVS ROTERODAMVS CASTIS/
ſimæ puellæ Margaretæ Roperæ S. D

NOTIES iam prouocor tuis ſororumꝫ tuarum literis, optima Margareta, tam ſanis, tam argutis, tam modeſtis, tam candidis, tam amicis, ut etiam ſi quis titulos detrahat, Thomæ Mori γνήσια τέκνα poſſim agnoſcere. Ne uero ſemper uideamini ceciniſſe ſurdo, ſtudijs quibus obruor, paululũ ociꝭ ſuffuratus, hiſce diebus Natalitijs, paraui munuſculum, quod ſpero uobis non ingratum futurum. Quod felix fauſtumꝫ ſit, Guilielmus Roperus ea morum integritate, ſuauitate, modeſtiaꝫ prædítus, ut ni ſponſus eſſet tuus, germanus uideri poſſet: dedit tibi auſpicatiſsimas cõiugij primitias, aut ſi mauis tu illi dediſti: uel ut uerius dicam, uterque dedit alteri παιδίον, quod diſſuauietur. En mitto tibi & alterum puerum, multo auſpicatiſsimum IESVM naſcentem Iudæis, & mox illuceſcentem gentibus, qui connubij ueſtri prouentum bene fortunabit, quiꝫ ſtudiorum ueſtrorum uerus erit Apollo, cuius laudes pro feſceninis tuis infantulis lyræ poteris occinere. Solus enim hic dignus eſt, qui fidibus, qui fiſtulis, qui uoce, qui muſices omni genere, ſed præcipue modulatis pię mentis affectibus iugiter celebretur. Non dedignabitur à talibus coniugibus decantari, quorum ea eſt uitæ totius puritas, concordia, tranquillitas, ſimplicitas, ut ægre reperias uirginitatis profeſſores, qui ſe auſint comparare. Rarum exemplum hoc præſertim ſeculo, ſed quod uideo breui ad plures permanaturũ. Habetis iſthic Reginam, uelut iſtius ſanctiſsimi chori Calliopen. Sunt & in Germania familiæ non obſcuræ, quæ neutiquam infeliciter meditantur, quod uos hactenus feliciſsime præſtatis. Bene uale non infimum æui Britaniæꝫ tuæ decus, & totum iſtum chorum mihi ſaluta diligenter. Baſileæ ad Chriſti natalem.
Anno M. D. XXIIII.

COMMENTARIVS IN HYMNVM PRVDENTII, DE NATALI PVERI Iesu, per Erasmum Roter.

CArmen Iambicum primum cõuicijs repertum est, ꝙ breuis syllaba addita longæ, uelut exprimat ictum ferientis, ac subinde repetentis: quemadmodum Pyrrichius tumultum accurrentium ad pugnam, uerum posteriores quoduis argumẽtum accommodarunt Iambis, quemadmodum & Elegis, qui primum inuenti sunt querimonijs. Ambrosius hoc genere potissimum est delectatus, in quo illud à nobis obseruatum est, quod plerumq; penthemimeris finit dictiõem, & ab hac dictio trisyllaba claudit dimetrum. Quæ compositio carmen facit mollissimũ, ut: Deus creator, hęc est pẽthemimeris. Sequitur dictio dactylica, omniũ. Rursus: polioq; rector: sequitur, uestiẽs. Itẽ: diẽ decoro, sequitur, lumine, Rursus noctiẽ soporis: sequitur, gratia. Id frequẽtius fit apud Ambrosiũ, ꝯ ut casus uideri possit. Nec infrequenter idẽ obseruat noster Prudentius. Certe in primis quinq; uersibus cõtinenter obseruauit. Quid est quod arctũ, post hanc penthemimerim, quę finit dictionẽ, addit dactylũ. Quanꝯ in genere carmẽ omne mollius est, ꝙties penthemimeris finit dictionẽ. Nõ est ignota libertas huius carminis. Recipit enim in locis imparis numeri, hoc est, primo ac tertio pro Iambo Tribrachyn: utpote respondentem Iambo, non in syllabarũ, sed temporum numero. Nam longa geminũ habet tempus. Præterea spondæũ, & huic in temporibus respondentes, Dactylum & Anapestum. In locis uero paris numeri, hoc est secundo & quarto, non recipitur nisi Iambus, nisi quod secundus admittit etiam Tribrachyn. Nam quartus nõ patitur nisi Iambũ aut Pyrrhichium. Ambrosius tamen hac libertate uerecundius est usus. Anapestus gratiã habet primo loco, in tertio nõ item. Dactylus utroq; loco durior est. Veteres Iambicum ex meris Iambis cõtexebant, quemadmodũ spondaicum ex meris Spondęis. Posteriores quo carminis celeritatem temperarent: Spondęum admiscuerunt. Et hoc carminis genus putant esse mollissimum, quod alternat Spõdæis & Iambis, qualia pleraq; sunt Ambrosiana & Prudentiana. Iam lucis orto sydere. Iam sol recurrens deserit. Est autẽ inuidum & affectui congruens exordiũ, à dubitatione. Quid est quod arctum. Porró subitũ illud conuenit poetę, uelut afflato prophetico spiritu, quo nihil dubito quin afflatus fuerit, quũ hæc scriberet. Est aũt illud hominis uere pij, nihil nõ uertere in occasionẽ pietatis. Itaq; Prudentius, quod à solstitio brumali dies incipiunt crescere, torquet ad cõiecturam pueri Iesu, iam properantis ad exordiũ, quum idem fiat singulis annis. Nec eñ ideo dies increscebat, quod Iesus nascereẽ, sed quod sol ingressus capricornum, citius relinquat oculos eorum, quorum orizon est sub sphæra obliqua, extra æquatorẽ habitantium: quemadmodum ubi sol accedit in cancrum, ĩsdem dies est longior. Quoniam autẽ in rebus diuinis nihil fortuito geritur, nõ sine causa tempus hoc anni delectum est natiuitati Iesu. Refrixerat ubiq; charitas. Ignorantiæ tenebris & caligine uitiorum obductus erat mundus. Philosophos tradiderat deus in reprobum sensum, quoq; sibi magis uidebantur sapere, hoc erant stultiores. Pharisæi suis cupiditatibus crassis excæcati, non perspiciebant, quid sibi uellet lex spiritualis. Reges ac monarchæ, quorum arbitrio res humanæ temperabantur lapides & ligna pro deo colebant, quosq; mortales adorabant ut dijs proximos, hi maiestatẽ suã mutę statuæ submittebãt, supplicantes his, qui mente uacabant: opẽ implorantes ab his, qui sibi ipsi nõ ualebant opitulari. Quædam gentes eò uesaniæ deuenerãt, ut simias, canes, serpẽtes, boues, ac cepe pro numinibus uenerarentur. Erant apud quas pium haberetur, mactare parentes, & horum uesci carnibus. Erant apud quas religiosum erat, infantes incendio tradere. An non hæc erat altissima nox? An nõ lux illa naturæ, quam deus primum aspersérat homini, sic in arctum erat contracta, ut penè fuerit extincta? An non & legis Mosaicæ lucerna, qua deus rursus conatus est nostris tenebris succurrere, per pharisæos cæcorum cæcos duces, erat propemodum obruta sensu carnali? Habes noctem & quidem brumalem. Frequẽter autem in mysticis literis dominus Iesus lucis uocabulo designatur. Sic Esaias: Populus qui sedebat in tenebris, uidit lucẽ magnã: & habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est

eis. Et Zacharias: Visitauit, inquit, nos oriens ex alto. Illucescere his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Quin & ipse dñs se uocat lucem mundi. Quod enim sol est in hoc mũdo uisibili, hoc Christus est in mũdo spirituali: quo qui caret, quantũuis doctus, quantumuis ingeniosus, quantũuis eloquens, cæcus est. In uniuersa uero mundi fabrica, nihil admirabilius sole, qui fons est luminis, omnia gignens, alẽs, prouehens, confirmans, uiuificans, uegetãs, omnia exhilarãs, omnia prodens & arguens, omnibus reddens suũ colorem, suamq; faciẽ restituens. Idẽ efficit exorta ueritas Euangelica, qui est Iesus Christus. Ignorantia ueri nox est, peccatum mors est. Qui uiuunt, in luce uersari dicunt: & qui uitam relinquũt, sub tenebras abire uulgo dicuntur. Nox autem somne data est, & somnus mortis imago est. Itaq; mortales noctu quodammodo mortui sunt, donec exortus sol expergefaciat omnes ad uitã. Quemadmodũ sol hic, quem oculis corporeis, cernimus, nunq; amittit lucem suam, siue cernatur, siue non cernatur: sed tamen nobis nox est, quoties interiectus terrę semouet illũ ab oculis nostris: ita Christus nunq; mutatur in sese, uerum quorundam animis exoritur, atq; ibi dies est: quorumdã nõ exoritur, ibi nox est. Quemadmodum autem sol, quum abditur, dicitur occidere: quum exoritur, nasci: sic enim Flaccus, aliusq; & idem nasceris: Sic Christo oriri nasci est. Semper autem à patre nascitur, ueluti radius æternus, à sole sempiterno. Nobis autem exortus est alio modo, condita huius mundi mirabili machina. Rursus pijs mentibus frequenter exoritur, ac in diuersum mutatis occidit. Sed uisibiliter exortus est, prodiens homo factus ex utero castissimæ uirginis. Hæc enim erat illa mystica porta spectans ad Orientem, unde emersit unicus ille sol, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hic nobis sit modus pręfationis, licet non ad rem. Nunc ipsum Pindarum nostrum audiamus.

Quid est quod arctum circulum
Sol iam recurrens deserit?
Christus ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?

Omnia corpora cœlestia, ut sunt sphæricæ figuræ, quæ putatur esse perfectissima, ita motum habent sphæricum. Quæ proxima sunt polis, arctiore circulo circũaguntur. Circulus brumalis non habet nisi octo horas diei in orizonte nostro, quum circulus solstitialis alicubi habeat sedecim, alicubi octodecim: unde uocat arctũ, non quod sol minus cõficiat spacĩ, sed quod quibusdam paucioribus horis appareat, ob sphæræ obliquitatẽ. Recurrens, apto uerbo est usus, quasi sol gestiat ac festinet augere diem ob exortum pueri.

Heu quam fugacem gratiam
Festina uoluebat dies,
Quam pene subductam facem
Sensim recisa extinxerat.

Fugacem. Quum fugax significet fugientem, tamen iuxta nominis rationem magis uidetur dictum à fugando quàm fugiendo. Venuste dixit, gratiam, lucem, qua nihil lætius, quum nox adferat mœrorẽ: & fugacem dixit, properantem abire, Est grata emphasis & in uoluendi uerbo. Sensim recisa, quod insensibilibus gradibus sol ascendat aut descẽdat in zodiaco. Subductã facem ἐλλιπῶς dixit. Nam hoc ipsum est extinguere diem, subducere facem. Est autẽ nõ iniucunda phantasia poetica. Fax circumfertur, ac paulatim decrescit, donec plane deficiat. Exaggerat autem molestiam diei tam breuis, ut amplificet gratiam diei crescentis.

Cœlum nitescit lætius,
Gratatur & gaudet humus.
Scandit gradatim denuo
Iubar priores lineas.

Habet & cœlum suam quodammodo faciem obductum nubibus triste dicitur, quũ sudum est, dicitur lætius: hoc est enim proprie nitescere. Gradatim. Nam signa per quæ sol ascendit ac descendit, per gradus distinguuntur ab astrologis. Lineas, translatũ est à sta-

dĩs

dijs,ubi linea præscribitur,unde cursus incipit. Sic & Astrologi lineas quasdã imaginantur in cœlo,per quas feratur,sic,ut nobis nunquam eadem redeat linea.Priores autem dixit pristinas.Nam prius nonnunq; dicitur,quod potius est ac melius.

Emerge dulcis pusio
Quem matris ædet castitas,
Parens & expers coniugis,
Mediator & duplex genus

Iam uelut auidus exorituræ lucis, per apostrophen inuitat infantem,ut emergat è uirginei corporis latebris.Dulcis,epitheton est filiorum. Sic Flaccus: Domũ atq; dulces liberos. Pusio,diminitiuum est à puero,aptũ blandienti.Aedit pro parit.Et matris castitas dictũ est tropo,pro casta mater.Iuxta naturæ uulgarem cursum,mulier nec concipere potest,nec parere,nisi uiolata mẽbranula, quæ uirginẽ distinguit à corrupta. Sed dei filius sic illapsus est per aurem uirginis in sanctissimum uterum eius, ut nullam corporis partẽ uiolaret.Nascens tamẽ prodijt ex ea parte corporis,qua solẽt & cæteræ mulieres parere. Quamuis aũt hoc non palàm exprimunt Euangelistæ, partum hunc non aperuisse uirginis uterũ,sed illæso pudoris signaculo prodisse,sine dolore nixus, sine diductione partis, qua fœtus emergit, sine repurgamẽtis,quæ fœtum comitari solent, tamẽ plausibilius est, ac magis pium, mea sententia,credere,quod à doctissimis simul ac sanctissimis patribus traditũ est.Parens & expers & cætera.Hi duo uersus duriuscule cohærent cum superioribus.Sic aũt ordinandi sunt castitas,hoc est,uirginitas:parens,id est,genitrix,pro eo quod erat absq; tropo:uirgo parẽs,hoc est,mater:et tamẽ expers cõiugis,id est,intacto marito. Iam mediator & duplex genus referendum est ad id quod præcesit, Emerge dulcis pusio,mediator & cętera.Mediator apud latinos auctores non inuenitur.Sed nos exprimimus Græcam uocem, qua apostoli sunt usi,μεσίτης, à uerbo μεσεῦν,quod Latini nesciunt. Coniungit autem in utroq; duo miranda: in matre fœcunditatem coniunctam uirginitati,in puero diuinam naturam cũ humana copulatã in eadem hypostasi,unde & duplex genus appellatur.Decebat autem,ut qui genus humanum deo recõciliaret,utriusq; naturæ particeps esset.Oportet enim intercessorem utriq; parti familiarem esse.

Ex ore quam libet patris
Sis ortus,& uerbo æditus:
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.

Esaias ita loquitur de Christo.Generationem eius quis enarrabit? Quod non solũ de natiuitate diuina dictum uidetur,uerumetiam de humana.Est autem quadruplex Christi natiuitas.Iuxta eam,quę nec cogitabilis est homini,sine initio,sine fine semper à patre nascitur,semper natus fuit,deus ex deo,omnipotens ex omnipotente. Quod enim est homini sensus aut cogitatio tacita mentis,hoc filius dei est patri. Est enim æternæ mentis,æterna cogitatio.Mens aũt gignit cogitationem, & cogitatio iam in animo concepta, sermo quidem mentis est,quo homo sibi loquitur,Hæc imago utcunq; nobis adumbrat natiuitatem illã,quæ nec initium habuit, nec finem est habitura: quia sic filius nascitur à patre, ut de patris substantia nihil decedat:sic pater producit filium, ut tamen filio nõ sit prior. Cæterum condito per filium mundo, pater nobis uelut eloquutus est uerbũ, & quodãmodo rursus idem genuit,nobis illud reddens aliquo pacto uisibile, quod erat inuisibile. Conspicitur enim in rebus conditis admirabilis dei sapientia,qui est dei filius, & dei sermo. Ex ore)Deus nec os habet,nec ullũ membrum humani corporis,quemadmodum somniabant olim anthropomorphitæ,quod in diuinis literis crebra sit de mẽbris dei mẽtio,Ne auertas faciem à me,Auribus ꝓcipe clamorẽ meum. Nónne manus tua fecit hæc omnia? Inueni uirum secundum cor meum. Oculi domini super iustos.Fecit potentiam in brachio suo.Et cœlum mihi sedes est,terra scabellum pedum meorum.Quoniã autem de sermone loqtur,q̃ est filius dei:quatenus filius est,nasci dicitur: quatenus sermo,proferri.Ex corde nascitur, ex ore profertur,quum cor & os dei nihil aliud sit,q̃ ipse deus gignens ac proferens.Quamlibet recte docet Valla,quanq̃ & q̃uis soleri præponi in ora-

tione quę constat duabus partibus,ut:Quanq̃ alienus es, tamen te ut Christianum amo. Quamuis sis diues,non ideo ius habes in nos.Contrà fit in quamlibet,quę proprium uerbum non habet,sed subijcitur:sic tamen,ut oratio possit in geminam resolui,non enim pili facit te,quamlibet diuitem,uel q̃uis diuitẽ. Nam quamuis utramq; naturã obtinet.Hãc annotationem Vallæ uidetur neglexisse Prudentius. Et haud scio,an alicubi reperiatur etiam apud probatos auctores.Certe apud Aurelĩ Augustinũ reperio. Et uerbo æditus) Non est accipiendum, sermonem sermone esse prolatum, quasi duo sint sermones, alter proferens,alter prolatus,quod ab hæreticis quibusdã somniatũ est, sed uerbo dixit, pro ipsa prolatione.Quemadmodum enim sensus in animo nostro conceptus,quí prius διάνοια dicebatur,ipsa pronunciatione fit λόγος,sic sermo dei ante cõditum mundũ semper nascens ex corde patris,nec inde recedẽs, sapientia erat:ea deprõpta per mundũ conditum,sermo nobis esse cœpit, per quẽ pater nobis loquutus est. Tamen paterno in pectore,Sophia callebas prius.)In sophia produxit syllabã mediam sequutus accentũ Græcum,quẽadmodum & alicubi idem sequutus,corripit mediam in idola, & penultimã in paraclitus.Callebas,ut legas per geminum ll. metri ratio cogit. Positum est aũt callebas, pro sapiebas:non quod in filio dei prius sit sapere,q̃ nasci,sed quod ante mundum conditũ sermo dei latebat in corde patris,ęterni patris sapiẽtia.Proinde Prudentius aut omittit hoc loco generationẽ illam quæ nescit initiũ,de qua tamen alibi loquitur in hymno Trochaico:Corde natus ex parentis ante mundi exordium: ut prior pars,Sis ortus,pertinet ad primam illam generationem ac perpetuã: quod sequitur & uerbo æditus, pertinet ad mundum conditum,ad quem refertur prius aduerbium.

Quæ prompta cœlum,condidit
Noctem diemq̃ & cætera.
Virtute uerbi effecta sunt
Hæc cuncta:nam uerbum deus.

Prompta,id est,prolata siue deprompta.Sic enim legis:Fiat lux, & facta est lux.Condidit.Per uerbum pater condidit mũdum, non tanq̃ per instrumentum, quẽadmodum faber dolabro utitur ad fabricam,sed filius una cum patre condidit.Patri tamen tribuitur autoritas,q̃d ab hoc sit filius & spiritus sanctus. Virtute uerbi)ita Paulus ad Hebręos, per quem fecit & secula.Potens est regum sermo,sed sermo dei est omnipotens. Proinde non mirum,si mundum hunc cõdidit.Nam sermo hic,sic manat à deo,ut sit & ipse deus: & sic depromitur ex ore patris,ut non recedat à corde patris. Ex rebus enim conditis,nihil accedit aut decedit naturę diuinę,quæ prorsus est immutabilis.Docet hoc Prudentius in his quæ sequuntur.

Sed ordinatis seculis,
Rerumq̃ digesto statu,
Fundator ipse & artifex
Permansit in patris sinu.

Scriptura sacra subinde secula uocat,quicquid in tempore cõditum est, & ante secula quod ante mundum conditum.Ordinatis.Alludit ad Chaos,in quo confusa erant omnium rerum semina. Sic & Naso:
Rudis indigestaq̃ moles,
Nec quicq̃ nisi pondus iners, congestaq̃ eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Sic in Genesi diuiditur lux à tenebris,diuiduntur aquæ ab aquis,segregãtur aquæ & existit arida,Distinguuntur species rerum è terra nascentium, distinguuntur animantiũ formę,& suus cuiq; locus,sua cuiq; uis tribuitur:hoc est quod ait,rerũq; digesto statu Fundator ipse & artifex.)Qui fundat incipit,artifex perficit ac regit. Prouerbiorum octauo: Quando appendebat fundamenta terræ,cum eo eram cuncta componẽs.Per filium sunt initia mundi, per filium digestus est, per filium gubernatur, per filium restitutus est, per filium consummabitur.Ipse dixit,pro idem,ut digesto pro distributo. Neq; enim digerere est concoquere,sed in suum quęq; locum disponere.Et sinum appellat pectus siue cor.

Nam

Nam ſinus locus eſt cordis, unde: In ſinu gaudere. In ſinum effundere.

Donec rotata annalium
Transuoluerentur milia,
Atq; ipſe peccantem diu
Dignatus orbem uiſeret.

Semel deprompta ſapientia, condidit & digeſsit mundum quum non eſſet. Iterũ prolata, reſtituit mundum collapſum, hoc eſt hominem: cuius gratia condita fuerant omnia. Rotata, quod circumuolutione cœleſtium orbium diſtinguantur dies, menſes, anni, & ſecula. Milia. Nam ab orbe condito uſq; ad Chriſtum, ſupputantur ſupra milia quinque centum nonagintanouẽ. Atq; ipſe peccantẽ diu) Quoniã fruſtra per Moſen lex data erat, fruſtra miſsi tot prophetæ, uenit ipſe dei filius homo factus. Sic enim loquitur Pſal. 39. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti. tunc dixi: Ecce uenio. Rurſus apud Eſaiam: Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.

Nam cæca uis mortalium
Venerans inanes nænias,
Vel æra uel ſaxa algida
Vel ligna credebat deum.

Vim appellat multitudinem. Nec enim omnes colebant ſimulachra. Aut uim dicit, ut uires hominis diſtinguat à gratia dei. Semel collapſi per peccatum Adæ, nihil aliud ẽq; peccabamus, ſemper in deteriora prolabãtes. Inanes nęnias. Nęnias appellat ſimulachra quibus ueteres tribuebant mentẽ diuinam, quum nec humanam habeant, tametſi gerunt ſpeciem hominis. Quamuis enim nænias uſurpemus pro nugis quibuslibet, tamen proprie nænia eſt cantio funebris, quæ fruſtra canitur mortuo. Reperitur & pro epitaphio. Porrò ſimulachrorum cultus primũ hinc natus eſt, quod parentibus regibus, aut alioqui benemeritis de genere mortalium, à morte ponebantur ſtatuæ, & his diuini honores exhibebantur. Quin Romæ ſolennis erat mos, Cæſares extinctos in deos referre.

Hæc dum ſequuntur perfidi
Prædonis in ius uenerant:
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerſerant.

Chriſtus dominus eſt omnium. Diabolus tyrannus eſt, & prædo, qui ſibi uindicauit quod erat alienum. Ille primus pellexit ad peccandum. Per peccatum autem regnabat, & per peccatum inuecta eſt mors. Porrò quiſquis perpetrat peccatum, ſeruum ſe facit peccati. Et qui peccato eſt obnoxius, trãſit in ius & poteſtatẽ Satanæ. Atq; hoc chirographo totus mundus erat obnoxius diabolo. Perfidos autem uocat, quod deſciſcentes à conditore ac rege deo, defeciſſent ad muta ſimulacra. Vitã barathro) Hoc notat quod dixi, p peccatum inuaſiſſe mortem. Per iuſtitiam regnum eſt dei & per iuſtitiam uita. Per peccatum tyrannus eſt diabolus, per peccatum eſt mors. Barathron Græca dictio eſt, ſignificans locum profundum & obſcurum, in quo ſeruantur nocentes, ſiue uoragines, quę fluuios abſorbent, aut maria. Poteſt accipi de inferis, quò tum migrabant etiam piorum animæ, aut de morte æterna.

Stragem ſed iſtam non tulit
Chriſtus cadentum gentium,
Impune ne forſan ſui
Patris periret fabrica.

Stragem à bello ductum uerbum, à ſternendo. Nam late patebat tyrannis Satanæ, ac uelut impune regnabat, totas nationes detrahens ad inferos. Impune, id eſt, nemine uindicante, ſeu defendẽte. Fruſtra conditus erat mundus, ſi periret homo, cuius gratia conditus fuerat. Cauſam aperuit, quur deus homo naſceretur.

Mortale corpus induit
Vt excitato corpore

Mortis catenam frangeret,
Hominemq; portaret patri.

Inscrutabile consiliũ est dei, quare sic passus sit hominem labi in peccatũ, & quare sic uoluerit illum à peccato liberare. Conueniebat aũt ut homo redimeret hominem, & per mortem mors tolleretur. Quod mortuus est, erat humanæ naturæ, quod resurrexit, erat uirtutis diuinæ. Per mortem Christi abolitũ est peccatũ. Per resurrectionẽ, data est nobis spes immortalitatis. Hominẽ portaret patri) Alludit ad duas parabolas euãgelicas, altera est de oue erratica, quã pastor reportauit humeris suis. Pro nostris em̃ peccatis afflictus, cæsus ac moriens, nos suis humeris impositos reddidit patri. Altera est de Samaritano, qui saucium imposuit iumento suo. Iumentum, hoc est, corpus assumptum.

Hic ille natalis dies,
Quo te creator arduus
Animauit & limo induit,
Sermone carnem glutinans.

Hic ille. Nam erãt & alij dies natales, ut ita loquar. Hic est dies, qui nos asseruit patri. Per apostrophen sermonẽ uertit ad filiũ. Creator. Dicit & sapiẽtia dei creata, pro eo quod est, genita: quanquã hic creator mundi potest intelligi. Animauit. Notat aduersus hæreticos hypostasin Christi, trib. cõstare naturis, diuina, anima humana, et corpore mortali, q̃d hic limũ appellat: eò q; primus ille parẽs è limo factus sit, cui deus insufflauit spiritũ uitalem. Sermone carnẽ. Sermonem appellat filium dei, quod uocabulũ illi proprie cõuenit iuxta naturã diuinã. Inter corpus mortale & diuinã naturã, quasi glutinũ fuit anima Christi.

Sentis ne uirgo nobilis
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?

Rursus à filio sermonẽ flectit ad uirginẽ grauidam. Et interrogatio facit ad affectus alacritatem. Nobilis) Sola enim uirgo peperit, & deũ peperit. Quanq; iuxta carnẽ quoq; genus duxit è stirpe Dauid. Matura p fastidia) Matura dixit tẽpestiua. A fastu & tædio dictum apparet fastidium. Hoc quoties ad animum refertur, sonat in uitium. De grauida uero dixit Vergilius: Matri longa decem tulerint fastidia menses.
Tumorem uteri fuisse in Maria, dubium non est, an senserit & gestationis tædium, incertum. probabilius est non sensisse, quemadmodum nec cruciatum in partu. Eue ueteres pariunt cũ dolore, quoniã cũ pruritu libidinis cõcipiunt. Eua noua, quoniã in cõceptu uoluptatis titillationem non sensit, iure creditur ab omni gestãdi pariẽdiq; molestia fuisse immunis. Pudoris intactũ decus) Virginitati etiã apud ethnicos suus est habitus honos. Est em̃ uelut præcipuus decor ac flos humani corporis. Cõiugatis aũt ut probro dabat sterilitas, ita glorioſum erat marito similẽ prolẽ ædere. Sola Maria laudem utranq; tulit, & integritatis inter uirgines, & fœcũditatis inter cõiugatas. Nã ut multę numerosius pariãt, certe nulla pepit felicius. In alijs honor materni nominis ita succedit uirginitati, quẽadmodũ fructus succedit flori. In Maria uirginitatis gratia non est uiolata, sed cumulata dignitate partus.

O quanta rerum gaudia
Aluus pudicæ continet,
Ex qua nouellum seculum
Procedit, & lux aurea.

Multi putãt Sibyllã Cumanã, uaticiniũ quod Verg. in Bucolicis aliò detorsit de Christo prodidisse. Ex poetarũ fabulis discimus, Sub Saturno, quoniã mores hominũ erãt incorrupti seculum aureũ fuisse, huic succesisse argenteũ, morib. longe deterioribus. Deinde uenisse ferreũ, omnib. ita corruptis, ut ne uestigia quidẽ extarent priscæ probitatis. Iesus aũt natus renouauit omnia, & aureã ętatẽ nobis reduxit. Sic Vergil. ex sententia Sibyllę. Magnus ab integro seclorum nascitur ordo. Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna. Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

O quanta rerum,) Rerum addidit festiuitatis causa, quasi muta quoq; & inania sentirint

rint uoluptatẽ,naſcente Ieſu. Nouellum ſeculũ) Vetus Adam docuit ſuos peccare:nouus Adam,qui eſt Chriſtus Ieſus,docuit innocentiam & obedientiã. Paulus iubet ut exuamus ueterem hominem,hoc eſt,affectus malos,& induamus nouum,hoc eſt,agnum illum,qui in Apocalypſi loquitur.Ecce ego noua facio omnia.Et apud Eſaiam dicitur. Pater futuri ſeculi,princeps pacis.Non eſt autem pax impijs dicit dominus. Et luxaurea. Alludit ad aureum ſeculum, quanquam ſolis fulgor propríe dicitur aureus. Lunahabet lucem,ſed non auream. Eximiam autem lucem uocat auream.

Vagitus ille exordium
Vernantis orbis protulit.
Nam tunc renatus ſordidum
Mundus ueternum depulit.

Vagitus nomen à ſono fictum,quod huius dictiõis primam ſyllabam fœtus maſculus prorepens ab utero matris ſoleat ędere.Nam fœminę uoce tenuiore magis ſonant ue.Parum felix auſpicium huius uitæ tot malis obnoxię.Qua de re uide Plinium libro 7.cap.1. In Chriſto contra uagitus indicabat mundum renaſci:quandoquidem qui baptizãtur in Chriſtum,per illum renaſcuntur,ac depoſita uetuſtate prioris malitiæ,quaſi modo geniti infantes,lac animi concupiſcunt. Vernantis orbis.)Habet & annus ſenium ſuũ.Extremus autumnus reſpondet ſenectæ decrepitæ,ſiccus ac frigidus. Bruma ueluti fouet in utero fœtum humidum & calidũ . Eum uer uelut ædit donec adoleſcat. Aeſtas uirilis eſt ætas anni,unde dixit,uernantis orbis,quaſi renaſcentis.Cæterum in illis regionibus ubi natus eſt Chriſtus,hyems multo breuior eſt,quam apud nos.Quandoquidem & Romæ poſt ſextumdecimum diem Ianuarij,iam terra meditatur repubeſcere. Nam tũc renatus ſordidum.)Nondum renatus erat mundus, quia nondũ paſſus fuerat Chriſtus,uerũ is natus erat, per quẽ omnes renaſceremur. Veternus morbus eſt ſenibus familiaris, qui ſomnolentiam inducit ac ſitim. Vnde Terentius ueternoſum dixit, ſenilem eunuchũ ac flaccidum.Addidit ſordidum,quod iuuentus habeat nitorem. Alluſit aũt ad hyemem,in qua ſqualẽt ac torpent omnia: unde & ignaua dicitur à poetis, quod tũ ceſſent agricolæ:

Parſiſſe tellurem reor
Rus omne denſis floribus,
Ipſaſq; arenas ſyrtium
Fragraſſe nardo & nectare.

Non eſt fabuloſum Ieſu natiuitatẽ plenã fuiſſe gaudiorum,Conceptionẽ blando alloquio nunciat angelus.Nato puero cœleſtis auditur muſica.Oſtenditur ſubita lux,paſtoribus,annunciatur gaudium magnũ,ad ſtellæ fulgentis indicitũ accurrunt Magi.Cæterũ quod hic narrat Prudentius,iuxta tropologiã eſt intelligendum, quẽadmodũ & illa quæ ſcribit Eſaias cõſimili tropo. Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hædo accubabit, uitulus & leo & ouis ſimul morabuntur:uitulus & urſus paſcentur ſimul,requieſcẽt catuli eorum. Et leo quaſi bos comedet paleas.Et delectabitur infans ab ubere,ſuper foramen aſpidis,& in cauerna reguli, q ablactatus fuerit,manũ ſuã mittet.Itẽ propheta Iohel:Stillabunt montes dulcedinẽ, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iudææ fluent aquæ & cætera.Similiter & Amos:Et ſtillabunt montes dulcedinẽ,& omnes colles culti erũt. Hæc enim in ſpeciem nõ uidentur admodum diſſimilia his quæ ſcribit Vergilius:
At tibi prima puer nullo munuſcula cultu, Errantes hederas paſsim cum baccare tellus, Mixtaq; ridenti colocaſia fundet acantho. Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellę Vbera,nec magnos metuent armenta leones, Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores. Occidit & ſerpens,& fallax herba ueneni Occidet,Aſſyrium uulgo naſcetur amonum. Cęteraq; quæ proſequtur ille ex Sibyllæ uaticinio: Adhęc nimirũ alluſit Prudentius, rus appellãs homines incultos,nullis florẽtes uirtutib. Syrtes barbaras natiões quarũ feritas & immanitas uix ullis diſciplinis uidebatur poſſe mãſueſcere.Hæc Chriſtũ factæ bonus odor deo in omi loco,quẽadmodũ ingt Paulus; pietatis fragrãtia ſuperãt nectar ac nardum.

Te cuncta naſcentem puer
Senſere dura ac barbara.
Victuſq; ſaxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.

Aperit allegoriam. Sentit de Scythis, Gotthis, Hybernis, olim saxis ac scopulis similiores q̃ hominibus. Hinc occasio ueteris fabulæ de Amphione, qui testudine suo mouit saxa. Et Orpheo, qui cithara sua quercus post se traxerit. Fortasis hinc & Saxonibus inditum olim nomen. Nulla natio tam aliena fuit ab omni humanitate, nulla tam bruta & effera, quã Christi iugum non emollierit, ac cicurarit. Hoc enim est quod promiserat per Osee prophetam, ut ex non populo fieret populus dei. Et iuxta Paulum, uocẽtur ea quæ non sunt, tanq̃ sint. Saxorum rigor) Rigidũ dicitur, quod frangi possit citius, quàm flecti. Vnde & saxorũ rigor dicitur, et hyemis rigor, quod gelu reddat omnia fragilia. Erant olim gentes adeo feræ, ut nec legibus, nec armis, nec Græcorum disciplinis possent mansuescere. Solus Christus ex silicibus fecit homines. Nimirum hoc erat, quod dominus minitabatur Iudæis, quod deus potens esset de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quod minatus est, fecit. Obduxit herbam) Hoc uerbum est ex eorũ genere, quibus in eodem sensu bifariam utimur. Aspersit illi labem, & aspersit illum labe. Induit illi tunicam, & induit illum tunica. Sic obduxit herbam cotibus, & obduxit cotes herba. Cotibus dictũ est, pro cautibus, quemadmodum plostrum pro plaustrum. Et haud scio an Prudẽtius scripserit cautibus. Traxit & Vergilius hinc comparationem duræ mentis & implacabilis:

Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Iam mella de scopulis fluunt,
Iam stillat ilex arido
Sudans amonum stipite,
Iam sunt myricis balsama.

Plus dicit quàm Vergilius: Et duræ quercus suuabdnt rosida mella, Scopuli madent potius aspergine salsi maris. Ilex est genus glandiferarum. Et poetæ frequenter abutuntur specie pro specie. Sudans amomum. Amomum est frutex, dicitur & fructus fruticis, uuæ labruscæ similis: unde dixit, sudans. Est enim unguentum, quod sic redditur ab amomo, quemadmodum thus & gummi resudat è sua arbore. Est autem hoc plerisq̃ commune. Vnde & stacte odoramenti genus græcis, stilla dicitur. Iam sunt myricis. Myrica humilis uirgulti genus est, cuius meminit Vergilius in uaticinio Sibyllę: Non omnes arbusta iuuant humilesq̃ myricæ, Inter omnia uero unguenta, prima laus est balsamo. Vide Plinij librum duodecimum.

O sancta præsepis tui
Aeterne rex cunabula,
Populisq̃ per seclum sacra
Mutis & ipsis credita

Coniungit inter se diuersissima. Quid humilius cunabulis & præsepi? Quid sublimius æterni regis nomine? Sic uisum est illi, qui uocauit mundum, ex humillimis & cõtemptis reddere sublimia: contra, quod altũ erat deijcere. Populisq̃ per secl.) Non omnia tẽpla omnibus populis olim erant ueneranda, Vnaquæq̃ gens suos habebat deos. Tum autem & tempora uariabant religionem, Ioui cessit Saturnus. Hæc cunabula quæ nobis dederunt regem æternum, cunctis orbis nationibus ueneranda sunt, idq̃ per omnia secula. Regis æterni, cultus est æternus. Et omnium regem omnes merito uenerantur. Mutis et ipsis credita.) A priscis usque seculis manauit ad nos pictura, quæ Iesu præsepi addit bouem & asinum quod tamen in sacris literis nusquam aperte proditũ est. Sed occasio sumpta uidetur ex Esaiæ prophetia, quæ dicit: Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe domini sui, populus aũt Israel me non cognouit, & populus meus nõ intellexit. Certe huc spectauit Prudentius. Bos enim & asinus nihil crediderunt, sed barbaræ gentes, seruientes dæmonijs & cupiditatibus suis, ac brutorum in morẽ uiuentes credidere Christo, quum populus Israeliticus etiam hodie Christo rebellet.

Adorat hæc brutum pecus
Indocta turba scilicet.
Vis cuius in pastu sita est,
Adorat excors natio.

indo-

Indocta turba) Turba, dixit contemptim, quum populus Israel esset populus electus ac deo peculiaris, Indocta, quia, quod est omnium præcipuum, nesciebat deũ. Soli Iudęi per legem nouerant unicum deum. Vnde & Christus insedit asino, qui gẽtium figuram habebat. Brutum pecus, quod non sapit. Indocta propter ignorantiam legis. Vis cuius in pastu sita est, ob luxum & libidinem, cui seruiebant more brutorum animantium, quę natura prona, & uentri obedientia finxit. Excors, quia nondum habebat, quod optat Dauid. Cor mundum crea in me deus. Vnde præuaricatores iubentur redire ad cor.

Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens & quadrupes,
Sapiatq́ quod brutum fuit,
Negat patrum prosapia
Perosa præsentem deum.
Credas uenenis ebriam
Furijsue lymphatam rapi.

Quemadmodum in distichis Elegiacis ferè pẽtameter absoluit sensum, ita in Iambicis dimetris obseruatur, ut quartus absoluat, quod tamen perpetuum non est. Nam hic pendet constructio, sed ita ut priores quatuor principale mẽbrum absoluãt: Sensus est, quum ad Iesu cunabula concurrant pastores, concurrant Magi, concurrant Scythæ, Arabes & Indi, gens pagana, quæ nihil secum adfert, præter simplicem fidem, quum nec habeat legem, nec religionem, nec benefacta (Paganam uocat rusticam, et à sacris alienam, quadrupedem ob brutas cupiditates quibus ante seruiebat) tamen Iudæi, ex quorũ genere prodijt Christus, negant & oderunt prẽsentẽ, quem tot seculis expectarant, clamantes: Veni dñe & libera nos. Veni & noli tardare, relaxa facinora plebis tuę Israel. Credas, credere possis, Nam modus est potentialis. Venena dixit ueneficia, quibus inducitur dementia. Furijsue lymph. Lymphari dicuntur phanatici, qui furore per numen aliquod immisso agitantur. Lympha enim aqua est. Et creditum est olim, ꝙ qui nympham uidisset in fonte, furijs ageretur. Sunt & fontes, qui gustati dementiam adferant.

Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quicq́ tibi
Mentis resedit integræ,
Ducem tuorum principum.

Apostrophe ad Iudæos. Agnoscimus quod prius cognitum noscitamus & amplectimur. Prophetæ & legis figuræ Christum depinxerãt. Talis uenit, qualis erat promissus, & tamen Iudæi nolunt agnoscere. Resedit, pro reliquũ est. Et integrę dixit, pro sanæ. Ducem tuorum principum. Haud scio an Prudentius scripserit principem, ut dux princeps intelligatur primarius ac summus. Nam & Moses, & Iesus Naue, & Dauid duces erãt. Sed hic erat omnium dux. Ille eduxit Mosen ex Aegypto. Ille deduxit per desertum, comitante illos petra: petra aũt ut scribit Paulus, erat Christus. Ille afflauit Samuelẽ ac prophetas. Ille Dauid. Quanq́ enim Christi uocabulum pertinet ad naturam humanam, tamen ob hypostaseos singularitatẽ de homine prædicantur, quæ peculiariter sunt naturæ diuinæ, & contrà.

Hunc quem latebra & obstetrix
Virgoq́ fœta & cunulæ,
Et imbecilla infantia
Regem dederunt gentibus,
Peccator intueberis
Celsum coruscis nubibus
Deiectus ipse, & irritis
Plangens reatum mentibus.

Rursus

Rursus pendet post quartum dimetrum ordo. Duos depingit aduentus Iesu, alterum quo uenit humilis, ut seruator omnium, alterũ quo ueniet sublimis, iudex uiuorũ ac mortuorum. Qui hic cõtempserunt humilẽ, illic formidabunt sublimem. Hunc, eũdem. Veniet enim idem uisibili corpore. Latebra quia in obscuro oppidulo, in abiecto loco diuersorij. Et obstetrix, mulier contempta. Virgo fœta, quo nihil incredibilius uidebatur. Cunulæ, præsepe. Et imbecilla infantia, Nihil ea ætate contemptius. Hæc tam abiecta tamq; contempta regem dederunt uniuersis. A tam humilibus initijs deus ęternũ illud regnum uoluit exoriri. Peccator, qui noluisti credere. Intueberis. Videbunt in quẽ cõpunxerunt. A resurrectione nõ exhibuit se cõspiciendũ, nisi discipulis. In extremo die sese exhibebit omnibus. Celsum coruscis nubibus. Sic ipse promittit in Euangelio: Amodo uidebitis filium hominis uenientem in nubibus cum maiestate patris. Coruscis. Sicut fulgur emicat ab una cœli parte erumpens in diuersum, ita subito uidebitur. Deiectus ipse. Tunc uersis rerum uicibus, ille sublimis erit cum suis, cum quibus hic erat deiectissimus: & erunt deiectissimi, qui hic uidebantur sublimes. Irritis fletibus. Tum enim sera erit pœnitentia, sed quisque metet prout seminauit.

Cum uasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis soluerit,
Insignis ipse & præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam & tartarum.

Magnifice dixit uastam buccinam, quæ nusq; non audiatur. Sic Paulus: Canet em̃ tuba. Terris cremãdis.) Vt per diluuium olim purgatus est mundus, ita tũ per incẽdium purgabitur. Somniarunt hac de re nonnihil & poetæ ex uaticinijs Sibyllæ, quæ multa refert Lactantius. Quanq; idem dicit Petrus epistola secunda, capite tertio: Cœli autem qui nunc sunt & terra, eodem uerbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Ac paulopost. Aduenier aũt dies domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa uero calore soluentur: terra aũt, & omnia quę in ipsa sunt opera exurentur, &c. Nam sat est indicasse locũ ad quem alluserit poeta. Et scissus axis.) Orbes cœlestium corporum per suos quiq; polos uoluuntur, non aliter quàm rota uoluitur per axem.

Iudæa tunc fulmen crucis
Experta qui sit senties,
Quem, te furoris præsule,
Mors hausit, & mors reddidit.

Hoc carmen à sciolo deprauatum restitui. Sic enim habebatur: Experta quę sit senties. Quæ te furoris præsule, Mors hausit, & mors reddidit. Sensus hic est: O Iudæorum incredula natio, quæ Christum priori aduentu noluisti agnoscere, sed Clamasti crucifige, crucifige, non habemus regem nisi Cæsarem, tunc quum uidebis triumphale signum crucis è sublimi, fulminis ritu perstringens oculos impiorum: per hoc agnosces, quis & qualis sit ille pridem contemptus ac ludibrijs affectus, quẽ mors absorbuit, te præsule furoris, hoc est te autore mortis, quę Pilatum inuitum adegisti ad impium facinus, & mors reddidit quemadmodum Ionam absorbuit cetus, ac tertio die reuomuit.

COMMENTARII IN HYMNVM PRVDENTII
de natali pueri Iesu, per Erasmum Rot. Finis.

Erasmi

ODES ERASMI ROTERODAMI

COMMENTARIOLVS IN HYMNVM PRVdentij de Epiphania Ieſu nati.

CHriſtus, qui ſeruandis omnibus uenerat, unamquanq; gentem captauit occaſione rerum, quibus delectabatur, quibusq; fidebat, Iudæos allexit miraculis, Magos aſtrologiæ deditos attraxit indicio ſtellę peculiari luce fulgentis, Græcis miſit Paulum, eloquentia pollentem, & appoſitum ad congrediendum cum philoſophis. Venit autem humilis, ut nos eueheret ad amorem rerum cœleſtium. Aſcendit in cœlos, ne per illum reſuſcitati ad uitæ nouitatem, poſthac rerum humilium amore teneamur ſed eò ferantur ſtudia noſtra, quò præceſsit caput noſtrum. Itaq;

Quicunq; Chriſtum quęritis,
Oculos in altum tollite
Illis licebit uiſere
Signum perennis gloriæ.

Stella Magis indicabat Chriſtum, ſed nobis Chriſtum repræſentat, Ille præuius in columnà nubis & ignis, eduxit filios Iſrael ex Aegypto. Idem nobis prælucens auocauit à tenebris peccatorum, ac uiam nobis aperuit in patriam lucis æternæ, Deſcẽdit ad nos, ut dux eſſet in cœlũ. Magi niſi ſuſtuliſſent oculos in altum, nõ uidiſſent ſtellã: nos niſi cordis oculos erigamus in cœlũ, non inueniemus Chriſtum. Qui ſcrutantur uenas auri & argẽti, quorum animus ſemper in ſcrinijs, aut in patinis: qui latifundia iungũt latifundijs, quoniam oculos habent in terram defixos, non uident hanc ſtellã. Viſere, proprie ire ad uidendũ, tametſi nonnunq; uſurpatur pro uidere. Signum perennis) Sola gloria Ieſu perennis eſt. Alioqui omnis caro fœnum & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Proinde qui gloriatur, in domino glorietur. Signũ erat eius, qui lux eſt mundi. Stella corpus eſt lucidum: Ita Chriſtus, quo nobis eſſet uiſibilis, carnẽ induit.

Hæc ſtella, quæ ſolis rotam
Vincit decore & lumine,
Veniſſe terris nunciat
Cum carne terreſtri deum.

Exponit quare dixerit, ſignum. Vincit decore ac lumine) Non eſt ueriſimile ſtellam illam fuiſſe maiorem ſole, ſed gratia lucis antecelluiſſe. Sol em̃ ſua luce perſtringit ac percellit oculos obtuentiũ, Chriſtus aũt diuinitatis ſuæ lucẽ, cuius humana natura capax non erat, humani corporis familiaritate tẽperauit, ut poſſimus intueri. Et ideo ſubijcit Prudẽtius: Cum carne terreſtri deũ. Quoniã enim deus uidit homines nihil amare poſſe, niſi quod uiderẽt, fecit ſe nobis uiſibilẽ, ut uel ſic amaretur. Et quoniã omnino cõfidere uolebant homines hominibus, dedit eis unũ hominẽ, ut alienati à fiducia cæterorũ homínum, totam fiduciam ſuam transferrent in hunc unum hominem, qui neminem eſſet deſtituturus, quod idem eſſet deus.

Non illa ſeruit noctibus
Sequuta lunam menſtruam,
Sed ſola cœlum poſsidens
Curſum dierum temperat.

In exordio mũdi ſol cõditus eſt, ut præeſſet diei: luna, ut in nocturnis tenebris aliquod luminis ſolatium præberet, non quod luna non luceat aliquando interdiu, ſed quod obſcuretur claritate ſolis, quemadmodũ & cæterę ſtellæ, quæ non ſequũtur lunam, ſed luna lucẽte tamẽ apparẽt, alioqui luna maiores. Vt aũt uideantur minores, facit longius interuallum ab obtuitu noſtro, quum luna ſphæram terræ proximam obtineat. Menſtruam autem

autem uocat,quod intra triginta dies peragat cursum suum cum Zodiaco,quem sol peragit anno. Cæteri quidam etiam tardius. Quoniam autẽ lumen habet mutuũ à sole,quum est illi proxima,nulla uidetur,at paulatim recedens à sole,magis illustratur,donec aduersa soli toto orbe luceat. Inde rursus accedens ad solem,decrescit. Vnde in literis mysticis rerum humanarũ gerit typum, in quibus multũ est caliginis,nihil stabilitatis. Stultus,inquit Sapiens,mutatur ut luna. Sol autẽ Christum designat, qui est sapientia patris nullis obnoxia mutatiõibus aut uicissitudini. Quemadmodum dicitur annuum, aut diurnum, ita & menstruum. Sed sola cœlũ. Quia sola apparebat. Cœlũ appellat aerẽ. Nec em̃ creditur illa fuisse è numero stellarum fixarum, aut errantium quæ uocantur,nec ulli affixa orbi,sed recens in hoc condita,ut per aerem incedens Magis indicaret æternam illã stellam Iesum Christum,in quem hæc uere congruunt,quæ dicit Prudẽtius. Cursum dierum) Iuxta historiã non semper prælucebat Magis stella,sed quoties opus erat: Iuxta allegoriam Christus est stella sola possidens cœlũ, dux & auctor omnis diuinæ ueritatis. Hic est dies animorũ,qui nescit occasum. De hoc uaticinatus est Balam: Orietur stella ex Iacob.

Arctoa quamuis sydera
In se retortis motibus
Obire nolint, attamen
Plerunq; sub nymbis latent.

Duæ sunt stellæ intra flexus anguis,quas Græci ἄρκτους,id est,ursas uocant,tam uicinæ polo septentrionali,quem ab ipso ἀρκτικὸν appellant,ut nobis nunquam occidant. Id indicãs Vergilius in Georgicis scribit: Arctos Oceani metuentes æquore tingi. Et Ouidius: Magna minorq; ferę, quarum regis altera Graias,

Altera Sidonias utraq; sicca rates.

Siccas appellat,quod non mergantur: non quod ulla stella mergatur, sed quod occidentes nobis uideantur Oceano mergi. In se retortis motibus) Quoniã uoluuntur circa polum,minimum coficiunt spaciũ,sed uidentur mox redire unde uenerant, Non occidunt, tamen plerunq; fit ut non uideantur,uidelicet obductæ nubibus, Christus autem neq; nouit occasum,nec ullis tenebris occultari potest. Hoc Prudentius ἀλληγορικῶς.

Hoc sidus æternum manet,
Hæc stella nunquam mergitur,
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.

Sidus ex pluribus constat stellis,ut ursa,ut taurus. Stella singularis est. Aut igitur abusus est uoce sideris,quod apud poetas non est infrequens. aut sidus appellat Christum,secum trahentem sua membra.

Tristis cometa intercidat,
Et si quod astrum Sirio
Feruet uapore,iam dei
Sub luce destructum cadat

Præter septem præcipuas stellas,quas Græci planetas uocant, Latini errones, præter stellas fixas,quas innumeras habet octaua sphæra, frequenter apparent nouæ stellarum species,insignem aliquam felicitatem aut calamitatem mortalium generi denunciantes. Græci cometas uocant. Latini crinitas,horrẽtes,ut inquit Plinius,crine sanguineo,& comarum modo in uertice hispidas. Sunt & pogoniæ,acontiæ,ceratiæ, lãpades, aliæq; cõplures,ex forma quã ostendunt nominibus inditis,de quibus tractat præter alios Plinius lib. 2. cap. 25. Dubitatum est aũt,an hæ perpetuæ sint, an ex tempore nascantur, humore uim igneam concipiente,& post occidant. Neq; em̃ semper apparent in orbibus ipsis, sed frequenter in aere hoc nostro,ueluti Castores,qui uidentur insidentes antemnis,faces & bolides. Nec desunt qui putãt nostras animas habere cognationẽ cũ stellis,ut sua cuiq; sit peculiaris,quæ pariter cum homine nascatur & occidat,Hæc utcunq; habent,probabile

est

eſt hanc ſtellam recens creatam fuiſſe,nec orbibus affixam fuiſſe,ſed angeli ductu per aerem commonſtraſſe uiam Magis. Triſtis cometa)Iuxta ſenſum allegoricũ id accipiendum eſt.Nam & poſt Chriſtum natum,frequenter apparuerunt cometæ.Sed poſt exortam ſtellam illam Euãgelicæ ueritatis,nõ eſt quod quiſq; timeat peſtiferas Satanę ſtellas, ſiue bellum,ſiue famem,ſiue peſtilentiam minitantur cometę,nihil eſt periculi his,qui ſequuntur ductum huius ſtellæ quæ eſt Chriſtus Ieſus. Et ſi quod aſtrũ)Sunt & ſydera parum proſpera rebus humanis,quum occidunt aut exoriũtur,ut Orion,hyades, ac pleiades,quæ tẽpeſtatem adferunt:canicula,cuius exortu ſolis feruor accenditur,feruent maria,fluctuant in cellis uina,mouentur ſtagna,increſcũt peſtilẽtiæ,canes toto eo tempore in rabiem aguntur.Ea dicitur Sirius,à flammæ candore:quanq; qui Græcarũ uocũ etymologias contraxit,tot recitat opiniones,ut me pigeat referre.Iuxta tropologiã uero Sirius eſt Satanæ,qui mentis hominum ad inſanos amores,ad bella diſſidiaq; concitat. Has ſtellas extinguit Chriſtus exortus,ac prælucens mẽtibus noſtris. Nec caret gratia, quod abuſus eſt appellatiuo pro epitheto.Sirio uapore, quaſi dicas:Italos mores,pro Italicos, uaporem autem dicit exhalationem calidam.

En Perſici ex orbis ſinu
Sol unde ſoluit ianuam,
Cernunt periti interpretes
Regale uexillum Magi.

Incertum unde uenerint Magi, niſi quod legũtur ab Oriente ueniſſe.Perſis autem ad orientem eſt Paleſtinę,in qua eſt Hieroſolyma.Periti interpretes.Mox enim ut uiderunt ſtellam interpretantur natum regem. Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorũ? Porrò quos Græci philoſophos appellant,Perſæ Magos uocant. Vetuſtiſsimæ philoſophiæ erat aſtrologię ſtudium.

Quod ut refulſit, cæteri
Ceſſere ſignorum globi,
Nec pulcher auſus eſt ſuam
Conferre flammam lucifer.

Lucifer, eadem eſt Venus,qua nulla ſtella benignior,nec plus habẽs lucis.Nam & interdiu frequenter apparet,& ſola omnium umbrã facit ſuper terrã. Nulla eſt gloria,ſiue prophetas et patriarchas conferas,ſiue angelos,ſiue quicqd eſt in terris magnificũ,quod Chriſti gloria non obſcuretur.Globos autem dixit ſtellas,quod ſphæricam habeant figuram,etiam ſi nobis uideantur radijs inæquales,ob interualli magnitudinem.

Quis iſte tantus inquiunt,
Regnator aſtris imperans,
Quem ſic tremunt cœleſtia,
Cui lux & æthra inſeruiunt.

Deſcribit ſtellam Chriſtum ex ſignificatione ſtellæ.
Aſtris imperans,quia cadunt & obſcurãtur. Tremunt,id eſt, uenerantur. Lux & æthra. Aethra eſt purior cœli pars: habet enim & cœlum ipſum lucem ſuam.

Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime celſum interminum,
Antiquius cœlo & Chao.

Nullum imperium humanum fuit aut erit perpetuum. Hæc ſtella ſignificabat regem,cuius nec initium ullum fuerit,nec finis ſit ullus futurus. Vnde & diuinam naturam intelligũt. Nihil enim principio caret ſimul & fine, iuxta theologos,niſi ſolus deus.
Antiquius cœlo & Chao.)Chaos fuit ante mũdum conditum.Hoc itaq; nihil antiquius.

Hic ille rex eſt Gentium,
Populiq; rex Iudaici,
Promiſſus Abrahæ patri
Eiusq; in æuum ſemini.

Omiſſa perſona Magorum, quos fecerat loquentes, ipſe perſequitur ſermonem. Rex gentium & Iudæi populi. Iudæi deum appellant Abraham, Iſaac, & Iacob, ſed Euangelium docuit illum eſſe regem omnium gentium. Abraham enim pater eſt omnium credentium, & huius poſteris præſtatur, quicquid illi promiſſum. Iudæi ſunt, quicunq; profitentur nomen Ieſu, & mentem habent à terrenis cupiditatibus circunciſam.

Aequanda non ſtellis ſua
Cognouit olim germina
Primus ſator credentium
Nati immolator unici.

Attingit hiſtoriam, quæ refertur Geneſis 22. Poſteaquam Abraham paratus erat immolare filium unicum Iſaac, dixit illi deus: Per memetipſum iuraui, dicit dominus, quia feciſti hāc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, propter me benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.

Iam flos ſubit Dauidicus
Radice Ieſſæa æditus,
Sceptriq; per uirgam uirens
Rerum cacumen occupat.

Refert prophetiam, quæ eſt apud Eſaiā cap. 11. Egredietur uirga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, cuius allegoriam exponit; Ex Dauid filio Ieſſe, prodijt Chriſtus. Virga aūt geſtamē eſt regum, cuius uiror ſignificat perēnitatem regni. Flos inſignem eminentiam. Ex humilibus initijs natum eſt regnum Euāgelicum, ſed rectitudine ueritatis increſcēs, occupauit totū orbē. Sequitur enim in eadē prophetia. Et percutiet terram uirga oris ſui: uidelicet uirgam indicans Euangelicæ ueritatis. Subit autem dixit, pro emergit: quemadmodum Vergilius dixit ſubijcit pro altum iacit.

Exin ſequuntur perciti
Fixis in altum uultibus,
Qua ſtella ſulcum traxerat
Claramq; ſignabat uiam.

Exin, id eſt, poſtquam apparuerat ſtella. Perciti flagrantes amore uidendi pueri. Stella ſignum erat, ſed uis quędam occulta afflarat illorum animos. Sulcum. Nauis dicitur poetis ſulcare mare. Ita ſtella uidetur ſulcare aerem.

Sed uerticem pueri ſupra
Signum pependit imminens,
Pronaq; ſummiſſum face
Caput ſacratum prodidit.

Prona face, uelut adorabundum. Caput ſacratum, id eſt, puerū. Synecdoche eſt, quemadmodum charum aut lepidum caput dicentes, totum hominem intelligi uolumus.

Videre quod poſtquam Magi
Eoa promunt munera,
Stratiq; uotis offerunt
Thus myrrham & aurum regium.

Quod, ſubaudi caput. Eoa, Orientalia, uel quod earum rerum maxime fertilis ſit Oriens, uel quod ab Oriente uenerint.

Agno-

Agnoſce clara inſignia
Virtutis ac regni tui,
Puero cui trinam pater
Prędeſtinauit indolem.
Regem deumq́ annunciant
Theſaurus,& fragrans odor
Thuris Sabei,& myrrheus
Puluis ſepulchrum prędocet.

Apoſtrophe ad puerum.Puero,puer legendum eſt.Aliquis ſuperſcripſerat o.ut indicaret uocandi caſum eſſe:id ſcriba adiecit dictioni. Trinam indolē.) In hypoſtaſi Chriſti tres erant ſubſtantiæ, ſiue naturę:diuina natura,anima humana,& corpus humanum. Verum hic aliud annotat, tres uelut perſonas fuiſſe in Chriſto: dei,regis, & hominis, hoc eſt,ſacerdotis.Quatenus erat homo,mortuus eſt,hoc eſt immolauit ſeipſum pro peccatis mortaliū. Huius rei typum habebat myrrha. Nam & ſacerdotū erat,incendere thymiama,& defunctorum corpora myrrha oblinebantur,ne putreſcerent. Rex erat,quoniam ipſe dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.Id indicabat aurum. Deus erat,ædens miracula,ſeipſum reuocans in uitam.Eius rei figuram habebat thus,dicatum rei diuinæ.

Hoc eſt ſepulcrum,quod (deus
Dum corpus extingui ſinit,
Atq́ id ſepultum ſuſcitat)
Mortis refregit carcerem.

Exponit allegoriam ſepulchri.Quod animabus defunctorum eſt tartarus, hoc ſepulchrum eſt exanimatis corporibus. Chriſtus ut homo mortuus eſt,ac ſepultus:ut deus reuixit,clauſo ſepulchro.Item huius anima,ut hominis deſcendit ad inferos, ſed ut diuinæ naturæ coniuncta,reuerſa abinferis, liberauit illic detentas.

O ſola magnarum urbium
Maior Bethleem, cui contigit
Ducem ſalutis cœlitus
Incorporatum gignere.

Apoſtrophe eſt ad Bethleem patriam Ieſu.Alluſit autē ad prophetiam, quæ eſt apud Micheam cap.5. Et tu Bethleem Effrata paruulus es in milibus Iuda.Maior,magnarum dixit,pro eo quod erat,inter magnas maxima. Cœlitus incorpor.)Non quod corpus uenerit è cœlo,ſed quod abſq́ uiri ſemine,cœleſti opificio fœtus ille conceptus ſit.

Altrice te ſummo patri
Hæres creatur unicus,
Homo ex tonantis ſpiritu,
Idemq́ ſub membris deus.

Alluſit ad prophetiam pſalmi: Dominus dixit ad me, filius meus es tu,ego hodie genui te.Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatē &c. Homo ex tonantis ſpiritu.)Homo erat ex ſpiritu ſancto conceptus.Deus erat, ſed ſub humano corpore,ita in uno ſumma imis erant coniuncta.

Hunc & prophetis teſtibus
Iiſdemq́ ſignatoribus,
Teſtator & ſator iubet
Adire regnum & cernere.

Perſequitur quod dixerat hæres unicus.Sator, hoc eſt,genitor erat deus pater.Idē teſtator,quia inſtituit hęredem filium. Vnde teſtamētum uocatur nouum ac ſempiternum.

In teſtamento adhibentur teſtes & notarij, quo magis ſit ratum. Hi ſunt prophetæ teſtes huius promiſſi, ac uelut obſignatores teſtamẽti diuini. Neq; enim liberum, ut ita loquar, erat deo reſcindere teſtamentũ, poſteaq; per prophetas erat proditum. Quid igitur ſuper erat, niſi ut quod erat legitime promiſſum, præſtaretur ut inſtitutus hæres iuberetur adire hæreditatem. Id factum eſt, quum natus eſt dominus Ieſus: Tum enim miſſus eſt, ut regnum aſſereret patri, cuius ipſe conſors eſſet. Et cernere opinor dictum, pro decernere. Deuincendus enim erat tyrannus Satanas.

Regnum quod ambit omnia
Diua & marina & terrea
A ſolis ortu ad exitum
Et tartara & cœlum ſupra.

Regnum, inquam, non qualia ſunt huius mundi, anguſtis circumſcripta terminis, ſed quod omnia complectitur. Diua dixit, pro cœleſtibus. Sub dio, ſub cœlo. Et ſuſpicor dia fuiſſe ſcriptũ. Tartara infra terram ſunt, angeli ſupra cœlum. Et huc uſq; porrigitur hoc regnum.

Audit tyrannus anxius
Adeſſe regum principem,
Qui nomen Iſrael regat
Teneatq; Dauid regiam.

Chriſtus rex erat. Satanas tyrannus. Is p Herodem belligeratur aduerſus Chriſtũ. Audit ex Magis, & ſcribis conuocatis. Anxius. Sic enim legis, turbatum regem Herodem.

Exclamat amens nuncio,
Succeſſor inſtat, pellimur.
Ferrum ſatelles corripe,
Perfunde cunas ſanguine.
Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum ſinus,
Interq; materna ubera
Enſem cruentet puſio.

Nuncium dixit, rem nũciatam. Succeſſor. Chriſtus inſtat, quia natus. Pellimur. Aliud erat regni genus, q; credebat Herodes: de quo elegantem hymnum canit chorus eccleſiaſticus: Herodes hoſtis impie, Chriſtum uenire quid times? Non arripit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Nemo non execratur Herodis crudelitatem, Sed quicunq; dediti ſunt opibus, aut honoribus mundi, ſimilem exercent crudelitatem in innocentes, quoties imminet periculum, ne pereat illis quod amant.

Suſpecta per Bethleem mihi
Puerperarum eſt omnium
Fraus, ne qua furtim ſubtrahat
Prolem uirilis indolis.

Ne qua, ne aliqua puerpera. Ita metri ratio poſtulat. Alioqui ne qua poſsit accipi, pro ne qua uia.

Transfigit ergo carnifex
Mucrone diſtricto furens,
Effuſa nuper corpora,
Animasq; rimatur nouas.

Effuſa nuper, nuper nata. Animas nouas. Nam infundendo creantur. Rimatur, quia letali uulneri locus quæritur.

Locum

Locum minutis artubus
Vix interemptor inuenit,
Quo plaga deſcendat patens,
Iugulóq; maior pugio eſt.

Mire tractat hunc miſerationis affectum. Iugulóq; maior pugio eſt. Quum pugio ſit gladiolus breuior, tamen iugulo maior. Eſt autem epiphonema rei narratæ.

O barbarum ſpectaculum.
Illiſa ceruix cautibus,
Spargit cerebrum lacteum,
Oculoſq; per uulnus uomit.

Ad exaggerandum rei atrocitatem, ponit ob oculos uaria mortis genera. Oculoſq; per uulnus uomit. Expulſu proſiliunt oculi. Lacteum cerebrum, nullis adhuc pituitis aut alio qui uitioſis humoribus corruptum.

Aut in profundum palpitans
Merſatur infans gurgitem,
Cui ſubter arctis faucibus
Singultit unda & halitus,

Quoniam infantis eſt tenerũ corpus, & calore foueri ſolitũ, palpitat ad ſenſum aquæ frigidæ. Singultit unda. Ob fletum ſæpe ſingultiunt pueri. Hic frigus aquæ, & intercluſus halitus mouet ſingultum.

Saluete flores martyrum
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit,
Ceu turbo naſcentes roſas.

Flos initium & ſpes eſt fructus ſequuturi. Sic pueritia flos eſt ætatis. Sequuti ſunt poſt uberrimi fructus martyrum adultorum. Hoc genus apoſtrophe conuenit epilogo generis Encomiaſtici.

Vos prima Chriſti uictima
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipſam ſimplices
Palma & coronis luditis.

Chriſtiana uictima eſt mactare carnem cum ſuis concupiſcentijs, quæ rebellant ſpiritui: quemadmodum ſcribit Paulus Romanis capite 12. Exhibeatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem ſanctam, deo placentem, & rationabilem cultum ueſtrum. Sed præcipua uictima eſt, ubi totum corpus pro Chriſti gloria impenditur. Ita Paulus ad Timotheum 2. cap. 4. Ego iam delibor, & tempus meæ reſolutiõis inſtat. Aram ante ipſam, pro ipſam legendũ ſuſpicor, cuius. Palma & coronis.) Palma inſigne erat uictoriæ. Dabãtur & coronæ uictoribus. Mire ſeruauit decorum perſonæ. Puerorum eſt ludere. Ludunt ante aram, in qua mactati ſunt, ſed ludunt palma, & coronis, prius exempti uita, quàm ſcirent ſe uiuere.

Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem iuuat?
Vnus tot inter funera
Impune Chriſtus tollitur.

Aduerſus diuina conſilia, nihil ualet humana uigilantia. Nihil non eſt factum ab Herode, ne Chriſtus elaberetur. Solus elapſus eſt.

Inter coæui ſanguinis
Fluenta ſolus integer

Ferrum,quod orbabat nurus,
Partus fefellit uirginis.

Grauiter dixit fluenta ſanguinis:feſtiuiter autem,coæuum ſanguinem,eiuſdem ętatis infantium. Orbabat nurus.Nurus dixit ſponſas . Orbatur qui liberis priuatur, aut alio/qui re chariſsima. Nec ſine tropo ferrum dixit gladium.

Sic ſtulta Pharaonis mali
Aedicta quondam fugerat
Chriſti figuram præferens
Moſes præceptor ciuium.

Confert hiſtoriam ueteris teſtamenti cum hiſtoria Euãgelica.Pharao rex Aegypti, uidens increſcere populum Hebręorũ,iuſsit ut omnis fœtus maſculinus exponeretur. Moſes tamen expoſitus in Nilum,deo uolente ſeruatus eſt, inſcio rege . Confert igitur Pharaonem cum Herode,Ieſum cum Moſe.Ieſus captiuos, diaboli tyrannide oppreſſos,liberauit,ac cœleſtis Hieruſalem ciues fecit. Moſes ſuos ciues eduxit ex Aegypto.Receptorem dixit reſtitutorem.

Cautum & ſtatutum iuſſerat,
Quo non liceret matribus,
Cum pondus alui abſoluerent,
Puerile pignus tollere.

Cum pondus alui abſoluerent,id eſt cum emitterent fœtum.Abſoluitur quod perficitur:abſoluitur quod dimittitur.Puerile,à puero dixit.Nam maſculum intelligit. Tollere, pro educare dictum eſt,ſiue ſuſtollere.

Mens obſtetricis ſedulæ
Pie in tyrannum contumax
Ad ſpem potentis gloriæ
Furata ſeruat paruulum,

Exodi cap.2. narrat hoc factum à matre Moſi.Ad ſpem potentis.Nam infantis indoles,inſigne quiddam præ ſe ferebat.

Quem mox ſacerdotem ſibi
Aſſumpſit orbis conditor,
Per quem notatam ſaxeis
Legem tabellis traderet.

Moſes dux,dux & Chriſtus.Sacerdos Chriſtus, & Moſes ſacerdotium inſtituit.Moſes legem tulit ſaxeis tabellis inſcriptam, Chriſtus autor eſt legis Euangelicæ,quam cordibus credentium inſcribit per ſpiritum ſanctum.

Licet ne Chriſtum noſcere
Tantiſper exemplum uiri?
Dux ille cæſo Aegyptio
Abſoluit Iſrael iugo.

Aperit collationem.Moſes deſtinatus dux populi,quum uideret Hebręum iniuria afficiab Aegyptio,occiſo qui parabat iniuriam,liberauit Hebręum.Quod tum faciebat in uno,mox factum eſt in toto populo,uia patefacta per mare rubrum,in quo perijt Pharao cum ſuis.

At nos ſubactos iugiter
Erroris imperio graui,
Dux noſter hoſte ſaucio
Mortis tenebris liberat.

Aegyptus Hebræis ſonat tenebras, unde in myſticis literis gerit typum uitæ uitijs & erroribus obnoxiæ, Hæc uera longeq; miſerrima ſeruitus eſt, ſeruire uitijs. Ab hac libera uit nos dux noſter Ieſus, non per legis opera, ſed per gratiam, ac per fidei lucem depulit tenebras errorum.

Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in tranſitu,
Repurgat undis dulcibus
Lucis columnam præferens.

Baptiſmus deſignabat mare rubrum, quod per ſanguinem Ieſu Chriſti ſeruat Hebræos, ac tranſmittit in libertatem, Pharaonem cum exercitu toto mergit. Vitia, malæq; cupiditates ſunt exercitus Aegyptiorum. Hebræis per noctem prælucebat columna ignis. Nobis ad pietatem reſipiſcentibus, prælucet Euangelica ueritas.

Hic præliante exercitu,
Paſsis in altum brachijs
Sublimis Amalech premit
Crucis quod inſtar tunc fuit.

Confert hiſtoriam quæ habetur Exo. 17. Moſes ſtans in uertice collis, tollebat manus in altũ, & interea uincebãt Hebręi pugnantes aduerſus Amalech. Chriſtus in cruce pro nobis porrexit manus ſuas, & uictus eſt hoſtis noſter Satanas.

Hic nempe Ieſus uerior,
Qui longa poſt diſpendia
Victor ſuis tribulibus
Promiſſa ſoluit iugera.

Ieſus Naue perduxit Iſrael in terram promiſſam, expulſis indigenis. Verũ is nihil aliud erat, q̃ typus noſtri Ieſu: quid deuicto Satana, perducit ſuos in regnum cœleſte. Poſt longa diſpendia. Quoniam Iſraelitæ per annos quadraginta uarijs caſibus agitati ſunt in deſerto, quum uia ſit non admodum longa ab Aegypto in Syriam. Suis tribul. Fratres Chriſti ſunt, qui illi per fidem copulantur.

Qui ter quaternis denicq;
Refluentis amnis alueo,
Fundauit & fixit petris
Apoſtolorum ſtemmata.

Hiſtoriam quam legis Ioſue capite tertio & quarto, accommodat ad allegoriã. Quum Iſraelitæ pedibus tranſiſſent Iordanem, inferiore parte fluminis defluxu ſuo relinquente ſiccum alueum, & ſuperiore ſemet in altum agglomerante, Ioſue iuſsit, ut è ſingulis tribubus ſingulos eligerent, qui rurſus ingreſsi Iordanem, è medio alueo tollerent ſingulos lapides duriſsimos, quos in eius facti memoriã reponi iuſsit. Hos uiros interpretatur duodecim apoſtolos, per quos Chriſtus fundauit eccleſiam ſuã: quemadmodum legis Apocalypſeos capite uiceſimoprimo. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum & agni. Ter quaternis, id eſt duodecim Refluentis. Ita Pſalmus: Iordanis cõuerſus eſt retrorſum. Stemmata dixit monumenta.

Iure ergo ſe Iudæ ducem
Vidiſſe teſtantur Magi,
Cum facta priſcorum ducum
Chriſti figuram finxerint.

Ex tribu Iuda natus eſt Ieſus, iuxta prophetiam: Ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Iſrael. Vidiſſe teſtantur Magi. Aiunt enim: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudęorum? Cum facta. Vidimus, inquiunt, ſtellam eius. In ſigno uiderãt Ieſum, quẽadmodum

Iudæi uiderant Iesum in figurarũ ænigmatis,& oraculis prophetarum ; priusq; nascerẽtur. Nimirũ hoc est quod ait: Cum facta priscorũ ducum Christi figurã finxerint: quemadmodum modo declarauit de Mose & Iosue. Finxerint dixit, pro designarint.

Hic rex piorum iudicum
Rexere qui Iacob genus,
Dominæq; rex ecclesiæ
Templi nouelli ac pristini.

Christus in medio seculorum natus est, sic ut utrumq; tempus complectatur,& præteritum,& sequens. Rex erat synagogæ, rex est ecclesiæ. Rex erat patriarcharum, regũ ac iudicum Israelis. Rex est & posterorum idem Iesus Christus. Dominã ecclesiam uocat, quod huic se submittat orbis. Templum nouellum dixit ecclesiam, hoc est templum spirituale. Et templum pristinũ, dixit templum Solomonis, quod ecclesiæ gerebat imaginẽ. Idem Christus utrisq; imperabat, sed aliter. Illis destinatus, his exhibitus: illis adumbratus figuris, his palam declaratus: illis promissus, his datus. illi seruabantur, quia credebãt uenturum . nos seruamur, quia credimus uenisse.

Hunc posteri Effraym colunt,
Hunc sancta Manassæ domus:
Omnesq; suscipiunt tribus
Bis sena fratrum semina.

Non solum ea Iudææ pars, unde natus est Christus, adorant Christum, uerumetiam omnes tribus, quæ sunt duodecim, sortitę nomina à duodecim patriarchis filijs Iacob.

Quin & propago degener
Ritum secuta inconditum,
Quæcunq; dirum feruidis
Baal caminis coxerat:
Fumosa auorum numina
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit.

Germani Iudæi sunt, qui genus ducunt ab Abraham, Isaac,& Iacob, ac duodecim patriarchis. Nam hi coluerunt unum deum. Degenerem propaginem uocat eos, qui genus duxerunt ab Agar, Moab, & Ammon, unde gentium origo, deos multos colentium. Quæcunq; dirũ f. B. c. cox. De Baal idolo, quod colebatur olim ab impijs, multis est mentio in libris sacris, Aram Baal demolitus est Gedeon, una cum luco, ac nouum extruxit altare. Quoniam autem uariæ gentes erant colentes simulachra, ideo dicit: Quęcunq; natio coxit dirum Baal, hoc est, execrabile simulachrum, feruidis caminis. Fumosa auorum) Fumosa dixit, uel ob uetustatem, uel ob fabrorum officinas. Saxum, metallum, stipitem.) Tres materias refert deorum, lapidem, æs, lignum. Opificium item triplex. Metallum raditur lima: saxum secatur, lignum dolatur.

Gaudete quicquid gentium est,
Iudæa, Roma, & Græcia,
Aegypte, Thrax, Persa, & Scytha,
Rex unus omnes possidet.

Inuitat omnis orbis nationes, ad laudandũ Iesum, qui rex est omnium, per quem unum omnes ad uitam reuocantur.

Laudate uestrum principem
Omnes beati ac perditi,
Viui, imbecilli, ac mortui,
Iam nemo posthac mortuus.

Quibus

Quibus res sunt prosperæ, beati dicuntur. Perditi, qui uarijs malis affliguntur. Sed sæpe beatiores sunt afflicti, & beati. Vtriq; tamen laudare debent principem suum Iesum. Beati, quod successu rerum ex ipsius benignitate fruantur. Afflicti, quod per illius misericordiam emendantur ac purgãtur, ne pereant in æternũ. Viui, imbecilli. Siue morimur, inquit Paulus, siue uiuimus, domini sumus. Qui uiuit ac ualet, laudet principẽ suũ, qui in hoc uitam largitur, ut reddatur melior. Qui ęgrotat, laudet regem suum, qui nostro bono morbos immittit. Qui moritur, laudet principem suum, quoniam trãsfertur ad uitam feliciorem. Neq; enim iam mors dicenda est, quę recta perducet ad uitam ęternã, per Iesum aperto regno cœlorum. Non enim moriuntur, sed obdormiscunt, qui moriuntur in Christo, ad angeli uocem & corporibus experrecturis.

COMMENTARIOLI DES. ERASMI ROTERODAMI
in hymnum Prudentij de Epiphania pueri
Iesu, Finis.

CHRISTIANI HOMINIS INSTITVTVM PER DES. ERASMVM ROterodamum.

Ad Galatas 5.
Valet in Christo fides, quæ per dilectionem operatur.

FIDES.

CREDO PRIMVS ARTICVLVS
Confiteor primum ore pio, uenerorq; fideli
Mente deum patrem, uel nutu cuncta potentem.
Hunc qui stelligeri spatiosa uolumina cœli,
Et solidum omniparæ telluris condidit orbem.

ET IN IESVM II
Eius item gnatum Iesum cognomine Christum.
Quem dominum nobis agnoscimus & ueneramur.

QVI CONCEPTVS III
Hunc Maria afflatu diuini numinis, aluo
Concepit uirgo, peperit purissima uirgo.

PASSVS SVB PONTIO IIII
Et graue supplicium immeritus damnante Pilato
Pertulit, infami suffixus in arbore, mortem
Oppetijt, tumulatus humo est, claususq; sepulchro:
Interea penetrat populator ad infera regna.

TERTIA DIE V
Mox ubi tertia lux mœsto se prompserat orbi
Emersit tumulo, superas rediuiuus in auras.

ASCENDIT VI
Inde palam ætheream scandit sublimis in arcem.
Illic, iam dexter patri assidet omnipotenti.

ITERVM VENTVRVS VII
Idem olim rediturus, ut omnem iudicet orbem,
Et uiuos pariter, uitaq; & lumine cassos.

CREDO IN SPIRITVM VIII
Te quoq; credo fide simili spirabile numen,
Halitus afflatusq; Dei sacer, omnia lustrans.

SANCTAM ECCLESIAM IX
Et te confiteor sanctissima concio, qua gens
Christigena arcano nexu coit omnis in unum

Corpus & unanimis capiti ſociatur Ieſu,
Hinc proprium neſcit, ſed habet communia cuncta.

REMISSIONEM PECCATORVM X

Hoc equidem in cœtu ſancto, peccata remitti
Credo, uel ijs ſacro fuerint qui fonte renati.
Vel qui diluerint ultro ſua crimina fletu.

CARNIS RESVRRECTIONEM XI

Nec dubito quin exanimata cadauera rurſum
In uitam redeant, animas ſortita priores.

VITAM ÆTERNAM XII

Vtraq; pars noſtri, corpusq; animusq; deinceps
Iuncta ſimul, uitam ducent ſine fine perennem.

SEPTEM SACRAMENTA.

Hoc quoq; perſuaſum eſt, eccleſia myſtica ſeptem
Munera diſpenſat, quæ ſacramenta uocantur.
Hinc uarię dotes, & gratia plurima menti
Cœlitus inſeritur, ſi quis modo ſumpſerit apte.

ORDO PRIMVS.

Ordine nanq; ſacro, confertur ſacra poteſtas.
Vt fungare miniſterijs, Chriſto auſpice, ſanctis.

MATRIMONIVM II

Munere coniugij nati hunc prodimus in orbem,
Vſq; adeo pulchri, pulcherrima portio, mundi.

BAPTISMVS III

Munere Baptiſmi longe felicius ijdem
Quàm prius in te Chriſte renaſcimur, atq; nouamur.

CONFIRMATIO IIII

Deinde in amore Dei nos confirmatio ſacra
Conſtabilit, mentemq; inuicto robore durat.

EVCHARISTIA V

Myſticus ille cibus (Græci dixere ſynaxin)
Qui panis uinicq; palam ſub imagine, Chriſtum
Ipſum præſentem uere exhibet intima noſtri
Viſcera cœleſti ſaginat, & educat eſca,
Incq; Deo reddit uegetos, & reddit adultos.

POENITENTIA VI

Si quem forte Deo capitalis reddidit hoſtem
Noxia, continuo metanœa medebitur illi.
Reſtituet lapſum, reſciſſaq; fœdera rurſum
Sarciet, offenſi placabit numinis iram,
Commiſsi modo pœniteat, pigeatq; nocentem.
Iſq; uolens peragat præſcripta piamina culpæ.

VNCTIO VII

Vnguinis extremi munus nos munit, & armat,
Migrantemq; animam per ſumma pericula, tuto
Tranſmittit patriæ, & ſuperis commendat euntem.

AMOR DEI

Hæc eſt indubitata Fides, cui pectore certo
Nixus, amabo patrem ſuper omnia cunctipotentem.
Qui me condiderit q;, & in hunc produxerit orbem.
Rurſus amore pari dominum complectar Ieſum,
Qui nos aſſeruit, precioq; redemit amico.
Spiritum item ſanctum, qui me ſine fine benigno
Afflatu fouet, atq; animi penetralia ditans

Doti

Dotibus arcanis,uitali recreat aura.
Atq; hic ternio ſanctus, & omni laude ferendus
Toto ex corde mihi,tota de mente,ſupremis
Viribus, obſequio,meritoq; coletur honore.
Hunc unum reuerebor, & hoc ſemel omnis in uno
Spes mea figetur,hoc omnia metiar uno.
Hic propter ſeſe mihi ſemper amabitur unus.

AMOR SVI.

Poſt hunc haud alia ratione, ac nomine charus
Ipſe mihi fuero,niſi quatenus omnis in illum
Ille mei referatur amor,fontemq; reuiſat.

FVGA PECCATI.

Culpam præterea fugiam pro uiribus omnem.
Præcipue capitale tamen uitauero crimen,
Quod necat,atq; animam letali uulnerat ictu.

SVPERBIA. INVIDIA. IRA.

Ne faſtu tumeam,ne uel liuore maligno
Torquear,aut bili rapiar feruente cauebo,

GVLA. LVXVRIA. PIGRITIA.

Ne uel ſpurca libido,uel inſatiabilis aluus
Imperet enitar, nec turpis inertia uincat,

AVARITIA.

Ne nunq; ſaturanda fames me uexet habendi,
Plus ſatis ut cupiam fallacis munera mundi.

FVGA MALORVM HOMINVM

Improba peſtiferi fugiam commercia cœtus
Omnia,ſummo animi conatu,proq; uitili.

STVDIVM PIETATIS.

Atq; huc incumbam neruis,ac pectore toto,
Vt magis atq; magis ſuperet mihi gratia, uirtus,
Augeſcatq; piæ diuina ſcientia menti.

DEPRECATIO.

Orabo ſuperosq; precum libamine puro
Placare adnitar,cum tempore ſedulus omni,
Tum uero eximie,quoties lux feſta recurret.

FRVGALITAS VICTVS.

Frugales epulæ ſemper,menſæq; placebit
Sobria mundities,& auari neſcia luxus.

IEIVNIVM.

Seruabo reuerens,quoties ieiunia nobis
Indicit certis Eccleſia ſancta diebus.

MENTIS CVSTODIA.

Sancta uti ſint mihi ſecretæ penetralia mentis,
Ne quid eò ſubeat fœdúmue,nocensúe ſtudebo.

LINGVÆ CVSTODIA.

Ne temere iuret, ne unquam mendacia promat,
Turpia ne dictu dicat mea lingua cauebo.

MANVS CVSTODIA.

A furto cohibebo manus, nec ad ulla minuta
Viſcatos mittam digitos, & ſi quid ademptum
Cuiq; erit,id domino properabo reddere iuſto.

RESTITVTIO REI FORTE REPERTÆ

Id quoq; reſtituam,ſi quid mihi forte repertum eſt,
Me penes haud patiar prudens aliena morari.

AMOR PROXIMI. Nec

Nec ſecus atq; mihi ſum charus, amabitur omnis
Proximus: eſt autem (ni fallor) proximus ille,
Quiſquis homo eſt, at ſic ut amor referatur amici
In Chriſtum, uitamq; piam, ueramq; ſalutem.
Huic igitur fuerit quoties opus, atq; neceſſe,
Sedulus officio corpusq; animumq; iuuabo,
Vt mihi ſuccurri cupiam, ſi forſan egerem.
Id tamen in primis præſtabo utriq; parenti,
Per quos corporeo hoc naſci mihi contigit orbe.
Tum præceptori, qui me erudit, inſtituitq;
Morigerus fuero, ac merito reuerebor honore.
At rurſus dulciſq; ſcholæ, ſtudijq; ſodales
Semper (uti par eſt) ſyncero amplectar amore.

ASSIDVA CONFESSIO.

Si quando crimen fuero prolapſus in ullum,
Protinus enitar, pura ut confeſsio lapſum
Erigat, ac iuſta tergatur noxia pœna.

SVMPTIO CORPORIS CHRISTI in uita.

Aſt ubi ſacrati me ad corporis atq; cruoris
Cœleſtes epulas, pietasq; diesq; uocabit,
Illotis manibus metuens accedere, pectus
Ante meum, quanta cura ſtudioq; licebit,
Purgabo maculis, uirtutum ornabo nitelis.

MORBVS.

Porrò ubi fatalis iam terminus ingruet æui,
Extremumq; diem cum morbus adeſſe monebit,
Mature ſacramentis me armare ſtudebo,
Atq; his muneribus, quæ eccleſia ſancta miniſtrat
Chriſti genis, reteget confeſsio crimina uitæ
Sacrifico, ſumam Chriſti uenerabile corpus.

MORS.

Quod ſi uicinæ propius diſcrimina mortis
Vrgebunt, ſupplex accerſam qui mihi rite
Oblinat, ac ſignet ſacro ceromate corpus.
Atq; his præſidijs armatus, ſicuti dignum eſt
Chriſticola, forti ac fidenti pectore, uita
Decedam, bonitate dei ſuper omnia fretus.

HOC FAC ET VIVES.

EPITAPHIVM ODILIÆ FIGENDVM in cimiterio ſub ſigno crucifixi.

SEpulta uiuum te ſalutat Odilia.
Quid ad ſepultæ uerba mox fugit color?
Viuum ſaluto uiua. quur lubitum eſt rei
Placidæ bonæq; dira dare uocabula?
Mala uita mors eſt, & ſepulchrum, & inferi.
Vna hæc tibi timenda, ſi mortem times.
Nam quod uocant mori, eſt pijs renaſcier.
Noſtri peribit nihil, & haud pilus, niſi
Perit, feraci ſemen abditum ſcrobe,
Mox ſe benigno redditurum fœnore.
Si rem putaris, quid mori eſt, niſi ſeri?
Condi ſepulchro, quid? niſi occari ſata?

Iamq;

Iamq; in propinquo est ille fatalis dies,
Quum uere nostro flantibus Fauonijs
Rediuiua putri pullulabunt è cauo.
Moxq; emicabit læta corporum seges.
Quorum uiror perennis, haud unquam amplius
Marcescet: hanc in spem fidelis interim
Sopita gremio terra seruat fragmina.
At mens caducis expedita uinculis
Inuisa quanquam, uiuit ac te cominus
Sentit, uidetq;, triplici discrimine
Vitæ anteactæ merita carpens præmia,
Messemq; pro semente quam fecit metens.
Bona pars relictis artubus circumuolans
Captat pias hâc commeantium preces,
Vtà luendis expiata noxijs,
Quas terreo contraxit è contagio,
Iam pura purum adire possit æthera.
Has flagitato subleua precamine,
Memor, uices te mox manere mutuas.
Pendentis alto uictimæ de stipite
Mors obsecranda est, obsecranda uulnera.
Hoc fonte, si quod efficax piaculum,
Viuisq; manat, manat hinc & mortuis.
Si porro properas, tum precatus uerbulo
Lucem & quietem, perge cursum, te quoq;
Para sepulchro, mox sequuturus. Vale.

EIVSDEM QVERELA DE FI
lio superstite.

DIctum erat ad sacras mihi nomen Odilia lymphas.
Idq; mei solum iam supereſſe uides.
Cætera mors rapuit, cineres atq; arida tantum
Terra parens gremio confouet ossa suo.
Quid tibi te dignum, nisi te mors sæua precemur:
Scindere cui cordi est, quæ bene iunxit amor:
Iam nihil est charam à membris discerpere uitam,
Quiddam etiam dulci dulcius est anima.
Tu potes à gnato dilectam auellere matrem,
Impia, uel centum rumpere uincla potes:
Quos natura potens, te præter in omnia uictrix,
Mutua quos pietas, quos ita rara fides,
Quos mores placiti, & dulcis concordia uitæ
Tam bene, tam multis nexibus unierant:
Hos tu ut distraheres tollis, sine pignore matrem
Atq; ita pars melior orba relicta mei est.
Sed bene, quod mors nostra scidit, tua Christe resarcit:
Plusq; boni reddit, quàm dedit ista mali.

RESPONDET FILIVS SVB PI-
ctura Christi crucifixi Moysi
& serpentis.

VIta fugax haud longa dedit diuortia nostri,
En mors æqua tibi, quod tulit ipsa refert.
Vna duos pietas uiuos bene iunxerat, ut nunc
Amborum cineres una recondit humus.

Amborũ

Amborum uultus tabula uiſuntur eadem,
Subripuit leto hoc ingenioſa manus.
At tu ſpectator, ſortis memor omnibus æquæ,
Hæc ſaltem ex animo fundito uota ſitis.
Chriſte necis domitor ac uitæ perpetis autor,
Iugem animis uitam morte repone tua.
Tu ſacra illa ſilex, teretis quæ uerbere uirgæ
Vitaleis ſcatebras gentibus icta dedit.
Tuq; ſalutiferum ſerpentis in arbore ſignum,
Quod ueteris colubri cuncta uenena domat.
Quin hodieq; piis uitæ fons ille perennis
Pectore defoſſo ſanguis & unda ſcatet.
Ille dat exanimes reduci recaleſcere flatu,
Hæc animæ maculas abluit omnigenas.
His age muneribus dulci cum pignore matrem
In dextrum referens aſſere Chriſte gregem.

DES. ERASMI ROTERODAMI OPERVM
Quinti Tomi finis.

SERIES CHARTARVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt uu xx yy zz. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AaA BbB CcC.

Omnes terniones præter gg & CcC quaterniones.

BASILEÆ APVD HIERONYMVM FROBENIVM
ET NICOLAVM EPISCOPIVM
ANNO M D XL.

BIBLIOT. UNIWERSYT. POZNANIU


FRO
BEN

